# ANNALIVM
## ECCLESIASTICORVM
### TOMVS XVIII.

De la libreria del colegio Real
i maior de granada

# ANNALIVM
## ECCLESIASTICORVM
### TOMVS XVIII.

De la libreria del colegio real
y maior de granada

DE LA LIBRERIA
DEL REAL COLEGIO MAYOR
*Reunido de Santa Cruz, y*
*Santa Catalina.*
Æ. C. N.




# ANNALIVM ECCLESIASTICORVM

POST

ILLVSTRISS. ET REVEREND. DOM.

D. CÆSAREM BARONIVM,

S.R.E. CARDINALEM

BIBLIOTHECARIVM.

Tomus XVIII.

RERVM IN ORBE CHRISTIANO AB ANNO *Domini* 1471. *vſq; ad annum Domini* 1503. *geſtarum narrationem complectens.*

AVTHORE

R. P. Fr. ABRAHAMO BZOVIO

POLONO, SS. THEOL. DOCTORE, Ordinis Prædicatorum.

*Opus nunc primùm in lucem editum.*

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Sumptibus Antonij Boëtzeri Hæredvm.

ANNO M.DC. XXVII.

*Cum licentia & facultate Superiorum.*

*Cum gratia et priuil. Sum. Pontif. Sacræ Cæs. Maieſtatis et Chriſtianiſſimi Regis Francorum. etc.*

# SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO VRBANO VIII. PONT. OPT. MAX.

*F. ABRAHAM BZOVIVS POLONVS S. T. M. Ord. Præd. P. F. P.*

BEATISSIME PATER.

EX Diui BERNARDI oraculo: *Fama Pontificis, magna pars felicitatis Eccleſiæ*; ſi illa, publicæ ſalutis nota ſignata. Ab illa, Pontificiæ maieſtatis veneratio; ab hac obſeruantia legum; ab his amor & conſenſio populorum; præſertim, quando multitudo, nulla alia re facilius in vnum corpus coaleſcat, quam aſpectu Principis, pro omnium incolumitate excubantis; qui magis aliorum quàm ſua; & pluris omnium quàm aliquorum commoda procuret: ſique Paſtor vniuerſæ Eccleſiæ, id eſſe ambit, quod audit. An illam Sixto IV. Innocentio VIII. Alexandro VI. & Pio III. quorum res geſtas in hoc XVIII. Annalium Eccleſiaſticorum Tomo, Tibi iure merito repræſento, ab iuſtitiæ, prudentiæ, fortitudinis, conſtantiæ, ſeueritatis, ſed temporibus accommodatæ, Zelique pro domo Dei & patrimonio Chriſti, laudibus vindicauerim, eoſque à tyrannidis, iniquitatis, temeritatis, ignauiæ, leuitatis impoſturis liberauerim; Tu Beatiſſime Pater, dum hos Tibi dicatos à me labores, benigno, ſimul & acri oculo aſpicis, Arbiter eſto,

Romæ, Calend. Ian. M.DC.XXVII. apud S. Petrum, ex meo Muſæo.

# AD VRBANVM VIII.
## PONT. OPT. MAX.
DE
## *ANNALIVM ECCLESIASTICORVM*
POST
## MAGNVM CARDINALEM
# BARONIVM
*BZOVIANA CONTINVATIONE.*

LAVRENTII SMIESZKOVICI, ACADEMICI CRACOVIEN.

ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΙΣ.

VRBANE *ſolo inter, homines minor*
*Deo,*
*Mortaliũ quin, ipſe mortalis, Deus:*
*Qui ſolus immortalitatis candidas*
*Stolas, paludamentaq́ triumphalia*
*Gemmis, & obryzo obruta auro gloriæ,*
CHRISTI *crucis pretium ô quam inexupe-*
*rabile,*
*Manu tenes, vnuſque diſpenſas in hac*
*Cæli colonia, Syonis in atrio.*
*In militantium cui caput es Eccleſia,*
*Quæ ſtabit æternùm in* Petri *æterna petra:*
*Vbi ſolus adſcribis polo hæredes Dei,*
*Et ſolus exhæredibus decretum atrox*
*Proſcriptionis æuiternæ; detonas*
*Cenſorius, cœliq́ mortisq́ arbiter.*
VRBANE *meritorum tuorum montibus*
*Æquans Olympum, vbi illa luminaria*
*Solesq́ virtutum ante cunctas Principũ*
*Gentes in omnes ſua vibrarunt fulgura.*
*Hic ille vinci neſcius animus Entheus,*
*Triplexq; murus ahenus inculpata mens,*
*Hic Zelus ille Eccleſiam zelans Dei,*
*Hic Dia vitæ Ariadna, filia temporis*
*Sapientiæque, omnia videns Prudentia:*
*Vnde ordines illi actionum perpetes,*
*Libratione conſili ita ſtati, rati,*
*Vt aſtra cœli non eant diuinius.*
*Norat futurum hoc ille Pontificũ* Cato
Sixtus, *coruſcam hanc primus ornans*
*lampadem:*
Clemẽs *peregerat ardua, hac dextra ſua,*
Paulus *cyclica ſpiransq; Sancti Principis*
*Idea: hunc ſtupendũ conſcia* Dei *purpura*
*Inaugurando, erat auguratus id quod eſt.*
*Age ſi tacerent Galliæ ac Hiſpaniæ*
*Vbi fixit operæ pretia cani temporis*
*Et vbi adlaborauit nimis* Ferraria:
*Sat eſt in oculis, quid agat hoc ſtans in*
*culmine*
*Inter furentis orbis iſta incendia*
Ianus, *oculeus* Argus, *Catusque & Cor-*
*culus.*
*At has Cupreſſos inter excelſiſſimas*
*Quæ ſua minantur in aſtra ferre cacu-*
*mina,*
*Mirum relucet blandiens cœlo Roſa:*
*Ver illud animi, gratioſa gratia,*
*Remiſta maieſtate inaſpecta bonitas.*
*Niuesque dilecti Deo pectoris, vbi*
*Cogeris amare quem lubet venerarier.*
*Quod ego Poeta nullus, allapſu meo*
*Pedes ad auguſtos in oblito ſtupens*
*Animo repoſui, parsque gratiæ fui.*
VRBANE *ſolus Apollinarem lauream,*
*Scientioris munere ſapientiæ,*
*Inter operoſa gentium tot pectora,*
*Dictante Melpomene metra ad cunas*
*tuas,*
*Poſt rara Caſci ſeculi exemplaria,*
*Promerite; merito Cæſarum ſine pam-*
*pino*



*Lyræ ocellus vnus, ſumma Vatum gloria,*
*Par* Flacco, *inacceſſoq́ certans* Pindaro.
*O mella tua ſale defricata plurimo!*
*O nectaria rigata aceto acerrimo!*
*Jam quando rebus fata vocum robora*
*Deuoluis, ore Pindari immenſo ruens:*
*Quis amnis equitans terga riparum ſu-*
*per,*
*Poſt intonata fluenta grandium imbriũ*
*Reboans per agros, nemora, decumis flu-*
*ctibus*
*Impauidus omnis aggeris ita proruit?*
*Dircæus aut quis Cygnus exultim leuans*
*Se purum in aera, teſte cælo comminus*
*Tantum orbium agitat vectus aurâ plu-*
*rima?*
*Ceu tu cothurno celſus inimitabili*
*Infers ſub aſtra temet, vbere impetu.*
VRBANE (*Sed quid pergo tenuare abſono*
*hoc*
*Raucoq́ nablio tuas res æmulas*
*Cælo? ſile & compeſce ſtridorem lyræ?*)
VRBANE (*ſileo reſque prægrandes tuas*
*Non hocce barbito ſacrandas ſeculis,*
*Ex ordine ſuo ſingulatim quamlibet*
*Magnis repono perſonandas Vatibus,*
*Mihique paruo,* Phœbus *olim ſi adnuat:*
*Nunc fas ſit vnam ducere mihi lineam*)
VRBANE *Et vrbis & orbis ipſa Vrba-*
*nitas.*
*Regum volupe, Pater alme gentium om-*
*nium,*
*Inauſpicati ſeculi vna fauſtitas,*
*Iubar ſerenans nubila Hyadum triſtium,*
*Cæleſte ſydus naufragantum Principum,*
*Caſtorq́ Polluxq́ maris implacabilis:*
*Ac inter ingentia decora fama tuæ,*
*Et litterarum, & literatorum vnicum*
*Columen, aſylum, portus, ac ſacra an-*
*chora:*
ECCE *Venerandis accidens genubus tuis,*
*Venatione è proxima, capræ hinnulum,*
*Vitam fugatis temporis, rerum vices,*
*Adamante ductas oris effatu Dei:*
Annalium *monumenta* Diæ *Eccleſiæ,*
Chriſti *Columbulæ vnius de millibus*
*Quæ ſe modo tuis tuta reclinat humeris*
*Vni* Tibi *mortalium euectiſſimo,*
*Veteri ſuo Altori & Patrono maximo,*
*Offertque ſacratque, & ſacrando man-*
*cipat;*
*Aeſtum diei in vinea* Domini *ferens,*
*Gnauus, fidelis, arduus operarius,*
*Vitæq́ prodigus* Abrahamus Bzouius.
ABRAHAMVS *ille* Bzouius *ſanguenbonus*
*Gentis* Polonæ, *cura quondam Acade-*
*miæ*
*Veteris Magiſtræ gentium Borealium*
*Quam magnus olim Rex, fidei dum iſthic*
*ſata eſt*
*Murus triplex, Lituaniæ prope A-*
*poſtolus*
Iagello *voluit ire in æuum cum ſuo*
*Regno, ſimulq́ ſtare ſimul ambo hæc mori*
*Vouit; vocato in id omine execrabili.*
*Hic iſte ſuxit vbera ſapientiæ,*
*Tantiſq́ rebus quas præaltas parturit*
*Sola hæc ſchola fuere illi Athenæ, nec alij*
*Docilis iuuentæ erant Magiſtri, ſed* Ro-
chus
Volbramiuſque, *animæ vſque & vſque*
*cyclicæ.*
*Hoc ipſum adurgebant quibus is erat a-*
*nimo*
*Sacer ille Pericles fulgurans* Socolouius,
*Acerque* Gorſcius, *ſtoæque commodus.*
Pilzneus: *ô quanti viri? (ſit fas mihi*
*O ſumme Pater hominum, homines loqui*
*exteros*
*Tuum apud* Dei *æmulum thronum, qui*
*millies*
*Pro te capite Sancto capita ponere ſua*
*Accenſi erant, ſcriptiſque voceq; publica*
*Amſancta clangebant ſacra; atræque*
*hæreſi*
*Ceruicibus fractis, proteruam nequiter*
*In vſque ſua ſepulchra pepulêre infera.)*
*Hic hic recoctus artibus ſolidiſſimis*
*Mutat Academiam altiori Academiæ,*
*Futurus is qui eſt, gemma præcelſi Or-*
*dinis*
*Quem ſanxit illud maximum cœli iubar*

Tonitruans tuba glorioſi Euangelij
Mundo ruenti miſſa Cœlo dextera,
Mens intima Dei, Thaumaturgus Dominicus:
Multiplicatæ gentis in honorem inclytum
Diæ Parentis, Virginis ter maximæ:
Fidei Columnarum, Deiq; interpretum
Sacer anteſignanus, Paterq; myſticus.
Cuius propago Sancta Sancto Principi
Teſtata ſemper eſt fidelem induſtriam
Quam effundit hic ſatis ABRAHAMVS BZOVIVS.
ABRAHAMVS ille BZOVIVS, qui; dum grauis
Annis, & æuo feſſus Atlas Cœlifer
Non quiuit amplius ciere machinam,
Semperq; victurus diem obijt vltimum
Pater Sacræ Hiſtoriæ, vls Tagum &
Gangem cluens
Nullis tacendus ſeculis BARONIVS:
Tum noſter Hercules ſubintrans hunc Polum,
Suppoſuit immotos lacertos ponderi,
Eiusque collo ſedit isthæc machina.
Quam verſat indefeſſus ac ſcius Artifex,
Et Orientem, & Occidentem contuens,
Æternaq; æternans perennante calamo.
Hæc otioſa numquam, & irrequieta Apis
Volitans per arua myſticæ ſapientiæ,
Succoſque cœleſtes perenni operâ bibens
Elucubrauit melle dulci & roſcido
Fauos pluentes; illa Diua Volumina,
Quæ exegit vnus incapacia numeri:
Quibus legendis vix ſat eſt vita vnius,
Et cui fluebant illaborata omnia
Styloque primo nata, quæ vix forſitan
Alterius exſudaſſet operoſus labor.
Calamo immerente, vapulante ac pulpito.
Ergo beatis incubans laboribus,
Pexnoxque perdiuſq; vigilans perpetim,
Vrgendo calamum æternitatis conſcium,
Per illa magna, ſolida, ſancta volumina
Celebris laboris hoc celebre mnema retulit;
Vt illa dextera ipſa, quæ vitam dabat
(Scribendo) tantis rebus, habeat iam minus
Vitæ, laboremque ob laborem ſentiat.
Macte hoc malo inclyto Abrahame mi inclyte.
Illoque macte magis Lacænæ filio,
Qui claudus è bello reuerſus, apud ſuam
Matrem meruerat elogiorum hanc epitomen,
Quotum gradum cumque poſueris ô Natemi,
Tua toties virtus tibi recurſet animo.
Sic ô Abrahame vigilijs edacibus
Ex florido illo proximus cadaueri,
Anteque diem facte ſenior, tantumque non
Scæua alter illa illa manu ſcriptoria,
Reuolue in animo laudis hanc ſummæ ſtruem:
Te dando vitam actis Sacroſanctis, Dei
Eccleſiæ, vitam reſignare propriam.
At præter hanc interminam æuo gloriam:
Reſpiciet iſta operæ pretia tua maxima,
Aletque virtutem inuidendam poſteris,
Fauoreque tuum ſenium inaurabit ſuo,
Tuus ille magnus, ille Mæcenas tuus;
Et literarum, & literatorum Deus;
Academiarum vnica clientela, & ſalus.
VRBANVS vrbis, & orbis alma Vrbanitas.

Deo gloria & gratia.
&
Rectè facti, feciſſe merces.

# PRIVILEGIVM CAESAREVM.

MATTHIAS Diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & VVirtembergæ, &c. Comes Tirolis, &c. Agnoſcimus & notum facimus tenore præſentium vniuerſis. Quod cum demiſsè Nobis exponi curarit noſter & Sacri Imperij fidelis dilectus Antonius Boëtzerus, Ciuis & Typographus Colonienſis, ſeſe publico Litteratorum, & vel maximè eorum commodo, quibus Theologiæ ſtudium, & Hiſtoriarum cognitio cordi eſt, Opera omnia Patris M. Abrahami Bzouij Ordinis Prædicatorum, quæ ſcripſit, quæque in poſterum ſcripturus ſit, prælo ſubijcere, ſumptibuſque & typis ſuis in publicum edere decreuiſſe. Vereri autem, ne quod ſubinde accidiſſe malo ſuo didicerit, æmulorum fraude, quâ lucri captandi cauſa primas iſtiuſmodi editiones imitari, atque ita ex alienis ſudoribus quæſtum facere conſueuerint, ipſe ſperato laboris & impendij ſui fructu ad alios tranſlato iniquè fraudetur. Ac proinde ſupplex Nos rogarit, vt indemnitati ſuæ hoc loci conſulere, ipſumque aduersùs quorumcunque machinationes ſupradictas Priuilegio noſtro Cæſareo clementer munire dignaremur. Nos pro benigna animi noſtri in rem Litterariam affectione, precibus iſtiuſmodi haud grauatim annuerimus, vti vigore præſentium annuimus. Ac proinde omnibus ac ſingulis Typographis, Bibliopolis, & aliis quibuſcunque negotiationem librariam exercentibus ſeriò inhibemus, & vetamus, ne quiſquam prædicta Opera, quocunque modo, charactere, aut forma, ſiue integra, ſiue aliquam eorum partem, citra memorati Antonij Boëtzeri, eiuſue hæredum voluntatem & aſſenſum, intra decennium à prima editionis die computandum recudere, aut alij recudenda dare, ſiue alibi etiam impreſſa intra Sacri Romani Imperij, Regnorumque & Dominiorum noſtrorum hæreditariorum fines apportare, vendere, vel diſtrahere audeat, ac præſumat. Si quis autem Edictum hoc noſtrum tranſgredi, violare, aut contemnere deprehendatur, eum non ſolum eiuſmodi Libris perperam recuſis & apportatis, quos dictus Antonius Boëtzerus, eiuſue hæredes vbicunque inuenti fuerint, ſiue propria, ſiue Magiſtratus ibidem authoritate atque auxilio ſibi vendicare poterunt, priuandum, ſed & pœnâ decem Marcharum auri puri, cuius ſemis prædicto Boëtzero, eiuſue hæredibus, alter verò ſemis fiſco noſtro Imperiali fraudis vindici toties quoties contrafactum fuerit, omni ſpe veniæ ſublata, mulctandum decernimus. Dummodo tamen eiuſmodi Opera nihil in ſe ſcandaloſum, aut orthodoxæ Religioni Catholicæ, Sacrique Romani Imperij conſtitutionibus aduerſum, vel bonis moribus contrarium, ſiue in præfatione, ſiue in contextu, ſeu aliàs quocunque modo contineant, & Boetzerus ipſe terna vt minimum dictorum Librorum exemplaria ſuis ſumptibus quamprimum ad Cancellariam Imperialem Aulicam tranſmiſerit. Mandamus ergo Vniuerſis noſtris, & Sacri Romani Imperij, Regnorumque ac ditionum noſtrarum hæreditariarum ſubditis, cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, aut dignitatis exiſtant, tam Eccleſiaſticis, quàm Sæcularibus, præſertim verò ijs, qui in Magiſtratu cõſtituti, vel proprio, vel ſuperiorum nomine & loco Ius ac Iuſtitiæ adminiſtrationem exercent, ne quemquam Priuilegium hoc noſtrum Cæſareum temere & impunè tranſgredi aut violare patiantur, quin potius contumaces, ſi quos fortè compererint, præſcriptâ pœna mulctari, alijſque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipſi eandem mulctam euitare voluerint. Harum teſtimonio litterarum, manu noſtra ſubſcriptarum, & Sigilli noſtri Cæſarei impreſſione munitarum. Datum in arce noſtra Regia Pragæ, die 17. Menſis Ianuar. Anno Domini M. DC. XVII. Regnorum noſtrorum, Romani V. Hungarici IX. Bohemici vero VI.

Matthias

Vt. H.L. Von Ulm.

Ad mandatum Sacræ Cæſareæ Maieſtatis proprium.
Ioan. Baruitius.

# FACVLTAS SVPERIORVM.

*NOs Fr. Raphael Riphoz Barchinonenſis S. Theologiæ Profeſſor, & totius Ordinis Prædicatorum humilis Vicarius Generalis & Seruus: Tenore præſentium, noſtriq; auctoritate officij facultatem concedimus.* Admodum R. P. F. Abrahamo Bzouio Ord. noſtri Prædicatorum Sacræ Theologiæ Magiſtro, *eique in meritum ſanctæ obedientiæ iniungimus, vt librum qui inſcribitur* PONTIFEX ROMANVS, XV. XVI. XVII. & XVIII. TOMOS ANNALIVM ECCLESIASTICORVM *ab ipſo compoſitos, iuxta decreta Sacroſancti Concilij Tridentini, & Conſtitutiones, ſtatutaque Capitulorum Generalium Ordinis noſtri, à duobus Patribus S. Theol. Mag. Ordinis noſtri examinatos & approbatos, publicis typis mandare valeat. In quorum fidem his officij noſtri ſigillo munitis manu propria ſubſcripſimus. Datum Romæ in Conuentu noſtro S. Mariæ ſuper Mineruam. die 19. Auguſti 1618.*

F. Raphael Riphoz
*qui ſuprà*

R.ta fol. 112.

## APPROBATIONES.

Admodum RR. ac Eximiorum PP. ac DD. Sacræ Theologiæ Doctorum.

PRIMA.

*VIdi, ac legi Tomos XVII. & XVIII. Annalium Eccleſiaſticorum, compoſitos à R. P. F. Abrahamo Bzouio S. Theol. Mag. Ordinis Prædicatorum, & dignos cenſui impreſſione. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, Calend. Nouembr. M. DC. XXIV.*

Ego Fr. Zenobius Medices S. Th. M. Ordinis Prædicatorum
& Sedis Apoſtolicæ Pœnitentiarius.

ALTERA.

Ad. R. P. Fr. Vincentii Iuſtiniani eiuſdem Ordinis, & S. Theol. Profeſſoris, ac ſecundi Regentis apud FF. Prædicatores Almi Conuentus Colonienſis S. Crucis.

*ANnalium Eccleſiaſticorum XVII. ac XVIII. Tomos, rerum in Orbe geſtarum narrationem ab anno 1447. ad annum vſq; 1503. complectentes, à ſupra nominato Authore, eruditiſſimo P. Bzouio, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſcriptore, & ſecundo Annalium Parente, felici methodo, ſtyloq; compoſitos, ſumma attentione & animi voluptate à me infraſcripto perlectos, nil ſanæ fidei, aut ſalutaribus moribus aduerſum, continentes, luce, ac laude digniſſimos, illiſque nominibus vtiliter excudendos cenſui. Coloniæ pridiè, Nonas Septembr. Anno M. DC. XXV.*

Fr. Vincentius Iuſtinianus
Ord. Prædicatorum.

ANNA-





# ANNALIVM ECCLESIAE

*POST*

ILLVSTRmum ET REVERENDmum DOMINVM, Dn.

# CAESAREM BARONIVM S. R. E. CARDINALEM BIBLIOTHECARIVM, ET HISTORIOGRAPHVM.

## *TOMVS XVIII.*

Authore

*R. P. F. ABRAHAMO BZOVIO POLONO, S. Theol. Magiſtro, Ordinis Prædicatorum.*



I. IVSTIS Paulo Pontifici perſolutis, Patres de ſucceſſore ſolliciti, ad VIII. Idus Auguſti, Sacrum de Spiritu Sancto ſolenne, in Baſilica Vaticanâ, Nicæno Cardinale Beſſarione, Epiſcopo Tuſculano operante audierunt: atq; exindè in Palatium Vaticanum, ad Comitium aſcenderunt; omnes numero 18,

*Cardd. 18 conclaue ingrediuntur.*

1. *Beſſarion Trapezuntius, Archiepiſcopus Nicænus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus, Decanus Collegij.*
2. *Guilielmus de Eſtouteuilla Gallus, Archiepiſcopus Rothomagenſis, Epiſcopus Card. Oſtienſis, & Veliternus.*
3. *Latinus Vrſinus, Romanus, Archiepiſcopus Tranenſis, Epiſcopus Card. Sabinus.*
4. *Philippus Calandrinus, Sarzanen'. Epiſcopus Bononienſis, Epiſcopus Card. Prænestinus, major Pœnitentiarius, Ligur.*
5. *Angelicus Capranica, Romanus, Epiſcopus Reatinus, presbyter Card. tt. S. Crucis in Hieruſalem.*
6. *Berardus Herulus, Narnienſis, Epiſcopus Spoletanus, presb. Card. tt. S. Sabinæ.*
7. *Nicolaus Fortiguerra, Piſtorien', Epiſcopus Theanen'. presbyt. Card. tt. S. Cæciliæ.*
8. *Bartholomæus Rouerella, ciuis, & Archiepiſc. Rauennas, presb. Card. tt. S. Clementis.*
9. *Iacobus Amanatus, Lucenſis, Epiſcopus Papien'. presbyter Card. tt. S. Chryſogoni.*
10. *Oliuerius Caraſſa, Neapolitanus, presbyt. Card. tt. SS. Marcellini, & Petri.*
11. *Marcus Barbus, Venetus, Epiſcopus Vicentinus, presbyter Card. tt. S. Marci.*
12. *Amicus de Collemedio, ciuis & Epiſc. Aquilanus, prebyt. Card. tt. S. Mariæ trans-Tyberim.*
13. *Fr. Franciſcus de Ruuere, Sauonen. Ligur. Ord. Minorum, presb. Card. tt. S. Petri ad vincula.*
14. *Rodericus Borgia, Valentinus, Hiſpanus, Diaconus Card. S. Nicolai in carcere Tulliano, Procancellarius.*
15. *Franciſcus Gonzaga, ciuis, & Epiſcopus Mantuanus, Diaconus Card. S. Mariæ Nouæ.*
16. *Theodorus Palæologus, ex Marchionibus Montisferrati, Inſuber, Card. Diac. S. Theodori*
17. *Baptiſta Zenus, Venetus, Diac. Card. S. Mariæ in Porticu.*
18. *Ioannes Michaelius, Venetus, electus Epiſcopus Veronen. Diac. Card. S. Angeli.*

II. Hi de more Conclaue ingreſſi, VII. Idus Auguſti, leges quibus futurus Pontifex teneretur condiderunt, iure iurandoque interpoſito comprobârunt. VI. Idus Auguſti, ſcrutinium habitum, quatuor candidatos edidit; Nicænum, Rothomagenſem, Vrſinum, & Papienſem. Tribus poſterioribus, â Valentino, & Mantuano, alijſque magnæ auctoritatis Patribus excluſis, res ad vnum Beſſarionem Senatûs principem, doctrinâ, & vitæ integritate clariſſimum ſpectare videbatur: Iamque Vrſinus obtinendi Pontificatûs ſpe depoſitâ, Valentino, & Mantuano aſſentientibus, illi ſumum apicem pollicebatur; ſi modò is, quædam ex pacto priuato ſe facturum reciperet. Cæterum cùm is nullis pactis teneri voluerit, Pontificiamque dignitatem à Sincero ſuffragiorum calculo, ſe expectare ſignificauerit, Patres ſeueritate hominis alienati, ad Ruuereum, iam à Fratre Petro Riario cubiculi præfecto,

*Ruuerius Pontifex renunciatur.*

nè quid poſtulantibus Cardinalibus denegaret, præmonitum, acceſſerunt: cùmque ab eo omnia, quæ flagitauerant, impetraſſent, collatis Suffragijs V. Idus Auguſti ſummum Pontificem renunciauerunt. Sixti nomen aſſumere voluit; quòd eiuſdem Diui Feſto, Patres ingreſſi fuiſſent Comitium, ex quo ipſe Pontifex exiuiſſet. VIII. Cal. Septemb. antè fores Baſilicæ Vaticanæ, tradente Valentino Card. inſignia Pontificatus accepit. Qua die Lateranẽſis Baſilicæ poſſeſſionem adibat, periculum ingens vix euaſit: cum ciues quidam Romani, ab equitatu Pontificio inſolentius in itinere habiti, ingentẽ repentè tumultum excitauerint; in quo ſiue caſu, ſiue ex cõpoſito ſaxis appetitus, à lecticarijs certe deſtitutus fuiſſet, interijſſetque, niſi Cardinalis Vrſinus ſeditionem ſedaſſet, atque tuendo illi interceſſiſſet. *Ciacon. in Sixto IV.* Varia certè de eius aſſumptione, natalibus, Vitâ, ac moribus, vt communiter plerique iactauêre, ita Hiſtorici horum, & ſuccedentium temporum ſcripsêre. *Ioannes Michael Brutus florentinus*, maiore quidem illius, quam aliorum admiratione aſſumptum ſcribit; cùm neq; illum nobilitas, non obſcuro ſolùm ſed ſordido loco natum; neque excellens virtus, aut eruditio, neque probitas morum, atque elegantia, ſed Sacerdotũ ambitio, atq; ex ea ingens inter eos ortum diſſidium, ad eam dignitatem euexiſſet. *Petrus Bizarrus*, Cellis, obſcuro Liguſticæ oræ vico, & modicis natalibus ortum, à paruis initijs per omnes honoris gradus ad Pontificiæ dignitatis faſtigium, euectum fuiſſe memorat: quamquàm nõ deeſſent, qui putarẽt, eum originem ex Roboreiâ nobili, ac peruetuſta in Salaſſis familiâ traxiſſe, ac patrem eius translatis Sauonam penatibus, vxori, & liberis ibi operam dediſſe. *Bartholomæus Platina* beneficijs quãplurimis à Sixto auctoratus, prædicat, quòd vir fuit nõ minùs arte, quã ingenio clarus, politioribus litteris à teneris annis apprimè imbutus; qui labore incredibili ad diuinarum, humanarumque artium apicem aſcendit, vt omnes Italos litteris laceſſere, & vincere facilè potuerit; quod facilè produnt, *ait*, ex eius chartaceo ſcrinio nonnulla eius opera, non minùs concinne quàm eleganter ſcripta; quæ iam in lucem prodierunt, ſcilicet de potentia Dei, de Sanguine Chriſti, de Conceptione Beatæ Mariæ, & aliorum innumera propè ſuppellex, quæ fortaſsè puluerulento ſitu ſquallida iacent. Idem ille *Michael Brutus*, Petrum, & Hieronymum Riarios, ab eo, vt ferebantur, cùm adhuc ageret in Franciſcanorum familia liberos ſuſceptos, ac quo minor parentis infamia eſſet, propinquorum honeſtiore nomine, liberaliter quidẽ, & honeſtè, ſed non in magnam tamẽ ſpem educatos commeminit. *Raphael Volaterranus*, Petrum eiuſdem Ordinis, ac patriæ, quem Sixtus à puero vnà cum Hieronymo fratre ſibi educaſſet, tradit. *Philippus Bergomas*, virum certè ingenio tantum, quantum hæc tempora, quæ præcipuè doctrinis viguêre, parere potuerant; & tàm in Pontificatu quàm antè mitiſſimæ conſuetudinis, & vitæ continentiſſimæ fuiſſe narrauit. *Iacobus Meyerus* virum doctum; & probum, de quo hi extarent verſiculi;

*Non aurum, non nobilitas, ſed viuida virtus,*
*Xiſte tibi Imperium Pontificale dedit.*
*Diſcite ab exemplo, quantum valeat ardua virtus;*
*Hac meruit Xiſtus Pontificale decus.*

*Onuphrius Panuinius*, clariora, & luculentiora de Sixto pertexuit. Gens, *inquit*, Roborea, quæ & de Ruuere dicta eſt, Auguſtâ Prætoria Taurinorum ortâ, inter Subalpinas nobilis, à Longobardis originem ducere, multorum conſenſu traditur. Cuius auctorem fuiſſe Hermundum, qui Ragumberti, Ducis Taurinenſium, Pauli Diaconi in hiſtoria Longabardicâ teſtimonio clari, tempore, circà annum Domini DCC. vixit, antiquis annalibus relatum eſt. Caſtellum Vicus nouus eius familiæ vetus ditio; nam Cincianum, & Riualba poſterioribus temporibus acquiſita fuêre; Simo Ruuereus ob pinguedinem cognomento Craſſus, antè multos annos ex Taurinis in Ligures concedens, ad vada Sabatia, quam nunc Sauonam vocamus, ſubſtitit, à quo gens de Ruuere manauit, inter eius ciuitatis familias, non poſtrema. De Ruuere autem gentis nomen eſt vernacula lingua, quod nos Latinè robur appellaremus, vel potiùs quercum, ab inſigni gentilitio clypeo, quod eſt quercu aureâ expreſſum. Ex ea, quę erat Sauonę, familiâ de Ruuere, Sixtus Papa IIII. originem duxit, cuius parentes fuêre Leonardus, vir inter vrbis ſuæ ciues honoratus, & omnibus in patria magiſtratibus functus, & Luchina Munliona, honeſto loco Sauonæ nata. Extant adhuc Leonardi, & patris, auique ſui cum elogijs in Eccleſia Cathedrali Sauonenſi ſepulchra, antè omnem Sixti fortunam condita, iſthæc referentia. Natus eſt Sixtus 12. Kal. Auguſti, anno Domini MCCCCXXIIII. Cellis, qui eſt pagus maritimus, ab vrbe Sauonâ quinque millibus paſſuum diſtans; quò parentes confugerant vitandæ peſtis cauſâ, quæ tum maximè Ligures vexabat. Videre per ſomnium viſa eſt mater, antè partum, editum infantem à Beatis Franciſco, & Antonio cucullam, ac cingulum piè, & ſanctè indui, quo habitu ipſorum Diuorum fratres vtuntur, Minores vocati. At verò diem obſtetrix puerum, cui propterea Franciſci nomen inditum fuit, vt ſit accuratè in balneo lauaret, ipſumque in vndis aliquandò deficientem, ac penè mortuum ad matrem detuliſſet, illa ſomnij memor, vouit ſe induturum filium Sancti Franciſci habitu, facturamque, vt eundem ſex mẽſibus ferret. Eo ſemeſtri tranſacto, amoto habitu, puer iterùm in grauem infirmitatem incidit, annum iam natus, & eo amplius, cœterum voto repetito, mater filium ſtatim incolumem recepit, & cùm parumper creuiſſet, nonum agens annum, cœnobio adiectus eſt Sancti Franciſci. Eius pueri curam ſuſcepit Ioannes Pinarolius vir optimus, à quo Ordinis inſtituta, vitamque Fratrum Minorum inſtructus, Grammaticam tanto ſtudio perdidicit, vt breui Ciceronis volumina, partim ab alijs audierit, partim verò ingenij acumine, nulla alterius opera intellexerit. Cherium deindè, vbi adoleuiſſet, profectus, Dialecticæ, & Logicæ Doctores eius loci audiuit, ita diligenter, & accuratè, vt poſteà facultatem eandem ipſe alijs legerit. Papiæ deindè, & Banoniæ celeberrimis gymnaſiis philoſophiam, & Theologiam didicit, præceptoribus vſus Iacobo Textore, & Andræa Nolano doctiſſimis viris. Vigeſimo ætatis anno nondum exacto, in Capitulo Generali ſui Ordinis Genuæ congregato, ità copioſè, ita diſſerte & eleganter diſputauit, vt vnus omnium doctiſſimus exiſtimatus ſit, & à Generali Miniſtro Ordinis Guillhelmo Caſali, maximis laudibus ornatus. Patauii demum Magiſterii gradu ſuſcepto, philoſophiam, & Theologiam multis in gymnaſiis, vt Patauino, Bononienſi, Papienſi, Senenſi, Florentino & Peruſino publicè profeſſus eſt. Hominem tota Europa clariſſimũ, quum multi alii præclari viri, tum præcipuè Beſſario Cardinalis Nicænus, vir Latina, & Græca doctrina inſignis frequenter audiuit: cuius familiaritate ità delectatus eſt, vt eodem perſæpè vſi ſint contubernio. Sacràs Conciones annuis xxxx. diebus, in omnibus ferè Italiæ vrbibus, magna, hominum gratia habuit Miniſtri Generalis Iacobi Sarguellæ poſteà ſocius factus, non multò pòſt Liguriæ Prouincialis, quem Miniſtrũ vocant primùm, deindè ſui Ordinis in Romana Curia Procurator, & totius Italiæ Vicarius Generalis, poſtremò in Capitulo Generali Peruſii celebrato, omnium votis, Iacobo Sarguella ob ſeniũ abdicante Miniſter Generalis renunciatus eſt. Quibus in Magiſtratibus tanta gratia, & authoritate apud omnes valuit, vt nihil quamuis difficile, & arduum tentarit, quod non facilè fuerit conſecutus. Pius II.

*Intẽtatur Pontifici periculũ.*





eum in maximo pretio ſemper habuit. Qui verò ei ſucceſſit Paulus II. eius doctrinæ famâ permotus, annitentibus maximè Beſſarione Nicæno, & Franciſco Mantuano Cardinalibus, illum abſentem & inſcium, (Papiæ enim morabatur, Venetias iturus) Cardinalem presbyterum tituli S. Petri ad Vincula, cum alijs ſeptem, Anno M.CCCC.LXVII. XIIII. Calẽd. Octobris creauit. Qui Romam veniens, comiter ab omnibus ſuſceptus, & quorundam Cardinalium benignitate adiutus, (pauper enim erat) ædes S. Petri ad Vincula rimoſas, & ruinæ proximas ita reſtituit, vt à ſe, & à familiâ commodè poſſent incoli. Eius in Cardinalatu potiſſimũ inſtitutum fuit, vt familiam ſuam in officio contineret. Nec tamen eum, aut parta dignitas, aut grauiſſimarum rerum cura, à ſtudijs litterarum auocauit. Nam in Cardinalatu librũ de ſanguine Chriſti, & de futuris contingentibus edidit. Scripſit etiam Commentarios de potentia Dei, de Cõceptione Virginis, & contra errores cuiuſdam Carmelitę Bononienſis, qui affirmabat, Deum ſuâ omnipotentiâ damnatum hominem ſaluare non poſſe. Aggreſſus eſt & aliud opus, in quo validis rationibus oſtendere nitebatur, Diuum Thomam Aquinatem, & Scotum in ſententijs conuenire, quamquàm verbis differrent. ad tollendas duntaxat diſcordias, & altercationes inter Prędicatores, & Minores. Tantæ etiam doctrinę habebatur, vt huic vni ex cœtu Cardinalium ad Fidẽ pertinentia potiſſimùm committerentur. Quibus rebus, dum ſtudioſiùs operam daret, in locum Pauli II. defuncti, omnium Cardinalium ſuffragijs, qui XVII. tunc erant in conclaui recluſi in Palatio Apoſtolico apud S. Petrũ, V. Idus Auguſti, XIII. vacãtis Sedis die, hoc anno Domini M.CCCC.LXXI. Rom. Pont. renunciatus eſt. Latino Vrſino, Roderico Borgiâ Cancellario, & Franciſco Gonzagâ magnoperè ſuffragantibus: cuius beneficij Pontifex memor, Latino quidem Camerariatum, Roderico Abbatiam Sublacenſem, Gonzagæ verò Monaſterium S. Georgij conceſſit.

IV. Coronatione peracta, ad rem Eccleſiaſticã, Chriſtianamque componendam animum adiecit, atque ante omnia Concilium Generale Laterani ſe indicturum oſtendit, in quo & res Eccleſiaſticæ corrigerentur, & de bello Turcis indicẽdo tractaretur, quẽadmodum Pius II. inſtituerat. Cæterùm dum Imperator Fridericus Concilium, Vtini in Foro Iulio, loco magis opportuno indici contendit, Pontifex verò, iure id facere recuſaret, re in longum protracta, alia remedia quæri placuit. *Onuphrius in Sixto IIII.*

*Eccleſiæ conſulere ſatagit.*

V. Commodùm ſe offerebant. Inprimis Rhodiani milites, Ioanne Baptiſta Vrſino, Magno eius militiæ Magiſtro auctore, cũ Ferdinando Siciliæ Rege, ac Venetis ſocietate inita, operam ſuam aduerſus hoſtes Fidei, à quibus etiam non parum metuebant, detulere; eaque de re Bonifacio Caëtano, Priore Barolitano, & Ioanne Erlando Commendatore Auinionenſi Oratoribus miſſis, Sixtum de iuuandis Orientalibus ſatis anxium, certiorem reddiderunt: vtque Henricum Caſtellæ Regem contrà Turcos excitarent, Cencium Vrſinum, Priorem Romanum ad eum diuertere iuſſerunt, quamprimùm peregrinationem ad S. Iacobi Compoſtellam ſuſceptam peregiſſet. *Iacobus Boſſius hiſt. Rhodiana lib. 9.*

VI. Galeazius deinde Sfortia Dux Mediolani, cùm perſpectum haberet Sixtũ huic vni rei impensè intẽtum, vt illum demereretur, ſimulque vt ſibi boni, & Chriſtiani Principis famam, & exiſtimationem compararet, opere prætium ſe facturum cenſuit. ſi claſſem in portu Genuenſi, ad Orientis partes, præſertim verò Chium inſulam, varijs iniurijs, & barbarorum latrocinijs obnoxiam, firmandam, atque propugnandam inſtrueret. Neq; defuerunt Genuenſes, Sixti Pontificis, & Galeazij Ducis deſiderio: maximâ eius gratia ergaſe, & beneficijs inuitati. Quos enim ex Senatuſ-Conſulto Octo Oratores Romam, Sixto ſummam dignitatem congratulaturi miſerant, eos nõ priùs domum remiſit ille, quàm Rempublicam multis priuilegijs, immunitatibus, alijſque beneficijs, & ornamẽtis affecit, atque auxit. Certè tanta cum animi conſtantia, & candore Reip. Genuenſ. ille coluit, vt ipſo Romæ rerum potiente, nulla Reſpu. in toto Orbe Chriſtiano maiori apud eum auctoritate valuerit, quàm illa; ad quam patriam, natales, ac educationem referebat. *Bizarus hiſt. Genuenſ. lib. 14.*

*Principes Chriſtiani in Turcas claſſes inſtruũt.*

VII. Ferdinandus etiam Aragonum, ac Siciliæ Rex, decem & ſeptem triremes, temporibus Pauli Pontificis in bellum Turcicum inſtructas, vt cum Pontificijs nauibus, quas Nicolaus Modruſienſis Epiſcopus ductabat, cumque Veneta claſſe, cui Petrus Mocenicus præerat, rem tentarent, imperauit, nouaque ſocietate cum Sixto ſtabilitâ, animos ei ad expeditionem Turcicam adiecit. *P. Iuſtinianus hiſt. Veneta lib. 9.*

VIII. Indulſit ea propter Sixtus ex ſententia ſacri Senatus, Ferdinando, nè hactenùs non diſſolutos Romanæ Eccleſiæ anniuerſarios cenſus, VIII. m̃. vnciarum auri pro regno Siciliæ citra Pharũ, amplius Cameræ Apoſtolicę deberet: nè quinquaginta millia Sterlingorũ, quæ ratione inueſtituræ ex eodẽ regno Siciliæ debebat, Sedi Apoſtolicę diſſolueret: ac præterea, vt in poſterum, quoad ſacram mlitiã militaret, VIII. m. vnciarum auri, cenſus annui, in illud bellum expenderet; non verò in Cameram Apoſtolicam inferret. Recepit in ſe eam conditionem Ferdinandus, ac dato aureo diplomate, quo iuribus Eccleſiæ Romanę in eo regno ſatis cauebat, ſacramentumq; Sixto Pontifici ex formula Clemẽtina dicebat, nec non grates pro tam ingẽti beneficio ſe Romanæ Eccleſiæ debere teſtabatur; præter ſolennia, quæ in Clemẽtis IIII. præſcripta formulâ promittebat, iurabatq; etiã ſacram cõtra hoſtes Fidei, & Romanæ Eccleſiæ militiam profitebatur. Ea etiã propter Sixtus, LIV. m. aureorũ numerũ, à Laurẽtio, & Iuliano Mediceis, pro expeditione claſſis armatæ cõtra Turcam, mutuò accepit, eiſq;, ſubſcribẽte Apoſtolico Senatu ſe facturũ ſatis ſpopõdit. vtq; haberet, vndè tã æs cõtractũ diſſolueret, quã ſtipẽdia ſacro exercitui numeraret, ex Mãtuano Cõuẽtu contributiones indictas, decimas Clero, triceſimas laicis, viceſimas Iudęis, vbiq; Regnorũ impoſuit; atq; exigẽdis illis, in Germaniam Alexandrũ Epiſcopum Foroliuienſem: in Gallias, & Britanniã, Carolum Manellũ Canonicum Maſſilienſem; in Daniam, Marinum de Fugeno; in Scotiã, Philippũ Abbatẽ Monaſterij S. Proſperi; in alia Regna Europæa alios deſtinauit, qui ad Sacrã militiã Chriſti fideles inuitarent, & id quicquid Chriſtiana charitas contuliſſet, colligerent; Indulgẽtiaſq;, & priuilegia, ſiue proficiſcẽtibus, ſiue largiẽtibus, ſiue quẽpiã pro ſe mittentibus, authoritate Apoſtolicâ concederent. Scripſit pariter Friderico Imperatori, Ludouico Regi Francię, Renato Siciliæ, Caſimiro Poloniæ, Matthiæ Vngariæ, Iacobo Scotiæ, Henrico Caſtellæ, Ioanni Aragonum, Alfonſo Luſitaniæ, Franciſco Duci Aquitaniæ, & alijs Principibus Europęis, nè tam ſanctum opus impedirent, quinimò potiùs modis omnibus adiuuarent: quandoquidèm res Chriſtiana vbiq; à Turcis in ſuum diſcrimen videretur adducta; amiſſis iam vt Bernardus Iuſtinianus Orator Venetus apud Sedem Apoſtolicam numerabat, duobus Imperijs, quattuor Regnis, viginti duabus prouincijs, & ducentis vrbibus, inter continentes Principum Chriſtianorum inſaniſſimas ſeditiones. *epiſt. Sixt. huius anni. 2. 10. 14. 39. 40. 41. 42. & ſeqq.*

IX. Intèr hæc enim Nicolaus Tronus Venetorũ Princeps ſtatim atq; intellexit, Sixtũ Pontificẽ renunciatũ fuiſſe, Bernardum Iuſtinianum, & alios Oratores officij cauſâ ad eũ deſtinauerat, qui ſimul vbi obſequẽ-

tiam detuliſſet, auxilia contrà Turcas, & ſocietatem poſtularet, pariterq; referret, quo ſucceſſu claſſis Veneta, in mari Ægeo militaret. Enimuerò id tēporis Petrus Mocenicus, emporium quoddā cōtrà Chiū inſulā celebre, Syriacis mercibus refertum diripuit: inde Argeas inſulas perluſtratꝰ, nōnulla Turcarū loca ferro, igniq; vaſtauit, ingentēq; ex eis prædā abduxit. Ergo Pōtifex, Nicolaū Modruſienſem Epiſcopū, cū his, quas inſtructas habebat, viginti triremibus properare iuſſit. His Ferdinandus Rex triremes XVII. Rhodianus Magiſter duas adiūxit. Venetorū autē ſex & quadraginta fuēre. Ex his vna claſſe cōpoſita, cū Attalicū portū, & ſuburbana diripuiſſent, paſſimq; totā Pāphiliæ orā, mari obuersā depopulati fuiſſent, acceperūt, Vsūcaſſanē Perſarū Regē, Legatū ad Romanū Pōtificē, & Venetos Oratorē miſiſſe, fœduſq; cū Venetis iūxiſſe, ad euertēdas Otthomani opes, ad q̄ petēdū Catherinus Zen fuerat publico nomine ex Venetijs miſſus. Narrabat Orator, ſed ad Romanum Pōtificē mitti, & ad Venetos, cæteraſq; Chriſtiani nominis gentes, vt aduersùs communē hoſtem, opes Perſicas iuuarēt: bombardis, alijsq; machinamentis ad vrbium expugnationē ſibi opus eſſe, quibꝰ hoſtis abundare videretur. quòd niſi Caſſani opes ea quoq; parte à ſocijs iuuarentur, fieri non poſſe, vt tutò cū hoſte confligeretur, ſi confligendi aliquādò data fuerit occaſio. Iuſſus eſt Legatus benè ſperare: futurum, vt omnia facilè impetraret: pergeret modò ſui Regis mandata in Italiā ad Pontificem, & Venetos perferre, vbi certò ſciret omnia illi præſto futura. Producta eſt inde claſſis in cōſpectum; quā quum ille miraretur, reſpōſum eſt, fore; vt ſocius Rex pro ſua quum vellet poſſet vti. ituros ſe quocumq; illi libitum eſſet. & cum his ille in Italiam dimiſſus. Incredibile dictu eſt, quā modicis principijs, luxurioſoq; auctu Caſſani huius opes creuerint. Tenuit Armeniæ portiunculam à principio. Sed quò minor fuit fortuna, eò maior vis animi, ferociaq; in bello modicis copijs, ſæpè præpotentes fudit exercitus. Qui quum talis eſſet, Zenzæ Perſarum Regis Legatos quadā de cauſa ad ſe miſſos, parùm comiter acceptos, nihilo pacatiùs à ſe dimiſit. Id inſolens factum vindicaturus Zenza, ingentem exercitum in illum cōparauit. Is maiore animo, quàm opibus fretus, & ſi longè inferior, nō ſolùm nō refugit appropinquātē hoſtē, ſed intrepidè cum eo caſtra cōtulit, collatis copijs ferociter conflixit, egregieq; vicit. Non concidit ad vnam aduerſam pugnam Zenzæ animus: quin multo maiore, quàm anteà armorum apparatu hoſtem repetijt. Sed nec recēs pugna fuit Perſis lætior; quinimò priore illa multò etiā calamitoſior. Rex victꝰ cōcidit, illius manu medio in certamine ferro traiectꝰ. Extincti Zenzæ filius venit in victoris poteſtatē. Hūc ille tātiſper apud ſe ſummo in honore habuit, Regiāq; appellationem tribuit, donec Perſarum rebus potiū pacatis, Regniq; gubernaculo recepto, imaginarium Regē interfecit. Per hunc maximè modum imperio Perſarum potitus, omnibus cæpit nō minus admirationi, quā formidini. Inde ſublato animo ad inſperatos ſucceſſus, Syriæ quoq;, & Ægypto imminebat, quū Calixtus III. Pōtifex ad eum miſit, ſuaq; authoritate mouit, vt bellum in Turcos verteret. Miſerāt & Veneti ad eundē Regē poſt Eubœā inſulā amiſsā, Catherinum Zenum, q cum eo amicitiā, & fœdꝰ iungeret. Nec in caſſum res mota eſt. Nam veniente eius Oratore, fœdere in hoc ipſum cum Pontifice, & Venetis icto, cæperat Vſum Caſſanꝰ bellum in Turcos cōparare; quum ab Otthomano ad eum Legati venēre, multū obteſtātes, nè Turcarū Imperatorē nouo bello impediret, quo minùs Chriſtianum nomē deleret. Quod ſi nulla alia re moueretur, cōmunis fidei neceſſitudo tāti apud eum eſſe deberet vt nō modò non interpolaret tā pulchrum negotium ſed enixiùs etiā iuuaret. His ità eſt reſpōſum; Mahometē, quē ipſi ſequerentur, id inprimis lege ſāxiſſe, vt q̄ ſemel promiſſa eſſent, ex fide ſeruarentur. Se Summo Chriſtianorū Pōtifici, Venetoq; nomini pollicitum, ſanxiſſeq; in id fœdus, vt Turcos terra & mari p̄ſequeret. Adnixurum proindè ſe totis imperij viribꝰ vt ſibi fidē cōſtare eōs intelligerēt, q̄ alienę gēti fœdere obſtrīxiſſet. Ità q ab Otthomano venerāt, cū his dimiſſi ſunt. Ipſe autē omniū opinione celerius, cū exercitu p Armeniam in Pōtū tranſgreſſus, Trapezuntē inuaſit. Certatū hîc eſt cum Otthomani filio, cæſaq; ſunt vno prælio ad XXX. millia Turcorum. Progrediente paulò poſt cū vniuerſo exercitu ipſo Mahomete, iterum pugnatum circà Armeniæ mōtes; vbi primo cōgreſſu, ex acerrimis Otthomani ducibus, vnum cum quadringentis millibus hominum ab hoſte cæſus eſt. Ad tantæ cladis nuncium primò cōcidit Mahometes dolore affectus; caſtigatus autē inde à familiaribꝰ, quòd fortuna adhuc incolumi ità prorsùs animo concidiſſet, erectuſq; in ſpē ſuorum hortatu, inter anguſtias mōtium caſtra fecit, vallumq; à frōte hoſtibus obiecit arctiſſimo curruum nexu, pòſt vallum vim bōbardarū ingētem collocauit, dextra, lęuaq; ſagittarios. Huc temerè hoſtis inuectus, breui vim hominum amiſit ingentē bōbardarum ictibus afflictā. Secuta equorum cōſternatio ad inſuetum, & terrificum tormētorum ſonitū, auerſiq; ab hoſtium conſpectu, nō frenis, non alio moderamine inhiberi ſiſtiuè potuerunt. Nec Otthomanus deſedit in tāta occaſione, quia in hoſtē ſua ſpōte turbatū equitatu imitteret. Tū fuga, tetraq; cæde edita, Perſarum caſtra diripiuntur. Fuit victoria hęc ſatis ſpecioſa; ſed multò Turcis calamitoſior, quā Perſis. Ex illis enim Quadraginta millia deſiderata, ex his nō ampliùs millia decē. Non intermiſit interim Mahometes, in Europa, res Venetorum, Chriſtianiq; nominis principum vexare. Epirum, atque Dalmatiā infeſtauit. Contra, Mocenicus, cum Pontificis Legato, Nicolao Modruſiēſe Epiſcopo, aliiſq; ſociis claſſium p̄fectis, Mindiorum terrā tranſgreſſus, hoſtilē agrum paſſim fœdauit, Clazomenium agrū incurſauit, Smirnā Ioniæ nobiliſſimā olim vrbē expugnauit, ingētiq; præda inde ablata, ac multis captiuis abductis, flāmis abſumpſit. Plura tentaſſent, niſi autumnꝰ exiret, hyēſq; immineret. Quāobrē iniquitate tēporis impendēte, Veneta quidem claſſis Metone hybernauit, Pontificia in Italiam dimiſſa reuertit. *Sabellicus Ennead. x. lib. VII. Petrus Marcellus. in Nicolao Throno.*

*Turcarū ingens cædes.*

X. Ab his Sociorum, & Caſſani ſucceſſibus erectior Sixtus, duos Cardinales, Oliuerium Caraphā Neapolitanū, & Marcū Barbum, Patriarchā Aquilegienſem, illum claſſi, iſtum terreſtribus copijs, primo vere ad ſacrum bellum ſubmittendis, Legatos, in Patrum cōſeſſu deſignauit. In ſupplementum claſſis, aliquot triremes, ad Tyberina littora, infra S. Pauli Baſilicam ædificari, inſtruique præcepit. Ad euocandos, Chriſti cruce inſigniendos milites, tota Italia Prædicatores deſtinauit. Cōquirēdis pecunijs, cōmeatibuſq; neceſſarijs, Collectores, & alios miniſtros deputauit. Vtq; Reges, ac Principes Europeos diſſidentes conciliaret, & contra cōmunē aduerſarium cōſpirantes efficeret, Legatos in varias Orbis partes à Latere ire iuſſit, vel à Paulo anteceſſore priùs miſſos, in eo munere confirmauit. *Card. Papien. epiſt. 407. & 408. Stephanus Inſixura in notis Diarijs, & epiſtolæ diuerſæ Sixti Papæ huius anni.*

*Cruciatā in Turcas indicitur.*

XI. Non parum impedimenti rebus Orientalibus afferebat, bellum inter Carlottā Cypri Reginā, Ludouico Sabaudo nuptam, & Iacobum Luſignanum eius fratrem nothum, Regni inuaſorē. Aliqua, quæ interceſſerant, memorauimus. In præſens, Iacobus, ferè omnium potens, Ludouicum, in arce Cyrenes grauiſſima obſidione premebat. Implorauit is, patris, ac omnium Regum Europæorum, præcipuè ſanguine deuinctorum; & ante omnes alios Pauli Pontificis opē. Alij, nihil omnino contulerunt: Paulus Hieronymum Cretenſem Archiepiſcopum, Legatum illò ire iuſſe-

*Tumultus Cyprios componere curat.*

rat



rat, ſi quo modo diſſidentes conciliare, rebuſq; afflictis Ludouici, & Carlotæ conſulere poſſet. Paulo fatis defuncto, Sixtus, idem muneris Cretenſi impoſuit. Sed is Cyprum naue Rhodianâ appellens, iactam fuiſſe aleā reperit: Ludouicum diuturnæ obſidionis incommodis fractū, ad tolerabiles conditiones deſcendiſſe, Cyrenes caſtrum pactis propoſitis hoſti dediſſe, & tandem toto Regno ceſſiſſe. In Sabaudiam is reuerſus, contemptis omnibus huius ſeculi illecebris, in quodam monaſterio reliquū vitę, Sanctitatis plenus exegit. Carlotta, Rhodū tranſmiſit: inde nauigandi commodate ab Equitibus Rhodianis impetrata, Romam nauigatura mari ſe commiſit. Iacobus tandem, Famaguſtam à Genuenſibus, qui poſſederant, æquis conditionibus recepit: totiuſq; Regni dominio acquiſito, vt alicuius Principatus Chriſtiani amicitia, & neceſſitudine illud ſibi cōfirmaret, ad Venetos rerum potentes, & gratia apud Pontificem Maximum florentes, inclinauit, ductaq; in matrimonium Catherina Cornarâ, Reipublicæ Venetæ adoptiua Filiâ, ità ſe fore contrà omnes hoſtes potentem exiſtimauit. *Boſſius. hiſt. Rhodiana lib. 9.*

XII. Obſtabant etiā expeditioni in Turcas, diſſidia recēs in Hiſpanijs, inter Hēricum Caſtellæ & alios Reges nata. Alfonſus quidem Rex Luſitanus, diſtrahendis hoſtiū Fidei viribus aliquid contuliſſe videtur. Inſtructa numeroſa claſſe, omnino nauigiorum maiorum, minorumq; trecentorū, Africanum bellum repetiit. Sequebatur Ioannes filius prima militiæ rudimēta in pio bello poſiturus. Ex vniuerſa gente nobiliſſimus quiſq; p̄miſcui generis homines ad triginta millia. His copiis primo aduentu Arzilla vi capta, è barbaris duo millia trucidata; captiuis ad quinq; millia ſub corona vēditis, magna pecunia in ærariū redacta. Argillæ clade Tingitani Mauri territi, vrbe deſerta fugerunt, Alfonſus omnia fana, in Eccleſias conuertit, Chriſtoq; triumphatori, introductis religioſorum quamplurimis dedicauit. Deſiderabatur Henricus Caſtellæ Rex, vt is quoq; contra barbaros moueret. Diſſidia, partim domeſtica, partim cū extraneis, hominem diſtinebant. Erat Henrico filia Ioāna, q̄ modò Regni hęredē dicebat, modò abdicabat, & loco illius, Iſabellam ſororem, Ferdinando Aragonio nuptam ſcribebat, ac paulò pòſt factum, infectum eſſe volebat. Ioannam, Ludouicus Gallus, Carolo fratri ſuo, Aquitaniæ Duci, miſſa legatione, cuius Princeps Cardinalis Albigenſis coniugē impetrauerat. Eius ſpōſalia celebrata fuere VII. Kal. Nouēbris anni ſuperioris, Rege Henrico, & Regina iuratis iuſtā prolē eſſe, proceribus nouo Sacramento adactis, non aliam Regni hæredem fore. Fœda procella, quæ celebritatē excepit; nimirum tanta ventorum, imbrium, & niuium copia, aut Gallis Legatis, peracta eius diei ſolennitate Segobiam repetentibus, in vitæ diſcrimine, nonnulli è familia, vi tempeſtatum perierint; noui & grauiſſimi inter Hiſpanos, Galloſq; belli, omen fuit: quando Carolus Aquitanus, Ioannæ nuptijs contemptis incertis natalibus, ambiguâ dote, ad Burgundi filiam, patris inuitatu, ſuaque ſponte animū retulerat. Inter hæc Ferdinandus, & Iſabella, vehementiſſima irritati contumeliā, bellum Henrico faciebāt, maximè quando Toletano Archiepiſcopo reconciliati, maiorem ſibi apud proceres gratiam, & authoritatem comparaſſent. Ergo Sixtus Pontifex diſſidijs omnibus tollendis, Regibuſq; contrà Turcos armandis, Rodericum Borgiam Cardinalem, Legatum in Hiſpanias deſignauit. Sane Ferdinandus, & Iſabella primum nihil non egerant, vt Henricum placarent. Iudicium nobilitatis, quam is deſignaret, imprimis implorabant. Indè Petrum Veraſcum, Comitem Pharium, virum bonum, ſapientemq;, ac nemini obnoxium innuebant: qui cum quattuor viris religioſis, quattuor Ordinum Prælatis, Beatorum Franciſci, Dominici, Hieronymi, Cartuſien. qui & ipſe iureiurando addicti, pro arbitrio ſuo, atque conſcientia decernerent, atque componerent inter partes. Indè obſecrantes, obteſtanteſque per ipſum, qui eſt iudex viuorum & mortuorum ſcrutans corda, & renes Deus, ne eius iudicium denegaret, id, quod nec infimo cuiquam ex ſuis ſubditis denegare poſſet, ſi non impetraſſent, proteſtabantur, ſe omni ſcelere immunes fore; illi omnia reipublicæ, atq; diuini cultus impedimenta, detrimentaque imputanda. Cæterùm Henricus Rex nihil aliud reſpondebat, quàm ipſam potius ſororem, fuiſſe authorem omnium malorum, quæ ex illo connubio prouentura erant, quando ſe inuito, immo etiam prohibente, auſa eſſet maritum ſibi quærere. Mala igitur omnia, quæ ominabatur, in ſeipſam, atque in eos, quibus talia placebat, potius eſſe retorquenda. Ergo Ferdinandus, & Iſabella ſuis rebus conſulere, proceres ad ſe trahere, Vrbes, & oppida capere, omniaq; infeſtiora Regi facere non intermiſerunt, quibus reprimendis, Regibuſq; cōciliandis; ac quod præcipuum fuerat, in Turcas armandis, Sixtus Borgiam deſtinauit. *Mariana lib. 13. c. 16. 17. Antonius Nebriſſenſis. Decadis 1. lib. 2. c. 3. & 4.*

*Hiſpanorum diſſidia, expeditioni noxia.*

XIII. Miſit & in Gallias Legatum, Cardinalem Nicænum cum illic inter Regem Ludouicum, & Carolum fratrem Aquitaniæ Ducem, ſimultates gliſcerent, nec non ex Anglia, Britannia, Burgundia, Aragonia, Vaſconibus multa eidem Ludouico impenderent, quæ poterant impedimento eſſe, nè ſacram profiteretur militiam. Quid Legatus tranſegerit; in ſubſequentibus narrabimus. *Card. Papien. in epiſtolis diuerſis.*

*Simultates tollere ſtudet.*

XIV. Cæterum, ſub initium Pontificatus Sixti, ſiue nondū planè conſtaret Georgium Podiebracium diem obiiſſe, ſiue Oratores ad Paulum paulò antè eius obitum miſſi, cognitionem cauſæ eiuſdem Podiebracij flagitarent, Sixtus, Laurentiū Rouerellā Epiſcopū Ferrariēſē, Cōmiſſarium à Paulo anteceſſore aduerſus Podiebracium inſtitutū confirmauit; *epiſt. 7. huius anni.* Cumq; à morte Podiebracij Bohemiæ regnum iactaretur, quando aliqua pars procerum Matthiam Regem à Paulo Pontifice datum aſpiceret; aliqui Fridericum Imperatorem, alij vnum ex filijs Podiebracij, maior autem pars Vuladiſlaum Polonum, Cazimiri Regis filium imploraret; Sixtus Pontifex componendis rebus eius Regni incubuit. Qui de rebus Poloniæ & Hungariæ, nec non Bohemię ſcripſerunt, Cromerus, Bonfinius, & Dubrauius, narrant, quid poſt mortem Podiebracii acciderit.

*Pacificādæ Bohemiæ incūbit.*

Morte, *ait Cromerus,* Georgii cognita, Matthias cum nouem ferè millibus armatorum Poſonio Bernam accurrit: Stenconem Conopiſcium cum duobꝰ millibus in Bohemiam præmiſit, vt Bohemos ſuadendo, ac territando in partes ſuas pertraheret. Verùm inter eos, Comitiis Pragæ creādi noui Regis cauſa inſtitutis, neutiq̄ conueniebat. Erant, qui Cæſarē cupiebant: nonnulri Henricum, Georgij defuncti filiū malebant ij potiſſimum, qui ab externo Rege hæreſi ſuæ metuebant. Pollicebātur aūt ij ſibi Alberti Marchionis Brandeburgēſis auxilia, cui ſoror Henrici nupta erat. Non deerant, qui ad Regē Galliarum ſpectarent, q̄ redimi ab eo Regia, & Eccleſiaſtica bona poſſe exiſtimabant. Ludouici quoque Bauari mentionem nonnulli faciebant. Iam verò Albertus Miſnenſis Marchio ſibi non deerat. Aduenerat enim cum quinque millibus militum, quaſi opem laturus Bohemis, ſi quis vim facere eis vellet reuera autem ſuum negotium gerebat. Aderant Matthiæ Oratores, Epiſcopus Agrienſis, & Palatinus Tranſyluanienſis. Hi, quòd ille in Bohemos graue bellū ea tempeſtate gerebat, *narrat Bonfinius,* ægrè audiri, quamquàm Regni titulum à Paulo ſummo Pontifice Matthiam habuiſſe dicerent, ſine cuius authoritate, approbationeque nullum Regnū, nulla poteſtas haberi poſſet; ſe tñ poſt Georgij ſoceri mortem, Bohemorum Procerum ſuffragiis eligi cupere affirmabant. Referebant quoque, regnum hoc cum Hungarico ſæpè fuiſſe coniunctum, neque ſine detrimēto, ac ſcelere diuidi poſſe. Sigiſmundū, Albertum, & Ladiſlaū, vtroq; regno fuiſſe potitos. alterum ſine altero nunquam cōmodè vi-

*Poſt mortē Podiebracij motus in Bohemia.*

 ctutum

ctūrum: veterē inter vtrumque affinitatem interceſſiſſe, alterum hominum fœcunditate, vbertate rerũ omnium pollere alterum. nihil vtrique commodius fauſtius, feliciuſque fore, quàm ſi pari ductu, & auſpiciis gubernentur. Initum bellum non exambitu, ſed ſalubri charitate geri: vt pars Bohemorum, quæ alio modo curari non poterat, martiali demùm remedio reſipiſceret. Nihil cum fidelibus adhuc hoſtile geſtum; quin etiam fideles omnes perpetua libertate fuiſſe donatos. Proinde Matthiam Regem ſi Regali hac, & legitima electione decoretur, æternam libertatem, ac vectigaliũ omniũ remiſſionē polliceri: & quod ad amorē ſpectat, Bohemos, ac Hungaros ſine vllo diſcrimine tractaturum. Obaudierunt hæc proceres; nõ minùs quã ea, quæ Imperatoris Legati, pro ſuo principe perorarunt. Introducti demùm fuere Poloni à Cazimiro Rege miſſi; quã tanta probitate, prudentiâ, & ſanctitate præditum ferebant, vt ſolo multo nomine conciliaret. Ex his vnũ ità locutum fuiſſe fuerũt. Si quantum iure, tantundem apud vos authoritate, Proceres, hodierno die apud vos valeremus, nihil profecto vereremus, quin antè ſolis occaſum, Vladislaum noſtri Regis filium, & veſtri nepotem, Bohæmiæ Regem declaratum haberetis. Neque ſi eandem conſtantiam, iudicium, & æquitatem, quã in cæteris rebus retinere ſoletis, nunc, vbi plurimum opus eſt: ſeruaueritis, nos prorſus ambigimus. Quin & vos publicæ ſalutis, & nos voti compotes dudũ efficiamur. Veteres amicitias, neceſſitudines, & officia à maioribus mutuò inſtituta; itē conſimiles mores, linguæ ſimilitudinē, & gentis vtriuſq; cognitionem quis fortaſsè memorabit, vt orationis ambitu imbecillē cauſam, & per ſe parùm ſubſiſtentē confirmare videatur. Contrà nobis ipſi breuitatē indiximus, partim nè eodem, quo cæteri faſtidio afficeremus, partim quia iuſtitiæ, ac integritati veſtræ non diffidimus. Regna, Proceres, & ſi quandoq; armis cõparantur, & iure belli non rarò retinentur, diuina tñ voluntate, & hæreditario vel quouis alio iure vt plurimũ, cũ ſucceſſor null[9] fuerit, diſpēſari ſolēt. In poteſtate Dei ſunt omniũ iura Regnorũ. Si Dei nutũ q̃rim[9]! cõſulta oracula, captata auſpicia, q̃ſita aſtra, edita ſigna, & multa omina, publicaq; vota Vladislaũ Bohemię Regē eſſe iubēt. Si ius ęquũ & fas inter mortales ſeruandũ eſt? quis negarit Bohemiæ regnum ꝙ per tot auos, proauoſq; Ladislai fuerat, immatura morte ſurrepti, ad nepotem pertinere? Quis nepoti, decedente ſine ſobole, auunculo; quis ſorori, obeunte Fratre, hæreditatem legitimã abſtulerit? Quis poſteritati ius maiorũ abnegarit! Si lege hic viuitur, ſi religio retinetur, ſi ius diuinũ, & humanum in humanis adhuc pectoribus verſatur, nemo quidē reperiri poteſt adeo rationis expers, q Vladislaũ iure eligendum eſſe non cenſuerit. Cum Sigiſmundi, & Alberti Regum temporibus, nouitatis gratiâ Bohemi fluctuaretis, num à Poloniæ Rege non ſolum auxilia, ſed Regē quoq; petijſtis? Si iniquo id tempore factum, eſt, quid æquo tempore, iubente lege, imperante iure, coërcente religione facietis? Nimirum nemo ſapiens, niſi qui præceps væſania feratur, auunculi nepotē hæreditate priuauerit. Nihil vnquã in rebus, & præſertim quàm maximè arduis, inuito numine ac infeſto diuino, humanoque iure faciendum. In his primùm diuina voluntas, deindè iuſtum, & fas conſiderandum. Proinde iuſtitia duce, ac prudentia comite, veſtris nunc rebus, Proceres conſulite. Si quis humilitatem generis obiecerit; quid eſt, ꝙ non priùs, q̃ obijciatur ſuapte natura confitetur? Recenſete paternum genus, & fauſtos Vladislaos, & Caſimiros conſiderate. Si maternum vultis? connumerate longo ordine Reges, ac Diuos Auguſtos. Pientiſſima Vladislai parēs è materno quattuor, quinque è paterno genere Romanorum Imperatores inter maiora ſtemmata munerabit. Qui maiorem hanc nobilitatem quæſierit, in obſcuritatem incidat oportet.

*Cuiuſdam Poloni pro Cazimiro peroratio.*

Verùm eninuerò parùm proſapia, & hæreditarium ius omne valeret, ſi Rex, aut improbus, aut parùm idoneus in mediũ adduceretur. Regũ filij, qui publicè ſemper educantur, haud quaq̃ in obſcuro latere debēt; & ij q̃ maximè, qui ſuper ætatē agunt. Nõ erubeſcimus, Bohemi, noſtra laudare; quando cuiq; licet, cũ de fortuna, & dignitate agitur, propria ſine rubore commendare. Omnis nãq; taciturnitas improbatur, & laus propria toleratur; cum ſilentium detrimento fuerit, & pudor hominem honore debito defraudarit. Quis igitur Vladislaum Regno dignum non cenſuerit? Quis ad imperandum tantum natũ non eſſe iudicarit? Quis hæreditario Regno fraudandũ exiſtimarit? Nũ prohibet hoc genus, tot Regũ nepotē, tot Imperatorem pronepotē, & nunc tanti Regis filium. Nũ fauſta, & generoſa indoles? Num adoleſcentia tot artibus, & Sanctiſſimis diſciplinis exculta? A teneris annis domi, militiæq; præeſſe didicit. Prima tempeſtiuè rudimenta imbibit; timorem Dei, religionem, pietatē, miſericordiã, integritatē, continentiã, à ſanctiſſima parente vna cum lacte ſuxit. Materno primũ gremio elaps[9], nõ duce pędagogo, ſed inſtinctu ſuo litterarios ludos irrepſit. Ab ineunte pueritia Cracouiæ Sophiſtas, Philoſophos, Poëtas audiuit; frequentauit Dialecticorum ſcholas, & philoſophãdo, diſputãdoq;, corpus ſimul & animum adauxit. Quicquid hìc tēporis ſupereſt, rebus diuinis ac bellicis artibus impēditur. Vitæ ſanctimoniã, & diuinâ oratione, Sacerdotem quēq; Deo ditiſſimum exſuperat. Ingenita virginitate tantum pollet, vt præpotentiſſimæ huius virtutis numine ſupra ætatē, & viuere, & ſapere videatur. Tēpus omne ocij, & recreationis, ſtudia Martis vſurpãt. A magiſtris diſciplinæ militaris aditur, qui in hippodromo decurrere, ex equo, pedibuſue certare, punctim, cæſimq; ferire, aciē inſtruere, exercitum ductare, aut quauis arte hoſtē vincere doceãt. Corpus magnitudinē, & ingētes vires pollicet: item venuſtatē, formã, animumq; virilē oſtēdit. In adoleſcēte ſenē, in tenera præcocē ætate ſapientiã recognoſcetis. Plures in eo Vladislaos, plures Cazimiros, deniq; Carolos, & Sigiſmundos intueri licet. Nulla in adoleſcēte dicacitas, nulla petulãtia deprehēditur. Nõ ſolũ reb[9], ac verbis, ſed obitu quoq; ac inceſſu, omni deniq; geſtu corporis, grauitatē, ſapientiã, pietatēq; fatet. Non ꝑcipiti cõſilio, nõ repētira ira, nulla libidine aut improba voluptate corripit. Nulli hunc vitio dixeris obnoxium. Ingenium mite conſtans, & benignum; cæterùm ſapientiæ, honoris & gloriæ cupidũ: corpus, laboris, & inediæ tolerantiſſimum. Regiam maieſtatem præfert aſpectus, & quaſdam ſibi tacite reuerētiam expoſcit. Vtinam, Proceres, is nunc hic adeſſet. Sic teſtor Deũ, hominumq; fidem, plus ipſe tacendo, quàm nos dicendo in cauſa ſua loqui videretur. Ipſum ſi videretis, veſtris ſuffragiis electũ, nimirum potiùs à Deo demiſſum, q̃ iudicio veſtro deſignatũ exiſtimabitis. Non humanum Regem, ſed cæleſtē ad publicã ſalutem, & æternum otium, vobis internunciũ datum eſſe reputabitis. Tenerã adhuc ætatē, ac Regno imaturam aliquis fortaſsè cauſabitur. Sed quis hoc in adoleſcēte requiret, diuina q̃dã & intempeſtiua ſapientia prędito. Quis in eo, qui prius ſenex, quã adoleſcens eſſe cæperit? In tutela Dei Reges ſunt, & Filij Regum: qui ad regēdum nati indulgētiſſimã ſibi naturã, & peculiarē Dei gratiã, & culturã aſſequũtur. Nõ deerit cõſultiſſimus ęqui Senat[9] veſter, qui quotidiè circumſtabit. Melius eſt quandoq; habere Regē è Senatus conſulto, q̃ ex ꝓprio iudicio cuncta gerētē. Qui nimis ſibi arrogat, & aliena cõſilia planè contēnit, ſæpè decipitur. Nullus ſub iſto met[9], nulla ſuſpicio, quæ imperãte tyrãno ſēper intercedit; nullum externi belli periculũ, & reformidatio. Potētiſſim[9] pater propè adeſt, & à latere dominatur; nõ ꝓ ſectas, & opiniones vobis bellũ ſæuũ indicetur. Nõ ſummus Põtifex aduerſus irritabit, nõ in belli Societatē aduocabitur Imperator. quin etiã ſi hæc omnia fierēt, nõ proximus deerit aſſertor, nõ Sociorũ aberit multitudo numeroſa. Sociorũ dixi: imo cognatorum, quibus vnũ genus, & eadē eſt natio, vt linguę cognatio profitetur. Inſuper Chriſtiani ſumus omnes,





& in Euangelica lege vtriq; ambulamus. Inter opiniones, ac ſectas paruũ ferè diſcrimē; & illud, de quo agitur, vtinã faciliùs argumētis, q̃ armis corrigi, & emēdari poſſet. dũmodò Chriſti dogma ſeruemus ad amuſſim intereſt; an aliquid licētiùs ex Patrũ cõſilio quis fecerit, parui (mihi credite) refert. Quas ob res, Bohemi Proceres, vos Cazimiri Regis nomine nunc hortamur, monemus & oramus, vt diuini, humaniq; iuris memores eſſe velilitis. Regnũ hæreditario iure filio debitũ, beneficio veſtro tribuatis. bellũ à latere vobis illatum, non tã Pontificio iuſſu, quàm nè debita proli ſuæ oppida in alienam ditionem transferrentur, ſuſceptũ fuiſſe credatis. rationibus veſtris cõmodè, ac rectè conſulatis. ꝙ ſi feceritis, hac electione hoſtium quoque numerũ imminuetis, ac vtrorumq; ſaluti, dignitatiq; optimè conſtituetis.

XV. Dixerũt iſta Poloni Auſcultauere Bohemi, & ad xxv. diē Maij, Vladislaũ Regē renunciauere; quãuis reclamãtibus Ioanne Roſembergio, Stencone Conopiſcio, & Hērico Gradecio Proceribus, qui Matthiæ ſtudebant. Iuere cũ Vladislao in Bohemiã honoris, & inaugurationis causâ, Nicolaus Epiſcopus Camenecenſis, Vincētius Ennēſis, & Paulus Leodicēſis, ex Ordine Dominicano aſſumpti, à quibus Pragæ diadema ritu ſolenni ſuſcepit. Cumq; etiã Vngari dominatũ Matthiæ pertæſi, alterum Cazimiri filium Cazimirum, Regem id temporis ſuum impetraſſent, graue bellum Matthiam excepiſſet, niſi Sixtus Pontifex anteuertiſſet. Is enim miſſo ad Cazimirum ſeniorem Tilemanno Slechtho, Canonico Colonienſi nuncio, hortatus eſt Regem ad pacem cum Matthia faciendam, cui conſultum ire cupiebat, nè regno excideret: neùe à Turcico bello, ad quod ſuſcipiendum Paulus ſecundus eum incitãrat, illum impedire contingeret. Non difficile autem in eo ſe Cazimirus Rex Pontifici præbuit, & vtriuſq; partis Proceribus pacis arbitriũ permiſit: maximè quando vidit, nõ reſpondere ſpei ſuæ, & pollicitationibus Vngarorum procerum, filij ſui res in Vngaria. Cùm hoc reſponſo dimiſit Tilemannum, in Vngariamque proficiſcenti, Ioannem Vantropcam Canonicum Cracouienſem cum ijſdem mandatis ad filiũ, & Vngaros proceres comitem adiunxit. Extincti autem ſunt eo anno duo in Polonia Epiſcopi, Sciborius Plocenſis, & Ioannes Cracouienſis. Ac Ioanni quidem, Ioannes Reſſouius Ruſſusiã Collegio Baſilicæ Cracouienſis per cõpromiſſum electus, ſucceſſit: Sciborí[9] verò, propter Collegij Plocenſis diſſenſionem tardius ſucceſſorum accepit. Quattuor & viginti erant, qui ferebant ſuffragia. Ex his duodecim Sciborium Belſcium Archidiaconum, ſex Cazimirum Boleslai Varſauienſium Ducis filium Canonicum, totidem Andream Opporouium Iureconſultum, ipſum quoque Canonicum, & Gneſnenſem Archidiaconum, quē Rex cõmendabat, Epiſcopum edebant. Sed Sciborius precibus, & minis victus, in gratiã Cazimiri competitoris, ſuo iure, quod erat potiſſimum ceſſit. Opporouius, vt idem faceret, impetrare à Rege non potuit. Quare controuerſia inter duos diſceptãda Romã delata eſt. Ibi verò Rege ꝓ Opporouio, Friderico aũt Imperatore pro Cazimiro cõtēdētibus, ſecundùm Cazimirũ decē, & octo annos natũ pronunciat: Opporouio verò ingratiã Regis Varmiēſis Epiſcopatus, ſummoto, & in Camenensē trãslato Nicolao Tungeno attribuitur. Pòſt quattuor demùm annos Cazimirus Sacris Epiſcopalibus initiatus eſt, homo nihili, & miniſtri cuiuſdã obſcuræ conditionis arbitrio cuncta gerens. *Cromerius l. 27. Bonſin. dec. 4. l. 2. Dubrau. l. 31.*

*Vladislaus Rex Bohemiæ renunciatur.*

*Imminētia Regi Hũgariæ pericula ſopire curat Sixtus PP.*

XVI. Hoc anno 1471. Iacobus Scotorum Rex eius nominis tertius, de conſilio omnium ordinum in Regno ſuo, ad Sixtum Pontificem, Scotię Legatos Romam miſit, vt idem authoritate ſua ampliſſima & ſanctiſſima veteres quærelas funditus extirparet Eccleſiaſticorum Angliæ & Scotiæ virorum de Primate vno, qui Scotis Epiſcopis pēſſet in Regno ſuo, deligēdo: nè turbatis ferè ſēper in Britãnia rebus inter vtroſq; Reges, ab Eboracēſe ſuorũ iãdudũ Primate, & de rebus plerumq; neceſſarijs, & ꝓpè quotidianis in Eccleſia Sãctã Dei iniquis, cõfictiſq; dilationibus, non ſine piarũ aurium offenſione, expectanda forent. Legati igitur ſcoti, vbi Romam ad ſummum Pontificē perueniſſent, expoſuiſſentq; legationis ſuæ cauſas, ab ipſo Sacrorũ Principe, & Cardinalib[9], qui tũc aderãt, vniuerſis, excepti ſunt humaniſſimè. Poſtulata autē eorũ ad Purpuratorum Patrũ cõſilium ſunt reiecta. vbi per aliquot dies, reclamante Georgio Neuillo, Eboracenſi Archiepiſcopo, & Scotorum vſq; ad eã diē Primate, varijs altercationibus protrahebãtur. Tãdē, cùm diſputando memoriâ repeterent, ante quingētos annos, quot mala pertuliſſet, Scotorum Eccleſia, dum à Primate ſuo Anglo reſponſa in armorũ vtriuſq; Regni ſtrepitu differuntur, re benè, & ſanctiſſimè expēſa, placuit Sũmo Eccleſiæ Catholicæ Romanæ Antiſtiti, hac in parte Scotorum Regi pro ſua Eccleſiâ, æquiſſima poſtulanti ſatisfacere. Diploma itaq; conceptum eſt de eodem negotio in Purpuratorum conſeſſu, & ab ipſo Pontifice Summo comprobatum, quo Scotorum Eccleſia à iuriſdictione in Anglia Archipræſulis olim ſui Primatis ſoluta eſt. In eius locum recentèr creatus fuit Patricius Grahmus, nuper Epiſcopus S. Andreæ in Scotia, iam tandē Archiepiſcopus, atque totius Regni Primas, vt propter tum ciuiles, tum externos tumultus, qui frequenter inter vtramq; nationem oriebantur, nè amplius ipſi Scoti Epiſcopi, in conſultando, de his, potiſſimùm, quæ ad religionem pertinerent, ſuo capite, & Primate carere dicerētur. Eidem Archipræſuli, & nouo Primati Indulgentias plenarias conceſſit, ad ſalutem populi ſui, & firmamētũ noui in Eccleſia Scotica tituli: reliquos verò Epiſcopos Regni Scotiæ duodecim, ipſi quoq; Sũmus Pontifex ſubiecit. Verùm quidem huic Romani Pontificis decreto conuenientes Scotiæ Præſules apprimè reſtitere; Regniq; vndecies marcarũ mille ſummam pollicentes, vt aduersùs procreatum recenter Archiepiſcopum ipſos tueretur, Romam, acres quoſdam patronos, qui cauſam eorum fortiter illic defēderēt, protinùs deſtinarũt. *in Appēdice Scotorũ hiſt. Boëthij.*

*Anglorũ, Scotorũq; diſsidiis medetur Sixtus PP.*

XVII. Id tēporis, Comes Armeniacus in Gallijs, permittente numine cęſus eſt, in pænam inceſtûs, & falſi. Sororem germanam in matrimonium duxerat, eamq; ſibi inceſto toro iunxerat, falſo diplomate Pontificio edito, vt id ſibi ius, faſq; eſſet. In bello ꝙ Ludouicus Rex contrà eũ mouit cæſus occubuit; nulla, vel minima inuidia; ꝙ duplici facinore irã diuûm in ſe prouocaſſet. Cæterùm Ludouicus Rex aliundè flagrauit grauiſsima inuidia. nimirũ, ꝙ qui anteà blandiri ꝓceribus ſolebat, & nullo ex ſe Regni hærede, iam ætate ingraueſcente, valetudine ſemp infirma, ꝑſæpe morbis ægra, vitã quietã ſe agere ſinerēt, quoad ſua eum dies, fatumue abſumeret; ex hoc tēpore, quo ei filius natus eſt, (aũt fuit anno ſuperiore) non ſolùm vt tutum ſibi regnum haberet, elaborauit: ſed etiam vt liberis pacatum relinqueret, ſublatis hoſtibus, omnique metu vacuum. Eaq; propter multa contra fratrem Carolum, auxilio Caroli Burgundi & procerum potentem, ac eius auxiliarios tentauit; multiſq; difficultatibus ſeſe inuoluit. *P. Æmilius in Ludouic. XI.*

*Comes Armeniacus punitur diuinitùs.*

XVIII. Quo anno, inſigni miraculo, ab inuocatione SS. Deiparentis, cuius imago apud Hallenſis in veneratione eſt, aliquis vir nobilis è carcere liberatus, & Hallas porrò ꝑductus eſt. Rē vti accidit, narrabat Lipſius. Philippus Cliuius cognomento, quia ex illuſtri ea gente originem, ſed natura, non lege ducebat, in oppido Burgundiæ clero, & noto Diuione agebat. Militiam ſectabatur: neq; ea proſpera illi tum fuit. Nã captus à Gallis, quorum Rex Ludouicus Carolo Duci Burgundiæ bellum intulerat, abductus Vancolorium fuit, ad Lotharingiæ fines, & turri prealtæ creditus, quæ cubitos LXXX. ſupra terram eminebat. Petitum ab eo lutrum, ſiue redemptionis pretium, vt à viro nobili; quingenti aurei. Nimium quãtum ei viſum, pro fortuna, & opibus. Itaq; æger animi mærebat, & corpore etiã languebat. Dei quodam ſub meridiem cibus ei adfertur: non

*B. Virginis inuocatione miracula fiunt.*

ſumit; ſed ſomnus eum ſtatim occupat, & dormit in ſequentis diei alterum meridiem; dormiſſetq; etiam (ſedens, & in vinculis) niſi cuſtos excitaſſet, & ad cibũ inuitaſſet. At ille ſpreuit: neque cupido erat. Ità toto animo agitabat, & defixus hærebat in viſo, quod per ſomnum erat obiectum. Id tale. Videbatur Hallis eſſe, & iacere in ipſis gradibus ſacelli, quod Diuæ Virgini eſt ſacratum. Ibi preces fundebat, corã eius imagine: atq; eã ſolari, & animos addere, vt breui liberando. Hoc ſomnium dico, cùm ſuauiter mẽti obuerſaret, cuſtodis abſceſſu in genua voluitur, & illã ipsã Diuã precatur, ratũ, firmũq; id velit eſſe. Spei impletur; & os arripit è carne bubulã, quę eſui antepoſita erat, eoq; velut limâ vſus (ah ſtulte, nõ ſtulte, quid facis? eſſe ferrũ ſecas? vſus inq̃, ſtatim numellas ferreas, quibꝰ ceruix adſtricta, decidere videt fractas. Idẽ in manicis, idẽ in cõpedibus. Et iã vinculis omnibus liber, fune, quẽ è laneis laneiſq; veſtibꝰ ſuis fecerat, è feneſtrâ ſe dimittit. Sed turris, vt dixi, ꝑalta erat, nec funis ſatis cõpetebat? tñ fiduciâ diuini auxilij pergit demittere, & illæſus in terrã ſaltu fertur. Iterũ hîc miraculũ. Fugit in proximã ſyluã, & metu perquiſitorũ diẽ totũ latet; idẽ altero, tertioq; facit, & noctes ſaltẽ itineri impendit, idq; ſine vllo cibo, aut etiã veſte. Diua tamẽ tuita eſt, ſanumq; perduxit Hallas, tali illo habitu, id eſt nudum, & ſquallentem. *Lipſius in Diua Hallen. c. 30.*

XIX. Hoc ipſo anno, die 20. Iunij: Romæ, ad radices montis Capitolini, qua forum Boarium, & montẽ Palatinũ reſpicit, imago Deiparentis multa ſtupenda miracula edere cepit, & vſque ad hæc tẽpora, in quibus hæc ſcribimus edere non intermittit. Propter hęc gratiarũ pignora, locũ frequẽtare populi voluerunt, tẽplumq; Sacroſanctæ Virgini titulo Conſolationis extruxerunt, inter præcipua Vrbis tẽpla, amplitudine, maieſtate, & cultu non poſtremũ. Sixtus IV. Pont. anno inſequẽte, viſitantibus illud, & aliquid ſtipis in ædificationem, conferentibus, Indulgentias largitus eſt. Alij Pontifices alias cõtulêre: Propter quas, ſed longè magis propter miraculorum perpetuitatem, locus frequens eſt in hunc diem. Dabo vnum ex confeſſione Clariſſimi Domini, Henrici Grauij Alphenſis, amitorum meorum optimi, & hîc Romæ, non ità pridem, Sereniſſimi Maximiliani ſenioris: atque eo vitâ functo, Sereniſſimi Caroli, Archiducum Auſtriæ, ſupremorum Magiſtrorum, necnõ ipſius nobiliſſimi Ordinis, S. Mariæ Theutonicorum, negotiorum apud Sedem Apoſtolicam Agentis: q̈ in ſeipſo iuuenis aliquando expertus eſt. Ità ad me ſcribit. Reuerendiſſime Pater, Domine obſeruandiſſime. Res illa, de qua aliquãdò ſum locutꝰ, ità ſe habet. Debilitauerat me, vergẽte ad autumnũ ęſtate cõtinua, viginti ferme dierũ febris. degenerauit illa in tertianã, deindè in quartanã. Quadam die, quâ erat acceſſura, vt eam quamdiù poſſẽ fallerem inediâ, & exercitio, ſuadẽtibus ità amicis verſus S. Ioannem Lateranenſem ire inſtitui. Cùm veniſſem ad Capellam Sancti Homoboni, deprehendi ex extremis vnguibus: propè eam adeſſe. Quando Eccleſiam Sãctę Mariæ de Cõſolatione ingredior, eccè diffunditur, per totas manus ſe manifeſtans, toto corpore cum ſuo ſolito horrore, & frigore. Ibi tum ego, non oportet, inquam, longiùs ire, me redeuntem vires non queant reportare. Egrediente ad altare B. Virginis Sacerdote, indidem propiùs acceſſi, & B. Virgini Dei Genitrici me ardenti animo commendaui, calamitatem, quę mihi videbatur affectura, pluribus deducens. Quando ſacris operans digitos ſuos abluebat, ad illa verba, *Lauabo inter &c.* ego animi deliquium mihi ſuperuenire ſentiens, ad proximum ſcamnum reptaui, atq; in eo, vſq; ad eleuationem Corporis Domini, propè ſine ſpiritu reſedi tum in momento vires redeuntes ſentire cæpi, atque abſoluto ſacro ità leuis, & viribus potens eſſe, vt tantùm non viderer mihi me poſſe volare. Hinc de recuperata valetudine gratijs actis, ad SS. Virginis celebriora in Vrbe templa, de Montibus, S. Mariæ. Maioris, de *Populo* mox conceſſi: atque properaui, aliaque eidem dicata Virgini eodẽ ipſo die inuiſere volui; niſi me Philippus Hornkerus, timens valetudini meæ auertiſſet. Ità dico ego Henricus Grauius, pro veritate, ad gloriam Dei, Reuerendiſs. Domino meo, obſeruandiſs. D. Patri Abrahamo Bzouio. Originationis miraculorum ad eandem imaginem meminit, *Ciacconius in Paulo 2. ex notis diarijs Rom. Stephani Infixuræ.*

XXI. *Obitus, & vita V Thomæ de Kẽpis.*

Hoc anno, aliquot viri ſanctitate, & doctrinâ Illuſtres, ex monaſticis clauſtris in cælos abiêre. Thomas Kempenſis vnus eſt, Canonicus Regularis. Oriundus ille fuit Kempis, quod permodicum eſt in agro, & diœceſi Colonienſi oppidum, vndè cognomen quoq; ei adhæſit. Parentes habuit, ſi ſeculum ſpectes, nullo quidem generis ſplendore, nullâ diuitiarum opulentia conſpicuos: ſed quibus omnis nobilitas in pietate, cenſus in vitæ probitate erat. Manuum igitur labore vitam ſuam tolerantes, recula ſua benè contenti viuebant. Quibus gemina proles maſcula obtigit, Ioannes, & Thomas: quorum ille natu grandior, ſtudiorum curriculo Dauentriæ confecto, Gerardi Magni Canonici familiaritate vſus, ad omnem vitæ honeſtatẽ efformatus eſt, & in ordine Canonicorum Regularium, è diſciplina Capituli Vuindeſimenſis, varijs perfunctus muneribus, feliciter obijt. Thomas natalem habuit circa annum Virginei partus M. CCC. LXXX. Poſtquam primam ætatem ſub parentum oculis exegerat, & iam capeſſendis litterarum ſtudijs idoneus videbatur, Dauentriam (quæ Tranſiſulanæ ditionis metropolis eſt) ſe contulit: tredecenni, vt colligere licet, non maior. Dauentriam vt peteret, Florentij eum Sacerdotis cumprimis pij, ac eruditi, & Fratrum Clericorum præfecti fama exciuerat, quam crebra commeantium ſtudioſorum turba celebrabat. Florebant ibi tunc bonorum artium ſtudia, vt Belgicæ Athenæum diceres.

Vbi Dauentriam peruenit, prima illi cura fuit de fratre ſuo germano inquirere, vt eius conſilio, & opera (nam tenuæ illi vel nullum peculium erat, ad ſtudia capeſſenda dirigeretur. Commendatus igitur Domino Florentio (nam Gerardus Magnus anno M.CCC.LXXXIV. iam è viuis exceſſerat, cùm Thomas quadriennis eſſet) ab eo exceptus eſt perhumaniter: qui ei de domo, de libris, de victu proſpexit. Hac occaſione, bonæ indolis, & honeſtæ frontis adoleſcens, dum inter Illuſtres pietate, & eruditione viros, qui in Florentij, viuentes conſortio, religione, vitæ innocentia, morum ſinceritate elucebant, quotidiè verſatur, mores eorum expreſſit, quorum delectabatur conſuetudine: domi ſedulus, in ſcholis aſſiduus, in tẽplo frequẽs. Vbi paucis annis eos non in ſtudijs magis, quàm pietate progreſſus fecit, quos multa conſcripta ab eo numquàm ſatis laudata teſtantur volumina. Dum in Collegio Fratrum Clericorum verſatur, quicquid calligraphia lucrari potuit (nam antiquarij manu valebat) omne id manupretium in commune ſubſidium conferebat. Fuit à puero Diuæ Virginis cultor eximius, cui ſtatas quotidiè preces ſolitus erat perſoluere. Verùm quia inſtabilis, & nutabunda eſt puerilis pietas, cæpit & in eo laxioribus velis pia hæc conſuetudo nauigare. Pedetentim igitur ſolitas orationes, atque ſuffragia, primò ad vnum diem, deindè ad duos, aut tres, demùm quatuor, tandem ad integram ſeptimanam neglexit: & (quod dolẽdum eſt) poſtremò vniuerſa poſtpoſuit. Quod dùm ageret, viſum eſt ſibi in viſione nocturna, quaſi ſtaret in atrio magiſtri Florentij: vbi, dum ſimul cùm alijs ſcholaribus, qui ſimul confluebant audiendum diuinum verbum, auidas aures ad ea, quæ dicerentur, inclinaret; conſpexit in nubibus cæli deſuper venientẽ Dominã mundi: quæ dũ facię decora, & fulgẽti habitu ad prædictũ atriũ deſcẽdiſſet, circuiuit Fratres, qui illic verbũ Dei audiẽtibus loquebantur: & nunc nunc, hunc illum benignè complexata, gratias videbatur eis refũdere, quòd tã pijs admonẽtibus ſatagere viderẽtur, nè pretiũ ſanguinis dul-

ciſſimi,



ciſſimi filij ſui, in illis iuuenibus deperiret. At adoleſcens hæc intuens, & videns Virginẽ in mulieribus benedictã ruere in amplexus Fratrũ dictorũ, ardẽs, & æſtuãs, liqueſcẽs, & ſperans ſtabat; & in ipsã amore plenos oculos detorquẽs; intra ſemetipsũ dicebat; Paululũ expectabò, & cùm felix Virgo charitatis inſignia cęteris ſufficiẽter oſtẽderit, tũ etiã & mihi, q̈ eã & ſi nõ digno, ſaltẽ quoquo poſsũ amore proſecutus sũ, amplexũ benignitatis offeret. Sed heu! quia ſæpe in contrariũ vadunt ſpes firmæ mortaliũ, Thomas oſculum, dulce amoris pignꝰ, ſperabat, ſed verbũ aſperæ increpationis accepit. Siq̈dẽ Virgo beata, poſteaq̃ ſingulos, q̈ pijs admonitionibꝰ florẽtẽ cõfluẽtiũ ſcholariũ ętatẽ ad meliora ꝓuehebãt, dulcibꝰ amplexibꝰ demulſiſſet, venit tandẽ ad Thomã, & ſeuerioribus luminibꝰ, eum adſpiciẽs; Fruſtra, inquit, amplexũ petis ſãcti amoris, hoſtis acerbe, q̈ exoſa inimicitiæ negligẽtiã, malo cõſule fretꝰ, debitã, atq; ſolitã mihi pẽſionẽ flãmantium precũ nõ exoluis. Siq̈dẽ vbi nunc ſunt cõſuetæ preces tuæ? quò ſolitæ orationes auolarunt? vbi mixta ſuſpirijs pia ſuffragia? Nonnè refrixit in te charitas, torpuit amor, pietas quondam habita vacillauit? Et nunc tu, quaſi nihil peccatum ſit, ſtas, & audaci frõte amplexũ manes, q̈ argui magis meruiſti? Et indignabunda vultum auertens: Abi, inquit; abi à me: quia amplexibus meis indignꝰ cenſeberis, qui tã facilẽ precẽ amatæ ſoluere neglexiſti. Atq; ſic iuſtis increpationibus laceratum relinquens, cælis refuſa diſparuit. Thomas pòſt viſionem euigilans, diſcutit conſcientiã, agnoſcit culpã, & emendationẽ adpromittit. & nè de cætero Virginis beatæ fruſtraret amplexibꝰ, neglecta, dimiſſaq; ſuffragia, ità legenda rurſùs arripuit, vt vſq; in finẽ vitę ſuæ, nullo eâ die in poſterum auſus fuerit ꝑtermittere. Ità felix reprehenſio correxit errorẽ, amoris fœdera nõnihil dirupta reſarcijt, ac negligẽtiæ næuum aboleuit. Cùm autẽ iam ſeptennio conſuetudine Dñi Florentij, reliquorumq; Fratrum vſus eſſet, atq; omnium virtutum numeris ſe omnibus probaſſet, exarſit in eo Religionis ardor, cuius igniculos D. Florentiꝰ animo eius ſubindè ſubiecerat. Anno igitur M. CCC. quo Florentius è vitâ migrauit, Thomas ad Montẽ S. Agneti ſacrum, q̈ ꝓximè Suuolẽſi imminet ciuitati, cõceſſit; vbi recẽs tunc Monaſterium Canonicorum Regularium, ſub Diui Auguſtini habitu, Regulâq; militantium, ad Vidrum amnẽ exſtructum erat. Erat ea Domꝰ hac tẽpeſtate admodũ obſcura, pauciſſimis nota, raroque (vt ſunt ferè omnium rerum exordia humilia, & difficilia) colebat ciue. Vbi mõtẽ hunc litteris Florẽtij commendatꝰ aduenit, à fratre ſuo germano, q̈ ei tunc Monaſterio primùm cũ poteſtate Prioris ꝑerat, exceptꝰ eſt ſanè per quã humaniter, & in cæleſte hoc iubilum ſimul erupêre; *Quã bonũ, & quàm iucundũ eſt, habitare fratres in vnũ.* Hic igitur Religionis candidatus, etſi ꝑferuidè Religionẽ expeteret; nè quid tamẽ temerè, aut præꝑperè ageret, feruorẽ ſuum tẽporis morâ, quę vna prudentiam parit, omninò tẽperauit. Pòſt quinq; annos igitur in tyrocinio poſitos, ſexto demum ſacrum habitum induit, & ſequẽti ſacro ſe voto ei vitæ generi obſtrinxit. Hîc inprimis egregia in Deum pietate, erga ſuperiores obſeruantiâ, in collegas ſuos charitate, & beneuolentia valdè emicuit. Otio, malorum omnium fõti numq̃ indulſit; ſed vel ſacris libris lectitãdis, vel in cõmunẽ vſũ ſcribendis, vel ingenio ꝓcudẽdis ſe exercebat; q̈ ille cõcubia plurimùm nocte à Matutinis Laudibꝰ factitabat, ſe geniumq; defraudãs ſuum, lęsâ etiã corporis valetudine, quò de omnibꝰ pietatẽ colẽtibꝰ quã optimè mereretur. Superſunt etiamnum vniuerſa Biblia in quatuor tomos diſpertita, ingẽs ꝑtereà Miſſarum liber, & nonnulla S. Bernardi opuſcula, ꝑcellenti arte, & magnâ induſtriâ à Thoma cõſcripta.

In Oratorio, & Eccleſiaſticis muneribꝰ, dictu difficile, quã reuerẽti, ꝑſentiq; animo omnia obierit. Dum pſalleret, vultu ſẽper in cælũ ſublato, ſacro enthuſiaſmo afflatꝰ, dulcedine nimirũ Pſalmorũ incredibili captꝰ, & extra ſe raptꝰ aduertebat: ſic, vt nõnumq̃ calcibꝰ nõ terræ hæreret affixus, ſed ſumis duntaxat pedũ digitis ſolum cõtingens, reliquo corpore in cælũ ſubuolare, vbi animo, & deſiderio agebat, meditaretur. In pſallẽdo, erecto corpore cõſiſtebat ꝑpetuò, nunq̃ ſedili, vel brachio, vel tergo inĩtẽs. Ingrediẽtiũ Oratoriũ nocte, dieq; primꝰ, egredientiũ sẽp poſtremꝰ erat. Diuinꝰ cultꝰ, & Eccleſiaſticũ decꝰ mirificè illi cordi erat; adeò vt ſemel cuidã ioculariter dicẽti, videri ſibi felicẽ Thomã, nec admiratione dignum magnoperè, q̈ tãtâ vocis alacritate, animi prõptitudine, & pietate Pſalmos decãtaret: q̈ppe cui Pſalmi Dauidici ſalmões (genꝰ eſt piſciũ delicatiſſimũ) ſaperet; incunctãter reſpõderit; Ità eſt, vt ais: Deo gratiæ: Pſalmi mihi ſalmones, q̈ tñ non raro in nauſeã, & mortẽ, quoties ignauos, rei ꝑsẽti nõ intẽtos, & voci parcẽtes cõſpicio, cõuertunt.

Eius ſermo omnis de Deo, & ſacra ſcriptura. In pręſentia grauium virorum; ſi ipſo præſente forenſia, aut mundana agitarẽt, velut mutus, ac elinguis ſedebat; nec reſpõdebat, nè rogatus quidẽ, niſi inſigni alicuius rei cõmoditate illectus: quaſi ignarus rerum, de quibus commentabantur, omnium. Porrò, ſi de Deo, rebuſque cæleſtibus haberetur ſermo, mox poſtulatus ſententiã, velut limpidiſſimus fõs, perpetuis verborũ riuulis ſcaturiens loquebatur, aut potiùs profluebat. Rogatus ex tempore, in quorundã cõmodum, numquàm abnuit declamare: quod tamen nõ fecit, niſi aliquo ad meditandum capto tempore, aut deguſtato paululùm ſomno. Ea verò dicendi facultate, facilitateq; pollebat, vt cõplures ſæpenumero ex vrbibꝰ, lociſq; remotioribꝰ fama exciret, & certatim ad Mõtẽ S. Agnetis cõfluerẽt, quos eũ audiẽdi cupido inceſſerat.

Non minima ſodales eius cepit admiratio, cum cõſiderarent eius in aduerſis rebus lætè ferendis tolerãtiam, patientiam in hominum vitijs non ſolùm æquabiliter tolerandis, ſed & benignè excuſandis; in omni vita ſobrietatem, pudicitiam, verecundiam, ſedulitatem in prouehẽdis Fratrum cõmodis, in templi procurando cultu, & ornatu impenſum ſtudiũ, in ꝑcibus non minùs flagrantiã, q̃ frequentiam, lacrymarũ profuſionem, & reliqua ſolidæ pietatis teſtatiſſima indicia. Tanta verò erat in eo vanitatum, illecebrarumq; mundi deſpicientia, vt præter diuina, fluxa omnia velut ad ſe nihil pertinentia, adeò negligeret, vt illorum appellationes, vſumque addiſcere grauaretur.

Dum animo medetur, corpori quoq; mortificando curã adhibuit: quòd adeò nõ neglexit, vt certis in ſeptimana diebus pro more habuerit, flagro ſeſe affligere, hymnum illum, *Stetit Ieſus* decantando.

Sacræ lectionis, cellæq; ſuæ ita amans fuit, vt hoc ſymbolum ſæpiùs ore proferret, libriſque ſuis inſcriberet; *In omnibus requiem quæſiui, ſed non inueni, niſi in angellis, & libellis:* quietem inueniendam inſinuans in abditis receſſibus, & libellulis.

Porrò, ſic affabilis, & manſuetus fuit, vt multum licèt reluctans, communi ſuffragio Supprior, ætate adhuc florente crearetur. Poſteà œconomiæ Præfectus, ſeu Procurator, quòd propenſus ad eleemoſynas videret, cõſtitutꝰ eſt. q̃ prouinciã etſi obibat diligẽter, nihilominùs, quoniã à cõtẽplatione, & pijs libellis cõſcribẽdis nimiũ auocabat, priori muneri reſtitutꝰ eſt.

Sæpè accidit, vt dùm inter Fratres verſaretur, & cũ illis ſermonẽ miſceret, intus Deum ſe alloquentẽ manifeſtè ſentiẽs, modeſtè petita venia, quaſi quiſpiã cũ cõuẽtũ expetẽs, opperiret, diſcederet in cubiculũ: vbi cor ſuũ corã Dño effundẽs, hauriebat illã ſapientiam, q̃ in eius ſanctiſſimis libellis omnes pij admirantur.

Cæleſti quoque viſione ſeruum ſuum benignus Dominus ſubindè dignatus eſt. Dum enim officij, an negotij causâ, Ioannem de Hueſden, Priorem in Windeſem ægrotantem inuiſeret, & de quibuſdam Religionis negotijs conſuleret, è Monte S. Agnetis in

Win-

Windeſem abijſſet, ibidemq; pernoctaret, vidit ſub matutinum crepuſculum beatorum ſpirituum agmina corruſcare, ac concurſare, veluti ad magni viri funus properarent, cuius beatam animã cælo eſſent illaturi. Nec ſefellit viſio, cum & aurium iudicium accederet. Nam tabulæ ſonitu excitatus è lectulo exilijt. Indè futurorum præſagus, mortem Prioris Windeſimenſis prædixit. Dæmonũ terriculamenta, experientiâ doctus, floccifecit. Cum enim quadam vice dæmon eum teterrimâ, horrendaq; formâ circumſtetiſſet, & lecto appropinquare conaretur, intremuit primùm ad larualem intuitum; & quid contra tam horrendi hoſtis inſidias auxilij ſumeret, ignorauit. Tandem diuino ſpiritu inſtigatus, Angelicam cæpit ſalutationem tremulâ voce (vt timentibus ferè euenit) quàm optimè potuit, perſonare. Sed diabolus, quaſi nihil ad hanc ſalutationem motus, magis, magiſq; trepido cępit proximare: quouſq; in ſalutatione prædictâ eouſq; perueniſſet, vt, *Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Amen*, acclamaret. Quod terrificum nomen, vbi dæmon audiuit, quaſi horrendo quodam tonitruo pauefactus, vultum vertit, & quàm citiſſimè potuit, ad clamantis vocem aufugit! Videns igitur Thomas ad tanti nominis virtutem dæmonem ſtare non poſſe, audaciùs caput pauidum erexit, & repetitis vicibus benedictum nomen *Ieſus Chriſtus*, pòſt fugientem hoſtem inclamauit: & quò ipſe clamat fortiùs, eò vehemẽtiùs teter ſpiritus fugiebat. Quod vbi animaduertit religioſus vir, gratias agẽs Domino Deo intrà ſe dixit: ſi hoc ſanctiſſimo nomine IESV, tã facilè poſsũ aduerſę poteſtatis vires infringere, de cętero nolo, vt hactenùs feci, vel dęmonũ machinamẽta timere, vel ſub eorũ quãuis horrendis minis, fide vacillãte trepidare.

Sed & alia ſigna, atq; miracula, quæ ipſe paſſim in ſuis opuſculis tacito nomine ad incerti preces facta, ipſius precibus oſtẽſa credũtur. Staturâ corporis fuiſſe dicitur infra mediocritatẽ, formâ viro conuenienti, colore in vultu viuido, ſed fuſco; acie oculorũ perſpicaciſſimâ (quod etiam Moyſi obtigiſſe legimus) vt nũquã, vel capulo proximus, ſit vſus cõſpicillo. Cũ autẽ iam annos LXXI. (Cõprehẽſo ſimul tirocinio) in Mõte S. Agnetis religioſam vitam magnâ cũ laude, & ſodalium fructu duxiſſet, euocatus eſt à Domino in montẽ æternitatis, quẽ totiès proſpexerat, ad quem totiès anhelarat; & beata anima, teſtaceo corporis relicto hoſpitio, in æterna tabernacula immigrauit, Deo ſuo æternũ fruitura. Mortalis illi dies fuit anno ætatis ſuæ XCII. Octauo Kalendas Auguſti. *Scripſit* inter alia, quattuor libros verè aureos de Imitatione Chriſti. Iſtud opuſculum Cardinalis Bellarminus dixit vtiliſſimum, & iure in tota Eccleſiâ ſummo omnium conſenſu receptum, & frequentatũ, & in omnes linguas conuerſum: quod ipſe ab adoleſcentia, & vſq; ad ſenectã ſæpiſſimè voluiſſet, & reuoluiſſet, & ſẽper ſibi nouum reperiſſet. Cõſtat etiam viris ſanctiſſimis hoc opuſculum ità familiare fuiſſe, vt S. Carolus Borromæus Cardinalis, & Pius Quintus illud viæ, vitæq; ſuæ comitem ſemper adſciuerint; ex eodem S. Philippus Nerius religioſum ſpiritũ imbiberit: eo Alexander Saulius Papienſis Epiſcopus, animum ſuum grauiſſimis diœceſis ſuæ curis diſtractum refecerit, & oblectauerit: hoc Ioannes Venduillius, Tornacenſium in Belgio Antiſtes, eo loco habuerit, vt quotiès Thomam à Kempis ſibi depoſceret (quod in dies factitabat) non aliâ voce, quàm DA LIBRVM, vteretur. Sanctus Ignatius Loiola eodẽ libello plurimùm tũ vtebatur, illiuſq; lectionẽ valdè ſemper probauit, atq; illius libri ſpiritũ, & doctrinam ità hauſtam auidè arripuit, tãq; perfectè in ſe expreſſit, vt (multorũ iudicio) Ignatij vita ſolida quædã, eminens, ac viua eſſet imago eorũ præceptorum omniũ, quæ aureo illo libello continentur. Mauritaniæ Rex in Bibliotheca ſuâ, quã Argirij, variâ librorum ſuppellectile inſtruxit eundem libellũ in vulgarẽ Turcarum linguam conuerſum recondidit, de eoq; aliquibus Societatis Ieſu Patribus aliquandò dixit, *pluris ſe vnicũ illũ facere, quàm reliquos omnes Mahumetanorum.* Aliqui, Diuo Bernardo, alij Ioanni Gerſoni; Conſtantinus verò Caëtanus Monachus, Ioanni cuidã à Geſſen Benedictino, conatus eſt libellũ vindicare. cæterùm Heribertus Roſ-vveydus è Soc. Ieſu, ſcriptis vindicijs, ac Paulo V. Pont. Max. inſcriptis, Thomæ Kẽpenſi opuſculũ aureũ aſſeruit, inuincibilibuſq; argumentis; demonſtrauit, neq; Bernardi, neq; Gerſonis, aut Geſſenis, ſed Kẽpẽſis partũ genuinum eſſe. Præter hæc, Roſ-vveydus, opuſculũ, ad ſynceriora quàm Caëtanus, aut alij, exemplaria recenſuit, atq; ex diuerſis auctoribus compẽdio & ex fide vitã Thomæ edidit, Antuerpię ex officina Plantinianâ apud Balthaſarem, & Ioannem Moretos, M.DC.XVII. ex quibus nos ſuperiora inſeruimus.

XXII. *Obitus itẽ, V. Dionyſij Carthuſiani & ſcripta eius recenſentur.*

Quinto antè menſe, Thomam Kempenſem ad cælos præceſſit, Dionyſius Rickelius Carthuſianus, Is quodã Haſbanię vico natus, parẽtes habuit admodum honeſtos, ſecũdùm ſeculi fortunã haud infimę cõditionis, quibus auitum genus de Leurois indidit cognomẽ. vixit Carthuſianus in domo Ruremundenſi, vir magnarum opum ſpiritualium; quẽ cũ exuberãte ſapientiâ, decorabant præclara ornamenta virtutum. Erat enim ſublimium rerum arduus contemplator, diuerſorum librorũ locupletiſſimus ſcriptor, vt extatici nomen adeptus, meritò magno illi Dionyſio Areopagitæ, fuerit cõparandus. Licèt autẽ indies plura cõſcriberet, erat tñ altiſſimâ ſæpè contẽplatione ſuſpenſus, nec minùs orationi, & animarum ſaluti intẽtus: maximè verò pro tota matre Eccleſia, pro qua Deo ſupplicẽ ſe agebat, eumq; aſſiduo precabatur affectu, ſollicitus, vigilãs, & indefeſſus. Quamobrẽ fuit in otio negotioſus, in negotio otioſus, & in vtroq; admodũ fructuoſus. Supra modum rerum contemptor caducarũ, & maximus, etiã dũ neceſſitas illũ ꝑmeret, pecuniarum aſpernator. In otio ſuo, ꝙ vniuerſæ Eccleſiæ negotioſum fecit, librorum multitudine, quos ſcripſit, longè ſuperauit Diuum Aureliũ Auguſtinum, nullo penitùs vſus amanuenſi; quippè cùm omnia propriâ conſcripſerit manu. Aderat enim ille non minùs ingeniũ perſpicax, & memoria ad ſtuporẽ vſq; tenaciſſima, quàm voluntas proximorum ſaluti totã ſe impendere geſtiens: quibus impellentibus, noctes, dies dulce habuit tranſigere in ſtudio legendi, & ſcribendi. Vnde aliqui in eum, quod olim alij in Marcum Varronem ſcripſerunt; tã multa auiditate inexhauſta lectitaſſe, vt eum aliquid potuiſſe ſcribere incredibile propè ſit; tãq; multa ſcripſiſſe, quã multa vix quẽquã poſſe legere exiſtimarint. Hic eſt elenchus omniũ eius operũ, quẽ ipſemet auctor aliorũ rogatu, ſuâ conſcripſit manu. A religioſis, alijſque venerandis amicis frequenter, atq; per plures annos, ego Frater Dionyſius Cartuſienſis rogatus ſum ſcribere nomina, ſeu titulos opuſculorum meorum. Diſtuli autẽ hucuſq;, reputãs apud me, nè fortè hoc ipſum vanitati, nõ virtuti aſcribatur; præſertim quum quidã magnorũ ſua legantur occultaſſe opuſcula pro poſſe, quo ad vſq; vixerunt in carne. Sed reclamauit ſyndereſis virtꝰ ſubmurmurans, & affirmans; etſi bonũ eſt, talia ex humilitate celare, melius tñ, & fructuoſius eſt, ex charitate huiuſmodi propalare, & cõmunicare; cùm & ſacratiſſimus dicat Princeps Apoſtolorũ; Vnuſquiſq; ſicut accepit gratiã in alterutrũ illam adminiſtrantes. In Eccleſiaſtico quoq; legitur: Theſaurus inuiſus, & ſapiẽtia abſcondita, quæ vtilitas in vtriſque? Ad hoc accedit & confert, ꝙ Michaël dixit Archãgelus; Qui multos erudiũt ad iuſtitiã, fulgebunt vt ſtellæ in perpetuas æternitates. Intereà forſan quis dicet; Iã tot, & tãta à Sãctis Catholicis viris, illuminatis doctoribꝰ cõſcripta ſunt,





vt opus non ſit plura conſcribere. Verùm ad hoc Ioannes Cancellarius Pariſienſis reſpondet: In menſa ſapientiæ, in refectorio militantis Eccleſiæ, in conuiuio Chriſti, condecet aſſiduè noua fercula exhiberi, diuerſaque alimenta proponi: vt cuius internum palatùm, vnum pabulum aut non, aut minùs delectat, aliud prouocet. Nam iuxta varietatẽ guſtus corporei, inuenitur differentia guſtûs interni; & quoſdã vetera, quoſdã noua magis oblectant. Hinc inductus, ſtatui prætactæ obtemperare petitioni, potiſſimùm tamen ad hoc, quoniam ſcio, quòd multa mihi adſcribuntur opuſcula, quæ non feci: quæ vtiq; tantæ eminẽtiæ eſſe queunt, vt tantæ imperitiæ, defectuoſitatiſq; homini ipſa indecens ſit adſcribi. Nihilominùs quædam illorum talia fortè ſunt, vt non mihi duntaxat, ſed & Ordini Sancto ſcandalũ conſiſteret, talia edita eſſe à Fratre Religionis tàm ſanctæ. Verùm quando iſta ſcribo, ad diſcernendum opuſcula mea ab aliis, non reor ſufficere titulos, ſeu nomina opuſculorũ exprimere, niſi & eorundem exordia, fineſq; tangantur. Siquidem & à diuerſis frequenter conſcripti ſunt libri nominũ eorundem, & de iiſdem materiis. Iſtud tamen pro nunc nequeo adimplere; quoniam opuſcula ipſa mea pro maxima parte iam alijs ſunt conceſſa, nec exordiorũ, ac terminorum ipſorum recordor, niſi quod omnia, vel penè omnia finiuntur his verbis: *Qui eſt ſuper omnia Deus ſublimis, & benedictus, Amen.* Per articulos quoque procedo. Ex ſtilo item, tenore, & formâ poterunt probabiliter ſaltem decerni. Inſuper ad vitandam prolixitatem, ac iactantiæ ſpeciem, poſſem multa ſumatim perſtringere, ita ſcribendo: Super totam Bibliam ſcripſi: ſed quoniã multi hoc ipſum egerunt, & plures ſuper quoſdã Bibliæ libros ſcripſerũt, ex illa breui ſummariâ perſtrictione, expoſitiunculæ meæ, ſeu Cõmentariola ab aliorũ expoſitionibus, & Cõmentarijs diſcerni nõ poſſent, cogor ſigillatim exprimere. Quantũ itaq; occurrit memorię, primo ſcripſi ſuper lib. Pſalm.

*Quinquagenæ primæ.* Prooemiũ: Dixit Dauid filius Iſai, dixit vir, cui conſtitutum eſt de Chriſto Dei Iacob, egregius pſaltes Iſraël: Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam. 2. Reg. 23.

*Quinquagenæ ſecundæ.* Procem. Teſtimonium perhibens Deus Dauid, dixit, Inueni Dauid virum ſecundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. Actor. 13.

*Quinquagenæ tertiæ.* Procem. Dedit Dauid confeſſionem ſancto, & excelſo, & de omni corde ſuo laudauit Deum, qui fecit illum. Eccleſ. 47. & librum illum Pſalmorum, quantum deſuper datum eſt, litteraliter, allegoricè, tropologicè, & anagogicè expoſui, quantum textus ipſe permiſit.

*Super ſeptem Pſalmos Pœnitentiales.* Procem. Scrutemur vias noſtras, & quæramus, & reuertamur ad Dominum. Leuemus corda noſtra cum manibus ad Dominum in cœlos. Nos iniquè egimus, & ad iram prouocauimus Deum. Thren. 3.

*Super Iſaiam.* Procem. Iſaiis propheta magnus, & fidelis in conſpectu Dei, ſpiritu magno vidit vltima, & conſolatus eſt lugentes vſq; in ſempiternum. Eccleſiaſ. 49. Hunc librum ſicut & cœteras veteris Teſtamenti ſcripturas, litteraliter, ſpiritualiterque expoſui.

*Super Geneſim.* Procem. Dilectus Deo & hominibus Moyſes; dedit illi Dominus legem vitæ & diſciplinæ, docere Iacob teſtamentum, & iudicia ſua Iſraël Eccleſ. 45.

*Super Exodum.* Procem. Iuſti ſunt omnes ſermones mei, & non eſt in eis prauum quid, neque peruerſum. Prouerb. 8.

*Super Leuiticum.* Procem. Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitijs frugum tuarum, & implebũtur horrea tuã ſaturitate, & vino torcularia tua redundabunt. Prouerb. 3.

*Super librum Numerorum.* Procem. Qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat. Eſaiæ 40.

*Super Deuteronomium.* Procem. ſerua mandata, & legem, quaſi pupillam oculi tui; liga eam in digitis tuis, & in tabulis cordis tui liga eam. Prouerb. 7.

*Super librum Ioſue.* Procem. Fortis in bello Ieſus Naue, ſucceſſor Moyſi in Prophetis, qui fuit magnus ſecundùm nomẽ, maximus in ſalutem electorum Dei, expugnare inſurgentes hoſtes, vt conſequerentur hereditatem Iſrael. Eccleſ. 46.

*Super librum Iudicum.* Procem. Iudices ſinguli ſuo nomine, quorum non eſt corruptum cor; qui non auerſi ſunt à Domino, vt ſit memoria illorum in benedictione. Eccleſ. 46.

*Super librum Ruth.* Articulus 1. Teſte Sancti Hieronymo, &c.

*Super quattuor libros Regum.* Procem. Reges ex te egredientur. Geneſis 17.

*Super libros Paralipomenon.* Procem. Deus fecit ex vno homine.

*Super Eſdram.* Procem. Lex veritatis fuit in ore eius.

*Super Neemiam.* Procem. Neemias in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros euerſos, & ſtare fecit portas *&* ſeras, & erexit domus noſtras. Eccl. 49.

*Super Tobiam.* Procem. Qui pronus eſt ad miſericordiã, benedicetur; de panibus enim ſuis dedit pauperi. Prouerb. 2.

*Super Iudith.* Procem. Hæc vocabitur virago. Gen. 2.

*Super Heſter.* Procem. ſicut Sol Oriens mundo in altiſſimis Dei, ſic & mulieris bonæ ſpecies, in ornamẽtum domus ſuæ. Eccl. 26.

*Super Iob.* Proæm. Diſciplinã Domini fili mi ne abiicias, & nè deficias, cum ab eo corriperis: quem enim diligit Dominus corripit, & quaſi pater in filio complacet ſibi. Prou. 3.

*Super Pſalterium*, vt ſupra. *Supra librum Prouerbiorum.* Procem. Dixit Dominus Salomoni. Quoniam poſtulaſti ſapientiam, eccè dedi tibi cor ſapiens, atque intelligens in tantum, vt nullus ante te ſimilis tibi fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit. 3. Reg. 3.

*Super Eccleſiaſten.* Procem. Quemadmodũ Salomon tria ſortitus ſit nomina, & iuxta trium illorũ nominũ interpretationem tria ediderit volumina, ad tres hominum ſtatus ſpectantia, introductum eſt ſupra, &c.

*Supra Cantica Canticorum.* Procem. Gaudebit ſponſus ſupra ſponſam. Iſa. 6.

*Super Eccleſiaſticum.* Procem. Mirabantur omnes in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore eius. Luc. 4.

*Super Iſaiam.* vt ſupra.

*Super Hieremiam.* Procem. Hic eſt fratrum amator, & populi Iſrael: hic eſt, qui multum orat pro populo, & vniuerſa Sanctâ ciuitate, Hieremias Propheta Dei, vir ætate, & gloriâ mirabilis, & habitudine magni decoris. 2. Machab. 15.

*Super Threnos.* Procem. Videns Ieſus Ciuitatem, fleuit ſuper illam. Luc. 9.

*Super Baruch.* Procem. Dixit Baruch ad principes Iudeæ; Ex ore ſuo loquebatur Hieremias, quaſi legens omnes ſermones iſtos, & ego ſcribebam in volumine atramento, Hierem. 36.

*Super Ezechielem.* Procem. Sapientia per nationes in animas ſanctas ſe transfert, amicos Dei, & Prophetas conſtituit. Sap. 6.

*Super Dan.* Proęm. Nõ faciet Dñs verbũ, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos prophetas. Am. 3.

*Super 12. Prophetas minores.* Proęm. Sapientiam omniũ antiquorum exquiret ſapiens, & in Prophetis vacabit. Eccl. 39.

*Super libros Machabæorum.* Procem. Iuda te laudabũt fratres tui; manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum: Catulus leonis Iuda. Geneſ. 49.

*In omnes libros Noui Teſtamenti.*

*Super Matth.* Proœ. Quaſi ſtella matutina in medio

nebulæ & quaſi luna plena, & quaſi Sol refulgens, ſic iſte effulſit in domo Dei. Eccl. 50.

*Super Marcum.* Proæm. Multitudo ſapientum, ſanitas eſt orbis terrarum. Sapien. 5.

*Super Lucam.* Proæm. Doctrinam quaſi antelucanũ illumino omnibus, & enerrabo illum vſque in longinquum; Illuminabo omnes ſperantes in Domino, & relinquam illam quærentibus ſapientiam. Eccl. 24.

*Super Ioannem.* Proæm. Ego ſicùt aquæ ductus exiui de paradiſo, & fluuius meus propinquauit ad mare; quoniam doctrinam quaſi antelucanum illumino omnibus Eccl. 24.

*Super omnes Diui Pauli epiſtolas.* Proæm. Audite me, quoniam de rebus magnis locuturus ſum, & aperientur labia mea, vt recta prædicent. Iuſti ſunt omnes ſermones mei. Prou. 8.

*Monopanton.* id eſt, *vnum ex omnibus epiſtolis B. Pauli ad materias contractum.* Proæm. Reuerendiſſimo in Chriſto Patri.

*Super Actus Apoſtolorum.* Proæm. Beatus homo, qui inuenit ſapientiam, & qui affluit prudentiâ. Prou. 3.

*Super ſeptem epiſtol. Canonicas.* Procœm. Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi. Cant. 3.

*Super Apocalypſim.* Procœm. Eccè puer meus electus, quem elegi; dilectus meus, in quo benè placuit animę meæ; ponam ſpiritum meum ſuper eum; Iudicium gentibus nunciabit. Iſai. 42.

*Epitome, ſiue nobiliores ſententiæ totius Bibliæ.* Proæm. Tota S. Bibliæ ſcriptura diſtinguitur in duo Teſtamenta Vetus videlicet, & Nouum. Hæc ſuper Bibliam.

## Tituli operum Doctrinalium, & de Diuinis.

### In libros B. Dionyſii Ariopagytæ.

S*Vper Angelicam, ſeu cœleſtem hierarchiã.* Procœm. Acceſſiſtis ad montem Sion, & ciuitatem Dei viuentis Hieruſalem cœleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam. Hebr. 12.

*Super Eccleſiaſticã Hierarchiam.* Procœm. Talem habemus Pontificem, qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in cœlis, ſanctorum miniſter, & tabernaculi veri, quod fixit Deus & non homo. Hebr. 8.

*Super libros de diuinis nominibus.* Procœm. Quis aſcendit in cœlũ, atque deſcendit? Quis colligauit aquas, quaſi in veſtimento: Quis ſuſcitauit omnes terminos terræ: Quod nomen eſt eius? & quod nomen Filii eius, ſi noſti. Prou. 30.

*Super myſticam Theologiã.* Procœm. Dominus dixit, vt habitaret in caligine. 2. Paral. 1.

*Super vndecim epiſtol. Dionyſii.* Procœm. Videte, quoniam non ſolùm mihi laboraui, ſed omnibus exquirentibus veritatem. Eccl. 2.

*Super quattuor libros ſententiarum.* Scripta doctorum Scholaſticorum famatiſſimorum reduxi in vnum, videlicet Alexandri de Halis, Sancti Thomæ, Alberti Magni, Bonauenturæ, Egidii de Roma, Petri de Tarentaſia, Richardi de media villâ, Guillhelmi Pariſienſis Domini Guilielmi Antiſiodorenſis, Henrici de Gandauo, Vlrici, Scoti, & Hannibalis.

*Super primum librum ſententiarum.* Procœm. Sapientiã omnium antiquorum exquiret ſapiens. Eccleſ. 43.

*Super ſecundum librum ſentẽtiarum.* Procœm. Quis ignorat quòd manus Domini fecit hæc omnia; In cuius manũ eſt anima omnis viuentis, & ſpiritus vniuerſæ carnis. Iob. 12.

*Super tertium librum ſententiarum.* Procœm. Dixit Gabriël ad Danielem: Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, vt deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & Prophetia, & vngatur ſanctus Sanctorum, & occidetur Chriſtus. Daniel. 9.

*Super quartum librum ſententiarum.* Procœm. Sanabo contritiones eorum: diligam eos ſpontaneè; quia auerſus eſt furor meus ab eis.

## Enterione, id eſt medullæ operum Sancti Thomæ

E*Xhelcoſis,* id eſt, *exceptum primæ partis ſummæ.* Procœm. Neminem diligit Deus, niſi qui cum ſapientia inhabitat. ſap. 7.

*Exhelcoſis primæ partis ſecundæ.* Procœm. Auris bona audiet cum omni concupiſcentiâ ſapientiam. Eccl. 3.

*Exhelcoſis ſecundæ partis ſecundæ.* Procœm. Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis, &c. Pſalm. 44.

*Exhelcoſis tertiæ partis,* Procœm. Beatus homo, qui inuenit ſapientiam, & qui affluit prudentiâ. Prou. 3.

*Supplementum ſummæ; ex ſcripto eiuſdem Sancti Thomæ ſuper Quartum Sententiarum.* Procœm. Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei. Sap. 13.

*Exhelcoſis ex Summa Domini Guillhelmi Antiſiodorenſis.* Procœm. ſicut vera dilectio diligitur Deus ſuper omnia.

*Super Boëtium de conſolatione Philoſophiæ litteraliter, & myſticè.* Procœm. Homo ſanctus in ſapiẽtia manet ſicut Sol; ſtultus mutatur vt Luna. Eccl. 23.

*Enarratio hymnorum præſertim veterum.* Procœm. Implemini Spiritu Sancto, loquentes vobis metipſis in Pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris, Domino gratias agentes pro omnibus. Epheſ. 5.

*Expoſitio librorum Ioan. Climachi.* Procœm. Vidit Iacob in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum; Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ dicentem ſibi: Ego ſum Deus. Geneſ. 28.

*Translatio librorum Ioannis Caſſiani ad ſtylum facillimum.* Procœm, Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Pſal. 118.

*De exemplis, & documentis authenticis.* Procœm. Sapientiam Sanctorum narrant populi, & laudem eorum nunciat Eccleſia. Sap. 3.

*De ente, & eſſentia.* Procœm. Quamadmodum Ariſtoteles profitetur; Rerum, aliquæ ſunt vniuerſales, aliquæ particulares. 1. Per.

*De Scientia Vniuerſalium.* Procœm. Deſiderabilius eſt de ſublimibus, imò de vno alto ente pauculum ſcire, quàm de decliuibus multam habere agnitionem. Ariſtol. in 2. Cœli.

*Compendium philoſophicum, ſeu elementatio Philoſophica.* Procœm. Precioſior eſt ſapientia cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari. Prou. 3.

*Compendium Theologicum, ſeu elementatio Theologica.* Procœm. Comparate vobis ſapientiam ſine argento, & collum veſtrum ſubiicite iugo eius. Eccl. vlt.

*De lumine Chriſtianæ Theoriæ. lib. 2.* Proæm. Omnis proceſſio ſecundorum à primo, & conuerſio eorundem per ſimilitudinem efficitur vtrorumque. Hos duos libros nuper aliquis edidit in lucem.

*Dialogum de fide Catholica contrà Gentiles continens octo libros partiales.* Procœm. Magna & mirabilia ſunt opera tua Domine Deus omnipotens; iuſtæ, & veræ ſunt viæ tuæ Rex Sanctorum. Quis non timebit te, & magnificabit nomen tuum, quoniam tu ſolus pius es. Tu enim Domine creaſti omnia, & propter voluntatem tuam creata ſunt. Tu ſolus omnium dominaris, & in ditione tuâ cuncta ſunt poſita; quoniam tu ſolus æternus es. Apoc. 15.

*Contra perfidiam Mahometi, & contra multa dicta Saracenorum libri quattuor.* Regi magno, ac præpotenti Imperatori Sarracenorum, omnibus legis Mahometi doctoribus, atque cultoribus, quidam Religioſus &c.

*Dialogus diſputationis inter Chriſtianum, & Sarracenum de lege* CHRISTI, *& contra perfidiam impiiſſimi Mahomet.*





Procœm. Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Ioann. 3.

*Epiſtola ad Principes Catholicos parænetica, de inſtituendo bello aduersùs Turcas.* Vniuerſis Principibus Chriſtianis. &c.

*Contrà artes Magicas, & errores VValdenſium.* Procœm. Caue nè inuitari velis abominationes illarum gentium, nec inueniatur in te, qui luſtret filium ſuum, aut filiam ducens per ignem, aut qui ariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia, atque auguria; nec ſit maleficus, nec incantatur, neque phytones conſulat, nec diuinos, & quærat è mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus. Deut. 6. & 10.

*Contrà ſuperſtitiones.* Procœm. Dominum Deum timebis, & illi ſoli ſeruies. Deut. 6.

*De natura æterni, & veri Dei.* Procœm. Scimus, quoniam filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, vt cognoſcimus verum Deum. Ipſe enim vnigenitus Dei Patris in hoc natus eſt, & ad hoc venit in mundum, vt teſtimonium perhibeat veritati. 1. Ioan. 5.

*De diuina eſſentia.* Nondum eſt inuentum.

*De venuſtate mundi, & pulchritudine Dei.* Procœm. Vnus eſt altiſſimus creator omnium, Omnipotens Rex, metuendus nimis, ſedens ſuper thronum, Dominus Deus. Eccleſ. 1.

*Creaturarum in ordine ad Deum conſideratio Theologica.* Procœm. Delectaſti me Domine in factura tuâ, & in operibus manuum &c.

*De diſtantia perfectionis diuinæ, & humanæ.* Proæm. Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Matth. 5.

*De munificẽtia, & beneficijs Dei.* Proæm. Anima mea deſiderauit te in nocte, ô vnigenite Patris æterni, ſed & ſpiritus meus in præcordijs meis ſitiuit in te. Pſal. 91. Eſai. 29.

*De laudibus ſuperlaudibilis Dei.* Procœm. O Deus præſtantiſſime, tu bonus naturaliter dominator altiſſime.

*Laudes Dei deuotiſſimæ.* Procœm. Tu Domine Deus noſter naturaliter bonus es.

*De donis Spiritus ſancti lib. 4.* Procœm. Quis hominum poterit ſcire conſilium Dei? aut quis poterit cogitare, quid velit Deus? niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris ſpiritum tuum de celis. Sap. 9.

*Horæ de ſanctiſſima Trinitate.* Procœm. Adſit nobis ſemper immenſa tua clementia Deus omnipotens, Trinitas adoranda.

*Horæ deuotiſſimæ de Paſſione Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Procœm. Deus in adiutorium meum intende, &c.

*Meditationes, ſiue de modo recordationis Dominicæ paſſionis.* Procœm. Si deſideras perfectè mundari à vitijs, ſi nobiliter ditari virtutibus, ſi altiſſimè illuminari in ſcripturis, ſi glorioſè triumphare de inimicis, ſi copioſè conſolari in aduerſis, ſi deuotè conuerſari in terris, ſi feruenter compungi in cubilibus, ſi dulciter flere in orationibus, ſi frequenter accendi in meditationibus, ſi perſeuerare in bonis actibus, ſi repleri ſpiritualibus gaudijs, ſi rapi in exceſſu mentis, ſi diuinis frui ſecretis, ſi feliciter mori in extremis, ſi perenniter regnare in cœlis, exerce, te in vita, & in paſſione IESV Chriſti filij Dei. Hunc librum aliqui eundem aſſerunt iam olim euulgatum ſub titulo, *De vita, & beneficijs Saluatoris,* cuius orationes habent plerumq; exordia; Benedico, & gratias ago tibi Domine.

*Expoſitio Paſſionis Dominicæ ſecundùm quattuor Euangeliſtas.* Procœm Reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius. Rom. 5.

*Expoſitio Miſſæ.* Proæm. Memoriam fecit mirabilium ſuorum Miſericors, & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe. Pſalm. 110.

*Dialogus de celebrationo, & Sacramento Altaris.* Procœm. Quicunque manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. 1. Cor. 11.

*Tractatus, de ſacra communione frequentanda.* Procœm. Qui præeſt, in ſollicitudine præſit. Rom. 12.

*Sermones ſex de Venerabili Sacramento.* Procœm. Caro mea verè eſt cibus. Ioan. 6.

*De laudibus Beatiſſimæ Virginis Mariæ lib. 4.* Proęm. Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens: Cant. 6.

*De præconio, & dignitate eiuſdem. lib. 4.* Proæm. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, ipſa conteret caput tuum & tu inſidiaberis calcaneo eius. Gen. 3.

*De mutua cognitione in patria.* Procœm. Pater gloriæ dat vobis ſpiritum ſapientiæ, in agnitione eius Epheſ. 4.

*De Sanctorum, reliquiarumque veneratione, & de modo agendi Proceſſiones.* Procœm. Zelus domus tuæ comedit me. Pſal. 61.

## *Tituli operum, quibus formatur ſtatus hominum.*

*De cauſa diuerſitatis euentuum.*

*De deformatione & reformatione Eccleſiæ.*

*De authoritate, & officio Summi Põtificis.* Procœm. Confitebor tibi Domine pater cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc. Luc. 10.

*De poteſtate, & iuriſdictione Summi Pontificis.* Procœm. Pro iuſtitia agonizare pro anima tua, & vſque ad mortem certa pro iuſtitia, & Deus expugnabit pro te. Eccl. 4.

*De authoritate Generalium Conciliorum.* Proæm. Verba ſapientum, quaſi ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt à paſtore vno, his ampliùs fili mi nè requiras. Eccl. vlt.

*De vita, & regimine Præſulum.* Procœm. Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Act. 20.

*De officio, vita, & regimine Archidiaconorum.* Procœm. Iudicium duriſſimum in his, qui præſunt, fiet. Sap. 6.

*De regimine Prælatorum.*

*De officio Legati.*

*De vita, & ſtatu Canonicorum, Sacerdotum, & miniſtrorum Eccleſiæ.* Procœm. Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.

*Dialogus, ſiue colloquium inter Patronum, & Canonicum.* Procœm. Quoniam me peccatorem grauem intueor, quid mirum, ſi per memetipſum, Deum iuſtum iudicem accedere verear.

*De vita, & regimine Curatorum.* Procœm. Sacerdotes ſancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen eius. Incenſum enim Domini, & panes Dei ſui offerunt; ideò ſancti erunt.

*De honeſta conuerſatione clericorum.*

*De doctrina Scholaſticorum.* Procœm. Quemadmodum Ariſtoteles ait in libro Politicorum; Sicut omnium animalium optimum extat homo, ſi ſcientijs, atq; virtutibus doceretur; ſic inter animantia vniuerſa, viliſſimum, prauiſſimumq; conſtitit, ſe rationis gubernaculo derelicto, per vitiorum deuia grauatur, ignorantiæ tenebris ſe inuoluens.

*De vita nobiliũ.* Proæm. Quicumq; glorificauerit me glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. 1. Reg. 2.

*De regimine Principum lib. 3.* Procœm. Audite Reges & Duces, & intelligite Principes; diſcite iudices finium terræ; diligite lumen ſapientiæ omnes, qui præeſtis populis. Si delectamini in ſedibus, & in ſceptris, diligite ſapientiã, vt in perpetuũ regnetis. Sap. 6.

*Dialogus inter Chriſtum & Principem.*

*Dialogus inter Chriſtum & Principiſſam.* Procœm. Illumina Domine Deus meus, oculos meos nè vnquam obdormiam in morte, Pſ. 12.

*De vita militari.* Procœm. Labora ſicut bonus miles Chriſti. 2. Timo. 2.

*De vita mercatorum, & iuſto pretio rerum.* Proœm. Nolite facere iniquum in iudicio, & pondere, in menſura, in regula, nec decipiat vnuſquiſq; proximum ſuum. Leut. 13.

*De reginine Politiæ.* Proœm. Secundùm Iudicem populi, ſic & miniſtri eius. Qualis eſt rector ciuitatis, tales ſunt inhabitantes in ea. Eccl. 10.

*De laudabili vita coniugatorum.* Proœm. Dixit Dominus Deus: Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ergo ei adiutorium. Gen. 2.

*De laudabili vita virginum.* Proœm. Virgo cogitat, quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu 1. Cor. 7.

*Inter Ieſum & ſenem Dialogus.* Proœm. Non indigneris Domine Ieſu, ſi loquar ad te Dominum Deum meum quum ſim puluis, & cinis Gen. 18.

*Inter Ieſum & puerum Dialogus.* Proœm. Complectens IESVS paruulos, impoſuit manus ſuper illos, & benedixit eos. Marc. 10.

*De vita, & exemplis antiquorum Patrum.*

*De præconio, ſiue laude Ordinis Carthuſienſis.* Proœm. Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs &c. Gal. 5.

*Enarratio in tertiã regulam S. Franciſci.* Proœm. Quicumque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia &c. Gal. 6.

*De reformatione Clauſtralium.* Proœm. Omnia honeſte, & ſecundum ordinem fiant in vobis. 1. Cor. 14.

*De reformatione Monialium.* Proœm. Vox ſponſi: Aperi mihi ſoror mea ſponſa. Cant. 2.

*De vita ſolitariorum.* Proœm. Sedebat ſolitarius, & taceb it, & leuabit ſe ſuper ſe. Thren. 3.

*De vita & fine ſolitarij.* Proœm. Super quem requieſcet ſpiritus meus, ait Deus, benedictus, niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem ad ſermones meos. Eſai. 66.

*De laude & præconio ſolitariæ vitæ.* Proœm. Dixit IESVS diſcipulis ſuis; Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum Marc. 6.

*De vita incluſarum.* Proœm. Quàm magna multitudo ulcedinis tuæ Domine. Pſalm. 30.

*Tituli eorum operum: quæ præmiſſos ſtatus in finem felicem dirigunt.*

*Sermonum opus primũ de tempore, cum enarrationibus Euangeliorum, & Epiſtolarum Dominicalium ad ſeculares.* Proœm. Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem de ore eius requirent, quia Angelus Domini exercituum eſt. Malach. 2.

*Secundum opus ad eoſdem, eodem modo de ſanctis.* Proœm. Laudemus viros glorioſos, & patres noſtros. Eccl. 44.

*Sermonum opus tertium ad Religioſos. de tempore.* Proœm. Fratres ſancti vocationis cæleſtis participes, conſiderate Apoſtolum, & Pontificem confeſſionis veſtræ Ieſum. Hebr. 3.

*Quartum opus ſermonum ad Religioſos de ſanctis.* Proœm. Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc eſt, im̃aculatũ ſe cuſtodire ab hoc ſeculo. Iacob. 1.

*Summa de vitijs & virtutibus, ſiue illuminatorium ſalutaris ſcientiæ.* Proœm. Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum. Iacob. 1.

*Contrà pluralitatem beneficiorum.* Proœm. Lata eſt porta, & ſpatioſa via, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Quam anguſta porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inueniunt eam. Matth. 7.

*Contra Simoniam lib. 1.* Proœm. Gratis accepiſtis, gratis date. Matth. 18.

*Contra Simoniam lib. 2.* Procem. Pecunia tua tecum ſit in perditionem. exiſtimaſti enim donum Dei pecunia poſſideri. Act. 8.

*Contra Auaritiam.* Procem. Venerabili ac deuotæ perſonæ &c.

*Contra Ambitionem.* Proœm. Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Vos autem non ſic, ſed qui maior eſt in vobis, fiat ſicut iunior, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſter. Luc. 22.

*Contra vitium proprietatis Monachorum.* Proœm. Primò videndum, quid dicatur peculium.

*Contrà deteſtabilem cordis inordinationem in diuinis laudibus. aliàs inſcriptus laus Carthuſianorum.* Proœm. Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti. Eccl. 10.

*De modo deuotè pſallendi.* Proœm. In omni opere Dauid, dedit confeſſionem Deo excelſo, & ſancto in verbo gloriæ, & de omni corde ſuo laudauit Deum, & dilexit Dominum, qui fecit illum. Eccl. 47.

*De modo, & ordine iudicandi, & corripiendi.* Proœm. Quæſtionem mihi propoſuiſtis.

*De actu viſitationis.*

*De grauitate, ac enormitate peccati.* Proœm. Deus ſolus eſt, & cognitionem eius nemo auertere poteſt. Idcirco à facie eius turbatus ſum, & conſiderans eum, timore ſollicitor. Iob. 29.

*Dialogus de conuerſione peccatorũ.* Proęm. Cõuertere ad Dñm Deũ, quoniã corruiſti iniquitate tuâ. Oſeæ 14.

*De arcta via ſalutis, & contemptu mundi.* Procem. Indicabo tibi ô homo, quid ſit bonum, aut quid requirat Dominus à te. vtique facere iudicium, & iuſtitiam, & ſollicitum ambulare cum Deo. Mich. 1.

*Speculũ amatorum mundi.* Proœm. Videte, quomodò cautè ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed vt ſapientes, redimentes tempus, quoniã dies mali ſunt Ephe. 5.

*Inſtitutio, ſeu exhortatoriũ nouitiorum.* Proœm. Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei. Luc. 9.

*De votis, & profeſſione Religioſorum.* Proœm. Excellentiorem viam vobis demonſtro. Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut ęs ſonans, & cymbalum tinniens. 1. Cor. 13.

*De fructuoſa temporis deductione.* Proœm. Seruaui mandata tua, & teſtimonia tua, quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo. Pſ. 118.

*De triplici via.*

*De via purgatiua.* Proęm. Volens purgari de peccatis, gratiam indulgentiam conſequi ſalutarem, in ſcripturis illuminari, & tandem totus Chriſto inardeſcere.

*De via purgatiua Exercitium.* Procem. Sicut dicit Apoſtolus; ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi: mundus enim ſtultam reputat ſcientiam Dei.

*De mortificatione viuifica, & reformatione interna.* Proęm. Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt qui viuunt, iam non ſibi viuãt, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt. 2. Cor. 5.

*De fonte lucis, & ſemitis vitæ.* Proœm. Quis ſapiens, & intelliget iſta? Intelligens, & ſciens hæc? Quia rectæ vię Domini, & iuſti ambulabunt in eis; præuaricatores verò corruent in eis. Oſeæ. 14.

*De remedijs tentationum.* Proœm. Militia eſt vita hominis ſuper terram Iob. 7.

*De diſcretione ſpirituum.*

*De paſſionibus animæ.* Procem. Primus homo de terra terrenus; ſecundus homo de cælo cæleſtis. Igitur ſicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cæleſtis.

*De puritate, & felicitate animæ.* Proœm. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Matth. 5.

*Cordiale, ſiue Præcordiale.* Procem. Quid dilecte mi? Quid dilecte cordis mei? Quid eſt amantiſſime frater? Ne dederis cor tuum vanitati, neque deſpergas animam tuam in multis. Prou. 31.

*De cuſtodia cordis, & profectu ſpirituali.* Proęm. Gratia ſuper gratiam, mulier ſancta, pudorata, & tacita. Eccl. 26.

*De gaudio ſpirituali.* Proęm. Deus ſpei repleat nos omni pace, & gaudio in credendo, vt abũdemus in ſpe, & virtute Spiritus S. Rom. 15.





*De pace interna.* Proœm. Deus patientiæ, & ſolatij det nobis id ipſum ſapere in alterutrum ſecundùm Ieſum Chriſtum, vt vnanimes vno ore honorificemus Deum, & Patrem Domini IESV Chriſti. Rõ. vlt.

*De eleuatione mentis in Deum.*

*De oratione.* Proœm. Oportet ſemper orare, & non deficere. Luc. 18.

*De meditatione.* Proęm. Cogitationes meæ variæ ſuccedunt ſibi, & mens in diuerſum rapitur, Iob. 20.

*De contemplatione.* Procem. Sapientiam amaui, & exquiſiui à iuuentute meâ, & quæſiui ſponſam eã mihi aſſumere, & amator factus ſum formæ illius. Sap. 8.

*Sonus epulantis.* Procem. Omnes, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia, poſſeſſiõnes, & ſubſtantias vendebant, & diuidebant, illa omnibus, prout cuique opus erat. Act. 2.

*Inflammatorium diuini amoris.* Proœm. Quid Dominus Deus tuus requirit à te, niſi vt diligas eum in toto corde tuo, & in tota anima tua, & omnibus viribus, & ambules in omnibus vijs ipſius. Deut. 4.

*Dialogus de charitatis profectu.*

*Dialogus de perfectione charitatis.*

*De regulis vitæ Chriſtianorum.* Procem. Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut Chriſtus ambulauit, & ipſe ambulare. 1. Ioan. 2.

*De particulari iudicio, & obitu ſingulorum.* Procem. Omnes nos manifeſtari oportet antè tribunal Chriſti, vt referet vnus, quiſq; propria corporis prout geſſit, ſiue bonum ſiue malum. 2. Cor. 5.

*De quattuor hominis nouiſſimis.* Proęm. Gẽs abſq; conſilio eſt, & ſine prudentia. Vtinàm ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent. Deuter 32.

*Collationes duæ pro Capitulo Generali Ordinis Cartuſienſ.*

*Collatio miſſa Capitulo Generali Fratrũ Minorũ de Obſeruãtiâ.*

*Epiſtola ad vniuerſos Principes Chriſtianos.*

*Epiſtolæ multa ad Nicolaum de Cuſa, Card. Legatum.*

*Epiſtol. ad Epiſc. Leodienſ. Ioannem de Hynsberg.*

*Epiſt. ad Epiſc. Leodienſ. Ludouicum de Burbon.*

*Epiſt. ad Epiſcop. Monaſterienſ. Ducem Bauariæ.*

*Epiſt. ad Epiſc. Traiectenſ. Dauid de Burgundia.*

*Epiſtolæ ad Principes Geldriæ.*

*Epiſtola de curſu ad S. Michaëlem.* Procem. Deſuper illuſtrari.

*Epiſtola contrà deſperationem.*

*Epiſtola pro quodam tribulato.* Procem. Chariſſime Pater, veſtræ afflictioni multum condoleo; tamen ſi informationem accipere vultis &c.

*Epiſtola conſolatoria ad quandam viduam.*

*Epiſtola ad Arnoldum Campion. Aduocatum, & Iuris Doctorem, quâ reſpondet quibuſdam ſatis arduis quæſtionibus.*

*Elegia de Iudicio mortis, & varijs caſibus eius.* Procem. Lex metuenda premit, mortalibus omnibus vna.

Et varia item *alia carminũ genera, ſermones, Collationes, Spiſtolæ, & ſolutiones dubiorum ſine numero.*

*Apocalypſis, ſiue reuelationes ſibi à Domino Deo factæ.*

*Proteſtatio ad ſuperiorem ſuum, quo motiuo ſua in vtrumque Teſtamentum conſcripſerit Commentaria, operaque reliqua.* quæ ita &c.

XXII. *Proteſtatio Dionyſii de Fine Scriptionis ſuæ.*

Ego Frater Dionyſius toto corde profiteor, quòd Sacram ſcripturam exponere, paruitatem meam omninò tranſcendit, tã quantùm ad ſcientiam, & rationem profeſſionis (quia Monachus ſum, cuius eſt lugere, & illuminari, potius, quàm docere, vel illuminare) quàm ratione vitæ meæ, intantũ imperfectæ, & miſeræ. Sed in bonitate, & gratiâ Spiritus ſancti, qui abiecta, & contẽptibilia, & ea, quę nõ ſunt, infirma quoq;, & ſtulta mundi eligere conſueuit, cõfidens, hucuſq; exercitiũ iſtud continuaui, & quantũ in me eſt, paratus ſũ proſequi; dũmodò ſapientię veſtræ iudicio placitum fuerit. Deprecor autẽ bonitatẽ Spiritus ſancti, vt in id, ꝙ eſt magis ad gloriam ſuã, & meum, & aliorum profectum, mẽtem veſtram inclinare dignetur. Præterea fateor, quòd quantum meipſum pro viribus examinando reprehendere queo, non ſum mihi conſcius, ꝙ ex aliqua vanitate, vel propter finem viliſſimum, ſcilicet propter famam, vel aliquid tale priuatum, temporaleve commodum exercitium iſtud aſſumpſerim, vel proſequi optem; imò potiùs, vt occupando me quotidiè in ſcripturis, ſecundùm eas viuere valeam, veniendo ad veram humilitatem, manſuetudinem, patientiam, quibus ſummè indigeo. Et ſi aliter, eſt, vel alio fine hæc ago, tunc ſum benè, & nimis miſerrimus; vt puta documentis Sacræ ſcripturæ tàm inaniter, & inſipienter abutẽs. Totis tamẽ præcordijs Deo gratias ago, quòd tàm iuuenis religionem ingreſſus ſum, vtputa viginti vnius anni exiſtens. In qua nunc per gratiam Dei quadraginta ſex añis permanſi, in quibus aſſiduè, Deo laus, extiti ſtudioſus, & multos legi authores, ſcilicet ſuper ſententias, Thomæ, Alberti, Alexandri de Hallis, Bonauenturæ, Petri de Tharentaſio, Ægidij, Richardi de media villa, Durandi, & aliorum. Libros etiam ſanctorum Hieronymi ſuper oẽs Prophetas, & alia multa volumina eius, Auguſtini, Ambroſij, Gregorij, Dionyſii Ariopagytę, Doctoris mei electiſſimi, Origenis, Gregorij Nazianzeni, Cyrilli, Baſilij, Chryſoſtomi, Damaſceni, Boëtij, Anſelmi, Bernardi, Bedæ, Hugonis, Gerſonis, Guilhelmi Pariſienſis. Pętterea Sũmas omnes vulgares, & Chronicas, totum Ius Canonicum, & Ciuile, quãtum mihi conueniebat. Multos commentatores vtriuſq; Teſtamenti: & quicquid naturalium Philoſophorũ habere potui: Platonis, Procli, Ariſtotelis, Auicennæ, Algaſelis, Anaxagorę, Auerrois, Alexandri, Alpharabij, Abubatheris, Euempote, Theopraſti, Themiſtij, ac aliorũ. Verùm quò exercitium iſtud magis eſt ſpiritale laborioſum ſtudio, & negotio plenum: eò videtur mihi ſalubrius, ſiue accommodatius ad mortificationem ſenſualitatis, & carnalium deſideriorum. Fecit etiã libentiùs me manere in ſolitudine. Quamuis inſuper ſcriptura ſit multum euidenter, & copioſè expoſita à magnis Doctoribus, ſanctiſq; Patribus, tamẽ (vt Gerſon ſcribit) ſicut exterior guſtus ſecundùm perſonas, & tempora diuerſificatur, & nunc iſto, nunc illo cibo delectatur; interdũ quoq; viliotibus edulijs amplius exhilaratur, & confouetur, ita & de interioris guſtus palato cenſetur. Vnde in fine ſecundi Machabæorum inducitur, quòd *alternis vti delectabile eſt, & nũc aqua, nunc vinũ delectat.* Poſtremò Gerſon docet, quòd in menſa ſapientiæ, noua ſemper fercula proponi debent. Abſit tamen à me abiecto, atque viliſſimo, vt arbitrer, me in menſa ſapientiæ recentia fercula poſſe ponere. Sed vt Sanctus Hieronymus ait; *In domo Dei vnuſquiſque offert; quod poteſt; nec aliorũ opes, aliorũ inopia queunt fœdari, imo magis ornantur: quia oppoſita, iuxta ſe poſita, magis eluceſcunt.* Ita ſecundùm Auguſtinum in 1. de Trinitate c. 3. *Expedit dẽ eadẽ materia plures fieri libros, quia non omnũ ſcripta ad omnes deueniunt.* & ſecundùm eundem; *Noua aliquibus amplius placent, & conferunt.* Sunt autem & aliæ cauſæ me mouentes, quas propter breuitatem omitto: & nè me ad obtinendam licentiam videar nimis armare. Nec iſtas tetigi intentione armandi me, ſed vt iuxtà veſtræ Paternitatis commiſſionem, ſcriberem atq; oſtenderem vobis, quid cordis in iſto exercitio geram. Itaq; ſub P. V. correctione ſcripta ſunt hæc; quia & hæc ſcribere mihi commiſiſtis.

Iſta de ſeipſo Dionyſius, cognomento *Extaticus*, & qui reuelationes diuinas, & has etiam arduiſſimas habuit creberrimè. Petrus Dorlandus, ea, quæ adiungo, de illo ſcribebat.

Prima reuelatio facta Patri Dionyſio.

XXIII. *Plures habet reuelationes.*

In ſacro Hypapantis feſto, quod nos Purificationis Beatæ MARIAE Virginis dicimus, fuit hic pius Pater Dionyſius tempore Miſſæ ſub aſpectu omnium Fratrum in choro extrà ſe raptus ad ſuperna, quod illi ſatis familiare noſcitur fuiſſe. Eſt autem in ſpiritu eleuatus ad contuitum ſuperbenedictæ, & altiſſimæ Trinitatis, ad cõtuitũ increatæ, & incircũſcriptibilis lucis, quãtũ intueri potuit mortalis, & citò r eciċẽtis homi-

nis infirmitas. Cumq; in ipſam diuinã claritudinẽ obtutus infigeret, ad preces deuotiſſimas, ſe conuertit, volens, ſupernæ clementiæ Eccleſiã ſuam conciliare militãtem, ſuiſq; eam precibus in ſui miſeratoris gratiam reuocare. Cui Deus ita reſpondit; *Deus.* Quid tu, ô fili, pro Eccleſia mea requiris? *Dion.* Requiro, mitiſſime miſerator, vt de ſuperno cælorum habitaculo ſponſam tuam Eccleſiam reſpicere digneris, reſpectã in melius reformare, reformatam de vaſtantium manibus eruere, erutam verò, ad antiquũ gratiæ tuæ munus reducere. *Deus.* Eccleſia penè vniuerſa à me receſſit, adulterinis amoribus occupata, & vſq; adeò deformis effecta, vt à planta pedis, vſq; ad verticem, non ſit in ea ſanitas, ſciſſuris, plagis, & vlceribus plena. Sunt tamen in ea non paucæ, & Catholicæ animæ. *Dion.* A Patre miſericordiarum miſericordiam petimus, non iuſtitiam, mi Domine Deus. Duplicem quippè viam nobis conſtituiſti veniendi ad te, quarum vna miſericordiæ eſt, iuſtitiæ altera. Quæſo ergo te, miſericordiſſime Deus, age nobiſcum ſecundùm innumeram multitudinem miſericordiarum tuarum. *Deus.* & vis tu, vt tanta ſcelera, tamque enormia multa remittam, & totum miſericordiæ tribuam, iuſtitiæ autem nihil? Non vis me agere iuxtà ordinem meæ ſapientiæ. Legiſtinè, quod honor Regis iudicium diligit? *Dio.* Peto te, omnium manſuetiſſime, vt in miſerationibus tuis præuenias nos, & corda tibi rebellia corrigas, emollias, & conuertas ad te. Maior eſt enim in immenſũ bonitas tua, Dñe, quàm ſit peruerſitas prauitatis humanæ. Non nobis Domine, nõ nobis, ſed nomini tuo da gloriã, neque retribuas nobis ſecundum iniquitates noſtras. *Deus.* Licèt abſolutè omnia poſſim, iuxta tamen ſapientiæ meæ cenſuram omnia ago, & in cunctis operibus meis iuſtitiam meam miſericordia mea contempero. Nam & eam ego maximam miſericordiam eſſe ſtatui, quandò per increpationem, & flagella, rebellium dura corda hominum viſito in præſenti vita, ea ſic admonens, & ad me conuertens. Super adamantem indurata ſunt mortalium corda, nec poſſunt innumeris meis beneficijs aliquatenùs emolliri. Diu ſuſtinui, diu patiens fui, crebrò vos de conuerſione admonui, & hæc, quæ nunc imminent, aduerſa, prædixi. Verùm quia nulla eſt emendatio conſecuta, neceſſe eſt, vt adamantina corda duris aduerſitatibus exagitem, vt vel tandem vexatio det intellectum auditui. *Dion.* Si nos omninò, ô pientiſſime Deus, miſeratione tua digni non ſumus, parce ſaltem nomini tuo magno, parce locis tibi ſacratis. Eccè Eccleſiæ tuæ plurimæ iam deſtructæ ſunt, altaria ſuffoſſa, loca Sanctorum prophanata. Heu, Chriſti filij tui Sacramenta, & vaſa ſacra, impijſſimè conculcata ſunt, & Religio Chriſtiana per paganos, perfidoſque blaſphematur. *Deus.* Tu doles, tu quereris, quòd ea templa, & altaria prophanantur, quæ de lignis, lapidibuſque conſtructa ſunt, quòd vaſa ex auro, & ære conculcantur; & non doles, quòd templa, in quibus ego per fidem, & amorem inhabitare conſueui, & animarum electionis vaſa, ab inuiſibili hoſte, atque exterminatore tam crudeliter, & impiè commaculantur, & violantur? Nonne ſumma in ijs malis mihi iniuria fit? miraris forſan, cur animas ad meam imaginem factas, Chriſti mei ſanguine emptas, iuſtitia exigente permitto ab hoſtibus ſuis conculcari. Mirare potiùs, quòd homines ſua ſponte, ſeſe ſubdunt ſuis aduerſarijs conſtuprandos, in iniuriam mei honoris, in exitium ſuæ ſempiternæ ſalutis. *Dion.* Benigniſſime Deus, aſpice, precor, quòd in ijs perſecutionibus à perfidis ſuſcitatis, multi ſimplices, &, vt ita dixerim, innocentes, lachrymoſo nimis exitio opprimuntur, ac trucidantur. Conſpice, quòd & cultus tuus imminuitur; quòd ea loca, vbi Chriſtiana religio ſolita eſt pullulare, & robuſto amore vigere, modò in delubra ſunt conuerſa, vbi & Mahometi in poſteris figmenta coluntur. Hoc pacto videtur beſtia ſpurciſſima agno, vti ante prophetatum eſt, præualere. *Deus.* Hanc innocentum ſimplicitatem, de qua tu loqueris, mea noui ſapientia optimè ordinare, & per temporalia, quæ patiuntur mala, æternis inſerere delicijs. Ego vſq; adeò bonus, & ſapiens ſum Deus, quòd mala omnia à perfidis illata, numquam fieri permitterem, niſi ſcirẽ maxima ex ijs colligere bona. Quantò igitur mala hæc grauiora videntur, quantòq; tempora videntur obſcuriora, eò propinquiùs maiora bona expectes, & tempora longè gratiſſima. Numquam ego hęc mala permitterem niſi horum cauſa Eccleſiam vellem erigere meam.

Sicuti & tu cernis ad extremam quamdam deformitatem, & ruinã penè irreparabilẽ, nequitiæ ſuæ magnitudine peruenit, nec facili diſciplina, nec leui poterit animaduerſione purgari. Qui enim in Eccleſia mea optimi eſſe debuerunt, peſſimi facti ſunt. Ab ijs, remoto omni rubore, nomẽ meũ multò atrociùs blaſphematur, qui tamen fideles ſe vocitant, quã qui nomen meũ palã impugnãt. *Dion.* Nemo eſt, mi Domine Deus, qui tuæ poſſit ſapiẽtiæ reſpondere. Noſſe tamẽ deſidero ego puluis, & cinis, an perfidi Turcæ, Romanã ſint vrbem ſanctam expugnaturi; an & Chriſtiani Principes ſint aduersũ illos pugnaturi, vincẽdiq; ſint ab impijs, an verò illos ſuperaturi. Hic Frater Dionyſius profundum quoddam, occultumq; iudicium intellexit, quòd non putauit tutò propalãdũ. Secretũ enim Regis occulere, bonum eſt. Hinc ardentiſſima prece cõuerſus ad Dominum pro Reipublicæ bono, proq; vniuerſa militante Eccleſia, ſupplicẽ ſe agens exorabat. Et tunc vidit in ſpiritu totam Eccleſiã triũphantẽ flexis poplicibus diuinã precibus velle flectere Maieſtatem, velle ſuccẽſam Dei iram mitigare, velle Dei manum, quã ad percutiendũ extentam tenebat, premere, ac retinere. Hæc agens triumphans Eccleſia, parùm profecit; cui hoc ſolum verbum à Maieſtate reſponſum eſt: Iuxtà menſuram pœnitentiæ, quam perſpexero in peccante Eccleſiã fieri, erit imminentium malorum perſecutionumque menſura. Ex hoc Dionyſius aliquid cõſolationis accipiens, cõfortatus clamauit in ſpiritu; Igitur, mi Domine Deus, dabimus operam, errata corrigere, & actus noſtros in melius, menteſq; reformare. Sum̃us Pontifex, Cardinales, Epiſcopi, Prælati omnes cũ ſuis ſubditis, cõuerſis ad te cordibus ſe corrigẽt, emẽdabuntq;. Cui Deus; Dico tibi; & ſi hoc ipſi firmâ mihi ſponſione promittant; etiamſi in meo nomine iurauerint, & dixerint; Viuit Dominus; hoc ipſum falsò iurabunt. Dionyſius hoc Dei verbum fuſiùs intelligens, quàm nobis propalare voluerit, conſeruatus animo, ſenſit, quòd inciperet ad ſe reuerti, ſibiq; ipſi dimitti. In hoc itaq; articulo cõſtitutus, repentè clamauit ad Dominũ ſic. Et in quo, ô Deus omniũ ſuauiſſime, in quo igitur ſtat cõcluſio, & sũma precũ mearum, tuarũq; miſerationũ? Cui Deus: iuxta, inquit, emendationum veſtrarum menſuram, erit & mearum menſura miſerationum, menſuraq; flagellorũ. Hoc dicto, viſio ipſa terminata eſt, quâ Deus altiſſimus cum vili puluiſculo (vti ipſe ſcribit) cum extremæ fecis vermiculo, cũ impuro vaſculo, & colloqui dignatus eſt, & reſpõdere. Hanc viſionẽ videtur habuiſſe, quandò magnus Turcarũ Imperator, inclytã Cõſtantinopolim ſtrauit, quãdò ſubactâ Græcia fidẽ Chriſti penè totam extinxit, quandò Eccleſias, Monaſteriaq; innumera ſubruit, quandò Chriſtianorũ infinitã multitudinẽ aut occidit aut iugo miſeræ captiuitatis addixit. At Pater Dionyſius cũ hanc reuelationẽ habuiſſet, dolẽs ex intimis medullis amoris Eccleſiæ ſanctæ ruinam, ſcripſit epiſtolas plurimas ad Principes, ad Magnates, ad ſummos Eccleſiæ Rectores, vt ſeſe corrigerent, collectaque militari manu, Eccleſiæ iniuriam vindicarent. Sed





parum, eheu, monita profuerunt; ſingulis, ſuis rebus, ſuiſque delicijs occupatis.

*Alia reuelatio facta eidem.*

XXIV. Videns Deus indeuota, & ingrata Principum, & Prælatorum pectora non moueri, nec corruentis fidei dolere diſpẽdia, in ipſa Dominica Paſſionis, Deus animam Dionyſij ſerui ſui, cùm ſtaret in choro ſub ſacro, (aſpicientibus cunctis Fratribus) ad ſe attraxit à ſenſibilibus, & ſuo dignatus eſt eam ſociare colloquio. Dionyſius igitur cernens Dei ad ſe dignationem, cum charitatis viſceribus abundaret, pro communi Eccleſiæ bono Deũ deprecatus eſt, dicens; Quæſo te ſupermiſericordiſſime hominum miſerator Deus, quouſq; repellis nos, nec patris nos inuenire deſideratam, & multis poſtulatam precibus miſericordiam coram te? Quarè oculos tuos auertis, & non reſpicis clades, oppreſſiones, ruinas Eccleſiæ ſponſæ tuæ, nec preces audire dignaris ſeruorum tuorum? Eccè mala in nos peſſima ſurgunt, augentur, inualeſcunt aſſiduè, & tu taces, & nõ exurgis, nec miſereris? Eccleſiaſticus Ordo omnis ſubuertitur, & dies videntur imminere mali, de quibus iamdudum rumor inſonuit. Auditum eſt, quòd gemens conqueror, magnis aduerſitatibus Eccleſiam premi, & ſuprà vires tribulationum pondere fatigari in terris aliquibus; & vereor, nè hæc ſint multarum præambula calamitatum. Cui Dominus: quæ de malorum imminentium rumoribus audiſti, hæc itâ ſe habent in veritate, & Dionyſius; & quid facies Domine Deus magno nomini tuo? Nunquid continebis in ira tuâ miſericordias tuas? Reſpondit Dominus; Ego viam miſericordiæ meæ pænitentibus non occludo, ſed, vt dudũ tibi proteſtatus ſum, in viſione conſimili, ſecundùm menſuram veſtrę emendationis, erit & plagarum, vel miſerationum modus. Reuelationem illam tibi factam vbique tu promulgâſti, quam etiã Romano Pontifici inſinuâſti; ſed quæ inde eſt emendatio conſecuta? Nonnè tu ipſe apud te dicere ſoles, multo eſſe melius, gentem peccatricem, & deformatiſſimam plebem Eccleſia, per temporales clades fatigari, deprimi, ſpoliari, quàm in ſua peſſima vitâ (quam conſtat morte eſſe deteriorem) nequiter proſperari, obdurari in ſcelere, & ſine fræno impunè peccare? Ad hæc Dionyſius: Nil verius dici poteſt, Domine Deus. Sed reforma tu quæſo, per temetipſum, perque tuos, Eccleſiæ tuæ deformitatem, & non per maieſtatis tuæ ſæuiſſimos inimicos. Hi enim dum Chriſtianum populum affligunt, te grauiter offẽdunt. Cui Dominus: Nonnè tibi æquum, iuſtumque videtur, vt moderatio mea, quæ omnia regit, ac temperat, Eccleſiam deformem, & delinquentem, caſtigandam, reformandamq; per cruentiſſimos hoſtes meos committam, quandoquidem ſi eam non reformant, qui eam ex officio reformare debuerant? Ad quem Dionyſius; Etiam Domine Deus omnipotens, in cuius ditione cuncta ſunt poſita. Nos certiſſimè ſcimus, quòd incomprehenſibilis prouidentia tua nihil vnquam fieri permittit, niſi ex iuſta, & rationabili causâ, per quam & communia, & ampliſſima bona elicias. Sed quæſo te, ô ſuauiſſime Deus, dic mihi tuo pulueri, quid in tantis malis Chriſtiano populo, quid Clero faciendum ſit. Reſpondit Dominus: Quid quęris à me, quòd ex Scripturis ſufficienter agnoſcis? Nõnè ſemel loquitur Deus, & ſecundò idipſum non repetit? Hoc verbo ſuſcepto, Dionyſius introrſum conuerſus, inuenit ſe ſubitò in regionem ſereniſſimæ lucis tranſpoſitum, in qua altâ cordis voce ſine verborum ſtrepitu clamauit ad verè abſconditum, & incomprehenſibilem Deum: O lux immenſa; ô lumen æternum: In te ipſo lux es, & regio lucis, in qua dilecti tui ſuauiter requieſcunt, obdormiunt, ſoporantur. Tu ampliſſima, & impermeabilis eremus, in qua mens verè deuota, & à priuato amore integrè reformata, & ſupernis illuſtrata fulgoribus, inerrabiliter errat, & indeuiabiliter deuiat; in qua & feliciter deficit, & deficiendo fortiter conualeſcit. Neque enim in te principium inuenit, neq; finem, ſed omnimodum incõprehenſę profunditatis Oceanum. Te ſplendidiſſimo totius ſapientiæ fonte humanam mentem illuſtrante, repentè veritas innoteſcit. Hac luce tuo munere illuſtratus, nunc cerno Domine, quid nobis miſeris agendum ſit. videlicet, vt vnuſquiſq; fidelium iuxta vocationis ſuæ exigentiam tibi deſeruire, ſeſe reformare, & tuum formidatum tribunal pertimeſcere meditetur. Hæc dum diceret, nolens eum Deus dimittere inconſolatum, oſtendit ei ſponſam Eccleſiam ſuam, qualis pòſt futura eſſet, integrè ſplendidam, ac reformatam. Vidit nempè ſpiritualem eius decorem deſignari, per pulcherrimum eius, ac precioſiſſimum veſtimentum, indicibili arte, & colorum varietate diſtinctum, iuxtà illud; Aſtitit Regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Itemq;: Myrrha, & gutta, & caſſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis: Audiuit prætereà hic Dei ſeruus in hac ipsâ abſtractione, viditque, quæ non licet homini loqui. & reuerâ nec iſta (vt ipſe in ſuis ſcriptis fatetur) ſine grandi protulit rubore. Non enim, *ait*, mentis ſecreta pandenda ſunt, niſi id exegerit magnitudo cauſæ, aut bonum commune efflagitauerit.

*Alia eiuſdem reuelatio.*

Dominicâ pòſt Octauas Paſchæ tertiâ, celebrante Primitias ſuas nouello quodam Sacerdote Mona- XXV.
cho, cum hic Dei famulus cum Fratribus ſtaret in choro, ſolitâ puritate deuotus, facta eſt ſuper eum manus Domini, & traductus eſt à ſenſibus in ſpiritu æſtuans ardore charitatis, intrinſecùs mentaliter DEVM fontem immenſæ pietatis deprecationibus pulſans, pro Chriſtianorum Principum pacificatione, concordiaque. Audiebat enim grauem imminere conflictum inter præcipuos Chriſtianæ fidei Reges, Principes, ac magnates, atque ideò ijs vocibus cæpit Altiſſimum deprecari. Vſquequo non miſereberis Eccleſiæ tuæ, ſuauiſſime omnium miſerator? Quare non ſuccurris, non auxiliaris, ſed permittis ſponſam tuam cõculcari pedibus impiorũ? Ecce Principes populi tui, qui deberent fidem tuam defendere, aduerſarios expugnare, Eccleſiæ tuæ terminos, & cultum Chriſtianę plebis augere, ecce nunc pugnas contrâ ſe mutuò componunt, & grauibus ſe prælijs atterere moliũtur. Heu, mi Domine Deus, quæ ſtrages inde ſequetur? Nonnè populus tuus Chriſtianus, vnus, & confœderatus populus eſſe debuerat, ad impugnãdum vnanimiter Chriſtianæ fidei inimicos? At nunc quid tã prauũ, tam peruerſum tam periculo plenum, q̃ exercitus diſcordi inter ſe diuiſione compugnans? Nunc gaudent magnificè perfidi omnes Turcæ, Pagani, Sarraceni, hoſtes Euangelicæ Legis, dum tam turpe, & grande malum in populo experiuntur Chriſtiano. Nunc horum malitia audaciam ſumit, nunc ſe iactitant facilè fore victores, noſtram inſipientiam aſpernantes, atq; oſtentui habentes. Cũque his queſtibus, alijſq; nonnullis diuinas aures cõmoueret, audit ſibi à Domino reſponderi; Certè nunc vides magnam Principũ populi mei ingratitudinem, qui pro modica terrenæ hęreditatis ſubſtantiâ, corda, & arma exacuunt in ſemetipſos; cùm tamen poſſent, ſi vellent, per aliam viam longè faciliùs ad concordiam perduci. Zelant ipſi grauiter, & belligerant pro terris ſuis; ſed pro recuperãda hæreditate meâ electâ, pro Terra nimirũ ſanctâ, in qua humanę redẽptionis myſteria cõpleui, nullo zelo accẽdit. Ipſi laſciuiũt in ſtratis ſuis, longos captant ſomnos, quaſi iam pacata ſint omnia. Non compatiuntur fratribus ſuis, qui ab infidelibus opprimuntur, nec horũ calamitatibus miſerentur. Nunquid hi dolent vicẽ meã, aut regnat in eis amor meus? Non vtique. Regnat verò in eis amor priuatus, qui improbus, & reprobus eſt; ex quo mala innume-

ra oriũtur, nēpè inquietudo, ambitio inſatiabilis vorago cupiditatis, fœda, & adulterina carnalitas, & inhumana, belluinaq; crudelitas. Eccè tales ſũt hi Principes populi mei, horũ etiã tales ſunt miniſtri: Idcircò citò, & horrendè apparebo eis, & iudiciũ duriſſimũ exercebo in eos, in quibus cũ ſenio corporis iuueneſcunt ſcelera carnis, & vitia cordis. Nũquid ego per tales expugnabo incredulos, qui ſunt ipſis deteriores incredulis? vt ſunt mores, ſic ſunt & eorũ veſtes. Idcircò niſi ociùs reſipiſcant, arguã eos in furore, & iuſtitię Zelo; & quos altioribus dignitatibus extuli, hos ꝓfundioribus ſupplicijs tribuã cruciandos. Talibus cõminationibus pauefactus Dionyſius, ait ad Dñm: O clementiſſime Chriſte Ieſu; ô Verbũ ęternũ ꝓpter nos incarnatum, propter nos & crucifixũ, parce, obſecro, ignoſce, ac ſubueni plebi tuæ. Præueni, & tange corda noſtra, quamuis dura ſint & nimiùm obtenebrata, vt quæramus, ac ſapiamus, quę tua ſunt. Hoc pacto vnanimes reſiſtemus hoſtibus honoris tui, hoſtibus acerrimis, ſalutis noſtræ. Ad hæc ſupernus iudex Deus ait; Qui ſemel loquitur, in ſcripturis ſanctis ſuam aperit voluntatem. Quid igitur vis tibi reſpondeam: Conſule libros diuinos, ſcripturas ſcrutare cæleſtes. Audi matrem tuã Eccleſiã, ſponſam meam, quæ in ſe habet inhabitantem ſpiritum meũ, qui omnẽ docet, & ſuggerit veritatẽ. Tunc repentè quaſi ex perſona Eccleſię inſonuit vox ad interiores aures Fratris Dionyſij, in hæc verba: Audi, inquit, fili mi, audi charæ parentis tuæ voces, queſtus, & lachrymas. Audi ſingultꝰ meos, & lamenta concipe tuæ Genitricis. Nam vis immenſa me penetrat doloris, & lumbi mei replētur amaritudine. Nonne cõpaſſionis dolor ſæpe lõgè pręcellit paſſionis anguſtias, ſicut in ſponſo meo Chriſto palã patuit crucifixo? Quibus me putas doloribꝰ affligi, imo veriùs abſorberi, dũ recolo, qualis olim fuerim, & qualis iã facta ſim? Olim fuerã ſublimis, præpotẽs, inclyta, glorioſa, diuinis affluẽs muneribus, diuinis chariſmatibus decorata. Olim toto regnabã orbe terrarũ, longè, latèq; ad dextrã, & ad ſiniſtrã penetrans. Olim ſanctis Paſtoribus, ac Prælatis apprimè gloriabar; gaudebã virtuoſis, ſtrenuiſq; Principibus, ꝑ quos de meis aduerſarijs triumphabã. Olim turmis innumeris coruſca fulgebã vtriuſque ſexus Religioſarũ plebiũ. Olim Collegijs plurimis, & perſonis in ſacris Ordinibus conſtitutis illuſtrabar, qui omnes in Dei timore, regulariq; obſeruantia conuerſabantur. Horũ omniũ ſancta religione, & fida conuerſatione, plebes meæ Catholicæ, & ædificabantur, & regebantur: infideles ad Chriſtum conuertebantur, & mihi, meiſq; viſceribus incorporabantur. Olim quatuor ſacri Ordines, quos Mendicantes vocant, me in ſuis lætificabãt operibus, & plurimùm venuſtabant. In ijs erant viri eruditi, feruidi, ſtrenui, timorati, exẽplariter regulariterq; viuentes, per quos fructus dabam ſaluberrimos, ad conuerſionem, ad prouectum, & ad beatitudinem plurimorum. At nunc, heu, omnia deformata, omnia collapſa, & ſubuerſa ſunt. Obſcuratum eſt aurũ, mutatus eſt color optimus. Ego quondam opulenta, repentè contrita ſum. Ego quondã pulchra, ſplendida, generoſa; nunc deformis, ſqualida, ægra, hiſpida, lacerata, conculcata, & detrita ſum. Quę quondam imperioſa regnabam, nunc ad vnum Occidentis angulum compreſſa, & coarctata deliteſco. Nec ſufficit hoſtibus meis hæc mea paupertas, anguſtia, & calamitas, quam perpetior; ſed ex hoc quoq; me angulo pellere volunt, & me penitùs de terra tollere. Iam quattuor Patriarchales Sedes perdidi miſera; Inſuper perfidi hoſtes mei Romanam Vrbem, & cathedram pręripere, & euertere moliuntur. Ad hęc mala vulnus mihi intolerabile, & inexplicabilis dolor accedit, dũ video in ijs cladibus meis, filios meos aduerſùm ſe acriter inuicem inflammari, pertinaciter inter ſe confligere, ſuaque diſcordia aduerſariorum meorum vires augere, in meam diminutionem, conculcationem, & cladem. At nunc, præuaricatores filij redite ad cor; audite me, veſtram genitricem, acquieſcite, reſipiſcite. Ignoſcite vobis, & in mutuam pacem, fœderaque vos iungite, & cauſas irarum veſtrarum, ad Romani Pontificis examen iudiciumq; componite. Cur quæſo me matrem veſtram in filijs perſequimini? Cur proximos veſtros igne, & gladio deuaſtare, egenos opprimere, & inuicem trucidare contenditis? Pęniteat obſecro erraſſe vos, & cordis dolore commoti reconciliamini Chriſto. Compaſſio & cõmiſeratio vos teneat, ſuper concuſſione, & afflictione fratrum veſtrorum, quos cruentiſſimi hoſtes mei gladio, fame, captiuitate, & tributis excruciant. Horũ filios abſtractos, & ſacrilega fœtidæ legis ſuæ eruditione perdoctos, ad ſectã perditiſſimi pertrahunt Mahometi. Hęc dicens mater Eccleſia lachrymis, ſingultibuſq; intercepta, ſubticuit. Stabat verò interim vir Dei intentiſſima aure, lamenta ſuæ matris concipiens, & ei ex intimis animi medullis, vti bonus Eccleſiæ filius compatiens; cum tandem ad ſe reuerſus, non ſine ingenti mærore, quæ audierat, ſecum tacitus memorabat, nec ſeſe poterat à lachrymis temperare. Cui etiam præ corporis debilitate, quæ illi ex magnarũ rerum oſtenſione obuenerat, & præ cõpunctionis, gemituumq; magnitudine, cibus omnibus reddebatur inſipidus.

His viſionibus à Deo perceptis, Sanctus Pater Dionyſius ſcribens ſublimioribus poteſtatibus, Principibus & Prælatis, hortabatur tũ minis, tum precibus, vt ocyùs à prauis ſe reuocarent operibus, vt ſe caſtigarent, reformarent. Deo ſe conciliarent, ne imminentibus flagellis, ac cladibus contererentur; imò verò, nè æternis citò ſupplicijs deputarentur. Breuis, inquit, eſt vita præſens, & arcta eſt via, quæ ducit ad vitam. Niſi igitur conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit Iudex æternus. Arcum ſuum tetendit, & parauit illum: parauit in eo vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit. Et quod in Euangelio Saluator ait; Niſi pænitentiam feceritis, omnes ſimul peribitis; & quòd ſanctificatus in vtero clamitat Hieremias; Eccè turbo Dominicæ indignationis egredietur, & tempeſtas erumpens ſuper caput impiorum veniet. Non reuertetur furor Domini, vſq; dũ faciat, & cõpleat cogitationes cordis ſui: dabitq; impios in vexationem, in maledictum, in ſtuporem, ac ſibilum, & opprobriũ ſempiternum, eò quòd non audierint verba Dei, nec præcepta eius impleuerint. Et iſtud Micheæ Prophetæ formidoloſa mente penſemus citiùs adfuturum: Ecce, ait Dominus, ego cogito mala ſuper familiam iſtam: de quo non auferetis colla veſtra, & non ambulabitis ſuperbè, eò quòd tempus peſſimum eſt. Hæc, & plura id genus Dionyſius ſcribens, hortabatur Magnates, & Eccleſiæ Rectores, vt ſuæ afflictiſſimæ matri ſubuenire aduerſùs Turcas, & Chriſtianæ fidei peſſimos hoſtes, qui grandem quotidiè ſtragem edebant in populo Chriſtiano, qui igne, & gladio Prouincias depopulabantur, & Regna: qui Eccleſias ſacras, & vaſa ſacra prophanabãt, & inſtar inundantis aquę Chriſtianũ ſanguinem effundebant. Sed Reges, & Principes Occidentis huius, nec ad ſanctas adhortationes, nec ad clades, euerſioneſq; ſuorum fratrum vllâ commiſeratione mouebantur, vtpote duri, rigidi, obſtinati: pauciſſimis tantũ Principibus exceptis, qui hortabãtur Summum Pontificem; perfidorum væſanijs reſiſtendum; priùs tantum ſummâ ope, atq; induſtriâ Eccleſiam reformandã eſſe. Sed hę adhortationes nihil aut parũ promouere potuerũt.

*Cur eaſdẽ patefecerit.* Erunt forſan aliqui, qui hunc pium patrem reprehendant, quòd reuelationes ſibi factas non abſcõderit, quodq; eas non ſeorſum clam, ſed palàm ſub aſpectu multorum acceperit, cum ſcriptum ſit, ſecretũ Regis abſcondere bonum eſt. Et in Eſaia: Secretum meũ mihi, ſecretũ meũ mihi. Reuelationes quoq; di-





uinæ, & ſecreta myſteria ſolent, vt plurimum, ſeruis Dei, non in cõſpectu hominũ, aut in præſentia plurimorum reuelari, ſed ſeorſum in ſolitudine, vel diuerſorio. Hinc ait Dominus ad Ezechielem Prophetam; Egredere in campum, & ibi loquar ad te. Ad has obiectiones Dionyſius humiliter ita reſpondet; Reuelatio ſecretorum ad dona pertinet gratiæ gratis datę: ideo ad commune, & publicum bonum ordinãtur. quæ ſi occultentur, id vergit in communis boni detrimentum. Hinc horum manifeſtatio, non vanitati, ſed charitati (modò oculum ſiniſtrum deponas) tribuenda eſt. Fateor tamen, quod non ſine grandi rubore iſta propalauerim; quia mentis ſecreta pandi nõ debent, niſi dum ingens bonum ex his elici, aut grande malum valeat euitari. Enimuerò ego meæ mihi conſcius infirmitatis, ego vir videns paupertatem meam; & occultum Dei iudicium expaueſcens, optabam, vt hæc ipſa Deus gloriæ reuelaret alijs, qui re vera multo me ſunt meliores, & ſanctiores. At nunc nemo eſt, qui Dei reſiſtat voluntati, cui in promptu eſt ſua vti creatura ad ſuæ arbitrium voluntatis. Væ ergo illi, qui contradicit factori ſuo. Et quamuis ſecreta Dei ſoleant interdum ſeorſum clam Dei ſeruis aperiri; nemo tamen neget, qui libros nouit Prophetarum, ſæpe in proparulo occulta, & incerta ſapientiæ Dei illis reuelata fuiſſe, vt eis à plebe Dei citius, certiuſque credatur; atque dum iram iudicis cædat imminere, territi reſipiſcant, & ab amentia animum reuocent.

*ALIA QVAEDAM REVELATIO EIDEM P. DIONYSIO cælitus facta, ne Arnoldus Geldriæ Dux, bellum ſuo faceſſeret filio, eumque prælio laceſſeret.*

XXVII. Arnoldus Geldriæ Dux, diſponens mouere bellum in Adolphum filium, ſibi rebellẽ, deprecatus eſt Patrem Dionyſium, vt mediatorem ſe obijceret ante Deum, nè tanta mala ipſe fieri permitteret. Orauit Dionyſius, & quod ſibi reuelatum fuit, aperuit, ſcribens Ducibus vtriſque ſic.

Illuſtribus, & ſpectantiſſimis Principibus, F. Dionyſius Cartuſienſis in Domino pacem & ſalutem. Rumores triſtes, quos in pro feſto Epiphaniæ Domini à nuncio percepi, mentem meam proſtratã vehementius afflixerunt. Hinc toto corde ad miſericordem Dominum confugi, & fuſis lachrymis ipſum per ſua viſcera ſum deprecatus, vt ſua incomparabili pietate (licèt id ſcelera noſtra non mereãtur) imminentia terræ Geldrienſi pericula dignetur auertere, & in malis tam grandibus ocyus ſubuenire. & ecce Pater miſericordiarum & totius conſolationis ſuauiſſimus Deus, qui nunquam corda contrita contemnit, & fuſas cum lachrymis preces amoris ſemper exaudit, me indigniſſimum hominem hac nocte, per ſuum Angelum pijſſimè viſitauit, & de multis dignanter me inſtruxit. Aſtitit enim mihi Sanctus Dei Angelus, & oſtendit mihi populi terræ huius ſcelera, & magnatum, Prælatorumq; tranſgreſſiones: ſuſurros etiam maligni hoſtis, qui per mille aditus, artes nocendi inquirit, vt totum hanc terram inquietet, conculcet, depopuletur. & iuſto Dei iudicio terra hæc dabitur in manus impij, niſi operibus pœnitentiæ, & pietatis ſtudueritis vindicem Dei manum flectere, & mitigare. Pater in filium, & filius inſurgit in patrem, & omnia ſunt litibus, & diſcordiis plena. Neſcitis, quia omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur? Neſcitis, quòd ſicut res paruæ concordiis creſcunt, ita & res magnæ diſcordijs dilabuntur? Quantò inter Principem patrem, & ſuum filium concordia; ipſa eſt præclarior, tantò diſcordia fœdior eſſe noſcitur, turpior, periculoſior, exitiabilior. Audite igitur ô Principes voluntatem Dei veſtri. Hortatur enim vos per me peccatorem Deus miſerator, qui mortem non quærit hominis peccatoris; hortatur inquam vos, & populum ſubiectum vobis, vt ſine mora pœniteamini; vt auertat ſe vnuſquiſque à via ſua ſceleratã & ab iniquitate, quæ eſt in manibus eius, condignos agendo pænitentiæ fructus. Pacis fœdera ineat cum filio pater. Quòd ſi per tractatus aliquos pax non ſtatim arriſerit, ne deſperetis; quia adiutore Deo breui tempore pacem videbitis adeſſe. Interea per totam patriam hanc noſtram, in Collegijs, in Monaſterijs, in Sanctis denique Congregationibus inſtituantur orationes, celebrationes, pietatis, & pænitentiæ exercitationes. Inſtituantur etiam per temporum interualla, ſolennes proceſſiones cum ieiunijs, lachrymis, & diſciplinis; quibus humiles, & contriti, prouocemus ad miſerendum indulgentiam Dei. Placatur enim Deus contriti cordis ſacrificio. Et nunc Sereniſſimi Duces, hunc Dei noſtri ad vos ſermonem, hanc noſtræ paruitatis exhortationem, prona, & benigna mente ſuſcipite. Suſcipite, inquam, hoc noſtrum verbum, ſicut eſt verè verbum Dei; nec per quem, ſed à quo vobis tranſmittatur, conſiderate. Nolite mirari, ſi Deus pijſſimus ad me ſeruulum ſuum loqui dignatus ſit, cum in Iob ita ſcribatur; In nocturna viſione aperit aures virorum Deus, & erudiens inſtruit eos diſciplina, vt auertat hominem ab ijs, quæ fecit; hoc eſt à ſcelerata nequitia, quam commiſit, ne tranſeat in gladium. In plena vero vigiliâ oſtenſa hæc, & reuelata ſunt mihi, vigilias noctis in orationibus me agente, & ſuper hac cauſa veſtra animum intendente. Non ergo vanitati hæc tribuantur, ſed cauſæ magnitudini, & neceſſitudini communis boni. Dona nempe gratiæ gratis datæ, in aliorum vtilitatem conferuntur. Ea igitur abſcondere graue delictum eſt: & publico bono contrarium. Valete.

*Viſiones quædam P. Dionyſij.*

XXVIII. *Vexatur à Dæmone.* Legi in reuelationibus huius Patris, quòd Fratribus ad cellas poſt matutinã ſinaxim redeũtibus, viderit ſępenumero vmbras, ſeu ſpiritus cãdidos hos comitari, & ſecum in cellam ingredi, Bonos hos potuit Angelos interpretari, quos ad ſeruorum ſuorum cuſtodiam Deus delegarit. Habuit etiam hic pater quẽdam ſpiritum, à quo in cella nocturno tempore ſuetus erat agitari. Veniens enim ſuper ſolarium, tamq̃ ſi æger lecto decumberet, gemitus altos, & ſuſpiria edebat, & nonnumquam etiam ſonitus cum graui ſtrepitu excitabat. At Dionyſius credens primò bonum ſpiritum eſſe, qui ijs motibus ſuffragia ambiret, licèt intẽtiſſimè de Scripturis cogitaret, & meditando conſcriberet, ſurgens à ſede, ac ſe proſternens, *De profundis*, vel tale aliquid pro Spiritu, Domino concinebat. Statimque ille à motu ſe compeſcuit, & paululùm declinauit. Sed cum ſæpius reuerteretur ſpiritus, & ſemper inuerecundior, & moleſtior redderetur, & à ſacris ſtudijs Dei hominem præpediret, timẽs, ne malignus eſſet, qui eum à bono opere niteretur auellere, ad ſtrepitus eius, & clamores amplius non ſurrexit; nec precem vllam impendit. Tunc vehementer indignatus ſpiritus, quòd non poſſet opus pium ſcribentis euertere, poſt moleſtiſſimos ſtrepitus à ſolario, per gradus cum impetu deſcendit, & peſſulum cameræ trahens ſeſe in Dionyſium ingeſſit. Cui ille imperterritus occurrens; Quid, *inquit*, improbe, & maligne ſpiritus, quid inquam tibi viſum eſt, me Dei famulum tuis incurſibus fatigare, & à bono opere me velle tua pertinacia præpedire? Abi hinc ocyus, & poſt hac me agitare deſiſte. Paruit præcepto iubentis, & citiùs aufugiens, numquàm vltra comparuit.

*Mulier quædam habẽs pactũ cum dæmone, reſipiſcit.* Erat autẽ hic vir Dei Diabolo admodũ exoſus ob ſua præclara merita, & propter ſacra ſtudia, quibꝰ per populos rutilabat. Quo tẽpore in Ruremunda fuit quædã mulier Sebula nomine, quæ cũ Diabolo fœdus inierat, & pactũ fecerat cum morte ſempiterna.

Hanc Diabolus per Aſiam, per Africam, perque Europam aſſiduè circumferebat, & ad ſolennes ludos eam exhibens, in duellis, in haſtiludijs, in torneamẽtis ſtupente mundo faciebat vbique victricem. Deijciebat crebrò mulier armatos pugnatores, & (vincente in ſe diabolo) cum ſpolijs victoriam reportabat. Hæc tandem inſpirante Deo, & cor eius illuſtrante, reſilijt ab amentia; & compuncta nimium, diabolo abrenuncians, ad arma pænitentiæ tota virtute confugit. Hanc Reuerendiſſimus Dominus Nicolaus de Cuſa, Cardinalis, & Legatus de Latere, cum in ijs partibus eſſet, dolẽtem, & ſibi confitentem, à Zabuli pacto, & à ſuis criminibus potenter abſoluit, grauem (vti dignum erat) pænitentiam ei imponens. Stupebant omnes, qui anteà fæminam nouerant, mutationem in ea dexteræ excelſi. Hic Cardinalis Dionyſium ob ſua ſcripta miratus, ex Monaſterio ſecum abſtraxit, vt ſuo contubernio frueretur. Hinc etiam Rector Domus Sophiæ iuxta Buſcum-ducum eſt inſtitutus. Solebat itaque Dionyſius hac libertate donatus, ſæpenumero Ruremundæ ſuos fratres inuiſere, vt hanc etiam, de qua diximus, mulierem: quam equidem ideò viſitabat, vt eam in pænitentia confortaret, in ſacris roboraret ſententijs Scripturarum. Diabolus autem & ſi eſſet à muliere abiuratus, eam tamen dimittere noluit, vt eius fieret improbus agitator, qui antea fuerat auxiliator. Veniebat igitur multoties ad eam, vel futurorum aliquid prænuncians, vel præpediens à ſtudio pietatis. Et quia execrabatur Dionyſium, eum veniret inuiſere mulierem præcurrebat, dicẽs; Ecce balbus ille, & potator vini venit te, inuiſere. Erat quippe Dionyſius impeditioris linguæ, & interdum propter nimium in ſtudijs, & pijs exercitijs laborem, vino vtebatur. Quæ inuidus dæmon ad calumniam trahens, vt eum hominibus exoſum redderet, balbum eum, ac vini potatorem nominabat.

*Ab eodem irridetur.*

*ALIA VISIO EIVSDEM DIONYSII, SECVNDVM QVAM aſpexit, animam Epiſcopi Leodienſis, æternis adiudicatam gehennæ ſupplicijs.*

XXX. Illuſtris Ioannes de Heynsbergen cum eſſet Epiſcopus Leodienſis, hoc patre Dionyſio familiariter vtebatur, & audito eo multa faciebat. Hic cum eſſet ſeculi vanitatibus deditus, quodam tẽpore in oppido Ruremũdæ, ludos, & torneamenta non ſine expenſis maximis inſtituit, atque multos ad ea nobiles inuitauit. Eoſdem cum expectaret, accidit, illum interea Carthuſiam petere; vbi poſtquam cum Dionyſio, quẽ ſanctitatis opinio magnũ, atq; multis effecerat celebrem, varia contuliſſet, non erubuit ſe iactitare, quàm magnis impenſis militaribus his ludis inhiaret, quamque daret operam nobilibus excipiendis, & magnificè tractandis. Ibi Dionyſius ingemiſcens. *O inquit, R. Pater, hæc etſi admittenda ſunt Principibus, Eccleſiaſticis tamen viris, & præcipuè Epiſcopis non conueniunt. Indigniſſimum eſt ac prorſus iniquum, vt Chriſti patrimonium in ſcænicos hos vſus profundas. Parce igitur Reuerentiæ tuæ quæſo Pater; Epiſcopus es. Parce honeſtati Clericali, parce tandem pecunijs, & ab hac dementia prorſus deſiſte. Ad hæc Epiſcopus: Scio me Epiſcopum, cui hæc prophana ſpectacula iam olim ſacri canones interdicunt. At fatearis etiam neceſſe eſt, me Principem eſſe, Ducem, Marchionem atque Comitem, quos arma venuſtant, quibuſque iudicia, & imperia temporalia ſubſunt. Horum nunc mihi munus obeundum eſt.* Cui Dionyſius; *Non propterea, Pater, Epiſcopus es factus, vt Principem geras aut Ducem, ſed vt præſtantior, digniorque Epiſcopus habearis; vtque malis terribilior, atque ad tuendas Chriſti, Eccleſiæque leges ſis potentior, datus eſt tibi ab Eccleſia Principis & gladius, & honos. Itaque officium tuum eſt gregis Dominici curam agere, Diaboli laqueis irretitas animas eruere, oues tibi commiſſas verbo Dei paſcere, aberrantes reducere, reſipiſcere nolentes, ad ouile compellere; præſtare te Chriſti Vicarium non mercenarium, ſed paſtorem agere, ouibus exempla ſanctæ conuerſationis, quaſi iter ad ſequendum oſtendere; odore bonæ famæ præire, atque vt ſimul multa dicam, gregem tibi commiſſum, ad cælos introducere, non ad inferna detrudere. Inter hæc autem, cum omnia etiam benè feceris, ſcire, quod ſeruum te vocat inutilem Dominus. Vnde tibi cauendum eſt, nobiſque vehementer mirandum, cum tua ſollicitudo pro ſingulis animabus tibi commiſſis rationem ſit reddituura, ne vel vna pereat, quomodo per ignauiam tuam quaſi ſecurus, poſſis, vel audeas, de ludis, & ſpectaculis militaribus cogitare. Quid quæſo Pater Deo reſpondebis, pro creditis tibi animabus, quas intereà hoc Diabolico negotio tu ipſe ſcandalizas? Qua fronte audebis apparere coram iudice Chriſto, cui tu animas pretioſo eius ſanguine redemptas, abducis, ac morti æternæ tradis, quarum lacte, & lana abſtractis tu in delicijs viuis? vt quid Eccleſiæ bona, quæ pauperibus, & diuino cultui erogare deberes, in Scænica hæc ſpectacula, ad Chriſti opprobrium, ad Eccleſiæ diſpendium, in perditiones animarum luxu tuo profundis? Quòd ſi omninò, quæ digna ſunt Pontifice renuis agere, parce ſaltem ouibus; quandoquidem tu ſolus, minoribus impenſis, ac laboribus potes æterna tibi tormenta comparare.* Cumque ille audire contemneret deprecantem, ait Venerandus Pater; *Rogauimus te Pater, vt quoniam in religionis poſitus es exemplum, ſpectacula hæc vana non perficias, in perniciem animarum, ſed audire contemnis. Rogabo potentiorem Dominum, cui te quoque velis nolis ſubiectum eſſe oportet; hic me exaudiet. His inſipientiæ tuæ conatus, etiam te inuito impediet.* Surrexit Epiſcopus, & neſcio, quid ſecum ſtomachans, relicto Dionyſio, quod cæperat, moliebatur perficere. At contra Dionyſius illum præuenire feſtinauit. Siquidem ad dominum conuerſus, eiſdem vſus eſt & contra Diabolum, & contra Epiſcopum armis, fletu videlicet, & oratione: atque inſtantiſſima prece, ardentes podagras à Domino Præſuli impetrauit, quibus vana illa ſpectacula optato ſucceſſu caruerũt: nihil profuit Epiſcopo inflata poteſtas, nihil contulit ei, quod proficeret induſtria accelerans. Poſt inutilem magnæ pecuniæ erogationẽ, poſt infamiæ notã quicquid ꝑparauerat, atq; inſtituerat, intermiſſũ deſijt. Plus valuit oratione Dionyſius quàm profuſione, & ſollicitudine Epiſcopus, nihilo tamen à podagris emendatus. Enimuero poſtea doloribus aliquantulùm remiſſis, quamprimum greſſum potuit recuperare pedum, plenus irarum Carthuſiam acceſſit, & conquerens cæpta ſua Dionyſij orationibus irritata, ſe verò doloribus præterea, ac ignominia affectum, verbis cum aſperioribus mulctauit. Verùm æquanimiter hæc Dionyſius tolerauit, gaudens etiam, quòd pro Chriſti gloria & animarum ſalute dignus eſſet, vel ab Epiſcopis contumelias pati. Hunc ipſum Epiſcopum poſteà defunctum, in nocte Diuæ Virginis Catharinæ, vidit Pater Dionyſius poſt nocturnas Vigilias, cum pro eodem in cella vigilans oraret, à duobus teterrimis giganteæ formæ ſpiritibus ante ſe adductum, ſquallidum, tetrum, ardentibus flammis circumſeptum, fumoque oppletum. Cui dixerunt: *Ecce, pro quo oras, Dominus tuus.* Intuens autem illum Dionyſius diligenter, vidit circa ventrem, & genitalia eius immenſum agmen ſerpentum, & bubonum, qui miſerum corrodebant. Fuerat enim in vita, propter vanitates alias Epiſcopo indignas, in concupiſcentijs fæminarum, monialium, virginumque ſtuprator. Expauit vehementer vir ſanctus, admirans æquitatem iudiciorum Dei, & cogitans illud, quod potentes potenter tormenta patiantur. Aduertitque illum eſſe damnatum; quippè cum nihil pro ſe miſer flagitaret ſuffragij, nihil orationis; ſed ſubito & nigerrimis illis AEthiopibus ab oculis intuẽtis abriperetur.

*Epiſcopũ ad meliora reducere conatur.*

*Conatus eius fruſtraneus.*

*Idem epiſcopus dãnatur & quas ob cauſas.*

*Aliæ viſiones, & reuelationes P. Dionyſio factæ.*

XXXI. Ad hunc Patrem cùm eſſet crudeliſſimus, tanquam ad Apollinis oraculum pro captando conſilio plurimi confluebant. Hinc interdum impeditus, mortuorum debita Fratrũ tardius abſoluebat. Mor-





tuus eſt autem illic nouitius quidã Dionyſij patriota: cui obeunti duo ſe lecturum pſalteria promiſit, ſed cum à viſitantibus occupatus non cito promiſſa compleret, defunctus Frater, qui huius ſuffragijs egebat, palam apparuit, obiurgans, quod pollicitum laudis munus non perſolueret. Cumque ſe vir Dei excuſare pararet, obrigeſcens, loqui non potuit; intelligens, nullam defunctis iuſtam ſatis excuſationem à debitore poſſe prætendi.

*Defuncti conqueruntur de negligentia FF. in ſoluendis precibus debitis.*

Donatus ſuæ Domus poſt mortem apparuit Sancto Patri expletis nocturnis laudibus. Apparuit autem flammis vndique cinctus, grauem illi querimoniam mouens, quod Fratres ſui parum ſibi impenderen charitatis, & ſua pro illo debita nõ ſoluerent.

Orante eo pro patre ſuo iam defuncto, & ſcire cupiente, quid ſecum ageretur, vox ad eum facta eſt dicens; Quid de parente tuo ſcire moliris? Tu Dominũ pro illo deprecare. Si ſaluandus eſt, tua illi proderit oratio. Sin minus! oratio tua in ſinum tuum conuertetur. Hoc reſponſo cælitus accepto, cum ſuſpenſus illi animus eſſet, nec à prece deſiſteret, illo leniter ſoporato, vidit patrem ſuum, duos inter nigros æthiopes compreſſum, dicentem ſibi ingenti vociferatione; Fili amantiſſime, miſerere mei, & orationis mihi munus impende. Hoc dicto, à dæmonibus verberatur, & ab ijs, ſpectante Dionyſio, in caminum flammantis incendij præceps immergitur; à quo tandem, pij ſui nati ſuffragijs liberatur.

Habuit inſuper hic pater Dionyſius præter eas, quas tetigimus, reuelationes, quas humilitatis gratia noluit propalare. Ex his vnam adhuc commemorabo. In choro Fratrum Carthuſianorum Ruremundæ iacet ſepultus egregius Doctor Magiſter Ioannes de Louanio; vir quidem ſuo tempore venerandus, cui plurimæ erant præbendæ in diuerſis Eccleſijs; quarũ tamen prouentus in vſus optimos expendebat. Nam in Ruremunda fundauit Cænobiũ Regularium Canonicorum, & Collegium ſtudioſorum S. Hieronymi Coloniȩ Agrippinȩ. De hoc viro vidit vir Dei apparitionem ſatis terribilẽ. Vidit nempe tribus annis continuis in die anniuerſarij huius Magiſtri nocturno tempore ſub Pſalmo, *Benedictus Dominus Deus Iſrael.* vidit inquam ipſe ſolus, (etſi cæteri quoque Fratres in choro eſſent) hunc defunctum horribili quadam ſulphureâ flãmam circumdari, atq; conſumi. In ſecunda verò apparitionem, vidit hunc flammis cinctum, mitioribus tamen quàm ante. Porrò in tertia, lenta hunc lambens flamma purgabat. Quæ vt vidit Dionyſius, ſublimi cuidam viro Doctori Coloniæ, quem M. Ioannes ſui teſtamenti fecerat executorem, huiuſcemodi ſcripſit epiſtolam.

Excellenti Magiſtro N.F. Dionyſius Salutem dicit. Cupio rem aliquam, doctiſſime Magiſter, tuæ aperire ſapientiæ; quam & vrgente conſcientiâ, & Priore noſtro præcipiente, aperire compellor. Licet Eſaias Propheta velit ſecretum ſuum ſibi ſoli eſſe ſecretum, tamen Saluator Chriſtus Dominus hortatur nos dicẽs; Quæ auditis in aure, prædicate ſuper tecta. Vnicuiq; enim, vt noſtis, datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem videlicet aliorum. Sed hæc dona reprobis, boniſque communia ſunt. Nam & Prophetia ſpiritus Balaam eſt ariolo attributa; & Iudas proditor Apoſtolatus apice eſt inſignitus; cuius fictam cõſcientiam Dominus tetigit dicens; Nonnè duodecim vos elegi, & vnus ex vobis Diabolus eſt? Non igitur ſemper cenſendi ſunt meliores, in quibus hæ gratiæ gratis datæ exuberare videntur: cum & ſanctiſſimus Ioãnes Baptiſta nullum legatur edidiſſe miraculum, aut ſignũ. Quæ idcircò dixerim, nè videar, cuiquam iactitare meipſum, atque hoc pacto me indignum conſtituam, cui habeatur fides, & res ipſa ſuo fruſtretur effectu. Et quidem quæ narrare inſtitui, poteram ego in tertia perſona, quaſi de alio recitare; quòd, & maiorem prætenderet humilitatem, licet forſan non ampliorem induceret fidem; ſed quia, quæ videntur certiora ſunt, quàm quæ ab alijs audiuntur, hinc inuoco teſtem eum, illum, qui per Hieremiam clamat dicens; Ego ſum teſtis, & iudex; nihil extra veritatem dicturum me, ſed quæ his oculis, vidi, fideliter narraturum.

*Reuelatur Dionyſio ſtatus M. Ioã. de Louanio.*

In medio chori noſtri tumulatus iacet bonæ recordationis Magiſter Ioannes de Louanio, Xantenſis olim Præpoſitus. Tribus iam annis à ſuo obitu reuolutis, dum in die anniuerſarij ſui officium pro eo defunctorum in choro à fratribus legeretur, contigit, quòd ſubiicimus. Nam dum cantaretur Zachariæ hymnus, *Benedictus Dominus Deus Iſrael*, repente vidi in plena vigilia corporalibus oculis ignem grandi flamma inſtar feretri conſtructum, tamquam ſi in feretro ipſe iacens flammis vltricibus vreretur. Erat autem ignis obſcurus, ater, flammiuomus, qui ſurſum in aëra conſcendens, terribilem præbebat aſpectum. Vnde territus, fratrem, qui iuxta me ſtabat pulſans, hortabar, vt àſpiceret. Cumque ille nihil tale videret, intellexi myſteriũ eſſe, & ex hoc igne, qui feretrũ ambiebat, collegi animam Doctoris igne torqueri. Regreſſus ergo ad cellam, afflixi animam mœrore, plurimum lachrymans, quòd neſcirem, an Doctoris anima poſſet pœnarum ſuarum inuenire remedium. Conſiderans nimirum, quòd pinguia, & plurima habuiſſet beneficia, quodque grandes apud ſe habuiſſet pecuniarum aceruos, timere cæpi, nè æternis eſſet ſupplicijs mancipatus. Hi enim tales ſæpe digni ſunt morte. Venit deinde annus ſecundus, & vidi ſimili tempore & loco ſuper defuncti ſepulturam flammas, quas antè videram; clementiores, tamẽ & blandiores, quàm extiterant primæ. Hinc lætus intellexi, eum in loco veniæ eſſe conſtitutum. Porrò anno tertio inter nocturnas Vigilias defunctorum plus ſolito aliquid vidi, quod rerum neceſſitas me aperire compellit. Accenſis quippè ſupra eius ſepulchrum candelis, cum Fratres inciperent. *Miſerere mei Deus*, cecidit ſuper me mentis exceſſus, adeò vt nec oculos aperire, nec Pſalmos canere, nec ſuper pedes ſtare poſſem. Habui verò hinc non imaginariam vt ante, ſed viſionem merè intellectualem, in qua mihi Deus optimus maximus oſtendit indigno, quæ nec valeo, nec etiam ſcribere præſumo. Vidi nempe, quàm inſcrutabilia ſint iudicia Dei, & quàm ſint inueſtigabiles viæ eius, & de futura huius Magiſtri ſaluatione, Deo reuelante cognoui; quàm eſſet pium pro huius anima Dominum deprecari, & quam impiè, infideliter, ac damnabiliter eius agerent executores teſtamenti, qui congeſtam eius pecuniã nequaquã in animæ eius expendant adminiculum. Agnoui præterea, quod multa hic Magiſter habuerit pietatis inſignia, ob quȩ Deus miſerator eum aſpexit. Nequaq̃ enim fuerat, vti ſunt plurimi heu Prælatorum, cõcupiſcentijs infectus tactus, & guſtus, ſed ſobriã ſemper, ac pudicam traduxit vitã, amauit ſpiritualiũ ſtudia literarũ, & publicum Eccleſiæ bonũ inſtituere ac promouere curabat. Cõgeſtas opes in pios tribuendas vſus conſtituit; ſed executores eius infideliter agũt. Inſuper dum in extremis ageret, gratiã veræ cõtritionis donauit ei Deus. Caueat tamẽ quilibet Prælatus, qui pluribus beneficijs, & pecunijs gaudet, ne hãc ſibi gratiã ſperet affuturã; ſciens quia priuilegia paucorũ non faciunt legẽ communẽ; nihilq; eſſe iniquius, q̃ amare pecuniã; & quod nihil ſit auaro ſceleſtius. Sciẽs quoq; quod qui pecunias habent, difficulter regnũ Dei conſequentur. Te igitur Reuerẽde Magiſter, qui inter executores huius viri ꝑcipuus electus es, oro atq; obteſtor, ꝑ eã fidẽ, q̃ hic in te eſſe arbitrabatur, vt omni repulſa dilatione, vltimã teſtatoris impleas volũtatẽ; ne in te ira Dei deſæuiat. vincit, fateor, affectio rationẽ, & veritate neminẽ palpãte, durius, ſcribo, quam volebã.

*Beneficiorum pluralitas periculoſa.*

Verum etiam me tacente tu ipſe noſti, quã ſit impium & periculo plenum, vota negligere teſtatoris. Omninò extra viſcera exulat charitatis, & omni eſt fraterno ſpoliatus amore, qui ſua negligentia, aut vecordia, miſeras amicorum ſuorũ animas in purgatorij flammis ardere permittit: cum dicat S. Pater Auguſtinus *nullæ vitæ præſentis ſupplicia, etiam ſi vniuerſa congerantur purgatorijs eſſe tormentis vllatenus coæquanda.* Hæc tecum ſapienter penſites velim, vt id agas ocyus in anima proximi, quod tibi in ſimilibus pœnis cuperes impendi. At nè te, mi Domine præſtantiſſime, videar præteriſſe, oro obnixè ſapientiã tuã (qui & nummis plurimis, ac beneficijs gaudes) ne ſimile te, aut certè grauiꝰ periculũ apprehẽdat. Nihil enim tibi proderũt diuitiæ, q̃ ſuũ poſſeſſorem à morte liberare non poſſunt. Noli igitur vanis ſpeciebus extolli; ſola eſt veritas, quæ liberat ab omni malo. Tuum eſt ergo à caducis, & fragilibus bonis mentem auertere, manſuris, & ſupernis opibus inhiare, ſpiritualibus epulis delectari; non humanis perditorum moribus, ſed Angelicis virtutibus conformari: iter alijs vita, & doctrina pandere ad cælum; pecunias non congerere, ſed inopibus, & miſeris erogare; paucis contentũ viuere, & ſẽper Chriſti ſermonis meminiſſe, qui ait; Diſcite à me, quia mitis ſũ, & humilis corde. Vale mi Domine, & dũ hæc publicaueris, caue, obſecro, ne nomẽ meũ ſeu perſonã alijs reueles.

XXXII. Hæc Dionyſius ad ſalutem publicam ſcripſit. Habebat præter hæc idem vir mirabilem, & valdè crebrã in raptibus gratiam. Nam ſæpè ad vocem citharæ, ac ſuaues cantilenas, inſtar Heliſæi ſurſum rapiebatur in Deum. Vnde cum tempore quodam Eccleſiam intraſſet S. Ioannis Euangeliſtæ in Buſcoducis, & organa dulcem illic luderent melodiam, vt facie, ita & mente mutatus eſt. Quod cernens venerãdus Abbas S. Martini in Colonia, qui iuxta erat, traxit eum ſeorſum in Capellam, & ſtatim à ſe deficiens totus tranſibat in Deum. Idem alio quoque tempore in choro accidit, dum ad receptionem Nouitij Conuentus caneret, vt mos habet, *Veni Sancte ſpiritus.* Nam ſtatim Dionyſius extrà ſe poſitus eſt, Fratribus interim cum Nouitio ad cellam euntibus, ſuaque deinde prandia petentibus, ſublatus in ſua cõtemplatione permanſit. Frequenter etiam viſus eſt in Choro ità in Deum abſorptus, vt Fratribus ad eleuationem Corporis Chriſti ſeſe proſternentibus, ipſe ſtans immobilis permaneret. Nemo tamen illum tangere præſumebat, licèt nullam faceret reuerentiam Venerabili Sacramento; ſcientes conſuetudinem contemplationis.

*Dæmones timent Dionyſiũ.*

Quantò aut dæmonibus fuerit terrori, vel ex hoc vnico exploratũ eſt. Frater Hermannus Lunenſis Monachus Ruremundanæ Domus, cũ vexaretur in cella à Spiritu maligno, frequenter intolerabiles ſpiritus ſtrepitus nocturno tẽpore concitans, fratris requiẽ perturbabat. Hinc tædio, & graui turbatione affectus, rogauit cum lachrymis Patrem Dionyſium, vt quia conſuetudinẽ haberet cum ſpiritibus dimicandi cellas inter ſe mutuo commutarent. Cui Sanctus Pater; Non eſt opus, *inquit*, ô fili; ſed vade, & dum redierit ad te ſpiritus, ſuas excitans tempeſtates, percute pugno duriter aſſeres Oratorij, & dicito, vade, ô maligne ad Fratrem Dionyſium, & me in pace dimitte. Quod cum ille feciſſet, malignus non vltrà redijt; & Dionyſius eundem illâ eadem nocte, in ſua cellà ſpiritum adeſſe perſenſit.

*Dionyſius magnus ſui contẽptor.*

Fuit autem hic Pater Dionyſius, ſi vitam eius conſideremus, vir contemptor ſui. Porrò ſicut is, qui amator eſt ſui, fuit contemptor Dei: ita qui contemptor eſt ſui, fit amator, & contemplator Dei. Hinc iam liquet aduertere, vnde tanta ſecretorum reuelatio, tanta in omni ſcientia & in ſcripturis ſacris cognitio prouenerit huic Patri: nimirùm de contemptu ſui. Quomodò autem ſeſe contempſerit, & incurius ſui fuerit: patet ex ſubditis. Nam cibos ſæpè edebat, quos limaces prægustauerant, & ſordium ſigna in ijs reliquerant. Hinc ſcribit miniſter ſuus, F. Carolus de Herck, illius Domus profeſſus, vir verax, & bonus, & qui ſua Dionyſio obſequia ſedulus impendebat, quòd fructus, & ceraſa, quæ limaces ſugendo corroſerant, manducaré non horruerit, imò in delicijs habuerit. Cumque Carolus inde eum argueret, reſpondit: nullum in cibo periculum eſſe, eò quòd horum venena vermium mortifera non ſunt. Sic guſtatos à limacibus fructus ipſe ſumebat. Halecem etiam cum nimiùm ſalſam edere non poſſet, iuſſit eam aquis dulcibus temperari, ac tunc ad aërem ſuſpendi: quam non antè edebat, quin putentiſſimum exhalaret odorem, & cellã ſuo fœtore inficeret. Prohibente autem miniſtro, nè halecem hanc manducaret, ſinite, ait: Malo eam fetentem quàm ſalſam guſtare. Tantus inerat illi feruor exercitij ſpiritualis, & labor infatigabilis ad ſtudia ſcripturarũ, ꝙ cibos ſuos ſæpè negligeret, & prandiũ in veſperum vſq; differret: & qui calidos, aptoſq; ſumere potuiſſet, frigidos ſerò ſumebat, & incõmodos. Quoties inſuper animum reuocabat à ſtudijs ſemper, illi erat pſalmus in ore. Dum ſurgeret, dùm ſeveſtiret, dũ iret, rediretque, dùm ſe aut lauaret, aut calefaceret, ſemper Domino pſallebat: ſollicitè præcauens, nè vel punctus temporis otioſe illum præteriret. In ſenio autem paululum ſcribendi laborem intermittens, animum traduxit ad ſuperna: quo Deum non iam in ſcripturis, quæ euacuabũtur, ſed in ſuis delicijs inueniret: & quia Deus amicos ſuos hic conſueuit aduerſitatibus, & corporis doloribus viſitare, hunc virũ paralyſi viſitauit, & calculi, ac veſicæ doloribꝰ, alijſq; infirmitatũ miſerijs; in quibus ſẽper & patientiã & gratitudinem exhibebat. Habebat etiam crura vlceribus corroſa: ob quorum curam, vel lotionem, numquam voluit à ſpirituali labore conquieſcere. Sed dum miniſter cruribus intenderet, & inter curandũ, ſeu ligãdũ grauiter eum, vt fit, ſæpiſſimæ læderet: ille veluti ad pœnas inſenſibilis eſſet, nũq̃ ſe retrahebat, numq̃ gemitũ edebat, ſed ſuæ ſcriptioni vel ſtudio ſolicitus incũbebat. Anno integro ante mortẽ, tria carmina decãtabat, multis ſẽper affluens gemitibus, & lachrymis. Hæc aũt carmina interpolatim cõcinebat. Primũ erat illud; quod canitur pro defunctis; *Requiem æternam dona eis Domine*: quo certiſſimè illo ſe anno cognouit moriturum. Aliud, *Maria vnxit pedes Ieſu*; quo ſperabat à Chriſto veniam ſe ſuorum peccaminum adepturum. Tertium; *Sancti, qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem*, quo fidebat cum Sanctis immortalem ſe fortitudinem conſecuturum. Paucis antequam moreretur diebus, cùm in die Sancti Thomæ de Aquino, Miſſam audiſſet, & de viuifico Chriſti corpore communicâſſet, reuerſus ad cellam dixit ſeruitori; Modò mi frater id tempus incipit impleri, quod dudum ante prædixi. Si iam amplius vixero, neceſſe erit, me de loco ad locum aliorũ manibus ferri, & ero fratribus oneroſus. Matura ingens mihi mors incumbit. Hæc vt dixit cibum omnem faſtidire cæpit, & vt ſcribit Carolus, parum aut nihil poſtea guſtauit. Creſcente verò indies ægritudine, in ipſo beatiſſimi Gregorij die, Dionyſius Doctor exſtaticus virtutũ, ac meritorum plenus mortem perdidit, & vitam inuenit, felici cum Chriſto pace donatus. Corpus eius, non ſine miraculis ab eo recenter editis, anno 1608. ipſo Diui Gregorij die, quo & obijt, inuentum, & effoſſum eſt, cum ſub ruderibus tot annis iacuiſſet.

*In Deum ſemper intentus.*

*Feliciter in Domino moritur.*

XXXIII. Aliquis Theologus neotericus, (cuius nomini parco, ne perſonã inſectari videar) præceps de Dionyſio tulit iudicium, qui ſuo in proœmio, ꝙ Malachię pꝛ̃fixit Prophetæ, non ſolùm Dionyſium negligẽtiæ, ſocordiæque arguit, ſed & Liranum, alioſque nonnullos diuinarum litterarum commentatores leui perſtringens brachio, quaſi in contemptum adducens, Lirani, *inquit*, moralis expoſitio, non placet doctis; ſubri-





*Neoterici Cuiuſdã de Dionyſio iudicium.*

lior mihi aliquanto videtur Cardinalis Hugonis; ſed breuior eſt, & ieiunior, Dionyſius Cartuſianus, qui feſtinatione, multa ſcribendi, nec in hiſtoriam, nec in allegoriam quidquam accuratius, aut politius attulit, ſed ex eis, quæ in Hieronymo, & in Lirano videbat, vel quæ properanti ſine labore occurrebant, in elaboratos dictauit Commentarios. Denique ex ijs, quæ vel noſtrâ, vel Patrum, aut etiam auorum memoriâ floruerunt, nomine habeo (quod meminerim) quem poſſim hoc quidem loco nominare. Hæc quidem ille: qui vt propria attolleret, aliena maluit deprimere, quam (quod ingenui eſt animi) per quos profecerit, agnoſcere. Porrò alij longè aliam de Dionyſio ferentes ſententiam, non iuuiri fatentur, eum in enotandis Sacrarum codicibus Scripturarum eximiam ſanè, ac ſedulam poſuiſſe operam. Vbi namque ſcriptura eſt obſcurior, aut ſenſus abſtruſior, (id quod in Prophetarum vaticinijs maximè vſu venit) ibi explicatiorem, fuſioremque adhibet interpretationem. Enimuerò familiare hoc illi vbique eſt, quò intellectu difficiliora occurrant, eadem accuratiore ſtudio reddere clariora, illuſtrioraq;; nec, vbi trepidant alij, in pleriſque ſcripturæ locis hærere. Ipſe namque quadruplici ferè vbiq; ſenſu (quod rari præſtitêre) ſacras ſcripturas elucidat. De hoc eximius, inſignisq; Coloniẽſis Acadamiæ Theologus, Ioãnes Romberghius, Kirſpẽſis, in diuinis litteris apprimè exercitatus, in epiſtolã Cõmentarijs Dionyſij Coloniæ anno 1531. editis in Pſalmos præfixa, huiuſcemodi antè cõplures annos protulit ſententiã: *Noueritis velim hæc ſuauiſſima Dionyſii ſcripta, quibus carmina diuini vatis clara interpretatione in omnẽ Scripturarum ſenſum enucleauit, nõ ſine oblectatione animi me legiſſe. Porro hoc mihi peculiare videntur habere, quod non modò intellectum inſtruant, & mores componant, ſed affectum vehementer inflamment. Quam enim ad pietatem, & deuotionem vltra omnigenam rerum Theologicarum ſcientiam valeat, vel is mihi teſtimonio erit, qui hac cæleſti ambroſia, & diuino nectare abſque vllo faſtidio ſatiatus fuerit. Is ſiquidem facile teſtabitur, in huiuſmodi Commentarijs, ſub cortice plus latentis energiæ eſſe, & ſecretorum myſteria & Sacramenta, quam primâ fronte in ſpeciem proferant.* Quinimo Thomas Bozius, vir re vera doctiſſimus, ac magni nominis Theologus, audacter pronunciat, Dionyſium Cartuſianum inter eminentiſſimos connumerandum Theologos, eſſeque inſtar omnium: quippe qui ſeptem vnus præſtitit, quæ ab vllo Catholicorum hucuſque præſtita non videmus. Primò namque inquit, in ſingulos diuinæ ſcripturæ libros erudita compoſuit Commentaria, quæ priſcis haud cedant. Secundo ſingulas quæſtiones ad Theologiam ſpectantes, argumentis in vtramque partem doctiſſimè propoſitis diſputans, Commentarijs editis in Sententiarum libros. Tertiò, quicquid pertinet ad excolendos mores omnium mortalium, cuiuſcumque illi ſint conditionis, ſexus, ac ſtatus, ſingulatim genera illorum diſtinguens, & informans, proprijs libris complexus eſt, Quartò, quæcumque pertinentia ad contemplationem cæleſtium rerum, varijs operibus eſt diligentiſſimè & latiſſimè perſecutus. Quintò, aduerſus Sarracenos, & alios quoſuis fidei hoſtes volumina ſpeciatim compoſuit. Sexto homilias, vt vocant, edidit in feſtos Sanctorum dies, Euangeliorumque occurrentium lectiones. Septimo, Apocalypſim dedit in lucem, quâ ſibi plurima diuinitus oſtenſa enarrat; & in his Germaniæ, Septentrioniſque, quem nunc lugemus, infeliciſſimum caſum. Quid igitur haud mirificè gloriatur Germania tanto viro, quantum ſanctimonia ſimul ornatum vix protulit vlla ætas, vlla gens, ab Orbis ipſius fabricatione? Hæc quidem Bozius, cumulans Dionyſium ampliſſimo ab eruditione; & ſanctitate præconio. Nicolaus quoq; Serrarius, editis in Tobiam Commentarijs de peruigili Dionyſij ſtudio, aſſiduoq; labore ſermonem inſtituens, Fuit, inquit, Patrũ memoriâ vir doctrina & ſanctitate præſtans, Dionyſius Rickelius: qui cum tã multa, quãta in ipſius operibus videmus, legeret, ſcriberet, parùm Carthuſiano dignã operari ſumere, ſuorum nonnullis videbatur. Quibus tñ ille tractatulo vnico reſpondet, multa in litterarũ bonarum ſtudio, & cultu commoda ineſſe; hæc tamẽ vnum maximũ, quod à carnis voluptatibus animum egregiè abſtrahant. Aubertus Miræus in ſuis virorum illuſtrium elogijs, hoc Dionyſio ſcripſit; Tot, tamque eximiæ virtutes nomen tuum Dionyſi commendãt, vt difficilius ſit in tuis laudibus exitum, quàm principium inuenire. Quid enim primùm in te mirer? Singularem nè vitæ Sanctimoniam, quâ Doctor apud omnes audis Exſtaticus? An ſolertem illam in illuſtrandis vniuerſis Sacræ Scripturę libris induſtriam, laboremque inexhauſtum, quo alter penè Dydimus Chalcenterus plura poſteritati legenda reliquiſti, quàm vt legere quidquam alienũ inter tot diurnas, nocturnaſque monaſticas exercitationes potuiſſe videaris: ac retrò plura legiſſe, quàm vt ſcribendi olim ſuppeditaret? An acerrimã illã, ac propè diuinam ingenij vim, mentiſq; aciẽ, quâ Dionyſiũ tuũ Areopagitã, obſcurũ aliis, atq; inexplicabilẽ commẽtãdo planiorẽ reddidiſti? Vincit nimirũ omnes labor, & ingenium &c.

*Aliorum melius ſẽtientium iudicia.*

Ergo alter meritò, ſuccenſa luce Promethus
Dixeris, hiſtoriæ, ſolque, iubarque ſacræ.

Arnoldus Boſtius Carmelita addebat: Dionyſius cõtemplator eximius, & ſcriptor vberrimus, in otio negotioſus, & in negotio otioſus eſſe didicerat. Hic omnes ſui ordinis profeſſores, in operum litterariam diligentiſſimè lucubratorum copioſa multitudine (eruditorum omnium aſſenſum) longiſſimè anteceſſit. Abſit inuidia dicto. ſed nec vel aliquem ſibi contemporaneum ei inter maxima patriæ religionis ætatis ornamenta iure numerando comparabilem puto; vt mirandum iure ſit; quonam pacto tanta percurrere, tanta intelligere, ac meminiſſe, & tàm latè manantia profundere potuerit flumina doctrinarum. Trithemius verò magis explicabat; Dionyſius Rickel de Lebis, Monachus Ordinis Carthuſiẽſis domus Bethleẽ Ruremundenſis in Gelria, vir in diuinis Scripturis ſtudioſiſſimus, & continua exercitatione probè doctus, ſecularis quoque philoſophiæ non ignarus, ingenio ſubtilis, ſermone ſcholaſticus, vita, & conuerſatione ſingulariter deuotus, adeò, vt etiam diuinis reuelationibus dignus ſit habitus, tot & tanta ſcripſit, vt numero voluminum apud Latinos (præter Auguſtinum) parem habuerit neminem: contemplationi verò, & orationi cum tanto feruore ſolebat inſiſtere, vt nihil vnquam ſcribere potuiſſe videretur. Rurſum tam continuus erat in ſtudio legendi, atque ſcribendi, vt eum nec orare, nec contemplari poſſe æſtimares. Somni parciſſimi erat, cibi & potus abſtinentiã admirabilis, qui Diui exemplo Hieronymi die, ac nocte in lege Domini meditari dulce iudicabat, ſemper aut legens, aut ſcribens aliquid vtile, ita vt lectionem oratio ſæpe interrumperet, & orationem lectio cõtinuaret. Iſta viri illuſtres de Dionyſio. quin & Romanę Sedis Antiſtes, ac totius Chriſtiani ouilis Paſtor Eugenius IV. quando librorum Dionyſij quando ſibi oblatum conſpexit, fertur dixiſſe; *Lætetur mater Eccleſia, quæ talem habet filium.*

*Carthuſia Coloniẽſis ſcripta Dionyſii edi curat.*

Porrò quòd huius exſtatici Doctoris ſcripta in lucem prodierint, Carthuſiæ Colonienſi, Diuæ Barbaræ in Vbijs Sacræ quã maximè debetur; vti ex carmine D. Laurentij Poin Nouiomagenſis, quod ſubiungimus, liquet. Hic enim Dionyſium à B. Barbara ſanctiſſimæ Dei Genitrici cum codice oblatum introducens, ità Lectorem inſtituit.

*Qui geniclatur humi, Doctor Dionyſius ille eſt*
*Cartuſiæ amplexus nomine, reque ſtatum.*
*Doctor, ab ecſtaſibus, quas pertulit ipſe frequentes*

*Haud ſanè immeritò dictus & Eſtaticus.*
*Sed quæ virgo ſuis geniclantem amplectitur vlnis,*
*A dextris, & cui myſtica turris adeſt?*
*Quæque volumen, vti meditans, oſtendit* IESV?
*Eſt* Cartuſiacæ *ſumma patrona Domus.*
*Agrippinatum celebri notiſſima in vrbe*
*Cui domui, primùm quòd datus Author hic eſt*
*In lucem, acceptum ſoli referatur oportet.*
*Hæc niſi enim egiſſet, fortè laterent adhuc.*

*Petrus Dorlandus lib.7. Chron. Cartuſiẽ. Theodorus Petræus in notis, & in Bibliotheca Carthuſiana. Trithemius de viris illuſtribus German. Ruſſridus Petri de Leodien. Epiſcopis, cap.33. in Ludouico Borbonio.*

XXXIV. *Vita, & obitus B. Iſaiæ Boner Auguſtiniani.*

Eodem anno in humanis eſſe deſijt, B. Iſaias Boner Auguſtinianus, S.T. profeſſor. Is Cracouiæ in Polonia, Floriano Bonero, & matre Broniſlaua Lãckoronslua, nobilibus, religioſis, & Eccleſiæ Catholicæ amantiſſimis parentibus natus, puerilem ætatem ſub eorum diſciplina poſuit. Annos adeptus, ſtudijs litterarum aptos, ad gremium Cracouiẽſis Academiæ cõceſſit, vt indolem præclara omnia, & diuina portendentẽ, apud illã bonarum artium, & virtutum altricem formaret: à cuius inſtitutione, vteres aliquando fructus Eccleſiæ daret. Neque in irritum cecidere eius deſideria: quibus correſponderunt, in diuinis inprimis addiſcendis literis ſedulitas, admirãda in apprehẽdendis celeritas, in explicãdis felicitas, in ſuadẽdis ijs, quę ad honeſtatem morum pertinent, mellifluа facundia; adeò vt nondum vir Theologicas laureas meruerit. Eam dignitatem cum nec faſtus, nec ocij occaſionem ſibi oblatam eſſe probè noſſet. ſed laboris, & meritorum, confeſtim animũ, varias in partes verſare cæpit; ſecumque meditari, quo in loco, quodue vitæ inſtitutum deligeret; vt in eo ad excolendam Dei Sabbaoth vineam, partem conatuum, cum frctu conferre poſſet. Erat id temporis apud Caſimiriam Cracouiæ contiguam, Religio Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, in exercitijs pietatis, & vitæ monaſticæ auſteritate ſanè laudabilis. Ad hanc ergo, velut ad certiſſimum anchoram conuolauit, & tyrocinio ſanctè tranſacto, votorum ſolenni profeſſione ſe illigauit, in cænobio S. Catharinæ. Quemadmodum autem fæcunda vitis in fertili ſolo plantata vberrimos fructus proferre conſueuit; ita Eſaias ad omnes virtutes natus, huic ſanctiori inſtituto inſertus, nõ degenerauit, ſed maior ſe indies fieri voluit; adeò, vt de illo diceretur, eum fuiſſe tamquam lignum plantatum ſecus decurſus aquarum ꝙ fructũ ſuũ daret in tempore ſuo. Mores enim atque vitam, ad præſcriptũ Regulæ & ſanctionum ita conformabat, vt omnibus ſpeculum, & exemplar omnibus numeris abſolutum eſſet: deuotione, frequentia diuinorum, & Sacramentorum, meditatione, & contemplatione rerum ſacrarum, in orationibus aſſiduus, in vigilijs perpetuus, in affligendo, mortificandoque corpore & ſenſibus indefeſſus, ieiunandi, quàm comedendi auidior; humicubationum, diſciplinarum, & aliorum pietatis exercitiorum cupientiſſimus; in mandatis Domini meditandis flagrantiſſimus; cui nulla cogitatio gratior, aut iucundior fuerit, quàm de cæleſtis patriæ felicitate, ad quam dies, noctéſque æſtuabat. Docendi munus à Superioribus impoſitum, cum non inuitus accepiſſet, ad reconditos Sacræ ſcripturæ ſenſus, ex doctrina Patrum interpretandos animum aduertit: quod dum faceret, & intellectum peruestigatione ſubtilium tanquam pabulo reficeret, non intermiſit pariter voluntatem ad amorem diuinorum inflammare. Vnde verba cæleſtia, ex ore illius, diuini ſpiritus flamma accenſo, tamquàm faculæ ardentes erumpebant: maximè quando oratione repetebat, qui primi parentis noſtri lapſus fuerit; in quantas ille calamitates vniuerſum genus humanum conicerit; & quomodo tanti facinoris ſupplicia ab homine remoueri nõ potuerint, niſi vnigenitus Dei Filius ex ſinu patris miſſus humanam naturam aſſumpſiſſet, laboribuſque exantlatis quamplurimis, & cruciatibus toleratis, mortem etiam æquè acerbam atq; ignominioſam in ligno crucis obijſſet, noſq; ab æternis cruciatibus liberaſſet. Ex hac occaſione vitæ, mortiſque Chriſti, Fratribus ingerebat, vt religionis ſuſceptæ meminiſſent, vt beneficiorum à Chriſto collatorum magnitudinem dies, noctéſque expenderent; vt vitam ſuam ſuo Redemptori conformarent; vt caſtitatem, paupertatem, & obedientiam, tamq; verè perfectionis trigam, quæ in cœlos veheret, amplecterentur, ac ſtudioſè retinerent. Quod dum verbis inculcaret, non minùs factis prælucebat, & Pauli Apoſtoli imitatione corpus ſuum caſtigabat, atque in ſeruitutem redigebat; ne fortè cum aliis prædicaret, ipſe reprobus efficeretur. Vnde cilicium ex ſetis equinis perpetuò geſtauit; ieiunijs continuatis corpus macerauit; dies, noctéſque in orationibus perſeuerauit, cupiditatibus domandis nullum inſtrumentum prætermiſit; vt poteſtates tenebrarũ, quibus cum illi colluctatio fuerat, quæ illi ſiue preces fundebat, ſiue meditabundus ſiſtebat, perſtrepebãt tantò faciliùs proſterneret. Nullibi autem frequentiùs orabat, quàm antè imaginem Diuæ Dei parentis, ſua cura, & piorum impenſis collocatam; vbi ſi quando in preces, & in ſpiritùs ardorem effunderetur, magna claritate circumfuſus à terra in aërem rapiebatur, quo in raptu carmen Eccleſiæ, *Aue Regina cælorum* cantare audiebatur. Nudipes ſæpiſſimè, etiam in hyemis algoribus, in templum veniebat, frigorumque immenſitatem præ amoris flagrantia minimè ſentiebat. Noctu, ſi quando ſomno premeretur, humi tantiſper cubabat, quoad membra defeſſa parumper reficeret. Pro his, qui mortalium peccatorum pondere depreſsi iacebant, præcipuè orabat. Conſuetudine, & familiaritate Sanctorum, quorum plures hoc tẽpore in diuerſis cœnobijs florebant, mirificè delectabatur, & ex eis virtutũ germina deſumebat. Corporibus Sanctorum, quæ in diuerſis Cracouiæ Eccleſijs recondita iacent, viſitãdis, qualibet hebdomada incumbebat. Fratribus aliqua ægritudine correptis, etiã vtiliſſima obſequia præſtabat. Ad domos pauperum, & afflictorum diuertere ſolitus, eoſdem ad patientiam, pœnitentiam, confeſſionem, & Euchariſtiæ vſum hortabatur. In eos, qui illius odio flagrabant, tanto amore fuit, vt ſæpius ad genua illorum procumbens, veniam deprecaretur, manus ac pedes illorum exoſculans, ac in hæc verba prorumpens; Ignoſce frater mihi peccatori, quia Deum meum, ac te fratrem meum grauiter offendi, votumq; Regulæ Sãcti Auguſtini Patris noſtri ſæpius ignorantia, & negligentia mea fregi. Cum his, & alijs pietatis operibus operam dediſſet, & in his etiam lucubrationibus intentus, doctiſſima in Quatruor ſententiarum libros Commentaria ad profectum aliorum, & ad confuſionem hæreticorum ſcripſiſſet, diſſolui cupiens, & eſſe cum Chriſto, mortis aduentum ſupplex optabat. Nõ diſtulit Dñs ſeruum ſuum ex hac valle miſeriæ eripere. Qui cum ægritudine correptus decumberet, Beatiſſimam Virginem MARIAM cætu Angelorum, & Diuorum Tutelarium numero ſtiparã, ad ſe veniẽtẽ aſpexit, & ad poſſeſſionem regni cæleſtis inuitantem audiuit. Quâ re recreatus, conuocatis Fratribus diem obitus indicauit, ac in terram procumbens, exomologeſi peracta, Sacra Euchariſtia p̃ſumpta, & alijs Sacramentis perceptis, vltimum illis valedixit, & benè precatus, eoſq; ad obſeruationem diſciplinæ regularis hortatus, poſt oſcula mutuò data, ac recepta, eleuatis in cælum oculis, & manibꝰ expanſis in his verbis. In manus tuas Domine IESV Chriſte fili Dei, & virginis MARIÆ, commendo ſpiritum meum, è corporeis clauſtris migrauit: cum priùs miraculis claruiſſet. Inter hæc, filium





Stanislai Ciuis Caſimitien. iam ad funus delatum, pòſt verba illa ad B. MARIAM Virginem antè imaginem illam fuſa. *Monſtra te eſſe matrem.* ad vitam reuocauit. Tumulum illius, ſæpius deſcendens lux cælitùs demiſſa, radijs ſuis illuſtrauit. In eo aliquæ mulieres parùm caſtæ conſiſtere volentes, diuinitus reiectæ ſunt, aliquando ſecuta ſunt miracula ingentia, quæ Deus ad preces illius patrare non deſtitit, in eis, qui morbis vel calamitatibus oppreſſi, ad eius ſepulturam conuolarunt. Extat *vita eius impreſſa Cracouiæ apud Baſilium Skalski M. DC. X. ex qua nos iſta eruimus.*

XXXV. *Item B. Matthæi Carrarienſis Dominicani.*

Non impar huic B. Matthæus Carrerius Mantuanus, Ordinẽ Prædicatorũ profeſſus, & ipſe quoq; inter ſuos, ſanctitate, virtutibus, meritis, doctrinâ nemini ſecundus. Tantâ puritate animi, vt de minimis quoque ſcrupulũ ſibi faceret; Tã inflãmato deſiderio ſalutis animarũ, vt nulli labori pepercerit, ſi quẽ poſſet ad honeſtã frugẽ reuocare. Miſſus à ſuperioribus ſuis in diuerſa Italiæ loca, ingentem quæſtũ animarũ fecit Soncinum Galliæ Ciſalpinæ à Generali Auribello ad reformandum cænobium deſtinatus, non ſolũ Fratres ſui ordinis, ad veterem diſciplinam reſtituit; verùm & popularium innumerabiles à flagitiorum cæno retraxit, ſanctèque viuere coëgit, adeò vt plurimi ex eis regularẽ vitam complexi fuerint, inq; eo inſtituto ſanctitatis ſpecimen inſigne ediderint. In his Luchinam quandam conuertit, & ſanctimoniæ regulis ad omnẽ perfectionẽ informauit. Alios, qui vel opibus, vel viribus pollerent, in remiſsionẽ peccatorũ Crucis ſigno armauit, piãq; contrà Turcas, & alios fidei hoſtes militiã ſuſcipere perſuaſit. Nauigabat aliquandò Piſas Etruriæ Genuâ dimiſſus, cum Deo permittente, in manus pyratarum, qui nauigiũ interceperant, venit. Vix ad conſpectum Archipyratę adductus fuit, quandò is ex ſolo aſpectu aliquid diuinũ in homine cõcipiens, illũ vnà cum ſocijs, liberũ abire iuſſit. Prehenſa fuerat in comitatu aliqua virgo, vnà cum matre vidua, & iam vtraque miſera in turpem ſeruitutẽ ducebatur; cùm Matthæus voce plorantium, opemq; poſcentium excitatus, in genua ad pedes Archipyratæ procumbens, integritatem, & libertatẽ vtriq; petere non diſtulit, ſeq;, & ſocios pro vtraq; in captiuitatem conijcere voluit. Cumque ille, ſatis Mattheo debere eſſe, ſi ipſe liber, & integer vnà cum ſocijs dimitteretur, identidem repeteret, neque captiuas liberare ſuſtineret; Matthæus, per ſanguinem, paſſionem, & mortem Saluatoris hominem conteſtans, non priùs plorandi finem fecit, quàm imploraſſet, quod flagitabat. Mouit Archipyratam viri Dei zelus, adeò, vt non tamen fœminas, verùm etiam reliquos captiuos in gratiam Matthei dimiſerit. Meditationi paſsionis IESV Chriſti aſſuetis, ſingulis diebus antè imaginem Cruci affixi proſternabatur, deprecans, aliquem guſtum ſibi eorum, quos in Cruce pertulit, dolorum impertiri, antequam ex humanis diſcederet. Exaudiuit Chriſtus, & aliquãdò orãti viſibilis apparuit, doloremq; incredibilem cordi eius impreſsit, vt, is quaſi mucrone cor ſibi configi, vel potiùs diffindi exiſtimarit. Exinde finem vitæ ſibi imminere Fratribus renunciauit; inter quorum ſuſpiria, & amplexus, perceptis ſacroſanctis myſterijs lætus mortem aſpexit. Vigleuani; vbi ſepultus, innumeris fulſit miraculis. Inter hæc nõ poſtremum iſtud narratur. Galeazius Sfortia Dux Mediolani, Stephano Comiti Placentino, tria caſtella, ſeu oppida rapuerat, cuſtodibuſq; corporis, & alijs propoſita mortis pœna prohibuerat, nè illum Vigleuanum, vel ad conſpectum ſuum admitterent. In tanta calamitate Stephanus Mattheo ſupplex fuit; illoque diuinitùs adiutore, nemine prorſùs prohibente, in caſtrum Vigleuanenſe ingreſſus, vſque ad conſpectum irati Ducis penetrauit, & ponentem iram aſpexit, fatentemque audiuit, ſibi quidem conſtitutum fuiſſe, non tantùm bonis illum exuere, ſed & vita priuare; cæterum ſe à virtute quadã diuina per miraculum prohiberi. Ità reſtitutis illi oppidis, confirmatiſque maiorum priuilegijs, voti compotem dimiſit Stephanum, Matthæo vitam, & facultates debentem. *Michaël. Pius lib.1. de viris Illuſtr. Ord. Præd. ex Leandri. lib.5. & Taëg op.1.*

XXXVI. *Quidam viri illuſtres ord. Minorum recenſentur.*

Per idem quoque temporis Religionem Minoritanam illuſtrarunt, Obſeruantes infraſcripti. F. Thomas Alamannus, prouinciæ S. Angeli Vicarius, in cuius ſacra facientis manibus, viſa eſt aliquando, diuina Euchariſtia in ſpecioſiſsimum puellum conuerti: homo ſanctitatis, & paupertatis diues F. Ludouicus de Latinis, Prouinciæ Ethruriæ Vicarius, qui leproſum quendam, iniecta ei propria tunica, perſanauit. F. Ioannes Lombardus, Beati Thomæ Florentini diſcipulus; cui aliquãdò Chriſtus lumine immenſo coruſcus apparens; & leproſum, quem is ad portam cænobij Montiſ-plani ſtipem frequentiùs mendicantem vacuũ repulerat oſtendens, duriùs increpauit: ſibique factum, quod is leproſo feciſſet, aſſeuerauit; atque ea ratione, ad maiorem ergà pauperes charitatem inflammauit. Is adhuc tyro in religione Minoritana, cum ſtudio literarum, pium vellet inſtitutum deſerere, & ad ſecularium Scholas redire: iamq; itineri ſeſe accingens, antè diuiniſsimum Euchariſtiæ Sacramentum proſtratus oraret, vocem audiuit cælitùs monentem; *Nè religionem receptam relinqueret, ſed in cellam rediret: futurum, vt quod in ſeculo magnis cum laboribus, & diſpendijs poſſet addiſcere, in cubiculo orans diuinitùs conſequeretur.* Impletum in ſe expertus, quòd inſolita vox edicebat, cum tãtum luminis ſcientiarum obtinuiſſet, quantum Diuino cultui, & ſaluti animarum curandæ ſatis eſſet; oranti, quonam in re potiſsimùm exercitari deberet, alia vox patefecit; *In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum eius.* Exindè ſibi deuotionis, & pietatis opera commendari intelligens, noctes quidem totas cultui diuino, orationibus, & meditationi rerum cæleſtium, dies verò integros charitatis, officijs impendit. Æqualis huic Antonius Stronconius, virginitatis illibatæ laude inſignis: de quo iſtud ſingulare narratur, quòd totis annis quadraginta, quibus in religione, vel ſtipem oſtiatim quæſiuit, vel miſericordiæ opera in pauperes exercuit, numquàm alicuius fœminæ vultum aſpexit. In conſuetudinem duxerat, millies ſingulis diebus genua in terram, in oratione ponere; omnia alia quæuis exercitia, diuinis officijs poſtponere; ſacroſanctoque Miſſæ ſacrificio plurima lumina accendere. Vnde aliquandò Chriſtus illi apparens dixit: *Miſſam ſuam illuminatam multum ſibi placere.* Quod cum is audiſſet, tantò plures candelas accenſas ſacris altaribus imponebat, præſertim verò diebus ſolemnioribus Chriſti, ac Diuæ Deiparentis, quantò id eſſe placitum authori luminis certò certius cognoſceret. meruit, vt poſt mortem ſuper ſepulturam ſuam lux cæleſtis apparuerit, quam dum nouennis puer Liberator, ignarus, ecqua eſſet, extinguere conaretur, quò magis nitebatur, eò amplius amplificabatur. Meruit & iſtud aliud virginitatis conſeruatæ inſigne, vt in manu exhumati illius, roſam purpuraſcentem diuinitùs inditam Fratres repererint. Prophetiæ ſpiritu multa prædixiſſe, & gratia curationum multa miracula edidiſſe memorant, qui vitam illius ſcripſerunt. Non minor Stronconio alter Antonius, cognomento Eſcocellus, patria Amaltheus, aliquandò inter Minoritas Conuentuales Venetijs profeſſus, qui cùm Magiſtrum ſuum, proprietatis vitio notatum, morte horrenda extingui: ac poſt mortem in ſpecie execranda, ſibi apparentem aſpexiſſet, ad Obſeruantes tranſitione facta, tantum in ſanctitate profecit, vt ſolo Crucis ſigno, ægros corporis

perſanaret, & verbo doctrinæ plurimos à peccatorum nexibus ſolutos, ad meliorem frugem traduceret. His non inferiores, Bartholomeus Caſtaneus, Maioricenſium Monaſteriorum conditor, qui calamitates Chriſtianæ reipublicæ à Turcis illatas longè antè prædixit: Anaſtaſius Mediolanenſis, qui dæmonio in varias figuras ſe transformanti, ſeque tentanti, & aliquando in ſpecie fæminæ ignem ad portam cænobij poſtulantis ſibi apparenti, prunas ardentes in vola manus nuda, citra noxam detulit, inque faciem coniecit, dicens; *Accipe dæmon infernalis.* Die integro, quo in cælos emigratus erat, ſuprà cænobium, ſtella lucidiſſima radios innumerabiles eiaculans, inſtar ſolis fulgentiſſimi luxit, donec Angeli animam de terrenis ad cæleſtia efferrent. Hos ſequitur Dominicus Florentinus, gente Caſtiglioneus, perfectionis exemplar; quo animam agente, puella quædam in eodem Vaſti oppido, vbi ille in Monaſterio decumbebat, domi ſuæ in extremis quoq; poſita, longè trāſitum illius diuinitùs cognouit; cumq; altiore voce, vt ab omnibus domeſticis audiretur, *Pater expecta me*, conclamâſſet; ac percontantibus quidnam iſtud eſſet, Dominicum Caſtiglionem in cælum ferri renunciâſſet, puriſſimam & ipſa quoque animam emiſit.

Non minores ſuperioribus, Iacobus Caëtanus, Petrus Francus, Chriſtoferus Cribellus Mediolanēſis, Ioannes Bonuiſius Lucenſis, & alij, ſanctitate, doctrinâ, eloquentia, dono miraculorum vel propheriæ Illuſtres: quibus hypocritæ vel id temperis nonnulli ſe adnumerare, cumque vel proprio ſenſu laborarent, vel ſpeciem tamen pietatis præſeferrent, æquare præſumebant; adeò vt neceſſè habuerint Patres Minoritani, Mechliniæ, octauò, in Comitijs Generalibus congregati, ſub pæna carceris prohiberi; nè quiſpiam Fratrum auderet, reuelationes, quaſi ſibi diuinitùs factas, aut viſiones quaſi cælitùs oſtenſas publicare; cum ea res illuſioni, atque deceptioni proxima ſit; cùm Angelus Sathanæ ſe ſæpiſſimè transfiguret in Angelum lucis; & cum ſancti Patres verè à Deo illuminati, eiuſmodi apocalypſes, & gratias gratis datas potiùs occultarint, quàm propalarint. Indidem cenſuram grauem ſanxerunt, contrà quamuis doctrinam, à quocumque Fratre ſui Ordinis ſcriptam, & diuulgatam, ſine authoritate, & licentia ſuperiorum. *Marcus Vlyſſipon. hiſt. Seraphicæ p. 3. c. 22. & ſeqq.* Neſcio, an Amadei Maneſij Luſitani Apocalypſim tangebant. Caietanus enim Cardinalis, in Commentarijs ſuper quæſtionem 174. 22. art. 6. S. Thomæ Aquinatis, circa reſponſionem ad tertium argumentum, ad illa verba S. Doctoris, *Singulis temporibus non defuerunt aliqui, prophetiæ ſpiritum habentes, non quidem ad nouam doctrinam fidei depromendam; ſed ad humanorum actuum directionem*, monebat; Nota, *inquit*, benè contrà nouos Prophetas, & ſpecialiter quendam Amadeum, qui, vt aiunt, librum edidit, nouam doctrinam eorum, quæ ad fidei Chriſtianæ myſteria ſpectant introducere conantes, & ſuos ſequaces, ac ſimiles. Omnes enim tales hic damnantur ab authore, cum dicitur. Non defuerunt &c. Non dicit, non quidem ad nouam fidem, ſed ad nouam doctrinam fidei; ita quod non ſolùm nouam fidem depromentes, qui etiamſi Angeli de cælo eſſent, excommunicati ſunt à Paulo Apoſtolo, ſed nouam doctrinam fidei afferentes, procul ab Eccleſia & Prophetis ſunt; ſicut ſi docerent, alium eſſe oportere ritum Sacramentorum, ab illo, quem communiter Eccleſia ſeruat; aut ſi alia Euangelijs, aut ſacræ ſcripturæ apponerent, tanquam ſacræ ſcripturæ partem: aut ſi aliquos actus ſecundùm fidei doctrinam illicitos dicerent licitos; aut aliquid huiuſmodi, quæ fidei Chriſtianæ doctrina abhorret: ſiue quia directè fidei contrariantur; ſiue quia ex conſequenti fidei aduerſantur: vt illi, qui fatentur, ſe noſſe Deum, factis autem negant, Deo contrariantur. Iſta Caietanus de nouis Prophetis occaſione Amadei.

XXXVII. *Amadeus Ord. Minorum, quis, & qualis.*

Marcus Vliſſiponenſis Epiſcopus Portugallenſis, in eodem contextu, varia de eodem Amadeo hoc anno ſuperſtite ſcripſit. Ioannem Meneſium (*Petrum alij dicunt*) primò nominatum, nobili familiâ ortum, & in aula Luſitaniæ Regis Eduardi gratioſum, amoribuſque, & illecebris irretitum affirmat: qui conſuetudine aliquarum pellectus, Eleonoram Friderico Imperatori nupturam, in Italiam ſecutus fuerit, ibidemque diuino radio illuſtratus, mundi vanitate perſpectâ, ab illius laqueis, quibus irretitus vixerat ſeſe explicauerit, & religionem profiteri voluerit: ferè oblitus eorum, quæ paulò ſuperiùs aſſeruit: illum in Luſitania inter eremitas Hieronymianos ſanctè vixiſſe: ſemel à Sancto Franciſco, iterum à Chriſto, tertiò à Diua Deiparente apparentibus admonitum in Italiam veniſſe: Aſſiſij habitum Minorum Conuentualium à Miniſtro Generali delatum induiſſe: inter laicos profeſſum, Æditum in operis vilioribus ſummâ ſimplicitate, puritate, & demiſſione iuuaſſe. Addit de eodem Marcus, quod Aſſiſij profeſſus, Eccleſia pro cella vtebatur. Inde fama ſanctitatis eius vulgata, à Franciſco Sfortia Duce Mediolanum euocatus, cum illi prolem maſculam impetraſſet, aream quandam pro ædificando Cænobio ab eo obtinuit, illudque ſub inuocatione S. MARIAE Pacis extruxit: indidemque nouam Congregationem Amadeorum, qui regulam S. Franciſci arctiùs ſeruarent, laicus inſtituit. Inde Romam à Sixto IIII. Pontifice inuitatus, illiuſque authoritate, Sacerdotio initiatus, illi à ſacris confeſſionibus fuit, & ab eodem Eccleſiam S. Petri in extremo Ianiculo (montem aureum, vbi S. Petrus cruci affixus pependerat, appellant) pro Minoritana familiâ accepit: vbi rara abſtinentia viuens, multa ſanctitatis indicia dedit, & in quodam antro Apocalypſim ſuam ſcripſit, in qua plurima de ſtatu Eccleſiæ Romanæ, de Pontifice Angelico (Sixtum IIII. volunt indicari) de mutatione Religionis, Regnorum, & Principum prænunciauerit: quem tamen librū plurimi, ſuis adinuentionibus, & figmentis poſteà excogitatis infarſerint, auxerint, & alium fecerint: ità vt non videatur eſſe amplius Amadei, ſed illorum, qui calamum appoſuerunt, multa ex ſuo impoſuerunt, atque vitiarunt. Hæc Marcus ſcriptor domeſticus, de ſuo Amadeo. *parte. 3. lib. 6. c. 30.*

XXXVIII.

*Antonius etiā Vaſconcellius*, hæc de Amadeo, ſatis elaborato ſtylo reliquit: quorū iudicium Lectori attentiori relinquo. B. Amadeus, ſecundo genitus loco à Roderico Gomeſio Syluio, Præfecto arcium Campi maioris, & Ouguellæ; & Iſabella Meneſia, quę patrem habuit Petrum Meneſium, Comitē Viannæ & primū ſeptæ Ducem, Villaregellen domus auctorem, fratrēque Didaci Syluij, primi Comitis Portalegienſis, ſub quo pædagogo bullam ſuſpendit Rex Emmanuel Ioannes ille à matris cognomine, Meneſius dicebatur, & furtiuos aliquos amores alebat, quorum cauſa in Italiā ſeceſſit, ea tempeſtate, qua Eleonara Eduardi Luſitani filia, Federici III. Imperatoris iugali thalamo vxor data, cùm eodem Romæ coronata fuit. Hic Ioanni diuina lux affulſit, eumque in agnitionem fucatæ, & labentis gloriæ induxit. Ergo rebus nuntiū remittens, ſed veteres amores non omnino delens ex animo, ſe dici voluit Amatorem: Franciſcani tamen, quorum probauit inſtitutum, vocabuli corruptione,





vel ex veritatis expreſſione Amadeum nominârunt. Sic enim ſe totum in Dei amorem tranſtulit ex aſſiduo orationis vſu, vt in ſummam perfectionem conſcenderit, & ſuperioribus annuentibus vitam ſolitariam coluerit, impetrato à Summo Pontifice, ſacello propè Vaticanum, quod nomen habet à Diuo Petro Montorio, vbi fama cōſtans eſt, caput Apoſtolorum Principi auulſum. Hic cæleſtem, & ſumma aſperitate conſtrictam, per multos annos vitam exegit, ob quam & Summo Pontifici charus, & Purpureorum patrum Senatui venerabilis habebatur. Multis à Deo reuelationibus fuit illuſtratus, quæ in volumen non exiguum Latino ſermone concinnatum compulſæ fuerunt; ſed is impiorum hominum artificio adulteratus, primam illam authoritatem amiſit. Obijt tandem miræ ſanctitatis exiſtimatione, Mediolani, vbi ſitus, multis pòſt mortem miraculis claruit, & velut vnus ex cælitum numero ſuſpicitur, & ad impetranda Dei beneficia euocatur. Iſta *Vaſconcellius in deſcriptione Regni Luſitaniæ de Amadeo.* Sed quàm ſibiipſi, quàm alijs conſona alij cenſuerint. Sanè, vt alia omiſerim, quod de obitu Amadei ſcripſit; ipſi Minoritæ Obſeruantes, qui Romæ ad S. Petri Montorij ædes inhabitant, impugnare videntur: dum apud ſuam Eccleſiam, ſepulchrum illius oſtendunt: vbi neq; vlla miracula, neque aliqua inuocatio, neque tanta ſanctitatis, quanta Vaſconcellius memorat, indicia.

XXXIX.

Sed hæc alij diſpiciant. De Apocalypſis volumine Lectores, qui ſtyli æqualitatem, argumenti thema, tractationis ordinem, & modum, narrationum non interruptam, neque hiantem ſeriem obſeruârunt, & exempla recentiora cum antiquiſſimis, & ferè ipſis autographis, in Bibliothecis, Vaticanâ, Altempſianâ, Sfortianâ, Auguſtinianâ, Eſcurialenſi, & alijs contulerunt, ouum ouo ſimilius non repererunt, præ identitate exemplarium Apocalypſis Amadeianæ, ex qua hæc digna nota exceperunt: & in tres claſſes diſtributa, orbi repræſentare voluerunt; vt oſtenderent Authorem quidem ſiue temeratorem libri, fuiſſe inſignem hæreticum, pſeudoprophetam, atque impoſtorem; librum verò digniſſimum, qui flammis cremetur, publico iudicio.

*Recenſentur aliqua, quæ in illius Apocalypſi, nota cenſentur digna.*

1. Hæreticum inprimis renunciant, quòd nouam Apocalypſim mentitus, ſacrumq; titulum ex libro Canonico ſuffuratus, omnia, quæ in eam congerit, falſa, apocrypha, atq; ridicula, multa hæretica, atque erronea, alia incerta, & ex proprio cerebro deprompta, omnia, ea inquam, tanquam de fide Catholicâ proponit; ſæpe ſæpiùs aſſeuerans, ſibi ea à Gabriele Archangelo cælitùs eſſe tradita ad ſcribendum, vt à futuro Summo Pontifice (quem ſomniat) in Canonem referantur. Vnde prima hæreſis eſt, Librum, falſa, & hęretica continentem Canonicum, ſiue canonizandum aſſerere. hæc *ex Raptu* 1. demonſtrarunt.
2. Quòd reuelata ſibi ea omnia à Deo affirmet; vel potiùs blaſphemet; adiuncta cauſali; *quia*, inquit, *voluntas Dei eſt, vt multa vana, & ſuperflua de fide ſua reſecentur. Raptu primo.*
3. Quòd cùm Apollinari hæreſiarcha, Animā Chriſti Deitatem fuiſſe ſubdubiter, & futuro Paſtori decidendum relinquat; cum tamen iſtud commentum iam à multis ſeculis fuerit exploſum. *Raptu* 2.
4. Quòd multò plura annorū milliaria, quàm Sacræ Geneſis ſcriptor, ab Orbe condito ad diluuium vſque, & deinceps numeret: fingens Geneſis ſcriptorem, hominum generationes enumerantem, frequentiùs ab atauis in pronepotes tranſiliiſſe, adeoq; multas annorum centurias prætermiſiſſe. *Raptu* 3. & 5.
5. Eodem *Raptu* 5. affirmat, per peccatum Adæ nullum malum filijs illatum eſſe, ſed repoſitos duntaxat in terminis naturalibus.
6. Ibidem, prædeſtinationem ex meritis prçuiſis ſub conditione, & contingētia docet: ita vt ſolā prçſcientiā reſpectu Saluādorū, imò nè hanc quidē omninò agnoſcit: cùm non abſolutè prædeſtinari homines, contrà Apoſtoli ſententiam affirmat.
7. Alios præter Chriſtum, & Virginem Matrem à peccato originali præſeruatos, imò antè Conceptionem ſanctificatos, idq; ex meritis parentum, & aliorum iuſtorum lachrymis conſtituit. *Raptu* 4.
8. Cùm iniuriâ, & coarctatione diuinæ Omnipotentiæ aſſerit, ad perfectionem vniuerſi pertinere, vt omnis poſſibilis coniugatio producta in eo reperiatur. *Raptu*. 5.
9. Fingit, Chriſtum duodennem ad cælos aſcendiſſe, & ibi pro diſcipulis cæleſtes manſiones ædificaſſe: poſtmodum anno 15. Tyberij Cæſaris in terras deſcendiſſe. de quo licèt conſtituat Angelos opinatores, & poſtea reuocet in problema opinabile; tamen aſſerit, & prophetat, iſtud decidendum à futuro Pontifice. *Raptu* 5.
10. *Raptu* 6. in diuiniſſimo Euchariſtiæ Sacramento, aliud corpus ſimul cum Chriſti corpore conſtituit, quod vel ad exoletam philoſophiam, vel ad raptum pertinet.
11. Ibidem, laicos poſſe fortè Euchariſtiam conficere inſinuat, cum ait; Neminem quantumuis iuſtum conficere poſſe ORDINARIAE, niſi ſit Sacerdos. vbi τὸ *ordinariè* indicat, poſſe iuſtum non Sacerdotem, extraordinariè conficere.
12. Ibidem affirmat, Euchariſtiam ſemel traiectam in ſtomachum, non verò intra os, aut pectus, incipere eſſe panem, panis ſubſtantia redeunte, & corpore Chriſti abeunte.
13. Ibidem. Non conſecraſſe Chriſtum illis verbis, Hoc eſt corpus meum; ſed iſtis: *Vertatur panis terreſtris in panem cæleſtem, & cibus corporis, in cibum ſpiritus.* & hoc inſinuatum ab Euangeliſtis in verbo, benedixit.
14. Euangelicos Sacerdotes non conficere verbis, quibus Chriſtus confecit; quia non decet miniſtros: nec etiam verbis præſcriptis, Hoc eſt corpus meum, conſecrare poſſe, niſi præfatione adhibita, qua conſtet, in perſona Chriſti loqui. *Raptu* 6.
15. Vſum Græcum, de communione laica ſub vtraque ſpecie, anteponit Latino; ad iniuriam Romanæ Eccleſiæ. *ibidem.*
16. *Raptu* 15. Omnes Patres, atque Theologos carpit, affirmans ſibi ſoli reuelatum eſſe Trinitatis arcanum, vt vix alius, inquit, futurus ſit, qui ſciat determinare, quid eſt, qualiterue tenendum, atq; credendum ſit.
17. *Ibidem* nouo commento, perſonas relatione, aut origine conſtitui negat, ſed ſola Deitate, prout æquiualet rei abſolutæ.
18. *Ibidem*, in Trinitate, contrà vnanimem SS. Patrum Theologiam, numerat XXX. notiones.

Pſeudoprophetam deinde illum ipſum eſſe oſtēdebant, quòd multa ſigna, atque portenta, quę numquā poſtea contigerunt, falſus ſomniator, ſeu nugarum, & mendaciorum conſarcionator prænunciauerit. ſcilicet; venturum Pontificem, quem millies prędicit, cunctis retrò Paſtoribus præſtantiorem, hunc iam cum Fratribus Minoribus ſuo tempore viuentē, ſibi in viſione oſtenſum, & ex facie notum; in Canonem hanc Apocalypſim relaturum: multa ex Cathedra Petri deciſurum: additurum Pſalmos, quos ipſe ſibi cælitùs demiſſos mentitus eſt: aſſuturum Euangelio hiſtoriam de *Mariæ* aſſumptione, Lucæ nomine traditam. Item, vſum calicis permittendum, ſeu concedendū laicis: nouas ſolennitates inſtituendas: multorum Sanctorum nomina, in ſacrum Miſſæ canonē reponenda: Omnium Apoſtolorū Octauas, prçcipuū Magdalenæ cultum, nouam deſponſandi ſolennitatē, ieiunij interpolationē in feſto Annunciationis introducēdā: Euangeliū, *In principio erat Verbum*, loco legationis Angelicæ ſubſtituendum, tēporibus & authoritate eiuſdē Angelici Pontificis. Itē Genuenſes

crebrò dominos mutaturos,& in perpetuum ſub dominio futuros. Multa prætereà de familia Vicecomitum, de Rege liliorum, deq; republica Venetâ: quæ falſa fuiſſe tempus declarauit.

Impoſtorem prætereà demonſtrabant, quòd placita Scholaſtica ſibi reuelata aſſerat, quæ & ſi non omnia fidei repugnent, multa tamen communibus ſententijs aduerſantur, nec digna ſunt reuelatione ſcilicet.

XL. *Item alia communibus Theologorum placitis aduerſãtia, nec reuelatione digna.*

1. Septem Angelos eiuſdem naturæ, & ſpeciei, quâ Deus perfectiorem perducere non poteſt, cunctis, prælatos Angelis & hominibus, citrà Chriſtum, & Matrem, quorum nomina, Michaël, Gabriël, & Raphaël ex ſacris litteris; Vrielis, ex Eſdræ Apocryphis; cætera, Salthielis, Barchielis, & Græco-hebraici Euchidielis, ex Cabaliſtarum inſomnijs, vel ex proprio cerebro mentitur.

2. Omnes Angelos productos per multa ſecula intelligibilia, ante omnem diem ſex dierum, aduersùs communem huius temporis ſententiam. hos ipſos coæuos terrę, ideſt primæ materiæ facit; hancque per omnia hæc ſecula informem perſeuerâſſe.

3. Chaos Poëticum verum inducens.

4. *In principio*, nouus interpres Angeli ore commentatur, hoc eſt, *ante omnem diem*, & ideò dictum aſſerit; dies ſeculi quis connumerabit?

5. Solem ex luce creatum primo die; Lunam, & ſtellas quarto.

6. Angelos, non paruis, & breuibus morulis (ita loquitur) ſed multis temporibus viatores fuiſſe, habuiſſe tunc temporis cognitionem Dei per impreſſam à principio illius ſimilitudinem; & non videntes eum beatos tamen fuiſſe.

7. Non habere diuerſas rerum ſpecies, ſed omnes, vna, & eadem Dei ſimilitudine ipſum, & cætera omnia cognoſcere.

8. Decertationem Angelorum tempore non paruo duraſſe.

9. Deum multifariàm hortatum eſſe Luciferum, vt inceptis deſiſteret; expectaſſe conuerſionem eius, vt qui poſſet ante caſum conuerti.

10. Concupiſſe Luciferum, vt eſſet Deus, quomodò nunc homo Deus eſt.

11. Nolente Lucifero reſipiſcere, diuiſiſſe Deum, lucem à tenebris, & occaſione caſus Angelorum mundum condidiſſe corporeum, ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, qui ſit imago aliquomodo, & ſimilitudo noſtra.

12. Primam mulieris tentationem fuiſſe interiorem, & occultam.

13. Pluribus diebus, & vicibus ſtuduiſſe Diabolum mulieris mentem peruertere.

14. Hominem vſq; ad quintam mulieris perſuaſionem fortiter reſtitiſſe; quinta attentè audire cæpiſſe; ſexta demum plenè conſenſiſſe; iratum Deum, non minùs contra excuſationem primorum parentum, quàm in peccatum, præcepiſſe omnibus Angelis, vt expellerent eos è paradiſo. & hæc quidem *Raptu* 1. & 2.

15. Haud ſanior in tertio, ceu grande quiddam vulgat. Deum nullo animali interfecto, ſed potentia ſua feciſſe Adæ, & vxori illius tunicas pelliceas.

16. Mundum conditum, exiſtente Sole in puncto Arietis, exploſis, vt ita loquar, autũnalibus Theologis.

17. Adamum ſexta conditum die extrà paradiſum ſtetiſſe; Sabbato meditationibus vacaſſe; Dominica inſequente tranſlatum in paradiſum, & ex coſta formatam viraginem. Statuiſſe vtrumq; (vtique Tobiæ, & Annæ exemplo) abſtinere coitu per triduũ. tertia ab hinc die elatam mulierem, conſenſum præſtitiſſe ſerpenti, inſumpſiſſe reliquum temporis in demulcendo viro, vſque ad creationis Octauam, quà ambo paradyſo expulſi. Addit pænituiſſe illum, & interſerit ex Angelica ipſius Theologia, pænitentiam fructiferã non ſufficere dolere de commiſſis, ſed oportere, vt ibi gratia Dei interſit, ad hoc, ꝙ Deus dolorẽ illũ acceptet, ꝙ quo ſẽſu ꝓferret, clari⁹ edixerit illi Gabriël, 4 *Raptu*, forſan ille idẽ, qui Mahometo ſcribit' locut⁹.

18. Eodem raptu dicit. Nulla operatio in ſe conſiderata eſt digna ęterno pręmio; ipſe tñ ſua benignitate, ſuaq; gratia fecit & inſtituit, vt illa, q̃ non ſunt digna, fierẽt digna. Nõ ergo cõmuniter ſaluantur homines ſine proprijs meritis; illa tamẽ merita non ſunt ex ſua natura, merita, ſed ex diuina ordinatione. Sicut enim vos æſtimationem tribuitis nummis veſtris, ita Deus actionibus, & operibus veſtris.

19. Ibidem dicit, nullum fore damnandum, Adamo non peccante.

20. *Raptu quinto*, non tantùm delirat, ſed furit; & dum vaticinatur de futuro, quem toties necquicq̃ pollicetur, paſtore tanta inſipientia, vt tẽpus ipſius Pontificatûs futurum dicat, nuptiarum Agni, à ſanctis tantoperè deſideratum, quo Deus velit iterum humano generi mereri, tangens Sũmum ſacerdotem ſui tẽporis, in patrem inuehitur amens, & Sũmo Pontifici maledicens, vocat illum, multorum bonorum, ſed & malorum auctorem, quem aliàs multum bibiſſe de Chriſti ſanguine ait, & pro diſputatione balbutiente, quæ nihil erat, reſpectu eorum, quæ ſibi reuelata fuerant, primam dignitatem accepiſſe. Indè futura prædicens, ſucceſſurum in Romana Sede, quem creauerat Sixtus ipſe, nec calidum in bono, nec frigidum in malo. Ità Innocentium cenſet. Tangit poſtea Alexandrum, quem ità deſcribit; Veniet pòſt illum bos cornupeta, taurus, non bos, Simon Magus &c. Bouem pro gente dixit, cùm is eſſet ex clariſſima Borgiarum ſtyrpe, cui ſtemma auitum, bos eſt.

Tranſit deinde ad alia cęlitùs ſibi detecta dogmata, & communem prædeſtinationem ſtatuens, conditionatam, antè obitum; ſolùm in Virgine abſolutã agnoſcit. Inde Theologos taxat, ponentes in Virgine fomitem ſopitum, & extinctum pro tempore. Decretum ſtatuit de aduentu Chriſti, etiam peccato non ſtante. Mortẽ Virginis, nõ ex lege, ſed ad ſuam, & noſtram vtilitatem decretam. Eandem à pacto cum Adamo excludit, ſic vt cæteris ſeruaturus eſſet originalem iuſtitiam, conditione exhibita, ſi non caperet vetitum pomum: Sanctę autem Virgini abſq; vlla conditione ſeruaret, etiam delinquens. Ad eam dum concipienda eſſet, aduolaſſe Angelos, & tota nocte adſtitiſſe teſtes: quibus videntibus mundiſſimum ſemen Ioachim transfuſum ſit in Annæ vterum, ſanguine ipſius, puriore, & perfectiore illorum miniſterio primùm ſegregato; compactum poſteà Virgineum corpus humanum, & perfectum, non in inſtanti vt Chriſti; nec expectato tempore, quantum pro alijs, ſed ſex horis, vel circiter. Adoleuiſſe virginem, ſcientia infuſa extunc imbutam, ad quam contuliſſe dicatur in Euangelijs Chriſti myſteria, experientiam ſcilicet cum reuelationibus componens, & Deum ſpecie, vel ſimilitudine concreata (ſicut nos, inquit Gabriël) cognouiſſe: quaſi ſine dolore matris vtero egreſſam; adeò, vt cum *Mariam* Anna pareret, nullum, vel paruum, Eliſabeth paulò maiorem, communi tamen longè minorem dolorem ſenſerint. Nihil turpius hominem facere, quàm cum intrà ſeipſum trahit carnes animalium mortuas, vt veluti in ſepulchro marceſcant, atque ità turpiorem eſſe comeſtionem purgatione veneris. Fruſtrà nos altercari cum ſanctis Doctoribus alijs in viſione, alijs in fruitione beatitudinem conſtitutam aſſerentibus. Chriſtum pòſt reſurrectionem comediſſe, non ſolùm traijciendo ad interiora, ſed etiam digerendo, & aliquantulum cibi pariter in ſe conuertendo, quod licèt parua acceſſerit carnis portio, parum tamen pro nihilo computandum, non officiat glorioſi corporis immutabilitati.





abilitati. Beatos in patria comeſturos, ſi voluerint; non tamen id facturos, quòd turpiſſimum ſit exercitium. Duas Magdalenas fuiſſe, ambas Chriſti vnctrices; & Propheta, eodem die, promiſcuè tamen, vt Petrus, & Paulus celebrandas fore, promiſſi edicto Põtificis duplici; & poſitâ opinione de abitu Chriſti in cælum ab anno 13. ad 30. ait Angelus, id decidendum à promiſſo paſtore, nec ſe velle decidere: etſi ex ſerie verborum ſatis colligi poſſit, vtri magis adhæreat.

Eodẽ raptu proponit talia, quæ ſi vera eſſent, dediſcenda foret nobis omnis Philoſophia, atq; Theologia. Scilicet. Infuſos Chriſto omnes habitus in ſummo, & gratiam cum charitate (quas Scoticè eundem eſſe habitum definit) tantam, quantam à Deo dari potuit. Non enim verum eſſe, quod apud nos dicitur; Quocumq; finito dato, poſſe aliud maius dari. Falſum eſſe, vt Angelorum intellectus, & voluntas, ſint alterius rationis à noſtris; aut quòd pro diuerſitate naturarum, diuerſæ ſint potentiæ. Vnitam eſſe animam Chriſti carnibus, & oſſibus, quaſi præexiſtentibus, nihil corrumpendo, ſed vitam addendo: carnem proindè humanam eſſe aliud ab anima, neq; eſſe carnem per animam. Multos Angelorum incarnationi adſtitiſſe intra domunculæ parietes, & extra per ſpatium duorum, vel trium ſtadiorum. Legatos nunciãdæ Incarnationi tres Angelos; mentionem Gabriëlis factam, tamquã nobilioris cæteris. Ioannẽ in vtero rationis compotem, non modò exultaſſe, ſed flexiſſe genua in Chriſti aduentu, & Angelica linguâ panxiſſe canticum Chariſterion, ſuo tempore ſcripturis Canonicis inſerendum: *Mariam* inſuper ſanctiſſimam eadem adlocutum linguâ, & cum ipſa colloquia miſcuiſſe. Ab annis 40. antè Chriſti in tẽplo inuentionem, ceſſauiſſe ſceptrum in domo Iuda. Qui plaſmauit homines, ipſum nunc *factum eſſe ab homine. Raptu ſexto*, non meliora aſſerit, ſibi ab eodem Gabriële reuelata. Baptizantis abſq; intentione defectum à Deo ſuppleri, eò quòd penes baptizatum ſit inuincibilis ignorantia. Panem non deſinere, quaſi antè tranſubſtantiationẽ ordine naturę, ſed illã peracta dare locum: eundemque annihilari, quaſi poſt tranſubſtantiationem. Chriſtum in Euchariſtia latẽtem ſenſu nos corporis videre, & audire, Diuina id virtute per miraculum operante. Accidẽtia agere, & pati natura ſua, & non vi ſubſtantiæ. Immediata inſtantia non poſſe dari; id tamen decidendem à futuro Pontifice. Ioannem Euangeliſtam, (id quod non niſi in apocryphis legitur libris) neſcio quam Druſianam à mortuis ſuſcitaſſe. Valdè errare, qui corpus Domini viuum, & mortuum aiunt ex forma non fuiſſe idem; & agnoſcentes formam cadaueris, ſenſum, rationem, & fidem negare. Duo Sacramenta numerari, panis, & vini.

*Raptu ſeptimo*; formas elementorum formaliter in mixto eſſe, Tot notiones in vna perſona Trinitatis, quot in alia reperiri. Digniorẽ Patrem Filio, etſi non in Deitate, tamen in largitione Deitatis, adeoque Filium aliquo modo Patre minorem. Chriſtum aliquo modo Matre minorem. Omnes animas in igne purgatorio exiſtentes, deſcendente Chriſto ad inferos, liberatas. Apoſtolos ante Virginis tranſitum, non totaliter diſceſſiſſe à Iudæa. Virginem mortuam cum Chriſto pendente in cruce, morte occulta, non myſtica, (tamen quæ fuerit humanæ redemptioni cooperata) & cum illo ſurrexiſſe. Beatam fuiſſe in corpore adhuc mortali, ab eius Aſcenſione. Collocutam ipſi in Sacramento exiſtenti; audiſſe, & allocutam eſſe, tantùm non tetigiſſe. Ariſtotelem ſaluum factum eſſe. Multas animas ex inferis eripuiſſe Deum, & multas adhuc erepturum.

XLI. Hæc in Apocalypſi Amadeiana, digna nota cenſuerunt; quibus ſitaquoq; alia nõ minora, nec leuiora eſſe dixerunt, ꝙ parum Amadeo viſum ſit, vt Antichriſti Apoſtol⁹, verbis Apoſtoli inciperet librũ phanaticũ, qui in Canonem vt mẽtiebatur reciperetur Eccleſiæ cæteriſq; omnibus fidem daret; niſi in eum ordinẽ cooptaretur, qui quotidiè cãtibus per Eccleſias frequẽtatur, vt ſimul fieret Apoſtolus Hiſtoric⁹, Pſalmiſta, Euangeliſta, & Actuũ ſcriptor Apoſtolicorum; vna ſua Apocalypſi, cætera omniũ ſcripturarum genera cõprehendens, & noua condens: proteſtatus nõ ſemel de his ſibi demandatã ſcripturam, quæ nõdum fuerant Eccleſiæ reuelata; ità vt *Raptu ſecundo* dictum ſit illi ab Angelo verbis Gotthicis conceptis; *Lege Bibliam, & ad illa aduerte, quæ ibi non exprimuntur*: vt videlicet ſingula edoctus, ſanctæ Dei Eccleſiæ patefaceret. Apoſtolatu nõ contentus, ſe facit Hiſtoricũ ſacrum, dum appendicem elaborat Sacræ Geneſis, altiùs exorſus ab antiqua Angelorum conditione; quorũ pugnas, certamina, diſcrimina, vtrimq; allegatas rationes, adeò minutatim proſequitur, vt hac ſola parte is liber, ex rei magnitudine, & antiquitate argumenti, ſit antè Geneſim collocandus. Inde mũdi viſibilis opificium multò luculentius ediſſerit, quàm Moyſes, cũ occaſionẽ formandi ſolis ex caſu Angelorum cõminiſcitur; cũ hominis plaſmationẽ liberius proſequitur, aſſerens tres Angelos ex quolibet choro egreſſos eſſe iuſſu Dei, ad formandum corpus primi hominis nomine omniũ; plaſmatoq; corpore, & omnibus organis, adiutorio Dei, & ſecundis cauſis influentibus, ſolum Deũ, vitæ ſpiraculũ per creationẽ indidiſſe. Propheta etiã vult videri, cùm plures apparitiones pro futura Incarnatione introducit, & aſſerit, Deum bis in forma hominis aſſumenda Angelis apparuiſſe, priuſquã nequã ſpirit⁹ laberẽtur. Pſalmorum numerum adauget, reuelatum ſibi aſſerens integrum Pſalmum ex pſalmo 50. eſt defloratio) quẽ dixit Domino Adam, cùm illum pænituit; pòſt peccatũ. Alterũ Sancti Michaëlis epinicion, & triumphalẽ, cum deturbato Lucifero victoriam reportauit. Alterum Adami, cum primum Euã vidit. Alterum, Archãgeli Bacchielis de productione mundi. Alterum omnium Angelorum ſed mira vanitate, ex ethnicorum figmentis, & Aſtrologorum fabulis confictũ, pro hominis formatione. Alium omnium Sacerdotum, pro *Mariæ* deſponſatione, & nè à Canticis quidem ſibi tẽperat Euangelijs inſerendis. Habet enim *Mariæ* canticum aliud pro Incarnatione, ex quo præbuit conſenſum. Aliud omnium Angelorum in eandem. Aliud Ioannis in vtero exiſtentis, Angelorum lingua compoſitum, cuius relicet verba. Aliud Elizabeth e verſibus Leoninis cõpactum, de myſterijs Dominicæ Incarnationis. Aliud *Mariæ*, in Chriſti Natiuitate. Aliud Angelorum, de Altaris Sacramento. Aliud eorundẽ, de Beatiſſima Trinitate. Aliud in Chriſti triumphalẽ Aſcenſionem. Aliud demum in Virginis trãſitum. Euangeliſtæ prætereà munus occupat, cùm ita minutatim tractat, quæ ſunt à ſacris ſcriptoribus prætermiſſa, vt iam nemo profiteri poſſit, nihil ſe ſcire de myſterijs Chriſti. Texit enim conceptionis Virginis hiſtoriã enucleatè; Pręſentationis in templo, producens virginis verba, pro grandi ſua humilitate profitentis: *Dico enim vobis, me recordari de tempore, quo anima mea corpori vnita fuit, & quid cogitabam tunc: & memini totius temporis, quo in vtero Matris extiti*: & in eius myſterij gratiam, cuiuſdam Heli ſenioris adorationem, & vaticinium: vt ſuum quoq; Simeonem virginis haberet præſentatio. Deſponſationis cum Ioſeph, integram habet narrationem: melliſluum valdè extitiſſe tunc aſpectum cælorum: quod quidem vltrà impoſturam Mathematicam, ſapere videtur ſuperſtitionem, & in re ſacrâ impietatem. Quadraginta quinque annos tunc egiſſe Ioſephũ. Trium horarũ ſpatiũ datũ vtriq;, ſponſo videlicet & ſponſæ ad deliberandum. Confirmatum in gratia virum.

*Alia quoque non minora nec leuiora.*

Pergit ad Annunciationis ſeriem, & addit Collegitos Gabriëli Barchiëlem, & Euchidielem: primorem Gabriëlem expreſſum, alios tacitos ab Euangeliſta. Exhibito conſenſu à Diua Virgine, quòd ſciſſet non patrandum opus Incarnationis, vſque ad dimidiam noctem, interrogâſſe Gabriëlem; ex quo tempore nouiſſent cæleſtes ſpiritus myſterium: retuliſſe illum ex ordine, & ſic ei Angelorum pugnam deſcripſiſſe. Accedente præſcripto dimidiæ noctis momento, tres guttas puriſſimi ſanguinis ex corde virginis deſumptas, inde compactum corpuſculum. venerabundos adſtitiſſe Angelos, & forſan, quod pro mole corporum eos loci non caperet anguſtia, vſque ad tria ſtadiorum millia compleuiſſe. Subit poſteà montana, & ſex dierum iter, vno perhibet confeciſſe virgunculam Deum ferente, à quo ferebatur; ſciente Ioſeph iter, & itineris cauſas, qui pridem venerat ex Tophet, vt videret ſponſam in ſociali domo; & conceptum Meſſiæ neſciuit, tàm ipſe, quàm Ioachim, & Anna adhuc ſuperſtites. Iuerunt *Maria*, Ioſeph, & comitatus, in domum Zachariæ in domo Galilęæ ſitam. Ad domus ingreſſum, vidit *Mariam*, & *Ieſum* intra eius viſcera Ioannes: & viciſſim illi Ioannẽ reſpicientem. Pacis edidit nuncium noua famula (*pax Christi ſit huic domui*) flexit genua præcurſor intrà vuluam; & *Ieſus* intereà ſedens (*ſubſellio ſorſan intra Matris viſcera conducto*) extenſâ benedixit manu, pangens Canticum, quod inter ſuprapoſita annumerabitur, niſi aſſuatur epiſtolæ ad Abagarum. Mox ſurgere præcurſor, ſalire, & tripudiare: (triclinium fortè ipſa vtraq; aluus extiterat) Angelorum linguâ *Mariam* alloqui; vtrimque cantatum, & prophetatum; correpta etiam à numine anu, quæ vocem in carmina conformauit. tandem prodire vtero Ioannem, *Maria* virgine, & Annâ inſpicientibus ſordes puerperij. Non hæc ſcirent Theologi, niſi arreptus fuiſſet Amadeus. Sed adhuc grandiora proloquitur. In Chriſti natiuitate pangit *Maria* Cantica. In abitu in Ægyptum, puelli lepram, eluuio Chriſti faſciarum mundatam, qui tandem latroni crucem actus Chriſtum confeſſus eſt. Diſtinctam in Chriſti pueritia loquendi infantiam, vt primo tamen anno cum matre loqueretur: ſecundo, etiam Ioſepho; tertio cum omnibus indifferenter: Diſputationem in templo duodennis Chriſti ſibi reuelatam, & ex vero à ſe deſcriptam in qua Chriſtus Iudæ nomen Dei quadrilitterum Tetragramaton reuelauerit. Ioſephum eodem anno, quo Chriſtus diſputauit templo, mortuum, annum agentem 76. oblitus eius; quod priùs ſibi ab Angelo reuelatum dixit, Ioſephum in deſponſatione cum virgine, annos ætatis habuiſſe 45. Mortuo Ioſepho datam occaſionem, vt virgo in templum reuocaretur præficienda æducationi puellarum, quæ in eo cuſtodiebantur, vt vacaret Chriſto cælum ſcandere, pro manſionibus cõpingendis: Itaque extra intelligi debere, illud, quod dictum eſt; Nemo aſcendit in cęlum, niſi qui deſcendit de cęlo, filius hominis, qui eſt in cælo; licèt id Angelus problematicè non definiat, ſed definiendum paſtori promiſſo relinquat. Addit prætereà extranumerarius Euangeliſta, quæ alij prætermiſiſſe illi videntur; ſermones quoſdam quaſi Ioannis Baptiſtæ ad milites. & Chriſti ad turbas: maternitatis in triduo mortis amiſſionem. Item Chriſto aſcenſ uro, Matris cum Filio de benedicendo altercationem, adſtantibus Lucâ, & Marco aſcenſioni: cum tamen ille ex traditis, & iſte ex auditis à Petro, Euangelia ſcripſerint, neq; myſterijs Chriſti adfuerint. Fingit deinde, III. Nonas Maij Chriſtum aſcendiſſe: vnaq; cum eo Salomonem, Nachor, Thare, & multorum philoſophorum animas, in cælos abijſſe. eaque omnia Euangelijs inſerenda blatterat. Supplet deindè plurima, quæ Lucas in Actis Apoſtolorum omiſit: virginis in cælos aſſumptionem. plura Concilia Hieroſolymis ab Apoſtolis celebrata. † † † † eiuſdem, & Pauli aliorumque. Apoſtolorum. † † †, conciones, quas non interfuit, ad populum, & principes habuiſſe, Petrum Iacobo in Epiſcopatu Hieroſolymitano ſucceſſiſſe. Paulum, de ſeptem cælis occulta quædam tradidiſſe. Andream, virginis præſeruationẽ aſſeruiſſe. Apoſtolos non antè tranſitum Virginis Iudæâ diſceſſiſſe. Statim à morte virginis, de non ſubijciendis gentilibus Moſaycis præceptis, legem tuliſſe. Dionyſium Areopagitam funeri virginis adfuiſſe. Virgini aſſumendæ Apoſtolos adſtitiſſe, illam viaticũ accepiſſe, tertiâ noctis horâ obdormiſſe: animã à corpore auulsã, viſitaſſe in paradiſo Eliã; quindecim horis à corpore abfuiſſe in aurora iterũ deſcẽdiſſe ſoluere purgatorij animas, ac trib⁹ horis circiter circà illud ſtetiſſe: redijſſe in vallem Ioſaphat, Apoſtolos in ſolo ſpiritu allocutam, illis videntibus intraſſe in corpus, & poſtquam 15. horis mortua, decem in ſepulchro iacuerat, ipſis cernentibus euectam in cælum, reliquiſſe Thomæ Didymo, Ioanni, Magdalenæ pelliculam, in qua Chriſtus inuolutus fuerat intrà matris aluum, & reliquias in circumciſione abſciſſi præputij. Apoſtolos antè hæc omnes ſingulatim, & pro concione dixiſſe, ac inter alia, quæ à Claudio Rhetore in argumentum deducta ſunt. Reuelatum ſibi Euangelium olim à Luca compoſitum, de *Mariæ* tranſitu, nè Eccleſia periret. non decuiſſe, adhæc vſque ſua tempora, vt auri reuelaretur, ſed ſe velut Eſdram nouum huic reuelationi reſeruatum. futurum, vt dictum Euangelium die ſacro Aſſumptionis legatur, inſciente promiſſo toties, & nequicquam expectato paſtore. Hæc pſeudo-videns. Omitto alias nugas, fabulas, figmenta, deliria, blaſphemias, hæreſes, errores; hominis malè feriati ſomnia, & impoſturas, non ſolùm ridendas, verùm etiam execrandas: quas ſi Amadeus finxit, & ſcripſit, iudicium ſit penès omnes, an Sixtus IIII. tali impoſtore, falſario, hæretico, pſeudo-propheta, vſus fuerit ad ſacras confeſſiones, & ad munera hierarchiæ Eccleſiaſticæ, præſertim verò ad res fidei definiẽdas, vt aliqui volũt.

# ANNO CHRISTI 1472.

## SIXTI IV. PAPÆ Anno 1. & 2.

## FRIDERICI ROMANORVM IMP. Anno 33.

SVperiore anno deſignauerat Sixtus Pont. Marcũ Cardinalem Aquilegienſem in Germaniam, Poloniam, & Vngariam, ad Imperatorem, & Reges Caſimirum, & Matthiam, de Latere Legatum; qui pacem inter eos diſſidentes conciliaret, & in Turcas armaret vnitos. Iuit hoc anno Marcus, & hæc, quæ à Sede Apoſtolicâ proponeret, accepit. Friderico quidem, vt Aduocatum ſe eſſe Eccleſiæ, & Defenſorem vniuerſæ reipublicæ Chriſtianæ meminiſſet: cui ex officio incũberet, Chriſtiano orbi pacem dare, & Chriſti fideles, ab hoſtibus Fidei, ſiue Turcis, ſiue hæreticis defẽdere. Proinde cùm Turcarum Imp. omnes conatus adhibeat, ad Chriſtianos euertendos ipſe inprimis contràtam potentem aduerſarium, arma ſumeret; vel hoc potiſſimùm reſpectu, nè, ſi is vniuerſam Vngariam in poteſtatem redegerit, magis quam quiuis alius vicinum haberet. Et quia maximo impedimento ad res gerendas eſſet diſcordia inter Poloniæ, & Bohemiæ Reges, curaret modis omnibus, ſaluo Romanæ Eccleſiæ, & Imperialis Maieſtatis honore, diſſenſiones exortas inter eos componere, & ex hoſtibus, amicos facere. Illud verò omnibus anteponeret, vt Bohemo- I. *Diſsidẽtes Principes cõciliare, & in Turcas illos incitare ſtudet Sixtus Papa*





rũ hæreticorũ audaciam reprimeret; quandoquidem non ſemel illud in ſe receperit, Georgio, & Victorino Podiebracijs omnia olim annuentibus. Hæc Friderico ingerere debebat Cardinalis. Matthiæ porrò Regi Vngariæ; Scrupulum imprimis eximere; ne in animũ induceret, quaſi à Sede Apoſtolica, & Imperatores à quibus ad bellum contra Bohemos excitatus fuerat, deſereretur, quod neque auxilia illi quanta poſtulabat ſubmitterent, neque grauius aliquid, contra Regem Poloniæ, eiuſque filium Ladiſlaum decernerent: quandoquidem & Paulus, & ipſe Sixtus omnia pro poſſe fecerint, ſubmiſerintque: Polono plurima, & inter hæc confirmationem electionis denegarint. Dandum eſſe aliquid tempori; ſapientis principis eſſe, omnia metiri ſecundum tempora, & ſecundum illa diſtinguere, & non ſequi voluntatem. Conſiderandam imprimis in facto Bohemorum, auſteritatem, & deſperationem hæreticorum, quod non niſi armis coacti Regem eum admitterent: cunctam eſſe eorum potentiam, ex aſſiſtentia Poloniæ Regis: nutare inſtabiles Catholicorum voluntates, & potius ad Polonum ſpectare: ingens periculam à Turco imminere: minimè illi fidendum, vt fædera vel inducias ſeruet: pacem, & concordiam cum Polono, quauis victoria, quæ tamen incerta eſſet, præſtare. Ad eam itaque ſanciendam, animum inclinaret, ſeque & res ſuas arbitrio Pontificis, & Imperatoris permitteret. Curaturum vtrumq;, vt inteſtini quoque Vngariæ contra eum motus ſopiantur, Archiepiſcopus Strigionenſis, cui Pontifex purpuram offerret, ad officium reuocetur; cæteri proceres obſequium deferant: quibus conſpirantibus non difficile illi futurum, & Turcis, & quibuſuis hoſtibus reſiſtere. Cum Caſimiro vero & Ladislao Polonis hæc ageret. Modeſte exprobraret, quomodo Caſimirus, à Sede Apoſtolica, ad capeſſendum Regnum Bohemiæ olim incitatus, recuſauit accipere: nunc verò ſententia mutata, poſtulantibus hæreticis, filium illis ſuum Regem dederit, armaque pro Bohemis, contra Matthiam Regem Vngariæ, & Bohemiæ ſumpſerit. Satius foret, id quicquid eſt diſcordiarum, pace, & concordia componi; quam bello dimicare: idque Pontificem ſuadere, & cupere: imprimis induciæ intercederent, pax tractaretur; affinitas certis conditionibus contraheretur, data à Caſimiro vna ex filiabus coniuge Matthiæ, ad cuius filios Regnum Bohemiæ deuolueretur; vel ſi illa filios nullos ſuſciperet, ad Polonos, defuncto finem liberis Matthia. Inter hæc Matthias, Sileſia, & Morauia Polono cederet; confirmationem fæderum Polonus inter ſe, ac Theutonicos, iampridem à Sede Apoſtolica denegatam, quoad bona temporalia expectaret: atque interim totius de Regno Bohemiæ cognitionem controuerſiæ, Sedi Apoſtolicæ & Imperatori concrederet; & ſi lubet, vnum aut alterum arbitrum vtrique adiungeret: quo tandem omnibus diſſidijs ſublatis coniunctis viribus contra Turcas pergerent. Quod ſi tam benignam, tam æquam Pontificis poſtulationem Polonus negligere videretur, tum vero Marcus diploma confirmationis, electionis Matthiæ, Bohemiæ Regis à Sede Apoſtolicâ conceptum publicaret; ſed non prius id faceret, quam monitione Præmiſſa de Pontificis ſuprema voluntate, cui ſententia ſederet, cenſuris Eccleſiaſticis. Caſimirum, & Ladislaum, & quoſuis alios cõpellere, ad pacem ineundam: quod Sede Apoſtolicæ incumberet, concordiam inter Reges, & Principes Chriſtianos curare; diſſidentes ad eam acceptandam armis ſpiritualibus, & corporalibus adigere; maximè, ſi ex diſſidio eorum, periculum immineat vniuerſæ reipublicæ Chriſtianæ. *Liber expeditionum Sixti IIII. in Archiuo Vaticano.*

Venit hoc Anno Marcus in Poloniam, & tum ad pacem cum Vngaro faciendam, tum ad bellum contra Turcos ſuſcipiendum, ad quod, & Huſancaſſanus Caſimirum per Oratores ſuos incitabat, Regem hortabatur. Non abnuebat longiores inducias, & pacem Cazimirus: verũ Matthias natus per vim atque tyrannidem, ex captis nonnullis, nonnullis verò ſublatis proceribus permagnas diuitias, & ſolutus in hunc annum Turciæ belli metu, difficiliorem ſe præbebat. Quin & pax cum Frederico Imperatore ipſi conſtituta, ferociorem eum fecerat. Itaq; Legatus Pontificius, cum aliquandiu Cracouiæ, deinde Corcini, quo Rex Cracouiâ peſtem fugiens, ſeceſſerat, ac Sãdeciæ hæſiſſet, in Vngariãq; inter-nuncios ſuos miſſitaſſet, & re infecta, ſiue adeò dilata, Wratiſlauiã diſceſſit: cum id temporis Matthias Archiepiſcopo Strigonienſi viteſio, & Quinqu. Eccleſienſi Epiſcopo, contra fidem datam, mortem accelerauiſſet. *Cromerus l. 27.* II. *Sixti PP. Legatus venit in Poloniã.*

Res eſt. Matthias in Regno Vngariæ iã cõpos ſui factus, ab Optimatũ conſilijs, quibus ab initio fuerat obnoxius, ſe aſſerere cæperat; ſuo, non alieno ductu, & cõſilio vtebatur: confutabat illorum dicta, ſi quid quandoq; liberius ſuaſiſſent; cunctaq; ſolus agere videri volebat. Contrà illi, authoritatis hinc iacturã haud modicam ſe facere arbitrabantur. Acceſſerat extraordinarij ſtipendij inſolens impoſitio: quã Dicam nominabant; quæ non modo domeſticatim, ſed viritim plerumq; indicebatur. Et quãuis aſſidua bella, grauiſſima tributa poſtularent, inſolens tamen vectigal nimis cuiq; graue videbatur. Quin etiã Epiſcopatuum prouentus vſurpare cæperat; & id ſibi licere putabat, quaſi ꝑ publica ſalute dimicaret. Quin & Archiepiſcopo Strigoniẽſi fodinarũ auri decimas, quæ *Vrburæ* vocantur, abſtulerat, quæ magni fuerant momenti; nonnullis etiam Epiſcopatibus vectigalia occuparat; ꝙ eo prætextu ab eo factũ putabãt aliqui; partim ne in tanta rerũ copiâ laſciuirent; partim, ne opibus adaucti, Regi bellum inferrent. Inſuper formidoloſus. Optimatibus & violentus eſſe cæperat; & tacito quodam nutu, ſe ſolum imperare, parere cæteros velle indicabat. Hæ cauſæ, Ioannem Archiepiſcopum Strigonienſem, Ioannem Epiſcopum Quinque Eccleſienſem, Michaelem Orſaghum, virum principem, Emericum Scepuſienſem Comitem, & ex ſeptuaginta quinque Conuentibus, quos Comitatus appellant, nouem exceptis, reliquos, nobilitate, optimatibuſque numeroſos, atque florentes compulere, vt coniurationem inter ſe inirent: & à Matthia, ad Polonum, qui eis Caſimirum filium, Regem daret, reſpexerint. Perculerat ea res Matthiã adeò vt ad conciliandos ſibi illos auerſos, ſerio intenderit. Ignouit Metropolita, quicquid Rex temere, & contra ſanctiones feciſſet: cæteri, exemplum Primatis ſecuti, ad obſequium redierant. quando Matthias illorum opera, & opibus indigebat. Pacata, à Caſimiro Polono Prouincia, cum Budam hoc anno in ſacra hebdomada ouans redijſſet, ad vltionem animum reuocauit, & ab Archiepiſcopo Strigonienſi, fecit initium. Hunc per internuntios Budam accerſiri iuſſit, ſub grauiſſimi colloquij prætextu. Ille quamquam ſe non ſine periculo iturum eſſe intelligeret, tamen fide Regia fretus & veteri beneuolentia, Budam ſponte venit, nullumque ſibi à Rege periculum imminere putauit. Quamuis enim primus authoritate foret, nouiſſimus tamen ad coniurationem venerat. Optimatum impulſu, & nepotis potiſſimum inſtigatione adactus: quod non modo Regi, ſed multis quoque alijs palam factum eſſe intellexerat. Et cum in campum *Rakos*, vbi Regalia Comitia haberi ſolent, Caſimirus Polonus ſe propediem deſcen- III. *Aliqui in Matthiã Regẽ conſpirant.* *Fidẽ reconciliantur.*

*Matthias Rex in carcerē conijcit Budanū Metropolitā qui ex triſtitia moritur.*

ſurum eſſe, Proceribus, qui aduocauerant, continuò ſignificaſſet; admonuiſſetque, vti ad ſtatam illuc diem conuenirent, inuitantibus ipſum optimatibus, vltimum ſe venturum eſſe reſpondit. Quare factum erat, vt reliqui ſe remiſſius agerent & coniuratio ſenſim ſolueretur. Ne id quidem Matthiam latebat; ſed illud ſine aliquo vltionis ſigno, præterire nolebat, vt cæteros à crimine læſæ Maieſtatis abſterreret. Itaque vbi Budam Metropolita venit, honeſte eum in aula retineri, & adhibita cuſtodia, pro dignitate aſſeruari iuſſit. Inde ad vicegradum, clam transferri, & in arce menſibus aliquot cuſtodiri imperauit. Quamquam autem ingentium beneficiorum memoriâ, datæ fidei recordatione, metuque ex crudelitate infamiæ, & vindictæ diuinæ illum carceribus emiſiſſet, inque Strigonienſem arcem non omninò ſine dignitate remiſiſſet, cuſtodiæ tamen eiuſdem quoſdam adhibuit milites; prætextu, ne quid in ipſum moliri poſſet. Metropolita, cum vidiſſet, ſe non ſine turpitudine captum, neque abſque ignominia dimiſſum & in nouiſſima ſenectute, cum prius vitam cum dignitate geſſiſſet, Matthiamque Regio ſolio impoſuiſſet, perfidiæ inſimulatum, calamitatis, & infamiæ obuerſatione fractus, æſtatem vix claudere potuit. Nam quinto Idus Auguſti & pridiè eius diei, quo Diui Laurentij ſolennia celebrantur, diem obijt, non ſine maximo Procerum, nobiliumque deſiderio. Ioannes Quinqu Eccleſienſis Antiſtes, & è ſorore nepos, qui inuitum auunculum in coniurationem adtraxerat, audita eius captiuitate, Zagabriam, fugam rapuit; vt ſi à Rege fortè peteretur, continuò è finibus elaberetur. At poſtquam de morte Metropolitæ nunciatum eſt, ipſe quoque dolore correptus interijt, æternumque ſui deſiderium non minus Panoniæ, quam Italiæ, propter eminentes virtutes reliquit. *Bonſinius dec.4.lib.5.*

IV.
*Beſſarionē Cardinalē Legatū mittit in Gallias Sixtus PP.*

Induciis inter Poloniæ, & Vngariæ Reges, pace autem inter hunc, & Fridericum Imperatorem ſtabilita, alios quoque legatos aliò deſtinauit Sixtus, Beſſariorum Nicænum Cardinalē, in Gallias ad Ludouicum Regem, quē cū Carolo fratre Aquitaniæ Duce, & Carolo Burgundione conciliaret. Beſſarion, ſiue annis grauis, ſiue difficultate negotiorum perterritus, diù hæſit, an Legationem ſuſciperet. Tandem authoritate Pontificis adactus, profectionem maturauit; tantò alacriùs, quantò Gallorum Rex, humaniores ad ipſum ſcripſit, gratulans legationē, adhortanſq; ad profectionem, q̄ ſibi, & Regno futurā lætam affirmabat. Admiſiſſet venientem Ludouicus ea facilitate, qua inuitauit. Aliquorum ſuſurratione mutatus, inprimis Niceni fidem in dubium vocauit, & quaſi is in rem Burgundi veniret, legationi impedimentum obiecit. Conſenſit paulò poſt, vt ad ſe proficiſceretur, & libere allatam poteſtatem exerceret. Progreſſus Nicenus, quamquam ſperaret, mox vt Regem conueniſſet, non dubiè Celſitudinem ſuam, odij, non rationis fuiſſe ſuſpiciones iniectas: falſus tamen ſpei fuit, reiecta magis; quam interrupta à Ludouico, non ſine offenſione exiſtimationis Sedis Apoſtolicæ, illius Legatione: Niceni quoque ſumma virtus, non in maleuolorum tantum ſermones, ſed eorum etiam, qui à ſolo exitu conſilia metiebantur, quemadmodum habent humana, in quibus plus fellis, quam mellis venit; maxime quando Ludouicus, Cardinalem Rothomagenſem, Legatum à Sixto mitti deſideraret, neque Pontifex denegaret. Cardinalis Papienſis, quid ea de re cenſeret, Carolo Salando ſcripſit. Angor animo plurimum; *ait,* quæri rurſum profectionem ſuam in Galliam; ſed impenſius, quod iturum illum planè proſpicit. Angoris mei ſunt cauſæ, quod amo hunc Patrem; quod eo Cardinali priuatum iri Collegium video, cuius ad ſuſtinendas ruinas magna eſt vis ſemper, magnumque momentum: denique etiam, quod ætas ſua, & vita vna cum commendatione habita hactenus, in diſcrimen honoris adducitur. Sic cogito, aut fungendæ vicis Apoſtolicæ gratia in Galliam petitur, aut Principum pacandorum. Si illius rei cauſa: video eam poteſtatem non diuturnam futuram. Si huius: neſcio quam ſuccedere conſilium poſſit. Aut enim voluntate tantum Regis proficiſcetur; aut Regis, & Burgundorum Ducis. Si Regis tantum cuncta ad arbitrium eius erunt gerenda. Id ſi fiet, ſumma erit aliorum iniuria. Si non fiet, idem paratus erit exitus, qui & Niceno. Rurſum, ſi in legationem ſuam Burgundus conſentiet, pacificatoremque eum accipiet; orietur illico Regi ſuſpicio, conſpirare ambos occultè. Diffidere incipiet, præteritorumque omnium memoria redibit in mentem. Ad ſuſpiciones enim ita eſt præceps, vt hoc vno penè malo ſibi ſemper nocuerit. Quocumque vertetur meus Rothomagenſis, aſpera, & anguſta cuncta inueniet. Credat fideli iudicio, ſuadeo, non capiatur legationis honoribus; non trahatur deſiderio patriæ in alium hoc onus reiiciat, cogitat, quocum Rege futurum ſit ſibi negotium. Non erit cum Carolo religioſo, & iuſto. Erit cum Ludouico, apud quem omnis gratia ita cadit, aut ſtat, vt maximè affectibus ſuis inſeruit. *Papien. epiſt.* 437. 439. 455. 476. 488.

V.
*Carolus Dux Aquitaniæ veneno extinguitur.*

Inter hæc Carolus Aquitaniæ Dux, Burdigalæ, in medio apparatu noui belli, quod eius, Burgundi, atque Britanni iunctis viribus contra Ludouicum Regem parabatur, diem obiit veneno extinctum à fratre fuiſſe, narrat Thomas Baſinus, Lexouiorum Epiſcopus, hunc in modum. Dolebat nimis Carolus, ſe ex Normania fuiſſe à Rege fratre pulſum, quam prouinciam pater illi viuus dederat; nec dubium fuit, quin ſi in viuis permanere potuiſſet, Regem fratrem per tot ſocios coëgiſſet, ad reddendam Normaniam. Igitur Rex quum hæc cautius intelligeret, imminere ſibi grandem inimicitiam & pondus belli à fratre, & ſocijs, & veluti orituram nouam coniurationem, quum vera virtutis viâ reſiſtere ſe poſſe ferè deſperaret; ad artes malas, quod eſt ignauorum, ſe conuertit, nihil curans de laude, & gloria, de ignominia, & turpitudine, dum ſuam expleret libidinem, impijs, & ſceleratiſſimis inſidijs fratrem præuenire ſtatuit. Corripuit ergo duos ex præcipuis eius domeſticis ſeu familiaribus, quorum alter nomen habebat Iordanus Faure, dictus Vercois, monachus Ordinis S. Benedicti, oriundus à Ciuitate Dienſi in Delphinatu, quem eius dominus fecerat ſuum Eleemoſynarium, ac Abbatem quoque creandum curauit celebris monaſterij Sancti Ioannis Angeliaci, cum quo item quotidie horas legebat Canonicas. Alteri nomine erat, Henricus de la Roche, qui Scutifer erat coquinæ eiuſdem Domini Caroli. Hos duos veluti idoneos tam nefando operi miniſtros, promiſſis, & muneribus pellexit Rex, vt benigniſſimum Dominum ſuum, adhibitis etiam quibuſdam ſortilegijs, & maleficis artibus, veneno extinguerent; quemadmodum fecerunt. Accepto igitur, & hauſto veneno dictorum duorum opera ipſe Dominus Carolus, nondum XXX. annis ætatis expletis, lamentabili, & immatura morte vitam finiuit, miris cruciatibus, & languoribus afflictus, priuſquam ſpiritum exhalaret. Nam plures menſes in eiuſmodi doloribus, & tormentis, quæ in eius corpore, atque viſceribus violentia veneni faciebat, tranſegit; in quibus quantacumque diligentia, & cura medicorum adhibita curari non potuit. Addit Meyerus, ex Vopiſco; Carolus Burgundus à Britanno factus eſt certior, famam de





Regis parricidio eſſe veram, fratrem ab illo eſſe extinctum. Habere ſe latronem illum Iordanum monachum, apud Nanetum vrbem in vinculis. Aquitanus autem priuſquam expirare poterat, quicquid haberet vnguium, capillorumue, ac dentium amiſerat; digiti autem mannum retrorſum contra naturam erant reflexi. Latro Iordanus, quibus modis eſſet à Rege ad tam atrox facinus ſubornatus, inſtructus, & conductus, coram Archiepiſcopo Burdigalenſi, & Duce Britanniæ, coram F. Rolando Croſerio, fidei Inquiſitore, Nicolao Dantio Theologo, Ioanne Bloc Cō[illegible]ario, Petro à Mombalerio Ordinis equeſtris Cancellario Aquitaniæ, Ioanne Sauagio, Præſide Conſilij Burdigalenſis, Ludouico Blaſerio, & Rogerio le Feure magiſtris libellorum ſupplicum plenius, & clarius expoſuit, qui cum Naneti eſſet in carcere, deque ſupplicio eius haberetur conſultatio, facto de nocte horrendo fulgure, ac tonitru, de cælo tactus eſt, & inuentus mane iacens in medio cubiculi ſui, inflato plurimum capite, & facie, totuſque inſtar carbonis niger, & lingua exerta ſemipedis longitudine, ſicut olim contigit Longareto nefario perſecutore Bonifacij octaui Pontificis Maximi. Ludouicus Rex, leuādo rumori potionati fratris, finxit nōnihil pietatis. Calend. Maij ſtatuit, vt in meridie ad ſignum ſonantis campanæ ſalutaretur Virgo Dei Mater, per *Aue Maria,* credique voluit, ſe id facere ſpe pacis. Habitæ eodem die ſupplicationes Luteriæ pro ſalute Regni, per Ioannem Quadrigarium, Epiſcopum Pariſiorum: qui eo ipſo die obijt mortem, ſcelere (vt rumor erat) Regis, quod amicus eſſet Caroli fratris potionati, vehementer tunc laborantis.

*Rex Franciæ pacis fœdera ſpernit.*

Extincto Carolo fratre, Ludouicus, tractationem pacis, cuius mentionem Burgundioni, ne adhuc viuente fratre vlterius cum copijs procederet, per feciales fecerat, irriſit; perque diſpoſitas legiones, & præſidia, omni Aquitania in poteſtatem redacta, dixit, iureiurando ſe non teneri, vbi aſſecutus iam eſſet, eam, quam venabatur, prædam. Ventum inde ad arma. Quædā, ſed ea ignobilia oppida vtrimq; captā; maiora fruſtra tētata; donec conſenſu trium Principum, inducia, irrito tamen ſucceſſu facta; ante diem ſæpè ruptæ, ſæpè factæ. Thomas Baſinus, Lexouiorum Epiſcopus in Brabantiam ſe recipiens, cum iuris periciſſimus haberetur, iuris interpretationem in Schola Louanienſi, quoad vixit, profeſſus eſt, homo proculdubio magnanimus, & morum Ludouici contemptor. Ad Carolum Burgundum, inter hæc, Brugas, Legati Pontificis, Angliæ, Neapolis, Hiſpaniæ, Scotiæ, Venetorum, Britanniæ, atque electorum Germaniæ venere; ſed ad bellum Turcicum impellere non potuerunt, gliſcente bello quod Gallos intulerat. *Meyerus lib.16.*

VI.

Rodericus Borgia Cardinalis Procancellarius in Hiſpanias Legatus, patrium Valentiæ litus, ad duodecimum Kal. Iulii tenuit, cultus ea in vrbe, vt par erat omnibus officiis. Cauſas aduentus & ſuſceptæ legationis, Valentino Clero his pro concione verbis expoſuit.

*Rodericus Card. Borgia ſuſceptæ Legationis cauſas exponit*

*Dies tandem illuxit, venerabiles in Chriſto fratres, quam ſemper optaram: ſemper quæſitam ante hac, tempora non permiſere. Venimus ad ſponſam noſtram, Valentinum Eccleſiam, gloria Sacerdotij, toto orbe illuſtrem, Recognoſcimus populum noſtræ cuſtodiæ creditum, religione, & fide nulli Chriſtianæ vrbi cedentem. Contemplamur denique venerandum hunc, & verè dignum forte Domini conſeſſum veſtrum: quo vno plus longè, quam cæteris lætamur, extollimur, ac gloriamur. Agimus igitur gratias omnipotenti Deo, tanti huius muneris largitori. Nomini ſancto eius benedicimus, illudque Propheticum cum ſancto ſene cantamus; Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum; quo tandem pax, & conſolatio cupienti animæ eſt data. Agimus & Beatiſſimo Pontifici noſtro Sixto, qui ad hæc regna occidua noſtrum miniſterium deligens, patriæ, & parentibus longo poſt tempore ipſos nos reddidit. Olim autem cum præpoſiti huic tam venerandæ Sedi eſſemus, numquam ne iuuenilibus quidem annis nos latuit, & quid noſtri muneris eſſet, & quid publicum ciuitatis deſiderium ferret. Sciuimus quantum ad pie viuendum conferat Paſtoris præſentia; quanta gregi, curante illo, proueniat ſalus. Non ignorauimus Epiſcopi, hoc eſt, Superintendentis nomen, propriam, non alienam pro ſe operam poſcere. Scripturam quoque præcipientem audiuimus; Cognoſce diligenter vultum pecoris tui, & tuos greges conſidera. Sed teſte Deo, cui omne cor patet, his omnibus voluntas numquam impedimentum ſemper neceſſitas nobis dolentibus attulit. Parendum fuit ſummo omnium Patri, & à maiorum decretis non abeundum. Cardinalatus hæc dignitas, maiori quodam vinculo Apoſtolicæ nos Sedi aſtringit. Ad illius aſcripti conſilium, niſi cum mittimur, abeſſe non poſſumus. Accedit Romanæ Cancellariæ ingens quidem & operoſa adminiſtratio, cuius cum apud Pontificem ſecunda ſit cura ad totius Eccleſiæ commodum inſtituta; carere præſide ſuo ſine magno detrimento non poteſt. Illi quidem antè omnia obtemperandum eſt ſemper; cui & plus imperii conceſſit Deus, & plus à nobis deberi cognoſcimus. Quòd ergo adeſſe hactenus conceſſum non eſt quòd per alium munus noſtrum impleuimus, non propoſiti, ſed temporum fuit. Sic Eccleſiarum multarum Rectores, ſic Reges, & Principes grauioribus implicati, Vicarios ſibi operum quærunt. Sic Romanus Pontifex vni antè alias conſecratus Eccleſiæ, vicem nihilominus poteſtatis in cæteris collocat. Sic denique Chriſtus* IESVS *in cælis agens Vicarios dandæ ſalutis in grege ſuo conſtituit. Præſentes autem nunc vobiſcum beneficio ſuo cum ſimus, non nulla ſunt, Fratres, quæ primo conuentu hoc charitas ſilere non ſinit. Agimus imprimis vobis omnibus meritas gratias, quod aduentum hunc noſtrum, votis continuis expectaſtis, Id enim & certiſſimum nobis eſt, & animi in nos veſtri argumentum perſpicuum facit. Deinde, quòd memores filialis officii reueriti ſedulò eſtis patrem abſentem, Præpoſitorum eius dicto audientes fuiſtis, coluiſtis Eccleſiam, & diuinum opus aliquod deſiderari in domo Dei paſſi non eſtis. Poſtremo, quod aduenientes nos tantis honoribus, tamque ſolemnibus accepiſtis, vt in iis non modò Præſulatus noſtri, & Legationis decor, ſed imprimis ſumma voluntas, & voluntati coniuncta alacritas plane patuerit: ingens hoc ſtudium tantum ad noſtrum in nos addit, quantum in nos addidit, quantum addi amori cumulato iam poterat. Retributor omnium Deus pietate ſua concedat, vt tribuere & nos pijs officijs aliquando poſſimus. Hortamur autem vos omnes in vnum, dilectiſſimi noſtri, licèt exhortationem omnem veſtra opera vincant, vt in incepto virtutis, & religionis perſiſtentes, dignius indies obſequium Deo creatori noſtro, & matri veſtræ, Valentinæ Sedi præſtetis. Hoc enim, & profeſſionis Sacerdotalis, & præteritarum actionum veſtrarum eſt opus. De vobis enim ſcriptum eſt, Genus electum, Regale ſacerdotium, gens ſancta, & populus acquiſitionis. Inuigilate aſſiduè, cultui Altiſſimi, ſcientes, quòd domum ſuam decet ſanctitudo, in longitudine dierum, & quod propter hoc paſcimur de altari, & collocati in honoribus ſumus. Id operemur ſemper, vt & miniſterium noſtrum in Eccleſia famuletur, & iuxtà Apoſtolum Paulum, nullam occaſionem demus maledicti gratiâ: ſollicitudine non pigri, ſpiritu feruentes,* DOMINO *ſeruientes. Vita porrò veſtra, quòd facitis, profeſſioni, quantum fieri poſſit, conſentiat. Eam ſemper modeſtiam ſeruet, quæ nec animos, nec oculos aſpicientium turbet. Ad alterius conſecrati exemplum, cum noſtri, immemores ſumus. exemplo ipſo grauius longe peccamus, quam re. Ambulemus Honeſte, & bonam famam cuſtodiamus, diſpenſationi noſtræ maxime neceſſariam. Inter cætera autem, dilectiſſimi, fraternitatem ſeruate inter vos, & cum conſenſu in domo Domini ambulate. Mandatum, inquit Saluator, de vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. In hoc cognoſcent omnes, quod mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. Quanto ad glo-*

*rium Eccleſiæ, eiuſque incrementa hæc Vnitas pertinet, tantò ad damnum, & dedecus eſt procliue diſsidium. Vbi zelus, & contentio eſt, in quit Iacobus Apoſtolus, ibi inconſtantia, & omne opus prauum. Omnis ergo offenſionis lapis, omnis petra ſcandali faceſſat à vobis. Sapite idem, pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erat vobiſcum. Quoniam verò libertas Eccleſiæ data à Domino, à noſtris Patribus magna cura retenta gloriam Sacerdotij in populis auxit, etiam precamur, vt ad eam colendam, tuendamque, non modo vnanimes ſitis, id quod inprimis eſt neceſſarium, ſed nullam defatigationem, nullumque diſcrimen declinandum putatis. Etenim ſi ad iactantiam modò ſeculi vana olim Gentilitas pro ſua retinenda, in ferrum, in cædes, ad interitum manifeſtum certatim ruebat, quantò id magis ſacerdotibus conuenit? quibus ipſe Deus eſt præmium, & vita, mors. Qui ad cuſtodiam Eccleſiæ poſiti ſumus; quibus etiam dicitur; Certate ad mortem pro iuſtitia, & Deus expugnabit pro vobis inimicos veſtros. Admiſſa autem libertate hac, quid reliqui amplius eſt, in quo facere iacturam damnoſiorem poſsimus: An non ſine honore, ſine poteſtate, omnis noſtra conditio redditur? Contemnimur haud dubiè, & conculcamur, & opprobrium hominum ſumus, & abiectio plebis. In hac conſeruanda conuenite in vnum ſinguli. Omnes autem conſentite præpoſitis veſtris, qui cooperatores vobiſcum erant, & pro vobis duces certaminum fient. In pugna veſtra, cui vires adminiſtrat Deus, libertas eſt: in fuga, miſera ſeruitus. Scriptum eſt enim; Manus fortium dominabitur: quæ autem remiſſa eſt, tributis ſeruiet? Magna eſt veſtra nobilitas, maior omni nobilitate Eccleſia. Suam libertatem totis viribus vtriſque præſtate, idque nobiſcum agite, vt iuxta Saluatoris verbum, quæ Cæſaris, Cæſari, quæ Dei ſunt, Deo reddantur. Sed hæc, atque huiuſmodi & aliàs ſæpe, & vberiùs. Nunc in publicis pauca attendite. mittimur, vt ſcitis, Fratres, pro redemptione fidelium, in quos hoſtilis gladius crudeliter ſæuit. Domita Aſia Turcus, ac magna Europæ parte, bis iam ingreſſus eſt Italiam; incendijſque, ac cædibus cuncta inuoluens, caput Religionis noſtræ, Sacrarium, Apoſtolorum, Sanctorumq; Martyrum Vrbem Romam petit, vt illo oppreſſo, reliquum Chriſtiani nominis corpus ſimul intereat. Si quibus ſubuenire, ſi quibus præſtò adeſſe conuenit, ſorti quidem noſtræ imprimis conuenit. Gregum ductores ſumus. In ſpecula excubamus, vt illos præſtemus incolumes. De noſtro exemplo æquum eſt, cæteri ſumant exempla. Hortamur charitatem veſtram in Domino, ac piè, paterneque rogamus, vt qua ope, in quibuſue conſiliis profectionem hanc noſtram, neceſſariumque opus iuueris. Scimus, quantus zelus veſter in domo Dei ſit, quantaque ad opera eius voluntas. Cauſa quidem nulla eſt, in qua exerceri dignius, nec meritis maioribus Sacerdotale patrocinium poſsit. Verùm nunc pauca hæc protuliſſe in commune, ſit ſatis. Cætera, in quibus collaborare, & adhiberi curam veſtram expediat, cum aratrum manu prehenderimus, pleniùs noſcetis ex nobis. Nunc, fratres dilectiſsimi, quos inuicem ſors Præſulatus huius coniunxit, Beatiſsimi Patris, & Pontificis noſtri Sixti Quarti nomine, vobis omnibus ex toto corde noſtro, ex tota anima noſtra, & ex totis viſceribus noſtris, in Chriſto Ieſu benedicimus. rogantes Deum Patrem Omnipotentem, vt & ſanctam hanc Valentinam Eccleſiam de excelſo ſancto ſuo ſemper reſpiciat, & vos eius alumnos ad miniſterium ſuum gratia cæleſti conſeruet. Amen.*

VII. *Tarraconem petit, Reges Caſtellæ ab Excommunicat. abſoluit.*

Valentino clero, & populo ſalutato, Legatus, Tarraconem petiit, ibique à Ferdinando Siciliæ Rege ſummis honoribus cultus, impedimentis omnibus legalibus, quibus à matrimonio iam inito prohibebatur, cum ſolutum renunciauit, atque diploma diſpenſationis, vnà cum abſolutione à ſententia excommunicationis, qua Ferdinandus Rex tenebatur, Archiepiſcopo Toletano deſtinauit; vt is authoritate Maximi Pontificis matrimonium illud inter Ferdinandum, & Iſabellam irritum, & nullum, ritu Eccleſiaſtico inſtauraret; Regemque poſſe eſſe Caſtellæ, & Legionis renunciaret, à ſucceſſione Iſabellæ, quæ vnica hæres Regni. Taracona diſcedens Cardinalis Barcinonem ad Ioannem Regem Aragonum peruenit, eumque ciuibus conciliauit. Eo enim tempore Barcinonenſes obſeſſi, diuturnis malis premebantur, atque omnium rerum inopia laborabant. de obſtinatione tamen animorum nihil remittebant; duro homines ingenio, atque aduerſus mala peruicaces. Incitati ſæpe ad ſanitatem, ſurdas aures, ſalutaria monentibus cum præberent, ſuadente Legato, Rex litteras teſtes ſui animi, teſtes clementiæ, ad extremum dedit. Eo loco res eſſe, vt neque ſuis, neque alienis viribus ſtare diutius poſſent. Debere eos vrbis pulcherrimæ, quæ caput gentis eſſet, nulli in Hiſpania de nobilitate, atque elegantiâ concederet, ruina, incendio, direptioneque moueri. Sibi decretum eſſe, dum ſpes eſſet, voluntate ad legitimum imperium redituros, neque vim, neque metum intentare; eoque niſi neceſſitate non venturum, & quaſi viſcera ſecantem ſua. Huius ſui animi teſtem inuocare Deum, non alio loco, neque habuiſſe, quàm filiorum, neque habiturum vnquam; ac (per ipſos modò liceat) prouinciæ calamitatem omnibus Regni opibus ſanare propoſuiſſe. Intercedebat & Legatus, vtrique parti ea, quæ concordiæ forent, proponens; & quidem Regem ad clementiam prouocans, ciues autem ad obſequium, quibus illi emolliti, ac ſpe defenſionis abiecta, legitime dedentiū vrbes verba nuncupare conſtituerunt, adeoque ſeſe dediderunt. Sic Octobri menſe extremo, Barcinonem Rex inuectus, laudem vna cum Legato tulit. Nam hic prudentiæ, & charitatis, ille nobiliſſimum clementiæ exemplum reliquit, ille impetrata; hic conceſſa omnibus venia, quicumque eo bello in Regē arma ſumpſiſſent. Gallicanis freti auxilijs Barcinonenſes, ab officio receſſerant. Quod cū non ignorarēt hoſtes Ludouici Regis, Eduardus Rex Anglus, & Carolus Burgundio, legatione ad Aragonium miſſa, arma cum eo in Ludouicum ſociare decreuerant. Commodum id accidit Cardinali. Nam in eo Regum Aragoniæ, & Siciliæ, atque Oratorum, quos dixi, conuentu, multa de rationibus ſacri belli diſſeruit, multa in ſubſidium illius obtinuit, multa in communem reipublicæ Chriſtianæ: ac præſertim Principum confæderatorum ſalutem conſtituit: maximè quando accepiſſet, Ludouicum Regem, non ex dignitate Apoſtolicæ Sedis, Cardinalem Nicænum Legatum habuiſſe, quod is in Carolum Burgundionem, cenſuras Eccleſiaſticas diſtringere recuſaſſet. Valentiam ſe inde Cardinalis Borgia retulit; vbi nuncio deditæ Barcinonis Ferdinando Regi allato, vna cum eo in Baſilicam principem deſcendit, ibiq; gratijs Omnipotenti peractis, ſupplicationes egit, pro felici ſucceſſu legationis ſuſceptæ. Caſtellam properabat, ad Regem Henricum, vt inter eum, & Ferdinandum, pacem conciliaret. Ioannam ille, quam Carolo Aquitano deſponſam, & ab eo propter ſuſpectos natales repudiatam diximus, quamque Henricus filiam legitimam aſſeuerabat, Henrico Segobienſi Duci in matrimonium collocare deſtinabat: vt patrueles inter ſe de ſucceſſione Regni Caſtellæ committerēt, adeoque Ferdinandum, & Iſabellam excluderet. Certior tamen de aduentu Legati factus, illum, vt ad ſe veniret, datis literis inuitauit, & Valentiam vſque, Petrum Gonzalem Epiſcopum Seguntinum, qui honorificè deduceret, miſit. *Surita. Annal. lib. 18. c. 40. 44. 46. Papien. ep. 441.*

VIII. *Sixtus PP. claſſē in Turcas mittit.*

Quartum Legatum Sixtus Cardinalē Oliuerium Caraffam Neapolitanum, Neapolim ad Regē Ferdinandum ire iuſſit, claſſiq; contra Turcas paratæ præfecit. Præmiſerat Archiepiſcopum Piſanum, vt quinque triremes in portu Piſano ad nauigandum componeret. totidem Anconæ fuerant. ſex à Venetis ſperabantur: reliquum ad numerum xx. ex Mediolano, & Liguribus deſiderabitur. Ipſe Sixtus, Romæ in alueo Tyberis aliquot inſtruxerat. Die ſolenni corporis Domini, mane, aſtante Pōtifice, & Patribus, Cardinalis Legatus in Baſilica Petri ſacris operatus eſt. Vexilla inde triremiū ex more benedicta, in magna frequētia de manu Pontificis ſumpſit & pranſus eſt apud eum. Ad horā xx. nouo exemplo idem Pontifex comitante Senatu, & Curiâ, Legatum duxit ad claſſem, quæ paulo infra Baſilicam Petri in medio Tyberi ſubſederat. Aſcendit Prætoriam, & à puppi ex loco edito, benedixit itē triremibus, & ex Legato, & familiæ, & omni nauticæ turbæ; quib⁹ ſiue in prælio ſiue caſu alio, vita migrantibus, plenam peccatorum remiſſionem indulſit. Complexus indè Legatū, in triremi eum dimiſit; atque is Caietam primo appellens, non prius Neapolim progredi voluit, quàm Regem ſui aduentus admonuiſſet. Neapolim veniens, magnis acceptus fuit honoribus, non à Rege modo, & filijs, ſed à populi etiam Neapolitano. Antiſtitis ſui ſtudioſo, ac cupido. Erat quòd Pontifici Ferdinandus tantum honoris deferret. Cenſum, quem debebat, quique viuo Rege poterat Sedi Apoſtolicæ ex regno Siciliæ deberi, cōdonarat illi Sixtus. Ducatum præterea Soranum, ac nonnulla Neapolitanæ ditionis cis Lirim oppida, iam antè à Pio ſecundo Eccleſię parta, eidem reſtituerat; cum is, & triremes duas ad cuſtodiam littoris Romani exhiberet, & Romanā Eccleſiam ſuis temporibus tueri ſpondere, omnibus tam ſtipendijs, quàm viribus, & exercitibus regni addita cautione, vt liberalitate omni Sedis Apoſtolicæ caderet, ſi à promiſſis abiret. Quo autem firmior neceſſitudo eſſet, Ferdinandus Rex neptem ſuam Catharinam, ex Martiano, & Eleonorâ ſorore procreatam, Antonio Ruuereo Pontificis nepoti, recens creato Vrbis Præfecto vxorem dedit, Sorâ; atq; Apino, vtrique conceſſis. Societatem quoque, & affirmitatem, Galeazij Sfortiæ Mediolanenſis; & Herculis Ateſtini Ferrarienſis, Ducum, Ferdinandus, æque, ac Sixtus expetiuit. Quamobrem alteram neptim Iſabellam, Alphonſi Calabrorum Ducis filiam, Ioanni Galeatio, Galeatii Sfortię filio adhuc puero: alteram Eleonoram ex eodem Alfonſo filio ſuſceptam, iam anteà Sfortiæ Mariæ, Galeatij Fratri deſponſam, ſed nondùm vitiatam, & reuerentia potiùs paterna, quam voluntate propria nuptam, ſoluente ob eas cauſas prius Matrimonium Pontifice, Herculi Ateſtino in matrimonium collocauit: Galeaſius verò, Catherinam filiam, extra matrimonium natam, Hieronymo Riario, Pontificis neceſſario pariter coniugem deſpondit. Foro Cornelio, nomine dotis, reſtituto. Vtque potentior ea ſocietas foret, Friderico Ferdinandi filio, Ioanna Aragonij Regis filia, eodem quoque tempore deſponſa eſt, vt Ioannes Rex eò faciliùs, & ad ſacrum bellum ſuſcipiendum, & ad obedientiam Sixto Pontifici ſolemni more per Oratorem præſtandam, quam cæteri Europæi Reges hactenus præſtiterant, is autem ſolus vnus diſtulerat, adduceretur. *Surita lib. 18. c. 46. Mariana ſupra. Papien. epiſt. 425. 439. 440. 444. 449. Bugatus lib. 6 Pigna. lib. 8. Stephanus Infixura in notis diarijs Rom. Michael Brutus hiſt. Florent. lib. 4.*

IX. *Malè Turcis ſuccedit.*

Inter hæc ad diem xvii. Iulij, Romæ in Conſiſtorio publico recitatæ ſunt litteræ recentes ex Græcia, quibus ſecundæ res de Vſumcaſſano, Pontifici ſignificabantur. Affirmabant, Trapeſſundam expugnatam eſſe; cætera præter arcem non validam, in ditionem eius veniſſe; exercitum eſſe ingentem pluſquam ſexcentorum millium; peruagaturum mox reliquam Aſiam, ſi non obſiſtatur; Turcum non eo animo ſe expedire ad bellum, quo aliquando Chriſtianos inuaſit; metuere multum ægra anima eſſe, & corpore, ac plurimum pedibus laborare. A Venetis magna ijs nuntijs fides habita eſt, præſertim quod conſtanti fama continuarent. *Papien. epiſt.* 455. ſcilicet per hos dies venerat Vſumcaſſani Perſarum Regis orator Azimameth ex vltimis terrarum finibus. Rhodum, vbi Veneta claſſis ex Attalia profecta aderat, & Mocenico Imperatori hæc, & alia de victorijs Regis ſui renunciauerat. Affirmabat propterea, ꝙ maiorem quoque ille Armeniam inuaſerit, in qua prouincia ſæpè hoſtis debellatus, Toccatam opulentiſſimam eius regionis vrbem, Perſicis occupatam armis amiſerit: maioraque Vſumcaſſanum in Turcas moliturum dicebat, ſi Chriſtiani Principes, & præcipuè Veneti in Perſiam ad eum bellica opera, tormentaque ænea, quorum Perſæ rudes, ignarique habentur, mari mittenda curarent, ſociumque Regem ijs iuuarent auxilijs. Mocenicus benignè Oratoris poſtulata audiuit, gratulatuſque eſt ei publico nomine, de rebus à Rege ſuo in Armenia pręclarè geſtis, hortatuſque ad hæc illum, bene ſperare, fore certo affirmans, vt omnia, quæ petiturus aduerſus communem hoſtem veniſſet, facile impetraret, oſtentaque valediſſima claſſe, eam Regijs imperijs obtulit. Cum his in Italiam Perſa dimiſſo, Mocenicus, cęterique Duces Aſiæ maritimam oram petentes, in Otthomanum bellum renouarunt, & primum claſſe ad Thermerium Myndiorum promontorium ducta, dextra, leuaque Epyrothæ, ac ſocij equites, ac ſocij nauales in littus expoſiti, frugiferum agrum paſſim depopulati ſunt; barbaroſque occurrere auſos, ferro proſtrauerunt: ex quibus ſupra centum capita obtruncata abſciſaque, ad naues relata fuerunt. Magnus quoque mortalium numerus in captiuitatem abductus inde in Naxum tranſmiſſum, Aragoniuſque hinc Pręfectus cum claſſe ſua, quia iā hybernorum tempus aderat, Neapolim conceſſit. Ad Modruſienſis Pontificius pro Cardinali Legatus, Moceniculque, Hiſpano abeunte, minime in ocio fuere, Smyrnamq; olim nobiliſſimam Ioniæ vrbem oppugnauere. Admota enim claſſe, milites, nautaſq; in terram ſtatim expoſuere. Hi primo impetu ita ſtrenue, atque impigra rem geſſere, vt hoſte, qui in propugnaculis, mænibuſque ad cuſtodiam erat depulſo vrbem tranſcenderint.

*Chriſtiani Smyrnam diripiunt.*

Territi Smyrnei alij cum liberis, & vxoribus in Moſcheas ſuas confugiunt; alij victori reſiſtere auſi, è ſummis tectis, tegulas, ſaxa, aliaq; telorū genera in Chriſtianos deuoluūt. Irritatus itaq; victor per vrbē ferociter diſcurrens, obuios trucidat, ædes diripit, incēdit, ac ſacra, prophanaq; violat, nec non puberes, virgineſq; captiuas trahit: ex quibus, tradunt, fæminā florēti ætate, quū ad naues violento raptu abduceretur, mariti ſepulchro, in ꝙ fortè ita abſtracta inciderat, ꝓcumbentē hæſiſſe, ac flebili eiulatu ſup illud ore, pectoreq; emiſſo, mariti nomen ſæpiùs vocaſſe, atq; quū circà buſtū puella affixa, inhæreſq; perſtaret, & nec precib⁹, neq; minis facilè inde diuelli, amoueriq; poſſet à temerario milite gladio traiecta eſt, & quo illa voluit, optauitque loco exanimis relicta. Ad captæ vrbis famā, Balabanus, qui prouinciam adminiſtrabat, ex proximis ſtatiuis excitus, cum tumultuaria Turcorum manu ſubitò affluit; in cuius occurſum Peloponeſiacus eques audacter profectus, prælium capeſſere non dubitauit. Affluere in auxilium, & turmæ nauales atque æquo Marte aliquandiu pugnatum. Mox Balabano Duce cadente, hoſtes ingenti occidione profligantur. Smyrnam victores reuerſi, poſt tranſlatā ad naues opulentam prædam, vrbem iniectis flammis incenderunt. Ità nobiliſſima ciuitas, ſcriptoribus Græcis, & Latinis decantata, breui ſpatio in cineres collapſa interijt. Claſſis inde celeriter abducta, ad adiacentes circū inſulas appulſa eſt; ibiq; prædā ſub corona vēdita, manubijſq;, æqua portione, omnib⁹ diuiſis, quarto deinde die Clazomeniū littus tenuit,

copiaſque in terram expoſuit, quibus barbarorum opes ex agris, finitimiſque locis in prædam actæ ſunt, hoſtiumque equites in Clazomene oppidum fugati. Poſt hæc quum iã hybernorum tẽpus appeteret, Põtificius quidem Legatus collaudatâ Mecenici, & Sociorum virtute, cum Romanã claſſe in Italiam abijt, Mocenicus Nauplitæ ſubſedit; vbi Siculus quidam adoleſcens, magni facinoris authorem, ſe obtulit: ſcilicet Otthomani claſſem Garipoli ſubductam, abſq; cuſtodia ſtationem habentem, cum toto armamẽtario incendere, & confeſtim præmio propoſito, negotiatorem mentitus, vafroq; vſus conſilio, ſcaphã pomis refertam parauit, eamq; conſcendens, Dardanulis ſuperatis, cum Garipolim ignotus appuliſſet, inſtituto per diem quæſtui operam dedit; ſequenti nocte armamẽtario, quam occultiſſimè potuit, ignẽ iniecit, ſed flammas iam in proximas naues tranſiliẽtes, magnus barbarorum concurſis ad locum factus, ſubito reſtinxit. Adoleſcens re parum feliciter tentata, Helleſpontum relinquere, celeri, expeditoque itinere ſtuduit, naniculaque mari demerſa, in proximum nemus concedere coactus eſt. pomis autem paſſim fluitãtibus inſpectis, prodit[9], & ex fuga retractus, atque ad Otthomani conſpectum adductus, magni animi ſpecimen oſtendit. Rogatus enim, quâ ſuâ iniuria in tantum facinus prorumpere auſus fuiſſet, reſpondit; *Communi Chriſtiani nominis hoſti nocere volui, pulchrumq; omnino facinus aggreſſus ſum: ſed pulchrius fuiſſet, ſi quemadmodum in nauticum apparatum, flamma, ita in tuum caput, Rex Otthomane, ferro graſſari licuiſſet.* Admiratus Tyrannus adoleſcentis indolem; irarumque ex reſponſi indignitate plenus, eum crudeli, inhumanoque more medium ſecari imperauit. Ac ſub id tempus Veneti, Ioſephum Barbarum Oratorem in Perſiam ad Vſumcaſſanum, cum muneribus, & ingenti tormentorum, quæ petierat; numero tranſmiſerunt, Mocenicumque monuerunt, vt ad Vſumcaſſani iuſſa, claſſem paratam haberet, & quo accerſeretur confeſtim eò iret. *P. Iuſtinianus hiſt. Venetæ lib. 9.*

*Siculi cuiuſdã audax facinus.*

X. Docuerunt, poſſe Otthomanicas vires quantumuis potentiſſimas, profligari, ſi modo communiter collatis Principum aliorum auxilijs intrepido animo in hoſtem eatur. Quæ dum ego ſcribo, commodum mihi delata eſt Neapoli, primum deinde Madriti edita relatio de ſucceſſibus belli, quod nuper felicibus auſpicijs in Valachia, Sigiſmũdus III. Poloniæ, & Sueciẽ Rex Ladislaum filium, & Carolum Chodloiouicium, copiarum ducem contra Otthomanos geſsit. Dabo exemplar, (quamquam extra aleam) & ad gloriam numinis Diuini, Polonos in periculoſo difficillimoque eo prælio iuuantis, & ad ſempiternam memoriam pientiſſimi victoris; & vt Chriſtiani Principes cognoſcant, poſſe Turcicum imperium ruere, ſi ipſi voluerint, ſociaque arma contulerint; ad euertendum hoſtem, ſingulis formidandum.

*Turcarum vires profligari poſſe oſtenditur.*

NARRATIO
DE PRÆLIIS GESTIS
INTER POLONVM, ET TVRCAM
Annis 1620. & 1621.

*AD SERENISSIMVM CAROLVM Hiſpaniarum Infantem.*

PER MATTHIAM TYTLEVVSKI
Nobilem Polonum.

In Albam Aquilam, inſigne Regni Poloniæ.

EXPAND IT *ALAS SVAS, ET ASSVMPSIT eum, Dominus ſolus Dux eius fuit.*

*SCeptrigeri, expanſis, quorſum Iouis armiger, alis,*
*Ingens Iechiadum ferris in ætra, decus:*
*Iam tibi Sarmaticis deſiſtit præda cauernis,*
*In Lunam, & Stellas horrida bella moues.*
*Iamq; tuo gemuit Mahometi Luna ſub vngue,*
*Quò rapidus lambit Dacica prata Tyras:*
*Impete Mahumeti rediens in prælia Sydus,*
*Nec paucas, tecum Iupiter ipſe tonat.*

SERENISSIMO PRINCIPI, DOMINO, D. CAROLO HISPANIARUM Infanti.

*DVo Iam anni elapſi ſunt, ex quo Sultanus Oſmanus Turcarum Imperator, commotis Turcici, Tartaricíq; Imperij viribus, cum quadringentis barbarorum millibus Regnum Poloniæ infeſtaturus in Valachiam venit. Cui vti ſacra Poloniæ, & Suetiæ Maieſtas, Dominus meus Clementiſsimus, ſolis Regni ſui viribus, & mira Sereniſsimi Vladislai Principis, fratris Serenitatis veſtræ fortitudine reſtiterit; vel ipſa Regni Poloniæ, in tanta tempeſtate defenſa ſalus! vel tam numeroſi Turcarũ exercitus Valachicis in campis ſtrages! vel ignominioſus ſolius Oſmani cum reliquiis copiarum infectu rebus in Thraciam receſſus! vel ipſa denique ipſius mors, & præſens Imperij Othomanici fluctuatio abundè teſtatur. Æquum profectò eſſet, vt doctiſsimus quiſque ſuis monumentis exararet, hanc multa ante ſecula non viſam bellorum molem, qua horrendus Chriſtianorum terror armis vnius Regis Chriſtiani conflictatus ceſsit. Cumque alij rem noſtrã tanquam externam ad poſteros traducere negligerent, vt ijs ego occaſionem, & incitamentum ſcribendi praberẽ, ſimplicẽ præliorũ narrationẽ ſuccinctè confeci. Quam cùm Matritum veniſſem in idioma Hiſpanicum transferri procuraui, vt palàm bellicoſiſsima Hiſpanorum nobilitas, Gotticæ, Vandalicæ, Alanicæq; ſtirpis Polonæ nobilitatis, ex qua pariter ea oriũda eſt, res præclarè geſtas intueatur. Cuius quidem operis mei rudis, & inculta Minerua, etſi coram Serenitate veſtra comparere reformidet, tamen eam non elegantiarum floribus ornatam, ſed cruore cæſorum hoſtium coloratam, non Apollinis cõcentibus reſonantem, ſed armorum ſtrepitu frementem, atque martiis Sereniſsimi Vladislai Principis, ac Polonæ nobilitatis factis, & virtute condecoratam, ſubmitto tutelæ, & protectioni Serenitatis veſtræ, quam etiam Mars, & Bellonæ auitis æquare triumphis ſtudet. Cum enim Serenitatem veſtram inclytamque domum Auſtriacam, ob tam arctum conſanguinitatis vinculum de laudabilibus Sereniſsimi Vladislai Principis factis gloriari concernat, proinde id Serenitati veſtræ dico, dedicoque, vt inde Serenitas veſtra admirandam, Sereniſsimi Vladislai Principis fortitudinem, ſuſcipiat, & poſteri eandem poſteris miraturæ ſeculis enixè imitentur.*

Serenitatis veſtræ humillimus ſeruus,
*Matthias Tytlevvski.*

DE VICTORIA SIGISMVNDI TERtij, Sereniſſimi Regis Poloniæ, & Suetiæ.

Elegia P. Gerardi Montani, Societatis IESV.

*IN flores dum prægnat humus, riphæaque blandus*
*Occiduis Zephyrus frigora mollit equis.*
*Odrijſque nefas Progne per rura Tyranni,*
*Et fractas læto Carmine cantat opes.*
*Hic quoque qua vitreis it Manzanarius vndis*
*Cæruleam muſco cinctus olente com m.*
*AEonijs Pæana modis (O maxime Regum)*
*Et canimus laudes ore minore tuas.*
*Fertilis vmbroſa dum turget in arbore ramus,*
*Scenaq; cæruleas denſa coronat aquas.*
*Hei mihi vocales propriis de fontibus vndas,*
*Cur non è Nymphis præbuit vna nouem!*
*Non ego maiorum celebrarem facta tuorum,*
*Iuraque quæ terris, quæq; dedere mari.*
*Vandalus vt fortes inuictus adegit Iberos*
*Subdere Sarmatico colla premenda iugo.*
*Heſperiisq; dedit victor noua nomina terris,*





*Bætis oliuifera quas vagus ambit aqua.*
*Vt patrios Afri faſeos, Maſſylaque tellus*
*Horruit, atque Aquilas Martia Roma tuas.*
*Non latos denſo munitos milite fines,*
*Aut culti exequerer iugera amæna ſoli.*
*Qua Tanais ſpumat, rapidique Boryſthenis audax;*
*Vnda negat ripis cedere Nile tuis.*
*Illa olim plectro forſan meliore ſonabit,*
*Perque freta, & terras Calliopæa feret.*
*Nunc tua me virtus, potuit qua frangere Turcam,*
*Trëiciaſque feri turbine Martis opes.*
*Caſtalias feſſum Thyrſo grauiore per vmbras,*
*Perque nemus Pindi, perque Helicona rapit.*
*Qua virides inter lauros argenteus humor,*
*Bellerophontæi pelluit antra lacus.*
*Quis mihi Phœbæa cingi det tempora lauro?*
*Bellaque Pindarica flare ſonora tuba?*
*Vt vaga me Phœbo tellus ſub vtroque canentem*
*Audiat. & laudes vltima regna tuas?*
*Reſpirat nam feſſa tuis Europa triumphis,*
*Sæuaque compoſito Thracia Marte ſilet.*
*Nuper ad heſperias alis pernicibus oras*
*Venit ab Arctois garrula fama plagis.*
*Innumeras referens Soldani ſigna ſecutas,*
*Daciaco gentes caſtra locaſſe ſolo.*
*Implerat latum magnis terroribus orbem*
*Viribus, & numero fiſa Iuuenta ſuo.*
*Quaque aperit vaſtos fœcunda Valachia campos.*
*Vix habuit turbis inde vel inde locum.*
*Hinc Daci, hinc Sparſis volitabat Tartarus alis,*
*Et celeri epotum calce premebat equum.*
*Et Beſſi, & ſumptis Thracum non tarda ſagittis,*
*Obruerant currus agmina Phæbe tuos.*
*In caput iſta tuum Rex cogitur inclyte nubes,*
*Inque tuum haud ſolum cogitur iſta caput.*
*Cingeris heu tantis, peteriſque Europa periclis,*
*Et dare quis miſeræ tunc tibi poſſet opem?*
*Effera feruebat grauibus Germania bellis,*
*Et Rhenus vitreis decolor ibat aquis?*
*Franciadas, tumidumque furens Bellona Batauum*
*Impulerat raucis arma nouare tubis.*
*Ciuilis totum turbarat Enyalus orbem,*
*Omniaque inſani plena furoris erant.*
*Hæc tua Threicius ſperabat fraude Tyrannus,*
*Regna ſub Imperio iungere poſſe ſuo.*
*Iamque triumphatum magno cum Cæſare Rhenum,*
*Subque iuga Aenotriam mittere viſus erat.*
*Stelliferumque alta pulſabat cuſpide cœlum,*
*Ebrius illecebris Antia diua tuis.*
*Quo miſer in cædes raperis mucrone cruento?*
*Funeſtum Mauors perfidus omen habet.*
*Thermodontææ nam quid numeroſa Iuuentæ*
*Turba, vel Aemonijs agmina miſſa iugis.*
*Sarmaticas Aquilas contra, durumque Pruthenum,*
*Atque Sigiſmundi fortia ſigna queant?*
*Ille leues, caſtris ſeu vult educere turmas,*
*Bellaque collato ſæua mouere pede.*
*Siue per hoſtiles effundere Martia campos*
*Agmina, & audaci ſtringere tela manu.*
*Horrendas late ſtrages, & plurima terris*
*Funera ſpumigero lucidus edit equo.*
*Nec terra tantum Turcas proſternit inertes,*
*Sed pelago & regnis Ermoſygæe tuis.*
*Euximum curuis ſi claſsibus impleat æquor,*
*Pontiuagaque ſecet puppe Coſaccus aquas.*
*Nympharum vallata choris occurrit eunti*
*Subiecto ſternens æquora piſce Thetis.*
*Ipſe præit Triton, gemmaſque, & lucida conchis*
*Munera fert toto cærula turba mari.*
*Et lætas lauri frondes, hæderæque ſequacis*
*Imponit pictæ ſerta ſecunda rati.*
*Quid metuis Scythico fulgentes ære cateruas,*
*Crinigerique arcus Auſonis ora Getæ?*
*Pone metum, inſani ceſsere pericula belli,*
*Iam litui, & curuis flexibus æra ſilent,*
*Boſphorus aduerſæ concuſſus turbine fortis*
*Damna parum fauſto triſtia Marte gemit.*
*Armigeraque fugax ad inhoſpita littora Thraces*
*Fulmineos pubes barbara vertit equos.*
*Pingueſcunt lati Turcarum ſanguine campi,*
*Quaque acies ſteterant, fertilis herba viret.*
*O quanta campos impleuit ſtrage patentes*
*Inuadens celeri caſtra Coſaccus equo.*
*Quale minax vacui conuexa per ardua mundi*
*Aetherea tortum fulmen ab arce volat.*
*Altaque vibratis quatit Acroceraunia flammis,*
*Et nemora, & quercus, & iuga læta tremunt.*
*Stat tempeſtatis deprenſus turbine Paſtor,*
*Quem procul à ſtabulis auia teſqua tenent.*
*Lanigeroque cauis ſecum grege rupibus addit,*
*Duraque ſollicitus concutit oſſa tremor.*
*Formoſus donec nitidi bipatentia cœli*
*Purpureis Phæbus culmina pandat equis.*
*Quid referam infandos aſtus, fraudemque retectam?*
*Cumpreſsit ſæuos debita pœna Dacos.*
*Nox erat, & cœlum ſinuoſis flexibus Arctos*
*Cinxerat, & rebus iam color vnus erat.*
*Subiectis ſarmenta iubet Dux vrere flammis,*
*Educitque acies nocte ſilente ſuas.*
*Soldanus flammas conſurgere ad æthera cernens,*
*Caſtraque fumificis cincta nitere rogis.*
*Perfidus immittit denſis cuneata maniplis*
*Agmina Sarmaticas non fugitura manus.*
*Sulfureis ſtridebat hyems Mauortia nymbis,*
*Brontis vt ætherio cum ſonat axe fragor.*
*Enſibus & ſtricto mox eſt res geſta metallo,*
*In cædem hirſutos cum tulit ira Getas.*
*O quantum cæcis Dryades metuere ſub antris,*
*Igne furens torto dum catapulta furit.*
*Ipſa etiam, vt perhibent, mouere cacumina quercus*
*Concuſsitque ſuas ſylua timore comas.*
*Nocte furit tota Mauors, Tithonia donec*
*Effera purpureis bella diremit equis.*
*Tum ſtrages patuere virum, cumulataque campis*
*Oſtendit roſeo funera mane dies.*
*Et truncos paſsim, fractaſque, per arua ſariſſas,*
*Et madidum tabo ſicut ab amne ſolum.*
*An ſileam, emeriti cum per confinia fratris*
*Surgeret, & niueis Luna niteret equis.*
*Cladibus exultans varijs, palmaque Coſaccus*
*Preſſerit, vt crebris Thracia caſtra dolis?*
*Funeribusque ſatur ſpolijſque oneratus opimis*
*Per medium Iſmarijs iuerit agmen equis?*
*Caſtra ſuperferre volitans Libitina cruento*
*Mille ſub infernas funera agebat aquas.*
*Occubuit belli decus omne, Hectorque momordit*
*Exanimi labens gutture inultus humum.*
*Hinc clamor, planctus illinc, cædeſque, fugæque,*
*Plenaque terrifici caſtra pauoris erant.*
*Inſanos gemitus, iuuenumque extrema cadentum*
*In mare nymbiſoni verba tulere Noti.*
*At tuus, ò quantos cædis calcabat aceruos*
*Signa fero miles proſpera Marte gerens.*
*Viciſti, & nullo delebile temporis æuo*
*Quæſitum exiguo ſanguine nomen habes.*
*En cedens tendit poſitis, inglorius armis*
*Soldanus victas ad tua iura manus.*
*Turciadum fugere cohors, comitatur euntes*
*Pallor, & exangui luridus ore dolor.*
*Et furor, & tumido præceps audacia vultu*
*Pauperieſque tenax; & male ſuada fames.*
*Quo poterit Daphnes luco victoria frondem,*
*Sertaque pro meritis carpere digna tuis?*
*Barbaries telo per te depulſa potenti eſt*
*Auſpicijſque ſumus libera turba tuis.*
*Nectendas Geticis poſt tergum Europa catenis,*

*Nec dedit aſſuetas ſceptra tenere manus.*
*Tu quoque, Perſarum quem nec potuere phalanges*
*Nec terrâ Cæſar, nec ſuperare mari.*
*Externi nullo viciſti militis vſu;*
*Solus & impoſito ſub pede colla tenes.*
*Oſtendit vacuas pubes Othomanna pharetras,*
*Submittitque arcus Boſphorus ipſe ſuos.*
*Calliope virides Parnaſſi in culmine lauros*
*Colligat, aut lucis Cyrrha canora tuis.*
*Et laudibus plaudens victoria ab æthere pennis*
*Aurea purpureas ſpargat in ora roſas.*
*Te Tanais, gelidaque palus Mæotidis horret,*
*Cimmeriiſque abdit ora Tyrannus aquis.*
*Ditis ad Armeniæ fines, cui littora parent,*
*Pyramidumque alto Memphis honore tumens.*
*Euphrates balanum tibi fundat, & India coſtum,*
*Inque tuas laudes axis vterque ſonet.*
*Aurea nexilibus veletur regia ſertis,*
*Plurima per que fores, tectaque laurus eat.*
*Stent pharetræ, atque arcus, clauaq; altaria circum,*
*Raptaque Threicio ſpicula mille Duci.*
*Barbaraque ad magnum ponatur præda Tonantem,*
*Inque ſuis flammis myrrhaque, thuſque ſonent.*
*Millia nam ſtygias, quod ſunt tibi miſſa ſub vmbras.*
*Odryſioque ferax terra cruore madet.*
*Inque tuis ſedem fixit victoria caſtris,*
*Exiguaque decus ſtrage perenne dedit.*
*Quod dubii caſus, & ſæua pericula Martis*
*Viciſti, atque hoſtem ſub pede celſus habes.*
*Non ducis hæc tantum vis, & prudentia præſtat,*
*Non tela, at magni dextra, fauorque Dei.*
*Ille ferit curuo lunatas orbe phalanges*
*Ille tuas acies, caſtraque cuncta regit.*
*Ille piis vires, animumque in bella miniſtrat,*
*Et valida hoſtiles diſſipat arte globos.*
*Te colimus, Deus alme Deus, tibi munera amomi*
*Vrimus, & tepidis grana ſabæa focis.*
*Tu pacem, tu bella geris, tibi Dædala tellus,*
*Et placidis pontus ſe tibi debet aquis.*
*Te gelidæ metuunt hyemes, tibi militat æquor,*
*Nubiferique ruunt ad tua ſigna noti.*
*Auſpice te læti floreſcunt vndique colles,*
*Spiciferaque Ceres meſſe coronat humum.*
*Tutæ per herboſos reſpirant gramina campos,*
*Perſultantque vagi pabula læta greges.*
*Sarmatiam placido pius aſpice ab æthere vultu,*
*Quam latus gelidis Viſtula cingit aquis.*
*Neue neges populi voces audire precantis,*
*Bellaque fulminea vincere noſtra manu.*
*Tu face, Rex Othryn ſuperet generoſus, & Hæmum*
*Figat, & Iſmariis alta trophæa tholis.*
*Tunc tibi fumabunt Syriis altaria flammis,*
*Tibiaque aptatos fundet eburna modos,*

## IN BELLVM SARMATARVM
### Cum Turcis.

*NOn olim tantum longinſquis edita terris*
*Enceladi fertur conciniuſſe ſoror.*
*Parthus Achemenium cum Xerxem vicit, eaſque,*
*Quas ante horruerat ſub iuga miſit opes.*
*Ingentes quamuis amnes hauſere bibendo,*
*Et Phœbum telis occuluere ſuis.*
*Sarmaticæ quantum celebratur gloria palmæ,*
*Qua nihil in toto grandius orbe ſonat.*
*Odryſias illi magna fregere cateruas*
*Virtute, & robur Turca ſuperbe tuum.*
*Innumeras duræ iugulabant cuſpide gentes,*
*Vt cadit obliqua ſaucia falce Ceres.*
*Sublimes horum formabant corpora montes,*
*Et denſus paſſim cædis aceruus erat.*
*Qua turba ferro traiectæ pectus acuto*
*Lata coloratus ſparſerat arua cruor.*
*Sæpe videbatur per apertos vndique campos*
*Purpureis largum currere flumen aquis.*
*Donec ab aurato pugnam Sol cerneret axe,*
*Credibile eſt curſus detinuiſſe ſuos.*
*Sed tamen his vnquam ne cedere Turca recuſet,*
*Nec quæ nutrito Marte ſuperbit humus.*
*Ipſe triumphantes Mars illos vidit, & inquit*
*Quam mallem in veſtris editus eſſe locis.*

D. Didacus de Benauides,
Comes S. Steph. Hiſpan.

## DE SERENISSIMO SIGISMVNDO III.
### Poloniæ, & Suetiæ Rege.

*FAma Iouis telo, penniſque citatior Euri*
*Facta Sigiſmundi trans Garamanta vehit.*
*Orbis in has partes, in quas ſi vera fatetur*
*Facta Panumphæi non tulit illa Iouis.*
*Vicere Oſſæos cum tela triſulca bimembres*
*Fractaque Phlegræi militis ira fuit.*
*Conueniunt Nymphæ Lybetrides, & mihi clamant*
*Eia Sigiſmundi carmine facta refer.*
*Solus Hyperboreum ſeptem virtute trionem*
*Terruit Emathii qui propiore ducis.*
*Inſanire puto vos Nymphæ, ferre iubetis*
*Scilicet aſtrigeros Aſtyanacta lares.*
*Scilicet Aeacidem gladio, belloque priorem,*
*Omnibus inferior vatibus ipſe canam.*
*Finem longa meis imponet verſibus ætas,*
*Longa Sigiſmundo tempora facta dabunt.*
*Iſta cothurnatum celebrare iubete Maronem*
*Pocula, cui veſtra plena dediſtis aqua*
*Qualia ſint reputans Maro protinus ipſe canenda*
*Mæonidæ mittet, Mæonideſque Cyno.*
*At Lynus, iſta poteſt Amphion dicere ſolus,*
*Amphion dicet, ſolus Apollo poteſt.*
*Virgilius canat Æneam & Homerus Achillem,*
*Nec celebrare ducem ceſſet vterque ſuum.*
*Dictæi cantet Iouis inſuperabile fulmen*
*Innachius memorans Oromedonta Lynus.*
*Te tuus Amphion modulans Aracynte celebret*
*Molle Cyteronis, nec taceare iugum.*
*Facta Sigiſmundi dumtaxat cantet Apollo,*
*Non alia dici debuit iſte Ghely.*

Didacus Ocquetus
Soc. Ieſu. Hiſpan.

## SERENISSIMO VLADISLAO POLONIÆ,
### & Suetiæ Principi.

*CLara Vladislao celebrate trophæa Camenæ,*
*Bellaque Mæonia tollite ad aſtra lyra.*
*Tempora Pimplæo cadentia nectite ſerto,*
*Perque comas victrix vndique laurus eat.*
*Ille pharetratos proſtrauit cuſpide Turcas*
*Atque egit partes miſſilis haſta ſuas.*
*Nunc poſt tot cædes, poſt tot diſcrimina Martis*
*Sarmatiæ Salus redditur ecce ſuæ.*

D. Franciſcus de
Contreras. Hiſp.

## AD VLADISLAVM SERENISSIMVM,
### Poloniæ, & Suetiæ Principem.

*PRogenies Regum, cui tramite ad æthera recto*
*Fama viam niueis bellica pandit equis.*
*Inque pharetratos tollentem Martia Turcas*
*Signa, vagus rapidis horruit Iſter aquis.*
*Sic tibi lucentes non vno littore gemmas*
*Expuat æquoreis Balthica Doris aquis.*
*Et cityſo campos, roſeoque papauere cingat*
*Sufficiens gregibus gramina læta Pales.*

Viſtu-



*Viſtula qua gelidus Phœbo ſubiecta cadenti*
*Rura dionæis ſcindit amicta roſis.*
*Barbara ſic poſitis olim te Thracia bellis,*
*Imponat Solio, ſuſpiciatque tuo.*
*Accipe, quæ Latio longè præconia plectro*
*Sub Harteſſiaci fudimus axe poli.*
*Neue parùm culto graue ſit tibi prælia dici*
*Pectine, neu plectri deſpice inertis opus.*
*Nam nihil in terris te fama ſerenius vno*
*A Tanai ad Gangem, Phaſidaque eſſe canit.*
*O quoties denſa Phœbus cum nube lateret,*
*Fulſit ab aſpectu clariùs ipſe tuo.*
*Nymboſos illo Coros & nubila pellis,*
*Caſtor vt in nidito luceat altus equo.*
*Illo nos recrea, trepidas quo ſæpe phalanges,*
*Et rege ſollicitam per freta cæca ratem.*
*Hic mihi Caſtor erit tantarum in gurgite laudum,*
*Vnus erit dubiæ ſidera mille rati.*
*Hoc ſine num metuo in Syrtes impacta vadoſas*
*Obruta nè immenſis cymba fatiſcat aquis.*
*Ergo ades Europæ præſens tutela, meæque*
*Dirige ſecurum per vada nauis iter.*
*Auſpiciis, animiſque tuis fulgentia ſoſpes*
*Signa per obſtantes Sarmata ſæpe tulit.*
*Te duce compreſſis fœlix victoria bellis,*
*Sæcula falciferi fertque, refertque ſenis.*
*O quantum pictis te ſurgere Boſphorus armis*
*Vidit, & immiſſis obruit ora vadis.*
*Conſeræ cinctus cum lumina aſſide circum*
*Miles in aëriis conſpiceretur equis.*
*Ferreaque æthnæis grando ructata procellis*
*Terribili latam ſtrage repleret humum.*
*Sarmaticas vidit te cærulus auſpice turmas*
*Spumifera campos qui ſecat amne Tyras.*
*Candenteſquè Aquilas, adnotaque quominùs arma,*
*Vaſtaque, quæ miſſis glandibus ora tonant.*
*Tunc trepidi è celſo ſtupuere cacumine Fauni,*
*Nec Dryadum ſyluis tuta caterua fuit.*
*Mane erat, & liquidis Galatea emiſerat vndis*
*Fulgentes dubio lumine Solis equos.*
*Caſtra coloratus iam liquerat agmine denſo*
*Barbarus, ordinibus conſtiteratque ſuis.*
*Tortilis horribili ſtridebat buccina cantu,*
*Vicinas acies, bellaque ſæua ſonans.*
*Tempeſtas latos implebat ahenea campos,*
*Atque equitum denſus limine nymbus erat.*
*Pars arcu ſtabat, pictis pars cincta pharetris,*
*Pars haſtis, ſtricto pars procul enſe furens.*
*Sanguineique ſeges viſa eſt nudata metalli*
*Solibus aduerſis ingeminare diem.*
*Sarmaticus gemmis Princeps at ſtratus, & oſtro,*
*Aeger ab immodici puluere Martis erat.*
*Nil agis inclemens torto Rhamnuſia flagro,*
*Erumpit caſtris turba animoſa ſuis.*
*Et refugi ſimul achra ciens Mauortia belli.*
*Tranſmittit rapidis arua Coſaccus equis.*
*Inſtruitur patriis acies pilata maniplis.*
*Qualis ab idæo vertice fertur Auis.*
*Chaonio cum tela gerit phlegræa Tonanti,*
*Hincque audax alas pandit & inde ſuas.*
*Stabat vtrinque acies, mediiſque errabat in armis*
*Tiſiphonte toruo mobilis angue furens.*
*Fugerunt molles per deuia rura Napææ,*
*Inque altis trepidæ delituere iugis.*
*Soldanus lato cum cerneret agmina campo*
*Martia iam turmas explicuiſſe ſuas*
*Conſtitit attonito, defixus lumina vultu,*
*Cum triſte à læua concinit omen Auis.*
*Extemplò totis perfudit Thracia gemmis,*
*Impleuitque graui caſtra pauore timor.*
*Namque videbatur clypeo ſeptemplice tectus*
*Sauromatum Mauors caſtra ſtetiſſe ſuper.*
*Lucida Dalmatico non illi tela metallo,*
*Exuuiis pelagi, nec micuêre togæ.*
*Fundebant flammas oculi, galeæque comantis*
*Criſtatum diro fulmine lumen erat.*
*Terribiles viſu formæ, Libitinaq; iuxtà*
*Vibrabat tremula tela cruenta manu.*
*Mox ait: O ſæuum Thraces, domitura Tyrannum*
*Pieria pubes, vſque canenda Chely.*
*Tolle animos, tibi noſtra manus tela ignea torquet*
*Monſtraque ſtant hydris ſontibus hirta comas.*
*Colla acherontæis innectit barbara vinclis,*
*Tiſiphone & manes ſanguinolenta vocat*
*Europam longis iam tandem ſolue periclis,*
*Impoſuit gladiis quæ ſua vota tuis.*
*Quam niſi fulmineis tuearis fortiter armis,*
*Terrarum fracta iam ruet arce caput.*
*Quid metuis pictas imbellia tela pharetras?*
*Chaoniamque timet quid Iouis ales auem?*
*Denſa per hoſtiles nunc agmina fundere campos.*
*Tempus, & in victo ponere caſtra ſolo.*
*Dixit, & aduerſos telum molitus in hoſtes,*
*Sanguineos ſtimulis ſollicitauit equos.*
*Oſmannus verſis ſubita formidine caſtris*
*Signa referre iubet, diffugiuntque Getæ.*
*Vt Iouis argimeras cernens per inane volucres*
*Turribus è niueis alba columba fugit,*
*Sarmaticum at campo ſemper ſtetit agmen aperto,*
*Demeret igneferis dum iuga Phœbus equis.*
*In bella, & trepidos quamuis tuba rauca vocaret,*
*Maſſagetas caſtris abdidit ille ſuis.*
*Heu vbi nunc faſtus, quò tangere ſumma ſolebas*
*Sidera, quò tumidæ nunc abiêre minæ?*
*Spectabat totis cumulata cadauera campis*
*Miles, & adſtrictum frigore pectus erat.*
*Chriſtiadumq; diù bacchatus ſtrage Tyrannus*
*Qualis ab Ogygii cornibus icta Dei.*
*Taygeti ſummo decurrens vertice ſæuit*
*Baſſaris impexas dilaniata comas.*
*In Martem, & validos ſenſit cecidiſſe leones,*
*Suetaque moliri cominùs arma pudet,*
*Non vno fractos bello dum cernit, & armis*
*Turcigenas mento iam tetigiſſe ſolum.*
*Signa virii, & pharetras, denſataq; funera, & arcus*
*In pelagus roſeo detulit amne Tyras.*
*Doridaque Euxinam mutatis terruit vndis*
*Decolor horrenda flumina ſtrage ferens.*
*O quàm formoſa reſperſus Martis arena*
*Sarmata flammipedis terga premebat equis!*
*Enſe ſuo factos quantus calcabat aceruos,*
*Queis fera claudebat iam Libitina viam!*
*Fœlix Sauromates, quamuis nec olentibus aruis*
*Aurea cùm meroes Cinnama gente legis.*
*Nec foſſis auidus pretioſa pericula terris*
*Tænarea quæris nocte ſepultus opes.*
*Non tibi purpurei ſub lumina Solis, & ortum*
*Vellera populeis carpere cura comis.*
*Non aurum, non thura placent, gemmæque nitentes,*
*Quæque niger terra diuite mittit Arabs.*
*Signa ſed immenſum Mauortia ferre per orbem,*
*Proſperaque Inuicti Principis arma ſequi.*
*Illius auſpiciis flaui ceſſere Sueui,*
*Et crudus telis Maſtrata, Thraxve tuis.*
*Hoc duce ſemiuirum poteris proſternere Moſcum,*
*Strymonaque, indomitos & ſuperare Getas.*
*Quaſque procul gentes cuſtos Erymanthidos Vrſæ*
*Parrhaſio ſparſas tardus ab axe videt.*
*Parua loquor magnos iaculatus ad Aethera montes*
*Porriget Aegæon ad tua vincla manus.*
*Saxificaſque feris vittato crine colubris*
*Tartareis pelles Gorgones amne vadi.*
*Quis mihi fatidicas lauros iam tempora circum*
*Candida Appollinea cingere fronde vetat?*
*Vt pia præſago modulans oracula plectro*
*Vota Ladislao, proſpera ferre queam?*



Forſan

*Forſan & his cedet Lybicæ cortina Sibyllæ,*
*Signa dedit cœlo, nam manifeſta Deus.*
*Hinc Byzantinas Victor in ſcandere ad arces*
*Europa in niueis læta videbit equis.*
*Iam video famulis Hebrum palleſcere ripis;*
*Iam Bactra, & Pindum, iam Babylona capi*
*Daphnæa crinem redimiti fronde Coſacci*
*Victrici tollunt parta trophæa manu.*
*Applaudit, tantoque ducis plebs læta triumpho,*
*Ora Cythoriacis mergit amœna crocis.*
*Tunc quoque quanta Patris tentabunt gaudia pectus.*
*Cum cernet nati ſerta, decuſque ſui!*
*Quo feret ore iubar! Quæ fundet lumina Titan!*
*Quantaque fulgebit omnibus illa dies!*
*Cum fractis Strymon, atque Hebrus fluctibus ibunt*
*Et Tanais collo vincula dura geret!*
*O mihi ſi facili protelet Licia fuſo,*
*Laniſicis tantum de tribus vna ſoror!*
*Prælia tunc quanto modulans, nomenque cothurno.*
*Attollam rerum maximè ad aſtra tuum!*
*Tunc Aganippææ latices in Carmina Muſæ,*
*Poculaque Aonio plena liquore dabunt.*
*Fors quoque Biſtonium potero tunc vincere Vatum*
*Ingeniumque dabunt grandia facta mihi.*
*Auraque Apollineis tollet Pimplæa cothurnis*
*Spirantem Latia Martia bella tuba.*
*Sed pacis decor.. alta magis, roſeumque pudorem*
*Cumque ſacra referam relligione decus.*
*O Iuuenum Princeps, dicam, O caſtiſsime rerum*
*Sarmatiæ Titan, & Iubar vnus ades.*
*Lucidior concha, fuluum quæ diuidit aurum*
*Eoi rubro gurgite lecta maris.*
*Te placidi decorant mores, tibi murice Pœno*
*Pulchrior ambroſias ſtat pudor ante genas*
*Europæ optatam reddis ſine Marte quietem,*
*Et nitidos Soles, & ſine nube diem.*
*Sæcula diſtulerant meliores fulua metalli*
*Virtuti, & meritis numina amica tuis.*
*Iam Caſiam tellus feret, & ſine ſemine Coſtum,*
*Populeiſque fluent dulcia mella comis.*
*Nec tamen Æthiopum flaueſcent Cinnama campis*
*Omnis ab æterno verè virebit humus.*
*Vrſa, nec immenſi deuexa per algida Olympi*
*Immodico celeres frigore ſtringet aquas.*
*I age, rumpe moras, qua te tua gloria bellis*
*Parta per excelſum ducit honoris iter.*
*I pede fœlici, nec margine viſtula paruo,*
*Nec claudat nomen Sarmatis ora tuum.*
*Fama per immenſa ſe porrigat inclita terras,*
*Et magnum toto clareat orbe decus.*
*Te tumidas Babylonis opes, pharetrataque bello*
*Bactra refringentem poſthuma ſæcla canant.*
*Sacra Deo Magnis modulantes carmina templis*
*Lanigeri fundant iam ſua vota viri.*
*Feſta Pharithæis dum cingitur arma coronis,*
*Inque focis meroes gramina, thuſque ſonant.*
*I modo Centimanum, nam quis metuiſſe gigantem*
*Horrida, vel lernæ te duce monſtra queat:*
*Cuſpide Amazonias franges victrice pharetras,*
*Et cadet ante tuos Thracia victa pedes.*
*Spicula Colchiacis nil iam medicata venenis,*
*Aut picto poterit Luna iuuare metu.*
*Iam victæ cedunt acies, Pellæa triumphos*
*Sauromatæ Memphis, regnaque Eoa parant*
*Inſtruit auratos tibi læta Cracouia currus,*
*Quo victor niueis conſpiciaris equis.*
*Aeolijs at nos fidibus Pæana canemus,*
*Laudantes dextræ fortia facta tuæ.*

P. G. M. S. I.

DVplicem Sarmatiam, vel Sauromatiã veteres illi orbis ſpeculatores Aſiaticã, & Europæã dixere. Nunc de Europæa ſermo eſt, q̃ ſiue ab Aſſarmor filio Iectani de ſtirpe Sem, ſiue à Sauros, & omma Græcis verbis, q̃ viperinos oculos ſignificãt; eò q; eius popul armis, & animis præſtantes fuiſſent; ſiue à montibus Sarmaticis antiquit⁹ dicta, qua nunc ampliſſimũ Poloniæ Regnũ continet. Et verò cũ orbis ille Septẽtrionalis antiquis adumbratè patuiſſet Geographis, nõ mirũ, ſi recentiorib⁹, qui longè aliter in dies experiũt antiquorũ Authorũ relata, vana quaſi ſomnia videãtur. Vna tñ tã veteres, q̃ neoterici ſententia Europæã Sauromatiam ab Occaſu Solis flumine Vandalo, nunc Iſtula dicto; à meridie montibus Carpathijs; ab ortu flumine Thanai; à Septemtrione mari Henetico, nunc dicto Sueuico, terminari aſſeuerant.

*Sarmatia Europæa, eiuſq; fines.*

*A quibus populis olim habitata fuit*

A multis hæc nationibus priſco ſæculo habitata fuit, & potiſſimũ ab Henetis, quorum alij poſt dirutã Troiã cum Antenore Illiriã poſſedere, à quorũ nomine mare Heneticum, nunc Veneticũ, & famoſa ciuitas Venetiarũ plurium nunc prouinciarũ domina irrumpente in Italiam Attila Hunnorum Duce ædificari cœpta, nomẽ traxere; alij Pontũ Euxinum ex Aſiatica Sauromatia in Tauricam Cherſoneſum tranſuecti, inde eas regiones occupauere, quæ flumẽ Vãdalus, & mare Septemtrionale Heneticũ ab eiſdem, nunc Balticũ dictũ ambit. Hinc eos populos tantoperè propagatos fuiſſe, vt non tantũ Europæam Sarmatiã, verùm etiã Iſtriã, Dalmatiã, Myſiam, Daciã, Pannoniam, Bulgariam potentia Romanorum repreſſa poſſediſſent: variaque, ſiue à Ducibus, Regibuſque ſuis, ſiue à montibus, ſiue à fluuiis, lociſque diuerſis nomina (cum vna fuiſſet natio) ſortiti, Vandali, Alani, Roxolani, Illirici, Dalmatæ, Daci, Iſtri, Slauones (quibus vnum fuit idioma) nuncupabantur.

*Primus Gothorũ, & Henetorũ in Italiã aduentus.*

Dumq; ita Heneti in Sarmatiæ, multiſq; alijs Europæ Regnis dominarẽt, ferociſſimi ex Inſula Scandia, nũc Suetia, populi dicti Gothi, per mare Heneticũ Septẽtrionale in Sarmatiã cũ numeroſo exercitu deuecti, iure hoſpitalitatis cum Henetis, Vãdaliſque, multis ſæculis vtebãtur. Poſtmodum vnanimes, cõiunctis viribus, Imperio Romano potiti, cum armorum ſtrepitu Italiã, & Galliã peragratis, partim in Hiſpania, partim in Africa conſedere, impoſitoque duabus Hiſpaniæ Prouincijs, Vandaluſiæ à Vandalis, & Cathaloniæ à Gothis & Alanis nomine, Regibus ex Regali Gothorum ſtirpe electis ſubijciebantur.

*Primi Polonorũ Bohemorũq; Principes, & prima eorũ bella.*

Trecentis annis nomen hoc Gothorum Regum in Hiſpania durauit, tãdẽ pòſt impetum Maurorum clã, & ex priuato odio, à Comite Iuliano Tingitanæ Prouinciæ præſide, & aduerſus Mauros in Africa Duce, in Hiſpaniam contra Rodericum Gothorum Regem adductorum, Pelagius ex ſtirpe Regum Roderici ſucceſſor, collectis Gothorum, Vandalorũque viribus, repreſſa Maurorum potentia, Rex Hiſpaniæ appellari cæpit, ſtatuitque, vt ſui ſucceſſores, Hiſpaniæ, non Gothorũ Reges appellarẽtur. Ab his itaque Gothis, Vandalis, Alanis, Henetiſq; ferociſſimis Europææ Sarmatiæ populis, bellicoſiſſima Hiſpanorum natio magna ex parte deſcendit.

Conceſſerãt etiam duo germani fratres Lechus, & Czechus Principes Dalmatiæ, antiqua Henetum ſiue Slauonorum ſtirpe oriundi, cum ſuis exercitibus in Sarmatiam Europæam. Czechus ad flumen Moldam, & Elbim, vbi nunc Bohemiæ regnum cõſedit. Lechus vero vlterius Septemtrionem verſus progreſſus inter Vandalum, & Guttalum flumina, ſedem ſuis poſteris poſuit, iecitque fundamenta ciuitati Gneſnæ, quæ in lingua vernacula nidificationem ſonat, eoq; eo loco multas aquilas, earumq; nidos reperiſſet, fauſtum hoc auguriũ fore ratus, aquilã albã, repugnando forte Romanis, pingi ſuis vexillis curauit, quæ hucuſque Regno Poloniæ pro inſigni eſt.

Cum Lechus eo pedem fixiſſet ſolo, protinus à Gepidis, ſiue Vlmerigis ope Regum Daniæ fultis





cõtra belligerari cæptũ: fauit ita aduenis fortuna, vt nõ modò generoſa Lechi poſteritas eos domuerit populos, verùm etiam Siuardum Regem Daniæ, nauali prælio proſtrauerit, acceptoque in obſidem ipſius filio, tributarium ſibi fecerit.

Multa & præclara cum circumuicinis hoſtibus, Romanorumq; Imperatoribus Polonorum maiores bella geſſere; ſed cum illâ ætate barbarico, expertes literarũ, vixiſſent more, eorum fortia facta, vel alia cæcis inuoluta obliuionis tenebris, vel alia alij ſibi vendicarunt.

*Miecislaus Polonorũ Princeps, primus Chriſtianus, & Boleslaus eius filius primus Rex Poloniæ coronatus.*

Tandem diuinâ clementiâ Miecislaus Polonorum Princeps ſpreto falſorũ Deorum cultu, fidem Catholicam Romanã, anno à partu Virginis 966. ſub Ioanne XIII. Sumo Pontifice ſuſcepit. Huic ſanctè è viuis ſublato, ſucceſſit dominijs non degener patri filius Boleſlaus Chrobri, ab Othone III. Romanorũ Imperatore, albo aliorum Chriſtianorum Regum adſcriptus, & à Gaudentio Archiepiſcopo Gneſnenſi coronatus, Regium diadema ſuis poſteris, iuſque coronandi Regis Poloniæ Archiepiſcopo Gneſnenſi æuiternè reliquit.

Mouit ea Religio gentilem Sarmatiã, ſedulâq; fidei Catholicæ Polonorũ curâ, quã in extirpandis maiorũ ſuorũ ſimulacris, idoliſq; habuere; terruerunt barbaros omnium bellorum proſperi exitus, quæ pro noua ſuſcepta fide ſtrenuè geſſere, rabioſique motis contrà Polonos armis, ſui interitus, maiorum verò noſtrorum ſempiternæ gloriæ cauſam dedere. Nec detrectauit Polonus Vladislaũ Iagelonem, magnum Lithuaniæ Ducem Regno aſſumere, tùm vt fidem Romanam ſuſciperet, cùm etiam Lithuaniæ Ducatum Regno aggregaret. Is ſuſcepta fide, iunctoq; indiſſolubili fœdere Ducatu Lithuaniæ cum Regno Poloniæ, illud ità dilatauit, vt nunc primis Chriſtianorum Regnis æquiparari poſſit.

*Polonia vndè nomen traxit, eiuſdẽque termini.*

Regnum Poloniæ dictum à Pole, quod in lingua Slauonica campũ ſignificat, vel quòd illud in fertiſſimos campos, & planities ſe diffundat, vel quod eiuſdẽ incolis aperto campo bellandi mos ſemper fuerit, his continetur terminis. Ab Occaſu Solis maior Polonia, ſedes antiquorũ Poloniæ Monarcharũ finibus Germaniæ propè Elbim fluuiũ adhæret; à meridie montibus Carpatijs, ab Vngaria, & Imperio Othomanico flumine Tyras diſtinguitur; ab Oriẽte mari Euxino, flumine Boriſthene à Taurica Cherſoneſo, & magno Ducatu Moſchouiæ diſterminatur; à Septemtrione ordiendo à Liuonici maris ſinu, mari Baltico cingitur. Annis non multis elapſis, Sereniſſimus Sigiſmundus III. Poloniæ, & Suetiæ Rex ſubacto armis vltra Boriſthenem latiſſimo Seueriæ Ducatu, propè Tanaim, ſiue Don fluuium in magno Moſchouiæ Ducatu, terminos dominiorum Regni ſui diſtendit. Vaſtiſſimum eſt Regnum, & opulentum, plurima alia regna frumento, carne, & omni genere comeatus, terra, marique ſuſtentat.

*Regni Prouinciæ.*

Habet Polonia diuerſas Prouincias, quæ cũ ita vaſtę ſint, vt fermè per totã Europæam Sarmatiã extẽdãtur, regna potiùs, quã prouinciæ dici deberent; cũ tamẽ vni inſint regno, nomen eiuſdẽ ſortiuntur Maior, minorque Polonia, Magni Ducatûs Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Mazouiæ, Samogitiæ, Liuonię, Pomeraniæ, Seuerię vnum efficiunt regnum, quorũ incolę etſi lingua penitùs aliqui, alij vero dialectis tantùm inter ſe differant, omnes tamen nobiles à plebeio ſeiuncti ſtatu, vna, eademq; cum Polonis nobilibus libertate, & inter ſe pactis vtũtur legib⁹. Nec credo aliã nationẽ in orbe reperiri, q̃ Polonã nobilitatẽ quauis libertate ęquare poſsit.

*Nobilium libertas.*

*Regni vires.*

Præterea, Polonia generoſis, ijſq; ad ſuſtinendos labores aptis abundat equis, vel paſcuorum, & frumenti abundantiæ cauſa, vel maximè, cùm in armis nobilium firmamentum Regni cõſiſtat, & ijs mos auitus in equis aperto marte bellandi ſit, cuius hoſti potentiſſimo magis equeſtribus, quam pedeſtribus reſiſtunt copijs. Mirum forſan ignaris videbitur, ſi aſſeuerẽ, ex nobilitate Polona viritim conſcripta, trecenta ſelectorũ equitum millia, peditum vero centum millia, relicta domi maiori parte, tùm arcium præſidio, quam etiam agrorum colendorum cauſa, confici poſſe.

Quod robur, ſi non innumerabiles cum ferociſſimis, validiſq; hoſtiũ exercitibus, vbiq; locorum à maioribus noſtris obtentæ victoriæ, quibus Aſia, & vniuerſus perſtrepit Septemtrio, vel ſaltẽ præſens, cruentũ cum Othomano bellum, quo ille his annis duobus proximè præteritis, ſubiugando Regno Poloniæ totis fermè Aſiaticis viribus incaſſum inhiauit, cuilibet ad manifeſtandum par erit.

Cuius belli antequam originem, & cauſas dicendas aggrederer, hæc de principio, ſitu, potentiaque Poloniæ, paucis præmittenda putaui.

*Conſtantinopolis à Turcis capta.*

Poſteaquã Mahumet Turcarum Imperator regnante Caſimiro Iagelone Poloniæ Rege, anno à nato Chriſto 1453. Conſtantinopolim Paleologo Imperatori, luctu omniũ Chriſtianorũ eripuiſſet, elat⁹ ea fortuna vicinã imperio ſuo, Regnoq; Polonię tributariã Valachiã crebris petebat bellis, quibus aduerſam belli fortẽ ſæpiùs expertus, æternũ cũ Caſimiro Rege pepigit fædus. Id Regibus Poloniæ, & Turcarũ Imperatoribus sẽper ſacroſanctũ fuiſſet; ſi nõ Tartarorũ Præcopienſium. Imperij Othomanici tributariorũ, in ditiones Regni Poloniæ; viciſſimq; Coſacorum p mare Euxinũ (quo ipſi ad oſtia Boriſthenis, vbi famoſa Ouidio exulante Tomos antiquus fuerat, ex vniuerſo Regno conglobari cõſueuere) dominia Turcica igni, ferroq; depopulantiũ excurſionibus rũperetur. Hæc cauſæ belli vtriſq; populis cũ omni ætate fuiſſent, nihil tamẽ sũmis vtrorumq; viribus tentatum eſt. Priori tandẽ anno, qui milleſimus ſexcenteſsim⁹ vigeſimus erat, regnante, auſpicatè Sereniſſimo Sigiſmundi III. Poloniæ, & Suetiæ Rege; Turcarũ verò Sultan Oſſmã Imperatore, exuſta à Tartaris Podolia, opulentiſſima Regni Poloniæ Prouincia; dirutaq; à Coſacis viciſſim Caffa Tartarorum, Varna Bulgarorũ, Trapexus in Aſia, fortiſſimæ Othomanici Imperij ciuitates, nouum belli fomentum vtriſq; Principibus dedere. Atque magis ardente vndiq; bellis ciuilibus orbe Chriſtiano, illius inuadendi optima occaſione Imperator Turcarum, vtẽdum ſibi fuiſſe, eo, quo Imperium Othomanicum creuit dolo cenſuit, eoque omnes conatus, & cõſilia dirigenda eſſe, vt primò, Regno Poloniæ muro, & propugnaculo totius Chriſtianitatis potiretur; quo ſubacto, & impedita terra, marique rerum affluentiâ, qua hoc Regnum multa Chriſtianorum dominia ſuſtentat, facile Chriſtianis ſe dominaturum pollicebatur.

*Cauſæ belli inter Polonos, & Turcas annis 1620. & 1621.*

*Ruptum à Turca fœdus.*

Mittit confeſtim in Valachiam Scinderbaſſam ſuorum exercituum Generalem cum quatuor Turcarum millibus, hominem vaferrimum ſanguiniſq; Chriſtiani auidiſſimum, belliq; cum Polono incipiendi negotium ipſi committit. Celauerat fraudem perfidus Schinderbaſſa, Generalẽ Polonorum Stanislaũ Zolchievviũ in Valachiam ſpecie iniuriarũ priùs conſilio, quàm armis diſcernendarum, pactis conuentis vocat. Progreditur in Valachiam Generalis Polonus cum exiguis ſuorum copijs, caſtraque ad Cecoram, loco inter ſe, & Scinderbaſſam ſancito locat; traiecto Danubio Scinderbaſſa, cũ paruam noſtrorum (ſeptem enim millia nõ excedebant) manum vidiſſet, vocatis ſeptuaginta Tartarorum, Valachorum duodecim, Moldauorum decem, Vngarorum ſeptem milibus, quos vltra Danubium in diuerſis occultauerat locis, ipſe cum quatuor Turcarum millibus, non de pace confirmanda, iniurijſq; diſcernendis, vt cum Generale Polono pactus erat; verùm rupto fœdere, ea barbarorum multitudine paruũ noſtrorum numerum abſorbere conabatur. Circumducit noſtrorum caſtra innumeris hoſtiũ legionibus vndequaque violenter adoritur. Polonus Generalis ſe iam circumuentum videt, impauidus tamen turbatos aliquantum animos erigit in caſtris ſtare, ac pugnare iubet, nec arte iam quauis, ſed imploratione Dei, vi,

ac virtute euadendum eſſe, per mediaſque barbarorum acies ferro viam fieri.

Eo ipſo die tres hoſtium impetus, cum maxima eorum ſtrage à caſtris noſtrorum repreſſi inde viginti tribus diebus, Polonis pedem ad flumen Tyras lentè cum caſtris referentibus nocte, diuq; tum in caſtris, tum in acie pugnatum fuit.

Spes allebat barbaros, ſi non multitudine, diuturnitate tamen oppugnationum, caſtra Polona rumpi poſſe, nec fruſtratus ea ſpe Othomanus, ac die ab oppugnatione vigeſimo quarto caſtra Polonorũ, quos iam longum iter, continuæ excubiæ, non barbarorum multitudo vicerat, expugnat. Hæc eſt nobilis in Valachia pugna atque inter paucas memorata Polonorum clades, tria Polonorum milia cum ſuo Generale, cæſis triginta hoſtium millibus in acie periere, reliqui diuerſis itineribus diſperſi, in patriam rediere.

Lugebat vniuerſa Polonia tantam ſuorum cladem, moriendum potius, & vindicandum ardentibus animis, nec metuendum hoſtem perfidum, qui fœdera rupiſſet, exclamat.

Celebrantur Regni Comitia, bellumq; contra fœdifragum decernitur, nouus exercituũ Generalis Carolus Chodchievvic magnæ prudentiæ, & experientię militaris vir creatur. Mittuntur ad Chriſtianos Principes legati, molem belli cum hoſte Chriſtiani nominis, denunciant, ſubſidiumq; petunt. Nec deiectus aduerſo apud Principes Chriſtianos ſucceſſu Polonus, Dei auxilio viribuſque ſuis innixus, duobus orbis terrarum terroribus Turcæ, & Tartaro ſe oppoſiturum parat.

*Numerus exercitus Polonorũ.*

Interea Sereniſſimus Rex decem Coſacorum millia, ad infeſtanda per mare Euxinum Turcica dominia, comeatuſque impediendos expediuerat, cum Carolus Ghodchievvie recens creatus Generalis collectis quãtum ea celeritas conceſſit, equitum catafractorum haſtatorum duodecim, equitum grauioris armaturæ, vulgò Raitarorum, quatuor, Coſacorum quadraginta, peditum Polonorum tredecim, Pruthenorum, & Pomeranorum octo, Vngarorum tribus ſtipendiariorum militum millibus, obuiam Othomano in Valachiam expanſis proceſſit ſignis; traiectoque flumine Tyras, in Valachia munito ſatis loco die penultima menſis Augusti, anni 1621. caſtra poſuit. Vltima Auguſti, & prima Septembris muniendis, caſtris data eſt dies.

*Die ſecunda Septembris.*

*Numerus Turcici exercitus.*

NVnciatur à luſtratoribus Polonorum Othomanum cum trecentis Turcarum, centumque Tartarorum millibus, iamiam aduentare. Ante octiduum præmiſerat Generalis noſter aliquot Coſacorum millia, vt hoſtem in viarum anfractibus, velitationibus laceſſerent; ij non ſegniter re geſta, ea die cum hoſte præliantes in conſpectu caſtrorum comparuere.

Vix hoſtis in oculis noſtrorum, caſtra locauit, cũ mirus militum ardor rem acie gerendam eſſe fuit; Viſum tamen expertis belli Ducibus, non eſſe committendam periculoſæ aciei, tã Regni Poloniæ, quàm vniuerſæ Chriſtianitatis ſummam, cunctatione potiùs, prima concitato furia reſiſtendum hoſti. Eo ipſo die pars Turcici exercitus ſub Polonorũ cõparuit caſtris, continuiſque velitationibus cũ milite Polono decertauit, in quibus mille octingenti Turcæ perierũt, multiq; comminùs haſtis, frameis, eminuſq; tormẽtis bellicis vulnerati, in caſtris moriebantur barbari; ex Polonis quinquaginta deſiderati, triginta ſaucij. Hæc prima militaris ſalutatio fuit.

Sub veſperum dimittit Othomanus aliquot Valachos nobiles, ſpecie ſalutationis ad Generalem noſtrum, vt vbi commodũ ijs videretur, caſtra Polonica ſuccenderent: obita ſalutatione, vnus eorum ad quæſtionẽ ductus, omnem patefecit machinationẽ, & cõſcios fraudis detexit, qui cum in tormentis eadem faſſi fuiſſent, omnes eodem loci ita clanculum capitis ſupplicium ſubierunt, vt non modò Turcis, ſed nè Polonis quidem conſtaret. Tum Generalis Polonus noctu circum caſtra in multa loca conferri ligna arida, ſarmentaq;, ſtrues componi, iiſdemque ignem ſubijci iubet, eductiſq; Coſacorum decem millibus, & Pruthenico peditatu, hunc in fronte, illos in lateribus locat. Vbi Othomanus flammas in ſublime ferri cõſpexit, ratus ſucceſſiſſe dolum, ad inflammata Polonorum caſtra ſuum militem gregarium immittit. In ipſo caſtrorum aditu inopinato à Coſacis, peditatuque inſtructo excipiũtur barbari; res gladijs ſtringi cœpta: cæterùm cũ prę ſtrepitu, ac tumultu, nec conſiliũ, nec imperiũ Barbari accipere potuiſſent, ad gemitus vulnerum, ictuſq; corporum, aut armorum miſtos ſtrepentium, pauentiumq; clamores perterriti, cœca rabie ad cædem ruebant; alij proiectis armis, cadauerum cumulis illati, hærebant: alios fugientes aiebat retrorſum ad pugnã eũtium agmen; tota ea nocte atrociter pugnatum, dies diremit prælium. Turcæ in caſtra retroceſſere.

*Die tertia Septembris.*

IMperator Turcarum deluſum ſe eſſe videt, fremenſque ex tribus partibus caſtra noſtrorum adoritur, ab eo nimirum loco, quo caſtra Caſacorum noſtris adhærebant, vſq; ad extremum agmen Polonici exercitus; toto eo die atrociter dimicatum eſt, ex caſtris Polonorum in hoſtem tormentis bellicis res proſperè gerebatur, ante Solis Occaſum Turcæ ſe in caſtra recipiunt.

*Exercitus Sereniſſimi Principis Vladislai.*

Sereniſſimus Vladislaus Princeps, eo die cum triginta Velitũ millibus; multoq; apparatu bellico in caſtra venit. Nocte, dieque præterita, cæſa ſunt pluſquam viginti hoſtium millia.

Hæc dum agerentur Magnus Dux Moſchouiæ contracto ingenti exercitu in Ducatum Seuerienſem irruperat, ac pactorum, ictique fœderis immemor, omnia deprædabatur.

Guſtauus Princeps Sudermaniæ, occupator Regni Suetici, cum magna claſſe per mare Liuonicum deuectus, Rigam ciuitatem regiam, Liuoniæ, portu inſignem obſidet, eandemque per Caluinianam traditionem intercipit.

Ea aduerſa fortuna multum Regno Poloniæ negocij faceſſebat: res enim cum tot potentiſſimis terra, marique hoſtibus, vno, eodemque tempore gerenda fuit. Vocantur Senatorum Regni, & nobilium conſilia, vniuerſa nobilium expeditio ad reſiſtendum tot tantiſque hoſtibus more maiorum viritim indicitur. Sereniſſimus Rex miſſa contra Moſchouiatam, & Suecum, parte Lithuaniæ nobilitatis, ipſe contra Othomanum cum Polonis ire parat.

*Die quarta Septembris.*

ORto Sole. Imperator Turcarum cum vniuerſo exercitu caſtra Coſacorum (hæc enim in fronte caſtrorum ipſius erant) adoritur, tormẽtis bellicis, & bõbardis acriter certatum; quinq; horis oppugnatio durauit. Coſacus ex munitionibus animoſè propugnabat, hoſtis magna vi, atque impetu irruebat, ac proinde ingens barbarorum multitudo interijt. Eodem tẽpore immittit multas Othomanus Ianicerorum copias ad eam caſtrorum partem, qua Strategus Polonorum cũ ſuis Centurijs ſtabat. Procurſum è caſtris contra, conteruntur equitatu Polonico Ianiceri; paucique ex ijs pedem ad ſuos referunt. Iterum Othomanus cum vniuerſo exercitu, ad caſtra Polonica reuoluitur, fruſtraq; iterato inſultu, cum magna ſuorum clade coactus recedit. Denuo vna circiter ante Occaſum Solis hora, caſtra Coſacorũ maiori quam antea vi oppugnare cœpit. Iam barbarorum ferociæ caſtra Coſacorum cedere videbantur, ſed Deus præſto ſuis affuit: Coſaci enim facta per poſteriorem Caſtrorum partem eruptione, iunctis viribus cum haſtatis equitibus, à Generale ad ſubſidium ferendum dimiſſis, Turcas cominus adorti, atrocique commiſſo prælio, confertiſſimas hoſtium





legiones in fugam egerunt, magnâq; in ipſis editâ ſtrage, eos vſq; ad caſtra Othomanica ſequebantur, multa tormenta bellica aſportarunt, magnaq; onuſti prædâ inſtante nocte, barbarico cruentati ſanguine, in caſtra paucis ſuorum amiſſis, redierunt.

Ipſe Turcarum Imperator, qui ad hoc ſpectaculum prodierat, ex acie coactus ad caſtra ſua euaſit. Cæſa ſunt hac die pluſquàm quindecim Turcarum Tartarorumq; millia, Ianicerorum verò tria millia, ex noſtris ducenti ferme deſiderati. Hæc tanta hoſtium tàm in præteritis caſtrorum oppugnationibus, quàm etiam in acie aperto Marte conflictibus factis clades, paucorum verò Polonorum interitus diuino auxilio, quod Polonis cœlitùs aderat, non humanis viribus adſcribenda.

*Die decima quinta Septembris.*

VTrinq; quies erat. Cadaueribus ſepeliẽdis operà dabatur, nè fœtor eorum caſtra inficeret; tantà enim conſternatio cadauerum, ſolis vrentis calore horrenda viſu, ipſos terrebat barbaros, vt noctu cum facibus eadem ſepelire cogerentur.

Hoc die Turcæ motis retro caſtris, nouam Polonicorum caſtrorum oppugnationem parabant. Nec mora Polonus inuocatis Superis, eductâ in aciem in latera caſtrorum exercitûs parte, animoſè hoſtem præſtolabatur; iamque Turcarum tergiuerſantia agmina in aciem more pecudum pellebantur, cum pluere circà meridiem cœpit, nihil eo die tentatum eſt.

*Die ſextâ Septembris.*

FVgit ex caſtris Turcarum quidam Coſacus, qui ſeptennio in Turcicâ ſeruitute exiſtebat: affirmabat is cæſa fuiſſe in ſuperioribus caſtrorum oppugnationibus quatuor Ianicerorum millia Spaghios trecentos perijſſe; Turcarum, Tartarorumq; pluſquàm quadraginta millia, qua cæde barbaros ità perterritus, famiſq; quæ in caſtris eorum regnabat, pertæſos, multos ex caſtris fugam capeſſiſſe.

Hoc quoque die Turcæ quieuerant, vel quòd Imperator in gratiam oppugnationis, pecuniam militi largiretur; vel quòd eorum caſtra, quæ multis collibus latè patebant, ſtringerentur.

Idẽ referebat Turcas per caſtra muſſitare, duodecim triremes armatas, à Coſacis in mari Euxino captas, ſubmerſaſq; fuiſſe, reliquas Conſtantinopolim aufugiſſe, quas ſub ipſa mœnia Coſaci inſequuti, omnia terrore compleuerant. Huius primum cladis nuntium fremebundus Othomanus ſtrangulari iuſſit, indixitq; die venturo, caſtrorum Polonicorum validam oppugnationem. Hoc idem multi Turcæ in excubijs capti vnanimi conſenſu aſſerebant.

*Die ſeptima ſeptembris.*

FActo Ianiceri, aliæq; denſæ Turcarũ cohortes horrendo clamore præpropere caſtra Coſacorum, adoriuntur, miſſiſq; in aduerſum montẽ tormẽtis bellicis, eos globis ardentibus impetunt. Toto die molem exercitûs Othomanici impauidus ſuſtinet Coſacus, mille quingentiſq; tormentorum globis petitus, cum paruâ occiſione, adiutus Pruthenico peditatu, hoſti reſiſtit. Tum pòſt meridiem hoſtis caſtra Coſacorũ oppugnare ceſſat, nouiſq; agminibus caſtra Polonica adoritur. Ea ferocia, animuſque barbaris potiundorum vi caſtrorũ fuit, vt cæcâ rabie in arma Polonorum procurrerent, quamuis vndiq; mactarentur. Iamque aggeres, & propugnacula, quæ circum caſtra fuerunt, ex equis deſilientes Turcæ tranſcenderant; verùm non minor noſtris animus, quàm barbaris ferocia fuit; Nam Poloni è caſtris in aciem cum duobus haſtatorum equitum millibus à latere in hoſtẽ procurrunt, nouumq; pręliũ inſtituunt. Numero barbarus, animo Polonus ſuperior erat; inſtar firmior media haſtatorũ acie, legionibuſque hoſtium immergitur: iamque primo hoſtium agmine pulſo, in ſecundum pugnabat: mittuntur ex caſtris auxilia, in auerſamque hoſtium aciem, leuo cornu incurrunt. Is demum impetus hoſtilem inclinari fecit aciem. Procurrunt Coſaci è caſtris in fluctuantia Ianicerorum agmina, fortiterque dimicant. Cæterùm tantâ ſtrage hominum armorumque locum in quo barbarorum exercitus ſteterat, compleuerant; vt propè per ea difficilior tranſitus eſſet, quàm per confertiſſimos hoſtes fuerat. Denſatis agminibus equites Poloni qui aciem ruperant, tùm altera parte Coſaci per cumulos cadauerum, armorumque, & tabem ſanguinis, fugitiuum vſque ad caſtra Turcarum ſequebantur hoſtem. Nox victoriæ curſum inhibuit. Illi vero Turcæ, qui primas caſtrorum foſſas tranſcenderant, ibidem omnes cæſi ſunt.

Toto hoc die Othomanus caſtra Polonica, ſumma vi expugnare incaſſum cum magna ſuorum ſtrage nitebatur; nã cæſorum in acie, in caſtrorumq; foſſis pluſquam quadraginta reliquit millia. Solius omnipotentis Dei manum protectricem Polonorum fuiſſe quis non videat; cùm in tot in ipſos tormentorum exploſionibus, barbarorum incurſionibus, in tamq; cruento cum hoſtium turmis commiſſo prælio nè trecenti quidem Poloni perierint. Caſtellanus Polocenſis cum viginti haſtatis equitibus Polonis, pro patria glorioſè occubuit. Ex Turcis duo Baſſæ interiere.

Hora noctis tertia, multa Turcarum agmina in aciẽ vbi pugnatum fuit, cum facibus venere, excitoq; lugubri eiulatu, cæſorum cadauera in foſſas, & tumulos deportabant, cuiuſdamq; viri magni nominis cadauer ſolicitè quærebant. Confeſtim id noſtris, tùm etiam de noua caſtrorum oppugnatione ex Turcis ea nocte captis innotuit. Ea propter Generalis Polonus, noctu caſtra Coſacorum inuiſit, animatq; non eſſe metuendos hoſtes, qui nec fortuna, nec animo, hactenùs pares nobis fuiſſẽt; iubet, vt pars exercitus Coſacorũ propugnaculis, pars equis paratis inſiſtat, adiungitque ipſis cohortes peditatus Pruthenici, ſub ductu Palatini Culmenſis, eoſq; Coſacis in propugnaculis immiſcet: is enim peditatus, tàm in acie quàm ex caſtris rem ſtrenuè bombardis gerebat. In caſtris autẽ Polonorũ miles haſtatus in ordine in aciẽ progreſſurus ſignũ expectabat.

*Die octaua Septembris.*

VIx illuxerat dies, cũ pars exercitûs Turcici in acie conſtitit, in fronte Ianiceri, in vtriſque alis ingens Tartarorum numerus, facto clamore in aduerſa Coſacorũ caſtra impetum faciunt. Altũ à Coſacis tenebatur ſilentium; vt hoſtis propiùs accedens, commodius iaculis peteretur. Iamq; Tartari vndiq; caſtra obequitantes, ardentes iaciebant ſagittas, Ianicerique in foſſas inſiliebant, cùm ſubitò inſtructus ille peditatus ex munitionibus erigitur, ſchlopetiſque comminùs certat. Viſa ſunt tunc caſtra Coſacorum ardere, in fumoque, & excitatis pulueribus res dubia videbatur. Inermes Tartari à caſtris fugiunt: atrociter Ianiceri oppugnationi inſiſtunt, tergiuerſantes alij, à Spaghijs iuſſu Imperatoris in arma Coſacorum more pecudum impelluntur, fracti tamen à Pruthenico peditatu, in ſua caſtra regrediuntur. Hæc oppugnatio horis ferme quatuor, cum magna hoſtium internetione durauit. In ipſis caſtrorum foſſis Ianicerorum tria millia, trecenti verò Spaghij cecidere, quorum corpora Prutheni pedites ſpoliata in tumulos à caſtris remotiores iniecere, ignibuſque per campos conſternatorum fœtor cadauerum à caſtris arcebatur.

Ex noſtris pauci deſiderati: in propugnaculis enim dimicatum fuit, vbi Ianicerorum furia offendi non poterant.

Eodem die Saidaczny Coſacus, primariũ Coſacorũ Ducem Brodavvcha dictum, qui ipſum anno ſuperiore, publicis factionibus, eadem prærogatiua ſpoliauerat, rapinarum, tardioriſque, quàm neceſſitas, & imperium Generalis Poloni ferebat in caſtra aduentus, accuſatum, ac pro more, inſtitutoque militari mortis

damnatum, Generalis Poloni decreto, gladio percuti iuſſit, ipſequeà Generale Dux Coſacorũ proclamatus.

*Die nona ſeptembris.*

IMperator Turcarum poſt meridiem vniuerſum exercitum in aciem produxit, nec Generalis Polonus detrectauit pugnam, ſed inſtructo pro caſtris exercitu, eius hoſti copiam fecit; vtrinque ordinatæ acies vſque ad Solem declinantem nemine initium pugnæ dante ſteterunt, à munitionibus tantum, & propugnaculis, tormẽtis bellicis proluſum fuit. Sub veſperum Ianiceri caſtra Coſacorum acriter oppugnant, quos tamen ipſi à caſtris pepulere. Transfuga, qui ea nocte ad caſtra Polonorum venit, retulit Spaghios, qui iuſſu Imperatoris, Ianiceros ad caſtrorum Coſacorum oppugnationem præibant, ſupra ducentos, Ianicerorum vero duo millia perijſſe,

*Die decima Septembris.*

TVrcæ tot cladibus feſſi quieuerant per pontemq; à latere caſtrorum Polonicorum, in flumine Tyras fabricatum, multa tormenta bellica traiecerant.

Hoc ipſo die Cham Tartarorum, cum ſuo exercitu in vlteriori fluminis ripa, in eo loco, quo in Poloniam iter fuit, caſtrametatus eſt, partemque exercitus ſui ad prædandam vniuerſam Podoliam dimiſit. Perculit ea res animos Polonorum militum, hoſtis enim omnia itinera obſederat, nullaque de caſtris in patriam mitti, ex eaq; accipi notitia potuit: nec ſperabatur amplius, fame iam noſtro exercitui laboranti, quauis arte, & virtute ſuccurri poſſe. Fumabat in conſpectu Polonorum exuſta ab hoſte Podolia, tantaque hominum, & beſtiarum præda in ipſis hærebat oculis. Ardebat miles Polonus vltima acie cum hoſte rem gerere; poſcebat Coſacus traiecto flumine cum Tartaro congredi, eumque de viarum obſidione propulſari promittebat. Hæc res miſſa in cõſilium fuit, deliberatumq; eſt, non eſſe diuidẽdum robur exercitus; diuiſo enim facilius hoſtis cũ tãtis copijs præualiturus credebatur: eodẽ loci aut moriendũ, aut atrociſſimo reſiſtẽdũ hoſti, virtus, & proſpera contra ipſum hactenus barbarum fortuna monuit.

Altero die Sereniſſimus Vladislaus princeps, atque Polonus Generalis ex continuis fortè vigilijs in febrim incedere: id exercitui Polono luctuoſũ fuit; baſis enim exercitus, & Regni Poloniæ in ijs conſiſtebat duobus.

*Die vndecima Septembris.*

PRodierunt è caſtris Turcæ, compoſitiſque ordinibus dimidio germanico milliari à caſtris noſtrorum in acie ſteterunt. Confeſtim Generalis Polonus nimis iam ęger, dato ſigno, velitationibuſque præmiſſis, dimidiam exercitus partem ad inſtar aquilæ expandentis alas, vſu antiquo patriæ ordinatam in campum producit. Conſpectis noſtrorum ſignis Othomanus, pugnãque ſibi præberi aliquantum attonitus ſtetit. Tandem ſiue pauor, ſiue Dei ordinatio ipſum protinus, conuulſis ſignis, in caſtra reducunt. Polona acies toto die ſtetit inſtructa, ſonoque buccinarum hoſtis prouocatus nõ comparuit. Malo quodam augurio territus dicebatur. Eodem die ex aduerſa fluminis ripa, caſtra Coſacorum continuis iaculationibus hoſtis impetiuit, ſine tamen hominum, equorum vero notabili damno.

Aliquot Tartarorũ millia in altera fluminis ripa, facto cũ ingẽti vociferatione impetu, pontẽ Polonorũ rumpere conabantur; ſed à ducentis peditibus polonis, qui in præſidio pontis ſteterunt in fugam conuerſi ſunt.

*Die duodecima Septembris.*

POſt mediam noctem, relicto cum ſufficienti præſidio in Caſtris Sereniſſimo Pincipe; vti ægroto, exercitus noſter, vt hoſtem inopinato inuaderet, eductus & vna pars illius à tergo hoſtilis exercitus, longo per ſyluas, & nemora circuitu facto, altera vero à fronte & lateribus inſtructa fuit. Imber ingens propoſitum inhibuit: ſperabatur tamen commodiore tempore ad effectum deducendum, nam exercitus Polonicus ignaro ſtratagematis hoſte, in caſtra redijt.

*Die tredecima Septembris.*

DAtæ vtrinque cadaueribus ſepeliendis induciæ.

*Die quatuordecima Septembris.*

ITerum in caſtris Turcarum diuulgabatur, aliquot triremes Turcarum, à Coſacis in mari Euxino ſubmerſas fuiſſe. Hoc rumore concitatus in rabiem Othomanus validam caſtrorum oppugnationem die ſequenti fieri iubet.

*Die quindecima Septembris.*

VIx prodierat ſol, cum Turcæ, Tartarique Polonorum Coſacorumque caſtra, à tribus adoriuntur partibus. Viſa eſt ipſa conflagrare, tremereq; terra præ tot tantiſque tormentorum, bombardarumque exploſionibus. Imperator ipſe in editiore loco aderat ſpectator, nullaque tot hominum miſerè pereuntium habita ratione, ad caſtrorum oppugnationem eos more pecudum ſudibus agi imperabat. Durauit toto eo die impetuoſa oppugnatio: Verum D.O.M. pro bonitate ſua vanam, atque irritam hoſtium vim vndequaque reddidit, ſumma cum ipſorum ſtrage, noſtrorum vero perquam exiguo nocumento. Tentata fruſtra Caſtrorum oppugnatione, amiſſis Turcarum Tartarorumque triginta millibus, Ianicerorum etiam, & Spaghiorum tribus millibus, ſummo cum dedecore receptui cecinit hoſtis. Vellatus campus ille, æquatæ vtrorumque caſtrorum foſſæ barbarorum cadaueribus, militem noſtrorum ad præſtantes auſus ita incendebant, vt non modo per caſtrorum portas erumperet, verum per aggeres, & foſſas tranſiliendo cominus cum Turcis rem mira fortitudine gereret.

In hæc dimicatione Baſſa Budæ nominatus Karachas, vir inter Othomanos Principalis, ipſique Imperatori admodum carus, qui perendie ad ipſius caſtra cũ viginti Turcarum millibus venerat, ſeſeque iactitauerat ſibi à Mahumeto, rumpendorum caſtrorum Polonicorum fortunam conceſſam, primus in acie globo in frontem ictus perijt. Hoc idem ſubijt fatum Naſaf Baſſa, miræ fortitudinis, audaciæque vir.

Deflebat Turcarum Imperator eam ſuorum ſortẽ, nihilque toto die cibi ſumpſit; vel maximè ideo, quod nouus percrebuit rumor Sereniſſimum Poloniæ, & Sueriæ Regem, cum valido generalis expeditionis exercitu aduentare. Terrerrat ea res hoſtem, extremam belli fortunam ocyus tentare, oppugnationique caſtrorum inſiſtere decreuit, fame iam eneruatum, continuiſque excubijs feſſum fractum in exercitum noſtram credebat.

*Die decimæ ſexta Septembris.*

COnſilium habuit Generalis noſter adſcitis Ducibus, Præfectis, Centuriobus; vt de exercitu fame oppreſſo conſulerent. Multæ multorum in conſilio ſtrepebant ſententiæ. Alij congrediendum eſſe cum hoſte in acie, ſummamque rerum vni committendam prælio, nec dubitandum eſſe de fortitudine Polona, ad cuius hactenus arbitrium fortuna regebatur. Hæ voces fermè omnium fuere. Pauci referendum eſſe pedem ad Camenecum ciuitatem ipſo ſitu naturali munitiſſimam, inibique exercitum comeatu reficiendum, expectandumque alium Sereniſſimi Regis exercitum conſulebant. In eam tandem ſententiam itum eſt, mortem potius hoſti reſiſtendo, oppetendam eſſe, quam vno vel minimo paſſu, barbaro cedendum, ne vel receſſu ingreſſus in patriam, vel animus pariter debilitato daretur hoſti.

*Die decima ſeptima Septembris.*

ALiquot Coſacorum cohortes in caſtra hoſtium noctu ingreſſi plurima tentoria conciderũt, pluſquam mille hoſtium, abſque ſtrepitu bombardarum frameis trucidarunt, ſaluique nemine ex ſuis amiſſo redierunt. Iidem etiam ea ipſa nocte, ad pontẽ per Turcas extructum Cireas Baſſam, cui commiſſa pontis cu-





ſtodia fuit, cum multis Turcarum, Ianicerorumque centenis interfecerunt, multos adduxerunt captiuos, ſpolijſque opimis potiti, incolumes ad ſuos reuerſi ſunt.

Vniuerſus exercitus Polonorũ, miro ardebat deſiderio, idq; ſolùm in votis habebat, vt ſereniſsimum Principem Vladislaũ quamprimùm in equo reſtauratâ valetudine conſpiceret. Magnũ id certè ad præclaros auſus calcar, & incitamentũ fore credebatur.

*Die decima Octaua Septembris.*

ALterâ vice Coſaci noctu hoſtiũ caſtra ſine ſtrepitu ingreſſi pluſquã ſexcentos ex hoſtib⁹ necauêre, plurimos papiliones, equos, veſtes pretioſas, camelos, boues, multumq; auri, & argenti, tũ duo Ianicerorũ inſignia, ipſi illęſi, ad ſua caſtra aſportauere, eademque Sereniſſimo Principi Vladislao obtulere.

Leuioribus prælijs vtrinq; certatum fuit vſque ad diem vigeſimam quartam, quã Carolus Chod Kievvic Generalis graui conflictatus morbo, ſummo omnium luctu obijt. Ad nuntium tanti viri interitûs geſtiebat barbarus, ominabaturque, perdito tam fortunato, & animoſo Duce, à quo is tot prælijs cæſus, tot oppugnationibus repreſſus erat, de fortuna Polonos multum deceſſuros.

*Die vigeſima quinta Septembris.*

AB omni parte Othomanus caſtra Polonorum inuadit, totaq; ſuarum viriũ mole, ac vniuerſis ſimul equeſtribus, & pedeſtribus copijs caſtra adoritur. Noſtris quamuis Dux defuiſſet, tantò magis grauiter ægroto Sereniſſimo Principe, quo omnes ſpem vnicam locauerant, animus tamen non defuit. Atq; ductu Stanislai Lubomiſchi Comitis de Viſnic Strategi, viri in patria verè vnici, cui Sereniſſimus Princeps æger pòſt mortem Generalis, vniuerſi exercitûs intereà regimen applauſu omnium detulerat, vis hoſtium ità repreſſà, vt eo die pluſquàm octo Othomanorum milia in acie cæſa fuiſſent.

*Die vigeſima ſexta Septembris.*

CVm Othomanus, nec iam fortunæ, nec vi potiundorum caſtrorum ſpem habuiſſet, vireſq; exercitûs ſui attenuari in dies magis, ac magis vidiſſet, perditis quatuor Principalibus Baſſis, tãtiſq; ſuorum millibus, is qui antè paucos dies iugũ ceruicibus noſtris ſe impoſiturũ ſuperbè iurauerat, pacem periurus amplecti cupiebat. Dimiſit cum literis ad caſtra noſtrorũ quendã Baptiſtam Vinellium Italum, vt is Polonos ad renouandã tot ſæculis ab Othomanica domo, Regibuſq; Poloniæ, ſeruatã hortaretur pacẽ Cõmiſſarioſq; ad eandẽ tractandã poſceret. Res ea elatũ proſpero præliorũ ſucceſſu acceptãdæ pacis pertinacẽ, ſed fame iã fractũ militẽ Polonorum reddebat hilarẽ. Nõ tamẽ hoſti, tot vicib⁹ fœdifrago credebat.

*Die vigeſima ſeptima Septembris.*

TVrca, quãuis pacẽ poſtulauerat, caſtra Coſacorũ tormentis multũ, diuq; oppugnauit, quibus cũ nihil profeciſſet, caſtra cõminùs adoriri cœpit, verũ vbi Coſaci pꝛ caſtris in acie cõſtiterũt, hoſtis retroiuit.

Eodẽ die Sereniſſimus Princeps cõfirmatus ex ancipiti, & periculoſo morbo, quo ſummo cum totius exercitus mœrore laborabat, caſtra, perſonantibus vndiq; fauſtis militũ acclamationibus, obequitabat.

His etiam diebus Coſaci caſtra hoſtium inopinate inuaſerunt, ſtrageque in ipſis edita, ingenti trepidatione hoſtilem exercitum perculerunt, opimiſq; onuſti ſpolijs, in caſtra incolumes redierunt.

*Die vigeſima octaua Septembris.*

IMperator Turcarũ conſtituit vltimã tentare belli fortunã, atq; re priùs cũ Tartariæ Chamo cõmunicata, die illuceſcẽte exercitũ lõgis agminibus ad oppugnationẽ caſtrorũ producere cæpit, in modumq; coronæ munitiones, & caſtra Polonorũ cinxit, plurima tormẽta bellica à tribus caſtrorũ partibus, traiectis triginta alijs vlteriorẽ fluminis ripã collocauit, ex ijſdẽq; vtraq; caſtra per ſpatium aliquot horarũ nec quidquã imperiuit: nam in caſtris noſtrorũ res tantũ globo icti periere. Deinde cũ binas ad caſtrorũ portas, ad quarũ alterã Strategus cũ ſua phalange, & Palatinus Culmenſis ad alterã cũ Pruthenorũ cohortibus in ſtatione erant, plurima tormenta ab hoſte vibrata ex omnibuſq; partibus creber impetus, deſiliẽtibus ex equis Turcis, ſeſeq; Ianiceris, & pedeſtribus copiis ad oppugnationẽ caſtrorũ adiungẽtibus, fact⁹ fuiſſet: vndequaque Poloni cæcâ barbarorum rabie premebãtur. Erant iã hoſtes ſpe expugnãdorũ caſtrorũ ità inflati, vt paſſim in velitatiõnibus Polonos territarent, & aliquot tantùm horarũ ſpatiũ vitam, atq; ſalutẽ ipſorum duraturã, iamq; barbari per foſſas cadaueribus ipſorum repletas, in caſtra Polonorũ ruebãt, feſſiq; cęde hoſtiũ noſtri propugnaculis caſtrorũ cedebãt, cũ ſubitò Sereniſſimus Princeps, ſubmiſſo debilitatis caſtrorũ partibus auxilio, militẽ ad reſiſtẽdum hoſti reuertit. Inquiebat ille, non eſſe fortitudinis Polonæ, fracto iã tot præliis, & oppugnationibus hoſti hac vnà cedẽdum hora, quinimò hic ſtandũ, & moriendũ; hoſtẽ iam vltimum belli diſcrimẽ tentare, quo ſuperatũ, amplius, nec fortuna, nec auſu nobiſcũ collaturũ manus. Hæc dùm dixiſſet, primus in hoſtẽ cũ duobus haſtatũ equitũ millibus reſeratis caſtrorũ portis, à latere proruit, atrociq; cõmiſſo prælio, boni militis, & animoſi Principis exemplar, ità omnes animauerat, vt paſſim effuſi ex caſtris, hoſtem iam iã vincentem reprimerent, eumq; in caſtra ſeſe recipientem, animoſè proſequerentur. Sereniſſimum Principem Stipatores ab inſequendo hoſte retinuere, nè hoſtis fugitiuus cadente iam Sole, effuſos è caſtris Polonos, aliquo ſtratagemate circumueniret.

Sub id tẽpus ingẽtes Tartarorũ copiæ in caſtra noſtrorum ex vlteriori fluminis ripa tranare ſæpiùs conati, vbi tamen Polonos intrepide in ordinibus ſtare, fortiterque, ac proſperè contrà Turcas rem agere cõſpexerunt: fruſtrà tentato impetu cum cæde ſuorum receſſerunt. Cæſa ſunt eo die pluſquàm viginti hoſtium millia, ex Ianiceris, & Spaghijs quinq; millia periere: ex noſtris, nè ducenti deſiderati, multi ſaucij.

*Die vigeſima nona Septembris.*

ALtum in caſtris Turcicis fuit ſilentium. Cadauera vtrinque ſepeliebantur.

*Die trigeſima Septembris.*

IAm Othomanus feruentiùs vrgebat pacẽ, miſſiſq; obſidibus, Commiſſarios de pace tractãda, ad ſua caſtra mitti poſtulabat. Deputantur à Sereniſſimo Principe, & exercitu Commiſſarij acceptiſq; obſidibus in Turcarũ caſtra, cũ ſelectis ducentis equitibus mittuntur. Hos duo Baſſæ cum aliquot Turcarum manipulis, medio inter caſtra ſpatio, exſpectabãt: demùm congreſſi, factaq; de more militari ſalutatione, vnus ex Cõmiſſarijs Polonorũ inquit, *Pacẽ, & bellum vobis, veſtroq; Imperatori ferimus*; Turcæ ingemiſcẽdo cõcordi clamore: *Pacẽ nobis; & Imperatori noſtro ẽ optatam fertote.* Tũ ad caſtra Turcarũ ventũ: omnium barbarorũ ora, oculiq; in noſtris fixa fuere. Benignè Turcarũ Imperatore ſuſcepti: coràm de pace tractatum eſt,

*Die prima Octobris.*

IVerat paucis antè diebus cũ delecta peditũ manu ex caſtris Polonorũ Camenecũ verſus Capitaneus Vilnẽſis, vt comeatu iã exhauſtum exercitũ reficeret. Huic redeunti Turcæ, Tartarique iter præcluſerant: ſalutẽ enim exercitus noſtri in eo comeatu, quem allaturus erat, conſiſtere arbitrabantur. Quo ipſe per exploratores cognito, per octiduũ ſub Camenecо cũ toto agmine ſtetit, & ſæpè, iter apparabat, ac denuò ibidẽ reſtare cogebatur; numeroſa enim conſpiciebantur in latè patentibus campis Tartarorum agmina, qui omnia itinera inſedebant. Verùm Polonus, vt hoſtem eluderet, noctu dextrorſũ iter diuertit, ad

flumenque Tyras, ignaro hoſte, longiore via peruenit, ſaluoque milite, & comeatu, ſub caſtris conſtitit. Re cognita, Tartari ipſum adoriebantur; verum è caſtris, arceque Chocim tormentis bellicis petiti, receſſere.

Eodem die venerunt ad Sereniſſimum Principem Legati à Coſacis Oram ad flumen Olgam incolentibus.

Summa Legationis erat, eos cum exercitu viginti millium in caſtra Sereniſſimi Principis hinc poſt tres dies venturos, promptamque, ac fidelem operam ipſi, eo bello, contra communem Chriſtiani nominis hoſtem nauaturos. Accepti ſunt ab Sereniſſimo Principe liberaliter, reſponſumque ipſis eſt, vt ſi quādo venerint, ſigna, & vexilla Regia ipſis conferri.

*Die ſecunda Octobris.*

CApti ſunt aliquot hoſtium, & nonnulli ad noſtros deſciuerunt, hi conſtanter affirmabant, Turcas pertæſos belli, paci ſtudere, eamque ab Imperatore ſuo grauiſſimis efflagitationibus palam extorquere. Hactenus nihil Commiſſarij in caſtris Turcarum de pace concluſerant.

*Die Tertia, & quarta Octobris.*

PAbulatores Polonorum cum Turcis creberrimis prælijs cum magno hoſtium damno certabant, multos equos in caſtra aſportabāt: quòcirca ad Turcarū poſtulationē, ſecuritas vtrinq; proclamata, armaq; ſuſpēſa, donec vel pax, vel bellū decerneretur.

*Die quinta, ſexta, & ſeptima, Octobris*

CIrca pacis conditiones vtrinque actum eſt. Erat iam in ſumma comeatus anguſtia exercitus noſter; frondibus quenis paſcebantur equi, ac proinde ingens eorum numerus, incredibili exercitus damno perijt. Quæ rex pacem potius amplecti, quam incertam victoriam proſequi, ſuadebat. Meliorem tutioremq; eſſe honeſtam pacem, ſperata victoria: nec tot oppugnationum, præliorumque fælicitatem, vnius horæ diſcrimini committēdam. Mars belli communi animo proponebatur; vtrinq; ferrum; Turca adhuc milite ſuperior erat: omnia in pace iungenda noſtræ poteſtatis fuere, quæ in vltimo conflictu, arbitrio fallentis fortunæ ſubiecta forent.

*Die octaua Octobris*

*Sub Veſperum pax concluſa fuit, & his quidem conditionibus.*

1. VT Imperator Turcarum primus ex acie cum ſuo exercitu, & armis ſpectante, in acieq; ad prælium inſtructo Polonorum exercitu, hinc poſt tres à pace concluſa dies diſcedat, exercitumque vniuerſum in Traciam velociter abducat.
2. Vt arx Chocim propunaculum Valachiæ, & porta in Imperia Orhomanica; temporibus perpetuis ad Regnum Poloniæ pertineat.
3. Vt omnes captiui, tam in præcedentibus, quam præſentibus prælijs capti, vtrinque reſtituantur.
4. Vt antiquis Caſimiri Iagelonis Regis Poloniæ, & Mahumeti Turcarum Imperatoris de alterno in Valachiam dominio, pactis conuentis ſtetur.
5. Nec Tartari in ditiones Poloniæ, nec Coſaci in dominia Othomanica ad damna facienda irruant. ſecus, damna illata reſarcienda.
6. Vt Tartarorum Chan ad omnem requiſitionem Regis Poloniæ in omnibus expeditionibus bellicis, contra quoſuis Regni hoſtes cum ſuo exercitu pareat. Cui triginta florenorum millia Rex Poloniæ pro ſtipendio quotannis dabit.
7. Ex parte Turcarum Imperatoris vnus Baſſa, ex Parte Regis Poloniæ vnus Senator Regni, hic ad portam Othomanicam, ille ad Regem Poloniæ ad iuranda pacta legati, mitti quamprimum debent; firmatiſq; fæderibus, tum Othomanus in Curia Regis Poloniæ, tum Rex in portu Othomana, Agentes ſuos habebunt. Aeuiternaque amicitia fruentur, dummodo hæc à quauis parte non violetur.
8. Hæc pacta, & pax à Coſacis Polonorum, cum Tartaris in mari Euxino, & fluminibus, circa piſcationem, tum in campis inhabitatis circa venationem præliantibus, violari non debet.

His factis conditionibus. ictoque fœdere, Turcæ tota ea nocte tormentis bellicis triumphauere: illuceſcente die, idem à Polonis actum eſt.

*Die nona, decima, & vndecima Octobris.*

INter vtroſque exercitus mercimonia exercebantur, multa præſtantium equorum millia noſtri ab Othomanis vili emerunt pretio.

*Die duodecima Octobris.*

MOuendis Turcarum caſtris, cedendiq; ex acie dies præfixus venit. Vniuerſus exercitus Polonorū in acie à Sereniſſimo Principe ad formā expandētis alas aquilæ armatus, ordinatur, ipſe Sereniſſimus Princeps ſuper arma ſplendētia amictus purpura, in fronte exercitus ſtetit. Sub meridiem Turcarū Imperator exercitū ex caſtris educit, ordinarique ad inſtar mediæ lunæ iubet, ipſe in fronte exercitus cōparuit. Vna fermè hora immoti exercitus ſtetere. Mittit Othomanus Elephantem miræ magnitudinis equum phaleratum raræ præſtantiæ in donum Sereniſſimo Principi: tum Sereniſſimus Princeps eundem æquo itidem phalerato, & duis bombardis miro opere factis, remuneratur. Suſcepta vtrinque dona; ac demum inclinatis capitibus, haſtarumque motu Turcæ Polonis valedixere. Polonus vero exercitus nutu capitum valedictionem fecit.

Iamque Sereniſſimus Rex Poloniæ numeroſos contra eum hoſtem, in Valachia infauſtis prælijs, cū Sereniſſimo Principe Vladislao dimicantem, copias ex nobilitate Polona viritim more maiorum ſcriptas, ducebat, Leopolimq; cum cētum quinquaginta nobilium millibus peruenerat; cum ad ipſum perfertur, Turcarum Imperatorem, icto cum Polonico exercitu fœdere, reliquias exercitus ſui vltra Danubium reduxiſſe. Quæ res, etſi à principio Sereniſſimum Regem ita commouerat, vt in ancipiti cura atque deliberatione multum, diuque verſaretur; acceptādumne ipſi foret fœdus cū hoſte, ipſo inconſulto ictum? an hoſtis, qui quadringentis barbarorum millibus, & tanto bellico apparatu, expugnandiſque vrbibus aptis inſtrumentis fretus, ſe vniuerſam Europam bellis ciuilibus flagrantem (hoc enim conatu bellum ſuſceperat) expugnaturum crediderat? idem pluſquam decies nequidquam tētata caſtrorum oppugnatione, magnis acceptis cladibus, amiſſis magni nominis quatuor Baſſis, centumque, & ſexaginta Turcarum, Tartarumque millibus, pacem petere eamq; æquiſſimis conditionibus conſtituere, inglorius, ac victo ſimilis abire conatus ſit cæpto victoriæ curſu perſequendus.

*Cauſæ ſuſcepti fœderis.*

Res Polono fuit cum eo hoſte, qui ſemel iterūque victus ſæpius deinceps vincendus eſſet, cum quo tot ſæculorum ſpatio, alios potentiſſimos populos, & Reges in caſſum bellare cernimus, qui ad nos aditus facilis, qui quoties ipſi paruerit, ſiue per Scithiam ſiue per Valachiam, ſiue per Vngariam, vno, eodemque tempore, ingentia barbarorum agmina in Regnum Poloniæ effūdere queat. Suſtinuiſſent Poloni vno, & altero anno hoſtis tam potētis impetum, ſociorum fiducia; niſi perſpectum haberent, eos ipſos ſocios, amicoſq;, vel domeſticis diſtineri bellis; vel ità comparatos eſſe, vt alienis periculis, etiam ſi mox ea ſibi impēdeant, parum admodum moueātur, vel deniq; ita remotos, vt velocius ad eos ruinæ, quam periculi Polonorum, fama eſſet peruentura. Denique feſſis, & exhauſtis Polonis bellum arbitro hoſtis habēdū eſſet: fruſtra vicinorū implorāda auxilia, poſtremò pax acceptāda cōditionib⁹, ijs quas Turca tuliſſet.





Nunc exorta ab hoſte, honeſta Polonis, illique ignominioſa pax habetur: non illa quidē ſolida; nam alij nominis Catholici hoſtes, qui eadem occaſione, ad perniciem noſtram vti voluerunt; nunc quoque Regno Poloniæ faceſſunt negocium. Inuaſit Suecus Liuoniam, per fraudem Caluinorum Rigam intercepit, ciuitatem nobilē portu, ijs planè diebus, quibus cū Turca, & Tartaro (duobus Chriſtiani orbis terroribus) Polono res fuit; plus etiā tentare auſus fuiſſet, niſi oppoſitus exercitus Regius, audaces illius conatus repreſſiſſet: quis iā eum iuratum portæ Othomanicæ ſociū eſſe dubitabit? Idē de S. Cæſareæ Maieſtatis rebellibus, Vngaris, Bohemis, Morauis, Sileſijs certo affirmare licet: arrexerant & hi animos in perniciem Regni Poloniæ, tùm potiſſimùm Schiſmatica Moſchi gens ſperauerat, ac nemo fermè erat, qui illud periturum non augeraretur, quique id votis conceptis non deſideraret. Denique hoc ipſum belli Turcici periculum, ex ipſo Hæreticorum conſilio emanauit: quarè, vel illi præcipuè dolent in vanum abijſſe Turcicos conatus, vt qui tota ſi poſſent, nos bellorum maximorum mole obrutos eſſe cuperent. Proſpiciendum erat mature Polono, nè ab omnibus circumuentus, laboraret, cum Turca tranſegit pacem, atque vtinàm duraturam: cum reliquis bellum integrum manet.

His de cauſis pacem potiùs amplecti viſum, quæ ſatis haberet & gloriæ ad poſteritatē, & firmamēti ad Regni Poloniæ tranquillitatem, quàm dubijs belli euentibus partam gloriam, communemque totius Chriſtianitatis cauſam commitere: Satis, ſuperq; mirabilium operator Deus inter tot, tantorumque hoſtium impetus, fluctuanti Regno Poloniæ fauit, vt illud ſuis viribus innixum, repreſſis duobus potentiſſimis Turcâ, & Tartaro Aſiæ Monarchis: cæſiſque pluſquàm centum ſexaginta barbarorum millibus; nedum mille ex ſuis perdiderit. Ipſe D O M. cum noſtris fuit, quo præſente, cadent à latere noſtro mille, & decem millia à dextris noſtris.

Atq; eo modo, quod Regno Poloniæ, ac vniuerſæ Reipub. Chriſtianæ felix, ac auſpicatum eſſe precamur, bellum id non tam temporis diuturnitate, quàm apparatûs magnitudine, præliorum numero, cæſorum hoſtium ingenti multitudine, cauſæ pro qua belligeratum eſt æquitate, ſuperis fauentibus geſtum.

LAVS DEO.

*Hæc Titleuius de bello, & prælijs contrà Turcam, & Tartarum narrabat. Occaſione hinc ſumptâ Matthias Sarbieuius Polonus, S.I. Theologus, claſſicum ſequens excitandis contrà Turcam Chriſtianis principibus pangebat.*

## BELLVM A LADISLAO POLONIAE, SVECIÆQVE PRINCIPE, ET MAGNO Moſcouiæ electo Duce, ad Cocimum, contra Oſmannum Turcarum Imperatorem geſtum.

### ODE I.

*Claſſica ad excitandos Chriſtianos Principes, in Turcas.*

*CRedetis? eheu credite Poſteri*
*Fractum pudendis Biſtona prælijs*
*Ceſſiſſe, & infauſtis redemptam*
*Funeribus retuliſſe pacem.*
*Quantus Corallis, quantus erat feris*
*Sudor Gelonis; cum calidus Tyras,*
*Et decoloratus cruenta*
*Boſphorus erubuiſſet vnda?*
*Quis tunc recentes Odryſijs timor*
*Affixit alas, cum refugas metu.*
*Præ ſe LADISLAVS Phalangas.*
*Frænigeris agitaret alis?*
*Cum verſa Thracum parma trementibus,*
*Fronderet haſtis; cum propè Caucaſum*
*Turreìque Byzanti probroſis*
*Concanus aſſonuiſſet armis;*
*An nos repenſam ſanguine gloriam*
*Fruſtra futuris emimus? an ſuos*
*Exempla diffingent nepotem*
*In proauos ſimilemque Patri*
*Gnatum reponent? quatenus, heu pudor,*
*Peior nefaſtis progenies auis*
*Succreuit, & damnoſa pulchras*
*Secula diminuere laudes!*
*Vel nos auitæ ſtemmata gloriæ.*
*Curruſque & enſes, nuper & hoſticis*
*Direpta delubris trophæa,*
*Aemoniæ monumenta pugnæ*
*Dramus igni: neu pudeat ſacros*
*Mentita vultus frangere marmora,*
*Non æra, fumoſaſque patrum*
*Effigies, memoreſque laudum*
*Ceras profunda mergere viſtulæ:*
*Vel ſi ſupinæ tædet inertiæ*
*Martemque, maiorumque pugnas*
*Non ſolitis iterare factis.*
*Iuremus ô quem. Gloria feruidis*
*Vrbeìque terraſque, & populos ſuper*
*Euexit alis, ô caduci*
*Grande decus, columenque mundi*
*Rurſum Polonis deripe poſtibus*
*Benè auſpicata conſcia dexteræ,*
*Et tela & horrendas ſecureis*
*Sythonijs LADISLAE campis.*

## AD PRINCIPES CHRISTIANOS De recuperando à Turcis Orientis Imperio.

### ODE II.

*Nondùm minaci cornua Boſphoro*
*Decuſſit audax Pontus, & efferis*
*Seruire Neptunus Gelonis*
*Turpè gemit, reſonaſque fluctu*
*Plangens ripas, Thraca frementibus*
*Immugit vndis: Aemathiam pudet*
*Frænos momordiſſe, & Pelaſgos*
*Odryſiis dare colla loris.*
*Mœrent tenaci compede Cyclades*
*Pigræ moueri: mœret Achaica*
*Tethys, inæqualeſque Locri*
*Perpetuo lachrymantur Hebro.*
*Semper nè nigras Aethiopum domos,*
*Semper ſuperbis deciduum iugis*
*Gangen, Abydenaſque turreis*
*Supplicibus tremuiſſe pinnis*
*Formidoloſam iuuerit Artacen?*
*Seſeque captum Bhoſphorus omnibus*
*Vndis, Erythræoque & alto*
*Ionio, Arabioque ploret?*
*Vani futuri temporis augures,*
*Fæcunda rerum ſæcula diſcimus,*
*Si non retractamus fideli*
*Tela manu, tacitoque gaudet*
*Vagina ferro: ſi clypei vacant*
*Haſtæque, & arcus: non animi placent*
*Parci laborum, non magiſtræ*
*Conſilij, ſine Marte, linguæ.*
*Fruſtrà Nouembreis dicimus ad focos*
*Pugnata Rhætis bella ſub Alpibus:*
*Fruſtrà renarramus Gelonum*
*Verſa retrò retuliſſe ſigna,*
*Si non & ipſi ſtringere Noricos*
*Audemus enſes: quos malè Barbara*
*Non decolorauere terga,*
*Sed Tyrio Latiali fuco*

Illeuit aurum, non ſine gemmeo
Circumſonantis fulgure balthei, &
Grato catenarum tumultu,
Et ſonitu phalerarum acuto.
Formeſa fortes arma timent viros,
Frangique nolent, ſeu profugus Scythes,
Seu creber è campis agetur
Mirmidonum, Dolopumque nymbus.
Quicumque ſuras & caput induet
Auro, Quirites; exuet Italum:
Cuiſque Romanus negari
Non dimido patietur hoſti.
Nec qui capillum finget, & aureum
Solem refuſis crinibus allinet,
Dicemus Vmbrum; qui frementeis
Antiochi. Annibaliſque turmas
Rursùm efficaci diruat impetu;
Alpeiſque clauſumque intrepidâ manu
Perrumpat orbem. Siccitatis.
Sæcula degenerare metis.
Sancit futuri temporis arbiter,
Certoque prudens ordine ſegreges
Metatur annos. nunc ſeueris
Artibus, ingenioque pugnax
Affulget ætas, nùnc melior foro
Geſtit diſertis feruere iurgijs:
Hæc Thracas, audacemque Beſſum
Hæc Cilicas, pauidoſque feras
Produxit ætas. nos ſenio piger
Effudit orbis, dedecus vltimum
Mundi, fatiſcentiſque naturæ --
-- Opprobrium malè nata proles
Quicquid bonorum reſtitit, heu nefas,
Morum ſceleſta deterimus nota:
Mentiſque, & excelſi latrones.
Ingenij, violenta fraudum.
Tormenta, ſanctis addere dotibus
Laudamur vltrò, nec ſcelerum pudet;
Virtuſque clamatur ſagacem
Flagitio violare dextram.
Iras & enſes, vendimus & manum,
Hac, vnde nummis aura refulſerit;
Sparſique tinnitus ad auri
Sollicita vacat aure vulgus.
Et quæ ſecundis iecit honoribus
Benè ominatam mobilis aleam
Fortuna, mentitur caducæ
Plebis hones, poſitoque fallax
Accumbit omnis poplite ciuitas
Periuræ feſto ſurgere cum ioco,
Cum pompa ſtipantum, & doloſi
Præterijt breue fulgur auri.

## AD PRINCIPES CHRISTIANOS, Otij domeſtici Reprehenſio.

## ODE III.

Aut nos auara vendidimus Tyro,
Aut vſque Thulen miſimus exules
Cultus auorum, non honoris
Præcipiti libet ire cliuo;
Non ſceptra Pyrrhi, non Agamemnonis,
Letho paciſci, non Alyattici
Veiente permutare ſaxo
Vber, Achæmeniumque Tygrim.
Neſcit ſeuero liuida brachia
Signare ferro, neſcit idoneis.
Tyro reluctantem lupatis
Frangere equum, metuitq; toruum
Tranare Tybrim, cum niuibus ſatur
Exæſtuanti fræna licentiæ
Permiſit, emouitque ripam
Aſſiduæ, metuendus vrbi:
Et (ſi procacem fregit equus gradum)
Micatque neruis, & genibus tremit,
At non Lupercales iiſdem
Neſcius aſſimulare ſaltus,
Et cùm peritum ſiſtra citant pedem,
Doctus choreæ, frangite barbita
Neruoſque, dementemq; buxum
Fœmineo prohibete cantu.
Auditis? Iſtri littora perſonat
Ferale cornu: iam capita Alpium
Magnæque reſpondere monteis
Auſoniæ, nouat arma Mauors,
Vrbeiſque tectis elicit ibimus?
An nos Galeno menſa tenet mero,
Cenæque regnorum redemptæ
Diuitiis, populique cenſu?
Quas cum recedens viderit Heſperus
Surgens eaſdem Boſphorus aſpicit,
Et ridet adſpecto renidens
Lunæ mero; radioſque tingit.
Dùm nos Lyæo regificis ſuper
Deſcripta menſis prælia pingimus:
Fuſoque metamur Falerno
Mœnia, diluimuſque foſſas.
Surgamus. Indo iam roſeus mari
Sublucet Eos: iam radiantium,
Flatus quadrigarum, & citatæ
Oceanum pepulere plantæ.
Surgamus. omnes prima vocat dies,
Et Phœbus: at non noſter ab Indiis
Phœbus Quirites, nec Latino
Orta dies famulatur orbi,
Totumque diris manè Othomanidis
Impendit æther. pro pudor: Occidens
Nobis, fatigatuſque tantùm
Heſperium propè Phœbus axem
Turpi Latinis veſpere ſeruiet?
Surgamus. Octam Gadibus, & Paron
Addamus: Auroramque nocti, &
Bactra Tago, Tiberique Gangem.

## AD PRINCIPES ITALIÆ De Græcia recuperanda.

## ODE IV.

At non ſupino ſemper in otio
Perdemus æuum ſurgite, Dardani
Ciues: triumphatiſque quaſſum
Imperium reparate Graijs,
Implete claſſeis, tendite carbaſa.
Inſerte remos: ite volentibus
Fatis Quirites: ite, ventis
Veſtra tument animiſque vela.
Eſt, qui locantem bella pecuniam,
Nouiſque rebus poſtulet vtilem
Neruum. quis erumpentis auri
Fluxit ager potiore vena
Cuniculoſi montibus Orici?
Ferro, Quirites, ſi lubet abditum
Mercemur aurum. qui vibrati
Glandibus emeruiſſe plumbi
Gazas potentum ſciuerit vrbium;
Hic, magna paruo lucra parauerit
Sumptu, nec exponetur aurum,
Nec Tyriæ, Cypriæque merces,
Quas non cruentus Martis emat Chalybs.
Seu per reluctantum agmina Biſtonum
Et per recedentes Gelonos
Vulnifico pluit aura nymbo:
Seu fulminatis dirutæ molibus
Caſtella denſis bella tonitruis.





Emoliuntur; cum caduco
Mœnia concutientur igni
Capique verſis turribus annuent
Arces, & omnis copia, & obijce
Centum catenarum gementes
Diuitiæ, pediciſque ferri.
Iam penè gazis Bactra timent ſuis,
Iam diues Aule, iam Cythereiæ
Conchæ, Myceneique cenſus
Et Tyros, & Genoeſſa flauo
Palleſcit auro: iam propè decolor
Albet ſuperbis Creta corallijs
Phtieque, & interfuſa Cypros
Gemmiferis regemunt fluentis.
Eſt, quem comantum gratia montium
Aut floridorum tangit amænior
Vultus viretorum; vel vda
Mobilibus Cynoſura riuis.
Hunc empta multo ſanguine recreent
Tempe, vel acri Pelion, aut Samos
Aſſerta bello, vel virentis
Sylua Gragi, vel Opaca leni
Pangæa quercu: nec viridem Gnidon
Altamque Dymen ſpreuerit, aut retrò
Spiſſis coronatam ſalictis
Oleno, Vmbriferamque Tricen.
Non lympha Cydni, non vitreus Ladon
Lenisue puro Lydius agmine
Non mite cryſtallum Lycormæ
Non gelidis Achelous vndis,
Deſiderantem non benè lubrico
Soletur amni; ſi modò bellicæ
E ſtrage fumanteis capillos,
Et tepidus linat ora puluis.
Eſt, qui ſupina certet amyſtide
Obliuioſum ducere Liberum?
Hunc Lesbos, hunc vinoſa Crete
Hunc Paphij rogat ora Cypri
Laxare ferrum: nec Rhodos abnuit
Nec, non ſeueri ſtrenua Cæcubi
Naxos. nec illaudata Thrachin,
Aut reſides Amathuntis arces
Nolent cruentis ictibus aſſeri?
Aut, qui propinquis æthera rupibus
Affectat Edon; aut maritus
Vitiferis Aracynthus vlmis.
Eſt, quem ſupellex, & vigiles foci
Mundæque ſordes, & pecorum iuuant
Armenta, cui latè reductus
Hinnit ager. fluuijque balant
Cantu ſonori blandius Orphei?
Illum iuuencis poſtulat hoſpita
Pleuros, Cleonæique colles
Et pecorum ſtudioſa Thræzen:
Cææque valles, vel Calydoniæ
Dumeta Syluæ, vel redeuntibus
Saltata Gortyne capellis
Cum roſeus tegit arua veſper.
Si quis virenti limina marmore
Saxoque poſtes, & lacquearia, &
Pingat pauimentum, Caryſton
Et variam Salamina, iuſtis
Repoſcat armis: huic Phrygium propè
Baccata longis Artica collibus
Deſcendet in tectum, & videndæ
Porticus adijcietur aulæ.

## EIVSDEM ARGVMENTI Maiorum exempla rediuiua.

## ODE V.

Mercuri, nam te cytharæ potentem
Viuido Manes reparare cantu
Furua Cociti ſtupuere pigris
Stagna fluentis
Tuque Lesboum modulare carmen
Aurei regina Thalia plectri
Quo Palatini reuocetur Orco
Turba Quirini
Ite pugnaces Priami nepotes
Pulcher Anchiſæ Veneriſque ſanguis,
Ite, formoſas Acherontis, ite,
Linquit ripas.
Quid iuuat nigras habitare valleis
Ferreo vita ſimulante ſomno
Inter & nubes, & opaca longi --
Obliuia lethi?
Te Mari flaui reuocant Sicambri:
Paule te ſpiſſæ Nomadum cateruæ:
Te Numantini metuende poſcunt
Scipio campi:
Aereis rursùm fluitare turmis
Viſa Carthago, peditumque nymbos
Et Sagunthinis, Siculiſque bellum --
Affundere portis.
Magna te poſcunt Aſiæ ſepulchra
Magna Pompei. tibi Cæſar olim
Thraces & ferrum manicaſq; & ignem, &
Tela minantur.
Surge; non audis fremitum, & ſonoras
Iam trahi ſuprà tumulum catenas?
Non vides quantam nouus eccè ſurgat
Mædus in haſtam?
Surge; qua dormis, quatit acer vrnam
Vngula Pœnus. potes hoc ſepulchro
Eſſe ſecurè piger, aut honeſtos
Carpere ſomnos?
Arua iam motis tremuere turmis
Martio nubes quatiente cornu:
Iam minæ triſtes equitum, & frementum --
Hinnitus equorum.
Ite felices iterate pugnas
Ite maiores. iuuet arma notis
Poſtibus demi, ſolitoque frontem --
Aſſurgere cono.
Bella nos pictis ſimulamus armis
Splendidè fortes, & inane pugnæ
Nomen, & docti vacuum duellis
Ludere Martem.
Fortium cingi galeis auorum
(Pro pudor) ſeri fugimus nepotes,
Heu nimis molles redimire pictis
Tempora gemmis.
Parua non magnam manus implet haſtam:
Defluunt grandes humeris pharetræ:
Decidunt Arcus, laterique iniquus
Exprobrat enſis.
Priſca ſocordis pudet arma dextræ:
Patrius quondam malè laxus hæret
Filio thorax; nec auita norunt
Tela nepotem.

## AD PRINCEPS CHRISTIANOS De Opportunitate belli Turcici.

## ODE VI.

Si quem cruentæ vultus adoreæ,
Et fuſus auro miles, & inclyti
Vrunt in argento triumphi
Artifici ſimulante dextra,
Scriptique Reges, & titulis ſuper
Afflata ſignis vita Corynthijs,
Cultuſque, moreſque, & perenni
Penè loquax ſua fama ſaxo.

*Hic ſi locari poſt genitis ſacer,*
*Et per nepotum lucidus atria*
*Quærit videri, deſtinatam*
*Funeribus meditetur aram.*
*Dextramque dextræ commodet Hectoris,*
*Vultumque vultu fingat Achillei*
*Dignus Myconea locari*
*Arte, Syracuſioque cælo:*
*Lethique curta merce perennius*
*Lucretur æuum, quos ſibi demſerit*
*Caris redonaturus annos*
*Coniugibus, pueriſque caris.*
*Hic ſi timendus malit aheneis*
*Horrere ſquamnis, dum litui ſonus*
*Denſique coniurata Martis*
*Signa vocant, clypeo ſubire,*
*Sparſumque crinem verſi coloribus*
*Mutare criſtis, & celerem vehi*
*Dum per reiectantes lacertos*
*Ambiguæ fluitent pharetræ.*
*Illum paluſtri conſita fraxino*
*Poſcit Methone, poſcit Acarniæ*
*Lucus, Tanagræiq; ſaltus.*
*Aut graciles Marathonis orni.*
*Gnoſſoſque telis, & reſonum graui*
*Stymphalon arcu: non chalybum rudis*
*Lemnos; nec inconſulta ferri*
*Phocis erit, nec inermis Oea.*
*Si rurſus idem bella fidelibus*
*Committet Euris: æquoris impiger,*
*Veloque, & obluctante remo*
*Ortygijs equitabit vndis.*
*Illi Cythori pinus, & hiſpidæ*
*Cupreſſus Idæ brachia frondium*
*In tranſtra, & hærentem carinam*
*Contrahet: æriſonamque puppim*
*Non imperito remige muniet*
*Eubœa: remos Theſpia ſuggeret,*
*Auſamque deſpectare nubes*
*Veliferam dabit Oſſa pinum.*
*Aut qui comatas educat ilices*
*Caycus, aut qui Lympidus aſſitas*
*Mæander intercurrit alnos,*
*Aut dubij vagus error Hebri.*
*Nec ſi ſuperbus poſcat eques vehi*
*Pugnæ ſcientes Iſmara denegent*
*Pullos, relicturaſque retrò*
*Aut Noton, aut Aquilona plantas,*
*Si bellicoſos proruat accolas*
*Seruilis Aemi, ſparſa ſequi leuis*
*Vexilla, palantemque Lunam*
*Aemonijs agitare campis.*
*Illum & coloſſis conſpicuum dabit*
*Venallis omni funere gloria*
*Doctiſque ſpirantem metallis*
*Orchomenos; vel amica viuum*
*Non peierranti marmore Neritos*
*Ementietur: nec Capitolia*
*Mutum, Palatineuè moles,*
*Stare ſinent ſine laude ciuem.*

## AD INCLYTAM REGNI POLONIÆ Militiam.

### ODE VII.

*Eheu quo cytharæ ſciens*
*Et Bacchi calidis feruida iurgijs*
*Europæ ruit indoles,*
*Imbellem ſtrepitum, & docta procacibus*
*Saltum iungere claſſicis,*
*Auditoque choros ducere tympano;*
*Et menſam clypeo ſuper*
*Et fuſum galeis ponere liberum!*
*Non hoc pater Theſſalos*
*Inter Biſtonij fulmina prælij,*
*Fudit Viſnouius globos,*
*Et Thracum volucres contudit impetus.*
*Ille, & ſanguineis ſuper*
*Fumantum cumulis hæſit Iazygum, &*
*Alti nauita ſanguinis*
*Portum non ſoliti nominis attigit.*
*Illum Thraces Ibericis*
*Rimati gladiis, pectoris inuia*
*Dimouere repagula*
*Et cor, & tepida morte fluens iecur*
*Deueſci, & pia pectora*
*Auſi ſacrilegis carpere morſibus:*
*At non egregiam quoque*
*Libarunt animam: nec Mareoticas*
*Pauit fama libidines,*
*Aut ſecura Getæ dentis adorea*
*Eheu ſtringite poſteri*
*Ferrum belligera ſtringite dextera.*
*Heu primam gladii ſitim*
*Pubes Odryſijs imbue cædibus;*
*Confoſſiſque, reciprocum*
*Rursùm pectoribus reddite ſanguinem*
*Dudùm in pectore Biſtonum, &*
*Venis immeritum feruere barbaris.*
*Non auro, neque tinnulis*
*Pugnandum phaleris: & chlamydum ſinus*
*Et nodos, & inutiles*
*Gemmas conſpicuis demite brachijs.*
*Quid læuem galeam iuuat*
*Plumarum volucrem ferre ſuperbiam?*
*Cur ſparſas agitat iubas*
*Et conus tremulis annuit Africis?*
*Cur tectum pauidam caput*
*Ementitur auem, cùm leue ſibilis*
*Aurarum, & Zephyri ioco*
*Furtum Mydoniæ proditur alitis?*
*Iam grando chalybum imminet,*
*Telorumque frequens aura volantium*
*Imbelli galeæ inſonat.*
*Iam belli tonitru mugit, & obuium*
*Mœdi fulgor acinacis.*
*Quid proſunt phaleræ, quid galeæ iubar?*
*Quid lætæ Zephyris comæ?*
*Aut vmbo clypei, quòd procul æmulis*
*Lucem ſolibus inuidet?*
*Quid vultus nimium ſedulus adſpici?*
*Quid pictus pharetræ timor?*
*Aurum frænigera reijce dextera:*
*Ferro res eget, & manu;*
*Et magnis animis: hæc tuleris tria,*
*Dicam Geryoni parem,*
*Quem nec fulmineus proruat Hercules,*
*Nec cælo nimius Mimas,*
*Nec dura Idomeneus, aut Sthenelus manu.*
*Bellis adſit idonea*
*Incomptæ facies lege ferociæ;*
*Quam fuci decor abſtinens*
*Laſciuæque carens, forma proteruiæ,*
*Et ferri memores genæ,*
*Heſternique notent vulnera prælij.*
*Criſtæ non facient, virum,*
*Non argutæ ſuis colla coraliis*
*Thoracas Pauor, & Metus*
*Dicuntur ſiculis fingere malleis;*
*Et primi ſcopulis ſuper*
*Procudiſſe vagis ſcuta Cydoniis.*
*Nos ſtultum tegimur caput,*
*Et letho tenues obiicimus moras.*
*At, quos eruerit ſibi,*
*Directis, oculos, inuida ſpiculis,*
*Mors affingere creditur.*





*Fatis mille loci, mille patent viæ:*
*Sed ſignat iaculis locum,*
*Qui vultum ſubitis dimouet ictibus:*
*Deuotumque mori latus*
*Obiectu tremulæ protegit ægidis.*
*Nudos bella pauent viros.*
*Audaces animos ipſa volunt propè*
*Deuitare pericula.*
*Cùm conſanguineæ ferreæ Græciæ*
*Hector rumperet agmina,*
*Toruis ſæpè genis turbidus obuios*
*Fati terruit impetus.*
*Quos fortuna timet, vitat inutilis*
*Lethum decipimus fuga.*
*Mors quæſita viris inuidet auream*
*Famæ pandere ſemitam:*
*Quod ſi belligera ceſſeris orbita,*
*Pòſt te Fata citaueris,*
*Oſtendeſque neci, qua fugies, viam.*

## AD MILITIAM ITALIÆ EIVSDEM Argumenti.

*Pulchro, Quirites, puluere gaudeat*
*Impubis ætas; & ſtrepitum, & minas*
*Iam nunc, & audaces tumultus*
*De tenero meditetur vngui.*
*Viſoque primum ſanguine geſtiat*
*Inter cadentum ſigna, neque eligat*
*Quo laſſa, pòſt pugnam, reclinet*
*Colla toro, ſolidiſque ſomnum*
*Commendet armis, aut clypeo ſuper*
*Effuſus, aut ſe ceſpitis explicet*
*Per ſumma, non parcus iuuentæ,*
*Et decorum pretioſus emptor.*
*Hoc ſeptus olim milite, Biſtonum*
*Vallata ſaxo diruit oppida*
*Regnator Epyri, & timendus*
*Parrhaſiæ moderator oræ.*
*Heu quantus armis, quantus adeſt equis*
*Quantuſque ſudor depopulantibus*
*Pangæa Dacis, cùm refuſi*
*Ferrea diluuies gradiui*
*Tumultuoſi turbine prælij*
*Concuſſit Aemum, cùm Rhodopen propè*
*Sacriſque Ladislaus armis*
*Attonitum patefecit Hebrum,*
*Et bellicoſus Strymona vindice*
*Turbauit haſta, qui calidas adhuc*
*Strages Gelonorum, & natantum*
*Scuta virum, galeaſque voluit!*
*Magnum illa terris intulerat metum*
*Præceps athenas rumpere copias*
*Taboque fumanteis & igni*
*Auſa cohors operire campos.*
*Si non honeſti læta periculi,*
*Belliqne iuſtas rumpere pertinax,*
*Egiſſet armorum cupido,*
*Non humiles iterare pugnas.*
*Manes auorum quis benè proſperis*
*Excuſet armis: quæ manus impigrum*
*Lethi Muſurmannum paternis*
*Immolet inferias ſepulchris?*
*Quæ, nunc, (pudendum) illudere pertica,*
*Perſultat armentum, & miſerabiles*
*Delent peremptorum ruinas*
*Hinnulei, timidæque damæ.*
*Eheu cicatricum Heſperiam pudet*
*Et mollis otI & turpis inertiæ*
*Iraque, quæ prouidit arma*
*Immeritis inimica regnis!*
*Quiſquam nè tandem (dicite poſteri)*
*Vlturus Vrbis nomen, & imperI*
*Affulget enſis, atque ab vllo*
*Scuta tholo, galeæque pendent?*
*An (quod vereri crediderim nefas)*
*Futurus enſis Dardanios adhuc*
*Proſcindit agros, aut Latina*
*Arua metit virideſque ſyluis*
*Frondent ſagittæ? non ego Romulam*
*Damnabo pubem viridicus ſacri*
*Vates Gradiui. iam cruento,*
*Sparſa mari fluitare tela,*
*Videre totis iam videor Thetyn*
*Pugnare remis: iam Latiæ procùl*
*Turmæ, repercuſſaque circum*
*Aera micant, galeæque lympha.*
*Iàm læta Triton perſonat æquora*
*Clangente cornu. iam video nouas*
*Latè per Aegeum moueri*
*Cycladas, Aemoniamque lugè*
*Inauſpicato ſydere lugubrem*
*Mærere Lunam: iam profugæ retro-*
*Cedunt Tyrannorum phalanges,*
*Penè metu glaciante Pontum.*

## AD VRBANVM VIII. PONT. OPT. Max. De pacandis ciuilibus Europæ Bellis.

*Mitte bellaces ſuper orbe curas,*
*Magne pacati moderator Orbis:*
*Mitte Threiſſas calida phalangas*
*Feruere rixa.*
*Mugiant cano, ſine bella ponto;*
*Cum repentinos ſtruit aura monteis,*
*Cùm gemunt cautes, refugaque Calpe*
*Vapulat vnda.*
*Regna Rhœteis reſonant triumphis:*
*Rumor aurata volitans quadriga*
*Grata demittit bene feriatis*
*Nuncia terris.*
*Occidit iuſtæ reus hoſtis iræ*
*Hoſtis hybernæ dominator oræ;*
*Quà coronatis ſinuantur altæ*
*Turribus Alpes:*
*Quà niuis latè, ſaturæque flauent*
*Imbrium valles; vbi mitigatus,*
*Sole vicinos iaculante monteis,*
*Liquitur humor.*
*Ire captiuo patiens fluento*
*Rhenus aſſerta famulatus vndæ*
*Corripit fluctus, & vtroque ripæ*
*Margine ſeruit.*
*Te genu nixi didicere Mœdi:*
*Laxat intentum tibi Maurus arcum:*
*Te pauent Seres, humeriſque Parthi*
*Scuta reponunt.*
*Iam ſacræ leges, & amica legum*
*Iura, ciuileis cohibent tumultus;*
*Iam Fides, & Fas, & aperta largo*
*Copia cornu,*
*Paſtor erranteis comitatus hœdos*
*Deuouet raucas calamo cicadas;*
*Mugiunt colleis, & anhela feſſis*
*Sylua iuuencis.*
*Iura pacatis dominantur agris*
*Iura compeſcunt graue claſſicorum*
*Murmur, & currus, & bellica rauci*
*Fulmina belli.*
*Pax vbi clauſas moderatu vrbeis,*
*Illa nutanteis ſtabilire turreis,*
*Illa vicinis ſtudet æmulari*
*Sydera templis.*

*Pace ſubſultant iuga; pace ridens*
*Tetrici ſaltus: leue ſeparatos*
*Otium colleis amat, & ſequeſtri*
*Gaudia pagi.*
*Quaque pubentes graditur per hortos,*
*Hinc & hinc Diuam comitatus albo*
*Meßium fluctu Cerealis vndat*
*Merges ariſtæ.*

AD VRBANVM VIII. PONT. OPT. Max. Cùm Turcæ è finibus exceſſiſſent Germaniæ.

*Iam tacent pugnæ, Chalybumque ceſſant*
*Bella procuſo malè nata ferro:*
*Diffluunt paßim pretioſa largis*
*Sæcula riuis.*
*Ceſſat argentum, veteriſque vena*
*Fonte narrati reuocantur Anni.*
*Grandinat gemmis, riguoque cælum*
*Depluit auro.*
*Meque veraci ceciniſſe verſu*
*Inter Octobres tua feſta pompas*
*Seclà Saturni rediiſſe Regis*
*Approbat orbis.*
*Aurei patrum, niueique Mores;*
*Exul & fera procul vſque Thule*
*Candor, & ſpreto remeare Virtus*
*Audet Olympo.*
*Lactis, & fuſi per aprica mellis*
*Garruli campos ſecuere riui;*
*Et ſuper fuſo tumuere plenæ*
*Nectare ripæ.*
*Lætior vulgò ſeges inquietis*
*Fluctuat culmis, titubantq; frugum*
*Vberes campi, nec auarus hortis*
*Inuidet annus.*
*Turma pugnaces populata Dacos*
*Hauſit imbellem galeis Tibiſcum*
*Feſſa bellorum; iaculiſque tutum*
*Sepijt Iſtrum.*
*Ille terrarum fragor, ille magnæ*
*Fulmen Europæ, Scythici tremendus*
*Arbiter Ponti piger obſoletis*
*Abſtinet armis.*
*Martis oblitus, calidæque rixæ*
*Findit obliquo ruga vomer vaco:*
*Et minax olim, modo iuſtus agrum*
*Demetit enſis.*
*Caßis intratis reſupina criſtis*
*Altum primis reſonat querelis*
*Fœta nidorum: ſotiant maritas*
*Scuta columbas.*
*Longus herboſis ſpatiatur aruis*
*Ordo Virtutem: niueæque iunctis*
*Fauſtitas Paci legit otioſis*
*Lilia campis.*
*Ite Rhæteis ſociæ triumphis*
*Ite, delectos religate flores:*
*Ite virtutes, iterate nexas*
*Flore corollas.*
*Te Ceres flauis redimita ſertis,*
*Gentis humanæ pater, atque cuſtos,*
*Te Iouis quercus, & Apollinaris*
*Vmbra corymbi:*
*Te volunt lauri, tibi ſurgit vni*
*Myrtus, æternos tibi ſacra comit*
*Populus ramos, meritæque leue*
*Nomen oliuæ.*
*Quo velis crinem cohibere ſerto,*
*Parte cunctari, tibi laurus aptat:*
*Triumphalem cupiunt laurum*
*Nectere tiaram.*
*Laurus annoſum tibi ſignet æuum:*
*Fata te norint, properentque Parcæ*
*Neſcium carpi, tibi deſtinatos*
*Stamen in annos.*
*Te vagum Solis comitata currum*
*Fama per latas ſpatiata terras*
*Narret Eois, doceatque ſeros*
*Nomen Iberos.*
*Audiet Dacos acuiſſe tela*
*Tela Germanis inimica telis:*
*Audiet contos, & iniqua peltis*
*Peila rotari.*
*At ſimul leni rapiente curru*
*Sparget inſonti ſera corda ſucco;*
*Demet & contos, & iniqua peltis*
*Pila retundet.*
*Seruiet pleni tibi potor Iſtri,*
*Te vagi reſponſa petent Geloni,*
*Te repercuſſis agilis Sicamber*
*Perſtrepet armis.*
*Syderum præſes, pelagique rector*
*Lucida terras ſpeculatus arce*
*Regna tranquillet, cupidoque Patrem*
*Te velit orbi.*
*Quæque, formoſos ſedet inter ignes*
*Sedulam pro te miſerata Romam*
*Virgo, quam circum glomerantur albis*
*Aſtra choreis,*
*Curet effuſas Latij querelas,*
*Virginum longas, iuuenumque voces*
*Curet, & votis procerum reclines*
*Suggerat aureis.*
*Condito mitis, placidusque ferro;*
*Orbis ingentes Senij ruinas*
*Firmet, & prono fugitiua ducat*
*Otia mundo.*

*HAEC DE SVCCESSIBVS BELLI, CONTRA Turcas nuper geſti.*

XII. *Sixtus PP. ad bellũ in Turcas, Galliarũ Regem inuitat.* CÆterùm, quòd attinet expeditionem illam Sixti nam, non intermiſit Sixtus, Ludouicum Regẽ Galliarum ad illam inuitare. Illo tamen hoc anno, ſiue non potuit, ſiue neglexit, quicquam conferre, ſed Archiepiſcopum Cenomanen: atque alios nonnullos viros illuſtres, Oratores Romam deſtinauit: qui aliqua peterẽt, aliqua excuſarent. Poſtulabant inprimis Concilium Generale, Lugduni in Gallijs congregari, atque ad illud Reges, & Principes Chriſtianos conuocari, in quo illi diſſidentes conciliari poſſent; & depoſitis omnibus ſimultatibus, de republica Chriſtiana deque bello communi contra hoſtem communem gerendo diſceptare; auxiliaque communia decernere. Referebant poſteà, Ludouicum Regem, more maiorum ſuorum, velle defenſionem fidei, & rei Chriſtianæ ſuſcipere: tantum abeſt vt cogitet tàm præclaro muneri deeſſe; ſi modò Pontifex, benigna aure preces eius accipiat; Concilium Lugduni indicere nè differat; Archiepiſcopum Lugdunenſem Regio ſanguine ortum, ſacro Cardinalium Collegio annumeret; neminem Gallum inuito, vel inſcio Rege, eo honore dignetur; Eccleſijs Gallicanis, non niſi viros Regi gratos præficiat; minorum beneficiorum Eccleſiaſticorum collationem Ordinarijs, ſaltem alternis menſibus relinquat: taxas eorumdem vacãtium ad præſcriptum Concilij Conſtantienſis moderetur; cauſarum cognitionem in prima inſtantia, nè ad Curiam euocet. Clerum Gallicanum propè iam exhauſtum, nè ad bellum ſacrum cõtributione in præſens, premat; inter diſſidẽtes Eccleſiaſticos pacẽ concilier, leges quaſdã moderet vel interpretetur, ſanctionem pragmaticam concernentes; cum idipſum tres Ordines Regni Galliarum ſummoperè efflagitent. Reſpondit Pontifex; de Concilio conuocando intempeſtiuam eſſe petitionem, vbi præſentes Turcici belli motus, præſens auxilium depoſcerent. Concilij indictionem non tàm facilem eſſe, vt videretur; ad Concilium difficillimè venturos Principes; in Concilio longiſſimi temporis deliberationes, ſæpè nullum finem habere; ad præſens bellum iam operam ſuam contuliſſe Aragonium, & Neapolitanum Reges; item Venetos, Genuenſes, Mediolani, & Ferrariæ Duces; Imperatorem, & Principes Imperij auxilia decreuiſſe, claſſem in Helleſpontum eductam rei gerendæ non deeſſe. Mitteret ergo ſuppetias, ſi quas paraſſet: decimas ex Eccleſiaſticis viris in Gallia exigi, nè prohiberet; ſubſidia à Chriſti fidelibus colligi toleraret: benignitatis Apoſtolicæ ſecuriùs in his, quæ ex æquo poſtulaſſet. *Liber expeditionum Sixti IIII. in archiuo Vaticano: & C. Papien. ep. 450.*

XIII. *Conſtitutio Sixti Papæ de beneficijs, & alijs in Gallia ſeruandis.* Fecit Sixtus, quę promiſit, & hanc, quam ſubiungo, Conſtitutionem vulgauit.

*Ad Vniuerſalis Eccleſiæ regimen diuina diſponente clementia vocatis, inter alia pro commiſſorum populorum votiua dilectione nil occurrit præſtantius, quàm exorta inter perſonas Eccleſiaſticas, Principis tenebrarum aſtutia, diſcordiarum fomenta, per noſtræ ſollicitudinis occurſum protinus extinguere, & cuiuſuis altercationis ſalubriter euulſis ſeminibus, pacis, vt tranquillitatis dulcedinem inter creditos nobis populos (diuina nobis aßiſtente gratia) imponere, & conſeruare valeamus Cupientes itaque, vt ſuſcitata retroactis temporibus diſcordia (proh dolor) in regno Franciæ, Delphinatu, alijſque terris, & dominijs chariſſimi in Chriſto filij noſtri, Ludouici Francorũ Regis Illuſtris, inter nonnullas ex eiſdem perſonas, occaſione cuiuſdam Conſtitutionis, quæ in eodem Regno diutiùs inoleuit, quam perſonæ prædictæ pragmaticam ſanctionem vocant, nè ſi (quod abſit) maiora fomenta ſumerat, damna pariter, & grauiora ſcandala, periculaque ſubſequerentur, ſine debito claudatur, & totaliter ſecludatur; auctoritate Apoſtolica, ex certã ſcientia, de Fratrum noſtrorum conſilio, omnibus, & ſingulis Prælatis, & alijs perſonis Eccleſiaſticis Regnis Delphinatus, terrarum, & dominiorum eorumdem, ad quos dignitatum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, terrarum, & dominiorum eorumdem collatio, prouiſio, præſentatio, electio, ſeu quæuis alia diſpoſitio pertinet, de quibuſuis dignitatibus, perſonatibus, adminiſtrationibus, officijs, Canonicatib⁹, & prębẽdis necnon alijs beneficijs Eccleſiaſticis cũ cura, & ſine cura ſecularibus, & regularibus, ad eorum collationem, prouiſionem, præſentationem, electionem, ſeu quãuis aliam diſpoſitionẽ pertinẽtibus, quæ deinceps in Februarij, Aprilis, Iunij, Auguſti, Octobris, & Decembris menſibus futuris perpetuis temporibus vacare contigerit (dummodò diſpoſitioni Apoſtolicæ, ex aliqua generali reſeruatione in corpore iuris clauſa, aut per alterã ex conſtitutionibus felicium recordationum Benedicti XIII. quæ incipit; Ad regimen, aut Ioannis XXII. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, quæ incipit, Execrabilis: ſeu Conſtitutiones, & Regulas Cancellariæ Apoſtolicæ per nos ſuper hoc editas reſeruata generaliter non exiſtant) perindè, ac ſi aliquæ à Sede Apoſtolica, vel eius Legatis expectatiuæ litteræ non emanaſſent, liberè diſponendi facultatem concedimus per præſentes, & quia iſti Summi Pontifices, prædeceſſores noſtri conſueuerunt ſe in conceßionibus gratiarum expectatiuarum perſonis benè meritis exhibere liberales, noſtræ intentionis exiſtit, concedere in Regno Delphinatu, terris, & dominijs Regni huiuſmodi vltrà gratias expectatiuas, per nos in eiſdem Regno, Delphinatu, terris, & dominijs conceſſas (quibus in aliquo præiudicare non intendimus per præſentes, quaſque in ſuo robore permanere volumus) ſex perſonis idoneis Regnicolis, ſex alias gratias expectatiuas, ad quamlibet collationem, prouiſionem, præſentationem, ſeu quamuis aliam diſpoſitionem ſingulorum ex prælatis, & alijs perſonis prædictis. Ex quibus quidem ſex gratijs, duæ gratiæ expectatiuæ concedantur duobus clericis Regnicolis idoneis, pro quibus Rex ipſe & chariſſima in Chriſto filia noſtra, Regina, ac dilectus filius, nobilis vir, Delphinus Viennenſis, necnon Magiſtri & præſidentes, ac alij officiarij in aliquo ex parlamentis Regis eiuſdem Regni nobis ſuper hoc vnanimiter ſupplicabunt: qui duo nominati per Regem, & Reginam, Delphinum, Magiſtros, præſidentes, & officiarios præfatos gaudeant prærogatiuis ad inſtar familiarium noſtrorum continuorum commenſalium. Ipſiſque ſex gratijs conſumptis, alias ſimiles ſex gratias, ſimiles alijs, ſex gratijs, perſonis idoneis, modo, & forma præmißis concedere intendimus.*

*Volumus autem, ac eiſdem authoritate, & tenore præſentium decernimus & declaramus, beneficia, quæ venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium familiares, continui commenſales, eorum familiaritate durante, in Regno, Delphinatu, terris & dominiis præfatis obtinent, & in poſterum obtinebunt, diſpoſitioni Apoſtolicæ in poſterum cenſeri reſeruata, quamdiù duntaxat Cardinales præfati vitam duxerint in humanis, ac pòſt obitum eorumdem Cardinalium per ſex annos continuè ſequentes. Quibus quidem ſex annis elapſis, alij, ad quos eorumdem beneficiorum collatio, prouiſio, præſentatio, electio, ſeu quæuis alia diſpoſitio aliàs pertinet, de beneficijs familiarum huiuſmodi, in Regno, Delphinatu, terris, & dominijs præfatis conſiſtentibus, in prædictis menſibus diſponere valeant, huiuſmodi reſeruatione non obſtante.*

*Concedimus etiam, quòd beneficiorum, quæ promouendi per nos ad dignitates, ſeu beneficia Conſiſtorialia ipſarum prouiſionum per nos de eorum perſonis faciendarum obtinebunt, ac in quibus, & ad quæ ius eis quomodolibet competit, ac competere poterit, per promotiones ad dignitates & alia beneficia Conſiſtorialia prædicta, ac munus conſecrationis eiſdem promouendis impendendum, ſeu lapſum temporis de conſecrandis Epiſcopis à ſacris Canonibus definiti vacaturorum, ſi promotiones ipſæ in aliquo ex ſupradictis menſibus ſiãt, niſi beneficia ipſa eſſent aliàs diſpoſitioni Apoſtolicæ (vt præfertur) reſeruata, ad prælatos, & perſonas ſupradictas; ſi vero in alijs menſibus promotiones eiſdem fieri contingat, ad nos, & Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros collatio, prouiſio, & omnimoda diſpoſitio pertineat.*

*Et quoniam Sedis Apoſtolicæ Notariorum magnus reperitur numerus, eorumdem Notariorum, qui habitum per eiuſdem Sedis Notarios geſtari ſolitũ publicè, & continuè geſtant, & in poſterum geſtabunt, beneficia in eiſdem Regno, Delphinatu, & terris conſiſtentia duntaxat cenſeantur reſeruata; quodque omnes, & ſingulæ cauſæ beneficiales in partibus coram iudicibus competentibus vſq; ad diffinitiuam incluſiuè in prima duntaxat inſtantia, in qua nulli antè diffinitiuam liceat appellare, nec appellatio (ſi fuerit emiſſa) debeat admitti, niſi ab interlocutoria, vel à grauamine negotium principale minimè concernente, quod non poßit per appellationem à diffinitiua ſententia reparari: in alijs verò inſtantijs, in Curia Romana tractentur, cognoſcantur, & fine debito terminentur.*

*Cauſæ verò beneficiales pendentes in dicta Curia, inter noſtros, aut dictorum Cardinalium familiares continuos commenſales, ipſis Cardinalibus in eadem Curia præſentibus, ſeu in aliqua legatione, aut recreationis cauſa ſecedentibus, necnon præfatæ Sedis officiales, officia acta exercentes, aut alios à præmißis, qui per ſex menſes, Curiam prædictam ſecuti ſunt, & ſequuntur de præſenti, Curiales, & quoſcumque alios eorum aduerſarios, ſuper quibuſuis beneficijs eiſdem aduerſarijs auctoritate ordinaria collatis, per illos quibus commiſſæ reperiuntur, ſeu alios per nos ad id deputatos, ſeu etiam deputandos Iudices audiantur, cognoſcantur, decidantur, ſineque debito terminentur, ac executioni debitæ demandentur. Cæteræ verò ſimiles cauſæ beneficiales inter quoſcumque alios pendentes, & quæ quibuſuis Iudicibus, ſeu Auditoribus commiſſæ reperiantur, aliquibus Iudicibus competentibus in Regno Franciæ, auctoritate Apoſtolica committantur audiendæ, & cognoſcendæ, decidendæ, & fine debito terminandæ, cum neceſſaria earumdem cauſarum aduocatione. Præterea, quia aliquæ ex ſupradictis cauſis in eadem Romana Curia ſuper petitorio, & diuerſis Curijs ipſius Regni ſuper poſſeſſorio tractantur; volumus, quòd in eiſdem cauſis in diuerſis Curijs ſuper petitorio, & poſſeßorio vnico, & eodem contextu pendentibus (ſuſpenſo petitorio, & cenſuris ſuper hoc latis) in poſſeſſorio, in Curijs eorumdem Iudicum, coràm quibus cauſæ poſſeſſorij pendeant de præſenti, procedant, cauſæque ipſæ ſuper huiuſmodi poſſeſſorio intrà biennium terminentur, & finiantur. Alioqui biennio elapſo liceat partibus ipſis procedere ſuper petitorio, & vlteriùs dictis cauſis expeditis ſuper poſſeſſorio aut huiuſmodi*

*biennio elapſo altera partium litigantium coràm Iudice competenti auctoritate Apoſtolica deputato, poterit ius ſuum proſequi, ipſeque Apoſtolicus Iudex intrà aliud biennium cauſam in petitorio terminare teneatur. Quòd ſi non fecerit, cauſa ipſa ab eo euocata, & lis penitùs extincta cenſeatur. Etſi forſan aliquis eorundem Iudicum cuiuſuis ſibi commiſſæ cauſæ expeditionem malitioſè prorogare, aut differre præſumpſerit, excommunicationis, & omnium beneficiorum priuationis pœnas ipſo facto incurrat, à qua quidē excommunicationis pœna abſolui nequeat, niſi à nobis, & ſucceſſoribus noſtris, Romanis Pontificibus, præterquàm in mortis articulo. Quodque de cætero in litteris expediendis in Regno Franciæ, Delphinatu, & terris, alijſque dominijs prædictis, ſeruentur taxæ ſuper hoc editæ per Ioannem XXII. Papam præfatum, & exceſſus, ſi qui fuerint, corrigantur.*

*Et quia propter aſſiduas guerras, & nouitates, quæ continuè vigent in dicto Regno, prætenditur Eccleſias, dum vacant, grauatas in taxa etiam reformata in Concilio Conſtantienſi, quæ reducta eſt ad medietatem antiquæ taxæ, quod grauatus in eadem taxa Prælatus promouendus ſoluat communia, & minuta ſeruitia, quæ plures ex Gallis annatam vocant; tantum pro vera æſtimatione fructuum Eccleſiæ, & Monaſterij, ad quæ ſit promotus, eaque in dicta Cancellaria, & Camera Apoſtolica inuiolabiliter obſeruari mandamus: & quia in ſupradictis conceſſionibus Regnum, ac Regem maxima ſumus charitate complexi; credendum eſt non immeritò, vt ſe deuotos, & obedientes ergà Sanctam Romanam Eccleſiam exhibeant: Quarè volumus, & eiſdem auctoritate, & tenore ſtatuimus, quòd præfatus Rex intrà quattuor menſes præmiſſa acceptare, & obſeruare, ac in Regno, Delphinatu, & dominijs huiuſmodi obſeruari facere, necnon intra alios duos, præfatos quattuor immediatè ſequentes menſes, ſuper acceptatione, & obſeruatione, alijſque præmiſſis omnibus, & ſingulis, per ſuas patentes litteras, nos, & ſedem præfatam certificare teneatur. Alioquin præſentes litteræ, & inde ſecuta quæcumque ſint caſſa, & irrita, nulliuſque roboris vel momenti. Nos enim ex tunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam noſtrarum conceſſionis intentionis, voluntatis, conſtitutionis, declarationis, indulti, mandati, & ſtatuti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, M. CCCC. LXXII. ſeptimo Idus Auguſti. Pontificatus noſtri anno primo. Extrauag. commun. lib. 1. c. 1. de trenga, & pace.*

XIV.
*Varia Sixti PP. geſta recenſentur.*

Hæc Ludouici Regis, & Cleri Galliarum Oratoribus à Sixto Pontifice, & Patribus conceſſa. Luſitani Regis, & Cleri Oratores, non minora poſtulabant. Reiecta eorum poſtulata, acquieſcente Sixto, fidemque adhibente ſanis Patrū conſilijs, qui delecti & ad cognoſcenda propoſita. *C. Papien. epiſt.* 455. Inter hæc Sixtus, Carolum Manellum, Canonicum Maſſilienſem, Nuncium in Gallias, & Britanniam, ad Ludouicum Regem, & Franciſcum Britanniæ Ducem miſit, qui decimas in vſum belli ſacri impoſitas colligeret, quique debita nonnulla Sedi Apoſtolicæ exigeret. *epiſt.* 2. *huius anni.* Carolum Barbonium, Lugdunenſem Archiepiſcopum, Legatum Auinionenſibus Sedis Apoſtolicæ ſubditis præfecit. *epiſt.* 74. Thomæ Archiepiſcopo Cantuarienſi, Cardinali S. Cyriaci, tunc in Anglia reſidenti, vt Robertum Epiſcopum Baronienſem, vnà cum complicibus, & fautoribus excommunicatos publicè denunciet in toto Regno, citetque ad comparendum coram Pontifice ſub pœnis, eò, quòd Proſperum de Camonia, Protonotarium, & Nuncium Apoſtolicum ad exigenda debita Cameræ Apoſtolicæ in Anglia, coniecilſet in carcerem, & coëgiſſet iurare, & ſub pœnæ grandis pecuniæ ſe carceri præſentare, commiſit, omniaque attenta contra illum abrogauit. *epiſt.* 85. Alexandrum Epiſcopum Forliuienſem, in Germaniam ad Imperatorem, & Principes, Nuncium pro colligendis decimis, & viceſimis, in bellum ſacrum deſtinauit. *epiſt.* 64. Patriarchæ Veneto, & Epiſcopis Italiæ, atque Siciliæ, qui eaſdem decimas, & viceſimas exigerent, impoſuit. *ep.* 70. In eos, qui aliquid ex ijſdem ſubtraherent, anathema, & alias grauiſſimas pœnas tulit. *ep.* 87. Herculem Ateſtinum, Ducalibus inſignijs exornauit, *epiſt.* 148. Bullam in Cæna Domini legi ſolitam, contra hæreticos & alios fidei, & Eccleſiæ hoſtes pronunciauit. *ep.* 90. F. Georgium de Comitibus in Comitatu Sabaudiæ Inquiſitorem contrà hæreticos: Fratrem autem Alexandrum de Phano in Pedemontio, & Ianua, Commiſſarium contra vſurariam prauitatem inſtituit. *ep.* 8. & 35. Pro reformatione monaſteriorum Regni Siciliæ nonnullos Viſitatores deſtinauit, atque priuilegia Monaſterio S. Saluatoris Linguæ Phari extra muros Meſſanenſes Ordinis S. Baſilij, à Regibus conceſſa, & à ſuperioribus Pontificibus confirmata, confirmauit, ſubque protectionem Sedis Apoſtolicæ recepit, dato adiuncto diplomate.

XV.
*Priuilegia Monaſterij S. Saluatoris apud Meſſanam cōfirmat.*

*Sixtus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Conſtitutus in ſpecula ſupremæ dignitatis Romanus Pontifex, propoſitas ſibi cauſas æqua lance diſcutiens, ſi quid in alieni Iuris præiudicium emanaſſe comperit, id nè grauiorem tendat in noxam, ad rationis debitum reducit, lites extinguit, fundationes Monaſteriorum, & antiqua priuilegia apoſtolica corroborat, ſtatui, & tranquillitati religioſarum perſonarum ſalubriter prouidet, aliaque diſponit, & ordinat, prout rerum, & temporum qualitas exigit, cauſæ rationabiles ſuadent, & id in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Sanè nobis nuper innotuit, quòd dudum claræ memoriæ, Rogerius Rex Siciliæ, volens terrena in cæleſtia fælici comercio commutare, de bonis ſibi à Deo creditis, ad laudem, & honorem omnipotentis magni Dei noſtri Saluatoris* IESV CHRISTI, *eiuſque inuiolatæ Matris Virginis* MARIAE, *& ad decorem, honeſtatem, & augmentum cultus diuini de conſenſu, voluntate, & beneplacito bonæ memoriæ Hugonis tunc Epiſcopi, ac Canonicorum, & Capituli Eccleſiæ Meſſanen. Monaſterium ſub vocabulo Sancti Saluatoris linguæ ſari extrà muros Meſſanen. Ordinis Sancti Baſilij, Mandram nuncupatum, quod mater omnium Monaſteriorum, quæ ſub eo eſſent & Archimandritam in eo, qui pater, & Prælatus Abbas omnium Abbatum, qui ſub eo eſſent, erexit ac fundauit, & dotauit, decernens pro omni Epiſcopali Iure, ſoluere eandem Mandram Eccleſiæ Epiſcopali Meſſanen. annuum cenſum, centum librarum, Ceræ; viginti Thuris; viginti Caſiſos olei, & viginti nummos, ſeu ſolidos ſecundùm pactum, & concordatum inter eoſdem Regem, Epiſcopum, Capitulum, & Canonicos factum, quòd Rex prædictus in cuſtodia, & poteſtate ſua, & ſuorum ſucceſſorum accepiſſet ſub hac conditione, & pacto videlicet, Quòd cùm Archimandrita in ipſo Monaſterio eligi deberet à toto Conuentu & illius Monachis pro tempore exiſtentibus; ſecundùm ſacros canones ab eodem Rege, eiuſque hæredibus, & ſucceſſoribus confirmari, & iuſſu, benedici deberet, & quòd dictum Monaſterium ab omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & ab omni perſona eccleſiaſtica, & ſæculari, vnà cum Prælatis, & ſucceſſoribus exemptum foret, quodque dicta exemptio per Henricum, & Fridericum Reges eius in dicto Regno ſucceſſores, & pòſt ſucceſſiuè fuiſſet confirmata, ac fælicis recordationis Alexander Tertius, volens votis dicti Regis aſſentire, Monaſterium ipſum ſub Beati Petri, & ſua protectione ſuſcepit; ac ordinauit, quòd ibidem ordo monaſticus ſecundùm ordinem ſancti Baſilij obſeruaretur & poſſeſſiones, ac bona quæcumque dicti Monaſterij necnon obedientias, & Abbatias, omnemque honorem, & dignitatem, conſuetudinem, libertates, exemptiones, ac priuilegia, quas, ſeu quæ dictus Rex eidem Monaſterio per priuilegium ſuum conceſſerat, per ſuum priuilegium confirmauit, et ſi quis dictum Monaſteriū interdicere auderet, illud nec non libertates liberas, & illibatas ſibi ſeruare voluit. Et ſucceſſiuè fælicis recordationis Innocentius Tertius, ad Archimandritæ Monachorum, & Con-*

Cenſum.

De electione.





*uentus dicti Monaſterij ſupplicationem, ipſum Monaſterium eiuſque perſonas cum omnibus eorum bonis præſentibus, & futuris, ſub beati Petri, & ſua protectione ſuſcepit, ac ipſum Monaſterium ſpecialiter, & obedientias, ac cætera Monaſteria ſuffraganea ab omni præſtatione, & Eccleſiæ, & perſonarum, ita quod ex tunc in antea, eſſent libera, exempta & nulli alij Eccleſiæ, Diœceſan. Archiepiſcopo, Epiſcopo, vel locis religioſis, vel aliquibus perſonis, niſi ipſius Monaſterium Archimandritæ tenerentur de cætero in aliquo, excepto dicto cenſu Eccleſiæ Meſſanen. iuxtà dictum priuilegium reſpondere liberauit & exemit, ac fælicis recordationis Ioannes vigeſimus ſecundus, dictum priuilegium in innouatione priuilegij, præfati Alexandri Tertij antedictum Monaſterium ſub ſua, & beati Petri protectione ſuſcepit, & in quibuſdam alijs litteris Monaſterium ipſum exemptum narrauit ac recolendæ memoriæ* CLEMENS SEXTVS *in alijs ſuis litteris dictum Monaſterium exemptum narrauit, & illud ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinere, & omnia priuilegia per prædeceſſores ſuos, & Reges, antedicto Monaſterio conceſſa confirmauit, prout in dictorum prædeceſſorum noſtrorum litteris, & priuilegiis, quarum tenores eis de mandato noſtro priùs inſſis, & examinatis diligenter de verbo, ad verbum ſignis, caracteribus, & ſubſcriptionibus duntaxat exceptis, præſentibus inſeri fecimus, quamuis de huiuſmodi exemptione (vt præfertur) clarè conſtet. Nihilominus quia fœlicis recordationis Honorius Papa Tertius etiam prædeceſſor noſter, materia quæſtionis inter quendam Nymphum Archimandritam, & Conuentum dicti Monaſterij ex vna, & bonæ memoriæ tunc Archiepiſcopus Meſſanen. de, & ſuper Iuriſdictione, & ſubiectione, ac ſuperioritate dicti Monaſterij, & exemptione exorta, ad relationem bonæ memoriæ. Aegidij ſanctorum Coſmæ; & Damiani, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, tunc Diaconi Cardinalis, cui dicta cauſa in Conſiſtorio referenda inter dictas partes commiſſa fuerat, & in dicto Conſiſtorio facta pro eo, quia coràm eodem bonæ memoriæ Cardinali, dictum priuilegium præfati Innocentij Tertij non fuit productum, prout ipſemet Honorius atteſtatur, de conſilio Cardinalium tunc exiſtentium, ſtatuit, & ordinauit, quod confirmatio, vel infirmatio electionis, Monachorum de Archimandrita, & benedictionis munus, necnon annua dicti Monaſterij viſitatio ab eis fienda, & procuratio, quoad Archiepiſcopum, correctio autem Monachorum, & dicti Monaſterij ad Archimandritam, ſed correctio Archimandritæ ad Archiepiſcopum excepta depoſitione eius, quæ ſummo Pontifici reſeruaretur in ciuilibus Archimandrita, & Conuentus coram Archiepiſcopo reſpondere deberet, & ſingulis annis ipſe Archimandrita in Feſto beatæ* MARIÆ *deberet accedere ad Cathedralem Eccleſiam, in habitu ſolemni, excepto tunc vſu Mitræ, & ab Archiepiſcopo Archimandrita, & Monachi prædicti recipiant ſacramenta eccleſiaſtica, eidemque perſoluant cenſum annuum & quòd requiſitus ad ſynodum Archiepiſcopi, veniet, & ſtatutis ibidem factis, quæ non eſſent contra probatum ritum Græcorum, & regulam ſancti Baſilij reciperet, & quod ſuper præmiſſis iurarent obedientiam Archiepiſcopo, & in his & non alias dictū Monaſterium interdicere non præſumerent, prout in litteris dicti Honorij deſuper confectis, quarum tenores habere volumus pro expreſſis & huiuſmodi prouiſionis prætextu dictus Nymphus Archimandrita, & aliqui poſt eum dicti Monaſterij Archimandritæ, reuerentiam, & obedientiam dicto Archiepiſcopo fecerunt, bonæ memoriæ Paulus Papa ſecundus etiam prædeceſſor noſter, cauſam ſuper huiuſmodi ſubiectione exemptione, & ſuperioritate, ad quandam Petri, tunc Archimandritæ dicti Monaſterij inſtantiam, contra Venerabilem Fratrem noſtrum, Archiepiſcopum Meſſanen. dilecto filio, Nicolao tituli ſanctæ Cæciliæ Presbytero Cardinali, audiendam cōmiſit, & fine debito terminandam, ipſeque Cardinalis in ea procedens, diffinitiuam ſententiam deſuper pro dicto Archiepiſcopo, & contrà ſupra dictos, Petrum Archimandritam, Monachos, & Conuentum dicti Monaſterij promulgauit. A qua pro eorum Archimandritæ, & Conuentus ante dicti Monaſterij parte appellato, cauſa dictæ appellationis bonæ memoriæ, Richardo Epiſcopo Albanen. Cardinali Conſtantien. nomenato extitit commiſſa, quæ in ea etiam contrà dilectum filium, Leontium pòſt obitum dicti Petri, ipſius Monaſterij Archimandritam factum procedens, dictam ſententiam cum expenſarum condemnatione per aliam ſuam ſententiam confirmauit. A qua appellato, & certo termino ad proſequendum dictam appellationem præfixo, cauſaque dictæ appellationis dilecto filio noſtro, Oliuerio tituli ſancti Euſebij Presbytero Cardinali, pòſt lapſum dicti termini extitit commiſſa, qui expenſas in dicta cauſa pro parte dicti Archiepiſcopi factas, vigore ſpecialis commiſſionis taxauit, & litteras exequutoriales deſuper decreuit, quæ exequutioni nondùm ſunt traditæ quarum ſententiarum, ac totius proceſſus deſuper facti, & ſupra nominatorum omnium, & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, habemus pro expreſſis. Cùm autem tempore, quo dictus claræ memoriæ Rogerius Rex, antedictum Monaſterium cum illud, vt præmittitur, conſtruxit, ædificauit, & fundauit, Epiſcopo, & Capitulo Eccleſiæ Meſſanen. ibidem præſentibus, volentibus, & conſentientibus, ab omni eorum, & cuiuslibet alterius Prælati, & ordinarij ſuperiorum, exemptum eſſe voluerit, ac poſt eius obitum alij dicti Regni Reges, dictarum exemptionem, vt prænarratur, confirmarunt, nec non recolendæ memoriæ Caliſtus Tertius, dictum Monaſterium ab omni Iuriſdictione ſuperioritate, & dominio Archiepiſcopi Meſſanen. & aliorum Ordinariorum totaliter eximiſſet, & illud ſub ſua, & beati Petri protectione ſuſcepiſſet, ac alia feciſſet, prout in litteris eiuſdem prædeceſſoris deſuper confectis, plenius continetur. Nos præmiſſa conſiderantes, ac nolentes, prout, nec velle debemus quod pro deſidia, aut negligentia, ſeu ignorantia Archimandritæ, Monachorum, & Conuentus eiuſdem Monaſterij tunc exiſtentium, antedictum priuilegium Innocentij coràm dicto fælicis recordationis Honorio, ſeu coràm dicto Commiſſario non fuit productum, ad ſubiectionem dicti Archiepiſcopi, Canonicorum, & Capituli ipſius Eccleſiæ Meſſanen. prætextu dictarum Ordinationum Honorij, & ſententiarum ſucceſſiuè latarum redire debeat, cùm non ſit veriſimile, quod ſi dictum priuilegium Innocentij Papæ Tertij coràm dicto Honorio Tertio, ſiu prædictoque eius Commiſſario productum fuiſſet, dictus Honorius antedictam ordinationem feciſſet, prædictas ac ſtatum cauſæ, & tenores ſententiarum, ac proceſſuum deſuper habitorum, ac cauſam ipſam, ſi qua ſit ad nos harum ſerie aduocatos, & huiuſmodi litem penitus extinguentes, pro potioris cautelæ ſuffragio pro expreſſis habentes, motu proprio, non ad ipſius Leontij Archimandritæ, Monachorum, & Conuentus, aut alterius pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia, ordinationem Rogerij Regis, exemptionem, liberationem, ac ſingulas Alexandri Innocentij, Ioannis Clementis, & Caliſti prædictorum litteras, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis clauſulis approbamus & perpetuum robur obtinere decernimus. Et nihilominus Monaſterium ipſum, cum omnibus & ſingulis iuribus, & pertinentijs ſuis membris, & Abbatijs, ac Archimandritam, Monachos, & Conuentum eiuſdem Monaſterij ab omni Iuriſdictione, ſuperioritate, ſubiectione, & poteſtate Archiepiſcopi, & Capituli Eccleſiæ Meſſanen. & quorumcunque ordinariorum præſentium, & futurorum, eximimus, & liberamus, nec non à collectis, & ab exactionibus, oneribus, grauaminibus contrà ſacrorum Patrum decreta impoſitis hactènus, aut de cætero imponendis, nec non ab illorum Collectoribus, & exactoribus ad huiuſmodi collectionem & impoſitionem quomodolibet deputatis, & deputandis officialibus prorſus perpetuò eximimus, & totaliter liberamus ac illud, illas & illa ſub beati Petri, & noſtra ac Sedis Apoſtolicæ protectione ſuſcipimus, ità quod de cætero, Archiepiſcopus, & ordinarij, ac alij ſupradicti etiam ratione delicti, ſeu contractus, aut rei, de qua agetur, vbicumque committatur delictum, initur contractus vel res ipſa conſiſtat, nullam poſſint in*

Archimandritam, Monachos, & Conuentum Miniſtro: perſonas, Monaſterium, membra loca, & bona prædicta, vt potè prorsùs, & omninò exempta, & nobis, ac dictæ Sedi immediatè ſubiecta, ſeu Iuriſdictionem, poteſtatem aut aliquod Dominium exercere, nec ab eis ratione imposterum collectarum, vel ſubſidiorum huiuſmodi, quicquam petere, exigere, recipere; vel leuare, niſi cenſum duntaxat Eccleſiæ Meſſanen. debitum. Non obſtantibus ſententijs, & alijs contrà huiuſmodi exemptionem, & priuilegia attentatis, quæ pro nullis, & infectis haberi volumus, ac recolendæ memoriæ Innocentij Papæ Tertij etiam prædeceſſoris noſtri circà exempta, quæ incipit. Volentes, & alijs conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, quod Archimandrita dicti Monaſterij pro tempore exiſtens, ſingulis annis vnum florenum auri de Camera, in recognitione ſubiectionis Sedis Apoſtolicæ, huiuſmodi, pro annuo cenſu eidem Cameræ ſoluere teneatur. Tenores verò litterarum Rogerij Regis ALEXANDRI Tertij, Innocentij Tertij. IOANNIS vigeſimi ſecundi, Clementis Sexti, & Caliſti tertij prædeceſſorum eorumdem ſunt tales.

Nitiſonū.

Rogerius in Chriſto Deo pius, & fortis Rex, & Chriſtianorum adiutor. Quoniam ea, quæ ſunt præſentis vitæ corruptibilia, & mortalia exiſtunt & inſtar Capillorum, ex alijs, in alios mutantur; mirabilem quandam harum rerum religionis amantores mutationem dextræ altiſſimi dignam iuxtà Pſalmum. Cogitauerunt, & vt permanerent firma, & æterna, omne ſtudium adhibentes alium tramitem non inuenerunt, niſi erigere diuina Templa, & dedicare illis eorum poſſeſſiones, & reddere Deo. Ex hoc enim fit, quod per inceſſabiles hymnos & laudes, quæ fiunt in ipſis, Deus ſine intermiſſione colitur, & glorificatur, & ipſi conſequuntur memoriam æternæ beatitudinis & aſſiduæ orationis huiuſmodi eorum exemplum veluti regulam primitiuam quandam tranquillitas noſtra ſecuta diuinum, & ſanctum fundamentum erexit Templum, atque ædificauit in Promontorio Portus Meſſanen. Inſulæ Siculorum ad gloriam, & laudem Magni Dei, & ſaluatoris noſtri IESV Chriſti, à quo, & coronam accepimus, & immaculatæ matris eius ſanctæ Dei Genitricis, & ſemper Virginis MARIÆ, & Confeſſorum Patris ſancti Nicolai hoc venerabile Templum in magnitudinem, & decorem diuina prouidente gratia conſenſu Vgonis, Venerabilis Epiſcopi, & Canonicorum Meſſanen. Mandramque hoc nominantes, & facientes, videlicet matris Monaſteriorum, quæ ſubexiſtant & Archimandritam in eo conſtituentes ſcilicet Patrem & Prælatum Abbatum, qui ſub eo exiſtunt, decernimuſque pro Epiſcopali iure, ſoluere eandem Mandram dictæ Eccleſiæ Epiſcopali annuum cenſum centum librarum ceræ, viginti Thuris, viginti Caſiſos olei & viginti nummos; ſiue ſolidos pro omni Epiſcopali iure ſecundum factam inter nos & dictum Epiſcopum cum ſuis Canonicis concordiam, vt dictum eſt, quam accepimus & cuſtodimus in poteſtate, & mandato noſtro, & hæredum, & ſucceſſorum noſtrorum. Eum verò, qui debet Abbas in ipſa Saluatoris Mandra eligi debet à monachis, qui ſunt in ea, videlicet à toto Conuentu ſecundum diuinos, & ſacros Canones, & confirmari debet à noſtra Maieſtate, vel hæredum, & ſucceſſorum noſtrorum, & benedici de iuſſu noſtro. Volumus prætereà idem noſtrum Monaſterium, eſſe liberum, & exemptum ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, & ſimpliciter ab omni perſona eccleſiaſtica, & ſæculari eius Prælatum, & ſuos ſucceſſores ſi fortè accideret dubitatio alicui ex aliquo, volumus, quòd non reſpondeat, niſi coràm nobis, & hæredibus, & ſucceſſoribus noſtris. Liceat autem eidem Prælato, & eius ſucceſſoribus, ſi aliquandò opus eſſet indictæ ratione eiuſdem, vt in quocunque Monaſterio, vel loco dicti Regni noſtri reperti fuerint tales, ducere ipſos ſine aliqua prohibitione, & abſque alio impedimento penitus ab aliquo. Eos verò, qui fugiunt mundum, & ad eandem diuinam Mandram accedentes ex quauis fortuna, & conditione exiſtant, de cætero ab aliquo non moleſtari iubemus. Volumus prætereà Monachos eiuſdem Mandræ habere greſſum liberum, & propter reliqua eorum ſeruitia maris, & in ipſorum reſertionis diuinitùs conſeruati claſſis noſtræ habere Marinarios liberos quadraginta, qui nullo pacto impediantur ab aliquo noſtrorum Conſeruatorum, vel aliquo reliquorum Miniſtrorum eiuſdem ſtoli. Largimur inſuper eidem noſtro Monaſterio agrum noſtrum Meſſanen. cum terris præeminentijs, & datium Marinariorum, qui cum eo habitant. Hunc autem agrum largimur, ſicut diximus eidem Monaſterio, ſicut eſt determinatus. Incipit autem à ſcala ſanctæ Margaritæ, & aſcenditur ipſam vſque ad Muſcata, & indè ferit in Tiro Muntilinos. Inde itur ad Ricberam paruam, & inde per montem montis vſque ad ſanctum Philippum de Marzi, & inde per viam vſque ad Calatamoltum, & inde per Xp̃am Xp̃am vſque ad Popeltum, & deinde ex Xp̃a, & via vine atronitarum, & ferit ad Scuncanſum vſque ad Antum Montu, qui dicitur malus mons; ſicut aſcenduntur ſparſione aquarum, & inde per Xp̃am Xp̃am vſque ad edera, & aſcenditur vſque ad magnum montem, & inde deſcenditur à Caballo, & Caruti. Inde deſcenditur per Xp̃am Xp̃am vſque ad Mare. Prætereà in ipſis agri montibus volumus, quod Monachi incraſſent Porcos iniungentes liberè, ita quod nullus de noſtris Poteſtatibus, vel Baiulis propter hoc exigat aliquid ab eis. Inſuper largimur eidem noſtro Monaſterio obedientiam ſancti Meandri de ſancto Meone, cum tenimento ſuo ſecundùm quod continetur, & terminatur in præcedenti priuilegio beatiſſimi patris noſtri Comitis Rogerij habente anno ſex milleſimo ſexcenteſimo ſecundo, & hæc omnia approbamus, & confirmamus eidem Monaſterio, vt ſint immutata vſque ad finem ſæculorum Non liceat autem Prælatis, vel Monachis eiuſdem diuini Monaſterii pro tempore exiſtentibus, de obedientiis ipſius, vel reliquis poſſeſſionibus concedere alicui perſonæ eccleſiaſticæ, vel laicali quouis modo omninò ad poſſidendum, niſi fortè ad augmentum & meliorationem rei Monachis nutritis, & eruditis in eiuſdem Mandræ. Hæc igitur vt ſuperiùs dictum eſt, approbantes, & confirmantes eidem Venerabili, Monaſterio Saluatoris eum, qui præſumpſerit contrà hæc ſuperbire, volumus noſtrum, atque hæredum, & ſucceſſorum noſtrorum indignationem. Ad confirmationem autem, & firmitatis robur eiuſdem diuinæ, & ſanctæ Mandræ præſens priuilegium ſcriptum, & ſolita noſtra bulla plumbea ſigillatum de mandato noſtro exhibitum menſe Maij, anno ſex milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo nono, Indictione octaua.

Alexander Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei: Onophrio Archimandritæ ſancti Saluatoris Meſſanen. eiuſque fratribus, tàm præſentibus, quàm futuris, regularem vitam profeſſis in perpetuum. Apoſtolicæ ſedis, cui quamquàm immeriti prouidente Domino, præſidemus, auctoritate, debitoque officij noſtri compellimur, viros religioſos ſincera charitate diligere & nè cuiuslibet temeritatis incurſus, aut eos à ſuo propoſito reuocet, aut robur, quod abſit ſacræ religionis infringat, Apoſtolico ipſos præſidio communire. Eapropter precibus chariſſimi in Chriſto filij noſtri, R. illuſtris Siciliæ Regis benignius inclinati, & veſtris poſtulationibus fauore gratuito annuentes, præfatum Monaſterium: in quo diuino eſtis obſequio mancipati, ſub Beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti priuilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes, vt ordo Monaſticus, qui ſecundùm Deum, & Beati Baſilij regulam, quæ in eodem Monaſterio antiquitùs inſtituta eſſe dignoſcitur perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obſeruetur. Prætereà quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona, quaſcunque obedientias, & Abbatias, Rex Rugerius recolendæ memoriæ eidem Monaſterio per Priuilegium ſuum bulla aurea communitum conceſſit, omnem quoque honorem, dignitatem, conſuetudines, libertates, & quicquid aliud vobis, veſtriſque ſucceſſoribus contulit, ſicut in priuilegio ſuo pleniùs continetur, firma





vobis, veſtriſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis, locum ipſum in quo præfatum Monaſterium ſitum eſt, cum omnibus pertinentijs ſuis. In Sicilia quidem obedientias has. Eccleſiam ſancti Leonis de Meſſana Eccleſiam ſancti Stephani de Meſſana. Eccleſiam ſancti Nicolai de Tre, Eccleſiam ſancti Ioannis de Pſichro; Eccleſiam ſancti Nicolai de Pellera. Eccleſiam ſancti Mercarij de Traina. Eccleſiam ſancti Nicolai de Canneti. Eccleſiam ſancti Nicandri de ſancto Nico. Eccleſiam ſancti Barbari de Menna. Eccleſiam ſancti Petri de Daca. Eccleſiam ſancti Eliæ de ſcala oliuerij. Eccleſiam ſancti Iacobi de Calo. Eccleſiam ſanctæ Marthæ de Mallimachi. Eccleſiam ſancti Petri de largo Flumine. Eccleſiam ſanctæ Veneris de Venelli, Eccleſiam ſancti Theodori de inſula Milacij. Eccleſias ſanctæ Annæ, & ſancti Nicolai de Monte forti. Eccleſiam ſancti Georgij de Tiuello. Obedientiam de Agro. Obedientiam de ſalice. In Calabria autem Obedientias has. Eccleſiam ſancti Panchratij de Ebriatico. Eccleſiam ſancti Theodori de Nicotera. Eccleſiam ſanctorum Coſmæ, & Damiani, Eccleſiam ſancti Nicolai de Droſo. Eccleſiam ſancti Viti cum tenimentis ſuis de Burano. Eccleſiam ſanctæ Ieruſalem. Eccleſiam ſancti Canonis. Eccleſiam ſancti Ioannis de ſiulltrano. Obedientiam de Catuna obedientiam de Renſilli cum terris Argilli. Obedientiam de Tuchi cum omnibus pertinentijs, & tenimentis earum. Monaſteria autem in Sicilia hæc. Monaſterium ſancti Nicardi de Maſſan. Monaſterium ſancti Saluatoris de Presbytero ſcolario. Monaſterium ſanctæ Mariæ de Maſſa Monaſterium ſancti Philippi de Meſſan. Monaſterium ſancti Petri de Gitala. Monaſterium ſancti Petri de Agro. Monaſterium ſancti Saluatoris de Placa. Monaſterium ſancti Eliæ de Rimbola. Monaſterium ſancti Baſilij de Traina Monaſterium ſancti Philippi Demenna. Monaſterium ſancti Panchratij. Monaſterium ſancti Angeli de Brolo. Monaſterium ſanctæ Mariæ de Gala. Monaſterium ſancti Gregorij de Gipto. In Calabria vero. Monaſterium ſancti Eliæ noui Monaſterium ſancti Ioannis de Laura. Monaſterium ſancti Fantini. Monaſterium ſancti Panchratij de Scilla cum omnibus obedientijs eorum In ſupradictis ſiquidem monaſterijs omnibus debes tu fili Archimandrita, & tui poſt te ſucceſſores Abbates inſtituere conſilio, & conſenſu, qui in eis fuerint, Monachorum, & ſi quis Abbatum indignus fuerit Abbatia cui, præeſt tu illum, & tui ſucceſſores iuſte, & canonicè amouere debeas, & alium ſubſtituere in loco eius, quem dignum prouideretis iuxta Dei timorem, & regulam Monaſterij veſtri. liceat quoque vobis in ſupradictis omnibus Monaſterijs & obedientijs examinare, & iudicare Abbates, Monachos, & Laicos eorum tam de ſpiritualibus, quam temporalibus, & cauſas eorum iuſte, & Canonicè diffinire. Ipſi verò tibi, tuiſque ſucceſſoribus debent obedientiam, & reuerentiam debitam exhibere tamquam Patri, & Archimandritæ eorum, & iuſtitias vobis ſoluere conſtitutas. Ad hæc quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona tam de piſcationibus oliuetis, nemoribus, molendinis, terris, veneis, cannetis, & pomerijs quam de hominibus, & quibuscumque alijs idem Monaſterium in præſentiarum vbique iuſtè, & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, ſeu alijs iuſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, vobis & ipſi Monaſterio auctoritate Apoſtolica confirmamus eo tenore, quod Meſſanen. Archiepiſcopo, & ſucceſſoribus eius tam tu fili Archimandrita quam ſucceſſores tui, viginti ſolidos, centum libras ceræ viginti incenſi, & totidem Caſiſos olei pro cenſu annuatim ſoluere debeatis. Sanè noualium veſtrorum, quæ proprijs manibus, aut ſumptibus colitis, ſiue de quibuſcunque alijs prouètibus veſtris, vel de nutrimentis animalium veſtrorum, nullus à vobis, vel ab hominibus veſtris decimas exigere, vel extorquere præſumat. Liceat quoque vobis Clericos, vel laicos liberos, & abſolutos è ſæculo fugientes, ad Monaſterium veſtrum recipere & eos abſque contradictione aliqua retinere. Prohibemus inſuper, vt nulli fratrum veſtrorum poſt factam in Monaſterio veſtro profeſſionem, fas ſit, de eodem loco, niſi arctioris religionis obtentu, abſque Archimandritæ ſui licentia diſcedere; diſcedentem verò abſque communium litterarum cautione, nullus audeat retinere. Prohibemus etiam, vt nullus ipſum monaſterium interdicere audeat, vel Monaſteria, aut obedientias eius, ſeu homines eorum, libertates quoque, ac immunitates antiquas, vt rationabiles conſuetudines Monaſterij veſtri conceſſas, & hactenus obſeruatas, ratas habemus, & eas perpetuis temporibus illibatas permanere cenſemus. Obeunte vero te nunc eiuſdem loci Archimandrita, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſumptionis aſtutiæ, ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres Monaſterij, communi conſenſu, vel Fratrum maior pars conſilij ſanioris, ſecundum DEI timorem, & Monaſterij regulam de ſe ipſis prouiderint eligendum. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat, præfatum Monaſterium temere perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere minuere, ſeu quibuslibet vexationibus fatigare: ſed illabata omnia, & integra conſeruare eorum, pro quorum gubernatione, & ſuſtentatione conceſſa ſunt, rebus omnimodis profutura, ſaluâ Sedis Apoſtolicæ auctoritate, & Meſſanen. Archiepiſcopi ſicut ſupradictum eſt, annuo cenſu. Si quia igitur in futurum eccleſiaſtica, ſæculariſuè perſona, huius noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire temptauerit; ſecundò, tertiouè commonita, niſi præſumptionem ſuam, digna ſatisfactione correxerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore, ac ſanguine DEI, ac Domini redemptoris noſtri IESV Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine, diſtrictæ vltioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco ſua iura ſeruantibus, ſit pax Domini noſtri IESV Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiat, & apud diſtrictum Iudicem, præmia æternæ pacis inueniat. Amen. Amen. Amen. Datum Anagniæ per manum Gratiani, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſubdiaconi, & notarij. Duodecimo Calendas Nouembris Indictione nona, Incarnationis Dominicæ, anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quinto, Pontificatus vero Domini Alexandri Papæ Tertii anno decimo ſeptimo.

INNOCENTIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI. Dilectis filiis Fratri Lucæ, Archimandritæ, & Conuentui Monaſterii ſancti Saluatoris de lingua Meſſanen. Ordinis ſancti Baſilii, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Sacroſancta Romana Eccleſia deuotos, & humiles filios, ex aſſueto pietatis officio propenſiùs diligere conſueuit, & ne prauorum hominum moleſtiis agitentur, eos tanquàm pia mater ſuæ protectionis munimine confouere. Eapropter dilecti in Domino filii, veſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu perſonas, & Monaſterium, in quo diuino eſtis obſequio, mancipati, cum omnibus bonis, quæ in præſentiarum rationabiliter poſſidet, aut in futurum iuſtis modis præſtante Domino poteris adipiſci, ſub Beati Petri, & noſtra protectione ſuſcepimus: ſpecialiter autem prædictum Monaſterium ſancti Saluatoris; nec non obedientias, & cætera Monaſteria ſuffraganea ipſius Monaſterij liberamus, & eximimus ab omni proſtratione ſeruitutis alicuius Eccleſiæ, & aliarum perſonarum; ita quòd amodo ſint libera, & exempta, & nulli alij Eccleſiæ Diœceſano Archiepiſcopo, Epiſcopo, vel locis religioſis, ſeu aliquibus perſonis; niſi tibi prædicto Lucæ Archimandritæ tuiſque ſucceſſoribus tantum teneantur amodo in aliquo reſpondere; excepto cenſu Eccleſiæ Meſſanen. ſi quod in priuilegio præfati Monaſterij dicitur contineri, vobis, & per vos eidem Monaſterio auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtræ protectionis, & confirmationis infringere; vel ei auſu temerario contraire. ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe ſentiat incurſurum. Datum Laterani, quinto Calendas Octobris, Pontificatus noſtri anno tertio decimo.

CLEMENS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI, Dilectis filiis, & Archimandritæ, & Conuentui Monaſterij ſancti Saluatoris de Lingua [illegible] Meſſanen. ad Romanam Eccleſiam, nullo medio pertinentis, ordinis ſancti Baſilij ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Solet annuere Sedes Apoſtolica piis votis, & honeſtis petentium precibus, fauorem beneuolum impartiri. Eapropter dilecti in Domino filii veſtris iuſtis poſtulationibus grato concurrentes aſ-

*ſenſu, omnes libertates & immunitates à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſiue per priuilegia, vel alias indulgentias, vobis, & Monaſterio veſtro conceſſas, nec non libertates, & exemptiones ſæcularium exactionum à Regibus, & Principibus, & alijs Chriſti fidelibus rationabiliter vobis, & Monaſterio prædicto indultas, ſicut eas iuſtè, & pacificè obtinetis, vobis, & per vos eidem Monaſterio auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergò omninò hominum liceat, hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum, Datum Auinioni Tertio idus Februarij, Pontificatus noſtri anno quarto.*

*Ioannes Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs, Archimandritæ, & Conuentui Monaſterij Sancti Saluatoris Meſſanenſis, Ordinis Sancti Baſilij, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Prouiſionis noſtræ debet prouenire ſubſidio, vt ius ſuum cuilibet conſeruetur. Sanè quoddam priuilegium felicis recordationis, Alexandri Papæ tertij, prædeceſſoris noſtri, Monaſterio veſtro Meſſanen. conceſſum plumbea ipſius prædeceſſoris Bulla munitum, pro parte veſtra exhibitum coràm nobis, quia pro nimia vetuſtate incipit iam conſumi, de verbo, ad verbum nihil addito, vel mutato, quod mutare poſſet ſubſtantiæ veritatem; veſtris precibus inclinati, præſentibus annotari fecimus ad cautelam & tranſcriptum ipſius, Bullæ noſtræ appenſione muniri ad perpetuam memoriam futurorum. Tenor autem ipſius priuilegij talis eſt.* ALEXANDER EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI. *Onophrio Archimandritæ ſancti Saluatoris Meſſanen. eiuſq; fratribus tam præſentibus, quàm futuris, regularem vitam profeſſis in perpetuum. Apoſtolicæ Sedis* & reliqua vt ſupra.

*Decernimus ergò, vt huius exemplum, & priuilegij annotatio; ſiue tranſcriptum per ſe ſolum exhibitum, illam vim, & eundem vigorem habeat præmiſſa in iudicio, & extra iudicium, quem originale priuilegij obtineret ſupradicti, ea prorsùs illi fides adhibeatur, quæ adhiberetur eidem. Nulli ergò omninò hominum liceat, hanc paginam noſtræ confirmationis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hòc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius; ſe nouerit incurſurum Datum Auinione, decimoquinto Calendas Aprilis. Pontificatus noſtri, anno ſeptimo.*

*Caliſtus Epiſcopus, Seruus Seruorum* Dei. *Ad futuram rei memoriam. Vrget nos ſuſcepti cura regiminis, & auctoritas pontificalis inducit, vt pro felici ſtatu Eccleſiarum, & Monaſteriorum omnium præſertim ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus nobiſcum aſſiduè in agro Dominico laborantibus commiſſorum, ac in eis ſacræ religioni, & diuinis laudibus deditarum perſonarum paternæ conſiderationis acie ſollicitè cogitantes, illorum obruimus diſpendijs, ac profectibus conſulamus, vt ademptis eorum grauaminibus oneroſis, illa ad laudem, & gloriam Altiſsimi proſperis iugiter proficiant incrementis. Cum itaque, ſicut accepimus, Monaſterium ſancti Saluatoris de lingua fari, ordinis ſancti Baſilii ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinens, Meſſanen. Diœceſis, quòd Venerabilis frater noſter Beſſarion, Epiſcopus Tuſculanus, ex Apoſtolicæ ſedis conceſſione obtinet in commendam, facultates, & redditus ſatis tenues habeat, & exiles; attamen præfatus Epiſcopus, Monaſterium prædictum multipliciter deformatum, & depauperatum ad ſtatum regularem, pro poſſe inducere, & in eo virorum religioſorum, ac Monachorum probatæ vitæ ſufficienti numero Conuentum ſolitum reintegrare, & reſtaurare proponat. Nos Monaſterium ipſum fauoris Apoſtolici præſidio communiri volentes, & eò copioſiùs inibi diuinum accreſcat obſequium, quò vberior ibidem gratia per nos fuerit elargita, præfati Epiſcopi in hac parte ſupplicationibus inclinati, quaſcumque exemptiones, libertates, & immunitates, quæ olim à Romanis Pontificibus, prædeceſſoribus noſtris, eidem Monaſterio conceſſæ fuerunt, harum ſerie approbamus, & confirmamus, dilectos filios, Conuentum, Monachos, & Miniſtros tam præſentes, quàm etiam futuros Monaſterii, aliaſque iuriſdictiones, proprietates, bona, & oppida ipſius, cumque incolis, atque locis cum omnibus Iuribus rationibus & bonis mobilibus, & ſtabilibus cum pertinentiis ſuis, ab omni Iuriſdictione, ſuperioritate, dominio, & poteſtate Venerabilis Fratris noſtri, Archiepiſcopi Meſſanen. & aliorum Iudicum ordinariorum quorumlibet, à collectis quoque, & ab illicitis ex conſuetudine impoſitionibus, oneribus, grauaminibus contrà ſanctorum Patrum decreta impoſitis, aut de cetero imponendis, necnon ab illorum collectoribus, exactoribus, & receptoribus, ſeu ad huiuſmodi collectiones, receptiones, & exactiones quomolibet deputatis, & deputandis officialibus auctoritate Apoſtolica tenore præſentium prorsùs eximimus, & totaliter liberamus, nec non ſub beatitudine, & dictæ Sedis, atque noſtra protectione imitantes prædeceſſores noſtros ſuſcipimus, atque ipſi Sedi volumus, & decernimus immediatè ſubiacere. Ita quòd Archiepiſcopus, & ordinarij, ac alij ſupradicti, etiam ratione delicti, ſeu contractus, aut rei, de qua agitur, vbicunque committatur delictum, ineatur contractus, vel res ipſa conſiſtat, nullam poſſint in Conuentum, Monachos, Miniſtros, perſonas, Monaſterium, membra, loca, & bona prædicta, vtpote protinùs, & omninò exempta, ſi & prout ab Apoſtolica Sede per prædeceſſores noſtros conceſſum extitit, ſeu indultum, eiſque meliùs vti fuerint, ſuperioritatem, Iuriſdictionem, ſeu poteſtatem, vel aliquod dominium exercere, nec ab eis ratione impoſitionum, collectarum, vel ſubſidiorum huiuſmodi quicquam petere, exigere, recipere, vel leuare, niſi cenſum dumtaxat Eccleſiæ Meſſanen. debitum, ſi &, prout in priuilegijs præfati Monaſterij, & meliùs vti ſunt, dicitur contineri. Indulta Apoſtolica, vt præmittitur, ad quæ nos referimus, ipſaque & contenta in eis obſeruare volumus penitùs, & omninò decernentes irritum & inane, quicquid in contrarium præmiſſorum, quo quo modò contigerit attentari. Non obſtantibus illis, quæ in prædictis Indultis Apoſtolicis cautum eſt, minimè debere obſtare, & alijs quibuſcunque. Nulli ergò omninò hominum liceat, hanc paginam noſtræ exemptionis, liberationis, ſuſceptionis voluntatis & conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſeptimo, duodecimo Calendas Maij, Pontificatus noſtri, anno tertio. Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam noſtræ aduocationis, extinctionis approbationis. ..... ac liberationis, ſuſceptionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, ſexto Calendas Maij, Pontificatus noſtri anno Primo.*

*L. Griſus.*

*Io. de Lactarenis.*

XVI. *Archiepiſcopum & Canonicos Colonienſes cõciliare Sixtus PP. curat.*

Eodem anno Sixtus Pontifex, Archiepiſcopum Cretenſem, Nuncium in Germaniam miſit, qui inter Archiepiſcopum, & Collegium Canonicorum, Coloniæ Agrippinæ, diſſenſiones ſubortas componeret. Ad arma, ab vtraque parte ventum erat Archiepiſcopum, Princeps Elector Palatinus Rheni, frater; Canonicos Landgrauius Haſſiæ iuuabat. Superiores viribus Canonici, prælio non ſemel commiſſo, multa oppida, & caſtella Archiepiſcopo ademerant. Delata re ad Apoſtolicam Sedem Sixtus, inprimis cognitionem controuerſiarum, Cardinali Senenſi commiſit: deinde Nuncio, qui diſſidentes, conciliaret, & ad pacem ineundam, pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis, vtramque partem impelleret; occupata à Collegio per occaſionem belli Archiepiſcopalia bona repeteret, & alteri cuicumque interim, donec de negotio diſceptaretur, tenenda traderet; neque ea quouis titulo, aut pignorari, aut alienari permitteret, atq; in contradicentes, Eccleſiaſticas pœnas, etiamſi opus foret, priuationis officiorũ, ac beneficiorum atq; alias grauiores diſtringeret; Quòd ſi conciliari nequirent, proceſſum cauſæ quàm ſecretiſſimè & fideliſſimè ſcriberet, & ad Sedem Apoſtolicam quantocyùs remitteret: inſuper, vt Principem Electorem, Landgrauium Haſſiæ, ducem Burgundiæ, Imperatorem, & quoslibet Imperij Principes, qui vtramque partem ad pacis fœdera poſſent impellere, conueniret, interpellaretque imperauit. *M.S. lib. exped. Sixti in archiuo Vaticano.*

XVII. *Item Haſſum, & Henningũ, electos, Epiſcopos Hildeſemẽſes.*

Non minore diſcordia laboratum, in Eccleſia Hildeſemenſi Duo in diſſenſu, vacante Eccleſia, fuerant electi Hermannus Haſſiæ Landgrauius, is qui iamdiu tenuerat Eccleſiam Colonienſem, & Henningus de Domo, primum eiuſdem Eccleſiæ Decanus. Illum Præpoſitus cum aliquantis conſortibus elegit, hunc maior pars Capituli aſſumpſit; venientemque Romam, Pontifex confirmauit, & conſecrauit. Hunc ad Eccleſiam Capitulares honorificè exceperunt; ſed militares terræ, qui arces tenerent, recuſarunt. Res in apertum bellum exijt. Pro Henningo ſtabant Duces Brunſvicenſes Fridericus, & Wilhelmus, & Bertholdus Verdenſis Epiſcopus cum ciuitate Hildeſemenſi: cum Landgrauianis Balthaſar Dux Magnopolenſis. Multis prælijs conſertis, diœceſis vaſtata, capti inuicem plurimi, aliquot cæſi: varia fortuna dimicatum. Pontifex itaque Sixtus, eidem Archiepiſcopo Cretenſi, vt diſſidentes conciliaret, & arma vtrique parti extorqueret, iniunxit. *Cranz. Saxon. lib. 12. c. 10. & M. S. Sup.*

XVIII. *Nitrienſis Epiſcopus à Sixto PP. protegitur.*

In Vngaria, alter Epiſcoporum, Nitrienſem Epiſcopũ, Eccleſia ſua, & duobus cœnobijs ſpoliauerat. Recurrente iſto ad Apoſtolicam Sedem, Sixtus, Marco Cardinali Aquilegienſi, Legato commiſit, ſcripſitque, qui ſuperbiſſimi illius vaſtatoris poteſtatem, quam ad alienam perniciem ſemper exercebat, reprimeret, ſpoliatumque Epiſcopum vindicaret. *Card. Papienſ. epiſt.* 440.

XIX. *Idem Sixtus cognitionem cauſæ inter Varmienſem, & Camilenſem Epiſcopos, Legato Card. committit.*

In Pruſſia, Nicolaus Tungenus Varmienſi Epiſcopatu ſubmotus, & ad Camenenſem Eccleſiam à Pont. Max. translatus, partim ſua ipſius cupiditate, atq; dolore præreptæ ſedis incitante, partim alijs Pruſſis, qui Polonis honores in Pruſſia mandari per moleſtè ferebant, ſubornantibus, facta quingentorum peditum mercede conductorum manu, & magno agreſtium numero ad eos confluente, Epiſcopatum Varmienſem inuaſerat, partim expugnatis nõ ſine cæde hominum, partim per deditionem acceptis munitionibus. At iſtud bellum intercipiendum, cum Rex Poloniæ Caſimirus, Iacobum Wladislauienſem Epiſcopum, & Nicolaum Palatinum Lencicienſem, Legatos miſiſſet, conuenit, vt de controuerſia Epiſcopatus ſtaretur ſententiæ Pontificis Maximi: Re ad Sedem Apoſtolicam relata, Sixtus, cognitionem cauſæ Marco Cardinali delegauit. *Cromerus lib. 27. & M. S. ſup.*

XX. *Decimas ſoluere Eccleſiaſtici recuſant.*

In Wandalia, Lubicæ, concilio Epiſcoporum, & Procerum congregato, poſtulante Sixto Pontifice ex Clero Decimas, cum etiam in idem Sacrum bellum, Imperator, à ſecularibus laicis decimas flagitaret, nihil tunc reſponderunt, ſed ſecundam iuſſionem expectantes quieuerunt; interim explorantes, quid apud alios in illa re ageretur. Ab Eccleſijs autem quominus tum exigerentur, obſtiterunt Archiepiſcopi ad Rhenum, etiam appellationis obiectu, parati occurrere. Venerat tum ab vrbe Romã Lubicam Maria Conſtantinopolitani Imperatoris filia, nobilis puella, à Summo Pontifice opibus Eccleſiæ dotata, deſponſataque Ioanni Moſcouiæ Principi, deducta ſatis apparatu decenti in curribus, & equitibus. Ingenioſa, vt ferebant, mulier, magno, vt par erat, honore ſuſcepta, & ſuæ nobilitatis reſpectu, & ſummi Pontificis honore; qui ſperabat, quòd inclinaret maritum puella, ad ſuſcipiendos ritus Eccleſiæ Romanæ, in quibus ea educata fuerat apud Apoſtolicam Sedem. Sed conceſſit illa, nolens, volenſque in ritu Ruſſorum Orientales, in quibus & pater eius victitabat, *Cranz. 3. VVandal. lib. 13. cap. 8.*

XXI. *Eccleſiæ ſtatum deplorat Card. Papienſis.*

Eodem anno, quo iſta & alia moliebatur Sixtus, exceperunt illum nonnulla Romæ, & in Italia, patientiæ, & prouidentiæ exercendæ. Contrà leges, in ingreſſu Conclauis ſcitas, iurataſque aliqua agere, & in his duos iuuenes ſtyrpis ſuæ in Senatum Apoſtolicum legere deſtinauerat; prætextu, vt iuniores, oneribus Pontificatus ferendis, adiutores eſſent. Vix iſta cogitauerat, cùm Cardinali Papienſis literis ad collegas datis, officij ſui eos admonuit, calamitatemque non Sacri Collegij modò, verùm & Eccleſiæ vniuerſæ deplorauit. Ita Cardinali Theanenſi, *O miſeram Eccleſiam, Theanenſis; nos etiam miſeriores, qui quotidie inconſutilem Domini tunicam ſcindimus. Quid ex te audio de legibus noſtri Conclauis? Quid te tanta iuriſiurandi, & voti religione? Quid item de noſtris, Epiſcopis, qui vt ſententia & loco, ſic & exemplo anteire reliquos debent? Qualis, oro, eſt ille prætextus SS. vt leuentur Pontificatus onera iuuenes duo contra leges, creentur? Si non ridiculum apud ſenſatos nonnè, ignominioſum eſt noſtro Collegio? Quid nos alij? Numquid non Cardinales? Numquid non membra Pontificis? Numquid non fideles, & ad hæc leuanda onera vtiles? Illo ipſo prætextu, quid arguitur aliud, niſi deeſſe in nobis, & tanto Patrum numero, qui ſubleuare Pontificem poſſint. Si ſancta vincula erant frangenda, an non poterat minus turpis errati noſtri cauſa excogitari? Eodem, eodem vt cerno, procliui, labuntur omnia. Miror autem nos ſemper in noua fortuna, quos tam breui tempore tanta præteriti obliuio teneat. Sum memor, cum hiſce de legibus in conclaui ageretur, diſſuaſiſſe me multum, ne fierent, non quod non ſanctas putarem, ſed quod vidiſſem, Pontificibus ingratas olim fuiſſe. Iacebas ex fabri tu tunc. Nemo vehementius illas ſuaſit. Nemo mihi durius obſtitit hoc ipſo, qui nunc audientibus nobis ligari poſſe Pontificem negat. Si ligari non poteſt, cur, vt ligaretur, pugnabat? Si ligari poteſt, cur tantopere eſt ſibi aduerſus? Pontificatus nè: oro tam paucis diebus ingenium aliud, doctrinamque attulit? Illud verò eſt, Theanenſis: In ſumma poteſtate, ſummam licentiam quærimus. Ac ne minus videamur poſſe quam homines petant, noſtri arbitrij eſſe omnia volumus. Interim nec Dei, nec vltionis ſuæ memores ſumus. Timeo nobis & propter nos, Sedi Romanæ. Quamdiu Paulus in eodem iureiurando manſit, ac voto, ſucceſſum præbuit Deus: mox vt violauit, vno iudicio, æſtimationis, & vitæ eſt facta iactura. Clamat Propheta; Reddite vota veſtra Domino Deo veſtro, terribili & ei, qui aufert ſpiritum Principum, terribili apud Reges terræ. Abſtulit ſpiritum Pauli, eique non modo vocem, ſed ne teſtem quidem interitus in morte miſerrima liquit. Sed lamentis ſit finis, quando in ijs ſine fructu eſt noſtra conſumptio. Precemur Deum, aſpiciat gregem ſuum, & Paſtorem eius non deſerat, Vale in Domino, Fulginij* XIV. *Ianuarij.* MCCCC LXXII. *epiſt.* 421.

[illegible] *Card. Sixtum Pontificẽ perſtringit.*

Eidem Card. Theanenſi.

*Quartum intelligo ex litteris tuis, magnis itineribus ad interitum tendemus Omittimus nihil, quod facere ridiculum Eccleſiæ miniſterium poſſit. Etiamnè, oro, in tantum amentiæ labimur, vt iuuenibus duobus nunc primum ex tenebris, in lucem eductis, nullum pene vſum habentibus, quorum alterius vita, alterius facultas eſt nota gubernacula tantæ adminiſtrationis dedamus? Miſerum me, quid audio ex te? Quid tentari Romæ intelligo? Apud eam præſertim Sedem, quæ ad ſancta exempla conſtituta. Si non attendimus, quid lamentaturi ſunt homines: quid improbaturæ nationes? Numquid attendere eſt æquum, quantum ea ſocordia obſutura ſit animæ, & Deo futura ingrata? Huccinè euaſere religioſi hominis, & celebris Theologi commendationes? Si ſuſtinere tantum oneris nequit, cur oneri ſuſcepto non cedit? Aut ſi id ſeculi pudor non ſinit, cur ijs non permittit, quorum ab ætate, & vſu, & vita, minus pudendæ ſunt* [illegible]

*cur in domeſticas ſemper notas relabitur? Fideles videlicet, & ſancti, & vtiles ſui: nos indigni, qui ad innocens miniſterium deputemur. Vſque adeo quies, & valetudo illi ſunt cordi, vt horum cauſa gregem creditum prodat? Paſtoriſque tantum retento nomine, reliqua quo eant præcipiti videnda non putet? An non Saluatoris eſt memor? Paſtor, cuius non ſunt oues, videt lupum venientem & fugit. Comminationem quoque Prophetæ non timet. Paſtori derelinquenti gregem, gladius ſuper brachium eius, & ſuper oculum dextrum eius. Brachium eius ariditate ſiccabitur, & oculus dexter eius tenebreſcens obſcurabitur. Non illi vos ad otium Pontificatum dediſtis; non ipſe ad mollitiem, & delitias ſumpſiſſe cathedram Petri debuit cogitare. Vulneraſti cor meum hoc nuncio, nec cogitatione tanti mali poſſum quieſcere. Auertat turpem ignominiam Deus à facie Sacerdotum ſuorum, nec domui ſuæ tantum deſolationis per vnius fragilitatem permittat inferri. Confortet iuxta verbum Iſaiæ diſſolutas manus, & debilia genua roboret. Hoc ſolum me conſolatur, quod quemadmodum ſapienter ſcribis, facilius hæc dicuntur, quàm fiant. Sed tamen, quod dicantur tantum referanturque ad Patres; rurſumque, quod inter nos gratiæ omnia cedant, facit, vt quæ fieri etiam nequeunt, ne fiant tamen extimeam. Maior de ijs rebus dolor penè me immemorem Niceni fecit. Sed & huius quoque ludibrio habitam legationem pernimium doleo. Deflebo triſtius, ſi ad aliorum arbitrium non noſtrum, adimere Legatos, & dare hoc exemplo cogemur. Senis X. Octobr. 1472. epiſt. 478.*

XXIII. *Murmurationis cauſa, & origo.* Hæc Papienſis Cardinalis, à Sixto metuens Pontifice, oblique carpebat, & è longinquo: vt rumore quoquo modo Romæ diſperſo, ad aures conantis penetrarent, & à cogitatione eorum, quæ Sedem Apoſtolicam dedecere videbantur, auocaret. Non minus perſtringebat eumdem Pontificem, quod & matrimonij legibus, Sfortiæ deſponſam ſoluiſſet, & in motibus Italiæ recenter exortis non omnino quietus ſederet. De priore negotio, ſcripſit Franciſco Tholetano Theologo, ex qua multarum rerum notitia patens, *epiſt.* 481.

Scribis, magnis contentionibus diſceptatum apud vos eſſe, ſolui nè Sacramenti legibus poſſint, qui matrimonium præſens inter ſe coniunxere; tandem verò ob ambitas nonnullorum ſententias gratiæ, non conſcientiæ inſeruitum. Nihil refers à noſtri ſæculi moribus alienum; qui vſque adeo abiere per deuia, vt mala rerum exempla à ſolis pene Clericis oriantur. Dum enim cupiditati, dum ambitioni licentius obſequuntur, & creſcere quærunt, non tam virtutis quam poteſtatis ſuffragio, immemores ſui in alienos affectus concedunt, quos aliquando impudentius etiam monſtrant, quam adiuuent. Solutio hæc, vt boni putant, ſine peccato non eſt. Addo ego; & ſine Sedis Romanæ incommodo. Qualis Mediolanenſis, & Neapolitanus in Eccleſiam fuerint, tibi obſcurum non eſt. Mala ab ijs illata, toti Italiæ patuere. Ob hoc ipſum coniugium vehementer diſſidebant nunc inter ſe, nec vlla erat belli ſuſpicio. Nos ab vtroq; iam cæperamus ambiri, alterius alterq; metu Pontificem obſeruabat Piaculum eſt, non diffiteor, alienam diſſenſionem optare. Sed eam non tollere, cum ſine Dei offenſione non poſſit, non eſt animæ onus. Sublato coniugio, nouum nunc ab ijs fædus initur. Redeunt ambo non in priſtinam modo gratiam ſuam, ſed in antiquum odium noſtri. Venetis autem, quod dolentius refero, illato metu, ne per hanc conciliationem noua in ſe conſilia meditentur remiſſius iam parandarum claſſium ſtudium fiet. Ita errati noſtri merces hæc erit, vt & offenderimus Deum, & priuatis rebus, ac publicis maiora opinione intulerimus detrimenta. Senis 22. Octobr. 1472.

De ſecundo vero negotio, ità Cardinali Senenſi. *epiſt.* 482.

Bene habet, Senenſis. Salua Reſpublica eſt. Redimus in antiquam religionem. Impleuimus Galliam, Germaniam, ambas Hiſpanias, & quicquid in Oriente Chriſtianum eſt, facultatibus ambitioſis. Neceſſariam in Italia, ad continendos in pace populos, noſter hic negat. Liquamus videlicet culicem, & camelum glutimus. Vt cętera multa, ſic & hoc preſſis humeris feram. Senis XXX. Octobr. M. CCCC. LXXII.

XXIV. *Matthæus Poianus ſubditis, ac vrbibus Rom. Eccleſiæ infeſtus.* Res eſt. Matthæus Poianus Tuderti exul, vna cũ alijs exulibus, multa in ſubditos Eccleſiæ auſus, plurimos illorum fortunis ſpoliatos, cædibus quoque prouinciam fœdarat. Hi partim ad Pontificem, partim ad vicinos amicos confugientes, ab his quidẽ arma, ab illo Præſidẽ Campanũ qui tueretur, impetrarant. Sed hæc luculenter ipſe Antonius Campanus Pręſes Cardinali Papiẽſi perſcribebat. *Ruimus, ruimus, mi Papiẽſis.* Nõ Deo nõ nobis curæ ſumus, Volumus cõficere Turcarũ bellũ, & tamdiu Tudertinas clades in oculis ſuſtinemus. Vndecimũ iam menſem vexatus ager, incenſæ villę, direpta, atque exuſta oppida, imperfecti oppidani, factæ intrà vrbem cedes, nihil nos mouent. Aut dormitis iſthic omnes, aut omnem exuiſti humanitatem; aut & Deum, & homines, & famam floccifacitis. Vbi maieſtas illa priſtina iſtius ampliſſimi Collegij? quod non modo exortas in Italia contentiones opprimere, ſed in vltimo terrarum Orbe inter potentiſſimos Reges, & imperia nata bella ſummouere, pacemque vbique veluti manu quadam conciliatrice ſerere conſueuit? Si peccauerunt ciues cur non ſtatim plectebantur. ſi non peccauerunt, cur excruciantur tamdiu? Etſi pauci fuere in culpa, cur dantur omnes in prædam? Qui modus quæ ratio huius belli? aut quæ latebræ conſiliorum veſtrorum? Si reducendi erant exules & dignitas iſtius Sedis ita depoſcebat, nullius iniuriam, aut calamitatem perferre, cur non ſtatim reduxiſtis? Si ex re non videbatur futurum reducere, quid tamdiu illorum ſpem aluiſtis? Quid aut non reddidiſtis illis ius, aut non compreſſiſtis iniuriam? Quid expectatis? Quem exitum tantis cladibus dari ſtatuiſtis? Quæ mens, & ſententia veſtra? Vultis reduci exules? Reducantur. Arma, atque arcem habetis in poteſtate. Vultis excludi? Pellantur agro, liberam metu ciuitatem relinquite. Capita factionum Romæ cum habeatis, quid reſtat amplius, cur aut non concilientur, aut non opprimantur? Ardent hic bella ſubditorum veſtrorum, & auctores bellorum apud vos non modo ſine pœna aliqua, ſed etiam cum ſpe præmij retinetis, & plus à vobis ſperant, qui fecerunt atrocius. Atque eo impietatis apud vos ventum eſt, vt aut animos ad miſericordiam eorum, qui hæc patiuntur, aures ad clamores eorum, qui hæc ſcribunt, occuluiſſe videamini. Tum quæ tanta eſt audita negligentia, vt neque iacturam prouinciæ, neque factionum grauiſſimarum per finitimas ciuitates motus periculoſiſſimos, neque quid homines paſſim & ſentiant, & obloquantur attendatis, obliti officij, dignitatis veſtræ & loci, in quo poſiti eſtis. Mala eorum, qui veſtræ commiſſi ſunt curæ, per caliginem inſpicitis: per ſomnium cogitatis; aut ſi qua ſubit harum rerum cogitatio, plus vobiſcum valent priuatæ ſimultates. quam conſilia publica. Nemini ratio habetur, quid imperio conueniat veſtro, quid ad maieſtatem iſtius Sedis pertineat. Omnes priuatis ſtudijs ad odium, gratiamque diſtrahamini; vt etiam de meipſo reddenda ſit ratio, qui ea geſſi, non quæ placerent omnibus, ſed quæ ad pacandam primum ciuitatem, deinde prouinciam ſedandã, poſtremò ad retinẽdam dignitatem tantæ Sedis factura videbuntur. Quid enim aliud attulerunt initia aduentus mei, niſi pacata omnia atque tranquilla? non inducias ſtatim indixi? Non de reuocandis exulibus primo quoque tempore mentionem intuli? Non eorum numerum redigere ad pauciſſimos volui? Mox ad nullum redacturus ſi conditionem accepiſſet, quam non voluntas mea, ſed temporum neceſſitas daret. Non decretum Pontificis de reſtituendis oppidis exhibui? Non priuſquam arma inferrem, cum decreto non paruiſſent, ſepties admo-





nui, parendum eſſe Pontifici: Nihil, mea ſententia, geſſi indignum officio meo. Cum iuſſis maiorum non paruiſſent, nec pariturі viderentur, in eo, quod exules complectendos humanitate, confouendos monitis, omni via leniendos exiſtimaui, nec calamitatem adijciendam, quòd intelligebam, Salutem eorum æquè ac ciuium aliorum ad me pertinere; cùm me, & meã patientiã abuterentur; cùm prædæ in oculis agerentur, mænia vrbis quotidiè inuaderentur, contemnerentur mea iuſſa, monita irriderentur, collegi animum; cogitaui perſonam Principis gerere, & huic prouinciæ eã demum conditione eſſe præfectum, vt parere omnes meo imperio cogerem. Itaq; inuitus conuerſus ad arma, finitimarum ciuitatum auxilia non auſu temerario, aut licẽtia mea, ſed Pontificis & nomine, & decreto conuocaui. Peruſini, Meuaniates, Spoletini, Spelani, & Vmbri alij; Narniẽſes, Amerini, Vrbeuetani, quibus cum nulla mihi fuerat conſuetudo, an mihi priuata auctoritate paruiſſent? præſertim plerique homines partiũ diuerſarum. Num Bractiani equites nullo à me accepto ſtipendio, ità properaſſent? Si mea hæc fuit gratia, mirum eſt, hominem externum tantum his in locis potuiſſe quantum nè qui hic nati ſunt vmquam potuerunt. Si Pontificis auctoritas, cur ipſe tandem accuſor: Non accuſaris, inquis. Equidẽ nondũ in iudiciũ vocor: ſed mihi improbari à factioſis, quę geſſi, accuſatio eſt. Quod ſi liceat, percũctari calumniatores meos velim, cũ fide non ſeruata, cum ruptis inducijs, omnibus diebus, omnibus horis oppugnarer; cum literæ meæ, & nuncij ludibrio haberentur, quid facere me voluiſſent: Cuſtodem vrbi datum, Præfectum prouinciæ, & quod pace, ac venia eorum dictum velim, in his locis Pontificis perſonam ſuſtinentem? Itaque Matthæum, magno, & delecto peditatu mænia vrbis oppugnantem, diripientem agrum, villas incendentem, oppida igni, ferroq; vaſtantem, captiuas omni genere ſuppliciorum excruciantem me & literas, nuncioſque meos mirifice contemnentem atque eludentem, opera, conſilioque meo, auxilio finitimorum, quos dixi, Monticula exui, Soprano, ſpoliaui, Roſario fugere coẽgi, Quadrello eieci. Compeſcui hominis audaciam, incurſiones, prædationeſque cohibui. Hæc cur fecerim, quis non videt? modo factiones, oculos illis non eripiant. Intelligebam & perſpiciebam deberi exulibus patriam eiectis domum, excluſis reditum. Verum neque per ignem, neque per ferrum, neque per vllum genus iniuriæ deberi, & reconciliandos illos eſſe ciuitati ad quietem, non ciuitatem illis prodendam ad cædem. Pontificis fuit voluntas, cur me accuſant? Si minimè fuit, cùr ſum deceptus illis breuibus? Intelligebam, niſi depoſitis armis reconciliationis locum eſſe omnino nullum: & niſi prius foris arma deponerentur, deponi arma intra vrbem non poſſe. Intelligebam exules niſi ſpe aliqua iniecta, non facile, vt arma deponerent, poſſe adduci. Hanc ſpem quantum in me fuit, quibus non pollicitationibus porrexi? An & hoc quoq; nõ adiecerim; Si parerent Pontifici, curam illi fore neceſſariam, vt aut eos reduceret, aut aliquem, in quo agere poſſent, locum aſſignaret. Hæc opera, hæc conſilia mea: quæ ſi ex mente Pontificis fuere, nullus eſt calumniæ [illegible]us. Si illo inuito geſta ſunt, cur tot illius breuibus, tot collegarum tuorum litteris deceptus ſum? Verum de me ſatis eſt. Vos optimo Pontifice per factiones abutimini. Caput omne diſcordiarum ex vobis eſt. Vos ſeditiones ſuſtinetis, & alitis. Vos in eos, qui ciues ſuos vectigales veſtros depulerunt, non animaduertiſtis: eos, qui bellum patriæ per ferrum, & ignem, & omne genus cędis intulerũt, non coẽrcetis. Complectimini diuerſis ſtudijs vtramq; factionẽ. Me, qui mederi huic morbo pro dignitate mea, pro maieſtate Sedis veſtræ, pro quiete vrbis pro beneficio patriæ cuperem, neq; armis, neq; conſilijs adiuuatis. Muliercularum more de gallina, & ouo diſſidentium inter vos contenditis; metimini quiſq; quid libeat, nemo, quid liceat, cogitatis. Nec eſt mea hæc querela, clamant Prouintiales, vociferantur, ſtupent finitimi, & officium veſtrum, curamque requirunt. Iam audent in vitam moreſque noſtros prorumpere. Nihil fit à nobis quod in hac tanta negligentia non exprobretur. Vna eſt omnium vox tamquã exprobratio; *Valeat fiſcus; pereant Prouintiales.* Etiam hoc bello, ne ignoreris, ita exuſcitata ſunt partium ſtudia, vt nullum nec minimum oppidulum non ſit erectum in veterem factionẽ. Cunctatione veſtra, breuis plaga breui in profundiſſimum dilatabitur. Video cladem quam vobis vaticinia minantur. Mihi ſatis eſt ad conſcientiam iudicij mei teſtatum eſſe, quod ruimus: aut ſi qua ſpes eſt, ita cenſeo pellenda eſſe ex agro Tuterdino exulum capita, recipienda oppida; amouenda exulum deponenda intra vrbem arma, Magiſtratus reformandos, adhibendum præſidium, vt improbi comprimãtur. His peractis, omni ſtudio incumbendum in reducendis exulibus. Hæc tecum liberiùs, vt ſoleo. Vale. Tuderti IIII. Iulij M. CCC. LXXII. *Campanus lib. 7. epiſt.* 1.

XXV. Iſta pro portis Romanis, vbi ex ciuili bello, res ad turpiſſimum latrocinium tranſijt: cum exules aſpernati breue Pontificis, nec oppida reſtituerent, nec armis abſtinerẽt, & nequid deeſſet immanitatis, Ciuium caſas, & oppidula paſſim incenderent, captiones agerẽt, & nec templis quidem parcerẽt. quin & indictis inducijs, cædes, incendia, & prædas facerent. Matthæus clientelis adiutus, maxime Reatina, & Interamnenſi, omnia miſcebat. Crudelitas hoſtium tanta erat, vt ſuperare ingenia tormentorum viderẽtur. Crura execabãt, frontis oſſa denudabant, euellebant vngues, dentes alligatos baliſtæ ictu miſeris diſcutiebãt: neque tantum prouectæ ætatis viris, ſed pueris etiam primæ ætatis. *Campanus epiſt. 2. & ſeqq.*

XXVI. *Hetruria bellorum flammis ardet.* Nec Vmbria tantũ bello ciuili ardebat: etiã Hetruria flãmas alicubi ſpectabat alicubi exſpectabat. Volaterrani vectigal aluminis interuerti à quibuſdã priuatis ęgre ferẽtes & ab arbitris à florentina republica datis iudiciũ puerti impatientes, Prætorẽ quoq; trucidauerãt, & ab imperio Florentinorũ deſciuerant. Foianẽſes, & Lucianenſes, illi Senenſibus, hi Florentinus parẽtes, de finibus controuerſia orta, ad bellum poſt cædes factas trahere rem videbantur. Ergo Sixtus Pontifex vt bene de Florentina Republica mereretur, ad Volateranos reprimendos & Vrbinatẽ Comitẽ ire permiſit, & quingentos equites in ſuppetias ſubmiſit: & Lucinianenſibus cum Foianenſibus, qui de finibus dimicabant. Senenſes cum Florentinis in bellum trahentibus, ne id fieret impedimento fuit, Cardinalemque Papienſem qui litem dirimeret, adeoq; maius diſſidium à Senenſibus, & Florentinis auerteret, Legatum deſtinauit. Oſtendit tunc Deus, quanti pacem, quanti orationes piorum, quanti auctoritatem Pontificis faceret. Fiebat Cardinalis inſtituto, quaque die in vicina Eccleſia ſolenne Spiritus Sancti. Horis etiam omnibus ad quamque actionem inuocabatur à Legato. Mira res conuentu vno inter cæteros, qui in agris apud deſertam quamdam Beati Sabini Eccleſiam à contendentibus illo præſente eſt habitus, cum altercationibus multis eouſque eſſet proceſſum diſſidijs, vt ad deſperationem vltimam res tam inclinaret, mœſtis omnibus, & ad diſceſſum paratis lux DOMINI ſubito affulſit, ſpem amiſſam reddentis. Clariſſima die nullis ventis, aut nubibus, columba candoris immenſi à ſeptentrionibus lapſa, deuolanſque ſupra ipſum conuentum antequam terram attingeret, in flammam eſt reſoluta, neque poſt amplius viſa, admirationi omnibus fuit. Affluit operi Spiritus diuinus, qui in columbæ ſpecie conuentui ſe obtulit. namque Cardinalis non multos poſt dies, illo duce, & auſpice, poſt rem ſæpius deſperatam, tan-

dem pacem confecit. *Papien. epiſt. 449. & 494. Brutus lib. 5. hiſt. Florentina.*

XXVII. *Miraculũ ab Auguſtiſſimo Euchariſtiæ ſacramẽto patratur.*

Quo etiam anno, in expugnatione Volaterrarum, quanti faceret Deus ſacroſanctam Euchariſtiam miraculo euidenti oſtendit. Cùm ciuitas ab Vrbinatis milite diriperetur, aliquis miles non contentus prophanis, ad ſacra etiam diripienda properauit; & S. Franciſci Eccleſiam ingreſſus, ex reconditorio diuinorum myſteriorum thecam eburneam, in qua diuiniſſimum corpus Chriſti ſeruabatur, rapuit, inque ſaccum demiſit, vix fecit, cùm diuina vltio ſacrilegum percuſsit. Nam cùm templo egredi vellet, fores nulla ratione inuenire potuit: cumque proindè in blaſphemias prorupiſſet, cæcus, & amens factus, thecam è ſacco productam, ad columnam templi alliſit: ſed tñ ſacrata hoſtia illæſa perſeuerauit. Hinc terræ motus repentè exórtus, tantum ciuitatem afflixit, vt ſeniorum memoria nunquàm adeò vehementer. *Blaſius Laſcius Volaterranus in hiſt. Volaterr. huius anni extat M.S. in Bibliotheca Vaticana num. 3923.*

XXVIII *Duo apparent Cometes.*

Eodem anno circâ feſtum S. Agnetis cometes apparuit paruus quidem in ſe, verùm longam, & illuſtrem pòſt ſe caudam trahens, vago, & incerto curſu, nunc ad ſeptentrionem, nunc ad meridiem, nunc ad occidentem ſolem, caudam quoque nunc huc, nunc illuc obuertens, totos duos menſes perdurauit, & dies 19. Iſto circa Libiæ principium apparente, nondum diſſoluto, alter apparuit, cui erat coma ignita, quæ in arietis ſigno poſita videbatur, & caudam in Orientalem plagam porrigebat, magnorum malorum, quæ cunctam ferè Europam proximis tribus annis inuaſerunt, & maximæ peſtilentiæ per populos & gentes graſſaturæ, nec non mortis aliquot Regum, & principum prodigium. *Cromerus lib. 27. & Auctor lib. de prodigiis, & oſtenſis.*

XXIX. *Magnus Card. Beſſarion moritur.*

Obijt imprimis Beſſarion Cardinalis Nicænus, ex Gallica Legatione reuerſus, vir ſine controuerſia magnus, cuius doctrina ingens erat, ingenium ſingulare, admirabilis eloquentia, ſtudium autem ad publica non modò continuum, ſed ſuprà ætatis, ac valetudinis ſortem etiam pertinax. Nihil habuit Romana ſedes, quo gloriari ampliùs poſſet; nihil, quod ad ſuum miniſterium efficacius inueniret. Videbat prudenter, explicatè monſtrabat, ſine intermiſſione operabatur; alienæ etiam ſegnitiei reprehenſor ſemper erat, ac caſtigator. Ad hunc referebantur Sacri collegij conſilia, ad hunc Legationes vndecumque Sedem Apoſtolicam adeuntes. Sine Niceno nec operum initia erant, nec exitus. Tota operum moles huius vnius humeris inſiſtebat. Amore in collegas, qui maior eſſe non poterat. Officioſus in cæteros adeò, vt plura propè ab illo vno officia proficiſcebantur, quàm à reliquis Patribus. Religione, pietate, munificentia, animi magnitudine ſingulari, qui nil humile, nil, quod non dignitati coniunctum eſſet, poterat cogitare. Sanctus ſenex ob falſam de fide ſua in Gallos ſuſpicionem, videns in caſſum eſſe labores ſuſceptos, relictam in armis prouinciam, perditam ſpem magnorum pro religione ſubſidiorum; ſupra vrgentem valetudinem etiam animo conſternatus, Rauennæ, quo à Taurino deuectus Pado erat, ſpiritum Domino reddidit, tanta conſtantia, vt ſanctiſsimæ vitæ, ſanctiſsimus quoq; inuentus ſit exitus. Cardinalis Papien. prolixam vnam epiſtolam laudatoriam, de præclaris illius actionibus ſcripſit: dignam quæ à viris ſacratis legatur.

*Laudatur à Collega ſuo, Cardinali Papienſi.*

Cardinali Senenſi.

Numquam hunc collegam noſtrum intueor, vt ſuſpirans non precer Deum, quàm diutiſſimè annos eius proferat. Nicenum dico, Cardinalem Tuſculanum, communem tibi, ac mihi patrem. Orationis meæ cauſa eſt, non tàm amor, quo eum proſequor, quam publica vtilitas, ad quam video, illum ſemper intentum. Collegij quoque noſtri dignitas, cuius æſtimatio ſtat huius præſentia. Miſera erit dies illa, & lachrymabilis multum, quæ nobis illum eripiet. Iacturam grandiorem facere ſors noſtra non poterit. Perdemus firmum præſidium, & lumen penè omne, quo aliquid nunc forſan lucemus. Quid eo excellentius? quid ad omnes caſus ſtabilius? Quantum ingenio valet, quotidie contemplaris. Non videtur, quod videt ipſe; nec ſentitur benè, quod eius non probat iudicium. Propoſitis in medium rebus, de quibus eſt habendum conſilium, Primus in ordine ſententiam dicit: ſpatium tantiſper ad cogitandum habens, dum de ijs refertur, & tam ſubitò ita exprimit, quicquid in cauſa optimum eſt, vt nihil ſequentibus ad dicendum relinquat. Vt plurimum iri vides in eius ſententiam; probari, quod probat, & damnari quod damnat. Audis quoque qua facundia conceptus explicet ſuos. Non ſubſiſtit alicubi, non hæſitat, non obliuiſcitur? Continuatio orationis eadem eſt, vſque in finem aperta ſemper, & facilis, & delectans. Nullæ inſunt implicationes rerum, neque obſcuritates, quas ſentimus aliquando in pleriſque. Meliùs ego ex ipſo conſolente quod eſt propoſitum capio, quàm ceperim ex eo, qui ante propoſuit. Audirem diem totam ſine faſtidio, hunc in Conſiſtorio loquentem ità ſemper habet, & ſemper texit quod animum iuuet. Taceo verborum ornatum, vimque, quam dictioni adijcit Bonis imbuto, nil niſi lectum, & ſignificans, & proprium ad linguam ſuccurrit. Si ex propoſito eſſe malus vellet, neſcio an id poſſet: tanta eſt iam exercitatione loquendi confirmata facultas. Præclara hæc ſunt, & inter noſtros rara. Sed illud quantum eſt, quod ſemper meditatur aliquid, & proponit Pontifici, quod ad communem rem, vel Chriſtianorum, vel Eccleſiæ faciat? Nullis capitur alijs ſtudijs. Non vagatur, non ociatur, nec abire tempus per inertiam ſinit. Salutaria ſunt omni tempore, quæ operatur. Vides de noſtris eſſe, qui frequenter in agris ſint, conſectentur crebrò prata, & fontes, & indulgeant venatui; & cum domi ſint conuiuijs, & confabulationibus dies ducant inutiles? Huic patri nihil eſt horum: ſed ſi quid publicum aliquando accidit fideli alicuius curandum diligentia, adhibetur hic ſemper ad prouidendum primus. Quanto ſtudio id peragat, teſtes nos ſumus, & teſtis frequens talium demandatio. Niſi enim iniuncta perficeret, non tam crebro ſi iniungeret Pontifex. Neque enim negligentiæ opus vnum, libenter demandamus ſecundum. Acre iudicium eius & mens prompta & voluntas ad bonum feſtinans, abſoluit maturè quoque difficilia. Adde merita in Eccleſiam ſua, diuerſis temporibus, & locis præſtita. Diſſentiẽte olim de ſpiritu Sancto Orientali Eccleſia cum Occidentali, & Imperatore Conſtantinopolitano cum doctiſſimis ſuæ ditionis huc aduocato, vt diſputatione mutua ſtatueretur quid eſſet tenendum; hic vt ingenio ſuperabat cæteros, ita voluntate ad vnionem [illegible]tus ſpectabat, ſalutem animæ non ſæculi gloriam quærens. Subminiſtrabat ergo ex libris, quibus fidebant Græci, argumenta ad noſtros; & admonebat, quibus vijs deberet inſiſti, vt ad caput quæſiti fructus poſſet veniri. Nec intermittebat interim dum conſilia inter ſe haberentur, arguere ſuos, errorem oſtendere, & ad meliora Imperatorem hortari. Factum eſt autem huius diligentia vt diſparatio, quæ iam conuerſa in pertinaciam erat, abſolueretur cito, ac Græca fides, vniretur Latinæ. Quas ob res gratus Eugenio, & ſpem præbens perſeuerantiæ Cardinalatu dignus eſt habitus. Sed ad nos concedens ex Græcia, nec quicquam ſtudij ad virtutem, & ad publica intermiſit Edi-





dicit primùm ſummo deſiderio literas noſtras; tantamque in his breui tempore, loquendi, & ſcribendi aſſecutus eſt facultatem, vt inter doctiſſimos haberetur Latini nominis. Quin & locutionem popularem, alieniorem Græco diligenter apprehendit, nè adeuntium officia per linguæ inopiam tradarentur. Miſſus deinde Bononiam Legatus, difficilem Præſidatum ſecunda fama adminiſtrauit. Nullæ in eo ſordes, nullæ rapinæ, nullæ cogitationes priuatæ rei, magis, quàm publicæ inuentæ ſunt. Ciuitas ad tumultum prona eſt, vt noſti; paſſa antè eius acceſſum crebras tum emiſſiones, tum etiam cædes ciuium, Hoc regente, nihil tale auditum. Continuò in officio omnes; indulgens cuique, quod indulgendum per honeſtatem fuit. Prenſatio perſonarum; atque horum cura, illorum neglectus, quæ induxerunt olim in multas ciuitates noſtræ ditionis ſeditiones graues, atque odia, procul ab eo fuerunt. Vna in omnes æquitate, occaſionem mali huius ſuſtulit. Magno, & paruo, patere ad ſe aditum voluit; & quemque qui vellet lamentari, per ſe & petere & priuatam rem agere. In benefactis, intrepidum ſemper ſe præſtitit. Xantho Bentiuolo potentiâ factionis ſuæ, quæ vna Bononiæ poterat, aliquando inſoleſcenti, ſic reſtitit in facie populi, vt & cæteris exemplo eſſet, & noſcerent alij non deeſſe animum Præſidi, ad tuendam dignitatem officij. His artibus ciuitatem annos complures, incolumem ſeruauit; & decedens Legatione, deſideria prouincialium, gratiamque ſecum retulit. Profectus inde ad Cæſarem in Germaniam Fidei cauſâ, quamquàm æger & grauis annis, ſumma tamen diligentia publicum opus impleuit, obiens omnia legationis munera, & plurima vtilia diuerſis in locis conſtituens. Illud quoque præter opinionem omnium neceſſario tempore eſt aſſecutus, vt bellum quod inter ipſum Cæſarem, fratremque Sigiſmundum magno vtriuſque damno gerebatur, interuentu tolleret ſuo, & poſitis armis, alterum alteri conciliaret. Quâ ex re perpetuam Cæſaris vendicans charitatem, filium, qui ei ſub idem tempus eſt natus, eo deprecante, ſacro initiauit Baptiſmate, ſtatuente deinde annis ſequentibus Pio ſecundo, ad bellum in Turcos ire, neceſſarium pluribus de cauſis putauit Legatum ad Venetos mittere, qui hos quoque belli ſocios faceret. Parauerant illi validam claſſem Præfectumque delegerant (vexillo attributo) quod in grauibus Reipublicæ caſibus ſolet produci. Ad hæc omnis generis machinas, & fabros, & calcem, & ligna contulerant in naues. Putabatur ad inuadendum Peloponeſſum, atque obſtruendum muro celebre illud hexamilon omnia pertinere. Nihil tamen explorati eſſe cuiquam poterat. Igitur ad exquirendam eorum mentem, incitandoſque ad indictionem belli animos, Nicenum delegit, Legatumque illuc rurſum deſignauit. Accedebat, quod cum Sigiſmundum & Dominicum Malateſtas prælio ſuperatos, acriûs oppugnaret, deiectiſque dominatu ambobus, aucturus rem Eccleſiæ videretur, compertum habebat, eam acceſſionem ſuſpicioſam Venetis eſſe, nec eos paſſuros æquo animo, Ariminum, & Cæſenam ad ditionem noſtram venire. Confidebat ergo, ſapientis Legati operâ, hanc quoque difficultatem citò ſublatum iri. Itaque profectus ad eos omnia virtute ſua, breui confecit; nec omiſit quicquam quod vſui videretur. Indictum eſt apertè bellum, decretis ad templa ſupplicationibus, & cauſæ Apoſtolicæ Sedis multæ apud eos defenſæ, imprimiſque id prouiſum, nè iuſtam de Malateſtis vltionem impediendam ſibi cenſerent. Triremem quoque priuata impenſa ſua, in eorum portu inſtruxit, quam in ſubſidium ſanctæ expeditionis Anconam ad Pium perduxit. Dies me deficeret, ſi percurrere ſingula eius benefacta vellem, quæ ad virum excellentem pertinent, & prætermiſſa à me ſentis, conuenire in hunc puta: Precemur DEVM, valetudinem bonam illi tribuat, dies producat; & cum ad ſe vocat, alterum nobis relinquat Nicenum. *Papienſ. epiſt. 128. & 488.*

Minutiora etiam nec minus præclara, Niceno Superſtite recitabat Platina, in Panegirico, quem illi viuenti dixit. Placet, vel ad gloriam gentis adſcribere, quæ is in publico cætu dicebat. Exorditur à patria.

XXXI. *Item à Platina.*

Trapezus Synopenſium colonia, Beſſarionis patria eſt. Synopem condidere. Mileſii, Miletum Athenienſes. Ex his, vt à parentibus, auis, abauis nobilitatem referens, redundantiam Aſiani ingenij, frugalitate Attica compeſcuit, nec tantum Diogenem admiratus eſt, Timotheum, Demophilum Poetam, Thaletem, Anaximandrum, Anaximenen, Hecatheum hiſtoricum; Eſchinem Rhetorem illum qui in Pompeium inuectus eſt; licèt illi agnationis iure propinquiores eſſent, quin obſeruauerit Socratis leporem, Platonis copiam, & amplitudinem, Ariſtotelis acumen, Iſocratis lenitatem, & numeros, vim Demoſthenis. Ab omnibus enim gentilitatis iure, quod probabile, quodque optimum eſſet, accepit, hæres tot, ac tantorum ingeniorum. Ex his igitur Beſſarion animos ſumens, vti primum è pueris exceſſit, cura parentum, Bizantium tranſmittitur, celebrem quondam vrbem, & doctiſſimis hominibus, liberalibuſq; ſtudijs affluentem. Grammatica celeriter ab acumen ingenij, & Poetica imbutus, poſthabita cura rerum humanarum, qua impediri contemplatio diuinorum ſolet, totum ſeſe religioni addixit. Chriſtianamq; militiam ſecutus, vt veram gloriam, veroſque triumphos pariturам, Doſitheo Archiepiſcopo Dorienſi, vnici exempli moribus, & ſanctitate viro, in primo tyrocinio tantæ expeditionis duce vſus eſt. Huius virtutem, religionem, doctrinam adeò imbibit, vt idem breui factus videretur. Beſſarionis ingenium, & mentem propè diuinam, ad cognitionem rerum occultarum, & admirabilium vir ſanctiſſimus contemplatus, adoleſcentem ipſum ad Archiepiſcopum Sylembrienſem, virum optimum atque doctiſſimum miſit; vnde & Oratoriam artem, & Philoſophiam perdiſceret. Sub quo certè tantum profecit, adhibita ad imitandum hominem cura, ſtudio, ac diligentia, vt iudicare poſtea difficilius fuerit, meliorne Beſſarion, an doctior haberetur. Poſtremò autem, nè aliquid tanto ingenio deeſſet, Platonem, quem alij Gemiſto vocant doctiſſimum præceptorem, & quem omnes ſecundum à Platone vocant in Peloponneſo, quò ſe contulerat doctrinæ cauſa, nactus, Mathematicis mentem imbuit. Vulgari tum demum tanti hominis nomen eſt cæptum; vt quò proficiſceretur, famam expectatio, expectationem eius optatiſſimus aduentus, admiratioque ſuperaret. Exiſtimabant tum homines eam demum ciuitatem beatam fore, ad quam veniſſet Beſſarionis diuina virtus. Hunc itaque omnes certatim, vt cognitione & hoſpitio dignum ſuſcipiebant, venerabantur, obſeruabant: Conciones & quidem frequentes, atque eligantes ad populos habuit (has Græci homelias vocant) tanto concurſu, vt templa ipſa permagna tantam multitudinem vix caperent. Populos ad religionem, ad iuſtitiam, ad æquitatem, ad modeſtiam hortabatur, bonis præmia, malis pœnas

propoſitas oſtendens: & quos mouere integritate vitæ, rationibus, & exemplis non poterat, eoſdem obteſtationibus, precibus, lachrymis, vt vagos, & errantes in viam ſalutis reducebat. Multos inter ſe ciuilibus, & inteſtinis odijs diſſidentes, aut coràm oratione, aut abſens epiſtolis ſapientiſſimè & elegantiſſimè ſcriptis ad concordiam reuocauit.

*Beſſarion magni habitus ab Imp. Conſtantinop. & Trapezuntio.*

Hac tanta virtute moti Imperatores duo, Conſtantinopolitanus, & Trapezuntius, hunc vltrò, citroque Legatum frequenter mittentes, vtriuſque Imperij vires concatenabant, quò fortius, & conſtantiùs propulſare Turcorum impetus poſſent; qui tamquàm rabidi lupi inter vtrumque poſiti, occaſionem vtriuſque Imperij diripiendi expectabant. quod poſteà accidit, cum magno totius Reipublicæ Chriſtianæ dedecore, ac detrimento. Sublatis enim duobus clauſtris nunc ſeſe in Aſiam, nunc in Europã grauiſſima illa Turcorum procella nemine obſtante effundens, longè, ac latè omnia vaſtat, obterit, conculcat. Diripiuntur vrbes quantumuis magnæ, incenduntur villæ, necantur homines. Quod ſi aliquibus fortuna belli pepercit, ij vnà cum pecoribus eò terrarum abiguntur, vnde nunquàm in patriam ſint redituri. Conſtans eſt omnium opinio, & eorum maximè, qui ſuo periculo iſtarum calamitatum gnari sũt, duo illa imperia numquàm fuiſſe corruitura, ſi Beſſarion magni animi, atque conſilij vir illis in locis tum fuiſſet, cùm tempeſtas illa contrà non Græcos tantũ, ſed humanum genus exorta eſt. Excitauiſſet enim vir omnium vigilantiſſimus, dormientem Græciam; animaſſet, nimiò otio languentes animos, ire in hoſtem ſuum, & à ceruicibus tantam calamitatem auertere, quantam paſſi ſunt, ſpe veræ, & integræ laudis propoſita compuliſſet. Verùm eo abſente, cùm nemo eſſet, qui monendo, conſultando, docendo, cohortãdo Græcos in officio contineret, capta ac direpta à Turcis Conſtantinopolis eſt, cæſa multa ciuium millia, obtruncatus Imperator. Idem accidit Trapezuntijs, idem Mithileneis, idem Peloponneſiacis Principibus, & ciuibus; ijdem reliquæ Græciæ; idem Boſnenſibus, qui & Regem, & patriam, & vitam, vno ſæuiſſimi hoſtis impetu amisêre; Beſſarione ipſo clamãte, ac perſæpè Romanos Pontifices admonente, vt Macedonibus, Dalmatis, Illyriis, Pannonibus, hoſtiũ impetum ægrè ſuſtinentibus auxilio eſſent; nè refractis clauſtris illinc ſæua, & imanis bellua Eridano violentior Italiam inundaret: ꝙ propediem (vtinàm falſus ſim vates) futurum videmus, niſi huic ſapientiſſimo viro, tanquàm è ſpecula omnia cernenti, clamanti, admonenti, inſtare magnam perniciem, aliquandò fuerit obtemperatum. Multum certè huic ampliſſimo patri debemus, ad cuius res egregiè geſtas, nè in hanc calamitatem veniamus, libenter accedo. Is enim re Conſtantinopolitana nondùm profligata, Orientalem Eccleſiam in ſententiam Occidentalis redigere conatus, non priùs deſtitit, rogando, monendo Imperatorem, ac Principes Græciæ, quàm eos impulerit grauiſſima oratione habita, in Italiam ad Eugenium Pontificem maximum contẽdere. Venere primò Venetias, atq; indè Ferrariam, vbi Pontifex erat. Ibi grauem & elegantem orationẽ Beſſarion ad ſuos habuit; eos adhortatus, vt cognita frequentibus diſputationibus controuerſiæ cauſa, quæ Latinos inter, & Græcos quingẽtis iam annis ſerpſerat, poſita omni ſimultate, in eandem ſententiam omnes tandem venirẽt: hac vna ratione aſſerens, ea demum recuperari poſſe, coniunctis copiis, collataq; impenſa, quæ & Turci quondam, & Sarraceni, & Arabes, Chriſtianorũ magis diſſidiis, quàm animis & armis propriis freti occuparant. Dicebat enim, quod veriſſimũ eſt, Mahometanam perfidiam latè creuiſſe, dum religionis noſtræ capita inter ſe diſſiderent, procedat nè ſpiritus Sanctus à Patre tantũ, vt Græci; an à Patre, & Filio, vt Latini volebant. His enim controuerſijs factum, vt ad Mahometanos partim vi, partim ſpontè deficerẽt populi; dũ Chriſtianę religionis Principes, quid potiſſimũ teneant, incertos vidẽt. Hinc amiſſam eſſe Antiochenam Eccleſiam, hinc Hieroſolymitanam, hinc Alexandrinam; hinc denique omnem fermè Aſiam, & totam Africam, hanc peſtem occupaſſe, & quod grauius eſt, Europæ quaſdam partes iam iam infeciſſe, ac longiùs euagaturam, ni properè ſublatis tam pernicioſis controuerſijs, ac pulſis Chriſtianæ reipublicæ hoſtibus, in poſſeſſionem veterem, labore, vigilijs, ac ſanguine martyrum comparatam, armati cum vexillo crucis peruenerint.

*XXXIII. Beſſarionis opera Græci Latinis conſentiunt.*

Permouit tanti viri auctoritas totum Concilium, permouit religionis honeſtiſſima cauſa, permouit etiam imminens ceruicibus omnium periculum. Diſputari tum acriter inter vtriuſque Eccleſiæ Theologos eſt cæptum. Aſſerebant Græci, Epiſcopo Epheſino, Platone, Scholario, Dionyſio Epiſcopo Sardenſi grauiſſimis auctoritatibus Spiritum Sanctum à Patre tantum procedere. Inſtabant contrà Latini, à Filio idem quoque fieri; auctoritate veterum Theologorum, maximè verò Hieronymi, Auguſtini, & Athanaſij id comprobantes. Re autem ipſa adhuc pendente, Florentiam proficiſci Pontifici, & Curiæ viſum eſt. Ibi cum de re ambiguâ aliquamdiu diſceptatum eſſet, venere tandem Græci, ratione, ac Beſſarionis auctoritate moti in ſententiam Latinorum. Is enim & ſi acriter ſuos primò tutatus eſt, tandem veritate illuceſcente, in Orthodoxam Eccleſiæ Romanæ non ſolùm deſcendit, verùm etiam ſuos, vt idem facerent ad ſalutem, diſputationibus, & graui oratione adhortatus eſt. Vnum tandem animum, vnam mentem, idem ſpiritus Sanctus, pro quo diſceptabatur, omnibus dedit. Ventum tandem in concordiam, & ſymbolum Romanæ Eccleſiæ ab Orientali publicè decantatum. Soluto demùm Concilio Imperator Conſtantinopolim cum ſuis reuertitur: Eugenius autem Pontifex cognita Beſſarionis ſingulari virtute, & doctrina, hominem licèt abſentem ex ſententia Fratrum, in numerum Cardinalium cooptat. Accerſitur in Curiam Romanam vir ampliſſimus, vt vnus aliquis Romæ etiam, è Græcia ingeniorum altrice, doctrinarum inuentrice, quem, Quirites admiremini; quique viciſſim hanc veſtram ciuitatem, Dominam quondam rerum, nunc collapſam magna ex parte, ac propè dirutam in meliorem formam redigeret; homo certè Romani nominis amantiſſimus. Accepto autem de more galero inſigni Cardinalatûs, ità breui tempore homo ingenioſius, & acutus, Latinorum mores, & litteraturam imbibit, vt ex noſtratibus vnus, & non alibi natus videretur. Frequentabant tunc quoque eius domum, plenam religione comitate, & gratia, plenam ingenijs tùm Græcis, tum Latinis, viri ex tota Curia doctiſſimi. Hos vel inter ſe differentes, vel aliquid, quod ad cognitionem linguæ pertineret, laudantes (vt fit) refellenteſue ità attentè audiebat, vt ex abundantia ingenij, animique perſpicacia, diſceptantium arbiter propemodem fieret. His artibus, & ea vigilantia, qua maximè omnes excellit, breui effecit, vt quod Græcè anteà in quouis genere doctrinæ perceperat, id Latina lingua, aptè, diſtinctè, & ornatè efferret, ac ſcriberet. His ſtudijs vehementer delectatus, nunquàm tamen quicquam omiſit, quod aut publicè ex officio, aut priuatim agendum eſſet: ad omnia promptiſſimum ingenium, dexterrimam mentem ità circumferens, vt nil à bono patrefamilias, & ab optimo Principe differret. Ea tam inſigni virtute, & ma-

gnitudine



gnitudine animi permotus Nicolaus Quintus, in locum demortui Eugenij Pontifex Maximus ſuffectus, Beſſarionem ad res gerendas aptiſſimum, & ad omnia mala præcauenda vigilantiſſimum, Bononienſibus iampridem inteſtino bello laborantibus, Legatum cum ſumma poteſtate præfecit. Is eò proficiſcens, effuſa obuiam vrbana multitudine, non aliter ab omnibus ſuſceptus eſt, ac ſydus benignum & ſalutare à periclitantibus nautis, & penè naufragis inſpici, ac conſultari ſolet. Quanquàm hominis huius, Quirites, maior ſit laus, quàm ſyderis. Illud enim duas treſve, & eò amplius naues benigno intuitu conſeruat; hic tantam ciuitatem præclaram, Romani populi coloniam, hominum ad arma, & litteras altricem, oculis omnia circumſpiciens, mente præuidens, ac diſponens, lingua admonens, deterrensve, manu inſanabile vulnus, & contagioſum abſcindens, ab interitu, & propè ab inferis reuocauit.

*XXXIV. Eiuſdem opera factiones conciliantur.*

Notæ ſunt ciuitatis clades pluſquam ciuiles, dùm factio Bentiuola, & Canedula de principatu contendit, alentibus ſeditionem, hinc Philippo Vicecomite, hinc Venetis, hinc Principe Ferrarienſe. Inſtantibus etiam duabus militaribus factionibus, Brachianâ, & Sfortianâ, quæ dominatum appetentes, hanc ciuitatem veluti arcem Italiæ, occupare armis, ac fraude perſæpe conati ſunt. His enim tot, ac tantorum malorum auctoribus, ad id ſæuitiæ ventum eſt, vt eodem die & Hannibal Bentiuolus, & Baptiſta Canedulus, cum multis vtriuſque factionis, tota vrbe tumultuante, vno impetu cederentur, nullo non crudelitatis genere adhibito, & ne vlla requies calamitoſis daretur, ſuperuenere ſæpiùs externi hoſtes, vrbem oppugnaturi; ni Beſſarionis ſapientia ciues ad concordiam reuocans, externum hoſtem rabidum, & voracem à viſceribus ciuium Bononienſium propulſaret. Reſpirante deinde paulàtim (tantum mali inerat) ab externa vi, inteſtinoque malo ciuitate, totum ſeſe vir optimus ad componendos mores ciuium licentia bellica corruptos, & labefactatos vertit; quem certè hac in re nihil æquè iuuit, quàm eius religio, pietas, iuſtitia, conſtantia, abſtinentia, grauitas comitate condita. Hac enim ratione, ſine vlla vi, quorumdam hominum arrogantiam repreſſit, libidines extinxit, cupiditates refrenauit; cum fieri haud grauatè conſueuerit, vt eos mores imbibant homines, quos in Principe, tamquam in ſpeculo totius ciuitatis viderint. Hunc enim omnes, non priuatas commoditates quærentem, ſed publicas; non otio, ſed negotio deditum, non ſomno, ſed vigilijs, ita cum admiratione intuebantur, vt beatos ſe demùm arbitrarentur, ſi aliquâ ex parte Beſſarionis integritatem attigiſſent. Ad huius itaque mores ſeſe effingentes, ex calamitoſa felicem breui ciuitatem reddidere. Sublatis enim ſeditionibus extinctis incendijs, furtis, rapinis; homicidijſque repreſſis, perfacile fuit viro huic grauiſſimo, adhibita facilitate in audiendo, lenitate in dicendo, diligentia in ſatisfaciendo, populum Bononienſem, ad bonam frugem reuocare. Quem enim videbant iuſtiſſimum, quem modeſtiſſimum, hunc tamquam de cælo miſſum, ea præſertim tempeſtate venerabantur, colebant, & obſeruabant. Huic tantæ auctoritati magnum adiumentum doctrina eius ſingularis erat, qua perbeatas fieri poſſe reſpublicas Plato, ingenij, ac ſapientiæ facilè princeps exiſtimauit. Doctrina enim poteſtati adiuncta, vel vitioſiſſimam quamque naturam mutare poteſt: nedum bonam, ad benè de omnibus promerendum impellere. Hæc enim facit, vt Prouinciarum præſides vrbiumq; non ſolum ſe faciles præbeant in cognoſcendis cauſis, hominibus audiendis admittendiſque, maiorum exemplo, quorum res geſtas legerent, & ab ijs monerentur, vt cùm ipſi fuerint optimi, ſuorum cupiditates refrenent, petulantiam reprimant, auaritiam coërceant, quod quidem Beſſarion maximè obſeruauit, toto quinquennio, quo Bononienſi vrbi præfuit, nè ſuorum licentia & cupiditas, quod ſæpe multis accidit tantæ ſapientiæ, & integritatis laudem commacularet. Compoſito hunc in modum ciuitatis ſtatu, quo iam Bononia XX. annos feliciſſimè vixit, & nititur, gymnaſium vetuſtiſſimum, negligentia, & ſeditionibus ciuium penè intermiſſum & collapſum, non modo ædificijs, verum etiam inſtitutis, & melioribus ſalarijs inſtaurauit ac reſtituit; conductis, quamuis grandi pretio, liberalium diſciplinarum Doctoribus. Excitabat adoleſcentes ad ſtudia bonarum artium, propoſita præmij atque honoris ſpe; multos ob inopiam à ſtudijs defecturos, liberalitate, & munificentia ſua iuuit, & in inſtituto continuit. Quid plura de amplitudine huius optimi patris dicam, Quirites, quàm iuſtè, quàm prudenter, quàm modeſtè quàm clementer coloniam veſtram Bononienſem gubernauerit, erexerit, in pace retinuerit? ex hoc deprehendi poteſt, quòd poſtea more maiorum, Bononienſium patronus apud Pontifices ſemper eſt habitus. Illius enim ciuitatis Legati huc venientes, hunc hominem antè omnes adeunt, ſalutant, conſulunt, comitantur, reducunt, quod eſt maximæ integritatis, & continentiæ ſignum. At Beſſarion mortuo Nicolao Quinto, cùm in locum eius ſuffici alterum Pontificem neceſſe eſſet, Romam veniẽs lachrymantibus Bononienſibus quaſi à patre deſtitutis, Conclaue ingreſſus, quorundam Patrum, & optimorum ſuffragio Pontifex deſignatur. Quantum verò obſit maximi imperij prouincijs, & ciuitatibus liuor, atque inuidia, comprehendi certè hoc loco poteſt.

*XXXV. Deſignatur Pontifex Maximus.*

Quidam enim ſtatim ſuborti ſunt leues, & voluptuoſi, qui Beſſarionis integritatem, & modeſtiam veriti, dicerent, ſuffragia vitio inita, denuò repetenda eſſe. Non obſtitit vir optimus, quo minùs id fieret exiſtimans, quod verum eſt, Pontificatum ſua perſona plus indigere, quàm ſe Pontificatu, ad integram gloriam, qua profectò carere iam non poteſt. Eò enim exiſtimationis, & famæ vir ampliſſimus deuenit, vt nulla ei vlterius dignitas ad veram felicitatem ſit requirenda. Dolêre noſtram vicem & totius reipublicæ Chriſtianæ, non eius debemus, quòd tali caruimus Principe; & hac potiſſimùm tempeſtate, quâ præter externum hoſtem, qui ceruicibus noſtris armatus continuò imminet, auaritia, libido, ignorantia Dei atque bonorum hominum contemptus, inteſtina, & grauiſſima mala nos vrgent, opprimunt, enecant, nemine iuuante. Hoc Pontifice indigebat Religio Chriſtiana, lacerata non minùs à vitijs noſtrorum, quàm ab externo hoſte, vt aliquandò reſpiraret. Hunc Pontificem mores noſtri requirebant, omni ex parte labefactati. Huius Pontificis opera indigebant bonarum artium ſtudioſi, & in quauis facultate induſtrij, qui nunc tamquàm prophani contemnuntur, reijciuntur, eliminantur. Non deſtitit tamen Beſſarion, Calixtum monere, & hortari, vt interpoſita auctoritate Pontificatus, ſæuientem hoſtem à ceruicibus Chriſtianorum propulſaret. Ad hoc quoque bellum adhortatus eſt Alfonſum Aragoniæ Regem. Dum à balneis Puteolanis, quæ adierat valetudinis cauſa, Neapolim proficiſcitur, ad cryptã Neapolitanam Rex magno comitatu honoris cauſa Beſſarioni ſit obuiam, eumque nullo non comitatis, & beneficentiæ genere adhibito, in vrbem ducit; acceptum lautè, & magnificè, abeuntemque eodem ſemper, & veneratus, & proſecutus eſt vultu. Mortuo deinde Calixto, Pius ſecundus in eius locum ſuffectus, Conuentum Mantuanum, adhortante Beſſarione, Chriſtianis omnibus ad certam diem decreuit,



quo om-

quò omnium Principũ,& populorũ conſenſu bellum Turcis indiceretur. Conuenêre eò Principes multi,& Legati Regum,ac principum, quos Beſſarion pòſt Pium Pontificem ad tantum, & tàm neceſſarium bellum eleganti oratione, quam in manibus habemus,adhortatus eſt. At verò cum huic tanto apparatui Germanorum Principum inter ſeſe bella obſtarent,eò mittere Pius Beſſarionẽ virum grauiſſimũ, Legatum inſtituit; qui rebus in Germania compoſitis,Imperatorem Fridericũ, ac reliquos Principes ad bellum Turcis indictum adhortaretur. Vadit vir optimus licèt valetudinarius, etiam hyeme inſtante,quò Pius imperat. Venetias Pado amne primùm delatus, Ducẽ,ac Senatum ad ſuſcipiendum tantũ bellum adhortatus,in Germaniam honeſto magis,quàm lauto, & eleganti comitatu flectit iter. Sæuiebat tum hyems Februario menſe,in Germania potiſſimùm,quæ regio frigidiſſima eſt. Vexatus itaq; cum ventis,tum imbribus,tum niuibus propè continuis, nullum diem intermiſit,quò vlteriùs nõ proficiſceretur; & cum ſtare pedibus equi præ glacie vix poſſent, vehiculo Germanorum, quod *traham* vocamus, non vectus ſed tractus eſt. Tandem verò pòſt labores propè infinitos Norimbergã venit, obuiam prodeunte honoratiſſimo quoque ciue, prodeuntibus Epiſcopis, ac toto Clero vrbem ingreſſus, litteris, ſtatim ac nuncijs Principes Germaniæ ad ſe vocat; populum quoque Norimbergenſem,vt idem faciat,longâ ac graui oratione adhortatur, id velle oſtendens Deum optimum maximum,id Pium Pontificem,id res Chriſtiani populi afflictas propè, ac profligatas.

XXXVI *Principes conciliare ſtudet.*

Superuenere autem non ità multò pòſt, auctoritate Sedis Apoſtolicæ,& tanti viri fama permoti Principes multi,vel Principũ Oratores. Hos ille in cõuentu,audita controuerſiarum cauſa,ad pacem, & concordiam,multis,ac maximis rationibus reuocare ſæpenumerò conatus eſt. Quid ibi non cogitauit, quid non egit,quid non dixit,Beſſario, Quirites,quo pacẽ inter diſſidentes cõponeret? Aderant Principes multi,aderat Cardinalis Auguſtenſis, aderant Epiſcopi quidam. Aderat Albertus Brãdeburgenſis Marchio: aderant Legati Baioariæ Ducis. Hos duos Principes inter ſe maximè diſſidentes,odio propè ingenito, & monere,& rogare,& obſecrare vir optimus non deſinebat,copioſa,& graui oratione de pace habita,vt depoſitis ſimultatib᷒,& odijs de bello Turcis inferẽdo, vnà cum Pontifice & Imperatore cogitarent: & eccè dum in conſultatione eſſent, litteræ ei à Legato Panoniæ,Sancti Angeli Cardinali redduntur; quibus fit certior,pugnatum cum Turcis eſſe & Pannonios graui prælio ſuperatos ceſſiſſe, periculumq; imminere,nè hoſtes victoria elati,longè, ac latè omnia occupent, vaſtent, & diripiant. Tum Beſſarion lachrymabundus,ac vicem reipublicæ Chriſtianæ gemens,breuiter, clades omnes noſtris illatas commemorat; imminens periculum oſtendit,pacem,& concordiam proponit,quò liberiùs, & tutiùs coniunctis armis,& copijs ire in hoſtem ferocem, & recenti victoria exultantem liceat. Cum autem Norimbergæ nil fieri videretur,quòd eò propter diſtantiam proficiſci Principes grauarentur, maximè verò Palatinus Comes,transferre conuentum,Wormatiam, Legatus inſtituit, nè quicquam intentatum relinqueret, quòd ad ſedandas lites pertineret. Ventũ eſt tandem pòſt multa,& grauiſſima pericula Wormatiã:neq; enim peragrare Germaniam ſine præſidio militari licet;quod apud eos tantũ valet conſuetudo rapinæ, & latrocinia quodammodò conceſſa videntur. Suſceptus benignè à Wormacienſibus Beſſarion, Legatos tum Imperatoris, tum aliorum Principum ad ſe vocat,quidque ſit agendum, proponit. Diſceptatur, nec ſemel tantũ, ſed iterum, ac iterum. Mittit Epiſcopos, viros grauiſſimos,& optimos,quos ſecum habebat, ad vicinos Principes, nè quid omitteretur, ꝙ ad concordiã faceret. vbi autẽ nihil fieri tanta ſollicitudine videretur,monendo,rogando, obſecrandoq; Viennam proficiſci ad Imperatorem inſtituit,oẽs adhortatus,vt eò ſe properè conferrent. arbitratus,Cæſaris præſentia & auctoritate,rem optatam ex ſententia confici poſſe. Magnis quidem, atque aſperis itineribus eò tandẽ ventum eſt. Fit obuiã Beſſarioni Imperator ad mille paſſus, cumq; nullo non adhibito honoris genere,in vrbẽ ducit. Data eſt tantummodò dies quieti: poſtera verò cum Legatus ad Imperatorẽ,contrà Imperator, ad Legatũ proficiſci honoris cauſa cõtenderet, peruicit Imperator ad Beſſarionẽ pergens,quo cũ de pace cõponenda inter Germaniæ Principes,& de bello Turcis inferendo,lõgiſſimus,& grauiſſimus ſermo eſt habitus. Cũ itaq; Principes,& Legati multorũ veniſſent, de eademq; re ſæpiſſimè omni conatu fruſtrà tractatũ eſſet, propoſito ipſius prouinciæ emolumento,& honore,redire tandẽ in Italiã,Legatus inſtituit:nè fruſtrà, & tempus, & corpus valetudinariũ,frigoribus,& labore itinerũ, ac tædio animi cõſumeret. Inter exteras gentes, Græcis, ac Latinis natura infeſtas periclitatus eſt ſæpiùs,dùm temulenti,& armati nõ ſolùm in agris,ſed in vrbibus quoq; graſſantur. Viennę autẽ,vbi potiſſimùm gymnaſtici quauis iniuria,& petulãtia vtuntur. Redijt tãdẽ pòſt biennium Beſſarion veſter,Quirites,vt quem abſentem Roma deſiderabat,cupiebat,& votis optabat,præſentem deniq; intueretur,admiraretur,venerareturq;,vt Eccleſiæ Romanæ vnicum columen, & patriæ veſtra parentem. Non deſtitit tamen vir optimus,& ſapientiſſimus,Pium Põtificem hortari,vt pijſſimum bellum iam ante cõtrà impios decretum amplecteretur. Hanc ob rem cùm Pius Anconam, vndè moturus erat in hoſtẽ,proficiſci inſtituiſſet,ibiq; claſſem vndiq; vẽturam à Chriſtianis expectaret, Beſſarion ad Venetos properè contendit, Sedis Apoſtolicæ Legatus;cuius auctoritas tantum valuit,vt Ducẽ, & Senatum ad id bellum impulerit. Paratæ triremes à Venetis ſunt. Dux claſſi præficitur, nauigat Anconã. Eò & Beſſarion ſenex,ac imbecilli valetudine,cũ triremi,ſua impenſa conſtructa, & armata contendit.

XXX-VII. *Omnibus prodeſſe cupit.*

At verò in tanto apparatu, Pio Pontifice mortuo, cum omnes paſſim dilaberentur,ipſe quoq; Romam ad ineunda pro nouo Pontifice ſuffragia reuertitur. Quo creato,cum omnes ad otium ſpectarent, ingenio ſuo,& doctrina fretus,quicquid otij à rebus publicis dabatur, totum ad id ſcribendum contulit. Homo omnium ſolertiſſimus, cùm prodeſſe coràm amicis periclitãtibus nõ poſſet,eos litteris,pietatis,& humanitatis plenis admonuit, erudijt,à malo deterruit;ad officium,ſi qua in re deliquerunt, reuocauit. Harum extat numerus propè infinitus, tum Græcè, tum Latinè ſcriptarum. Scripſit etiam duorum locorum laudationes,ſcilicet & patriæ Trapezundos, & Iſthmij, adeò eleganter, & abſolutè, & prouinciæ ipſæ, & benignitate cæli,& vbertate frugum omnium,& portuoſitate littorum, & hominum ingenioſorum,& fortiſſimorum copia, cuiuis prouinciæ conferri poſſe videantur. Non dico quàm doctè, quàm memoriter, horum locorum Reſpublicas, & quicquid in ijs tum bello, tum pace geſtum ſit, commemoret, deſcribat,notet; facit id quidem adeò ingenioſè,& accuratè, vt res ipſæ non deſcriptæ, ſed ab eodem inſtitutæ,& geſtę videantur. In conſolationibus tribus,quas ad Imperatorem Conſtantinopolitanum in morte vxoris habuit, ad conſtantiam, & fortitudinem hominem ipſum pluribus rationibus reuocat, verbis grauiſſimis, & ſententijs oſtendens, nihil noui eius maieſtati accidiſſe: cum mors omnibus ſis non dico commune malum, ſed receptaculum à malis,ſi benè,ac conſtanter vitam duxerimus: quemadmodum Reginam ipſam vixiſſe





*Multa edit opera egregia.*

oſtendit. Confutauit acerrimi graui, & copioſa oratione, eos,qui pertinaciter nimis aſſeuerant, dictum illud Chriſti ad Petrum de Ioanne, *Sic eum volo manere, quid ad te:* cum dicendum ſit. *Si eum volo manere,quid ad te:* Hoc autem probat, & doctiſſimorum hominum auctoritate,& Gręca littera, qua Ioannes Euangelium ſcripſit,& Latina locutione, à qua modus ille dicendi longè abhorret. Adeò autem copioſè in aduerſarium inſurgit, Quirites, vt nullum propè erratum, aut vitio interpretum commiſſum aut negligentia librariorum, aut incuria legentium, in tota Scriptura ſacra prætermittat. Aperit omnia diſputat, refellit,docet. Eodẽ dicendi,ac diſputandi torrente, Epheſini Epiſcopi opinionẽ aſſerentis Spiritũ ſanctum à Patre tantum procedere, acerrimè confutat. Sancti etiam Beſſarionis, vnde ipſe nomen accepit, Patriæ,parentis, ac patroni vitam diligenter; ac copioſe ſcripſit. Sancti Franciſci Ordinem, cuius patronus habetur,conſtanter, ac ſapienter tutatus eſt. Nõ eſt paſſus,quempiã bene de genere humano meritum, maledicentia pòſt mortem lacerari. Vnde acerrimè in calumniatorem Platonis inſurgit, volumine & quidem diuino, quod nuper magnatum veſtra expectatione edidit. Quam grauis ſit in laudando, acris in vituperando; in ſententijs argutus, in diſſerendo ſubtilis,in confutando vehemens,ex hoc libro comprehendi poteſt,in quo rerum omnium diuinarum, atque humanarum ſcientia, tamquam in ſacrario repoſita videtur. Hic eſt certè, quod hauriant Theologi,Philoſophi,Mathematici, Oratores, Dialectici,& quoduis genus hominum ciuilium, ac ſtudioſorum. Nullam ſectam Philoſophorum prætermittit, quam non notet; quid quiſque dixerit, quod probari,improbariue poſſit, oſtendit. Vt Pythagoreorum nimiam pietatem, Cynicorum ruſticitatem,Stoicorum auſteritatem carpit; ita Peripatheticorum,& veterum Academicorum mediocritatem laudat;extollit Ariſtotelem, Platonem Philoſophorum principem facit, quo cum plura Chriſtianus oſtendit conuenire quàm cum aliquo Philoſophorum. Neque id quidem Theologorum noſtrorum auctoritate tantummodò probat, verùm etiam ſillogiſmo, & rationibus, quibus aduerſarium ità circumagit & opprimit,vt neque quò ſe recipiat calumniator Platonis habeat, neq; quid reſpondeat,obrutus argumẽtis,ſatis inueniat. Hũc ſiquidẽ homuncionẽ vir ampliſſimus, ità interdum deridet ſeruata grauitate dignitatis vt fateri cogat, ſe non modò non intellexiſſe Platonis mentem,quem hic nouus Carneades imperitiæ,turpitudinis, inconſtãtiæ arguit,ſed ne linguæ quidem Græcæ proprietatem tenuiſſe. Cumque ipſe Græcus ſit,& Patonis leges, non Latinas facere, ſed deprauare conatus Philoſophi ſententias euerterit,& obſcuriores reddiderit,quanta fuerit huius audacia, Quirites,animaduertite quæſo. Eò deinde temeritatis prorupit,vt Ariſtotelem cum Platone, diſcipulum acutum cum ampliſſimo præceptore cõmittere non dubitarit: qua indignitate concitatus Beſſarion,omnem omnium Philoſophorum,qui vmquam fuerunt,ſententiam explicat,&, quod maximè optandum erat doctrinam,& mentem Platonis,à nemine ferè iuniorum cognitam ità aperit,vt perfacilè appareat,omnes ſectas,quæ ſanum aliquid ſapere videntur,ab ipſo Platone,tamquam perenni,& vberrimo fonte manere.

XXX-VIII. *Cardinalatus officia diligẽtiſſimè exequitur.*

His rebus, quæ grauiſſimæ ſunt, & totum propè hominem requirunt, intentus pro tempore Beſſarion,nihil tamen vmquam omiſit, quod ad officium Cardinalatus pertineret. Rem diuinam, & domi, & foris numquàm intermittit. Senatum frequentat,in quo ſecũdus à Pontifice habetur. Sententiam in conſultationibus, grauiter, & conſtanter, è republica Chriſtiana tuetur. Clientibus, & familiaribus apud Pontificem patrocinium ſuum præſtat. Circumuentos malorum fallacijs adiuuat. Bonos, & doctos ad meliorem fortunam, & honeſtiorem dignitatis gradum,commendationibus ſuis grauiſſimis,ac proprijs interdum facultatibus erigit. Familiam domi alit in vtraque lingua eruditiſſimam, & in quauis facultate doctiſſimam, ſuos domeſticos,non religione tantùm & moribus ad bene viuendum inſtituit,verum etiam litteratura,eruditione,doctrina ita imbuit, vbi à negotijs publicis vacat,vt indè,quemadmodum quotidie cernimus, multi & quidem docti, tamquam ex equo Troiano prodeant, ac plures propè quàm ex reliqua Romana Curia. Quid deeſt Nicolao Perotto Archiepiſcopo Sypontino,quod ad mores, & doctrinam faciat? Grauis pro dignitate, comis & humanus. Scribit ac dicit eleganter& copioſè. Sed qui Græca,Latina melius faceret, nemo adhuc ætate noſtra inuentus eſt. Quãta ſit, Theodori Gazæ viri optimi doctrina,& eruditio, tum Græca, tum Latina, ex hoc vel maximè deprehendi poteſt, quòd omnes bonarum artium ſtudioſi,de aliqua re ambigentes hunc adeunt ex tota ciuitate,vt oraculum totius eruditionis,ac diſciplinæ. Hic & ſi Græcus ſit, ità Latinè ſcribit,vt nullam hoſpitis ſpeciem præ ſe ferat. Non eſt omittendus Ioannes Gattus Theologus, philoſophuſque inſignis. Non Valerius Viterbienſis, eruditione,doctrina, cum quouis optimo ætatis noſtræ medico conferendus. Non Andronicus, Græcâ, & Latina lingua apprimè eruditus. Sunt & in eius contubernio, qui Pontificium, ac ciuile ius quique Mathematica optimè teneant. ſubſequuntur & iuuenes quidam, qui validiores facti tamquam generoſi pulli, & ex optima prole ſumpti, non tubam, aut campanam reformidabunt. *Aedes ſacras reparat,vel reſtituit. Et alia multa præſtat.* Hi fructus oboriuntur vndique ad vbertatem non minùs ciuitatis quàm totius prouinciæ, Beſſarionis operâ, & impenſâ; qui non vna in re tantùm liberaliſſimas manus,ſed in pluribus circumfert. Miſeratus Græcorum calamitatem, multa nummum millia aureorum pro redimendis captiuis expendit. puellas multas inopiâ parentum marito carentes, ære proprio, dote factâ nuptum collocat. Inopes, & valetudinarios continuò iuuat. Ades ſacras, aut inſtituit, aut collapſas vetuſtate reficit; quod indicat templum Apoſtolorum in Vrbe, vbi ſacellum ſibi condidit; & ſeceſſus Cryptæ ferratæ, Beatæ Virgini dicatus. Domum quoque ſibi parauit, ità dignitati, & facultatibus congruentem, vt neque meliùs quiſquam, neque modeſtiùs in Vrbe habitet. Accedentes & quidem frequenter, libenter admittit, audit; & quod fieri ab eo amicorum causâ poteſt, doctorum præſertim, quorum patronus eſt, id ſe libenter facturum repromittit: his verò tantum interdum donat, quantum ei per domeſticas impenſas licet. Bibliothecam Græcam, triginta millibus nummum aureorum emptam Venetijs extruxit, nè omnino Græca litteratura deficeret. Ornabit & hanc veſtram ciuitatem Latina ſuppellectile, ſi ei aliquandiu viuere licuerit. Hunc itaque hominem, Quirites, qui ob ſuam ſingularem ſapientiam, conſtantiam, fidem,pietatem,fortitudinem,humanitatem, gratiam, eruditionem, doctrinam facit,quominus Socrates, Platones,Ariſtoteles Græcos; Nummas, Varrones, Brutos Sulpitios,Catones veſtros deſideretis; hunc hominem, benè de optimo quoque & induſtrio meritum,colite,obſeruate ac frequentibus laudibus celebrate. Hæc Platina in Beſſarionem Cardinalem.

XXXIX *B. Amadei Sabaudiæ Ducis, vita & obitus.*

Beſſarioni Cardinali, munificentia, & magnificentia æqualis, ſanctitate vitæ, & natalium ſplendore ſuperior, hoc ipſo anno mortalitatem expleuit, B. Amadeus, Subaudiæ Dux Tertius.

XXXIX. *B. Amadei, Sabaudiæ Ducis, vita & obitus.*

Natus eſt is ex Ludouico Duce Sabaudiæ ſecundo, & Anna filia Iani Regis Cypri, anno à partu virginis milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quinto. Hic nondum infantiam egreſſus, ſponſus deſignatus fuit Iolandæ, filiæ primogenitę Caroli ſeptimi Chriſtianiſſimi Gallorum Regis. Adoleſcens, ac penè puer, initium operum ſuorum ſemper ab oratione ducebat; neque anteà cum hominibus agere ſolebat, quàm diuino Miſſæ ſacrificio audiendo, & conciliando ſibi numini operam dediſſet. Et quoniam in itinere ſpiritualis vitæ, multa occurrunt pericula, partim à naturæ fragilitate, partim ab inuidentia, & aſtutia dæmonum, ducem elegit non minùs ſanctum, quàm doctum, eumque perpetuò ſibi adeſſe voluit, vt eius conſilio, & admonitione regeretur. Is fuit Magiſter Ioannes Fauzonius Ordinis Sancti Franciſci, ex monte Regali, vir æquè doctus ac ſanctus. Hunc virum, vt parentem coluit, vt magiſtro fidem habuit, & cum eo negotia animæ ſuæ omnia liberrimè communicabat. Quod verò attinet ad naturalia, ſiue Dei dona, ſiue naturæ vitia; cum venuſtate corporis, habebat incredibilem facilitatem, & comitatem: ſed cum his bonis admiſcuit diuina prouidentia morbum incurabilem & fœdum, qui dicitur epilepſis, ſiue morbus comitialis: quod flagellum vir Dei, non vt flagellum, ſed vt frænum, ad peccata multa vitanda, ſibi à Deo patre amantiſſimo datum exiſtimabat, & fatebatur. Cùm enim ſubirent animum, quæ illum extollere potuiſſent opes, honores, poteſtas, imperium; mox aderat medicina à Deo parata, morbus epilecticus, qui tumorem animi comprimebat, & ipſum totum hominem abijciebat. Itaque non rarò famulos ſuos, ipſi compatientes dulciſſimè conſolabatur, dicens; Deum magis homini propinquare, cum eum flagellat, quàm cum conſolatur. Id, quod eſt conſentaneum diuinis litteris, in quibus legimus dictum fuiſſe Tobiæ ab Angelo ſancto; *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te.* & in Pſalmo legimus; *Cum ipſo ſum in tribulatione.* & Apoſtolus dicit; *Quem diligit Dominus caſtigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit.* & alius Apoſtolus addit; *Omne gaudium exiſtimate fratres, cum in tentationes varias incideritis.* ſed his omiſſis, ad hiſtoriam reuertamur.

XL. *Vxorem ducit.*

Cùm ad annum ætatis octauum decimum perueniſſet Amadeus, hortante patre, Iolandam ſibi olim deſponſatam accepit vxorem. ſed ad ſacramentum coniugij non ſine multis precibus ſe præparauit, vt eius ſolita pietas, & patris ſpiritualis admonitio, & doctrina requirebant. Vixit autem cum vxore, tàm pacificè, & concorditer toto vitæ ſuæ tempore, vt planè intelligi poſſet, auctorem huius coniugij non alium fuiſſe, quàm Deum. Interim accidit permiſſione diuinâ, vt virtus optimi Principis magis eluceſceret; vt fratres eius videntes, eum à patre plus omnibus diligi, inuidentiæ morbo adurerentur. & res in apertum bellum prorupiſſet, niſi Ludouicus Dux, & pater, cum Rege Galliæ egiſſet, vt Philippus, vnus ex fratribus, & cæteris ardentior, carceri manciparetur. Sed ſicut fratres Amadei imitati ſunt fratres Ioſephi Patriarchæ, in ipſo Ioſepho ſine vlla cauſa iniuſto odio proſequendo; ſic & pius Amadeus imitatus eſt incredibilem Charitatem ſanctiſſimi Ioſephi, in reddendo bona pro malis, & vincendo in bono malum, vt Apoſtolus iubet. Vix enim Ludouicus pater obierat, & Amadeus in Ducatu ſucceſſerat; cum Philippum fratrem è carceribus liberari curauit. nec per Legatos id effecit, ſed ipſe in Gallias profectus, cum Rege non ſolùm egit, vt Philippus è carcere educeretur; ſed etiam, vt Margareta, filia Ducis Borbonij, fratri ſuo Philippo in matrimonium coniungeretur; & ipſe partem imperij ſui eidem donauit. Heroica planè charitas, & Chriſtianiſſima virtus, ſic diligere inimicos hoc eſt eſſe veriſſimum Chriſti diſcipulum, & imitatorem. Nam nè ipſe quidem Patriarcha Ioſephus, ad hunc apicem charitatis peruenit, vt fratres ſuos, à quibus venditus, ac penè necatus fuerat, ad partem ſui principatus admitteret.

XLI. *Charitas eius in Inimicos.*

Sed ea, quæ dicta ſunt de charitate ſanctiſſimi Ducis Amadei ergà fratres ingratos, & malos, ab ijs, quæ dicenda reſtant, ſuperantur: Philippus Ducis Amadei germanus, non contentus eo honore, quo eum Dux affecerat, iterum in hoſtem ex fratre mutatus, coacta militum armatorum multitudine, arcem, in quam ſe Dux contulerat, circumdare, eamque vi capere aggreditur. Sed Amadeus veriſſimè Deum amans, & propter Deum inimicos etiam diligens, & aſſuetus reddere bona pro malis, atque in Dei adiutorio confidens, aperiri iuſſit portas arcis, & ad ſe fratrem armatum, & minacem vocans, ſic piè, ſic amanter, ſic diuinè locutus eſt, vt fratrem ab odio, & furore hoſtili, ad pacem, & charitatem verè Chriſtianam, & verè fraternam conuerterit. Sic triumphauit triumpho nobiliſſimo de hoſte generis humani, cuius proprium eſt, ſerere inimicitias etiam inter amicos, & fratres.

XLII. *Eiuſdem prudens factum.*

Extincta inimicitia cum fratre, exorta eſt ſiniſtra quædā opinio inter magnates, de imperitia Ducis ad regendos populos; proptereà quòd nimium ſollicitus videretur de ſpiritualibus exercitijs, & de pauperibus ſubleuandis. Sed hanc ſiniſtram opinionem prudentiſſimo conſilio facilè ſuperauit, & extinxit. Inſtituit enim iter in Gallias, vt cognatum Regem viſeret; atque ad hoc iter inuitauit maiorem partem Principum ſuorum. In eo itinere multis in locis honorificentiſſimè exceptus fuit, vt cognatus Regis: & cum ad Regem perueniſſet, incredibile eſt, quantis honoribus affectus fuit, cum ab ipſo Rege, cum etiam ab omnibus Principibus, nobiliſſimi illius Regni. Ex ea re didicerunt aulici Ducis, quàm magnifacere deberent Ducem ſuum, quem tanti fieri ab vniuerſo Galliæ Regno ipſi vidiſſent. Itaque ab eo tempore, nemo auſus fuit, reprehendere pietatem Principis ſui, quam admirari, & de qua gloriari, ſi quid ſaperent, omninò deberent.

XLIII. *Arma mouet, dum expedit.*

Quòd autem Amadeus non abhorreret ab armis, quandò iuſta cauſa bellandi ſe offerret, docuit infelix exitus Conſtantini vltimi Imperatoris Græcorum. Ferunt enim tunc Amadeum Ducem magno zelo miſiſſe in Peloponneſum, exercitum ſatis copioſum, vt ea regio à Turcarum furore defenderetur: & cum paulò poſt Pius ſecundus Pontifex Maximus in Concilio Mantuano præſidens, vocaret Principes Chriſtianos ad bellum ſacrum contrà Mahometanos, ipſe inprimis adfuit, promptus, ad opes, & vitam, ſi opus eſſet, pro Chriſti religione profundendas. Quod etiam facilè cognoſci potuit, quandò Iacobus Nothus, Nicoſiæ Epiſcopus, dimiſſa dignitate Epiſcoiſcopali, adhæſit Soldano Ægypti, & Ludouico à Sabaudia Rege legitimo expulſo, Regnum Cypri inuaſit. Tunc enim magno ardore animi Amadeus coegit exercitum, vt Regnum, ſi poſſet, recuperaret: præſertim, cum Carlota Regni hæres ad eum veniſſet. Sic enim decebat, vt piiſſimus Princeps proprias offenſiones, ex fraterna charitate facilè condonaret; ſed offenſiones Dei, & Reipublicæ Chriſtianæ pro viribus vlciſceretur.

XLIV. *Miſericordia eius in pauperes*

Sed vna in re videtur ſanctiſſimus hic Princeps planè excelluiſſe. ea eſt miſericordia erga pauperes. Non enim ſurda aure audiuit Dominum dicentem; *Venite benedicti Patris mei. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare.* & quæ ſequuntur. & Salomonem, qui ait; *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis.*





Et Angelum dicentem ad Tobiam, *Eleemoſina à morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit inuenire miſericordiam, & vitam æternam.* Et denique beatum Apoſtolum admonentem diuites, vt facilè tribuant, & communicent opes ſuas, & theſaurizent ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. His, & alijs id genus Spiritus ſancti oraculis eruditus optimus Princeps, in pauperes alendos, & veſtiendos liberaliſſimus erat, neque contentus erat ſolo miniſterio famulorum in pauperibus reficiendis, ſed ipſe proprijs manibus ad menſam illis miniſtrabat; certus, ſe Chriſto in pauperibus miniſtrare, cùm Dominus dixerit, *Quod vni ex minimis fratribus meis feciſtis, mihi feciſtis.* Accidit aliquando, vt Legatus quidam à neſcio quo magno Principe miſſus, cum Duce Amadeo colloquens peteret, an non aleret magnam copiam canum venaticorum, de more aliorum Principum. Reſpondit Amadeus, ingentem omninò numerum canum optimorum à ſe nutriri; quos, ſi placuerit videre, ſequenti die tali hora adeſſet. Adfuit ille ad horam indicatam; & Dux introduxit illum in proximum triclinium, vndè in ſubiectam aulæ planiciem proſpectus erat. Ibi menſam illi admirabundo oblongam, ſtratam, & cibis omnis generis refèrtam, accumbenteſque ad eam mendicos quamplurimos oſtendit, atque hiſce hominem verbis affatur. *Iſti, vir amice, canes ſunt, quibus in vita hac, cuius breuis incertaque, periodus eſt, cælum ego venor, alimentaque mihi comparo, quæ manna omni præſtantiora famem mihi in perpetuum ſiſtant.* Ac dicenti inter alia Legato; inueniri ſæpiùs homines improbos, inerteſque, qui paupertatem ſimilent & mendicando, quàm manibus laborando, quæ ad victum neceſſaria ſunt, comparare ſibi velint. Reſpōdit Dux; Nolim, *inquit*, tam anxiè iſta inquirere. Nam ſi in actiones noſtras ſic inquireret Deus, malè omnino nobiſcum ageretur, Sed ille prius & clemens, *ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Sic & nobis melius eſt, in tanta multitudine bonorum eleemoſynam diuidere in aliquos indignos, quàm dum paucos indignos repellere à noſtra liberalitate curamus, plurimis vere pauperibus iniuriam faciamus.

XLV. *Eiuſdem in loca ſacra Magnificentia, & Pietas.*

Neque verò ſolum in pauperes ſingulos liberaliſſimus erat pius Princeps, ſed etiam in ædificandis publicis hoſpitalibus, & Monaſterijs & in ornādis, ac pretioſa ſuppellectile ditandis Eccleſijs magnificentiam ſuam, & pietatem oſtendit. Vſque ad hanc diem conſeruari dicuntur Vercellis, pretioſiſſima Sacerdotalia indumenta, quæ pijſſimus Dux Amadeus Eccleſiæ Sancti Euſebij, dono dedit. Suſcepit etiam aliquandò peregrinationem ad Vrbem, vt viſeret loca ſancta, quibus Romana ciuitas abundat. Profectus eſt autem, non vt magnus Princeps, ſed vt homo incognitus, & cum veſtibus peregrinantibus accommodatis; & incredibili humilitate, ac religione, Eccleſias, & ſanctuaria Vrbis obiuit. In eleemoſynis ſolùm largiendis, tum pauperibus ſingulis, tum xenodochijs, & Eccleſijs, non ſe pauperem peregrinum, ſed opulentum Principem demonſtrauit. Siquidem magnam argenti, & auri copiam in eiuſmodi ſancta loca effudit; ac potiſſimùm, ad memoriam Principis Apoſtolorum, non aurum ſolùm, & argentum ſed etiam gemmas pretioſiſſimas dimiſit. Obiuit poſteà & aliam peregrinationem cum vxore Iolanda, ad ſacroſanctum linteum, in quo paſſionis Dominicæ veſtigia, non ſine inſigni miraculo impreſſa cernuntur. Obiuit autem eam peregrinationem, non ſine magno labore, & fatigatione ſemper pedes, vt paſſionis Dominicæ cum ipſa ſua coniuge particeps fieret.

XLVI. *Orationi, & Ieiunio vacat.*

Porro ad eleemoſynas, & peregrinationes adiungebat etiam frequentes orationes, & ieiunia. Neq; deſunt, qui exiſtiment, frequētia ieiunia in cauſa fuiſſe, vt rariùs morbo illo ſuo familiari vexaretur. Neque verò religioſæ, & piæ exercitationes, impediebant eum, quo minùs conſeruaret maieſtatem Principis, qualis eum decebat tum in alenda numeroſa familia, tum in ſtipendijs militibus numerandis. Nouerat enim Patriarcham Ioſephum, moderatorem Aegypti, & Dauidem Hebræorum Regem; & noſtros, Henricum Imperatorem Romanum, & Ludouicum Regem Francorū, ſine detrimento pietatis potuiſſe, Regna, & Imperia debita cum auctoritate gubernare. Illud tamen pij Principes, & in eis Amadeus, diligenter curabant, vt ab aula exularent mimi, paraſiti, gnarones, inutilia terræ pondera; & multò magis, blaſphemijs, vel periurijs addicti. Neque ij ſoli, ſed etiam mendaces detractores, rixoſi, & alij id genus improbi. Illud autem admirabile eſt, & proprium eleemoſynarum emolumentum, quod cum tàm liberalis, & quaſi prodigus videretur, Dux Amadeus in eleemoſynis largiendis, tamen fratribus plurima largitus eſt; & ſororibus dotes ſtatui ipſarum congruentes dedit; & nulla noua populis vectigalia, vel tributa impoſuit. Sic tamen ærarium, quod inane repererat, cum regnare inciperet repleuit, vt iuriſdictiones varias redemerit, quos Principes ſuperiores coacti alienauerant. Itaque verum eſt, non ſolum in vita futura, ſed etiam in præſenti, quod Sapiens ſcriptum reliquit, *Qui miſeretur pauperum, fœneratur Deo.*

*Patiens in aduerſis.*

Ad has virtutes ſancti Ducis, acceſſit diligentiſſima cura præponendi in omnibus ciuitatibus optimos Iudices: quos videlicet ipſe noſſet ſimul valdè peritos, & valde probos. Nam & probitas ſine ſcientia parum prodeſt, & ſcientia ſine probitate multum obeſt. Deniq; acceſſit eximia patientia in aduerſis: quæ virtus omnes perficit, virtutes, quod ſanctus Iacobus docet, cum ait: *Patientia opus perfectum habet.* cuius rei rationem reddidit Sanctus Cyprianus, cùm demonſtrat, ſine patientia nullam virtutem, ac ne ipſam quidem Charitatem, diutius poſſe ſubſiſtere. Donauit Deus ſeruo ſuo Amadeo filios ſex, & filias tres; quæ felix proles dici potuiſſet, niſi Carolus primogenitus, qui ſolus Idoneus per ætatem erat ad regimen populorum, & in cuius virtute pater non parum acquieſcebat, paucis menſibus antè obitum Ducis raptus fuiſſet. Flagellum hoc Dei non potuit non ſentire Dux pater, ſed ita ſenſit, vt continuò diuinæ voluntati acquieſceret.

XLVII. *Obitum ſuum præſcit.*

Agebat iam Princeps optimus annum triceſimum ſeptimum ætatis, cùm Vercellis in morbum incidit. Et quamuis ſtella crinita, quæ paulò antè in cælo apparuerat, ſignificare crederetur mortem magni alicuius Principis; ipſe tamen ab alio diuiniore lumine illuſtratus, conſtanter prædixit finem vitæ ſuæ iam propinquare. quin etiam, vt ferunt, diem ipſum ſignauit, in quo de hoc mundo migraturus eſſet. Itaque tamquàm certò, breui moriturus ſepulchrum ſibi delegit, non excelſum, neque pretioſum, ſed congruens vitæ ſuæ, quam ſemper duxerat, humile, & vulgare; infra gradus videlicet aræ maioris, ſacræ ædis ſancti Euſebij, quæ eſt Vercellis; vt non poſſent Sacerdotes ad aram ſacram aſcendere, quin ſepulchrum Principis pedibus calcarent. Quod ego de induſtria factum reor, non ſolum ob amorem humilitatis, ſed etiam, vt Sacerdotes faciliùs meminiſſent animæ ipſius, cum in ipſa ara pretium noſtrum Domino Deo offerrent. Itaque propinquante die ab ipſo prædicta, ſuſceptis de more fidelium ſanctiſſimis Sacramentis nominauit vxorem Iolandam tutricem filiorum, qui tres tantum ſupererant, & natu maximus ſeptennius erat. Deinde vocatis ad ſe vxore, filijs, & præcipuis Magiſtratibus, commendauit illis,

quæ ipſi præcipuè ſemper cordi fuerant, his verbis; Facite iudicium, & iuſtitiam, & diligite pauperes; & Dominus dabit pacem in finibus veſtris. Hæc locutus, paulò poſt ſanctæ fiduciæ plenus migrauit ad Dominum, die xxx. Martij, anni 1472. Mortem eius glorioſam indicauerunt Vercellis, vbi mortuus eſt, lumina viſa ſuprà arcem accenſa diuinitùs, & cantus Angelici ſupra eandem arcem auditi. Apud Taurinos autem, vbi fiebant publicæ ſupplicationes ad DEVM pro vita Ducis grauiter ægrotantis, viſa eſt in aëre coram multis millibus hominum, ſedes ſublimiſſima, ac ipſi Soli æqualis, in qua ſedere conſpiciebatur Dux Amadeus, luce candidiſſima circumdatus. Secuta ſunt poſteà miracula plurima, & maxima, quæ gloriam Beati Ducis teſtificabantur. Sed & dum viueret hic Beatus Princeps, miraculis claruiſſe dicitur; præſertim cùm in ciuitate Pariſienſi, pridiè Natiuitatis Sancti IOANNIS BAPTISTAE, ſolenni ritu ad honorem ſanctiſſimi præcurſoris facem admouiſſet rogo lignorum, vndè magnus ignis excitabatur. Hanc quidem ceremoniam Rex ipſe peragere ſolebat; ſed eo anno, cum adeſſet Dux Amadeus, Rex illi pium hoc officium ceſſiſſe dicitur; vndè paulò poſt à Duce aliquos ægrotos præſentes ſolo tactu curatos ferunt. Quia verò Epiſcopi, qui ad funus Ducis defuncti celebrandum conuenerant, neque audebant ſine beneplacito Apoſtolico optimum Principem ſacris ceremonijs honorare; & tamen iniuriam ſibi videbantur facere, animæ illi ſanctæ, ſi pro ea DOMINO ſupplicarent, elegerunt mediam quandam viam. Hæc fuit, vt primâ die, & nona, Epiſcopus Vercellenſis caneret ſolennem Miſſam de Spiritu Sancto; Pontifex Taurinenſis Miſſam de Beatiſſima Virgine Mariâ; Archiepiſcopus Tarantaſienſis Miſſam pro defunctis generatim. *Cardinalis Bellarminus lib. 3. de officio Principis, ex Petri Franciſci Maleti, Canonici Regularis Lateranen. libro de Vitâ, & Miraculis Beati Amadei Ducis Sabaudiæ.*

*Moritur; & miraculis claret.*

XLVIII

*Henricus VI. Angliæ Rex in vincula coniectus occiditur.*

Eodem anno, Henricus Sextus Rex Angliæ, ab Edoardo victus, & in vincula coniectus, capite plectitur. Is Edoardo Rege poſſeſſione Regni deturbato, ſumma gentis gloria Lutetiæ Pariſiorum olim Gallorum Rex inauguratus, cùm ad vigeſimum & quartum annum Londini carcere incluſus egiſſet; dignitati Regiæ reſtitutus, ac paulò pòſt magnum fortunæ ludibrium factus, bello ſuperatus, in turri morte affectus eſt. Hunc, vt fama conſtans eſt, Richardus Glóceſtriæ Dux gladio percuſſit, quò ità Edouardus Rex eius frater omni hoſtili metu liberaretur. Sed quiſquis ſanctiſſimi viri percuſſor fuerit, ſatis liquet, tàm parricidam, quàm parricidij auctores dediſſe commiſſorum pœnas: qui cum deinde non habuiſſent inimicos, in quos ſæuirent, in ſeipſos crudelitatem exercuerunt, proprioque ſanguine ſuas polluere manus. Exin HENRICI corpus ex turri, nullo cum honore ad templum Diui Pauli delatum, toto die ibi in capulo iacuit, ac poſtridiè ad cænobium Monachorum Ordinis Diui Benedicti, quod eſt in vico, qui *Chertſeius* vocatur, & diſtat à Londino quindecim millia paſſuum, deportatum eſt, eoque loci ſepultum: nec multò poſt ex eo loco ad Vindeſorium caſtrum delatum, in æde Diui Georgij, nouo mauſoleo conditum eſt. Regnauit HENRICVS annos XXXVIII. & pòſt receptum regnum menſes VI. vixit LII. Fuit ſtatura procera, corpore gracili, cui membra per omnia reſpondebant, facie decora, in qua continuè renitebat bonitas animi, qua præditus erat. Abhorrebat ſuapte natura, tàm corporis, quàm animi vitia omnia ex quo, iam inde à puero honeſtus fuit, integer, mali expers, boni capax; contemptor rerum omnium, quæ animos mortalium labefactare ſolent. Iniuriarum item, quibus identidem affectus eſt, ſic patiens, vt non vindictam appeteret, ſed ob illud ipſum Deo opt. max. gratias ageret, quòd per id ſua delicta dilui putaret. Exinde vir bonus, gratus, pius, modeſtus, ſapiens, tot ſibi mala cum ſuis, tum ſuorum maiorum permultis peccatis, vitiiſque veniſſe prædicabat. Quapropter non quam dignitatem, quos honores, quem vitæ ſtatum, quem filium, quos amicos amiſiſſet magnoperè cogitabat, aut dolore torquebatur; ſed in qua apud DEVM offenſa eſſet, id curabat, id lugebat, id dolebat. Hæc, & alia eiuſmodi veræ ſanctitatis officia fecerunt, vt eius nomine, dum viuebat, miracula à Deo edita fuerint. Ex quo Henricus ſeptimus Rex non immeritò eum inter Diuos referendum, apud Iulium Secundum Pontificem Romanum curare cœpit; ſed morte pòſt ſtatim obita, id officium præſtare nequiuit. Fuit præterea HENRICVS animo liberali, qui bonarum artium ſtudia mirabatur, & eos diligebat, in quibus eas eſſe videret. Quare ſuos ipſe quoque iuuit, vt doctrina erudirentur. Condidit enim Scholam magnificam ad Hetonam; pagum proximum Vindeſoram, in qua collocauit Collegium Sacerdotum, puerorumque magno numero, qui ibi nutrirentur, docerenturque gratuitò. Idem Cantabrigiæ author fuit Collegij Regij, quod Catholica re in Anglia florente, ità diſciplinarum cultu præſtabat, vt facilè omnium collegiorum princeps eſſet. *Brutus lib. 4. Polydorus lib. 24.*

XLIX.

*Iacobus Cypri tyrannus moritur.*

Hoc ipſo anno diem clauſit extremum, IACOBVS nothus, Regis Cypri filius; qui Memphitici Regis adiutus armis, eiecta Carlotta ſorore, legitimo thoro nata, ac Regni hærede, pulſoque Ludouico Sabaudo, Carlottæ marito, veroque Rege, regnum Cypri occupauerat. Ab eius morte, iſtud regnum ad Venetos venit, per Catharinam Corneliam illi deſponſam; & à Duce, Senatuque Veneto, olim adoptatam. Mocenicus claſſis Venetæ contrà Turcos præfectus, vbi ex fama cognouit, Iacobum grauiter ægrotare, in inſulam diuertit. Iacobus, quia magnitudine morbi non procùl aberat, vt iam vita decederet, coniugem iam grauidam, cum poſtuma prole, regnoque vniuerſo, Veneto nomini tradidit tuendam. Mocenicus, morte Iacobi ſubſecuta, Carlottæ Legatos, auxilia petentes, non modò reiecit, ſed etiam reſpondit, fore, vt non claſſis modò, quæ in procinctu eſſet, ſed omne nomen Venetum laboraturum, vt Iacobi coniunx, quæ Veneta eſſet, patricia domo orta, filiaque publicè appellata, cum prole, quæ ex ea naſceretur, regnaret. Ad eum modum illis dimiſſis, cum Andrea Cornelio, Catherinæ patruo, huius tutelam ſuſcepit; ille autem vniuerſam inſulam cum primaria poteſtate adminiſtrauit; donec regnum tumultuari cœpit. Quid inde ſecutum ſit, in conſequentibus dicetur. *Sabellicus. Ennead. 10. lib. 7.*

L.

*Itē B. Petrus Caralt. Ord. Prædicatorum.*

Eodem anno mortalitatem exuit, B. Petrus Caralt Aragonius, Ordinem Prædicatorum in Cænobio Leridenſi profeſſus, Carolo Infanti Aragoniæ Ioannis ſecundi filio à ſacris confeſſionibus, multiſque Principibus à ſanctitate vitæ gratiſſimus. Deuotio in Beatam Deiparentem, illi præcipuam venerationem apud omnes conciliauit. Is namque ſingulari pietate eam perpetuò, neque fruſtrà coluit. Aliquando mula, quæ ſenio confectum ferebat, ſpectro à dæmone perſecutore obiecto perterrefacta, hominem ephip-





pio excuſſerat, perque multum viæ ſpatium, pede in ſtapede hærentem, ſuſpenſumque traxerat, ac propè eliſerat. Apparuit ei Diua Soſpitatrix, & manibus caput raptati ſuſtentans, ac reliquum corporis à colliſione defendens, illæſum ſeruauit. Alio tempore, ægritudine grauiſſimâ conflictato illi, dæmon in figura Doctoris Theologi apparuit, ac propoſita de altiſſimo Sacroſanctæ Trinitatis myſterio quæſtione, neruoſis, ac ſubtilibus argumentis hominem propè ad infidelitatem adduxit. Cumque quid reſponderet non haberet, ad imaginem Beatæ Virginis in proximo pendulam aſpiciens, & auxilium depoſcens, facilè obtinuit. Namque imago vultu ad illum conuerſo, mentem eius cælitùs impetrato lumine illuſtrauit, tenebras intellectui à dæmone offuſas, diſcuſſit, & ad reſpondendum linguam inſtruxit; cuius acumen Sathan non ferens diſparuit. *Franciſcus Diagus in hiſt. Aragon.*

LI.

*Miraculū à cultu SS. Virginis Mariæ editum.*

Per idem temporis, quid vnuſquiſque à cultu Beatæ Virginis ſperare poſſit, manifeſto miraculo Deus oſtendit. Eremitæ Auguſtiniani, apud Geneſtam Lyguriæ oppidum, habebant monaſterium, & templum, ſed vetuſtate iam propè vtrumque collapſum. Petrucia Geneſtanenſis voluit inſtaurare, maiore voluntate, quàm opibus, & quæ operæ non reſponderent. Ridebatur propterea à populo, quòd ad perficiendam vel ſolam Eccleſiam, facultates eius minimè ſufficerent. Spei plena illa; magna cum fiducia reſpondit: priuſquàm ipſa moreretur, Beata Virgo, & S. Auguſtinus eam eſſent completuri. Dixit inſtaurandæ incubuit; & vix annus à verbis prolatis tranſiuit, quando imago quædam Beatæ Virginis in pariete Eccleſiæ diuinitùs apparuit; ad quam viſendam tota ferè Italia ſic commota eſt, vt illuc ſolenniter municipia, & ciuitates confluerent, cum ſignis, tabulis, & eleemoſynis inexplicabilibus. ex quibus Petrucia adhuc ſuperſtite, non ſolùm templum, ſed & monaſterium conſtructum fuit. *Ioſeph. Pamphilus, Epiſcopus Signinus in Chronico Ord. Fratrum Eremitarum S. Auguſtini.*

LII.

*Obit B. Maria Magdal. Copina ord. Præd.*

Hoc ipſo anno 1472. rebus humanis exempta eſt, B. Maria Magdalena Copina, Mantuæ inter Sanctimoniales Diui Dominici virginitatem profeſſa. Quo die, Quadrageſimali tempore Eccleſia Euangelium de Sancta peccatrice recitat, enixa illam eſt infantem, mater nobilitate iuxta, ac pietate illuſtris Ea propter, pater à concione reuertens, quamprimùm in lucem editam accepit, Magdalenam appellari voluit. Annos octo nata, vitam quaſi eremeticam in domo paterna agere cæpit. Nam in ſecretiora loca ędium frequentiſſimè ſe abdebat, orationi, & contemplationi, vſq; ad extaſim, in qua raptam puellam parentes ſæpiùs reperiebant, intenta. Addebat ieiunia, vigilias, flagra corpuſculo domando. Amabat ſeceſſum, neque domo, niſi ad Eccleſiam Præd. vt Sacroſancto ſacrificio, vel diuinis laudibus intereſſet, pedem efferebat. Ibi perfectioris vitæ deſiderio concepto, habitum ſanctimonialium Diui Dominici expetijt, & in cænobio S. Vincentij obtinuit, cum necdum vigeſimum vitæ annum attigiſſet. Hinc maior ſeipſa fieri voluit, deſpicientia ſui, auſteritate viuendi, mortificatione ſenſuum, & Corporis obedientia, obſeruatione legum, pietate, deuotione, charitate, & cæteris virtutibus; propter quas exemplar totius ſanctimoniæ omnibus factam, omnes Angelis æqualem, cælituſque demiſſam ad terris mentem dicebant. Sæpiùs, in aſpectu Cruci affixi IESV defixa, adeò in extaſim rapiebatur, vt nulla ratione potuerit à circumſtantibus ad ſenſuum vſum reuocari. Spiritu prophetico dotata, interna cordium, & in his grauiſſimam, qua vna Sanctimonialium toto anno conflictabatur tentationem, afflictæ illi aperuit, orationeque pro ea effuſa diſpulit. Mortis quoque ſuæ tempus longè anteà prædixit. Cumque phtiſi nouennali conſumptam, ferè in ſingulos dies morituram ſodales exiſtimarent, adeoque, vt ſe ad aduentum ſponſi præpararet, hortarentur; nondum ſuam horam adueniſſe reſpondit; donec tandem diem olim à ſpiritu deſignatum imminere cognouiſſet. Tum verò è corpore emigrandi deſiderio inflammata, cum ſingula temporis momenta annis longiora computaret, cupiens diſſolui, & eſſe cum Chriſto, prehenſa eius imagine, exitum implorabat; ſæpiùs ingeminans; *Veni Domine, veni, & noli tardare; relaxa mihi facinora mea; oſtende mihi miſericordiam tuam.* Hæc, & alia ſingultienti voce, colliqueſcens in lachrymas geminabat; & nè ſe à contemplatione cæleſtium ſorores auerterent, quàm demiſsè orabat. Alicui, cibum ſibi offerenti, dixit, non ſe amplius indigere, cùm ad epulas ſponſi iam iam properaret: vbi memoriam ſororum omnium nunquam deponeret, ſed eas ſponſo communi, precibus perpetuis commendere geſtiret. Paulò poſt, cum hæc verba, *Sponſe Ieſu mi, ſponſe Ieſu mi, in manus tuas commendo ſpiritum meum* protuliſſet, placidiſſimo fine quieuit; multò venuſtior, & quodam lumine illuſtris à morte. Secuta ſunt miracula complurima, ad eius nominis inuocationem patrata. Inter hæc non poſtremum illud cenſetur. Aliqua adoleſcentula, ex altiſſimo domus loco cadens, caput adeò percuſſa grauiter, vt cranio diffracto, cerebroque non minimùm læſo, pro mortua ab omnibus haberetur. Allatam MARIAE Magdalenæ veſtem, vix illi impoſuerunt qui caſum deplorabant; cum illa quaſi è graui ſomno euigilans, & veluti nihil læſionis paſſa ſurrexit, & in B. Mariæ Magdalenæ ſuæ ſanatricis laudes prorupit. *Michaël Pius libro 3.*

LIII.

*Item B. Frāciſcus Thomaſucius Minorita.*

Par Magdalenæ, ſanctimonia vitæ B. Franciſcus Tomaſucius à Campo Baſſo, Minorita, in Prouincia S. Angeli hoc eodem tempore ad cælos emigrauit. Aliquoties ei Prouinciæ prælatus, quantum conferret ad continendos in officio Regulares, ab eis magis amari, quàm timeri, ad exemplum aliorum demonſtrauit. Cum enim rigore poſtpoſito, ſuauiſſimè cum omnibus ageret, atque conuerſaretur, omnes illius velut Patris amantes, præcepta, & monitiones placidè ferebant, & nè latum quidem vnguem ab his diſcedere nitebantur. Orationi intentus, frequentiſſimè in Dominicæ paſſionis contemplatione defixus, horas integras manibus in formam Crucis diſtentis perſeuerabat. Pro anima fratris ſui germani, idem inſtitutum profeſſi cum oraret, in extaſim raptus, atque duobus ferè cubitis à terra eleuatus, vidit illam ferri glorioſam in cælum. Apud Vaſtum Amonis, annis, & meritis, grauis obijt: pòſt mortem miraculis clarus.

LIV.

*Et B. Clemens Caponius eiuſdē ordinis.*

Æqualis Franciſco, B. Clemens Caponius Florentinus, ſed inter eos, quos laicos vocant, ex humilitate profeſſus. Delectabat illum; omnia viliora Cænobij officia, operaſque obire. Hinc ad ſummam perfectionis aſcendens, tantum apud humilitatis Magiſtrum promeruit, vt ei frequentiùs ſecundùm viſionem apparuerit, atque Angelica viſitatione recrearit. Aliquandò in exercitijs manualibus plus ſolito occupatus, cùm antè horam prandij penſum orationum abſoluere nequiuiſſet, Eccleſiam ingreſſus, antè imaginem Annuntiationis B. MARIAE genu poſito, cæteris fratribus prandentibus, ipſe orationibus abſoluendis incubuit. Ibi verò ab eadem imagine vocem delapſam, audiuit; In Refectorium iret, cæteris Fratribus ſeſe conformaret; pergratam ſibi fore bonam illius voluntatem, quandò in officijs charitatis, præſertim iuſſu Maiorum occupatus,

penſum deuotionum in tempore perſoluere non poſſet: ſatis illi temporis à prandio, ad ea, quæ intermiſit, explenda. Cæterùm, quàm ex animo Clemens ſeculo, & parentibus nobiliſſimis valedixerit, vel ex hoc euidens eſt, quòd Religioſus, numquàm ædes illorum repetijt; numquam illos allocutus, etiam prætereuntes nè ſalutare quidem voluit. Cùmque inhumanitatis à quodam argueretur reſpondit; *Quid mihi religioſo, cum ſeculo: Quid cum parentibus? quid cum ſecularibus amicis, aut ſanguine coniunctis. Secularibus relinquite ſeculum. Non benè conuenit regularibus cum ſecularibus. Qui vult eſſe, & dici amicus Dei, fugiat illos: neque quippiam commune habeat cum eis in ſeculo, vt ſeculo. Marcus Epiſcopus Portuenſis hiſt. Seraphicæ parte 3. lib. 6. c. 31.*

LV. *Monodia Beſſarionis Card. latinè reddita à Nicolao Perotto.*

Produxeram ſuperiùs ex Platina, Beſſarionis Cardinalis, & in ea Nicolai Perotti laudationem. Inter alia, ab eloquentia, & vtriuſque linguæ, peritiâ ambos laudabat. Vtriuſque ſpecimen, tibi benignè Lector, quamque extrà ordinem exhibere iſthic voluit: Monodiam videlicet, quam antè annos quinque, & quinquaginta Beſſarion Græcâ facundiâ dixit; quamq; Nicolaus Perottus Latinè factam, monumentum ſui ingenij ſuis gentilibus reliquit: quam nondu typis vulgatam mihi antè aliquot dies, Torquatus Perottus, doctiſſimo Pontifici Vrbano VIII. à ſacris & Cubiculo ſecretiore intimus ad notitiam rerum Imperij Orientalis communicauit.

## BESSARIONIS CARD. NICÆNI Monodia in obitu Manuelis Paleologi Imperatoris.

### NICOLAO PEROTTO, ARCHIEPISCOPO *Sipontino Interprete.*

LVI. SI flere etiam aliquandò fas eſt; & amaram ſocietatem conſtituere cantus, atque doloris: non video, quod tempus huic rei accommodari meliùs poſſit: quam præſens: in quo quicquid gaudij: lætitiæ, ac voluptatis erat: ſublatum, atque extinctum eſt: & pro his ſucceſſit dolor: mæſtitia, gemitus. Quod nunc eſſe nobis ſolatium amplius poteſt? quæ melioris fortunæ ſpes? quod tantæ infœlicitatis remedium? Tondeatur nunc orbis terrarum: mutent vniuerſi veſtem: Lugubrē omnes habitum ſumant: & tàm inſignē calamitatē vnâ voce deplorent. Neq; .n. mediocrem fecimus iacturā: nec malum paſſi ſumus, cui adhiberi remedium poſſit. Ablatus nobis eſt repentè Diuus Imperator, ſ; totius orbis terrarum decus: qui dono quodam prouidentiæ rerum gubernacula ſuſceperat: vt tranquillitatem, quietem, fœlicitatem omnibus pręſtaret: vt cōmunis omnium pater eſſet, vt res humanæ dignitate, & gloria florerent. Iam iam omnis fortuna mutata eſt: labuntur omnia in peius: & res ad priſtinum ſtatum redeunt. Me miſerum, quantum vnius hominis interitu damnum res humanæ fecerunt? Abijt ille atque exceſſit è vita: nobis nihil præter ſuſpiria, & luctum, & lachrimás reliquit. Abſtulit è nobis omnem lætitiam, abſtulit fœlicitatem, abſtulit libertatem, & quod omniū pulcherrimum erat, ſe ipſum abſtulit. Heu quis adeò conſtans, vel durus potiùs, & verè adamantinus eſt, qui temperare à lachrimis poſſit; qui non & animo commoueatur, & toto corpore perhorreat; qui non queritet defunctum, ac gemitu, ſi fieri poſſit, reuocare in vitam contendat. Cur à nobis tàm repentè euolaſti piiſſime Imperator? Cur manere nobiſcum diutiùs noluiſti? Cur regio illo virtutum tuarum concentu frui nobis vltra non licuit! Suſcepiſti de nobis hactenùs omnem curam, & vt ipſi tuti, ac laboris expertes viueremus: tu ſolus maximè ſemper elaboraſti. teſtantur hoc populi omnes. teſtantur omnes prouinciæ. terra omnis, & maria omnia teſtantur. nunc verò bona omnia tecum ferens abijſti. Quæ iam nobis eſſe ſine te vitæ iucunditas poteſt: vel potiùs quomodò viuere ſine te ampliùs poſſumus: quaſi corpora, quibus ſublatum ſit caput. Mortui enim iam omnes videmur, & ad nihilum redacti ſumus. Sol, qui terrarum opera fulgētibus radijs luſtras; heu quàm infauſtum, atque infœlicem hunc diem nobis illuceſcere feciſti; heu quàm acerbum, indignum, ac miſerabile ſpectaculum ipſe vidiſti. Meliùs certè fuerat te ſub terris dumtaxat errantem in perpetuis nos tenebris relinquere, quàm radiorum tuorum ſplendore illuſtrare ſuperiores plagas: vt infœlicibus oculis buſtum hoc cerneremus regij corporis, quod tot pro nobis labores, tot vigilias, tot pericula ſæpè ſubierat. O quales radios occidens, quales ●rsùs oriēs emiſiſti Correptus eſt morbo optimus Imperator, corpus eius ità non modò ætate, ſed varijs etiam laboribus, confectum, ac debilitatum erat, vt ſuſpicari mox omnes cœperint, quod euenit, tantuſq; animos omnium repentè metus inuaſit, vt nihil indignius eſſe ferendum videretur.

Heu quot preces, quot ſupplicationes, quot vota pro illius ſalute, vel potiùs pro totius orbis terrarum: incolumitate omnium generum, ætatum, ordinum fuere. Nemo erat, qui non mori potius illo ſuperſtite, quàm mortuo illo viuere ampliusvellet. Salutem illius ſuæ quiſque ſaluti anteponebat: ſciebant namque ſinguli, ſalutem ſuam ad ſingulos homines pertinere, illius verò incolumitatem omnium mortalium, & totius orbis terrarum eſſe communem. Hic .n. vniuerſum orbem quaſi firmiſſima quædam columna ſuſtinebat, nec labefactari, vexari, euerti vllo procellæ genere patiebatur, ſed æquo virtutum omnium, quibus præditus erat, temperamento firmum, ac ſtabilem in medio regebat. ô quibus artibus, quo labore fundauit Imperium, quâ virtute firmauit, ac ſtabiliuit libertatem, qua clementia auxit populorum ſuorum fortunas, quietem, fœlicitatem. ô eximiæ Principis, admirabileſque virtutes, quibus omnibus omnes ſuperabat, prudēria fortes vincebat, fortitudine prudentes, vel vt rectiùs loquar consilio callidos, viribus robuſtos anteibat. Atqui temperantia, nemo ei par fuit Iuſtitia omnibus, qui vnquam Romano Imperio præfuerunt, habitus eſt præſtantior. quid fidem eius commemorem? quid facilitatem? quid ingenium? quid eximiam rerū omnium ſcientiam? quid liberalitatem: quid animi magnitudinem? quid humanitatē, manſuetudinē, comitatem? Me miſerū ità lachrimis ac dolore debilitor, vt præ nimio mærore referre virtutū eius excellentiā non poſſim. His omnibus nunc infæliciſſimi hominum priuati ſumus. Heu quantam iacturam non vna gens, nec vnius Ciuitatis populus, ſed omne Chriſtianorum in præſentia fecit, ô miſera hominū conditio, ô ſpes inanes, ô dulce quondam nomen Imperij, ô toties deſiderata, & aliquandò reſtituta Græcis libertas; ô Ius inuiolabile, & ſanctiſſimæ leges; huccinè tandē omnia recidiſtis? hem quò peruenimus? hem quò miſeriarum: & calamitatis redacti ſumus? luget nunc ſenatus, mærent Principes, Prouinciæ omnes queruntur, plorant Vrbes, flent Municipia, ſqualent Coloniæ, domus affliѕtantur, agri denique ipſi tàm manſuetum, tàm pium, tàm ſalutarem Principem ſuſpirijs, & lachrymis, & fletu proſequi videntur. ô tempus, ſiccinè ſuperioribus malis, vltimum hoc, & omnium, quę paſſi vnquam fuimus, maximum, atque indigniſſimum addere debebas? ſiccinè cæterorum malorum famam, ac recordationem poſtremi huius magnitudine obſcurare? etenim quæcunque nobis ante hac aduerſa contingebant, vtpotè bella, conflictus, cædes, ſpolia, & alia, quæ ex ijs ſequi conſueuerunt, diuina illa Imperatoris ſapientia emendabantur in melius. Nunc autem ab illo relicti, quem alium habemus, ad quem confugere, quem appellare, cuius præſidium implorare poſſumus? Deuentum eſt ad extrema malorum omnium, facti ſumus quaſi pupilli orbati



bati patre, à quo noſtra omnis vita pendebat, cuius aſſiduo labore omnis nos laboris expertes vitam ducebamus amœniſſimā. Iam verò longè nobis emori præſtaret, quàm in tāta calamitate, & miſeria viuere. Etenim malè viuere, vt Poeta inquit, laborioſa res eſt. O magnum, atq; intolerabilem dolorem, qui omnes pariter inuaſit, & neminem reliquit intactum, non virū, non mulierem, non iuuenem, non ſenem, ô lugubrem illam famam, ac minimè optabilem, quæ paſſim peruagata, omnes ad funus piiſſimi Imperatoris excitabat: ô infœliciſſima mors illius, cuius in vita, ſalus orbis terrarum nitebatur, ô ſuſpiria, ô ſingultus, ô lachrimæ, ô voces acerbiſſimæ, ô amariſſimi clamores, ô gemitus, ô fletus, ô luctus, omnis ſexus, ætatis, ordinis, conditionis. Alij quidē Dominū quærebant, alij Patrem Patrię, alij Imperatorem, alij Patronū, alij Magiſtrum, alij Iuris & Legum conditorem, omnes verò eum, qui pro omnibus, vt ille inquit, omnia factus erat. O grauis, atq; aſpera inter eos, qui aderant, contētio; certabat quiſque, vt fletu ſuperior videretur. ô lachrymarum torrētibus obruta tellus ferebatur funus Procerum manibus. Vndecunq; verò Ciuium, atque exterorum multitudo confluebat, implentes vias, & miſerabili gemitu aërem, atq; æthera complētes. Vna omniū vox vnus Clamor, vnus gemitus erat. Iſte verò ſilens, ac mortuus iacebat, nec quę gerebantur, ſentiens, nec hominū clamores intelligens. Nihil præter inane cadauer conſpiciebatur, & quaſi natus vnquam non fuiſſet, aut nunquā imperaſſet, aut tot annos non vixiſſet, prorſus omni ſenſu erat deſtitutus. Petebatur quidem ab eo ratio, cùr nos deſerere voluiſſet, pro reſponſo ſilentium erat: ô taciturnitatem inuiſam, & à nobis minimè expectatam. Vbi eſt lingua illa tàm erudita, tam ſuauis, ex qua melle dulcior exire oratio ſolebat, cuius motu tonare omnia videbantur, cuius vbertas omnem aperiebat quæſtionem, omnę dubium ſoluebat, ita verò docebat cuncta, ità ſæpè numerò auditores excitabat, vt non tàm ſuadere, quā rem antè oculos ponere, nec tàm accendere alios, quā ipſe ardere videretur? Vnde nunc tàm repentinum ſilentium! Vnde tàm ſubita mutatio! An te quoq; Optime Imperator ſuperare mortis ſæuitia potuit! quem Atlanticum pelagus pro nobis periclitantem vidit, quem Italia aſpexit, & quæ vltrà Italiam ſunt occiduæ gentes. Ad quas cùm petendi aduersùs Barbaros præſidij gratia profectus fuiſſes, maximo in honore habitus fuiſti. *Ex quo facilè perſpeximus non pecuniarum multitudine, non copiarum numero robur Imperij contineri, ſed virtute, moderatione, ac ſapientia Principis.* ô prudentia ſingularis, quam latini quoque homines, & natura, & multarum rerum experientia prudentiſſimi admirari, ac ſtupere ſolebant, qua adhibitis eloquentiæ ſuæ neruis facilè Medos, & Perſas induxit, vt aduersùs impium illum Turcarum Imperatorem, arma capeſſerent, quibus ille paruo interiecto tempore victus, ac profligatus, debitas ſcelerum ſuorum pœnas luit. Taceo quotiès ſine armis, ſola auctoritate, & prudentia, quod pulcherrimum victoriæ genus eſt, hoſtes ſuperauit, quamque armis quoque quando res ferret, ità vtebatur, vt meritò, & fortiſſimus, & rei militaris peritiſſimus haberetur. Quot Vrbes nuper, quot Oppida, & ſitu, & natura locorū munitiſſima in Peloponneſo recepit? Nonnè etiam maximam Theſſaliæ partem Imperio ſuo adiecit? Idem & armis ſtrenuus erat, & conſilio prouidus: habebat enim Thucydidem ſecum, & Xenophontem, & ſi quis his ſimilis erat, quorum conſilio continuò vtebatur: ex quo fiebat, vt quemadmodum inquit Homerus, & Rex optimus eſſet, & bellator fortiſsimus, & quod nos addimus facundiſsimus Orator. At vbi, nunc hæc omnia ſunt? Vbi plauſus, & præconia, & laudes vbi populorum ineffabilis illa voluptas, quam ex Principis virtute, moderatione, clementiâ tantam percipiebant, vt illo Imperium regente beatiſsimi ſibi eſſe viderentur? ô ſumma rerum tranquillitas. Illo pro nobis laborante, ſecuri ocio fruebamur? Quis nobis modò Imperatorem reddet? quis Patrem? Quis Patronum? quis Propugnatorem? quis morum, & vitæ Magiſtrum? quis Dominum tam beneficum, & ſalutarem? Lugeat nunc Chriſtiana Reſpublica, cuius ſplendidiſſimus oculus extinctus eſt. Incipiat iam terra flebilem cantum, Columna corruit, qua ſuſtentari ſolebat. Omnes nunc ſaccum induant, & cinere ſpargantur. Remedium non habet iſta calamitas. Quis nunc clauium tanti Imperij tenere, quis tractare totius Orbis gubernacula poterit? ô litteræ plorate cultorem veſtrum. Perijt ille, qui vos in cœno, ac ſordibus iacentes erexit, & quaſi è tenebris ad lucem reuocauit, qui tanto vos amore proſequebatur, vt nec publica, nec priuata negocia, nec curæ, aut ſollicitudines, nec voluptas aliqua, nec ſomnus diſtrahere eum à veſtro conſortio poſſet. Et quemadmodum vos incredibili ſtudio, ac diligentia ſequebatur, ita cæteros, vt idem facerent, excitabat, nec adoleſcentes dumtaxat, verùm etiam ſenes ad diſciplinam hortabatur. Quò factum eſt, vt plerique quorum ætas iam ingraueſcens erat, exemplo optimi Imperatoris permoti, ad optimarum artium ſtudia ſe tranſtulerint. Sic. n. natura comparatum eſt, vt quales ſunt Principes, tales etiam ſubditi fiant: & quemadmodum ea, à quibus Principes abhorrent, omnibus ludibrio ſunt, ita quæ illi honorant, coluntur ab omnibus, & in pretio habentur: ô leges, ô Iudices, ô forum, ô ſubſellia, ô Tribunalia, lugete extinctum Principem, qui vobis tribuerat, vt propter iuſtitiæ, & æquitatis adminiſtrationem, hæc nomina iuſtiſſimè poſſideretis: ô Ciues, & Vrbium optimates mærete ablatum vobis Imperatorem, qui tanta facilitate, & prudentia vobiſcum de rebus omnibus loquebatur, ô pauperes flete patronum, qui vos protegebat, ſubleuabat, alebat, ô quicquid Græci ſanguinis vſquam eſt, omnia, vt facitis, lachrimis, ac mærore complete, cùm veſtro Gubernatore priuati ſitis, qui vos ab omni impetu, & procella fortunæ tuebatur, & minantes ſæpè bellorum turbines nunc armis, & bello, nunc ſola prudentia, atque auctoritate auertebat. Etenim hoc inprimis ſapientiſſimi Imperatoris proprium erat, nec tempus, nec modum, nec artes belli, & pacis ignorare; hunc profectò opinor etiam hoſtes, atque inimicos eius, magna ex parte dolore proſequi, ac lamentis, & in tàm graui, atque acerbo luctu, nobiſcum miſceri. Vicit omnes Principis virtus, cuius tanta vis eſt, vt etiam ab hoſtibus honoretur: ô Byzantium, Byzantium, omnium Vrbium clariſſimum lumen, decus orbis terrarum, naufragorum portus; miſerorum perfugium, præſidium omnium bonorum, qualem Imperatorem, quanta ſapientia, pietate, clementia præditum hactenùs habuiſti? qui tibi priſtinam libertatem, dignitatem, fortunas, imperium reſtituit, qui hoſtes tuos dominari anteà ſolitos, tibi ſubiecit, qui pacis eis leges præter ſpem omnium dedit. Heu in quantas nunc ærumnas incidiſti? Infœlix: Amiſiſti decus illud, atque ornamentum, quod omnium pulcherrimum habebas. Vbi nunc eſt tua illa aurea Cæſaries? vbi mortalibus omnibus gratus aſpectus? Heu quales tibi crines, quibus virtutibus intortos impia Mors euulſit? qualem oculum abſtulit? quod caput abſcidit? & tę ſeminecem, ac ſemimortuam, imò verò mortuam prorſus, atque immobilem reliquit? Heu quàm latum, & quàm ſpatioſum campum tibi propoſuit lachrymarum & luctus, minimè quidem tibi optabilem. Veruntamen ità factum eſt, & tu iſta

*Pulcherrimū genus victoria.*

*Subditos Principibus ſimiles eſſe.*

*Virtus etiā in hoſte colitur.*

iſta pateris, quid enim facere potes, Deo ita iubente? Stamus nunc tui filii, miſerabilem induti habitum, & flebilem cantum inchoantes, ô varij, multiplicesq; ſermones in animo illius, quaſi in venerabili quodam diuerſorio diſpoſiti, & indè veluti ex abundantiſſimo fonte manantes. Hi quidem fidem, pietatem, religionem extollebant; illi templa, ſacrificia; dies feſtos ornabant, alij de virtute, & moribus diſputabant, nonnulli vitia inſectabantur, plerique, quid agendum, quid vitandum eſſet, incredibili facilitate, ſplendore, gratia differebant. Teſtes ſunt, qui extant illius libri, ſummam doctrinam, ſingulare ingenium, & diuinam ſapientiam præſeferentes, quamquàm infœlicibus nobis longè præſtaret viuum illum, ac concionantem admirari, quam poſt cineres ex illius ſcriptis vitæ, & virtutis, & morum facere coniecturam. Magnam certè iacturam omnes fecerunt, ſed nos in primis, qui adhuc adoleſcentes, talem virum priùs ferè quam noſſe poſſumus, amiſimus. Non licuit nobis orantem ſæpiùs audire non concionanti plauſum reddere, non illi priuſquam è vita diſcederet primitias ingenij noſtri qualeſcunque eſſent, offerre. Nunc verò me miſerum, atque infœlicem, mœroris, & lachrimarum, & luctus offerre primitias cogimur. Heu in quæ tempora reſeruati ſumus, quam amarum nobis certamen mors inuida propoſuit? ô clades omnibus, quæ vnquam fuerunt, cladibus maior, quomodò viuere amplius poterimus? quomodo infœlicem hanc animam, quantulumcunque vitæ ſuperſit in tanto luctu, ac mærore traducere. Vbi nunc eſt regius ille pro nobis ſemper peruigil oculus, quem nunquam vincere ſomnus poterat, rerum, vt Homerus inquit, omnium domitor. Vigilabat ille noctes totas, aut meditans aliquid, aut legens, dies in ſermonibus, atque negocijs conſumebat. Optime Imperator quomodo ſuſtinere ſub hoc amaro lapide tantum ocium poteris, qui quaſi pennas habens, circumuolitare totum orbem ſolebas, quomodo tam diuturnum ſilentium ferre, cuius oratio, quaſi cantus Syrenum demulcebat hominum aures, & quaſi magnes ferrum, quocunque vellet, ſemper trahebat. Verum tu quidem abijſti, & ad meliora habitacula vocatus migraſti in cælum, vbi perpetuam ſedem, fide, religione, virtute tibi paraueras. Nos autem, cur in tanto luctu & mœrore, & lachrymis reliquiſti? cur diſcedens omnes non vocaſti? Mori enim tecum quam ſine te viuere, commodius fuiſſet.

# ANNO CHRISTI 1473.

## SIXTI PAPÆ IV. Anno 2.&3.

## FRIDERICI ROMANORVM IMP. Anno 34.

I. *Oliuerius Card. Turcica præda onuſtus Romam reuertitur.*

AD XXIII. diem Ianuarij, Cardinalis Oliuerius claſſis contrà Turcas Legatus, Romam ouans reuertit. Duodecim camelos prædâ Turcica onuſtos, & XXV. Turcas ex præcipuâ nobilitate captiuos, totidem generoſis equis inſidentes in triumpho duxit; vexilla, & ſigna quam plurima de hoſtibus capta circumtulit; & vnà cum his partem cathenæ ferreæ, refractæ in portu Sataliæ, qui integra claudebatur, in memoriam occupati per vim eius portus, antè fores Baſilicæ Vaticanæ ſuſpendit. Inde Sixtus Pontifex ad ſacrum bellum continuandum animatus, Laurentium Ruuereum, Patriarcham Antiochenum fratris filium, claſſi Legatum præfecit, numeratiſque in præſens LXV. millium, nummum aureorum, ad ſocios vela facere iuſſit. Viginti quattuor Pontificiæ triremes numerabantur: totidem Ferdinandi Neapolitani Regis; Veneti autem quinquaginta inſtruxerant, *Stephanus Infixura in notis diarijs. Panuinus: in Sixto IIII.* Galeazius Dux Mediolani, cum videret Pontificem Liguſtico nomini fauentem, vt illum ſibi amplius deuinciret, ſimulque boni, & Chriſtiani Principis exiſtimationem aſſequeretur, miſſo diplomate edixit, ipſe quoque Genuæ, vt eodem anno partim publicis, partim verò priuatis ſuis ſumptibus, viginti triremes ad Orientales partes tuendas, quam diligentiſſimè inſtruerentur. *P. Bizarrus hiſt. Genuen. lib.* 14. Fridericus Imperator, vt cum imperij Principibus de bello contrà Turcas gerendo deliberaret, Auguſtam Treuirorum, ad IIII. Calend. Octobris conceſſit. Aderant in eius comitatu, Adolphus à Naſſouia, Archiepiſcopus Moguntinus, Georgius Badenſis, Epiſcopus Mediomatricum, Guilelmus Epiſcopus Aureatenſis, Maximilianus Auguſti filius, annum agens decimum octauum, Ludouicus, & Albertus Duces Bauariæ, Carolus Marchio Badenſis, Euerardus Comes Vertenburgius, Carolus Comes Cattimelibocius, Calapinus filius magni Turcæ Amurathi, frater Mahometi, Turcarum tyranni; qui fugiens Mahometi fratris inſidias necare eum volentis, Romam peruenerat, legemque, fidem, ac baptiſmum, teſte Cuſpiniano, noſtræ acceperat religionis, appellatus à Calixto Papa, Calixtus Ottomanus, datuſque dono, Friderico Imperatori. Proceſſerunt obuiam Cæſareæ Maieſtati, Ioannes Badenſis, Archiepiſcopus Treuirorum, Chriſtophorus Badenſis Marchio, cum omni nobilitate, dignitateque Treuirorum. Venit deindè Carolus Dux Burgundiæ, in cuius etiam comitatu fuere, Ludouicus Epiſcopus Leodienſis, Dauid Epiſcopus Traiectenſis, Ioannes Dux Cliuij, Antonius Burgũdio, Ludouicus à Caſtello Guyonis, Guido Humbercurtius, Oliuerius Marchias, & Guilelmus Bieſe œconomi, alijque nobiles vix dicendâ multitudine. Adfuit & Alexander Epiſcopus vix Forliuienſis Apoſtolicæ Sedis Nuncius, à Sixto Pontifice in Germaniam miſſus. Alij principes Legatos miſêre. Conuenere crebriùs ad colloquium: palàm de bello Turcico gerẽdo, deq; rebus Franciæ, ſcilicet, quomodo Ludouicum Regem inter, & Carolum Burgundũ concordia poſſet iniri; atque ambo odijs poſitis, arma, quæ in perniciem mutuam ſumpſerant, in hoſtes Chriſtiani nominis verterent; actum, diſceptatumque eſt. Actum & de arctiore neceſſitudine inter Imperatorem, & Burgundum. Imperator, Mariam Caroli filiam petijt, filio ſuo Maximiliano vxorẽ. Burgundus, vt antiquum Burgundiæ regnum per multas Principum ſucceſſiones oppreſſum, & penè extinctum, & oblitteratum denuò inſtauraret, & non Dux amplius, ſed Rex Burgundiæ appellatur, apud Imperatorem inſtitit. Legatus item fieri cupiuit Auguſti, & Procurator, atque Vicarius imperij. Et quidem Mariam, Auguſtali iuueni ſtatim deſpondit: Auguſtus, vt ſtatim nuptiæ celebrarentur, contendit: Dux donec primo Rex Burgundiæ & Vicarius Imperij renunciaretur, differendas nuptias cenſuit. Iam corona, ſceptrum, vexilla, veſteſque ad Regium ornatum iuſſa erant fieri; iàm throni in templo maiore Treueris facti; & Sedilia, omniaque parata, quæ ad creationem, & conſecrationem Regis eſſent neceſſaria; iam datum negotium Georgio Epiſcopo Metenſi, vt ſacrum faceret, vnctioniſque officium compleret: cum repentè mutatus Imperator poſtero die, nè Carolo quidẽ valere iuſſo diſceſſit, Coloniamq; petijt, ſedandæ diſcordiæ inter Archiepiſcopum, & ciuitatem, Exiſtimatũ eſt, Ludouicum Galliarum Regem, repentinæ huic mutationi Imperatoris allaboraſſe. *Crantzius Vuandal. lib. 13. cap. 10. Meyerus Annal. Flandr. lib. 17. Thomas Baſinus Epiſcopus, de inſtauratione Regni Burgundici, ex his, quæ Treueri præſens vidit. Arnoldus de Lalang Præpoſitus Brugen. in hiſtoriola de congreſſu Friderici, & Caroli.*

II. *Diſſidentes Galliarum Regẽ & Burgundiæ Ducem conciliare curat Sixtus Põt. Max.*

Ingens bellum inter Ludouicum, & Carolum gliſcebat: & quia ludouicus vir durus, aſper, & iuxta amicis, atque inimicis contumelioſus erat, multi Gallorum Principum eius importunitatem abhorrentes, aut palàm, aut occultè cum ipſo Carolo ſentiebant. Ergo Carolus, non ignarus domeſtico Ludouicum facilè poſſe implicari bello, ipſe quoque maiores copias comparare, & Reges alios ad ſocietatem belli vocare decreuit. Inprimis Eduardum Anglum non difficile exciuit. Duabus potiſſimum ex cauſis, Eduardus non venire non potuit. Vna quòd Ludouicus eius hoſtis eſſet, quippè qui Varaicenſem contrà ipſum in Gallijs armaſſet: altera, quòd Carolo, extrà affinitatem, multis in ſua fuga acceptis ab eo beneficijs, obligatiſſimus foret. *Polydorus lib.* 24.

Ad Ferdinandum quoque, & Iſabellam Siciliæ Reges, vt eos contra Ludouicum armaret, Carolus, Oratores deſtinauit; eaque de cauſa Ferdinandum inter velleris aurei Equites, ſolenni ritu renunciauit, ac monile eiuſdem Ordinis aureum illi miſit. Sperabat, non illum tantum, ſed & patrem eius Ioannem Regem Aragonum arma in Ludouicum expediturum; quòd is prior Ruſcinonenſem Comitatum, & Ceretanum, Aragonio detrahere volens, ſigna infeſta in fines illius intuliſſet, ac præter alia plurima, Perpinianum obſedisset. Pari conatu Henricum Caſtellæ, & Alfonſum Portugaliæ, Reges, ſollicitabat, vt communibus copijs collatis Ludouicum euerteret. Cæterùm Sixtus Pontifex, cum per eas Principum diſſenſiones ſuppetias in Sacrum bellum impediri acciperet, totus in eo fuit, vt miſſis ad diſſidentes legationibus eos conciliaret, & contrà communem Chriſtianitatis hoſtem euocaret. Neq; omnino, falſus ſpei fuit, pactis inducijs hoc anno inter Carolum, ſociorum potentiæ fidentem, Reges eius ſocios, & Ludouicum. *Surita Annal. lib.* 18.

III. *Legatus Sixti PP honorificè excipitur à Caſtellæ Rege.*

Miſerat Sixtus in Hiſpanias Legatum, Rodericum Borgiam Cardinalem. Is Aragonia ad initium huius anni diſcedens Madritum tenuit, acceptus ſplendido apparatu ſub vmbella, præeuntibus proceribus Sacratiſque viris in auguſto ornatu, Henrico Rege Caſtellæ ſiniſtrum latus ſtipante; quod more gentis, maximo honori ducitur. In id oppidum Epiſcopi ac Sacerdotes alij, ex vniuerſa ditione euocati à Legato frequentes conuenerunt. Actum de pecunia, quam deſignato annorum numero à Sacerdotiis redigi in ſubſidium belli Turcici Pontifex poſtulabat. Graues difficultates opponebantur, iactatione temporum exhauſtis omnibus. Vicit tamen legati authoritas, Regia voluntate adiuta: ſubſidium Pontifici Romano, vti imperabat, decretum: tametſi imminuendæ Eccleſiarum, quemadmodum aliqui dicebant libertatis exemplum ab eo facto induci, alioque auertendi copias Hiſpaniæ aliqui conſiderarent. Pacandis inde Caſtellæ motibus, componendiſque diſſidijs, magnam contentionem Cardinalis Legatus adhibuit. Henricus Rex, cum multis alijs flagitijs infamis, ac maximè ſuis inuiſus eſſet, paſſus vxori ſtuprum inferri, quod minus ipſe aptus liberis procreandis haberetur; natam ex adulterio filiam Ioannam, Hiſpanis Reginam imponere conſtituerat; deſignato ei coniuge, Henrico Aragonum infante. Ad Iſabellam ſororem, iam Ferdinando Siciliæ Regi nuptam, ſucceſſio regni pertinebat. Cum ambobus Henricus Rex bellum gerebat. Iſtud verò extinguere Cardinalis aduenerat. Parum is profecit, quamquàm vt natura cogebat, in Ferdinandum ex arcano propenſior ad confirmandam eius cauſam omnes neruos intendiſſet. Compluтum profectus, vbi Ferdinandus, Iſabella vxor & Archiepiſcopus Toletanus erant, indè Caracam, non alio conſilio abijt, quàm vt Mendozas regulos in partes traheret; ab Henrico Rege, & D. Iacobi Magiſtro deduceret, ingenio fretus ad ſimulandum, diſſimulandumque idoneo. Inter hæc Henricus Aragonius ad certam coniugij cum Ioanna Principe ſpem, per Valentinos fines euocatus, cùm in Caſtellam veniſſet, nullum operæ pretium fecit. Maior expectatio, quàm ſucceſſus fuit. Quem ex fama probarant, viſum contempſere, inſigni hominẽ arrogantia: qui Proceribus complexum ferentibus, manum in os oſculandam ingereret, nondum opibus fundatis, neque veritus rerum mobilitatem. Eiuſdem D. Iacobi Magiſtri, qui obuius Requenam vſque proceſſerat, deduxeratque, arte coniugium eſt impeditum. Erat enim ex arcano, Henrico Aragonio infenſus, repetituro paterna oppida, ſi imperium obtinuiſſet; Beneuentanumque metuebat, Henrici auunculum, memoria intercepti Magiſterij inprimis iratum. tametſi alia obtendebatur ſpecies, magno aliquo Principe opus eſſe, moribus gentis pacandis. Ergo Henricus futurus ſponſus, Madriti aditu prohibitus, Setaſij, qui pagus ſecundum viam militarem, qua Toletum itur, protenſus eſt, expectare iuſſus, Rege conuento in agro vicino, Odonem eſt amandatus. Graue Regi videbatur, ludere eum Principem, Regiamque fidem fallere. At D. Iacobi Magiſter, Pontificis Romani auctoritatem interpellabat, excuſans, niſi lege propinquitatis ſoluta, inita coniugia inter propinquos, neque eſſe iuſta, neque fauſta. Poſtulabat Rex Cardinalem, qui legibus ſolueret. Cæterum ille recuſauit: ſed neque Reginam, neque Ioannam Principem inuiſere, neque quicquam in rem eorum concedere voluit; eaque ratione Regem adeo irritauit, vt is Ferdinandum Bulgarium, Oratorem ad Sedem Apoſtolicam deſtinarit, qui de iniurijs quereretur. Cumque nulla ratione poſſet Regem de ſententia dimouere, aut Ferdinando, & Iſabellæ conciliare, ſuadente Archiepiſcopo Toletano, inuitantibus autem Cardinalibus amicis odio Romam reuertens Principum, & populorum ambitæ & emptæ Legationis; vel multa vanitate, luxu, ambitione, & auaritia contaminatæ, pænas expendit. Antè oſtium Auſerici fluminis, Octobris die X. ingenti orta tempeſtate, cõflictatis diu quadriremibus duabus, in quibus ipſe, & familia, cum omni præda Hiſpanica vehebatur; altera lacrymabili damno ante oculos ſuos depreſſa eſt; altera, quæ ſua erat, disfracta iam quippe, cum haud procùl exitio eſſet remiſſis paululum ventis, ægrè in portum Lyburnum lacera, ac vexata protruſa eſt. Præter cæteram turbam, quinque, & ſeptuaginta ex familia periere. In his Epiſcopi tres, Pharenſis, Aſſiſienſis, & Ortanus, Iureconſulti ampliùs duodecim, equeſtris Ordinis ſex. Iactura rerum amplius XXX. m̃. aureorum eſt æſtimata. Eum exitum habuit Legatio Valentini: qui Pontificem nactus artibus, & corruptelis ſuis creatum, concupitam diu in patriam profectionem facilè impetrauerat, vt honoratus iret, vt populis ſe viſendum præberet, vt ex tribus regnis omnifariam meſſem commeteret: nullo ipſorum regnorum vſu. *Surita ſupra. Mariana lib. 23. c. 18. 19. Card. Papien. epiſt. 534. Inſixura in notis diarijs Rom. huius anni.*

*Legati eiuſdem infauſtus ex Legatione reditus.*

IV. *Deploratι Eccleſiaſticorũ in Hiſpania mores.*

Deplorabat idem Mariana, Ordinis Eccleſiaſtici in Hiſpania, per hæc tempora mores, qui fortè Valentino Legato occaſionem dederunt. Inuaſerat, *ſcribit capite vigeſimotertio,* pudenda litterarum inſcitia in Sacerdotes Hiſpaniæ, vſque eò, vt pauci Latinè ſcirent, ventri, gulæque ſeruientes. Auaritia rapaces in Eccleſiam Dei manus iniecerat. Emere Sacerdotia, olim Simonia, tunc induſtria erat. neque intelli-

gebant cæci Principes, cæciq; Epiſcopi, irato Deo fieri impium commercij genus; quod facias, an patiaris, perinde eſt. Medicinæ faciendæ ratio, Sacerdotum conuentibus excogitata eſt. Impetratum à Pontifice Romano, vti in ſingulis Eccleſijs Cathedralibus, bina Sacerdotia, quos Canonicatus vocant, ſuffragio Epiſcopi, atque Collegij, Theologo vnum, alterum Iureconſulto obuenirent. Pontificium diploma, quoniam publicè cognoſci vtile foret, eius iniuria temporis ſublati partem, diplomate altero pòſt bienniuim conceſſo comprehenſam, hoc loco ſubijcimus: *Kal.* inquit, *ſeptembr. Pontificatus noſtri anno quinto. Per quaſdam noſtras ſtatuimus, & ordinamus; quod de duobus Canonicatibus & totidem præbendis, qui primo per ceſſum vel deceſſum, aut quamuis aliam dimiſſionem illos obtinentium extra Romanam Curiam, in quibuſuis menſibus, ſimul, vel ſucceſſiue vacarent, in qualibet Eccleſiarum earundem, etiamſi diſpoſitioni Apoſtolicæ, ex quauis cauſa (non tamen prima vice) generaliter reſeruati forent, perpetuis futuris temporibus, quoties illos vacare pro tempore contingeret, vnus, qui in Theologia Magiſter, ſeu Licenciatus, & alter in vtroque, vel altero iurium Doctor, ſeu Licentiatus exiſteret, poſſet, & deberet ab Epiſcopo, vna cum Capitulo cuiuslibet earum Eccleſiarum, ordinaria auctoritate prouideri, in omnibus, & per omnia, perindè, ac ſi aliquæ gratiæ expectatiuæ. ſpeciales, vel generales reſeruationis, & nominandi, ſeu nominatis conferendi facultates, & mandata à nobis, ſeu Sede Apoſtolica, vel eius Legatis, ſeu alias eius auctoritate, etiam Regum, Ducum, Principum, vel Prælatorum aut quauis alia conſideratione nullatenus emanaſſent, ſeu inpoſterum emanarent. Ita tamen, vt de eis, qui primo Doctori, vel cum rigore examinis Licentiato in altero iurium, & alijs qui poſtmodum vacarent ſimul, vel ſucceſſiue, Canonicatibus, & præbendis huiuſmodi Magiſtro, vel Licentiato in Theologia prouideretur. Et ſi inter Doctores, & Licentiatos eoſdem ad illos pro tempore nominatos, aliqui de nobili genere procreati forent, alijs non nobilibus; & inter ipſos nobiles, qui ex vtroque parente nobiles forent, nobilibus ex altero tantum & inter ex vtroque, & vno latere tantum nobiles, de maiori nobilium genere procreati, per eoſdem Ordinarios collatores, & Capitula præeligerentur qui ſi in eadem Eccleſia beneficiali, & alias, ſi qualificati reperiantur, alijs preferantur. Sicque perpetuis, futuris temporibus obſeruetur.* Hactenus pars diplomatis.

V. *Concilij prouincialis in Hiſpania decreta.*

A Tolerano Archiepiſcopo, cum ISABELLAM eſſet ſecutus, Arandæ, Prouinciæ Epiſcoporum Concilium indictum, habitumque eſt hoc anno 1473. Affuere Epiſcopi, atque Archipresbyteri ex vniuerſa Prouincia euocat, ex vtroque ordine viri non pauci Diſciplinæ Eccleſiaſticæ inſtaurandæ, ſpecies obtendebatur, vitio temporum labefactaræ. Nonis Decembris hæc decreta promulgata.

1. Archiepiſcopi prouincialia in biennio, Epiſcopi Synodalia ſingulis annis celebranto concilia.

2. Epiſcopi, & Prælati in publico ſemper linteati viſuntor: ad menſam eorum ſacræ ſcripturæ leguntor.

3. Rectores Eccleſiarum, articulos fidei in ſcriptis habento, & populis publicanto.

4. Cura Eccleſiarum, & maiora Sacerdotia, quæ dignitates vocantur, nè cui creduntor, qui Latinè neſciat.

5. Aliarum diæceſum Clerici, ſine litteris commendatitijs ne admittuntor.

6. Clerici veſtibus rubei, vel viridis coloris, ne induantur.

7. Concubinarij clerici, beneficijs priuantor qui incorrigibiles fuerint, ſecundum canones puniuntor.

8. Epiſcopi minimum ter, presbyteri ter aut quater, diuina hoſtia annis ſingulis ſacrificanto.

9. Nulli, ſine Prælatorum licentia prædicanto.

10. Clerici tonſuram, & habitum decentem deferunto: ad taxillos nè ludunto.

11. Sacri Ordinis viris, ſeſe obſequijs procerum addicere, aut eorum ſtipendia facere, præterquam Regis, nefas eſto.

12. Repræſentationes inhoneſtæ in Eccleſijs, maximè cum res diuina peragitur, non aguntor.

13. Raptoribus, prohibentibus, vel negantibus decimas, in duello occiſis, violatoribus Eccleſiaſticæ immunitatis, occupatoribus bonorum Eccleſiæ, excommunicatis, Sepulturam Eccleſiaſticam deneganto.

14. Sacros Ordines Epiſcopi gratis conferunto. *Mariana ſup. & Acta Concil. tomo quarto, Concil. edit. Binianæ.*

VI. *Tumultus ibidē excitati cōtrà prognatos ex Iudæorū ſanguine.*

Hæc dum Epiſcopi Hiſpaniarum decernerent eodem anno, vno tempore, tumultus per vrbes & oppida concitati ſunt, in eos qui ex Iudæorum ſanguine prognati erant profunda homines auaritia fraudeque. Initium Cordubæ factum: ferro, rapinis, incendijſque in miſeram gentem ſæuitum, furente populo, nullo ſupplicij metu. Numinum iram prudentes interpretabantur, ob abdicata paſſim ex arcano, quæ antè ſuſceperant Chriſtianorum ſacra Cordubæ exemplum alia oppida, & vrbes Beticæ ſecuta ſunt. Vis maior in Giennium incubuit. Irantius Magiſter equitum, gentem calamitoſam ab iniuria vindicare auſus, ſeque furenti populo opponere, magnam inuidiæ flammam apud populares accendit. Ita facta conſpiratione ad aras, ſacris operantem, crudeliter obtruncarunt. Theraſia vxor, & filij vix arcem tenuerunt. Andreas Cabrera, cui theſauri cum arce Segobienſi à Rege Henrico concrediti erant, tumultum in eandem gentem concitatam, atque eius inprimis capiti minitantes populares quaſi miſeros tegeret, vix arte, & induſtria pacauit. *Mariana, capite decimonono.* Vtinam adeò feruentibus, ferocientibuſque animis in Turcas iuiſſent. In Pontifice Sixto nihil defuit, quo Hiſpanos moueret. Ea de cauſa Seguntino Epiſcopo; honorem purpuræ dedit Madriti, miſſo in eam rem proprio Legato. Præter hæc nouam muneri gratiam addidit, vt Hiſpaniæ Cardinalis vocaretur. Cumque Alfonſus Fonſeca, Hiſpalenſis Epiſcopus, magni ingenij, ardentiſque animi vir, per idem temporis obijſſet, in eius locum, Hiſpalenſem eum agente Rege renuntiauit, Seguntinamque eidem Eccleſiam retinuit, quamquam nouo, & hactenùs damnato exemplo. Faciebat conciliandę hominis auctoritati, vt haberet, quo vteretur, in Hiſpanis ad bellum ſacrum inflammandis. *Surita ſup.*

VII. *Principes Chriſtianos concitare in Turcas molitur Sixtus Pontifex.*

Ad hoc ipſum bellum, vt Polonos, Bohemos, & Vngaros exciret, pacem inter eorum Reges procurare non deſtitit, eique conciliandæ, Marcum, Cardinalem Aquilegienſem, Legatum ſuperiore anno miſſum, etiam in hunc annum in Polonia ſubſiſtere iuſſit. Egit is apud Nyſſam Silefiæ ad initium veris, cum Proceribus Polonis, Bohemis, & Vngaris ea de re conuentum: tametſi Matthias Rex Vngariæ, vir inquieto ingenio, & indignè ferens, quòd Stropcouia oppidum interceptum, Caſimiri Regis Poloni præſidio teneretur, indeque vicinus circumquaque ager Vngariæ vexaretur, magis ad bellum, quàm ad pacem ſpectare videretur. Apud Bernam enim Moraniæ cum quatuor millibus militum ſtatiua agens, Bohemorum animos Ladiſlao Regi, Caſimiri Poloni filio iuratos, è propinquo ſollicitabat, Sileſioſque Duces Polonis fauentes, inter ſe committebat: & perfecerat, vt Ribnicenſi à cæteris bellum inferretur, Rybnichi oppidum expugnatum adimeretur, Zarchi verò oppugnarentur, capti que fuiſſent, niſi Iacobus Dembenius; Cancellarius Regni, & Præfectus Cracouienſis, Regis iuſſu cum tumultuaria manu in ſtiones obſidentium impetum feciſſet: quo factum eſt, vt pacto res inter Duces componeretur, ea lege, vt obſeſſum quidem oppidum in Dembenij, captum verò in Cropacij iunioris, qui homo ?queſt.is in ditione Ducis Ribnicenſis erat, poteſtate eſſet, quoad inter Reges diſſidium componeretur. Sed tamen magna Legati Pontificij cura, ac diligentia vix eò res perducta eſt pòſt ſex ſeptimanarum diſceptationem, vt ad medium Auguſti menſis, alius Conuentus Oppauiæ inter proceres, Vngaros quidem, & Polonos octonos, Bohemos verò ſenos ex vtraque parte inſtitueretur; Polonus Rex, Stropcouia præſidium deduceret, Vngarus, & Bohemus ſuarum vterque partium Bohemis iuſiurandum relaxaret; ipſi Reges in propinquo eſſent, Polonus quidem apud Oſuencimum, Bohemus apud Cloſcum, Vngarus verò Olomuciæ, quò faciliùs de omnibus è conuentu ad eos referri potuiſſet. Quod ſi qua de re inter delegatos, & inter ipſos Reges non conueniſſet, Carolus Burgundiorum Dux; aut ſi is nollet, vel non poſſet, Gallorum Rex arbitrio ſuo controuerſiam dirimeret. Quò liberiùs autem vacaretur ei conuentui; Marcus Cardinalis inducias inter Reges authoritate Pontificia, pænis in violatorem adiectis, prorogauit. & quidem Caſimirus, & Ladiſlaus Reges, nihil eorum prætermiſerunt, quæ Cardinalis præſcripſerat. Nam ille præſidium Stropcouia deduxit, iſte iuramentum relaxauit. Præter hæc vterque delegatos miſit; ille quidem Ioannem Cracouienſem, & Iacobum Wladislauienſem Epiſcopos, Lucam Gorcanum Poſnanienſem Stanislaum Oſtrorgium Caliſſienſem Palatinos, Dobeslaum Cnitham Caſtellanum Lublinenſem, Ioannem Rithuianium Regni Marſalcum, Sbigneum Oleſnicium Procancellarium, & Ioannem Dlugoſſum, Canonicum Cracouienſem; Ladislaus verò Rodulphum Epiſcopum Vratislauienſem, & alios, cum tribus conſulibus illius ciuitatis. Adfuerunt præter hæc ambo in locis à Legato deſignatis, cùm non contemnendo comitatu: quandoquidem Ladislaus plurimorum ſtudia, & voluntates integritate & benignitate ſua iàm ad ſe allexerat; præſertim cum non grauate eos iureiurando ſoluiſſet, oſtendens, pluris ſe publicam pacem, atque tranquillitatem, quàm priuata ſua commoda facere. Quod quidem eò plauſibilius erat, quòd Matthias, cùm idem, quemadmodum conuenerat, ſuis feciſſet, mox pænitentia ductus, grauius iuſiurandum ab eis exigebat; & recuſantibus, extrema quæque minabatur; palàmque teſtabatur, ſe eorum fidei, negotium ſuum non eſſe crediturum. Quarè cùm Poloni, & Bohemi partium Ladislai maturè Opauiam conueniſſent, à Matthia præter Albertum Epiſcopum Veſprimienſem Vngarum, & Albertum Coſtcam Bohemum nemo primum adfuit. Pòſt vigeſimam vix diem Vngari proceres expectati aduenere. Nec tamen quicquam, operæ pretij in eo quoque Conuentu factum eſt, cùm duriores conditiones ab Vngaris proponerentur. Optatum tamen Polonis, & Bohemis accidit, quòd res ad Caroli Burgundionis arbitrium, cui ſe ſtaturos eſſe inconſultò promiſerant, peruentura non eſſet, & quod reliquorum Bohemorum animi à Matthia deinceps alieniores fore viderentur. Ità tunc Opauia, pace infecta, diſceſſum eſt. Suſpectum Regibus Matthiam fecerat, quòd is pacem cum Turcis iciſſe diceretur. Quamobrèm Caſimirus ad FRIDERICVM Imperatorem, Adamum Poſnanienſem Decanum intereà ablegauerat, vt ab eo Regni Bohemorum, quod iure feudi, vt vocant, Imperatori Romanorum eſt obnoxium, confirmationem Wladislao filio peteret, eaque lege ſocietatem cum Friderico contrà MATTHIAM vtriuſq; nomine ſanciret; Valachum quoq; ei bello pro ſua parte noſſe defuturum, dummodò ipſe quoque Imperator MATTHIAM ſumma vi adoriretur. Quanquàm enim icerat non ità multo antè Imperator fœdus cum Matthia; ſed id neceſſitate quadam abductus, nec ſatis æquis conditionibus feciſſe videbatur; proptereà quòd ad MATTHIAE nutum acephalus exercitus, qui ſe fratres vocabant (erant autem ij Cruceſignatorum militum reliquiæ) Auſtriam grauiter infeſtabat; & rebelles Auſtrij, quorum princeps erat Baumkirchen, à FRIDERICO necati filius, ab eodem adiuuabantur. Itaque occaſionem vlciſcendi MATTHIAE captare FRIDERICVS exiſtimabatur. & grata quidem Imperatori fuit Legatio, ſed dilata res eſt ad Imperialia Comitia Auguſtam Vindelicorum ad Calend. Septembris edicta: ac tandem Friderico in inferiore Germania diutius commorante, & Comitia differente, vſque ad ſequentis anni initium producta. *Cromerus lib. 28.*

VIII. *Pax cum Turcis à Matthia Rege inita Sixto PP. moleſta.*

Grauiter, vt par eſt, SIXTVS Pontifex accepit eam MATTHIAE cum Turco pactionem. Itaque ſtatim LAVRENTIO Epiſcopo Ferrarienſi, apud Regem Sedis Apoſtolicæ Nuncio iſta ſcripſit.

Summa celeritate ſignificata ſunt nobis, quæ in ſequenti notula continentur. Turcus obnixè quærit pacem facere cum Hungarorum Rege. Interceſſore vtitur Nicolao Varueda de Vilach, nuper Rege Boſnæ appellato, cui multa pollicitus eſt Turcus, ſi rem ex ſententia faciat. Huius Nicolai ſuaſu, Rex miſit ad Turcum duos Oratores, quendam Fratrem Antonium de Catharo, Ordinis Minorum, ſed nunc Abbatem Monaſterij vnius non longè à Buda, & Ioannem Hunſchi, Origine Boſnenſem, ambos vafros homines, & ingenijs Turcorum aptos. Hi Oratores viſi ſunt non longè à Belgrado Danubium tranſire die XVI. Aprilis, & Conſtantinopolim petere cum his mandatis: Regem Hungariæ pacem cum Turco, & fœdera facturum, ſi Turcus Regi Boſnam, & Seruiam det, aut ſaltem alteram harum prouinciarum. Quod ſi fecerit, & pecunijs etiam iuuerit, miſſurum ſe quoque auxilia contrà Vſſoncaſſanum. Nos ea, verane ſint, an falſa; rurſùm, aſſimulenturnè ad procurandam pecuniam, an ad verum agantur, planè ignoramus. Quod tamen ab dignis indicibus nunciantur, negligenda non ducimus. Quod magni etiam momenti ad Chriſtianam rem videantur, timenda, & præcauenda putamus. Scribimus ob eam cauſam Regi, & Prælatis Regni Hungariæ. Scribimus & tibi. Litterarum exempla cum præſentibus erunt, vt quatenùs reddendæ ſint, vel retinendæ, tu, qui ex propinquo ſingula certiùs noſces, iudicare faciliùs poſſis. Conare autem his acceptis, & nulla interpoſita mora omnibus indicijs rem veſtigare, atque hanc ſuſpicionem interius perſcrutari. Si vana eſſe, quæ ſignificantur, inuenies, retinere ipſas litteras potes, nè ſine cauſa piam Regis mentem fatiges. Si vera eſſe deprehendes, etiam

edde, ſi videbitur, quæ ſunt pleniores: tuque illis adiunge, quæ in tanto periculo neceſſaria putes. Si inter vtrumque anceps, dubia indiciorum fide; tacendum tamen non iudicabis. Attende, quid cogitemus, Iamdudum à nobis pecuniam poſtulat Rex, eiuſque rei cauſa Orator huc miſſus pericula Regni ſimul & inopiam ſuam quotidiè deflet. Nos duorum iam annorum exhauſti claſſibus, præſtare illam non poſſumus. Si ergo nil tale Rex cogitaſſet, videret autem te referente id à nobis maximè metui, veremur, nè aſſimularet verum eſſe, quod verum non eſſet, neceſſarioque à ſe id fieri lamentaretur, quod pecunia eum non iuuaremus. Ideòque illa non conceſſa, eò indignantiùs recuſationem omnem eſſet laturus, quo iudicato etiam periculo ſegnes nihilominus ad contribuendum eſſemus inuenti. Ità ergo in dubijs rebus moderare diligentiæ tuæ, atque ita ſenſus Regios tenta, vt ſi poſſumus, in difficultatem hanc non incidamus: quam eo ferremus ægriùs, quòd ad præſentem pecuniam nulla eſt nobis facultas. Prudens es; neque in his diſſimilem te à cæteris operibus tuis præſtabis. Neſcimus autem, quibus in locis nunc ſis, & quàm facilè mandata hæc exequi poſſis Rurſum, per te, an Legatum noſtrum, Cardinalem Aquilegienſem ſubueniri commodiùs poſſit. Ideò autem optamus per tuam F. ea impleri, quòd Regi familiarior es, & longo vſu ſua omnia pleniùs tenes. Quarè conare, quoad vales, vt tuipſe hæc facias. In adiutorem conſilij, & operis, Venerabilem fratrem, Epiſcopum Tranſiluanum, ſi vtile iudicas, ilicò voces, communicatiſque mandatis, partem curæ illi attribuas. Quòd ſi nihilominus adhibendum Legatum putas, vel quòd propinquior ſit, vel quòd plus ponderis Cardinalis nomen ſit habiturum; mitte ad eum quæ ad te, & Regem, & cæteros ſcribimus, addens litteris tuis, quicquid præterea à circumſpectione ſua obſeruandam exiſtimes. Quæ verò ad Prælatos ſunt Breuia, conſultò ſolam credentiam habent, nè ſcriptis noſtris offendi aliqua ratione Rex poſſit. Fidei tuæ, venerabilis frater, totam hanc curam permittimus. Non defuiſti in hunc diem Eccleſiæ; non deeris nunc Chriſtanorum communibus rebus. Speramus, cùm minora multa, ſumma dexteritate effeceris, grande hoc ingenioſiùs facies, quò maioris neceſſitatis eſſe, & diſcriminis vides.

Scripſit etiam Sixtus, Matthiæ Regi Hungariæ, quas adiungo.

IX. *Ea de cauſa Sixtus PP. ſcribit Matthiæ Regi.*

Pro conſuetudine noſtra planè tecum loquimur, nil reticentes, quod ad filium patri conueniat. Vt non pigebit nos, quæ nunciantur, perſcribere; ità nec te grauet audire, quæ dicimus. Ad ſalutem omnia ſunt, & tuam, & noſtram, Chriſtianæ quoque Reipublicæ. Quicquid autem eſt tale, delectare fidelem mentem debet, non angere. Significatum eſt nobis miſiſſe te nuper, Oratores ad Chriſti hoſtem Turcum, eoſque ad ſextamdecimam Aprilis viſos ſub Nandoralba tranſire Danubium. Eſſe autem quendam Antonium Catharenſem Ordinis Minorum, Abbatem certi Monaſterij non longè à Buda, & Ioannem Humſchj Boſnenſis originis. Mandatorum, quoque, quæ à te acceperunt, ſummam hanc dici: Pacem te Turco, fœduſque offerre, ſi ille Boſnam, Seruiamque, aut harum alteram tibi permittat. Item & in Vſſoncaſſanum ex regno auxilia, ſi pecuniam tuæ ſerenitati ſuppeditet. Referrimus ſingula, vt ſine cauſa à nobis ſcribi non putes. Nos tamen ad ea credenda animum accommodare non poſſumus: aliena cognoſcimus à conſuetudine tua, contraria ſcimus fidelibus operibus tuis; indigna quoque tanti nominis Rege. Quomodò enim credi fas ſit, eum, qui conſtanter in neceſſitate ſe habuit, in rebus iam mitioribus mentem demittere? & qui armis non potuit, turpibus nunc conditionibus allici? Incredibilia ſunt, & pijs mentibus aliena noſque, vt diximus, indignæ famæ habere fidem non poſſumus. Sed tamen, chariſſime fili, quòd velocibus nuncijs ſignificata ſunt nobis, & à magnis auctoribus prodeunt, mouent nos aliquantulum: plus noſtri officij eſſe putantes, multis vanis rumoribus decipi, quàm certò vno affligi. Es tu, chariſſime fili, homo, vt cæteri. Errare potes, & labi, & cadere, & humanis deſiderijs trahi, lucis etiam ſpecie, tenebris peccatorum inuolui. Agemus tecum non tamquam cum eo, qui cum infideli ſit paratus ſentire, ſed tamquam cum eo, qui ſi aliquando paratus eſſet, noſtrum de ea re iudicium habeat. Matthia Rex glorioſe, attende primùm, quæ fides eſſe tibi de fallaci homine poteſt. Tu Chriſtum ſequeris; ille Mahometi inſaniam. Tu pro Euangelio contra eum in hunc diem pugnaſti; illius arma contra te, ad tuendam dæmonum ſectam intenta ſemper fuere. Memento pugnarum à patre Vaiuoda, & te toties commiſſarum: cædium quoque, quæ de Turcis multæ ſunt factæ. Scit ille tua inprimis virtute per hos annos obſtatum, quò minus tantum imperio potuerit progredi, quantum optauit. Vnum te odio habet, atque vnum te perditum cupit; quo ſublato, nihil non de Chriſtianis ſperandum ſibi cognoſcit. Si quid blandietur interim, aut ſi quid tibi permittet, non alia ratione id faciet, quàm vt & conſulat ſibi, & in omnem occaſionem te opprimat. Exempla infidelitatis ſuæ non ſunt longè petenda; te, tuumque regnum circumdant. Recogita, quæ noſtra memoriâ in Seruia, & Boſna ſunt geſta, quibuſque fallacijs miſeri Chriſtiani nimiæ pœnas fiduciæ vltimas dederint. Videbis, ſi deſint cætera, hæc ſatis eſſe ad cæterorum documentum, & tuum. Credendum illi non eſt. Merces amicitiæ ab eo nulla quærenda. De religione contenditur. Ille tuetur ſuam, tu tuam. Diuerſitas hæc cauſæ conciliare animos veſtros nullis pactionibus poteſt. Aut tibi dimittendus eſt Chriſtus, aut Turcus ſuſpectus ſemper habendus. Adde, quòd negligendum non eſt, quo animo Principes Hungari, quo etiam populi pacificationem hanc ſunt accepturi. Fidelis Deo ſemper tua gens fuit. Militauit nomini Altiſſimi, cupidiuſque ad pugnam, quàm ad nuptias cæteri, eſt ſemper profecta. Quid indicaturos de te illos exiſtimas? Intuentes, nulla vrgente neceſſitate, ſola cupiditate, aut Seruiæ, aut Boſnæ non modò cum execrando hoſte ſentire; ſed ad oppugnandos oppugnatores ſuos, copias iungere? Non omnium intra Hungariam fortaſsè pacati tibi ſunt animi. Eſt facile, vt multos tua virtus offendat, multos etiam gloria vrat. Danda non videtur occaſio, vt qui de te ſentiunt benè, ſentire iam malè incipiant; & qui criminari opera optant, etiam exagitandi facultatem apertè accipiant. Religione, & conſtantia, & in periculis fide, quibus regnum paraſti, in poſterum tibi eſt retinendum. Proximam quoque Boëmiam tot iam annos à te oppugnatam, nonnè dicturam agnoſcis, non pro iudicio Romanæ Sedis, tollendiſque erroribus, ſed ad ſolam ampliandæ poteſtatis curam tamdiù bellatum eſſe? tantamque rerum, atque hominum editam ſtragem? Quando pro Seruia, & Boſna, non cum hæreticis, ſed quod fœdius eſt, pacem procuratam cum infidelibus inſpicient. Retinendum vbique etiam inter tuos eſt nomen bonum, fili chariſſime; ideoque non modò anteponendum cæteris rebus, ſed morte etiam, ſi expediat, redimendum. Qua in re animaduerti quoque





oportet, quantum Cæſar, & circumſtantes Germaniæ Principes probaturi factum hoc ſint, quantumque miraturi mutationem hanc ſubitam, tantæque iacturæ. Creſcet haud dubiè illis ſuſpicio, in te amor non creſcet. Nouorum fortè etiam conſiliorum cauſam præſtabis; quæ, qualia futura ſint, arbitrari tu melius potes, cui ſunt nota propinqua. Nos de te ſolliciti ſine metu eſſe non poſſumus, & libenter, quæ ſentimus, eloquimur. Quia & nos quoque, à quibus ſummè diligeris, cum te hoſti noſtro conciliatum videbimus, Chriſtianiſq; viribus illi adeſſe, haud ſanè ij eſſe ad res tuas poterimus, qui cuperemus. Reſpectus tam abominandæ ſocietatis neceſſariò mentem noſtram à multis auerteret. Sequi erit neceſſe conſenſum Eccleſiæ, nec blandiri illi, quem illa non probet. Etenim aſſiſtens Turco, Dominicum gregem oppugnas. In Vſſuncaſſanum mittens arma, venientem defenſorem debilitas. Sentit ille nobiſcum, ſentit cum Venetis: Id quærens, vt malignus hoſtis, nec fidelibus nocere, nec infidelibus poſſit. Quam ob cauſam nos, atque illi, non modò certos in exhortationem ſuſcepti operis noſtris nominibus miſimus; ſed claſſem quoque cum ſapientiſſimo Rege Ferdinando emiſimus: quâ diſtractus Turcus, minus ad reſiſtendum efficax fuit; & tu nouo conſilio, ad impediendum conſentientem Italiam, turbandamque vltionem, quæ de inimicis noſtris, cum inimicis paratus pacem facere, & præſidium mittere, & præſentem Chriſtianorum ſpem interuertere cogitas! Nè neglige, quæſumus, famam tuam, Matthia Rex. Crudelis eſt, qui illius curam non habet. Nullâ re tam clarere magni Principes ſolent, quàm opinione conſtantis virtutis. In quo illam homines intuentur, dignum ſummis honoribus ducunt. Eam quidem commendationem; facta ingentia tibi hactenus peperere prætérita. Repete enim, quâ animi magnitudine regnum paraſti, quâ conſeruaſti, quibus etiam prælijs Turcorum impetus retudiſti: quanta demùm laude, Bohemicam hæreſim iudicio Romanæ Sedis damnatam, armis victricibus attriuiſti. In ore hæc omnium ſunt, atque omnium vocibus, & litteris feruntur in cælum. Quid aliud nunc eſt moliri, quæ de te nunciantur, quàm de tanto gloriæ gradu cadere? laborum præteritorum fructum amittere? athletæ Chriſti nomen eijcere, & conſenſoris infidelium ſumere? Miſeram commutationẽ, ô fili, atque omnium iudicio noſtro miſerrimam. Pro gloria ignominiam, pro ſalute infelicitatem, pro gratia indignationem, pro ſpe retributionum metum vltionis mutare. etenim ſi hunc cum hoſte conſenſum, & ferendum auxilium ingratum Deo non putas, erras vehementer. Odibile illi erit, atque infeſtum; nec talem putabit pro tantis in te meritis retribui gratiam debuiſſe. Quo in loco etiam attendi eſt opus, quid inde conſequi, & formidari meritò poſſit. Scis poteſtatem humanam omnem à Deo eſſe. Per illum dari, & adimi. Maiorem eſſe qui in cælis regnat, quàm qui in terra. *Dominus*, inquit Propheta, *pauperem facit, & ditat, humiliat, & ſubleuat.* Quæ manus miſericorditer aſtitit tibi laboranti pro fide, ac cadere numquam permiſit, eadem indignata, ſi remittetur, quo te in duris rebus præſidio munies? aut quem alium ſublenatorem parabis? Cantat Eccleſia; *niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam.* In manu ſua ſunt omnes fines terræ, & ſine eius ope, inanes ſunt conatus noſtri. Noli tantum fidere viribus tuis, tantumque ſpei in armis reponere, vt valere contrà indignantem Dominum aliquid credas. *Sicut fluit cera à facie ignis, ſic pereunt peccatores à facie Dei.* Defenſorem illum tibi conſerua, quo etiam propugnatore, & duce, diſſipaſti ſemper imperiorum conſilia; idque age, vt in omnibus vijs tuis illum cogites, & illi ſeruias ſoli. Seruire autem ſoli non potes, ſi te cum hoſte ſuo coniungas. Sacri enim eloquij eſt verbum; *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.* Si non duobus dominis, vtique duobus hoſtibus minus. Increpat Apoſtolus Paulus; *Quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Aut quæ conuentio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Aut qui conſenſus templo Dei cum idolis?* Summa eſt omnium, fili chariſſime, ad quam hæc ſcripta referimus. Si cogitaſti, quod fertur, frange funeſtum conſilium, & coniunge Deo. Nulla te in præſentiarum neceſſitas ad pactiones has vrget. Si non cogitaſti, etiam lætare, tantam de te, & rebus tuis apud nos curam eſſe. Colloquimur tecum in charitate Chriſti, ſicque agimus liberè, vt cum eo eſt Rege agendum, quem ſemper laudauit, & dilexit Eccleſia, quique vocem Patris patienter poſſit audire. Nil, quod nunciatum eſt, credimus. Ad ſolliciti Paſtoris officium omnia ſcripſimus. Dominus ſit in corde tuo, & greſſus tuos dirigat in ſemitam rectam. Creſcere te faciat omnibus diebus vitæ tuæ, & Dominum inimicorum ſuorum ad gloriam ſuam conſtituat. *ext. inter epiſt. Card. Papienſ.* 516. 517.

X. *[illegible]*

Hæc Sixtus Pontifex, Matthiæ Regi. Intereà Matthias curauit calumniam verbis, & factis diluere. Quum enim aliàs Turcorum rebus infeſtus eſſet, tum multò infeſtior factus eſt à diuulgato rumore. Quamobrèm Veneto auro inauctoratus, & Pontificijs monitis armatus, adeò exarſit, vt continuò armis in Thraciæ fines illatis, belloque Aſiæ indicto, tantum terrorem Othomano iniecerit, vt exercitum ex Macedonia reuocauerit. Sexies cum Turcis Matthias congreſſus, victoriam ſemper reportauit, ac Sabazam oppidum cæpit. Attulit ea res non modicam Sixto Pontifici lætitiam, non minùs, quàm ingentem dolorem diſſenſio, inter Ferdinandum Neapolis Regem, ac Venetos. De Regno Cyprio, diſſidium fuit. Res eſt. A morte Iacobi, qui Catharinam Corneliam ex ſe grauidam, hæredem Regni ſcripſerat, Hiſpani, qui Iacobi Regis conſenſu ſparſim incolebant, Catherinæ Reginæ inſidias inprimis ſtruxerant, vt ea ſublata Regnum Ferdinando pararent. Ex his Cyprius quidam Antiſtes, natione Cathelanus, qui per id tempus, quo Iacobus vita deceſſit, apud Ferdinandum Regem Oratoris munere fungebatur, Ferdinando perſuaſit, vt filium ſuum ex concubina natum Iacobi Regis filiæ, & ipſi ſpuriæ, ſe authore, matrimonio locaret, eaque ratione Regni poſſeſſionem acciperet. Ferdinandus nihil moratus, Belpratum nomine vnum ex ſuis purpuratis, vnà cum Antiſtite, duabus longis nauibus armatis nauigare, remque conficere imperauit; qui cum Cyprum appuliſſent, coniuratos Cyprios iam anteà ab Antiſtite fœderatos excitarunt, vt hi ſumptis noctu armis, Paulinũ Zapum, Reginæ medicum, ſubito tumultu in Regia aula obtruncarint; Andream, Cornelium eiuſdem Catherinæ patruum, & Marcum Bembum ſororis illius filium iugularint: [illegible] duce Antiſtite palatium ingreſſi, Iacobi [illegible] ræ adhuc ætatis, quippè quæ ſeptem [illegible] dum attigerat, Ferdinandi Regis notho deſponderint: ac præterea nuptijs in hunc modum celebratis, Ferdinandum de tota remonuerint, obteſtantes, nè ſibi, atque illis deeſſet. Hæc res Venetorum animos exacerbauit, multoſque motus in Italia excitauit: quorum non minor pars in Sixtum Pontificem, Ferdinando ſtudioſum. *Sabellicus Ænnead. 10. lib. 7. P. Iuſtinian. lib. 9.*

XI. *Eleonora Regis*

Quàm verò nimium Sixtus Ferdinando ſtuduerit, vel ex hoc vno vnico homines indicabant Eleonora Ferdinando filia, Herculi

*Ferdinãdi filiam excipi honorificè curat Sixtus PP.*

Ateſtino nuptura, Regulo Andrienſi deducente, ad vrbem peruenit pridie Non. Iunij, Pentecoſtes peruigilio huius anni. In ea excipienda Sixtus ſuperiorum omnium Pontificum magnificentiam longè ſuperauit. quippè qui (vt narrat Pigna) à priſcorum Sacerdotum frugalitate, ad inſolentem ſplendorem, ac luxum cũprimis deflexiſſet, auctore maximè nepote F. Petro, S. Sixti Cardinale homine ventoſiſſimo, cuique Romanum ærarium in manu eſſet. Summus ergo, ac planè eximius honor ad hunc modum Romæ eſt habitus. Aduenienti tertio ab vrbe lapide occurrerũt duo è purpurato cætu, cum lectiſſimo Epiſcoporum, atque aliorum Sacerdotum comitatu. A porta, rectà ad ædes Lateranenſes porrexit, pulla in veſte, vtpotè viatoria, & gemmato galericulo tecta; ibiq; aliquãdiù ex labore itineris requieuit. Mox ipſo Pontificis nepote, atq; item altero Cardinale, omnibus, quicumque in vrbe erant Legatis, proceribus, ac Romanorum, aliorũq; gẽtium nobiliſſimis proſequentibus, vijs, qua paſſim incederet, exornatis, ad SS. Apoſtolorum ædes peruenit; quo domicilio nepos Pontificius antè ſumptam purpuram, vnus ex Minoritarum ſodalitio vtebatur. Eſt ſanè proditum memoriæ, non minùs LX. hominum millia, ad ſpectaculum conueniſſe, quod Sixtus clientes fermè omnes ex tota ditione Pontificia, ac neceſſarios nominatim euocâſſet. Cardinalis Petrus, pro templo vacua in area ad nouam nuptam excipiẽdam, magnificentiſſimam domum, Britannico more ſtatuerat, tribus atrijs patentibus, vetera ædificia æmulãtem. Primo atrio perampli thalami, poſtremo quattuordecim coniuncti erant, ſinguli vario aureorum periſtromatum, alioque exquiſitiſſimo, ſummiq; pretij ornatu exculti, ſiue lectos, ſiue ſellas ſtragula veſte, acu picta, atque argento collucentes ſpectares; nè quid de gemmis paſſim inſertis dicam, vel ipſo manus pretio omnem propè fidem excedẽte. In interioribus conclauibus multa veſtis ex alpinorum, Ponticorum, ac luporum ceruariorum pellibus conſtans proſtabat, qua virgo ipſa, & comites, prout nocturnum tempus poſtulaſſet, vterentur; ad pompam potiùs, atque oſtentationem exprompta, quam quòd eius vllus foret vſus. Matella ex puro puto auro fuit. Primum atrium ſplendidiſſimo conuiuio, ac ludis deſtinatum, aulæa phrygio opere pulcherrimè picta, auroque diſtincta ornabant, & terni occulti folles maximi perflabant. Puer, Angeli habitu hauſtam ex fonte aquam, huc illuc multifariàm ſpargebat. In prima alterius atrij fronte eminebat ſuggeſtus auro, atque argento, gemmiſque aptiſſimè diſtributis maximè conſpicuus, è regione, aurea, atque argentea multorum artificum manu cælata vaſa, duodecim gradibus diſtincta, atq; diſpoſita, non minùs iucundo ſpectaculo viſebantur. In poſtremo pretioſiſſimis tapetibus inſtrato, Proceres, ac nobiliſſimus quiſq; cõueniebant. Poſtera ſacroſanctæ Pẽtecoſtes die Eleonora in palla aurea, gẽmis, & vnionibus fulgente, ad Vaticanum proceſſit, proſequentibus multis Senatoribus, ac Proceribus, lectiſſimoque nobiliſſimarum fæminarum cætu. Ibi myſterijs altaris interfuit Pontifice operante: ad cuius pedis oſculum cùm venerabunda procubuiſſet, ille manum oſculandam porrexit. Florentini, qui Vrbem incolebant, Suſannæ hiſtoriam, à prandio in ſcena apud eam ſcitiſſimè pronunciauerunt. Inſequenti die idem Pontificis nepos epulo illam excepit, incredibili auri, & argenti cælati copia; cùm tamen nullum eorum vaſorum, quorum ſupra facta eſt mentio, loco ſuo dimoueretur, & plurimæ, maximæque diuerſæ epulæ continenter apponerentur; varia ſemper ad vnumquodq; ferculum præcinente ſymphonia. Architriclinus in ſingula fercula nouum & ipſe amiculum pulcherrimum, torqueſque tum aureos, tum gemmis, atque vnionibus collucentes ſumebat. Miniſtri ad vnum omnes ſummi, infimi, eximio cultu ad vtrumque menſæ

*Splendiſſimũ conuiuium, variaq; ſpectacula in eo exhibita.*

latus aſtabant. Nec ad ſimili habitu pueri ex abacis argenteis inauratis dapes conuiuis apponebant. Nullo non aureo poculo potatum eſt. Ferculis quibuſque veteris alicuius fabulæ argumentũ ſuccedebat, Atalantæ puta, & Hippomenis; Perſei Andromedam morti ſubtrahentis, ac id genus talia, quæ tamen vice ciborum eſſent. Secundæ menſæ fuere bellaria, imagines, inquam, ad iuſtam humani corporis magnitudinem effectæ. Inprimis nudus Hercules cælum ſuſtinens; cuius laborum teſtes ſequebantur, leo, aper, & taurus, ac tres præcelſæ turriculæ dedita opera mox comminutæ, atque in aream grandinis inſtar iactatæ. Apparuitquoque in exceſo montis ſpecu ſerpens miræ magnitudinis, & nauiculæ decem paſſis velis, glande ex ſaccaro onuſtæ, haud dubium argumentum Ruuereæ familiæ. Subſequutus eſt Veneris triumphus, cygnis currum trahentibus, conchylia Deæ ex monocerotis cornu fuiſſe dicũtur, liquore in glaciei ſpeciẽ dẽſato oppleta; cupidines verò ex coagulato lacte matri quaſi alludebant. Excepere Hercules atq; Heſperidũ & pomorũ cuſtos draco. Inter hęc cùm medio in atrio mons repentè extitiſſet, ex eo diſciſſo ferus homo prodijt, qui pòſt carmina in Aragonenſem, atque Ateſtinam ſtirpem decantata, ab ipſo illo monte abſorptus ſimul ex oculis euanuit. Sub finẽ epuli Heroës octo, ac totidem puellæ, princepſque Hercules & Deianira, mox Iaſon cum Medæa, Theſeus, & Phædra, atque alij deinceps, quam quiſq; amaſſe traditur in fabulis eã manu ducebat: atque ità ad citharam choreas plaudere cæperunt. Inter hæc Centauri pari numero parmis, clauiſque armati, quaſi nymphas per vim abducturi cum manus conſeruiſſent, heroës pręſeferentes victoriam vnius Herculis virtute partam ſuperiores diſceſſerunt. Hæc omnia conflicta ſunt in gratiam Herculis, cuius nomen obiter exprimere voluit Romanus, non ſolùm poſtremæ menſæ argumento, ſed etiam iucundiſſimo heroum centaurorumq; depugnantium ſpectaculo. Quin Pontificis, Regis, atque Ducis inter ſe coniunctionem ſignificauit, ſingulorum inſignibus totis paſſim ædibus inuicem conſertis, atque commixtis. Fortè aliquem perſtrinxerat, illa Suſannæ hiſtoria, à Florentinis repræſentata. Iam interceſſerant eam inter gentem & Sixtum, (quas memorauimus) ſimultates. Ergo Petrus Cardinalis, per ſpeciem nuptiarum, Ferrariam, deindè Mediolanum, ac Venetias profectus, dicebatur conſilia aduerſùs Florentinos agitauiſſe. Tantum autem ea ſuſpicio apud Hetruſcos valuit, vt cùm animaduerterent Pontificem, & Ferdinãdum conſpiraſſe inter ſe, Venetos, & Mediolanenſem ad ſocietatem ineundam ſollicitarint. Excuſabat Cardinalis, ſiue præſeferebat, cauſã ſacri belli, Ferrariam, Mediolanum, & Venetias ſeſe conferre. At nihil omninò, apud gentem ſagacem, ſuſpicioſamque efficere potuit, quo minùs exiſtimarent, obtentu ſacræ expeditionis fabam in eorum capite verſari. *Pigna de rebus Ateſtinorum lib. 8. Bugatus hiſt. Mediolan. lib. 6.*

XII. *Iubilæum à Sixto PP. indicitur.*

Quòd bellum attinet Turcicum, certè Sixtus nihil omiſit eorum, quæ illud iuuare videbantur. Inter alia exiſtimabat, Iubilæi Generalis celebritatem, iam ad vigeſimum quintum annum à ſeculari contractam maximè poſſe prodeſſe; ſi ex vniuerſo terrarum orbe populi Romam confluentes, precibus, ſtipendijſque in commune collatis piam militiam adiuuarent, vel à deſiderio Pontificio inflammati, ipſi nomina adſcriberent. Ergo, Annum Iubilæum ad Natalita feſta anni ſubſequentis initiandum, indicere, omneſque Chriſti fideles ad limina Apoſtolica inuitare voluit, diuulgato diplomate, quod adiungo.

*Quemadmodùm operoſi, vigiliſque Paſtoris ſolertia oues ſuæ cuſtodiæ deputatas curat à ferarum præſeruare incurſibus, & ad ſtatum proſperum fœtu multiplicato producere; ità quoque & nos*





*(quibus diſpoſitione ſuperna vniuerſi gregis Dominici ſollicitudo commiſſa eſt) & ſupremis deſideramus affectibus, & ſtudijs nitimur indefeſſis, cunctos Chriſti fideles, quos à iuſtitiæ ſemita hoſtis humani generis diabolica arte auertit, depoſita peccatorum ſarcina, ſuo reconciliare auctori; vt æternæ felicitatis præmijs, noſtri Redemptoris ineſtimabili charitate media potiantur, ſiatque noſtræ operationis miniſterio, vtilitate publicâ ſuadente, etiam per gratiarum ſuſceptionem, quòd eorum ſaluti conueniat, atque noſtræ, & prædeceſſorum noſtrorum ordinationes ſalubres debitis effectibus mancipentur. Olim ſiquidem felicis recordationis Paulus Papa ſecundus, prædeceſſor noſter, rationabilibus cauſis tunc expreſſis inductus, de venerabilium Fratrum noſtrorum, tunc ſuorum, (de quorum numero tunc eramus) conſilio, annum Iubilæum ad breuius tempus prouida moderatione reducens, illum ad annum vigeſimum quintum, Apoſtolica auctoritate reſtrinxit; ac voluit, ſtatuit, & decreuit ex cauſis prædictis, quòd ſingulis. XXV. annis Iubileus annus prædictus celebrari deberet: quòdque anno Domini M. CCCC. LXXIIII. proximè futuro, videlicet à vigilia Natiuitatis Domini noſtri* IESV *Chriſti, idem annus Iubileus inciperet, & vt ſequitur finiretur: ac vniuerſi, & ſinguli vtriuſque ſexus fideles qui Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Baſilicas, Lateranenſem quoque, & Sanctæ Mariæ Maioris almæ vrbis Eccleſias, ſtatutis diebus deuotè viſitarent, omnes, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones conſequerentur, quas idẽ Pontifex, ſuiq; prædeceſſores anno Iubileo huiuſmodi Baſilicas, & Eccleſias prædictas viſitantibus deuotè conceſſerant. per quaſdam primò. & deinde nos, qui (dicto prædeceſſore, ſicut Domino placuit, ſublato de medio) fuimus diuina diſponente clementia, ad apicem Summi Apoſtolatus aſſumpti; & per noſtras litteras, eiuſdem Pauli prædeceſſoris ordinationem, voluntatem, & ſtatutum, ac omnia, & ſingula in eiſdem ſuis litteris contenta, de Fratrum eorumdem conſilio approbantes, ſimiliter ſtatuimus, & ordinamus, quòd annus Iubileus prædictus, cum eiſdem Indulgentijs, & remiſſionibus plenarijs peccatorum, anno proximè futuro, à vigilia Natiuitatis eiuſdem incipere, & vt ſequitur, continuari deberet, prout in ſingulis litteris prædictis (quarum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis) plenius continetur.*

*Verùm quia poſtmodum tàm nos, quàm idem Paulus prædeceſſor noſter, dum in humanis ageret; animarum ſaluti intenti; multorum Principum, & aliorum Chriſti fidelium, ac deuotarum perſonarum pulſati precibus, diuerſas Indulgentias, & peccatorũ remiſſiones plenarias, nonnullis Eccleſijs, Monaſterijs, ac pijs locis duximus concedendas, propter quas populorum forſan concurſus, ad Baſilicas & Eccleſias antedictas retardari, aut ipſius anni Iubilei celebritas minui, vel intermitti poſſet, cum animarum non modico detrimento: Nos, qui vniuerſorum credentium profectibus, & ſaluti proſpicere ex debito miniſterii paſtoralis aſtringimur (nè propter aliarum indulgentiarum hactenus à nobis, ſeu eodem Paulo, vel alijs prædeceſſoribus noſtris conceſſarum huiuſmodi effuſionem, hoc ſanctum opus, ac remiſſionis, & gratiæ annus Iubileus intermittatur, aut fideles ipſi à tanto munere reddantur expertes) remedijs opportunis prouidere volentes, omnes, & ſingulas plenarias, etiam ad inſtar Iubilei, ac etiam commutandi vota, aut ſuper eis, & malè ablatis incertis, aut per vſurariam prauitatem, vel alium illicitum modum extortis, diſpenſandi, & componendi, aut illa ſub certis modo, & forma remittendi, & deputandi confeſſores cum poteſtate abſoluendi, etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, facultates, conceſſiones, & indulta à nobis, & eadem Sede, vel illius auctoritate, quibuſcumque Eccleſijs, monaſterijs, hoſpitalibus, & pijs locis, vniuerſitatibus, fraternitatibus quibuslibet, tàm in perpetuum, quàm ad certum tempus, in vita, ſeu mortis articulo, quouis modo, aut quauis cauſa quomodolibet conceſſas, & conceſſa, & in poſterum forſitan concedendas, vel concedenda, auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium de Apoſtolicæ plenitudinis poteſtate, vſq; ad noſtrum, & eiuſdem Sedis beneplacitum ſuſpendimus, illaſque durante beneplacito noſtro, & Sedis prædictæ, ſuſpenſas eſſe volumus, nec interim alicui ſuffragari: Indulgentijs tamen Baſilicarum, & Eccleſiarum dictæ vrbis in ſuo plenario robore durantibus. Diſtrictiùs inhibentes, alias indulgentias, præter iſtas duntaxat, in locis publicis, vel priuatis prædicari, aut nunciari, earumq; prætextu à quæſtoribus aliquid exigi quoquo modo. Quinimò quæſtores & prædicatores quoſcumque per locorum Ordinarios à prædicationibus, & quæſtis huiuſmodi faciendis, volumus, & mandamus præſentium auctoritate arceri, ſub cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, de quibus viſum fuerit opportunum. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtrorum ſuſpenſionis, inhibitionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Tybure anno Incarnationis Dominicæ. M. CCCC. LXXIII. IIII. Calend. Septembris. Pontificatus noſtri anno III. extr. commun. lib. 5. c. 4. de pœnitentijs, & remiſſionibus.*

XIII. *Ab eodem renunciãtur Card. & ſingulorum nomina.*

Conabatur Sixtus, Romam omnes Chriſti fideles euocare, inimicis crucis Chriſti, quà precibus, quà ſubſidio conferendo euertendis. Eadem de cauſa, vt videlicet viros haberet, qui authoritate apud Reges, & ſuos populares poſſent, tàm illos, quàm iſtos ad ſacram militiam excitare, ad ſecundum Nonas Maij, octo Cardinales ex varijs nationibus creauit, quorum hæc nomina, cognomina, patria, & dignitates.

Philippus de Leuis, Gallus, Archiepiſcopus Arelatenſis, presb. Card. tituli SS. Marcellini, & Petri.

Stephanus Nardinus Foroliuienſis, Protonotarius Apoſtolicus, Archiepiſcopus Mediolanenſis presb. Card. tt. S. Hadriani.

Auxias de Podio, Valentinus, Hiſpanus, Archiepiſcopus Montis Regalis in Sicilia. presb. Card. S. Vitalis tt. Veſtinæ.

Petrus Gundiſſaluius de Mendoza Hiſpanus, filius Marchionis de Santillana, Epiſcopus Seguntinus, presb. Card. tt. S. Mariæ in Dominica.

Antonius Iacobus Venerius, Recanatenſis, Picens, ex Epiſcopo Syracuſano Legionenſis, presb. Card. tt. SS. Viti, & Modeſtæ.

Ioannes Baptiſta Cibo, Genuenſis, Epiſcopus Melphitenſis, presb. Card. tt. S. Balbinæ.

Ioannes Arcimboldus Mediolanenſis; Epiſcopus Nouarienſis presb. Card. tt. SS. Nerei, & Achillei.

Philippus de Vgunecti, Burgũdus, Epiſcopus Matiſconenſis, presb. Card. tt. S. Luciæ in Silice. *Panuinius in Sixto IIII.*

XIV. *Neapolitanus Rex iraſcitur, & quam ob cauſam*

Imperator, Rex Galliarum, Rex Neapolitanus, quamquàm ſinguli ſingulos ſuæ nationis poſtulaſſent creari Cardinales, & Sixtus inclinaret; ſacri tamen ſententia collegij præualuit, nè in præſens numerus Patrũ augeretur; maximè cùm vnus ex his ea dignitate omninò indignũ proponeret. Re in aliud tempus dilata, Ferdinandus Neapolitanus dilationem ægrè tulit: & is, qui ambiebat furijs inuectus, minis Curiã impleuit. Cæterùm hunc Cardinalis Papienſis grauiter corripuit, & Sacerdotalis officij memor reſpondit ſtulto, ſecundùm ſtultitiã ſuam, vt ſibi ſapiẽs non videretur; Regi autẽ, ſacrũ Collegium excuſauit factum, inter alias cauſa iſta allegata; Pontifici, & nobis hæc frequens creatio Cardinaliũ non poteſt nõ oneri eſſe. Dignitas noſtra, vt ſcis, prima à Põtificatu eſt in Eccleſia. Augeri rarò per Pontifices ſolet. Numero etiã ſemper fit vilior. Si pòſt recentẽ aliorũ creationẽ creati nunc tuâ poſtulatione alii eſſent; neceſſariũ mox erat, eodẽ exẽplo requirente Francorũ Rege rurſum creare. Pòſt paulò etiam ad Cæſaris litteras idem efficere. Ità cõtinuatione quotidiana creandorũ Cardinaliũ dignitas vileſcebat: nec plùs erat iam ad hominum æſtimationẽ Cardinalem creari, quàm quemuis ex plebe Epiſcopũ. Hæc Ferdinando Regi, Patres. Papiẽſis Cardinalis iſta priuatim. Cardinali Vicecãcellario in Hiſpanijs Legato, Maio præterito Cardinales octo creauimus. Hoc Iunio eramus penè totidem creaturi, niſi benignitas Dei magis, quàm noſtra diligentia ſubueniſſet. Dilata tantùm, non ſublata eſt res. Quo autem ex genere hominum noſtrum dedecus pararetur, ex aliorum litteris plene intelliges. Vnum deſignabo æquè cognitum tibi, ac mihi: Noſti quem totiens ſpurium di-

*Idem à Card. Papienſi corripitur.*

, quem cauere admonuiſti ſemper: de quo etiã ego in arcanis Cõmentarijs Calixti noſtri exempla diplomatũ reperi ſua manu deſcripta, quibus vitiũ ortus ad Sacerdotiũ, & dignitates Eccleſiæ tollebatur. Hunc ipſũ nũc includere noſtro Ordini conabatur, qui poteſt: ac tãto quidẽ impetu, vt quonã modo iacturã hãc euaſerimus, ipſe demiter. Nil tot annorũ conſtans fama, nil Patrũ nõnullorũ diſſuaſio, nil etiã teſtificatio mea valere apud præcipitẽ animũ poterat. Michaelis Ferrarij fides adducebatur in medium, petebaturq; ad teſtimoniũ dicendũ, vel euocari huc, vel illius accipiendi curã tibi cõmitti. Neutri eſt aſſenſum. Neſcio, an occultè de hoc ipſo admonituri ſint Michaelẽ, & procuratori litteras officioſi mendacij. Tota aũt in hunc modum res pendet: q̃ ſi eſt ſuæ D. ingrata (vt fuiſſe ſemper cognoui) vide, an præuenire hominẽ poſsis, & verũ teſtimoniũ noſcere. Aut ſi ille amicitiæ magis, q̃ conſcientiæ ſeruiendũ exiſtimet, aliundè vitij huius documenta accipere, q̃ ad nos deferens, naſcenti malo nobiſcum occurras. Promitto, ſi talibus ſemel pateat hęc ianua, ſinẽ non ante futurũ, q̃ magna pars noſtrum ex ſpurijs Principũ cõſtet; cui exemplo de Cæſarauguſtano tuo mox gradus proxim⁹ erit. Quo enim ore Regio negemus filio, ꝙ ſubdito conceſſum eſſe docebitur? Doleo in hoc, quem noto, Præſule, conditionẽ hanc ortus vel ferri, vel eſſe. Etenim, ꝙ ſcis, ſumma eſt in eo virtus, & integritas, & ſumma vitæ coniuncta doctrina: vt nihil vtilius cõueniri ad opus noſtri miniſterij poſſit. Sed conſulendũ exemplo eſt, præſenſq; vna vtilitas poſthabenda è detrimẽtis multis futuris. Niſi vel de excelſo Dñs, vel diligẽtia tua iſthinc, vel noſtra hinc cura, ꝙ parũ expecto, nobis ſubueniat, antè Nouembrẽ, vt dixi, ebibendus erit hic calix. Inter nos, q̃ non ſine gemitu refero, Inter nos, mi Vicecancellariè, ſunt, qui vitium tueãtur, & currentẽ ſua ſpõte Pontificem, inſtigationibus aſſiduis pręcipitem agant; ſuę dignitatis, & caſti loci noſtri imemores. De Vlyſponẽſi creãdo erã cõmendationi tuæ aſſenſurus, ſi creari aliquẽ cõtingebat. Hæc Valentino. Iſta Cardinali Rauennati.

*Card. Papienſis S.R.E. Vicecancellario ſcribit.*

XV. *Item Cardinali Rauennati.*

Hæc, Reuerendiſſimè Pater, ſumma omniũ eſt, quæ per hos dies acta apud nos ſunt. Proxima Cardinaliũ creatione, cùm Cæſari, Francorũ Regi, & Ferdinando noſtro locus vni creando reſeruatus eſſet, quem ſibi quiſq; depoſceret, à Cęſare Brixinẽſis Epiſcopus peteret; à Frãcorum rege, nondũ reſpõſum eſſet allatũ; Ferdinandus aũt quotidianis litteris, & nuncijs Tifernatẽ, Salernitanumq; requireret, quos dolebat nuper eſſe præteritos, cõtrarijs ſtudijs res eſt impedita. Salernitanũ apertiſsimè oppugnabat Neapolitanus, Senẽſis Tifernatẽ, Sãctæ Mariæ, & Luciæ Brixinenſem. Grauior nulla cõtentio, q̃ Neapolitani, & Senenſis. Ille, vt excluderetur Salernitanus Tifernatem recipiebat; hic è cõtra Salernitanũ, vt præteriret Tifernas. Sanior Senatus pars Senenſi fauebar, Neapolitano Põtifex qui propter domeſticum famulatũ in Tifernatem inclinans, numero Cardinaliũ nouorũ ſe adiuuabat. Minæ vtrimq; multæ, & tumẽtes animi, & verba ad ſeditionẽ ſpectantia. Adiumentot tandẽ Cardinalis ſancti Xyſti, qui & ipſe Tifernati minùs fauebat. Dilata creatio eſt ad proximũ Natalem Domini Saluatoris, quo tẽpore cùm in eandẽ diſceptationẽ redeundum planè perſpiciam, Deũ precor, paci noſtræ ſubueniat. Romæ XX. Iunij M.CCCC.LXXIII. *epi. Papiẽ.* 511.514.515. Iſta volui adſeribere, vt palã ſit, quãta cum maturitate legebant in Sacrũ Senatum homines, quãtumuis Regia cõmendatione, vel Pontificio fauore ſubnixi; quandoquidẽ Patribus integrũ erat; in natales, in mores, in doctrinã, in ſtudia, in merita, inq; reliqua adiuncta ſententiã dicere, & vel probare, vel reprobare, quẽ vel Rex, vel etiãſi Põtifex voluiſſet.

XVI. *Sixti PP. reſponſum ad Regis Aragonũ poſtulata.*

Poſtulabat inter hæc, Ioannes Rex Aragonum, nepotem ſuum, ſed puerũ, Cæſarauguſtanæ Eccleſiæ Archiepiſcopũ præfici. Ei quid reſponderit Pontifex placet ex adiunctis cognoſcere. *Sixtus IV. Aragonum Regi.*

*Hortatur nos vera charitas, chariſſime fili, vt poſt nonnulla breuia, aliena manu ad te ſcripta, hanc quoq; cedulã noſtra ſcribamus, quò & planè veritas pateat, & tuam Serenitatẽ ad capiendum rectũ cõſilium, falſæ ſuaſiones nõ ſeducant. In veritate etenim loquimur, nec te fallimus, nec animã noſtram. Si Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ præficere nepotẽ tuum potuiſſemus, in puerili nimirũ ætate agentem, id fuiſſet à nobis cupidius impletum, quam à te eſt poſtulatũ. Gratificare enim Maieſtati tuæ optamus, animumq; in eã propenſum cunctis in rebus oſtendere: ſed idipſum ſine graui offenſione Dei, & animæ tuæ, & noſtræ non licuit: & cur nõ licuerit, alijs litteris abunde oſtendimus. Fratres quoq; noſtri, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, qui in partem ſollicitudinis nobis ſunt dati, & quorũ libenter audimus conſilia, nec ſuaſerũt hacten⁹, nec vt videmus hortãte honeſtate ſuaſuri in poſterũ ſunt. Differri res facilius poteſt, quàm mutari, & contriſtari potius mẽs noſtra, quã ad lædendũ miniſteriũ Sanctæ ſedis induci. Pro te, Rex Sereniſſime, pati omnia poſſumus. Sed iacturã animæ facere, nec debemus nec poſſum⁹; nec vt eã faciamus, tuã piã intentionẽ credimus velle. Pro nepote, ſi qua forſan aliunde oblata eſt ſpes illã ſucceſſurã nõ cernimus. Ad negandam quoque poſtulatam prouiſionẽ legitima neceſſitate impellimur. Velis igitur ꝙ proximum eſt more Catholici, & ſapientis Principis conſiliũ capere, conſentaneũ honeſtati noſtræ, & tuæ, pluſque nos audire, quàm alios. Expectatio quæcũq; interponetur, ſuperuacua erit, vexatura nimirũ te, & nos, inprimiſq; Eccleſiæ nocitura. Si vtilitatẽ ex illa quæris nepoti præſtare hanc facilè poſſumus, & quantam cupis & ratione quoq; quã cupis, teq; ad illam ſuſcipiẽdam hortamur. Cardinalẽ enim ſanctæ Sabinæ, qui tibi fidus eſt, & nobiſcũ præſentibus moleſtijs angitur, non dubitamus libenter ſubiturum, quodcumq; illi onus imponendum duxerimus. Habeat nunc nepos commodiũ dignitatis Eccleſiaſticæ. Anni verò, cũ nondum ad Cathedralem, & Metropolitanũ idonei ſint; illo poſtmodum proficiente ætate, & meritis, neque de hac Cæſarauguſtana deſperandũ erit; neq; tituli dignitatũ præſtante Domino ſunt defuturi. Crede cõſilio noſtro, & cape libens, ꝙ tibi offerimus. Moderata Altiſſimo placent, & ꝙ piè depoſcitur, cæleſti benedictione adauget. Idem quoque non probat, ꝙ immaturè, & cum detrimento animæ quæritur. Pro noſtra in tuam ſerenitatem verà dilectione, & ne à diuerſa ſcribentibus forſan fallaris, hæc tecum in ſecreto conſcientiæ communicanda, & declaranda, & roganda manu noſtra putauimus. Affectum fideliter conſulentis, & te diligentis me neglige. inter epiſt. Papien. num. 512.*

XVII. *Archiepiſcopus Gneſnenſis moritur, & qualis is fuerit.*

In Polonia, hoc anno, obiit Ioãnes Gruſcinius, Archiepiſcopus Gneſnenſis, cùm Cracouiam à Rege Caſimiro euocat⁹ veniſſet, repẽtina correptus amẽtia, ita vt nè procuraretur quidẽ ſacris myſterijs cõſentaneũ exactæ vitæ exitũ conſecutus. Fuit enim in omne libidinũ, & audaciæ genus proiectus; cuius ambitione Cracouienſis diæceſis grauiter diuexata erat. Auaritiæ verò, & immoderati in euehẽdis, & locupletãdis fratribus ſtudij, ſeu veriùs cupiditatis fructum, qualẽ oportuit, viuens nõ decerpſit. Nã eo demum defũcto, Caſimiro, ꝙ grandi pecunia mercatus erat, inter Bartholomæũ Caſtellanũ Sendomirienſẽ, & Nicolaũ cognomento Coſmidrũ, fratres eius germanos certatũ eſt. Exequias quidem non admodũ honorificas habuit, dedignãtibus eũ hoc honore Sacerdotibus, tàm Cracouienſis, q̃ Gneſnenſis Baſilicæ, in qua ſepultus eſt. Succeſſor autẽ ei Rege poſtulante, à Sixto Pontifice deſignatus eſt, priuſq̃ dies electioni præſtitutus aduenifſet, non ſine infamia cupiditatis, Iacobus Sẽnenius. Huic verò in Wladiſlauienſi Epiſcopatu ſuffectus, Sbigneus Oleſſnicius Procancellarius Regni. Clemens quoq; Viouienſis Epiſcopus, homo plebeius, ſed probus eo anno defunctus, Albertũ Narbutũ, equeſtri apud Lithuanos familia ortum, ſucceſſorem accepit. *Cromerus lib. 28.*

XVIII. *Abuſus in electionibus Monaſteriorum in Scotia introducti, multorum malorũ cauſæ.*

Eodẽ anno, in Scotia, vacante Monaſterio de Dunferling, coacta Synodo, & eius loci Monachis, vnus ipſorũ Alexander Thomſone nomine in Abbatẽ electus eſt. Sed illa Monachorũ facta electio ad veterẽ diſciplinã, & inſtituta patrũ, hic nullũ locũ habuit. Nã intercedẽte apud Sixtũ Pontificẽ, Iacobo Rege, ad id honoris euectus eſt. Henricus Cryrhorũ, Abbas tunc Paſſeleti. Ab eo tẽpore mos inoleuit, vt quæ vacarẽt per mortẽ Sacerdotia maiore, non niſi præſentante Rege à ſummo Põtifice obtinerẽtur. Simili quoq; promotionis modo Robertus Schæno Rector à Myrro, in Abbatẽ Monaſterij à Paſſeleto Regia ad Romanũ Pontificẽ ſupplici commendatione creatus eſt. Inde ſecularium Clericorum ad monaſteria promotiones, neglectis pijs admodum, & per tot ſecula obſeruatis Conuentus & Monachorum electionibus; primum in Scotia originem acceperunt; atque ab





hoc initio, libelli ſupplices Regum Scotorum in huiuſmodi rebus apud Summum Pontificẽ magnæ authoritatis, & potentiæ fuerunt. Nam quæ anteà omnium xenodochiorum cõfirmationes, ad diæceſis Pręſulem de iure pertinebant, deinceps ad Regis voluntatem, & diſtributionem, conniuente Pontifice ſenſim pertractæ fuere. Sicq; coacti Epiſcopi Scoti metu Principis, cui Romanæ Curiæ authoritas accedebat; neq; electos confirmare, neq; etiã ipſi electi confirmationẽ illam ſolitam à Summo Pontifice poſtulare auſi ſunt. Hinc Monaſteria ad pios, religioſoſque pauperum vſus fundata, dotataque, in priuatorum hominum etiam ex aula Regiâ in ſummis delicijs, ac voluptatibus viuentium grege electorum, non ſine graui fundatorum iniuriâ, collapſa ſunt. Tum piæ contributiones, eleemoſynæque in pauperum alimoniam impartiri ſolitę ceſſerunt, & in delitiarum abuſum conuerſæ, ab ipſis legitimis Monaſteriorum præfectis, quibus diuini cultus, conuentuſque ſui cura mandabatur, detractæ ſunt. Vnde plurima damna, offenſioneſque Eccleſiæ Dei accreuerunt ab ipſis laicis. Eorum ſcilicet, qui ad Prælaturas efferebantur turpiter vitam agentium exemplo permoti laici, relictis & pijs, & diuinis operibus, ad impiam vitam, & omni turpitudinis genere pollutam, imitatione contendebat. *Appendix ad hiſt. Scotorum Boëthij & Leſlæus de rebus geſtis Scotorum lib. 8.*

XIX. *Pro libertate Eccleſiaſtica pugnat Sixtus Pontifex.*

Hoc ipſo anno, Sixtus Pontifex pro libertate Eccleſiaſtica pugnaſſe viſus eſt. Eduardus Angliæ Rex, nè qua Henrici Regis cæſi factio remaneret, inimicorum reliquias omnes vbiq; gentium extinguendas ſtatuit. Itaq; Georgium Eboracenſem Archiepiſcopum, Varuicenſis Comitis fratrem in vincula coniecit, & Guinas in cuſtodiam miſit. Non potuit eam indignitatem ferre Sixtus, quin Regẽ pro liberatione Antiſtitis interpellaret; grauiora cõminatus, niſi dimitteret. Dimiſit ille; ſed Antiſtes poſteà dimiſſus ex angore animi occidit. *P. Virgilius hiſt. Angl. lib. 24. MS. tranſact. Sixti IIII. Biblioth. Vatic.*

XX. *Animaduertit Sixtus in eos, qui cum Dæmone conſortia habent.*

Eodem anno, in eos, qui cum dæmonio conſortia habent, & oracula ab hoſte veritatis petunt Sixtus vigilantiam Paſtoralem exercuit, Iſta ſcripſit.

*Dilecto filio, Vicario Venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Bononienſis in ſpiritualibus generali.*

*Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

*Nuntiatum eſt nobis, nonnullos Ordinis Sanctæ Mariæ de monte Carmeli fratres tantæ fuiſſe temeritatis, vt veriti non ſint diſputando, & prædicando in noſtra ciuitate Bononienſi, eiuſque Comitatu aſſerere, non eſſe hæreticum, & à puritate fidei alienum, dæmonum exſpectare reſponſæ; ob quod aduerſùs ipſius fidei puritatem ſcandala multa exorta videntur. Nos id indignè, moleſtèq; ferentes, & de præmiſſis certam notitiam habentes diſcretioni tuæ per præſentes committimus, & mandamus, vt omni opportuna adhibita diligentia, & induſtria veram notitiam habere cures, an ſit; qui fuerint huiuſmodi aſſertores, & quæ ſcandala propterea ſint exorta. Quicquid autem in præmiſſis inueneris in ſcriptis authenticè redactum, ad dilectum filium, Franciſcum de Toleto notarium, & Datarium noſtrum domeſticum, ſub tuo ſigillo tranſmittas; vt ab eo de omni re certiores facti, quid agi conueniat, auctore Domino ſtatuere valeamus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris, die XVII. Iunij, M. CCCC. LXXIII. Pontificatus noſtri anno III. an Direct. Inquiſit.*

XXI. *B. Ioa. Canthij obitus.*

Hoc anno, celeberrimus, ac egregius vir Magiſter Ioannes Canthius profeſſor, & Lector Ordinarius Sacræ Theologiæ in Gymnaſio Cracouienſi, in priuilegio Natiuitatis defunctus, & in Eccleſia S. Annæ ſepultus, ſignis, & miraculis coruſcare cæpit, & vſque in hanc diem varios languores, diuerſoſque morbos hominum, & iumentorum, curare non deſinit; adeò, vt dignus cenſeatur, qui Cathalogo ſanctorum inſcribatur. Hic operibus miſericordiæ intentus, veſtimenta, & calceamenta pauperibus quotannis ære ſuo empta diſtribuebat. Nonnunquàm diebus frigidioribus viſo aliquo paupere diſcalceato, ipſe calceos ſibi diſtrahens illi donabat, & nudipes demiſſo versùs terram pallio, nè diſcalceatus notaretur, domum redibat. Romam aliquandò pergens, à latronibus ſpoliatus, cùm in diploide aliquot aureos inſutos interrogantibus non prodidiſſet, illos abeuntes, magno clamore reuocauit, & alios ſe aureos occultatos habere indicauit, quos tollerent, & abirent. Illi ſinceritate eius perſpectâ, etiam quæ abſtulerant, reddiderunt. Interrogatus, eccur Romam pergeret, cùm neque lites foueret; neque beneficia, aut dignitates Eccceſiaſticas expeteret, reſpondit; Peregrinationem, & Romæ viſitationem, purgatorium eſſe; & vt à peccatis purgaretur Romam frequentare. In conſultationibus publicis eius Vniuerſitatis, cùm liberiùs pro veritate ſententiam ferens, non potuerit, non alios offendere, ad ſingulorum poſteà cubicula accedens, veniam ſupplex flagitabat, priuſquam ad rem diuinam faciendam diſcederet. Nè porrò in conuictu quotidiano aliquid ei excideret, quod proximum vel irritare, vel infamare poſſet, in pariete cubiculi carbone deſcripſerat hoc monitum;

*Conturbare caue; non eſt placare ſuaue.*

*Infamare caue, nam reuocare graue.* A die mortis illius, vſque ad annum Domini M.D.XII. ad eius nominis inuocationem, verè mortui ad vitam reſurrexerunt numero XVI. fere mortui, & deplorati VI. Varijs ægritudinibus oppreſſi voto concepto curati ſunt LXXXIII. febricitantes XIII. paralytici V. Phrenetici VI. dæmoniacus vnus liberatus. Iumenta duo morientia voto pro eis facto ſanata. *Matthias Miechouius hiſtor. polon. libro quarto. capit.* 69.

XXII. *B. Alanus Ord. Præd. Roſarii fraternitatem reſtaurat ex Deiparæ mandato.*

Hoc tempore, Beatus Alanus Rupenſis Dominicanus, deuotionem in Beatam Deiparentem, titulo SS. Roſarij, vel Pſalterij, varijs in locis intermiſſã, inſtaurabat. Fuit Alanus aliquandò magnus peccator, à multis flagitiorũ ſpeciebus vndiq; multa per tempora ligatus: ſed à B. Virgine ad promouendam eam deuotionem electus, Dominicaniſque adſcriptus, vitam malè priùs inſtitutam, ſeriò poſteà correxit; ac Deo vberem gratiam largiente, tantos in virtute progreſſus fecit, vt diuinis reuelationibus recreari frequenter, IESV Chriſti, Deiparæ, ac S. Dominici colloquijs demulceri, inſolitis donarijs è cælo augeri, denique admirandis prodigijs celebrari meruerit. Studijs quoque Philoſophicis, ac Theologicis diligenter incumbens, eximiam ſibi eruditionem comparuit, & emeritam Magiſterij lauream Sacræ Theologiæ profeſſione obtinuit. Cùm ergo SS. Roſarij amor, eiuſque recitandi ſtudium, quo cultu Virgo Deipara oblectatur, & ad preces fidelium audiendas prouocatur, penè interijſſet, aruiſſentque in cordibus hominum illa gratiarum roſeta, quorum ſemper verni flores hyemem neſciant, peccatis medicinam præſtant, cælorum Reginam, vario virtutum colore adornatam, odore mirifico recreant, & præ amore Dei ſui languentem animam fulciunt: cùm inquam aruiſſent diuina illa roſaria, quæ olim Sanctiſſimus Ordinis Prædicatorum Fundator Dominicus plantauerat, atque fæcundis concionum, ac virtutum ſuarum fontibus rigauerat, adque pulcherrimam ſpeciem florum, & fructuum maturitatem euexerat: Beatiſſima Deigenetrix hunc Alanum eiuſce ſui cultus reſtauratorem elegit, qui Roſarij longè ſibi gratiſſimi amorem rurſùm excitaret, priſcumque eius recitandi feruorem ſacrarum exhortationum facibus inflammaret. Quarè ei ſe conſpicuam fecit, & imprimis horrendas vniuerſo orbi pœnas imminere ſignificauit; deindè de neglecto Roſarij cultu eum admonuit,

quem vt totis viribus promouere ſatagaret, rurſumque ſacra illius ſodalitia aggregaret, imperauit. Diabolum hominum ſaluti inuidentem, magnis molitionibus pio illi inſtituto remoram inijcere conaturum, atque ipſi Alano grauia illaturum prædixit; afferre ſe tamen in omnibus opitulatricem promiſit, felicemque totius rei progreſſum ſibi curæ futurum ſpopōdit. & verò vt in munere hoc perſequendo inſtructior eſſet, atque confidentior, annulum ex ſanctiſſimi capitis ſui crinibus mirabili opere contextum dono dedit; beneficium ſanè rarum, atque inæſtimabile. Præter hæc Roſarium vnum (globulos precatorios) collo eius iniecit; ac, quod omnem fidem exuperare videtur, exerto virgineo vbere, lactis copiam oranti, & contemplanti in os infudit. Ad extremum, ſi negligeret tàm ſalutare mundo Roſarium propagare, diuinæ offenſæ, & mortis vtriuſque periculum illi comminata eſt. Ea reuelatione affectus vir ſanctus, tanto ardentiore animo deuotionem excitauit, quanto remiſſiore ab ea Chriſti fideles defecerant. Nam tanta cura, atque diligentia huic prædicandæ incubuit, cum alia plæraque loca, tum maximè Septentrionalem omnem Galliæ Belgicæ oram, & Saxonum in Germania, & Britanniorum vrbes in Gallia perluſtrans, vt multa hominum millia breuiſſimi temporis ſpatio huic ſodalitio inſcripſerit: præſertim ſubſequentibus ſignis, & miraculis, quæ ex hac orandi formula, ad interceſſionem magnæ parentis, DEVS in ſalutem omnium perpetrabat.

XXIII. *A Diabolo variè Alanus vexatur.*

Dolebat tenebrarum Princeps diabolus, *Mariam* periculoſi huiuſce maris Cynoſuram, ſereno vultu ſplendeſcentem, Alani operâ, diſcuſſis ſcelerum nubilis, naufragantibus fidelibus commonſtrari; torq; vbique virtutis palæſtras, confugia pænitentiæ, aſylam pietatis inſtitui. Quarè in ipſum primarium omnium Coryphæum bellum molitus, grauiſſimis illum malorum incendijs circumcingere voluit, ijs præſertim, quæ in vaſta ſolitudine, atque inter feras olim in frigido, ac præmortuo Hieronymi corpore ſola bulliebant. Datus ſiquidem fuit ei ſtimulus carnis ſuæ, qui eum acriter colaphizaret, & libidinum flammas caſto pectori ſubijceret. Nec verò vnum vnicum ſolum fuit illud certamen, quamquam è plurimis alijs prædurum; etenim truculentus ille in varias formas ſe transformans, qui Iobum, Antonium, Macarios, Paulum eremitam, ſimileſque complures ad inſignem inuictæ conſtantiæ palmam exercebat, ſeptem annos continuos, Alanum crudelitate mirabili, & aperto, vt aiunt Marte, perſequutus eſt. Ita verò, modò horribilibus ſpectris eum deterrebat, modò immani crudelitate diriſſimis verberibus affligebat, varijſque tormentis excruciabat, vt etiam ad deſperationem propè adducere conatus ſit Iſta de ſe, ſed nomine ſuo, ſuo more ſuppreſſo narrabat, libro poſtumo de dignitate Pſalterij, ſeu Roſarij B. M. V. c. 4. & alijs. Antequàm, *ait*, ad Roſarij admirandam gratiam peruenit, aſſiduè cantabat hoc Canticum MARIAE, cupiens liberari à malis diaboli, carnis, & mundi. & quidem à quibuſdam eſt liberatus; ſed alijs maioribus pugnis eſt impugnatus. Septem enim annis continuò à diabolo fuit crudeliſſimè tentatus, percuſſus, & flagellatus: adeòque fuerunt ſæua hæc verbera, vt ſæpiùs ei vitam extorſiſſent. & ipſe in deſperationem corruiſſet, niſi *Maria* virgo eum adiuuiſſet. quinimò ſæpiùs tàm vehementer agitatus fuit à ſpiritu deſperationis, vt ſæpè ei vitam extorſiſſet; & ſignanter ſemel, niſi viſibiliſſimè in Eccleſia Ordinis eiuſdem

*A Deipara conſortatur, & deſponſatur.*

MARIA eum liberaſſet, ſubitò tentationem profugando. Manus enim illius, heu! trahebatur ad ferrum, & ipſo nolente flectebatur brachium cum ferro ad guttur proprium, tam validè, vt tunc ſe iugulaſſet, niſi brachium eius Regina pietatis tenuiſſet, alapa eum feriendo, dicens! Quid, ô miſer, quid agis? Si me debitè inuocaſſes, vt dudùm ſolitus es, nequaquam in tantum periculum incurriſſes. Dixit, & diſparuit. Sed & paulò pòſt grauiſſima, & ferè incurabilis infirmitas eum arripuit, vt omnis hanc ſciens, indubiè iudicaſſet, hunc mortis vicinæ fuiſſe filium. Cùm igitur à dæmonibus vndique agitatus, turbatus conſcientia, infirmitate grauatus miſerabiliter iaceret, vehementiſſimis ſuſpirijs ad Virginem MARIAM ità ferè clamabat; Heu me miſerum mortis filium. Heu, quid faciam! Cæleſtia mihi repugnant. Speraui me habere tuam, ô MARIA, gratiam; & ecce grauiorem vndique decidi in maledictionem. Heu me, cur natus ſum? Cur religionem hanc intraui? Quò mihi valuit ſeruitium Dei tàm durum? Vbi veritas dicentis, *Iugum meum ſuaue eſt*? &, quòd non permittat tentari vltrà quàm poſſumus? Ità ille cùm Iob, & Hieremia clamans deficiebat. cum ecce ſubitò, poſt decimam noctis horam reſplenduit claritas Dei in cella, apparuitque Beatiſſima virgo MARIA, quæ ſuauiſſimè ſalutato, & colloquijs multis lactato, lethalia vulnera rigauit, & mox ſana reddidit: ſimulque eum ſibi, Domino IESV Chriſto præſente, & multis ſanctis realiſſimè deſponſauit.

XXIV. *A falſis fratribus plurima patitur.*

Grauia verò iſta ſunt, & admiranda; nec tamen hic finis, aut à tentationum turba conceſſa quies. & enim & à falſis fratribus, Pauli inſtar, plurima paſſus, eſt Alanus. Nonnulli ſiquidem viri Eccleſiaſtici, ſeu quæ ille euulgabat miracula atque eximia Virginis Deiparæ beneficia, vtpotè inſolita, non admodùm probabant; ſeu (quod interdum fit) inuidiæ ſtimulis agitati, iniquè ferebant, ſummâ omnium gratulatione prædicationis palmam Alano tribui. Vnde obloqui primùm, deinde calumnias texere cæperunt; tum verò concepto odio, etiam eas aſſerere ſunt auſi; & innoxium Virginis clientem, dicam etiam (vt ipſe ſe paſſim, nominat) nouellum ſponſum, apud Ferricum Tornacenſem Epiſcopum impudenter criminari. Alanus verò ex iniqua illa diaboli per emiſſarios quoſdam machinatione, non iàm ſe ſolum impugnari, ſed & pium ipſum Roſarij inſtitutum periclitari ratus, Apologeticum ſcripſit, quo muneris ſui rationem reddidit, & quæ à ſe vnquàm de Roſarij admirandis dicta fuerant, veriſſima eſſe demonſtrauit. Nihilominus periculoſus ille cum perſonata (vt creditur) contrariorum pietate cōflictus, ei cauſa fuit, cur nonnihil remiſſius, & minùs, quàm par eſſet, prædicandi Roſarij munere perfungeretur. Quod Chriſto, eiuſque Matri ingratum fuiſſe, ex eorum admonitione, & increpatione cognouit. Rem ipſe narrat, c. 13. Vidit is aliquando, tempore celebrationis, in S. Euchariſtia Dominum noſtrum *Ieſum* Chriſtum quaſi crucifixum, ſicut fuit tempore paſſionis ſuæ, audiuitq; Crucifixi vocem. Tu me iterum crucifigis. Cui ille: ô Domine *Ieſu* Chriſte, quomodò infelix ego ſcelus tàm nefandum perpetrare poſſum. & Dominus IESVS, Tua peccata me crucifigunt, etſi non operando, tamen omittendo. Cum enim habeas ſcientiam, & potentiam ad officium prædicandi, tu es reus omnium malorum, quæ auertere poſſes, ſi prædicares Pſalterium meum. Factus es enim, ſicut canis non valens latrare; cum tamen totus mundus lupis repleatur: & niſi te emendaueris, in Patre omnipotente iuro, quod tu de falſo prandio mundanorum iſta accipies. & ſubitò videbat quaſi barathrum infinitæ acoracitatis, vbi cernebat viros Eccleſiaſticos, & Religioſos, & mundi potentes in copia innumera diſcumbentes, *vbi nix, grando, ignis, glacies, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum*, erat, omneque genus ſerpentum, cunctaque

*Crucifixus eum alloquitur, & increpat.*





mundi turpia, & horrenda, comedebantque vſque ad plenum. Tunc Chriſtus ad eum dixit; Ecce, ibi tua requies, ſi amplius ſilueris. At ille dixit, *Domine, quid me vis facere*, & Dominus IESVS Chriſtus; Prædica Pſalterium meum, & nè timeas. Ego pugnabo contrà omnes, te pro iſta materia impugnantes.

XXV. *Deipara Alano apparet.*

Alio quoque tempore affuiſſe ſibi Sanctiſſimam Deiparam, itemque ſecum de tepore, & animi remiſſione expoſtulâſſe, ſcribit idem eiuſdem libri cap. 52. in hunc modum. Sponſus nouellus glorioſſimæ Virginis MARIAE fuit aliquandò raptus; poſtquàm diu Pſalterium Virginis MARIAE peroraſſet. In eo raptu vidit aſſiſtentem Beatiſſimam Virginem MARIAM, quæ ſic eum allocuta eſt: Cùr more ſolito non deſeruis mihi in Pſalterio meo? Rectè incepiſti; ſed acediâ multùm intepeſcis. Et nè modicam putes mercedem eſſe, quæ tibi dabitur, ſi fideliter ſeruieris, vltrà eam, quam accepiſti; veni mecum; gloriam, & excellentiam tibi manifeſtabo ampliorem. Sic igitur MARIA ducente ad cæleſtia peruenit palatia, vbi vidit ciuitatem &c. Et pòſt multa, ac miranda, Beata Virgo inquit; Similes ſpopondi ciuitates cunctis ſeruientibus mihi in Pſalterio meo. Tunc pijſſimus IESVS ait; Ego, ô ſponſa chariſſima, tui amore, me eis cum omnibus poſtulatis in æternum condono, ſi perſeuerauerint in Pſalterio noſtro. Tu vero (ad Alanum ſermonem conuertit) adde, & fortiùs orare memento, & attentiùs, ſi ciuitatem tuam volueris facere ampliorem, clariorem, & ſuauiorem. Sicque volens, nolenſque cæleſtia dimiſit, & in terra ſe triſtem reperit in parte, de tantæ gloriæ dimiſſione. Excitatus autem his correptionibus, ſedulò omnem nauauit operam, vt intermiſſum prædicandi ſtudium, frequentioribus concionibus, & multiplici fidelium fructu, maioreque Sacri Roſarij incremento compenſaret; ſemper in ore ſalutationem Angelicam ambulando, loquendo, prædicando habebat: & quandocumque aliquid pronunciare, aut dictare volebat, priuſquàm inciperet, genibus flexis, ſalutationis Angelicæ ſuffragio diuinum auxilium requirebat. Cùm autem (vt alijs pleriſque ſanctis accidit) ſemel ad cæleſtia contemplanda animo eſſet ieiuno, & arido, eaque de cauſa anxiè torqueretur, apparuiſſe ſibi, & ſolatium attuliſſe mundi Reginam, in hunc modum ſcribit, capite quinquageſimo ſexto. Specioſitatis immenſæ, & ineffabilis miſericordiæ dulcedinis, benigniſſima Virgo MARIA ſuum addidit viſitare ſponſum; infrà octauas quaſdam Omnium Sanctorum, cuius infinita videbatur pulchritudo, adeò admirabilis, vt omnis mundi pulchritudo huic comparata, videretur ſola eſſe pictura, & vmbra veritatis: tantæque ſuauitatis, ac glorioſitatis ipſa erat in ſuo aſpectu virgineo, tamque profunda in eloquio, vt omnium æſtimationem hominum penitùs excedat mortalium. Cumque iam præfatus multis elapſis anteà diebus ſatis vagabundè officium Pſalterij dixiſſet, de hoc ſuprà modum dolebat, quòd attentè, & ſapidè illud Pſalterium dicere non valeret. Aeſtimabat enim Pſalterium nihil ſibi prodeſſe, cum ad idem non poſſet attendere; ſingulariſſimè ex dæmonum maxima tentatione, quâ mente quamplurimum totus erat obtenebratus. Hunc igitur Domina noſtra trepidantem, & de Eccleſia fugere volentem alloquitur, dicens: O dulcis fili, nè fugias. Ilicò diuina tunc virtute pedes eius terræ inſeparabiliter adhæſerunt. Rurſus Domina ad eum; ſi de me, meiſque puellis dubitas; ſigna me ſigno ſanctæ Crucis, cunctaſque mecum, quas vides puellas. & ſiquidem à maligno ſumus, fugiemus: ſin autem, fortius ſtabimus, & clarius tibi apparebimus. quod & fecit. Quibus peractis, Domina ad eum ait; O fili iam non dubites. tua enim ſum ſponſa; ſciaſque non ſine afflictione in hoc mundo quemquam poſſe viuere. Nam nec ego, nec filius meus, nec alij ſancti hoc habuerunt. Quinimò tè præpara ſub armis fidei, & patientiæ, ad varia pluſquam vmquàm ſuſtinendum tentamenta. Nec te ô fili, elegi, vt pigriteris ſed vt bella mea tanquàm miles inuictus prælieris. & peramplius, non terreat te ariditas mentis, quam me volente aliquibus diebus paſſus es. Hoc enim debes capere tamquàm ſupplicium in pœnam pro tuis peccatis, & ad promotionem patientiæ, & virtutis, atque pro ſalute viuorum, & defunctorum.

XXVI. *Variarū monilibus Gratiarū ab illa ornatur.*

In eadem apparitione, Mater miſericordiæ, nouellum ſuum ſponſum, vndecim gratiarum monilibus ornauit cum illi dixit: Impetraui tibi omnium peccatorum remiſſionem; nec morieris in reatu peccati mortalis; ſed ſi offenderis, in hoc mundo punieris. 2. Do tibi, vt lucem quandam habeas ſemper præſentem, in qua me habebis, & videbis ſemper præſentem, & adiuuantem, longè clariùs, & veriùs, quàm ſi me videres, aut tangeres, oculis, vel ſenſibus corporis. 3. Do tibi gratiam impetrandi à Deo omnia poſtulata, quæ oraueris. 4. Do tibi ſentire influentiam cæleſtem, hoc eſt lucem in membris ſubintrantem, teque pertrahentem, ad conformitatem voluntatis diuinæ. 5. Do tibi, vt præſentialiſſimè ſit Dominus tecum, non viſione oculorum, ſed fidei, & ſub lumine clariori, quàm ſit lumen ſcientiæ. 6. Do tibi, vt videas in te totam Sanctorum Curiam cæleſtem, & cum aliquo ſenſu, & luce illuminante ſentias. 7. Do vt audias loquelam meam, & Sanctorum. Nec vox iſta eſt corporea, nec phantaſtica, ſed quædam alta, clara, diſtincta, mentem afficiens, & erudiens. 8. Do tibi ſcientiam, non humano ingenio acquiſitam 9. Do tibi, vt mulieres numquàm tibi noceant ad luxuriam, quantumcumque pulchræ. 10. Do tibi benedictionem in ſermone tuo, vt ſentias inde Chriſtum loquentem, ea, quæ debes loqui. 11. Do vt ſentias in corde tuo filij mei vitam vniuerſam. & in te lucem confortantem ad omne bonum, pellentem omnem acediam, & paſſionem.

XXVII. *S. P. Dominicus apparet Alano.*

Præterea videnti, vigilantique apparuit ei aliquandò S. Pater Dominicus, dicens; Vides, quomodò profeci per virginem MARIAM in ſermone iſto? Id ergo facias, & tu & omnes MARIAE amatores, vt ſic trahatis populos ad veram ſcientiam omnium virtutum, & morum per Pſalterium MARIAE Virginis. Modò caueas, nè potiùs laudem humanam quæras, quam fructum animarum.

Ab his, & aliis apparitionibus, & alloquijs, Alanus animatus, longè lateque hoc deuotiſſimum Pſalterium, ſeu Roſarium, ad diuini cultus augmentum, & populorum ſalutem, non ſine miraculorum frequentia, ſed nec etiam ſine condradictione multorum propalauit. *Hyacinthus Choquetius in Alano. Andreas Copenſteinius lib. 2. de Roſario.*

XXVIII *Roſarij reſtauratio quibuſdā ingrata.*

Hoc enim anno 1473. cum ſeneſcens SS. Roſarii pietas, iubente Deipara Coloniæ à V. P. Iacobo Sprengero, & FF. Predicat. renouaretur, procedente eorundem induſtria, & ſodalium augeſcente numero proſpera Roſarii principia, duobus illius Vrbis, Concionatoribus ingrata, & iniucunda fuerunt. Honorabat concionatorum hoc par, & celebrabat maximè populus, ob eloquendi artem, ideoque ad horum vtriuſque concionem audiendam, innumerabilis mul-

titudo conſluebat. Igitur Roſarij creſcentis iniuria tacti, pium illum ità precandi morem vituperari adorti, ſeque verſutè, ac veteratoriè in auditorum animos inſinuantes, Roſarij religionem, & ſanctitatem perfidiosè, impieque vexarunt. Dominicanorum inuentum illud eſſe, qui, vt ſua ſodalitia compleant, eius rei inuentricem eſſe Virginem mentiuntur. Quaſi verò preces deſiderentur, diuinaque deſint in Dei Eccleſia carmina, quibus, more, inſtitutoque maiorum, Virginis gratiam demereri poſſimus. Roſarij tàm multa gymnaſia vbiquè per Dominicanos inſtituta, quid ſibi vellent, ſe prorſùs ignorare; neque placere importunas quorundam preces, quæ ad imperium proximè accederent. Multas eſſe apud Chriſtianos grauioribus de rebus Sodalitatis inſtitutas, quas iniri ſatius eſſet. Nobis auctoribus vetera, inquiunt, ſani retinere, noua, & inuiſa relinquite. Illa Filio, Matrique probabuntur, quibus ipſa ſuffragetur antiquitas, quæ Sanctorum Patrum ſancita decretis, ſtabilita legibus, corroborata vſu, fauentibus ſuperis Chriſtianorum pietas obire ſolet: Horum nos præbebimus hortatores deliberanti, laudatores facienti. Quin & illorum alter incredibili audaciâ cum Sodalitatis pernicie, & ſacri iniuria Roſarij, ex ſuperiore loco multa iactauit, multa impudenter effutiuit, quibus retardati quàmplurimi, & ab illa pietate deterriti, partim Societatem, quam iam coierant, deſeruerunt, partim ineundæ conſilia prorſùs abiecerunt. Ergo, quæ tàm multos numerabat, ad paucos redacta Sodalitas, ſuam ſolitudinem deplorabat. Roſa languebat, religioſæ coronæ ex Colonienſium capite, collo, & manibus defluebant. Cùm verò nugator ille quoſdam, animaduertiſſet, & Roſarij adhuc tenaces eſſe, & Sodalitia frequentare, ad eam religionem, funditùs eijciendam, & eius exinanienda collegia, concionem in proximum Dominicum diem cum applauſu auditorum indixit, in ea ſe monſtraturum, quàm eſſet inanis, & futilis illa religio. Aduenerat dies ille Dominicus, populuſque in maximam concionis expectationem adductus, templum omne compleuerat, cùm eundi tempus eſſet, neque tamen Orator appareret, quæſitus à ſuis inuentus eſt mortuus. Nam proximi Sabbati nocte, cùm ſanus, & valens, & cubuiſſet, & minacem illam concionem habiturus eſſet, Dei iudicio omnia cõtuentis, ac regentis, obijt repentinè, nullo teſte, nullo auditore, nomine, qui IESV, & MARIAE ſalutifera nomina identidem inuocaret, aſſiſtente. Ille alter Orator, erroris concors, & ſocius, & Roſarii exagitator impius, illud humanitùs euenìſſe cenſens, mortui conſiliorum ſe profeſſus hæredem; Roſarii reliquias delere conſtituit, & in eum finem, concionem aduocauit, dumque in ſuggeſtum parat aſcendere, tota Vrbe inſpectante, paralyſi repentina correptus, in terram ſubitò concidit, integra tamen Dei beneficio mẽs muto, infantique relinquitur. Igitur cum intellexiſſet improbati Roſarii ſe pœnas meritas dare, & ſupplicii cauſam agnoſceret eſſe iuſtiſſimam, Cæli Reginam, cum voce non poſſet, animo, & corde compellat, leniſſimeque Matris opem mutatus implorat, & linguam à Deipara poſtulat, qua prædicet, dilaudetque Roſarium, quòd furiis agitatus, impugnaſſet: impias, ac nefarias conciones commendandi pro dignitate Roſarii, tùm aſſiduitate, tum alacritate, & ſtudio, ſe correcturum eſſe promittit: diligentioremque ſe ad reſtituenda Sodalitia fore, quam fuiſſet ad euertenda furioſus. Vix ſponſionem, votumque finierat, cùm vox illi linguaque redditur, & valetudo priſtina repararetur. Indè ad ſuggeſtum lætus aſcendit, & in illa maxima frequentia Roſarii laudes ſuauiſſimè, veriſſimeque proſequitur, taleque ei pietati teſtimonium dedit, quale eius eſſe oportebat, qui beneficio Virginis ex tanto, & tam graui, tum periculo, tùm ſupplicio incolumis euaſiſſet.

*Detractores Roſarij diuinitùs puniuntur.*

*P. Ioan. Lopeſius lib. 1 de Roſario cap. 15.*

XXIX. *Dæmoniacus per Roſarium liberatur ab Alano.*

Eodem anno commoranti B. Alano in Picardia, oblatus fuit homo, quem etiam malus genius ſedem ſibi legerat, tantumque torquebat ac diſtrahebat, vt neq; funes, neque catenæ ad coërcendum illum ſufficerent. Ad exorciſmos Eccleſiæ ſolennes, res deducta fuit, ſæpe vſurpati & iterati ſunt, ſed fruſtra. Tandem Alanus Roſarium ſuum collo poſſeſſi appendit, dæmonem eiicit, & hominem inſtar agni manſuetum dimittit. *P. Archang. mirac. 5.*

# ANNO CHRISTI 1474.

## SIXTI PAPÆ IV. Anno 3. & 4.

## FRIDERICI ROMANORVM IMP. Anno 35.

I. *Geſta in ſua Legatione recẽſet Card. S. Marci.*

MARCVS Aquilegienſis Patriarcha, S. Marci Cardinalis, vſque ad annum præſentem, in Legatione Germanica, Bohemica, Polonica, Vngarica apud Imperatorem, & Reges laborauit, vt diſſidentes conciliaret, & in Turcas armaret. Ad xv. diem Nouembris Romam reuertens, in pleno Senatu de rebus in prouincia geſtis ex conſuetudine retulit. Longa fuit diuturnæ peregrinationis oratio, horis ferme duabus ſine intermiſſione continuata. Dixit enim qua die ab oſculo: & benedictione Pontificis Venetias perueniſſet; qua mox Cæſarem conueniſſet; qui cum illo habiti eſſent ſermones, quique ſermonum exitus. Tranſiſſe inde ad Regem Hungariæ, & Poloniæ, quodq; fuiſſet legationis caput. Conatũ eſſe vtrumq; ad pacem, vel inducias diuturnas inducere, habitos ea de re conuentus nonnullos, tractatus ductos varios; nunc ſperatum eſſe, nunc deſperatũ ſummis tandem laboribus pacem factam. Conſilia interim ſua, & aliena, minutatim explicuit. Addidit qua mente fuiſſent ad pacificationem Reges; qui adiutores, turbatoreſue rerum: denique qui animi in ſedem, quæue in Regnis religio. Ab iis porrò deſcendiſſe ad conuentum, qui Auguſtæ in Germania erat habendus; agitata in eo multa, nulla pene decreta. Dacatum tantùm Regem, qui paulò antè Romæ fuiſſet, egregia de ſenatu Apoſtolico aduersùs detractores illius teſtatum; qui palam, ambitioné, rapinas, & corruptelas Romanæ curiæ in frequenti multitudine lamentabantur. Adiecit, dediſſe operam, quam potuit, vt Cæſarem Palatino conciliaret: contentionem Præſulis Colonienſis cum Capitularibus contentione, vel ſententia tolleret: Ducem Burgundorum, ad deponenda arma induceret, qui Præſuli adiutor venerat, Nuſſiamque oppidum Colonienſis Eccleſiæ obſidebat. Horum nullum cum ſucceſſiſſet, rediiſſe in Italiam ad patrem, qui eum miſiſſet. Commemorauit, quibus vbique honoribus eſſet acceptus. Adiutores ſuos recenſuit, eoſque Pontifici commendauit. Poſtremò, procumbens in genua, veniam popoſcit; quòd nec publicis neceſſitatibus, nec imperio Pontificis, nec Patrum expectationi ſciret à ſe ſatisfactum: nihil tamen omiſſum affirmauit, quod vel poteſtatis, vel diligentiæ, vel conſilii ſui fuiſſet. Laudatus à Pontifice eſt; ſimulque ab eo, & Patribus gratiæ verbis honorificis habitæ. *Card. Papien. epiſt. 595.*

II.

Regum, Caſimiri Poloniæ, Matthiæ Vngarorum, Ladiſlai Bohemorum controuerſiæ hunc exitum ha-





*Regũ quorundam cõtrouerſiæ quàm habẽt exitum.*

bere. [illegible] cũ Marco Legato, ad XXI. diẽ Februarii cõuenientes, pacẽ fecere his cõditionibus: Vt munitiones interceptæ, & captiui vtrimque redderentur; damnorum datorum neutrobi mentio fieret: Vngaro, cum Polono, & Bohemo: vt triennies induciæ eſſent; quas ſi quis Regum violare vellet, ſubditi eius nẽ ei dicto audientes eſſent: aliorum verò quiſquis eiuſmodi quicquam tentaret, ab omnibus pro hoſte, & perduelli haberetur; nihilominus tamen firmæ eſſent induciæ. Hoc verò facilior fuit Matthias ad æquas conditiones, quòd Tranſiluanienſes à ſe alienatos, Caſimiro ſeſe dedere velle acceperat. Et miſerent ij quidem ad eum legationem, ſe, ſuaque dedentes, & pecuniam, equos, ac milites contra tyrannum pollicentes. Sed tunc demum ea aduenit, cum Regi de pace confecta renunciatum eſt. Quocirca infectis rebus mærens ea diſceſſit. Ad hæc Mahometes Turcarum Imperator cum valido exercitu eam Macedoniæ partem quæ nunc Albania appellatur, inuaſerat, & in ea Scodram oppidum munitiſſimum, inter duos amnes Bolianam, ac Drymum arduo montis ſupercilio ſitum, obſidione cinctam totis viribus oppugnabat. Centum fere millia armatorum, ad eam oppugnationem contraxerat. Ergo Matthias à tàm potente hoſte ſibi metuens, cum Polonis, & Bohemis pacem, ſiue inducias accelerauit, vt in Turcas duceret. Hæ tamen induciæ firmæ, ac diuturnæ non fuerunt. Nihilominus enim hoſtilem aduerſus vtramque Regem animum retinuit. Et in Cazimirum quidem, Nicolaum Tungenum ex Epiſcopum Varmienſem, & Pruſſos, atque Sileſios incitauit: in Ladiſlaum verò quoſdam ſubornaſſe creditus eſt, qui eum veneno extinguerent. deprehenſum venenum, confeſſi ſontes cum quæſtionibus ſubiecti eſſent, & capitali pœna affecti. & Morauos autem, quorum pars magna cum Ladiſlao ſentiebat infeſtare, & ſubigere non intermiſit. Petro Comorouio nobiliſsimæ inter Polonos ſtyrpis Principi quod filium Cazimiri acceptaſſet, ſeptem arces in Vngaria quidem ſitas, verum Sileſiæ atque Poloniæ finitimas eripuit: mox ad pacem redintegrandam hortante Pontifice Wratiſlauiam cum exercitu, profectus, magnam partem Regni Poloniæ vaſtauit, & vtriuſque Regis copias, quamquam innumerabiles ſed torpore quodam diuinitus percuſſas, magnis cladibus afflixit: maximè cum pabulatum, aut frumentatum manipulatim exirent. Tunc enim Poloni aliqui qui in Matthiæ exercitu ſtipendia contra Regem & populares ſuos faciebant, omnibus vijs, & callibus infeſſis, temere procurrentes excipiebant; ita vt plenæ eſſent captiuorum turres, & ergaſtula Wratiſlauienſia. Creuerat autem Polonorum licentia, & cõtẽptus imperij Regij, atque Magiſtratuũ, ex quo ſe cum Bohemis coniũxerunt. Antè enim aliquid tamẽ diſciplinæ ſupererat, cum tres homines equeſtris ordinis, ob raptã è templo cum vaſo argẽteo Sacroſanctam Euchariſtiã, iuſſu Regio, inſpectante vniuerſo exercitu cremati ſunt. Sed id quoque iam deprauantibus Polonos Bohemis pro piaculo haberi deſierat. Nam non modò poſtulationibus agreſtium, virginum, & nuptarum ſtupris, incendijs, omnibuſque alijs ſceleribus, verumetiam neque direptionibus ſacrorum iuxta & prophanorum, tàm in hoſtico, quàm in ſuo Poloni abſtinebant. Quamquàm autem ceſſabant humana iudicia, diuinitus tamen haud impunita manſere, tam barbara, & abominanda ſacrilegia. Exortum enim fortuitu incendium, non exiguam caſtrorum partem abſumpſit, nequicquam ſatagente, & opem ferente numeroſo exercitu. Quo quidem incendio plurimi mortales, & equi, & quingenti currus exuſti ſunt; repertaque ſunt in ſemiuſtulatis curribus fercula, ſiue vaſcula Sanctiſſimorum religionis Chriſtianæ myſteriorum. Nicolaus Tungenus inter hæc, fauentibus, & incitantibus, & clàm adiuuantibus Pruſſis cum alijs, tum Conſulibus Gelanenſibus, quibus permoleſtũ erat Polonum ſibi præfici Epiſcopum, cum pleraſque alias Epiſcopales munitiones obtineret, reliquas quoque, nempè Elsbergam, & Seburgum per dolum in poteſtatem ſuam redegerat; nihil moratus promiſſa ſua de expectando iudicio Pontificis Maximi; cuius etiam diras appellationibus, & alijs artibus homo vafer eludebat, neque ſe ſiſtebat, à Cazimiro euocatus, neque exercitum dimittebat. Peſtis prætereà, ac fames, in caſtris Polonorum, & Bohemorum ingraueſcebat: ager Poloniæ ab Vngaris longè, lateque vaſtabatur. Cumque his malis, hybernum quoque tempus bello gerendo ineptum maturaret, de pace inter Reges agi captum eſt. Congreſſi bis in patenti campo tres Reges, vigeſima prima demum die Nouembris, nihil aliud inter ſe conſtituere, quàm vt delecti ab vnoquoque conſiliarij quaterni, Wratiſlauiæ conuenirent. Quod cum factum eſſet, re inter delectos agitata, pax quidem perpetua non conuenit. Quæ ſatis æquis conditionibus conuenire potuiſſet, niſi Elizabethæ Reginæ Poloniæ faſtus, & pertinax odium obſtitiſſet. Nam ea Matthiã, quemadmodũ Sixtus Pontifex ſuadebat, affinitate bellum finire cupientem, quod neque Regio neq; Ducali genere ortus eſſet, generum aſpernabatur; & quod patrem ſui fratriſque inimicus fuiſſet, auerſabatur, ità vt nullis perſuaſionibus de ſententia dimoueri poſſet; & indulgebat ei pluſculum Cazimirus. Cæterum induciæ triginta menſium conſtitutæ inter Reges: captiui, & munitiones interceptæ, vtrimque redditæ. Nicolaum quoque Tungenum Matthias in eo fœdere cum ſua cauſa coniunxit. dimiſſiſque ad Chriſtianos Principes, & Pontificem maximum litteris, ſolita vanitate de Polonis, & Bohemis triumphauit, ac delere funditus maximos exercitus potuiſſe iactauit, niſi Chriſtianus, Chriſtianorum miſertus fuiſſet. Per quod tempus, venere ad Cazimirum duo Legati Veneti alter ad Perſas, alter ad Moſchos tranſitum petentes. Non grauate conceſſus eſt, quod Pontifice maximo iubente, ad eas gentes contra Turcas exciendas proficiſcerentur. Ab Huſancaſſano quoq; Perſarum Rege Catharinus Zenus, & ipſe Venetus, triennio apud eum legatione functus, aſſuit, incitans Regem ad bellum contra Mahometem ſuſcipiendum. Atque id quidem publicè: ſecretò verò filiam Huſancaſſani natu maiorem, è Catherina, filiâ Imperatoris Trapezuntij ſuſceptam, vni alicui de Cazimiri filijs vxorem deferebat, dotalemque Græciam cum Conſtantinopoli promittebat, ipſius Huſancaſſani armis vindicandam, & cum filia vxore ſimul tradendam. Contrà Vngarum quoque copias, & impendia belli pollicebatur. Sed vana, & leuis ea legatio viſa eſt; neque aliud quidquam ei reſponſum eſt, quàm Regem per ſuos Legatos Huſuncaſſano reſponſurum eſſe. *Cromerus lib. 28.*

III. *VVladiſlaus ſtruitur inſidia.*

Reuerſi quoque ſunt ex Cõuentu Auguſtano, Cazimiri Oratores, qui ad Fridericum Imperatorem anno ſuperiore miſſi, Regni Bohemorum, quod iure feudi, vt vocant, Imperatori Romano eſt obnoxium, confirmationem VVladiſlao filio, illius poſtulabant, & ad ſanciendum contrà Matthiam fœdus inuitabant. & quidem ij optatum reſponſum ab Imperatore retulerunt: in vanum contra nitente Matthia, atque hæreticorum non nemine, qui VVladiſlaum perditum cupiebat, aut eiectum. VVladiſlaus Pragam reuerſus, impias in caput ſuum à veneficis inſidias reperit, comprehenſis duobus, altero Pragenſi, altero Cuthnenſi ciuibus Regi Matthiæ addictis, qui venenum ex Venetijs Pragam attuliſſe conuincebantur. De altero in arce Carloſteynã ſupplicium ſumptum, alter Pragæ in arce mortuus, ſuppreſſo in eum iudicio, à quo ſubornati ad hoc facinus erant. Mota deinde eſt à populo, in Senatum vtriuſque Pragæ, à

VVladiſlao creatum ingens ſeditio; cùm apoſtatæ accuſarent, quaſi nulla in iudicijs religio, nullæ leges nulla iuſtitia ſeruaretur, ſed cupiditas ſola, & auaritia in illis regnaret, modò vndecumq; appareat corruptor, & iudicum emptor; cum interea nemo Senatorum vel nocentiſſimus, reus peragerctur, & plerique eorum modo egentes, repentè diuites facti eſſent. Ergo ab his criminationibus tumultu excitato, idem populus primum nouæ Pragæ, hanc ſibi licentiam in Senatores ſuos ſumpſit, vt bonam illorum partem de Magiſtratu proturbarit, partim etiam ære mulctarit, atque omnes ſolum protinus vertere coëgerit. Mox imitata vetus Praga, eundem per omnia cum Senatu ſuo ludum luſit; niſi quòd præter ea duos ex ijs capitali pænæ deſtinauit, ſi non Rex interuentu ſuorum illos à damnationis periculo ſubtraxiſſet, caſtigato vtriuſque vrbis populo, quod iudicia ſibi temere ſumeret, non ad multitudinem, ſed ad Regem pertinentia. Sed apud indomitam turbam cuiuſuis perfidi apoſtatæ ſeditioſa vox pluſquam Regis authoritas valebat, quoniam nimia Regi probitas, nimiaque patientia inerat; qua apoſtatæ abuſi, cùm nihil planè haberent quod ei vitio dare poſſent, in concionibus gentis vocabulum, quaſi probrum ei obiectabant, Polonum per contumeliam vocitantes, ablegandumque rurſus ad Polonos vociferantes, vt cum illis Romanam coleret religionem, quando Bohemum calicem bibere abnueret. Proximè inſtabant dies carnis priuij adipales, non tam dapibus, quam tripudijs, & vſurpatis ſaltibus celebres.

*Seditio Pragenſiũ in VVladiſlaum regem.*

Ad hos dies Wladiſlaus in domum Regiam Ciues Pragenſes cum ipſorum coniugibus frequentes inuitauerat, & totum ijſdem triduum, epulas in conſpectu ſuo præbuerat, adque hilaritatem prouocans, ſimul choreas, & tripudia obierat: nihil minus opinans, quàm vt publica eiuſmodi gaudia, in priuatam ſui contumeliam à præuaricatoribus trahi deberent. At illi odio in Regem inflammati, maxima voce; *Videte*, vociferabantur, *fructus Religionis quam Rex veſter adorat, petulantia videlicet, luxuriaque, & libidinum plenos; ac retinete diutius talem Regem, vt ſuper vos pluat ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum.* Atque hæc tàm importuna, tamque inſolens cenſura, magis Pragenſibus, quàm Regi acerba fuit. quippè illi expellendos ſtatim vrbe huiuſmodi nebulones, qui de virtute locuti, turpius ipſi multò viuerent, cenſuerant: contra Rex, ne id in præſens fieret, interceſſit, ac ſatis monere illos habuit, vt deinceps ori ſuo adponerent cuſtodiam. Non infacetè tunc Bohuslaus Haſiſteynus, genere, & doctrina præcellens luſit Pragenſes, poſtquàm in arce ſua illos audiuit, lupanar publicum incendiſſe. Hoc non eſt, inquit, tollere vitia Veneris, ſed totam vrbem malo Veneris ardore implere, ex vno igne, ſcintillis per ſingulas domos excitatis. Poſt hæc VVladiſlaus Rex Conuentum Ordinum habuit. In eo, ab his, quos ad perturbandum Regnum, inopia, atque mali mores ſtimulabant, ſecretum componendæ nouæ aduerſus Regem coniurationis, in domo quam collegij vocant, quæſitum, allatis in medium pactis, & conuentis conciliabuli Baſileenſis, de communione vtriuſque ſpeciei, quaſi illa per Regem infirmarentur, quia totum ſe à calice ſeditioſo auerterat, Romanam ſectatus religionem. Inter ſe igitur, ſub prætextu pactorum tuendorum, noua in Regem conſilia conſociauerunt, ad vrgendum illum, vt eodem cum illis biberet poculo, aut inde in Poloniam rurſus abiret. Atq; hæc intrà Pragam, vbi præuaricatorum, ſeditioſorumque Sacerdotum maximus numerus inerat; qui vehementius populum pro concione inſtigantes, perinde quaſi malè ſani ſtimulis egerent, Regi tantam apud plebem Pragenſem conflauerant inuidiam, quantam ille non facilè reſtinguere poſſet. eoque inſani impudentiæ proceſſerant, vt ore illoto Regem appellarent. Suem *Polonum haris ineundis quàm aris, in quibus calix proponabatur adeundis, aptiorem.*

*Nec minor Cuthnenſium.*

Eam impudentiam, cum neque Senatus Pragenſis, neque ipſe Rex comprimere valuerint, multitudine indomita præualente, quæ probroſis concionibus applaudebat, ceſsit tempeſtati Rex ad tempus, ſeque ex vrbe, in receſſum arcis Gradecæ contulit; atque indè ad Cuthnenſes profectus eſt, de Charybdi, quod dici ſolet, in Scyllam. Nam apud Cuthnenſes quoque, veluti canes, fœdo latratu aduerſus maieſtatem, & pietatem ſuam latrantes adiuit, ac præcipuè ſutorem quendam, natione Polonum quem mox arripi, & in domum, in quam diuerterat (altam Curiam vocant) pertrahi carcerandum iuſsit. Conuolarunt ſubitò operæ, quæ in officinis metallicis operabantur, & viri amplius quingenti, domum Regiam circumſederunt, vociferantes, ſe ferro in illam, & igne graſſaturos, niſi protinus illis ſutor incolumis reſtitueretur. Eo reſtituto, ſine cuiuſquam iniuria ad ſuum quiſque opus reuerſus eſt. Inter hæc Senatus Pragenſis audaciores quoſdam de plebe exilio puniuit, cenſuram autem in Sacerdotes contumelioſos Regi reſeruauit, quando neque Archiepiſcopus, neque vllus Epiſcopus in Bohemia cenſor Sacerdotum extaret. Qua de re certior factus Wladiſlaus Pragam rediens cenſuram Archiepiſcopi induit, & Sacerdotes quoſdam ob linguæ petulantiam notari dignos à ſacris ædibus remouit, inque vincula coniectos in arce Carloſteyna includit, præbitis ad menſuram pane, & aqua, nè ſaturi ferocirent. Vnus ex eis erat ad Sancti Galli, alter ad ſancti Egidij, tertius ad Sancti Nicolai minoris Pragæ, qui populum inflammabant, nè Wladiſlaus pacificè regno frueretur. Vnde factum vt neque, is neque Cazimirus pater potuerint quicquam ſubſidij ferre, aut copias ducere in Sacram bellum. *Cromerus ſupra: Dubrauius hiſtor. Bohem. lib.* 31.

IV. *Veneti claſſem in Turcas educunt.*

Veneti, non tam à Pontifice maximo incitati, quam neceſſitate premente adacti, claſſem contra Turcas, etiam hoc anno eduxerant. Scodram, vt diximus, Mahometes oppugnatum aduenerat. Ergo Patres, Petro Mocenico, Triadano Grito, & Antonio Lauredano ſummam rei permiſerunt, nè inſigne nobiliſſimumque totius Macedoniæ oppidum, quod veluti ianua eſſet totius Italiæ, in manus barbarorum veniret. Horum forti opera Mahometes quamquam à mœnibus repulſus fuiſſet, non tamen caſtra dimouerat, oppidumque ſolita obſidione premebat, perſeueraſſetque tamdiù illic cum omnibus copijs ſedere, donec ſi non vi aut ferro, ſaltem fame ciuitatem domitam ad defectionem compuliſſet, niſi Pannonici armorum motus barbarum decedere coegiſſent. Veneti enim iam inde, ex quo bellum cum Turcis ſuſceperunt, operante Pontifice Romano, Pannonum fœdere inito, arma in ferociſsimum hoſtem ſibi ſocia iunxerunt, decretumque ob id Matthiæ Regi annuum ſtipendium, vt ex ea prouincia in barbaros erumperet. Eius aduentu Mahometes cognito, obſidionem ſoluit: Sed nihilominùs Naupactum Aetholiæ maritimam vrbem cum maximis copijs adortus, eam oppugnare inſtituit. cæterùm Lauredano cum validiſſima claſſe Naupactenſibus opem ferente, pòſt quatuor obſidionis menſes bello fatigatus deceſsit; à Coccino quoque Lemni inſulæ oppido pari ſucceſſu, maturo claſsis Venetæ aduentu fugatus.

*Card. Papienſis Italiã deplorat.*

Actæ ob eam rem Venetijs, & Romæ circa templa gratiæ, quod res Orientales proſperè fluerent: cùm priùs maximè trepidatum fuiſſet, ne Scodrâ expugnatâ hoſtis ferocior factus, nullo iam impedimento obſtante, terra & mari liberè





vagaretur, ac præcipuè totam oram maritimam Neapolitani regni, & agri Picæni, & vrbes Lõbardiæ populoſas, ac diuites inuaderet. Illo tempore, Cardinalis Papiẽſis deplorabat Italiam, miſeramque appellabat, cui tam impura, tam impia, & tanto, tamque præſenti tumultu ſtrepens barbaries, nec aures excitaret, nec oculos aperiret. quodque ferè omnes Itali raperentur numine manifeſto ad extremum interitum, omnibus haud dubiè irato Deo, qui ijs potiſſimum conſilium eriperet, à quibus eſſet propter peccata auerſus, vt videlicet videntes non viderent, & audientes non audirent. *Arcæ plenæ & clauſæ*, ſcribebat Antonio Lauredano Veneto, *in culpa malorum horum ſunt. Dicam verius: Zelotypiæ non neceſſariæ, ab omni nos bono opere diſtinent. Dum ab aliquo ſemper eſt metus; dum remetimur præterita, dum formidamus ventura, cogimur in negligendis publicis ſalutem priuatorum reponere. Nemo prius ſuum periculum noſcet, quam Annibal erit ad portas.* C. Papienſ. epiſtol. 561. 566. 571. 572. P. Iuſtinian. hiſtor. Venet. lib. 9.

V. *Et quam ob cauſã.*

Vulnera Italiæ tangebat Papienſis, quæ illam miſere depaſcebantur; cum ſibi nonnulli à conſociatione Sixti Pontificis, cum Ferdinando Neapolis Rege, & Galeazio Mediolanenſium Duce, quaſi à nimia potentia metuerent. Florentini erant, quibus propter Laurentium Mediceum nonnihil ſimultatis cum Sixto. Ergo & ipſi, vt ſe contra Pontificem munirent, Venetos, & Mediolanenſem ad ſocietatem ineundam ſollicitarunt, & hoc anno capitula fœderis probarunt, quæ fuere huiuſmodi. Placere fœdus in XXV. annos eoque amplius, ſi ita ſocijs videatur, renouari communis ſalutis ergo, aduerſus Italos, ac Trans-Alpinos Principes ſacros, profanoſque, ſine vlla exceptione ſupremæ in ipſos etiam clientes poteſtatis. Hocce fœdere nullam in Italia extrauè Italiam; quæ cum quopiam intercedat, communem cum multis ſingularemuè Societatem tolli, ſed eſſe incolumem. Vtraque pars intrà dies XXX. hortetur obteſteturque Pontificem, ac Ferdinandum, vt æquis conditionibus fœderi ſubſcribant. Veneti quoad ea coniunctio maneat, pace ſaltem tria equitum, duo peditum millia; totidem Inſuber priuato ſumptu ſub ſignis habeant. Hetruſci M M. equites, pedites M. alant. Veneti bello octo equitum millia, quattuor peditum: Mediolanenſis parem numerum; Florentini equitum quinque millia, duo peditum mercede conducant. Neutra pars altera inconſulta, pacem faciat: nullo cum Italico Principe ſocijs ignaris fœdus ineat. Bello alter alteri ijs copijs, aut ſaltem dimidia parte auxilio ſit. Si mari arma quis inferat, ita vt Patres nauibus opus eſſe cenſeant, Inſuber, ac Florentini quina aureorum nummum millia ſingulis menſibus, in claſſem viginti, & amplius, longarum nauium præbeant. Si bellum minorem claſſem exigat, æqua portione de ea impenſa detrahatur. Inſuber, atque Hetruſci, ſi nauibus indigeant, eędem ſociorum partes ſint. Cui aliorum copiæ opitulentur, is ſtatiua, & commeatum æquo pretio militibus venalem præbeat. Vtraque pars amicos, & clientes intra alterum menſem edat. Liceat Herculi Ateſtino huius coniunctionis beneficio vti. Vtra pars, alteram offendat fœdus, quod attinet, ad expertes culpæ maneat; cæteri violatorem armis perſequantur. Si quis ex ſocijs bello petatur, reliqui milites aduerſus eum proficiſcentes, non modo non recipiant, ſed etiam pro virili finibus arceant. Tribunos militum, aut qui apud aliquem ſociorum ordines ducat, nemo niſi eorum voluntate, quorum auſpicijs militent, ſtipendio ad ſe alliciat. Reguli ipſi, aut populi liberi, publicis tabulis aut chyrographis fœdus ſanciant. Pax Laude Pompeij vno huius ſeculi LIIII. confecta, rata ſit. His conditionibus etiam Ateſtinus ſubſcripſit, non ſine commendatione Pontificis, ac Ferdinandi, quos etiam placuit, ad ſocietatem inuitare, ad leniendam videlicet inuidiam, qua ex conſociatione armorum laborabant. Quamquam vero Pontifex, & Ferdinandus fœderi non ſubſcripſiſſent, verbis tamen haud obſcure ſignificarunt, illud ſibi placere, ſeque eius participes fore. *Pigna de rebus Ateſtinorum lib.* 8

VI. *Zelotypiæ Italorum non neceſſariæ, & metus importuni.*

Iſtæ fuerunt Zelotypiæ non neceſſariæ, & metus importuni, quos Papienſis in Italis notabat; maximè in Florentinis, quemadmodum narrare inceperam. Placet altius repetere, propter notitiam ſequentium.

Petrus Medices, Florentinæ reipublicæ poſt Coſmum magnum patrem princeps duos filios, Laurentium, & Iulianum moriens reliquit, naturæ, ac ſtudiorum ſimilitudine concordes, humanitate, modeſtia, ac omni denique ciuili virtute perpolitos. Hi ab exceſſu parẽtis, eximio Senatus, ac populi fauore muniâ gerendæ Reipublicæ ſuſceperant. Laurentium, anno quo Sixtus Pontifex renunciatus eſt ciuitas principem legationis creauerat, qui Sixto Pontificatum Reipublicæ nomine gratularetur. Fuit ea legatio Pontifici imprimis pergrata; quod per eius occaſionem dari ſibi facultatem ſperabat, ad ſuas rationes Laurentium adiungendi; cuius authoritate cum omnia florentiæ adminiſtrari non ignoraret, magno ſibi eam vſui futuram ad ea agenda, quæ animo deſtinauerat, intelligebat. Ac quò magis teſtata ſua in illum ſtudia viderentur, eum vrbis ærario præfecerat; facta poteſtate, vt per eos qui in vrbe illius negotia procurarent, munus adminiſtraret. Hæc res magno ijs fuit quæſtui & emolumento. Cum enim Paulus Pontifex clariſſimas gemmas, ſumptu immani quæſitas reliquiſſet, eas paruo pretio à Sixto redemptas, qui aut earum vim haud ſatis callebat, aut ægre ferebat grandem pecuniam, ſpecioſa magis, quàm vtili re occupari, cum iactura, ſi qua eſſet, celeritate conficiendæ pecuniæ compenſaret, Regibus plurimum, ac priuatis, qui earum ſtudio tenerentur, magno addixerunt. Ex his maximè ditatus rem familiarem auxit, Ioannes Tornabonus Laurentij auunculus; quem ille Romæ ſuis negotijs adminiſtrandis præfecerat. Neque his viſus Pontifex ſatis ſuam voluntatem, & ſtudium in Laurentium declaraſſe, tamquam Pontificiam maieſtatem fore auguſtiorem putaret, augendo Florentinæ Reipublicæ Imperio, pollicitus erat ciuitati, ſe auxilio futurum ad Volaterras recipiendas, quæ ciuitas minimè quidem leuibus de cauſis, per illos dies à Republica defecerat. Ita Laurentius his, & alijs honoribus ampliſſimis, & decretis honorificentiſſimis auctus, Florentiam rediens, non diu in amicitia Pontificis, & curatione ærarij manſit. Ingenij inconſtantia, grauem ſibi illam futuram opinabatur, vbi diſſentiente, ac proinde eius potentiam auctam ægrè ferente ciuitate, eam vlterius tueri perſeueraret. Acceſſit repulſa in petitione Cardinalatus, quem Iuliano fratri expetebat. Nam Sixtus omni ope, atque induſtria contendentem, diù ac multum, vt interpretabatur, ludificatus, differendo, ac demum negando, animum eius, atque exiſtimationem vehementer offenderat. Sed neque illud defuit, quod Laurentius tranquillitatis, atque otij ſtudio, potentiam Principum in Italia exæquatam videre volens, limis oculis fœdera illorum, & affinitates cum Sixto, & inter ſe mutuò aſpiciebat, non minùs, quàm Pontificis vires, ſi plus nimio creſcerent, metueret. Ergo ab eius amicitia diſcedere, conſilijſque illius, quæ immoderata dicebat, aduerſari cum decreuiſſet, imprimis Venetos Ferdinando Regi, maximis de cauſis, & præcipuè Cypria infeſtos; deinde Galeazium Mediolani Ducem, qui id temporis Florentiam venerat, à ſocijs diſtrahere, ſibique contrà quoſuis, ac præſertim contrà Ferdinandum adiungere voluit: & quo minus

Galeazio Hieronymus Riarius Pontificis neceſſarius, certam pecuniæ ſummam, occaſione Fori Cornelii, quod dotis nomine accepturus erat, ad diem deſignatam repræſentaret, interpoſitis per amicos menſarios rei nummariæ difficultatibus impedimentum attulit. Inde Rempublicam Florentinam à ſtudio Sixti auertit, quaſi is Forum Cornelij, vrbem proferendis imperij finibus opportuniſſimam, & ad Rempublicam rectè adminiſtrandam maximus affluentem commoditatibus, dolo, & fallacia eripuiſſet, ac præcipiti cupiditate dominandi, tum nouo homini tradidiſſet, tum Fidei atque neceſſitudinis iura violaſſet. Factum, vt Pontificis Legato, nulla iam deinceps eſſet apud Magiſtratum auctoritas reliqua; atque vt eſſet à conuitio, & contumelia munitus, vix illi ſatis præſidij erat in Pontificijs authoritate conſtitutum; multitudine in Sixtum nihilo animo æquiore, quamuis vel in Laurentium, vel in ciuitatem. Namque graui ſe affectum iniuria quærebatur, cuius ſummam in terris poteſtatem, omnibus vbique verendam, ſuſpicandamque exiſtimaret. Hoc demum anno 1474. Maiores occaſiones habuit conquerendi, cùm Laurentius Medices, Nicolaum Vitellium, Sedis Apoſtolicæ beneficiarium, Tiferni tyrannidem exercentem, tuendum ſuſcepit. Is Sixtum Pontificem, olim in minoribus Franciſcanorum familiæ Miniſtrum, Generalem, propè Tifernum, à quodam fuſte malè mulctatum ſeruauerat, atque hoſpitio exceptum, poſtremò datis comitibus, qui abeuntem proſequerentur, tuerenturque ab inimicorum iniuriâ, ab omnibus officijs humanitatis coluerat. Huius meriti fiducia, iam creato illo Pontifice, multa ſibi in ſubditos arrogabat, & monentem Sixtum primò paruipendere, mox contumeliam depulſam commemorare, tandem multò grauiora audere: donec nonnullos Vmbriæ populos, Romanæ Eccleſiæ fiduciarios, ad tumultum concitaſſet, & ab obſequio Sedis Apoſtolicæ auertiſſet. Pontifex, qui poterat leniore antidoto Vitellium ſanaſſe, cupiens Hieronymum Riarium (aliqui filium, alij nepotem, alij affinem dicebant) ampliſsimis fortunis honeſtare, fœdere cum Neapolitano Rege, & Galeazio Mediolanenſium Duce percuſſo, ingentem exercitum, duce Friderico Feltrio Vrbinate, & Legato Iuliano Fratris filio, S. R. Eccleſiæ Cardinali in eum miſit. Placuit Vrbinatem inprimis Vexilliferum S. R. E. declarare, mox Ducem creare, hiſque ſpecioſis honorum titulis auctorare. Die XXI. Auguſti Romam, Neapoli venienti, magni honores impenſi ſunt. Egredientis Pontificis ſyrma ſuſtinuit. Ad eius tribunalis pedes conſedit in capella maiore. In miſſa antè Euangelium titulo Ducatus, ac veſte aureâ talari, pileoque, quali reliqui Duces, ac torque aureo decoratus, donatuſque eſt. Pòſt tradita inſignia, acceperunt eum medium duo Diaconi, deduxeruntque ad ſuggeſtum Diaconorum, vbi cum paulum ſtetiſſent, illi mox ad Cathedram Pontificis redière, ipſe verò ad ſuggeſtum presbyterorum deductus, poſtremus in eo conſedit, manſeruntque Diaconorum ſubſellia vacua. Pòſt Miſſam, vexilla ſacris initiata, quorum alterum Eccleſiæ, alterum Pontificis gerebat inſigne. Reuerſo Pontifice in cubiculum ſuum, mox omnes Cardinales egreſſi ſunt cum nouo Duce Vrbinate. Erat ad ſcalas equus ſerico rubeo paſſim tectus, donatus à Pontifice. Solenni pompa præcedentibus vexillis, comitante Collegio, vt mos erat, domum, quæ ei ad Sanctos Apoſtolos parata erat, deductus eſt. Omnia lætitiæ, & iucunditatis plena, niſi ea præſagium quoddam perturbaſſet. Nam ad Pontem Sancti Angeli, ſiue impetu ventorum, ſiue fatali quodam influxu, fractis haſtis vtriſque vexilla corruerunt; vt opus fuerit ex arce extemporales quaſdam ſubrogare. Decimo Calendas Septembris ad exercitum ſuum profectus, monente Ferdinando Rege, magis concordiæ, inter Pontificem, & Vitellium conciliandæ ſtuduit, quàm contumeliæ vindicandæ, aut depellendæ. Cardinalis Legatus illius aduentu non expectato, in Tudertinos primo, deinde in Spoletinos tumultuantes, Eccleſiæque rebelles impreſſionem fecit, multiſque cladibus eos affecit: mox Iulio Varano, Camertium Duce opem ferente, ad obſequium reuocauit, ſedatiſque inteſtinis diſcordijs, nec non factionum capitibus relegatis in fide continuit. Nicolaus Vitellius trimeſtrem oppugnationem ſuſtinuit, ſuppetias ferente Laurentio Mediceo, qui aliquot millia equitum ſubmiſerat. Legatus vehementiore ſpiritu oppugnationem continuare optabat; Pontifex Ferdinando auſcultans, magis ad concordiam, quam ad continuandam expugnationem ſpectabat. Superueniente nouo Duce, conditionibus quibuſdam, ſed Eccleſiæ dedecoris rem compoſuit. Qui in deditione ciuitatis affuerant, affirmabant, nihil illa fieri turpius potuiſſe. Acceptas leges ab obſidentibus, non datas. Non admiſſum Legatum, niſi quibus cuſtodibus Vitellio placuit. Pedites tantum ducentos intus receptos, atque eoſdem ità per ciues diſpoſitos, vt non præſidere ipſi, ſed in alieno fuiſſe præſidio viderentur. Venientem Vitellium in conſpectum Legati, contumacis adhuc animi, & victoris potius quàm victi ſignum dediſſe. Non cecidiſſe in genua, non ſupplici vſum oratione, non facinoris pænitentiam oſtendiſſe. Leui tantum detectione capitis, & colli inclinatione ad ſpeciem, non honorem, indicaſſe ibi eſſe Romanæ Eccleſiæ Cardinalem. Sub fide Vrbinatis venit in caſtra cum maiore filio. Inde ridiculoſa magis, quàm vera pompa, duodecim exitij ex primoribus in vrbem introducti à Legato, quos tamen eodem die oportuit reducere. Romam non priùs conceſſit Vitellius, quàm ſcriptis, & obſignatis antè conditionibus. Tulerat Ferdinando Rege documenta Vrbinas, ad obligandam ſuam pro Vitellio fidem; quod non reducerentur exules, niſi quos ipſe voluiſſet; quod nec rebus eius, nec vitæ noceretur; quod remitteretur incolumis domum; quod ager omnis ei reſtitueretur; & huiuſmodi quædam, ad confirmandam, non tollendam de ciuitate tyrannidem pertinentia. Scilicet Vrbinas, pluris amicum veterem, quàm nouum beneficium collati ducatus, & vexilli fecit, vnaque opera æſtimationem Romanæ Sedis, & Legati, ad ſuam, & Ferdinandi Regis gratiam eſt nundinatus. Attamen tam turpis deditio, magno fuit gaudio Romæ excepta. Nam vbi ad veſperam nunciata eſt, ad molem Hadriani clangores tubarum inſonuerunt, ac omnia lætitiæ ſigna conſpecta ſunt. Victo ſpartato aut Sertorio tales fuere populi acclamationes, talis vrbis facies: quamquam conditiones turpitudinem ingentem retegerent. Placuit celare, ſeu diſſimulare iniuriam, quàm oportuerat iniquiſſimo animo ferre, & vindicare; vt Vitellius factus contumacior, ex ſuo tempore nactus occaſionem, quod erat attentiſſimè obſeruaturus, in Sixtum PONTIFICEM, ac Sedem Apoſtolicam inſolentiùs audaciuſque inſurgeret. Nimirum opibus & viribus Laurentij Medicei adiutus, & obſidionem diutius tolerauit, & quibus voluit conditionibus Tiferni deditionem fecit. Quod cum non potuiſſet non ægre ferre Sixtus, liberiùs, iamque palam, & in ampliſſimorum hominum conuentu, in Laurentium, atque Florentinos, prout dolor, & indignitas vrgebat, inuehebatur, nec ferendum ſibi putabat impunè. *Onuphrius in Sixto IIII. Michael Brutus lib. 5. hiſt. Florentin. & P. Iouius in Leone X. l. 1. Card. Papien. ep. 564. 568. 570. 572. 57. 576.*

*Nouus Vrbini Dux magna cũ pompa creatur.*

*Reconciliantur rebelles Eccleſiæ turpibus conditionibus*

Die



VII. *Card. Legatus, & Vrbinatũ Dux in Vrbem redeunt.*

Die tandem IX. Septembris ſummo mane Romam rediere, Cardinalis Legatus, & Dux Vrbinas. Ad ædes Beatæ MARIAE de Populo, ex mandato Pontificis omnes Cardinales occurrere; ſed non potuerunt præuenire aſtutum, aſſuetumque malo Ligurem: deſcenderat ipſe iam in Eccleſiam ante ortum Solis, veniens ex Caſtro nouo. Deductus eſt in palatium ſolenni pompâ. Præibat Dux medius inter Præfectum, & Comitem Hieronymum. Hos antecedebat Vitellius antè quoſdam nobiles. Aſcenderunt Cardinales in cameram Conſiſtorialem, ad quos pòſt paululum euocatus Vitellius ſigillatim, & quaſi nomenclatoris vicem gerente Duce, omnibus deoſculatus eſt dexteram. Hoc peracto, relictis illic Legato, Duce, & Vitellio abiere Cardinales non viſo Pontifice, quem aiebant, ex febre continuâ ægrotare. Magno ſtudio omnes celabant conditiones deditionis factæ. IOANNES *Petrus Arriuabenus epiſt.* 578.

VIII. *Iniquis poſtulatis intrepidè reſiſtit Card. Mantuanus.*

Vrbinas, facti mercedem depoſcebat Senogalliam, atque Mondauium. Cæterùm, nè mercari videretur, nepoti, ſiue filio Pontificis, vt dicebant, ſuo autem genero eas ditiones poſtulabat. Retulit ea de re, ad Senatum Sixtus. Inter alios, Cardinalis Mantuanus, ità explicuit rationem omnem conſcientiæ ſuæ, vt nec defuiſſe illi mentem, nec verbum, nec Zelum in domo Dei, nec magnitudinem etiam animi omnes prædicarent: quippè qui in libertatis inopia, libere de publicis ſenſerit, & fortiter ſententiam dixerit. Laudauit collegam Cardinalis Papienſis, ſcripta non vna epiſtola; ſed *miſeram Romanam Eccleſiam* pronunciauit, *cui tantum obeſt, & ob futura ſemper eſt caro. Pontificum*, ait, *tormenta multò ſunt grauiora, quàm vt Patrum infirmi parietes valeant ſuſtinere. Sic Flaminia redempta nuper tot noſtris laboribus, à Piceno per coniugium nouum diuiſa, direptioni veterum, & præſentium tyrannorum linquetur.* Addit in altera ad Sacramorum: *abductam Senogallicam prædam iam puto. Ità infirmi animi Patrum, & amor Pontificis in ſuos. & præſentis Vrbinatis melliti aſtus mihi promittunt. Bis ille de Senogallia, & Mondauio paucis annis victoriam retulit; armis primò, nunc artibus. Eadem felicitate, mihi crede, Fanum, & Mondauium, & vicina quæque noui generi nomine adimet.* Addit & iſtud ſecretum ſecretorum, IOANNI Petro Arriuabeno. *Extendit paulatim ambitioſa Neapolis in omnem Italiam brachia, non ſua tantùm cogitans retinere, ſed aliena in eundem faſcem colligere. Arbitrio autem omnium ad eam mox delato, quid erit nobis aliud quàm ſeruiendum? Et quam ſubdito noſtro ſubijcienda Eccleſia? Cæcos, qui hæc non intuentur; ſolutos, qui negligunt; ſibi infenſos, qui cùm non poſſunt, prohibent. Accepto damno, de claudenda ianua cogitabunt, ſerò, ſuis, & cæteris irridendi. Senis, XXIIII. Septembris M. CCCC. LXXIV. Card. Papien. epiſt.* 577. 579. 581. 582. 583. 584.

IX. *Ferdinandi Regis machinæ, & iniqua poſtulata.*

Ferdinandum Regem Neapolitanum indicabat, cuius ad nutum à Vitellio conditiones datæ, & reliqua Sedi Apoſtolicæ irrogata. Inſatiabili cupiditate proferendi ſui imperij, machinas parabat, & cuniculos ſtruebat: quibus diuulſas à patrimonio Eccleſiæ prouincias, aliquandò poſſet occupare. Inter hos patrimonij Apoſtolici, atque Italiæ turbines, non deſtitit tamen Sixtus bellum Turcicum proſequi, & tùm ipſe pecunijs iuuare, tùm alios, vt ſuppetias ferrent, inuitare. In bellum Scodrenſe commeatum, & pecuniam miſerat; Ferdinandum in proſecutione belli Turcici, ad idem faciendum hortatus eſt. Is porrò decimas ex clero poſtulauit; ſed nequicquam impetrauit. Quid illi Cardinalis Papienſis ea in re reſcripſerit, operæ pretium eſt, ad multarum rerum cognitionem iſthic adſcribere.

*Regi Ferdinando.*

*Quòd tua Serenitas ad bellum in Turcos gerendum ſe paret, boni, ac fidelis principis officium laudo: quòd maturiùs ſolito pleniorem claſſem educere cogitet, rebus opportunè gerendis neceſſarium duco. Facis, quod in magnis es ſolitus, vt conſilia anticipes, & præſtes publicis, quæ tuæ laudi conueniant. Aſſit Dominus pijs conatibus, tecumque iuxta verbum Prophetæ apprehendens, arma & ſcutum, exurgat in adiutorium tibi. Verùm quòd de Eccleſiarum decimis in hunc etiam annum à Pontifice quæris, & me adiutorem paras, audiendum tibi patienter eſt meum iudicium, & mecum videndum, quantum in ijs concedendis incommodi videam. Clerus regni tui, præſtantiſſime Rex (quod tuam Maieſtatem non latet) diues non eſt. Inopem ſi dicerem, verò eſſet propior vox. Contributione autem anni præteriti fatigatus, minùs certè eſt ad præſentem idoneus. Neque enim egentis, & diuitis eadem eſt ad eandem ſatisfactionem conditio. Diuiti, cùm decimam ſuorum prouentuum contribuit, abundè ſupereſt vndè ſibi ſubueniat. Pauperi quidquid ex cenſu tenui demitur, ex ſua ſumma neceſſitate eripitur. Tantum ad calamitatem addenti, quantum ad crebritatem oneris additur. Afflictus autem malo in meſtitia eſt, & vna iactura ſibi cogitur, & creditis animabus deeſſe. Non ſunt ab Eccleſia, & te, compellendi ad miſeriam Sacerdotes, nec cum aliundè ſuppetant facultates, vexanda primo loco Domini ſacra. Vt leuemus ea, non vt opprimamus, has infideles expeditiones ſuſcipimus. Quod igitur non placere Deo cognoſco, hoc probare ipſe non poſſum, minùſque Pontifici ſuadere. Forſan anno præterito cum recens ad ſolutionem eſſet Clerus, æquiore animo decimam vnam potuit Sedes concedere; ſed alteram nunc ſuperinducere, cùm vix exacta ſit prima, neſcio qua æquitate id liceat, quamquàm rebus etiam feliciter gerendis tibi expediat. Meminiſti quæ in Poloponneſo pridem, quæ nuper apud Eubœam tuis in bello ſocijs acciderunt. Non alienum eſt credere propter vexatas decimis Eccleſias diuino id iudicio accidiſſe. Parci, cum neceſſitas non eſt, templo ſuo vult Deus, nec plena demũ arca, de altaris oblationibus cogitari. Adde, quòd exemplo tuo, ſi datur, quod petis, rem pernicioſam cogis induci, plus nocentem toti Eccleſiæ, quàm te vnum leuantem. Nulli etenim Principes, nulli Potentatus pòſt hæc non eadem ſunt petituri; vt videlicet continuatione paucorum annorum in onus perpetuum decimæ tranſeant. Iamque aſſunt, qui idipſum à nobis quotidiè exigant; non tam attendentes, quid cum his decimis agas, quàm quid per te ſine decimis poſſis. Cogita mecum hæc damna; nec, cum Eccleſiam iuuandam ſuſceperis, velis poſtulatione non magni commodi magnum incommodum abducere. Quàm ſit onoroſum negare vni, quod alteri indulgeas, tua Serenitas nouit. Quam operoſiùs indulta ſemel, non iterum, non ſemper concedere; vtique pro tua ſapientia vides. Patere in obſequium Dei eodem tuo exemplo, quo concedendo cæteris noceret Eccleſia, vt negando etiam cæteris poſſit prodeſſe. Erit tibi modeſtiæ huius digna à Domino merces, intendente ſemper ſuper egenum, & pauperem. Claſſis pars, quæ à te eſt inſtruenda, & ſi contemnenda non eſt, attamen tanto Regi nimis non eſt, ſi cogitaueris etiam, quanta ſit, & ex quo genere hominum conſtet; quid etiam adiumenti, lege Regni tui ad eam ſubditi conferant. Facilè intelliges, inopi Sacerdotum ſuffragio, æquo animo carere te poſſe. Maiores ſæpe in armandis exercitibus pro ſeculi gloria, ſine Clero ſumptus ſubijſti: Minores hos pro nomine Dei, & ſine Clero non indignum eſt ſubeas. Quam ad rem, piam mentem tuam recordatio ſubeat Catholici promiſſi, Pontifici, & Romanæ Eccleſiæ facti; cum ſolemnibus documentis fidem dediſti, ſanctum Chriſti nomen pro viribus te defenſurum. Vide nunc tuis nè tantum viribus, an etiam noſtris facturus id ſis, ſi decimis, quæ primæ ſedis ſunt, & in noſtram neceſſitatem ſeruata, hanc partem claſſis cogitas adiuuare. Dei beneficio, præclariſſime Rex, tua etiam opera quieſcit Italia. Tranquillum vndique eſt regnum: prouentus ampliſſimos poſſides. Quid te ſumptibus diſtrahat, nec vnde appareat. Ad cauſam Fidei integre es totus, ſi vis. Rogo propterea, & per charitatem, qua tuæ maieſtati aſtringor, etiam peto, vt cum aliundè abundes, parci interim mendicæ Eccleſiæ patiare; quæ cum eguiſti, ſibi ipſi pro te non pepercit; nec velis*

tanto

*tanto detrimento hoc onus nobis imponi ; vt quod tibi conceditur, alijs quoque tuo exemplo cogamur concedere. Repete memoriæ beneficia Domini; quàm piè te per Eccleſiam nè caderes, ſuſtentarit, quot de hoſtibus victorias dederit, quantum indies ad æſtimationem, gloriamque addiderit; denique quàm claræ filiorum ſobole, gaudium omne tuæ felicitatis expleuerit. Horum omnium memor, Sacerdotes ſuos egentes, & miſeros, ab incommodis non neceſſarijs libera, & ſerua Eccleſiæ. Pro te orabunt interim, & Sacrificia offerent, vt habites in adiutorio Altiſſimi, & in protectione Dei cæli commoreris. Hæc eadem, quæ tibi nunc officio priuato reſpondeo, Conſenatores mei Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ad quos de tua petitione retulit Pontifex, pari charitate hortantur. Benignum te vtriſque pro tua conſuetudine præbe, & Vale. Romæ XV. Nouembris. M. CCCC. LXXIV. Papienſ. epiſtol.* 594.

Iſta Cardinalis reſpondebat Ferdinando Regi, qui per litteras, & per filium Federicum extorquere conabatur. Nam hunc in Burgundiam proficiſcentem, Romam diuertere, & Pontifici, atque ſacro ſenatui mandata exponere voluerat. Cùm is vrbi appropinquaret, rogati Patres de eo accipiendo ſententiam ſunt. Erant qui vel amicitia, vel affinitate Ferdinando coniuncti, exire in eius gratiam iuueni obuiam cuperent, proptereaque honoribus amplioribus proſequendum conſulerent. Sana pars retinendæ antiquæ dignitati intenta, vnum tantum ex Cardinalium numero mittendum cenſebat; ſeruatum idem aſſirmans, cum ſexennio antè, ſedente Paulo, Romam primò veniſſet: Primogenitis tantùm Regum exiri à Senatu ſolitum eſſe; Secundogenito id modò præſtandum, quod & ſuæ ſortis eſſet, & exemplo in poſterum non noceret. Hæſit huic ſententiæ Pontifex, cæteriſq; exire obuiam vetitis, ſoli Cardinali Sancti Petri ad Vincula, nepoti ſuo imperauit, vt ad portam Appiam illum exciperet, atque ad Vaticanum perduceret, Prælatis, & Patrum familijs ex conſuetudine proſequentibus. Ita ad diem III. Nouembris ingreſſus Vrbem eſt. Sequenti in Senatum ſecretum admiſſus; vbi tamdiu procumbere genibus ad ſolium Pontificis permiſſus eſt, donec vltrò, citròque ſermo eſſet peractus. Inde ſurrexit, & ad Patres conuerſus vnumquemque in ſubſellio ſuo complexibus & oſculo ſalutauit, vltimuſque omnium eſt in conſeſſum receptus. Altera die ipſos Patres dominuiſit, idemque officium ab omnibus in Pontificia tulit, ad quam honoris cauſa Pontifex illum iuſſerat diuertere. Solus Cardinalis Sanctæ Sabinæ, magnæ integritatis, & auctoritatis Pater, officio illo abſtinuit, dignitatis Cardinalium non ſtatuens, ſecundogenito ſubditi Eccleſiæ Regis tantum præſtari. *Papien. epiſt.* 590.

X. *Rex Dacorũ Romã veniẽs honorificè excipitur.*

Venit eodem anno ad feſta Paſchatis, Romam Chriſtiernus Rex Dacarum. Eum ſummis honoribus Cardinales acceperunt. Turba omnis Curialis egreſſa eſt obuiam, Patres ad portam congreſſi, medium illum per vrbem ad Baſilicam S. Petri, inde ad Pontificem perduxere, iuri dicundo tunc publicè præſidentem. Religio ſumma, in ſummo Rege eluxit. Procubuit in genua antè illius pedes, nec antè ſe eleuari eſt paſſus, quam ſermonibus ſuis eſſet reſponſum. Redeunti in cubiculum Sixto, exeuntique ad diuina Sacræ hebdomadæ, dierum, gremialia eius ſemper portauit. Lauanti manus, peluim ſuſtinuit. Inter duos primos Cardinales ſeſſum receptus, non prius ſedere, non prius tegi voluit, quam vtrumque ab vtroque factum eſſet. Papienſem alterum ex duobus illi aſſidentem rogari per interpretem fecit, vt paterentur, poſt omnes Cardinales, ad oſculum Crucis eum aſcendere. Erat enim hæc dies Paraſceue. Cùm ille rogaret, cur ita depoſceret; *Vt habeatur*, inquit, *iuſtus honos ſummo ſenatui.* Plura huiuſmodi illo ſolo triduo ſacroſancto ab eo præſtita Apoſtolicæ Sedi, in quibus trium magnorum regnorum Rex à ſeptentrionibus veniens, Italis, & reliquis, quo animo eſſe in ſummum Sacerdotium debeant exemplo ſuo edocuit. *Papien. ep.* 556.

XI. *Idem Rex religioſus, & modeſtus.*

Mirabantur præterea in eo ſingularem modeſtiam quod peregrini habitu voluerit limina Apoſtolorum inuiſere. Rex alioqui magnus: ſed inſcitiam litterarum & linguæ Latinæ ignorantiam aliqui ſugillabant, quod cum eo colloqui non poſſent, niſi per interpretem. Ea propter vſus eſt Henrico Sankenſtede, Legum Doctore, viro ſatis ad dicendum accurato; qui cauſam Regij itineris; apud Pontificem expoſuit. Pontifex porrò deuotionem, Religionemque Regis ſatis luculenter laudauit; Roſam auream ſolenni ritu ſacratam, inter alia pretioſa donaria illi detulit; votum peregrinationis in terram Sanctam, quod aliquando emiſerat in eleemoſynam hoſpitali S. Spiritus, quod Romæ in Saxia vocant, commutauit; deque publicis rebus conſilia communicauit; vt is domum reuertens, Fridericum Imperatorem, ac Principes imperij ad ſacrum bellum inflammaret, & id quicquid erat inter Archiepiſcopum & Collegium Colonienſe diſcordiarum ex bono, & æquo componeret. Enimuerò & ipſe Chriſtiernus, Romam, non ideo tantum venerat, vt votum ſolueret, verùm etiam vt Chriſticolas contrà Turcum animaret, & de vniuerſali Principũ pace, atque concordia ageret, vt ſcilicet vno omnes animo contrà Turcam coirent. Reuertens in Daniam, iſtud præcipuè curauit, vt vires bellicoſæ Germaniæ, ad maxima quæq; gerenda idoneas, quæ tum inter ſe collidebantur, vniret, & ad Chriſti opus excitaret. Rupertus Archiepiſcopus Colonienſis pulſus Vrbe, Carolum Ducem Burgundię adiutorem exciuerat. Lantgrauius Haſſiæ, Canonicis fauens, iuis, & totius ferè nationis præſidijs potens, contrà numeroſum exercitum adduxerat. Alexander Forlimienſis Epiſcopus, Sedis Apoſtolicæ Nuncius, concordiæ vix vllam ſpem habebat, quandoquidem Carolus Nouelio obſeſſo, conſtituiſſet, ab ea obſidione, niſi victor recedere, nec etiam hoc oppido potitus, militẽ ad hyberna lege militari remittere. Præter hæc audito Imperatoris aduẽtu, auxilia vndique euocauiſſet, quæ pluſquam XL. millia pugnatorum numerarent. Chriſtiernus ergo ab vrbe Roma deſcendens, ex ipſo itinere vocauit Duces, Magnum Magnopolenſem, Fridericum Brunſvvicenſem, Gerardum Fratrem de Aldenborg, & Iacobũ de Rupin Comites, & cum eis, ac Ioanne Duce Saxoniæ, indiuiduo peregrinationis comite, in caſtra Caroli venit, ſi fortè poſſet, rem tantam tractatibus intercipere, gratiam initurus apud ambas partes, quas arbitraretur, ad concordiam moueri, armorum faſtidio, atque rerum diſpendio. Tentatum eſt, ſed non proſperatum opus; quod Carolus certò certiùs ſibi pollicebatur, aut deditione, aut armis Noueſium accipere; & hinc Bunnam, ac poſteà Coloniam Archiepiſcopo vindicare. *Krantzius VVandaliæ lib.*13.*c.* 11. *Daniæ lib.* 8. *c* 37. *Saxoniæ lib.*12.*c.*11.13. *Papienſis epiſt.*574.575.591. *Nauclerus generatione* 50. *volum.*2.

*Diſſidentes Principes conciliare ſatagit.*

XII. *Inter Archiep. Colonienſem & Canonicos diſcordiæ & bella.*

Erat Rupertus Bauarus à Collegio Colonienſi legitime electus, à Pontifice Romano approbatus, atque ab Imperatore Regalia temporalis adminiſtrationis aſſecutus. Sed magna incidit digladiatio de oppidis, nonnullis Eccleſiæ, nobilitati illius gentis à Collegio oppigneratis, quæ Rupertus non ſoluto pretio nobilibus Eccleſiæ aſſerere contendebat. Hanc ob rem fœdus percuſſerant Canonici cum oppidis oppigneratis, Ducemque ſibi legerant Hermannum fratrem Comitis Haſſiæ eumque ſe facturos Pontificem promiſerant. Igitur Carolus, Eccleſiæ Colonienſis à Ruperto Aduocatus factus, per eam occaſionem exercitu comparato, cogitabat Coloniam occupare; & inde aduerſo Rheno, Moguntinas ditiones, vſque in Alſatiam & Comitatum Ferretanum inuadere; viſuſque fuit ſpem concepiſſe, poſſe viam motum conſequi, titulum Regium, & Vicariatum Imperij, quæ precibus ab Imperatore non poterat impetrare. Oppoſuit ſe conatibus illius Imperator, & cum exercitu LX. m. in pugnam





proceſſit: in cuius comitatu nobiliores eminebant, Adolphus Maguntinus, Ioannes Treuirorum Archipontifices, Guillelmus Aureatenſis, Henricus Monaſterienſis, Spirenſis, & Vangionũ Epiſcopi: Albertus Dux Saxoniæ, Albertus Dux Brandeburgenſis, Sigiſmundus Dux Auſtriæ, Ludouicus Dux Bauariæ, Albertus Dux Bauariæ ab Monichem, Fridericus Dux Bauariæ ab Spanhem, Erneſtus Dux Saxoniæ, Henricus Lantgrauius Haſſiæ, Chriſtophorus Marchio Badenſis, & Comites plùs minùs quinquaginta. Menſe Nouembri acceſſit Imperator vſque ad Andernacum, Rheni oppidum. Initio Decembris venit ab vrbe Chriſtiernus Rex, & tàm Imperatorem, quàm Carolum ex itinere ſalutauit, magnaque diligentia cum Alexandro Pontificis Legato quinque hebdomadas conſumpſit, paci inter Imperatorem, & Carolum componendæ. Inanis euaſit omnis eius conatus: atque ea propter Imperatore, & principibus bello inteſtino implicatis, Sixtus nihil opis ex Germania potuit contrà Turcas impetrare. *Meyerus annal. Flandriæ lib.*17.

XIII. *Perſarum Legatus ingentem in Turcas exercitũ pollicetur.*

Eodem anno cùm Vngari Regis Oratore, venit Romam Legatus Vſumcaſſani Perſarum Regis; qui ingentem contrà Turcas exercitum pollicebatur, modò Vngaro, ad ſuſcipienda quoque arma pecuniæ à Sede Apoſtolicâ darentur. Nil ſe velle ſuum Regem, præter Trapezuntini Imperij dominium, quod vxori, Trapezuntini Imperatoris filiæ, deberetur. Retulit eâ de re in ſenatu Sixtus, & Matthiæ Regi Vngariæ pecunias decreuit. *Papienſis epiſt.* 574.584. *& mſ. expeditionum Sixti huius anni.*

XIV. *Caſtellæ Regi recõciliantur Aragoniæ Reges.*

Hoc ipſo anno Sixtus Pontifex nihil non egit, vt Henrico Caſtellæ Regi, Ferdinandum, & Iſabellam Siciliæ Reges, & futuros eius ſucceſſores conciliaret. Datum negotium Cardinali Seguntino, Archiepiſcopo Toletano, & quibuſdã alijs proceribus Hiſpaniæ. Diui Iacobi militiæ Magiſter inter hæc non deſiſtebat opibus, opes ſtruere, præſidia præſidijs addere, maiore habendi auiditate, metuq;, nè ſi Ferdinandus rerum potiretur, ipſi cedendum eſſet principatus magna parte, quàm in eius ditione fuiſſe ſuperioribus annis meminerat. Ea propter Ferdinandi, & Iſabellæ coniugio aduerſum ſe præbuerat. Andreas Cabrera, ingenio, & gratia Henrici pollens, vt illi conciliaret ſororem Iſabellam, officijs ad tempus accõmodatis, ampliùs gratia confirmata, tandem multo illi ſermone perſuaſit, vti eam ad ſe accerſeret; Id publicè ſalutare fore, dicebat, priuatim vtile, honeſtumq;. Magiſtri conatus, quorſum tenderent; ignorare neminem; vt republica turbata, priuatas familiæ opes augeret, immenſa auiditate, ambitioneque, inconſtanti fide, atque venali. Quòd reipublicę motus eo cõcitatore graues, & diuturni indicarent, ex dolis, atque fraude ingenium moreſq; cõpactos. Addebat; At filiæ charitas mouet; indignumq; iudicas innocentẽ ætatem paterna hæreditate ſpoliari! Sed liceat modò vera loqui, quid populo perſuadeas ex te genitam? & eſt prudẽtis non ampliùs in republica conari, quàm quod ciuibus probare poſſis. Non vt corporibus, ſic animis vis affeRatur: Opinione multorũ, quę vna famæ vox eſt, ſtant imperia, ad duutq;. Vtcũq; res habeat, an duabus ſororis, filiæque dotibus, amplitudini nobiliſſimi regni pares opes non ſufficiant, inter vtramque per conditiones tributi? At Imperij maieſtatem imminui graue eſt! ſed ciuili diſcordia, & perpetuis ex eo malis implicare rempublicam multò grauius. Mihi crede, aut hæc via, aut nulla eſt tantis malis procurandis. Si quid priuatis rationibus contrarium eſt, id pacis ſtudio, patriæ charitati condonandum cenſeo. Quanta mala ex ciuili diſcordia impendeant, debes cum tempus eſt, conſiderare; curare etiam, atq; præſtare. Motus ea oratione Henricus, Iſabellam, quæ ſe in arcẽ Segobienſem, illo per venationem abſente intulerat, inuiſit, ſalutauit, in mutuos amplexus ruit, eo maiori ſtudio, quòd antè multos dies non viderant. Arcanis ſermonibus longum tempus conſumptum. Fine colloquij, Iſabella ſuam cauſam fratri commendauit, iure minimè dubio nixam. Rex ſumpturum ſe tempus ad deliberandum ait. Sic à colloquio diſceſſum ad multam diem. Die poſtero in arce cum ſorore cænatus Rex, tertiò per plateas ciuitatis Iſabella vecta eſt, honoris gratia, eodem equi habenas regente. Nullus illuſtrior dies ciuibus, atque ideò Hiſpaniæ vniuerſæ illuxit, certa concordiæ ſpe, malorum metu ſublato. Aduenit paulò pòſt Ferdinandus, ab vxore per litteras euocatus. Ad octauum Idus Ianuarias, qui dies trium Regum memoria ſacer eſt, Henricus, Ferdinandus, Iſabella, per vrbem vnà equitantes, celeberrima pompa ciuium oculis grauiſſimũ ſpectaculum præbuerunt. Pòſt geſtationem, in Epiſcopi aula conuiuio ab Andrea Cabrera inſtructo, vt par erat ſplendido, lautoque excepti, eidem menſæ accubuerunt. Celebritatis lætitiam Henrici valetudo nonnihil conturbauit, lateris dolore tentati, oppreſſiq;, prorſus vt in Regiam diſcedere neceſſum habuerit. Caſu factum, vti ſaniores iudicabant; inſidias vulgus interpretabatur, prona ſemper in deterius perſuaſione. Eam opinionem, venenum intra epulas datum, Principis perpetua deindè valetudo confirmauit, ac non toto euoluto anno ſubſecuta mors. Perpetua Ferdinandi, & Iſabellæ felicitas, amplitudoque rerum geſtarum, ijs certè conſcijs factum ſcelus fidem abrogat; imperium à parricidio auſpicatos fuiſſe. quod æmuli inprimis accuſabant, accenſis odijs, promiſcua inter ſe affingendi crimina libertate. Pro Principis incolumitate ſupplicationibus ad omnia templa habitis, ſacrificijs, precibus, votis placati ſuperi, eiuſque valetudo recreata aliquantum eſt. Paulò pòſt ingraueſcente affecta valetudine, ipſa agitatione itineris, curiſque grauibus morbo lethali, medicorum permiſſu Madritum relatus, nullis ſalutaribus herbis, ſucciſque iuuantibus; contrà lateris dolore denuò ſæuiente, ſalute prorſùs deſperata, vicino exitu, ſacris omnibus ex ritu Chriſtiano expiatus, ad III. Idus Decembris die Dominico, ſecunda hora noctis, placitè efflauit animam, ætatis anno quadrageſimo quinto extremo. Nullum teſtamentum conſcripſit; pauca tantum Ioannni Ouieto, qui ei à ſecretis erat, & cui multum fidebat, excipienti dictauit. Curatores eorum, quæ ſtatuebat, nominauit Hiſpaniæ Cardinalem, atque Villenæ Marchionem. De ſucceſſore rogatus à Petro Manſuelo Hieronymiano Priore, qui morientis confeſſionem exceperat, ecquem ſibi ſubſtitueret, Ioannam Principem nominauit, curæ, fideiq; concreditam, tũ duorum teſtamenti curatorum, tum Sanctillanij, Beneuentani, Magiſtri equitum, Ducis Areuali, quos maximè fidos fore exiſtimabat. Corpus propter maciem ex diuturno, morbo, nullis odoribus curatum, in Diui Hieronymi Madriti extemporario ſepulchro compoſitum eſt, pompa funeris, neque celebri admodum, neque vulgari. deinde, vt ipſe moriens mandarat, in Guadalupeo templo, propè matris ſepulchrum tumulatus eſt. Princeps nulla re magis, quàm fœdo vitæ genere ignauia, ſocordia, atque imminuta ex eo imperij maieſtate nobilis, nulla virili prole ex Henrici nothi poſteritate Regum poſtremus, vt numero, ſic fama. Subit memoriam admirari rerum inconſtantiam; neq; mori tantùm homines, ſed & ingeniorum ſobolem exoleſcere, in Principum poſteritate, vbi minimè oportebat, maximè, vtq; ſinguli morituri naſcimur, ità indolem ſtirpum, ſatorum, animantium, atq; familiarum ſuos veluti natales, incrementaque habere, ac tandem conſeneſcere, extinguique. Fuit in Henrico familiæ conditore viuidum ingenium, & ſuprà ortus conditionem animus maior. In Ioanne filio

*Caſtellæ Rex moritur.*

felicitas multo minor; neque par induſtria, vigorque. In Henrico nepote ignea mens, animus orbis terrarum ac cæli capax: ſed imbecilla valetudine, breuique ætate præſtare diu non potuit, quas promiſerat, virtutes. Ioannes eo nomine ſecundus ingenio fuit erudito, magis litteris, quam rebus gerendis idoneo. In hoc vltimo Henrico, conſenuit maiorum gloria, fœdataque eſt; induſtriaque, & virtus ſibi viam ad Caſtellæ regnũ, atque adeo vniuerſæ fermè Hiſpaniæ patefecit, nouorumque, & magnorum Principum ſobolem, ambiguo tum iure, publico deinde commodo.

*Ob eius mortem omnia in regno Caſtellæ nutant.*

Ab Henrici obitu, omnia in Caſtella nutauere. Plurima pars ad Iſabellam ſororem translata eſt: non pauci Ioannæ Principis fide perſtiterunt; Villenæ Marchio, Areuali Dux horum propinqui, & neceſſarij; quoniam tutorum primi erant, Regni nomen penès eam futurum exiſtimantes, regimen atque arbitrium rerum penes ſe marito puellæ de manu tradito, eo, quem priuatis rebus (ea prima cura erat) commodum maximè iudicaſſent. Horum auctoritatem totus tractus Caſtellæ, qui Toleto Murciam pertinet, ſequebatur: Calæcorum nobilium maxima pars, correptis etiam in Compoſtellanum Præſulem, Alfonſum Azeuedium Fonſecam armis, à reliquis diſſentientem. Segobiæ in foro, ſuggeſto è lignis excitato Iſabellæ coram ab ijs, qui aderant Sacramentum dictum, contractis more gentis ſacris; mox Regijs vexillis explicatis, concuſſiſque, voce præconis nominibus inclamatis, Ferdinandus, Iſabellaq; renunciati Reges ſunt. Subſecutus aſtantium plauſus petitæ oſculo manus. In trabea, equoque impoſita Princeps ad templum maximũ deducta, Superis pro diuino munere gratias egit, vt ijs, quæ dederant, adderent perpetuitatem precata. Magna tunc procerum ſolitudo Segobiæ erat, magnates nulli. Primi, Hiſpaniæ Cardinalis, Beneuentanuſque celeritate fidem, ſtudiumque vt probarent, Segobiam feſtinarunt, ex interuallo Archiepiſcopus Toletanus, ſanctillanius Marchio, Garſias Albanus Dux, Magiſter equitum Præfectus maris, Albuquerquiſque ſubſecuti ſunt. Ab alijs miſſi qui eo officio fungerentur, atq; ipſorum nomine in Iſabellæ Principis verba iurarent. Ferdinando ſacramentum dicere non placuit, niſi præſenti, regnique commoda, & leges gentis inſtituto, exemplo vxoris iurato. Erat is Cæſaraguſtæ conuentibus Aragonijs diſtrictus. Nunciata Henrici morte continuò in Caſtellam iter arripuit, in domeſtico diſsidio ratus, nihil celeritate tutius fore, vbi facto magis, quàm conſulto opus eſt. Simul verò Pontificem maximum conſilij ſui admonuit, patrociniumq; illius implorauit. Cæterum cum per id temporis Diui Iacobi Magiſter, diem ſuum obijſſet, atque multi proceres eam dignitatem apud Apoſtolicam ſedem procurarent, interpellauit Sixtum Ferdinandus, vt in ea conferenda tantiſper ſuſtineret, quoad ille hominem proponeret, moribus Hiſpaniæ componendis aptiſſimum. Auxias Cardinalis Valentinus, Archiepiſcopus Montis Regalis in Sicilia, nomine Ferdinandi Regis hæc omnia Pontifici exponebat. Fuit hic annus Siculis memorabilis; Iudæorum per vrbes, & oppida ſtrage edita. Sacra Chriſtianorum carpebant, ridebantque. Ergo multitudine populari ad arma concitata, lymphatis ſimiles conſternati, ac nè Lupi Vrreæ Pro regis auctoritate edictiſque, ne ſupplicio quidem de nonnullis ſontibus ſumpto coërcito furore, multos ex ea gente peremerunt. *Surita annal lib. 19. Mariana lib. 24. cap. 1. 2. 3. 4. 5. Mſ. expedit. Sixti 4. huius anni in archiuo Vaticano.*

XV.

*Sixtus PP. Iubilæũ auſpicatur eiuſque opera ſedatur diſcordia in Rhodo inſula.*

Hoc anno Sixtus Pontifex, annum Salutarem, quem Iubilei vocant, ad XXV. contractum, in priuilegio Natiuitatis Dominicæ auſpicatus eſt, ſolenni cerimonia, toto milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quinto continuandum. Pauci peregrini aduenerunt, ad limina Apoſtolorum Romæ viſitanda; bellis ferè in vniuerſa Europa flagrantibus, impediti. Carlotta Cypri Regina regno eiecta venit, non tam deuotionis, quàm neceſſitatis cauſa, vt beneficentia Apoſtolicæ Sedis reliquum vitæ Romæ tolerarer. Excepit eam Sixtus humaniter, & omnia abundè ſuppeditauit, quoad ſuperſtes illa cum familia, quã adduxerat, eſſet. Sepita eſt hoc anno auctoritate eiuſdem Sixti Pontificis, diſcordia inter Iulianum Vbaldinum, Archiepiſcopum Rhodienſem, & Metrophanẽ Metropolitam Græci ritus. Controuerſia orta fuerat inter eos de iuriſdictione ſpirituali: hinc multæ lites, multæ diſſenſiones. Conuenit tandem conditionibus infraſcriptis. 1. Archiepiſcopus Rhodius, confirmaret in ea dignitate Metropolitam Græci ritus, tamquam ſuum ſuffraganeum. 2. Metropolita Græcus, Sacramẽtum diceret Archiepiſcopo Latino, ex formula Præſcripta. 3. Electio Metropolitani Rhodiani, pertineret ad Græcos, qui more recepto duos, aut tres Sacerdotes idoneos repræſentarent. Supremo Magiſtro militiæ Rhodianæ; ex quibus vnum ab eodem ſuſceptum Archiepiſcopus tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus confirmaret 4. Conſecratio Metropolitani, Græcorum Epiſcoporum officij more, & conſuetudine ipſorum eſſet. 5 Iuramenti hæc formula proponeretur. *Ego N. electus Metropolitanus Græcorum Rhodiorum, ab hinc in poſterum fidelis ero & obediens Sancto Petro Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Archiepiſcopo Coloſſenſi hac in parte Sedis Apoſtolicæ delegato. Non ero in conſilio, in quo ageretur aliquid contra honorem, & vitam ipſius: non prodam illum; non dabo auxilium, conſilium, aut fauorem maleuolis aut inimicis ſuis. Subditus ero Papatui Romano, & Pontificatui Coloſſenſi. Omnibus viribus meis illum adiuuabo, & defendam, ſeruatis Regulis ſanctorum Patrum. Vocatus ad Concilium vel Synodum comparebo, niſi legitima neceſſitate impeditus. In neceſſitatibus illi ſubueniam. Ita me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia per quæ iuro.* 6. Cauſæ Cleri Græcanici ab vtroque coniunctim, ſcilicet ab Archiepiſcopo, & Metropolitano cognoſcantur. 7. electi ad Eccleſias Græci ritus, ſupremo Magiſtro tamquã Patrono repræſententur, à Metropolitano autem confirmentur & conſecrentur. *Ciacconius in Sixto IIII. Boſius hiſtoriæ Rhodianæ lib. 9.*

XVI.

*Moritur, deſcribiturque Card. Riarius.*

Funeſtata eſt hoc anno Sixti Pontificis Palatina, F. Petri Cardinalis morte. Michaël Brutus de eius moribus, ac vitæ rationibus nonnulla referre, non alienum à ſcribendi munere putauit, cum in eo inſigne ſuæ temeritatis documentum fortuna conſtituerit. Is enim (*ſcribit*) humili loco, & obſcuro natus, atque à puero aſcitus in Franciſcanorum familiam, vbi tamquam ex quibuſdam vitæ anguſtijs, per Sixti Pontificatum, non patris ſolum (vt ferebatur) ſed patris etiam indulgentiſſimi ad tantam dignitatem euaſit; breui declarauit, quamquam ita ſibi fortuna indulſiſſet, multa plura tamen, quam quæ illi referret, accepta ſuæ induſtriæ, atque ingenio deberi. Erat in eo animi elatio, quæ ſupra etiam fortunæ vires cum tantum illi largita eſſet, ſe extolleret; calliditas & perſpicacia tanta, vt nemo, etiam omni ætate magnis tractandis, gerendiſque rebus acta plura aut prouideret animo, aut præſtaret, vbi prouiſa, perſpectaque haberet. Id vero, quod dignum admiratione videbatur, nullæ magno homine dignæ artes, nulla liberalis educatio, aut diſciplina efficiebat; cum is in ſordidiſſimo vitæ genere à pueritia verſatus, ac longe poſitus ab hominum luce, neque rerum vſum, neque exercitationem, repentè euectus ad tantum fortunæ faſtigium, attuliſſet. Idem cum omnes artes mirificè calleret, quibus Regum animi, & ſummorum hominum conciliantur; æque ſemper & ab aliorum inſidijs tutus, & ad fallendos omnes dolo, fallacia, artificio, vt ſi quis alius vnquam, paratus habebatur. Nam in quotidiano victu, vt facilè appareret, ingenij hoc magis, quam fortunæ eſ-





eſſe, ſplendor Regius, ac luxus; argenti copia, & vis, vt non ad vſum modò, cùm in eo ſuperiorum omnium magnificentiam ſuperaret, ſed ad oſtentationem etiam, fide omnium maior eſſet. Ad corporis miniſterium, nobiles pueri, & forma excellenti, quam cultus molliſſimus, & curatio corporis eximia augeret. Omnium voluptatum artifices, quæ mouere modò ſenſum, atq; lenocinari animo, & blandiri poſſent. Scurræ, mimi, ſaltatores, comœdiarum, & tragædiarum actores, ludij, qui in omnium faſtidio, & ſatietate, nunquàm animum explerent. Iã illa maiora, & quæ nõ tã vllius exempla quæſita, quàm ab ingenio hauſta, ſuperbia, contemptio omnium, arrogantia, ambitio, cupiditas, in homine orto etiam Regio genere non ferenda. Regnandi immanis cupiditas, quàm ſpes non inanis præſertim foueret, vt nullus modus, ratione ſtatueretur. Hinc celebratiſſimum fama omnium conuiuium, in quo quidẽ nũmum aureorum XX. M. locupletis hominis cenſum, conſumpta eſſe dicuntur; quò Aeſopi tragædi profuſiſſimas cœnas Chriſtianæ ſanctimoniæ, & religionis moderator, longè etiam anteiret. Quamquàm nè admiratione hominum maior res videretur, ambitioni id tribui mallebat, cuius eoſdem fines ſibi, qui immẽſi erant, & ſumptus præfiniſſet. Excepit eo conuiuio Herculem Aeſtinum Ferrarientium Principem, & Heleonoram Ferdinandi Regis filiam, quæ per eos dies illi nupſerat. Erat autẽ magna illius ſpes per adcò præpoſteram rationem fore, vt eius ſibi ſtudio, & voluntate conciliata, reliqua ſibi faciliima eſſent, ad ea, quæ conſtituerat, perficiẽda, quæ maiora quidem aliorum ſpe ſuam minimè æquabant: tantâ aut fiducia ſui, aut fortunæ ſubnixus ferebatur. Nam fama iam conſtans ac minimè obſcura emanauerat, viuente adhuc Sixto, qui in omnibus illi indulgendo, nihil quòd conceptum animo haberet, non eius ſpe minùs effeciſſet, ad Pontificatum ambitioſiſſimè aſpirare; quem minimè dubitabat, vbi ſe eo Sixtus abdicaſſet (vſque eo alter temeritatis, impudentiæ alter progrediebatur) non etiam Principum voluntate, quod plurimùm referre arbitrabatur) ſuſcepturum ſe, adminiſtraturumque eſſe. Quin etiam cùm Legationem ad Venetos, & Galeatium poſtulâſſet, id vulgò homines ſuſpicabantur, ambitioſum iuuenem per cauſam aliud agendi, occaſionem ad preſandum, tanto morbo laborantem ad inſaniam quæſiſſe. Vt enim tantam dignitatem ambienti ex ſententia cætera euenirent; non ignorabat, haud ſatis ea adiumento ſibi futura, niſi Principum ſecundâ voluntate, Italiæ inprimis vteretur. Hac ille functus legatione Romæ moritur, vt multi crediderunt, veneno ſublatus. De huius iuuenis luxuria, intemperantia, immanibus, ac profuſis ſumptibus, ſi cui libet plura cognoſcere, extant Ticinenſis, & Celſi Veronenſis epiſtolæ, quibus luculento teſtimonio, illius mores, inſtituta, cupiditatem, ambitionem execrantur. *Brutus lib. 5. hiſt. Florentin.*

I.

Franc. Cardinali Mantuano, Ticinenſis Cardinalis.

XVII.

*De eodem Card. Papienſis epiſtola.*

Quantis quotidiè exemplis erudimur ad vitam, mi Mantuane? Quanta nobis ſe offert ab alieno exitu diſciplina? Perrarò eſſet errori locus, ſi vt illa intuemur, ita ſenſibus imis mandaremus, reguſtaremuſque quotidiè. Vel vno hoc exemplo Cardinalis Sancti Sixti, quodnã poteſt eſſe conſpectius? aut documentis noſtris inſignius? Remetiamur præterita, intueamur præſentia. Quãti diſcriminis fortunam videbimus? quàmque admonebimur infirmitatis humanæ! Vidiſti hunc quinto à Sixti Pontificatu menſe cum ex Minorum eſſet ordine, iuuenis adhuc, nulla illuſtri re anteà ancognitus, graui Põtificis contentione creatum Cardinalem eſſe, ex illa die potuiſſe, quod voluit. Quantum aut nec credi facile eſt, nec auditũ noſtra eſt, aut patrum maiorũq; memoria, euntem illũ in Curiam, atq; redeuntem, ſcis quanta omnis Ordinis, ac dignitatis multitudo comitaretur. Multitudini antecedẽti, ac ſequẽti, iã viæ ſatis non erant. Manentem quoq; domi plures multò adijſſe negotij cauſa, quã ipſũ propè Põtificem: Præſulibus, & Legatis, omnifariàmq; hominibus quaq; diei hora, ædes latiſſimas inũdaſſe. Etiam memor es conuiuij illius inauditi, quo Gallorum Oratores anno antè accepit. Solennius aliquid vetuſtas tota, nec gentilitas quidem audiuit vnquàm. Molimen plurimorũ dierũ fuit. Tota Etruſcorum induſtria conquiſita eſt, atq; adhibita. Vacuefacta raris, pretioſiſq; omnia. Idq; actum, vt euincendo conatui nulli in poſterum ſupereſſet facultas. Apparatuum magnitudo, & varietas, miniſtrorum ordinem, epularum numerus, rerum precia appoſitis ſpeculatoribus adnotata ſunt litteris, deſcripta verſibus; nec per vrbem modò vulgata paſſim, ſed per Italiam quoque, & trãs Alpes ſingulari ſtudio miſſa. Non multos ab eo cõuiuio dies, cùm virgo Regia ad ſponſum Ferrarienſem duceretur, audiſti, quanta admiratio ſolemnis hoſpitij fuerit. Ad eũ enim diuertit: Exceſſit honor non modò credendi fidẽ, ſed facultatẽ narrandi. Viſebantur ſtupore ingenti ędes nõ lapideæ iã oculis, ſed quoquò te verteres, magnis opibus locupletiſſimè conueſtitæ, ac parietes, & pauimenta, ſerico, argẽto, & auro inſignes. Culcitræ cubiculorum nullę non ſericeę fuere. Lectorum puluini, conopæa, & pallia, nulla non auro intertexta. Oſtiorum vela omnia exquiſitis operibus picta. Sellæ argenteis pedibus fultæ. Plures textili auro contextæ; quæ etiam ad interius commodum naturæ habentur, ex ſolido argento factæ, culcitrulis mollibus ex ſerico ſuperimpoſitis. Abaci aularum ad admirationem viſentium lati, editi, & pleni. Longiſſimam porticum continentis ędis ad conuiuij amplitudinem deiecto tecto conſtrauit, vt prandentes, cænanteſq; inde cernerentur, pateretq; omnis interior apparatus. Ingentem familiam taceo veſtitu Regno inſignem, menſarum ſplendorem, in quo, vt Gallicanum nuper excederet, peritorum conuiuatorum conatus eſt totus cõſumptus. Munera domùm abeunti ſponſæ ſuperadiecta: non tàm illa quidem ad conditionem puellæ, quàm ad indicium profuſioris animi comparata. Memoria quoque non excidit, quàm ſæpe ludos populo exhibuit, quàm frequenter per dies plures, certamen haſtile, præmiis propoſitis edidit: quantas ſcænas extruxit, vt etiam illarum ornandarum cauſa, Florentia vſq; artifices, hiſtriones, mimoſque acciuerit. Iam verò veſtium ſuarum vſus proprij, quis neſcit incredibilem fuiſſe numerum? eundemque pretii ingentis. Vnam mihi Gebellinæ pellis cænanti ſecum explicuit, paratam, vt aiebat, aureis mille, qualem eius generis nullam inſpexi: & antè oculos eſt quanta acceſſio magnificis alioquin ædibus parabatur quotidiè, quantiſque ſtructoribus res ageretur; quotidiè centum millibus vt apparet, expleri inceptum iuuenile non poterat. tanta erat laxitas, altitudo, & circunductuſque operis. Creatum inde per Vmbriam Legatum vidimus; præſidatus ſex ſibi ſubiectos. Inde cum voti neſcio cuius ſoluendi cauſa. Aſſiſium, Patauiumque ſtatuiſſet contendere; ad Italos etiam cæteros, Legationem accepiſſe: ſumpſiſſe etiam poteſtatem, qualem Legatis nullis datam meminimus. Diuertentem ex itinere ad Florentinos, Bononienſes, Ducem Ferrariæ, Ducem Mediolani, Marchionem Mantuæ, & Venetos, tuliſſe poteſtatis opinione inauditos honores, quãtos excogitare diligens alliciendi iuuenis ambitio potuit. Poſtremò & admirati perniniium ſumus, congeriem Sacerdotiorum ad hæc explenda creſcentem quotidiè, nec vlli ſorti, aut nationi parcentem. Nam præter illuſtria cœnobia magna, & multa vbique gentium comparata, præter inferiora, imæque dignitatis nõ ſpreta, etiam eæ ſupremæ ſedes in vnum ipſæ etiam aggeſtæ, Patriarchalis Conſtantinopolitana, Metropolis Hiſpalenſis, Metropolis Florentina, & Mima-

tentis Gallicana. Congerendæ haud dubio places, niſi vitæ, & cupiditati vna Dei diſpenſatione eſſet modus impoſitus. Biennio toto hic tantus fortunæ ſucceſſus fuit, tàm vt apparet feſtinatus, quàm breui erat caſurus. Quid ergo ex tanta gloria reliquum nunc, illo mortuo inſpicimus? Quid ex tanto rerum faſtigio conſpicuum extat? Vidimus illum, iuxtà verbum Scripturæ, exaltatum ſupra cedros Libani. Tranſimus nunc, & eccè non eſt. Quærimus eum, & non inuenitur locus eius. Deſiit iã Cardinalatus tàm properatus. Euanuerunt cogitatus & comitatus ingentes. Conuiuiorum gloria perijt: apparatuum diuitiæ ceſſauere: ludi in lachrymas verſi ſunt; veſtium nullus illi eſt vſus; Legationis amplæ ſtrepitus non exauditur: domus infinitæ pendent opera interrupta; minæque murorum ingentes, æquataque Machina cælo. Quem capere paulò antè orbis totus non poterat, premit nunc breue ſepulchrum, & cui de menſis cura erat tam ſolers, ex ſe eſcam vermibus præbet, cui denique etiam ad luxum vitæque delicias conueſtita domus erat argento, auro, & ſerico; hunc nunc veſtiunt cementa, & calx. Quis tanto exitu non admoneatur ſuæ infirmitatis; Quis tanto exemplo manendum non cenſeat; in lege Sacerdotii; Nil nimis conandum, naturæ vim non afferendam? mediocria ſemper quærenda? O Mantuane, alienæ inſaniæ ad ſalutem nos inſtruant. Gratuita eſt diſciplina, quam damna noſtra non parant. Non quæramus in altum ferri; grauior ſemper inde eſt caſus. Tuta nobis ſint cordi, ſciamuſque in mediocribus tranquillam eſſe mentis quietem. Magna, quæ placent, falſis quidem nominibus placent. Plena ſunt inſidiarum, & periculorum. Comitantur illa odium, detractio, animæ incommodum. Rara ſublimitas eſt, quæ magnitudine careat peccatorũ. Virtus, & ſumma poteſtas non ſemper coëunt. Nocentis aũt vitæ ille eſt exitus, vt impleri videamus Propheticum illud; *Inimici Domini mox vt honorificati fuerint, & exaltati, deficientes tanquam fumus deficient.* Hic verò defectus accidit, vel morte immatura, vel dum poteſtate licentius abutuntur Principatus mutatione. Quem enim potuiſſe omnia apud præteritum Pontificem, hunc eundem apud præſentem deſpectum inſpicimus. Id agendum ſemper; vt omni tempore honeſtis honoribus vita noſtra non careat, atq; omni tempore æqualitas vna ſit gratiæ. Enĩ congeries hæc ſacerdotiorum, ad quem vſum in domibus ſunt Sacerdotum? ſi ad neceſſitatem parantur, audiamus admonentem Apoſtolum; *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.* Si ad cupiditatem explendam, etiam eiuſdem increpantis vocem intelligamus: *Mortificate auaritiam, quæ eſt idolorum ſeruitus; quia non poteſtis,* inquit Saluator, *Deo ſeruire, & mammonæ.* Sin verò ad luxum vitæ, & pompam idem, quod Chananææ reſponſum nobis ſciamus; *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Quoquo te vertas, indignã miniſterio Sacerdotali curã inuenias, labefactãtem animas, atque ad ſolam gehennam ædificantem. Recenſe verò mecum, coaceruatarum adminiſtrationum, quanta ſint mala, quantiſque nos inuoluant criminib⁹. Defraudamus primo loco Deũ gloria, iuſti obſequij ſui. Quod enim illi perſolui pluribus adminiſtrantibus oporteret, per vnum cogimus fieri. Quàm verò ritè, quàm diligenter piéque id fiat, ipſi nos conſcii ſumus. *In multitudine populi,* inquit propheta, *dignitas Regis; & in paucitate plebis ignomia Regis.* Per Prophetam ideo Dominus comminatur: *Væ, qui coniungitis domum ad domum.* Rurſus, debilitamus corpus Eccleſiæ: Quatuor, quinq;, pluriumue Præſulum ſedes occupat vnus Cænobiorum multorum Patres idem ille vnus excludit, minorumque, munerum miniſtros idem vnus in domo Dei eſſe non ſinit. Tàm multos eiicimus, quam multa ſuperfluo poſſidemus Iterum quoque de ouibus creditis meremur indignè, à quibus; iuxta verbum Apoſtoli, metentes carnalia, non ſeminamus eis ſpiritualia. Qua enim ratione intendere mens vna tàm pluribus poteſt! & cuſtos vnius oculi tàm diſiuncta regionibus contueri? Vicariæ verò diligentiæ, nullæ ad ſatisfactionem ſunt ſatis. Mercedem ſequuntur illæ non fructum animarum; & quod de ouibus ad eas non pertineat, lupis venientibus fugiunt. Noſtrum cuique ſigillatim præcipitur; Cognoſce diligenter vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera. In quibus quòd debitores Deo omnium ſumus, quidquid perit, animabus noſtris haud dubiè perit, reddituris antè tribunal iuſti Iudicis piè crediti, ſed malè adminiſtrati operis ſeueriſſimam rationem, quam neſciæ reddere, in tenebras exteriores eijcientur, *vbi fletus erit, & dentium ſtridor.* Adde publicum odium, meritò ex tanta inſania in nos comparatum. Lamentari Eccleſias vides, quòd his cumulis, egenorum panem eripimus, dolere populos, quòd veneranda Paſtoribus loca, plena nunc mercenarijs vident. Indignari Principes, quòd nullis acceſſionibus noſtra ingluuies ſatiatur. Clamant, non eſſe nos memores paupertatis antiquæ, propter quam creuit Eccleſia. Non videri diſcipulos Chriſti, qui de craſtino vetuit eſſe ſolicitudinem, & duas veſtes habentem dari alteram non habenti præcepit. Deteſtantur, cum vident omnia, ad priuatam pompam, luxumque à nobis referri, quodque multorum eſſe oporteret, ad vnum aliquem redigi: animarum autem tàm eſſe curam exiguam, quàm magna eſt proprij commodi. His indignationibus pernicioſa de nobis aliquandò ineuntur conſilia, inque Apoſtolicam Sedem nationes tumultuantur. Hæc, & alia plura *Cardinalis Papien epiſt.* 548.

XVIII. *Alia quoque Celſi Veronenſis.*

Ex occaſione Petri Cardinalis. Ab hoc eodem Petro, exceſſu, philoſophabatur Cellus Veronenſis Canonicus Regularis S. Auguſtini datis litteris Cardinali Papienſi. Quid, *ſcribit*, mi Reuerendiſſime Domine, in hac tàm miſera, & fallaci vita admodum cupere debeamus, non ſatis intelligo. Quid verò timendum ſit, planè cognoſco. Quotidie noua aboriuntur exempla, quibus inſtruimur, nihil eſſe hac vita miſerius. Nam cùm nuper de obitu Cardinalis Sancti Sixti, & multorũ, litteris, & nuncijs accepiſſem, cæpi mecum agitare, variam humanarum rerum ſortem, mirabilemque ſimul, ac miſerabilem hominis conditionem fuiſſe cognoui. Nã qui paulò antè in vita feliciſſimus omnium eſſe putabatur, in morte miſerrimus omnium apparuit; quando ea, quæ viuenti gloriam, & ſplendorem attulerant, morienti pœnam, ac cruciatu inferrent ea, & quæ antè dũ poſſiderentur iucunda & dulcia eſſe videbantur, eadem dum relinquerentur, triſtia, & amara eſſe putabantur. Quid enim hoc biennio huic, quod optaret, aut viuenti defuit, aut morienti profuit? Hei miſeram nimis hominis conditionem; dum ea, quæ in vita tanto labore parantur ad voluptatem, in morte tanto dolore relinquuntur ad pœnam: & quæ priùs longis erant quæſita vigiliis, vt eſſent oblectamento, breui tempore, magno amiſſa ſunt tormento. Nihil huic homini adiumenti dignitas, nihil ſplendor, nihil aurum, nihil argentum, nihil vaſa pretioſa, nihil opes, nihil nitor gemmarum, nil fauor auræ popularis, nil turba clientum, nil denique principatus, tanto præſidio, ſtudioque vallatus prorſus attulit ad ſalutem: ſed è contrario, cùm corpus ſæuis doloribus cruciatum torqueretur, hæc omnia quoniàm relinquenda erant, animum quoque diris, ac cruentis morſibus lacerabãt. Vt mihi profectò fortunatiſſimi eſſe videantur, qui vel nullam cũ rebus tã citò perituris ſortem acceperunt vel acceptam virtute ipſa contemptam penitùs abiecerunt. Sic enim fit, vt animus noſter, & adhuc in corpore poſitus, nullis rerum præſentium delinitus illecebris, rerum æternarum cogitatione paſcatur; & dum migrat à cor-





pore multis vitijs inſertus, aut ſordibus inquinatus, liber, ac mundus euolet in ſuperna, & nullo dolore relinquat, quod miro ardore contempſit. At me quidem iampridem totum in hanc cogitationem erectum, cum varij rerum humanarum, multipliceſque caſus, tum viri, de quo dico, tàm repentini, tamque inſperati euentus, ſubitæque procellæ confirmârunt. Quid enim? Floruit hic paucis diebus, pluſquam meâ ſententiâ aſſecutus eſt, quàm vel vlli ſperare, aut ei fas eſſet, optare; quandoquidem ex loco tàm humili, tamque abiecto, ad tam excellentis gloriæ culmen, altitudinemque potentiæ euectus eſt. Et ecce mi Pater, ac DOMINE dum huic ad vota ſuccedunt omnia, parum dico; imo tum vota ſucceſſu rerum ſuperantur; dum nihil optat, quod non ſperet, dum nihil ſperat, quod non quærat; nihil quærit, quod non aſſequatur; dum ei cuncta arrident, in ipſo primordio iuuentæ, in medio florentis gloriæ auſu, ſubita, atque inſperata morte corripitur. O fluxam rerum humanarum labilemque naturam, ô fallacem vitæ ſpem, ô miſeram conditionem. Quid eſt, quod animos noſtros excitet, aut alliciat ad hanc rerum tranſeuntium, & tam citò labentis vitæ gloriam appetendam? cum vel res nobis, vel nos rebus tam inopinato euentu, tamque ſubito caſu ſubtrahimus? Igitur humaniſſime Princeps, ab his rebus quæ tam cito pereunt, mens auocandus eſt animus, atque illic ſpes mea, cogitatioque locanda eſt, vbi vita perpetua, vbi pax æterna, vbi immortalis beatitudo, vbi ſempiterna felicitas; vbi Deus noſter eſt præmium, ac vita, & merces noſtra magna nimis. Hæc tuæ Reuerendiſsimæ D. ſcripſi, non quòd aut ad contemptum vitæ præſentis, aut ad ſpem futuræ eam accendendam, inflammandamque putarem, cùm vita tua, perfecta quædam norma integritatis, ſanctitatiſque exiſtat, ſed vt magis hæc epiſtola eſſet monumentum mei in te præcipui amoris, ac ſingularis obſeruantiæ, intelligereſque tuam Reuerendiſsimam D. mecum in ſtudijs, mecum in cogitationibus, mecum & domi, & publicè cum ſuauiſſima memoriâ verſari, cui me vnicè trado, atque commendo. Bononię XII. Calend. Febr. M. CCCC. LXXIV. *extat inter epiſtol. Papien. numero* 549.

XIX. *Eiuſdem prodigalitas.*

Obijt Petrus tabiduas, voluptatibus confectus, annorum XXVIII. Ità ſplendidus erat, vt pecuniæ perdendæ natus eſſe videretur. nam eo biennio, quo ſuperuixit, ducenta aureorum millia in victu abſumpſiſſe; LX. verò m. æris alieni, argenti autem cælati CCC. pondo reliquiſſe traditur. *Onuphrius in Sixto IV. Volaterranus lib.* 22.

XX. *Card. Theanenſis moritur, & laudatur.*

Eodem Menſe Ianuario deceſsit Cardinalis Theanenſis. De eius obitu Papienſis laudatoriam ſcripſit ad Cardinalem Spoletanum dignam, quæ legatur.

De vlciſcendis erroribus noſtris; quantum video, cogitat Deus. Comminuere nos vult, vt puluerem antè faciem venti, & lutum platearum delere. Ad imam confuſionis iudicio diuino detrudimur. Eripit conſilia, vt in tenebris ambulemus. Tollit auctoritatem, vt contemptui hominibus ſimus. Labenti iam Ordini noſtro abſtulit paucis annis firma præſidia, Ioannem Cardinalem Sancti Angeli, Beſſarionem Cardinalem Nicænum: nunc quoque Nicolaum Cardinalem Sanctæ Cæciliæ: quorum virtute quanta ſuſtinerentur, tu ipſe videbas quotidiè. Vno amplius, aut altero adempto, quid reliqui eſt, ad ſalutem? Impleri propheticum illud Iſaiæ conſpicimus; *Auferet Deus ab Hieruſalem & ab Iuda. Principes ſupra quinquaginta annos, & honorabilem vultum, & conſiliarium ſapientem, & prudentem eloquij myſtici, & dabit pueros Principes eorum, & effeminati dominabuntur eis.* Miſerandam profectò ſortem, cui quod eſt firmum, adimitur, quod infirmum relinquitur. Theanenſi autem noſtro, quid in domo Dei vtilius? Cuius vita omnis labor fuit, & veritas, & ſalutare ſemper conſilium. Meminiſti, quæ ſedente Eugenio, & Nicolao, iuuenis adhuc diuerſis in locis Eccleſiæ præſtitit. Vidiſti, quæ adminiſtrante Pio magnis ſuis diſcriminibus egit. Ærumnarum plenus is Pontificatus fuit. Quæ autem pars fideles curas ſuas non ſenſit? Neapolim cum miſſus eſſet, ad coronam regni Ferdinando reddendam ſcis id quod tuis conſilijs, de recipiendis vrbibus duabus, Beneuento, & Tarracina Sedes decreuerat, illius aſſidua diligentia perfectũ fuiſſe. Relata etiam documenta rerum noſtrarum, quibus vinculum Regiæ in nos fidei, noſtræque poteſtatis, ac beneficij ius probabatur. Ortis deinde bellis, quibus in Flaminia, in Sabinis, ad fines Campaniæ vexati grauiter ſumus, tenes, vt ſua diligentia, ſecunda omnia nobis acciderint, Grauis hoſtis ad flumen Lyrim, nè in Romanum agrum tranſiret, exiguis copijs prohibitus eſt. Loca munita obſeſſa, & capta. Oppidis penè omnibus Iacobus Sabellus exutus qui cum Andegauenſibus ſentiens, omnia per Latium ad portam vſque Vrbis latrocinijs infeſta habebat. Sigiſmundus Malateſta attritus, concluſuſque Arimini, ad abiurandam hæreſim compulſus eſt, veniamque petendam. Claſſis quoque ex portu Piſano ſanctæ expeditionis cauſa, per fretum Siciliæ Anconam perducta Iterum ſedente Paulo, Euerſani fratres in Eccleſiam ſemper impij, diebus duodecim altero eorum capto, altero expulſo, armis ſublati totidemque munitiſſima oppida noſtræ ditioni adiuncta. Quæ omnia licet militares Duces habuerint, ſumus tamen experti, quantum fides huius, ac labor, ad exitus ſecundos contulerint. Erat in caſtris ſumma ſolertia, vigilabat aſſiduè impertiebat ſe ſingulis. Nullorum diſcriminum operam ſuam patiebatur immunem. Aeque fortem animum in acie & in obſidione præſtabat. Ad populos vero in fidem Eccleſiæ traducendos, præcipua erat cum dexteritas, tum efficacia, vt non minùs adminiſtrationem omnem belli Legatus, ipſe adiuuerit, quàm à belli Ducibus adiuta fuerit eius Legatio. Inter hæc autem, cum cogente vi rerum aliquando acer eſſet; ac vehemens, numquã tamen eſt ſuæ ſortis oblitus. Nulla in eo duritas, nulla crudelitas cognita eſt. Satis habuit ſemper erratorum ſuorum admoneri hoſtes, perdi eos numquam eſt paſſus, in eo certam victoriam reponens, ſi beneficium poſt arma experti, fideles ex infidelibus, boni ex improbis redderentur. Quibus rebus factum vidimus, vt populi ipſi deuicti, ſumma illum beneuolentia ſummiſque honoribus proſequerentur; vt quem habuerant in bello caſtigatorem perfidię, ſic in pace ſeruatorem fortunarum, parentemque colerent. Horum operum ſunt teſtes complures epiſtolæ Pij ad eum ſuo chirographo ſcriptæ, in quibus illi gratias agit, & vſque eo conſentire conſilia eius, conſilijs ſuis oſtendit, vt quodam eorum loco ſcribat SS. Tua fides, & in omnibus rebus diligentia, liberat nos ſcribendi onere; quia vbi tu es, nos ſumus. Ea facis, quæ ipſi nos faceremus, nec hortationibus eges. Et rurſus victoriæ tuæ congratulans SS. Digna ſunt, *inquit*, omni laude opera tua. A te perfidus hoſtis Eccleſiæ domitus eſt, & amputatis alis in ſpeluncam concluſus. Iterum quoque SS. Nobiſcum patere fili; quia & nobiſcum es regnaturus. Mitto qua inopia difficultates has militares aliquando pertulerit, vt ipſo primarim egente, Pio magnis ſtipendijs exhauſto, cum nec vnde ad victum neceſſaria adminiſtrarent miſertus ego laborum, priuata illum pecunia nonnunquam adiuuerim. Sed nec laudi externæ ceſſit domeſtica. Magna æſtimatione ſemper apud

Pontifices fuit. Rara erant de ſummis rebus conſilia, ad quæ non vocaretur; rari delectus Patrum, inter quos primus non eſſet. Cauſæ autem grauiores penè iam omnes, vel illi, vel tibi, vel vtrique ſimul, tanquam fidelibus iuſtitiæ miniſtris, vno ordine iudicandæ permittebantur. In quibus qua innocentia fuerit, conſtantia, & fide continuata, virtutis opinio certo eſt documento. Erat porrò in ſenatu ad conſulendum liber, ad diſſerendum rectus, ad benè videnda omnia perſpicax. Conſcientiæ, non gratiæ ſeruiebant eius iudicia. Fortis verò animus publica ſemper ſpectans, nil humile ſapiebat. Erant de ijs tantum ſermones eius, & curæ, quæ aliquando cum minus ſecunda æſtimatione, noſtra haberentur, dolebat pernimium, ac veluti ſibi vni pertinerent, querelis aſſiduis requirebat. Taceo vitam eius priuatam, modeſtiæ Sacerdotalis, ac continentiæ certiſſimum ſpecimen. Non quæſierat ſibi Sacerdotiorum aceruos; quos in pleriſque dolemus: non theſauros, qui nulli inuenti ſunt. Cenſu erat ſuſtinendæ dignitati vix ſuppetenti. Malebat non abundare, quàm adminiſtrationum multitudine animam deprimi. Habitauit modicis ædibus, vt ſcis, iiſque conductitiis. familia perſeuerauit, vt mediocri ſemper, ità & frugi, & diligentia ſua, benè inſtituta domus tota, nihil pretioſi, vmquam apparatus propoſuit. Eam nos ſæpe inſpeximus. Aulea cari, peregrinique operis, abacique argentei in gradus extructi, caſtigata ſuppellectile exulabant. Domini virtute, non externis artibus, ædes honeſtabantur. Ipſe verò culturæ corporis ſui, atque omnis lenocinii negligens, quam in aliis requirebat, de ſe primus vitæ ſeueritatem præſtabat. Menſa nihil exquiſitum habuit vmquàm, aut nimium. Cubiculum quoque nil delitioſum, ac molle. Veſtis erat, quam videbamus quotidiè, communis, & modica. Denique diſciplinam omnem domus, & ſuam, eo vir iuſtus redegerat, vt ſatisfacere caſtis animis, non delectare ambitioſos oculos poſſet. Innumera ſunt, quæ recenſenda de ſuis meritis eſſent, tam quidem magna, quàm multa. Sed conſultè ea prætereo, quòd magnitudine ſua librum requirerent; & propoſitum mihi eſt, epiſtolam ſcribere leuatricē doloris, non vitæ ante actæ commentarium texere. Hæc ideò raptim collegi, quod in recenti obitu ſuo deeſſe vocem litteris non volui, & nuper in funere minùs veris laudibus honeſtatum illum cognoui. Nos, Spoletane mi, quos ſuperſſe annis eius voluit Deus, laboreſque vitæ paululùm adhuc vltra producere, grati beneuolentiæ acceptæ memoriam hominis contineamus in animis noſtris, viuereque inter nos quam diutiſſimè illum ſinamus. Vita enim mortuorum, in memoria viuorum eſt poſita. Inprimis autem oremus pro eo Deum, fidelique animæ eius pacem precemur; quam licèt pia fide collocatam iam in ſinu Abrahæ credam, tamen quia incertum eſt homini, vtrùm acceptione ſit dignus, vel odio; & iuxtà verbum ſcripturæ, opera iuſtorum, ac ſapientum in manu ſunt Dei; non deſint illi fraterna ſuffragia. Si cum Chriſto regnat in cælis, gratiæ mētis inſpector, vt & nos cōregnemus orabit. Sin purgādis adhuc labibus ſupereſt aliquid, impleamus nihilominus Sacerdotū officia: *Sancta enim, & ſalubris eſt cogitatio, pro defunctis exorare, vt à pœnis ſoluātur.* Ergō vrità agamus, priuata noſtra iuſtè efflagitant. Dilexit ille nos plurimùm vt ſcis. Eodem patre in Eccleſia genitus eſt. Menſam ſancti ſenis participauit nobiſcum. Vna fuit ſemper noſtra, & illius conſiliorum, & arcanorum communicatio. Veram ſocietatem diremit numquā, vel noſtra offēſio, vel aliena iniquitas. Perſeuerauit in finem, conciliatus in charitate amor. Vidiſti in duris noſtris, quo affectu erat in nos, quàm præſtò aderat conſolans, vel opem, quam poterat, afferens. Amantiſſimæ fraternitatis nullum officium prætermitti paſſus eſt, deſiderijs noſtris vltrò ſemper occurrens, vt non tam grati animi ſit hæc recordari, quàm inhumani non meminiſſe. Poſtremò, mi Pater, quando in veſperum inclinat iam Sol, id eſt ætas noſtra, in exitum vergit, ad iter vniuerſæ carnis animas præparemus. Omnibus enim dies illa eſt obeunda: Nec parcitur magno, aut paruo, locupleti, vel inopi. Mortuus Eugenius eſt, & Nicolaus, & Pius, & Paulus, quorum omniū gloriæ, & funeris pariter ſpectatores fuimus. Defuncti illuſtres tot Cardinales, quorū aſſūptiones vidimus, & ſepulchra. Ambulemus dùm lucē habemus, nè tenebræ nos apprehendant. Si promerendi ſunt noſtri, & carnis habenda ratio, id agamus, dum integris ſenſibus ſumus. Libra iuſtiore expendamus quid cuiq; debeatur, & diſcriminibus teſtamentorum liberabimus eorum inopiam. Si procuranda futuris ſuffragijs animæ eſt ſalus, hanc quoq; ipſi nos incolumes ſtatuamus. Malè ab hæredibus inſtituta noſtra ſoluuntur. Quid ſui commodi eſt, non alienæ pietatis, inſpiciunt, raraque habetur in mortuos gratitudo. Nihil minus autem, quàm horam illam ſupremam ad hæc componenda vtilem iudicemus. Plena enim terrorum eſt, & anxietatum, & tenebrarum; dumque inter ſpem vitæ, metumque pendetur, integer ad nulla eſt animus: interruptis vocibus, ac morientibus diminutè fiunt omnia, ac perturbatè, & plerunque ad alienum magis, quàm noſtrum arbitrium. Quin & illud ſæpe accidit, vt propter ſpem oppreſſis ſubitò ſenſibus, torpefacta etiam lingua, inteſtati decedentes, famæ & noſtris malè deteriùs animæ conſulamus. Pertinebat autem illis omnis hæc diligentia, vt domeſticis antè compoſitis, liberatique terrenorum cura, de ſolis cæleſtibus cogitemus, tranquilliuſque in Domino quieſcamus: Hanc autem ipſam horam egreſſus, in omni loco, in omni tempore vigiles expectemus, quia in quo illa nos expectet, incertum habemus. Vale. Romæ 11. Ianuarij: 1474. *epiſt.* 541.

# ANNO CHRISTI 1475.

## SIXTI PAPÆ IV. Anno 4. & 5.

## FRIDERICI ROMANORVM IMP. Anno 36.

I. *Turcæ claſſem in Chriſtianos inſtruunt.*

MAhometes Turcarum Imperator, quingentorum nauigiorum claſſe inſtructa, ad primos dies veris Vezirem ſuum Geducem Achimetem Baſſam, expeditionem contra Chriſtianos ſuſcipere iuſſit. *Leonclauius lib.* 26. Rhodiani Equites contra ſe ducendam opinantes, & ipſi arma, milites, commeatum oppugnationi ſuſtinendæ parauerunt; ac præterea Ioannem Cardonam Equitem, Præfectum Balearicum, Romam miſerunt, qui Sixtum Pontificem, ac Ferdinandum Neapolis Regem, cæteroſque Italiæ Principes; ac populos ad ſubſidia ferenda inflammaret; tum vero eius militiæ in Italia reditus colligeret. *Boſius lib* 10. Flexit Ottomanica claſſis in pontum Euxinum, atque Caffam, ſeu Theodoſiam, & Menkien, & alias inſuper arces, oppida, regiones, cum ipſis populis Oſmaneo ſubiecit imperio. *Leonc. ſup.* Hæc de Caffæ amiſſione Laudiuius Vezanenſis Lunenſis, Eques Hieroſolymitanus Cardinali Papienſi ſcribebat.

II. *Caffam & alia oppida inuadūt.*

Quæ nuper apud Scytas Europæ ab immaniſſimo Rege Turcorum in Ponto geſta ſunt, etſi omnia calamitatibus plena videantur, ea tibi paucis referre inſtitui, vt ſentiat tandem Romanus Pontifex, atque vniuerſus orbis Senatus, hanc, maximam omnium cladem, cum ſummo Chriſtianæ Reipublicæ detrimento acceptam; quum tantæ præſertim victoriæ Barbaris acceſsio facta ſit, vt non modò rei huius





noua perturbatio vniuerſi quidem Orientis animos inuaſerit, ſed omnia Turcorum poſſe viribus expugnari prædicent homines; & qui Euxinum mare atque Ægeum tenent, fugam potius, quam arma meditentur; atque ea vel animorum, quæ olim maioribus noſtris fuit, in exercitu Chriſtiano fracta: nec vllam ſpem ſalutis poſitam in noſtris intelligo, niſi Occidens vniuerſus ad arma coniuret, atque vno tempore terra marique Turcus oppugnetur. Nam tot bellorum impenſis rem protrahere, non video quid profuturum ſit. Pòſt enim captam Bizantium, quæ in Propōtide ſita eſt, quantas calamitates Chriſtiani acceperint, niſi teneres omnia, referrem. Itaque Græcis primo ludibrio habitis, mox ad alios ferro penetrauit, Myſioſque & Triballos ſuperioribus annis varijs afflixit cladibus. nuper vero in Tauricam Cherſoneſſum ingenti claſſe comparata nauigauit, & quum legiones militum in terram expoſuiſſet, inſperato Scythas aggreſſus, vrbem Theodoſiam, quæ nunc à barbaris *Caffa* appellatur, Genuenſium coloniam, magna vi cæpit oppugnare? Rex ipſe Scytharum tanta belli mole oppreſſus, cum mille quingentis equitibus in vrbem ſeſe recepit: cæteri, qui in aciem educti fuerant, militum proditione ad Turcum deſciuere. Itaque nulla pugnandi intermiſſione oppidanis facta, diebus quattuor & totidem noctibus exercitu propius admoto, perrexit obſeſſos expugāre. Pars ciuium, qui ſeſe intra vrbis vallum, ac mænia tutabātur, quum vim hoſtium ingruentem ferre diutius non poſſent ab obſidione liberari apud ſuos Magiſtratus flagitabant. Reclamantibus illis, ſeditio orta eſt. Itaque oppidani proditione facta ſeſe mox hoſti dediderunt. Turcus pòſt captæ vrbis victoriam, quum ingentem prædam militibus ſuis diuiſiſſet, mox ad omnia ſuppliciorum genera, in captiuos animum conuertit. Itaque impetu facto ex licentia ferri deſæuire barbari cæperunt. Quotquot enim obuiam excepti, militum gladijs trucidabantur. Nullus fuit in captiuos miſericordiæ locus; nulla in Deum pietas, & religio, nullum etiam crudelitatis genus omiſſum. Alij quidem inexcogitato ſuppliciorum genere torquebantur: alij inter varios cruciatus miſerabili fato exanimati ſunt; nonnullos verò ad necem vſque verberibus cædi Dux ipſe imperauit. Conſulem quoque ipſum, atque vrbis Prætorem capite truncauit; Patricios verò omnes, & vniuerſum quidem Senatum ferro aggreſſus eſt. Ciues etiam ex ſenioribus trecentos ad vnam interemit, mox in reliquam plebis multitudinem furore debacchatus. Audires teneros infantium vagitus, & triſtes parentum lachrymas, atque vrbe tota, ſæuos paſſim matrum vlulatus. O quam triſte omnibus ſpectaculum fuit in tanta vrbis atque hominum ſtrage, vbique morientium gemitus, & opem implorantium vota exaudire. Sed Turcus multo ferocior, ad omnia ſtetit immobilis, nec vmquam oculos ad miſericordiam deflexit; ſed contempta Dei religione tam immane facinus aggreſſus, vt humana ſimul & diuina permiſcuerit. Non aris ille Sanctorum pepercit, non templis Diuorum; non pueris aut virginibus, quos ſatellitum manibus attractos, in conſpectu parentum iuſſit occidi. Matronas quoque nobiles, & iam ſenio confectas, nullo ſexus diſcrimine habito, trucidari imperauit. Itaque nullus fuit crudelitati modus. Poſtea vero præſidijs militum in vrbe capta diſpoſitis, ipſe omnem Pontici maris oram claſſe depopulatus, hinc ad Getas, qui trans Danubium incolunt, arma conuertit, vt arcem eorum munitiſſimam expugnaret, & iam caſtra admouit. Huic tamen ab oppidanis in dies acrius reſiſtitur, vt incertum ſit, ad quos potius victoria declinet. Habes igitur infelicis belli exitum, quod nuper in Taurica Cherſoneſſo geſtum. Quid enim grauiora expectamus? Quotidie maiora quidem Turcus in Chriſtianos molitur, & incredibili exercitu comparato bellum renouauit, vt in Italiam claſſe traijciat: atque de inſulis Aegei omnibus actum, ſi vera ſunt, quæ nobis quotidie formidoloſa nunciantur. Quid facimus igitur Chriſtiani? Quid in tanta belli mole dormitamus? tāquam nihil ad nos ſpectet, nemo eſt, qui tantæ cladis meminerit, Vbi vis illa animorum eſt, quæ olim maioribus noſtris fuit? vbi nominis Latini maieſtas? Vbi denique bellica Romanorum virtus, & imperij gloria! Vtinam fallus ſim; de Chriſtianis actum; niſi maturius hoſti occurratur. Iam minori dominatur Aſiæ, & omnis Pontici maris ora nuper illi adiecta. Signa quoque ad Tanaim, & Mæotidem vſque prouexit; Græcia omnis in poteſtatem bello redacta. Paucæ tātum ad huc maritimæ vrbes in fide retinentur, libertate Venetorum defenſæ. De incredibili Rhodiorum virtute, ac militum noſtrorum conſtantia bene ſperādum eſt. Nam magnitudine quidem animi, & armorū exercitatione longe cæteris præſtare videntur: atque omnia ad neceſſarios belli vſus indies comparamus, & nobis rerū commeatus abūde ſuppetunt. Vrbe vero ipſam mænibus, & ingēti vallo clauſimus, atq; omnes machinas, & tormentorū genera ad vim hoſtiū arcēdam, murorum propugnaculis ereximus; vt ſi quādo belli vſus euenerit, nō tā conſtāter hoſtē excipere videamur, quàm fortiter propulſare. Vale felix, ac Laudiuij tui memor, quem ſcias tui profectò ſtudioſiſſimum eſſe, ac tuum nomen in hos vſque Orientis populos extollere, ac prædicare. Vale iterum. Rhodi. Calendis Auguſti M. CCCC. LXXV. *Laudiuius epiſt.* 641. *inter Papien.*

III. *Auaritia Conſulū, aliorumq; Præpoſitorū Caffa perditur.*

Amiſſa eſt Theodoſia, potiſſimùm auaritia Conſulum, aliorumque publicis muneribus Præpoſitorum, ex populo Genuenſi. Nam cum ex horum auctoritate, atque arbitrio omnia adminiſtrarentur, fiebat, vt aliqui priuatum commodum, publico bono præferrent, ac turpi quæſtui ſtuderent. Creuerat ea vrbs ſub Genuenſi imperio in magnas opes, ciuitatique inprimis Genuenſi priuatim & publicè fructuoſiſſima erat: ob frequentia, & ampla commercia, quæ priuatim ciues diuitijs augebant. Quibus rebus fiebat, vt magnam potentiam, magnamque auctoritatem apud accolas Tartaros obtineret: ipſeque Tartarorum Imperator, cui latiſſimè patentes circa regiones parebant, coloniam illam, quæ regnis ſuis haud exiguo emolumento eſſet, in magno pretio, magnoque honore haberet. Quarè omnium finitimarum Præfecturarum controuerſiæ, Genuenſibus Magiſtratibus diſceptatoribus, & arbitris (ità Imperatore volente) Caffæ tranſigebantur, neque Præfectus campeſtris regionis, ſine voluntate, & aſſenſu Genuenſium Magiſtratuum eligebatur. quorum Magiſtratuum tanta erat in eo negotio auctoritas, vt in quem ipſi ſtudia inclinaſſent, is victis competitoribus præfecturæ compos fieret. Præter Conſulem autem, cui duo in conſilio addebantur, & ad quem ſumma imperij pertinebat: quattuor. Viralis Magiſtratus elegebantur rebus campeſtribus moderandis, & procurandis. Cum is eſſet rerum ſtatus, Mamares campeſtris Præfectus moritur: in cuius locum Satrapes quidam nomine Emineces ſuffectus eſt. Huic, ex teſtamento Mamacis ab Imperatore approbato, nominatus erat ſucceſſor Caraimerza Satrapes. cæterùm vxor Mamacis vidua, mulier prædiues ac potens, inſigniſque ſuperbiæ, & ambitionis fæmina, in eam præfecturam indomita cupiditate pro filio ſuo Seitace tendebat: cum non modo precibus, & allegationibus, ſed pecunijs quoque, & corruptionibus pugnaret: negotio Conſtantino Pettocoſſo Genuenſi, dato, qui primo Gotofredum Lercarium, Genuenſium Conſulem, ac deinde Baptiſtā Iuſtinianum ſucceſſorē appellauit: quorum fidem, vidua, nullis promiſſis aſſidue obtundendo labefactare vmquam potuit; cum

viri graues, & integri prouiderent, quantam ea res malorum tempeſtatem eſſet excitatura. Cæterùm non eadem fides & integritas, idemque boni publici ſtudium in ſucceſſoribus Magiſtratibus fuit; qui fuerunt Antonius Cabella Conſul; Vbertus Squarciaficus & Franciſcus Fliſcus, illi de more in conſilio additi. Quattuor viri verò rerum campeſtrium fuere, Nicolaus Turrilia, Iulianus Fliſcus, Bartholomeus à Sancto Ambroſio, Cyprianus Viualdus, cum Vberto Squarciafico, altero ex conſiliarijs, affinitate coniunctus. Horum nouorum Magiſtratuum electio ſpem Conſtantini ad rem iterum tentandam erexit; qui initio facto à Nicolao Turrilia, per eum, Vbertum Squarciaficum in ſententiam traxit, mille aureis nummis illi, ac duobus millibus Squarciafico promiſſis; quòd is conſul fuiſſet, magnumque eſſet in colonia illius nomen, & auctoritas; quâ cæteri commoti deinceps appellati, omnes pretio corrupti, in ſocietatem conſilij venerunt; Seitaceque in vrbem accerſito, Emineci per dolos, & confictas calumnias peſtem machinari incipiunt, quem per litteras occultæ amicitiæ, occultorumque conſiliorum cum Imperatore Turcarum, apud Melincherium Tartarorum Imperatorem inſimulant, hortanturque, vt proditori Præfecturam abroget; aliter ciuitatem Caffam non poſſe ſeruari. Imperator ſeſe morem geſturum voluntati coloniæ reſpondet, cuius ſalutem non minùs, quàm ſuam cordi habeat, rationemque initurum Eminecis amouendi. quo tamen amoto, Præfecturam ad Seitacem deferri non poſſe, Caraimerzâ viuente, & potiore iure, quod illi auferri iuſtè non poſſit, in ſucceſſione fulto, & Aidaris propinqui ſui immenſarum opum, immenſæque potentiæ ſatrapis fauore ſubnixo: vt ardua inprimis, & periculoſa ſit Seitacis creatio, quæ magnis motibus, ac magnis offenſionibus cauſam poſſit præbere. Cæterùm Magiſtratus Genuēſes, auaritia ſtimulante, monitis Imperatoris non admiſſis, rem nihilominùs vrgere pergunt, multiſque vltrò, citròque commeātibus litteris, & nuncijs, res tandem eò deducta eſt, vt Genuenſes modò Emineces tolleretur, ſeſe accipere paratos dicerent, quemcumque ſucceſſorem Imperatori mittere libuiſſet. Probat rem Imperator, Aidariq;, & Caraimerzæ negotium euertendi Eminecis dat; ſucceſſione in præfectura Caraimerzæ ſolenni iureiurando promiſſa. His conſilijs, ac machinis in caput ſuum cognitis Emineces, ab omnibus deſertus, fuga, quę vna erat ſalutis expediendæ via, ſeſe periculo ſubtrahit: Caraimerzaq;, & Aidares fidem promiſſorum ab Imperatore poſtulant. qui promiſſo confirmato, & iterato, eadem de cauſa, ijſdem Caraimerza, & Aridare comitibus, Caffam ſe confert, iſque ſolus vrbem ingreditur: cum ſatrapes, non ſatis explorata Magiſtratuum Genuenſium voluntate, extra vrbem ſubſtitiſſent. Magna inter Imperatorem, & Magiſtratus Genuenſes certamina, ea electio præbuit. Genuenſes, acriter, & obſtinatè pro Seitace pugnare, qui ipſorum promiſſis inductus, Caffam veniſſet: quorum promiſſorum fidem ſeruari ad ipſorum exiſtimationem pertinere, dicere. Contrà Imperator, litteras ipſorummet Genuenſium proferre; quibus Eminece extincto, libera eligendi conſilia permiſiſſent; captioſè litteras ſuas interpretari Genuenſes; extinctum enim illū dici, qui vel mortuus, vel in vinculis ſit; Eminecem, & viuere, & in libertate eſſe. Fluctuare inter ancipitia conſilia Imperator; nolle fidem Caraimerzæ, & Aidari bis datam fallere, nolle animos Genuenſium offendere. Tandem Vbertus Squarciaficus à diſputationibus in minas verſus; niſi Seitacem, *inquit*, eligis, Imperator, nos omnes, quos Saldaiæ, te inſtante in vinculis habemus, capitales hoſtes tuos emittemus; quos noſti, cum numero, tum potētia ſua, te, ac regnum tuū in vltimum diſcrimen adducere poſſe. Hoc timore victus Imperator, Genuenſibus obſequi in animum induxit; omniumq; Magiſtratuum Genuenſium voluntate Seitaces in Prætorio Genuenſi, Præfectus campeſtris regionis creatur. Grauiter Caraimerza, & Aidares tanta iniuria exarſerunt, ab Imperatoreque deficientes, qui in ſua conceſſerat, maxima procerum, & Satraparum multitudine armorum ſocietate ſibi coniuncta, Eminecē euocatū, exturbato Seitace, in locum ſuum reſtituunt, peſtemq;, atq; excidium Genuenſibus contumeliæ auctoribus machinari incipiunt, Turcarum Imperatorem in ipſos excitantes; ſpe haud dubiè facta, ſi ipſe copias ſuas Caffæ admouiſſet, ſeſe illi vrbem, & cætera loca, quæ Genuenſes in ora Euxini poſſiderent, exiguo, aut nullo certamine tradituros Haud cunctatur Turca, opportuneq; claſſem quadringentarum octoginta nauium in expeditionem Cretæ præparatam, in Caffam vertit; in quam Imperator cum Seitace à Genuenſibus euocatus, redierat, vrbemque aſſiduis Eminecis oppugnationibus cuius copiæ indies augebantur, defendebat. Hæc oppugnatio à dimidio menſe Aprili, ad extremum Maium perducta eſt; cùm tandem claſſis Turcica Calendis Iunijs in ſinum Caffenſem appulſa, copias multis in locis exponit, atq; vrbem tormentis ſtatutis verberare inſtituit, veteribuſq; menibus decuſſis, cuniculis agi, ac noua mænia quati cepta ſunt. Oppidani, tātis circūſiſtentibus terroribus, & à Turca, & à Tartaris trepidi, clauibus vrbis, ab Ahamatem Turcicarum copiarum ſummum ducem miſſis, deditionem faciunt. Capta vrbe, nobilitas omnis cum vxoribus, & liberis, & Mengligere Tauricanorum Tartarorum principe, ac duobus eius fratribus, qui ſiue fortuitò, eò tunc venerant, ſiue ſeruandi ſui cauſa ex agro in vrbem ſe receperant, Conſtantinopolim tranſlata, plebs dimidia parte [illegible] in ſuis ſedibus, aliquamdiù relicta eſt; poſteà tamen & ipſa in ſeruitutem abacta. Valachi mercatores, Legati, & exploratores, centum ſexaginta omnes trucidati. Vbertus Squarciaficus ſuſpendio necatus; Seitaces reſeruatus, nec niſi pòſt duos annos in Præfecturam reſtitutus. Vna tamen nauis, quæ centum quinquaginta ephebos Caphenſium formoſiſſimos, contumeliæ, & libidini barbari tyranni deſtinatos, & luculentam ſuppellectilem ex præda coactam ferebat, Simonis Turnarii opera à cæteris ſegregata, ac Turcis viginti quattuor, qui præſidii cauſa in ea fuere, partim per ſpeciem aquandi emiſſis, partim interfectis, Kiliam appulſa in Stephani Valachiæ Palatini poteſtatem dedentibus remigibus venit. Caffam arcibus, caſtelliſque circumiacentibus potitus Turcicus exercitus, ad Moncaſtrum, ſiue Bialogrodum nauigauit, eamq; vrbem ad oſtia Tyre, ſiue Neſtri fluuij in pontem Euxinum ſeſe exonerantis ſitam, adiuuantibus à terra Tartaris, quamquā irrito conatu oppugnauit: cumque Radulonem Palatinum Tranſalpinæ Moldauiæ, quem contrà Stephanum adiuuerat, pulſumque reſtituerat, in fidem ſuum accepiſſet, tributariumq; feciſſet, tranſmiſſis in Moldauiam ingentibus copiis, Stephanum quoq; ſubigere adortus eſt. Cæterū is exercitus à Stephano Palatino, qui vix quadraginta millia habebat ex omni ſuorū hominū, agreſtiū ferè, Tranſyluanenſiū item, atq; Cæculorum, quos paulò antè vi, & armis ab Vngarorum regno auerterat, multitudine coacta, inſigni, & omnium memorabili clade apud Barladū amnē & Racenecū paludē profligatus eſt. Centum viginti millia in eo exercitu fuiſſe dicuntur. Nec priùs fugā ſtitere Turcæ, quā Danubiū tranſmiſerunt, perſequētibus fugiētes Valachis, & vſq; ad laſſitudinē trucidātibus, vel in paludē, ac Danubiū impellētibus. Itaq; ex tanto numero pauci euaſere. Quin & ij, qui viui in poteſtatē Stephani venerant, eo iubēte omnes, præter paucos inſigniores, interfecti ſunt. Baſſæ quattuor, in eo prælio deſiderati, ſigna militaria capta centum

*Turcarū ingens clades.*





& amplius. Nec tamen Valacho incruenta ceſſit victoria: quippe cuius acies multitudine hoſtium prægrauata inclinare iam cæperat, niſi ipſe inter primos animoſè pugnās, pugnam reſtituiſſet Permagnum autem cùm ad victoriam, tum ad maiorem hoſtium ſtragem momentum ipſi attulit, quòd omnem circumiecta regionem, longè, latèque in primo Turcarum ingreſſu ipſe exuſſerat. Hinc enim factum eſt, vt in magna commeatus, & pabuli penuria, Turcæ iuxta, ac equi ipſorum debilitarentur. Moderatè autem Stephanus illa ſua fortuna vſus eſt, ſoli Deo victoriam acceptam referens, ac toto quatriduo deinceps omni præter panem & aquam cibo abſtinens. Per vniuerſam quoque prouinciam edictis vulgatis imperauit, ne quis auderet ſibi, ſed ſoli Deo victoriam illā aſſignare. Quin & Sixto Pontifici, Cazimiro Poloniæ, Mathiæ Vngariæ Regibus, aliquot ex captiuis primoribus, ac propter hæc militaria ſigna cum manubijs dona miſit, opem eorum contrà tàm potentem, & communem hoſtem Chriſtiani nominis implorans: atque nuncijs alijs pòſt alios deſtinatis, ſignificans, Mahometem Adrianopoli ingentem belli apparatum facere. Adnixus eſt tamen Matthias gloriam illius victoriæ in ſe transferre, dimiſſis ad Pontificem Max. & alios Principes Chriſtianos quoquoverſùm literis, quibus iactabat à præfecto ſuo Stephano Palatino, Turcas profligatos eſſe. Nec ità multò pòſt, aduenit ad Cazimirum Iſaacus Trapezuntius, Vſancaſſani Legatus, ad ſuſcipiendum contrà Mahometem bellum, Regem cohortans, indè cum benigno reſponſo dimiſſus, ad Sixtum Pontificem & cæteros Reges, ac Principes eadem de re acturus profectus eſt. & quidem Sixtus, Dominicum Alerienſem Epiſcopum, Veneti autem Ioannem Emum, cum nonaginta tribus millibus nummùm aureorum, ad Regem Matthiam miſerunt; quibus ille fretus, expeditionem cum decem millibus mercenariorum militum contra Turcas, extremam oram Vngariæ ingreſſos fecit: ſed tamen perſequi eos longius auſus non eſt, nè à frontè pariter, & à tergo impeteretur. Firmauerant enim Turcæ munitionem in citeriore ripa Saui excitatam, quinque millium militum præſidio, vnde liberius in Sirmienſem agrum poſſent excurrere. Eam igitur munitionem modo Vngarus, non ſine magna ſtrage ſuorum expugnauit, & mox in interiorem partem regni ſui cum exercitu ſe recepit. Nec multò poſt reuerſi Turcæ, vſque ad Varadinum populabundi excurrerunt, oppidum id incenderunt; & omni illa latè patente ora trans Tybiſcum ferro, igniſque peruaſtata, ingentem cùm aliarum rerum, tum hominum prædam aſportarunt, & abegerunt. *Folieta hiſt. Genuen. l. XI. Cromerus lib. 28. Bonfinius decad. 4. lib. 3.*

IV. *Turcæ venetis infeſti.*

Per idem quoque tempus, à Venetis, terreſtri bello parum proſperè cum Turcis res geſta eſt. Nam ad octo Turcarum millia in Epyrum tranſgreſſa, Croiam oppidum in Chaonia regione ſuper montis crepidini fundatum, ferociter oppugnarunt, atque tandem expugnarunt. Acceſſit ad hæc alia clades, quam Venetis in Croianis campis ad locum, qui Tyranna dicitur Turcæ intulerunt; vbi fuſæ fugatæque ſunt Venetorum copiæ milleque, & ampliùs ex Venetis deſiderati. Grauior tamen fuit Sontiaca cædes in Aquileienſium confinibus; vbi à Marbeco Turcicarum copiarum duce, ſignis collatis, tota planitie, aut cæſi, aut capti ſunt equites Veneti, multique viri fortes, qui in prima acie fuere deſiderati, & in his Hieronymus Nouellus penès quem fuit copiarum imperium. Dimidium, & ampliùs florentiſſimi equitatus cecidit eo die. Barbarus præſenti ſucceſſu ferocior factus, poſtridie quam dimicatum erat, In Foroiulienſes agros tumultuosè effuſus, quicquid intrà Sontium, & Tiliauentum amnes patet ſoli, vno die cædibus, flammâ, & rapina fædauit. Ad centum circiter villæ incendio deflagrarunt; multi mortales, ſtabularij, agaſones, fæminæ, pueri in miſeram captiuitatem abducti. *Sabellicus ennead. 10. lib. 7. P. Iuſtinianus lib. 9.*

V. *Matthias quoq; Rex Hungariæ Chriſtianis Principibus moleſtus.*

Et quidem Matthias Rex, poterat maius operæ pretium in Turcas facere, Pontificijs, & Venetorum pecunijs adiutus. cæterum maluit cum Regibus Poloniæ, & Bohemiæ digladiari, quàm vnitis viribus in communem hoſtem mouere. Enimuero per induciarum, quas cum illis fecerat, tempus, imprimis Firſtetrinum munitionem in Sileſia oppugnare adortus, verum inde ab aulico Wladislai comitatu fœdè repulſus eſt. In Wratislauienſes deinde & nonnullos, Sileſiorum Duces maiore licentia mox debacchatus eſt. Indulſit enim militibus, vt non modò ex agris ſociorum liberè prædas agerent, verum etiam in Wratislauienſium facultates graſſarentur, vxoreſque eorum, & liberos ſecum adducerent. Gliuicentium vero Ducem captum in cuſtodia habuit, ac ditionis parte multauit, itemque Venceslaum Ribnicenſem. Inuaſit & Oleſſnicenſem dominatum, idemque Ceſſinenſi feciſſet, niſi Præmislus Dux conſilio eius maturè explorato, Polonorum præſidio, ſeſe præmuniſſet. In Morauia pariter tres munitiones; redemptis auro defenſoribus earum, in poteſtatem ſuam redegit. Non ignorauit iſta Pontifex Sixtus. Quamobrem Dominico Alerienſi Epiſcopo Nuncio ad eum miſſo, commiſit, vt illum officij admoneret, & ad pacta cum Regibus ſeruanda induceret. *Cromerus [illegible] M.S. expedition. Sixti huius anni.*

VI. *Imperator & Dux Burgundiæ diſſidentes conciliantur.*

Non minus diſſidium erat in Germania inter Fridericum Imperatorem, & Carolum Burgundiæ Ducem. Carolus Nouesium pertinaciſsimè obſidebat, & maiora animo ambiebat. Imperator, vt hominem in officio contineret, ampliùs quàm ſexaginta M impugnatorum eduxerat. Iam ad conflictum, ſemel aciterum ventum fuit. Cæterùm Alexandri Pontificij legati, prudentiâ, induſtriâ, & conſtantiâ effectum tandem eſt, vt duo validiſsimi, ac ferociſsimi exercitus, vix mille paſsibus diſtantes, intrà paucos dies fuerint reconciliati, maxima ſedis Apoſtolicæ gloria conuenit, vt Legatus in oppidi poſſeſſionem immiſſus, teneret illud, quoad Pontificis & Cardinalium auctoritate aliquid ſtatueretur, & cauſa Ruperti Archiepiſcopi Colonienſis cognoſceretur. *Papienſis epiſtola 610. Philippus Commeus libro quinto.*

VII. [illegible]

Affecit ea pax gaudio Sixtum Pontificem, qui gratificari cupiens Carolo, Antonium eius germanum natalibus ſuis reſtituit, & legitimum Philippi Burgundionum Ducis filium pronuntiauit, qui in omnes Caroli fratris principatus poſſet ſuccedere, ſi quid Mariæ, vnicæ eius filiæ, & hæredi accideret, & abſque liberis decederet. Hoc vt curaretur, continuæ iniuriæ, & inſidiæ Ludouici Regis Galliarum effecerunt. Namque hæreditati Caroli inhiabat, miſſoque ad Imperatorem Oratore ne cum Carolo paciſceretur ſuadebat; rectè illum facturum, ſi prouincias Caroli omnes, quæ ſub clientela eſſent Imperii, occuparet, idem ipſe de Flandria, & Arteſia, & Burgundia, quæ ad Gallicum imperium pertinerent, efficeret. Riſit, Fridericus lepidiſſimè Ludouici mandata, propoſita hac fabella. fuit non procul, *inquit*, à quadam Germaniæ vrbe ingens aliquandò vrſus, qui totam vicinam regionem multùm infeſtabat. Eius oppidi tres quidam iuuenes, veniunt, vt conſueuerant, ad cauponem, rogant prandium ſibi præberi; fore, vt intrà biduum perſoluant omne debitum, ſeſe capturos vrſum illum vaſtatorem; eius pellem magno poſſe vendi, & futurum, vt

aliquo prӕterea munere cohoneſtentur à ciuibus, ob interemptam belluam, quæ tantum damni dederit. Caupo conditionem accipit, Pranſi contendunt ad latibulum feræ; in quam quum opinione citius inceſſent, perterrefacti ſubito accurſu, in fugam abeunt. Ex ipſis vnus in arborem conſcendit; alius ad vrbem, quantum poteſt fugit; tertium vrſus comprehendit, & proſtratum pedibus cõculcat, rictum deindè propiùs ad aurem admouet. Interea miſer ille mortui præbet ſpeciem, & hominis exanimati. Ea enim eſt vrſi natura, vt ſi quod cepit animal mortuum eſſe putet, non infeſtet amplius. Itaque quum & iſtum crederet extinctum, relinquit, inque ſpeluncam redit. Ille tandem, vbi conſurrexit, vrbem petit. Qui in arborem confugerat, incolumem illum eſſe videns accurrit, & valdè cupidè rogat, quid in aurem immurmurâſſet bellum; hoc, *inquit*, ille mihi præceptũ dedit, nè quam vrſi pellem deinceps vendam, niſi captâ primum ferâ. Præter hanc fabulam, nihil tum aliud Oratori reſpondit, obliquè ſignificans Ludouico, vt cum exercitu, quem priùs promiſerat, veniret, atque coniunctis viribus hoſtem, ſi poſſent, caperent, ac ipſius deinde facultates inter ſe partirentur. *Meyerus annal. Flandr. lib. 17. Comineus ſupra.*

VIII. *Conciliãtur Franciæ Rex, & Dux Burgundiæ.*

Id verò cùm non ignoraret Carolus, hoſtili ſcilicet animo Ludouicum in ſe eſſe, & qua Sigiſmundum Auſtriacum, quà Renatum Lotharingum contra ſe excitâſſe, ipſe quoque pace cum Imperatore iam factâ, Eduardum Anglorum Regem in ſocietatem belli euocauit, cumque ingentes copias illius in Gallias traieciſſe accepiſſet, paratum ſuum exercitum in Ludouicum mouit. Hæc vbi Sixtus accepit, vt ſurgentem belli flammam extingueret, Nicolaum Mutinenſem Epiſcopum, virum virtutis, atque ingenij præſtantis, Nuntium in Gallias miſit, qui arma omnibus extorqueret. Factum, Reges in finibus Ambianorum ponte facto inſer ſe collocuti, pacem iureiurando compoſuerunt, & pacta confirmarunt, pridiè Calendas Septembres. Suos vterque ſocios, amicoſque nominauit. In his Burgundioni cautum. Britannum excludi volebat Ludouicus. At Eduardus reſpondit, ſi qua vis illi intentaretur, è veſtigio ſe claſſe in continentem rediturum. Nouem annorum inducias certis conditionibus pepigerunt, & ſuper ſanctum Canonem Miſſæ ſuper ſancta Euangelia, ſuper ſtipitem veræ Crucis Chriſti, in qua operatus eſt noſtram ſalutem, per fidem Deo debitam, per ſanctam legem Chriſti in baptiſmo acceptam, pro ſe, pro ſuis hæredibus, & ſucceſſoribus iurauerunt, ob hanc cauſum, Canonem, Crucem, Euangeliaque ſuis manibus tangentes. Ad Crucem Laudenſem, vt Carolus iuraret adduci non potuit. Ea Crux in Andibus ſumma religione habetur. Peruetus opinio tenet, qui ad eam conceptis verbis peierarit, intra annum vertentem peſſimo letho occumbere. *Meyerus ſup. Paulus Aemilius in Ludouico XI. Guagninus lib. X. Papienſ. epiſtol. 613.*

IX. *Motus in Hiſpania inter Caſtellæ, & Luſitaniæ Reges.*

Non leuiores motus in Hiſpanijs, inter Ferdinandum Iſabellamque Reges Caſtellæ ex vna parte & Alfonſum Luſitaniæ Regem. Iſabella Henrici Regis ſuperiore anno defuncti ſoror, Ferdinando Aragonio, Regi Siciliæ nupta, Caſtellæ, & Legionis Regna, vna cum marito capeſciuerat. Segobianus poſtridie huius anni, ad ſolennia inaugurationis omnibus rebus inſtructus venit. Vbi à ſummis, medijs, infimis Sacramentum audiuit, manus Regias deoſculantibus. De forma regiminis controuerſia exceperat; Iſabellæ aulicis negantibus Ferdinandum ad aliquam reipublicæ partem accedere fas eſſe, ac ne Regis quidem Caſtellæ nomen adſcribere. de qua re eſt Neapolitano regno, non vnum exemplum proferebatur; vtraque Ioanna imperante, viros Regio abſtinuiſſe nomine, coniugio contentos, atque eo honore, quem Regina vxor dediſſet. Magna ingenia in ea contentione iactata: cum Aragonij contra tenderent; atque nulla Henrici virili prole diſputabant, ad Ioannem Aragonium ſtirpis maximum rediſſe res. Verum id Francorum moribus, legerq; ſanctum, facile eludebatur, multis tum nouis, tum antiquis exemplis prolatis, Ormiſindæ, Odiſindæ, Sanctiæ, Vurracæ, Berengariæ; quibus ad fæminas rerum in Caſtella ſummam rediſſe ſæpè conſtabat. Ergo eo conatu deſtitere. Inter Ferdinandum, & Iſabellam fædus his legibus eſt ſcriptum. Vt in Regijs tabulis, edictis, moneta, Ferdinandi prius, deinde Iſabellæ nomen exprimeretur. Contrà in communi clypeo, Caſtellæ inſignia, Aragonijs potiorem locum occuparent, hoc gentis prærogatiuæ, illud viri dignitati datum eſt. Iſabellæ nomine arces obtinerentur. Eius Sacramento, teſſeraque quæſtores vectigalia Regia Adminiſtrarent. Sacerdotia vtriuſque nomine, Reginæ voluntate darentur, modo viris litteratis. Ab ambobus cum vno loco eſſent, iura populi peterent finitimi, longinquique; diſiuncti, quo loco vterque eſſet, ſuo nomine ius diceret. Alijs vrbibus, & Prouincijs, is penes quem eſſet Regius Senatus. Idem ordo Prætoribus iuridicundo creandis ſeruaretur. Graues hæ conditiones Ferdinando fuerunt; à ſubditis, vt acciperent, leges dici. Sed patientia, firmato imperio, omnia ſui arbitrij fore iudicabat. Simul Iſabella Princeps pro inſita prudentia, ægrum viri animum accomodata oratione, deliniſſe memoratur, ſuſcepta de iure regni diſceptatio non minus mihi moleſta accidit, & grauis. Quid enim iura imperandi diſtinguere neceſſe fuit, cùm amor caſtiſsimus, & ſancti coniugij nexus, conſtringat corpora, animos, fortunas? Sit coniugibus alijs liberum, ſecretum aliquid à viris habere, propriumque in cuius me ipſam poteſtatem, animumque contradidi, decus, opes, Sceptra, vitam non communicarem? tantumq; in mutuum amorem nefas committerem? Stulta ſim, niſi vnum omnibus imperijs maioris multò facerem. Vbi ego Regina, tu Rex, hoc eſt, rerum omnium domi, foriſque (nihil excipio) moderator, & arbiter. Hæc nobis ſententia ſtat, æternumque animo ſtabit, vtinam tam felix, quã certa, piaque. Tempori aliquid dandum fuit, Leguleiorum ſtudijs in vmbra, otioque magnum prudentiæ nomen velantium. Rebus gerendis, ſi hac contentione aulici, & Proceres aliquid ſe promouiſſe credunt, ne ſe ſuâ opinione deluſos breui ſentient. Niſi te volente, nihil impetrabunt honores, Magiſtratus, opes, Præfecturas. Duo tamen in hac moleſtiâ commodè accidiſſe arbitror. Cautum filiæ communi, quã tuo iure aſſerendo à paterna hæreditate excluſam oportuit: quo quid iniquius, nobiſque ipſis moleſtius contingat? Cautum in omne tempus Caſtellæ populis. Nam honores, regni arces, vectigalia, Magiſtratus cæteris credere, neque ipſe velis, neq; ſine inuidia gentis, motuque contingat. Id niſi placet, tua ſum, de me pro voluntate, proque arbitratu ſtatuas licet. Hæc ſumma votorum eſt, deſtinataque voluntas. His verbis placatum Ferdinandus animum ad rempublicam retulit, ſuperiorum temporum perturbatione, & imminenti noui diſsidij periculo, multis partibus iactatam. Villenæ Marchio, Ioannæ, de qua diximus (ſuppoſititiæ, an legitimæ) Henrici Regis filiæ tutor, cum à Ferdinando, Magiſtratum Diui Iacobi impetrare non potuit, Alfonſum Luſitaniæ Regem, ad Ioannæ matrimonium, & indè ad Caſtellæ, & Legionis regnorum poſſeſsionem incitauit: cùm moneret, ne innocentem ætatem, Regiam puellam ex ſorore natam, Rex opulentus, & maximus in periculo dereret. Supereſſe gentis ſtudia, ſupereſſe procerum, eruptura cum occaſione maiora. Ducem magis, quàm voluntatem deficiendi deeſſe. Facilè induxit cunctantem Alfonſum; maximè quandò Lupus Albuquerquius, ad conſiderandum rerum ſtatum permiſſus, inuitorum procerũ Syngraphas abſtuliſſet, Eboramque ad illum adduxit, fidei teſtes, ſi Ioannem Principem ſibi connubio iungeret, tempore haud defuturos. Antiſtitis quoque Toletani à Ferdinando, & Iſabella alienatio, magnum momentum ad mouendum Alfonſum attulerat. Is multos annos in aula Regum aſſiduus, quæ res minùs verendos magnos homines ipſa ſatietate facit, otij cupiditate (ſic videri voluit) Segobia ſe ſubduxerat Februarij die vigeſimo haud obſcurè iratus nouis Regibus; à quibus inani ſpe lactatum ſe eſſe conquerebatur, nullis præſtitæ operæ præmijs, contrà exhauſto patrimonio, magniſque ſumptibus factis, vt ingratis Principibus regnum quaſi de manu daret beneficium ſuum. Præterea Cardinalis Hiſpaniarum, creſcentem gratiam malignis oculis aſpiciebat, omnium apud Reges arcanorum arbitri, moderatoriſque. Eo ſanando fruſtrà conatus adhibitus; cum minaretur potiùs intellecturos æmulos, quanti conſtaret, Toletanum Archiepiſcopum iniurijs violâſſe, læſæ, irritatæque patientiæ ſuæ, quantæ vires eſſent. Ioannes etiam fratris Petri Acunij Buendiæ Comitis preces obiurgationibus mixtæ fuerunt, nè ſe, & familiam perditũ iret, obteſtantis dubiâ ſpe in certũ præcipitare periculũ. Superbũ ingenium, immodicaque lingua magis monitis irritabatur, præſertim Ferdinando Alarconio; quem è domeſticis vnum maximè intimum, ingenij væcordia effecerat, incauti Principis auribus inſidiante, nouaque identidem implente eius, animum irâ. Mouit Toletani diſceſſus, ac præceps alienatio animi, Alfonſum Regem vel tunc maximè, quandò intellexit, nè Iſabellam quidem ipſam in eo ſanando quicquam profeciſſe. In Carpetanos aduenerat, illum, ſi facultas eſſet, ſanatura. Vitauit ille congreſſum, Brincamque Compluto diſceſſit, exiguum oppidum, ſed loco, & operę munitum. Litteras interceptas accuſabat, quibus vitæ ſuæ inſidias fieri conſtaret. Sed ne Velaſcus item Magiſter equitum, ad eum à Regina miſſus, aliquid effecit. Ergo eius exemplo cùm multi à Regibus deficerent, & Villenius ardentiori ſtudio ad feſtinationẽ ſollicitaret, Alfonſus Rex, Placentiam, ex Luſitania venit. In ea vrbe Ioanna in manus illius conuenit; celebratis ſponſalibus. Nè toro iungeretur, religioni datum eſt, priuſquàm propinquitatis vitium, veniâ Pontificis Romani remitteretur. Iis tamen Regibus Caſtellæ, proclamatis, Regium inſigne eſt impoſitum. Iura, quibus cauſa nitebatur de ſcripto promulgata, atque Romam, & in omnes partes miſſa ſunt prolixo codicillo comprehenſa, verbis haud obſcurè in Reges aduerſarios contumelioſis. Lupus Albuquerquius in ipſa lætitia Penamatoris Comes creatur, vt eſſet gratia meritis; atque labori, prehenſandis Caſtellæ proceribus. Bellum ſubinde multis vno tempore locis Caſtellæ à Luſitano illatum, certamine, vti de regno parerat, acerrimo, conatu ſupremo, & maximo. Toletanus quingentos equites Alfonſo adduxit, nè bello confecto, deſertæ cauſæ culpam incurreret, cuius ſe fautorem præcipuum fore profeſſus erat; nihil fratris Comitis lachrymis commotus, atque filiorum eius Lupi Caſorlæ Antelati, Alfonſique, qui in patrui gratiam Pompelonenſis Epiſcopus erat creatus, Ferdinandi, Petrique, quibus ægrè erat, patruum præcipiti temeritate in certum periculum ruere. In hac belli flamma, Ferdinandus, & Iſabella, & Ioannes Rex Aragonum Legatos Romam, quò maior eſſet auctoritas, viros, principes, magnoque numero ad Sixtum Pontificem miſerunt. qui dato menſe Iulio Senatui; mandata Regum explicarunt, ſuoſque Principes in fide, officioque fore ſunt polliciti. Eatenùs dilatum officium nouo Pontifici debitum, propter inteſtinos prouinciarum motus, &



graues, quos explicauiſſent excuſarunt. Benignè Pontifex reſpondit, rebus illorum impensè fauens, cum quibus ſanguinem miſcuerat, Leonardo fratris filio vrbis Præfecto, iuncta Ferdinandi Neapolitani filia notha. Aegrè id Luſitanis Oratoribus fuit; & controuerſia de ſucceſſione Regni nondum à Sede Apoſtolica diiudicata, affirmabant, debuiſſe eum, mediam perſonam gerere belli ſpectatorem, aut arbitrum, non participem. Ad id remedium recurſum, quo ſimiles diſceptationes ſanatas meminerant, nè cuiquàm Principi eo facto præiudicaretur. Legationis Princeps Dezpuchius, Monteſiæ Magiſter, bellicæ virtutis, & prudentiæ fama per omnes prouincias celebratus, nouis Italiæ bellis, ab Alfonſo Aragonum Rege geſtis, reſiſtebat, nè Luſitanus, & Ioanna legibus affinitatis ſoluerentur, nè pro Regibus Caſtellæ haberentur aut dicerentur, neuè Magiſtratus Diui IACOBI, Marchioni Villenæ à Sede Apoſtolica concederetur. Id enim Alphonſus, & Ioanna inprimis poſtulabant. Decanus prætereà Toletanus, ea, quæ illis pro ſucceſſionis iure oratores attulerant, diluebat: modis omnibus connitens Regnum Caſtellæ, Ferdinando, & Iſabellæ aſſerere. *Mariana lib. 24. Surita lib. 19. annal. c. 38.*

X. *De illo prædictorum Regum diſsidio, ſenſus S. R. E. Card.*

Cæterum, quem ſenſum de ea Regum controuerſia Senatus Apoſtolicus ab initio diſceptationis haberet, Cardinalis Papienſis, FRANCISCO Toletano; Electo Caurienſi ſcripſit in hunc modum.

*A Domino Deo eſt omnis poteſtas. De manu ſua accipietur regnum Hiſpaniæ, quemcumque contendentium volet regnare: Abyſſus multa ſunt eius iudicia. In illorum profundum deſpicere oculi noſtri non poſſunt, altitudini tantæ non par es. Si noua ſponſa, filia Henrici defuncti non eſt, magna Aragonenſi ex iuſta cauſa eſt ſpes. Legimus enim, Exorietur in tenebris lumen rectis, & iuſti hæreditabunt terram, & habitabunt in ſeculum ſeculi ſuper eam. Sin illam eandem è ſolio patris aliena deiecit ambitio, illud contrà eiuſdem Prophetæ Portugallenſi offertur; Domino derelictus eſt pauper, orphano, & pupillo erit adiutor. Atque alibi. Regnum à gente, in gentem transfertur, propter iniuſtitias, iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos. Sententiæ Dei hæ ſunt, nec fallentes, nec dubiæ. Dubiam verò nos iuſti patris fidem habentes, ad futura etiam cæci, illuminatorem expectemus tenebrarum noſtrarum. Veniet citò, & non tardabit & in lumine ſuo omnes videbimus lumen. Hæc mea de Hiſpanicis rebus ſententia eſt, atque expectatio. Multos Aragonenſis cauſæ aſſertores audiui, te inprimis, & ſæpiùs. Multos quoque repudiatæ filiæ, legitimum ortum probantes. vtrimque argumenta, atque ingenia: vtrimque authores non contemnendi. Magno ſe Iudice quiſque tuetur. Iudex autem non errans, ſcrutans hominum renes & corda, inter hos veriùs iudicabit. In vtroque verò opto, & precor, inclinet miſericordia ſua; in eum præcipuè, cui pia ſunt arma. Me quidem nil in his angit, præter diſceſſi regni mæſtitia, ſemper Apoſtolicæ Sedi fidelis, & ad magna idonei. Papien. epiſt. 631.*

XI. *Obit Ioanna Regina Caſtellæ, & de morte illius varia iudicia.*

Difficiliorem controuerſiæ cognitionem reddidit, mors Ioannæ matris, Reginæ Caſtellę, quæ Madriti ad XVI. Calend. Februarij deceſſit. De eius obitu, varia fama fuit; quibuſdam ex partu extinctam affirmantibus, plerique veneno Luſitani Regis fraude perijſſe malunt. Alfonſus Palatinus in hanc partem; inclinat; ex partu, fama tenuit, in peiora vulgi opinione prona. *Mariana ſupra. c. 9.* Ea enim ſuperſtite, facilius fuerat oſtendere, illam fuiſſe aut nocentem, aut innocentem, fidei coniugatis Henrico Regi, aut violatæ, aut ſeruatæ.

Alfonſus Luſitanus, nè rebus ſuis deeſſet, cum Ludouico Gallorum, & Eduardo Anglorum Regibus fædere icto, illum in Ioannem Aragonũ Regẽ incitauit; ne is Ruſcinonẽſi bello occupatus Ferdinãdo filio ſuppetias ferret. Et quidem Ludouicus violatis

inducijs, magnam Gallorum manum, per Ruſcinonenſes, in vicinos Catalaunorum fines immiſit, & Laurentij fano capto, magnam Prouinciæ formidinem immiſit; prorſus, vt quod in extremo periculo fieri conſueuit, omnes, quorum ætas ad bellum eſſet idonea, cogeretur. Ioannes Aragonius edicto ad ſigna euocare. Ergo Sixtus, Nicolao Mutinenſi Epiſcopo imperauit, qui ea quoque parte bellum excitatum extingueret. Factum; menſe Nouembri, inducijs vſque ad menſem ſeptimum, cum Gallorum Rege ab Aragonio inſtauratis, omnique controuerſia ad Sedem Apoſtolicam delata. *Mariana ſupra c. 9. & Niſ. ſecretorum Sixti huius anni.*

XII. *Multi propter Iubilæū Romā veniunt.* Vniuerſo orbe hic annus celebris maximè fuit, venia ſeculari à Sixto Pontifice ad hunc annum, ac deinde ad quemque vigeſimum quintum redacta. Ea inuitati multi mortales, Romā ad limina Apoſtolica confluxerunt. In his Ferdinandus Rex Neapolitanus, ætate ingraueſcente, maiori quam antea religionis ſtudio; ad Sextum Ianuarij diem venit. Alij prætextu religionis, aliud ſecutum eſſe negotium, vt poſtea compertum eſt, affirmant. Venit & Catherina Regina Boſnæ ad XXV Aprilis, quadraginta equitibus ſtipata; ſed quæ rebus omnibus à Turcis exuta Romæ à Pontifice maximo rationes tolerandæ vitæ impetraret. Chriſtierni Pręterea Regis Daciæ vxor Regina pariter acceſſit, deuotionis cauſa. *Stephanus Inſixura in notis diarijs.* Sabellicus addit in hunc annum incidiſſe facinus Iudæorum tetrum & deteſtabile, ſed ab odio eius gentis in Chriſtianum nomen nihil abhorrens. Ad octauum Calend. Aprilis, Tridenti, Simonem puerum furto ſubtractum diro gentis ritu occultè peremerunt, toto ſchemate Dominicæ paſſionis in puerili corpore repræſentato. Iſtud eſt.

*MARTYRIVM SIMONIS INNOCENTISSIMI PVERI Tridentini, à Iudæis crudeliter necati, authore Ioanne Mathia Tiberino.*

XIII. IOannes Mathias Tiberinus, liberalium artium, & Medicinæ Doctor, magnificis Rectoribus, Senatui populoq; Brixiano ſalutem. Rem maximam qualem à paſſione Domini, adhæc vſque tempora, nulla vnquam ætas audiuit, ad vos ſcribo Magnifici Rectores, ciueſque præclariſſimi; quam nuper his diebus elapſis Dominus noſter IESVS Chriſtus, humano benignè miſertus generi, tanto tamque horribili ſcelere ſtomachatus, tandem produxit in lucem, vt Catholica fides noſtra, ſi qua in parte debilis eſt, fiat tanquam turris fortitudinis, & antiqua Iudæorum rabies toto ex orbe Chriſtiano deleatur, & de terra viuentium, eorum penitus memoria pereat. Audite qui regitis populos inauditum ſcelus, & paſtorum more fidelium veſtris populis inuigilate. Expergiſcantur habitantes terram, & videant, quales in ſinu proprio viperas nutriant. Crudeles Iudæi non ſolùm Chriſtianorum res, rabioſâ vſurarum fame conſumunt, ſed in Capita noſtra, perniciemque coniurati, filiorum noſtrorum viuo ſanguine paſcuntur, quos atroci in ſynagogis ſuis affigunt ſupplicio, & inſtar Chriſti crudeli funere iugulant. Nuper in ciuitate Tridentina, quæ verſus Aquilonem Italiam à Germania, Lauiſio flumine interlabente, diſterminat: eâ in regione, quæ ab Atheſis ponte recedens, verſus caſtellum à læua protenditur, tres Iudæorum familiæ conſedebant, quarum capita fuere Tobias, Angelus, & Samuël; apud quem ſenex quidam morabatur, Moyſes nomine, quem venturi Meſſiæ tempus, & horam prophetico ſpiritu ſcire decantabant. Hi ea in hebdomadæ, quam nos Chriſtiani ſanctam appellamus, die Martis, duodecimo Calendas Aprilis, anno Incarnati verbi Septuageſimo quinto, ſupra Millenum, quatercentenum conuenerunt in domum Samuëlis, vti ſynagoga & eorum templum ſpectandi gratia viuentem vitulum, qui ad eos ea luce, de Leuigi pago delatus erat. Et dum inter ſe plurima vario ſermone cōferrent, Angelus hanc rabido fudit de pectore vocem. In iſta Paraſceue, & carnes, & piſces abundè nobis ſunt, vnum tantum nobis deeſt. Reſpondit Samuël: Et quid tibi deficit? Tunc coniectis oculis, adinuicem taciti omnes intellexerunt, quod de immolando Chriſtiano infante loqueretur, quem in contēptum Domini noſtri Ieſu Chriſti mactant atrociter, & exhauſto ſanguine veſcentes in azymis ſuis, à fætore, quo grauiter olēt, Chriſtiano ſe cruore præſeruant: huncque ſuum appellant Ioël, id eſt, Iubilęum. Sed annuebant, cautiùs eloqui oportere, propter ſeruos, qui ob inſtantem Paraſceuen, diuerſis impediti miniſterijs, nunc huc, nunc illuc diſcurrebant. Poſtero autem die, cùm omnes in Synagoga conueniſſent, conſultabant, quonam in loco poſſent illū aptiùs occidere. Tobias, & Angelus in domibus ſuis, earum ob anguſtiam fieri recuſabant, propterea, quòd exiguo in loco, difficile eſſet, à pueris tàm vaſtum facinus abſcōdere, ſed propter rerum omnium commoditatem, & amplitudinē loci, melius apud Samuelem fore aſſeuerebant. At vbi ſic decreuiſſent, diſputabant, quo poſſent ingenio maſculum infantem ſurripere. Dumque inter ſe diuerſa opinione contenderent. Samuël ad ſe ſeruum ſuum Lazarum iuſſit accedere. Coram quo ſtatim cùm adſtitiſſet, Lazare, *inquit*, tibi præſtare animus Chriſtianum puerum furari, & nobis illum tradere, centū ilico te donabimus [illegible]. Adquę reſponſum paucis ità reddidit ille; [illegible] Patres venerandi, maximi diſcriminis eſt; eam [illegible] penitùs tentare recuſo. Et confeſtim exiēs de [illegible], collectis ſarcinulis ſuis, ad alias terras commigrauit. Die autem Iouis omnes in Synagoga congregati, ad Tobiam dixerunt: Animaduertimus, neminem plus [illegible] poſſe ſatisfacere, quā te. Verſaris enim quotidie cū Chriſticolis, & penes omnes tibi familiares ſunt. Facilè potes vnum intercipere: quia nemo, cùm per ciuitatem obambulas, in tè aduertit. Dabimus operam perfectò, vt tibi multa bona à nobis ſemper accedant. Negat Tobias, & periculum in negotio [illegible] aſſignat rationibus. At illi ſuis hunc execrationibus adſtringunt, & niſi pareat, minantur ſe illi perpetuò interdicturos Synagoga. Tobias ergò videns omnes in eum conſpiraſſe, & præmium iam ſibi fore propoſitum auri cæcâ cupidine captus: Aggrediar, *inquit*, patres libenter prouinciam hanc. Verum, vt noſtis, pauper ſum ego. & ad commodè viuendum ars mea non ſufficit, ſunt & plures mihi filioli, eos, & me vobis vnicè commendo. Reſponderunt omnes. Adfer puerum huc, nulla enim vnquam erga te nos arguet ingratitudo. Tunc ad Samuëlem conuerſus proditor, *inquit*. Nulla claue poſtes tui concludantur, vt ſi mihi quiſquā opportunè contigerit, intrò poſſim illum leuiter impellere. Et tranſactis veſperis egreſſus, cepit totam viciniam ſolus obambulare, tranſienſque per viam, quam foſſatum vulgus appellat, ſeſe vſque ad plateam celeriter tranſtulit. At vbi commodè reperit neminem, flexit iter properè, ſimul & veſtigia retrò obſeruata legit. Poſteaquàm locum illum attigit, quem foſſatum vocitant incolę inſignem puerum antè fores patris ſuper ligno ſedentem conſpexit, nomine Simonem, qui nondum viginti nouem menſes natus adeò formoſus erat in cunctis, vt in eo non comprehenderetur, quod iure reprehendi poſſet. Et accidens, luſtrat neminem in puerum aduertere. Porrigit digitum Tobias blandus infanti. Specioſus puer benignus vt erat, & facilis, candida manu capit molliter indicem.

*Procedit, ſequiturque puer non paſſibus æquis.*

Cumque genitoris ſedem pertranſiſſet proditor, rabida dextera pulcherrimam manū [illegible] infantis, & nunc illum trahit, & nunc mollia terga pulſans, genibus impellit. Tunc reſpiciens puer cœpit cum lachrymis [illegible], & dulce matris inuo-





care nomen. Exanimatus ilicò proditor, denarium extrahit argenteum, & porrigens infanti, illum blando ſermone compeſcuit. Poſteaquàm ad extremum viæ peruenit carnifex, omnia ritè colluſtrans, cerdonem à ſiniſtris conſpicit conſuentem. Ibi exanimatus, illico greſſum continuit, donec aliorſum tandem lumina flecteret artifex. Tunc occaſionem nactus, celeri gradu viam pertranſiens, in domum Samuelis intruſit infantem. Hic Samuël, veluti ſignis expectans ad ſanguinem, corripiens puerum, ocyùs in ſuum thalamum ſuſtulit. Pretereo hic quanta tunc dracones illi ſunt affecti lætitia. Vlulabant ſiccis faucibus ſuper Chriſtianum ſanguinem. Et nè puer, peregino loco deterritus, clamorem effunderet, alij porrigebant vuas, alij poma, alii res alias, quibus vt plurimùm infantes delectantur, donec ſilente puero, dies ſe cum nocte coniungeret. Intereà genitrix eius Maria, puerū vt vidit abeſſe, nec ſolito more apud vicinos illum offenderet, percuſſo pectore, vnà cum coniuge Andrea, totam per ciuitatem explorabat infantem. Pueri, & omnes, è quorum labris ſæpè Spiritus ſanctus eloquitur, illum apud Iudęos inquirendum aſſerebant. Futurum enim, vt eum rapuiſſent Iudæi, & in Chriſtianæ fidei opprobrium in cruce ſuſpenderent. Et niſi de medio nox repentè viæ abſtuliſſet, ad Iudæos vertiſſent iter. Vndè collapſis tenebris impulſi, flentes amarè, domum ſeſe receperunt.

Tempus erat, quo prima quies humana reficit pectora, atq; quieſcebant voces hominumq;, canumq;. Tunc crudelis Moyſes vnà cū reliquis atrociſſimis Iudæis, benignū illico deprecantes infantē, ingreſſi ſunt veſtibulū, quod cū primis Synagogæ foribus adiungitur; ibiq; in ſcamno iuxtà caminū reſidēs, puerū ſuis ſuper genibus excepit. Porrò circūfuſi oēs, veſtem ei ad vmbilicum, & cubitos vſq; verſo ordine detraxerunt, colligentes, flenteſq; tunicā ſuccinxerunt lateri, ità vt à femore vſq; ad talos detractis caligis nudaretur, & apprehendens ſudarium Samuël, quod eius pendebat à cingulo, colloq; circumuoluens, comprimebat puerū, nè vagitus effunderet, alii verò manus, pedeſq; cōtinebant. Tunc euaginato Moyſes cultro, ſummum virgæ perforauit infantis, correptaq; faſcie, cæpit maxillam dextram iuxtà mentum dilaniare, & particulā carnis abſciſsā, in parato ibi cratere repoſuit. Colligebant adſtāies ſacrū ſanguinem, eo alterno ordine forfice porrecta, quilibet ibi fruſtulum viuæ carnis excindebat. Sic fecerunt omnes primi, donec vulnus, oui rotunditatem multùm excederet. Et ſi quando cedente laqueo puer gutture perſtrepebat, admotis crebrò manibus ad os, illum crudeliter ſuffocabant. Hoc Moyſes ità peracto dexteram tibiam confeſtim eleuauit infantis, eamque ſuis ſuper genibus ſtatuens, aggreditur exteriorem partem, quæ inter cauillam, & cruris muſculum interiacet, ſimiliter eodem ferro conuellere, & capta forfice viciſſim carnem viuam, viuo cum ſanguine lacerabant. Poſtmodùm ſęuiſſimus ſenex ille, tanti ſceleris caput, ſemimortuum erigens infantem, perijt Samuëlem à ſiniſtris pueri ſecum conſidere, & vterq; ſanctiſſima illius brachia, inſtar crucifixi violenter extendentes, hortabantur reliquos, vt ſacrum illud corpus, duris acubus infoderent. Collecti ergo omnes circum incipientes à vertice, vſque ad plantas, illum denſis ictibus perforabant, dicentes. *Tolle Ieſſe mina elle parchiefelle paſsiſcen pegmalen*, quod eſt *Sicut Ieſum Deum Chriſtianorum, qui nihil eſt, trucidemus iſtum, ſic inimici noſtri confundantur in æternum.* Iam pluſquàm per horam miſerandus puer terribili durauerat in ſupplicio, & interdicto ſpiritu, collapſis viribus deficiebat, attollens, graues oculos in cælum, ſuperos aduocare videbatur in teſtes, & inclinato capite, ſanctum Domino reddit ſpiritum.

*Purpureus veluti cùm flos ſucciſus aratro.*
*Langueſcit moriens, lapſoque papauera collo.*
*Demiſere caput pluuiâ cùm fortè grauantur.*

Tunc Moyſes, & omnes reliqui oculos, & palmas eleuantes in cælum egere gratias Deo, quòd de Chriſtianis, vindictā ſimul, & ſacrificium obtuliſſent, relictoque illic corpore, cum plauſu, & clamore maximo ſumma per tecta diſcurrentes, ineffabilem lætitiam ſe percepiſſe demonſtrarunt. Et deſcendentes ad cænam ſeruis præcepit Samuël, vt ſub cadis vinariis illud occultarent. Timebant enim proclamationes antiſtitis, & crebreſcēte in eos magis, magiſque famâ, nè furore populi capti, & cæſi, ad torturam ſubitò traherentur.

Altero die, qui paſſionem Domini cunctis in Chriſtū credentibus ad memoriā reuocat, reſtrictis labentibus in vrbē fluuiis, parentes infantis vnà cum cohorte prętoria, vbicunq; quærentes, non inuenerunt eū. Die autem Sabbati conuenientes Iudæi in ſynagoga, cunctis cernentibus, cadauer ſuper *almomor* extenderūt. Eſt enim *almomor* menſa quædam antè altare, vbi pſalmos, antiphonas, hymnoſq; decantant. Perfectiſq; orationibus ſuis, rursùs eodem in loco repoſuerunt corpus. Tertio verò die, qui Sanctum Paſcha Chriſti fidelibus attulerat, vt præſenſerunt Iudęi omnium penè mentes in eos eſſe ſuſpenſas, inito cōſilio, libratiſq; pluriumorū opinionibus, dixerūt, Proiiciamus corpus iſtud veſtitū in flumen, quod noſtra domo ſubterfugit, & euntes ad Pontificē, dicamus, quoniā illud in domū noſtram aqua deduxit, & crate ferrea retentū, non potuit vnà cū flumine delabi. Talibus enim viſis, nemo credet Iudæos, puerū extinxiſſe. Placuit omnibus ſententia, & aſcendens ad Pōtificē proditor, rerū ſeriē eo, quo fuerat inſtitutū, ordine pandit. Tunc gauiſus Pontifex Ioannem de Salis prętorem, & Iacobū de Sporo præfectū ſuæ Tridentinæ ciuitatis illi, vbi iacebat puer ſecū iuſſit accedere. Et deſcendentes ſtatim, inuenerunt cadauer in aqua pannis inuolutū: quo protinùs extracto, illiuſq; vulneribus diligenter annotatis, illud in Baſilica S Petri collocauerūt: vbi maxima populorum, languentumq; confluente frequentia, multis, maximiſq; indies miraculis fulget. Eccè Chriſtiane *Ieſum* inter latrones rurſùs crucifixum. Eccè quid facerent Iudæi, ſi inter Chriſti fideles haberent imperium. Glorioſus Simon; virgo, Martyr, & innocens vix ablactatus, & cuius lingua nondum humanum ſonabat eloquium, in contemptum noſtræ Fidei à Iudæis eſt extenſus in cruce. Audi, qui tam crudele hominum genus tuis in vrbibus pateris. Iudæi æterno ſtatuto decreuerunt, vt diuinæ Euchariſtiæ, Beatęque *Mariæ*, ſemper virgini quotidiè maledicatur: polluta omnia verba peccatum aſſerentes, præter illa, quæ in contemptum Romanę Eccleſiæ vigere dinoſcuntur. Item in tertio libro *Thalmud* (hūc enim codicem præferunt Iudæi libris Moyſi, & Prophetarum, & vt magis credatur *Thalmud*, fabulæ addunt fabulas dicentes, quòd Deus ſtudeat *Thalmud*) ibi inquam, perpetua lege ſancitur, vt ter ſingulis diebus in Oratione, quam efficaciorem cunctis precibus exiſtimant; omnes Chriſti fideles deuoueantur. Hanc etiam orationē ſtantes iunctis manibus, ad nullam rem mundi intentionē agentes, euomūt, viri Hebraicè, mulieres, ea lingua, quā à primis anni didicerunt. Solus Leuita eam alta voce decātat. Alijs omnibus reſpondētibus. *Amen.* Verba Orationis ſic ſonāt. *Conuerſis nō ſit ſpes, & oēs repentè diſpergantur: in matricibus minorentur paruuli, ac amplius non reſurgant, & oēs inimici tuæ gentis Iſraël deſtruantur, & regnū nequitiæ Chriſtianorum eradicetur, & confundantur. Fac Domine fac, impleas quod petimus in diebus noſtris velociter, quia tu es Deus benedictus, fugans inimicos, & deſtruens impios.* Et in ſecundo Thalmud affirmant, quòd *Dominus noſter Ieſus Chriſtus maxima in inferno tormenta patiatur.* Non eſt mirum Chriſtiani. ſi nos bello, fame, ſiti, grandine, pruina, Chriſtus affligat; ſi nos populum ſuum pretioſo ſuo ſanguine redemptū, ſemper ad deteriora labi ſuſtineat. Cùm patiamur

inter nos, regnare inimicos eius, quid quæſo hoc eſt aliud, q̃ ſacroſãcta fide deſpecta, eius perpetuis hoſtibus adhærere? Natus eſt Simõ, de quo agimus, die Veneris. 6. Calend. Decembris, anno à partu Virginis, ſalutifero. 72. ſupra Millenum, quater centenum, ex Andrea, & Maria parentibus pauperrimis. D. Ioanne Hinderbach, quarto Pontifice, & Domino Tridentino imperante feliciter. Ob quam rem Iudæi omnes à maiore, vſq; ad minorem in carceribus, catenisq; concluſi ſunt, non indè receſſuri priùs quàm debitas pœnas luant. Valete. Tridenti. 2. Non. April. 1475.

XIV. *Ob ſcelus admiſſum Iudæi puniuntur.*

Sixtus Pontifex ſtatim, atque tàm atrix facinus patratum fuiſſe accepit, Ioannem cognomento Salam, Brixianum, iuris ſcientiæ peritia hac tempeſtate facilè principem, Tridentum ire iuſſit, qui quæſtionem de vinctis haberet. Is Pontificis decreto in reos lege inquiſiuit, & ex ea quæſtione magnum integritatis nomen acquiſiuit: cùm Iudæi magno auri pondere corrũpere eum adorti, à tàm pia vltione auertere non potuerint. Simonẽ puerum, ob multa miracula circà defunctum corpus, magno mortalium occurſu edita, Tridentini in templum ſolenni cæremonia receptum, beatorum numero aſciſcunt. Eiuſdem impietatis ſcelus quinquennio pòſt Veneriis vindicatum eſt, ex Mota oppido, (eſt is locus ad Liquentiam amnem) ſontibus Hebraicæ gentis ad ſupplicium deportatis. *Sabellicus ennead.* 10. *lib.* 7.

XV. *Ioannes Archiep. Magdeburgenſis vir ſanctus moritur.*

Hoc anno 1475. Idibus Decembris, obijt vir deuotus, & ſanctus, Ioannes Archiepiſcopus Magdeburgenſis, Germaniæ Primas, Stephani Ducis Bauariæ Comitiſq; Spanheimẽſis filius, & frater Ducis Friderici de Siemern, reformatoris Monaſterij Spanheimenſis. Permiſerat Summus Pontifex, vt ab Eccleſia Monaſterienſi, cui Epiſcopus præerat, transferretur ad Metropolim Magdeburgenſem. Gubernauit Eccleſiam annis decẽ pacificè, ſecundùm Deum, & formam, quam illi præſcripſerat Fridericus anteceſſor, optimus, & religioſiſſimus Archipræſul. Pòſt mortem Ioannis, Magdeburgẽſi Eccleſiæ præfectus eſt, poſtulatione capituli illuſtris D. Erneſtus, annis Pontificalibus minor, filius D. Erneſti, Ducis Saxoniæ, Miſnæ Marchionis, Comitis Thuringiæ prouincialis, & diſpenſatione Sixti Pontificis interueniente, introductus eſt Adminiſtrator, vſque ad annos legitimæ ætatis: eò quòd Principe potenti opus haberet illa Eccleſia, à nonnullis ſubditis oppreſſa. *Chron. Sponheimen. Krantz. in Metropol. lib.* 12. *c.* 3. *&* 14.

XVI. *Item Adolphus Moguntinus Archiepiſcopus.*

Eodem anno, die ſexta menſis Septembris, Adolphus Naſſouianus, Comes Wisbadenſis, Archiepiſcopus Moguntinus diem clauſit extremum. Succeſſorem habuit, nec ſine voluntate Summi Pontificis Dietherum de Iſenburg quem olim authoritate Apoſtolicæ Sedis eà ſede deiectum, canonici maioris Eccleſiæ ſapienti conſilio vſi, denuò in Archiepiſcopum elegerunt, vt prouentus Eccleſiæ, propter illam priorem abrogationem hactenùs in duos diuiſos, in vnum reducerent. Hic Dietherus ſecundò Præſul factus vniuerſitatem Gymnaſii Generalis in ciuitate Moguntina primus inſtituit; quam aliqualiter dotatam à Summo Pontifice confirmari, & conſuetis priuilegiis & gratiis cumulari impetrauit. *Chron. Sponheimen. Serrarius lib.* 5. *& M.S. expedition. Sixti* 4. *hoc anno.*

XVII. *Et Nicolaus Epiſcopus Præmislienſis.*

Per idẽ tempus, Nicolaus Blazeouius Sileſius, Epiſcopus Præmislienſis in regno Poloniæ, cũ illi Eccleſiæ tribus & viginti annis præfuiſſet, ſacris eo die operatus, quòd ſe languere ſentiret, in lectum ſe compoſuit, & obdormiuit in Chriſto. Huic cum Collegium Sacerdotum eius Eccleſiæ legitimè inſtitutis comitiis ſucceſſorem dare vellet, à Rege Cazimiro per Spitconem Iaroslauium Palatinum Leopolienſem vetitum eſt. Fuit ſinè Epiſcopo ciuitatis illa fermè tres annos, donec Andreæ Opporouio Varmienſi Epiſcopo, Rege poſtulante, commendata eſt à Sixto Pontifice, vt indè ſe tamen ille ſuſtentaret, qui Varmienſi Epiſcopatu potiri per Nicolaum Tungenum non potuerit. *Cromerus lib.* 28. *rerum Polonicarum.*

XVIII. *Turcarũ Imperator Eccleſiarũ prouiſionẽ ſibi vſurpat.*

Quo etiam tempore, Mahometes Turcarum Imperator, prouiſionem Eccleſiarum ſibi vſurpare cæpit. Conſtantinopoli, cum triennium Patriarchæ munere, & aliquantò amplius, functus eſſet Symeon Trapezuntius, extitit ea tempeſtate Hieromonachus quidam, nomine Raphaël, è Seruia, genus ducens, homo inſigniter ebrioſus. Hic cùm quoſdam ex Primoribus haberet fautores, ſe quotannis pollicitus eſt, perſoluturum tributi nomine bis mille aureos daturum item peſceſium, hoc eſt munus, quod Patriarcha nouo creato datur, quingentorum aureorum. Hac ſua militia & ambitione, ad honorem alterius graſſatus, ſupremum Eccleſiæ ſolium conſcendit, Symeone inde deiecto. Seditione tunc aduersùs eum orta, noluerunt ei Sacerdotes in ſacris vnà obeundis adeſſe. Attamen diuerſæ Religionis hominum metu, quamuis inuiti, vnà ſacris operati ſunt. Intantum autem inſulſus ille barbarus in ebrietatem erat immerſus, vt nè in ſanctiſſima quidem Paſchatis hebdomade, in peragendo Eccleſiæ munia, pedibus inſiſtere ſuis præ temulentia poſſet. Vnde omnibus odio erat; præſertim cùm lingua quoque barbarus eſſet. Annuo verò ſpatio exacto, cùm tributum dare non poſſet, (nemo enim, nec de Clero, de populo quicquam eò conferebat, nè obulum quidem) coniectus fuit in carcerem. Inde poſteà omiſſus, cùm paſſim, catenam de more geſtans, ſtipem colligeret, mortuus eſt. *Auctor hiſt. Politicæ Turcogræciæ lib.* 1.

XIX. *Miracula fiũt ab inuocatione S. Stephani epiſcopi Dienſis.*

Eodem anno 1475. vir nobilis, ac potens Guichardus de Morgis, grauiſſimos ex enterocela, qua annos circiter decem laborauerat cruciatus ſentiens, vbi votum de conſilio Domini Brionenſis nuncupauit Sancto Stephano, Dienſi Epiſcopo, intrà triduum planè conualuit. Id conſtat ex inſtrumento authentico ea de re edito à Michaële de Podio, Notario publico Dienſi, anno 1475. die 29. Aprilis. Qui & alio edito inſtrumento, edito die 26. Martij, anni iſtius eiuſdem 1475. fidem facit, Marinũ Guillotti latomum, ante duos, aut tres annos excæcatum, non priùs votum nuncupaſſe S. Stephano, Dienſi Epiſcopo, quàm viſum recepit. *Gualterus in Chronol. ſeculo decimo quinto.*

# ANNO CHRISTI 1476.

## SIXTI PAPÆ IV. Anno 5. & 6.

### FRIDERICI ROMANORVM IMP. Anno 37.

I. *Subſidia in Turcas Sixtus Papa procurat.*

ETiam hoc anno Sixtus Pontifex, ſuprà vires contendens, omnia moliebatur atque tentabat, vt ſubſidia in bellum Turcicum, Matthiæ Regi Vngariæ contraheret. Gloria illius à fama publica, maior eſſe non poterat. Prædicabantur omnium linguis facta ingentia, quæ is per litteras ſignificabat, ſe geſſiſſe. Priuatim, ac publicè pro eius ſalute vota ſuſcipiebantur: quòd ipſe duriſſimam hyemem pro fide nunc pateretur, & caput ſuum obijceret pro omnibus. Dolebant prætereà, vel differri diutiùs, vel parciùs miniſtrari quam oporteret





ſuppetias ab his, qui quæ ſua ſunt, intuerentur, non quæ IESV Chriſti, affectum adhibentes, non rationem ad capiendum conſilium. Plerique metuebant, ne hæc dilatio, aut parſimonia, magnarum calamitatum forent cauſa. Ergo Sixtus Oratores Italiæ Principum noluit à ſe dimittere, ſedulò adnitens, vt maiora, decimali contributione omnes conferrent. De decimis Clericorum, & vigeſimis Iudæorum impetratum. Contributionem ſecularem non ab omnibus impetrauit. Annua ea de re tractatu, illò omnia reciderunt, vt parturirent quidem longo tempore montes, natus verò ſit Mus, Matthiæ ridendus, qui nec abrodere ſua vincula potuerit, nec expectationem quorundam tumoris implere! Attamen impetrandæ eidem contributioni totum ſe exhibere Sixtus non intermiſit. Cardinales, fideliter laborantis ſequebantur quoad poterant ſtudia. *Papien. epiſt.* 644. 656.

II. *Turcæ in variis prouinciis prædas agunt.*

Mahumetes inter hæc D. M. coacto ingenti exercitu, Valachiæ imprimis ſigna infeſta intulit. Stephanus Palatinus, dum ab alia parte Tartaris obuiam iuiſſet, ſpatium tranſmittendi per ocium Danubij, Turcis dedit. Et quidem Tartaros ille ingenti clade profligauit, fugauitque vſque ad Boriſthenem, præda omni, impedimentis, veſtibus, atque armis exutos, cæterùm contrà Turcas, non ſatis virium ſe habere, miſsis alijs pòſt alios nuncijs, Cazimiro Poloniæ Regi ſignificauit, opemque implorauit. Cumque is non illicò ſubueniret, & Valachi quoque de publica ſalute minùs ſolliciti, ab ea diffugiſſent. Turcæ percurſata omni Valachia, Sozauia, & Chozimo, alijſque munitionibus fruſtrà tentatis, Podoliæ quoque fines attigerunt, & aliquot vicos ignobiles, atque pagos exuſſerunt. His cognitis Cazimirus, Ruſſiam omnem, Podoliam, & Belſenſem tractum, arma ſumere imperauit, ipſe deinde paulò pòſt adfuit: cuius aduentu Turcæ audito Valachia ſine mora exceſſerunt: ad hæc fame pariter, & peſte afflicti. Non parùm verò momenti Mahometi ad maturandum reditum attulit, quòd claſſem, quæ ſupplementum militum, & machinas ad expugnandas munitiones ipſi ſubuehebat, tempeſtate diſiectam amiſit. MATTHIAS Rex Vngarorum, vbi cognouit, Mahometem, ſe cum exercitu è Valachia recepiſſe, hinc quoque vanam gloriam, compendiumque apud Italos aucupatus eſt, abuſus hominum credulitate. A ſe enim pulſum Turcam, turpiter fugam cæpiſſe, litteris diuulgauit, excidiumque eius pollicebatur. Hanc vanitatem eius alebant apud exteras gentes viri litterati, munificentia eius deliniti, res geſtas eius ſcriptis ſuis in immenſum attollentes. Qua quidem illud ſanè perfecit, vt Sixtus Pontifex, cum omnibus Principibus, & commoditatibus Italiæ, præter Ducem Mediolanenſem, qui imponi ſibi paſſus non eſt, bis centum millia aureorum ipſi in ſubſidium conferret. In eo Ferdinandi Neapolitani Regis opera, & ſtudium Vngaro maximè adiumento fuit. Filiam enim eius Regis notham, Beatricem illis ipſis diebus Matthias alteram vxorem deſponderat, cui quidem Beatrici propter alia donaria, Sixtus diadema Regium deſtinarat, & Oliuerio Cardinali Neapolitano, ad ſolennia coronationis Reginæ Legato, vt imponeret Beatricis capiti commiſerat. Et quidem Oliuerius Legatus, ad diem decimum quintum Septembris, in templo Diuæ Deiparentis, quod Incoronatæ appellant Neapolitani, præſente Ferdinando Regiis inſignijs fulgente, illud diadema Beatrici impoſuit, populus verò illam Vngariæ Reginam conclamauit: Non multò tamen poſt Matthiæ vanitas redarguta eſt. Ad medium enim Octobris Turcæ facta è Boſna excurſione: Carniolam, Carinthiam, & Styriæ partem vaſtarunt, prædamque ingentem, & plurimos mortales captiuos abegerunt; & mox munitiones ligneas ab ipſo Matthia ſuprà Danubium paulò infrà Smideronuiam extructas, & quinque millium militum præſidio firmas, quattuor quidem expugnarunt, quintam vero per deditionem acceperunt, ipſa Mahomete cum maioribus copijs haud longè ſucceſſum Regi expectantẽ. Fecit iſtos pregreſſus Mahometes, eo tempore quo Matthiam cum tota Pannonia, nuptijs Beatricis ſiue parandis, ſiue celebrandis intentum fuiſſe cognouit. Hoc enim anno, Beatrix, Albam Regalem veniens, Regina inaugurata, & ritè coronata, Budæ paulo poſt, Idibus Decembris in leges matrimonij conceſſit, tota fere Vngaria ad Regalium nuptiarum celebritatem confluente. Quod cum Turcus apertè ſenſiſſet, tempus conſilio ſuo nactus idoneum, quadraginta hominum millia, ad eas munitiones expugnandas miſit. Iis in poteſtatem redactis, cum ſtratum glacie Danubium conſpicaretur, cum expeditiſſimo triginta millium equitatu, Daciam inuaſit, & longè lateque vagatus, igni ferroque cuncta vaſtauit: quæ res mentem Matthiæ, totiusque Pannoniæ vſque adeò conſternarunt, vt nihil tale poſt hac in Turcum audentius molitus ſit. Maximè intercedente inter illum, & Fridericum Imperatorem diſſidio. Fridericus enim, ſuſpicatus Turcas à Matthia in ditiones ſuas immiſſos eſſe, ſimulque ratus, oblatam ſibi occaſionem, perduelles ſuos, illius fœderatos, quorum princeps erat, Comes Nicolaus, vlciſcendi, delectu ſuorum habito, quatuor millium Bohemorum auxilijs à VVladislao Rege acceptis, nihil retardatus hyemis aſperitate, munitiones ipſorum perduellium partim per vim, partim per deditionem recepit, ac in æſtatem anni inſequentis bellum maius contrà illum parauit. Non recuſauit ea auxilia VVladislaus Rex Imperatori ſubmittere, quod accepiſſet, Matthiam contrà pacta induciarum, Cazimiro patri ſuo negotium clanculum faceſſere. Nicolaus enim Tungenus cum Matthia ſentiens ex profeſſo, Varmienſem Epiſcopatum inuaſerat id temporis, videbaturque res ad rebellionem totius Pruſſiæ ſpectare, quod & Proceres nonnulli Pruſſi, & Gedanenſes ciues, imprimis Tungeno non obſcurè fauerent; & vero Magiſter Cruciferorum cum eo fœdus icerat, & cum Legatis Matthiæ, ſecreta colloquia habuiſſe ferebatur. Henricus Richtembergius Magiſter, cum Mariæburgum ad Cazimirum veniſſet, factaque audientia Regi ſe purgare inſtituiſſet, & nouum iuſiurandum, ſi poſceretur, obtuliſſet, ac proptereà contrà Tungenum conſilio, & auxilio, ſe Regi non defuturum eſſe promiſiſſet, quod promiſit, non præſtitit, varias moras, & excuſationes nectens. Matthiæ conſilio faciebat, cui magis adlubuerat, Chriſtianos Reges incommodare, quàm integras eorum vires contra hoſtes communes videre. *Cromerus libro vigeſimo octauo, Bonfinius decadis* 4. *libro quarto, Papien. epiſt.* 651. *Surita annal. lib. decimo nono, capite quinquageſimo ſeptimo.*

III. *Diſsidentes Principes Chriſtianos cõciliare, & in Turcas mouere ſatagit Sixtus PP.*

Eas vires, vt Sixtus coniungeret, Alexandrum Forliuienſem Epiſcopum, Sedis Apoſtolicæ Nuncium, apud Fridericum Imperatorem, & Principes Imperij hactenùs retinuit; Iulianum verò nepotem Card. Legatum, ad Regem Galliarum, ac prætereà Epiſcopum Sibenicenſem, ad Carolum Burgundiæ Ducem, & fœderatos illi ſocios deſtinauit, qui pacem inter diſsidentes conciliarent, & conciliatos contrà Turcas mouerent. Enimuerò in hunc annum, operante Ludouico Rege, in Carolum Ducem ingentis exarſit bellum ſuam ſimultatẽ palàm

aperire, Ludouicus, & iungendorum, & diſiungendorum animorum efficaciſsimus artifex, cordi non habuit, quod induciæ inter ſe ac Carolum eſſent renouatæ, ſuſcipiendique belli noua conditione, res Francica periclitaretur. Ergo miſſis primum ad Sigiſmundum Auſtriæ Ducem Oratoribus, peruicerat, vt cum Heluetijs ſopitis veteribus inimicitijs pacis iceret fœdera, eoque modo, Ferretenſem Ducatum à Burgundionis poteſtate (quem ob acceptos ingentes nummos ille oppignerarat) vi, violentiaque liberaret. Quod & ſtatim effectum eſt. Neque id ſatis eſſe ducens, aliâ indignitate Carolo officere perquiſiuit. Renatum Lotharingum, Renati Andegauenſis ex Yolanda filia, Friderico Vadanimontis Comiti nupta, nepotem, contra illum ſubagitauerat, vt in Lucelburgenſem Caroli Ducatum, excurſionem faceret. Carolus heroici, & excelſi vir animi iniuriam non ſibi tolerandam exiſtimabat. Contrà Renatus iure ſe hoſtem illum habere, prædicabat; quod res Neapolitanas ſibi iam animo Carolus deſtinaret. FRIDERICVS enim Princeps Tarentinus FERDINANDI Neapolitani Regis filius, ad eum venerat, ſpe filiæ illius ſibi deſpondendæ. Præterea Renatus Senior quod filium IOANNEM, ac ex eo nepotem NICOLAVM amiſiſſet, neque vllam maſculam prolem haberet, non hunc Renatum Lotharingum, ex ſorore natum, ſed Carolum hæredem ſuum nuncupaturum, ac inprimis breui prouincia illi ceſſurum; & quod non poſtremum fuerat, in Regnum Neapolitanum ius dono daturum pollicebatur. quæ omnia, cum non ipſi modo Renato Lotharingo, verum etiam Ludouico Regi grauiſſima, & intolerabilia viderentur; & verò Sixti Pontificis, qui rebus Regis Ferdinandi affinis, & Caroli amici impensè fauebat, arbitrio geri crederentur; Ludouicus, antè omnia in Sixtum aliquid molitus, de vniuerſali Eccleſiæ Concilio agendo, ſuos Oratores, ad diuerſos Principes miſit. Cumque id non ſuccederet; de ſuo Regno habendum Lugduni Concilium præceptum vulgauit, & omnes Pontifices, ac maiorum Eccleſiarum Rectores, ad ſuas ædes intrà à ſe conſtitutum diem, adeſſe imperauit: mox Renatum iuniorem, in Carolum Burgundionem concitauit. Carolus, promotis caſtris, Lotharingum adortus, magna ditionis parte eum pepulit, dehinc rerum felici ſucceſſu elatus; in Heluetios Lotharingi ſocios progreſſus, primò caſtris ad Granſonem poſitis, arceque expugnata: deinde fortuna ſeſe vertente, ab Heluetijs feſtinato acceſſu obrutus, fideque fuſus, ac ſtratus & caſtris exutus, amiſſis impedimentis, totiuſque exercitus opibus, & ſua pretioſa ſuppellectile, ita vt vix ex inſequentium manibus ſeſe eripuerit. Paulò poſt iterum ad moratum, in confinio Allobrogum oppidum, acie ab eiſdem victus, cum ad Nanſeum reduxiſſet exercitum in ipſa obſidione, ab Heluetijs circumuentus, ac trucidatus interijt. Deſertum fuiſſe conſtans fama erat à ſuis, inſigni perfidia Campobaſſi Neapolitani qui aliquando à Carolo colapho pulſatus, vindictæ occaſionem in id tempus diſtulerat. Duo potiſſimum ex Italis ſub Carolo militabant, Galeotus, & Nicolaus Campobaſſus, qui Andegauenſes in expeditione Neapolitana contra ſuum Regem ſecuti, fortuniſque propterea exuti, ad Carolum profugerant. Galeoti fides omnibus conſtans; & peruia erat, Campobaſſum, vulgus perfidum inſimulabat. Aſſecutus fuerat apud Carolum magnam authoritatem; neque minus Ludouico Regi charus erat. Cum hoc proditore multa & varia per internuncios machinabatur, ne Carolus Heluetios ſibi adiungeret. Neque vero deſtitit officio, data fide Simoni Papienſi medico, alijſque miniſtris Regijs ſe Carolum vel interfecturum, vel rapturum, vel ſi quando committeretur prælium, illo deſerto, ſe cum omni equitatu ad Regem tranſiturum. Et quidem Ludouicus Rex ea fretus perfidia, ſubdolè aperuerat Carolo, omne Campobaſſi concilium, ac promiſſa, ſpe concepta, vt Carolus mox in illum ſæuiret, atque Italos milites cum in modum offenderet; quorum equitatum cupiebat ipſe ad ſe traducere. Simul etiam colloquium cum Carolo petierat, vt vel illum dolo interficeret, vel ſaltem ab Heluetijs, ac Italis auerteret. Hortabatur præterea, vt Heluetios ſineret in pace, neue tam tenuem ibi ſectaretur prædam: ac Legatos Heluetiorum captioſa de pace ad eum mittendos procurauerat, paratos quicquid ademerant, reſtituere, fœdus cũ illo ferire, ab Rege diſcedere, Caroloque contrà illum militare. Cæterùm Carolus cum Strophas machinaſque Galli, ad ſe auertendum opinaretur, à bello inferendo dimoueri non potuit; quamquam & Nuncius Apoſtolicus Sibenicenſis Epiſcopus: & Alfonſus Luſitaniæ Rex qui hoc anno in Gallias aduenerat, diſſuaderent. Omnino Heluetios vlciſci ſtatuebat, & Lotharingiam Sabaudiam, Prouinciam, Heluetiorum Montana, atque adeò totum regnum Arelatenſe Burgundiæ aſſerere; quin & in Italiam penetrare ambiebat. Id vero Ludouicus mirandum in modum metuens, Renato iuniori, ex ſuis cohortibus, quas ſimulatim (ne pax violata videretur ( exauctorauerat ſuppetias miſit; & quibus cumque potuiſſet modis hominem perdere laborauit. Non erat omnino difficile factu Carolo victoriam de hoſtibus reportare, atque fines imperii à mari Septentrionali, ad mediterraneum vſque proferre; niſi fauor illum diuini numinis deſtituiſſet, atque tenebras menti offudiſſet. Noxæ fuiſſe tradunt, quod Eccleſiaſticorum bona, in id bellum compilaſſet; alij, quod in Lauſanenſes captos nimis ſæuus, quingentos, & duodecim ex eis captiuos patibulis affixiſſet: alij, quod Ludouicum Comitem S. Pauli Comitem Stabuli, quo cum conſilia contra Ludouicum communicabat, Ludouici prodidiſſet, & ad certam necem tradidiſſet. Vtut eſt; pugnauit imperterritus, & ne in Ludouico manus veniret, in conferto peditatu velut ignotus decertans, tribus vulneribus confoſſus interijt, die tertio inuentus, nudus inter occiſos, facie ad glaciem cuiuſdam torrentis aut paludis congelata, cognitus eſt à Ioanne Baptiſta Columnio, ab Antonio fratre & à Mattheo medico illius familiaribus captiuis. Fama erat diuturna apud Burgundiones, & alias quaſdam gentes, elapſum ex hoſtium manibus Carolum, viſitare loca religioſa ſanctis conſecrata; maximeque Germaniæ Sanctos, ques in eo bello offenderat, ſeptenni quam vouerat, pænitentia placare. Habituſque eſt in Germania quidam mendicus pro Duce Carolo, qui non comedebat, niſi ſuper nudum ſolum accumbens, & ex fictili teſta, pannis abiectiſſimis tectus, ſic pænitentiam agens ſcilicet. Hic à multis accepit lautiſſima fercula (nam quicquid offerebatur, ex conditionibus votiuæ pænitentiæ comedere, ſed cubans tamen ſolo, audebat) volebant enim multi ſuperſtitioſi, & etiam ambitioſi tam potenti Duci, eleemoſynam largiri. Rogatus aliquãdo, Num eſſet; tacebat; admonitus verò, vt pauperum rationem haberet, cum Principatum reuerteretur, annuebat modeſtiſſimè. Auditum eſt aliquandò ex eo; Pauculi anni reliqui ſunt meæ peregrinationis. Cum autem quidam, ei ceu Principi (nihil enim dubitabant, eum eſſe) vel genu poſito, vel verbis exhiberent honorem; abnuebat. & refugiebat, dicens, Nondum tempus aduenisse. Erant quoque, qui multa in eum conferrent, officia ſperantes aliquid magni ab eo quondam recepturos. Ex his, quæ accipiebat, nonnulla è re ſua pauperibus erogabat. Quinque annis Germanis illuſit, & poſtea nuſquam viſus fuit. Tantus autem error eiuſce opinionis alicubi inualuit,

*Carolus Burgundiæ Dux ſuperatur & occiditur.*

*Eiuſdem perſonas mendicus quidã ementitur.*

vt multi

vt multi geminas, equoſque venales exhiberent, diſtraherentque, dilata ſolutione euſque, donec Dux pænitendi curriculum abſoluiſſet. Ducis cadauer, nudum repertum, in æde S. Georgij apud Nanſeum, Regio funere, Renati munificentia conditum eſt. Exinde eo loci, in quo ſtrata iacebant cadauera, Sacellum, & Cæmiterium conſtructa ſunt, delegato Sacerdote, qui labes animarum perenni ſacrificio expiaret. Antequam pugnaret, ſocij, amicique plerique, pacariorum ſuaſu à Carolo diſceſſerant, Fridericus Tarentinus à patre Rege reuocatus commeatu ſumptu, in Italiam redijt; aliquanto poſt ad Ludouicum profectus Reginæ Franciæ ſororem Sabaudam in matrimonium accepit. Renatus ſenior accitus, ad Ludouicum venit, & honeſtis conditionibus cum Rege tranſegit. In primo congreſſu princeps amicorum illius Coſſa Neapolitanus Ludouico; Delatum eſt, *inquit*, maieſtati tuæ, hunc Dominum, Regemque meum, ſpem hæreditatis Duci Burgundiæ inieciſſe. vera ea delatio eſt. Ego huius oſtentationis, conſilijque author fui; non vt res deduceretur ad exitum, ſed vt hæc fama ad maieſtatem tuam perueniret, vtque maieſtati tuæ hic metus iniectus, admoneret te, hunc eſſe auunculum tuum, & mitius cum eo ageres in rebus Andegauenſis Ducatus (eripuerat Rex,) quem illius iuris eſſe noſti. Hoc ſi ſcelus eſt, mihi, non auunculo adſcribito. Libera Neapolitani oratione delectatus Rex, & illum dilexit, & auunculum complexus, cum eo de prouinciæ comitatu, ad hunc modum tranſegit, Erat Renatus plenus dierum, ſine liberis princeps. cuius filia, Angliæ Regina, ab Eduardo, de familia Ducum Eboracentium in cuſtodia tenebatur. Eius liberandæ cauſa, Ludouicum ſibi hæredem Prouinciæ Renatus inſtituit. Prætereà, Ludouici eiuſdem voluntate, Carolum Cenomanorum Comitem, excluſo Renato, in reliquis ſcripſit ſucceſſorem. Quibus delinitus Ludouicus, Pontifices, & maiorum Eccleſiarum Rectores, quos ad Concilium adeſſe iuſſerat, ad ſuas ſedes redire iuſsit, Conciliumque diſſoluit, Baluam Cardinalẽ Andegauenſem, quem ferè duodecim annis in cuſtodia habuerat, dimittere permiſit. Auinionẽ interceptam reſtituit, maximè cùm ex Cardinalis Sancti Petri litteris, ad Patriarcham Antiochenum datis intellexiſſet, Sixtum Pontificem, ceſsioni Renati Senioris, quam Carolo Burgundo fingebat ſe velle facere, nedum non conſenſiſſe, aut quicquam, quod iura Neapolitani Regni tangeret, conceſſiſſe, ſed neq; ad ea facienda requiſitum fuiſſe. Sixtus præterea, cupiditate recipiendæ Auinionis, quod culpa Legati nepotis, ea ciuitas diceretur, id temporis amiſſa, delendæque notæ cura, facile ad detrimentoſas pactiones ſe adduci paſſus eſt; inter quas vna fuit, quod Carolo Borbonio, Archiepiſcopo Lugdunenſi perpetuam Galliarum Legationem promiſerit, eundemque ad XV. Calend. Ianuarias, Cardinalem S. R. E. tituli S. Martini in Montibus renunciauerit. Fuit & hæc altera, vt Fridericus Ferdinandi filius, qui Burgundi filiam procabatur, eam non amplius, ſed Annam Sabaudam Regis Ludouici ſororiam duceret, & nomine dotis, Ruſcinonenſem ac Ceretanum Comitatus, de quibus inter Ludouicum, & Ioannem Aragonum Regem, Ferdinandi patruum controuerſia armis dirimebatur, nec aliud acciperet. Ioannes ſanè Aragonum Rex inter alios plurimùm allaborauit, nè Conciliabulum illud Epiſcoporum à Ludouico indictum celebraretur, quod & neque ad fidei Chriſtianæ negotia tractanda indictum, & magno fidelium, ac infidelium ſcandalo, ad perturbationem reipublicæ Chriſtianæ indictum fuiſſet. Epiſcopi Pampilonen. & Helenen. quamquàm diæceſes in regno Galliarum haberent, venire contradixerunt, remque ordini Eccleſiaſtico, infamem execrari damnauerunt. *Surita Annal. libro decimonono, capite trigeſimo nono, & 62. Meyerus Annal. libro decimoſeptimo, Gaguinus libro decimo, Aemilius in Ludouico XI. Roſieres Tomo quinto, Comineus libro octauo, Mutius libro vigeſimo nono, Papienſis epiſtola 647 648. Panuinius in Sixto quarto, Barlandus capite centeſimo vigeſimo octauo, Volaterranus libro tertio.*

IV. *Fridericus Imperator filiũ Maximilianũ eligi in Regem Romanorũ ſatagit.*

Hunc exitum habuit Caroli Burgundi ambitio, qui Regium titulum apud ſuos, Maximiliano autem genero, Romanorum Regnum adeo cupide expoſcebat, vt Fridericus Imperator, Sixtum Pontificem interpellauerit, qui Franciſcum Gonzagam, Cardinalem Mantuanum, in Germaniam, Legatum Apoſtolicæ Sedis mitteret, ad Conuentum Principum Electorum, atque aliorum, in quo de vtriuſque honoribus deliberaretur. De Maximiliano maiores difficultates obijciebantur; propter quas ne amici quidem Electores, imo & neceſſarij, Friderico requirenti id temporis aſſentirent. Ergo, vt eas Fridericus ſuperaret, Sedis Apoſtolicæ auxilium implorauit. Neque difficulter Sixtus, Legationem Mantuano decreuit, quod in eo Conuentu Principum, magna ſe poſſe conficere exiſtimaret; præcipuè contra Turcas. Papienſis Cardinalis quamprimum eam Franciſco Cardinali Legationem decretam fuiſſe intellexit, pro eo valdè ſollicitus, lætabatur quidem plurimum, quod à Cæſare peteretur; quod vero à Sixto mitteretur, vehementius angebatur, Cauſam explicabat; Exitus conſiliorum, *ſcribit*, in ea natione ſunt nouorum ſemper conſiliorum initia, magniſque apud eas gentes conatibus nihil vnquam perficitur. *epiſtol.* 648.

Ita Carolus Burgundus, ſine titulo Regio deſijt in humanis eſſe.

*Deſcribitur Carolus Burgũdiæ Dux.*

Thomas Baſinus eius æqualis hæc de illo reliquit. Fuit, *inquit*, vir magni, & alti animi Carolus, ſi illam animi magnitudinem, moderato ac prudenti conſilio temperare potuiſſet. Verum ipſe (vt ſæpe mos ſolet eſſe Principibus) ſuo fidens ſenſui, & conſilio, & contra ſapientis præceptum ſuæ nimis innitens prudentiæ, plerumque reiectis conſilijs ſanis, vel parum perpenſis; ex ſententia ſua quidnam fieri vellet, decernebat; quæ res profecto vltimum illi attulit exitium. Initio cum imperare cæpit patre defuncto, modeſtum ſe ſatis & dignum principatu oſtendit. Iuſtitiæ enim cultui deditus, peſſimam conſuetudinem ciuilium inter duas, pluresue familias pugnarum cohibuit, & reſtinxit: nec quemquam nobilium in alium, aut inferioris etiam ſtatus hominem, quod paſſim ante actis temporibus diu aſſuetum fuerat, via facti quicquam præſumere, ſeu attentare impune permiſit. Tenebat tunc Curiam publicam bis, aut ter ſingulis hebdomadis in palatio ſuo, in qua omnes Proceres, ac nobiles domus ſuæ aſſidere oportebat; vbi omnibus, quicumque vel vbicumque eſſent, facultas dabatur accedendi ad Principem & libellos ſuos ſupplices offerendi; ad quem per Cancellarium ſuum, vel aliquem de Conſilio ſuo prope aſſiſtente, illico reſponſionem conſcribi faciebat. Moribus etiam probis, & honeſtis tunc erat. Ferebatur enim tam eſſe caſtus, vt nullam fæminam, præter coniugem propriam, vel ei adhinnire vellet: quod nonnulli varijs, & differentibus vijs, in vitium detorquebant, liuore, aut odio, vel leuitate potius, quam veritatis amore. Habebat nempe circa ſe plures, quibus vel ipſius continentia, vel quæ de eo communis æſtimatio habebatur, parum placerent: eo quod ſe libentius voluptatum miniſtros, atque turpitudinum illi exhibuiſ-

ſent, quæſtum, variaque lucra talibus ex miniſterijs venantes, vti apud complures Principes, & tyrannos videre eſt, & fieri ſolet. Religioni erat ſatis deditus, diligens excellentes Cantores, quemadmodum pater eius fecerat. Vnde ſemper honeſtam & magnificam tenuit Capellam, & cum ſuis Cantoribus cantu delectatus, etiam priuatim aliquando cantauit. Vini, & cibi ſobrius, & temperans fuit; ità profectò, vt ſi quemadmodum initio cœpit perſeueraſſet, ſingularis inter egregios Principes fuiſſet vnus non iniuria computandus, *Adrianus Barlandus* aliquot Principibus comparabat. In hoc, *inquit*, Cæſarem illum Dictatorem, aut Scipionem Africanum, aut Metellum præclarum Ducem referebat, quod in ſuo exercitu nihil eorum paſſus eſt eſſe, quibus corrupti, & effœminari militum animi à ſtudio rei militaris auerterentur. Aberant enim adipata conuiuia, atque obſonia. Exulabat commeſſatio: exulabant reliqua omnia ad luxuriam pertinentia. Vulgari cibo contenti, procul à fame ſeruabantur, adque obeunda militaria officia, hoc pacto expeditiores ibant. Prælia malè aſic aſſumpſit, vt militem ſæpius nil tale cogitantem, iuſſerit acceptis armis in hoſtem ire, pluuio interdum cælo, & grauiſſimis tempeſtatibus, quum minime educturus putaretur. Et quod mirum videri poteſt, nec prouectior quidem ad conferendas cum hoſte manus cunctantior factus, quo ſæpius victor abijſſet, hoc magis incertum pugnæ euentum experiundum opinabatur. Nullo vmquam prælio vicit, quo non ſtatim ſit fugientem hoſtem inſequutus. Adeo nihil ſpatij datum ab eo perterritus. Inter milites ſuos, neque morum, neque fortunarum, ſed virium reſpectu alium alij præferebat, & erat in his tractandis nunc ſeuerum, nunc facilius. Haud enim omni loco ac tempore, ſed quum non procul abeſſet hoſtis, coërcere eos, & comprimere ſolebat. Ità factum, vt nunciato in prælium exeundi tempore, ſemper eos, & paratos, & intentos haberet. Deſertorem, ac fallacem militem acerrimè puniebat, cætera plerumque diſſimulans. Quendam patibulo ſuffixit, qui aniculæ gallinam ſubtraxerat. Amabat etiam ſuos vſq; adeo, vt nullo non beneuolentiæ officio proſequeretur. Aduerſa valetudine laborantes, & ſaucios, medicis committebat fideliſſimis. Alexandri Magni factus æmulus, nihil audiebat libentiùs, nihil maiore animi voluptate ſolebat legere, quàm authores, qui de Alexandro quippiam ſcripſiſſent. Vndè factum erat, vt omnia illius egregia, & laudabiliora facinora memoriæ mandauerit, oblataque occaſione imitari ſtuduerit. Vnum erat, in quo meritò culpari potuit, præcipitatum conſilium. Nam & bella quædam ſuſcepit, nullo prudentum conſilio, quos ſecum habebat, in conſilium adhibito. Campobaſſum belli Lotharingici dehortatorem ſuſceptique iam deponendi authorem, inuadendæ Lotharingiæ cupiditate flagrans, non modo atroci conuicio petijt, verum etiam alapa pulſauit. Hunc tamen tam præcipiti, ac præferoci conſilio virum, in caſtris metandi, Hannibalem, in conficiendis itineribus Iulium, aut Alexandrum quemdam dixiſſes. Algoris enim & ſolis iuxta patiens fuit. Multæ illi frigidæ hyemes, ac torridæ ſub pellibus actæ æſtates. Itinere tanta celeritate confecit, vt ſæpius de ſuo aduentu, præmiſſis nuncijs anteuerterit, ſæpius hoſtem de improuiſo oppreſſerit. *Chron. Brabantiæ Ducum.*

V. Trucidatur Co-

Memorauimus ſuperius ex quorundam ſententia, noxæ illi fuiſſe, proditionem Ludouici Lucelburgij Comitis S. Pauli, Magiſtri Equitum, quem Conneſtablium dicunt Galli. Non importunum erit narratio totius tragediæ, vel propter eos, ſiue principes, ſiue clientes, à quibus fides, vinculum humanæ ſocietatis pluma leuior eſt. Res eſt. Ludouicum Conneſtabilem, Ludouicus Rex & multi Galliæ Principes admodum acerbe oderant: Carolus etiam Dux Burgundiæ multo infeſtius, propter ereptum Ambianum, & Sanctoquintinum, & quod redintegrati belli ipſum haberet præcipuum authorem. Nam in induciarum tempore Conneſtablius cum ipſo blandiſſime agebat; ſed exorto bello Britannico perſequebatur odioſiſſime, & inuito volebat, extorquere filiam. Has odiorum cauſas etiam illud auxit, quod quo tempore CAROLVS cum exercitu propè Ambianum conſedit, ille factus incurſionibus in Hannoniam, caſtellum quoddam ijs locis, nouo plane, & inuſitato exemplo cremauit. Cum enim ab incendijs anteà temperatum eſſet vtrimque, Carolus indignitate rei commotus, & ſecutus morem illius, in Galliam quoque deinde flammas, & ignem intulit. Excitatis in eo multis aduerſarijs, fit coniuratio, & tam Regis, quam Caroli Legati conſilia inter ſe communicabant. Habebat ille varijs in locis poſſeſſiones, ac propter illud ſummum munus, quod in Gallijs obtinebat, quadraginta quinque Francorum millia penſionem à Rege: ac inſuper vectigal atque portorium, quod mercatores ei pendebant, qui vina ex Gallijs per ipſius fines deportabant in Flandriam, aut Hannoniam. Ad hæc non in Gallia tantum, ſed per Caroli quoque ditiones multorum ſibi gratiam, & beneuolentiam adiunxerat. His de cauſis, non poterat eum Rex, niſi adiutus à Carolo, ſolus opprimere. Per inducias agebatur potiſſimum de illius capite, ac fortunis. Qui à Rege erant ad eam rem deſtinati, referebant omnia ad Imbercortium, qui & à multo iam tempore, illum oderat, & nuper etiam maius conceperat odium. Nam quodam in Conuentu, dum vtriuſque Principis Legati de controuerſijs agerent, ille mendacij Imbercortum inſimulauerat. Quam ad criminationem iſte prudenter, & modeſtè reſpondit, Inimicitiam illam non ad ſe, verum ad Regem, cuius fidem ſecutus eò veniſſet Legatus, & ad Carolum, cuius ipſe locum obtineret ibi, pertinere; cui etiam ſit commoraturus omnia. Hæc ſola verborum contumelia, ſummam, & extremam ei perniciem attulit. Quocirca, qui ſunt magno loco apud Principes, magnopere ſibi cauere debent, ne quid atrocius dicant. Nam quo potentior eſt, & maior, qui iniuriam facit, eo grauius dolent ij, quibus infertur. Propter authoritatem eius, & amplitudinem qui intulit, putant hoc magis ad infamiam ſuam pertinere. Ergo Conuentu Legatorum vtriuſque, paulo poſt habito, vtrique iam ſuſpectus, quamquam ad vtrumque nuncios mitteret, & iam Regi perſuaſiſſet, vt Carolum ſuſpectum haberet; Legatorum tamen literis vtrobique mittendum opera iudicatum eſt, Conneſtablium eſſe hoſtem, & Regis, & Caroli. Inde iureiurando, & fide data decretum, vt vter ex ipſis duobus prior cum cœpiſſet, is vel intra octo dies ſupplicium ſumeret, vel in ſocij poteſtatem daret. Conſtituta alia præterea, ſed à Rege non ſeruata. Conneſtabilius enim accepta fide, in collocutionem cum illo venit. Sed hac ratione inuidiam ſibi maiorem conflauit; quod armatus ſub veſte diſcincta veniſſet, & nobiles trecentos cathaphractos in ſuo comitatu adduxiſſet. Excuſabat ea, vt poterat, & iam Regi reconciliatus eſſe dicebatur; quando plerique Regem ridentes, quod in collocutionem veniſſet cum ſuo cliente, & beneficiario, qui interiecto ſepimento non eſſet veritus, in ſui Principis conſpectum venire armatus, & equitum



Folii Burgundiæ Ducem, & Comitem S. Pauli narratio.



circumcluſus cohortibus, qui quidem omnes, & Regis eſſent imperio ſubiecti, & alerentur ab ipſo, illum apud ſe omnia diligenter reputantem, amplius irritarunt. Credibile eſt, Conneſtablium hoc ſpectaſſe, vt metueretur à Rege. Verumtamen non ſatis memoria tenuit, Aulicos ità ſe comparare debere, vt diligantur, non vt metuantur. Nam qui diuerſam rationem ingrediuntur, vt periculum tandem, & calamitatem euadant, fieri non poſſe. Ferè autem fit, vt qui bonam, & fidelem operam præſtiterunt, arbitrentur ſibi aliquanto plùs quam alijs licere. Principes contrà longè aliter ſentiunt, & æquius eſſe ducunt, vt quiſe ipſorum clientelæ, & miniſterio tradiderunt, officio fungantur. Fit plerumque, vt egregiæ operæ minus liberaliter remunerentur, idque non tam ingratitudine Principum, quam eorum, qui operam præſtiterunt, vitio; dum elati quadam confidentia, propter rem benè adminiſtratam, inſolenter, & proteruè multa faciunt. Non intermittebatur ergo contrà eum conſpiratio. Captus eius frater Iacobus, cum alijs nonnullis apud Atrebates. Captus inſuper eius filius, Comes Roſſius, Burgundiæ præfectus. *Nulla venit ſola, calamitas.* Eiſdem fermè diebus obiit illius vxor, quæ eadem ſoror Reginæ, lachrymis, affinitateque, & virum nè omninò deficeret, & Regem, vt iræ moderaretur, effecerat. Non ignorabat inter hæc, ſuum caput ab vtroque quæri. Ergo verumque ludificare volens, mittebat; ad Carolum quidem, qui eum à bello reuocarent; ad Regem autem, vt quid cum Carolo feciſſet, ſignificarent, atque hac via illum flecterent, ac mitigarent. Nonnumquam etiam, vt metum aliquem inijceret, renunciabat, res Caroli non malo loco eſſe. Præter hæc Carolo pollicebatur, ſi quem cum modicis copiis mitteret, ſe illi ſancto Quintinianos traditurum. Id verò illi exitium maturauit. Miſſus à Carolo, ſemel, iterum, ac tertium re infecta ſemper diſceſſit. Iuſſus à Rege in Annoniam ducere, miſit, qui iuſtum, neceſſariumque metum excuſaret: Se exploratum habere, duos ex ſuis neceſſariis corruptos eſſe, vt in ſe manus iniicerent, proderentque, eos non nominabat, ſed his notis deſcribebat, vt ſolicitationem Regis, coniurationemque detectam appareret. Iuſſus quoque in colloquium rurſus deſcendere, inſtanti reſpondit, venturum ſe, ſi in Laudiarde, tacta cruce Rex iureiurando fidem daret, fraudem vimque abfuturam. Cum id ſe facturum Rex negauiſſet, & quauis alia ratione, ſe illi velle cauere renunciaſſet, Conneſtabilius ad Carolum iræ placabiliorem, purgandi ſui cauſa venit, & cur Sancto Quintinum pridem non tradidiſſet, excuſauit. Modò, cum Eduardus Rex Angliæ in Galliam traieciſſet, extemplo & oppidum, Regem ipſum Ludouicum illi in poteſtatem daturum. Admouit Anglus aliquot turmas, non dubia ſpe oppidi proditione recipiendi; quæ tamen ictu tormentorum, ac eruptione equitum repulſæ ſunt. Res indigna Anglo viſa. Carolus non deſiſtendum cœptis dixit, ad paruarum copiarum conſpectum, non factam deditionem, quod quamuis cupidus Conneſtablius, ſpeciem tamen quærat, vt id coactus facere videatur. Si vniuerſæ copiæ admoueantur, nullam interceſſuram moram. Inter hæc pace inter Reges facta, quam nec Carolus, nec Conneſtablius probarent. Sic tamen voluit apud vtrumque Regem fideliſſimus videri, & quidem ad Ludouicum, Oratores miſit, qui dicerent, ab illo ſe miſſos nuper fuiſſe ad Carolum, vt ab Anglorum ſocietate ipſum auerterent: Carolum autem vehementiſſimè tunc iratum fuiſſe Eduardo, & minimum abfuiſſe, quin ei perſuaderetur, vt non modò deſereret, verum etiam vt cum exercitu diſcedentem, inuaderet, iratuſque, ad eam indignationem prorumperet, vt terram pede pulſans, Eduardum negaret, Regio ſanguine, pectoreue eſſe: eum eſſe adulterio procreatum, ſagittarij cuiuſdam filium, & id genus alia multa. Contrà, Eduardo per nuncios, & litteras ſignificabat, Carolum aduentare cum validiſſimo exercitu, quo Anglis iuncto, vel omnem Franciam obtineri poſſe. Nullius rei Ludouico fidem habendam; in præſentia enim eum in paciſcendo nihil denegaturum: vbi Angli mare traiecerint, immemorem conuentorum, nihil contrà non auſurum. Regreſſo domum Anglo, Ludouicus, & Carolus in perniciem Conneſtabilij incubuêre. Miſerat is ad Regem, renuntiari ſibi permultos eſſe, qui falſis ſuſpicionibus, infamem ſe facere conarentur; ſed reipſa oſtendiſſe ſe, falſa inuidia laborare, quòd in tanta rerum, temporumque varietate, quæ oppida tuenda accepiſſet, ea inuicta ſeruaſſet, atque inde hoſtem repuliſſet. Rex diſſimulandi artifex conſtantiam, virtutemque viri magnificis verbis extulit, renuntiarique iuſſit, in conſilijs capiendis tali capite opus eſſet. Nuncius dictum non quo animo proferebatur, interpretatus, lætus dimiſſus fuit. Rex ad amicos fidos verſatus, ſubmiſſiore voce; Opus mihi eſt, *inquit*, hominis capite, ſed ita, vt hic caput, illic truncus iaceat: hocque dicto, fœdus ineum cum Carolo repetiuit; vt caput Regi, bona cum Sancto Quintinianis, Carolo cederent. vter eo priùs potiretur, is intrà octauum diem, vel alteri traderet, vel ipſe ſupplicium ſumeret. Iam ab amicis, à militibus, ab omnibus propè, vt in mortalium ſalute deplorata fieri amat, deſerebatur. Varijs conſilijs agitabatur. Quod probaret, non habebat. Quonam ſe reciperet, vbi conſiſteret? Propinqua ſibi hoſtilia, externa imperio longo interuallo dirempta. Arces ſe tutas, & inexpugnabiles habere: ſed quo præſidio eas firmaret? Sibi auri vim ingentem; ſed eam prodendi capitis ſui mercedem, propoſitis inſuper à Rege præmiis, Iram, odiumque in ſe Regis deprecatur. At illud atrox, execrabileque. Fidemnè ab eo acciperet? Sed ecquanam religione firmari poſſe, vt ei credere tutum ſit, qui ad Diui Laudi crucem ſpondere nolit? Caroli iram placabiliorem, & fidem ſanciri cum eo poſſe, ac verecundiam imponi ſupplicis violandi. Proinde fide ab eo per fidos viros, quos pauciſſimos ſibi reliquos aduerſæ res fecerant, accepta, in Annoniam ſe recepit, ad Caroli Præfectos. Illud Rex ſtatim, atque intellexit, per Oratores interpellauit, vt quandò Conneſtablium in poteſtate haberet, eum, vt conuenerat, vel dederet, vel ſecuri feriret. Interuenere hic fœdiſſimæ pactiones. Rex. contrà fidem datam Renato iuniori, quem tuendum ſuſceperat, promiſit Carolo Lotharingiam, ſi Conneſtablium traderet, & nè hoc parum perfidiæ habere videretur, contrà fidem Carolo obligatam, Sancto Quintinum occupauit, nè per illud Conneſtablius Ducem ſibi placaret. & quò magis peieraret, exercitum per Campaniam, vſque ad Nanſeium miſit, vt ab eius oppidi oppugnatione Carolum deterreret; & vel armis ab eo Conneſtablium extorqueret. Renatus etiam rebus ſuis metuens, Campobaſſum proditorem induxit, vt deditionem Nancei, de qua iam inter Regem, & Carolum conuenerat, extraheret. Eam ob rem Carolus valdè ſolicitus, vt Nanceio potiretur, rem fœdiſſimam admiſit, Conneſtabiliumque captiuum, Peronam duci impetrauit, ibique tamdiu teneri, donec Nanceium traderetur. Dedito oppido, traditus & ille infelix, Luteriamque ductus, capite truncatus publicè, ſumma patientia, conſtantia, & religione occubuit. Cancellarius, Regium inſigne id

eſt aureum Diui Michaëlis torquem, quem collo geſtabat, deponere illi iuſſit: Ioannes Pompancurtus ſententiam mortis illi renunciauit: moriendum illi in Grauia, antè ædes publicas ciuitatis. Terras, & fortunas omnes illius publicatas, & fiſco attributas eſſe. Ad quæ ille; *O, inquit,* optime, maxime Deus, quàm dura hæc ſententia eſt. Te ſupplex oro, da mentem ſinceram te agnoſcendi. Sic locuti, quattuor Theologi, magni nominis Doctores, vt conſtitutum erat*, illum adierunt, ſalutaribus monitis conſolaturi. Confeſſione, more Chriſtiano expletâ, orauit viaticum Chriſti corporis ſibi miniſtrari; quod non obtinuit. Res tamen diuina, quam Miſſam vocamus, coràm illo facta eſt, & panis benedictus oblatus, quem religioſe manducauit. Inde à palatio ad Grauiam, per medias vulgi turbas perductus, atque in tabulatum conſcendens, poſtquàm ad Diuæ MARIAE templum (quod ex tabulato conſpicuum erat) conuerſus, longiuſculam orationem plorans habuiſſet, à carnifice vno gladij ictu capite plexus eſt. Cadauer per Cordigeros in ipſorum Eccleſia humatum. Cauſas mortis illius recitauit apud populum in Grauiâ, Petrus Ariolus Cancellarius. Promiſiſſe Burgundioni, ſi quando pugnandum foret, ſe media ex pugna Gallos reducturum, ac retroceſſurum. Operam dediſſe retrahendo Borbonio Duci à parentibus Regis ad factionem Burgundionis. Caroli Regij iuuenis matrimonium cum filia Regis Hiſpaniæ impediuiſſe, illique ſuaſiſſe, vt Burgundionis filiam duceret. Nam ſi Hiſpaniam adiret, ſpoliatum iri omnibus bonis ſuis in Gallijs. Litteras miſiſſe ad Comitem Scalenſem, fratrem Reginæ Angliæ, quibus ad bellum Gallicum Anglos inuitabat. Detrectâſſe colloquium cum Rege Gallo apud Hem, iuxtà Nouiodunum, niſi inter vtrumque fieret ligneus paries, magnæ ignominiæ Regi. Promiſiſſe Burgundioni, ſe Regem, aut capturum, aut interfecturum, litteraſque ea de re inuentas ab vxore Reginæ ſorore; eámque ob rem necatam ab eo vxorem puerperam, nè forte per illam pateſieret coniuratio. Promiſiſſe Anglo, ſi rediſſet in continentem, Ambianum, Abbæ villam, & Peronam: Scripſiſſe Regi Anglo, nè quid crederet Regi, ſed ſi quid iuris in Galliam peteret, nullas dandas eſſe inducias fallaciſſimo, & perfidiſſimo Regi, à quo Carolus frater, totque alij ſcelere eſſent necati. Hæc, & plura Ariolus apud populum confeſſa à reo eſſe confirmabat, quod tamen falſum erat. Nihilominùs tamen reus non potuit negare litteras à ſe ſcriptas ad Anglum, quæ vel ſolæ crimen continebant capitale. Inficias tamen ibat conſtantiſſimè, ſe pactum fuiſſe quicquam cum Burgundione, de Rege capiundo, aut interficiendo. De Ambiano, Abbæ villa, & Perona, quæ in poteſtate non habuit Anglis tradenda, de litteris inuentis à Maria vxore, illaque abs ſe necata, nihil confeſſus eſt; ſed confirmabat partus doloribus obijſſe. De perfidia committenda, ſi prælium committeretur, de corrumpendo item Ioanne, Borbonienſi Duce, omnia negauit. De Carolo autem fratre, omnia eſt confeſſus; ſuaſiſſe illi, vt filiam peteret Burgundionis, neue extra regnum duceret vxorem; ſe fuiſſe in conſilio, vbi Rex confirmaſſet, ſe illum bonis omnibus ſpoliaturum, vbi intrauiſſet Hiſpaniam: Litteras autem ad comitem Scalenſem miſſas fuiſſe pro vtilitate Reipublicæ, nè liceret, Regi, omnes Optimates Galliæ, qui pro bono publico conſpiraſſent, de terra tollere, quemadmodum, omni conatu moliebatur. Recuſâſſe colloquium apud Hem, priuſquàm, ſibi eſſet cautum, ideò quòd de Regis *inſidijs* optimo iure metueret. Verum item eſſe, ſe impediuiſſe, nè Dux Calabriæ Nicolaus caperetur à Rege, qui poſteà tamen ab illo veneno necatus ſit. De Caroli autem fratris nece, aliaque multa, quæ maximo erant Regi dedecori, Ariolus non multum dixit, quamuis ad Anglum Comes omnia ſcripſiſſet. Cum autem cunctarentur Iudices, ferre in illum ſententiam, nec ità properandum cenſerent, præſertim, quod ſe in pluribus ritè excuſare videretur, inſtitit omnibus viribus Regius Procurator; Videte, *inquit*, quid agatis. Mori debet. Nam diffinitum ità à Rege, & à ſanctiore eius conſilio. Niſi condemnetis, æternam incurritis Regis iram, voſque ipſos funditùs perditis. Ità Comitem condemnârunt. Auaritia radix malorum omnium miſerum euertit. Duobus dominis inter ſe contrarijs ſtuduit ſeruire, bellumque trahere lucri gratia, nec iuſtitiam Dei antè oculus habuit. Pòſt mortem huius viri Burgundionem, gratia diuina planè deſtituit, totumque deſeruit. Numquam quicquam feliciter illi ceſſit, ſed veluti homo amens, omnique intelligentiâ ſpoliatus in exitium ſuum cucurrit, & corruit: Deo perfidiam caſtigante. *Meyerus Comminius Aemilius ſupr.*

Parum aberat, quin etiam Franciſcus Britanniæ Dux, diuinam incurreret vltionem, ſi errorem admiſſum non emendabat. Iſto ipſo ferè tempore accidit, quod narrabat *Polydorus Virgilius.* Eduardus Rex, per hunc, quem diximus modum rebus pacatis, quamquam confecto bello Gallico longè feliciſſimus haberetur, qui in ſumma iam quiete ætatem tutò degere poſſet; tamen cùm Henricus adoleſcens Richemondiæ Comes, reliquus vnus ex ſanguine Henrici ſexti occiſi ſuperſtes eſſet, multum ſibi obeſſe, ac eam ſolam rem vſque eò ſuam felicitatem turbare iudicabat, vt in metu quaſi perpetuo eſſet. Quarè decreuit iterum ſolicitare Franciſcum Ducem Britanniæ, largitionibus, promiſſis, precibus, ad illum ſibi prodendum, quem ſperabat pòſt extinctam propè Henrici Sexti abs ſe factionem, facilius eſſe ſuis ſatiſfacturum optatis. Itaque Legatos grandi auri pondere onuſtos quamprimùm ad Ducem miſit, & vt poſtulatio honeſtior videretur, iuſſit eos declarare Duci, ſe ideò Henricum petere, vt ſibi affinitate coniungat, atque ita funditus reliquiæ factionis aduerſæ euellantur. quamquam illud non per affinitatem, & ſi poſtea conſecuta eſt, ſic, vt Rex diuinâſſe viſus ſit; ſed, atque adeò per necem Henrici efficiendum fuerat. Audiuit Legatos Dux humaniter, & primo negare, ac multa excuſare cæpit, quamobrèm id facere ſibi non liceret: ad extremum, cùm precibus defatigatus, tum pretio victus, Henricum Legatis tradidit, quem per litteras magnoperè Edouardo ſimul commendauit, nequaquam ratus ſe commendare ouem lupo, ſed filium patri: quippè qui credebat, Eduardum daturum omnino Eliſabethe maximam natu filiam Henrico in matrimonium. Legati tàm deſiderata præda potiti, magno cum gaudio ad Fanum Maclouij, vrbem maritimam pergebant, vt indè conſcenſa naui in Angliam nauigarent. Henricus, qui ſciebat, ſe ad mortem trahi, ex mærore animi, in itinere in febrem incidit. Intereà Ioannes Chenlettus inter Britannicos Princeps talis, cuius paucos pares ea terra tulit, & Duci maximè acceptus, ruri erat: ac vbi id factum reſciuit, rei indignitate permotus, celeriter in aulam redijt, ſuoque more adiuit familiariter Ducem taciteſque, ac triſticulus ſtetit aliquamdiu, ſic, vt Dux miratus, eum tam deiectum gerere vultum, petiuerit, ecquid ſibi vellet illa animi triſtitia, quam præſeferret. Ad ea IOANNES *inquit*, Dux Illuſtris, iſte pallor vultûs nuntius mortis mihi eſt,

VI. *Rectè monentes ſequi, optimum.*





quæ ſi antè hunc diem mihi accidiſſet, profectò minùs multò nocuiſſet, quod ad tantum non fuiſſem ſeruatus dolorem, quem animo meo recens factum tuum incredibilem inuſſit, qui haud dubiè me vitam, ſiue ſtatum amittere, ſiue perpetuo deinceps longè miſerrimum viuere coget. Tu enim Dux famam virtutis habes optimis actibus collectam, quam cuncti mortales vno ore ad cælum ferunt: heu, hanc tamen ingentiſſimam (tua bona venia dictum ſit) minimè omnium conſeruandam curare videris, qui nuper datæ immemor fidei, HENRICVM, Comitem Richemondiæ, adoleſcentem innocentiſſimum carnificibus tradidiſti laniandum, diſcruciandum, ac deniq; necandum. Quocircà qui te amant, inter quos ipſe vnus de multis ſum, non poſſunt non dolere, cùm videant, celeberrimum nomen tuum, tantæ perfidiæ nota in perpetuum maculatum iri. Ad ea Dux continuò reſpondit; Tace, quæſo, mi Ioannes, nil tale futurum eſt de Henrico; illum enim Eduardus Rex ſibi generum optat. Tum IOANNES ſubdit; Mihi crede, Illuſtriſſime Dux, Henricus iam penè perijt: quem ſi ſemel tuis finibus pedem efferre permiſeris, nemo mortalium poſthac à nece poterit eripere. His Ioannis vocibus Dux motus, qui antè vel Henricum ab Edouardo fraude peti, haud ſuſpicatus erat, vel pecunia, ab honeſtate, fide, probitate deductus, quid deceret, non conſiderauerat, ilicò Petrum Landoſum, Quæſtorem ſuum miſit, qui Henricum interciperet. Petrus celeritate vſus, ſtatim pòſt Anglicos Legatos ad Fanum Maclouij peruenit, ſimulatoque negotio, dum eos longiore conſultò ſermone inſtituto detineret, per ſuos Henricum vix ſeminiuum, in aſylum, quod in ea vrbe eſt, inuiolatiſſimum, bono modo induxit, atque non multò pòſt, metu mortis liberatum, ac ob id iam ſatis confirmatum ad Ducem reduxit. Hinc equidem cognoſcere licet, veriſſimam eſſe illam Græcam paræmiam; *Homo homini Deus.* Siquidem Henricus adoleſcens, ſuo immerito ad mortem proditus, repentè opera Ioannis Chenletti optimi Principis ſeruatus eſt. Deus faxit, vt talia exempla documento ſint alijs, qui aliis præſunt, ſi qui ſint officij monitoris egentes, quo addiſcant tandem aliquando, & fidem promiſſorum ſeruare, & recipere in ſuam familiam, & concilium, qui ſciant benè admonere, & eorum monita non aſpernari. Quod Carolus Burgundio, aſpernatus eſt ſuorum, infelici fato perijt. Quod Edouardus, non fidos cōſiliarios audiuit, in immaniſſimum aliud facinus incidit. Georgium enim fratrem, Ducem Clarentiæ comprehendi ſubitò, atque in dolio vini Cretici, peſſimo in omni hominum memoria exemplo necari imperauit: territus vaticinatione hominis, falſi potius, quàm fatidici, qui prædixiſſet ità futurum, vt pòſt Edouardum, regnaret vnus aliquis, cuius nominis prima littera eſſet G. Quod quia ſic ſolent dæmones ſuis præſtigijs hominum mentes implicare, qui eiuſmodi illuſionibus delectantur, dixerunt poſteà vaticinationem illam non caruiſſe ſucceſſu, cum pòſt Edouardum, Glóceſtrenſis Dux regnum occuparit. Sanè Edouardum eiuſmodi facinoris pænituiſſe, illud certum argumentum fuiſſe pronunciabant; quod, ſi quando pro alicuius damnati vita oraretur, ſolitus eſſet inclamare; O infelicem fratrem, pro cuius ſalute nemo hominum rogauit. *Polydorus lib. 24. hiſt. Angl.* Ex eadem cauſa, quod rectè monentes vel non admiſiſſet, vel non audijſſet, in aliud incidit; ſpecie quidem vnum, re vera autem multiplex; & quod grauius eſt, trahax ſchiſmatis, & hæreſis, quæ Angliam tandem, in extremas calamitates adduxerunt.

VII. Sixtus Pontifex per totum Orbem Chriſtianum edixerat, à cunctis Chriſtianis gentibus conflandum in Turcarum principē exercitum, cuius ipſe Imperator eſſet futurus, & bellū fortiter in Turcas geſturus. Ad hanc rem modò ſibi militibus opus eſſe, ſed etiam pecunia. Itaque Eccleſiaſticorum prouentuum decimas, à totius Orbis Chriſtiani Clero exegit, tum ab his omnibus, qui plura beneficia tenebāt, integros vnius anni prouentus. Cùm antē Collectores ſui in Angliam veniſſent, atque decimam à Clero poſtulâſſent, Rex ſcriptis ad Antiſtites literis expoſuit, magni periculi, atque præiudicij hoc exemplum futurum, ſi Pontifici Romano Clerus ea in parte obſequeretur: ſimulque rationem, qua vitare Sixti offenſam, omnemque indignationem in Regem transferre poſſent, oſtendit; ſed tamen aquam in ſuam moletrinam traxit ſcilicet, vt decimam Clerus Regi concederet; Rex, Clerum Regni ſui tutaretur, & excuſaret; & ſuo, non Cleri nomine; non decimam, ſed aliquid Sixto Pontifici pro arbitrio largiretur. Re ad hunc modum cōſtituta, ex ſingulis libris, duodecim d. popoſcit; Clerus 6. d. conceſſit, & ſic Pontifici Sixto illuſit: ſed enimuerò vterq; in præceps ruere cæpit; dùm Rex authoritate, qua præſtabat, coēgiſſet, Clerum, Pontificis imperium contemnere; Clerus autem Pontificis imperia detrectans, in Regias manus ſeſe coniecerit; & tàm ſuam, quam Pontificis max. prærogatiuā prodiderit; adeoque viam ad vtriuſque contemptum, oppreſſionemque; & hinc ad ſchiſma, & hæreſes viam parauerit. *Auctor antiquitatum Britannicæ Eccleſiæ, in Thoma Bourgchieria.*

*Pro bello in Turcas pecunias conflare ſtudet Sixtus Pontifex.*

Diximùs ſuperiùs Alfonſum Regem Luſitanum in Gallias conceſſiſſe, & pacarii officio inter Ludouicum, & Carolum functum fuiſſe. Iſta vero peregrinatio, illum ex hac cauſa excepit. Ducta in vxorem Ioanna Henrici Caſtellæ Regis, vt is aſſerebat, filia, ac regnorum hærede, arma contrà Ferdinandum, & Iſabellam, Reges iam cōclamatos, in Caſtellam promouerat, atq; varia fortuna pugnauerat. Ad extremum, dum Caſtellæ, & Legionis iura, quæ ſibi in dotem cum Ioanna vxore obueniſſe, tueri, ſibique ſeruare illæſa conaretur, memorabili prælio, apud Taurū victus fuit. Ab eo tēpore, illi omnia aſperiora, Ferdinando, & Iſabellæ ſecunda erant, dedentibus ſe in horum poteſtatem oppidis, & vrbibus; nec non ad obſequium reuertentibus Proceribus, iis, qui Alfonſum accluerant. Primus Areuali Dux, Roderico Mendoza, cui præmium operæ in agro Toletano Pintus oppidum fuit, ad Iſabellam Legato miſſo, illi ſacramentum Madrigale dixit. Pro quibus ſupplicium merebatur, præmia ampliſſima retulit. ad veterem ditionem Alcantaræ Magiſterium, de quo lis erat Alfonſo Monroyo, cum Ioannis Srunicæ Ducis filio, à Regib⁹ promiſſum, datūq;. Acceſſit Beatrix Paciecha, Merellini Comes, fratre Villenio cautior, fide haud cōſtanti: Villenius etiā, cùm de eo conciliando ageretur, æquiorem ſe præbebat; videbaturq; ſupplex à Ferdinando pacem, legeſq; accepturus modò æquas, & Villena, ac viginti amplius oppidis, quæ eo tractu erant ablata, reſtitutis. Toletanus Antiſtes, qui numquam à latere Luſitani dimicantis diſceſſerat, victus tædio, nulla victoriæ ſpe, cum quadringentis equitibus ſeceſſerat, in Carpetanos, ſpecie, quaſi vacillantes procerum mentes, & mutata repentè voluntate, locum gratiæ apud Ferdinandum quærentes, in fide confirmaturus. Etiam de eo conciliando actum, Ioanne Rege Aragonum, Ferdinandum filium obteſtante, vt tantum virum bonis, maliue conditionibus placaret: inconſtantiam fortunæ vereretur, ex ſummo ſæpe retrò conuerti ſolitæ ac verò præcipitare. Prioribus meritis, quæ maxima fuerant, nouas offenſas condonaret, eo pacato, Luſitani factionem penitus debilitatum iri. Venia inter hæc Villenio promiſſa, atque ditio vniuerſa; arcibus, quæ

VIII. *Magnates, Caſtellæ Regibus offenſi reconciliantur.*

Madriti, & Caſtris Iulijs obtinebat Ferdinando reſtitutis. Idem Toletano datum; qua ſpe Lupus A cunia eius ex fratre natus Optam dedidit. Alij deindè pòſt alios, ad Ferdinandum reuertebantur, Luſitano derelicto. Iiſdem diebus, omninò, quarto Nonas Maij coniugium Ferdinandum inter Neapolitani Regis nepotem, & Iſabellam Ferdinandi filiam pactum eſt. In cultum puellæ, ducenta aureorum millia à Neapolitano promiſſa: tantundem quarta minùs parte à patre, ſi alia proles maſcula in ſpem regni eſſet ſuſcepta. Fæderis maturandi occaſio præcipua, ingens mutuæ pecuniæ vis oblata Ferdinando, magnum rebus momentum in ea rerum difficultate, ea inopia ærarij. Omninò Luſitanus ad eius rei famam, quam referentes augebant, deſperata victoria, temeritatem ſuſceptæ expeditionis, noua leuitate luere conſtituit, Caſtellaque deſerta redire in patriam. quoniam parum virium in domeſticis opibus, parum in factioſis proceribus fore prouidebat. externa auxilia conquirere parabat, Gallicaque arma in Hiſpaniam commouere; tentata tamen priùs concordiæ ſpe, controuerſiæ arbitrium Aragonum Regi, & Toletano Antiſtiti permiſſurum profitebatur. Serum conſilium, lite Martis arbitrio fermè diiudicata repudiatum. Iam IOANNES princeps Ioannam nouercam, vt extrà periculum eſſet, in Luſitaniam cum præſidio quadringentorum equitum abduxerat, belli cauſam. Ergo & ipſe Alphonſus triſtis, atque re malè geſta deformis in Luſitaniam abſceſſit; Indè Oliſippone ſoluens, primùm in Africam duo millia, & ducentos milites, Tingi, Angillæque præſidium deportauit: ac ſepta ſoluens, Illiberim tenuit; mox Perpiniani, & Narbonæ Regio cultu exceptus, pedeſtri itinere Turonum, vbi Rex Gallus erat, contendit. Splendidè acceptus, atque habitus, die conſtituto ſecundùm ſalutem hac ſententia locutus fertur: *Cogor priùs oneri, quàm vſui eſſe, quo nihil moleſtius in vita accidit. Sed huius tamen noſtri regni rebus gratorum ſociorum officio functi ſæpè, manus tamen, officiumque noſtrum veſtris meritis minus fuiſſe ſcimus, fatemurque. Hæc mittantur. Eſt enim fœda meritorum miſeris in ærumna iactatio. Nullæ mihi cum Rege Siculo inimicitiæ ſunt, niſi, quæ publicæ: nec gentem Aragoniam, ſed ſcelera, ſed latrocinium proſequimur. Ereptus Ioannæ ſponſæ ex ſorore natæ paternus Principatus, opeſque, proh dedecus, indignitatemque omnium gentium armis vindicandam. Sic eſt cælitibus viſum, triſtes ſæpè caſus ſolitis læto exitu mutare. Quod in tua manu Rex inuictè ſitum eſt. Tu iuſto, pioque dolori mederi vnus potes, & in noſtris malis veſtras etiam iniurias vindicare, bellum Ruſcinonenſe, & Cantabricum optato exitu terminare, Vaſcones è faucibus eripere auidiſſimi tyranni. An eo imperio occupando, rationes defuturas creditis ei, qui dotale imperium armis inuaſit eripuit, oppreſſit, nullo commodiori iure? An facultatem, Caſtellæ, & Aragoniæ præſidijs circumceſſo, regionibus modicos Erratis, ſi vllis finibus ambitionem reſiſtere putatis. Scimus auro, & lectiſſima pube Galliam abundare; neque vniuerſæ quamuis Hiſpaniæ collatas vires, pares vmquàm fuiſſe. Neque nos ità deſtituti ſumus, tametſi ſupplices veſtram opem imploraturi, tantum laboris ſuſcipimus. Superſunt integræ Luſitani regni opes; in Caſtella ſtudia partium partim aperta, plura cùm vſus erit, & victoriæ ſpes maior eruptura. Veſtris tantùm auſpicijs bellum, quod iam eſt inchoatum, geratur. Nihil vanitatis in noſtra oratione eſt: & alioqui ſupplicibus Regibus opem ferre, malis publicis mederi, commodis omnibus, ſi nulla oſtenderentur vt ſunt maxima, honeſtatem, dignitatem, officium præferre, quorum niſi magnorum Principum, quales vos eſtis, munus eſt?*

*Rex Luſitaniæ à Galliarũ Rege auxilia petit.*

IX. Ad hæc LVDOVICVS Rex pauca; ſibi id curæ fore reſpondit, daturumque operam, nè fruſtrà ad ſuam opem confugiſſe videatur. Verbis cum facta non reſponderent, Lutetiæ, quo diſceſſum fuit, vrgenti Luſitano, belli gemini neceſſitatem apertè excuſauit, cum Burgundo, Angloque inſtaurati, ac maiori erumpentis impetu. Præterea, lege propinquitatis irrito inter Alphonſum, & Ioannam coniugio, pia arma non fore. Priorem difficultatem, vt amoliretur Alphonſus, ad Burgundionem cognatione propinquum, nempè amitinum, & fœdere iunctum, pacis vniuerſæ interpres acceſſit: nullo feliciori conatu. Secundam ſibi fore apud Summum Pontificem curæ dixit, nihil tamen obtinere potuit, omnibus Superis Ferdinando fauentibus. Remanebant & huic nonnullæ ſuperandæ difficultates. Alphonſus frater, qui trecentorum equitum præſidium adduxerat, repetebat Calatrauæ Magiſterium annis ſuperioribus ablatum, neque magna, neque nulla ſpe. Nam Gironios conciliandi, præcipua Regibus cura erat. Huic obiecta Eleonora Sota, Iſabellæ obſequijs addicta, quam cæperat, æger mora, impatientiaque adamare. Profeſſa viro caſtitas impedimento fuerat, nè vxorem acciperet. Ergo procurante FERDINANDO SIXTVS Pontifex ea lege hominem abſoluit, is verò quamuis inclinata iam ætate vir eam vxorem duxit. Sic optimo ſanè publico ambitio importuna de Magiſterio ſublata eſt. Alteram importuno tempore contentionem de Diui IACOBI Magiſterio, Iſabellæ prudentia compoſuit. Rodericus Manricus Paredius Comes, Diui IACOBI Magiſter menſe Nouembri deceſſit Vrceſiæ, præclaris maioribus egregius ipſe, Oſca in Baſtitanis capta annis ſuperioribus magnam adeptus famam. Corpus ad aram templi maximam eo in oppido ſepulchro illatum, ſupremuſque honos defuncto eſt habitus. Optimi parentis obitum GEORGIVS Manricus, nænia eleganti deplorauit; in qua multę poeticæ virtutes inſunt, clara ingenij, & ſententiarum lumina. Aemuli mortem Alphonſus Cardenas ſuam occiſionem facturus, Vrceſiam petere conſtituit, armato milite formidabilis, vim adhibere paratus, ſi morarentur ſpem honoris adipiſcendi Tredecim viri, quorum eæ partes erant, ad Comitia conuentu facto. Multis alijs proceribus bonis malis artibus eum honorem ambientibus, nè res ad arma deduceretur, periculum erat. Eo metu, an ditionis ampliſſimæ auiditate, inter FERDINANTVM, & ISABELLAM conſilia Tauri agitata. Armis vim coercere longum erat. Ad artes conuerſis animis, FERDINANDVS Tauri ſubſtitit; Iſabella Ocaniam, Vrceſiamque contendit feſtinatione tanta, vt tridui itinere Valliſoleto, Vrceſiam peruenerit. Suaſit militibus, vti concordiæ ſtudio, ſe Ocaniam ſequerentur; nobilis municipij amplitudine tutiores ad decernendum futuri, multis exemplis in Magiſtri Palatio comitijs celebratis. In eo oppido, via ſermonum miniſtris, Fonſeca, Abulenſi Epiſcopo, & FERDINANDO Aluaro Toleto à ſecretis Reginæ eos hortata eſt, vti vitandis tumultibus eum Ordinem conſenſu ROMANI PONTIFICIS, FERDINANDO REGI adminiſtrandum ad tempus permitterent. Sanandis militum voluntatibus, reuocandaque concordia, haud minori auctoritate opus eſſe. Re deliberatâ, milites Reginæ poſtulatis annuerunt, parata multorum aſſentatione. Plerique non tàm certa obſequendi voluntate, quàm excludendi, deijciendique aduerſarios; quæ magna, ſed frequens Comitiorum labes eſt. Id initium fuit, militum eorum potentiæ imminuendæ, exemplum, quod ad Calatrauæ, & Alcantaræ Ordines breui

*Eidẽ Galliarũ Rex ſubſidia promittit, ſed non mittit.*

*Iſabellæ Reginæ Caſtellæ prudẽtia, ſedatur contentio.*

eſt pro-



eſt propagatum. tametſi Alfonſo Cardenæ paulo poſt datum eſt, vt Ordinis Magiſter eſſet, magna multorum Procerum offenſione, vnum ſibi prælatum dolentium, nullis meritis, neque comparanda familiæ nobilitate. Præter hæc Ferdinandus, ſuadente Pontifice Maximo, bellum Ruſcinonenſe, & Ceretanum, factis cum Ludouico Rege inducijs intercepit: Vaſconum motus, qui magno impedimento ad res gerẽdas fuerant, feliciter, compoſuit: ac nè quid ad maiora affinitatis vincula, adeoque ad patientiam augendam deforet, patri Ioanni Regi, vt Ioannam filiã, Ferdinando Neapolitano Regi deſponderet, perſuaſit, vtque id à Summo Pontifice probaretur, legibuſque propinquitatis ſoluerentur, obtinuit. Non ommittendum eſt, qua modeſtia Ioannes Rex & Ferdinandus filius modo in congreſſu certauerint. Victoriam, menſe Auguſto conuenerant, de rebus communibus deliberaturi. Nullus dies iucundior ſeni accidit. Maximum vitæ fructum cepit, cum filium aſpexit, vndè ipſe fuerat ereptis bonis omnibus cum ignominia reiectus, Caſtellæ Regem effectum. Et ô ſuperi, *inquit*, vt huius diei lætitia propria ſit, facite. Nulla moleſtia obſcuret, nulla calamitas. Et quoniam fortuna ad ſummum perducta, retro volui conſueuit, date, vt mutationem eius ipſe potiùs priuatim, ſi quid eſt peccatum, ſi vindicare paratis, ſentiam; quàm publico incommodo, aut filiorum calamitate luatur. Hæc lachrymis toto ore manantibus precatus, in filij complexum ruit, primum honoris locum deferens. Prohibito dextram deoſculari, ad læuam aſſidens, atque ad hoſpitium vſque comitatus. Conſtituerat & Aragonum imperium illi de manu tradere; quod in ea ætate veriſimile erat otij cupiditate tentari. Cæterum Ferdinandus reſtitit, paternæ maieſtatis reſpectu. Æqualem modeſtiam lego, in Ioanne Principe Alfonſi Regis Luſitani filio. Alfonſus cum in Galliam, pudorem magis, quam damnum ex bello Hiſpanico grauiter ſentiens, ad Ludouicum diſceſſit, Regni adminiſtrationem Ioanni conceſſerat. Aliquanto tempore domo aberat primum in Africam, deinde in Gallias, hinc in Lotharingiam, poſtea Lutetiam profectus. Longior mora illum poſtea detinuit, quando Lutetiæ ſubſiſtens, cum inanibus pollicitationibus, & Ludouico Rege admodum indignis modis tempus paulatim diſtrahi intelligeret, ac præterea ſuſpicaretur, ne inſidioſe ſecum ageret, & aduerſario ſuo Caſtellæ Regi ſe cogitaret prodere; mutatis ſubinde veſtibus ne agnoſceretur, tribus tantum comitatus, in viam ſe dederat, Romam, vt ibi monaſticum vitæ genus amplecteretur, profecturus: atque ex itinere à Robineto Normanno retractus, & à Ludouico Rege, quem facti puduerat, naui impoſitus, non in Luſitaniam, quo Ludouicus reduci iuſſerat, ſed Hieroſolymam priuati hominis habitu ire conſtituit, quo Rex olim cum potenti exercitu ire decreuerat: vt quoniam bellum hominibus pro ſua dignitate inferre nequibat, pacem à Deo flagitaret. Cumque à ſuis aliquotque nobilibus Gallis, qui ſtatim eum inſequuti, diligenter quæſierant, inuentus, à proſequendo itinere diſſuaſus iterum corporis, animique laboribus afflictatus grauiter, fuiſſet reuerſus: nihil iucundius fuit optimo filio Ioanni, iam Regio non minus titulo, quàm auctoritate imperanti, quam integram Regiam poteſtatem, quaſi mutuo acceptam parenti redonare. Neque vllis vel imperijs, vel ſupplicationibus potuit à patre impelli, vt ſaltem Luſitaniæ Regis titulum conſeruaret, dum ipſe Turdetanorum, atque Africæ regno contentus, vitam in ea domanda, quod maxime exoptauerat, conſumeret. Ioannes enim in ſententia perſtitit, identidem aſſeuerans, maius ſibi oblectamentum afferre parentem in Regnum, & patriam reſtitutum, quàm ſi ſolido mundi imperio potiretur. *Mariana lib 24. Surita lib. 19. Comineus lib. 7 Vaſconcellius in Alfonſo V.*

*Ioannis, & Ferdinandi Aragoniæ Regum modeſtia.*

X. Non tanta in patrem Regem reuerentia, neque tanta publicæ rei cura, neſcio cuinã Regio filio, quam *Cardinalis Papienſis* innuebat. Iſta habet in epiſtola, ſcripta Cardinali Mantuano. Fuga Regij filij, ſiue Cyprum ſpectet, ſiue infidelem Soldanum vera item ſit an affectata; non poteſt non ad auertendos à Turco Venetos pertinere. Malè conciliatæ voluntates, & artes Hiſpanicæ, quid illis trepidi non afferant? Sed funeſtum conſilium intercipiat Dominus, impiarum cogitationum ſemper inſpector. *epiſt 648*. Fortè indicabat Ferdinandi Regis Neapolitani illum nothum, qui contra Catherinam Cornaram, Reginam Cypri, opponebatur à Ferdinando, deſponſa notha filia Iacobi Regis Cypri, nuper defuncti. Verebatur, nè is Cyprum, ſe conferret, ad res Venetorum tutelæ commiſſas perturbandas; neue Soldanum Ægyptium, quod Iacobus pridem fecerat, in ſubſidium contra Venetos euocaret; eaque propter Venetos à bello Turcico auerteret. In eadem epiſtola memorabat Papienſis, fugam ex vrbe Deſpoti minoris; de quo cum adhuc Romæ eſſet, & lamentantem illum audiret, quod ad arbitrium non paſceretur, eius inertia planè vaticinatus fuerat, quod accidit; abiturum illum ad Turcos, quo iam dudum infidelis natura, & inexhauſta cupiditas rapiebat. Suadebat ſubinde; Si fides, *inquit*, eſſet tenui Cardinali, ſuaderem quoque penſione adempta, maiorem emitti, vt vbiuis locorum eſſet, quam Romæ. Credo, quã inter ſe ambo erant coniunctione, ſine fratris conſilio à Chriſtianis fratrem non defeciſſe. rurſum futura poſt hac inter eos per nuncios ignoratos commercia, plus innatæ perfidiæ, quam commodorum noſtrorum habentia. Honore Cardinalibus pari annuaque pecunia noſtra, eaque non leui, apud nos retinebitur, qui pro Turco, quæ agentur, exploret, & in eandem ſpurcitiam ſe tandem conferat. Iſta *Papienſis*. Neſcio, an Andræam Palæologum, Peloponneſij; an Leonardum Toccum, Epyri, Deſpotas indicabat; quos auitis ſedibus, & Imperijs eiectos, Sixtus Pontifex honeſtiſſimis ſumptibus, Romæ, quò confugerant, aluit. Hos enim in Vrbe fuiſſe, memorat *Ciacconius in Sixto IIII.*

*Ingratitudo quorũdam.*

XI. Excepit etiam hoc anno, die XXX. Aprilis, *Sixtus* Pontifex, N. Ducem Saxoniæ cum quadringentorum equitum ſplendido comitatu, voti ſoluendi cauſa Romam ingreſſum. In Apoſtolico Palatio hominem hoſpitio habuit, multiſque donarijs cumulauit. *Infixura in notis diarijs Romanis.*

*Dux Saxoniæ honorificè à Sixto PP. excipitur.*

XII. Eodem anno poſtulata diuerſorum Regum, qui Cardinales optabant creari, Sixtus audiuit: & tandem poſt multam deliberationem, ad XV. Cal. Ianuarij nonniſi quinque renuntiauit. Septem nominauerat, quos ſe promoturum affirmauerat; Lugdunenſem Archiepiſcopum, F. Petrum de Fuxo Minoritam, & Oliſſiponenſem, & Ioannem Heſler Prothonotarium: in quibus fugiendas eſſe quotidianas Principum moleſtias dicebat. Primum Gallus, alterum Aragonij, tertium Luſitanus, quartum Imperator proponebat. Tiraſonenſem, Vrbinatem, & Patriarcham vt ſuos volebat. Neapolitani Regis pro filio, Galeazij Ducis pro fratre petitiones ad curam Cardinalium remittebat. De nepote Recanatenſi nulla prorſus mentione facta, commodius tempus expectabat. Non deerant ex Cardinalibus, qui re in medium propoſita decernerent, numerum minimè expedire augeri, ſolum Lugdunenſem creari, poſtquàm res Gallicæ promiſſa Legati ità expoſcerent: nihil neceſſitatis in Fuxo; Oliſſiponenſem dari Regi in præſens inopi, & mendico, vnde Hiſpa-

*Cardd. creati à Sixto Pontifice.*

ni po-

ni potentis, & victoris animus irritetur, ſtultum eſſe, in Heslernon defuturas legitimas ad innectendum moram excuſationes. In tribus alijs, neque paucitatem Patrum, nouam ſuffectionem expetere, neque alienam gratificationem accedere: imo diſcrimen apertæ offenſionis Reipublicæ Venetæ intercedere, propter Patriarcham, quem non vt Venetum, ſed vt ſuum habere Pontifex in animum induxerat. Pòſt multas in Senatu conſultationes, tandem quinque renunciauit, quorum hæc nomina fuere.

Georgius Coſta, Luſitanus, Archiepiſcopus Oliſſiponenſis presb. Card. tt. SS. Marcellini, & Petri.

Carolus Borbonius, Archiepiſcopus Lugdunenſis, & perpetuus Adminiſtrator Archiepiſcopatus Burdegallenſis, presb. Card. tt. S. Martini in Montibus.

Petrus Ferrici, Hiſpanus Ciuis, & Epiſcopus Tiraſonen. presb. Card. tt. S. Sixti.

Ioannes Baptiſta Mellinus, Romanus, V.I.D. ex Canonico Lateranen. Epiſcopus Sutrinus, & Neſinus, pòſt Vrbinas; presb. Card. tt. SS. Nerei, & Achillei.

F. Petrus ex Comitibus de Fuxo Ord. Minorum, electus epiſcopus Venetenſis. Diaconus Card. SS. Coſmæ, & Damiani.

*Ioannes Petrus Arriuabenus epiſt. 661. Onuphrius in Sixto IV.*

XIII. Deliberationi Senatus Apoſtolici ſubmittebatur, id temporis, Cardinalium creatio; cùm Pontifices ſuffragia Patrum exquirerent. Iſtud porrò negotium, quantum moleſtiæ Patribus afferret, Cardinalis Papienſis cuidam amicorum ſcribebat. *In aurem hæc audi.*

*Ea creatio Senatui Apoſtolico permoleſta.*

*Soli tibi epiſtola loquitur. Quid non etiam incommodi in parturitione, quam ſuades? Affui ſæpius. Nulla die, nullis horis non ſuſpirata abſentia. A Principe incha; quid non illi moleſti? Accerſiris ad ſe. Sententia tua in ſuam expoſcitur. Si negas; odio es. Si tribuis; publica lædis. Omnis ſuſpenſio, eſt illi aperta negatio. Deſcende ad Patres. In certamen te quiſque hortatur, omnes in prælio deſerunt. Tentat alter, vt fallat; iuuat alter, vt noceat. Nullius non inſidioſus conatus, & ſermo. Criminationes interim multæ, & delationes, & Zelotypiæ, & curæ, atque vt plus noſcas inexpiabiles aliquando offenſiones. Generatim hæc memoro: ſed bone Deus, quam longum ab his malorum agmen conſequitur? Tranſi ad candidatos. Hic verò mel, & delitiæ. Quotidie domus eſt plena moleſtijs; non menſa, non quies, non cubiculum ſtomacho vacat. Proterue nimium petitur, impudenter ambitur, importune recurritur, iracundè quoque excipitur; quicquid id eſt, quod modeſtius paulo reſponderis. Si non ſpondeo, illico is ſum, qui obſiſto. Si ſpondeo, nec præſto, quod dico, Inimicitiæ Principum, ipſorumque actutum paratæ. Opus iniquius toto Cardinalatu non tracto, minorque mihi eſt de Pontifice, quàm de Cardinali creando anxietas. His ſollicitudinibus, quantò dierum plus adimo, tantò animi tranquillitati adiungo. Sed hæc quoque audi, & tace. Non ſit tandem, vt ſcis, niſi quod cupit, qui poteſt. Inanis eſt aduerſa contentio. Multa eſt eius poteſtas, ingens noſtra cupiditas. Vbi huius vel illius famelici Cerberi, horrere videt iam colla colubris; ſtatim.*

> *Melle ſoporatam, & medicatis frugibus offam*
> *Obijcit, ille fame rabida, tria guttura pandens*
> *Corripit obiectam, atque immania terga reſoluit*

Ita mi Frater

> *Fuſus humi, totoque ingens extenditur antro.*
> *Occupat Æneas aditum cuſtode ſepulto*
> *Euaditque viam celer irremeabilis vndæ.*

*Præſens ego declinare, quæ damno, non poſſum. Cordi his eſſe intelligo, quibus ſum pugnando inferior. Offa quoque aperire guttur, nec olim iuuenis nec nunc ſenex inſtitui. Id boni aſſequar longiorem parturitionem deuitans, quod parturientis eiulatus tamdiu non audiam, animuſque tanto offendam, quanto diu minus parturienti non obſequar. Vale. Senis 7. Nouembris 1476. epiſt. 658.*

Hæc Papienſis dolebat. Præterierat illum id temporis Sixtus Pontifex, in collatione Eccleſiæ vel Albanenſ. vel Portuenſ. quæ tum viduatæ fuerant, & primo Presbyterorum conferebantur. Id verò quàm moderate tulerit Cardinalis, Caurienſi Epiſcopo ſcripſit, dignam epiſtolam, quæ à Cardinalibus, ijs præſertim, qui non multa apud Pontificem aliquem gratia, legatur. Ita habet.

XIV. *Iniuriam ſibi illatã moderatè fert Card. Papienſis.*

*Dubitare videris, mi Caurienſis, nè Albana, vel Portuenſis Eccleſia punctura ſit cor, quod primo presbytero Patrum conſuetudine debita, illo præterito data ſit proximo. Dubitationem hanc tolle. Nec pupugit, nec punctura eſt cor. Aculeos illa non habet, & benè tectus ego ſum armis. Nocere quidem alij poſſunt, mihi ipſi nocendum non ſtatui. Vſus, litteræ, & ætas ſatis ad quotidiana me inſtruxere. Ea ſi vt noua, & viſa numquam admirer, non hoſpes modò, & peregrinus apud Apoſtolicam ſedem, ſed pene ſim puer. Iterum dico, ne time. Tantum abeſt, vt mæream facto, vt etiam quòd ità ſit factum propter expectatum non venerit. Audi ſic recenſentem, non te fallam in vera ſententia. Erit idem mentis, oriſque iudicium. Abſentium, quod vidiſti, ſæpè rara eſt recordatio. Vulgato iam prouerbio, habentur illi pro mortuis. Oculorum quidem acer eſt ſenſus, aurium hebes. Quòd tot olim Patribus, me teſte, & inſpectore, iam contigit egregia virtute præſtantibus, infrà illorum merita poſito inſolitum eſſe non debet: quodque illi forti animo pertulere, pudor eſt, hoc ætatis Sacerdoti fracto, molliue accipere. Multum in omnibus exempla nos leuant, malumque commune ſocietate ipſa ſit lenius. Noſtræ conditionis exſortem me nolo, minuſque recuſo cum ſumma virtute exemplis iis iungi ſenſato Cardinali cùm vrbem egreditur, aut volens, aut miſſus. Expectandus hic exitus eſt, atque hæc cogitanda, quæ dico. Hæc eadem cogitaui ego & expectaui, præſentis annis & præteritorũ ſeceſſibus. Prauiſorum autem incommodorum ſemper eſt minor offenſio. Sed conſuetudinẽ tranſi, argumentum aliud vide. Nil mihi Pontifex debet; viribus ſuis, non meo ſuffragio ad Pontificatum aſſumptus. Innumera ego ſuæ beneficentiæ debeo, piè, gratiſque accepta. Eſt moleſtum ab ijs non impendi, quibus ſit ante impenſum, datorumque obliuio illos potiſſimum torquet, qui dediſſe ſe ſentiunt. Non igitur in nullis meis obſequiis tàm mihi conuenit expectare, tàm non de acceptis dolere, quàm de iam habitis gratias agere. Quæ dedit Sixtus, ſunt grata, quæ negauit, non grauia. Adde, quòd rerum, & temporum ratio cogit aliquando Pontifice eſſe, quod nolunt. Neapolitanum confer, & me: Videbis ab illo omnia à me nulla poſſe præſtari. Gratia ille apud vicinum Regem plurimùm valet: neceſſitudine quoque iunctus ijs eſt, à quibus Rex ipſe ſumit affectus. Mihi, quid tale, qui nec ſuffragio Principum creui, nec illorum patrocinio ſum gloriatus, nec niſi Romanam Sedem in hanc diem aſpexi. Quod ſola vires Cardinalis exigui poterant, hoc ſperari licebat de me. Quod Neapolitanus poteſt, & ſui poſſunt, & Rex poteſt, expectari de illo merito debuit. Prouide igitur Pontifex, maiores minoribus in dando beneficio præferens; non improuide ego, indignandum non cenſens, quod vberiori Eccleſiæ fructu is mihi collega ſit ſolo loco prælatus, qui anteferri meritis omni tempore debuit. Sed aliam Patris noſtri neceſſitatem attende, non à me modo, qui diligo, & debeo, ſed à minus amantibus, minuſque debentibus merito agnoſcendam. Dederat, vt audio, Cardinalibus duobus prima vacatura domus diplomata, Neapolitano huic noſtro, & Malphetanæ vrbis Legato, quæ vno, eodemq; tempore ab vtroque prolata, anxium illum habebant. Repetebat ab ijs defuncti Bononienſis domum Neapolitanus, ab iiſdem & Malphetanus. Priorem iuuabat poteſtas, quam dixi, & gratia. Poſteriorem adita poſſeſſio iam, & vita quotidiano in diſcrimine poſita, quod peſtilenti anno Legationem non deſerat. Satisfacere eadem res ambobus non poterat, & de eadem tamen præſtanda, ambobus erat ſcripta, & vulgata iam fides. Mihi nec Albana, nec Portuenſis promiſſa erat Eccleſia; nulla inde data diplomata. Quid agere in his anguſtijs Patrem clementiſſimum decuit, aut cui iuſtius debuit? vel Neapolitano compenſatione eius Eccleſiæ de domo fidem perſolui, vel Papienſi nihil repoſcenti, vltro beneficium fieri? Maior certè, ni fallor, ſeruandæ fidei, quam augẽdi meriti fuit neceſſitas.*





*Collega quoque mei in eandem ſententiam ſi conceſſere; ipſa hæc illis, quod puto, & alia, quod non dubito, cogitatio affuit ſperabat ſibi tunc quiſque, quod habuit; mutatione rei vnius mutari poſſe ſuam putabat. Ad conſilium ventum ſic eſt, vt aſſequendi, ſpes, & amittendi per moram timor, procliuiorem ad decernendum conſenſum effecerit. Ità cum non mihi illorum, non Pontificis defuerit charitas; alterũ tantũ permouerit fides, alteros ſua res magis, quã mea, quid lamenter nõ culpa mea me, ſed aliorum iuſta neceſſitate præteritum: Verùm deſcende mecum interiùs, atque, ab imis, vt aiunt, medullis rem totam ſcrutare. Vir es ætate noſtra doctiſſimus, quem nec vana ratio, nec tecta fallere poſſit ambitio, Quæ oro per Epiſcopatum Albanenſem commodis meis, vel honoribus fiebat acceſſio? Titulum, vt ſcis magis habet ille, quàm rem, & ego Papienſis Epiſcopus fieri Epiſcopior, per Albanenſem non poteram. Nouus ordo noua ſacra non dantur. Primò accepta plenum, perfectumque Epiſcopatus ius afferunt. Si nec magis Epiſcopum, vtique nec magis Cardinalem. Si neutrum magis præſtabat, quid bonus homo, & prudens, inani titulo ſe poſthabitum doleat: Ità in Senatum admittar, vt antè. Ità erit ad conſulendum locus, vt antè. Ita mei presbyteri, vt prioris Epiſcopi vox numerabitur. Conſimilis geſtabitur pileus, conſimilis veſtis. Eadem nec obolo minùs expileo emolumenta prouenient. Præſidere autem ſubſellio vno, aut altero, & dextro latere, non læuo incedere, apud Chriſtianos quidem ſi cupiatur, vani eſt hominis, ſi quæratur, elati, Si contendatur, amentis. Notati in Euangelio ſunt Domini voce, qui dilatãt philacteria ſua, & magnificãt fimbrias, quiq; amant recubitus primos in cœnis, & cathedras primas in ſynagogis, & ſalutationes in foro. De Primatu ipſo contendentes diſcipulos acriter ille increpuit: ipſe verò expetitus quæſituſq; ad regnum, fugit ſolus in montem, nè ad id raperetur. Humiles ſpiritu ſaluat, & oculos ſuperborum humiliat. Honore, inquit Apoſtolus, inuicem præuenientes, & nihil per inanem gloriam: ſed in humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes. Cuius præcepti nos imitatores, qui Apoſtolorum typum tenemus, venienti ad ſuum ſubſellium Cardinali, religioſa conſuetudine noſtrum ſemper innuimus. Quod totiens ego Neapolitano inferiori iam innui, & obtuli, à Pontifice datum non patienter accipiam? mentitumque illi me tanto tempore falſis nutibus doceam? Inſaniæ huius crimen compos mentis numquam ſubibo. Exaltatum non eſt cor meum, neque elati ſunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, & mirabilibus ſupra me. Immeritus aliquis, qualem aliquandò noſtra ſors habet, ſi mihi eſſet prælatus, plena forſan res ſtomachi potuiſſet videri: ſed cùm prælatus collega ſit, nobilitate inſignis, vita egregius, doctrina præſtans, cuius menſura omnis longè meam excedit, quid triſter redditam meritis eſſe ſuam mercedem: præſertim cùm recuſauerit diù, locumque ineptæ conſuetudini debitum diu à ſe deprecatus, amico Papienſi illum optârit. Coniuncta erunt ſubſellia noſtra, vt priùs. De familiari colloquendi, & ſuſpicandi, & iocandi, & ridendi quoque conſuetudine nihil quoque mutabitur. Omninò nulla veteri voluptati decedent. Nouo lucro hoc inprimis accedet, quòd in dicendis ſententijs vno plùs monſtratore erudiar, & in lumine ſapientis Patris perſæpè lumen videbo. Grauia etenim, quod noſti, ſunt ſua conſilia; plena ſemper virtutis, atque doctrinæ. Si affuiſſem Senatui illi, nemo me anteiſſet ſuffragio, vt quinquennio antè, Portuenſem Epiſcopum, tunc Diaconum Cardinalem, non ſum indignatus ab vltimis ſubſellijs ſententia mea mihi præferre; ſic nunc presbyterum amantiſſimum, gratia diuturna coniunctum, dolenter paſſus non eſſem à proximo excitatum vltrò præponere. Habeat, quod datũ eſt benedicente me, atq; lætante, ſo tuetque Dominus honoris huius aſcenſum. Ego decreta Pontificum, & Senatus, vt reuerẽter, patienterque accepi ſemper, ſic & præſens libenter accipio, Sublimis poteſtas hæc eſt, à Domino ordinata. Sublimiori poteſtati ſubditos nos eſſe iubet Apoſtolus; quia qui illi reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit; & qui reſiſtit, damnationẽ ſibi aquirit. Obedio dicto, non blaſphemo, non litigo; quin & factũ laudo, & probo. Ipſum verò Neapolitanum curarum mearum ſemper interpretẽ, dolorum aliquandò conſolatorem; perpetuas verò conſortij noſtri delitias, meo nomine complectere gratulans. Imprimiſq; ſolare, quòd quantum ex litteris tuis, & ſermone tecum habito intelligo, angi ob eam cauſam videtur; quod apud me, ignaroſque ſuæ recuſationis, & extortæ per Pontificem obedientiæ fidem, & modeſtiam eius veniſſe in iudicium timet. Timere deſinat; apud me quidem non venit. Multitudinis autem imperitæ nulla illi ſit curæ; ab ea enim nemo ſapiens vmquam pependit. Ego illum veniens affectu toto complectar; venerabor Epiſcopum fraternitatem ſeruabo, honorum ſuorũ ero fidus adiutor: ſollicitus ſemper iuxtà eiuſdẽ Apoſtoli verbum ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus ſpiritus, ſicut vocati ſumus in vna ſpe vocationis noſtræ. Scribant abſenti, qui volunt, præſenti loquantur, qui cupiunt; ab hac mente non excidam, illud Comicum identidem repetens, Valeant, qui inter nos, diſſidium quærunt: Quin & te oro, pater, vt quando ad teſtandam tibi hanc animi lenitatẽ, præſentem dictaui epiſtolã, & manu mea deſcripſi, tu quoque ad eandẽ alijs probandã, hanc ipſam mei amantibus, ac nõ amantibus paruis, & magnis, Pontifici quoq;, & Patribus, ſi ità videbitur, legas, tranquillitatemq;, quam dico, intrepido iuramento confirmes. Promitto enim, nec tu periurus, nec ego mendax inueniar. Vale. Senis. III. Auguſti. M. CCCC. LXXVI. epiſt. 649.*

XV. Memorabat Papienſis, Sixtum dediſſe vnam domum duobus. Tàm liberalis fuit enim, vt nulli prorſus negare quicquam ſciret. Vndè plurimis eaſdem gratias importunè rogantibus ſæpè conceſſit. Qua de cauſa, vt litium, & diſcordiarum initia, & occaſiones tolleret, ſubſignandis libellis: Ioannem Montemirabilem virum in aula exercitatum, & induſtrium, ſeueriorisq; ingenii præfecit, qui non ritè conceſſa inducere poſſet. *Panuinius in Sixto IIII.* Quamquam autem ſumptus ingentes in bellum Turcicum faceret, & pecuniis valdè egeret, Ferdinando tamẽ Regi Neapolitano, annuum cenſum nondum diſſolutum, hoc & ſuperiore anno remiſit. *Panuinius ſup.* Conceſſit etiam hoc anno, ad præces eiuſdem Ferdinandi Regis, Eccleſiam Capacienſem, & monaſterium S. Petri Ebulitani, Ord. S. Benedicti, in diæceſi ſalernitana, Cardinali Auxienſi: tantiſper donec decerneretur de fructibus Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ, cuinam deberentur. Enimuerò Sixtus, eam cathedram Alfonſo Regis Aragonum filio, quòd non maior eſſet quinque annis negauerat, & adminiſtrationem illius Cardinali Auxienſi commiſerat: data etiam facultate, omnia beneficia in eadem diœceſi conferendi. *Ludouicus Lellus in hiſt. Eccleſ. Mentis Regalis.*

*Sixtus Papa petentibus, nihil negat.*

XVI. Hoc anno, menſe Ianuario, aquis abſorptus eſt ager Romanus. Creuit ex omnibus Tyberis; ſexta die menſis aluei ſummam æquauit, ſeptima effluxit, octaua in ingentem altitudinem venit, & diebus aliquod continuauit. Serpentum vis ingens delata in mare, ex cauernis, agriſque excita, ac rapta. Prata, quæ ſub Vaticano ſunt, æquè, ac alueus erant plana, & plena. Porta Adriani fluctibus in eam delatis, inferri quicquam, efferrique non potuit. Via ad Pontificem obſeſſa iri in Senatum per Adriani molem oportuit. Cellaria penè omnia humiliori parte vrbis depreſſa iacturam ſenſere. Intrà Apoſtoli Pauli ædem ad primum ſummi altaris gradum aqua conſcendit. Niues artiores, diuturniores imbres, diluuium Romæ maius in ſexaginta annis meminerat nemo. Timebant omnes tempora Noë, delerique iterum, quæ ſunt ſuper terram credebant. *Papien. epiſt. 641.* Secuta eſt peſtis ingens, in vrbe: quam cum fugeret Sixtus, & Roma diſceſſiſſet, Legatum pro ſe reliquit Cardinalem Malphetanum, *Infixura Sulp.*

*Ager Romanus aquis Tyberis abſorbetur.*

XVII. Propagabatur hoc anno, à F. Prædicatoribus, Coloniæ, deuotio, & Sodalitas SS. Deiparentis. Eam Alexander nuncius Apoſtolicæ Sedis, Foroliuienſis Epiſcopus, ad præces Friderici Imperatoris, dato iſto diplomate confirmauit.

*Roſarii ſodalitas à Pontificio Legato confirmatur.*

*Alexander Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia, Epiſcopus Foroliuienſis cum plena Legati de Latere poteſtate, per totam Germaniam Nuncius & Orator. Vniuerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus, præſentes litteras inſpecturis, viſuris pariter, & audituris, ſalutem in Domino ſempiternam.*

*Et ſi glorioſos cæleſtis Curiæ conciues, & Sanctos, imò & Eccleſias, & ſacra loca, ſeu Fraternitates laudabiles ad ipſorum laudem, & honorem inſtitutas, maximo, non immeritò deuotionis fauore venerari debeamus, vtpotè qui eorum patrocinijs plurimum indigemus, ſingulariſſimè tamen Dei matrem virginem Mariam,*

*omni laude digniſſimam (quam etiam Filius, nihil ei negans honorat) eiuſque Fraternitatem, vel loca ſummo ſtudio, ſummis affectione, atque ſumma diligentia, inſtanter, & inceſſanter amplecti, venerarique tenemur. Sine ea ſiquidem, deuoto teſtante Bernardo, nil poſſumus, ſine ea miſeri ſumus; ſine ea factum eſt nihil. Vt igitur eiuſdem Beatiſſimæ Virginis Mariæ laudabilis Fraternitas de Roſario nuncupata, in ſola bonorum operum exercitatione, per Fratres Ordinis Prædicatorum in Colonia nuper, certis ſub limitibus, ad maximam huius Virginis laudem, & gloriam, & multorum ædificationem ſalubriter inſtituta, ſeu potius renouata (quia per Beatiſſimum illius primùm Patrem Dominicum legitur prædicata, licèt ad tempus neglecta fuerit, & obliuioni tradita) firmior, & ſecurior habeatur, necnon indies augeatur eoque libentiùs Chriſti fideles, eiuſdem virginis confratres effici concupiſcant, quò in præfata Fraternitate donis cæleſtis gratiæ vberius conſpexerint ſe fore refectos, moti ex ſingulari ad eam deuotione (in quam recipi, atque inſcribi volumus, atque petiuimus) piis etiam ſupplicationibus Sereniſſimi Romanorum Imperatoris Friderici III. ſemper Auguſti ſuper hoc inclinati, præfatam Fraternitatem, authoritate Apoſtolica nobis ſpecialiter conceſſa approbamus, & ratificamus: De omnipotentiſque Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius authoritate confiſi, omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus dictæ Confraternitatis Confratribus, & ſororibus, in quinque, præcipuis Beatæ Virginis feſtiuitatibus, ſcilicet, Annuntiationis, Viſitationis, Aſſumptionis, Natiuitatis, & Purificationis, centum dies Indulgentiarum, in qualibet dictarum feſtiuitatum die, atque quotieſcumque per ſe, vel per alium Roſarium Beatæ Virginis, (quod 150. Aue Maria, & XV. Pater noſter continet) legerint, ſeu legi fecerint, ſeu Sabbatinis, profeſtis, ac feſtiuis diebus ad Salue Regina, quod pòſt Completorium, apud eoſdem Fratres Prædicatores, coràm altari B. Virginis, in quo eadem Fraternitas fundata eſt, cantatur, interfuerint, quadraginta dies Indulgentiarum pro qualibet vice, de iniunctis eis pænitentijs miſericorditer in Domino relaxamus, perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum, præſentes litteras noſtras ſcribi, & per ſecretarium noſtrum ſubſcribi, ſigillique maioris, & oblongi iuſſimus, ac fecimus appenſione communiri. Datum Coloniæ, anno Incarnationis Dominicæ 1476. Indictione 9. die verò 10. Martij, Pontificatus SS. Patris, ac Domini noſtri Domini Sixti, diuina prouidentia Papæ IIII. anno Quinto. ext. in Bullario Confraternit. SS. Roſarij.*

XVIII. *Moritur B. Ioannes Auguſtinus Ord. Prædic.*

Non minore ſtudio, & felicitate, B. Ioannes Auguſtinus Carhalaunus, Ordinem Prædicatorum, Herdæ Petreij, & Afranij clade nobilitata, profeſſus, Congregationis Hiſpaniarum aliquandò Vicarius eandem SS. Roſarij deuotionem, & Sodalitatem in Hiſpanijs propagauit. Erat facundus dicendi artifex, cui parem hoc tempore vniuerſa Hiſpania non habuit. Facundiam, Zelus ſalutis animarum flagrantiſſimus inflammabat, vt quodcumque voluerat perſuaderet, adeòq; piam tyrannidem exerceret. Tantâ felicitate, & facilitate omnes ad amorem cæleſtium rapiebat, nemo vt fuerit, qui ſe abſconderet à calore igniti eloquii diuini, quod prædicabat. Templa & Baſilicæ quantũuis capaciſſimæ, auditores, qui ad hauriendã doctrinam concurrebant, capere non poterant; adeò vt oportuerit illum in campeſtribus quandoq; cathedram erigere. Sanctitatis ingens, meruit quandoque Cælitùs delapſa lumina, in modum proceſſionis ad Eccleſiam ſui Ordinis Lucentinam incedentia aſpicere, eiuſq; viſionis participes efficere Fratres, quibus præfuerat. Spiritu Prophetiæ clarus, multa, quæ à morte ſua euenerunt, prædixit, eaque propter nomen Prophetæ apud Hiſpanos ſuo tempore obtinuit. Intrepidus vitiorum caſtigator, Valentinis ciuibus pro concione renunciauit; niſi vitam flagitijs contaminatam emendarent, adq; meliorem frugem redirent, calamitatem grauiſſimam impẽdentem, quàm illi Diua Deipara reuelauerat minimè effugerent. Cumque alii rectam onentem neglexiſſent, aliqui etiã, quaſi temerarium redarguiſſent, illo ab vrbe diſcedente, quaſi cattaractis cæleſtibus perruptis, tanta inundatio imbrium totis quadraginta diebus ſecuta eſt, vt Noë diluuiũ rediſſe omnes exiſtimauerint. Apud Oriolum, cum multos ad ſeriam peccatorum pænitentiam conuertiſſet, alicui ex nobilitate præcipua, qui venationis gratia, Sacrum Miſſæ ſacrificium, etiam feſtis diebus intermittebat, in faciem reſtitit, vtque porrò diuinam in ſe non prouocaret vindictam, hortatus eſt. Aegrè quidem tulit ille; ſed pænam cælitùs decretam, euadere non potuit. Propter aliquid flagitium captis, in vincula compactus, tandem luit capite. Oriolo diſcedens vir Sanctus, multos vbique homines ad ſanctiorem vitam verbo, & exemplo traduxit; multa Cænobia ſuo Ordini acquiſiuit; Regularem vitam ad priſtinam ſeueritatem in Hiſpaniis reuocauit. Cordubam veniens, laboribus fractus, vitæ ſuæ finem ibi affore prædixit, vſus illo prophetico. *Hæc eſt requies mea.* Moribundus Sacram Euchariſtiam tanto cum profluuio lacrymarum, proſtratus è grabbato in terram accepit, vt omnes ad fletus, & eiulatus permoucrit. Amicis quibuſdam ſecularibus, qui ægrum inuiſerant, Diuam Deigenitricem, & Sanctam Vrſulam cum reliquis virginibus ſibi apparuiſſe indicauit, vtque etiam illi ſplendorem atq; pulchritudinem earum incomparabilem intuerentur, admonuit. Sathanam tentatorem, qui de myſterio SS. Trinitatis, ac de perpetua Virginitate Deiparæ ſcrupulos inijciebat, adeoque ad fidem abnegandam vrgebat, inuicta conſtantia proſtrauit, profligauitque. Enimuero prolatis in altum tribus digitis exclamauit; O perfide, & mendax, cur dicis tres Deos? Non tres Dii ſunt, ſed vnus Deus, vnus, vnus, quibus dictis expirauit. Sacerdos, qui eius Confeſſionem exceperat, affirmauit, nullius culpæ mortalis conſcium vixiſſe. Ad eius tumulum multa miracula patrata, multaque beneficia confluentibus populis collata, & ea propter multa anathemata ſuſpenſa fuere. *Michaël Pius lib. 1. de viris Illuſtrib. Ord. Præd. Franciſcus Diagus hiſt. Aragon.*

XIX. *Item B. Iacobus Picens Ord. Minorum eiuſdemq; vita recẽſetur.*

Contemporaneus IOANNI Auguſtino, Beatus IACOBVS Picens, Ordinis Minorum, hoc eodem anno ad cæleſtem patriam emigrauit. Mira, miranda reliquit de eo F. Venantius Fabrianenſis eius Sodalis, ex his, quæ vidit, & tum ab eo, tum ab aliis audiuit. Natus eſt B. Iacobus in territorio Aſculano, in oppido Montis Brandonis, piis, & honeſtis parentibus, Ruſcio, & Antoniã. Antequàm in lucem ederetur, mater eius grauida, periculum incurrerat, vt à latronibus, & graſſatoribus viarum, reuertens ex prædiolo, propè ſpoliaretur. Feſtinans ad oppidum, audiuit infantem, quem in vtero geſtabat voce ſonora monentem; nè timeret, nèue gradum acceleraret: futurum, nè ei hoſtes nocerent. Factum; incolumis, & integra ad oppidum, ſed iam ab hoſtibus direptum euaſit; atque domum ſuam ab illis non compilatam reperit. Qua hora illum antelucana, quodam Dominico die parturiebat, viſa eſt ab omnibus, qui aderant, lux in cælo inſoliti ſplendoris, totam eam domum illuminans. A ſacro fonte leuatus, Dominici nomen obtinuit. Prima litterarum rudimenta, Auſidi, à quodam Sacerdote probo hauſit: indè adoleſcens, Peruſii cæteras ſcientias, & in his præcipue Iuriſciuilis doctrinam tanta felicitate didicit, vt breui tempore, Florentiæ, Iudicem Maleficiorum officio functus fuerit, vix annos viginti natus. Indidem cupido eum inceſſit vitæ religioſæ in Carthuſianorum priorem inprimis flagitauit, qui illum ſacra eius ordinis toga indueret. Cum is aliquantum diſtuliſſet, Aſſiſium iuit, & ibi in Cænobio S. Mariæ Angelorum, quod de





portiuncula vocant, à Vicario Minoritarum Generali habitum eius Ordinis indutus, primum tyrociniũ in Monaſterio Carcerum inter nouitios poſuit; in exercitijs ſpiritualibus, humilitatis, deuotionis, mortificationis ſenſuum, & corporis, præcipuè verò ardentiſſimæ in Deum, & proximum charitatis tyro veteranos antecedens. Propter earum virtutum famam, ter io à profeſſione emiſſã anno, commiſſarius Generalis ſui Ordinis Sacerdotio initiatum, concionibus ad populum faciendis deſtinauit. Nihil poterat gratius Iacobo committi: qui nihil auidius quam ſalutem animarum deſideraret. Ergo ad id muneris à Deo ſe miſſum exiſtimans, in diuerſos pagos, & vicos excurrebat, vt famelicis populis panem cæleſtem frangeret. Cæterum nè quemquam expenſis grauaret, nocte prædicationem antecedente, paucas, fabas aqua macerabat, quas in vidulo, vna cum fruſtulo panis, & cæpis ſecum ferret; quibus, poſtquam in duobus, vel tribus oppidis verbum Dei diſſeminaſſet, famem toleraret. Conciones vero, non niſi ad fructum animarum referebat. Vndè floſculos orationis, curioſas quæſtiones, & quicquid vana titillatione pruritum auribus excitare poterat, ſtudioſe deuitabat: totus in vitijs eradicandis, in virtutibus depangendis, & in amore cæleſtium ſuccendendo. Si quando autem in aliquod flagitium vehementius inuectus fuiſſet; ad finem eius concionis in genua procumbens, capite aperto, manus ſupplices tendens, maiori qua poterat contentione obteſtabatur, flagitabatque populum, nè eo facinore diuinam benignitatem irritarent; quin potius rectè factis illam ſibi conciliarent, & merita vitæ æternæ compararent. Quo ex ſtudio, ingentes fructus in auditorio ſequebantur, cum pleriq; ſceleribus exonerarentur & ad meliorem frugem ſeſe conferrent. Mediolani, interpellante Duce, eã conditione in feſto S. Mariæ Magdalenæ ſe concionaturum dixit, ſi ille authoritate ſua omnes ſolutæ vitæ publicanas iuberet Concioni intereſſe. Factum: Iacobo in deteſtationem libidinis acrius inuehente, triginta ex eis, ad caſtitatis amorem inardeſcentes, è cæno vitiorum emerſerunt: & quædam ex eis matrimonij vinculum ſubierunt: aliæ in monaſterium Pænitentium, eluendis culpis conceſſerunt: elocatæ, vel dotatæ ex ea ſtipe, quam Iacobus pro ea concione à fidelibus exegerat. Permouit ita res Ducem adeò vehementer, vt mortuo per id temporis Antiſtite Mediolanenſi, eam dignitatem illi deferret. Cæterum is noctu fugam arripuit; ex qua retractus, numquam ad ſuſcipiendam Paſtoralem curam adduci potuit; neceſſitatẽ ſibi impoſitã eſſe omnibus euangelizandi; cui ſatisfacere non poſſet, ſi Mediolanenſis Eccleſiæ culturam ſuſciperet; quod ea certis limitibus clauderetur. Deſtinatum illi fuit, non vnam diæceſim, neque Italiam ſolam, ſed Illyricum quoque vniuerſum, Vngariam, Germaniam, Bohemiam, atque Poloniam illuſtrare, & ſemine verbi Dei conſerere. Sanè ea ampliſſima Regna voluntate Superiorum peragrauit, ac propè innumerabiles à flagitijs, ab hæreſi, à ſchiſmate reuocauit, Chriſtoque adiunxit. Ab his laboribus, & auſteritate vitæ fracta venâ, ſtillicidium ſanguinis totis nouem annis paſſus, in febrim hecticam incidit; nec tamen vel à concionandi munere deſtitit, vel de rigore viuendi quicquam remiſit; ſed peregrinationem ad ædem Lauretanam Diuæ Deiparenti ſacram ſuſcepit; vbi ſacram hoſtiam litanti, & ſanitatem corporis deprecanti, ſtatim à conſecratione Euchariſtiæ Diua Virgo apparuit, vtque aliquid aliud ſe interprete à Filio poſtularet, reſpondit; fluxum ſanguinis ſtagnatum, ac febrem depulſam iam eſſe ſciret. Hinc vegetior factus, labores laboribus, & ieiunia, ieiunijs accumulauit. Septem Quadragenas ſingulis annis ieiunauit: ſingulis Quadrageſimæ noctibus flagris ſeſe flagellauit: ſingulis diebus ſacris operatus, coronam Beatæ Virginis recitauit, & verba ad populum fecit. A lachrymarum profluuio, quas in contemplatione cæleſtium profundebat, propè cæcus effectus fuiſſet, niſi ſibi in ſenectute temperaſſet. Præter aſperum cilicium, loricam quoque ferream totis XVIII. annis nuda in carne geſtauit. Temporis parciſſimus diſpenſator, non niſi tribus, vel quattuor horis quieti nocturnæ indulſit; reliquum noctis, vel in oratione, vel in meditatione expendit. Paupertatis amans, victu, & veſtitu viliſſimo contentus, pecunias & neceſſaria in viaticum oblata recipere recuſauit: ſolis, quos manu propria deſcripſerat, precum, atque concionum libris contentus, ne quem expenſis grauaret. Carnibus perpetuò abſtinuit: ſi quandò piſces apponerentur in itinere, vix duas vncias ex ijs guſtauit. A Fratribus interrogatus, cur tàm parcè viueret; reſpondit, rationem reddendam eſſe Deo; eorum, quæ manducaret, vel biberet; ſi non ad tolerandam vitam ijs vteretur. Caſtitatis ſeruator, immaculatum cor, corpus, & omnes ſenſus tota vita cuſtodiuit: eaque propter exemplo Apoſtoli Pauli corpus ſuum caſtigare, & in ſeruitutem redigere voluit: maioris faciens continentiæ, quam prædicationis meritum grauioreſque cruciatus animi perſentiſcens, ex aliqua cogitatione immundiore ſi quæ obrepſiſſet quam ex quãcunque alia tentatione. Cui rei, colloquia cum muliebri ſexu fugiens, niſi, cum de ſalute animæ tractaretur, alloqui eas tolerabat: extra hanc neceſſitatem, non ſecus, atque dæmonium fugiendas eſſe dicebat. Conſilij quoque Paulini memor, cum nonnulla ſibi licerent, neutique tamen expedirent, ita oculorum licentiam ſuorum cohibuerat, vt ne licita quidem, ſed quæ ad illicita gradum facere poſſent, ſuſtinuerit aſpicere. Aliquot annis tentationibus ardentiſſimis conflictatus, cum ſibi caſum metueret, Diuæ Lauretanæ ædem petijt; vbi corpore & ſanguine Domini conſecrato, toto mentis affectu Virginum primiceriam, vt eas tentationes repelleret, nec fruſtra interpellauit. Apparuit enim illi Diua Virgo, & breui liberandum ab hoc malo edixit; quodque promiſerat, paucos poſt dies præſtitit. Virginem vſque ad obitum ſe perſeueraſſe, aliquot antè mortem diebus, F. Martino Caſtellutio, minori Obſeruanti, ſuo ſodali, & Confeſſori reuelauit: Is vero exarato chyrographo teſtimonium veritati prohibuit à Virginitatis cuſtodia, ſpiritu quoq; Prophetiæ illuſtris multa futura prædixit Nicolao Quinto Pontifice ſedente, Nicolaus Picininus, Eccleſiaſticarum copiarum Dux Fabrianũ Piceni non ignobile oppidum, exercitum intromittere nitebatur. Oppidani renitebant; Picininus repulſam paſſus, Iacobo, id temporis apud illos concionanti imputabat, quaſi is pro concione diſſuaſiſſet. Ergo virum Dei ad quoddam extra vrbanum monaſterium euocatum, falſis teſtibus tribus obruere voluit; & porro, edocere ſe illum velle, qua ratione populis diſſuadere, & in ſe dicere deberet, truci, ac minaci voce denunciauit: cum ſanctus homo tribus illis impoſtoribus malam mortem, nec fruſtrà prædixit. Nam modico poſt tempore Diuina vltione extincti, pænas falſi teſtimonij luerunt. Præterea, omnes dignitatum gradus Sixto IIII. Pont. Max. prænunciauit. Peruſium Vmbriæ ciuitatem Minoridæ Conuentuales ad Comitium generale, creando Miniſtro Generali conuenerant. Quattuor dies iam abierant, cum diuerſis ſtudijs partium certarent, neque ſuffragiorum neceſſariam ſummam in vnum conferrent. Itaque Iacobo arbitrium totius negotij committunt, ſan-

ctæque ſpondent, illum pro Supremo Antiſtite habituros, quem is nominaſſet, elegiſſetque. Interuenit id temporis aliquis nobilium Peruſinorum, miratique ſe dixit, in tanto Patrum numero, non reperiri aliquem Minoridarum, ſummo magiſtro dignum. Huic Iacobus renunciauit, inter illos extare vnicum, qui primum Miniſter Generalis, paulò pòſt Cardinalis, & ad extremum Summus Pontifex crearetur. Prædixit, & Patribus in genua procumbentibus, totamq; electionis ſummam ad illum deferentibus, Franciſcum Saonenſem, Generalem pronunciauit, cui omnes obedirent, & quem futurum Cardinalem, atque inde Pontificem Maximum expectarent. Id etiam temporis, terræ motum regno Neapolitano, antè quatuor annos; Turcarum verò in Italiam aduentum necnon mortem eorum Imperatoris antè decennium prænunciauit. Inter miracula, quæ viuens patrauit, iſtud celeberrimum memoratur. Brixiæ concionabatur ad populũ, & propter alios auditores, ciuis cuiuſdam puerum circiter quinquennem, vel ſexennem ad virtutum tyrocinium inſtruebat. Placuit parentibus illius attentio ad res diuinas filioli. Quamobrem frequentius illum ad Iacobum mittebant, per ſpeciem quidem, vt nonnulla edulia concionatori ferret, reuera autem vt puerum ille ad omnem pietatem à teneris educaret. Et verò Iacobus ſalutationem Angelicam, orationem Dominicam, & alias deuotionis formulas eidem inculcabat; præterea ad cultum Sacroſanctæ Deiparæ aſſuefaciẽs tenellum quoties imaginem eius Diuæ offendiſſet genu ponere iubebat. quæ, & plura alia ſanctæ indolis puer auidè hauriebat, faciebatque: non tantùm ipſe, ſed & puer quidam coætaneus; vicini Hebræi filius, quem colludentem, conuerſantemque is ipſe Iacobi alumnus ad Chriſtianorum, ſacra ediſcenda formabat. Aegrè fuit iſtud parenti Hebræo. Ergo vna dierum venientem Chriſtianum, domi intercepit, furoreque correptus, atrociter mactauit, mactatum intra maceriam à tergo camini recondidit, & parietem, qui occuleret, facinus obduxit, eumdemque copioſo ex ſarmentis fumo infecit, nè paries recens extructus videretur. Pater cæſi pueri, vbi illum in tempore non venire animaduertit, primùm animo ſuſpenſus hæſit; mox illum vel aberraſſe, vel alicubi, aut interijſſe, aut interceptum eſſe arbitratus, in lacrymas vnà cum coniuge erumpens, totos tres dies vbique locorum filiolum quæſiuit. Cùm fruſtrà hinc, & inde diſcurrendo inquiſiuiſſet, tandem ad Iacobum ſupplex accurrit orans, vt & preces Altiſſimo pro ſalute pueri porrigeret, & pro concione vniuerſo populo rem indicaret, vt ſi quis fortè aut reperiſſet aut periclitantem illum vidiſſet, renunciare vellet. Dedit ſe imprimis orationi Iacobus: & mox quid de filiolo actum fuiſſet, diuinitus cognouit. Inde euocato patri rem omnem ſignificauit, cum priùs illum adiuraſſet, nè vindictam de homicida repoſceret, aut decerneret. Hinc duobus ſocijs comitatus, cum illo, & altero ad domum Hebræi properauit, & colloquium parricidæ experijt: ſedenſque è regione maceriei, in quam is puerum depoſuerat, comitibus, vt parietem obductum demolirentur, imperauit. Mira res. Statim, atque illi dirutere murum aggreſſi ſunt, puer, qui cæſus erat occiſus, reuiuiſcens, illos voce contenta compellauit, paulatim videlicet parietem diruerent, neque ſe violenta demolitione offenderent. Amoto pariete puer viuidus egreſſus, cunctos in ſtuporem vertit: Hebræus vero miraculo perculſus, nomen Chriſtianitati dedit, ab Iacobo concionatore de ſacris fidei myſterijs informatus.

XX. *Iacobus Præceptoris ſui S. Bernardini imitator egregius.*

Sanctum Bernardinum præceptorem Iacobus nactus, illum in omnibus actionibus, & præcipuè in veneratione atque prædicatione nominis IESV imitari adniſus eſt. Ergo huius nominis Sanctiſſimi virtute plurima miracula patrauit, & à plurimorum corporibus dæmonia eiecit, nec non complures ad ſanctitatis ſtudium traduxit. Aliquando cum eodem S. Bernardino, & Ioanne Capiſtrano, in cænobio lacus Peruſini congreſſus, & à Summo Pontifice inter hæc ad concionandum Tudertinis miſſus, interrogauerat S. Bernardinum, quonam concionaturus ſeſe conferret. Ad Regnum, cùm hic reſpondiſſet, interimq; Aquilam diſceſſiſſet Iacobus de Neapolitano intelligens, Tuder iuit. Ibi verba ad populum inflammato ardore faciens, de repente in curſu concionis ſubſtitit, & mente diuinitus mota, ſanctum Bernardinum è viuis abijſſe cognouit: moxque Columnam nunc primum Eccleſiæ cecidiſſe populis renunciauit. Inde ad cubiculum reuertens, in oratione lachrymis perfuſus, loco Innocentij ſocij, quendam Fratrem Sancto Bernardino chariſſimum, qui antè biennium cum ingenti opinione ſanctitatis obierat; ecquid de Sancto viro ageretur, interpellauit; is autem ad Regnum cæleſte emigraſſe annunciauit. Quod cum Iacobus accepiſſet, Aquilam pergens, Barnardinum defunctum miraculis illuſtrem reperit, & occaſionem nactus, multa de viri ſanctitate pro concionibus dixit, & miraculo conſpicuo confirmauit, quandoquidem vna dierum ſuper concionantis verticem, fulgentiſſimam ſtellam tamdiu lucere omnes aſpexiſſent, quoad ipſe concioni finem impoſuiſſet.

XXI. *A ſummis Pontificibus in varias Prouincias deſtinatur, pro Euangelio prædicando, & varia ibidem patrat miracula.*

Ab Eugenio IIII. ſemel, à Nicolao V. iterum, & à Calixto III. Pontificibus Max. in Dalmatiam, Illyricum, Bohemiam, Vngariam, Poloniam, & aliquot Germaniæ prouincias prædicandi gratia deſtinatus, magnos animarum fructus fecit, ad meliorem frugem, conuerſis plurimis peccatoribus, innumeris verò infidelibus ſchiſmaticis, & hæreticis ad veram Catholicam fidem adductis: maximè quando verbo myſtico, virtutem in operatione miraculorum adiungeret. Aliquem Hungarum diuturno morbo exhauſtum, & ex apoſtemate laborantem, ſolo crucis ſigno ſanauit. Budæ, & Belgradi, Viennæ, Villaci, & in alijs præcipuis vrbibus, verbum Dei vtiliter diſſeminauit. In ditione Marchionis Brandeburgici aliquem energumenum vnico ſigno Crucis, & inuocatione nominis IESV liberauit: puellamque, cuius pectus cancer depaſcebatur eodemque verbo perſanauit. Norimbergæ, Vlmæ, Auguſtæ, Ratiſponæ eadem planè patrauit, multos hæreticorum conuertit, & Cænobia ſui Ordinis fundauit. Aliqui hæreticorum virum Dei veneno epulis immixto volebant extinguere. Diuinitus ille fraudem agnouit, & facto crucis ſigno ſuper lancem, in qua cibus infectus eminebat, vas in quattuor partes per miraculum diffractum, cibum in terram effudit: quem vbi canis deguſtaſſet, ſtatim interijt. Iſtud videntes maligni, diuinam in Iacobo perſpicientes virtutem, ad eius pedes ſeſe abiecerunt, & hæreſim abiurarunt. In Saxonia concionans, plurimorum odia, & diſſenſiones ſuſtulit, & pacem inter diſſidentes conciliauit, vel hoc miraculo. Inuitauerat pridiè ad ſequentis diei concionem, vt omnes ciues in prato quodam adeſſent. Conuenerant ad XXX. m. hominum ad hominem audiendum. Ibi ille, *Num omnes adeſſent*, cùm interrogaſſet, hi verò neminem abeſſe reſpondiſſent: *Ite*, imperauit, *in Palatiũ Principis; & adoleſcentem, adoleſcentulamque quos abſconditos inueneritis, volentes nolentes iſthuc adducite.* Adduxerunt illi; Iacobus verò per nomen Ieſu adductos adiurauit, vt qui eſſent, edicerent. Narrauerunt ambo, ſe in ſpecie humana dæmones eſſe miſſos à Principe inferni ad ſeminandas diſcordias, & odia mutuo inflammanda. Dixerunt, & in momento ab oculis auditorum euaneſcentes in flammas abierunt, teterrimo odore diffuſo. Ita auditores in genua proſtrati miſericordiam diuinam flagitarunt, & odijs depoſitis in gratiam redierunt. Peragrauit poſteà reliquas inferioris Germaniæ Prouincias, & in eis multis miraculis patratis, multos ad veram fidem, ab





hæreſi, & Hebraiſmo attraxit. Pro feſtiuitate Aſcenſionis Dominicæ concionaturus, cum noctem antecedentem in orationibus vigilaret, Diuamque Deiparam, vt ſibi in acerrima contrà hoſtes fidei pugna aſsiſtere dignaretur, interpellaret, aliquantum obdormiſcens, vidit ſecundùm quietem aliquam ex cælitibus Virginem, quæ illi ſtolam candidam in humero ſertum verò in caput imponeret, monens, vt viriliter dimicaret, certiſſimamque victoriam ſperaret: nullam fore genus argumentum, ab hæreticis, & Hebræis excogitatorum, quæ ille non diſſolueret. Conſcendit poſteà die ſubſequente ſuggeſtum, atque duas de aduentu Meſſiæ propoſitas ab Hebræis difficillimas quæſtiones, feliciter ſoluit; ac præterea in conſpectu omnium, dæmoniacum quendam hæreticum, ſolo crucis ſigno liberauit. Vſurarum inſuper voraginem inſatiabilem, prædicatione, & diſputationibus ſuſtulit: innumerabiles ad mundi contemptum, & religionis complexum perduxit: atque in nouum hominem tranſformauit. Hinc Noruegiam, Daniam, Pruſſiam, radijs doctrinæ, & miraculorum illuſtrauit: Cracouiæ in Polonia plurima admiranda egit: plurimos errores in fide euulſit, multas ſuperſtitiones eliminauit, hæreſeſque proſtrauit. Pragam Bohemiæ metropolim profectus, Georgium Podiebracium hæreſi Huſſica, à Rockezana pſeudo archiepiſcopo infectũ reperiens; multis ſermonibus, ad vnitatem fidei adducere conatus eſt. Non ferentes hæretici magnam efficaciam demonſtrationum, venenum illico ſedendum obtulerunt, ea ſponſione, vt ſi is citrà noxam comediſſet, illi relictis erroribus, Catholica dogmata amplecterentur. Ibi vir ſanctus ſigno crucis impreſſo, viua, & vera fide nixus venenum guſtauit, & pro concione quam plurima altiſſima de miſterijs Catholicæ Eccleſiæ diſſeruit: quo miraculo multa hæreticorum millia conuertit. Tam inſignem animarum fructum hoſtis humani generis non ſuſtinens, Podiebracium Regem per miniſtros falſitatis, & præcipuè per quendam Necromantam, in Iacobum inflammauit: identidem rebellionem populi oſtentans, ſi fidem Catholicam admitteret. Ea propter Rex eundem fraudis artificem, operam ſuam in Iacobo conuincendo offerentem, contrà illum diſputare iuſſit. Cæterùm Necromantes falſus fuit. Statim enim, atque vir diuinus, hominem in Eccleſiam introijſſe per reuelationem agnouit, breui oratione pro concione facta, loquelâ, & auditu illum priuum reddidit; adeò, vt qui anteà nonniſi triumphos de ſancto Dei reſonabat, poſteà ſurdus, & mutus euaſerit, confuſioniſq; impatiens, è cætu profugerit. Cernens tandem vir Dei Regem cũ ſequacibus obduratum Bohemia relicta, in Epyrum & Illyricum penetrauit, ibidemq; non paucos ab infidelitatis, & hęreſum tenebris, partim prædicatione, partim miraculis liberauit.

XXII. *Inquiſitoris Apoſtolici munere diligenter fungitur.*

In Italiam Pontificis vocatione reuertens, Picenum præcipuè hęreſi, & nefando crimine pollutum purgauit, Inquiſitoris Apoſtolici officio perfunctus. Accidit, vt Matelicæ concionabundus, dùm contrà vitium innominatum inueheretur, trementibus vniuerſis ad tonitru verborum, aliquis ab eo facinore infamis exiſtimaret contra ſe ſingulariter dici, ea, quæ vir ſanctus in deteſtationem flagitij detonabat. Ergo vindicare ſe cogitans, Iacobum interimere propoſuit, & ad quandam extrà pomerium Matelicenſe Diuæ Deiparenti dicatam Eccleſiolem, qua Iacobus die ſequenti tranſiturus erat, properauit, vt parricidium mente conceptum perpetraret. Ibi imago Deiparentis depicta, quaſi viuens foret, vultu ad iram efformato, nefarium hominem aſpiciens, horribilibus verbis, num parricidio ſeſe impiare deſtinaret, illum compellauit, adeoque perterruit, vt is Caini inſtar tremens, in terram corruerit, tantiſperque proſtratus iacuerit, quoad & Iacobus præteriret, vicini accurrerent, qui ſubleuarent, atque in proximum Xenodochium deferrent. Iacuit in eo infirmus circiter tribus menſibus; ſanatus paulò pòſt ad Iacobum apud Firmanos concionantem perrexit, veniam cum lacrymis proſtratus poſtulauit, & à turpiſſimo illo cæno, ad puriorem vitam ſurrexit.

XXIII. *Varia patrat miracula.*

Aſculi, quendam iuuenem ad meliorem frugem conuerterat, & inſtituto Franciſcano addixerat. Id huius frater ægreferens Iacobum occidere deſtinauit, & iamiam bipennem in eius caput vibrauit. Mira res; ferrum è manubrio per miraculum diſſiluit, inque parricidã decidens vehementius illum vulnerauit: vltore Deo iniuriam ſancti vindicante. Spoleti, quandam à dæmonio inſeſſam, inuocatione nominis IESV & MARIAE, ab impuro hoſpite eripuit. Aliã hydrope turgidam, miſſo illo in ſcriptis IESV nomine, quod illa collotenus geſtaret, perſanauit. Apud Montem Rotundum, mutum quemdam, & ſurdum, ſigno crucis curauit. Romæ cum de Verbi Dei incarnatione in cubiculo Franciſci Cardinalis Saonenſis diſſereret, imago Deiparæ caput inclinauit, quaſi ea, quæ ille dixiſſet, approbaret. In eadem vrbe, nouem perſonas morbo caduco diuexatas, ſanitati reſtituit. Aſſiſij à quattuor perſonis, dæmonia profligauit; & quandam fœminam à natiuitate contractam, in nomine IESV liberauit. Aliam quoq; ſimiliter à varijs infirmitatibus cõtractam, cùm perſanaſſet, ab eadem virginitati ſuę metuente audiuit; Aegrè ſibi eſſe, quod ſanitatem recuperauerit; quòd valdè timeret, nè ſana effecta, virginitatem amitteret. Forani exiſtens, ab anu quadam dæmonẽ eiecit. Apud Ciuitellam Piceni, præeunte Calabriæ Duce, aliam à dæmonio vexatam liberam reddidit. Anconæ, quandam ab vlceribus plagoſam; apud S. Geneſium, quendam iuuenem paralyſi confectum, valetudini reddidit. Neapolim ad Ferdinandum Regem præſentiam viri deprecantem, iuſſu Pontificis vadens, ſe ibi moriturum prædixit; eundemque Regem apud Caronulam, læthali morbo correptum, iamq; animam ſpirantem, quin & pro mortuo ab aulicis, & medicis habitum, miſſa, & impoſita illi corona precatoria ad vitam reuocauit. Ducem Calabriæ à febri hectica periclitantem, periculo mortis exemit, eundemque Turcarum ex Italia profligatorem fore prænunciauit. Eodem Duce vidente, dæmonem à quadam fugauit. Principis Biſignani primogenitum, iam à medicis deploratum ſanum fecit. Paſchalem Comitem Aleſſanum, eodem beneficio affecit. nobilem quandam matronam, cui cancer pectus exederat, cruce facta ſanauit. Nolæ in Campania, duobus contractis, ſolutionem, & vſum membrorum impetrauit.

Spirituũ quoq; probandorũ dono fuit ditatus Iacobus. Inter Palatinas Duciſſæ Calabriæ fœminas, erat Catharina Arcella, cum tribus filiabus, & quadã Tertij habitus S. Franciſci virguncula, orationibus & cõtẽplationibus addicta. Huic vna noctiũ in meditationibus vigilanti, Sathanas in forma S. Ioannis Baptiſtæ, ſplendore multo corruſcans apparuit, & ad perſeuerantiam in ſanctis exercitijs adhortans, plurima ſaluberrima conſilia fraudis ignaræ aperuit. His illa recreata, & iam malignanti obſequentior facta, aditum illi fecit, vt ſingulis noctibus, ſed iam alijs quoque conſpicuus appareret. Viderunt aliquoties filiæ Arcellæ venientem, & matri renunciauerunt; quæ verbis filiarum nimis credula, poſitis in terram genibus, quaſi maximo affecta fuiſſet celitus beneficio, Deo gratias egit, quòd Præcurſoris præſentia eius familia digna eſſet. Retulit præterea hæc omnia duobus Minoritis; qui ad Iacobum rem referendam monuerũt, atque priores ſignificarunt. Vix verba facere cæpiſſent ille vt tacerent, imperauit, dixitque. Non ſanctum Baptiſtam, ſed veteratorem eſſe, qui ementia ſpecie appareret, vt falleret, atq; ingens in Palatiana Ducis incen-

dium excitaret. Scandalum paſſi illi; veram fore Sancti præcurſoris apparitionem contendebant; & mox ad Arcellam reuertentes: quæ Iacobus edixiſſet; enarrabant. Illa porrò eius dictis non credebat, & ſanctam eſſe viſionem exiſtimabat, quòd & plurimum ſplendoris videretur, & ſanctiſſima conſilia audirentur. Nocte inſequenti apparens tentator monialem laudauit, quòd Iacobo rem renunciaſſet; eidemque ſuaſit, vt tam ſancto Patri in omnibus obtemperaret, quòd amicus Dei eſſet. Arcella certior de apparitione facta, ad Iacobum miſit, qui omnia recenſeret, quæ pſeudo Ioannes dixiſſet. Ibi Iacobus inſidias verſuti cognoſcens, & ad nomen ſancti ſibi attributum exhorreſcens, illum mentiri aſſeruit, ſanctimonialiq; imperauit, vt in faciem apparentis veteratoris expueret, hoſtemque humani generis reputaret atque repelleret. Audiuit hæc ſanctimonialis, & altera nocte Satanam in forma conſueta apparentem aſpexit; ſed iam inuehentem in ſe vehementius, quod omnia IACOBO ſignificaret, qui omnium eſſet nequiſſimus hypocrita, Dixit, inque momento diſparuit. Catherina autem Iacobum de omnibus certiorem fecit; qui ad opprobria in ſe dicta ſubriſit, & vt porrò Virguncula illa apparentem conſpueret, profligaretque admonuit. Fecit illa nocte ſubſecuta, atque in faciem Regis ſuperbiæ ſpuit; qui contemptum ferre non ſuſtinens euanuit, ſed intolerando fætore diffuſo. Ob eam rem vir Dei multas calamitates à Satana paſſus, victoriam tamen perpetuò reportauit. Maximis indè infirmitatibus corporis diſcruciatus, diem mortis ſuæ prædixit, Sacramentiſque Eccleſiæ perceptis, in inuocatione nominis IESV, & MARIAE, die 28. Nouembris ad cæleſtem patriam euolauit, in vita, & poſt mortem ingentibus miraculis clariſſimus. Sixtus IV. anno inſequente; datis litteris Archiepiſcopo, & Guardiano Neapolitano, iuſſit cadauer eius exhumari, & in loco honeſtiore reponi. Clemens VII. ad preces Caroli V. Imperat. Aſculano, & Camerinenſi Epiſcopis, examen vitæ ac miraculorum ipſius commiſit, vt aliquando Sanctorum albo inſcriberet. *Marcus Vlyſſiponenſ. lib. 6. part. 3. hiſtor. Minoritana.*

XXIV. *Similiter Martyres Ord. Minorum apud Marrochium olim paſſi.*

Per idem temporis Conymbricæ in Hiſpanijs, Quinque Martyres Franciſcani apud Marrochium olim pro fide cæſi, multa miracula ediderunt. Maria Vaſqueſia, diuturno tempore cæca, ſtatim, atque oculos aqua, in qua Sanctorum reliquiæ demiſſæ fuerant, abluit, viſum recuperauit. Aliquis Canonicus Conymbricenſis, qui in aduertenter ſanguiſugam ebiberat, cum dies viginti ex hemorragia naſi de vita periclitaretur, votis à quadam nobili fæmina pro eo, ad quinque Martyres conceptis, ſanguinis profluuio reſtagnato conualuit. Ioannis Vaſqueſij filius plagoſus, ad ſepulchrum martyrum vna nocte cum patre vigilans, ſanus factus diſceſſit. Apud Falam, pater cum quinque filijs peſte correptus, liber euaſit: voto ad martyres perſoluto Eodem modo Ioannes Capellus agricola, à morbo caduco liberatus fuit: duæ à dæmonibus inſeſſæ, immunes effectæ: aliquis à cane rabido momorſus, & ipſe rabioſus, epota aqua à martyrum reliquijs ſanctificata curatus. LAVRENTIVS Ruizius iam ad mortem damnatus, ex carceribus, & vinculis per miraculum exemptus, effugijt. Duo ſurdi, auditum recepere. Nepos Epiſcopi Conymbricen. à deplorata ægritudine ſanitati reſtitutus: alij ab alijs infirmitatibus grauiſſimis perſanati: propter quæ miracula Sixtus IV. Minoritis indulſit, vt SANCTORVM MARTYRVM feſtiuitatem ſolenniter celebrarent. *Vlyſſiponen ſulp. capite trigeſimo quarto.*

XXV. *Feſtũ Cõceptionis B. Virginis celebrantibus indulgentias largitur Sixtus PP.*

Hoc anno SIXTVS IV. celebrantibus feſtum Conceptionis BEATISSIMAE VIRGINIS MARIAE, indulgentias, quales conſequuntur Chriſti fideles in Corporis CHRITI ſolennitate conceſſit, dato diplomate cuius initium eſt, *Cum præexcelſa.* Romæ, apud Sanctum PETRVM III. Calendas. Martij. *lib. 5. extr. de reliq. & venerat. Sancti. c. 1.*

# ANNO CHRISTI 1477.

## SIXTI PAPÆ IV. Anno 6. &7.

### FRIDERICI ROMANORVM IMP. Anno 38.

I. *Turcæ Chriſtianorum res terra marique infeſtant.*

HOc anno Otthomanus terra, marique, exercitu comparato, res Chriſtianorum tentare, vexareque, perrexit. Inprimis Scordanum Venetorum ditionis, longè maiori, quam anteà conatu inuaſit. Obſeſſis vndique itineribus ſub Turcorum acceſſum, Croiani fame domiti deditionem fecerunt, quum grauiſſimam obſidionem diutius pertuliſſet. Mox ad Scodram denuò itum, primumque Alybegus cum quindecim bellatorum millibus acceſſit; quatriduo poſt Solymanus cum ſeptuaginta millibus ad Ortum conſidens, oppidum corona cinxit, nouiſſimè Mahometes Rex ipſe affuit, innumerabili armatorum multitudine ſtipatus; ſtatimque omnis planicies montiſque latera, ac ſumma iuga, tabernaculis, tentorijſque replentur. Machinis ad hæc bellicisque operibus continuo admotis, vrbs oppugnari cæpit. Præſidebat vrbi Antonius Leggius vir patritius, generoſo celſoque animo. Aderant, præter mille, & quingentos oppidanos, ſexcenti mercenarij milites, ſub quatuor centurionibus. Turcæ igitur primo impetu Scodrenſia mænia adorti, terribilem Chriſtianis incuſſere terrorem. Emittebantur tela hinc inde inceſſanter, ruebantque in ferrum omnes ex vtraque parte. illi pro patria, pro libertate, pro parentibus, liberis, coniugibus; hi pro regni cupidine, in humano furore pugnantes. Crudele ergo, atroxque certamen obortum. plenæ iam cadaueribus erant antemurales foſſæ, plena montis decliuia, per quæ Barbarus irrepſerat; & quamuis multi in diſcrimina mortis ruentes, ſub mænibus caderent, multi tamen integri ſubibant, conabanturque in Regis conſpectu præclarum aliquot edere facinus, mortis nullo metu habito. Scodrenſes & ipſi inuictis corporibus animiſque acerrimam edunt pugnam, quæ in plures horas, ac multa cum cæde diſtracta eſt. Demum victa Turcorum pertinacia, è ſummo diſcrimine Scodra liberatur. Bis autem oppidum paucis diebus oppugnatum ferunt, tanto furore, tantis conatibus, vt nihil minus ab vtraque parte animis ſuccurreret, quam mortis, periculiue vllius diſcrimen. Tanta poſtea miſſilium, telorumque omnis generis vis in oppido reperta eſt, quam in propugnatores barbari inter dimicandum coniecerant, vt ad furnos calefaciendos, & ad cibaria coquenda per multos menſes nullo, alio ferè lignorum genere, quam ſagittarum faſciculis Scodrenſes vſi fuerint. Repulſis cum cæde, & ignominia ab oppidi mænibus Turcis, Ot-





thomanus tamen obſidionem continuare ſtatuit: ac præterea in Italiam miſit ingentem Turcorum manum: triginta enim equitum millia fuiſſe traduntur, qui ſecundò terram ipſam Foroiulienſem rapido agmine inuaſere; eo conſilio, vt Veneti finitimo, ac domeſtico bello impliciti, Scodrenſes obſeſſos nullis leuare poſſent auxilijs. Barbari circa Sonciacas munitiones tumultuosè circumſedentes, explicata acie, Venetos, qui inſtructis copijs aderant, in pugnam prouocabant. Carolus Montonius, qui militare Imperium in Veneto exercitu adminiſtrabat, ſuos intra vallum continuit, cunctandoque barbarum prouincia eiecit: cum interim Otthomanus circa Scodram bellicis operibus erectis, arctiſſima oppidum obſidione premeret. Dryuaſtum inter hæc cæpit, & quingentos oppidanos in Scodrenſium conſpectu ferro trucidari imperauit. Lyſſum quoque ad Drynonis ripam cum duabus triremibus occupauit, in quibus ducentos remiges captos ante Scodram interemit. Tenuit inde ea obſidio octo menſes, valido terra, aquiſque ad Bolianæ caput, impoſito præſidio, nequa auxilium Venetus vllum obſeſſis poſſet immittere. In tanta rerum perturbatione cæptum eſt cum Otthomano de pace agi, per IOANNEM Darium Turcicæ linguæ peritum, ſenatus Secretarium, quæ poſt longas controuerſias, quum gens victorijs, & ſecundis rebus elata, omnia ſibi aſſerere, nec cuiquam in qualibet fortuna cedere contenderet, his conditionibus ſequuta eſt, quas accipere Senatus pacis ſtudio non recuſauit; vt Scodram Venetus Otthomano traderet, & Tenarum Laconiæ promontorium cum Lemno inſula. præter hæc, vt octo aureorum nummum millia illi numeraret, eo tamen nomine, vt in Pontum, & alia Græciæ emporia nauigatio Venetis negociatoribus tutò pateret. Scodrenſes omnes ſuum vetus in Venetos ſtudium ſequuti, lætis animis oppido egreſſi ſunt: magis extorres eſſe cupientes, quam ſub Otthomanica ditione duram ſeruitutem ſubire. Stupuere eorum conſtantiam, & fidem barbari: nec ciuitas ingrata fuit, quæ Scodrenſes benigne amplexata, perpetuum illis ex publico ſalarium ſtatuit: beneficiaque pro conditione ſua, & priſtina fortuna vnicuique perampla decreuit. Excuſabant Veneti, quòd cum Turcis pacem ſtabiliuiſſent, idque iuſtiſſimis de cauſis, his, qui illos indecora pace nomen ſuum dehoneſtaſſe dicerent, factum fuiſſe oſtendebant, quod diu cum potentiſſimo Rege terra, marique bellum ſoli geſſerint, nullumque eis auxilium à Chriſtianis Principibus latum fuerit; quin cum riſu, & gaudio clades eorum auditæ. Itaque diuturno bello feſſos, neceſſariam, & ſalutarem reipub. pacem complexos eſſe, populorumque ſuorum indemnitati conſulentes, Imperij potius aliquam iacturam facere maluiſſe, quàm in bello cum ferociſſimo Rege perſeuerare, qui terreſtribus, maritimiſque pollens viribus omnia vinceret, ad idque potentiæ domitis plurimis gentibus perueniſſet, vt inſuperabilis omnibus bellis haberetur. Addebant, non parum Venetos feciſſe, qui per viginti & amplius annos aduerſus potentiſſimum hoſtem belligerando, eius impetum ſuſtinuerint. multiſque ob id terra, marique cladibus affecti, quum viderent Reges, ac Principes Chriſtianos, non ſolum opem ſibi nullã afferre, verum etiam hoſtili in ſe animo eſſe; ſuo, ſociorumque periculo motos, pace cum præpotenti Rege ſancita, ſe iure optimo grauiſſimo belli onere leuaſſe.

Nec Turcæ tamen quieuere, qui dominij proferendi cupiditate accenſi, bellaque ex bellis ſerendo, quum omnia illis proſperè ſuccederent, cum valida claſſe in Ioniam delati, eiectis Regulis Cephaleniam, & Zacinthum armis occupârunt. *Iuſtinianus. hiſt. Veneta lib. 9.*

II. *Auxilia in eoſdẽ Turcas Sixtus PP. & Matthias Rex Hungariæ cõparare ſtudent.*

Ab his ſibi Matthias Rex Hungariæ metuens, Oratores ad Imperij Principes, ad quos etiam Sixtus Pontifex pro auxilijs in Turcos comparandis Cardinalem Legatum deſtinauerat, miſit, qui Turcorum potentiam, & conatus demonſtrarent, Venetoſque de pace cum hoſtibus inita accuſarent. Ad hunc modum perorabant.

*Quæ nomine Sereniſſimi Principis, & Domini, Domini Matthiæ, Bohemiæ, & Vngariæ Regis, Dominationibus Veſtris, Magnificus* DOMINVS *Sigiſmundus de Sancto Georgio, & de Bozin Comes, & ego, ſuæ Maieſtatis Oratores propoſituri ſumus, ſi Catholicam fidem non concernerent, pro qua tuenda quiſque nulla pericula vitare debet, ſed omnem laborem ſubire: ſi ea grauiſſima, & magni momenti non eſſent, & toti Chriſtianitati, niſi celeriter prouideatur, pernicioſa; præſertim Principibus, & communitatibus Imperij; longâ inſinuatione nos vti oporteret, vt nonnullorum opiniones, qui nos fortè mendicos exiſtimant, euidentibus rationibus repelleremus. Sed res, de quibus dicturi ſumus, ſi benè aduertentur, mentes D. Veſtrarum de lachryma ſaltem cordis commouebunt. Curabimus igitur nobis iniuncta, clarè, apertè, & breuiter demonſtrare, vt quiſque in Imperio exiſtens, inexcuſabilis ſit, & Sereniſſimo Domino noſtro Regi nulla culpa adſcribi poſſit, ſi quid aduerſi ob negligentiam eorum, qui prouidere debent, Chriſtianitati euenerit. Dicturi igitur ſumus de Turcorum, ingenti potentia, deque eorum inſatiabili cupidine* CHRISTI *fidelibus dominandi, & in eorum ſanguinem graſſandi rabie: deque prouidendi, nè talia eueniant, celeri neceſſitate.*

*De ingenti igitur potentia Turcorum, & de eorum inſatiabili cupidine* CHRISTIFIDELIBVS *dominandi, & in eorum ſanguine graſſandi rabie pauca breuiſſimè attingamus.*

*Turcorum gens ex Caſpijs portis egreſſa, feritatem, & immanitatem beſtiarum more præ ſe ferens, Pontum, Cappadociam, Galatiam, Bythyniam, Pamphiliam, vtramque Phrygiam, Cilices, Iares, & eam Aſiam quæ Minor vocatur, vſque ad littora Græci maris occupauit. Non vnum tantùm Principem, ſed diuerſos quaſi per factiones ſequebatur. Ex hac Turcorum gente (vt ſcriptum reperimus) quadrageſimum ſecundum ab hinc, & centeſimum creatus annum Otthomanus, à quo familia Otthomanorum nominatur, exigui tunc cenſus, & obſcuri, ex Collectitio milite non parua manu per ſeditionem conſlata, non ſolùm Chriſtianas reliquias vexare, verùm etiam homines ſuæ gentis armis infeſtis petere, & ſibi ſubdere cæpit. Orta inter Turcorum Principes ſeditione, auctoritatem breui, & nomen adeptus eſt tempore: vrbes, & oppida non pauca, partim vi, partim deditione in ſuam poteſtatem recepit. Otthomano, Orcanes eius filius ſucceſſit, qui rem à patre commodo proſecutus admodum propagauit. Eum Amurathes ſuus filius ſubſecutus eſt, qui duobus de Græcorum Imperio diſceptantibus, in auxilium ab altero accerſitus, Turcorum primus in Græciam tranſiuit: vbi conſultò bellum protrahens, poſtquam ambos eneruatis, conſumptiſque viribus fractos animaduertit, ſumpta occaſione, arma in eos conuertit, magnamque Thraciæ partem ditioni ſuæ ſubiecit. Is vita functus duos filios reliquit, Solimanum, & Baiazetem. Solimano breui vita ſubtracto, res; vniuerſa ad Baiazetem deducta eſt: qui non ſolum Thraciam penè vniuerſam, excepta Conſtantinopoli, & Pera, ſed Theſſaliam, & Macedoniam olim ferè totius orbis dominam, Phocidem, Bœotiam & Atticam maiori ex parte occupauit: Myſorum quoque quos Raſtianos, Illyricos, quos Boſnenſes, Triballos, quos Bulgaros nunc appellamus crebris incurſionibus infirmauit. Ecce initium bel-*

li Turcorum contra regnum Vngariæ. Hic enim Baiazetes, armis membra regni infeſtare cœpit, quod valdè notandum, & aduertendum eſt. Cum Calapino Baiazetis filio, & natu inter fratres maiore, poſtquam primùm regnum obtinuit, Sigiſmundus Rex Vngariæ collatis ſignis prælium commiſit, & tumultuosè fuſus, caſtra, & impedimenta reliquit; Chriſtianorum ingens occiſio facta; Ioannes Dux Burgundiæ, proauus modernæ Ducíſſæ, eo prælio captus, multorum auro libertatem redemit. Calapino Moyſes eius frater ſucceſſit, qui paulò poſt vitâ functus Mahometem fratrem reliquit hæredem. Hic VValachis bello attritis, tributa grauia imperauit, & nonnullos in Aſia regnis ſpoliauit. Mahomete mortuo Amurathes eius filius Theſſalonicam magnam in Græcia vrbem, quam Veneti tunc poſſidebant, vi captam penitus diripuit. Epiri partem, hoc eſt Albaniæ, reliquo regno adiecit; Boſnenſium agros vaſtauit, oppida multa vi capit: diripuit, atque incendit, Vngariam cum centum millibus pugnatorum intrauit, latè populatus prouinciam. Sterilis annus impedimento fuit, nè regno potiretur; commeatus penuria compulſus, ad propria rediјt. Hac tempeſtate ſæpe cum Turcis dimicatum eſt, non ſine Ioannis Huniadis Regis noſtri genitoris ingenti laude, ac noſtrorum & Turcorum ſæpe maximis ſtragibus. Defuncto Amurathe Mahomethes eius filius Regni gubernacula ex voto adeptus eſt. Hic eſt ille Mahumetes, Turcorum modernus Princeps, qui ſibi totius orbis Monarchiam promittere videtur. Hic eſt ille Mahometes, qui poſtquam gubernare cæpit, à bellis contra Chriſtianos & etiam infideles numquam ceſſauit. Hic eſt ille Mahometes, qui omnes maiores ſuos in augmentando dominia ſua ſuperauit. Hic eſt ille, qui quantò magis quatitur; tantò fortiùs inſurgit; & numquam ceſſat, donec votum ſuum adimpleat; & quem hoſtem reputat, ditioni ſuæ ſubijciat. Pauca igitur de ſuis geſtis perſtringamus. Conſtantinopolim totius Græciæ, & olim Orientis caput vi cepit, & magna cum cæde diripuit. Peloponneſum, Amorream, ferè totum Trapezuntiæ Imperium; Eubœam, hoc eſt Nigropontum, & alias omnes Aegei maris inſulas excepta Rhodo; Caffam nobiliſſimam in mari Pontico vrbem cum Mæotidis palude, & alias vrbes circa mare Euxinum, & Ponticum (quod mare maius nunc vocatur) exiſtentes, regnumque Boſnæ pro maiori parte. Raſſiam, & Bulgariam, Acarnaniam, & Albaniam totam vſque ad Dalmatiæ finem ſuo adiecit imperio: & VValachos ſibi aliquandò parentes habet. Patet igitur manifeſtè, quòd Mahometes Turcorum Princeps modernus, maiores ſuos potentia ſuperat. Ipſe enim per ſuperiores ſuos parta retinet; & vltrà, plures, & maiores addidit prouincias, prouinciaſque per ſuos ſuperiores in parte occupatas, integras ſuæ ditioni ſubiecit. Patet etiam manifeſtè; quòd eius dominandi cupido inſatiabilis eſt. Rabiem eius in Chriſtifidelium ſanguine graſſandi, non ſolùm Vngariæ regnum nouit, ſed Carniola, Carinthia, & Stiria, vſque ad Bauariæ fines; Theutonicæ nationes non ignorant, & Italia in Foro Iulij, vſque Teruiſium experta eſt, vbi trucidati, & captiuati innumerabiles fuerunt. Ex quibus omnibus (vt diximus) ingens ipſius Mahometis potentia, & Chriſtifidelibus dominandi inſatiabilis cupido, ac in eorum ſanguine graſſandi rabies manifeſtè apparet; quodque Vngariæ regnum vltrà centum annos incurſionibus infirmatum, & bellis conquaſſatum eſt. Apparet etiam ſolicitudo manifeſta dicta Mahometis, qui plura ſuo tempore, quàm ſui maiores in Chriſtianos facinora fecit, & plura acquiſiuit. De potentia ergo Turcorum, & eorum inſatiabili dominandi cupidine ſatis hucuſque clarè, & apertè dictum eſſe putamus.

Nunc verò ad prouidendi neceſſitatem deſcendamus, in qua & ea aperientur, quibus & ex prædictis intelligent Dominationes veſtræ, quòd Sereniſſimus Rex noſter, vt Chriſtianiſſimus Princeps, toti Chriſtianitati, cuius ruinam, cuiuſue deſtructionem totalem mentis oculo proſpicit, ex cordis viſceribus compatitur. Nam contrà tantam Mahometis potentiam, ſua Maieſtas, quæ olim ſocios habebat, nunc ſola relicta eſt, nec aliunde niſi à Principibus Imperij auxilium expectare poteſt. Quòd ſi in ea re deficient Imperij Principes, credant, imo certi ſint, quòd Turcorum aduentum in laribus proprijs citiùs videbunt, quàm audiant. Veneti, nulla ratione conſtricti, ſola inuidia moti, vt ſuam voluntatem prauam, & rebellionem contrà ſanctam Sedem Apoſtolicam magis firmarent, quàm potiùs, vt veri filij communis matris contrà rebelles iuuare debuiſſent, cum Turco peſſimis conditionibus, & multum iniurioſis, imò toti Chriſtianitati periculoſis, pacem inierunt. dederunt Turco munitiſſima caſtra, loca, & ciuitates, imò prouincias, quas Turci decem, aut quindecim annis expugnare non potuiſſent. Obligarunt ſe, quòd Turci per terras, & maria, abſque eorum impedimento tutè tranſire poſſent. Portus eorum, Turcis apertos tenere promiſerunt, & victualia eis dare, ac plura alia, quæ in totalem Chriſtianitatis ruinam vergunt, niſi ſubitò prouiſum fuerit. Ecce Veneti Regiam Maieſtatem ſolam reliquerunt, & quod peius eſt, creditur, quòd ſocios in ea re habeant. Pacem cum Turco Maieſtas Regia, ſi voluiſſet, priùs quàm Veneti, aut alius habere potuiſſet, & eam cum vtilitate ſuæ Maieſtatis, & non ſicut Veneti, vt ſua bona, vt pacem haberent, à ſe alienarunt. Turcus enim per triennium, magna cum inſtantia à ſua Maieſtate pacem quæſiuit, & vſque Budam pro ea extorquenda, ſolennes tandem Oratores miſit, Regiæ Maieſtati regnum Boſnæ, & alia multa offerendo; ſubſidiaque etiam de propia perſona, vbi opes fuiſſet, Turcus pollicebatur, dummodò ſua Maieſtas eidem & ſuis, ſine ſuæ Maieſtatis, & ſuorum damno, tranſitum per ſuum regnum, ad alios Chriſtianos permitteret. Hæc omnia Regia Maieſtas recuſauit, exiſtimans (vt bonus Chriſtianus) alios ſimiliter facturos. Sed proh dolor! Veneti; à Turcis, (vt diximus) turpiſſimis conditionibus, & cum Chriſtianorum iactura pacem extorſerunt: quæ res valdè aduertenda, atque conſideranda eſt. Turcus enim facta prædicta turpiſſima cum Venetis pace, non ignorat, quòd Sereniſſimus Vngariæ Rex contra eum ſolus relictus eſt, quem credit celeriùs deglutire, quàm à Chriſti fidelibus ſuæ Maieſtati auxilia præbeantur. Et expugnato Vngariæ regno, totius Occidentis, & Septentrionis Monarchiam, Turcus ſibi abſque dubio pollicetur. Ipſe enim Turcus, pòſt prædictam cum Venetis turpiſſimam pacem, Vngariæ regnum armis infeſtare non ceſſauit: & vt de alijs primis incurſionibus anni pluribus Turcorum in Vngariæ regnum taceamus, duas tamen notabiles referimus. Inuaſit enim Turcorum gens de menſe Auguſto, fimbrias ſuperioris partis regni, ad ea loca per Stiriam in Vngariam intrando, de quibus numquam aliquis cogitauit, & inde (vt communis fama) eſt vltrà viginti millia captiuorum abduxit. Sequenti verò menſe Octobri maximo cum exercitu electorum hominum quadraginta trium millium, & VValachorum maximo numero, Tranſyluaniam, (vbi nerui Regij fiſci, ſalis ſcilicet, & auri, atque argenti fodinarum exiſtunt) Turci intrarunt, magnaque cum præda, ad propria redeuntes, ab exercitibus Regiæ Maieſtatis, Dei gratia, non ſine magna ipſorum cæde proſtrati fuerunt, & omnes Capitanei ſiue primarij, partim occiſi, partim capti apud Regiam Maieſtatem exiſtunt: ipſorum verò ex minoribus pauci euaſerunt. Manifeſtè igitur apparet, & cum lachrymis referendum eſt, quod Turcus, qui ſollicitiſſimus eſt, (vt pluribus ſuis geſtis comprobari poteſt) Vngariæ regnum totis viribus inuadere citò conabitur, vt & ignominiam, quam in regno Vngariæ nuper accepit, à ſe aboleat, ſuæ ditioni dictum regnum ſubiugando. Sperat enim à nullo Chriſtianorum auxilia ſuæ Maieſtati præberi. Regia ergo Maieſtas regni ſui deſtructionem videns, ac totius Chriſtianitatis, cum ſua Maieſtas, ſuumque regnum Vngariæ vltra centum annos à Turcis conquaſſatum, ipſorum potentiæ ſic fortiter vt prius reſiſtere non valeat, nos ad Imperij partes miſit, vt & prædicta pericula ſignificaremus, & vnde auxilia celeriter ſperare poterat, ea peteremus. A nulla enim orbis parte, hac tempeſtate, niſi è principibus Imperij auxilia ſperat. Italia enim, & Hiſpania, & Francia, cum dominijs Ducis Burgundiæ, bellis ardent. Sperat tamen ſua Maieſtas, quòd quamuis Veneti, & ſi qui ſunt ſequaces, cum Turco pacem turpiſſimam inierint, ſi Imperii Principes cum effectu ſubitò auxilia ſuæ Maieſtati præbeant, prout per nos, qui hic ſumus cum plenaria poteſtate, declarabitur, quòd regnum ſuum retinebit, & partes Imperii illæſa ſeruabuntur. Conſiderent igitur Dominationes Veſtræ Turcorum ingentem potentiam, & Mahometis eorum Principis inſatiabilem Chriſtifidelibus dominandi appetitum, ac in agendis ſolicitudinem, & vigilantiam quodque in mora prouidendi maximum diſcrimen, non ſolùm Vngariæ regno, ſed toti Chriſtianitati eſſe poteſt; præſertim nationi, quæ cum Turcis pòſt Vngaros immediatè vicina eſt, & ad quam Turcis per Vngariam vſque Rhenum, & alias partes facilis tranſitus eſt. Diſponant ergò ſe Dominationes Veſtræ ad celeriter prouidendum, Nos verò qui hic ſumus cum pleniſſimo (vt diximus) mandato Regiæ Maieſtatis, etiam in ſpecialiſſimis caſibus, poſtquam intellexerimus Dominationes Veſtras ad prouidendum cum affectu diſpoſitas, ea Dominationibus Veſtris aperiemus, quæ non ſolùm vobis pergrata erunt, & facilia, ſed toti Chriſtianitati vtilia. & intelligent Regiam Maieſtatem optimè ad defendendum Chriſtianitatem diſpoſitam, ſi ſuæ Maieſtati Dominationum Veſtrarum auxilia non deerunt. *Tomo 2. rerum Germaniæ.*

III. *Matthias Rex dimiſſis Turcis in Chriſtianos bellum mouet*

Hæc Matthiæ Regis Nuncii, apud Principes Imperii perorabant, Venetorum, & aliorum ſociorum fidem fruſtrà accuſantes. Enimuerò id temporis Matthias Rex, irritatus à Friderico Imperatore, cùm eum exercitum dimiſiſſe cognouiſſet, necquicquam diſſuadentibus, ac deprecantibus Vngaris, & contrà Turcas potius, qui Vngariam tunc populabantur, ire cohortantibus, in Auſtriam fecit expeditionem, eamque totam quanta quanta eſt, ad fines vſque Bauariæ peruaſtauit, oppida pleraque, & munitiones, ipſis Auſtriis ferè dedentibus, in poteſtatem ſuam redegit; Viennam obſedit, & oppugnauit; ſed ab ea crebris Haugi comitis, qui intus erat cum non contemnendo militum præſidio, eruptionibus non ſine magna ſtrage repulſus eſt: Friderico Imperatore apud Styriam vrbem ſe continente, & Pontificis, Bohemorumque, ac Polonorum opem fruſtrà implorante. Cauſas offenſæ Matthias præferebat, quòd Fridericus Ladislao Bohemiæ Regi, vexillum eius regni ſolenni ceremonia dediſſet, inque clientelam eum recepiſſet, quem ſciret ſuum æmulum fuiſſe. Ergo is exercitu comparato, Viennam obſedit, Auſtriamque vaſtauit. *Cromerus lib.* 28. Pontifex verò cum Venetis, nè aduerſus Imperatorem auxilia ferre videretur, ſtipendia annua, quæ centiès mille nummum aureorum explebant, Matthiæ negauit. *Bonfinius decad.* 4. *lib.* 5.

*Veneti cũ eo pacem ineũt, eũq; cum Imperatore conciliare procurãt.*

Veneti porrò, incurſione Turcorum in Forum Iulii perterriti, pacem cum Matthia inierunt: neque tamen curam conficiendæ inter Fridericum, & Matthiam concordiæ intermiſerunt, ſed vnà cum Legato Apoſtolico, ac Proceribus Vngaris ſtrenuam operam nauarunt, vt vtrique arma extorquerent, & in Turcos conuerterunt. Conuenit tandem, & quidem non ſatis honeſtis Friderico conditionibus; nempè, vt is ſe omni iure, ac titulo regni Vngarici abdicaret; Bohemici vero faſces, & quod vocant feudum, Matthiæ conferret; eidemque pro munitionibus interceptis in Auſtria centum octaginta millia florenorum numeraret. Quarum conditionum poſtremæ non fecit ſatis. Quod factum eſt vt Matthias diutiùs munitiones Auſtriacas, non inuitis Auſtriis, qui Fridericum oderant, retineret. Incommodabat etiam per eandem occaſionem Caſimiro Regi Poloniæ, patri Ladislai Regis Bohemiæ, Rex Matthias. Nam & Stephano Moldauiæ Palatino abalienandi eius à Polonis cauſa, auxilia contrà Tranſalpinenſes miſerat; cum Crucigeris Pruſſienſibus fœdus clandeſtinum; ad violandum cum Polonis pacem, confecerat, eoſque ad bellum inferendum concitarat; ipſe deindè mercenarium militem in Sileſia eam in rem conſcripſerat; necnon Nicolaum Comorouium fratrem Petri patruelem, cum ALEXANDRO filio ad ſe accitos, de Berualdi, Zinieciæ, & Seflarorum munitionum Polonicarum deditione ſollicitauerat, promittens eas, quas ipſi in Vngaria ademerat, ſe redditurum eſſe. Cæterum Caſimirus, & Crucigeros in officio continuit, & Pruſſicos motus repreſſit, & exercitum ex Sileſia fugauit, & Comorouii animum ſanauit & periculum omne à finibus Poloniæ ſubmouit. Stephanus verò Moldauiæ Palatinus vltrò ſumptis armis Tranſalpinam infeſtauit; Radulonem, ſiue Draculam Palatinum eius ore à Coronenſibus, ſiue Braſſouienſibus ciuibus proditum cæpit, eiectiſque Turcarum præſidiis Cipuliſſam vnum de ſuis purpuratis genti præfecit. Quin & Torruſſienſe territorium, quod in ditione Turcorum erat ferro, & igni vexauit; ſalinaſque fructuoſiſſimas incendit. *Cromerus ſup. lib.* 28.

IV. *Turcæ Chriſtianorũ inſulas infeſtant.*

Cum in Bohemia accidderent varia, deque eo Regno, duo Reges digladiarentur, Mahometes opportunitate ex diſcordia Chriſtianorum vſus, ex Propontide claſſem ducentorum nauigiorum mouens, Lemno, Naxo, & aliis inſulis vaſtatis, Chio, & Rhodo imminebat. Non intermiſerunt tàm Genuenſes, quàm Rhodiani milites, periculi imminentis Sixtum Pontificem, ad Principes Chriſtianos monere, atque auxilia implorare: tum verò inſulas ab incurſu hoſtili præmunire. & quidem FRANCISCVS Soffia Iuriſconſultus Genuenſium Orator, quinque aureorum millia à Sixto Pontifice in tutelam inſulæ Chii impetrauit: Galliarum autem Rex, tam Iubilæi indulgentiam, quàm impoſitionem ſtipendiorum in bellum Turcicum, à Sixto in regno illius promulgatam, in gratiam Equitum Rhodiorum tolerauit: vt collectitiis pecuniis aduerſus communem hoſtem iuuarentur. Conceſſit prætereà Sixtus Magiſtro Rhodiorum, pacem, vel inducias cum finitimis principibus, Saladino Aegyptio, & Tuneti Rege componere: quò vnitas vires contrà Turcos haberet. *Folieta. hiſt. Genuen. lib.* 11. *Iacobus Boſius hiſt. Rhodianæ lib.* 10.

V. *Conatibus Sixti PP. obſiſtit Laurentius Mediceus*

Non poterat Sixtus, quemadmodum deſiderabat maiora præſtare. Italicis motibus imprimis diſtractus. Laurentius Medices, inter Florentinos facilè princeps, Sixto infenſior factus; non modicum conatibus illius obſiſtebat; ſiue, quòd ægre ferret, in fratris Iuliani Cardinalatus petitione repulſam; ſiue quòd non libenter aſpiceret Hieronymi Riarii fortunam, ad quam illum Sixtus patruus euehebat, atque reliquis Italiæ principibus ſi non præferre, ſaltem æquare cupiebat. Ergo irritatus, hoſtilia in Pontificem fecit, tentauitque. Nicolaum Vitellium Tiferni Regulum, aduersùs illum pecunia, & commeatu iuuit: Vmbriæ tyrannos, contrà Eccleſiam, cuius beneficiarii erant, concitauit: Imolæ Flaminiæ vrbis, quam Pontifex pro Hieronymo emebat, emptionem interuertit, eique exitium molitus eſt. Erat fortè per eos dies mortuus Philippus Medices, Piſanorum Pontifex, quo quidem ſacerdotio inprimis Hetruriæ opulento Sixtus Papa, Franciſcum Saluiatum ornauit, quem eſſe Laurentio inimicum maximè intelligebat. Eo decreto Florentini reclamarunt, quibus hiſce in rebus ſuperiores Pontifices præcipuè indulgere conſueuerant. Hanc tantam Pontifici irrogatam iniuriam, vt grauior aliquantò appareret, eſſeque videretur, voluntas, atque hominum ſtudia efficiebant: Florentini vehementiùs, quam res ipſa, aut Reipublicæ tempora poſtulabant, rem tuliſſe dicebantur. Itaque nè minùs conſtantes

in ſuo iure tuendo viderentur, eius ſacerdotij poſſeſſionem, quòd in vectigali agro Reipub. eſſet, Franciſco ſe daturos ex Sixti decreto negabant. Rem enim eſſe iniquam affirmabant, & minimè dignam Pontifice Maximo, quo Sacerdotio benè de Repub. meriti ciues honeſtari, augerique conſueuiſſent, homini demandari, qui vt cætera non improbarentur, minimè ex ſuorum ciuium ſententia videretur Pontificatum adminiſtraturus; quò ſcilicet exiſteret, qui ad priuatas ſimultates ex opimi Sacerdotij vectigalibus vires, & fiduciam ſumeret, ac ciuiles in Repub. diſſenſiones foueret. His offenſum iniurijs Sixtum, tàm neceſſarij, & familiares, quàm extranei, & Principes nonnulli, concitare aduersùs Florentinos non intermiſerunt. Contrà quos dum conſilia de bello inferendo agitare cæpiſſet, illi animo eius planè detecto, cum Venetis, & Galeatio Sfortia, fædus reuocârunt; cæteris Italiæ Principibus, ijſdem fæderis legibus coëundi poteſtate facta. Hanc eorum conſpirationem Pontifex veritus, cum Ferdinando Neapolitano Rege & ipſe nouum inijt Fædus, & ad XXIII. diem Iunij veniente in Vrbem Alphonſo Duce Calabriæ, Regis filio, percuſſit, confirmauitque; in quo diſertè cauebatur, vt eoſdem amicos, atque hoſtes vterque haberet. Non tulit impune, Deus, eam contrà ſuum in terris Vicarium conſpirationem; qui imprimis. Galeatium Sfortiam, conſpiratione quorundam è viuis rapuit. Placuit ordine quemadmodùm cædes Galeatij conſtituta, geſtaque eſt à principio enarrare, vel ad tyrannidem execrandam.

*Galeatius Sfortia occiditur, quomodo, & qua occaſione.*

Erat Nicolaus Montanus Bononienſis, vir (vt his temporibus, non ineruditus, ex eorum genere qui nobiles pueros in litteris inſtituendos ſuſcipiunt. Huius inter cæteros, erant auditores Mediolani, tres adoleſcentes eius ciuitatis cumprimis nobiles, Ioannes Andreas Lampognanus, Carolus Vicecomes, & Hieronymus Oleatus, quibus ob egregiam indolem virtutis plurimùm omnium indulgebat. Erat hominis ingenium longè acerrimum, & ſiue hoc à natura haberet, ſiue ſtudio eſſet, & diligentia conſecutus, minimè ad hominum vitia, Principum inprimis diſſimulanda accommodatum. Hoc quidem vt penitùs illius animo inſideret, cum Mediolani ageret, Galeatij immanis, atque importuna crudelitas, & libido efficiebat: quam quidem in ſummi imperij poteſtate formidabilem, cum tantæ accederent vires, omnes horrebant. Nulla illi domus quanquàm ſanctiſſima, & caſtiſſima, erat clauſa: nemo ab illius crudelitate tutus, per quem minus liberi aditus ad nequitiam paterent. Idem adeò perdito ingenio, vt cum in omni genere flagitij licentia magis, atque impunitate; quàm peccato offenderet; tanquàm impudentia, & audacia magna eſſet voluptatis acceſſio non prius ſibi facere ſatis videretur, quàm libidinis, & nequitiæ ſuæ monumenta omnibus teſtata relinqueret. Ita eius iniuria, nobiles domus permultæ violatæ; ſed quod eſſet ferendum, vbi id quidem lateret, nullæ non eiuſdem prædicatione infames, quò ſemel libidini aditum animi impotentia, & vis imperij dediſſet. Nam cum plurimos quotidiè ad cædem denotaret, aut nullis, aut leuiſſimis de cauſis; veluti in capitis ſupplicio parum grauis animaduerſio conſtitueretur, mortis genere in eoſdem ſæuiebat. Itaque aliquandò dicitur viuos homines in culeum inſuendos; atque humandos curaſſe, qui quantumuis minima in re illius voluptati obſtitiſſent. Sed quod maximè offendebat, & illi exitum maturauit, in nobiles fæminas (vt diximus) vbi ijs ad ſatietatem abuſus eſſet: dicax videri, & ſalſus volebat; æquè & in admittendo flagitio impudens, & in detegendo petulantia, ac linguæ procacitate ſingulari. Grauiad hæc omnia laborabat infamia; matrem lectiſſimam fæminam, cum illam authoritate adminiſtrandi Imperij priuaſſet, veneno ſuſtuliſſe. Ex huius impotenti Imperio Nicolaus quæſita occaſione, adoleſcentes peracri ingenio & (quod caput eſt) graui iniuria affectos, hinc execrandis ſæpè abominandiſq; malis, quæ ſubeunda erant parenti vnius Imperio; hinc contrà commemorandis, bonis, quibus nati in liberis ciuitatibus homines fruerentur, ad rem capeſſendam eorum ſpe, atque expectatione dignam, excitabat. *Grauem ſemper vnius hominis potentiam videri, etiam cum probitas par, & virtus conſequeretur (non enim quid deberent modò homines, ſed quid poſſent etiam cogitari oportere) vbi eadem crudelitati adiuncta, & ſceleri: dominaretur. In legum obſeruantia, nihil eſſe præſidij, atque adiumenti: In contemptione, fidei, officij, pudoris iacturam; atque cum ijs ipſis, libertatis ſæpè interitum ſubeſſe. Ad hæc, quæ vera magis quam oportuna eſſent exempla eorum colligebat, qui veterũ memoria in omni bene inſtituta Republica floruiſſent; quibus cùm propoſita ad virtutem præmia eſſent ampliſſima, ſatis iam intelligi poſſet quid ita liberæ ciuitates plurimos ſemper, perpaucos, quæ vnius Imperio regerentur: qui virtute, rectis ſtudijs, magnitudine animi, ac rerum geſtarum gloria florerent, extuliſſent. In legibus enim, quæ in Republica vigerent, virtutem, & rectè facta gloriam ſequi: in hominis improbi dominatione, cum ſe videri meliorem pateretur, neminem (quod malorum inſtitutum eſt) aut iacere eamdem contemptam, aut penitùs neglectam interire. Itaque in liberis populis, quoniam virtutis plurimus vſus eſſet, & coli illam ſtudio, & labore, & augeri præmio, & gloria foueri conſueuiſſe: in vnius Principatu, cùm neque virtus nequitiam, neque virtutem ferre improbitas poſſet, minimè quemquam mirari debere, ſi quæ eſſent vires maiores nactæ, illam tolleret, quæ viribus inferior, atque imbecillior haberetur. Id nobiliſſimi tyranni exemplo comprobari, qui Dionis filium viri fortiſſimi, ac clariſſimi ſapientiæ ſtudijs, patre pulſo in exilium, quò natiua illius virtus ocyùs in deſidia, & languore interiret, vetitum liberalioribus artibus inſtitui, vſque eò omni genere nequitiæ, & corruptelæ eneruaſſet, vt cum patria liberata, Dion rediiſſet; filium, quòd ferre triſte patris imperium non poſſet, ſibi afferre manus coëgerit. Cum igitur pudori, & probitati omnia eſſent clauſa, quæ probris, flagitijs, luxuriæ paterent, cumque nullus virtuti locus relinqueretur, vbi viro forti metus, inerti, & deſidi ſecuritas propoſita eſſet, quid eſſe, cur homines mirarentur, in ea ciuitate, quæ hoc vteretur inſtituto, religionem, ac pietatem nullam coli, officium negligi, legum maieſtatem ſolui, impunè vim afferri ingenuis, matreſfamilias, nobiliſſimas fœminas conſtuprari, de innocentibus ſupplicium ſumi, lenonibus, ſicarijs, aleatoribus, turpiſſimarum voluptatum adminiſtris, debita ſummæ virtuti præmia, honores Magiſtratus, Sacerdotia dignitates ampliſſimas deferri, omnia, quæ libido imperaret, crudelitas, auaritia, nihil pro legum, & iudiciorum ſeueritate agi.*

His adhortationibus victi adoleſcentium animi, atque adeò, vt digna res ſumma admiratione videretur, nondum itè aut conſtituta ætate, aut corroborata virtute, vt ſatis apti, ad rem tantam diutius diſſimulandam haberentur; fide data, atque accepta iurant, vbi primum liceret, patriam ſe à tyranni importuna dominatione liberaturos. Augebat eorum odium ſuis priuatim illatæ iniuriæ grauiſſimæ, & maximæ. Nam IOANNES ANDREAS querebatur Sacerdotio propinquum à Sixto Pontifice auctum, cuius vberrima vectigalia eſſent, nullius precibus, aut gratia aſſequi potuiſſe, vt ſecundum Pontificis decretum illi Sacerdotii poſſeſſionem daret: Oleatus & Vicecomes cum minus munitas domos ab eius libidine habuiſſent, iniquiſſimo animo ferebant (vt ſunt Itali minimè, omnium apti ad ſuorum flagitia diſſimulanda) in nobiliſſimis familiis, tantam maculam & labem, viuo eo, qui illam impoſuiſſet,





Hac de re tanta cum illi remotiſſima in ædium parte ferè quotidie agerent, propterea quòd iam omnibus erat nota eorum familiaritas & conſuetudo, nemo magnoperè mirabatur: quamuis de re illos potiùs quàm qua de agebant, hominibus ſuſpicantibus eos conſilia inire: quippe qui ab ætate, quæ facilè falleret, non ab ingenio ducerent coniecturam. Tantam autem fuiſſe in his animi præſentiam, eum ardorem, & ſtudium ferũt ad patriam liberandam, vt quà vulnus faciliùs pateret quà ferrum hæreret altiùs, quòd eſſet commodius gladij genus, atque expeditius explorarent, non de loco, & tempore ſolum ſolliciti, ſed de ictu, nè moram faceret, vbi minus celeriter hominem tolleret. Namque & illud crebrò agebant, vt rectis vaginâ pugionibus ſe mutuò peterent. Vbi enim ludicra exercitatione, tantæ agendæ rei aſſueuiſſent, animos paratiores arbitrabantur, ſe in facinore exequendo allaturos. Nam aut nullam aliam rem prætereà, aut hanc vnam maximè eſſe ſtatuebant; in qua excogitanda cõſilium, aggredienda vis, & fortitudo animi, cõficienda vſus atq; exercitatio requiri diuturna videretur, quæ quidẽ cũ alijs omnibus in rebus, atq; adeò in his quæ ſunt huius generis, plurimum poſſint; in ea ætate, aut nulla, aut perexigua certè, & contemnenda videbantur. Hinc de loco ſimul, & de tempore cæptum eſt agi. In arce cum aggredi quandoquidem milites, qui in præſidio agebant, erant prius in ſententiam perducendi; quam quidem rem multò omnium ſpe maiorem, Haud eſſe tentandam cenſebant, ijs autem inuitis, reditus ad fugam minùs liber patebat; haud ſatis tutum conſilium, expeditumque arbitrabantur. In venatione, qua illa, & confirmandæ valetudinis cauſa, & quod plurimum ea voluptate tenebatur, crebrò vtebatur, aduerſus inſidias error videbatur præſidio futurus; cum numquam eodem loco conſiſteret, & venantium more, huc, atque illuc, quà ferarum veſtigia ducerent, vagaretur. Quamquam nè ſatis liberè peti, & audacter poſſet, hinc amici interiores, de quorum in ſe fide, & voluntate minimè dubitabat; hinc fortiſſimorum militum manus, qui eius latera tegebant, obiecta prohibebat. Nam (quod caput erat) nullam tum multitudinem futuram apparebat, quam per tumultum tyranno interfecto, ſpes eſſet ſuos liberatores aduerſum vim, ſi qua inferretur, defenſuram. Cum per vrbem incederet, caſus vbi ſubſiſteret incertus, eũ liberabat à minime dubia, & deſtinata vi, & coniuratos eodem, quo venatione, errore implicabat. Reliquum erat vt illũ in conuiuijs adorirentur; quoniam autem magnoperè ea in re familiaribus indulgebat, facilem ſe eum, ac paratum inſidiantibus obiecturum ſperabant. Id quò minus ex ſententia ſuccederet, obſiſtebat hominum metus, qui vt maximè adoleſcentium conſilium probarent, non erant paſſuri: vt intra domeſticos parietes, Princeps interfectus, inita cũ his conſpirationis indicium eſſet; cum quidem conſcientia facinoris, quantumuis leuiſſima coniectura æquè fraudi videretur futura. Nam & illud erat veriſimile, apud familiares, & ſtudioſos ſui homines illum conuiuia inire, quorum dubiæ fidei haud ſatis tutum exiſtimabant, rem tantam committi. Ita quando alio omnia conſilia minus expedita videbantur, conſtituerunt illum in pompa, & populi celebritate adoriri. Cum enim propter alia multa quæ indigna, & non ferenda quotidiè patiebatur, oppreſſa ciuitas tributis grauiſſimis iamdiu tot malorum vindicem quæreret, omninò futurum credebant, vt ad tegendos eos, qui communis ſalutis, & libertatis authores, tyrannum tanto ſuo periculo ſuſtuliſſent, ingenti ſtudio, conſenſuque accederet. Illud prætereà conuenit; ſi quis ex coniuratis, aut multitudine à rei atrocitate auerſa, aut in omnium trepidatione, & tumultu territa, in vincula duceretur; tum cæteri ſibi ferro via patefacta, eum quando à morte minùs liceret, vindicare à carnifice, & terrore conarentur. Neque enim dubitabant, quin homines crudeliſſimi, quos diu innocentium ſanguine Galeatius ſagittaſſet, per omnia tormenta excruciatum ad ſupplicium raperent. Suſceperat Galeatius, hoc tempore, quo ea Mediolani agebantur, bellum aduerſus Salaſſios, & Taurinos, cæteraſque Subalpinas gentes: cauſa autem ea belli ferebatur, quòd Philiberti Allobrogum Principis Iſabella mater, cuius authoritate imperium adminiſtrabatur, prodita à ſuis, & in Sequanos traducta erat. Qua ex re cùm ciuitates tumultuarentur, atque à Principe deficerent, Galeatius ad ſuam exiſtimationem pertinere exiſtimabat, vt eas armis coactas, cogeret Philiberti imperio parere. Nam quò id ſtudioſius ageret, non eum ſolum noua cum Philiberto cõiunctio inſtituta, cũ illi filiã puero adhuc deſpondiſſet, ſed cura etiam ſuarum rerum permouebat. Cum ergo ciuitatũ aliquot, partim vi, partim deditione recepiſſet; inuite, quòd hyems ſuberat, dimiſſo in hyberna, celebraturus Chriſti natalem diem, qui vitæ illi ſupremus erat futurus, Mediolanum rediji XII. Calend. Ianuarij. Coniurati intereà, qui ſatis illum ſcirent, veteri inſtituto, ad S. Stephani, vbi rei diuinæ operam daret, poſtridie manè iturum, opportunam adeſſe occaſionem ad rem agendam arbitrati; intento illum ad omnia alia animo aggredi conſtituerunt; vanã ſpe inflati, quæ ſæpè multos fefellit, vbi minus firmo conſilio, & certa ratione niteretur, multitudinem rem gerentibus haud defuturam. Atque adeò vbi is dies aduenit, cùm ſibi eſſe comparandum præſidium aduerſus vim omnem ſtatuiſſent (id quod videbatur neceſſariò futurum, vbi fruſtrati ſua ſpe à multitudine deſtituerentur) familiares armandos, & clientes curauerunt: ad auertendos ab omni ſuſpicione animos conſulto diſſipata fama, ſe eo die Ioanni Andreæ affuturos, qui armatorum præſidio inimicis oppoſito; ijs inuitis aquæductus quoſdam aperire, qui ab his obſtruebantur, & deriuare in ſuos agros decreuiſſet. Cùm igitur illos armatos ſe ad templi fores opperiri iuſſiſſent, quò ſe eſſe venturos per cauſam ſalutandi Principis dixerant; ex amicis alios prætereà eodem adducendos, quò firmior manus ad ſubitos caſus eſſet, cenſuerunt. Vbi autem ſe eadem cauſa implicatos animaduerterent, futurum ſperabant, veluti in ſubita re, nulla alia obiecta conſilij ratione, qua deprecari imminens periculum liceret, vt ſe armis fortiter tuerentur. His rebus ad hunc modum adminiſtratis, deinceps, quæ poſt tyranni cædem agi placeret, conſtituunt. Erat enim eorum conſilium, cõtinuò vti ſtipati armatis, & multitudine frequentati eſſent, in certas vrbis partes excurrere, vbi (vt credebant) certa oſtentabatur ſpes plebem ad ſeditionem, & ad arma excitandi. Hinc validiore iam contracta manu, arcem de improuiſo, perterritis omnibus cæde tyranni occupare; atq; indè excedere iuſſa, cum liberis, ac cæteris aulæ principibus Galeatij vxore, populum ob annonæ caritatem ijs infenſum, ad eorum ſimul diripiendam domum, & ad libertatem capeſſendam euocare. Id autem eo magis ſperabant futurum quò omnibus vehementius perſuaſum erat, non ſolum illis authoribus ad plebem lacerandam, ſed ad omnia flagitia, & ſcelera adminiſtris, & tranſactoribus Galeatium vſum. In iis, qui maiore flamma inuidiæ flagrabant, Franciſcus Simoneta Calaber, Ioannes Bottus, & Franciſcus Lucanus habebantur; qui cum ſe in Principis interiorem amicitiam malis artibus inſinuaſſent, facilè authoritate, & gratia, nobiliſſimos homines deiecerant, qui maximè virtutis, & probitatis opinione excellebant. Cum his ità comparatis, conſtitutiſque rebus ſibi cætera facillima fore pollicerentur; benè manè ad Diui Stephani con-

ueniunt, eo conſilio, vt cum rei diuinæ interfuiſſent; Galeatii aduentum opperirentur. Multa quidem dicuntur illius cædem portendiſſe, quorum illa maximè illuſtria feruntur. Cum ab exercitu rediens Abiate conſtitiſſet, audiuit maiorem eius cubiculi partem, quò ad interiora corporis vtebatur, igni ſubitò correptam conflagraſſe. Quod quidem quò magis etiam prodigij loco haberetur, eodē tempore viſa crinita ſtella, efficiebat: inueterata iam, memoria veterum, opinione hominibus, numquàm illam conſpici, quin aut Magnorum Principum cædem, aut Regnorum conuerſionem, aut maiorem alium cladem portenderet. Certè (vt erat ſemel captus ſuperſtitione animus) nihil propiùs dicitur feciſſe, quàm vt ſuſceptum conſilium redeundi Mediolanum abijceret. Quò tamen eum occulta fati vi, nondum planè ſolicitudine animi diſcuſſa duceretur; ferunt ſuper equitantis caput, ternos coruos diri, ac tetri ominis auem, extitiſſe; qui tamquam ferale carmen canentes leni quidē, ac placido volatu eum comitari, atque iter eodem intendere viderentur. Enimuero illud vehementius dicitur hominem perterruiſſe, cùm iuſſiſſet eos clamore ſublato, ac crebris lapidum ictibus pelli, priore ictu necquicquam petitos, vix altero abigi, iterum repetito clamore potuiſſe. Iam cum præclaros cātus artifices conductos è Gallia vberrimis ſtipendijs haberet; nouo more, atque inſtituto iuſſit illos indui atro veſtitu, cum adiecisſet in mandatis, vt vbicumque ſacra fierent, carmen perpetuo canerent, quod expiandorum mortuorum cauſa faciendis ſacris vſurpatur. Ad hæc omnia illa dicebantur accidiſſe, quæ omni ratione etiam, & conſilio contra enitentibus, vim fati inexorabilem eſſe oſtenderent. Cum primâ luce experrectus è lecto ſurrexiſſet, indutus thoracem, quo vti eo die conſtituerat, vtrum offenſus, quod minus aptè caderet, an (id quod alii tradebant) quòd elegantiæ, & mollitiæ ſtudioſus nollet pinguior videri, eundem ſubito exuit: tamquam hoc illi eſſe curæ videretur, vt ſe inermem, quò eſſet magis ad iniuriam expoſitus, traderet armatis. Iam illud haud minus euidens: cùm eo die exire grauaretur, ac iuſſiſſet Sacerdotem acciri, qui illi erat à ſacris, quò rem diuinam in arce procurante, de more intereſſet, non eſſe inuentum: cum is arbitratus Principem, ſecutum veterum morem, ad S. Stephani iturum, eò cum omni rei diuinæ apparatu eſſet profectus. Hinc accitum Nouo commenſium Pontificem, ac ſacra facere iuſſum, eum neceſſitatis excuſatione vſum, minùs ſibi licere reſpōdiſſe. Ita eodem fato rapiente inuitum, & tergiuerſantem ad interitum, cùm paruos liberos complexus ſæpe, & deoſculatus eſſet, medium inter duos Legatos, Ferrarienſis, & Mantuani Principis, ad S. Stephani ædem veniſſe. Coniurati intereà, quo ſe magis ab omni ſuſpicione abeſſe demōſtrarent, omni tempore duriſsimo frigore maximè ſæuiente, in æditui cubiculum conuenerant, vt igni adhibito, corpus curarent. Intereà rumor perfertur, Galeatium aduentare, turba familiarium (vt fit) qui illius aduentum prænunciarent, per viarum compendia præcurrente. Ergo tres adoleſcentes confirmatis animis, cùm illos clientium atque amicorum turbæ circumſtarent, pugionibus intra veſtem abditis, fores, obſederunt. Quorum Ioannes Andreas princeps inferentem ſe Galeatium, cum ille è loco ſuperiore immineret, in iugulo, & ſub aluū ſaucium reliquit: Hieronymus eodem tempore, & in iugulo pariter; & pectore Carolus, qui propius fores à ſiniſtra conſtiterat, cum ille properaſſet, gradū inferre, humerum & tergum momento transfixit. His vulneribus confecto, atque adeò, vt priùs in terram prolapſus concideret, quàm aut eò accurrere, aut ſtringere ferrum in armatos poſſet, vix vnicum verbum *Deipara* licuit efferre, ſerò diuinam opem viſo implorare, quam viuus ſemper ſuperbiſſimè contempſerat. Interea cum in multitudine, quæ magis rei atrocitate obiecta ſubitò perterritis, & perturbatis, quàm cauſa, quæ non æquè apparebat, etiamſi optima quibuſdam iudicaretur, moueretur, neminem eſſe coniurati animaduerterent, qui liberam vocem mittere auderet; vbi diſtrictis omnium in ſe gladijs, ſe ab ijs deſertos, proditoſque ſenſerunt, in quorum virtute, & fide plurimum ſibi præſidij conſtituerant, viam, quæ nulla erat reliqua, quærere ad effugium cæperunt. Atque cum ægrè in conferta virorum, & mulierum turba euadere, circumuentis multorum armis euadere liceret, Ioannem Andream implicitum veſtium lacinijs, quas laxas, atque amplas nobiles fæminæ humi trahūt, ac nec quicquam ſe inde proripere & moliri pedes conantem, vnus ex Galeatij pediſequis Maurus genere aſſecutus interfecit: iam Carolo cum circumuentus ſubito eſſet, multis vulneribus à militibus confoſſo. At Oleatus cum ſibi ferro via patefacta incolumis è templo euaſiſſet, ad paternas ædes confugit; vnde à patre, nè eſſe particeps conſilij videretur, excluditur. Eum ille totius rei geſtæ conſcripto libello, immaniſſimum, & crudeliſſimum patrem appellat. Cum à patre deſtitutus circumſpectaret, atque hæſitaret animo; à matre, vt eſt mollis ſexus, & naturæ quodam inſtituto magis in liberos indulgens, cum ob oculos verſantem filij calamitatem minus ſuſtinere animo poſſet, Sacerdoti familiæ clienti commendatus, atque ab eo, quo tutior eſſet, mutata veſte domum perductus, in præſentia ſeruatur. Ibi cum biduum delituiſſet, ac ſublato è ciuitate tyranno non deſperaret (vt facilè ſemper hominum ſtudia ſpes magis dubia, quàm certa ratio ſequitur) populum per interregni occaſionem excitari, quod eſſe reliquum videbatur, audacia ſibi vtendum, ac fuga ſalutem petendam, meliore conſilio, quam tempore ſtatuit. Iam enim magna propoſita præmia erant, qui illum viuum Magiſtratui tradidiſſet: vt minimè ſe tutò fore mea ciuitate arbitraretur, in qua vindici libertatis ſupplicium, conſtituta præmia tyrannidis authoribus non impunitatem modò, audiret. At cum parum præſidij reliquum in fuga eſſet, itineribus vndique obſeſſis armatis; comprehenſus, atque rem, vt erat geſta, explicare ordine coactus, ſupplicij genere teterrimo afficitur; cum viuus laniatus, atque in quattuor partes diſſectus eſſet, non minore in tanto cruciatu perferendo conſtantia, quàm in tyranno interficiendo fiducia animi, atque audacia. Nam carnifice illi ad tantum ſupplicium gladio imminente, ità ex magno horrore collecto animo dixiſſe fertur; *Mors acerba fama perpetua, ſtabit vetus memoria facti.* Hunc exitum habuit, trium adoleſcentium in Galeatium Sfortiam, & huius in Sixtum Pontificem coniuratio. Fuit Galeatius, veluti monſtrum quoddam, ex ingentibus vitijs, & virtutibus conflatum. Præfulgebat in eo magnifica liberalitas, atque in omnes tam ſuos, quàm exteros beneficentia: domeſtici cultus multiplex ſplendor omnes Reges ætatis ſuæ ſuperans. Conſpiciebatur enim ingens vaſorum aureorum, & argenteorum multitudo: nobilium equorum ex omnibus nationibus conquiſitorum innumeri greges. Eminebat inprimis venaticus apparatus, quem infinito ſumptu tuebatur; vt ea res ſola illi cētenis ſexagenis millibus aureorum nummum quotannis ſtaret; immani, vt his temporibus ſumma. Nam præter ſtabula canum, inprimis oculos ſpectantium tenebant in peramplis porticibus, falconum, & accipitrum prælongi ordines perticis inſidentium; pendentia ſerica aulæa, auro, & argento egregijs acus picturis diſtincta, & variata. Doctrina, eloquentia, omnibuſque ingenuis artibus claros viros vndique conquiſitos, magniſq; ſtipendiis cōductos apud ſe in honore habebat; ad hoc bonos, & recti exempli homine, fouebat, & amplectabatur; contrà, vitiis inquinatos, & maleficos homines oderat, & inſectabatur.

*Idem Galeatius deſcribitur.*





faciles aditus, benignæ aures. Procedebant ſtipendia numquam intermiſſa, aut retardata. cuius rei tàm diligens obſeruator fuit Galeatius, vt omnes, qui illis alebantur, quæ fuit infinita multitudo tanquam in arca, condita ea haberent. Cùm diuinum expaueſceret iudicium, profuſus in largiendis eleemoſynis fuit. Aliqua tribulatione, vel calamitate preſſus, peccatorem ſe omnium maximum profeſſus, ſeruorum Dei orationes flagitauit, peccataque ſua eleemoſynis redimere conſueuit. In diuinorum celebratione, ſupremos Cantores maximo ſumptu, & impenſa conquiſiuit. Egregias virtutes, ingentia vitia deformabant, flagitia, ac fœdæ corporis libidines; quibus iniurias ſæpè addebat, ſtupratas à ſe matronas ſuis proſtituendo. Inhumana crudelitas, auaritia, ac rapacitas inſatiabilis; noua onera ſubditis, alia ſuper alia impoſita: quæ vitia virtutum ſplendorem obruentia, execrabile odium illi vulgò conflarant. Erit hoc exemplum omnibus in poſterum memorabile, nullum ſcelus, & flagitium ſatis tutum in ſumma etiam poteſtate eſſe; nullique quantumuis potenti impunè haberi iniuriam Summo in terris CHRISTI Vicario, quouis modo illatam. Aequale fatum ſuſtulit Mediceum Sixto iniurium, vt in conſequentibus dicemus.

VI. *Ferdinandus Rex exagitat Venetos.*

Inter hæc FERDINANDVS Neapolitanorum Rex, SIXTO PONTIFICI fœderatus, Venetos exagitare non intermiſit. In eorum tutela Cyprus inſula, iam à morte Iacobi Regis fuerat. Huic Ferdinandus imminens, per certos homines Reginæ viduæ animum tentauit, vt Federico filio nuberet; minimè ignarus, vbi illam in ſententiam adduxiſſet, formidabilem ſe potentiam per eius Regni adeptionem, aduerſùs alios Principes Italiæ, atque adeò aduerſùs Venetorum Rempublicam iactaturum. Erat Regina, vt dictum eſt, ex Cornelia gente Venetijs orta, & nobilitate, & diuitijs inter principes ciuitatis familias clara. Sed ità ea tamen Regi nupſerat, vt tametſi vna ex multis delecta eſſet, quæ iudicio ampliſſimi ordinis excelleret; per vnius illę affinitatem, inſtitutam ſibi cum ciuitate neceſſitudinem ceſſaret. Quod cùm nemini obſcurum eſſet; Senatus in eo ſibi laborandum exiſtimabat, ne Regina decedente ſine liberis, interuerſum à Ferdinando Regnum, Reipub. cuius iure hæreditario eſſet, eriperetur. Iam verò ille ipſe Ferdinandus Rex debilitandis Venetis, & Florentinis, ab his Fridericum Vrbinatium Principem auerterat, cuius ſumma virtus tum bellicis rebus in Italia habebatur; cùm illum, & multis alijs pollicitationibus, & ſpe liberalioris ſtipendij ſolicitatum, Neapolim euocaſſet. Quò ille profectus accepta à Pontifice fide, nihil paſſurum à Rege, cum alijs affectus honoribus, tum Regi, & Pontificij exercitus Imperator appellatus fuit. Id quidem magna Pontificis, & Ferdinandi inuidiâ, ac pari Florentinorum offenſione accidiſſe ferebant; qui magnam ſpem ſalutis, & dignitatis tuendæ publicæ, in eius hominis virtute, & fide collocâſſent. At Sixtus cum omnino Florentinis bellum inferre ſtatuiſſet, & Flaminiæ Regulos omnes, & Hetruriæ ciuitates, non deſiſtebat per certos homines ſollicitare, quarum ditionem Florentini finibus imperij attingerent. Senenſes in medio poſiti, an Sixto, an verò Ferdinando adhærerent, diutius deliberabant. Eorum conſilia Cardinalis Papienſis data epiſtola Sixto renunciabat, & quid porrò Pontifici expediret, inſinuabat iſtis verbis.

*Card. Papienſis Sixtum PP. admonet, quid expediat, inſinuat.*

*Sum debitor Beatitudini Veſtræ, omnia nunciandi, quæ aliquomodo pertinere ad rem Eccleſiæ iudico. Hæc, quæ ſcribam, ex eodem genere ſunt, & ex eodem obedientiæ fonte procedunt. Supplico humiliter, vt ſic ita omnia ſint, nec ego quomodolibet immineo. Non debet bono filio, charitas in patrem ſuum abeſſe. Iterum hoc ſeruitium totis viſceribus deprecor. Neſcio quàm putet Sanctitas Veſtra neuum, & priuatum fœdus Senenſium meorum cum Rege referre ad ſtatum Apoſtolicæ Sedis. Si vtile putat, idem putandum mihi exiſtimo, & Deo gratias ago, quòd in ianuis huiuſcemodi conſilia ſunt. Sin damnoſum cenſet, veſtræ curæ particeps ſio, & triſtante Domino, non agit letitiam filius. Referam, quæ per hos dies tractata apud hos ciues ſunt. Eorum Orator, qui Neapoli agit, priuatis quibuſdam huc ſcripſit, audiſſe ſe ex interioribus quibuſdam aulicis Regijs, optari vehementer à Serenitate ſua hoc fœdus, quod dico: ſed ideò non apertè peti, quod timeat, nè ciuitas iudicet per ſubſidia data contrà Comitem Carolum, idipſum quæſitum, & non tàm adiutos Senenſes, quàm hanc coniunctionem ſibi propoſitam. Hæc obliqua inuitatio diuerſis animis accepta hic eſt, atque eò magis mentes ſuſpendet, quò iam bis eſt repetita. Sunt, qui vltrò offerendam Regi putauerint, nullo priùs à Beatitudine Veſtra conſilio habito, nec cauſa nouæ miſſionis ad Regem Oratorum in tranſitu indicata. tantummodò gratijs habitis de præbito illis præſidio, & gratulatione facta de Montono recepto. Hæc pars ciuium nec exigua eſt, nec gratia parùm hic valens. Alij, quibus cordi ſemper fuit antiqua in Romanam Eccleſiam deuotio, & ſaniùs meditantur, diuerſum longè cenſebant, aientes miſſionem illam ad Regem, non indicata priùs cauſa Beatitudini Veſtræ, non ſumpto priùs ab ea conſilio, non illa deprecata, vt hoc ipſum fœdus ſuſcipiat; opus ingratum eſſe, deceptionem præſeferre, ad commouendam iuſtam indignationem S. V. pertinere, quæ collato ex dimidia parte ſubſidio, fructum honoris, & gratiæ totum deferri ad vnum videret. Magnis vtrinque contentionibus res eſt agitata: Illis ſolum Regem, his verò primùm Beatitudinem Veſtram, inde Regem ſpectantibus; nec ſine Beatitudine Veſtra, aut expreſſo ſuo conſilio, fœdus vllū probantibus. Vicit hæc ſanior, & prudentior pars, nec in frequenti conſilio populi decerni contrà hanc ſententiam quicquam permiſit, cùm tamen ab hora XX. vſque ad quintam noctis, extracta eſſet contentio. Secundo verò Concilio, quod heri habitum eſt, cum partem alteram puderet neglectæ Eccleſiæ. boni animum ſumminus ſumerent paſſim: cognoſceretur iactura publica, ex neglectu huiuſmodi; itum in hanc ſententiam ferè ab omnibus eſt, vt duo Oratores primùm ad Beatitudinem Veſtram veniant, illi gratias agant, de Montono gratulenter, Regis obliquam poſtulationem proponant. Sciſcitentur, num fœdus hoc probet, & Num ſuſcipere id velit, atque ità omnia moderentur, vt Beatitudini Veſtræ placere intelligent. Oratores delecti hi ſunt, frater germanus Cardinalis Senenſis, Iacobus nomine, & Laurentius Boninſegni equeſtris ordinis Princeps ſemper, & ardens tàm in ſenatu, quàm in concilio populi ad tuendam æſtimationem Eccleſiæ, & præſtandam ſemper gratitudinem Beatitudini Veſtræ, quæ beneficio ſuo iure debetur. Hic vir magnæ integritatis eſt, magnæ cognationis, & affinitatum multarum. Proſequendus, & accipiendus humanè à Beatitudine Veſtra, propter omnem caſum Eccleſiæ. Repeto, quod ab initio dixi. Aut vtilem, aut inutilem iudicat Sanctitas Veſtra, hanc nouam, & priuatam cum Rege coniunctionem. Si vtilem credit! ex arbitrio Sanctitatis Veſtræ illam ſuſcipient, nec cunctabuntur. Si ideò inutilem putat, quòd aliena incrementa ſæpè nos premant, & per illam vetus deuotio populi huius ad alium ſit tranſitura, & ſuſpicionem multis Italiæ populis allatura, in manu ſuâ eſt hunc exitum declinare. Reſponſum breue, molle commune, non feruens, ſemitetentum inter labia, & dentes, hoc ipſum præſtabit, quod dico. Lucæ etiam, vt inde quotidiè certior ſio, idem, ſed apertè tentat Rex. Senis XX. Octobris M. CCCC. LXXVII.*

VII. *Sixtus Pontifex Hetruſcos ſollicitat.*

Et quidem Rex iſta agitabat, Sixtus autem Hetruſcos ſollicitabat: quæ conſilia cum minimè eſſent Florentiæ occulta, nè quando ciuitas improuiſo bello opprimeretur, illis in omnem occaſionem intentis, vt incautos, atque imparatos adorirentur, pari induſtria, & celeritate, quæ ad gerendum bellum opportuna, neceſſariaque exiſtimarent, comparare inſtituunt. Cumque ſua ſponte ſe Federicus exauthoraſſet, Rubertum Malateſtam, Ariminenſium Regulum copiis Reipub. præficiunt: ſimul cum Perutinis, & Manfredis, qui Fauentiam in Flaminia obſidebant, fœdus ineunt; veriti, nè quando hoſtes tranſitum liberum nacti, ab ea parte in Reipub. fines, quòd magno cum detrimento ciuitatis futurum intelligebant, inuaderent. In tanto animorum ardore cum quidem

vt in apertum bellum erumperet, occaſio modò quæreretur, quò magis neceſſaria Regis, & Pontificis arma à Florentinis Principes alienarent, belli cauſæ in medium afferebantur. Querebatur Pontifex, per trium præpotentium populorum coitionem, Italiam tot iam annos bellorum perpetuis cladibus iactatam in certam perniciem adduci. Minimè verò eſſe dubium, quin conſultò ab ijs captata occaſio eſſet, dum in magno otio vacui metu homines, curaque languerent, per ſummam iniuriam, & vim imbecillioribus illatis armis, ereptas ciuitates occupandi. Hæc quidem ferebatur Pontifici cauſa fœderis cum Rege initi fuiſſe; reuera autem vt Florentinos, à quibus grauiſſimis de cauſis alienatus fuerat, coerceret. Ex eorum ſiquidem conſilio, Veneti, Hieronymo Riario exitium quoque moliebantur; & Carolum Comitem Montonium, Bratij filium, vt Peruſiæ principatum obtineret, vtque Senenſium agros vaſtaret, incitâſſe dicebantur. *Brutus hiſt. Florentin. lib. 5. & 6. Folieta hiſt. Genuen. lib. 11. Bergomen. lib. 15. Stephanus Infixura in Diarijs notis Roman. Papien. epiſt.* 671. Diruit hoc anno Regius, & Pontificius miles arcem Montonis, in quam ex agro Senenſi fugiens Carolus Comes ſeſe receperat: ipſumque Carolum in turpem fugam coniecit. *Orlandus Malauolus hiſt. Senen. p. 3. lib. 3.*

VIII. *Conciliũ in Gallia celebrat Rex Frãcia.*

Inter hæc Mediolani, varijs æmulationum ſtudijs, diſſenſionibuſque de rerum adminiſtratione cum aliquantiſper certatum eſſet, relicto Galeazij filio admodùm puero, dati ſunt tutores, qui vnà cum matre illius rempublicam adminiſtrarent, atque fœdus cum Florentinis, & Venetis à Galeazio percuſſum continuarent. Robertus Seuerinus Duci cognatione propinquus, domo exactus, ad Ludouicum Gallorum Regem in Franciam venit, ad res Italicas affectandas eum impulſurus. Florentini quoque ſibi à Sixto metuentes, auxilia ab eodem flagitabant. Et quidem Roberto ſuadenti minimè acquieuit; prædicans, quantumlibet Italiæ partem Francos armis parare, partam diutiùs tueri non poſſe, multorum ſcelerum documento compertum. Florentiam deinde ſociam, amicamque vrbem, quamuis ope armorum non iuuit, Oratorem tamen ad Sixtum, & Ferdinandum, qui bellum deprecaretur, deſtinauit; ſimul ad verecundiam, terroremue Pontificis Concilium Francorum Patrum Aureliani habuit: vbi eius loco Petrus Bellioci Dominus præſedit, conſidentibus plurimis maiorum Eccleſiarum Sacerdotibus, atque ſtudiorum Generalium, inſigniumque ciuitatum Legatis. Actum de pragmatica Sanctione reſtituenda, deque annatis Eccleſiarum, Romam non mittendis. Inter rabulas forenſes, quas Ludouicus contra Romanos Pontifices, conſtituto illis ſtipendio alebat, Martinus cognomento Magiſtri, eminebat, non multò pòſt morte abſumptus. Variatum eſt ſententijs, neque aliquid certi decretum. Vnde mox cœpti pœnitens Ludouicus, Aureliam cùm veniſſet, Contionem diſſoluit, dicens, ſe eandem Lugduni poſteà habiturum. Mandauit per id temporis, Diui Martini Turonenſis exterius feretrum quod ferreum, erat, ex ſolido argento fabricari: quod opus vſquequaque abſolutum, ducentis millibus librarum Turonenſium conſtitiſſe fertur. Cameracenſium quoque templis, ſuppellectilem ſacram auream atque argenteam, à Marraſino Præfecto ablatam, reſtitui imperauit, acri dicterio Præfectum perſtringens. Ditauerat is ſeſe auro, argentoque, ex ſacris reliquijs detracto. Itaque torque multi ponderis ornatus, cum ad Ludouicum veniſſet, illique vnus ex aulicis occurrens, torquem, quam ex ſacris reliquijs eſſe conflatam acceperat, venerari ſimulaſſet, atque palpare tentaſſet; *Noli* inquit Ludouicus, *tangere; res enim ſacra eſt.* Cùmque hæc, & alia plura in ſacrilegum dixiſſet, ablata reſtitui mandauit, religioſa cura percuſſus. Bello tunc præmebat Ludouicus Burgundos, quòd Maria Caroli Burgundiæ Ducis filia, ditiſſimarum prouinciarum hæres, Delphino nubere recuſaſſet, ſed Maximilianum Friderici Imperatoris filium, ſibi maritum adſciuiſſet, paternoque, ac materno genere orta è Regia Francorum nobilitate, primas origines ſuas non reſpexiſſet. Natæ hinc maximæ turbæ, quæ Sixtum Pontificem fatigarunt. *P. Aemilius in Ludouico XI. Guagninus lib.* 10. *Commineus lib* 8.

IX. *Turbas auertere ſtudet Sixtus Pontifex.*

At has anteuertendas Sixtus, quantum in eo fuit, Ferdinandum Neapolitanorum Regem, ſocium, ac confœderatum, magis potentem, per affinitatem efficere conatus eſt. Erat Ioanni Aragonum Regi filia Ioanna, ſed Ferdinando conſanguineitate propinqua. Eam vt is viduus poſſet in matrimonium accipere, & Caſtellæ Regis Ferdinandi, Ioannæ fratris potentiam aduersùs Gallos ſibi adiungere, Eccleſiaſticis legibus ſoluit. mox vbi illam Alphonſus Calabriæ Dux, Neapolim aduexiſſet, ad eam diademate Regio ornandam, Rodericum Borgiam S.R.E. Procancellarium, Cardinalem, Legatum Apoſtolicæ Sedis deleganit; vtque maiori nexu ſibi Ferdinandum deuinceret, Ioannem eius filium inter purpuratos accenſuit. Excepta fuit medium inter Ferdinandum, & Ioannem Cardinalem, Ioanna; atque ad diem XVI. Semptembris, operante ſacris Borgia Legato, in Baſilica SS. Deiparę Incoronatæ; ſolenni ritu vncta, coronataq; fuit, magno cum plauſu. Neapolitanorum, Aragonenſium, & Caſtellanorum. *Surita l.* 20. *Annal. c.* 7. *Hieronymus Blanca in Comment. Aragonen.*

X. *Ferdinandus Caſtellæ Rex inducias cum alijs Regibus facit.*

Ferdinandus Caſtellæ Rex id temporis, tum à Gallis, tum à Luſitanis ſibi metuebat: neque minùs à ciuilibus motibus, & Maurorum incurſibus tutus erat. Ergo cum Ludouico Gallorum. & Alfonſo Luſitanorum Rege, Sixto Pontifice operante, inducias fecit. quæ vt progreſſu temporis inter illum, & Alfonſum in fœdus æternum tranſirent, veniam nuptiarum Luſitano Sixtus conceſſit, vt is Ioannam Ferdinandi ſororem, in matrimonium aſſumeret. Albohacenus interim Granatæ Rex improuisò violatis inducijs, quæ aliquot annis ſteterant, cum quattuor millibus equitum, peditibus ad triginta millia in Côteſtanos incurrit, ſecuros, incautoſq; opprimit, octauo Idus Aprilis, ipſo Chriſti ad vitã reducis, memoria ſacro die Cieſãijs locis ignobilem pagum captũ incendit, euertit incolis trucidatis. Magnæ inde prædæ abactæ pecorum, armentorumque. Petro Fagiardo Murciæ antelato, ad defendendum excitato, ſeſe incolumes barbari in fines retulerunt, maiori incuſſa formidine, quàm damno illato. Sed noua moueri arma, & neceſſitatem impoſitam iniurias vindicandi graue erat, inteſtinis motibus nondum pacatis. *Mariana lib. 24. c. 14. & 15.*

XI. *Ioannis erga Patrem ſui Alfonſum Luſitaniæ Regem pietas.*

Certatum eſt intereà, Alfonſum inter, & Ioannem eius filium inſigni pietate. Dictum eſt, Alfonſum, in Gallias ad Ludouicum Regem, ſiue vt ab eo auxilia impetraret, ſiue vt illum Carolo Burgundioni reconciliaret, veniſſe. Cùm neutrum obtineret, erat fama cognitum, rebus planè deſperatis, Lutetia noctu profectum, vt Romam, & Hieroſolymã obiret, mutataque veſte monachum indueret, tædio magis, quàm certa voluntate cum aliquantò progreſſum, è tribus comitibus vni claue data iuſſiſſe, vti ſcrinium, quod Lutetiæ reliquerat, aperiret. In eo geminæ litteræ inuentæ; alteræ ad Gallum, quibus conſilii ſui rationem aperiebat; filium monebat alteris, vti quamprimùm Regium nomen capeſſeret, ſui nulla cura, quem Superi, homineſque deſtituiſſent: delictis tamen veniam ſperare, propitiaq; numina deinceps fore, ea calamitate, & ignominia pacata. Eam ſummam votorum eſſe. Lectis litteris, filius cum ſingultu, & lachrymis Regium inſigne deſumpſerat, tertio Idus Nouembris. A fuga pater, conſilioq; Galli diligentia eſt retractus.





deinde ad Caſcales oppidum appulſum, quinto die pòſt inaugurationem filius ingenti lætitiæ ſignificatione, mæſtum, atq; inſolita macie deformem patrem obuius excepit, in regnumque reſtituit. *Mariana ſupra. c.* 15.

XII. *Iſabellæ Reginæ Caſtellæ, & Alfonſi Soliſij Iuſtitia, & Clementia.*

Certatum eſt prætereà eodem tempore, inter Iſabellam Caſtellæ Reginam, & Alphonſum Soliſium, Epiſcopum Gaditanum de iuſtitiæ, & clementiæ mixtione. Conceſſerat illa Hiſpalim, vt ciuitatem in officio contineret. Cumq; audiſſet ciuium quærelas, de ciuilibus, criminalibuſq; cauſis, à multis temporibus non deciſis, iuſſit inſtitui ſeptimum quemque die Veneris, in quo ipſa pro tribunali ſedens, ius diceret. Sedebant ex altera parte Præſules, qui Curiam comitabãtur; ex altera Regij Senatores, & Ciuilis, Pontificijq; iuris peritiſſimi; antè ſe ſubſidebant tabelliones, ſcribæ, ſecretarij, & qui præerant à commentarijs. Aſtabant & qui inſignia Regia præferunt lictores. Nullæ dilationes, nullæ nundinæ, niſi in diem perendinum tergiuerſantibus reis concedebantur. Si qua is adeò implicita, quæ non poſſet breui tempore finiri, delegebatur diffinienda alicui ex iuriſconſultiſſimis. Mirum dictu, intrà bimeſtre tempus, omnes, quæ impendebant, compoſitæ lites, aut per ipſam, aut per illos, quibus cauſæ delegabantur. In ſceleratos, facinoroſoſque, in depeculatores decoctoreſque, in adulteros, & ſtupratores, in graſſatores, & latrones animaduerſum eſt: præterquàm in eos, qui vertere ſolum, aut in exilium timore aufugerunt. At ciues cùm viderent, vrbem malefactoribus plenam, & eſſe, neminem ferè, quem non labes aliqua tangeret, ſi iuſtitiæ rigor in vniuerſos ſæuiret, fore, vt ciuitas deſolaretur, adiunxerunt ſibi Alſonſum Soliſium, Epiſcopum Gaditanum, qui eo tempore pro Petro Mendoza, S.R.E. Cardinale, atque Archiepiſcopo Hiſpalenſi, Vicarium, prouiſoremque agebat in illa Eccleſia. Is cùm magna multitudine populi, ex omnibus Ordinibus collecta, Reginam adijt, proque venia impetranda orationem habuit, locis communibus vſus in commendanda iuſtitia, atq; miſericordia, veritate, & pace; ità tamen, vt eſſet propenſior in pacem, & miſericordiam. afferebatque illud ex Pſalmographo; *Miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt.* & de Samaritano, hoc eſt de Ieſu Saluatore noſtro, qui vulnerato à latronibus, in quos inciderat, infudit vinum, & oleum; ſed plus olei, quòd leniret dolorem, quàm vini, quod excitaret. Itemque illud; *vt ſitis filij Patris, qui in cælis eſt, qui facit Solem ſuum oriri ſuper bonos, & malos*: quodq; etſi nulla hominum ſocietas ſine iuſtitia diù ſtare non poſſet, tamen cùm iam flagitia, & facinora increbuerint, iuſtitiæ munus reſtringendum foret, niſi quatenùs exemplo aliorum temeritas eſſet coërcenda. In eo caſu, cùm omnes pariter in eandem labem trahuntur, confugiendum ad ſententiam illam Poëtæ, quæ iam abiit in adagium. *Quidquid multis peccatur, inultum eſt.* Nam ſi iuſtitia gladium non repreſſerit, omnia in antiquam ſolitudinem redigerentur: eſſetque ſummum ius, ſumma iniuria. Sequendam potiùs ſententiam Tragici, qui in Hercule furenti præſcribit.

*Si æterna ſemper odia mortales agent,*
*Nec captus vnquàm cedat ex animis furor,*
*Sed arma felix teneat, infelix paret:*
*Nihil relinquent bella. Tum vaſtis ager*
*Squallebat armis, ſubdita tectis face*
*Altus ſepultas obruet gentes cinis*
*Pacem reduci velle victori expedit*
*Victo neceſſe eſt.*

Adiecit tandẽ in peroratione miſerationis fomenta, quibus Reginam faciendæ vindictæ cupidam, cupidam compeſcuit, eoque deduxit, vt omnes rebelles donaret venia, omnique crimine abſolueret, præterquàm eos, qui aut hæreſeos impietate, aut æris alieni debito erant obnoxij. *Antonius Nebriſſen. decad.* 1. *lib.* 7. *c.* 6.

XIII. *Erigitur Vniuerſitas Tubingenſis, & pſeudo propheta quidam ſeditioſus capitur.*

Eodem anno Sixtus Pontifex, ad inſtantiam Friderici Ducis Bauariæ, & Comitis in Sphonheim, & Marchionis Chriſtophori de Baden, Ioannem Kolhauſen, Abbatem Sponheimenſem conſtituit Commiſſarium Apoſtolicum ſuper incorporatione quarundam præbendarum Eccleſiæ nouiter Collegiatæ in *VVolſen* iuxtà Moſellam in diœceſi Treuiren. quam ſupraſcripti Principes fratribus Griſeis, de communi vita nuncupatis, tradiderunt perpetuò poſſidendam; & factum in toto confirmauit. Quo etiam anno Euerhardus ſenior Comes VVirtembergenſis, qui poſteà per Maximilianum Regem Romanorum, apud VVangiones in Ducem fuit ſublimatus, Gymnaſium, ſeũ ſtudium Generale inſtituit in oppido Tubingenſi. In prouincia quoque Moguntina, Eccleſiam S. Georgij parochialem erexit in Collegiatam, & tàm ipſam, quam Vniuerſitatem ſufficientibus ſtipendijs dotatam, à Pontifice Sixto fecit confirmari, priuilegijſque neceſſarijs, more aliarum vniuerſitatum communiri, Quo etiam tempore fuit in Franconia tympaniſta quidam, brutorum paſtor animalium, homo pauper, & idiota, apud Villulam *Niclauſhauſen*, qui dixit Beatam Dei Genitricem MARIAM in campis ſibi apparuiſſe, & in mandatis dediſſe, vt publico populo prædicans vitia Clericorum, & auaritiam redargueret; telonea, & pedagia principibus non eſſe ſoluenda; omnes aquas, piſcationes, nemora & venationes, omnibus eſſe communia; Sacerdotum, & Epiſcoporum mandatis, non eſſe parendum, nec eorum curandas eſſe ſententias: neque decimas dandas eſſe, neque cenſum alicui. Ad hunc factum ex vniuerſa Alemania, tanquam ad Sanctiſſimum aliquem prophetam populorum concurſus factus eſt; multæ ei pecuniæ oblatæ, miracula ab eo conficta, & multa contra puritatem Chriſtianæ fidei patrata. Stabat homo ille fatuus in domo aliqua, & per feneſtram quodam fugitiuo Monacho, verba ſuggerente, populo prædicabat: qui tantò eum libentius audiebant, quantò libertatem Eccleſiaſticam, & dominationem Principum lædere, & imminuere conabatur. Mira ſtultorum inſania. De longinquis regionibus, fama noui prophetæ concitata, maxima multitudo hominum confluebat, miſerumque illum, & omnino fatuum hominem flexis in terram genibus adorabant, clamantes eo audiente, & tolerante, *Vir Sancte, miſerere nobis.* Sed & particulas veſtimentorum eius pro ſanctuario, & reliquijs diripiebant; ſeque felicem æſtimabat, qui eum tangere videre, vel audire meruiſſet. Continuus & ſine intermiſſione populorum concurſus illic fiebat: iacebant homines vtriuſque ſexus, & ætatis noctu in campis, pratis, & nemoribus vicinis, & multæ committebantur impuritates. Tandem Rudolphus Epiſcopus Herbipolenſis, in cuius parochia *Niclauſhauſen* eſt, ipſum pſeudo-prophetam, miſſis armatis hominibus ſuis cepit, confeſſum dolum, & impietatem præſumptam fecit exuri: & ſic ſtultorum illuc peregrinatio ceſſauit. *Trithemius in Chron. Sponheimen.*

XIV. *Nicolaus de Suitz vir ſanctus, & verus propheta floret.*

Diſſimiles huic hoc eodem tempore vixit apud Heluetios in ſolitudine Frater Nicolaus de Suitz, qui vacabat orationibus, & ieiuniis per viginti annos. Potens erat in doctrina, nec ad eum ferè quiſquam venit, qui illum conſuluerit, petieritque inſtitui, qui non diſceſſerit animo commotus, aut conſolatus, hilarique conſcientia, aut territus, & triſtis animo. Nihil vnquam in eo animaduerti potuit, quod diceret, aut faceret ad oſtentationem: verum ſimplex, apertus, ſynceruſque in homine erat animus. Ductum fuiſſe ſpiritu Deo vero, argumentum certiſſimum eſt, quòd quæ futura prædixit, euenerint, ſicut vaticinatus fuit. Prædixit Heluetiis multa, quæ humanæ mentis vi præuideri non potuerunt. Habuit autem

vxorem priùs, & liberos. Habetur pro ſancto apud Heluetios. Viginti annis nihil omninò preter Euchariſtiam guſtâſſe fertur, niſi ſemel, iubente Epiſcopo Conſtantienſi, tres panis particulas comedit *H. Mutius lib. 29. Chron. Germ.*

XV. *Item Laurentius Carthuſianus.*

Aequalis huic Laurentius Carthuſianus, in domo Capellæ Sanctæ MARIAE propè Angiam, aliquandò Prior, atque Vicarius. Ante conuerſionem cùm diues eſſet magnarum opum, haberetque plures opulentos commenſales Clericos, tactus diuino ſpiritu intrinſecus, ſubitò omnem domus ſuppellectilem vendidit, & pauperibus aurum diſtribuit. Arguentibus illum ciuibus de tanta profuſione. *Conſulit*, ait, *Chriſtus in Euangelio, vt ſi quiſpiam cupiat eſſe perfectus, vendat cuncta, quæ habet, & det egentibus, nudusque nudum ſuum ſequatur pro ſe crucifixum opificem.* Cum Iudices ciuibus prohibuiſſent, nè à diſtrahente quicquam emerent; is argentea vaſa, & quæque pretioſa integra, vt erant, pauperibus diſtribuit: omnibusque diſtractis, Carthuſianorum inſtitutum profeſſus eſt. Fuit cenſu pauper ac modicus, ſed fide, atque deuotione ditiſſimus, vitâ ſanctiſſimus, religione conſpicuus, plurimiſque à Deo gratijs condecoratus. Erat charitate in Deum, & proximum feruentiſſimus, in diuinis laudibus celebrandis ardenti affectu, in fundendis lacrymis profuſus; in contemplationibus, præſertim de paruulo, & agno, de quibus per reuelationem aliquid cognouerat, intentus: in ſui correptione rigidus; in alijs conſolandis ſuauiſſimus; in concionando facundus, & copioſus: In pauperibus recreandis adeò prodigalis, vt tempore famis, omnibus ad eum confluentibus abundè largiretur; in coërcendis refractarijs imperterritus, in obſeruatione Regularis diſciplinæ ſeuerus: in morbis hydropiſiæ, & tumoris exulcerationiſque pedum tàm vehementi, vt vermes ſcaturirent, adeò patiens, vt medicorum manum numquam admittere voluerit, dicens; *Medicus meus Dominus eſt Ieſus Chriſtus, cui me in integrum committo; qui dum volet, poterit me curare.* Prioratus officium cùm depoſuiſſet, ſtatim etiam tumorem ex hydrope depoſuit. Diuam Catherinam virginem, & martyrem aliquandò aſpicere, & ab ea roſam pulcherrimam accipere promeruit: vtque res occulta foret, nemini præter fratrem germanum rem propalare voluit. Ad extrema veniens, cùm Sacramenta Eccleſiæ ſumma cum deuotione percepiſſet, Priori ad agonales dolores confortanti reſpondit: *Ego mi Pater, nec mortem timeo, nec Diabolum mortis authorem, neque infernum, roboratus Dei gratia pertimeſco. Id enim mihi paruulus, quem colui, & Dei agnus contulerunt.* In his verbis animam efflauit, in protestò S. Barbaræ martyris, hoc anno 1477. *Dorlandus in Chron. Carthuſ. lib. 7. c. 25.*

XVI. *Fridericus Palatinus in habitu FF. Minorum ſepelitur.*

Aliquot poſteà diebus, ſcilicet 12. Decembr. obijt Fridericus Comes Palatinus Rheni, & Dux Bauariæ Elector, in habitu FF. Minorum Heydelbergæ apud eos cum ingenti pompa ſepultus, amator Cleri, Monachorum omnium obſeruantialium promotor, defenſor pauperum, & viduarum, Eccleſiarum aduocatus integerrimus; qui tanta fecit, quanta nullus in Germania Princeps in trecentis retrò annis, pro pace, & defenſione ſuorum omnium adiutorium eius poſtulantium. *Trithemius loc. ſuperiùs citato.*

XVII. *Latinus Card. Vrſinus deſcribitur.* * *ex orat. Ioan. Gatti Epiſcopi Catinen. quam in funere habuit in æde S. Saluatoris Romæ. M. S. bibl. Vatic. nu. 5626.*

Hoc etiam anno, Romæ, duo inſignes viri rebus humanis exempti ſunt, Ioannes Abbas Farfenſis, & Latinus Cardinalis, ex Vrſinorum nobiliſſima, vetuſtiſſimaq; familia. Protulit hæc ampliſſima domus Pontifices maximos, præſtãtiſſimos Cardinales quàmplurimos, Eccleſiæ Antiſtites digniſſimos in rebus bellicis peritiſſimos Duces, Cõſulares, & triumphales viros, & quod omnibus his præſtantius eſt, Eccleſiam Romanam, id eſt Chriſti Eccleſiam, ſingulari obſeruãtia proſecuta fuit. Inter eius ſtirpis proceres Latinus, maiorum ſuorum virtutes non ſolum imitatus eſt, ſed auxit, illuſtrauitq;. Pòſt ſacrum baptiſma à ſuis nobiliſſimis parentibus religioſè, & magnificè educatus, fidei rudimentis inſtructus, cũ litteris humanioribus pueritiam exornaſſet, adoleſcens Patauinum in legibus florentiſſimum gymnaſium frequentauit. vbi tantum ex doctiſſimorum virorum lectione profecit, vt inter ſuos coætaneos non poſtremum locum tenuerit, & tum Patauii, tum Peruſii ſæpe numero ſui periculum in paleſtra litteraria fecerit, multaſque iuris Ciuilis, & Pontificii repetitiones habuerit: ac denique maximo omnium conſenſu, & applauſu, vtriuſq; iuris interpres digniſſimus iudicatus fuerit. A ſtudiis litterarum in patriam reuerſus, licèt generis nobilitate, & ſcientiæ præſtantia emineret, noluit tamen in Eccleſiaſticis dignitatibus aſſequendis ſe efferre, ſed iuxta ſanctiones ſanctorum Patrum, à Pontificibus oblatas, ſumma cum humilitate ſtuduit ſuſcipere. Ad Subdiaconatus gradũ euectus, ità religioſe, & grauiter ſe geſſit, vt paruo pòſt tempore, ſumma cum laude, Coſentinam Archiepiſcopalem ſedem: & Tranenſem fuerit aſſecutus. In ea dignitate, non tantùm obſeruauit, quæ à maioribus pro ratione cultus diuini acceperat, verum vt is ſanctior, ampliorque haberetur omnibus viribus adlaborauit. His artibus, & virtutum incrementis, tantam apud omnes ſui opinionem excitauit, vt illum omnes Cardinea dignitate digniſſimum iudicarint, & Nicolaus Summus Pont. perſpiciens, quàm vtile foret, talem virum in collegio purpuratorum eſſe, qui in republica Chriſtiana generis nobilitate, & ſingulari prudẽtia valere plurimùm poſſet, eum Cardinalibus adnumerarit. In eo dignitatis faſtigio, nè contrà ſuam profeſſionem agere videretur, animum in conſulendo adeo liberum habuit, vt nec timore deiiceretur, nec precibus, aut fallacibus donis à conſtanti volũtate, Eccleſiaſticis rebus commodandi flecteretur. Catonem Vticenſem imitatus, qui Cæſaris, & Pompeii rationibus neglectis, omnia conſilia ad reipub. Romanæ vtilitatem, ab honeſto non diſiunctam referebat. Quamobrèm neq; propter amicos, neq; propter alios ſanguine ſibi coniunctos, Apoſtolici Senatus Maieſtati quicquam derogari patiebatur. Aliquando febribus laborantem, Sixtus Quartus Pont. Max. vniuerſo Cardinalium cætu comitatus inuiſerat, & cum moriturum exiſtimaret, omnia Eccleſiaſtica, quæ viuens Latinus poſſidebat, eius nepotibus, & perneceſſariis adhuc illo ſuperſtite offerebat; cum ipſe magno animo recuſauit, *neque ex dignitate Apoſtolicæ Sedis eſſe* dixit, *ſi ſanguinis coniunctioni, non meritis, aut virtutibus quicquam dignitatis concederetur.* Prudentia tanta in Latino, & rerum omnium diuinarum, humanarumque experientis adeò exercita ſcientia, vt ſi quid difficile in rebus credendis, & arduũ in rebus agendis oriretur, non alteri, quàm illi ipſi ad cognoſcendum, decernendumq; à Summis Pontificibus committeretur. Apprimè enim nouerat, diuinas, humanaſq; litteras, Sacrorum Conciliorum canones, Patrias, Eccleſiaſticaſq; conſuetudines, vitias, & inſtituta Pontificum, iura gentium, varias hominum naturas, atq; propenſiones, ex quibus propè incredibili celeritate & acrimonia coniiciebat, quid in rebus dubiis, pro ſalute in primis publica conſuleret. propterea in proſpiciendis omnibus non diſcere, ſed reminiſci, neque apprehendere, ſed memoria retinere omnia viſus eſt. In tractandis porro negotiis, neque ſublimitate ſuperari, neque multitudine obrui, nec varietate confundi vmquam potuit: maxima facilitate, iuxta, ac felicitate, cùm vniuerſa ad vtilitatem, dignitatemque Eccleſiæ referret. His de cauſis, à Pio ſecundo Pont. Max. ad Ferdinandum Neapolitanorum Regem Legatus miſſus fuit, vt & coronam Regni capiti eius imponeret, & inter eum, ac Proceres odia, ac ſimultates extirparet, pacemque illis temporibus Regno perneceſſariam com-





poneret. Ab eo Rege, & Principibus, ſupremo cum honore ſuſceptus, cùm omnia ex animi ſententia peregiſſet, *ſine vlla auaritiæ, & corruptelæ labe*, maxima omnium laude in vrbem reuerſus eſt. Neque minore integritate, Paulo ſecundo, Piceni Legationem iniunctam, obiuit: in qua propè diuina induſtria, ſtudio, atque auctoritate, vt omnes Prouincialium ſimultates, & inimicitiæ ponerentur curauit, ſanctiſſimaſque leges pro pace Prouinciæ conſtabilienda edixit. Redux in vrbem meruit, vt eius fidei cunctas Eccleſiæ facultates, Xixtus IIII. commiſerit, Camerarij S.R.E. officio illi impoſito. quod ille tanta fide adminiſtrauit, vt eius integritati, vniuerſum Patrum Collegium, teſtimonium reddiderit. Religionis inprimis obſeruantiſſimus, ità ei deditus erat, vt fidem, quam in baptiſmo ſuſceperat, integrè, & fideliter ſemper confiteretur. Cuius rei argumentum eſt, in diuini officii celebratione accurata, & attenta deuotio, Sacerdoti frequens, & humilis confeſſio, diuini Iudicij timor, & à maximis erratis abſtinentia. nec tacenda eſt ad Beatam virginem Deiparentem illa ſua ſimplex, humilis, & deuota obſeruantia, quam oſtendebat, non ſolùm in religioſa celebratione dierum, qui Virginitati incorruptæ, ac eius Maternitati, & Aſſumptioni dicati ſunt; ſed & in ieiuniorum abſtinentia, & creberrima ad eam velut Saluatoris Matrem oratione ſupplici: ex qua tantum apud eius miſericordiæ fontem aſſecutus eſt, vt ſecundùm quietem illam viderit aliquandò pro ſe filium deprecantem: ab eaque certior factus fuerit, & horæ mortis ſuæ, & quod ſibi ad inſtar Beatæ Virginis concederetur, nè in eadem hora mortis ſuæ dæmones ſalutis noſtræ acerrimos hoſtes videret. quemadmodum is, qui ei à Sacris confeſſionibus fuerat, reuelauit, & facilis eius ex hac vita tranſitus, & quaſi vultus arridens demonſtrauit. In ſuos conſanguineos, quamquam fuerit propenſior, non potuit tamen, dum in extremis laboraret, quamuis à ſummæ auctoritatis viris adduci, vt quippiam coniunctis ſecundum carnem, de rebus Eccleſiæ largiretur. In pauperes adeò profuſus, atque miſericors, vt eius domus omnibus illis ſemper pateret. Religioſos viros, ſumma pietate, & charitate complectebatur: ſacra templa diuino cultui dedicata excolebat. Aedem Diuo Saluatori, quam in Lauro vocant, à fundamentis magno ſumptu extruxit, prouentibus dotauit, ornamentis, auro, gemmiſque fulgentibus, pro diuini cultus celebratione ditauit, religioſiſque viribus attribuit. Sanctorum Ioannis, & Pauli, vt nonnulli exiſtimant, gentilium ſuorum templum, anteà incultum, ſua munificentia inſtaurauit, illuſtrauit & celebre redditum, Patribus, quos Ieſuatos vocant, donauit. Nulla Eccleſia, à Sede Apoſtolica illi commiſſa fuit, quam in diuino cultu non amplificauerit, redditibus non auxerit, ornamentis non elegantiorem, ædificijs non cultiorem reddiderit. Farfenſe, Claræuallis in Piceno, S. Saluatoris in agro Reatino Monaſteria, ad priſtinæ obſeruationis rigorem reuocauit. Doctiſſimorum virorum conſortium exambiens, menſa, hoſpitio, amicitia quàmplurimos ſibi adiunctos excoluit. A ſacris celebrandis, ferè numquam abſtinuit: hiſque, & alijs virtutibus, non tantùm Romanæ vrbis Procerum, totque, quibus grauitatem, integritatemque ſuam, probauerat Pontificum, verùm & Italię totius, & Orbis Chriſtiani virorum Principum admirationem ſui excitauit. Aetate exacta, cùm in morbum fatalem incidiſſet, & horam mortis à Diua Deiparente præoſtenſam ſibi impendere perſpexiſſet, à Saluatore mundi, cui ædem dicauerat, ſuorum erratorum veniam deprecabatur. Confeſſione tandem peracta, & cunctis Eccleſiæ Sacramentis integro ſpiritu, & deuotione ſuſceptis, animam Deo dedit. Funus in æde S. Saluatoris, quam viuens extruxerat curatum: inque conſeſſu Cardinalium, totiuſque P. R. indidem concurſu laudatio funebris pòſt Miſſarium ſolennia defuncto dicta, *à Ioanne Gattio Epiſcopo Catinenſi, quæ extat. M. S. in Bibl. Vatic. num.* 5626.

XVIII. *Familia Comitum Tuſculanorum extinguitur.*

Hoc ipſo anno Romæ extincta eſt, nobiliſſima Comitum Tuſculanorum familia, vltimo eius ſtyrpis Aloyſio Sancto Euſtachiano defuncto. Ab eius morte Sixtus Pontifex, reliquas in Sabinis ditiones, Cantalupum, Foranum, Poggium Catinum, ditioni Eccleſiæ Romanæ attribuit, neq quicquam reclamantibus. Georgio, & Agapito Interamnatibus Caſtellis, Papinienſium Regulis, qui ratione Paullæ matris, Aloyſij germanæ, eas ditiones ad ſe pertinere affirmabant. Retulit Sixtus in Tabularium Romanæ ſedis, iura ſucceſſionis deuolutæ; Caſtelli, ſatis exiſtimarunt leniendo dolori, elogium ſequens Paullæ ſcripſiſſe.

*Deo viventi*
*Paullæ Octauiæ de S. Euſtachio, Romanæ Principiſſæ,*
*Andreaſſi Caſtelli de Interamna ab Nabartium Principibus,*
*Reg. Neap. Mag. Comeſtabilis. ord. Dragonici, ac S. Michaëlis*
*militis Torquati*
*Vxori*
*Ioannis podij, Catini, & aliorum plurium Oppidorum apud Sabinos Reguli perpetui filiæ,*
*Ex magnis Tuſculanorum Comitibus, Octauia, Auguſtiſſimâ*
*Gente progenitæ, ex quibus pretèr cætera Vrbis, & familiæ*
*luminaria XIII. Pontifices ſuper ſolio Petri refulſerunt: ex qua vna tantæ proſapiæ Reliquum*
*Marchionibus Caſtellis de S. Euſtachio Rom. nobiliſſ. Baron. iure*
*ſanguinis virtus, & ſplendor manauit;*
*Vrbis nobiliſſimæ fœminæ, recolendæ memoriæ Atauæ*
*Io. Franciſcus II. Caſtellus de S. Euſtachio,*
*Marchionis Io. Baptiſtæ filius*
*Dei, & Apoſt. Sed. gratia*
*Caſtri fortis, & Sac. Rom. Imp. Marchio*
*Polinenſium Regulus,*
*Gratiſſimus Athnepos tantæ virtutis, & ſplendoris hæres,*
*Pignus hoc ſempiternum famæ, & nominis*
*P. C.*
*Anno D. M. DC. XII.*

*Sixtus. 4. in regeſtr. huius anni, Franciſcus Zazara tomo 2. nobilitatis Ital.*

# ANNO CHRISTI 1478.

## SIXTI PAPÆ IV. Anno 7. & 8.

## FRIDERICI ROMANORVM IMP. Anno 39.

I. *Varia in Italiæ contentiones & diſcordia.*

HOc anno Italia, grauiſſimis Principum contentionibus & diſcordijs, pernicioſiſſimi belli incendio excitato, propediem conflagratura videbatur, hinc Sixto Pontifice Max. & Ferdinando Neapolitanorum Rege, illinc Florentinis, Venetis, ac Ioannis Galeatij Ducis Mediolanen. tutoribus, qui patri interfecto ſucceſſerat, cum paribus viribus ſubnixi eſſent, aduerſas partes tuentibus. Præter cauſas memoratas, quas Sixtus habuit, aliæ quoque acceſſerunt non contemnendæ, quæ hunc ad vindictam exercendam perurgerent. Diximus, Laurentium Medicem, Ciuem Florentinum, authoritate, & opibus inter ſuos longè primum, adeò potentem in repub. fuiſſe, vt nihil ſine illius conſilio in Senatu decerneretur. Secundum Mediceos, qui deuitijs maximè florerent, erant ex Patiorum familia magnæ dignitatis homines, & cumprimis ciuitatis honeſti: ſed parùm Laurentij ſtudioſi. Ex his longè Princeps authoritate IACOBVS habebatur, quem ciuitas virtutis ergo equeſtri dignitate honeſtauerat. Huius erat vnica filia, quam ex pellice ſuſceperat; fratris filii, quos ille liberorum loco habebat Guillelmus, Ioannes Andreas, Franciſcus Ni-

colaus, Galeotus, atque horum Renatus patruelis. Felix quidem videri poterat, cum ad domeſticas ſpes, propagare familiæ gloriam, fratris adeò clara prole in multos annos licuiſſet; ſi aut præſentia magis fruenda æquitate animi, ac moderatione, quàm ſpe, & cupiditate ea tentanda, quæ maiora quidem priuati ciuis captu eſſent, aut vel aliorum ambitioni, vel ſuo ſibi ingenio obtemperandum cenſuiſſet. Iam pridem Coſmus Medices Guillelmo, qui fratrum maximus natu erat, Blancam ſororem Laurentij in matrimonium collocarat, familiæ nobilitate, & diuitijs adductus, quæ iam his temporibus haud erant contemnendæ, vt hoc eſſe optimum exiſtimaret. Fuit Coſmi conſilium inprimis laudandum, & à rectiſſimo certè animo profectum videri potuit. Niſi autem res euentu magis, quàm cauſa æſtimandæ, & voluntate hominum probandæ potiùs, quàm conſilio, & ratione ſunt: videbatur maximè ſalutare (vt tum erant tempora) patriæ futurum: vt breui poſteà apparuit, grauiſſimarum in Repub. calamitatum, & malorum initium fuit. Ita autem ille ſtatuerat, cùm duæ potentes familiæ iunctæ affinitate tamquam fœdere eſſent; ex mutuâ conſenſione, cùm maxima incrementa illis priuatim, tum quicquid virium per eam occaſionem quæſiſſent, Reipub. quam Medices moderabantur, acceſſurum. Diuerſa erat Laurentij ſententia, in diſpari conditione temporum, & ſtatu. Ità enim induxerat in animum, non inutile hoc ſolùm, ſed pernicioſum etiam Reipub. ac ſi vmquam ſimultas intercederet, ſuis quidem maxime periculoſum fore, quorum illi potentiæ obiecti viderentur. Hoc enim naturam hominum ferre, vt diſſentientes in pari poteſtate vehementius æmulatio afficeret, quàm cùm eſſet ſuſcepta contentio cum inferioribus ordine. Nam quicquid illud ſit, quod vtriſque concedatur; qui dignitate pares habeantur, propterea quòd viſi ſint præſtitiſſe, id videtur nolentibus, atque inuitis ademiſſe: quod magna nominis iactura victis accidit; Imbecilliores per beneficium, & gratiam id abſtuliſſe à volentibus putantur: quod magnam in his moderationis laudem habet. Atqui cùm ita Laurentius cenſeret, vtcumque priuatorum ciuium potentiam authoritate publica augeri pateretur, haud dubiè ſibi eſſe de principatu dimicandum: quantum efficere ſtudio, quantum conſequi gratia poterat, nè quando Patii, vbi ampliores in ciuitate honores, Magiſtratuſque gererent, ad maiora aſpirare auderent, ijs tùm in aliis obſiſtebat, tum maximè in honorum petitione aduerſabatur. Ex hoc Laurentii conſilio fiebat, vt quod minimè erat obſcurum; graue odium aduerſarios, in quibus iniuriæ memoria hærebat, minimè æqua ſolicitudo eum, qui author iniuriæ habebatur, vrgeret. Itaque cum eſſent adeò diuerſa ſtudia, non pariter intenti animi, & ad vindicandam iniuriam, & ad pellendam vim erant. Nam Laurentius quoniam ad domeſticam potentiam authoritas publica accedebat, ſoluto animo erat, & planè vacuo metu; Inimici, qui niſi conſilio niterentur, haud ſatis præſidii in priuatis opibus haberent: nè illi quantum ſibi ſponderet animo, in publica authoritate virium eſſet, ſibi agenda omnia, moliendaque arbitrabantur. Ex hac contentione animorum fiebat, vt Magiſtratus, qui ex Laurentij voluntate Rempub. adminiſtrabant, cum ità ille inimicis iniuriam facere perſeueraret, vt neque id illi facilè negligere, neque obliuiſci vlla ratione poſſent, Patiorum nulla in re rationem habebant, & eorum conſilia, conatuſque omnes quibuſcumq; in rebus poterant, retardabant. Ex ea familia Franciſcus Patius, magna tum Romæ negotia gerebat; cumq; cæteri ex eo conuentu homines locupletes, pro Hieronymo Riario, & Galeatio olim ſpondere non auderent, Laurentii authoritate deterriti, ipſe ſponſorem ſe conſtituerat. Erat iuuenis cum ſumma ambitio, atque ingenium acerrimum, cum animus ad prodiuis facinus, aut mẽte concipiendũ, aut exequẽdũ audacia, vbi res poſcere videretur, vt nullius magis, æquè aptus, & idoneus, Is Franciſco Saluiato Piſanorum Pontifice, quoniam eum pari eſſe odio in Laurentium intelligebat, ijs maximè de cauſis, quas ſuperiùs commemorauimus, familiariſſimè vtebatur: cum vtriuſq; autem Hieronymus Riarius æquè Laurentio, & Florentinis propter cauſas iam memoratas iratus conſilia communia habebat. Erat eorum in diſpari cauſa, vna, atque eadem ſententia, Laurentium, & Iulianum fratrem de medio tollendi. Quamdiù enim incolumes eſſent, neque Patiis tutò Florentiæ agere, atque ex maiorum dignitate; neque Saluiato Piſis Pontificatum inire; neq; Hieronymo, etiamſi magnum illi in præſentia præſidium erat in Sixti Pontificis authoritate cõſtitutum, partum per ſummam inuidiam, principatum retinere in Flaminea licebat. Veriſimile enim videbatur, non priùs Florentinos quieturos, quàm ereptam inimico vrbem opportuniſſimam ad dominii fines proferendos Reipub. omni modo, & conſilio adiudicarent. Erant, qui ferrent, Sixtum haud penitùs ab eorum conſiliis fuiſſe auerſum: cum facilè pateretur, quod nimis ea coniuratio illi inuidioſa eſſet, futura, ſuas partes, à Riario præſtari, Is, quò Patius, & Saluiatus confirmatiores in ſuſcepto conſilio rem agerent, prolixè illis erat pollicitus, fore, vt Laurentio ſublato, Pontificis authoritas, atq; auxilia adeò, illis ad ſtatum ciuitatis conſtituendum præſto eſſent. Non defuerant tamen, qui Sixtum à tanti ſceleris infamia vindicarent, Hieronymumq; affirmarent, cum eius authoritate ad cæteros confirmandos abuteretur, vt hæc ſuſpicio in Pontifice hæreret, plus æquo illi in omnibus indulgente, effeciſſe. Quæ quidẽ dum Romę geruntur, eius rei rumore Florentiam delato, à ſummo Magiſtratu fit repentè decretum, quo Franciſcus Patius adeſſe intra certum diem Florentiæ iubetur; maxima eius familiæ offenſione, qui factum hoc in ſuorum contumeliam nouo more, atque inſtituto querebantur. Neque enim niſi grauiſſimę cauſæ vrgerent, & cum de ſumma Repub. Magiſtratus referret, edicto compellari Principes ciues, præcipuè qui abeſſent, conſueuerant. At Patij, decreti iniquitate offenſi, grauẽ factã familiæ iniuriam non inuidioſa minus Laurentio, quã vera oratione augebant. Eo enim ventum eſſe patientia ciuium, vt nõ iam illi dominũ ſibi eſſe ferendum, quod mitius malum tempore coacti iam diu pertulerint; ſed dominationem, atque eam quidem importuniſſimam, & minimè tolerandam intelligerent. Ioannem Medicem regnaſſe priuatum ciuem in libera ciuitate, magna eorum infamia, per quos illi creſcere conſque licuerit; ſed ita, vt libertatis veſtigia aliqua eſſent reliqua: Coſmum filium item exercuiſſe Regnum, ſed in aduerſarios, in inimicos infeſtiſſimos, in eos, qui adductum anteà in capitis diſcrimen, & carceris indignitatem, & calamitatem exilij ſubire coegiſſent. Sæuiſſe Petrum in ſui oppreſſores, viros quidem optimos, ſed inimicos tamen: ab amicis, affinibus, cognatis abſtinuiſſe. Tempore ali impunitatem, & in eos, qui ſemel patientia obduruerint, noua, atque intoleranda imperia, iniurias omnes, atque acerbitates excogitari. Ità Petri Medicis liberos non iam, quid poſſint, modò ſentire, ſed etiam, vt quid poſſint alij intelligant, laborare: ac quò illos non ius, non æquitas, non pudor, ſed libido, ambitio, crudelitas impellat, contumelioſè, ac ſuperbè in omnes, non ordinis, non coniunctionis, non affinitatis vllâ habitâ ratione, edicere, decernere, ſtatuere. Eadem animi impotentia, publicam pecuniam qua maiores ditati, honeſtis tamen in ſpeciem nominibus cupiditatem obtexerint, expoſitam palàm quæſtui habere, ea fidem exiſtimationem, familiæ dignitatem ſuſtinere; cùm ob vnam regnandi cupiditatem vaſtam, atque imma-

*Diſcordiarum origo refertur.*





nem, domeſticas copias egentibus hominibus ſibi beneficio obſtringendis, effuderint; quorum ſcelere atque audacia, licentius in dies, & maiore cum contemptione, in ſuorum capita inſultent. Hinc decretum iniquiſſimum in Franciſcum Patium comparatum, implicatum hominem negotijs grauiſſimis, qui Roma totius familiæ magno incommodo ad dicendã cauſam euocatus apud æquiſſimos Iudices, hoc cum clientes, atq; aſſectatores, venalis fidei homines qui Reipub. ſummum Magiſtratum gerant, dimicare de capite cogatur: id ſcilicet eo cõſilio, vt per vnius calamitatẽ ſide Patiis concidẽte, iis in celeberrimo totius Italiæ conuentu, nomen, exiſtimatio, lux, ſpiritus, quem e cęlo ducant, indigniſſimè eripiatur. At quamquam hæc ita iactabant (quod iis facillimum erat, quibus dolor iniuriæ vim ad dicendum, atq; orationis aculeos ſuggerebat) neque in multitudine quicquã præſidij inueniebant, quæ erat vnius Imperio addicta; & inimicum per ſe potentem, ad faciendã iniuriã maledicendo exaſperatiorẽ reddebant. Cùm ità animi eſſent affecti, vt quantumuis minima acceſſio ad maturandã Laurentio perniciẽ ſatis momẽti videretur habitura, quò rẽ celerius aggrederẽtur, grauiores cauſas, & quibus nouæ offenſiones exorirẽtur, caſus inuexit. Nupſerat fortè per eos dies Ioanni Patio, Ioannis Borromæi hominis ditiſſimi vnica filia; ad quã mortuo patre, cùm multos prætereà liberos ſuperſtites reliquiſſet, nulla (vt ferebatur) controuerſia, bona patris hæreditate omnia perueniebant. Cùm is diſceſſiſſet, ac Ioãnis Patrius ſoceri hęreditatem vxoris nomine aditurũ ſe nullo negotio putaret; Carolus Borromæus Ioannis mortui propinquus, cùm eorum bonorum partem ad ſe pertinere contenderet, inuaſit. Qua de iniuria adeò graui, cùm Patius cùm Carolo expoſtulaſſet; vbi nihilo ſibi æquiorem futurum animaduertit, inficiantem, ac pertinacia ſummma ſuum ius perſequẽntem, in iudicium vocauit. Cognita cauſa Iudices, magna quidem ſua, ac graui infamia decretum huiuſmodi fecerunt, vt filia nullo iure, atque æquitate bonis patriis euerſa, hæreditatem illam omnem Carolo adiudicarent. Quod quidem tantum acceptum incommodum, cum grauius, atque acerbius contumelia fieret; Patii, ab vno Laurentio agnoſcebant; quem non ignorabant, enixè Borromæi cauſam gratia, atque authoritate ſua iuuiſſe. Certè præter alios permultos, qui concordiæ, atq; otii ſtudioſi habebantur, Iulianum fratrem, aiebant, in eo Laurentij moderationem, & grauitatem deſideraſſe. Nã & illũ addidiſſe dicũt, cum quidã de ea re cum eo expoſtularet, vereri ſe, niſi inimicitijs exercendis ſtatuendum ſibi aliquando modũ aliquẽ putaret, vt hi, quos minimè illius cauſa, & ſuorũ vellet, illi præfinire vi, & armis conarentur. Illud enim neminem ignorare, facilius, qui paucis contentus eſſet, quæ plurima, & maxima haberentur, quàm qui omnium cupiditate teneretur, quæ minima eſſent, in libera præſertim ciuitate adepturum; neutrum horum populo inuito cõſequi vlla largitione quęquã, & ſtudio poſſe. Itaq; cũ ad cæteras offenſiones ſibi pergeret inimicos infeſtiores reddere, nouis quotidiè iniurijs cumulandis; illud agere, quam omen Deũ immortalẽ à ſuis auertere, quam ſe ijs fœde ominari mallet, vt odiũ ſibi, atq; inuidiã apud multos compararet, quæ vix in ſigni clade familiæ poſſet expiari. Namq; perficere illum ea pertinacia animi, vt faciliora omnia inimicis, ſi quid aduerſus illum noui conſilij inirent, expeditioraque redderet, quæ res plurimum ab illius prudentia eſſe aliena videretur. Semper porro illud eſſe longo rerum vſu in omni offenſione animaduerſum, vbi quis iniuria lædatur, ſuperiorem eum inimico vlciſcendo haberi ſtudijs hominum inclinantibus in eam partem, quæ quòd ſit imbecillior, & magis expoſita ad iniuriam, videatur id illi maleficio fuiſſe. Erat in Laurentio, id, quod in magnis ingenijs quaſi inſitum à natura videmus, & fiducia ſui ingens, & ambitio par, inimica res vtraque ſanis conſilijs: vt cum propterea tanta fortunæ, adiumentà, quaſi additamenti loco accederent, æquum cenſeret omnia ab ſe vno peti: quod neque Patij videbantur, neque eorum ſimiles alij facturi, cum vt quiſque eſt maiore ambitione, ità huic non partus honos magis, qui ſæpè etiam parat indigno, quàm qua ratione partum obtineat, ſit curæ. Itaque neque fratrem audiuit ſalutaria monentem: & omnibus in rebus, quod ſemel cõducere ſuis rebus ſtatuerat, quęſita conſultò occaſione potentiæ Patiorũ infeſtus, quoad eius fieri poterat, eorum eleuare authoritatẽ in Rep. conabatur. Quæ cũ ità ſe haberent Patij, quorum diuitiæ, & copiæ ingen contineri diutiùs adeò anguſtâ, & depreſſa fortuna non facilè poſſe viderentur; ad noua conſilia (vt diximus) animum adijcere cæperunt. Ità fortè arbitrati vt & ſe in eam fortunam, quæ digna eſſet amplitudine familiæ vindicare, & Laurentio de ſtatu deiecto, vlciſci tantas iniurias eius, & contumelias poſſent. Inter eos Franciſcus Patius, cùm (vt dictum eſt) fiducia animi & audacia excelleret, cui vires maximas iniuria recens & iuſtum (vt rebatur) odium in Laurentium ſuſceptum addebat, cæteris author, vt rem ſuſciperent, celeritate vtendum exiſtimabat. Quemadmodũ autem ſuperiùs docuimus, iam de ea re Romæ cum Franciſco Saluiato, & Hieronymo Riario eſſet alloquutus, quæ cauſa fuiſſe videtur, vt Magiſtratus imperio Florentiam euocaretur. Quamquam vero erat vna res, quam conabatur, quæ non animi vim magis, quàm cõſilij magnitudinem in agendo poſtularet; neque illius ſpe maior, neque viribus animi poterat videri, ſi æquè alij impigrè & nauiter delatas ſibi partes pręſtitiſſent. Re diligenter Romæ animaduerſa, placuit Franciſcum Florentiam ire; eumque operam dare, vt Iacobum patruum familiæ principem in ſententiam perduceret. Magnæ dignitatis hominem, plurimum authoritatis, & momenti, ſi cum cæteris ſocietatem coiret, allaturum exiſtimabat. Cum Riario manere Saluiatum Romæ voluerunt; qui in omnem occaſionem intentus, vbi quem ſperarent euentum, res haberent, Pontificem ad cætera exequenda hortaretur. His rebus ita conſtitutis, Franciſcus, profectus Florentiam, ac ſua opinione magis Iacobum nactus auerſum à nouis conſilijs, ſtatim id Romã Saluiato ſignificauit. Nulla autẽ ratione adduci poſſe hominem docebat, vt in ſententiam accederet, niſi maiore authoritate interpoſita fides fieret, Pontificem (quod Riarius ſpondebat) vindicantibus ſuos in libertatem non defuturum. Qua Saluiatus re intellecta, de Riarij ſententia Ioannem Baptiſtam Monteſeccũ appellauit, vnum ex copiarum Ducibus, qui Pontifici merebant. Propterea verò quòd magni vſus hominem, & prudentiæ haberi, maximiſque beneficijs Hieronymo deuinctum ſciebat, (quod obſtrictæ fidei eſſet vinculum futurum) fore arbitrabatur, vt fortem in eo, fidelemque operam coniuratis nauaret. Eum (re demonſtrata) prudentem hominem, & quem recens Galeatij exemplum admoneret: quam difficilis, atque ardua res eſſet, principem ciuem ac nitentem populi gratia, ſine certa pernicie adoriri; minus facilem probando conſilio inueniſſet; Saluiatus difficultates omnes facilè eleuabat, cum quidẽ oſtenderet (quod facillimum erat) quæ auxilia rem gerentibus tũ à Sixto tum à Ferdinando eſſent affutura; quod ciuitatis odium in Medices eſſet ita ſopitum in præſentia, vt quãuis minima occaſio magnũ ex eo incendiũ excitare in illos poſſe videretur; quotq; & Saluiati & Patij clientes haberent, qui communi cõſilio cum his rẽ ſuſciperent, aliaſq; per multas opportunitates, quæ magno adiumento eſent ad conſilium expediendum futuræ, Nam Laurentium, & Iulianum, tamquam ſatis muniti authoritate publica aduerſum omnem vim haberentur, omni ſolicitudine, ac metu vacuo animo, inermes ac nullis comitibus per vrbem incedere; vt à quouis facile peti armis, & tolli poſſent. His ſublatis, cum ne-

n.o ſperaret præſenti rerum ſtatu, ſe diu poſſe in Repub. aut dignitatem, aut fortunas retinere; in magno conſenſu ciuitatis ſuo arbitratu Rempub. ſe vnos adminiſtraturos. Huius orationi ita Ioannes Baptiſta aſſentiebatur, vt nihil tamen temerè eſſe facturus videretur. Nam ea longè diuerſo videbantur, quæ Saluiatus afferebat, ab his, quæ fama hominum de Laurentio ferebat. Audire ſe moderatum eſſe hominem, & qui non magis diuitiarum copia, quæ cum nemini vmquam pernicioſæ, permultis ſalutares fuiſſent, haud inuidioſæ eſſe poſſent, quàm populi beneuolentia, ſuorum ciuium charitate, nobilitatis ſtudijs, omnium Ordinum conſenſu, partum in Repub. principatu tueretur. Nihil eum dici pro poteſtate imperij decernere, nihil quod gratiæ datum, nihil quod ambitioſe factum videri poſſet; omnia ex magiſtratuum, & legum authoritate, vt nihil ſibi integrum relinqueret, procurare, agere, moderari. Quod inermis incederet, & ſolus non id magis argumento eſſe, quam obnoxius inimicis, ſed quam tutus ab inimicorum iniurijs, ac ſeptus vndique & munitus amicorum beneuolentia incederet: cum qui eſſet ab armis imparatus, multo validiore præſidio, quod in bene conſentiente multitudine, & populi ſtudijs collocatum haberet, niſi ſuam ſalutem demonſtraret. Quæ res cum minimè dubia eſſet, parum ratione confirmatum conſilium haud temere probandum, homini præſertim prudenti, & rerum non imperito affirmabat. Cùm ex Ioannis Baptiſtæ oratione, magis illum diffidentia perficiendæ rei, quàm voluntate, & ſtudio improbare conſilium appareret; Saluiatus non deſperabat, vbi faciliora, certioraque illi afferrentur, ſua ſponte etiam in eam ſententiam hominem deſcenſurum. Quando igitur tentatum illius animum non abhorrere ab ea penitus ſententia conſtabat; ſatis in præſentia actum videri arbitratus, miſſum hominem fecit maiore authoritate, tamquam machina adhibita ad tantum facinus ſuſcipiendum impulſurus. Hæc dum illi ita intentè agerent; opportunè Romam fama perlata fuit, Carolum Manfredum, Fauentiæ Regulum, correptum acri, ac vehementi morbo in graui diſcrimine verſari. Qua in re magnam opportunitatem ad rem gerendam obtuliſſe caſus videbatur. Per cauſam enim in ſpeciem honeſtam, repetendi res, quæ Riarij ditionis à Carolo occupatæ dicebantur, Monteſiccum in Flaminiam poſſe mitti cenſebant: minimè autem ſuſpicioſum cuiq; fore videbatur, vbi per eam occaſionem Florentiæ qua illi erat iter faciendum ſubſtitiſſet: quo temporis ſpatio illi multa explorare, quæ ad rei ſummam pertinerent, multa agere, & moliri impune licebat. Iàm verò Riarius authoritate peruicerat, vt ſuam operam coniuratis, præter eorum omnino ſententiam polliceretur. Atque ad Laurentij animum ab omni ſuſpicione auertendum; iubebantur illum adire, & de ea re tota conſulere, veluti omnia ex illius ſententia, & perſcripto agere conſtituiſſet. Præterea eundem quod maximè in præſentia vrgebat, vna cum Franciſco Patio Iacobum patruum conuenire placebat; & quoniam inter eos, qui Pontifici militabant, honeſtiſſimum ordinem ducere, & plurimum apud illum authoritate valere ferebatur, Pontificis authoritate abuti ad expugnandum, confirmandumque illius animum hærentem & fluctuantem. Quod vt ille intentiore cura, & ſtudio ageret, antequam Roma decederet, in vulgus ſparſiſſe fertur. Sixti graui, atque accurata oratione ad rem capeſſendam, magno, atque alacri animo diſcedere: quod tamen ab alijs traditum, minimè pro certo affirmare viſum, cùm rei fœditas ab aſſentiendo magnoperè moueret. His rebus ita adminiſtratis, Roma profectus. Florentiam venit, atque vt iuſſus erat, Laurentium adijt: à quo cum eſſet comitate ſumma exceptus, de ijs, quæ à Riario in mandatis habebat, ità conſultum audiuit, vt neque prudentiorem illo quemquam, neque Hieronymi amantiorem in dando conſilio, cum eſſe inimicum non dubitaret, ex illius oratione indicari poſſe affirmaret. Illud autem ſumma admiratione in eo dignum animaduertiſſe dicitur, cum nullis ſibi viſus eſſet ſimultatibus impediri, quò minus amiciſſimi hominis, & ab omni animi perturbatione remotiſſimi officium præſtaret, Hæc Laurentij congreſsio; quæ illius ſaluti inſidiandi cauſa erat excogitata, vt ſuo loco apparebit, ſalutaris ei maximè fuiſſe fertur. Quæ quamquam ad eum modum adminiſtrauerat, quandò iam dubitare non poterat, quin Riarij voluntati mos eſſet gerendus, reliqua cum Franciſco agere, atque per eum Iacobum Patium, vt conuenerat, adire conſtituit. Cumque fortè eo tempore Franciſcus abeſſet, nihilominùs ſibi peragendum inceptum, atque cum Iacobo colloquendum cenſuit: Ità in remotiſsimam ædiũ partem ab illo abductus, minus libero animo quidem, quem Laurentij comitas plurimum, & facilitas delinierat, ſed ſumma tamen cum fide de ijs colloqui, quæ coniuratis receperat ſe acturum inſtituit. Ità iniuriarum memoriam refricando, ſpem præſentem vlciſcendi, Pontificis auxilia, & Ferdinandi, tempus ad rem gerendam idoneum, opportunitatem explicando, quæ facilem exitum & ſecundum ſponderent, ijs, qui non animum penitus metu victum cum ſpe omni abieciſſent; vſque eò illum perſuaſum reliquit, vt quamdiu is eſſet in Flaminia futurus, ſe ſpatium illud diceret ſumere ad deliberandum, vbi cum Franciſco, qui breui dicebatur Luca rediturus, diligentius ea de re egiſſet, tum verò quod ſibi faciendum eſſet, ſe conſideraturum confirmaret. Cum hoc ille reſponſum tuliſſet, conuento rurſum Laurentio, quò ſemel errore falſum ab omni alia cogitatione abduceret, inſtituto itinere in Flaminiam abijt. Hic cùm dies aliquot faciendæ fidei cauſa conſumpſiſſet, atque vt egiſſe aliquid videretur; Florentiam reuerſus, omnia, quæ à ſe acta confinxerat, ordine Laurentio expoſuit: aſsimulatæ iam conſuetudinis, & familiaritatis vſu facilè perſuaſo, vt ea ità eſſe exiſtimaret, ſimul adhibito Franciſco Patio, qui iam Luca redierat, rurſus Iacobum aggreditur, tandemque multis in eandem ſententiam dictis, quarè non cunctari ampliùs, ſed ſuſcipere audacter cum cæteris rem magnoque animo deberet, peruicit; vt & conſilium, & operam, quod factu difficilius iudicabat, ad duos fratres interficiendos polliceretur. Cum res, quam labare ſenſim ſua ſponte neceſſe erat, niſi maior authoritas acceſſiſſet, iam planè conſiſtere, ac certum ducem habere videretur, cuius magna dignitas atque exiſtimatio habebatur, quod reliquum erat, rationem, conſiliumque iniri oportebat, quo duo fratres, qui raro conſueuerant, quod diuerſis ſtudijs tenerentur, vnà eſſe, vno, eodemque tempore tollerentur. Quod cum ità ſe haberet, ac per plures adminiſtros res tranſigenda videretur, erat magnopere verendum, ne in alijs quidem conſtantia, fides in alijs, vbi mora interpoſita facultatem deliberandi daret, in multis ſtudium, atque alacritas deſideraretur. Itaque duo ſimul difficillima, atque inter ſe maximè contraria præſtare oportebat, celeritatem in agendo, ne, locus leuioribus ingenijs ad pænitendum relinqueretur; & maturitatem in tempore obſeruando pacem, ne properantibus inimicos perdere in certam perniciem ipſi adducerentur. Erat quidem Iacobi ſententia, quoniam ægrè ſperari poſſet, eò duos fratres conuenire, quo & facilis acceſſus ad vim inferendam, & tutus receptus coniuratis eſſet vt obſeruato tempore, etiam ſi eodem loco minimè liceret, vterque tamen eodem momento interficeretur. Quoniã autẽ fama erat Laurentium propediẽ Romã profecturum, illum per certos homines, id quod facile vrbis magnitudo, ac vaſtitas, efficiebat; atq; eodem tempore Iulianũ de medio tolli Florentiæ, nullo negotio poſſe arbitrabatur: cæ-





tera ſibi cum ita illos curaſſet interficiendos, fore faciliima ſpondebat. Hoc Iacobo conſilium Franciſcus non tam improbabat, quàm difficilem habere exitum cenſebat, cum in re tanta properato maximè eſſet opus. Verebatur propterea, nè diutiùs Laurentius profectionem differret, minimè neceſſariam; quod ſi accideret, perincommodè cadebat; cum nulla alia res magis, quàm dilatio temporis, & mora coniuratis infeſta eſſet futura. Nam quod cenſeret ægrè poſſe ambos eodem coire, hoc quidem nihil eſſe. Scire enim ſe vnà ſæpe inire conuiuia, & cum æqualibus ludere, & in templum conuenire, quibus in locis omnibus illos opprimere facillimum eſſet. Atque quoniam, vt res ex ſententia eueniret, permagni intereſſe arbitrabatur, vt certiora auxilia, & in tempore adeſſent, vrgebat, cenſebatque Pontificis copias in Hetruriam mouendas: nomine, vt ea oppida reciperet, quæ in Caroli Bratij filij ditione erant: id eſſe facile, quòd nemo ſuſpicari poſſet, aliam ſubeſſe cauſam Pontifici ad bellum, quàm vt pænas ab eo homine expeteret, qui Peruſinis fœderatis, & Senenſibus arma intuliſſet, qui in Romanorum Pontificum clientela eſſent. Reuera, ſi quid tumultus Florentiæ, per Laurentij, & Iuliani cædem excitaretur, fruſtrari coniuratos expectatione auxiliorum, & ijs æquè periculoſum, & ciuitate ducebat; cuius ſalus, & libertas in eius rei caſu conſiſtere videretur. Cum hoc Franciſcus ſentiret, neutrum ſequi in præſentia placuit, ea in re modo ſententia probata, vt Monteſiccus, & Patius Romam profecti, rem cum Hieronymo communicarent, ac de eius ſententia, quod optimum eſſe conſilium cenſeret, ſtatuerent. Ita Romæ re diligentiùs conſiderata, placuit bellum Carolo indici Pontificis nomine, qui exercitũ in Hetruriam induci iuberet. Id quò celeriùs fieret, qui manus militum cogerent, & rebus gerendis præeſſent, Franciſcus Tolentinas, & Laurentius Caſtellanus delecti, qui magnum vſum in re militari, & ſingularem virtutis opinionem habebant. Ijs negotium à Riario datum, vt in omnibus, quæ adminiſtranda, atq; agenda eſſent, duobus Franciſcis Saluiato, & Patio authoribus vterentur; tum vt ad eorum imperium, atque vbicumque res poſtularet, præſtò armati adeſſent. Eos quidem, adhibito Monteſicco continuò redire Florẽtiam, atque omni præciſa mora rem aggredi placebat. His ad hunc modum adminiſtratis, Florentiam, illi reuertuntur, atque alios, qui participes conſiliorum eſſent, cum tutam multorum fidem ſpes breui conficiendæ rei præſtaret, aſciſcere conſtituunt in re ardua, & difficili, complurium eſſe auxilio opus arbitrati. Inter eos Iacobus Pogij filius fuit, docti hominis, & cuius clarum nomen in eloquentiæ ſtudijs ſuis temporibus extiterat. Quæ autem illum cauſa mouerit, cur aduerſùs Laurentium coniuraret, non traditur. Adoleſcens, cuius erat acerrimum ingenium, ſũma audacia, libertatis ſtudium ingens, eius vindicandæ gloriã, & laudem ſibi ſumebat, ac tãtæ rei audendæ idoneus habebatur. Præter hunc duo Iacobi, frater alter Franciſci, alter propinquus Saluiati, tum Bernardus Bandinus, & Neapoleo Franceſius audaces homines, & qui Patijs, maximis eorum beneficijs deuincti, quamuis arduas impoſitas ſibi partes minimè recuſaturi videbantur. His accedebant duo Volaterrani, Stephanus, & Antonius, quorum ille Sacerdos, & non ineruditus, apud Iacobum Patium filiam aliquot iam annos, Latinas litteras docebat: atque hi quidem, quibus de cauſis idonei Laurentio interficiendo viſi ſint, quoniã ab alijs proditũ nõ eſt, haud libet temerè affirmare. Probabile eſt, quoniam Laurentius eius ſententiæ author ferebatur, quæ Rempub. aduerſùs patriam armauerat, inde occaſionem initi in illum conſilii ſumpſiſſe. Nam Stephanum propter inſitum odium in Medices ex patriæ euerſione, aliæ priuatim cauſæ mouere potuerunt. Veriſimile enim videtur, quòd diu in eodem conuictu cum Iacobo egiſſet, captum hominis conſuetudine; ſatis ſibi iuſtam cauſam cum illo coeundi aduerſùs illius aduerſarios cenſuiſſe. Ex Patiis vnus Renatus, nulla neque patrui authoritate, neque fratris precibus, ſibi paſſus eſt perſuaderi, vt cum his ſocietatem coiret; id ſiue iam anteà animo prouidiſſet, qualis eſſet rei exitus futurus; ſiue vt maximè lætum euentum haberet, execratus ea mala, quæ inde ſecutura eſſent. Nullius ille culpæ in Medices conſcius, niſi quis nimis illum pertinaciter fidem coniuratis præſtitiſſe arguat, quos quidem arctiſſima ſibi propinquitate coniunctos minimè prodere, popularem cauſam præſertim ſuſcipientes, debebat, de medio diſceſſit. Piſis per ea tempora Raphael Riarius adoleſcens, iuri Pontificio operam dabat, à propinquo Pontifice in Cardinalium collegium cooptatus. Hunc quidem, & Sixti gratia, & Hieronymi patrui florentem, ad confirmandos cõiuratorum animos, placuit per cauſam viſendæ vrbis, & relaxandi ſimul animi Florentiam deduci. Ea autem in re plurimum ineſſe opportunitatis videbatur. Nam ciuitate intenta ad illum excipiendum, & occultiora conſilia coniuratorum erant futura, & in illius familia, cum ea perampla, eſſet, ij facilius latere poterant, quorum vti opera ad Laurentij, & Iuliani cædem conſtituerant. Inde etiam datum iri facultatem non deſperabant, vt illos, aut Cardinali obuiam euntes, aut deducentes domum, quod officij genus duo fratres maximè magnificentiæ ſtudioſi haud neglecturi videbantur, incautos adorirentur. Cum Cardinalis Florentiam veniſſet, diuerſatus eſt apud Iacobum Patium ſuburbana illius villa, quam Montugos appellant. Quod cum commodè eueniret, certis è ſuis hominibus ad id adornatus, curauerunt à Laurentio Cardinalem ad cænam in Feſulanum inuitandum, haud illi tamen læto euentu. ſiue enim id caſu accidit, ſiue quid aliud cauſæ fuit, conuiuio, eo die Iulianus non interfuit. Ita cum ea illis occaſio effluxiſſet, dandam ſibi operam cenſuerunt, vt in vrbe, cum apud illos in conuiuio eſſet, rem agerent; vix exiſtimantes poſſe fieri vlla ratione, vt cum Iulianus etiamſi illum aduerſa valetudo tentaret, frequentiæ, atque aſſiduitatis cauſa non adeſſet. Ea re confirmata diem cædi dixerunt, qui erat XVI. Cal. Aprilis futurus, ſtudio, & ſedulitate aſſecuti, vt Laurentius eo die Cardinalem ad prandium vocaret. Quamquam verò erat magna Laurentij prudentia; quoniam tamen nullius rei ſibi conſcius erat, quæ illius animum ſollicitum haberet, & domeſtica potentia, ac ciuitatis ſtudijs tectus, minus ſibi eſſe timendum ab vlla vi externa cenſebat, nihil minus ſuſpicabatur futurum, quam vt per eam occaſionem peteretur. Cum omnino coniuratis conſtitutum eſſet eo die illos in conuiuio aggredi; totam illam noctem, quæ diem cædi deſtinatum anteceſſit, conſultandis ijs, quæ agenda in re tanta videbantur, conſumpſerunt: vt quem Laurentium, quem Iulianum adoriri, quem populum ad tumultum excitare, quemue alia exequi munia placeret, ſingulis ſuis diſtributis partibus deſignarent. At cum iam illuxiſſet. Franciſco Patio renuntiatur (quod quidem erat facillimum, tota Laurentij domo exploratorum referta) Iulianum eo die conuiuio non interfuturum. Cum non eſſe amplius cunctandum, ſed, quod fortuna minus daret ab animi robore, & vi petendum coniurati arbitrarentur, eos dum ad Diuæ Reparatæ rei diuinæ intereſſent, opprimere conſtituerunt. Quin autem per eam occaſionem, opportunitas aliqua ad rẽ agendam daretur, non dubitabant. Cum enim Cardinalis eo ſacrorum cauſa eſſet venturus, veriſimile videbatur, duos fratres Principes ciuitatis, quod quotidie facere conſueuerant, domo illum honoris cauſa deducturos. Partes Laurentij interficiendi,

*Coniurati pro Cæde Mediceorum recẽſentur.*

Ioanni Baptiſtæ attributas, cum ille recuſaſſet, ſiue comitate, & liberalitate hominis victus facinus deteſtaretur, ſiue quæ alia cauſa illius animum ab illius cæde retardaret, duobus Volateranis Antonio, & Stephano dederunt. Franciſcus Patius, & Bandinus, partes ſibi Iuliani necandi ſumpſerunt, homines cum facinus magnum aggrederentur, vt res poſteà docuit, audacia, & confidentia animi maiore. Atque nè qua mora in re tãta perturbatis, aut impedimentum afferretur, vbi Sacerdos, qui ſacra faceret, imprudens ſignum, quod inter eos conuenerat, edidiſſet, tum fieri cædis initium placuit. Quæ tanta obiecta religio, cum illa quantũuis efferatum animum, atque odio implacabilem, à tã audaci incepto deterreri æquum eſſet, ad confirmandã fiduciam animorum, & vim per illius contemptionem, ijs plurimum vſui futura videbatur. Atqui dum cæteri his agendis rebus eſſent occupati, duorum fratrum ſecuta cæde, Franciſcus Saluiatus, cui eſſe auxilio Iacobum Pogij filium placebat, neceſſariorum manu, quã haud contemnendam comparauerat, forum occupare, & Curiam; atque hinc oppreſſum Magiſtratum, vbi minus ſuis fauentem rebus comperiſſet, collegaſque ſimul illius omnes interficere iubebatur. Cum hæc ita ordine adminiſtrata eſſent; ſtata hora in ædem conueniunt, quò iam erat Cardinalis à Laurentio deductus. Erat populi ſumma frequentia, accedente ad cauſam religionis cupiditate viſendi ampliſſimi adoleſcentis & florentis maximè apud propinquum Pontificem authoritate, & gratia. At quanquam iam erant ſacra inſtituta, Iulianus, tamquam vnum eſſe fortunæ ſtudium videretur illum à tanta clade imminenti vindicare, non dum venerat in templum. Itaque nè per illius abſentiam ſæpius coniurati fruſtrarétur, quæ iam bis illos fefelliſſet, Franciſcus Patius, & Bandinus, quibus (vt diximus) datum negotium erat, eum opprimendi, domũ recta ad illam contendunt; quoniam vterque inſtitutã cum eo familiaritatẽ, & conſuetudinẽ habebat, nõ diffidentes illum, die feſto præſertim, & quo pietatis officium de more eſſet perſoluendum, deducturos. Quæ cum minus tamen procederent, multa affingendo, quę elicere poſſent animum iuuenis, vbi exiret, inuiti, & tergiuerſantis; tandem peruicerunt, vt domo egreſſus atque ijs comitatus ad ædem contenderet. Quamquã erat hominum audacia ingens, religionis ſumma contemptio odium plane inexpiabile; illud tamen non poteſt, non ſummæ admirationi eſſe cum rei tantæ cõſcientia animos verſaret, quam mox eſſent aggreſſuri; eum ipſum, quem petere ferro, ac trucidare conſtituiſſent, adire, appellare, quæ videbantur iuuenili licentia oblectandi cauſa dicere, multa ad voluptatem fingere, potuiſſe. Nam Patius (vt fertur) exploraturus, an indutus thorace, quod aliquando conſueuerat, domo exiſſet; tamquam ſtudio, & amore prouectus, dicitur illum aliquamdiu arctè complexus tenuiſſe; vix vt tandem fide facta, eſſe inermem, videretur, miſſum facere poſſe. Tametſi minime fratres Medices fugiebat, Laurentium inprimis, qui ſibi conſcius erat, quam multas odij, & alienationis illis cauſas dediſſet, Patiorum malè affectos animos inſimulatione officij latere; minimè tamen ſuſpicabantur, ita illos ſtudio & cupiditate efferri, vt non ciuili more potius ſimultates exercere, quã hoſtili odio, ac ſanguine inimicorum, & vita expetenda arbitrarentur. Itaque ſemper facilè erant paſſi pro iure eos affinitatis, & maiorum neceſſitudine ſua conſuetudine, & familiaritate vti, id quidem eo conſilio, vt cum manare odij cauſam à domeſtica potentia, quæ ijs erat inuiſa, intelligerent; hoc tamquam lenocinio delinitos, eorum animos ſibi conciliare aliquando non deſperarent. Quæ quidem opinio longè illos fefellit. Nihil enim viro forti facilius eſt, cum vitam inhonoratam ducat, quam illam execrari animo, & pretium vindicandæ iniuriæ ſtatuere. Itaque nemo eſt ita abiectus, cuius non ſit offenſio vitanda! cum in eam quis incurrit: illum in magnis etiam imperijs, & poteſtate ſumma, horrere infamis vitæ deſpicientem animum oportet; cum is illam morte ſperet, à contumelia vindicare, quæ ſit clara inimici exitio futura. Iam cum eò ventum eſſet, vt Sacerdos, qui rem diuinã faciebat, eſſet ſignum editurus, quod erat coniuratis ad cædem conſtitutum; Bernardus, qui opportunè Iuliano propinquus conſtiterat, breui gladio, quem ad hunc vſum faciendum curarat, ille pectus transfixit: cum in magna hominum turba primos vrgentibus proximis, nemo, qui opẽ imploranti auxilio eſſet, accurrere potuiſſet. Quo tanto accepto vulnere, moribundum, atque in terram prolapſum Patius adortus, alijs vulneribus multis, vt non ille iam morte, ſed cruore exſaturari, & ſanguine inimici videretur, confectum reliquit. Atque eo dicitur iracundia, & furore prouectus, vt cũ in iacentem ferro incumberet, ac ſæpius nouis infligẽdis vulneribus repeteret ictus ſeipſe in crure, grauiſſimo affecerit vulnere. Eſt author Valerius non à Bandino primum Iulianum, ſed à Patio vulneratum: ita autem rei geſtæ ordinem exponit. Cùm ad conſtitutũ ſignum Patius propius Iulianum acceſſiſſet, illum cõplexum ſub alas explorandi cauſa, an eſſet armatus, cũ illud etiam adiecіſſet, egregiè cum illo eſſe actũ, qui in morbo pinguior eſſet effectus, ſub mammã à læua parte, pugione transfixiſſe: hinc eum cũ accurriſſet, Bandinum, vna multis confoſſus vulneribus confeciſſe. Eodem tempore, quo Patius, & Bandinus Iuliano interficiendo intenti rem gerebãt, duo Volaterrani longe quidem vario euentu, cum leuiter Laurentium ſe acriter defendentẽ, in iugulo ſauciaſſent, homines, qui neque audacia, neque animi præſentia pares Bandino, & Patio, in virum (quod caput eſt) atque eum animo paratiorem Iuliano incidiſſent; infecta re, in turbam ſe hominum, & frequentia multorum & formidine, trepidationeque fluctuantem, recipere coacti ſunt. vnde cum null effugium pateret, cõprehenſi facile, ac paulo poſt ſupplicio ſunt affecti. Laurentius interea quãquam iam illos reiecerat, veritus tamen, ne maior coniuratorum manus eſſet, ſtipatus neceſſariorum, & clientium turba ſe in ſacrariũ opportunè receperat. Nãque Bandinus (tanta erat hominis confidentia, & vis) damnata cunctatione, & tarditate Volateranorum. poſt Iuliani cædem Franciſco Norio interfecto, iam erat in Laurentium impetum facturus, ſiue ad huc veteris ſimultatis memoria manente, ſiue offenſus, ꝙ Iuliano auxilio veniſſet; vt vix ille, valuis adyti occluſis, ſatis ſe munitũ ab illius ſubita vi exiſtimarit. In magno tumultu cũ perterritis hominibus neq; à quibus petẽdũ ſibi eſſet auxilium, neq; aduerſus quos arma ſumẽda, neque quid ſibi cauendum, magnopere conſtaret; Cardinalis ad aram confugit, quo in loco ſeptus corona Sacerdotum, cum aliquamdiu egiſſet; tandem poſtea tumultu ſedato, per Ciuitatis Magiſtratum eſt domũ deductus; vbi vix tectus religione Sacrorũ, ac publica fide, ſe cõtinuit. Nam quoniã ad Patios diuerterat, qui illum in vrbẽ perduxiſſent; erant, qui illum quãquam adoleſcentem non eſſe expertem conſiliorũ, ſed ſuam præſentiam coniuratis accommodaſſe, ijs de cauſis, quas ſuperiùs commemorauimus, arbitrarẽtur. Facilè autẽ id erat ſuſpicari, facientibus coniecturã ex Pontificis, & Hieronymi ſimultate, nemini quidem obſcura; cum neuter illam diſſimularet, Pontifex inprimis fretus ſumma poteſtate imperij. Itaque appoſitis cuſtodibus, qui quæcumque ageret, attentè obſeruarent, interea ſe continere domo erat iuſſus. In vrbe tum forte Peruſini aliquot exules agebant, homines egentes, atque audaciæ ſingularis. Pulſi autẽ per vim ab aduerſarijs Florẽtiã cõfluxerãt; quoniã ſtudia partiũ vigere inter potẽtes ciues non ignorabãt, certa ſpe adducti, quo domeſticam egeſtatem tuerentur, paratum ſibi ſubſidium à priuatorum liberalitate non defuturum. Horum peropportunam operam Patij arbitrati ad ciuitatis ſta-

Iulianus Medices vulneratur.





tis ſtatum conſtituendum; cum aliarum maximarum rerum pollicitatione, tum ſpe certa in patriam reditus vbi Medices ſuſtuliſſent, in ſententiam adduxerant: factioſos homines, & multorum cædibus, & ſanguine contaminatos. Ita Saluiatus ad cæteram hominum manum, quos partim è ſuis, partim in amicis, & neceſſarijs permultos coegerat, Peruſinis exulibus adiunctis in Curiam venit, ac cæteris iuſſis ſubſiſtere ad fores, quò excitato tumultu fugientibus aditus præcluderetur; ſcalas conſcendit, exulum præſidio munitus. Hinc cum propè atrium veniſſet, quo Vexillifer cum collegis prandebat (is erat Cæſar Petrutius, quem in Prati defectione, ſupplicio deſtinatũ fortuna magno adiumento futurum ad Medicum potentiam ſtabiliendam reſeruauerat) à ianitore, vt paucis loqui cũ illo liceret, poſtulauit, quæ vt cognoſceret, permagni illius intereſſet. Facilè poteſtate facta, cum in cubiculum interius intromiſſus, dicere, quæ vellet, iuberetur, comites in ſcribarum proximo atrio repentè foribus introrſus, cum ſuo pondere agerentur, clauſis, foris excluſi aditu manſerunt. Erat enim ſerra eo artificio facta, vt quidem leui impulſu atque adeò ſua ſponte claudi, recludi eadem niſi claui adhibita haud poſſet. At Saluiatus ſeductum ab alijs Petrutium, veluti aliquid à Pontifice haberet, quod illi eius nomine exponi oporteret, ita alloqui inſtituit, vt hinc parum verba coherentia, hinc vultus, & motus inconſtantia, perturbatum metu, atque horrore animum indicaret, nihil idẽ, quo mente conceptum facinus occultaret, præſeferret. Ita Vexillifer ex illius perturbatione, collecto animo, cum id, quod erat, ſubeſſe inſidias ſuſpicaretur, ſublato clamore, ac familia excitata, è conſpectu ſe repentè foras proripuit. Hinc cum illi fortè occurriſſet Iacobus Pogij filius, vi manu arreptum lictoribus vinciendum, aſſeruandumque tradidit comitibus pariter ponere arma, & ſe tradere ſummo Magiſtratui iuſſis. At cæteri ad tumultum multitudinis clamore excitati, qui Magiſtratui aſſiſtere conſueuerant, armis, quæcumque ad manus erant, arreptis, Saluiatũ, ac ſuos omnes, cum eorum magna pars tamquam incluſi cauea laterent, aut viuos captos ſuſpendi pro Curia, aut reſiſtentes interfici iuſſerunt. Inter eos, qui ſunt tam fœdo ſupplicio affecti, duo Iacobi, Saluiati & Pogij filius alter; atque qui eorum omnium dux erat, Franciſcus Saluiatus, cum propter nobilitatem familiæ, Piſanorum Pontificatu inſignis haberetur: Interea qui iuſſi erant, ad fores operiri, cum ſuperius tumultum excitatum audiſſent; militibus per paucis, qui in ſtatione erant, oppreſſis, omnia inferius occupauerant; videbanturque mox quã quam ingreſſus erat, armatis munitus, in ſuperiorem contignationem impetum facturi. Et ſi autem ad tumultum concurſu hominum facto, multi iam aderant, qui factionis Patiorum eſſentque neque armati tñ cum aditu prohiberentur, foribus ob eam ipſam cauſam occluſis, eſſe præſidio, neque inermes, qui ipſi conſilij inopes inprimis hærerent, quicquam opis poterant aut auxilij afferre. Interea Bernardus Bandinus, qui etiamſi ſuſceptas à ſe partes egregiè præſtitiſſet, Laurentium eſſe tamen incolumem, qui totius rei caput erat, Franciſcum Patium graui vulnere affectum, in quo ſpem omnem bene rei gerendæ collocauerat, minus eſſe idoneum ad cætera obeunda intelligeret; deſperato rei euentu, ſibi ipſe quando minus alijs licuerat, conſulere decreuit, ac fuga ſalutem quæſiuit. At Franciſcus Patius cum reuerſus domum, vulnere obligato equum conſcẽdiſſet, ex illius iactatione, ſanguine vberius effluente, domum rurſus redire eſt coactus. vbi cum minus ipſe ſaucius cætera poſſet peragere, obſecrando, obteſtandoque peruicit, vt Iacobus patruus equo cõſcenſo per vrbem excurrere, ac multitudinem concitatam ad libertatem vocare, tum alia, quæ vſus poſtularet, quando ſibi minus per vulneris cruditatem liceret, obire ſedulo vellet. Ipſe, cum vulnere grauius recrudeſcente, feſſum vires deficerent, collocari ſe in lecto iuſſit. Iacobus interea quamquam neque ſatis ipſe per ætatem poterat, & ſuo ingenio ab armis abhorrebat; cum id tamen ab inuito temporis anguſtiæ extorquerent, aſſumptis ſecum circiter centum armatis, quos ad huiuſmodi caſum comparauerat, quacumq; vadebat, clamore ab illis ſublato, non deſiſtebat, hinc nominatim hominis appellando, hinc vniuerſos hortando, ad arma, quæ ipſis priuatim ſalutaria, & Reipub. eſſent, excitare. Pro ſuis ciuibus, aſſertorem ſe omniũ libertatis arma cepiſſe; caput, vitã, fortunas vti improbis hominibus obuiã iret, qui illi inſidiarentur in diſcrimen obieciſſe: vt non magis cum ita de patria meritus ſit, pro hoc tam inſigni pietatis ſtudio parem ſibi referri gratiam ſperet: quam intelligat, vbi fruſtra patriam à ſe opem implorare boni, & amantes Reipub. ciues patiantur, pernicioſum id omnibus, & graue futurum. Ac ſi cunctentur, ſibi eſſe auxilio patriæ liberatori, quam quidem minimè pati potuerit per paucorum ſtudium, & gratiam, magnitudinemque largitionum inuadi, ac tanto ſuo periculo aſſerere in libertatem aggreſſus ſit: quem alium poſtea, cui haud dubia pernicies propoſita nulla populi gratia, nulla laudis ſpes ſit, rem tantam auſurum? At ſibi quidem quamquàm deſertum ſe, & proditũ ab ijs intelligat, à quibus minimè debeat, pietatis, laudem tamen propoſitam, cuius fructus vbertimus ſit priuatis ſuis fortunis, patria, propinquis, fratris liberis, quos filiorum loco habitos, adoleſcentes clariſſimos & florentiſſimos ciuitatis pro patriæ ſalute in perniciem certam adduxerit; omnibus denique, quæ ſunt in vita magis expetenda, multo ſemper antiquiorem futuram. Hæc tametſi celſo, erectoque animo vir ſummæ dignitatis, ſeptus fortiſſimorum iuuenum manu ad populum iactabat: nemo tamen conſpiciebatur, qui aut paulo liberiore quærela, aut tacita admurmuratione indicare liberi hominis ſenſum, atque ſe qui adhortantem auderet; diuturno vſu ita populo delinito, vt libertatis pretium libertate charius, potiuſque haberet. Ita hac tanta deſtitutione perculſum, cum iam in forum progreſſum & vox ſimul, & vires, & ſpes maxime deficeret; delecti milites ex Prætoria cohorte, ſaxis magno pondere de loco ſuperiore actis pellere inde, atque exturbare conabantur; vt cum in ſubiectos nulli temere ictus caderent, & crebra lapidatio, coniectioq; telorum eſſet, vna autem vox exaudiretur, cadere foro, & ponere arma iubẽtium, & præſenti fortunæ ſuccumbere, quam auerſam à vera virtute agnoſcebat, & conuerſo equo pedem referre cogeretur. Cum autem ab alijs multis, conuitijs, & probris, & maledictis, exagitaretur; à Ioanne Seriſtorio propinquo homine, quẽ caſu obuium habuit, caſtigatus non graui magis, quàm vera oratione fertur. Quid ſibi vellet, quid ſpectaret? Quid ſecutus, ciuis primarius, authoritate tanta, gratia, amicitijs, clientelis, diuitiis florens omnem vitæ anteactæ fructum in vnius horæ diſcrimen cõtuliſſet? Commune libertatis deſiderium omnium eſſe, in quibus aliquis eius modò ſenſus exiſteret (quem autẽ ſua ſponte cum vtrumuis liceret, ſeruire mallet?) libertatis patrocinium Dei immortalis vnius eſſe: qui vt populus eius ſtudio aliquo teneatur ſolus poſſit efficere: multitudinis partes cum quidem id ipſa aut negligat, aut contemnat, qui ſuſpiciendas ſibi, ac præſtãdas putet; parum quid ſui iuris, atque officii ſit agnoſcere videri. Cum ita illi omnis ſpes præciſa eſſet, non modo (quod ſibi ſpoponderat) ad ſuum arbitratum Rempub. inimicis ſublatis moderandi, ſed neque ſtatũ retinendi priuatum ſuum; quod illi vnum reliquũ erat, eodem præſidio armatorum tectus, patria cedere, inimico irato, & tanta iniuria implacabili, atque alio ſe recipere, conſtituit. Ita quemadmodum ſibi viſus erat, pietatis in patriam egregiè in præſentia officio perſo-

*Coniuratio in Mediceos cadũtur & caſorum cadauera dilaniantur & in flumen proijciuntur.*

perſoluto, flens Deum homineſque conteſtans, per ſe eo die, quo minus patriæ libertas reſtitueretur, factum non eſſe, ex vrbe, in Flaminiam per Apennini tramites iter facturus proficiſcitur. At Laurentius, cum multi ad illum re audita, præſidij cauſa ſubito, armati coiſſent domum graui defunctus vitæ periculo incolumis redijt. Ibi cognouit iam omnibus ad vnum, aut vi interfectis, aut affectis ſupplicio, qui forum, & Curiam occupauerant; cum vindicatum ſummi imperij ius eſſe à coniuratorum armis, tum Medicum nomen ingenti populi plauſu efferri, certatim vbique & celebrari. Nam veluti hanc vnam rationem opportunam populo fors obtuliſſet ab omni ſe ſuſpicione liberandi, corpora coniuratorũ diſcerpta in diuerſas partes, & deliniata, per vrbẽ vnco trahebantur; atque vt fœdũ, horrendumq; ſpectaculum, non alijs ſolùm, ſed ijs etiam videretur, qui grauiſſima iniuria & recenti affecti, ex cruore, & carnificina inimicorum ſolatium quærerẽt, mutilata eadem, ac ſanie, & cæni illuuie fœdata in Arnum proijciebantur. Eodem animorum impetu, atque ardore cum cupiditas, & egeſtas eſſet hominum crudelitati adiuncta, magnum ad omne ſcelus incitamentum, Patiorum ædes ab auara plebe direptæ; vnde, cùm omnia edita exempla libidinis & auaritiæ eſſent, in immenſis opibus, & per multorum annorum ſpatium, in diuitem, atque opulentam domum congeſtis, ampla ſæuiendi, prædandique materia obiecta, viuum Franciſcum Patium, & (vt caſu cum offenderant) nudum extractum eodem, quo cæteros ſupplicio, affecerunt. Eius porrò dicitur tanta, ſiue cõſtantia, ſiue pertinacia fuiſſe, vt cum à multitudine irata, & quæ Laurentij gratiam, per eam occaſionem captaret, nullo non conuitijs ac contumeliæ genere afficeretur, elatus animo incedens, atque eandem præſe ferens ferociam, & contumaciam oris, nulla ratione, aut vi cogi potuerit, vt verbum efferret. Ita obſtinato ſilentio & defixis in eos oculis, à quibus vinctus trahebatur, crebra ab imo pectore ſuſpiria ducebat, vt hoc eſſet indicio altam irarum molem illius animo inſidere, aut fati vrgentis vim aut populi iudicium deteſtantis; cuius haberi ſtudioſus affectabat, cũ eius cauſa teterrimum ſibi, ac fœdiſſimũ conſtitutum ſupplicium videret. Guillelmus Patius, cui Laurentij ſoror nupſerat, ſiue ille à conſcientia eius rei abeſſe crederetur, ſiue affinitas illi præſidio fuerit, vix ereptus ſæuienti multitudini, quæ vnam omnibus, atque eandem tantam conſtituebat, ſeruatuſque eſt. Apparuit tum quidem, quàm leue præſidium in populi ſtudijs, benè etiam de illius ſalute, & libertate meritis poſitum ſit; quamque temerè illi faciant, qui eo innixi, & magnas res ſuſcipiant ſibi agendas, & ſuſceptas ſibi ſucceſſuras ſperent. Nullus enim ferè per id tempus dicitur Florentiæ fuiſſe, qui aliquo modo numero haberetur, quin illum inuiſeret, fortunas, vitam, liberos pro illius ſalute, & incolumitate in omnem dimicationem obijcere pollicitus ſit. Nam & ab ijs, qui æqui erant amici, animi officium præſens hominis fortuna, & ab inimicis metus poſcebat; neceſſario, maleficij ſuſpicionem afferret, quæ in recenti populi inuidia maximè eſſe declinanda videbantur. Hæc dum Florentiæ gererentur, Renatus Patius, quem improbatis coniuratorum conſilijs è medio receſſiſſe, actus profectum eſſe diximus, cum in totius familiæ inuidia tanta, eodem ſe conflagraturum incendio non dubitaret; nuntio de his accepto, ſtatim mutata veſte, quò tutius inter ignotos homines fuga pateret, in itinere cognitus, ac comprehenſus Florentiam adducitur. Eandem fortunam Iacobus patruus ſubijt. Nam cum ferè eſſet ex Apennini faucibus euaſurus; à montanis hominibus, ad quos iam fama eorum peruenerat, quæ Florentiæ acta erant; cum ex præcipiti fuga vnum eſſe ex coniuratis [illegible] comprehenſum, ac [illegible] tradere [illegible]. Quo graui adeò caſu perturbatus; cum Patiorum ſe, ac Medicum fortunam agnoſcere dixiſſet, diu precibus defatigatis, vt aut ſeruare ſe, aut vindicare honeſta morte à fœditate ſupplicii vellent, & auerſis animis ab iis auditus eſt, quos cupiditas, & ſpes præmii amplioris cepiſſet, & Florentiam nullum non intereà genus probri, & conuitii paſſus eſt ad ſupplicium raptus. Quatriduò autem poſtquam facta cædes fuerat, vnà cum patruo Renatus damnatus (vt apparet) quod ſuppreſſam coniurationem Magiſtratui non indicaſſet: re vera quòd vindicem tot cladium, & ſuppliciorum ſupereſſe noluerint, quibus erat Patia familia euerſa, capite plectitur. In magna hominum ſtrage; cum forum eſſet ſtratum cadaueribus, ac viæ vrbis penè omnes infectæ cruore omnes affirmant, nullius mortem æquè auerſis à ſupplicio oculis, aut magis dignam miſericordia hominum, atque huius vnius viſum eſſe, præter hominis probitatem, accedente ingenii, & morum lenitate, quæ (vt ferebant) procul abeſſe ab arrogantia, & ſuperbia Patiæ familiæ videbatur. At Iacobi cadauer cũ adeò fœdum ſupplicij genus nondum ſatis animos expleuiſſet, vt neque mortuus ignominia careret; etiamſi datum à Magiſtratibus ad ſepulturam, & paulò poſt elatum, atque in ſepulchro maiorum conditum eſſet, inde extractum, atque in agro publico, ad vrbis mœnia humatum eſt. Hinc veluti nondum ſatis ſæuitum eſſet, eo ipſo ex loco plebs illud abduxit, atque eodem quo fuerat laqueo viuus ſuſpenſus, nudũ per vniuerſam vrbem, ita vt cœnum, & puluerem vbique euerrendo, indignum ſui ſpectaculum, atque atrox præberet, in Arnum proiecit: vix vmquam populo exitum reperiente, vbi aut fauere ſemel, aut ſæuire inſtituit. In hoc homine ſi quis familiæ dignitatẽ, anteactæ vitæ ſplendorem, domeſticam potentiam, diuitias, cum illius ſupremo tempore velit conferre; fateatur neceſſe eſt, rarò vmquam exemplum illuſtrius ad cohibendas, moderandaſque animi cupiditates propoſitum hominibus fuiſſe. Grauia in illo fuiſſe vitia dicuntur, quæ vt etiam re fœdiora viderentur, cum ætas, tum dignitas hominis faciebat: ſed duo illa maximè inſignia, & quibus nullus vmquam nepos profuſiſſimus, contaminatus, & perditus æquè eſſet, aleæ luſus, & maledicendi impunitas: atque cum hæc in homines ſumma, tum in Deum huiuſmodi, vt nullam colere religionem, nullos agnoſcere Diuos crederetur. Atque hac vna in re, Angelo Politiano cum cæteris conuenit, quos ipſi ſumus authores his ſcribendis ſequuti. Eidem tamen attribuunt beneficentiæ in egentes homines ſtudium ſingulare, ac iuſtitiæ, atque æquitatis cultum eximium. Itaque pridiè eius diei, quo die inter coniuratos conuenerat, vt cædes fieret, nè cui vmquam ſua aduerſa fortuna, damno, aut detrimento eſſet, vbi minus ex ſententia res proceſſiſſet, omnibus, quibus acceptas pecunias relatas habebat, ad aſſem ſoluendum curauit: neque id ſolum, ſed quicquid mercium, aut domi poſitum, aut apud ſcriptura Magiſtros ad alios pertineret, id in eo viſus ſumma religione & fide, dominis reſtitui imperauit. Ioannes Baptiſta Monteſiccus, cum longa de eo diſceptatio fuiſſet, capite plectitur: quoniam mitior cæteris, & probaſſe magis, quàm adiuuiſſe coniuratorum conſilia dicebatur impetrato à Magiſtratu, nè ſuſpendio vitam finiret, fœdo genere ſupplicij, & in proditores, ac tranſfugas conſtituto. At Neapoleoni Franceſio, & Bandino, cum ſuis rebus diffiſi fugam arripuiſſent, rerum illis exilium eſſe iuſſerunt. Guillelmus Patius, & ſi qui reliqui ex ea familia erant in arce Volaterrarum tetro carcere aſſeruari iuſſi. In hac iudiciorum ſeueritate tanta, quæ in reos conſtituebantur, ferunt, Laurentium, vt lenitatis, & clementiæ ſibi opinionem compararet, Magiſtratibus ſuam authoritatem [illegible], cum eundem ijs diceret, eſſe verendum, nè vlterius progrediendo humanitatis iura, magis cum [illegible]



lare dicerentur. Itaque multis culpa libertatis, quam in paucos reijciebat, vt finis tandem fieret ea de re quęrendi, ægrè multis precibus impetraſſe. Nam per Philippum Valorium, vnum ex intimis amicis, & cuius maximè conſilio in adminiſtranda Repub. vtebatur, ad ſe adductum, Auerardum Saluiatum Franciſci propinquum, qui metu latere dicebatur, non conſeruauit modò, ſed oblitterandæ iniuriæ, atq; animi illius confirmandi cauſa, ſibi affinitate deuinxit. Lucretia filia Iacobo Saluiato, filio fratris in matrimonium collocata; cum Franciſcus tamen Saluiatus, Piſanus Antiſtes, cędis author, & conſpirationis caput, cui Senatum occupare in medio tumultu cura data, erat, in palatio cum quibuſdam ſicarijs deprehenſus, illicò eſt ſublatus, in crucem, cuius rei à teneris annis à quodam Mathematico dicitur fuiſſe admonitus, quem tamquam futuri penitùs ignarum ſæpiſſimè irriſit. Bandinus, qui in Aſiam confugerat, paucis intercedentibus diebus, ab Mahometo Turcarum Rege vinctus Florentiam remiſſus, eandem, quam complices, fœditatem ſubiit ſupplicij. Adeò cuique hominum generi ſunt odio proditores, & omni loco honorata virtus. Ergo iàm de omnibus ſupplicio ſumpto, qui aut ipſi rei erant, aut culpæ affines, & conſiliorum conſcij habebantur, iuſta Iuliano mortuo placuit ſolui; cum funere magnificentiſſimo efferretur, vniuerſa ferè multitudine in pompa cum coniugibus, & liberis ſtudij cauſa ſequente. Eum quidem honorem, non familiæ magis, quàm memoriæ hominis, cuius humanitatem ſummam, liberalitatem, & magnificentiam laudibus efferebant, ſe habere vulgo homines in aſſentandi ſtudium conuerſi iactabant. Huic non ita multò poſteaquam eſt interfectus, filius poſtumus natus eſt, cui nomen Iulio fuit. Is à Leone Põt. Max. cuius erat patruelis, in Cardinalium Collegium aſcitus, pòſt Adriani mortem, qui Leoni ſucceſſerat, Pontifex Max. creatus, & Clemens ſeptimus eſt dictus. Hic finis coniurationis fuit in Laurentium, & Iulianum Medices; vt in quibuſdam eius perſimilis, quã Mediolani tres adoleſcentes in Galeatium fecerunt, ita cædibus hominum, multitudine ſuppliciorum, tum Principum bellico fœdere, & apparatu, quod bellum illam breue conſecutum eſt, atque quod caput videri debet beneuolentia hominum, & ſtudio in vnius hominis cæde vindicanda magis aliquanto inſignis. Cauſa præterea hæc ab altera plurimum differre eſt viſa. In illa enim tyranni crudeliſſimi vita petebatur, & qui poteſtate imperij nullis diuinis, aut humanis legibus præfinita, ad cædem, & perniciem hominum abuteretur; cum ille omni genere dedecoris, & flagitij contaminatus, crudelitate, atque immanitate ſumma, & quidem parricidio infamis execrandus merito videri poſſit. In hac ij opprimebantur, quorum merita in multos præclara niſi ea eſſent ſuſpicione affectatæ tyrannidis inuiſa, maiorumque extitiſſent; cum ad hæc omnia, etiamſi cupiditas imperij ſubeſſet, ciuilis moderatio, temperantia, atque æquabilitas, quæ animi ſtudium tegeret, in ijſdem animaduerteretur.

*Iuliani cæde Mediceorũ familia ſtabilitur.*

Illud quidem omittendum non eſt, quod multi conſtanter affirmant, Medicum potentiam, cum eo eſſet adducta, vt per ſeipſa, ac nullo impellente concideret: vnius hominis cæde numine placato, ſi quod erat familiæ infeſtum, erectam ſtabilitamque eſſe. Tantum enim fuiſſe æris alieni conflatum, quo tempore in illos coniuratum eſt, vt in præſentia nulla alia oblata facultate eius diſſoluendi, confugiendum ad publicam pecuniam Laurentio fuerit, quod inuitis ſuis ciuibus, non videbatur facilè facturus. Ita conuerſo ordine, idipſum non à volentibus modo, ſed ab ijs etiam, qui ſtudio inter ſe, atque alacritate in eo perſoluendo officio certarent, impetraſſe: cum ex illius aduerſo tempore, aut gratificandi occaſionem quærerent, aut auertendi criminis. Sua ſponte enim de gradu deiecto, in quem vt cum offenſione hominum conſcenderat, ita inuidiæ expoſitus conſpiciebatur; nemo erat futurus, qui miſericordiam tribueret; cum grauis caſus videretur è ſublimi, & celſo loco, ſed is tamen qui tamquam merenti accidiſſet, ſolatio etiam inimicis eſſet futurus. Ex cruore quidem, & cæde ſuorum (ꝙ vltimum malorum eſt) id conſequebatur, non ſolùm, vt miſericordia animi multorum, ſed eius etiam declarandæ, ſtudio tenerentur. Nullum autem ſatis aptum officii genus videtur, iniuriæ expiandæ, quæ ſanguine, & vita conſtat; multitudini inprimis, quæ non cauſis rerum afficitur, quibus prudentes mouentur, ſed iis, quæ modò intuetur; ſiue ea minùs grata ſenſui incidant, ſiue habeant, quod voluptati ſit; quam vnam rem illa perpetuò ſpectat.

II. Iſta, quæ Florentiæ acta erant, cum Pontifex, & Ferdinandus accepiſſent, iniurias in Sacrum Ordinem admiſſas vlciſci, deque principatu Laurentium deturbare, omnibus aliis improbatis conſiliis bello aperto, atque armis conſtituerunt: & Laurentium Caſtellanum cum Tolentinate copias coniungere, inq; Florentinum agrum excurrere iuſſerunt. Iam etiam Ferdinandi exercitus Truento amne tranſmiſſo, in Hetruriam deſcenderat. Intereà, quò faciliùs multitudinem Pontifex à Laurentio Medice alienaret, in ipſum quidem violatæ Maieſtatis Eccleſiaſticæ reum anathema pronunciauit, ciuitati autem, igni atq; aqua interdixit. Cùm enim vulgò percrebreſceret, vnius Laurentii cauſa Rempub. in tot mala incurriſſe; religioſam ciuitatem, cui ſanctum ſemper Pontificis nomen in maximis etiam diſſidiis maiorum memoria fuiſſet; facilè apparebat, ab eo, qui author tantarum cladium ſuis ciuibus haberetur, abductum, auerſumque iri. Verùm omnia ſecus acciderunt, ac Pontifex ſibi, & Ferdinandus pollicitus erat. Omnes enim ſiue gratia, ſiue metu in vnum Laurentium conuerſis animis, Reipub. ſalutem illius fidei, diligentiæque permiſerant; cùm videri vellent ita illum poſſe ciuitatis dignitatem, atque incolumitatem tueri; ſi animaduerteret, ſibi populi ſtudia non defore in retinenda priuata ſua. Ergo trecenti ex præcipuis ciuibus viri, in Curiam per Magiſtratum aduocati, vbi ſe Laurentio non defuturos promiſiſſent, omniaque bello neceſſaria comparaſſent, ſimul ad Venetos decreuerunt legationem, & ad Ioannis Galeatii tutores, poſtulantes, vt ex fœdere ſibi aduerſùs communes hoſtes auxilio eſſent. At nè qui Pontificis authoritate, quò minus ſibi adeſſent, deterrerentur, artes illi, quibus & alias ſemper, & eo ipſo tempore Reipub. inſidiatus fuiſſet, impoſuerunt, palam magis ſuæ libertatis, quam Pontificiæ memores dignitatis. Docebant, quòd indignum maximè tanto Pontifice eſſet, & qui Chriſti in terris perſonam gereret; cuius pacis conciliandæ, ſuadendæque hominibus, quamdiu inter homines egiſſet, ſtudium vnum fuiſſet: fouere in libera ciuitate, quæ nullius in illum iniuriæ ſibi conſcia ſemper ſacroſanctum Pontificis nomen, poteſtatemque habuiſſet, ciuiles diſſenſiones diſcordias, bella inteſtina, quæ exorta ciuium ambitione, & partium ſtudio, aut tollere ſua authoritate, aut ſedare debuiſſet. Nam quòd vix credibile videri deberet, etiamſi de latrone, ac perdito egeſtate homine referretur; certos homines, quorum opera vteretur ad ciuium principum cædem, præmiis excitatos, per aliarum rerum gerendarum occaſionem (quòd iidem in quæſtionibus expreſſiſſent) Florentiam præmiſiſſe; quò faciliùs ſibi bellum, ſublatis iis, quorum authoritas illius cupiditati, ambitionique obſiſteret, futurum eſſet. Itaque quòd iam fama omnes cognitum haberent; violatata innocentium ciuium ſanguine vrbis templa religioſiſſima; polluta ſacra, cæremonias: atque in iis, qui principes partes in admittendo tanto ſcelere præſtarent, ex ampliſſimo ordine-

delectos Pontifices, Sacerdotes, diuinæ rei adminiſtros. Quæ omnia quidem, quia vt eſſet æquum acerrima ſibi animaduerſione vindicanda duxiſſent, tantaſque Deo immortali illatas iniurias, pro ſua religione, & pietate eſsēt vlti; tamquam hoc vnū eſſent Pontificis munus, hominum nefariorum malefacta, & ſcelera tueri; eorum vindices graui nota ignominiæ afficere, bello, atque armis perſequi, libertate, patria, vita, ſi liceret, priuare conatum eſſe. Ex eodem fonte cætera manaſſe, quæ nulla iam ab eo ratione regi, & conſilio poſſent, quorum illud vnum grauiſſimum; quò omnes ab ſua ſocietate absterrerentur, diploma diuulgatum, quo in impios homines modò, & maieſtatis conuictos vti ſuperiores Pontifices conſueuiſſent. Eo populum Florentinum, omnium aditu, congreſſu, ſacris, ſpiritu communi, hac luce, ſi id fieri æquè facilè, atque expeti poſſet, prohibitum eſſe. Ac non malè in eo tamen cum Pontifice agi. Si quibus enim anteà dubium fuiſſet, cùm eorum audacia, & libido tanta extitiſſet, qui hæc eſſent auſi, à tam graui ſcelere Pontificem, aut hominum exiſtimationem veritum, aut Dei immortalis iram, & vim ſcelerum vltricem non abfuiſſe: nunc bello perſequendo ijs, qui debitum illis munus impleuerint, quo ille animo eſſet, declarare. Se quidem, qui conſtantes ſemper fuiſſent in ſuo iure tuendo, atque imminentem Reipub. ruinam à ſuis capitibus ſceleratorum hominum ſupplicio depuliſſent; nihil indignum maiorum gloria, quibus ſemper grauiſſima Pontificum authoritas fuiſſet, cuiuſque rei cauſa, tantum in ſe illius odium excitare debuerint, admiſiſſe. At ſi modò Deo immortali curæ eſſet, qua de re dubitare nemo deberet, quàm rectè Pontifex diuina in homines poteſtate vteretur; & externa arma pariter, & dirarum obnunciationem, qua ciuitati à ſacris interdictum eſſet, triſtem illam quidem, & timendam modo, qui digni eſſent vt illa peterentur; ijs, qui tantorum malorum authores, cladiumque eſſent, quas illa portenderet ruinæ, exitio, calamitati, ignominiæ futuram.

III. *Cauſæ, quibus moti fuere, recenſentur.*

Aduersùs horum quærelas tantas minimè ſibi Pontifex deerat: *Hominum ferociam, ſpiritus, contumaciam, qui Principi Chriſtianæ Reipub. toties Orbis terrarum moderatori, cui maximi Reges, atque Imperatores Auguſtiſſimi imperanti parerent, monenti, & caſtiganti ſe reſiſtere ſuperbiſſimè eſſent auſi, vi, atque armis, vt ferè beſtiæ, indomitæque ſolerent, fuiſſe domandam. Victa patientia, ſcelere, atque importunitate præfracti, & contumacis populi; id vnum reliquum fuiſſe, vt arrogantes, & ſuperbi homines per hanc rationem, ad officium, & ſanitatem reuocarentur. Neminem ſanè ità malè de Chriſtiana Repub. ſentire, quin ita cenſeat; vbi cætera, quæ mitiora ſint, minùs procedant, non armis perſequendos modò, ſed etiam profligandos, & à communione bonorum arcendos, qui iamprìdem nefarium, atque impium bellum Pontifici Maximo indixerint, ac diuinam perſonam inter homines gerenti. Quot eorum iniurias, quàm inſignes, ac graues fuiſſe? Deterritos metu, qui ſua ſponſione propinqui hominis fidem, & exiſtimationem tueri parati eſſent, quò id minùs pro ſua in Pontificem obſeruantia præſtare auderent. In ciuitatum defectione, quæ imperio Pontificum parerent, ſuſceptam, defenſamque pertinaciſſimè eorum cauſam, qui principes defectionis, atque authores extitiſſent; negatam poſſeſſionem, quibus pro ſacroſancti Imperii poteſtate, Sacerdotia ampliſſima detuliſſet, hominibus illis quidem ſummæ dignitatis, & qui iis honoribus gerendis pares: (quicumque poſteà illi euaſerint) ab eo iudicati eſſent, ad quem eius rei cognitio, & ius pertineret. Neque in eo tamen veſtigio impietatem conſtitiſſe, ſed progreſſam eſſe vlteriùs, ac vagatam latiùs. Sacerdotes ſe inconſulto, vt diuina omnia, atque humana iure confunderentur, quamquam ſi grauiſſimi etiam criminis conuicti fuiſſent, extremo affectos ſupplicio, eorum dilaniata membra, & diſtracta, atque id quidem nullo humano more, & inſtituto. Quòdque reſipiſcentibus, tametſi illis grauiſſimorum ſcelerum in Deum, atque homines damnatis numquam negatum eſſet, neque ijs factam poteſtatem, vt venia à Deo immortali, & pace impetrata, diſcedere è vita, minimeque placato liceret. Ac nè qua in re ſibi impii homines reliqui facerent; ampliſſimi ordinis adoleſcentem lectiſſimum, & dignitatem gerentem Regiæ parem, vel voluntate, vel ingenio, vel ætate à cogitatione nefarij, atque abominandi facinoris abhorrentem, cuius inſimulatus ſit, vix ſupplicio ereptum, cum de eo ſæpe eſſet actum in publico ciuitatis conſilio, domique priuato carcere aſſeruatum, datis cuſtodibus, qui aditum, atque egreſſum familiarium obſeruarent: cum in crimine nulla eſſet cauſa ſæuiendi, aut à ſui contemptione & odio, aut ab ingenio ſæuientium quæſita. Ad hæc ſpreta audaciſsimè Pontificis Maximi authoritate, cum ijs à ſacris interdixiſſet, (id quod terrori eſſe omnibus gentibus conſueuerit) Sacerdotes recluſis templorū valuis, quas diuina clauſiſſet authoritas & vis, ab iiſdem rem diuinam facere, ac ſacra adminiſtrare metu ſupplicij coactos. Poſtremò, cum nondum ſibi ſatis eſſe factum arbitrarentur, niſi in diuinam, & ſacroſanctam poteſtatem ſæuirent; eorum Imperio per Hetruriæ Antiſtites Conciliabulo indicto, aduersùs maiorum mores, atque inſtituta, qui vnum tantæ rei in terris authorem Romanum Pontificem perpetuò agnouerint; impium factum decretum, vt damnati ab eo, atque æternis ſupplicijs viuis æquè & mortuis deuotis, ſcilicet quò impietas, & ſcelus impunitate grauiùs inter homines alatur prouocare ad gentium omnium futurum Concilium liceret. Nam quod etiam ſe auſi ſint incuſare (quid autem adeò celſum inter homines, & ſublime haberi, quò non illi ſuperbia, atque audacia efferantur?) quod dignum Summo Pontifice ſtatuerit, liberas Ciuitates, ex ſeruitute grauiſſima, ſua authoritate vindicare; ad quem magis, quàm ad ſe vnum pertinere tollere tyrannos, præmiis honeſtos homines, ſupplicio improbos afficere, leges, inſtituta, iura maiorum tueri. ſe quidem non modò non abhorrere, quin potiùs ſi res poſceret, admittere velle Concilium, vbi ſperaret, ſe illorum omnium omnibus criminibus patefactis, res plurimas Eccleſiæ ablatas, ab ijs repetiturum.*

IV. *Florentini, & Galliarū Rex, Cōciliabula in Sixtū PP. cogunt.*

Memorabat Sixtus iuſſu Florentinorum coactos fuiſſe in Conciliabulum omnes Antiſtites Hetruriæ. Conuenerant ij Florentiæ in Eccleſia Cathedrali S. Reparatæ hoc anno 1478. ad diem XX. Iulii. In eo Conciliabulo ſcriptum quoddam peſtilentiſſimum conceperent aduersùs Pontificem, quò illius authoritatem vitam, mores, & rationes, præſertim in Florentinos, ſtylo acerrimo, omnibus Cædoriis, & contumeliis refertiſſimo ſuggillabant, infamabantque. Iſtud ad omnes Reges, ac Principes Chriſtianos, falſi refractarii, & propudioſi Antiſtites cum celeribus Nunciis deſtinaſſent, apud alios quidem nihil, apud Ludouicum autem Francorum Regem, multum promouerunt, vt is etiam ſecundò Epiſcoporum, & Prælatorum Galliæ cætum habuerit, & inde Oratores ad Sixtum deſtinauerit, qui iſta ex ſcripto proponerēt.

*Petitiones Regis Frāciæ à Sixto PP.*

Petunt, quod ſua ſanctitas, de illis, qui aduersùs Iulianum atque Laurentium Medices conſpirauerunt, iuſtitiam faciat. Cenſuras in Laurētium, ſuoſque fautores decretas ſuſpendat, aut tollat, & arma, quæ aduerſus illum capi iuſsit, deponat. Quod ſi non fecerit, eo ipſo petit congregari Generale Concilium in aliqua ciuitate Regni ſui, & illicò pragmaticam indicit ſanctionem, quam ſeruari iubet in regno ſuo integerrimè. Poſtremò Prælatos, & quaſuis Eccleſiaſticas perſonas in Romana Curia degentes, & in Regno ſuo habentes, beneficia ad ipſa beneficia reuocat, & per ſubtractionem fructuum redire compellit.

V. *Ad eas Sixti PP. reſponſa.*

Sixtus porro Pontifex ad hæc reſpondere, iuſsit Primò ſi rex Chriſtianiſsimus, vt audiuit Laurentium mediantibus complicibus ſuis, ipſum quoque vel aliquem pro parte ſua audiuiſſet, numquam eiuſmodi legationem deſtinaſſet. Eſt enim Chriſtianiſsimus Rex & amantiſsimus æqui, & iuſti, & quod magis ad rem facit, obſeruantiſſimus





Eccleſiaſticæ libertatis, & totius religionis Orthodoxæ, Siquidem pro Principe ſemper præſumitur, quòd quæcumque facit, pro cauſa rationabili facit: maximè verò ille Princeps, qui non ab hominibus, ſed à Deo immediatè obtinet principatum; quique non conſueuit aliquid agere ſine conſilio ſapientium, qui ad conſulendum etiam ſibi ſunt diuinitùs inſtituti. Succedunt enim Cardinales Sacerdotibus Leuitici generis, qui aſsiſtentes Iudici, qui pro tempore eſt, diſcernere habent inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſam, & cauſam, lepram, & lepram. Quando igitur SS. D. noſter fretus conſilio pariter, & aſſenſu eorum, & ſententias fulminauit, & arma ſuſcepit, ſi hoc Regiæ Maieſtati innotuiſſet, numquam ſic abſolutè, vt ab Oratoribus propoſitum eſt, dixiſſet; Suſpende iſta, tolle illa. Quippe cùm non conſueuit Chriſtianiſſimus ille Rex facilè ſe committere Iudicio Dei, & pænis, quas reſiſtentibus Iudicio Summi Sacerdotis, & eorum, qui præſunt loco, quem elegit Dominus. Eſt autem locus ille Romana Sedes. Omnia decreuit lex, quæ ait: *Qui ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui pro tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſraël, cunctuſque populus audiens timebit, vt nullus deinceps tumeſcat ſuperbia.*

*Carolus Magnus laudatur.*

Sereniſſimus D. Rex Franciæ gloriatur ſe ex ſanguine magni Caroli deriuari, & certè deriuatur ab illo, & iure poteſt de tanto genere gloriari. Verùm deberet in hac re, ſicut in alijs omnibus ſua ſerenitas conſueuit, eundem Carolum imitari; *vt imitari non pigeat, quod laudare mens approbat.* Ille enim, ſiquando à Sede Apoſtolica imponebatur ſibi iugum aliquod graue, non ſubinde mox reuocabat è Curia Romana Eccleſiaſticos Regni ſui, non reſumebat pragmaticam, non denique requirebat Generale Concilium; ſed quid faceret? ipſe dicat. Verba eius audiat Regia Maieſtas, nam digna ſunt. In memoriam, *inquit*, Beati Petri Apoſtoli honoremus ſanctam Romanam Eccleſiam, & Apoſtolicam Sedem; vt quæ nobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat Eccleſiaſticæ Magiſtra rationis. Quarè ſeruanda eſt cum omni manſuetudine humilitas, & licèt vix ferendum ab illa ſancta Sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione tolleremus. Nunc autem SS. D. noſter eidem Regiæ Maieſtati nullum iugum imponit; & ſi quod imponit Laurentio, quem ſuum cognatum appellat, non eſt importabile. Suaue eſt enim, & leue iugum Eccleſiæ, quandoquidem palàm eſt, eſſe medicinale. & ſi Laurentius ipſe de religione rectè ſentiret, etiamſi iugum à SS. Domino noſtro ſibi impoſitum grauius videretur, cum manſuetudine ferre deberet; tum exemplo præfati Caroli, tum quia, vt *inquit B. Gregorius*, contra morem Eccleſiaſticum eſt, ſi non patientiſſimè à Papa tolleratur, etiamſi contingat iniuſta correctio.

Licèt autem SS. D. noſter de Iudicijs ſuis nulli teneatur exhibere rationem, quoniam vt Beatus Symmachus ait; Aliorum hominū cauſas Deus voluit per homines iudicare, Sedis verò iſtius Præſulem ſuo ſine quæſtione reſeruauit arbitrio. Voluit Beati Petri Apoſtoli ſucceſſores cælo tantū debere innocentiam. Nihilominus Beatitudo ſuo exemplo Leonis Papæ IV. prædeceſſoris ſui, qui ad Ludouicum Auguſtum ſic ſcripſiſſe comperitur: Nos ſi incompetenter aliquid egimus; & in ſubditis iuſtæ legis tramitē non ſeruauimus, veſtro, ac miſſorum veſtrorum cuncta volumus emendari iudicio. Hoc inquam exemplo voluit Regiæ Maieſtatis veſtræ de ſingulis reddere rationem, atque ad hoc miſit ad ſuam ſerenitatem nuntium, & Oratorem dignum, qui eam informaret. Ipſa quoque ſanctitas viuæ vocis oraculo informauit Magnificos Oratores, qui nunc venerunt; & ſi quos alios Eccleſiaſticos, & viros doctos voluerit ſua ſerenitas deſtinare, maximè verò poſtquàm ſacrum collegium fuerit recollectū, & Sanctitas ſua ad vrbem redierit, parata eſt, eos rurſum informare, & cum ipſis examinare ſingula. Sed quod iſti dicunt; de iuſtitia cauſæ loqui non volumus; iuſtificationes proceſſus, audire non curamus. Obſerata ſunt labia noſtra; non eſt fas nobis has partes attingere; officii noſtri eſt, vt cenſuræ tollantur, arma deponantur; alioquin petimus hæc, & illa. Quid aliud hoc eſt, niſi dicere Domino noſtro; quæ benè ante facta ſunt, & maturo conſilio Fratrum digeſta, & conſtituta, ſine cauſa reuoca. & hoc rurſum, quid aliud eſt, quam dicere; *Benedic. Domino, & morere.* Ait namque B. Gregorius; Eccleſiaſticæ moderationi omninò conueniens eſt, vt quæ ordinata fuerint vel deciſa, nulla in poſterum debeant refragatione turbari.

Ad petitionem autem Concilij Generalis ſingulariter reſpondendo Primò dicimus, quod ſi Congregatio Concilij Generalis facilè poſſet fieri, nihil conducibilius eſſet Domino noſto in præſenti cauſa. Non enim in Concilio Generali Reges, & Principes ſeculares præſidere debent, quos, vt ſacri Canones dicunt, manent ſemper laus obſequendi, non auctoritas imperandi. Papa enim ſolus eſt tamquam caput vniuerſalis Eccleſiæ, qui corpore congregato præſidere habeat. Prætereà membra Concilij, & qui de iure, & antiquiſſima conſuetudine intereſſe potiſſimùm debent, Prælati Eccleſiarum, & Abbates, & Sacerdotes Domini ſunt. Horum autem quis non dicet, quod libertas Eccleſiaſtica conſeruetur, & ius fori, quod neque etiam ipſe Romanus Pontifex tollere Sacerdotibus poteſt, illibatum permaneat? Dicet nè aliquis horum, quod liceat Laurentio, vel cuius alteri ſeculari contra Archiepiſcopum turpiſſimæ mortis ferre ſententiam? Quis, ſi ſanæ mentis ſit, non videat, quòd ille debuit ſeruari iudicio iudicis ſui, vt degradatus, & traditus iuſtitiæ ſeculari iuſtiſſimam ſubiret ſui facinoris vltionem? Hoc eſt, quod vindicare quærit Dominus noſter, & debet, & tenetur. Quod ſi non faceret, oēs Eccleſiaſtici viri detraherent Sanctitati ſuæ. Plena eſt Curia litteris, quibus Sacerdotes toto orbe diſperſi clamore cognoſcuntur contra Papam, niſi vindicet Eccleſiæ iniuriam. Vnuſquiſque enim timet ſibiipſi; vnuſquiſque formidat, quod ſiue cum cauſa, ſiue ſine cauſa, ſeculares non aſſueſcant in Domini Sacerdotes ſacrilegas manus extendere. & quod ſingulariter ſinguli dicunt, dicent omnes in Concilio Generali congregati. atq; ita opportuniſſimum foret, ſi quomodo pro iſta re facilè poſſet Concilium congregari; doletque Dominus noſter, quòd non poſſit. Quoniam oportet conſulere Imperatorem, & alios Reges Chriſtianos: deinde de tempore, & loco diſcernere; congregare Prælatos, & alios, qui de iure intereſſe debent: & hæc quidem tempore indigent. Nihilominus Sanctitas ſua proponet iſta Fratribus congregatis, hoc eſt S. R. E. Cardinalibus: & fortè Dominus Deus aperiet aliquam facilem viam.

Poteſtas autem congregandorum Conciliorum eſt penès Romanum Pontificem. Ita enim declarauit ſancta illa Synodus Nicæna, cuius authoritas par eſt Euangelio, dicente Beato Gregorio, ſicut Sancti Euangelij quatuor libros, ſic quattuor Concilia ſuſcipere, & venerari me fateor: Nicænum ſcilicet &c. & hoc ratio aperta demonſtrat. Nam ad quem alium pertinere poteſt, membra corporis congregare, niſi ad caput, à quo in membris ipſis virtus, & motus deriuatur? Caput autem militantis Eccleſiæ, miniſteriale dico, nemo fidelis negabit, Papam eſſe. Porrò ſi ſit expediens, vel non expediens congregare Concilium, Papa ſolus eſt, qui ex ſententia decernere habet. Nam quis meliùs iudicare poteſt de domo, atque familia, quàm Paterfamilias, & Dominus? Atq; Paſtor vniuerſalis Eccleſiæ Papa eſt. Ipſe ergo nouit meliùs, quàm omnes homines, vel noſſe pſumitur, quid expediat gregi ſuo.

Errāt ergo qui in ſimplices, & piētiſſimas aures Chriſtianiſſimi Regis Francorū inculcant, q dicat, vel dici faciat in aures Pontificis, volo Concilium Generale: cùm velle, & nolle Concilium, in ſolo ſit Romani Pontificis arbitrio conſtitutum.

*Propter quas cauſas celebrē-tur Cōcilia.*

Propter tria conſueuerūt Cōcilia Generalia celebrari, vt etiam in geſtis Conſtantien. Concilij diffinitū reperitur. videlicet propter extirpationē hæreſium, propter pacificationem Principum, & propter reformationem morū. Hæreſes autē in præſentiarū per Dei miſericordiā nullæ palā pullulare videntur, quæ per Cōciliū extirpare neceſſe ſit. De pacificatione Principum dubiū eſt, ne per Cōgregationē Concilij maiora ſcandala inter eos orirentur: tum quoniam nō poſſet ſanctitas ſua, ſalua honeſtate diſſimulare, quā multas Ciuitates, & terras, atq; dominia Eccleſię tā Romanę, quā aliarum vſurpata detinentur, à nonnullis potentijs tēporalibus. tum etiā quoniā ſunt aliqui Principes, qui inter ſe cōtendūt de iure regnorū; ſunt & alij, qui licèt ſubiecti ſint Regibus, & palàm loqui nō audeant, ſecretò tñ multa ſpargunt, plura ſuggerūt aduersùs Reges, Dñs ſuos, accuſantes eos de gubernatione tyrannica. neq; deſunt, qui dicāt de aliquibus, quod cū verbis tenore fidē videātur, operibus tamen cōprobatur, non ſatis eſſe Catholicos. Si Cōciliū cōgregaret, multa de his afferrētur in mediū, quæ poſſent cedere in Chriſtianitatis incendium. Exemplum enim habemus præ oculis, quia Cōcil. Conſtantien. ſpiritu ſancto cōgregatum, decreuit de pace tractare inter Chriſtianiſſimū D. Carolū Regē Francorū, & Illuſt. D. Philippū Ducē Burgundiæ; & non modo pax ſecuta non eſt, ſed bellum multo atrocius, atq; cruentius. Diuiſa eſt quippe in Concilio illo Gallicana natio, quibuſdā dicentibus, licuiſſe Ioanni Duci Burgundiæ interficere Ducē Aurelian. quibuſdā è cōtra accauſantibus, illū de crimine læſæ Maieſtatis. Serpſit autē paulatim in Cōcilio iſta cōtentio inter viros magnæ doctrinæ, quæ fuit maioris odij inter Principes illos ſeminariū. Et propterea SS. D. noſter à principio ſui Pōtificatus nihil magis deſiderare viſus eſt, quàm celebrare Concil. & pro gloria Dei, & etiam pro claritate nominis ſui. Homo eſt enim quoad celebrandum Concilium neque doctior, neque omni ex parte poſſet magis idoneus reperiri, nec poſſet ſine perpetua gloria nominis ſui celebrare Conc. ſed tum propter prędicta, tū propter multa alia, cōſilio ſapientum, Sanctitas ſua licèt inuita diſtulit.

Quod Sereniſs. D. Rex Franciæ velit repetere Pragmaticam, nō poteſt ſine maxima admiratiue audiri. Agitur n. hic, de honore, & de cōſciētia ſuæ Maieſtatis. De honore quidē. quoniam aut pragmatica iuſta eſt, sācta eſt, honeſta eſt; aut iniuſta, & inhoneſta. Si iniuſta? Quamobrē reuocauit eam, & abnegauit cum tanta ſolennitate Maieſtas ſua? Si verò iniuſta, & inhoneſta? cū quo honore ſuo poteſt eā reaſſumere? Agitur etiam hic de cōſciētia ſua; quia nō quiuis homo, ſed Doctor Gētium, & vas electionis Beatus Paulus Apoſtolus eſt ille, qui dixit; Si q probaui, iterum reprobo: ac ſubindè, Si quod reprobaui, iterum approbo, præuaricatorem me conſtituo. quod nomen abſit à fama, & reputatione tāti Principis. In poteſtate Serenitatis ſuæ eſt, facere de facto, q velit: ſicut in poteſtate Pontificis eſt factis proportionabiliter reſpondere de iure Sed non ſperat Pontifex, neque poteſt ſibi perſuadere, quòd Rex ille Chriſtianiſſimus tam grandem maculam velit inferre gloriæ ſuæ. De Vocatione Pralatorū, quàm ſit contra diſpoſitionē iuris diuini, & humani, quòd velit Regia Maieſtas de viris Eccleſiaſticis iudicare. nemo non nouit, quid Dominus dicit in Euangelio: *Quis es tu, qui iudicas alienum ſeruum? qui Domino ſuo ſtat, aut cadit?* Eccleſiaſtici viri Dominum, & Paſtorē habēt Papam. Quod velit os à Curia Papæ reuocare Maieſtas veſtra Regia, quam ſeipſe velit alienari à Rom. Pontifice, quantum ſuam Celſitudinem deceat, ipſe ſit Iudex.

Sed firmiter credendem eſt, quod ſi præfata ſerenitas fuiſſet, vel mediocriter informata de rerum veritate, nihil horum ſuis Oratoribus commiſiſſet, quin potiùs eis mandaſſet, inducere Laurentium Medicen ad recognitionem erratorū, atq; ad ſubeudā dignā ipſorū vltionē. Nam quis non videat, quòd etſi ſententiæ latæ à Dño noſtro cōtrà illū iniuſtæ forent, nihilominus eas teneretur obſeruare, & quoniā res agitur inter filiū, & patrē, ſemper ille deberet humiliari. Quantò igitur amplius ſententias obſeruare debet, humiliatiq; offerens ſe ſatisfacturum, quando cōſtat, eas eſſe iuſtiſſimas? Cor igitur illius, quod inſtar Pharonis induratum eſt ſaxeāq; obduxit naturam, emolire Regia Maieſtas ſuis exhortationib9 debet, vt lapidea duritie in carneā teneritudinē commutata, inſtar prodigi filij dicat: *Pater peccaui in cælum, & coram te.* Hoc ſi Laurentius fecerit, & imponēda ſecūdū Canones pęnitētiā cōtrito corde, amaroq; animo tulerit, reliqua facilè cōponent.

Nihilominus, quoniā Sanctitas Dñi noſtri iā Oratorē ſuū ſuper his ad Regiam Celſitudinē deſtinauit, expectanda eſt reſponſio eius. Nā fortè, imo verò ſine fortè Rex ille Chriſtianiſſimus veritate comperta, ſententiam commutabit. Intereà etiam miſerabitur Dominus Vrbis Romæ, & tollet ab ea plagā iſtam peſtilētiæ, redibitq; sāctitas ſua, & Reu. Dñi Cardinales cōgregabūtur; & tūc cōpta poſt informationē intētione Regia de cōſilio Fratrū multò exactiùs prefata Sāctitas pro-debit, & ita prouidebit, vt nō ab re ſerenitas cōtētetur.

Iſta omnia reſpōdere iuſſit Pōtifex, perſuaſus cōſilijs Iacobi Cardinalis Papienſis, qui paulò antè datis litteris, Sixtum totius rei admonuerat, hunc in modum.

VI.

*Videns ex Breui Sanctitatis Veſtræ, non ingrata fuiſſe, quæ nuper de rebus publicis ſcripſi, audeo rurſū de eiſdē aliquid ſcribere; ſed vt prima illa benignè à ſeruo ſuo accepit, ita ſecūda precor patienter accipiat. Premit me omnis caſus Eccleſiæ, cogorque dies, ac noctes in tanta ſuſpicione rerum ſuſpenſo animo eſſe, & de exitu cogitare. Certior factus ſum à bono viro, & Deum timente, & non ignoto etiam Beatitudini Veſtræ, venire ad nos à Rege Francorum Oratorem multæ æſtimationis in Gallijs, & ſuperba admodum mandata aſſerre, niſi reuocentur in Florentinos cenſuræ; niſi luant pœnas, qui Iuliani cædem patrarunt, vel patratoribus aſſenſerunt; niſi etiam ac tutum à bellllo ceſſetur, magno animo præſtitam obedientiam tollat, & ad Concilium prouocet; Prælatoſque, & inferiores quoſque ad Sacerdotia reuocet; ad hanc denūtiationem conuenturos eſſe Oratorem Venetum, & Mediolanenſem, conſenſuroſque idem, ac petituros, & niſi impetrent, iuſſos eſſe domum redire. Si vera hæc ſunt, nota puto fuiſſe Beatitudini Veſtræ antequā mihi credo etiam pro ſua ſapientia præuidiſſe, quid ſit reſpondendum: cum metu tamen dicam, quid in his cenſeam, non ignarus, immatura ſolere eſſe conſilia, quæ non poſtulantur, & ridenda opera iudicari in ſyluam ligna portare. Malo tamen ſtultitiæ argui, quàm charitatis patri non præſtitæ. Anguſtiarum, meo iudicio, plena eſt reſponſio. Si enim poſtulata repellimus, ſine mora illi minas implebunt, in tumultumque ſpiritualium adducent Eccleſiam. Quattuor tam grandes potentatus, Rex maximus trans Alpes, in Italia tres ſtatus perfidia vna conſtricti, grande in ſe habent momentum: & periculum eſt, ne in idem exemplum plures inducant; partim qui Apoſtolicæ Sedi pacati non ſunt, partim qui de operibus noſtris benè non ſentiunt, partim quoque, qui cupiditatibus eorum ſatisfactum non eſſe ſæpiùs doluerunt. Hoc ſuperuacaneum eſt memorare; Sanctitas Veſtra vno oculorum circuitu recenſere omnes facilè poteſt. vbi verò ruina hæc cœperit, malè ſuſtineri noſtris humeris poterit. Lapis lapidem trahet, atque vna improbitate de bonis quoque Eccleſiarum: & quod dolentius, refero, de integritate Catholicæ fidei impiè decernetur. Rurſum verò, ſi illis conſentimus: ſi nondum ſiccato atramento, tanta, & tam nota, ac latè vulgata decreta propter metum delemus, quid ignominioſius, & morti acerbæ ſimilius? Plagam maiorem infligere rebus Romanis ſanctitas Veſtra non poſſit: quòd vnum flagellum ad nos ſeruandos conceſſit Deus, id caderet de manibus noſtris, nec Apoſtolica virga ad confringenda inutilia vaſa ſuam vim poſthac obtineret. Ad ſecularem poteſtatem hoc exemplo eſſet contra cenſuras refugiū, & quod languidè permiſiſſemus*





*ſemel, reſtituere fortiter numquam poſſemus. Occurrebat in hoc ancipiti conſilium medium, non tam malum imminens ſanans, quam fortè dilationem aliquam præbens ad parandam aliunde noſtram ſalutem, vt videlicet Oratore audito, dolere ſe diceret Sanctitas veſtra, potuiſſe tantū apud ſapientem, & fidelem Regem falſa crimina impiorum, vt tam longinquam Legationem ſuſceperit, tanta ſine cauſa doluerit; contra conſuetudinem etiam ſuorum maiorum, Deo ingrata, & detrimentoſa Sedi Apoſtolicæ petierit, non quidem ſimilia cæteris operibus ſuis, nec digna meritis, quæ in eum S. Veſtra aſſidua, & magna hactenùs contulit. Deſcendendum inde paulatim in iuſtificationem vulgatæ ſententiæ, monſtrandūque, quanta fuiſſet Florentinorū in Sacerdotes Dei crudelitas; quanta, ſine cauſa, & ſine diſcrimine cædes; quantus in retinendo Cardinali cōtēptus facinoris illius experte, atque ignaro, quanta denique Apoſtolicæ Sedis ad hæc vlciſcenda neceſsitas: paratā nihilominus futurā fuiſſe Beatitudinem Veſtram ad paternā remiſsionē, ſi vel mediocre ſignum pœnitentiæ in peccatoribus cognouiſſet; ſed deſcendiſſe illos in profundum malorum, & in ſenſum reprobum datos, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Scire Beatitudinem Veſtram, Venetos, Mediolanenſes, complureſq; alios Reipub. illius amicos ad petendam veniam eſſe illos hortatos, recognoſcendumque Vicarium Chriſti; ſed non modò non aſſenſiſſe, verùm quòd ita ſuaderent, moleſtè tuliſſe, vt iā in apertæ hæreſis crimen incidere appareāt. Cum talibus autem, etſi Regij officij eſſet communicationem nullā accipere, nec ad patrocinium tam grandis peccati accedere; tamen non negligere Beatitudinem Veſtram ſuæ Celſitudinis poſtulata, ſicut & in hunc diem numquā neglexit: videre tamen grauia illa eſſe, magnum in vtramq; partem momentum aſſerre, aliudq; pēdendū magis, & diligentiùs conſulendū toto Pōtiſi atu veſtro non accidiſſe. Neceſſariū propterea eſſe ad deliberationē ſumendā frequens Collegiū, ſine quo mediocria, nedū maxima decerni non ſolent. Conuocari autē in præſentiarū Cardinales nō poſſe, partim quòd lōgè abſunt, partim q anno peſtilenti ſine diſcrimine vitæ conuocari nō poſſunt, partim quoq; quòd locus, in quem ſeceſſit Sanctitas Veſtra, vix priuatæ familiæ eſt capax. Proinde æquo animo ferat, nō longi temporis expectationem; Legatos Veſtros ad Regem ſuum nō ſolitos eſſe admitti ſtatim, & reſponſum accipere: nonnumquā fuiſſe repulſos, quandoq; etiam poſt annū auditos. In vicinum, ac ſalubre aliquod oppidum cōferant ſe, præbiturum iuſſu veſtro quæ illis ſint neceſſaria. futurum autem Deo adiutore, vt citiùs opinione rediri in vrbem poſsit. quo tempore & Cardinales aderunt, & ſi ita oportunum videbitur conuocari ad Synodum ex Curia, & circumſtanti prouincia Prælati idonei in idem conſilium poterunt. Si huic reſponſo, quod probabile tempora indicant, acquieſcet Gallus, habet interim ſpatiū Sanctitas Veſtra ad multa cogitanda & prouidenda, quæ ad declinanda, vel reijcienda tela inimici pertineant. Deus quoque ab excelſo multa ſæpe inexpectata demittit, tum miſericordiam faciens, cum eſſe procul à miſericordia apparet. Sin moræ impatiens non acquieſcet, nil ei iam negatum eſſe videbitur. Sui criminis fiet, quicquid per impatientiam fiet. Hoc autem lucro Sanctitati Veſtræ accedet, quòd iuſtè lamentari iniurias Regias poterit, non modo, quòd arroganter petierit, ſed quòd breuem, iuſtamque moram veſtram à rogantius ſpreuerit, arrogantiſsimè autem Sedem Romanam de ſe benè meritam alieno fructu magis, quàm ſuo offenderit. Inde Deo totam ſe credat Sanctitas Veſtra, & fortem animum præſtet. Maior enim eſt, qui in cælis regnat, quàm qui in terra, & qui in grauioribus contentionibus ſuis Sacerdotibus aſſuit, in leuiore non deerit. Pugnant pro peccato illi, nos contra peccatum: atque illi nos perdi volunt, nos illos ſaluos fieri, & viuere. In tam difficili ac diſsimili cauſa, de iuſta, à Deo placente nimirum habenda eſt ſpes. Hæc cogitatio ſerui inutilis, ſi fructum aliquem habet, placet, & lætor. Si ex imbecillitate mentis, vel ignoratione rerum eſt ridenda, & vana opera quidem rideatur: fides verò boni Cardinalis in pretio ſit. Ex Sancto Laurentio ad Gyriptas. anno M.CCCC.LXXVIII.*

VII.

*Maximilianus B. Dux ad pacem in-uitat Sixtum PP. qui ab ea non eſt alienus.*

Conſulebat iſta Cardinalis: auſcultauit Sixtus, & eo modo, quē ſuperiùs memorauimus tum Oratoribus reſpondit, tū per nuncium Ludouico ſatisfecit. Adfuit inter hæc, & à Maximiliano Burgundiæ Duce Orator poſtulans, vt ad pacem in Italia reducendam Pontifex mentem conuerteret, aſſerens, vereri ſe, nè continuante bello damnis Eccleſiæ multa imminerent. Huic reſpondit Sixtus, non eſſe ſe ab ea alienū, modò ijs conditionibus fieret, q Deo ingrata nō eſſet, & Sedi Apoſtolicę turpis. Adfuerūt & aliæ, ferè ex toto orbe legationes, de eadē pace interpellātes. Sixtus tñ ad vindictā, q ad quietem proclinior, poſtulabat, vt Laurentius Medices dederetur. Iam is Raphaëlem Riarium Cardinalē ę cuſtodia dimiſerat, atq; vbi voluiſſet redire Romam, permiſerat: Sixtus tamen, bellū, quod adoleſcentis cauſa trahendo diſtulerat, maturauit Florētinis inferre. Itaq; Alfonsū Regis Ferdinandi filiū, & Fridericum Vrbini Ducem, cū exercitibus in agrum Senenſem properare iuſſit; qui in imparatos Florentinos mouentes, Caſtellanam Broliū, Cacianum, Montem Imperialem, Collem, nonnullaq; alia Caſtella Florentinorum ditionis expugnauere, iamque videbantur ad mænia Florentina procedere. *Brutus de rebus Florentinorum lib. 6. & 7. Raphaël Volaterranus Geograph. lib. 5. Iacobus Papien. epiſt. 677. 679. 680. MmSS. Bibliotheca Vatic. num. 3925. pag. 132. & alius expedit Sixti 4. pag. 78. Ioannes Albinus de bello Hetruſco. Panuinius in Sixto 4.*

VIII.

*Alij quoque Principes Chriſtiani pacem ſuadent, vt in cōmunem hoſtē Turcā bellum gerant.*

Memorādum eſt, q propter alios ſcribit Albinus, quòd dum Alfonſus ad Traſimenum copias cogeret, Pōtifex Florētiæ primores ſæpiſſimè cōmonuit, haud vllum ſibi eſſe cum Repub. odium, ſed cum Laurentio Medice tantùm, eorum vrbis tyranno, & Apoſtolicæ Sedis hoſte immaniſſimo, qui ſi vrbe pellatur, nihil armis opus eſſe; ſi minus id fiat, bellum ſibi indictum intelligant, nec vmquam pacis conditiones habituros. Sed in caſſum verba miſſa.

Reges Chriſtiani qui Sixtū Papam à bello Florentinis illato auocabant, omnes ſibi à Turcorum potētia metuentes opē, & operam illius integrā aduerſus cōmunē hoſtem implorabāt. Quamuis enim Mahometes pacē cum Venetis anno ſuperiore feciſſet, non tamen à bellis quieuit: ſed dominandi cupiditate accenſus, quū omnia proſperè ſibi cederent, huius anni æſtate cū valida claſſe ex Boſphoro, & Propontide in Ioniam reuerſus, quamplurima occupauit. *Iuſtinian hiſt. Venet, lib. 9.* Demetrium quoq; Soſianum Chalcidenſem, ad Rhodianorum equitum Magiſtrum ire iuſſit, qui in ſpeciem quidē de pace ineunda ageret, reuera autem, vt tributū Rhodianis imperaret, adeoque illos ſui iuris efficeret. *Boſius lib. 10.* Eodem etiam tempore Turcæ in Carinthiā inuecti, eam orā, quæ eſt inter Malburgettum, Villacū, & Salisburgum, acerbè depopulati ſunt, longiùſq; progreſsi fuiſſent, niſi eius oræ homines ad pontem Draui fluminis concurſu facto eis obſtitiſſent, pontemq; interrupiſſent, vbi mille trecenti ferè Chriſtiani cæſi ſunt. Iā itaq; pro foribus eſſe videbantur hoſtes immaniſsimi, quibus Reſpub. Chriſtiana inteſtinis diſcordijs prodebatur. Enimuerò in Germania inferiore, Maximilianus Burgundiæ princeps, cum Ludouico Galliarum Rege de principatu dimicabant. In Polonia Caſimirus Rex, non minùs quàm Wladislaus filius in Bohemia, à Matthia Vngaro inquietabantur: non minus q ipſe à ſubditis, & Turcis in Vngaria vrgebat. Neq; in Germania ſuperiore minores diſſenſiones, inter Principes Imperij, capto hoc anno circa feſtum Pentecoſtes Ruperto Archiepiſcopo Colonien. à militibus Henrici Haſſi, & in cuſtodiam compacto: cùm pro illo vindicando alij Proceres deſudarēt. Et quidē licèt Matthias, ineunte vere, per Legatos mutuos pacem cum Wladislao apud Bernam Morauiæ iniuiſſet, eam tamen breui poſt interrupit, & bellum in Bohemiam inſtaurauit, necnon in Caſimirum, Crucigeros Pruſſienſes concitauit. His Regibus conciliandis, & in Turcam armandis, Pontifex inprimis Balthaſarem de Piſcia Nuncium, deinde Gabriëlem Epiſcopum Agrienſem, Cardinalem Legatum, vtrumq; Mi-

*Diſſidentes Chriſtianos Principes conſiliare ſtudet Sixtus Pontifex.*

noritam miſit. qui iniquiores Caſimiro, & Wladiſlao, ille quidem Vratiſlauiæ ag[illegible]ns Wladiſlao quaſi hæretico, Caſimiro quaſi hæreticorum fautori in gratiam Matthiæ ſacris interdixerat; Cardinalis vero Matthiam ad bellum inflammabat, & in ſanientem ſua ſponte magis etiam perurgebat, fruſtra retinentibus Vngaris, & Sileſijs proceribus, quibus pax exoptata affulſerat. Ea propter Vngari, à Matthia deficere volebant, & Regem Caſimirum miſſa Legatione expoſcebant. Porrò Caſimirus ſatis habuit, ea de re coram Pontifice expoſtulare, & tum perfidiam, tum inſolentiam Legati, & Nuncij, tum rebellionem Cruciferorum accuſare; non per ſe ſed per Matthiam ſtare, quominus in Turcas mouere, tantumque hoſtem à finibus Chriſtianorum poſſit ſubmouere. *Cromerus Polon. rerum lib. 29. Trith. in Chron.*

IX. *Quæ Nūcijs ſuis in Germaniam pro liberatione Ruperti Bauari, Archiep. Colonieñſis iniungit Sixtus PP.*

In Germaniam pro liberatione Archiepiſcopi Colonienſis, Epiſcopis Forliuienſi, & Alerien. Nuncijs deſtinatis, iſta Sixtus iniungebat.

Inprimis adeant Sereniſſimum Dominum Imperatorem cum Breui, quod ſuæ Maieſtati ſcribitur, & illo præſentato exponatur M.ti ſuæ, ꝙ SS. D. Nr̄ audito caſu capturæ, præfati R.mi D.ni Archiepiſcopi Colonien. Valde moleſte eã rẽ ferens, tamq̃ deteſtabilem & mali exẽpli, decreuit cõmunicato cõſilio cũ Reuerẽdiſſimorũ Cardinaliũ Collegio omnia expedientia facere pro eius liberatione, & pro celeriori expeditione rem iſtã eis commiſit illic exiſtẽtib⁹.

Secundo dicant Maieſtati ſuæ, quod SS D.N. initiu huius liberationis capit à ſua M.te tamq̃ ab Aduocato, & defenſore Eccleſiæ, & ab eo Principe qui caput eſt Principũ ſeculariũ Chriſtianorũ, & ad quẽ ſpectat Eccleſiaſticas pſonas, & maximè inſignes, vt sũt Epiſcopi & Archiepiſcopi ab omni violẽtia tueri.

Item quia Archiepiſcopus Colonien. eſt Elector imperij, & ab imperio Regali accipit, idcirco tenetur ipſe Ser.mus Imp. eum defendere.

Item conſiderato, quòd M.tas ſua manũ appoſuerit ad componendã diſcordiã illam Colonien. illata eſt non ſolum Ap.cæ Sedi, ſed etiam M.ti ſuę iniuria, quod Archiepiſcopus ipſe interim captus fuerit; & propterea debet ſua M.tas prompta eſſe ad faciendum liberationem.

Item, quod M.tas ſua benè conſideret momentum huius rei; quia per hoc læditur pax Germ. concluſa in dieta Ratiſponen: & confirmata poſtmodum in dieta Auguſten. quæ firmata fuit ſub grauiſſimis pænis Eccl. & temperalibus. & ꝙ M.tas ſua quæ caput eſt illius tenetur illam ſeruari facere. & ex latere ſuo prouidere ſuis remedijs opportunis contra non ſeruantes illam aut perturbantes.

Item dicere quod his omnibus conſideratis, & omni alio reſpectu, & nevmquã imputari poſſit Ap.cæ Sedi, aut M.ti ſuæ, SS.D.M. requirit M.tem ſuam, & rogat, vt cum omni prõptitudine animi intendere velit ad eius liberationem, & quod mittat ſuos Oratores, vel Oratorem cum litteris, & commiſſione opportuna, ſimul cum ipſo, Domino Forlinien. vel Alerien. ituro ad Dominum Henricum Landtgrauium Haſſiæ, & ad quos oportuerit pro dicta liberatione, vel ſaltem ſcribat litteras vrgentes & ſtrictas ad ipſum Landgrauium, & ad omnes illos, ad quos SS.D.N. ſcribit, & hæc omnia curabũt prædicti Epiſcopi, vel alter ipſorũ prudẽter, & cũ diligentia apud Maieſtatẽ Imperialẽ expedire, & de cõcluſione cũ Maieſtate ſua facta, & reſpõſo eius ſtatim per ipſorũ litteras certiorẽ SS.D.N. faciãt. Habita expeditione à M.te Imperiali, vnus ipſorũ onus aſſumat, eundi ad Landgrauiũ Haſſiæ, & alius remaneat illic & ille, qui erit iturus, ſi bonã habuerit expeditionẽ à M.te Imperiali, videlicet de Oratoribus vel litteris vt pferatur; aut etiam ſi non haberet, quod non creditur, omnino tamen, & ſine mora vadat ad Landgrauium prædictum, & nomine SS D.N. dicat, quod ſua S.tas miratur, quod incurrerit in hunc caſum, conſiderato quod non poteſt inferri violentia Prælatis, ſine offenſa Dei, & læſione, ac iniuria Ap.cæ Sedis, ac ſcandalo communi, & quod vehementer hoc diſpliceat Sanctitati ſuæ.

Item dicere, quod ſui progenitores fuerunt deuoti Apoſtolicæ Sedis, & quod ipſe cum ſit iuuenis, nolit degenerare ab eis, ſed oſtendat illam obedientiam, quam quilibet bonus Princeps oſtendere tenetur erga Apoſtolicam Sedem.

Item dicere, quod cõſideret in quas pœnas incurrunt, qui inferunt iniuriam Epiſcopis, aut Archiepiſcopis; quia incurrũt excõmunionẽ, & priuationẽ fæudorum ſuorum, quæ tenent ab Eccleſia illa, cui inferunt iniuriam, & efficiuntur infames, ac eorum terræ ſubiacent interdicto Eccleſiaſtico, & alia incurrunt à iure impoſita.

Itẽ hortari & inſtare, quod nolit addere mala malis ſed mandare ſibi, quòd omninò relaxet liberum ipſum Archiepiſcopũ Colonienſem, & nolit eſſe in hoc contumax mandatis SS.D. Noſtri, qui ſibi benè conſulit; & ſi quid habet cõtrà eum, petat poſteà per viam iuſtitiæ à SS.D. Noſtro, qui eſt iudex ſuus.

Item ſi relaxabit eũ liberum, tunc poterit prædictus Epiſcopus redire, ſignificando tamen immediatè SS.D. Noſtro illud totum, quod factum erit, ſi verò eum nollet relaxare, admoneat ipſum Landgrauium. quòd malè facit, & dicat, quòd SS.D.N. conabitur remediis iuris & aliis opportunis prouidere, & tale adhibebit remedium, quòd cognoſcet, ſe malè feciſſe, non obedire mandatis ſanctitatis ſuę; & ſic ab eo diſcedat, & firmet ſe in Herbipoli, vel Maguntia, prout magis expedire videbit: & imediatè ſcribat SS.D. Noſtro, ac omnia ſcilicet, prout ſe habebũt.

Item vadat ad Principes illi conuicinos & maximè ad R.mos D.nos Archiep. Treueren. & Moguntinen. & eis dicat, ꝙ SS. D. Noſter miratur vehemẽter, quod de vno tanto caſu, ſicut eſt captura vnius tanti Archiepiſcopi, & Coelectoris eorum imperii, nihil ſignificauerint SS.D.N quia ſtatim mittere debebãt, & ſignificare S.ti ſuæ; & ꝙ SS.D.N. eis mandat, vt pſtent omne conſilium, auxiliũ, & fauores opportunos pro ipſius liberatione, & ſimiliter requirere Illuſtrem Comitem Palatinum Rheni, & alios Principes vicinos de auxilio, & fauoribus opportunis. Nõ tamen requirat, ꝙ capiant arma, neq; det cauſã, ꝙ aliꝙ ſcãdalũ ſequat', neq; pro nunc aliquẽ cõmoueat ad arma ipſa capienda, ſed vt ſupradictũ eſt, certiorẽ faciat SS.D.N. de omni eo, ꝙ factũ fuerit, & expectabit reſponſum SS.D.N.ri Item in omnibus ſupradictis peragendis, & occurrẽtibus circa hoc, faciant prout melius, & expedientius ſibi videbitur, ſeruata tamen mente S.mi D.N. vt ſup. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 18. Aprilis 1478. Pontif. anno 7. *M.S. expedit. Sixti IIII. pag. 32.*

X. *Sixtus PP. excõmunicat eos qui cooperati ſunt in captiuitate Archiep. Colonieñſis.*

Excuſabat Landgrauius, id ſe feciſſe non propria ſponte, ſed iuſſu Collegij Colonienſis, quod ægre ferebat, vt Rupertus bona Eccleſiæ dilapidare poſſet, ac proinde metuebat, ne is dimiſſus, grauiora attentaret. Itaque Sixtus Pontifex in ſuaſores, authores, & complices ſententias Eccleſiaſticas pronunciauit. Inter hæc autem Rupertus ex animi dolore morbum contraxit, & biennio poſt è vita migrauit. *Krantzius Saxoniæ libro duodecimo cap. 22.*

XI. *Diſſenſiones ortæ in prouiſione Eccleſiæ Cõſtãtienſis.*

Gliſcebat alia propter hanc inter rincipes Germaniæ diſcordia, occaſione Conſtantienſis Eccleſiæ. Contulerat illam Sixtus, poſtulante Imperatore, Ludouico; Collegiũ Baſilicæ, Otthonem delegerat. Inde natæ turbæ, dum neceſſarij vtriuſque contenderent, de poſſeſsione adeunda. His opiendis Pontifex, Proſperum Camutium, Epiſcopum Catanen. ad Imperatorem, & ad Canonicos delegauit: qui tamen ea





ratione contr[illegible] componeret, vt à Sede Apoſtolica Ludouicus deſignatus Eccleſiæ præeſſet: Ottho verò aliquot beneficia, vel penſiones Eccleſiaſticas retineret. *M.S. ſup. pag. 34.*

XII. *Item inter quoſdã Eccleſiarũ Prælatos & Ord. Mendicantes.*

Neque minores diſſenſiones ibidem vigebant, inter Prælatos quoſdam Eccleſiarũ, & Regulares Mẽdicantes. Ea de cauſa controuerſias excitatas Sixtus Papa quattuor delegatis commiſit: paceque per eos ſub certis modis, & formis conciliata, ſequentem Conſtitutionem edidit, præcipiens ſub pæna excommunicationis illam à Prælatis obſeruari. Ità habet:

*Vices illius qui ſuprà petram ædificauit Eccleſiam ſuam, meritis licèt inſufficientibus gerentes in terris, & per eius immaculata veſtigia, quantum nobis ex alto conceditur, incedere ſatagẽtes, inter Chriſti fideles quolibet, & præſertim ſub vno, atque eodem Sacerdotij vexillo nobiſcum Deo militantes, pacem, & charitatem inducere, & inductam confouere, vigilanti ſollicitudine meditamur aſsiduè, & quæ ijs contraria ſunt, falce vigilantiæ paſtoralis ad radicem poſita ſubmouere, prout rerum, & temporum circumſtantiæ id non immeritò expoſcere dignoſcuntur. Nuper ſiquidem pro parte, tàm Venerabilium Fratrum noſtrorum Maguntinen. & Treueren Archiepiſcoporum, ac Herbipolen. & VVormacien. & Spiren. Epiſcoporum, quàm dilecti filii, nobilis viri, Philippi Comitis Palatini Rheni, & Ducis Bauariæ, qui vnus ex Electoribus Romani Imperii exiſtit, ad noſtrum peruenit auditum, quòd inter dilectos filios, Prædicatorum Minorum, & Carmelitarum Ordinum profeſſores, & nõnullos Parochialium Rectores, & alios etiam Eccleſiarum Prælatos, inſtigante illo, qui tamquam leo rugiẽs, circuit quem deuoret, in partibus Germaniæ, & præſertim in oppido Eslingẽ. Cõſtãtienſis Diæceſis, ſuſcitata ſunt nõnulla diſſẽſionum, & ſcãdalorũ fomenta, ex certis cauſis tũc nobis expreſſis, quæ niſi per vigilantiam Paſtoralis officii citiùs ſuccidantur, poſſent ad ſcandalũ nõ modicum Chriſti fidelium illarum partium faciliter peruenire. Nos igitur attendentes, quòd ſacroſancta Romana Eccleſia ab eius fundatione primæua, in ordine Sacerdotali, quem Petrus Apoſtolus, & eius ſucceſſores obſeruarunt, inſtituta, & per viros prouidos, & Sacerdotes virtuoſos adaucta, & longiſsimis temporibus feliciter cõſeruata extitit; Rurſuſq; animaduertẽtes, quòd hodiernis temporibus hominũ creſcente malitia, niſi ager Dominicus cultoribus idoneis, buccinatoribus Spiritus ſancti, & præconibus verbi Dei (qui præter cæteros in Ordinibus Fratrũ Mendicantium gratia aſsiſtente diuina, in copioſo numero reperiuntur) aſsiduè coleretur, vepribus malorum, & ſẽtibus vitiorũ omnium celeriter obrueretur; non potuimus, nõ niſi ab intimis cordis noſtri dolere, quòd inter tales viros, qui ſe mutua charitate diligere, & alter alterius iuxta Apoſtolum onera portare deberent, diſcordiæ ſeminarium excitaretur. Vnde cum vellemus ſuper his ea, qua decet, maturitate conſulere, Venerabilibus Fratribus noſtris, Guillelmo Oſtien. & Angelo Præneſtinen. Epiſcopis & dilectis filiis noſtris, Iuliano tituli Sancti Petri ad vincula, ac Petro tituli Sancti Sixti presbyteris Cardinalibus viuæ vocis oraculo commiſimus, & mandauimus, vt à ſingulis partibus prædictis, vel eorum procuratoribus legitimis, auditis hinc inde propoſitis, inter eos concordiam tractarent. Qui quidem Epiſcopi, & Cardinales, ſtatutis, loco, & tempore conuocatis, auditis, & intellectis partibus prædictis (vt præfertur) & in præmiſſis grauiter & conſultò procedentes, partes ipſas de communi earumdem conſenſu, ad concordiam infraſcriptam perduxerunt. Videlicet, quòd ipſi Parochiani Sacerdotes de cætero non dicant, à Medicantibus hæreſes proceſsiſſe; cum in veritate fides noſtra ſit illuminata, & Eccleſia exaltata per eoſdem, & præſertim per Ordines Prædicatorum, & Minorum, vt iura teſtantur. Quòdque Fratres Mendicantes non prædicent, populos Parochianos non teneri, audire Miſſam in eorum parochiis diebus feſtiuis, & Dominicis, cum iure ſit cautum, illis diebus Parochianos teneri, audire miſſam in eorum parochiali Eccleſia: niſi forſan ex honeſta cauſa, ab ipſa Eccleſia ſe abſentarent: quodque etiam nec Fratres, nec Curati inducant aliquo modo laicos ad eligendum ſepulturam apud eos, & benè caueant propter pœnas, quam imponunt Canones, cùm ſit libera. Quòd etiam ipſi Mendicantes deſiſtant prædicare, quòd Parochiani non ſint obligati, ſaltem in Paſchate, proprio confiteri Sacerdoti: quia de iure tenetur parochianus, ſaltem in Paſchate proprio confiteri Sacerdoti. Per hoc tamen ipſi Fratres Mendicantes non cenſeantur excluſi, quominùs ſecundum iuris communis, & priuilegiorum eiſdem conceſſorum diſpoſitionem, confeſsiones audire, & pœnitentias iniungere valeant. Quòd etiam de cætero inter ipſos Fratres Mẽdicantes, & Curatos, quoad effectum prædicandi, horas cantandi, & campanas pulſandi, ſeruetur antiqua conſuetudo, quæ temporibus antiquis ſeruata fuit in ipſo oppido Eslingen. & caſu, quo veniat aliqua occaſio, ſiue neceſsitas, non fiat commutatio temporis, vel horæ in ipſis prædicationibus fiendis, niſi de conſenſu partium. Quòdque etiam ipſi Fratres in ſermonibus eorum non detrahant Prælatis, & Rectoribus Parochialium Eccleſiarum. Nec etiam populos à ſuarũ Eccleſiarũ Parochialium frequentia, & acceſſu abſtrahant, ſiue retrahãt quoquo modo. Et vice verſa ipſi Rectores, & Prælati, aliquo modo non detrahant Mendicantibus, ſed illum fauorem, quem poſſunt, eis impendant, & in omnibus, & per omnia præſtent, ità vt vera vnitas, & perfecta charitas inter eos oſtendatur. Nos itaque illius vices gerentes in terris, qui Apoſtolis ſuis dixit;* Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis; *cupientes ſuper his opportunè prouideri, motu proprio, non ad alicuius ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra certa ſcientia, & mora voluntate, concordiam prædictam, ac omnia, & ſingula per præfatos Epiſcopos, & Cardinales ordinata, ad hoc vt perpetuo inconcuſſa perſiſtant, auctoritate Apoſtolica, & ex certa noſtra ſcientia approbamus, & confirmamus, ac viribus perpetuò ſubſiſtere debere decernimus ſupplentes omnes, & ſingulos defectus tam iuris, quàm facti, qui forſan interuenerunt in eiſdem. Iniungentes nihilominus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Plebanis, Rectoribus, Curatis, nec non Prioribus, Guardianis & ſingulis Fratribus Ordinum Mendicantium ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quam contrafacientes, & quemlibet eorum contra facientem incurrere volumus eo ipſo; à qua abſolui nequeant, niſi de expreſſo conſenſu partis læſæ, & debita ſatisfactione præuia, inuiolabiliter obſeruent, & quantum in eis eſt, ab aliis obſeruari faciant, & inſuper quaſcumque lites, & cauſas coram quibuſcumque cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus, ſeu alibi occaſione prædictorum, inter dilectos filios, Decanum, & Capitulum Eccleſiæ Spirenſis, & Curatum dicti oppidi, ac Fratres prædictos indeciſas pendentes, illarũ ſtatus, tenores, & formas, & in eis geſta & actitata, præſentibus pro expreſsis habentes, ad nos harum ſerie, motu, ſcientia, & auctoritate prædictis aduocamus, & litem, ſeu lites ipſas penitus extinguimus: & ambabus partibus prædictis litis huiuſmodi cõſortibus, ſeu illis adhærentibus, perpetuũ ſilentiũ imponimus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac priuilegiis eiſdẽ Fratribus in genere, vel in ſpecie conceſsis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ M. CCCC. LXXVIII. XV. Calend. Iulij Pontificatus noſtri anno ſeptimo. Ext. lib. 2. de treuga, & pace, capite 2.*

XIII. *Multa bona ſũt à FF. Prædicatorib⁹ per Roſarij propagationẽ.*

Prædicabat in diplomate Sixtus Pontifex, fidem Catholicam illuminatam, & Eccleſiam vniuerſalem exaltatam, præſertim per Ordines Prædicatorum, & Minorum. Id verò etſi omnibus temporibus Prædicatores, certè vel maximè hoc ipſo egregiè præſtiterunt, ferè in vniuerſa Germania, Confraternitate SS. Roſarij Diuæ Deiparentis feliciter propagata. Ab huius enim apud Dominicanos Colonienſes inſtauratione, opera eorundem Fratrum Fides Orthodoxa ſplendidioribus radijs in Germania effulſit, cultus diuinus amplificatus, deuotio, & pietas reſtituta, frequentia Sacramentorum reuocata, mores in melius commutati, diſciplina Chriſtiana ad veterem rigorem conformata, odia, rancores, & ſimultates temperatæ: cætus piorum aucti; quando id inſtitutum amplexi ſunt viri Principes Eccleſiaſtici, & ſeculares, qui exemplo populis præirẽt, ad omnẽ ſanctitatis perfectionẽ. Dederunt hoc tempore nomina Sodalitati Roſarij Coloniæ præſentes, Alexander Epiſcopus Forliuien. Sixti IIII. Nuncius ad Fridericum Imperatorem, atque Clerus

Baſilicæ Blonien. cum Rectoribus Vrbis, & vniuerſitatis. Poſt Apoſtolicum Legatum, manibus proprijs nomina ſua in indiculum retulerunt. Imperator Fridericus. Adolphus Archiepiſcopus, & elector Moguntinus, Ioannes Archiepiſcopus, & Elector Treueren. Guillelmus Epiſcopus Aureatenſis, Henricus Epiſcopus Monaſterieñ Epiſcopus Spiren. Vangionũ, cæteriq; plures. Itẽ Leonora Auguſta, Maximilianus Archidux Auſtriæ, Dux Burgũdiæ; Philippus Comes Palatinus Rheni Elector, Albertꝰ Dux, & ElectorSaxoniæ, AlbertusDux & electorBrandeburgicus, Sigiſmundus Dux Auſtriæ, Ludouicus Dux Bauariæ, Albertus Dux Bauariæ à Monichen, Fridericus Bauariæ Dux à Spanheim, Erneſtus Dux Saxoniæ, Hẽricus Landgrauius Haſſiæ, Chriſtophorus Marchio Badẽ. Ludouicus Lantgrauius Haſſiæ cum filio ſuo Wilhelmo: Sigiſmũdus, Erneſtus, Rodolphus fratres & Principes in Anhalt. Comites Aſcaniæ, Hẽricus Comes Naſſau, Dñs in Bylſtein, Philippus Comes in Virnenberg. Ioannes à Naſſau, & hæredes eius quattuor, Theodoricus, Conradus, Ioannes, Theodorus, Comites in Manderſcher. Henricus Dux à Parlbaſſ, Fridericus Marchio Brandeburgicus; Ioannes, & Sigiſmundus Duces Bauariæ; Willhelmus Dux Saxoniæ cum Catharina vxore; Ioannes Dux Bauariæ Præpoſitus Auguſtanus; Wolfgangus Dux Monachij; item Comites variorum titulorum, & officiorum XIX. Maria Dux Brabantiæ, vxor Maximiliani, Eleonora Dux vxor Sigiſmundi Auſtriaci, Maria Dux Iuliacen. & Montenſis, Sibylla Marchioniſſa Brandeburgen. Anna Mater Principum Anhaltinorum, & aliæ quamplures fœminæ illuſtres. Auguſtanorum ciuium XXXII. M. Aquiſgranenſiũ XIII. M. Baſilienſiũ 7484. Francofordienſium XI. M. Leodienſiũ IIII. M. Brabãtinorum XXX. M. aliorum autem ex diuerſis ciuitatibus, Oppidis, & pagis innumerabilis numerus. Variorum prætereà Ordinum integra cænobia eidem Sodalitati nomina cum omnibus Monachis, & Fratribus inſcripſerunt, Rudolphus Weinweiler, Abbas S. Benedicti propè Baſileam cum ſuo Conuentu. Abbas Spanheimen. Ord. S. Benedicti cum ſuo Conuentu 100. Fratrum, Conuentus S. Benedicti in Rothen ad Groningam. Conuentus S. Benedicti in Norda. item Tetzingæ. Conuentus Carthuſianorum S. Beati ad Confluentiam. Carthuſia ad Argentinam, item propè Delftium. Cõuentus Ciſtercien. Ord. ad Salisburgum, & alius ad Groningam. Conuentus de tertia Regula S. Franciſci ad Noueſium, S. Nicolai. Itẽ ad Aquas Mariæ. Cõuentus Canonicorum Regulariũ Traiecten. Bruxellen. Ebersbergen. Truttenhauſen, Mortzẽ Strallen. Bercklingen. Item Cænobia Sanctimonialium innumerabilia. Fugiebant ſcilicet ad iſtam lyburnum à facie iræ, & indignationis diuinæ, quemadmodum B. Alanus Rupenſis Dominicanus, propter viſionẽ quandam conſpectam præmonuerat. Referebat, ꝙ aſpexit. Erat aliquandò quidam deuotus Beatiſſimæ Virginis Mariæ in Pſalterio ſuo, qui quodam feſto magno Virginis Mariæ fuit raptus veraciter ad ſuperna: videbaturque ſibi, quòd ex omni parte mundi voces audiebantur terribiliſſimæ; *Vindictam, vindictam, vindictam de habitantibus in terra.* Poſt vllius voces cernebat, quòd tamquam cæleſtia ignea flamina ſe funderent ſuper habitatores terræ: illicoque perijt hominum innumerabilis multitudo, atque ad clamorem pereuntium cæteri cæperunt vocare auxilium. Et ſubitò de cælis venit Nauis vna ſyderea, Stellis ornata cæli, multiſque albis alliis vallata; & hæc per aëra volitabat, miroque modo deſuper tecta fuit; & tantæ magnitudinis erat, vt innumeri in eam potuiſſent intrare. Ibi cernebat L. de parte vna nauis, & L. de parte alia, & L. in tecto, qui vrnis aquam infundebant, extinguentes horribiliſſimum quod ardebat incendium. Atque in capite Nauis tamquàm Patrona reſidebat quædam Domina tam mirabilis, vt fuerit inexplicabile; iriſque Dei ambiebat Nauim illam. Et Regina vociferantibus ſic aiebat: *Miſeri filij hominum; ad me confugite, ne præſenti in hoc diluuio pereatis. Nam ſicut dudum mundus à diluuio peccatorum eſt liberatus per ſalutationem Angelicam; ſic & nunc venite ad me per eandem Salutationem.* Et videbat ille, quod Vniuerſi, qui hanc Salutationem accipiebant, haberent auxilium. Veniebant enim columbæ candidiſſimæ, quæ eos ad arcam deportabant: & Beatiſſima virgo Maria conuiuium magnum in eſcis totius iucunditatis, & in vino diuinæ inebriationis eis faciebat. Eiuſdem mandato Dominæ, Angeli trium Quinquagenarum, qui incendium extinguebant, in altiſſimo monte conſtruxerant, breuiſſimo tempore ciuitatem miræ magnitudinis, cum turribus centum & L. vbi omnes Pſalterij B. Virginis Mariæ cultores fuerunt poſiti, vt præſeruarentur, ab inſtanti incendio, quo nunc penè totus mundus in omni ſtatu deuoratur. Et ait benigniſſima Maria. *Sicut qui nauim Noe contempſerunt, omnes in diluuio perierunt; ſic omnes qui me, & Pſalterium meum contemnunt temporibus nouiſſimis, proculdubio in iſto diluuio peribunt.* Cæterum iſtud diluuium, tamquam alter infernus videbatur. & vix alibi miſericordia apparebat, niſi vbi Maria inuocabatur. Porro perſona, quæ hæc vidit, plurimos vidit, qui ex officio debuerunt ad Mariã confugere tali in tempore diluuij, qui magis eam blaſphemabant; ſicque cum blaſphemijs ſuis, turpiſſima morte cum tali diluuio ad tartara decurrebant. Plurimos autem videbat viros, & mulieres ſimplices qui in ſimplicitate ſua ad Mariam cum Pſalterio confugientes; ab ea habebant benedictionem, & præſeruationem. inter quos vidit quoſdam Eccleſiaſticos, & laicos, qui eodem die ſunt mortui, tempore peſtilentiali. Hanc Alani viſionem, cum Prædicatores diuulgarent, ingentem numerum ad eam Sodalitatem aggregarunt: quorum pium inſtitutum poſtquam Sixtus Pontifex intellexit, dato diplomate comprobauit, & Pontificia liberalitate ad deuotionem magis inflamauit. Ita habet hoc diploma.

*Plures illuſtriſſimi viri ac Principes ſodalitati Roſarij nomina dant.*

*Sixtus Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Paſtoris æterni vices, meritis licet inſufficientibus in terris gerentes, oues Dominici gregis nobis cælitus creditas ad caulas ſalutis æternæ, & ad præparandam ſibi perennem gloriam, indulgentijs, & remiſſionibus ſedulò inuitamus; vt eò deuotius orationes Altiſſimo effundant, quo per illas ad alia pia opera, quæ in hac mortali vita exercuerint facilius attingere poterint præmia felicitatis æternæ. Cum itaque, ſicut accepimus, in Eccleſia Domus Ordinis. FF. Prædicatorum Colonienſis, ſit quædam Confraternitas vtriuſque ſexus Fidelium, de Roſario B. Virginis nuncupata, ad honorem Angelicæ ſalutationis inſtituta; cuius Confratres, & Sorores tribus diebus cuiuslibet hebdomadæ Orationem Dominicalem Quindecim, & Angelicam Salutationẽ C. & L. vicibus, omnibus tribus diebus eiuſdẽ hebdomadæ, ad honorẽ eiuſdẽ B. Virginis, iuxta ipſius Confraternitatis inſtituta dicere cõſueuerũt (quas quidẽ orationes, & ſalutationes, Roſariũ appellãt) ac extra Ciuitatẽ Colon. in alijs Ciuitatibus & locis ſint cõplures, vtriuſq; ſexus eiuſdẽ Cõfraternitatis; Nos cupiẽtes, vt ipſi Confratres, & ſorores, & ſedulius, & deuotius prædictis, orationibus intẽdãt, quo ex hoc dono cæleſtis gratiæ vberius cõſpexerint ſe refectos, de omnipotẽtis Dei miſericordia, ac Beatorũ Petri, & Pauli Apoſtolorũ eius auctoritate cõfiſi, volumus, & auctoritate Apoſtolica ordinamus, quod oẽs, & ſinguli Cõfratres vtriuſq; ſexus iſtã Confraternitatẽ prædictã ſeruantes, tã in dicta ciuitate Colonienſi, quã etiã alibi vbicũq; locorum, nunc, & pro tempore exiſtentes, verè pænitentes, & confeſſi, qui orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam prædicto modo dixerint, in ſingulis Natiuitatis, Annunciationis, Aſſumptionis eiuſdẽ Beatæ Mariæ virginis feſtiuitatibus, ſeptẽ annorũ, & totidem Quadragenarum de iniunctis ſibi pænitentijs relaxationem*

*Eandẽ Roſarij ſodalitatẽ Sixtus Pontifex comprobat.*





*habeant, & conſequantur, præſentibus perpetuo duraturis. Nulli ergo hominum &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M. CCCC. LXXVIII. 3. Calend. Iulij. Pontific. noſtri anno 7. Andreas Coppeinſten. lib. tertio de Roſario.*

XIV.

*FF. Prædicatores Eccleſiæ, & fidei orthodoxæ conſulunt.*

His indulgentijs ad populum diuulgatis, Dominicani vniuerſalem Eccleſiam ad cultum B. Virginis ampliorem excitare, adeòque ipſam Eccleſiam exornare, & dilatare ſatagebant. Alibi etiam fidem Orthodoxam vel enubilabant, vel ſeruabant. Hoc enim anno meliori Hiſpaniæ fato, quod eatenus factum non erat, quæſtionibus habendis aduerſus religionis deſertores, atque hæreticos, alijſque in veram pietatem criminibus vindicandis, certi iudices deſignati in Caſtella ſunt, diſcreti ab Epiſcopis (quorum eæ partes ab antiquo erant) Sixti Pontificis authoritate, & fauore principum armati, Inquiſitorum ab officio nomine. Morẽ in alijs prouincijs frequentem Italia, Gallia, Germania, Polonia, ipſaque Aragonia, hoc vt diximus anno, Caſtella eſt imitata; neque in ſtudio impios conatus vindicandi, ſe ab vlla gente vinci paſſa eſt. Auctor conſilij fuit Hiſpaniæ Cardinalis. Licentia ſuperiorum temporum, multa in ea prouincia erant deprauata, Mauris, Iudæiſque cum pijs promiſcuè verſantibus, nullo non commercij genere. Praua conſuetudine, vſuque nonnullos è piorum numero infici neceſſe fuit: plures Chriſtiana ſacra, quæ ſuſceperant patria ſuperſtitione abdicata, fide inconſtanti, nullo vetante deſerebant. Labes, Hiſpali maximè eſt graſſata. In ea vrbe primum quæſtionibus arcano habitis, de ſontibus grauiſſimis pænis vindicatum. Nam maiori commiſſo delicto, igne poſt diuturnum carcerem, & tormento necabantur. leuiori de cauſa, ignominia inurebatur familiæ perpetua. non pauci bonis publicatis, æternis tenebris vinculiſque mandati. Rubra Crux obliquis radiis in crocea veſte, quam S. Benedicti vocant, pleriſque data inſignis, à cæteriſque diſcreta; vt eſſent documento, & magnitudine ſupplicii terrerent alios. Quod vſu ſalutare extitit, graue initio prouincialibus viſum eſt. Illa maximè; Parentum ſcelera, filiorum pænis lui. Occulto accuſatore reos fieri; neq; cum indice compoſitos damnari. Contra quam olim erat, peccata in religionem vindicari morte. Illud grauiſſimum, adimi per inquiſitiones loquendi libere, audiendique commercium: diſperſis per vrbes, & oppida, & agros obſeruatoribus, quod extremum in ſeruitute credebant. Ita diſcrepantibus indicijs, nonnulli mortis pænam remonebant; cæterum ſupplicorum acerbitates omnes complectebantur. In hoc numero Ferdinandus Pulgarius arguto, atq; eleganti ingenio; cuius extat de Ferdinandi Regis rebus geſtis hiſtoria. Alii qui fædare religionem, & ſanctiſſimas cærimonias mutare conati eſſent, eos frui vita, & communi ſpiritu non putabant oportere; bonis, & ignominia multandos videri, nulla filiorum cura. Præclare id legibus comparatum, vt charitas liberorum cautiores parentes reddat. Occulto indicio tergiuerſationes vitari; neque niſi de conuictis aperte, aut confeſſis pænas ſumi. In multis ſæpe antiquos Eccleſiæ mores, prout res exigunt, & tempora mutari; & maiorem licentiam maiori ſeueritate coercendam videri. Succeſſus opinionem ſuperauit. Ii iudices, ne ampliſſima poteſtate ad quæſtum, ſæuitiamque abuterentur, optimis legibus cautum ab initio. Plures, dies, & maior rerum vſus adiunxit. Quod caput eſt, viri integerrimi atque ſanctiſſimi ei muneri præfecti ex vniuerſa prouincia delecti fuere, quorum arbitrio ſingulorum fortunæ; fama, ſaluſque permiſſa eſt. Toti adminiſtrationi Thomas Turrecremata tum quidem Præfectus eſt, ex Dominicano Ordine, vir prudens, doctuſque præcipua apud Reges gratia, quorum peccata per pænitentiam expiare conſueuerat, Segobieñ ſui Ordinis Cænobio præfectus. Authoritas initio Caſtellæ finibus terminata, quarto poſt anno in Aragoniam tranſiit, Galbe, & Orteſio ex eo Ordine Inquiſitoribus non amoris. Ab eodem competentibus locus, prout res erant, iudices delegati nullo ſtatario Tribunali. Conſequentibus annis Supremus Inquiſitor, quinque viris adiunctis, iudicia maiora exercet in Curia Regia: vbi ſuprema alia Tribunalia ſunt, minora fini, ... e Inquiſitores. Certa loca ijs deſignantur. Hac ... e Toletum, Concha, Valliſoletum, Calagurris, Hiſpalis, Corduba, Granata, Ellerena: in Aragoniis Valentia, Cæſaraugusta, Barcino. A Fratre Thoma Turrecremata edictis propoſita ſpe veniæ, homines promiſcuæ ætatis, Sexus, conditionis, ad decem & Septem millia vltro crimina confeſſos memorant duo millia crematos igne, maiori numero in vicinas prouincias fuga dilapſos. Ab hoc initio res in hanc authoritatem creuit, atque poteſtatem; qua nulla prauis hominibus toto orbe Chriſtiano formidabilior eſt, Reip. b vniuerſæ maiori commodo. præſens remediũ aduerſus impendentia mala, quibus aliæ prouinciæ exagitantur, cælo datum. Nam humano conſilio aduerſus tanta pericula ſatis caueri non potuit.

17. *Millia hominum ad ſanctã fidẽ redacta opera fr. Thomæ de Turrecremata Ord. Prædic.*

Hæc dum in Caſtella agerentur, Maurus Granatenſium Rex, Oratores ad Ferdinandum Catholicum miſit qui inducias, quæ inter vtramque gentem erant, concedi denuò poſtularent. Negauit Ferdinandus, niſi vectigali repræſentato, quod ab antiquo pendere eſſent ſoliti. Legatus de ea re Granatam reſponſum à Barbaro; Reges qui vectigal pendiſſent, iampridem eſſe extinctos: ea tempeſtate in ædibus monetariis Granatæ, neque aurum, neque argentum cudi, ſed lanceas, ſagittas, acinaces conflari. Offenſus inſolenti reſponſo Ferdinandus, parendum neceſſitati iudicans inducias tamen conceſſit. Domeſticæ turbæ, & Luſitanici belli metus, & maioribus conſilijs Ferdinandum auocabant. Ioanni quoque eius patri Aragonum Regi, duplex contentio fuerat. Inprimis Ioannem, ex Ferdinando pridie Calend. Iulias nepotem, in ſpem Regnorum paterni, auitique, Aragoniis moribus imbuendum ad ſe mitti poſtulabat; vel illud maximè verens à multo vſu cautus, ne fidei alicuius concreditus, quod ſuperioribus annis factum meminerat, occaſio eſſet malè ſentientibus, rebus in Caſtella eius præſidio nouandis. Deinde ſollicitudo eumdem tenebat, de Cæſarauguſtanæ Eccleſia, quam Ioannis Aragonii obitu Alfonſo nepoti deſtinabat, quem Ferdinandus Ceruerææ in Catalaunis ſuſceperat furto. Vitium natalium facilè ſupplebat Pontifex Sixtus; ætatis veniam, vt daret, induci non poterat, puero Sexenni. Inter has contentiones vacuus diu Pontificatus, Auſiæ Dezpuchio Cardinali datus eſt, ſpe Aragonium Monteſiæ Magiſtri, cui erat, Cardinalis ſanguine proximus, id meritis daturum. Non tulit ille tamen dolorem, adiunctis minis, atque in Cardinalis bona, & cognatos graſſatus, peruicit tandem, annitente præſertim Neapolitano Rege, cui multum Sixtus Pontifex tribuere erat ſolitus, vt ea Eccleſia Alfonſo puero iure perpetuæ adminiſtrationis daretur. Nouum, damnatumque exemplum inductum, vincente Pontificiam conſtantiam, Regum importunitate, in Eccleſiæ iura inuadentium, atque, libertatem: quod ſemper accuſabitur, & ſemper erit. Et erat ea tempeſtate moribus vſurpatum, nè Epiſcopi Eccleſiis Hiſpaniæ darentur, niſi quos Reges poſtularent, nominarentque. Qua occaſione paulo poſt noua contentio de Turiaſonenſi Eccleſia orta eſt, cui Petro Ferricio Cardinali defuncto, Pontifex Andream Martinum Epiſcopum dedit. Reſtitit Rex Ferdinandus; vtque Hiſpaniæ Cardinalis mutata ſententia daretur, contendit, atque peruicit. Controuerſia finem accepit, cum Raphaële Galeotto, quarto poſt anno Gonchenſi Eccleſiæ tum vacuæ à Sixto Pontifice propinquo præfecto, effecit Rex eo amoto, Alfon-

XV.

*Ferdinandus Caſtellæ Rex, inducias cõcedit Mauro Regi Granatẽſium.*

ſium Burgenſem, Regiæ conſcientiæ procuratorem è Dominicano Ordine Cordubenſem Epiſcopum, rectorem Conchenſibus dari. Regibus Caſtellæ in perpetuum, vt quos ipſi expetijſſent, ij Epiſcopi præficerentur, addita prærogatiua. Dederat etiam ante quattuor annos Henrico Regi, ne externi homines amplius in Caſtella Sacerdotia expectarent; de quo lis diu fuerat cum nonnullis. Alfonſus is extrema ætate Palentinus Epiſcopus, ſuo Ordini Diui Pauli monaſterium Valliſoleti conſtruxit. Quo etiam anno, venia propinquitatis, non ita pridem Regi Luſitano facta, Romæ à Sixto Pontifice abrogata fuit, Ioannæque coniugio interdictum. In quo maior ratio eſt habita Neapolitano Regi gratificandi, id conuitio expetenti, quam vt quibuſdam videbatur, maieſtatis atque conſtantiæ. Miſſæ de ea re litteræ Põtificiæ menſe Decembri in Hiſpaniam. *Mariana lib. 24. c. 16. 17. 18. Surita lib. 20. c. 10. 23-25.*

XVI. *Excuſatur Sixtus Põtifex.*

Non deſunt tamen, qui Pontificem iure merito excuſent, quod priorem veniam abrogarit, atque coniugium cum Ioanna interdixerit. Præſtat primum commemorare, quibus de cauſis indulſerit. Alfonſus Luſitaniæ Rex, bellum cum Ferdinando Caſtellæ Rege gerens ad Ludouicum Galliarum Regem opis petendæ cauſa confugerat. Illi tandem poſt multa Ludouicus reſponderat; vt cauſa, pro qua bellum erat continuandum, fieret iuſtior, debere, ipſum inprimis neptem ex ſorore, iuxta conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ vxorem ducere. Alioquin neque ille poſſet eſſe aliquando Caſtellæ Rex, nec ſe illi poſſe iure opem ferre. Et quia intercedat illi cum ducenda vxore propinquitas ſanguinis, quæ eſſet impedimento, quominus iure poſſet fieri, ſupplicandum eſſe à ſummo Pontifice, vt illos legibus ſolueret, quos prohiberent in iura connubij, matrimoniumque conuenire. Hoc Ludouici reſponſo Luſitanus non multum lætus, exequitur tamen, quod ille monebat. Litteræque ſupplices ab vtroque ea de re ad Summum Pontificem datæ, cęptumque in Curia diſceptari de negotio; neque defuerunt vtriuſque partis aduocati, qui rem in ſummam difficultatem deducerent. Vrgebant Pontificem Regis, & Reginæ Hiſpaniarum Legati, dicentes ex illa diſpenſatione, ſi concederetur, ſequerentur multa detrimenta per omnem Hiſpaniam, cædes, latrocinia, agrorum populationes, viarum graſſationes, atque dari materiam, vnde religio mortalium, & cultus diuinus minueretur. Cumq; diſpẽſationes huiuſmodi, conciliandæ pacis & tollendarum litium, contentionumque cauſa concedi debeant, nunc concederetur in ſeminarium diſcordiæ, & ſimultatis, non modo ipſorum Regum; ſed etiam Summatum, & infirmatum, & mediocris conditionis hominum odia, inimicitiæ, diſſenſiones orirentur, & quæ bello implicitos ſequi conſueuerunt. Inſtabant ex altera parte Gallorum Regis Legati, & Procuratores, dicentes iniuſtè ſibi denegari, quod alijs concedi ſolet, neque Regem ſuum ita meritum eſſe de Apoſtolica Sede, vt eius petitiones in caſſum cedere deberent. His Pontifex videbatur fauere propterea quod opera Gallorum Regis indigebat, ad certas quaſdam res, ad Cameram Apoſtolicam pertinentes. Tandem vicit vtilitas, diſpenſationem conceſſit, deditque Luſitano perferendam, ſecretò tamen, ne res aduerſarijs nunciaretur. *A. Nebriſſen. decad. 1. lib. 6. c. 7.* Non poterat ea res latere, Ferdinandum, & Iſabellam Reges. Itaque tamen ſibi metuentes, ne per occaſionem matrimonij cum Ioanna nepte Alfonſus Regno Caſtellæ immineret, ac exinde bella cruenta ſequerentur; tantum apud Sixtum Pontificem pericula repræſentantes, profecerunt, vt is diſpenſationem abrogarit, vetueritque, ne Luſitanus Ioannam ſuperinduceret, *Surita. c. 25.*

XVII. Hoc anno miſſi ſunt à Sixto Pontifice in Scotiam Legati, qui Patricium Grahamum, Sancti Andreæ Archiepiſcopum reum agerent: quem poſtea Pontifex cum Cardinalibus ſententijs ſuis condemnarunt, omniq; dignitate, ordinibuſque Eccleſiaſticis deiectum, Epiſcopatuſque ſui munere priuatum, ſimoniacum ſchiſmaticum, hæreticum, & excommunicatum, in carcerem perpetuum detrudi decreuerunt. Quod & factum eſt; eiuſque loco ſubſtitutus eſt, Guilhelmus Scheues, Sancti Andreæ Archidiaconus, cuius fidei commiſſus eſt idem Patricius, vt eum in carcere cuſtodiendum curaret. Primum itaque deductus eſt ad Diui Columbæ inſulam, indè ad Xenodochium à Dunfermelin, poſtremò ad arcem Lochleuin, ibique mortuus ſepultus eſt in inſula Diui Seruani, *in appendice Scotorum hiſt. Boethij & Leſleus lib. 8.* Buchananus damnati nominis author, per calumniam, atque inuidiam oppreſſum fuiſſe Patricium memorabat, quando ſtatum Eccleſiæ Regni Scotiæ ſub Iacobo III. Rege, qualis eſſet, deſcriberet. Iacobus Rex, *ita refert*, qui ſuperioribus annis aſſueuerat ocio domeſtico, ac raro prodibat in publicum, iam nouus etiam maritus, domeſticis voluptatibus magnam temporis partem impartiebatur; atque excluſa nobilitate, in paucorum miniſtrorum poteſtate totus erat. Cum eſſet enim ingenio acri, & præferuido non facile ferebat ſententiam ſuam à conſultoribus reprehendi. Ita cum Procerum in cenſendo refugeret libertatem, tales circa ſe habebat, qui non corrigerent, ſed approbarent ſua decreta, & repugnandi offenſione vitata, obſequendo gratiam pararent. Inter hos aulæ mores, Ordo Eccleſiaſticus nihilo ſanctius agebat. Quãuis enim luxu, & auaritia iam multos annos Eccleſiæ miniſtri laboraſſent, remanſerant tamen adhuc ſpecies quædam antiquæ grauitatis, quæ & ſtimulos litteras diſcentibus adderet, & qui in diſcendo profeciſſent, ſpem emolumenti eis inijceret. Eligebantur enim Epiſcopi à Collegijs Canonicorum, & Cænobiarchæ à ſuis Sodalibus tum autem aulicos, qui Regis animum, & arces obſederant, lucri oſtentata magnitudo, & eorum, quibus cum certamen eſſet infirmitas eo facile perduxit, vt Regi ſuaderent, ne rem tanti emolumenti penes homines (vt ipſi vocabant) ignauiſſimos, & ad nullam reipub. partem capeſſendam idoneos eſſe ſineret, ſed poteſtatem deſignandi, quos vellet, ad ſe reuocaret. Inde enim non defuturum, vnde & contumaces reprimeret, & dubios retineret, & bene meritis gratiam referret. nunc autem penes vulgi fecem honores, & opes eſſe, non minus in publicis neceſſitatibus parcos, quam in domeſticis voluptatibus profuſos. vnum Regem eſſe oportere, in quem oculi omnium ſint intenti; penes quem ſit, & puniendi, & ignoſcendi, & remunerandi facultas Cum his, & ſimilibus blandimentis Regis animum ætate infirmum, nec ſatis aduerſus pecuniam firmum, & praua conſuetudine labefactatum, & à natura pronum ad licentiam, in ſuam ſententiam pertraxiſſent, continuo noua rerum facies, per totum regnum orta fuit, rebus omnibus tam ſacris, quam profanis, in aulam velut ad publicam nundinationem propoſitis. Patricius autem Gramus, qui præcipitantem Eccleſiam vnus velut ſufflaminabat cum inimicis omnia domi tenentibus, Romæ aliquot annos ſubſediſſet, certior per amicos factus, quo in ſtatu res eſſent, fretus propinquitate Regis, è cuius amita magna natus erat, ad ſuos redire ſtatuit: & vt animos hominum pertentaret, diploma de Legatione impetrata præmiſit, & promulgandum curauit: quæ res magnam ei inuidiam ſtatim conflauit. Nam qui redemerant in aula honores Eccleſiaſticos, nè prædam, & pretium ſimul amitterent, metuebant; & qui ſpẽ creſcendi ex aulica nundinatione conceperant, aditum ſibi obſtrui dolebant. Nec minus fremebat ea factio, quæ ſacerdotia mercenario quæſtu à Rege impetrauerant, vel impetrata aliis diuendebant, ne genus illud lucri è manibus eriperetur. Hi

*Archiepiſcopus S. Andreæ in Scotia omni dignitate priuatur.*

omnes



omnes coniuratione facta, maledictis Patricium abſentem onerabant; & in Regiam collecti quærebantur, vetuſta maiorum iura, & recentia Regum edicta violari, ac multa vniuerſo Regno damnoſa per Romanopetas agitari; quorum cupiditati, niſi maturè obuiam iretur, Regem breui in ordinem redactum iri, & penes illos rerum omnium poteſtatem fore. Id periculum, vt præuenirent, ex decreto conſilij ad Patricium vix naui egreſſum miſerant, qui vetarent, ne illam ſui muneris partem attingeret, donec Rex de quærimonijs aduerſus eum ad ſe delatis cognoſceret. Dies dicta, vt Edimburgi adeſſet, ad Cal. Nouembres. Interea, cum amici, & propinqui confirmarent, Regem in tam iuſta cauſa non iniquum fore; idque ex rumoribus aduerſa factio reſciſſet; Regis, & Aulicorum animos, magnæ pecuniæ promiſſione ita ſibi deuinxerat, vt numquam deinde Patricius, æquo iure cum aduerſarijs contendere potuerit. In Conuentum accitus, cum diplomata protuliſſet, è quibus oſtenderet, ſe à Romano Pontifice, Archiepiſcopum Fani Andreæ, Primatem Scotiæ, & Legatum, ad Eccleſiaſticum ſtatum ordinandum in triennium creatum, à minoribus quidem Sacerdotibus ſatis æquo animo auditus erat; gaudebant enim, munus tam neceſſarium viro bono, & erudito commiſſum; ſed hi metu potentię aliorum, qui ſibi Regem, & aulicos conciliauerant, mutire palam non audebant. Aduerſarij, vt fauor populi erga Patricium elangueſceret, mora interpoſita, Pontificem Romanum, qui vnus in ea cauſa iudex eſſe poſſet, appellarant. Ipſe, ad ſuam Eccleſiam remiſſus, veritus erat, dum lis diiudicaretur, Archiepiſcopi inſignia vſurpare; aut quicquam, præter conſueta ſuperioribus Epiſcopis munia attentare. Inter hæc exortus eſt Patricio, leui de cauſa, nouus inimicus, ſed omnium longè acerrimus, Gulielmus Seueſius. Is iuuenis acri ingenio, cum aliquot annos Louanij, apud Ioannem Spetincum medicum, & Aſtrologiæ ſtudijs nobilem egiſſet, reuerſus ad ſuos, cum cætera ingenij dexteritate, tum ſcientiæ rerum cæleſtium iactatione, breui in aulicorum gratiam ſeſe inſinuauit. Ea res magnum ei fauorem conciliauit, quod aula omnibus diuinandi generibus, tum vſque ad inſaniam dedita erat. Seueſſius igitur, ingenij acrimonia, & aulica gratia florens, breui Archidiaconus Fani Andreæ deſignatur. Cum ab Archiepiſcopo ad id munus non reciperetur, communicato conſilio cum Ioanne Locco, tum Scholarum publicarum Rectore, & Patricij inimico, machinas omnes ad eum ſubuertendum admouerant. Rector, fretus Romani Pontificis priuilegio, quo à iuriſdictione Patricij erat exemptus, ei Sacris interdixerat. Hanc ille hominis ex inferiore Ordine comminationem ita contempſerat, vt, etſi veniens in aulam eiſdem diris ſemel, atque iterum eſſet petitus, nihil tamen de ſuperioris vitæ conſuetudine remitteret. Tum inimici (vt mos eſt cum diræ Eccleſiaſticæ contemnuntur) Regis auxilium implorauerant, ac Patricium omnibus ſacris ædibus excludi procurauerant, in bona eius procurationem fiſci immiſerant, comites graui indicto diſcedere iuſſerant; cuſtodes dederant, qui obſeruarent, ne quicquam, quod edicto repugnaret, attentaret. Epiſcopi reliqui, ne erga Regem tam beneuolum ingrati viderentur, ſummam pecuniæ grandem quam tenuioribus Sacerdotibus grauate extorſerant ad eum attulerunt. Rex hac præda potitus; velut Patricij miſertus cæperat cum eo mitius agere, ac miſſi ad eum Abbate Sanctæ Crucis & Seueſſio, Epiſcopus Regi, & Epiſcopo Seueſſius reconciliatus videbatur; ſed pecunia ante ab amicis collata, & ad Regẽ perlata. Igitur Patricius, quaſi omnibus moleſtijs liberatus, cum ad villam ſuam Monimalium diuertiſſet, atque ad ea, quæ ſui muneris erant, priuatim, & publicè obeunda ſe compararet, Menſarij Romani ab inimicis in eum immiſſi, ob nondum ſolutam pro diplomate Pontificio pecuniam, ei ſacris interdicunt. Erat autem ille ad extremam inopiam iam adductus, Nam & ante, & poſt reditum, cenſus eius maiore ex parte à Procuratore Regio erant in fiſcum relati, & quod ab amicis potuit confici, Regi, & aulicis datum. Miniſtris autem Regijs iterum in poſſeſſionem miſſis, ipſe in arce ſua adhibitis à Rege cuſtodibus, ac domeſticis miniſtris ablegatis, ſeruari iuſſus etiam ad inopiam conſilij redactus eſt. Gulielmus Seueſius capitalis inimicus, veluti, mentis parum compoti, à Rege primum Adiutor (vt vocant) eſt datus, deinde à Sixto Põtifice approbatus. mox idem Seueſſius, per factionis aduerſæ potentiam Quęſtor electus, qui de vita, & moribus eius inquireret. Multa ei leuia, multa ridicula, quædam etiam incredibilia obiecta inter hæc, quod interim vno die ter ſacrificaret, idque ea ætate, qua vix reperiebatur in Scotia Epiſcopus, qui ternis menſibus, ſemel id munus abiret. Ibi inimico iudice, conductis teſtibus, Epiſcopatum eierare coactus eſt. Seueſſius, qui decretum ad Pontificem pertulerat, in eius locum ſuffectus. Nec inimici hac hominis clade contenti, cũ omnes eum contumelias magno animo ferre conſpicerent, curarunt, vt in cænobium aliquod deuiũ, quatuor adhibitis cuſtodibus includeretur. Electa eſt Aemona, ſcopulus verius, quam inſula. Inde, exorto bello, metu Anglicæ claſſis, poſt triennium translatus eſt Fermelinodunum. Inde rurſus in arcem, quæ eſt in lacu Leuino; atq; ibi tandem ætate, & miſerijs cõfectus, deceſſit; vir nullius ſceleris compertus, doctrina, & virtute, nemini ſui temporis inferior. Reliqui viri boni calamitate eius deterriti, ſpe abiecta inſtaurandæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſeſe ad ſua priuata quiſque negotia contulerunt. In aula, Sacerdotia aut vendebantur, aut adulatoribus, & turpium voluptatum adminiſtris, in præmium cedebant. *Rerum Scoticarum lib. 12.*

XVIII. *Iacobi Vlfonis Archiepiſcopi Vpſalenſis moderatio & prudentia.*

Felicior, quia moderatior, prudentiorque Iacobus Vlfonis Archiepiſcopus Vpſalenſis in Suecia. Is etiam à Romano Pontifice, ea dignitate, & pallio Archiepiſcopali ornatus, & in Sueciam Roma reuerſus, parum aberat, quin Sede ſua deijceretur. Spectator tamen fuerat eius belli, quod pertinacibus animis gerebatur, inter Chriſtiernum Danum Regem, & Stenonem Suræ, Regni Sueciæ Gubernatorem. Cumque neutri parti auxilium ferret, creditum fuit, ipſum non ſincerè pro publica patriæ ſalute ſentire. Ergo de abdicando eo cogitabant, qui de Chriſtierno victoriam retulerant: Ibi Iacobus excuſationem à non præmeditato caſu mutuatus, vt ſuſpicionem dilueret, atque dedecus euaderet, in Senatu regni ſurgens, obnixius, quantum potuit, præſentes Proceres precatus eſt, vt ſe à Senatu, & publico regni concilio liberum, miſſumque facerent, & apud Eccleſiam ſuam viuere permitterent. Præfatus, ſibi ſatis ſollicitudinis à Chriſtiana religione, quam ex officio ſeruaturus eſſet, incumbere; ipſi verò profanam rempublicam ad eum modum curarent, vt domi, & foris publice pacis conſilia tractarent. Mouit hæc moderati animi ſubmiſſio vniuerſos Proceres, adeò, vt quem gradu mouere iam antea decreuiſſent, in poſterum confirmarint, totoque ſtudio cedenti loco repugnarint, dicentes, ſe numquam eo deduci poſſe, quo Pontificem tanta experientia præditum, à publicis regni negotijs abeſſe ſuſtinerent. Enimuero extunc nimis indecorum fore putabant ſuum Senatum, ſi ſapientum Pontificum præſentia vacuus, ſpeciem præberet reipub. mox euertendæ, aut per temeritatem adminiſtrandæ. Itaque ipſorum importunis victus precibus, & in Senatum Regni conſcriptus meruit, vt tam ipſe, quam omnes ſucceſſores ſui, Ciuitatem Vpſalenſem cum nonnullis vicinis territoriis pleno iure, & ſempiterno dominio, cum omnibus Regalibus obuentionibus poſſideret; datis deſuper ab eodem Senatu litteris, quibus

declara-

neclaratum fuit, quòd ab initio fundatæ Eccleſiæ taliter fuiſſet inſtitutum. Inſuper, vt decentem familiam pro ſua dignitate, & regni honeſtate alere poſſet, decretæ ſunt ei Regiæ obuentiones per Norabothniam, & plures alias non contemnendas prouincias, quarum commoditate fretùs, tot commoda patriæ ſuæ inuexit, quot nulli Reges, aut Principes Regni ante eum à ducentis annis inuexerant. Poſſeſſione ad hunc modum Archiepiſcopali, & Senatoria ſtabilita, aureum ſæculum Gotthicis terris inuexit, quando prudentiſſimus Archiepiſcopus, in arce Chriſtianæ reipub. præſidens, nihil conſuleret, nihil inculcaret, nihil præciperet, niſi diuinis legibus, & ſanctorum Patrum, ac Principum inſtitutis conforme. Ipſe Steno Gubernator, optimum Pontificem, optima monentem, ac præcipientem, non ſecus ac deditiſſimus filius audiebat, ſolicitè curans, nè Proceres, aut populus Pontificiæ auhoritati rebellis, diuinam iracundiam in ſe, & poſteros prouocaret. Vnde factum, vt inter quoſcumque præcipuos, & optimos Heroës, cum immortali laude connumerari meruerit. Quippe, ſi pietatem eius erga Deum, & Dei miniſtros attenderes, nulli in Chriſtiana religione ſecundus erat. Pontifices, & Sacerdotes Chriſti tanta veneratione proſequebatur, vt ſe numquã (quãuis tot populorum Princeps eſſet) prætulerit infimo Pontifici; imò inter pios, & præclaros mores æſtimabat, minores Eccleſiæ Prælatos, vtpotè Præpoſitos, Decanos, & ſimiles ad dexteram ſuam venerando obſequio deducere, & primas ſedes nedum in templis, ſed in prætorijs, & alijs publicis locis eis concedere Feudalia quoque bona libenter, & liberaliter illis aſſignauit, rectè exiſtimans, eos regendis hominibus aptiores eſſe, qui diuino obſequio mancipati, diuinam legem (ſine qua, humana iura conſeruari nequeunt) continuo ſtudio proſequuntur. Sciebat enim ſuam, & totius patriæ ſalutem, conſeruationemque & honeſtatem, in ſumma Pontificum ſalute, & authoritate conſeruari. Sciebat præterea à maioribus ad poſteros traditum eſſe, ipſum Sacerdotium in Suetia numquam ſine vniuerſali totius patriæ ruina corruiſſe. Neq; Pontifices ingrati erga eum erant; quippe qui omni ſtudio prouidebant, nè aliqua domeſtica, aut extranea bella in ipſum præualerent. Sæpeque vna cum cæteris Senatoribus, nomen, & coronam Regiam ei offerebant, etiam ſupplices rogantes, vt qui omnem Regiam authoritatem haberet, nomen quoque, & maieſtatem Regiam aſſumere vellet. Sed erat tanta moderatio in illuſtriſſimo Principe, vt omnia mallet, quam Regium nomen (quod ob ſeueritatem priorum Regum, ad publicum patriæ odium deuenerat) ſibi adaptari pateretur. Quin potius gaudebat, ſe infimorum ciuium, & incolarum amicum ac fratrem æſtimari. Non erat aliquis tam humilis conditionis paterfamilias in cuius domum cum hoſpitij gratia introijſſet, quin ipſum vna cũ coniuge, & liberis porrecta manu officioſiſſime ſalutaret ſecumque tam hanc, quam illum decentiſſimè ad menſam collocaret, & de eorũ ſalute, ac proſpero rerũ ſucceſſu diligenter interrogaret, ſummaque ſollicitudine prouidit, nè ſui præfecti quemquam iniurijs afficerent, aut affici paterentur. Habebatque in omnibus regni angulis fideles exploratores, qui præfectorum fidem, & æquitatem erga ſubiectos populos inquirentes, omnia eorum facta ad ipſum occultè, & fideliter deferrent; tamque ſcrupuloſa examinationi de ſubditorum quiete inquirebat, vt potius ſibi ipſi vitam quam ſubiecto ciui vnam ouem contrà iuſtitiam auferri permiſiſſet. Quò factum erat, vt nullus inter Gothos, & Sueones inueniretur, qui non libentius pro eo fortunam, & vitam expoſuiſſet: imò vbi aliqua bellorum opinio emerſit, & Steno vnum ex tota familia pro defendenda patriæ libertate ad bellum euocaret, confeſtim non vnus, ſed omnes quotquot armis idonei erant, armati ad pugnam prodibant. Erupit igitur verax in omnes regionis fama, Stenonem nulla humana potentia ſuperari poſſe, qui in tam ampliſſimo principatu, quotquot incolas; tot haberet milites in omnem caſum pro eius defenſione præparatos. Accidit interim, vt Iacobus Archiepiſcopus iterum inſimularetur, quaſi Danis faueret. Hinc aliqui Stenonem ad inferenda Antiſtiti arma incitarant; Antiſtes etiã non exiguas pro ſua defenſione copias comparauerat. Iam ad locũ deuentum erat, in quo depugnarent, cũ Steno benignæ ſuæ naturæ memor, clam inſcijs Proceribus, ad Archiepiſcopum in propinqua villa Necs apud arcem Stecham commorantem acceſſit, & confeſtim ſine arbitris, cum eo in gratiam reuerſus, admirabili lætitia omnes qui in mutuam cædem ſtabant parati, affecit. Volebat enim optimus Princeps, ſe coram integerrimo Pontifice ſupplicem exhibere, quam innocentes ciues, ob cauſam ſatis dubiã præſentiſſimo periculo inuoluere. Nec ſilentio inuoluendum eſt, quod alio tempore non minus prudenter egiſſe videtur. Cum enim conſideraſſet cõplures regni Proceres fortunis Eccleſiarũ, & Clericorũ inceſſabiliter inhiare, cõuocato Regni Senatu, ſimulabat, ſe Põtifices, & Eccleſię authoritatẽ in ordinẽ redigere velle. Quod cũ ipſi Proceres magno applauſu accepiſsẽt, mox vehemẽti obiurgatione eorũ temeritatẽ reprehendẽs, *inquit*, Iã non miror hanc patriã noſtrã ad plurima incõmoda corruiſſe; ſed magis miror, quod ſaltem aliquod Reipub. veſtigium relictum habeamus; cum impoſſibile ſit, ipſam Chriſtianæ Eccleſiæ authoritatem corruere, niſi totum regnum pariter collabatur. Proinde quicumq; velit regnum penitùs deſolare, is primò in terris noſtris manum apponat, vt Eccleſiaſticus ſtatus (qui in toto orbe Chriſtiano propugnatores ſuos habet) deſoletur. Prætereà eius ſincera in Deum fiducia, maximè ex eius litteris in publicum miſſis apparuit. quippè ad omnia publica negotia, ſanctę Trinitatis nomen pręmittere conſueuerat. Iacobus Archiepiſcopus prudẽtia ſua effecerat, vt fortitudo militaris Stenonis, ſapientibus conſilijs auſcultaret. Vndè hoc tempore in Suecia domi, & foris omnia erant tranquilla, ciuium concordia maxima, legum obſeruantia ſumma, Eccleſiæ, & diuini cultus præcipua reuerentia, cum aduenis, & peregrinis iocunda, & liberalis conuerſatio, cum Vuandalicis ciuitatibus, & earum negotiatoribus, fidele, atque incorruptum commercium; omnia per Regnum promptuaria omnibus bonis referta, omnibuſque viatoribus gratis expoſita hoſpitia, & victualia: & quod ſupremum eſt, erga Sedem Apoſtolicam Summumque Pontificem demiſſa ſubmiſſio; quandoquidem Steno miſſa Romam Legatione, voluerit Chriſti in terris Vicarium venerari, eiuſque protectioni, ſe, & regnum ſubmittere, nè à Danicis armis infeſtaretur. Hemmingum Gaddum Oſtrogothum Lincopenſem, ea de cauſa Oratorem ad Pontificem miſit, qui omnia officia demiſſionis præſtaret, & tutelam Apoſtolicam imploraret. *Mallus lib. 5. de vitis Pont. Vpſalen. & lib. 22. Gothorum hiſt.*

XIX. *Sixtus PP. facultatem abſoluendi à grauioribus delictis temperat.*

Eodem anno Sixtus Pontifex, diſciplinæ Eccleſiaſticæ retinendæ cauſa, facultates abſoluendi à grauioribus delictis temperauit, promulgato hoc edicto.

*Etſi Dominici gregis ſaluti ſemper intenti ſingulis cum humilitate poſcentibus ea benignè concedere ſtudeamus, per quæ (peccatorum mole depoſita) ſalus ipſa ſuccedat, & hoſtis humani generis ſeruitute ereptas animas lucrifaciamus Altiſſimo, qui nobis eas, ſua bonitate commiſit; id tamen propenſiori ſtudio præcauendum eſſe cenſemus, nè cuiuſuis indulgentiæ, remiſſionis, vel facultati obtentu, Chriſti fideles procliuiores ad illicita in poſterum committenda reddantur, aut facilitas veniæ eis peccandi tribuat incentiuum. Cum itaq; (ſicùt multorum fide dignorum teſtimonio accepimus) ob multitudinem facultatem, per nos, vel auctoritate noſtra conceſſarum, tam verbo, quàm in ſcriptis confectis exinde litteris vel non, prælatis & perſonis Eccleſiaſticis, etiam Religioſis, & ſecularibus vtriuſque ſexus, capitulis, collegijs, conuentibus, hoſpitali-*





*bus, confratriis, & vniuerſitatibus, tam in genere, quam in ſpecie, ſub electione, vel deputatione confeſſorum, qui eligentes eoſdem, vel pro indulgentijs per nos conceſſis conſequendis, ad Eccleſias, & ad alia pia loca confluentes, ſeu ad aliqua pia opera manus porrigentes adiutrices, earundem confratriarum confratres, & ſorores, ac in hoſpitalibus prædictis decedentes, ſeu deſeruientes, aut eis piè aliquid relinquentes, vel aliqua alia meritorum miniſteria exhibentes, & in Ordinibus profitentes, eorum confeſſione diligenter audita, in ſingulis etiam Sedis Apoſtolicæ caſibus reſeruatis ſemel in vita, & in alijs, totiens, quotiens, ac in morte plenariè, vel alias etiam ad effectum conſequendi quaſcumque indulgentias plenarias, vel non plenarias, abſoluere, & pœnitentiam ſalutarem eis iniungere, emiſſa quoque vota per illos quæcumque in alia pietatis opera commutare liberè, & licitè valeant; fideles præfati ad peccandum, & ad alia illicita committendum, nonnumquam procliuiores exiſtant, in non paruum periculum Salutis animarum ſuarum: Nos, qui Deo propitio eiuſdem gregis Dominici (meritis licèt inſufficientibus) cauſam gerimus, & illum ſpiritualis theſauri elargitione cupimus, ipſi Deo reddere acceptabilem; nè exinde clauium auctoritas deducatur in contemptum, ipſique ad peccandum procliuiores, (vt diximus) liberius prolabantur; ex præmiſſis, & alijs rationabilibus cauſis animum noſtrum mouentibus, motu proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera voluntate, & deliberatione, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus, quod de cætero prætextu facultatum huiuſmodi conceſſarum à nobis, vel auctoritate noſtra, & quas concedi quomodolibet contingat in poſterum, verbo, litteris, aut quauis alia Scriptura, etiam cum clauſula, quòd ſola ſignatura ſufficiat, etiam in fauorem fidei, & Cruciatæ, nullus Confeſſorum eorundem, quampiam cuiuſuis ſtatus, gradus, Ordinis, vel conditionis exiſtat, & quæcumque Eccleſiaſtica, etiam Epiſcopali, vel maiori, aut munda, etiam Regali, & maiore dignitate præfulgeat, qui offenſæ Eccleſiaſticæ libertatis, violationis interdicti ab eadem Sede impoſiti; ſeu hæreſis, poſtquam fuerint de ea ſententialiter condemnati, delati, ſeu publicè diffamati, conſpirationis in perſonam aut ſtatum Romani Pontificis, ſeu cuiuſuis offenſæ, inobedientiæ, aut rebellionis eiuſdem Pontificis; vel dictæ Sedis; mutilationis membrorum, vel occiſionis cuiuſcumque in ſacris Ordinibus conſtituti; offenſæ perſonalis in Epiſcopum, ſeu alium Prælatum; inuaſionis, deprædationis, occupationis, aut deuaſtationis terrarum Romanæ Eccleſiæ; mediatè, vel immediatè ſubiectarum; ac etiam inuaſionis Romipetarum, ſeu quorumcumque aliorum ad Romanam Curiam venientium; prohibitionis deuolutionum cauſarum ad dictam Curiam: delationis armorum, & aliorum prohibitorum ad partes infidelium: impoſitionis nouorum onerum realium, vel perſonalium Eccleſiis, vel Eccleſiaſticis perſonis: Simoniæ ſuper Ordinibus, vel beneficiis conſequendis in dicta Curia, vel extra eam contractæ, criminum quomodolibet reus foret: & generaliter in caſibus contentis in literis, quæ conſueuerunt in die Cœnæ Domini publicari, prætextu huiuſmodi facultatum abſoluere, & per eos emiſſa peregrinationis vltramarinæ, & viſitationis liminum Apoſtolorum Petri & Pauli: in Compoſtella, & caſtitatis, ac religionis vota: niſi ex ſpeciali licentia, & certa ſcientia noſtra, de qua demùm conſtare cenſeatur, cum in ſignatura noſtra deſuper manu ſcriptum, aut in litteris noſtris expreſſum fuerit, nos ex certa ſcientia, & de ſpeciali gratia id concedere, cum derogatione præſentis Conſtitutionis, illius de verbo ad verbum inſerto tenore, non autem per clauſulas id importantes, vel in articulo mortis conſtitutum, & tunc in caſibus, in quibus ſatisfactio fuerit impendenda, facta ſatisfactione, vel idonea præſtita cautione, commutare præſumant: & ſi aliqui Confeſſorum prædictorum contra præſentem Conſtitutionem quemque abſoluere, aut excepta vota prædicta commutare attentauerint, abſolutio, & commutatio huiuſmodi nullius ſit valoris, vel momenti. & contrafacientes eò ipſo excommunicationis ſententiam incurrant, à qua (niſi in mortis articulo conſtituti) ab alio quàm à Romano Pontifice abſolui non poſſint. Non obſtantibus litteris, & conceſſionibus huiuſmodi, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus &c. Et ne aliquis de præſentibus ignorantiam valeat allegare, mandamus eas in Cancellaria Apoſtolica, & audientia litterarum contradictarum legi, ac publicari, ac inter extrauagantes alias Apoſtolicas Conſtitutiones in quaterno dictæ Cancellariæ deſcribi &c. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtrarum, ſuſpenſionis, inhibitionis, mandati, & voluntatis &c.* Datum Romæ. anno Domini M. CCCC. LXXVIII. *ext. de pœnitentiis & remiſſionibus, libro quinto, capite quinto.*

XX. *Regina Boſinæ moriens, Eccleſiæ Romanæ ſuum regnũ legat.*

Hoc anno Romæ Catherina Boſnenſium Regina Thomæ Regis vxore à Turcis regno eiecta, & liberalitate Pontificia in Vrbe cõſeruata ægrotãte, introducti in ſenatum Apoſtolicum duo ex familia illius, quibus ab illa hoc negotij erat iniunctũ, obtulerũt Sixto Pontifici teſtamentũ, quo illa regnũ ſuum Eccleſiæ Romanæ legabat, addita conditione, ſi filius ex Turcis rediret, defectionis ante actæ pœniteret, & Chriſtianam fidem reſumeret, in auita reſtitueretur ab Eccleſia Romana. in ſignum autem Legati regni enſem dederunt, & calcaria, quæ Pontifex benignè accepta, prehendi ſigillatim à quoquã Cardinalium voluit, ipſumq; teſtamentum, & Sedis Apoſtolicæ recepti regni decretum in Archiuis Apoſtolicis condi imperauit. Defunctæ Reginæ Sixtus Pontifex inferias fecit, eamque antè aram maiorem, Baſilicæ Aræ cæli tumulati imperauit: inſculpta eius lapidi ſepulchrali, diademate ornata, cum ſequenti epitaphio

*Katherinæ Reginæ Boſnenſi,*
*Stephani Ducis Sanctæ*
*Sabæ, ex genere Helenæ, & domo*
*Principis Stephani natæ, Thomæ*
*Regis Boſnæ vxori.*
*Quæ vixit annos LIIII.*
*Et obijt Romæ Anno Domini*
*M.CCCC.LXXVIII.XXV.*
*Die Octobris-Monumentum*
*ipſius ſcrptis poſitum.*

*Angelus Rocca in Bibliothec. Vaticana, & Card. Papienſis. epiſt.* 670, qui etiam ſcribit, menſe Decembri Oratores in Germaniam à Sixto Pontifice ad Imperatorem deſignatos: qui quid egerint; in conſequentibus narrabitur.

XXI. *B. Michael Barea Ord. Minorum moritur.*

Eodem anno in humanis eſſe deſijt, in monaſterio S. Mariæ gratiarum. F. Michael Barea Minorita, magnæ puritatis, ſimplicitatis, auſteritatis, & zeli Sacerdos. Excurrebat in campos, agros, pagos, & ſyluas & quos reperiebat, agricultores, vel paſtores, ad confeſſionem alliciebat: interrogatione videlicet præmiſſa, quantum temporis effluxiſſet, quo aliquis conſcientiæ labes per exomologeſim non expiaſſet. Peſte infectis ardentiſſimo ſtudio miniſtrabat, eiſque Sacramenta impertiebatur. Tempore Bacchanalium in vicos, & plateas excurrebat, quoſque comperiſſet per ludicra, & lubrica, dies illos exigere, ad ſobrietatem, & ſeueritatem reuocabat, ſiue priuata ſuaſione, ſiue pro concione. Secreta conſcientiarum diuino ſpiritu perſpiciebat. Odia, diſſenſiones, & flagitia deponere, facundo eloquio compellebat. Alicui matronæ ſeptem menſium grauidæ, ſed ex peſtilentia laboranti, felicem, facilemque partum impetrauit: quem etiam Sacrofonte ablutum matri dedit; atque tunc demum illa, cum infante recens nato, è vita diſceſſit. Viuens, & mortuus multis miraculis claruit; propter præ fideles, non ſemel, terram ſepulchralem pro deuotione ſingulari ad morbos pellendos ſuffurantes, Minoritas coegerunt, vt eius cadauer refoderent, & ſub quodam altari reconderent. *Vlyſſiponen. in Chron. Minorum parte tertia, libro ſexto, capite trigeſimo quinto.*

XXII. *Miracula patrãtur ab imagine Deiparæ.*

Hoc anno, Bononiæ, initium habuit Eccleſia SS. Virginis Deiparæ ad Galeram nuncupata, ex hoc, quod narrabo, miraculo. Vicus erat dictus Galera, & in eo domuncula quædam vilis; in cu-

ius porticu extabat imago Diuæ Deiparæ. Peſtilentia laborabat ciuitas, & in ea aliquis pauperculus apoſtemate mortali percuſſus, iam cum morte dimicabat. Prorepens illac, & ad imaginem oculos attollens, ſupplices preces Virgini, pro valetudine deplorata, neque ſine fructu perrexit. Vix enim orauit, cum vniuerſo morbo præter expectationem leuatus, ſanus, incolumiſque euaſit. Quo per vrbem diuulgato, nonnemo à contagione infectus, vel alijs morbis confectus, vbi votum ad Diuam virginem concepiſſet, ſoſpitatem recuperauit. Inde ciues religioſiſſimi collato ære Templum ſuæ liberatrici condidere, Sodalitatemque nobilitatis inſtituere, qui illuc ſtatis diebus conuenirent, atque ſtipem in indigentes, ſed mendicare erubeſcentes, colligerent, atque erogarent. Continuauit illo loci ad hæc vſque noſtra tempora. Virginum potentiſſima miracula in ſalutem accedentium patrare. *Pompeius Vizani hiſt. Bononien. lib. octauo.*

# ANNO CHRISTI 1479.

## SIXTI PAPÆ IV. Anno 8. & 9.

## FRIDERICI ROMANORVM IMP. Anno 40.

I. *Res Florẽtinorum & Mediolanenſium periclitãtur.* FVere hoc anno Florentinorum, & ſociorum Mediolanenſium res maximo in diſcrimine, quando Sixtus Papa Ferdinãdi Regis Neapolitani ſocialibus copijs auctus, vnum Laurentium Medicem, violatæ Maieſtatis reum, aut extinctum, aut in exilium actum videre geſtiebat. Non deerant illi ſibi, ſi quo modo vires Pontificias diſtraherent, & frangerent. In Societatem belli aſciuerant Galeatij pupilli tutores; Venetos; Herculem Ferrarienſium, Federicum Mantuanorum, Robertum Malateſtam Ariminenſium Principem, Nicolaum Vitellium Carolum Bratij filium, & alios non contemnendos proceres. Non difficile fuit Pontifici, atque Regi, Mediolanenſium eos præſidio nudare, ex hac, quam narrabo, occaſione. Inter Sforciæ pueri tutores graui orta controuerſia, cum ambitioſè omnes ad Principatus adminiſtrationem aſpirarent, in maximum tumultum res erupit. Erat ſumma rerum penès Bonam Ioannis Galeatij matrem, non illam quidem ſatis per ſe aptam imperio adminiſtrãdo, ſed quæ proxima ſumma virtuti eſt laus, nitentem vnius hominis conſilio, qui magnam apud omnes prudentiæ, & probitatis opinionem partam habebat. Erat is Franciſcus Simoneta Calaber, callidus homo, atque ex Galeatij mortui indulgentia, qua is numquàm immoderatè vſus apud populũ maximè præſtare gratia ferebatur, ſummã ferè omnium rerum gerendarum vnus adeptus. Huic cum ſimultates grauiſſimæ pòſt Galeatij mortem cum Ludouico Sfortia interceſſiſſent, qui proptereà quòd pueri patruus erat, & fratrum maximus natu rerum adminiſtrationem ad ſe deferri poſtulabat: nè quid illi locus ad noua ineunda conſilia relinqueretur, magnæ cupiditatis homini, & quæ inprimis videretur pueri rationibus incommoda futura, Bonæ matri perſuaſit, vt Senatus decreto interpoſito, illum extra vrbem ablegandum ad imperij fines curaret. Ita illa probata res Ludouicum tanquàm is nouas res aduerſus Ioannis Galeatij ſalutem moliretur, ac ſimul Octauianum fratrem, & Aſcanium, tum Robertum Sanſeuerinatem, quòd is maxime eorum eſſe ſtudioſus dicebatur, in exilium eiecit. Ex his cum præcipiti fuga elati Abduam tranſirent, Octauianus vado deſtitutus, temere equo in vorticem demiſſo, interijt. In hoc rerum ſtatu, exules in nonnullam ſpem venerunt, per eam occaſionem belli Hetruſci, res in Inſubribus nouandi. Quod cum Ferdinandus Rex didicit, eos in ſuſcepta ſpe confirmauit; quò illi magis animos ad noua conſilia adijcerent, magna illis occaſione ad rem ex ſententia gerendam oſtentata. Quoniam enim iniquo animo ferebat, Florentinos, quibus cum bellum gerebatur, à Sfortiæ tutoribus auxilijs iuuari; ita illos cura domeſticarum rerum implicare conſtituit, vt fæmina præſertim, atque in nouo poſita principatu, ſatis conſultum filij rationibus cenſeret, ſi quid illi ſpatij relinqueretur, de illius ſalute cogitandi. Itaque per Proſperi Adornii, & fratrum exulum operam perfecit, vt Genua, & ſi qua illius ditionis oppida Sfortiæ imperio parebant, ab eo præter vrbis arcem deficerent. Quæ cùm illius præſidijs teneretur, ſæpe eò miſſus, qui tentarent, an vlla ſpes eſſet illam recipiendi, & victi ſemper facilè, & redire æquè re infecta, erant coacti. His rebus fæmina (vt par erat) perturbata, cum in Florentinis graui implicitis bello, & haud ſatis aptis, qui ſeſe aduerſus tantos hoſtes tuerentur, parùm ſibi eſſe præſidij conſtitutum animaduerteret, conſilium quidem iniuit, vt in aduerſis, & fluxis rebus haud improbandum, ſed quod magis eſſet opportunum inimicorum iniuriis vindicandis, quàm videretur filij rebus in poſterum expedire. Genua enim accito Baptiſtæ Fregoſio Proſperi inimico, atque aduerſariarum partium Principi, cum illi facilitatem agendæ rei demonſtraſſet, magnam ſpem fecit, ciuitatis Principatum, per Adornij eiectionem occupandi. Ac quo maiore elacritate, & ſtudio, rem ſibi eſſe ſuſcipiendam putaret; præter ciuium ſtudia, qui permulti illius nomini fauebant, vbi rem aggrederetur, ſe illi arcem tradituram pollicebatur. Cum re intellecta Fregoſius, ſe numquam immemorem illius beneficij, ac tantæ oblatæ occaſioni minimè defuturum reſpondiſſet; his conditionibus eſt res inter illos tranſacta; vt recepto principatu, cum Ioanne Galeatio Sfortia filio; quem, vt par erat ſuæ dignitatis, authorem & familiæ agnoſceret, fædus ſanctè, atque amicitiam coleret, imprimis autem quod rationibus vtriuſque expediret, neque exules vmquam per vllam obiectam cauſam reciperet, neque ad bellum, aut ſibi aut Galeatio filio vlliue inferendum, pecunia, milite, vllaue re alia iuuaaret. Ita ille confirmatus, atque agendum rem Genuam dimiſſus, facile recepta arce, cum ſuorum fideli, ac forti opera vſus eſſet, Principatum occupauit: atque inde Proſperum, Sfortianoſque fratres ex vrbe eiecit: ſumma fide (id, quod ſe receperat facturum) in eo, fædere ſeruato. At illi exulibus Genuenſibus adiunctis, vnà cum Ruberto San-ſeuerinate, cuius eadem erat cum cæteris cauſa, ſe in Apuanos Ligures receperunt, ita parati animo, vt vbicumque ſpem reditus occaſio oſtentaret inſigni clade inimicorum ſuis ne deeſſent. Iſtud cum Pontifici, & Ferdinando nuntiatum eſſet: omni iam in Inſubribus ſedato tumultu, vnde ſpes illis primũ erat obiecta, Florentinos ab ea parte Sfortiæ præſidio nudandi: exulũ operã per opportunã ad vires eorũ diſtrahendas arbitrati, quæ haud ſatis per ſe eſſe firmæ eodem etiam contractæ videbantur, curauerunt ab illis copias in Piſanum agrum inducendas, magna illis ſpe reditus facta, vbi audacter incæpta exequi, atque impigre maturaſſent. Quòd autem ver appropinquabat, neque ſatis adhuc Florentini eſſe ad bellum parati ferebantur: plurimùm fore commoditatis in eo exiſtimabant, ſi exules vſi celeritate, ac rem nec illis opinantibus aggreſſi, ab ea parte belli initium facerent. Cum exules de eorum voluntate certiores facti, rem minimè contemnendam eſſe putarent; optimæ ſpei, & fiduciæ pleni tantam repentè oblatam occaſionem læti arripiunt. & ex Liguribus, qui Adornij partibus fauebant, magna hominum collecta manu, cum ijs præeſſe San-ſeuerinatem placuiſſet, breui quæcumque agri Piſani erant, vt in ſubita, atque improuiſa re nemine ijs reſiſtere audente, aut vi, aut metu, aut deditionem recipiunt. Tanta autem erat eorum fiducia ex ſuperioris temporis prouentu, vt iam ſpectantibus militibus, qui in ſtatione erant, excurrere ad portas vrbis prouecti gloriæ ſtudio auderent. Alia ex parte, Ludouicus, & Aſcanius Sfortiæ, ſibi non deerant, & Bonam infeſtabant, nè Florentinos potuerit iuuare. Inſubrum enim agros populati, Dertonam, Romanorum olim coloniam occuparant. Quia verò non eſſe penitùs à ſe auerſos Mediolanenſium animos audiebat, in magnam ſpem venerant, ijs ſuo aduentu confirmatis, ac ſi qui minùs ſuis rebus fauerent, largitione, & præmio redemptis, fore, vt ſuſcepta Sfortiæ pueri curatione, non magno negotio Principatum inuaderent. Adiuuabat plurimùm fortuna eorum conſilium. In magna enim caritate annonæ armata multitudo, ità vt minime quieturam appareret; authorem modò, & ducem quærere ad ſeditionem videbatur, qui ſe à fame, atque egeſtate vindicaret. Iam & illud ferebatur, quòd inprimis exulum cauſæ fauebat, Bonæ matri, & Simonetæ, cuius conſilio omnia agi exiſtimabantur, magnam à plebe conflatam inuidiam: quæ quod ciuitas rei frumentariæ anguſtijs laboraret, culpam omnem in illos conferebat. Ità illi magna ſpe incitati, fore, vbi propiùs ad vrbem acceſſiſſent, vt à ſuarum partium hominibus ſibi portæ aperirentur, magna vſi celeritate Mediolanum properabant. Id cum fæmina didiciſſet, quæ ab omni conſilio inops, nequid ſibi durius accideret, in magna populi offenſione verebatur; vſa illa quidem vt adeò ſuo aduerſo tempore conſilio minimè improbando (quod adducta neceſſitate & tempore erat factura) deferre vltrò Ludouico ipſa conſtituit. Quò autem mitiùs cum illo ageret, eò ſe illum æquiorem habitura arbitrabatur. Huius conſilij authorem illi fuiſſe ferunt, Antonium Taſſinum Ferrarienſem quemdam, cum ex humili fortuna traditus vxori ad cubiculi miniſteria à Galeatio eſſet, ſiue illum ſedulitate & officio, ſiue ingenij, & morum elegantia cui rei maximè ad Principum gratiam aditus patet, ſiue forma conciliatum id, quod nonnulli ſuſpicabantur. Breui autem cum ſe penitùs in interiorem illius amicitiam inſinuaſſet, cæteris omnibus deiectis, ob minimè diſſimulata in illum Principis ſtudia, omnia ſuo arbitratu adminiſtrabat. Id cum alij ferebant moleſtè, qui tantam inuri ignominiæ notam Sfortiæ familiæ querebantur; tum vnus erat Franciſcus Simoneta, qui ob ſingularem hominum de illius prudentia opinionem, principem locum inter familiares conſecutus, & hoc minimè æquo animo ferebat, & vnius hominis inuidioſæ potentiæ, palàm fretus ſua authoritate aduerſari auderet. Ea ex re graui inter illos æmulatione orta, minimè quidem ex æquo loco, cum in altero vera virtus, quæ contemnebatur, in altero fæminæ ſtudium, & gratia conſpiceretur, certabatur. At Taſſinus, qui hoc non ignorabat, cùm aſpiraret ad maiorẽ potentiam, & (quod ſub fæminæ Imperio ſperare non poterat) magis eandem firmam, & diuturnam; ſemel tamquã loco motum aduerſarium arbitratus, ſe vbi paulùm admitteretur, deiecturum; exules fratres, quorum illi potentiam authoritatemque opponeret, ſtatuit in ciuitatem eſſe reuocandos. Eo confirmato conſilio, ita Principem dolo aggreſſus, atque hortatus eſſe dicitur, vt expoſita illi temporis iniquitate, quæ vt noua omnino conſilia poſtulare, ita deliberandi moram minime pati videretur, concitata iam multitudine, & armata, inimicis vrgentibus, nullo firmare præſidio in externis auxilijs conſtituto, facilè illi perſuaderet, vt Ludouicum, & Aſcanium, propoſita illis impunitate, reducendos, atque vbi vellent, ſibi reconciliandos curaret. Omnino autem ſibi futurum pollicebatur, quòd Ludouicus ſatis intelligeret, illius conſilio, & gratia ſe in vrbem receptum, minimè eum ſibi tanto obſtrictum beneficio defuturum. Quod quidem eius conſilium, quamquam ſatis tectum, atque occultum haberet, haud ſatis potuit Simonetam celare. Itaque homo prudentiſſimus, cum impendentem ſibi calamitatem ab exulum reditu proſpiceret, id, quod poſteà euenit, Taſſino prædixiſſe fertur; Ludouicum, & Aſcanium per illius gratiam, & ſtudium reditu impetrato, ſibi quidem certum exitium, quod tamen fretus optimæ mentis conſcientia aliquantò inimicorum opinione leuius ferret; ſed minime dubiam ei ignominiam, atque exilium, quòd omni eſſet morte illi grauius futurum, ſi vir modò haberi vellet, allaturum. Quod quidem haud timere ab illo prædictum breui rei euentus declarauit. Nam Ludouicus ſimulatque accepta Principis fide, eſt in vrbem receptus, facilè in eum, cuius vnius conſilio, & authoritate diu tantus principatus erat adminiſtratus, calumnia conficta, & damnari hominem, & plecti capite curauit. Taſsinus cum ſerò eſſet expertus, quantumuis paruam iniuriam ægrè magno etiam beneficio, atque illuſtri in viro Principe oblitterari conſueuiſſe; breui poſteà in exilium pulſus eſt. Id Bona Princeps cum factum contumeliæ ſuæ cauſa ægerrimè ferret, tamquam ſibi ea iniuria non Taſsino eſſet illata, irata Ludouico, & filij tutelam, qui illi erat prædæ futurus, & Principatus procurationem reliquit, atque ex Inſubribus diſceſsit. Ad eum modum confuſis, Bonæ, tutorumque Sfortiæ conſilijs, ſubſidia Mediolanenſia Florentinis detracta fuere. Piſani, nè auxilia ferrent, ab exulibus à Sixto, & Ferdinando armatis, immiſsiſque diſtinebãtur. Lucenſes, amicitiam, & fædus interpellati, ſuſpectam legationem habentes, recuſauere: cumque animos ſimultatum memoria, & diſcordiarum ſubiret, quæ nondum plane reſederat; ita multitudinem, & plebem infimam commouit, nihil vt propiùs factum ſit, quàm vt concinato tumultu, populariter Florentinorum Orator vir honeſtiſsimus ſuæ ciuitatis, cum illi parum præſidij in Magiſtratu eſſet, interficeretur. Carolus Bratius, in obſidione Peruſiæ, aduerſo Florentinis tempore mortuus eſt. Inter Duces exercitus, diſſenſio orta, multum illis in agro Senenſi ad victoriam incommodauit; cum Mantuano copijs præeſſe iuſſo Hercules Ateſtinus, quem minus fore æquum ſuis rebus cenſebant, inſigni Florentinis illato detrimento, cum magna exercitus parte, ex Hetruria abijt: quòd parem eundem, atque æmulum, haud ſatis æquo animo videret, in belli adminiſtratione ſibi prælatum. Milites etiam, ad Pogibontios prædam ex hoſtico captam partientes, cum non ſatis in diuidendis ſpoliis conuenirent, ſeditionem inter ſe concitarant, adeò vt pari animorum ardore ventum eſſet ad arma, nec niſi ægerrimè, legatorum autoritate interpoſita, ſedata fuerit in præſentia tanta ſeditio. His rebus cognitis, Alfonſus Calabrorum Dux, qui Regijs copijs præerat, Sena, vbi ſubſtiterat, motis repentè caſtris, ne magnam oblatam occaſionem belli adminiſtrandi prætermitteret, aduerſus hoſtes ire, incredibili vſus militum ſtudio, properauit. Sperabat enim vel exinde præcipuè, quoniam quicquid roboris in exercitu habebatur, Herculis diſceſſu erat detractum, quidquid ille ſtudij, & cele-

ritatis adiecisſet fore , vt id magnum momentum ad totius belli ſummum afferret. Quæ illum ſpes minimè fefellit. Simulatque enim aduentare illum Florentini cognouerunt, adeò vniuerſi perterriti dicebantur, vt cum in omnium trepidatione, cauſam omnino, cur trepidandum eſſet, ignorarent; vix certiore de eius aduentu nuntio accepto; quamquam illi, & loci æquitate, cum egregiè munitus natura, atq; opere haberetur, & tormentis, atq; omni alio belli apparatu multò hoſtibus ſuperiores eſſent ; non ſine magna eorum admiratione, qui tam præcipitis , ac turpis fugę cauſam quęrerent, terga verterunt. Quod autem famæ numquam anteà cognitum erat ( tam bellem militiam hoc tẽpore Principes Italiæ alebant) neq; hoſtium conſpectum ſuſtinere auſi, tormentis, tabernaculis, impedimentiſq; omnibus prædæ relictis, vnius cura ſalutis anxij, nominis, famæ, exiſtimationis obliti ſeſe fugæ dederunt. Hac tanta ſuorum ignauia, & timiditate Florentini conſternati, ac ſimul etiam graui peſtilentia, tunc exorta caſtigati, quod reliquum erat, conari pro ſalute publica cæperunt. Inprimis hi, qui relicta vrbe, tamquam in multitudine pernicioſior contagio, ac præſentior mali vis non æquè facile caueri poſſet, villarum amænitates, & receſſus quæſiſſent: repente male geſtæ rei fama eodem peruagata, cum coniugibus, & liberis, quos magna ſequebatur agreſtium turba, deſertam paulò anteà patriam, proditamq; repetierunt: inter duo grauia vitæ diſcrimina , ſatius eſſe ducentes animam agere in complexu ſuorum, quam hoſtibus, & odio ſui, & cupiditate vindictę gerentibus bellum, prædę relinqui. Cum tot malis circumuenta ciuitas, inprimis eorum, quæ impenderent mala, debilitata metu, præterea audiret, Cortonenſem, atque Aretinum agrum, impune à Pontificio exercitu vaſtari; Pogibontios, vicum oppidum, Certaldum Boccatij patriam, occupari, ac diripi, Caſsiani Fanũ in ſummo diſcrimine verſari, ac tantùm non Florentiæ mænibus hoſtes imminere, Oratorem ad Galliarum Regem , primum Donatum Acciaiolum, deinde eo mortuo, Guidantonium Veſputium, fæd ris, & ſocietatis firmandæ cauſa miſere: plurimum ſibi momenti acceſſurum ad totius belli adminiſtrationem credentes, ex nobiliſſimi Regis, & potentiſſimi coniunctione. Venetias deinde Thomam Soderinum legauerant, qui Senatum belli cauſis diligentius expoſitis, ad fæderis religionem, & fidem ſocijs præſtandam , quoad poſſet , inducere omni ſtudio conaretur. Enimuerò Veneti, ſe ita fædere teneri contendebant , vt bello priuatorum cauſa ab illis ſuſcepto (Laurentius Medices ea exceptione minime obſcurè notabatur ) haud intereſſe deberent: eaque propter apertè iam ſe illis auxilia miſſuros negabant. Miſerant & ad Imperatorem , & ad Matthiam Pannoniæ Regem; vt & cauſæ ſuæ fucum facerent, & vel interpretes apud Pontificem , vel ſubſidiarios contrà eum haberent. Quid actum fuerit, ex his, quæ adiungo, publicis monimentis euidens eſt.

*II. Oratores destinat ad Imperatorem Sixtus PP.*

Miſit inprimis Sixtus Pontifex ad Fridericum Imperatorem, L. de Agnellis, Prothonotarium Apoſtolicum, & Antonium de Graſſis Auditorem ſacri Palatij Oratores, qui nomine illius, & ſacri Collegij rationes redderent, interdicti, & belli in Florẽtinos excitati; ſimulq; renunciarent, Pontificem pluribus annis, nè pax Italiæ perturbaretur, nèue conatus in Turcicum bellum impedirentur , patienter omnia tolerasſe, quæ Laurentius Mediceus per impotentiam animi intulerat: non potuiſſe amplius diſſimulare cædem Archiepiſcopi, & Sacerdotum , necnon capturam Cardinalis, quòd iſta redundarent in apertam ignominiam Dei, fidei, & totius Chriſtianitatis, & quia Veneti in gratiam Florentinorum ad Imperatorem miſerant Oratorem; Iacobum de Medio Cretenſem, magnum mendaciorum fabricatorem, & qui multa Veneris de Pontifice, quæ is neq; dixerat, neq; cogitauerat, retuliſſet, iuſſit , vt Imperatorem monerent, vt hominem ſciret eſſe vere Cretenſem, ideſt mendacem. Hæc deinde iniungebat, vt dicerent ex illius nomine, & præſcripta formula.

*III. Quæ illis iniunxit, recensentur.*

Sciat Serenitas ſua, quòd Veneti conuenerunt cum Rege Franciæ, ad quẽ cũ iſtis de liga miſerunt Oratorẽ, vt fiat ſcandalũ in Eccleſia; obliti, quot, quantaſq; pecunias expoſuerimus contrà Turcũ in eorũ, & cæterorũ Chriſtianorũ defẽſionẽ. Miramur certè, quòd ipſi, qui ſe profitẽtur Chriſtianos, velint maiorem fidem ſeruare erga Laurentium de Medicis, quàm erga Deum, & Sedem Apoſtolicam , iuſtitiam fouentem. De quibus Venetis ſatis miramur , potiſſimum quia anno ſuperiore, cum vt per coniecturas ſatis per omnes cognitũ eſt, Carolus de Montone inſtigatione ligæ veniſſet ad damna Eccleſiæ. Nã habebat tractatũ in Peruſia ciuitate Eccleſiæ, qua habita, omnes aliæ ciuitates , & tota Eccleſia fuiſſet perturbata ; cum etiam detecta proditione publice aggreſſus fuiſſet Senenſes , & pax Italiæ fluctuaret. cum aũt Turcus eſſet prope Forum Iulium , & iam abduxiſſet magnam prædam , ipſi nihil dicebant Carolum non reprimebãt , nec per ligam quicquam de Turco dicebatur, ſed potius de iuuando eundem Carolũ, contra cuius oppidũ miſimus exercitũ noſtrum, ne amplius perturbaret pacẽ Italicã. Iuuabatur iſte ab omnibus, prout per noſtras ſuæ ſerenitati iam ſcripſimus , & cum reuerteretur Florentiam colebatur ab omnibus ac ſi Deus eſſet. Scripſeramus cumprimo ad Venetos, vt vellent eum reuocare , & nos volebamus concurrere pro aliqua portione ad eius ſtipendia , & numquam nobis reſponderunt. Nunc autem Eccleſia iuſtè contra iſtum Laurentium mota, clamant Veneti, clamant tota iſta liga; petunt cum Rege Franciæ Cõcilium celebrari, in dedecus noſtrum, in dedecus ſuæ ſerenitatis, tamquam parum curantes , quæ Dei ſunt & parum aduertentes , ad quos ſpectat congregare Concilium, & in quo loco. Non ſunt etiam veriti, auferre nobis obedientiam in Bracciano oppido contrà animas eorũ. Nã illico effecti ſunt hæretici, & per conſequens excommunicati, vt iura volunt. Eapropter hortamur Maieſtatem ſuam , vt non præſtet eis aures , neque ab eis circumueniatur, (quod pro prudentia, & bonitate ſua non credimus ) ſed rogamus Maieſtatem ſuam, vt pro debito ſuæ protectionis, quod habet ad Eccleſiam, ac pro honore ſuo, & cæterorum Principum temporalium , vt velit ſcribere Regi Franciæ , ſimiliter & iſti ligæ, oſtendendo, quod non rectè faciunt , & parum æſtimant Deum, & honorem Pontificis, & ſuum , ac aliorum Principum ſimul , & parum curant de ſalute animarum eorum, & quod debent magis fauere Eccleſiæ iuſtitiam habenti, quam vni mercatori , qui ſemper magna cauſa fuit , quod non potuerint omnia confici contra Turcum, quæ intendebamus parare , & fuit ſemper petra ſcandali in Eccleſia Dei & tota Italia; alioqui pro officio ſuo cogeretur ſuſcipere protectionem ipſius Sedis , aduerſus quoſcumque eam moleſtantes, & perturbantes.

Dicetur etiam ſuæ Serenitati , quod nos propter noſtras crebras ægritudines, ac ſenectutem, alioſque reſpectus , non poſſemus nos transferre ad alienas partes, ſicuti faceremus, ſi iſta non obſtarent. Optaremus tamen ipſum Romæ videre, & honorare, laudaremusque, quod captato tempore dignaretur hic nobiſcum eſſe , vt ſimul aliquid boni determinaremus, & faceremus , pro defenſione Chriſtianorum in Turcam inimicum noſtrum, & Ieſu Chriſti; quemadmodum ipſe ſemper concupiuit , & nos non minus. Reddat igitur nos certiores, & de tempore , & de via, per quam venturus erit, vt valeamus facere debitum noſtrum erga ſuam Serenitatem.





Dicant item ſuæ Serenitati, quod Rex Franciæ, & alij complures Principes quærunt ſe intromittere, vt fiat iſta concordia inter nos, Laurentium , & alios, quibus reſpondimus, quod ſemper ſumus parati ad pacem, dummodo fiat cum honore Dei, & Eccleſiæ. Tamen cum ipſe ſit primus inter Principes temporales, amemuſque ſuam Maieſtatem ex cordis ſinceritate, optaremus, prout dignum eſt, vt ipſe , qui eſt Eccleſia protector, haberet iſtum honorem, & laudẽ & ſuper hoc velit cogitare, & facere, prout prudentię ſuæ videbitur. Scimus enim, quicquid per eum fieret, iuſtum eſſet, & ad honorẽ Dei & Sedis Apcæ. cederet.

Hæc duobus iſtis, Pontifex committebat. Succeſſiue ipſi Angello, & Alexandro Foroliuien. Epiſcopo, Sedis Apcæ. in Germania Nuncio iniungebat, vt Imperatorem conuenirent: ad limina Apoſtolorum, vbi de rebus grauiſſimis, & præcipuè de bello Turcis inferendo , deque pace Italiæ componenda cum eo deliberaret, inuitarent: ad fædus cum Sede Apca. & Rege Ferdinando ineundum inducerent : ac quid Rex Franciæ ad iuſtificationes Pontificias reſpondiſſet ſignificarent. nimirum, quod Rex Franciæ non attendens ad iuſtificationes ipſas, quibus neceſſariò ſua Sanctitas, non valens aliud facere, mota fuit, nec ad honorem, & dignitatem Sedis Apoſtolicæ, & ſuæ Beatitudinis, nec conſiderans, quod Vicarius Ieſu Chriſti eſt ſuper omnes Reges , & eius eſt potius legem dare, quàm ab alijs accipere; Immemor etiã Imperialis dignitatis, & Maieſtatis, quæ eum longè præcedit: nec non oblitus beneficiorum ſuæ Maieſtati ac toti eius domui à Sede Apoſtolica , & præſertim à præfata Sanctitate collatorũ, miſit Oratores ſuos ad ſuam Beatitudinem in Bracchianum, quo in loco Sãctitas ſua propter peſtem ingentẽ, quæ eſt Romæ diuerterat; petijtque ab eo omnium contra Laurentiũ, & Florẽtinos reuocationem. Cumque ſua Stas. ad latus non haberet Cardinales, in diuerſa loca diſperſos reſpondiſſetq;, quod in re tam ardua communi Cardinalium conſenſu deliberata, opus eſſet, eoſdẽ Cardinales conſulere; quandoquidem indignum & alienum à grauitate, & conſuetudine Sedis Apcæ. fuiſſet, ſine Cardinalibus de ipſarum rerum reuocatione tractare, quæ cũ ipſis matura deliberatione concluſa fuerunt; attento etiam, quod abſolutiones nonniſi ſe humiliantibus, & ſatisfacientibus fieri conſueuerunt: Oratores ipſi nullo expectato reſponſo, eidem Sanctitati ſuæ Maieſtatis nomine Concilium in Frãcia intimarunt, ac Pragmaticam obſeruare velle declarunt, & denique Prælatos reuocarunt. Idemque eius exemplo per ſuos Oratores Veneti, Mediolanẽſes, & Florẽtini fecere. Quæ omnia paruifecit. SS. D. N. vtpote temerè, ac leuiter emanata, ab his, qui nullã habent poteſtatem faciendi, & de his, quæ ad ſuam Beatitudinem abſolutè ſpectant; cuius proprium eſt, conuocare, ac intimare Concilium , & cui à nomine intimari poteſt. Magis tamẽ exceſſit Rex , ſe nõ recognoſcens, quod vltra Vicarium Chriſti, habet alium ſuper ſeipſum, ſcilicet Cæſaream Maieſtatẽ: nec minus cõſiderare debuit, quod obſeruando Pragmaticam, & reuocando Prælatos, cenſuras incurrit, & hæreſim ſapit. Scripſit deinde ſemel, ac iterum Rex ſuæ Sanctitati, atq; ſacro Collegio: & ab vtroq; ſufficiẽter reſponſũ fuit; ſed à Rege non ceſſatũ. qui quidẽ Rex à præfata ſua Ste numquã aliqua iniuria affectus fuit; quinimo continuis beneficijs , & honoribus ornatus; fecitque ſua Stas. pro ſua maieſtate, eiuſque ſtatu quantum cum Deo potuit. excepto quod numq̃ ſuis iniuſtis petitionibus contra bo: mem. Carolum, olim Ducem Burgundiæ, necnon Maxmilianum, præſentem Ducem ipſius Cæſareæ Maieſtatis, filium, & eorum ſtatum conſentire noluit. ſicque contra ſuam Beatitudinem ſua Maieſtatis indignata fuit, & virus concepit. quodque ſi conſenſiſſet. aut conſentiret, nihil profectò aduerſus ſuam ſanctitatem molitus fuiſſet, neque moliretur.

Item exponetis Imperatoriæ Maieſtati, quot , & quanta beneficia, Illuſtriſſimum Venetorum Dominium, à Sede Apca. & præſertim à præfata Sanctitate conſecutum fuerit; quæ inter alia, cum accepiſſet immaniſſimum Turcum cum magna claſſe aduerſus Chriſtianos , & præſertim contra ſtatum Dominij prædicti illi propinquum; non verita eſt claſſem mittere, viginti triremium, & duarum nauium cum maximo ſumptu, ac eidem Legatũ de Latere Reuerendiſſimũ D. Cardinalẽ Neapolitanum præficere; & ſimiliter anno ſequenti aliam claſſem miſit , non abſque maximis expenſis. Cumque Ciuitas Scutaren. eorum dẽ Venetorum à Turco abſceſſa foret, miſit etiam Sanctitas ſua auxilium ; & vt Turcum à Chriſtianis diuerteret, præſertim ab offenſione ipſorũ Venetorum, miſit ſua Stas. Sermo. Regi Vngariæ ſubſidiũ octuaginta millium ducatorum, vt bellum, quod cõtra Turcas ſuſceperat, proſequeretur ; multaſq; alias expenſas fecit; quæ etſi factæ fuerint in beneficium totius reipub Chriſtianæ, tamen principalis vtilitas fuit ipſorum Venetorum , qui incendio propinquiores fuerunt , & ſunt: fuiſſentque maiorem vtilitatem conſecuti , ſi turbator iſte Eccleſiaſtici ſtatus, Sanctitatem ſuam à dicto ſancto opere non diuertiſſet. aut ſi Dominium ipſum huiuſmodi impedimentum amoueri permiſiſſet , verùm pro tot beneficijs à Sede Ap.ca & ſua Ste. ſibi collatis, conſideret ipſa Cęſarea Maieſtas, qua grãtitudine erga ipsã Sanctã Sedẽ & ſuam Beatitudinẽ Veneti ipſi vſi fuerunt: quando & clã, & palàm cũ Laurentio tyranno Apcæ. Sedis aduerſario, ac ei ſtatus infeſtatore intelligentiã habuerunt , licentiaruntque fictè Comitem Carolum de Montono, vt ſtatum Romanæ Eccleſiæ: in ciuitate Peruſina perturbaret, ꝙ verita dicta Sanctitas, pluries Dominum præfatum, vt ipſum ad ſua ſeruitia reuocarent, per ſua breuia hortata eſt, contributionem in eius ſtipendio offerendo. Quod non modò facere noluerunt, quinimò nullam ſuę Sanctitati reſpõſum dare dignati fuerunt. Cumq; dicta Sanctitas coacta fuiſſet, pro defenſione , & conſeruatione honoris, & ſtatus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ contra Montonum, exercitum mittere, illudque teneret obſeſſum , fuit ſuæ Beatitudini per aliquos ex colligatis ipſorum ſignificatum, quòd niſi dictum oppidum citò caperetur, omninò Veneti ſuccurrerent, & prohiberent , vt ad manus ſuę Sanctitatis peruenire poſſet, vti per eos ordinatum erat. Deo tamen propitio ſua Sanctitas illud cũ honore & ſalute Sedis Apcæ. cõſequuta fuit.

Miſerat prætereà Franciſcum Cardinalem Mantuanum, ad Imperatorẽ & Principes Legatũ, qui hæc omnia referret, & auxilia in hac cauſa poſtularet.

*IV. Imperator & alij Principes conciliare student Florentinos cũ Sixto PP.*

Hæc quidem Pontifex Imperatori ſignificabat. Imperator porro, pro officio ſuo, atque pietate, tutelam Eccleſia ſuſcipiens Archiepiſcopum Cramenſem, qui omnia abundè polliceretur, ad Sixtum ire iuſſit; & tum Regẽ Galliarũ, tum Florẽtinos, Venetos, Mediolanenſeſq; officij admonuit. Hos cũ Laurentius Mediceus remiſsiores aſpexiſſet; tandem ad tutiora conſilia animũ applicuit: maximè quando Legati à Cæſare, Ludouico Galliarum , & Pannoniæ Regibus, quin & ab Italici fęderis Principibus Florẽtiam venerunt, qui dicerent , ob eam cauſam ſe miſſos, vt ſi qua ratio iniri poſſet, ſublatis inter Põtificẽ, atq; illã Rempublicam controuerſijs, pacem , & cõcordiam firmarent. Hi autem planè ſe perfecturos pollicebantur, vbi ciuitas à ſanioribus conſilijs non abhorreret , vt Pontifex pariter hoc ſibi perſuaderi, adductus Regum precibus, atque authoritate pareretur. Cum his actæ gratiæ, Regeſque tanti, quòd ſui commodi, atq; honoris cauſa, hanc ſibi moleſtiã ſubeundã ſtatuiſſent, omni verborũ honore collaudati

eſſent; nè quando vnquam per Florentinos factum eſſe videretur, quominus armis poſitis, paci, atque otio Italiæ conſuleretur; præterea eorum Principum honoris cauſa, à quibus Legati eſſent miſſuros ſe Legatos Romã de compoſitione dixerunt; Neque vlterius dilatare, Legatos decreuerunt viros ampliſſimos ciuitatis. Cum hi in conditiones propoſitas condeſcendere recuſarent, diutiuſque rem traherent, alia parte Duces exercitus Eccleſiaſtici, & Regij Alfonſus Calabriæ Dux, & Federicus Feltrius, inducias trium menſium Florentinis flagitantibus conceſſerunt quas quidem Pontifex, pacis Italiæ cupientiſſimus, quamquam ſuperior, & victor vbique foret, comprobauit. Non defuerant interim, qui Laurentium, mentionem de bello inſtaurando facientem inceſſerent, dicerentq; defeſſam ciuitatem bello gerendo, atque auerſam ab alijs conſilijs pacem quærere, neque mentionem armorum fieri pati, vllo modo poſſe: quod in rerum difficultate tanta, parum iam in Venetis conſtitutam prædij haberẽt; nec non in Sfortia, & pupillo eodem, & domeſtico, ac ciuili bello implicato, magis voluntatem egregiam, atque animi propenſionem, quàm vires ad ſe iuuandos eſſe intelligerent; ac quod ſumma rei eſt, minime æquum cenſerent, bellum cauſa priuatorum ſuſceptum aduerſus Pontificem gerere. Ciuitate ad pacem aſpirante, Laurentius, Regem Ferdinandum demerendum eſſe, & à Pontificio fœdere auertendũ, facile ſuis perſuaſit. Cuius ſententiæ cum ipſe author eſſet mittendum Legatum ad eundem, qui iratum illius animum placare, & conciliare, quoad eius fieri poſſet, ciuitati conaretur, cenſuerunt. Nam & videbatur magna opus eſſe authoritate, ad animum Regis à Pontificis ſocietate auertendum, qui cum non fœderis religione ſolum, ſed voluntate etiam & ſtudio coniunctus teneretur: (id aũt erat ferè neceſſariò futurum, vbi ille ſibi perſuaderi paſſus eſſet, vt nouum fœdus cum Florentinis feriret) & cum is, quem vnum peti eo bello fama erat, ſe vltro illius arbitratui permiſiſſet, vix erat dubitãdum, quin magnitudine animi, quantumuis barbarus animus, & deliniri, & flecti tandem ad mitiora conſilia, & poſtulata æqua poſſet. Legatione ſuſcepta, ac Ciuitate Thomæ Soderini fidei commendata, qui tũ vexillifer Reipub. præerat, Cal. Decembribus Florentia diſceſſit, Neapolimque veniens, Ferdinandum Regem, ad fœdus, & ſocietatem cum Florentinis, quibus maximè voluit conditionibus, adduxit. Summa autem earum hæc fuiſſe fertur; Si cui eorum arma inferrentur milite, pecunia, commeatu, perinde ac ſi de cõmuni re ageretur, inter ſe iuuarent. Quæ Florentinis oppida belli tempore eſſent adempta, ea Regi ſiue reſtituere illis, ſiue minùs vellet, integrum relinqueretur. Id datum gratiæ apparebat, quo Ferdinandus tamquã victor, æquioribus conditionibus fœdus videretur cũ Florentinis, & pacem ſanxiſſe. Ad hæc conuenit, non inuito Laurentio, quò ſibi clementiæ opinionem conciliaret, vt qui è coniuratis Volaterris in arce aſſeruabantur (in his erat Guilelmus Patius ſororis vir) Magiſtratus imperio, primo quoque tempore è cuſtodia dimitterentur: tum vt Alphonſo Duci Calabrorum pro impenſis in bellum factis, pecunia ad certum tempus deſcripta, æquis penſionibus ſolueretur. *Brutus lib. 7. Albinus de bello Hetruſco. M.S. Bibliothecæ Vaticanæ de rebus Sixti 4. pag. 43. & ſeqq. Iacobus Volater. in notis Diarijs M.S. Biblioth. vatic. hoc anno. Papien. epiſt. 681.*

V.
*Regem Galliarũ cum Burgundiæ Duce conciliare ſatagit Sixtus PP.*

Quanquam autem à Ludouico Rege Galliarum, Pontifex, multa indigna pateretur, tamen id, quicquid inter illum, & Maximilianum Burgundiæ, & Auſtriæ Ducem diſcordiarum fuerat exortum, dirimere conatus eſt miſſo in Germaniam Legato, Cardinale Mantuano. Occaſione Ducis Mariæ, quam Ludouicus Carolo filio vxorem ambiuerat, & Maximilianus iam ſibi copularam, matrem reddiderat, depugnabant, & de hæreditarijs illius bonis aciebus dimicabant. In his armorum ſtrepitibus, Maximilianus præclarum edidit pietatis argumentum, ſanè dignum ad exemplum, omnibus, qui victoriam deſiderant in prælio. Ad ſuos enim concionatus admonebat, meminiſſent concurrere homines, victoriam à ſolo Deo expectandam. Eum ſemper cauſis adeſſe iuſtis. Scire omnes, qualis eſſet ſua. Pugnare enim ſe pro defendenda vxoris, infantiſque filij auita, legitimaq; hęreditate. Ea ſe repetere, quæ iniquiſsime Frãcorum Rex orbæ viduæ, ac pupillæ adoleſcentulæ, eiuſque infanti, contra ius diuinum, ac humanum, contra naturę legem, ſumma cum iniuria, calamitoſiſſimo tempore eripuiſſet. Quibus cum ſe Deus tutorem vxor patrem fuiſſet, non paſsè aliud, quam cũ viris fortiſſimis generosè, magnoque eos animo defendere. Aliena ſe non petere, ſua tamen repetere. Promitterent igitur ſinguli ſeſe in honorem crudeliſſimæ mortis Ieſu Chriſti tribus ferijs ſextis pane ac aqua contentos fore, quas Deus incolumi vita victores domum aut ad caſtra remiſiſſet, terque extemplo flexis genibus à Deo victoriam peterent, vti ſe primum omnium in terra proſtratum facturum eſſent conſpecturi. Tum Maximilianus in terram proiectus orauit, & vouit: Idem ſtatim omne fecerunt. Abſoluta precatione in pedes erecti, manus in aëra extulerunt, ac, quod petierat, magno cum clamore promiſerunt, non paucis lachrymis gaudio erumpentibus, vtque ſtatim in hoſtem ducerentur, precantibus. Ducti in hoſtem, manus ſtrenuè conſueuerunt, & poſt pugnam acerrimam, quę ab hora ſecunda pomeridiana, vſque ad octauam veſpertinam durauerat, Maximiliano victoriam pepererunt, cæſis circiter nouem millibus virorum ex exercitu Ludouici. *Pontus Heuterus, Præpoſitus Harnhemen. lib. 1. rerum Belgicarum.*

VI.
*Galliarũ Rex in Sixtũ PP. ferocior.*

Coactus deinde Ludouicus eſt, inducias cum Maximiliano componere quibus pactis, ferocior in Pontificem, cenſurarum in Florentinos reuocationem detrectantem factus, diem ei dixit, ſeque Renatum Lotharingiæ Ducem, Renati Andegauenſis ex filia nepotem, miſſurũ in Italiam interminatus eſt, vt Neapolitanũ regnum recuperaret. *Bonfin. dec. 4. lib. 5.*

VII.
*Principes Germaniæ in Turcas excitare ſtudet Sixtus PP.*

Miſit præterea Sixtus alium in Germaniam Legatum Cardinalem, Auxiam de Podio Valentinum, Mõtis Regalis in Siciliam Archiepiſcopum, qui cum Georgio Hesler, Cardinale Herbipolen. Francofordiæ in Comitijs imperialibus, Fridericum, & Principes, à conuocatione, quam vrgebant, Concilij auocarent, & aduerſus Turcas excitarent. Magiſter ſupremus equitum Rhodianorum, Pontificem, miſſa legatione admonuerat, Turcam cũ ingentibus copijs Ionium mare infeſtare, & Rhodo inſulæ præ cæteris imminere. Ergo cum is auxilia poſtularet, & pericula renunciaret, Sixtus Legatos in Germaniam ablegauit. Miſit & in Vngariam Cardinalem Legatum, Ioannem Aragonium, Reginæ Beatricis fratrem, qui Matthiam Regem ad bellum Turcicum animaret, & cum Bohemiæ, atq; Poloniæ Regibus componeret. Hic à Matthia Rege Budæ tertia hora noctis acceptus, tanto quidem apparatu, & honore, vt ſummo Pontifici, Auguſtoue Imperatori nihil amplius fieri potuiſſet. Cum tanto enim plauſu, & pompa Sacerdotum, ac procerem, cumq; tot funalibus & cereis, in vrbem admiſſus, vt noctem, in diem verſam eſſe diceret. *Ioannes Ludouicus Lellus in hiſt. Eccl. Montis Regalis. 1. Boſsius lib. 11. Bonfinius ſup.*

VIII.
*Ioannes de VVeſalia cogitur reuocare quoſdam articulos.*

Quo anno condẽnatus fuit apud Moguntiã Ioannes Ruchard de Weſalia ſuperiore, Sacrę Theologię Doctor, & ad reuocationẽ quorundã articulorũ quos in Eccleſia Wormatiẽſi publicè prędicaſſe ferebatur p̱ Inquiſitorẽ coactus; cui⁹ volumina ipſo inſpectãte oĩa igni tradita, & cõbuſta ſunt, & ipſæ pro pænitẽtia peragenda ad Conuentũ Fratrum Auguſtinenſium ibidẽ relegatus, mærore conſumptus in breui obijt.





Primus articulus, quem prædicaſſe ferebatur, fuit Quod Prælati Eccleſiæ non haberent authoritatem condendi, vel aliquid addendi ad ea, quæ Chriſtus & Apoſtoli præcepiſſent: imò quòd nec Apoſtoli, nec Summi Pontifices talem poteſtatem à Chriſto acceperunt.

Secundus articulus. Nulli hominum, quantumcumque ſancto, docto vel erudito, licet verba Chriſti, & Euangelium exponere: & quod ſacra ſcriptura non ſit per Sanctos Patres, eo Spiritu interpretata, quo primitus tradita fuit, & inſtituta.

Tertius articulus fuit contra Papam, & auctoritatem clauium Sanctæ matris Eccleſiæ, quia dixit; Indulgentias nihil aliud eſſe, quàm pias fraudes, & deceptiones Chriſtianorum; eoſque ſtultos eſſe, & fatuos, qui pro indulgentijs Romam peterent, quas domi, modo ſi eſſent verè contriti de peccatis ſuis cum emendandi propoſito, inuenire potuiſſent.

Quartus articulus ex primo; Quòd mandata Papæ, Eccleſiæ, & aliorum Prælatorum, non obligent ad mortale peccatum, pro eo, quod non habent authoritatem leges condendi.

Quintus articulus, quod non ſit, nec vnquam fuerit originale peccatum; nec paruulos in originali concipi, neque propterea damnari, ſe quoque numquam originali ſubiacuiſſe peccato.

Sextus articulus, Quod omnes presbyteri realiter ſint Epiſcopi, & Papæ, ſoloque nomine, & inſtitutione hominum differant; quodque Papæ, Epiſcopi, & Sacerdotes nihil hominibus conferant ad ſalutem, ſed fide, concordia, & pace ſaluari poſſe ſine Sacerdotibus.

Septimus articulus; Ieiunium cum non ſit à Chriſto inſtitutum, non obligat nos ad ieiunandum. Eccleſia enim obligare non poteſt nolentem; in eo quod Chriſtus non præcepit, cum non habeat auctoritatem canones, & leges condendi, vt in primo articulo.

Octauus articulus; Quod extrema vnctio non ſit Sacramentum, quia non per Chriſtum, ſed per homines ſit inſtituta; ſed ſit oleum, & manet oleum ſicut antea fuit.

Nonus articulus fuit; Cum nuſquam legatur, quod Spiritus ſanctus procedat à Filio, in ſacra ſcriptura, ſed potius contrarium; potius eſt credere cum Græcis ſapientibus, Spiritum ſanctum à Patre tantum, & non à Filio procedere, quia Filius hoc dixit.

Alios quoque plures articulos erroneos prædicaſſe perhibetur; ſicut de horis Canonicis non dicendis, de non ſeruandis feſtis, de continentia Clericorum non ſeruanda; & quod etiam poſſit errare, erraueritque de benedictionibus rerum inanimatarum in Eccleſia, vt herbarum, luminum, aquæ, vaſorum, veſtium, & ſimilium, non curanda, & alios multos, quos tamen omnes anno præſenti in Dominicæ *Eſto mihi* publicæ reuocauit. *Trithemius in Chron. Sponheimen.*

IX.
*Petrus Vxamenſis, Theologus Salmanticenſis, propter erroneam doctrinã damnatur.*

Hoc eodem tempore in Caſtella, vetuſtate fixę de religione opiniones mouebantur. Auctor Petrus Vxamenſis, qui Salmanticæ Theologicas ſcholas explicabat, audaci ingenio prauoque, librum vulgarat multis mendacijs fœdum; quorum vt hic numerus ineatur, non eſt neceſſe. In Romanæ Eccleſiæ Maieſtatem, & Pænitentiæ Sacramentum contumelioſus maximè, Romana reſponſa, errori obnoxia affirmabat; Sacerdotes vim habere ad condonanda peccata, negabat: neque à Chriſto Deo præceptum, ſed ab hominibus inuectum Pænitentię remedium, non incommodum tamen hominũ prauitate coërcenda, ſanandaque. Archiepiſcopus Toletanus Compluti, vbi multus erat, iuſſu Sixti Romani Pontificis viris doctiſſimis in Conuentum euocatis, re diu, multumque deliberata, impia placita reprobauit auctorẽ, niſi mutaret anathematis ignominia notauit; ſententia pronunciata ad Nonum Calend. Iunij. Ioannes Prexanus, nobilis hac ætate Theologus, de ſcripto Petrum exagitandum ſuſcepit iuſto volumine, ſtilo rudi, ſed arguto, atque Scholaſtico. Sixtus Papa Toletani ſententiam approbauit, dato iſto diplomate.

*Sixtus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei. Ad futuram memoriam.*

*Licèt ea, quæ de mandato noſtro ritè fiunt plenam obtineant roboris firmitatem, tamen illis interdũ noſtri muniminis robur adijcimus, vt eo firmiùs illibata perſiſtant, quò magis noſtro fuerint præſidio cõmunita. Dudùm ſiquidẽ ad audientiã noſtrã deducto, quòd à modico tunc decurſo tempore citrà, in Hiſpaniarum Regnis, & præſertim in Vniuerſitate ſtudij Salmantini, fuerant, & adhuc erant nonnulli iniquitatis filij, qui quaſdam falſas, Sanctæ Fidei Catholicæ contrarias, erroneas, ſcandaloſas, & malè ſonantes propoſitiones, præſertim circa peccatorum Confeſsionem, & Eccleſiaſtica ſacramenta in ſtudio huiuſmodi, & in frequentiſsimo hominum cætu, veras eſſe publicè affirmare, & pertinaciſsimè ſuſtentare, ac defendere, apertiſsimas ſacræ Scripturæ authoritates eorum erroribus repugnantes, illarũ rectum, clarum, & apertum ſenſum, falſis eorum interpretationibus impudenter violando refellere, huiuſmodi quoque eorum falſa dogmata manifeſtè hæreticæ prauitatis labem continentia, in aliorum mentes inſerere, & ſimplicium animas illaqueare, & vt illa in plurium notitiam peruenirent, & in perpetuum de illis memoria haberetur, libros componere, & in publicum, vt illos legendi omnibus eſſet facultas, tradere præſumpſerant eatenùs, & præſumebant. Nos tunc Venerabili fratri noſtro, Alphonſo Archiepiſcopo Toletano per alias noſtras litteras commiſimus, vt aſſumptis ſecum aliquibus in Theologia Magiſtris, & alijs viris litteratis, vocatis ijs, qui propoſitiones ipſas veras eſſe affirmare niſi erant, & nitebantur indies, & auditis, quæ ipſi pro illarum veritate, & alij Chriſti fideles ad dilucidandam earum falſitatem deducere vellent, an quæ in propoſitionibus huiuſmodi continebantur, falſa, & fidei præfata contraria, erronea, & malè ſonantia exiſterent, auctoritate noſtra decideret, & declararet, & declaratione huiuſmodi facta, illos, qui in præmiſsis culpabiles eſſe reperiret, ſi iuxtà Sanctorum Patrum inſtituta, & Canonicas ſanctiones, ſe emendare, & depoſitis, de cordibus eorum totaliter erroribus prædictis, ad Eccleſiæ vnitatem, hæretica labe huiuſmodi abiurata, redire, & iuxta declarationem ſuam tales propoſitiones eſſe ſcandaloſas, falſas, & hæreticas, ac malè ſonantes fateri, & deſuper confectum librum huiuſmodi retractare, & cum effectu refutare recuſarent, & in illis, eorumque erroribus pertinaciter inſiſtere vellent, hæreticos, ac cenſuris & pœnis in tales à iure promulgatis irretitos eſſe decerneret, plena ſibi deſuper auctoritate conceſſa, prout in noſtris inde tunc confectis litteris, pleniùs continetur.*

*Poſtmodum verò ſicut accepimus præfatus Archiepiſcopus, ad executionem dictarum litterarum, earum forma ſeruata ritè procedens, dilectos filios, Petrum de Proxamo & Petrum de Ocanno, ac Petrum de Caloca, nec nõ Didacum de Betonno, Martinum quoque Alphonſi de la Torre, Magiſtros, & Petrum Didaci de Coſtanna, & Ioannem de Quintana paglia, Licentos in Theologia, nec non Tellium de Buendia Toletanum, & Vaſcunum de Piteia de Talauera, in eodem Eccleſia Archidiaconos, Marchiones, & Thomam de Cuenca, & Ioannem de Medina Decretorum Doctores, & Garſiam Fernandi de Alcala in eiſdem Decretis Licenciatum, & alios quamplures Magiſtros in Theologia, & Doctores, & Licentiatos in eiſdem Decretis, alios quoque quamplurimos Doctos, & Licentiatos litteratos viros, ex diuerſis Regnorum prædictorum locis; pariter & dilectum filium Petrum de Oſma, propoſitionum prædictarum auctorem, eiuſque ſequaces, coram ſe ad ſuum oppidum de Alcala, Toletanæ Diœceſis euocari fecit, & dicto Petro de Oſma, ac ſequacibus minimè comparentibus, debito tempore expectatis, matura ſuper omnibus propoſitionibus prædictis deliberatione præhabita, de vnanimi conſilio, & aſſenſu Magiſtrorum, & Doctorum prædictorum, declarauit illas propoſitiones, per quas Petrus de Oſma, & eius ſequaces prædicti pertinaciter affirmare non verebantur Confeſsionem*

*peccatorum, ex vniuerſalis Eccleſiæ realiter ſtatuto, non diuino iure compertum fore. & peccata mortalia, quoad culpam & pœnam alterius ſeculi, abſque confeſſione, ſola cordis contritione, prauas verò cogitationes ſola diſplicentia deleri. & quòd confeſſio ſecreta ſit, neceſſariò non exigi. & nō peracta pœnitentia, confitentes abſolui non debere. & Romanum Pontificem purgatorij pœnam remittere, & ſuper his, quæ vniuerſalis Eccleſia ſtatuit, diſpenſare non poſſe. Sacramentum quoq; pœnitentiæ: quantum ad collationem gratiæ, naturæ, non autem inſtitutionis, noui, aut veteris teſtamenti exiſtere; & alias, quas propter earum enormitatem (vt illi, qui de illis notitiam habent obliuiſcantur earum: & qui de eis notitiam non habent, ex præmiſſis non inſtruantur in eis) ſilentio prætereundas ducimus, falſas, Sanctæ Catholicæ Fidei contrarias, erroneas, & ſcandaloſas, ac à Fidei veritate alienas, ac Sanctorum Patrum decretis, & Apoſtolicis Cōſtitutionibus contrarias fore, manifeſtam hæreſim continere, dictarum litterarum, & per illas ſibi conceſſæ facultatis vigore, declarauit, & pro talibus haberi, & reputari debere decreuit, prout in quibuſdam authenticis ſcripturis deſuper confectis pleniùs continetur.*

*Et demùm præmiſſis, ſicut præfertur geſtis, & propoſitis in Conſiſtorio corâm Nobis, Nos dilectis filijs noſtris, Stephano tituli S. Mariæ in tranſ-Tyberim, & Ioanni tituli S. Praxedis Presbyteris Cardinalibus commiſimus, vt de præmiſſis geſtis per ipſum Archiepiſcopum diligenter ſe informarent, & quæ inuenirent, nobis, & alijs Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus referrent. Qui tàm zelo Fidei, quàm vt noſtris parerent mandatis, onus huiuſmodi prompta voluntate ſuſcipientes, cuncta diligenter rimarunt, & quæ inuenerunt, nobis, & alijs Fratribus noſtris memoratis fideliter retulerunt, propoſitiones præfatas erroneas fore pluribus auctoritatibus, & rationibus, propter illas, quas in Archiepiſcopi proceſſibus inuenerunt, etiam demonſtrantes, zelo fidei memoratæ.*

*Nos igitur, ad quem ſpectat errores huiuſmodi extirpare, habita eorundem S. MARIAE in tranſ-Tyberim, & Sanctæ Praxedis Cardinalium relatione prædicta, ipſius Archiepiſcopi ſolertiam, & diligentiam præmiſſis plurimùm in Domino commendantes, ex certa noſtra ſcientia, Archiepiſcopi declarationem, & decretum huiuſmodi, & prout illa concernunt, omnia, & ſingula in ſcripturis prædictis Archiepiſcopi ſuper permiſſis confectis cōtenta, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, de eorumdem referentium, & aliorum Fratrum noſtrorum vnanimi conſilio, & aſſenſu laudamus, confirmamus, approbamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan interuenerint in eiſdem.*

*Et nihilominus pro potioris cautelæ ſuffragio, omnes, & ſingulas propoſitiones prædictas, falſas, ſanctæ Fidei Catholicæ contrarias, erroneas, & ſcandaloſas, & ab Euāgelica veritate penitùs alienas, Sanctorum Patrum quoque decretis, & alijs Apoſtolicis Conſtitutionibus contrarias fore, ac manifeſtam hæreſim cōtinere dicta auctoritate declaramus. Præfato quoque Archiepiſcopo, ſcientia, & authoritate prædictis committimus; & mādamus, vt contra dicti Petri de Oſma, ſequaces prædictos, ſi huiuſmodi hæreſim, in quam prolapſi ſunt, abiurare, & eundem Petrum, prout errantem ſequuti ſunt, errores ſuos abiurantem, & ſe emendantem ſequi recuſauerint aut malitioſè diſtulerint, iuxtà prædictarum aliarum noſtrarum litterarum continentiam, tamquam hæreticos procedere non omittat.*

*Et vt geſta per eum probè, & laudabiliter, Zelo Fidei, de mandato noſtro, & per nos meritò approbata, ad omnium illarum incolarum partium notitiam faciliùs perueniant, qua habita, poſſint ſeipſos, ita, nè in prædictos prolabantur errores liberiùs cuſtodire, præſentes noſtras litteras, cum proceſſu pro eum habito, ac dicti Petri abiuratione, ſingulis illarum partium Epiſcopis ſignificare non omittat; qui poſt ſignificationem eandem, Clero, & populo ſuarum Ciuitatum, & diœceſum ea publicari procurent, & generaliter omnia faciant, quæ pro huiuſmodi hæreſis extirpatione neceſſaria fuerint, ſeu quomodolibet opportuna videbuntur. Nō obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quæ in dictis litteris voluimus non obſtare, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtra laudationis, confirmationis, & approbationis, communitionis, declarationis, commiſſionis, & mandati paginam infringere &c. ſi quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo Nono. Quinto Idus Auguſti. Pontif. noſtri anno VIII. Extat in Bullario Rom. Pontif. Mariana de rebus Hiſpan. lib. 24. cap. 19.*

X.
*Marcus Antonius de Dominis errores, ac hæreſes abiurat.*

Recepto more, abiuratio hæreticorum ex litteris proferebatur, & in litteras redacta vbique diuulgabatur: vt quos aberrare feciſſent errantes; reuertentes exemplo ſuo reducerent ad erroris agnitionem. Eo conſilio, Marcus Antonius de Dominis, ex Societatis IESV inſtituto profeſſor, factus Archiepiſcopus Spalatenſis, dum ab Anglicano angulo, ad quē apoſtata profugerat, ad gremium S. R. E. hoc tempore, quo iſta ſcribebamus, reuertiſſet, hanc, quam adiungo, palynodiam vulgauit, dignam, quæ manibus eius erroris ſequacium teratur; vt quem ſecuti ſunt errantem, ſubſequantur abiurantem. Ità habet.

## MARCVS ANTONIVS DE DOminis Archiepiſc. Spalaten.

Sui reditus ex Anglia Conſilium exponit.

I.
*Opera, & fructus carnis.*

PRAECLARE ſanè, vt cætera omnia, Spiritus Sanctus inter opera carnis, per os Pauli *Gal. 5. 20. contentiones, æmulationes, iras, rixas, diſſenſiones, ſectaſque* numerauit. Hos ego infauſtos infauſtæ arboris, nimiùmque acerbos fructus in me expertus, quos priùs, deprauato ex morbo animi guſtu, auidè deuoraueram, iam ad meam ſalutem, hauſto ſalutari diuinæ gratiæ pharmaco, mihi euomendos eſſe duxi. Atque hoc ipſum vt tutiùs, & promptiùs facerem, errataq; mea plurima, ex peſſimo priori meæ malæ profectionis Conſilio ſequuta, apertè ipſemet reprehendere poſſem, & damnare, illud optimi cepi Conſilij, vt, relicta errorum, falſitatum, & hæreſum ſchola, ad Sanctam Romanam Eccleſiam, ſolam, atque vnicam veritatis Catholicæ columnam, ac ſingulare firmamētum, & omnium Catholicorum Matrem, à qua impiè diſceſſeram, ſpontè redirem. Ante omnia itaque reprehenſionem hanc, & damnationem, errorumq; meorum, deteſtationem proſequar; deinde alias etiam cauſas, cur Anglia, aliæq; hæreticorum ditiones fuerint nihil omninò deſerendæ, & Sancta Eccleſia Catholica Romana repetenda, commemorabo.

II.
*Excuſatio peccatorū morbus naturæ humanæ corruptæ.*

Morbus eſt antiquiſſimus humanæ naturæ corruptæ, à primo Parente ad poſteros omnes tranſmiſſus, vt quandò erramus, & in vetita prolabimur, aut putidas comminiſcamur excuſationes, *Mulier quā dediſti mihi &c. Gen. 3. 12.* aut etiam errata defendamus, & iuſti, atque honeſti conficta veſte, ea obtegere ſatagamus. Id mihi contigiſſe & fateor, & doleo. Morbus animi, quo, antequàm diſcederem, laboraui, fuit, quòd nimium *propriæ prudentiæ*, contrà ſalubre Sapientis conſilium, *Prou. 3. 5. initi*, ingenioliq́ue confidentia, de rebus fidei tantillus, audax nimium ferre iudicium voluerim: Acceſſit Iracundæ quædam phreneſis, non quam mihi ex Anglia diſcedenti obiecerunt ſcioli aliqui, ex ambitis fruſtrà, negatiſq; dignitatibus, ſed ex mea penitus irrationabili, dum alijs, de quibus in meæ profectionis Conſilio immeritò ſum conqueſtus, ſubdi ægerrimè ferrem, impatientia, excitata. Hæc me in ſyrtes, & breuia adegerunt, hæc alliſerunt ad ſcopulos, hæc ingenium ad peſtiferas cogitationes exacuerunt, hæc, vt errores Eccleſiæ Romanæ vanè comminiſcerer, quibus meam profectionem excuſarem, effecerunt, hæc me vltra extremas oras amandarūt Atq; vt rectè feciſſe viderer, imprudentiæque, ac temeritatis, imò & hæreſis notam vtcumque effugere conarer, in meæ profectionis defenſionem Conſilij mei expoſitionem,

*Defectionis origines.*





*Cur ad ſcribendū motus M. Antonius.*

primum, deinde volumina quædam, & libellos edidi, plurimis eò congeſtis, quæ pingendi, fingendiq; ars ſuggeſſit, & carnis conſilium ſuppeditauit. Ac dum interna feruebat ægritudo, Iracundiæque ſtimuli animum exulceratum pungebant, linguæ, calamique prurigo in ſaniem erumpebat. Plurima, quæ Sedis Apoſtolicæ hoſtes in hæreſes abrepti credebant, aſſerebant, profitebantur, mihi iam à me ipſo obcæcato credibilia, aliqua etiam vera videbantur, quando ego nondum dogmata controuerſa ad veræ Theologiæ parium lapidem admoueram, nec ea perfectè diſcuſſeram: nam aliquam de Republica Eccleſiaſtica partem, in qua de dogmatibus & fidei regulis mihi agēdum propoſueram, nō abſolueram, imò nè aggreſſus quidem fueram: vtcumque in profectionis Conſilio omnes illos libros me paratos habere dixerim. Hinc ego temerè nimium hæreticorum calumnijs, non catholicæ innixus fidei, libellos, Conſilij profectionis, & alium, quem *Scogli del Christiano naufragio*, inſcripſi, ac cuiuſdam Concionis, erroribus, etiam hæreſibus referſi, in odium vt plurimum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac Sedis Apoſtolicæ, Summorumque Pontificū, à quibus me læſum exiſtimabam, eaque aſſerui, & multa, quæ falſa, & hæretica eſſe, & prius noram, & poſtea, ex parte ſaltem, ipſemet reprehendi, ac tota mente, dum ſcriberem in Anglia, ſum deteſtatus: nūc quoque expreſſè libellos illos abominor, & deteſtor; quippe qui hæreſes apertas contra Catholicam veritatem contineant, & ſanæ doctrinæ ſint contrarij, hoc eſt, ei, quam tenuit, & tenet perpetuo Sancta Catholica Eccleſia Romana contra quam, quicquid à me vbicumque dictum, ſcriptumque eſt, id ego totum damno, & deteſtor. idque melius etiam & fuſius in confutatione meorum de Rep. Eccleſiaſtica, aliorūque, ſiquos ſcripſi, librorū, Deo bene fauente, dānabo, & deteſtabor. Me enim, ac oēs libros meos ſāctiſſimo Sanctæ Rom. & Ap.cæ Sedis, Eccleſiarū omniū magiſtræ, iudicio, atque Cenſuræ omnino ſubijcio.

*Reuocat, quæ olim ſcripſerat.*

III.

Interim verò Cōſilium illud meum infælicis meæ profectionis, & infames Scopulos, mei maximè, & hæreticorum, non catholicorum naufragij, necnon Concionem illam oportet me ipſum in hoc nouo, ac verè ſano Conſilio deteſtari. Neque pudebit, detractis, quæ mihi confinxeram, indumentis, nuditatem meam aperire, quia non puduit, contra ius, faſque in vana commenta, in apertas calumnias, ac in fœdas etiam hæreſes erumpere. Scorpij aculeus, & venenū, ex ipſiuſmet Scorpij, qui pupugit, contuſione, medelam accipit opportunam: *Dioſcorid. l. 6. c. 44.* ſi mei ipſius ſponte facta contritio, ac contuſio venenato vulneri, (ſi quis tali vulnere ſaucius indoluit) medelam afferat, fælicem meam contuſionem, humiliationem, mortificationem reputabo. Stet inconcuſſa Eccleſiæ Catholicæ, & Sedis Apoſtolicæ gloria, etiam cum ſummo in me bonorum humanorum detrimēto, vbi eam ipſe inique imminuere ſum conatus, tandem mihi quoque, ſaltem apud Deum, id non poteſt non eſſe glorioſum. Fateor itaq; in primis, ac vere & ſincere in conſcientia teſtor me, & Conſilium illud profectionis, & Scopulos, & Concionem, nō ex cordis ſinceritate, non ex bona conſcientia, non ex fide non ficta ſcripſiſſe, ſed vt meæ profectioni omninò vituperabili, qualemcumque obtenderem excuſationem; & hæreticis, ad quos miſer properabam, vel quibuſcū verſabar, gratior eſſem, & acceptior, Decēnij labor, quē in eo Cōſilio iactaui, non maturitati, deliberationis conſilij grauitate, non diſcuſſioni veritatis, ſed toto eo tempore, vano & inutili, ac pernicioſo apparatui, quo audacia, imo & hæreticalia cōmenta perficerem, & ſimul Iracundiæ obſequerer, Inſeruiuit: Vt propterea non diuina, ſed diabolica fuerit illa vocatio; non Sancto Spiritu, ſed ſpiritu malo, ſpiritu vertiginis me, peius quam Saulem *1. Reg. 18.* concitante. Reditum vero meum diuinæ veræ vocationi tribuendum eſſe non dubito, Sancto diuino Spiritu, me ad Matrem meam Catholicam Romanam Eccleſiam reuocante.

*Ex ſcorpio medicina cōficitur.*

IV

Mores Romanæ Curiæ, dixi, feciſſe vt ab ea perpetuo abhorrerem; hoc me malè dixiſſe non ignoro: neque enim deerant tunc, non deſunt hodie Romæ pietatis, & omnino virtutum Chriſtianarum plurima exempla conſpicua, quæ religioſos animos, & delectare poſſunt, & allicere. Dixi, ex interdicta librorum Romanæ doctrinæ contrariorū lectione, ſuſpiciones aliquas malas emergere, quæ hæreticorum ſcriptis fidem concilient, atque inducant ad credendum, aliquid in illis latere, cui conuellendo doctrina noſtra non ſufficiat; hoc quoque non ſine graui fidei catholicæ iniuria à me dictum eſſe plane agnoſco, qui in libris hæreticorum doctrinam falſam, hæreticam, ſcādaloſam, peſtiferam inueni, à cuius pabulis, ne animi fidelium inficiantur, illi merito ſint arcendi. Neque enim priuatorum, qui legunt libros, ſed Paſtorum fuit ſemper, & eſt iudicium fidei, vt quæ ſint venenata paſcua cognoſcant, & ab ijs quam longiſſime oues ſuas amoueant. Argumenta porro hæreticorum fallacia ſunt, ſophiſtica, & facillimas habent ſolutiones Dixi, eorum doctrinam, qui Eccleſiæ Romanæ aduerſantur, vel nihil, vel parum à pura priſcæ Eccleſiæ doctrina abhorrere: Et hoc falſum eſt: Nam dogmata, in quibus illi à Catholicis diſcrepant, ſunt omnia prorſus dogmatibus priſcæ Eccleſiæ contraria: & nihil magis eos erroris conuincere poteſt, quā veteris Eccleſiæ autoritas, à qua illi ſuis nouitatibus longiſſimè receſſerunt; vt meritò hoc nomine tanquam hæretici ſint ipſi ab Eccleſia Romana damnati. Deteſtandum itaque eſt, & deteſtor illud, quod dixi, ideo dumtaxat doctrinas illorum ab Eccleſia damnari, quia illa ſenſui, corruptiſque Curiæ Romanæ moribus aduerſentur. Dixi quoque Romæ per ſummam vim nouos cudi articulos: Et hoc profecto contra fidem & conſcientiam; neque enim id vnquam obſeruaui, nec à quoquam obſeruari poſſe certo ſcio. Non enim noui articuli cuduntur, vbi declarationes & explicationes verorum fidei articulorum, ex diuinis Scripturis, & Patrum traditionibus, ipſiſque fidei regulis collectæ apponuntur. Inſuper Romanam Eccleſiam titulo Catholicæ, & Vniuerſalis Eccleſiæ ſpoliare uſus conatus; in quo erraui plurimùm: Eccleſia enim Catholica Romana intelligitur, non modò illa ſpecialis, & particularis, quæ Romæ eſt, ſed etiā aggregatum ex omnibus Eccleſijs Romanæ Eccleſiæ vnitate eiuſdem fidei, & ſubiectione ad ipſius Summum Pontificem, vbicunq; tandem illæ fuerint, etiam in extremis mundi oris, adhærentibus. Et ſane veriſſimum eſt, atque à me ſæpius & voce, vt teſtis ipſa Anglia eſſe poteſt, & ſcripto in meis de Republica Eccleſiaſtica tractatibus in ea parte, quam vltimo in Germania impreſſam audio probatiſſimum, nullam aliam eſſe Catholicam, Niſi Romanam, & hoc ipſum aggregatum: cum reliqui omnes Chriſtianorum cætus hæreſibus deturpati, & ſchiſmate à Catholica diuiſi, ac ſeparati, extra Catholicam Vniuerſalem, veram Chriſti Eccleſiam ſint conſtituti: & illi verè cæci cum ſuis cæcis Ductoribus in barathrū perditionis ruunt, & præcipitantur; quod ego de Romanis, cum graui iniuria peſſime pronunciaui: Ex Romana enim Eccleſia perpetuis temporibus ad omnes alias Chriſti Eccleſias lux fulgentiſſima, puræ & incorruptæ fidei promanauit, & nunc promanat. Memini vero me in Præfatione librorum de Rep. Eccl. inter alia, quibuſdam vſum verbis, quibus videor in Eccleſia Catholica poſuiſſe, omnes, quicumque baptiſmum receperunt in nomine Trinitatis. Sed licet verba malè ſonent, & hæreticas quoq; Eccleſias faciant veræ Catholicæ Eccleſiæ vera, & ſana

*Hæreticorum libri noxij, & merito prohibiti.*

*Sola Eccleſia Romana Vniuerſalis, & Catholica.*

membra, quod eſt falſiſſimum,& hæreticum,ſenſus tamẽ meus fuit,vt Arianæ,Neſtorianæ,Eutychianæ, & omnes hæreticæ,ac olim damnatæ omninò excludantur, ac ſolæ orthodoxæ retineantur:Quas tamen verè orthodoxas longè plures tunc putabam, quàm re vera ſint; & multas poſterioribus hæreſibus infectas, ac ſchiſmate diuiſas, ad Catholicam pertinere malè ſentiebam. Quamuis enim Catholica ex vniuerſitate vocetur, vniuerſitas tamen non niſi verè orthodoxas, quæ per totum ſunt Orbem ſparſæ, & eas,quæ in vnitate Catholica, cum Romana permanent, complectitur. Ac ſanè Romanæ Eccleſiæ Vniuerſitas,non modò in perpetua, & nunquam interrupta, nunquamque interrumpenda ſanæ fidei duratione, & firmitate conſiſtit; ſed etiam vniuerſalis eſt, quia eadem ipſius fides, ſupremumq; Regimen ad omnia loca, & ad omnes nationes, pòſt Chriſti aduentum,ſunt dilatata.Quo nomine, vel his quoque poſtremis ſæculis, nihil minùs Catholica eſt dicenda, quàm fuerit antiquorum tempore Patrum: ſiquidem Romanæ Eccleſiæ Fides hiſce temporibus, in remotiſſimis,ac vaſtiſſimis Orientis,& Occidentis Regionibus,etiam ad vltimos terræ fines, eſt propagata.Ita vt,commeantibus ipſius filijs à Solis ortu ad occaſum,fidem Chriſti ſecum ferentibus, & munda ſacrificia offerentibus,nunc maximè illud impleatur quod per os Malachiæ protulit Dominus,*cap.1.11.* *Ab ortu ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus:& in omni loco ſacrificatur,& offertur nomini meo oblatio munda.*Neque minor iniuria fuit,atque calumnia, dum dixi, me perſpexiſſe innumerabiles Romanę Curiæ nouitates & errores:quas ego nouitates,quos errores,neque perſpicio,neque vnquam perſpexi;& falſiſſimum eſſe agnoſco, ac fateor,Romæ aut tunc fuiſſe aut nunc eſſe errores, ex quibus clades animarum ſequatur,turbetur Eccleſiæ pax, & ſcãdala publica oriantur. Verè enim Eccleſiæ Catholicæ pax omnis,atque tota tranquillitas, æternaque animarum ſalus, poſt Deum,Rom.Eccleſiæ curæ, ac ſollicitudini eſt tribuenda. Epiſcopos potentiores ſub Romano æquiuocè Epiſcopos eſſe dixi; & hoc dictum non minorem falſitatem quam iniuriam continet;ac proinde,vt maledictum,id ipſe damno:Sunt enim illi veri,& legitimi legitima ordinatione Epiſcopi.Reliquos dixi,qui in temporalibus quoq; Magnates,& Principes non ſint,dignitatem,& poteſtatem Epiſcoporum propriam amiſiſſe:&hæc profecto calumnia eſt; ſubordinatio enim Hierarchica in Eccleſia fuit ſemper neceſſaria. Multo magis damno tanquam hæreſim,quod dixi,ſub Romano Epiſcopo Eccleſiam amplius non eſſe,Siquidem, vt ſuperius memoraui,& ſerio affirmaui, ſola Eccleſia Romana cum ſibi adhærentibus,eſt vera Chriſti Eccleſia, aliæ nè Eccleſiæ quidem ſunt.Ac, vt paucis multa complectar, animaduerti me priori illo Conſilio illud maxime conari,vt Romani Pontificis primatus infirmetur.Qua in re contra fidem totius Catholicæ Eccleſiæ me loquutum eſſe ac proinde grauiter erraſſe non inficior.Nam & ex ipſa Euangelica inſtitutione & ex Apoſtolica traditione, atque SS. Synodorum, & vniuerſalium Conciliorum definitionibus, plurimiſque SS.Summorum Pontificum decretis,necnon communi Patrum, & Eccleſiaſticarum hiſtoriarum teſtimonio patet,Romanum Pontificem ſemper pro totius Eccleſiæ Capite,à Chriſto Domino immediate inſtituto.& pro ſingulari Oraculo habitum, à quo fidei inſtructionem,definitionem, ac tutam reliquã doctrinam,tamquàm à Magiſtro diuinitùs nobis dato,qui ex officio Eccleſiam doceat non minus Oriens,quàm Occidens,in omnibus fidei dubijs,flagitaret. Obſeruare facilè quiſque ſtudioſus poteſt exempla plurima,quibus Romani Pontifices etiam Patriarchas Orientales,& Primates inſtituunt, monẽt, arguunt,docent,damnant,abſoluunt,deponunt,reſtituunt,increpant pro munere ſuo;& ab ijs increpati humiliter audiunt,parent,non reſiſtunt,aut renituntur:&,vt ſummatim dicam, planè totius Eccleſiæ Catholicæ confeſſione liquet,in ſolo, & vno Supremo viſibili eiuſdem Eccleſiæ Capite,quod eſt ſolus Papa,& Summus Pontifex,Petri ſucceſſor totum Chriſti Spiritum,pro ijs,quæ ad fidem pertinent decernendis,reſidere.

*Cur Romana Eccleſia Catholica,& vniuerſalis.*

*Nulli in ea erroris.*

*Primatus illius adſtruitur.*

V.

*Liber aſſentatorius, à M. Antonio editus ipſimet ingratus.*

Libellum,quem *Scogli del Chriſtiano naufragio* vocaui,ingenuè fateor,mihi paulò pòſt ipſius editionem ſummoperè diſplicuiſſe:nullo enim habito delectu, nulla diſcuſſione facta,tumultuariè illum ſcripſi: atque,vt quoquomodò Anglos mihi, in recenti illo meo ad ipſos aduentu,demulcerem, non quid verũ eſſet,ſed quid hoſtibus Catholicæ Eccleſiæ,ac præſertim plebi imperitæ placeret, conſideraui, & exprompſi.Eumdem libellum,etiam in Anglia, dum diſceſſum pararem,à Rege,& alijs Magnatibus mihi obiectum,ſum expreſſis verbis deteſtatus, & contrà maiorem hæreſum,quas continet,partem,poſtea ego ipſe inſurrexi,eaſque totis viribus impugnaui. Quas omnes hic iam denuo reijcio,abominor, & deteſtor. Eæ verò ſunt, Romanum ſummum Pontificem non eſſe Vicarium Chriſti in terris,totiuſq; viſibilis Chriſti Eccleſiæ viſibile Caput. Eumdem non habere poteſtatem in temporalia. Implicitam fidem nihil prodeſſe,ſed multum fidelibus obeſſe. Excommunicationes Iuris eſſe vana terriculamenta. Præcepta Eccleſiæ ad peccatum mortale non obligare. Vnitatem Eccleſiæ ab vnico Capite viſibili non eſſe petendam. Summum Pontificem eſſe capitalem Eccleſiæ vniuerſalis hoſtem. Miſſam non eſſe verum ſacrificium. Ceremonias Miſſæ eſſe mimicas geſticulationes. Tranſubſtantiationem non fieri Confeſſionem auricularem, cum abſolutione, non eſſe verum Sacramentum. Purgatorium nullum eſſe. Satisfactionem,poſt remiſſam culpam, ad remiſſionem pœnæ non eſſe neceſſariam. Indulgentias nullas eſſe,niſi de Iniunctis. Sanctos non eſſe inuocandos. imaginum ſacrarum, & reliquarum cultum non eſſe licitum. Meritum vitæ æternæ ex Operibus non eſſe. Hi, & ſimiles errores, ac manifeſtæ hæreſes,non tàm meæ, & nouæ,quam antiquorum,& recentium hæreticorum,eorumq; fabulationes ac deliramenta à S. Catholica Eccleſia in pluribus ſacroſanctis Concilijs Vniuerſalibus perpetuo damnata, ſcopuli ſunt miſerabiles,ad quos,qui accedunt, lachrymabile patiuntur fidei,& ſalutis æternæ naufragium: ideoque ab illis quam longiſſimè paſſim recedo. Ac ne ad eos exitium vltimum paterer in Anglia, fuit mihi ab ea omninò diſcedendum, & ad Romanam Eccleſiam, verum Catholicorum portum,redeundum:cum qua omnes prædictos errores,& quoſcumque alios, ſi qui præterea ſunt in illis libellis, qui cum Romana Eccleſia in ſacris Concilijs, præſertim verò Tridentino, explicita fide non conſentiant, abijcio, deteſtor, & anathematizo:contrarias verò veritates amplector & affirmo, nimirum, Romanum Summum Pontificem,ex Chriſti inſtitutione, eſſe Vicarium ipſius in terris, totiuſque militantis Eccleſiæ quæ ſemper viſibilis fuit, viſibile Caput, cum plena poteſtate diuinitus accepta,eam regendi,& ordinandi. Eumdem,in ordine ad ſpiritualia,habere poteſtatem etiam in temporalia. Implicitam fidem, vtilem, & plerumque neceſſariam eſſe, nimirum cum aliquorum articulorum fides explicita inculpabiliter non habetur. Excommunicationes Iuris, vel ipſo facto prolatas,eſſe validas,& metuendas, vtpote ſumma ratione,& legitima poteſtate inductas; Summoſque Pontifices poſſe in omnes quarumcumque partium fideles,excommunicationes proferre. Præcepta Eccleſiæ ad mortale peccatum obligare. Vnitatem Eccleſiæ ab vnico viſibili ipſius Capite vel maximè pendere. Summum Pontificem eſſe totius Eccleſiæ verum, legitimum, & erga ouiculas CHRISTI ſummoperè, vt debet, proficuum Paſtorem, quarum ſolam æternam ſalutem ille perpetuò ſitiat, & tota ſollicitudine quærat. In Miſſa verum, proprium, & propitiatorium Deo ſacrificium offerri. Ceremonias Miſſæ à SS.Patribus, & Paſtoribus Eccleſiæ,Spiritu Sancto inſpirante, inſtitutas, ſanctas, myſticas,vtiles,& omninò retinendas eſſe. Tranſſubſtantiationem,hoc eſt,conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinẽ Domini Noſtri Ieſu Chriſti, in Sacramento Altaris fieri. Per abſolutionem ſacramentalem, qua Sacerdos abſoluit pœnitentes, veram,ac propriam ligandi,ac ſoluendi peccata, quam Dominus ſacramentorum ſuorum Miniſtris in Eccleſia tradidit,poteſtatem exerceri. Purgatorium eſſe eo modo, quo id Sancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia dari docet. Satisfactionem ad remiſſionem pœnæ, poſt remiſſam culpam,multum valere. Indulgentiarum vſum in Eccleſia Catholica, cui eas conferendi poteſtas à Chriſto collata eſt,eſſe antiquiſſimum, maximè ſalutarem, & Sanctorum Conciliorum autoritate probatum. Sanctos, nedũ abſque vllo errore à fidelibus inuocari, ſed bonum atque vtile eſſe ad eorum orationes, auxiliumque confugere. Imaginum & Reliquiarum cultum eſſe bonum, licitum,& vtilem,qui ſine hæreſis labe abijci non poſſit. Meritum vitæ æternæ etiam à bonis operibus pendere. Concilia Oecumenica poſteriora, ſummæ in Eccleſia Catholica autoritatis, nauſeabundus contempſi ſæpius; Florentinum præſertim,& Tridentinum,nõnunquam etiam Conſtantienſe; imò mea opera factum eſt,vt Hiſtoria quædam Concilij Tridentini in lucem prodiret, cuius ego Hiſtoriæ fidem certam nullam haberem,imò quæ ſit meritò ſuſpecta impoſturæ; in his quoque me plurimum erraſſe fateor. Horum enim Conciliorum ſaluberrima decreta omnia plena fide,Catholicis omnibus amplectenda eſſe affirmo.

*Hæreſes in illo contenta.*

*Illas deteſtatur.*





VI.

*In ſola Romana Eccleſia reperitur Fides vera,& ſcripturarum intelligentia.*

In concione quadam mea primæ Dominicæ Aduentus,Londini habita Italicè,& impreſſa, eoſdem penè errores poſui,quos in libello poſteà Scopulorum repertos iam ſum meritò deteſtatus. In ea noctem quandam Papalium errorum, & Romanæ Eccleſiæ,ſum commentus; cum tamen reuera in ſola Romana Eccleſia,eique connexis,ſit vera lux,veruſque & ſolus dies ſplendidiſſimus:extra quam,in Anglia præſertim,perpetua ſit nox,eaque denſiſſima In Eccleſia Romana lux veritatis,& ſacrarum Scripturarum vera,ac ſana intelligentia,tenebras omnes errorum ab ſe longiſſimè propellit, quibus tenebris Anglia miſera obſcurata palpat in meridie. Dixi in eadem Concione, & in libello Scopulorum reperiui,Petrum nunquam Romæ fuiſſe; hoc tamen tanquam fœdum & inſcitiæ plenum mendacium, ſcio, & ingenuè fateor eſſe reprobandum. Apoſtolos, in fundanda,& gubernanda Eccleſia, feci æquales; cũ tamen vel ex ipſis Euangelijs,& Apoſtolica traditione,Petri ſuprematus ſuper illos emineat. Dixi Epiſcopos,ſuccedere Apoſtolis cum æquali poteſtate, & eſſe Epiſcopos vniuerſalis Eccleſiæ in ſolidum; cum tamen Epiſcopi non niſi particularium Eccleſiarum ſint Paſtores, & in ſola particulari cura; ſeruato ei primatu generali,qui in eo Petro ſuccedit, qui eſt Romanus Summus Pontifex. Dixi nugas, eſſe aquam luſtralẽ,grana, Cruces, Imagines benedictas, benedictionem Papalem,aut Epiſcopalem, Stationes,habitella,cordulas,corrigias,viſitationes Eccleſiarum,& Altarium,Roſarium,Proceſſiones,& ſimilia; cùm tamen antiquiſſimum,& probatiſſimum eſſe in Eccleſia Catholica horum fermè omnium vſum ſatis conſtet, qui ſit omninò retinendus, etiam in ijs, quæ ſunt nouiora pietatis, & deuotionis excitamenta. Duo eſſe tantùm Sacramenta, Baptiſmum, & Cœnam aſſerui; cum tamen ſeptem eſſe vera Sacramenta Eccleſia Catholica à Spiritu Sancto illuſtrata doceat planè,ac definiat.Quas omnes, & quaſcunq; alias hæreſes ab Eccleſia Catholica Romana damnatas,ipſe quoque damno; & ijs contraria ab eadem definita,ipſe quoque firma fide credo,teneo, & profiteor: eſt enim certiſſimum in decretis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ rationem non eſſe ab authoritate ſeiunctam; & Scholaſticam doctrinam eſſe omninò Sanctorum Patrum ſenſui, in articulis præſertim fidei,conſonam. Illud quoque fateor, me immeritò in libellis illis de Romana Curia conqueſtum, quaſi aliena Iura læſerit,niſi enim illa Epiſcopos, & Archiepiſcopos in officio, pro ſua legitima in eos poteſtate, contineat, facilè per ipſos Iurium læſio conſequatur. Eſt verò ſumma Eccleſiæ fœlicitas, dum ſinguli ipſius Paſtores ſub ſummo vigilantiſſimo omnium Paſtore,ab eo,cuius eſt ſuprema autoritas, & morum reformationem,& ſanæ,ac ſinceræ doctrinæ cuſtodiam accipiunt facilè, & exequuntur. Ac profecto niſi Sanctæ Inquiſitionis benigna,ac paterna cura ſuper Dominicum gregem ſeriò inuigilaret, ſcabioſum pecus,medelam non acciperet,ſed contagio peſſima facilè ſerperet. Illius tribunalis arma ordinaria ſunt,ſana doctrina, plenaque charitatis inſtructio;non alia,quæ ego in meis libellis, animo nimium exulcerato,cum falſitatibus,& calumnijs, exaggeraui: quòd ſi putrida interdum vlcera lenioribus non cedunt medicamentis, aſperiora medicam manum arripere,& æquum eſt,& neceſſarium.

*Romana Eccleſia Iurium ſeruatrix.*

VII.

*Speciali Dei ope reſipiſcit M. Antonius.*

Iam verò vbi internum efferbuit ægritudinum animi incendium,miraculo penè quodam, ſub ipſis Sanctiſſimi Gregorij XV. Pontificatus initijs (cuius inſignem pietatem prudentiam ſingularem,perpetuamque integerrimæ vitæ ſanctimoniam eo culminis ipſum prouexiſſe non dubitabam) ſalutifera cæpit mens mea agitare conſilia, ei noua quadam diuini Spiritus face allucente: pericula quoque animæ, in quibus verſabar,ſeſe in dies clarius cæperunt mihi oſtentare. Mirabar quomodo eò imprudentiæ,& erroris ſim progreſſus,vt ijs me commiſcere voluerim, qui hæretici eſſent,abſoluteque, ac ſimpliciter ſchiſmatici. Tanta fuit olim vaſricies paucorum Arianorum in Concilio Ariminenſi,vt arte quadam ſubdola Catholicos fermè omnes in Arianiſmũ quodammodo pellexerint; *Et tunc* (inquit noſter Hieronymus aduerſus Luciferianos) *totus mũdus ingemuit & miratus eſt,ſe eſſe Arianum*:Sic mihi (proh dolor) & multò peiùs contigit,vt me,& hæreticum cum hæreticis, & cum ſchiſmaticis,ſchiſmaticum eſſe cernerem, mirarer,& ingemiſcerem. Ac ne iniurium me ſibi eſſe Angli, conquerantur, ſed planè agnoſcant me iure, ac meritò ab ipſa receſſiſſe,& ad Parentem meam Sanctam Catholicam Romanam Eccleſiam rediiſſe, Hæreſim ipſorum ac ſchiſma cogor aperire, quibus me vlterius infici æquum non erat.

VIII.

*Angli ſchiſmatici, & hæretici diuerſarum ſectarum.*

Sunt in Anglia plures (quod ad religionem attinet) Sectæ ſunt Puritani, hoc eſt, rigidi Caluiniſtæ: ſunt Mitiores, qui ſe Proteſtãtes duntaxat, & Reformatos vocãt: ſunt Anabaptiſtę,in plures & ipſi diuiſi Sectas: Nõ deſũt Ariani, Photiniani, & ſimilis hominũ impiorũ farrago,qui,licèt publicè nõ permittãtur ſuos errores profiteri, nec eijciuntur tñ, nec puniuntur,ſed ſuum virus dum ſpargunt,tolerantur. Anabaptiſtas porrò hæreſibus ſcatere,nemo,qui Anabaptiſta non ſit,negabit: illi verò ſuos conuentus in Anglia liberè celebrant:Et mihi quidem Rex Sereniſſimus quadam die narrauit,nuper Londini, in quodam conuentu Anabaptiſtarum,fœminam, & concionem publicam habuiſſe, & ab ipſis putata Sacra-

menta miniſtraſſe. Puritanorũ hæreſes notoriæ ſunt, Liberum arbitrium non dari: Deum eſſe autore peccati: Deum ex ſolo ſuo beneplacito, multos ſine cauſa damnare: Chriſtum pro omnibus non eſſe mortuum: Chriſtum damnatorum pœnas ſubijſſe: Infantes cum baptiſmo mortuos poſſe damnari, &c. Proteſtantes Mitiores, etſi conétur ſe, quò ad dogmata, ab hæreſi vtrumque liberare, quia neque Caluini, neque Lutheri hæreſes iſtorum profeſſio videtur ipſis omni ex parte admittere, ſi doctrinam puram Eccleſiæ Anglicanæ, quam Reformatam vocant, ſequantur, ab hæreſi tamen tàm Puritanorum, quàm Anabaptiſtarum, immunes eſſe non poſſunt, quia cũ illis plenè cõmunicant: & ſi quis Anabaptiſta, ſi quis Puritanus ad illorum conuentus Eccleſiaſticos venerit, illum neque vitant, neque excludunt; imò ipſamet Anglicanæ huius pſeudo-Eccleſiæ Sacra, Puritani ferè omnes Miniſtri, omnibus, Caluinianis ſaltem, hæreſibus toti infecti, tractant, & adminiſtrant. Quòd ſi Acatius Conſtantinopolitanus, quia Petro Moggo Alexandrino hæretico communicarat, ſi totus Oriens, quia in communione Acatij perſiſtebat, diutino anathemate fuit ab Occidente ſeparatus, quantò magis Angli Proteſtantes pro hæreticis ſunt omnes habendi, quia cum hæreticis perpetuò communicant, nec eos damnant, nec à ſe ſeparant, ſed etiam in diuinis communicare volentes admittunt? Nonnè ipſa Anglicana Eccleſia deformata, communionem, & fœdus Eccleſiaſticum cum Puritanorum Matre Geneuâ, alijſque Vltramarinis ſectis, Caluiniano veneno infectis, publicè, & apertè profitetur? Non nè in ipſa Regia Ciuitate Londini, publicâ Regiâ conceſſione, Caluiniſtarum Gallorum, Belgarum, Italorum, Eccleſiæ apertæ ſunt, quæ Anglicanã doctrinam, profeſſionem, ritus abominantur, & tamẽ Anglicanæ Synagogæ ſorores ſunt dilectiſſimæ? & ab illis vel maximè in Anglia Puritaniſmus fouetur, ac promouetur: ſed etiam cum Lutheranis, hæreſum plurimarum ſorde pollutis, quantum in ipſa eſt, communicare Anglicana ipſa Synagoga eſt paratiſſima, & plurimũ conatur, vt monſtra hæc in vnam Hydram cum ipſa coaleſcant, vnoque fiat omnium, vt ipſi loquuntur, Eccleſiarum Reformatarum; de purganda vero illarum fide, & doctrina, hæreſibuſq; euellendis, nihil laborant: Lutherani tamen *cane peius & angue* oderunt Sacramentarios. De alijs Anglorum hæreſibus circa Fidem, & Opera, ac Iuſtificationem, circà Sacroſanctam Euchariſtiam, & miſſas priuatas, circà merita, Inuocationem Sanctorum, Imaginum Sacrarum venerationem, Ritus ſacros, Animas defunctorum, & ſimilia, quæ ipſi hæretico ſpiritu damnant, & abolent, quæque ego in aliqua parte cum ipſis, eodem hæreſis ſpiritu, aliquandò damnaui, & aboleui, non eſt nunc mihi pluribus diſſerendum; attingam aliquid, quantum hoc locus fert, paulò pòſt: plura alias. Venio ad Schiſma.

IX. *Anglorũ Schiſma oſtẽditur.*

Anglicanam illam Sectam, quam ipſi Angli deformati Eccleſiam vocant Reformatam, eſſe multò magis à verè Catholica Eccleſia diuiſam, & ſeparatam, quem ipſi ſint *diuiſi toto Orbe Britanni*, mihi nullum dubium eſt. Se quidem à Romana Eccleſia, reliquiſque omnibus ei ſubiectis, & cum ipſa communicantibus eſſe diuiſos in religione, & fide, planeque ſeparatos, fatebuntur ipſi, nec inuiti, & res eſt clariſſima, ac per ſe notiſſima. Cum verò Eccleſia Romana cum alijs ſibi coniunctis, ſit verè, ſecundum Catholicam fidẽ, & propriè Catholica Chriſti Eccleſia, an non ſequitur neceſſariò, Anglicanam illam ab illis ſic vocatam Eccleſiam, à vera Catholica Eccleſia eſſe omninò diſſectam, & conſequenter illam nec eſſe Corpus Chriſti, nec domum Dei, nec abſolutè Eccleſiam? Quod cum mihi planè tandem aliquando conſtiterit, in ea diutiùs mihi immorandum nequaquam tuit. Conſtitit id tibi (dicent illi) qui tamẽ Babylonẽ in libris de Republica Eccleſiaſtica Romam vocaſti, qui Eccleſiam Romæ eſſe negaſti, qui illam eſſe propriè ſchiſmaticã, nos quoq; docuiſti: at nobis id, quod de noſtra Eccleſia aſſeris, non cõſtat. Iã igitur, vt ipſis quoque Anglis id ſit compertum, efficere conabor. Probè ſciunt me non eſſe Pythagoram, cuius ſola autoritas apud ipſius diſcipulos pro optima ratione eorũ, quæ ipſe aſſerebat, habebatur. Nihil igitur moueantur ijs, quæ à me, nulla allata ratione, fuerint prolata; imò vero præterea dicta mea adhuc vires nullas obtinent, vbi etiam eorum profero documenta, & probationes, quando hæ viribus caſſæ manent, & deſtitutæ: Mea verò ratio, cui innitebar, dum Romam Chriſtianam, feci Babylonẽ, erat quia de Roma Ethnica antè fidem Chriſti ſuſceptã, prophetia *Apoc.* 18. explicari non poterat; & hæc ratio eſt viribus omninò deſtituta: hoc enim etiam dato, non ſequitur Chriſtianam Romam, eſſe Babylonem illã: Eſt enim plurium Catholicorũ Interpretum ſententia, in Antichriſti perſecutione, Ethnicos idololatras, Chriſtianiq; nominis hoſtes, eam ſibi fortaſsè ſubiecturos, & de talibus prophetiam illam nondũ impletam poſſe commodè explicari: ita tamẽ, vt Eccleſiæ Catholicæ fides, ſalua ſemper, & incolumis ſit futura. Vnde mea illa de Roma Chriſtiana aſſertio tota ruit, & meram continet calumniam. Scio enim Romam Chriſtianam, Babylonem non eſſe, nec eam ita niſi per ſummam iniuriam, poſſe vocari. Sed & abſit, vt in hac Apocalyptica prophetia ipſam Romanam Eccleſiam, quæ eſt omnium Mater, & fidei Caput, Babylonẽ fuiſſe, aut futuram eſſe intelligamus; non enim quæ de Vrbe dicuntur, ad Eccleſiam ſunt transferenda. Negaui Romæ eſſe Eccleſiam, ſed id non probaui; inter maledicta igitur, & cõuicia negatio illa, imò inter hæreſes etiam, reponi debet, vel me ipſo in meis alijs tractatibus id rationibus cõuincente, vbi Romanam Eccleſiam cum alijs omnibus ipſi annexis, eſſe veram & ſolam Chriſti Catholicã Eccleſiam firmiter aſſeueraui, & nunc vel maxime profiteor, & aſſeuero. Schiſma eam feciſſe dixi, quando Schiſmatis conſiderationem exactam nondum habueram: & in hoc erraui turpiter, cum ſit hæc falſitas manifeſta. Probatio vero, quam poſui in contrarium, nullius eſt momenti, ac nihil prorſus conficit: Qui enim alicuius corporis caput legitime conſtitutus, eiuſdem corporis ſe caput celebrat, & promulgat, non ſeparat ſe à corpore, neque à ſe corpus abijcit, ſed corpori ſe coniungit: quod eſt à Schiſmate valde alienum. Hæc tamen pluribus proſequar in Operis illius reuiſione, & correctione. Iam oſtendo, quomodo mihi conſtet, Anglos, ac multo magis cæteros omnes noſtræ ætatis Sectarios, eſſe vere ac proprie Schiſmaticos, quia à vera Chriſti Eccleſia, quæ eſt Catholica Romana cum ſuis, ſe, abſque vlla legitima cauſa, præciderunt.

*Romam Chriſtianã vocare Babylonẽ calumnioſum eſt.*

X. *Duplex Legitimæ ſeparationis cauſa oſtẽditur.*

Duplex duntaxat cauſa eſſe poteſt legitimæ ſeparationis, vt vna, vel plures Chriſti Eccleſiæ, vnam, vel plures à ſua cõmunione, citrà malum ſchiſmatis, penitùs abijciant: Altera eſt Hæreſis: Altera Schiſma ipſum. Hæreticæ incorrigibiles Eccleſiæ vitandæ ſunt Catholicis, & cum illis hæ nullam habere debent Eccleſiaſticã cõmunionem. Hoc norũt optimè fideles omnes. Quæſiui ego ſæpius ex Anglis, cur ſe ab Eccleſia Romana, & ei adiunctis ſeparauerint: nũ ob aliquã hæreſim? ac profectò nemo illorũ ſiue ſcripto, ſiue voce potuit mihi re ipſa oſtẽdere, Romanæ religionis Catholicos noſtrorũ tẽporũ, ſiue noſtros prædeceſſores, quoad publicã omnium profeſſionẽ, vlla eſſe, aut fuiſſe vera hæreſi vnquam inquinatos. Conceſſit mihi aperte & publice Rex ipſe Magnæ Britãniæ Sereniſſimus: Conceſſerunt ex maioribus, minoribusque Miniſtris ſapientiores, viriq; docti nõ pau-





ci, Eccleſiam Romanam in fundamentali fide non errare. Non eſt igitur, etiam Proteſtantibus Anglis concedentibus, hæretica. Dicent fortaſsè in fundamentali fide, Romanam Eccleſiam non errare (quod ego quoque aliquandò, præſertim verò in Conſilio profectionis, & concione Londini habita, docere viſus ſum) errare tamen, & in hæreſim prolapſam in alijs articulis fidei, qui non ſint fundamentales. Atqui ego primùm neſcio, qui ſit articulus veræ fidei, qui non ſit fundamentalis: Neq; enim vnquàm aut ego capere, aut illi mihi explicare potuerunt, quomodò inter articulos fidei, illa admitti debeat diſtinctio, vt aliqui ſint fundamentales, alij ſecus: Ego ſanè ſemper omnes, & ſolos articulos, qui verè ſint articuli fidei, fundamentales cenſui: erraui tamen, vbi à fundamentalibus, & conſequenter à veris articulis multos excluſi, qui & veri ſunt articuli fidei, & conſequenter omnes fundamentales, neque vllo modo, ſine hæreſi, abnegandi; vtcumq; non ſint ex illis primis de Trinitate, Incarnatione, Neceſſitate Gratiæ, Baptiſmo in nomine Trinitatis, &c. vt ſunt, Sacramenta, Iuſtificatio, Operum neceſſitas, Merita, Indulgentiæ, & reliqua, quæ ſuperius, vt iam in Eccleſia definita, commemoraui: quia non minus hæc diuinæ nituntur reuelationi, quàm priora: ac proinde nõ minus ad fidem pertinent, quàm illa: ſiquidem qui Deum fallacem putat eſſe in vno articulo quocumque, is fallacem neceſſe eſt, ipſum agnoſcat in reliquis omnibus. Deinde quæſiui ſæpiùs ex ijs, qui ſeriò rem agerent, vt mihi aliquem articulum veræ fidei proferant, in quo Romana Eccleſia perperàm ſentiat, & doceat. Proferre ſolent articulum Transſubſtantiationis Panis, in Corpus Chriſti: Inde colligunt aliquas hæreſes, puta, Chriſtum non habere verum corpus, ſed phantaſticum, ſiquidem in minima mica Panis integrum Corpus illud ponamus, ità vt Corpus, iam non ſit Corpus. Item, Chriſtum non eſſe in Cœlo, ſi eſt in Altari in terris, contrà Articulum Aſcenſionis Domini. Item, Chriſtum non eſſe natum ex MARIA Virgine, ſiquidem ex pane nos illum conficiamus. In his profectò verum eſt, quod ait S. Hieronymus *in Epiſt. ad Tit. cap. 3. Nullum eſſe ſchiſma, quod non ſibi aliquam hæreſim confingat, vt meritò ab Eccleſia receſſiſſe videatur.* Transſubſtantiatio porrò, quam Catholici profitentur, ab illis hæreſibus eſt remotiſſima: nam proprietates Corporis in ſe omnes ſaluæ ſunt, etiamſi ponatur in mica panis: At verò eædem proprietates in ordine ad locum, qui externus eſt Corpori, ſunt ab eo, per diuinam omnipotentiam, ſeparabiles: quod Scholaſtici noſtri ſatis explicant. Quænam autem in nobis poteſt eis ſubolere hæreſis, ſi omnes conſtanter fatemur, nos credere tanquàm articulum fidei, Chriſtum habuiſſe, & habere verum Corpus, cum omnibus naturalibus ſuis, in ſe, proprietatibus, quas per eamdem omnipotentiam ſeruari poſſe credimus, & confitemur, etiam vbi Corpus redigatur ad minimum locum externum: neque hoc poteſt quiſquam Theologicè oppugnare? Humana verò philoſophia non poteſt, nec debet diuinam potentiam metiri: iudicet illa, quid natura effici poſſit: quę autem ſupra naturam ſunt, veneretur, non dijudicet. Sed neque ſequitur Chriſti Corpus non eſſe in Cœlo, ſi ſit in Altari: omnes fatemur, nos fide diuina credere, Chriſtum in Cælum aſcendiſſe, & ibi ad dexteram Patris perpetuo reſidere: per diuinam tamen potentiam, dicimus, vnum, & idem Corpus, poſſe in pluribus locis ſimul eſſe, ſaltem ſacramentaliter: neque id, niſi ex humana philoſophia, & apparenter duntaxat poteſt impugnari. Ac demum non dicimus, ex pane fieri corpus, quod non extaret, ſed dicimus, panem transſubſtantiari in Corpus Chriſti, quod panis conſecrationi præexiſteret: præexiſtit verò huic tranſſubſtantiationi Corpus Chriſti ex MARIA Virgine natum, & in hoc panis tranſſubſtantiatur. Parum profectò ſcitè iſtas hæreſes illi comminiſcuntur, quia hæreticus eſt, qui directè profert hæreſim: ſi verò ex nobis quærant, quid ſentiamus de veritate Corporis Chriſti, de Aſcenſione, de Incarnatione, audient ex nobis, veram in his omnibus orthodoxiam: tametſi aliquid aſſeramus, vnde illi putent ſequi contrarias cacodoxias, quas nos ſequi omnino, ac verè negamus: nec ipſi poſſunt contrarium Theologicè conuincere. Quòd igitur ſpectat ad hæreſim, nullam illi poſſunt cauſam hinc prætexere, quarè ſe iuſtè, & meritò à noſtra Eccleſia ſepararint. Iniuſtum ergo ſchiſma fecerunt.

*Omnes Fidei articuli fundamentales.*

*Malæ Anglorum conſequẽtia.*

XI. *Proteſtantium Anglorum de Romana Eccleſia querimoniæ vanæ, & calumnioſæ.*

Non nimiùm vrgent Angli Proteſtantes Mitiores, qui Puritani non ſint, Romanæ Eccleſiæ hæreſim, neq; inde, ſe à ſchiſmatis crimine liberant: ſed Idololatriam, atque Articulorum nouorum fidei obtruſiones exagitant, quibus Eccleſiam Romanam, & ſequaces, hoc eſt, ipſam Eccleſiam Catholicam, à recta fide defeciſſe contendunt: atque hinc maximè ſuę ſeparationis æquitatem tuentur. Idololatriam manifeſtã in Sanctorum cultu, & Inuocatione, atque in Reliquiarum, Imaginumq; veneratione ponunt, & maximè in panis Euchariſtici adoratione. Occultiorem verò ſubeſſe dicunt illi fiduciæ, qua in ſalem, aquam, oleum, aliaſque res exorcizatas, & benedictas recumbimus. Nouos articulos à Catholicis ſibi obtrudi in tot Concilij Tridentini definitionibus circà Iuſtificationem, Opera, Merita, Purgatorium, Indulgentias &c. conqueruntur. Sed hæc fruſtrà: certè ſi nos Catholici, eſſemus verè Idololatræ, hæretici non eſſemus ſolùm, ſed pleriſque hæreticis multò deteriores, ac proinde meritò eſſemus vitandi, penitùſque à fidelibus omnibus abijciendi. Miror que quomodò, qui compos ſit mentis, poſſit ijs Idololatriã appingere, qui ſe credere in vnum Deum quotidiè profitentur, & pro hoc fidei fundamento ſanguinem effundere ſunt parati: qui diuinum cultum nulli puræ creaturę competere perpetuò prædicant: turpis calumnia eſt hæc. Ex noſtra Sanctorum Inuocatione, Imaginum cultu, Euchariſtiæ adoratione reddimur nè ipſis Idololatriæ rei, aut ſuſpecti? Quærant, cognoſcant, rimentur, quid de vnitate veri Dei ſentiamus; quid de honore diuino creaturis non dando, & planè cognoſcent, ſtultiſſimos eſſe eos, qui nos Idololatras, hoc eſt, Creaturæ adoratores eſſe cenſent, & pronunciant. Neque in ſchiſma prorumpant, niſi priùs veram in nobis inuenerint Idololatriam.

XII. *Sanctorũ cultus licitus.*

Sanctos homines iam mortuos, vel Angelos cultu diuino colendos eſſe nemo noſtrum vnquam dixit: non adeò deſipimus. Hoc oppoſuit olim Catholicis Vigilantius, ſed calumnioſè, vt oſtendit S. Hieronymus aduerſùs eumdem ſcribens. Habemus in hoc etiam, vt in reliquis rebus ſacris, magiſtros opportunos, Antiquos Patres: ab illis non diſſentimus, non recedimus, non diſcordamus: eorum monita ſaluberrima, & omni ex parte catholica circa Sanctorum cultum amplectimur libenter, eaque pleniſſimè exequimur. *Origenis lib. 8. contra Celſum. Epiphanij, hæreſ.* 79. *Auguſtini Epiſt.* 44. *& lib. de quantitate animæ cap.* 34. *& lib. de vera Relig. cap.* 55. *& contra Fauſtum lib.* 20. *cap.* 21. *Cyrilli Alex. lib. 6. contra Iulianum. Theodoreti in hiſtoria Sanctorum Patrum cap.* 21. Horum, & aliorum dicta non affero, quia libellus hic id non tolerat. Vndenam igitur nouos oculos noui iſti Magiſtri cæci acceperunt, cùm longè ante illos lucidiſsimis, & tutiſsimis luminibus Eccleſia ſancta catholica inſtructa fuerit perfectiſſimè.

XIII. *Et antiquus à tẽporibus Apoſtolorũ.*

Ad honorem Sanctorum ſpectant feſta, quæ in eorum memoriam celebramus, Deum laudantes, eique gratias agentes, quòd mortales homines, & peccatores ad altum ſanctitatis gradum euexerit. Neq; res noua eſt, dies feſtos in honorem Sanctorum, annua de-

uotione in Catholica Eccleſia celebrare: Res antiqua eſt, quæ ad traditionem Apoſtolicam meritò referatur, vt, præter Dominicum diem, etiam Sanctorum natalitia feſtiuas habeant ſolēnitates; id enim video antiqua Eccleſiæ Catholicæ conſuetudine comprobari Sollicitum inuenio Cyprianum *libro 3. epiſt. 6.* vt dies, quibus Martyres pro fide animam ponebant, diligenter annotarentur, vt talibus *inquit*, diebus celebrentur hicà nobis oblationes, & ſacrificia, ob commemorationes eorum. *S. Ioannes Chryſoſtomus ſerm. in Martyrem Pelagiam*, & *S. Auguſtinus in Pſal. 88. parte 2. in fine*, hortantur fideles ad ſolemnitates Sanctorum ritè celebrandas. Quare non poſſum non vehementer mirari, nouos ſcrupulos Proteſtantium, plùs ſapientium extrà ſobrietatem, quàm oportet ſapere, dum omnium Sanctorum, etiam Deiparæ Virginis, & Apoſtolorum, clariſsimorumq; Martyrum ſolemnitates penitùs cenſuerint eſſe abrogandas: quamuis in Anglia aliquid in hoc genere reliquerint, ſed valdè parum.

XIV. *Inuocatio ſanctorū licita oſtēditur ex SS. litteris.*

Inuocare Sanctos mortuos idem eſſe, aiunt, quòd multos Deos fingere; nec differre ab Ethnicis moribus inuocationem Sanctorum, & ſtatuarum cultum: quo nomine à nobis abhorrent vehementiſſimè. Nobis verò, ſi locus hic longiores pateretur de Sanctorū inuocatione diſputationes, facilè eſſet, omnes hæreticorum calumnias depellere: Coguntur enim antè omnia, ſi Scripturis ſacris fidem habent, illud admittere, Sanctorum animas apud Deum pro nobis mortalibus, etiam in particulari, intercedere: Et quidem viuos fideles, viuorum iuſtorum precibus apud Deum iuuari eſt notiſſimum: nam Moyſes toties auertit iram Dei à populo Iſraëlitico: & Deus amicis Iob. *cap. 42. 18.* ſuadet, vt ad obtinendam ſtultitiæ remiſſionem, ipſo Iob vtantur deprecatore. Paulus toties ſe orationibus commendat fidelium. *Epheſ. 6. 19. Coloſſ. 4. 3. 1. Theſſal. 5. 25. 2. Theſſal. 3. 1. Heb. 13. 18.* &c. Sed mortuos quoque Sanctos, quorum animæ coram Deo viuunt, & cum Chriſto regnant, pro viuis Eccleſiæ militantis intercedere, diſcere poſſunt, ſi volunt, *Hieremiæ 15. 1. Ezechiel. 14. 14. Apoc. 5. 8. & 8. 3.* In gratiam verò Sanctorum ſuorum iam mortuorum multa Deum viuis concedere, habent in ijſdem ſacris Scripturis *Gen. 26. 4. 5. 24. Exo. 32. 13. 3 Reg. 18. 36. 1. Paralip. 29. 18. 3. Reg. 11. 12. 32. 34 & 15. 4. & 4. Reg. 8. 19. & 19. 34. & 20. 6. & Iſaiæ 37. 35.* Videndi ſunt Commentarij, qui dicuntur Chryſoſtomi *homil. 2. in Pſal. 50.* Faciendos eſſe amicos, de Mammona iniquitatis, monet Chriſtus *Lucæ 16. 9. Vt cum defeceritis*, inquit, *recipiant vos in æterna tabernacula.* Ex hoc Euangelij loco, Sanctorum interceſſioni multum tribuit *S. Auguſtinus de Ciuit. Dei lib. 12. cap. 27.*

XV. *Item ex SS. Patribus.*

Hanc Sanctorum interceſſionem Patres agnoſcunt, admittunt, confirmant. Et ſanè de Angelis, nota eſt ſcala Iacob. 28. 12. nota alia miniſteria *Heb. 1. 14.* Videndus eſt *Origenes contra Celſ. lib. 8.* de Angelis nobis inſeruientibus: & *Auguſtin. epiſt. 122.* Et de Angelo Cuſtode Scripturæ ſatis apertè loquuntur *Gen. 48. 16. Exod. 23. 20. Pſal. 33. 8. Matt. 18. 10. Actorum 12. 15.* Et Patres apertiſſimè: *Greg. Niſſen. de vita Moyſis. Baſilius in Pſal. 33. Hieronymus in Matt. cap. 18.* &c. Si igitur quiſque iuxta ſe habet Angelum Domini, quid obſtat, quominùs illum quiſque in opem aduocet? Audiui ipſe magna cum voluptate in Anglia, vnum ex meis tunc Canonicis Vindiſorienſibus coram Rege concionantem, & pro concione expreſsè aſſerentem, nihil obſtare, quominus quiſque fidelis poſſit ad ſuum Angelum Cuſtodem ſe conuertere, & dicere, *Sancte Angele, Cuſtos, ora pro me.* De Angelorum interceſſione, & miniſterijs ad noſtrum beneficium, videre quiſque poteſt etiam alios Patres, *Antonium Monachorum Parentem epiſt. 2. Ad Arſenoitas. Anaſtaſium Synaitam in Hexem. lib. 5. Antiochum Abb. homil. 61. Chryſoſtomum de incomprehenſ. Dei nat. homil. 3. & homil. in Martyres Aegyptios. Hieronymum epiſt. 1. Cyrillum Alex. apud Anaſtaſium. Nicænum quæſt. 61. Theodoretum ibid. Damaſcenum lib. 1. Paralel. cap. 7. &c.*

XVI. *Idem adſtruitur.*

De interceſſione verò aliorum Sanctorum habemus communem conſenſum Patrum. Vid ndus *Cyprianus lib. de mortalitate. Hieron. aduersùs Vigilantium. Auguſtin. de baptiſmo lib. 5. cap. 17. & lib. 7. cap. 1. & de verb. Apoſt. ſerm. 47. & ſerm. 46. de Sanctis, & lib. 9. Confeſsionum cap. 3. & lib. de cura pro mort. geren. cap. 16. & contrà Fauſtum lib. 20. cap. 21. & in Meditationibus cap. 20. Leo magnus ſerm. de ſancto Laurentio. Gaudentius Brix. ſerm. 17. Gregorius Magnus lib. 7. indict. 2. epiſt. 53. Bernardus in Cantic. ſerm. 77.* Mitto innumerabiles alios poſteriores. Igitur & Scriptura, & Patres, & conſenſus vniuerſalis Eccleſiæ Angelos, & Sanctorum iam defunctorum animas intercedere pro viuis, etiam in particulari, pro certo confirmant. Cur non itaque fidelis quiſq; animos ſumit eos inuocandi, quos certò ſcit, pro nobis in Cœlis orare.

XVII. *Quo ad Virginem Deiparā.*

Inuocationem tamen hanc Angelorum, & Sanctorum, vt ipſi pro nobis orent, & ſint nobiſcum comprecatores, vt loquitur Chryſoſtomus *ſerm in S. Meletium*, non poſſe in dubium vocari, eſt certiſſimum. Ac ſeorſim de Virgine Deipara à nobis inuocanda, vt pro nobis apud Filium intercedat, habemus documenta præclariſſima, *Irenæum lib. 5. cap. 19. Athan. in Euang. de Deipara. Nazianzenum orat. in Cyprian. Baſilium Seleuciæ orat. 1. de Verb. incarnat. Auguſtin. ſerm. 1. de Annunciat. Coſmam Hieroſolymitanum, & Sophronium item Hieroſolymitanum orat. 6. de Angelorum excellentia. Hildefonſum Toletanum*, &c.

XVIII. *Et quo ad alios ſanctos.*

At verò inuocationem aliorum Sanctorum, præter B. Virginem, etiam antiquiſſima Eccleſiæ praxis confirmat, ita vt ad Apoſtolicam pertineat traditionem. Inuocationes enim Sanctorum, in vſu perpetuò fuerunt, & à nemine vnquàm, qui hæreticus habitus non fuerit, reprehenſæ. Longum eſſet, hic Patres, qui aut inuocant Sanctos, aut inuocandos eſſe aſſerunt, recenſere. Præſtiti id aliàs ſatis copiosè. Et hic perpetuus Catholicæ Eccleſiæ mos inuocandi Sanctos, vt orent pro nobis, precibuſque ſuis nobis opem ferant, nunquam reprehenſus fuit; ſed potius contrarius error à S. Hieronymo fuit in Vigilantio damnatus, quam damnationem tota approbauit Eccleſia. Damnandi igitur ſunt iudicio totius Sanctæ Eccleſiæ etiam noſtri noui Vigilantiani. Quorum maxima temeritas eſt, dum in noſtra Sanctorum inuocatione, idololatriæ crimen comminiſcuntur. Neque iſti Vigilantiani quicquam habent, quod inuocationi huic ſolidè poſſint opponere. Eorum obiectiones totas alibi penitùs ſuſtuli. Sanctarum quoque Reliquiarum venerationem, puto me plenè aliàs defendiſſe: quam patentiſſimis miraculis Deus ipſe, vti ſibi gratiſsimam, confirmauit.

XIX. *Illorumq; Imagines.*

Sed in cultu ſacrarum Imaginum apud nos Idololatriam vigere conſtanter aſſerunt Aduerſarij, atque hinc etiam ſeceſsionem ſuam iuſtam eſſe contendunt. Sed hic quoque vaniſsimus eſt eorum prætextus, neque poſſunt hinc ſe à turpi nota fœdiſſimi Schiſmatis liberare. Nam ſiquo nos ſacras Imagines honore proprio veneramur, præter honorem, & cultum, qui propriè prototypo exhibetur, is latriæ honor, & cultus non eſt, nec vera adoratio, quæ ſoli Deo debetur. Cum itaque nos clariſſimè profiteamur, diuinum honorem, cultumque latriæ, neque Sanctis neque ipſorum, aut Reliquijs, aut Imaginibus deberi, cur nobis idololatriam objjciunt? Vſus Imaginum ad ritus Eccleſiaſticos ſpectat: in his verò regulæ cognoſcendi an ſint liciti, & approbandi, tuta, certa, & infallibilis, eſt praxis, & vſus primitiuæ præſertim Eccleſiæ: vt illi omnes





ritus liciti ſint, & boni, quos vel Apoſtoli ipſi, vel Apoſtolici Viri inſtituerunt, aut, ſiue tacitè, ſiue expreſſe, approbarunt. Eccleſiam porrò Chriſtianam, etiam antiquiſſimam, totam, & vniuerſalem, ſummo conſenſu, abſque vlla oppoſitione, aut contradictione, ſtatuas, & imagines ſacras veneratam eſſe, eſt certiſſimum, & probatiſſimum. Teſtimonia vberrima collegit Ioannes Damaſcenus tribus orationibus, quas pro Imaginibus ſcripſit: collegerunt etiam Patres ſeptimæ Synodi generalis: & poſt hos alij ex noſtris recentiores. Quis ergo ſciolus audeat, id damnare, quod Sanctiſſimi, & doctiſſimi Patres laudauerunt, docuerunt, exercuerunt; quod ipſa Eccleſia Catholica ab Apoſtolis edocta perpetuo ſeruauit; quod Deus ipſe frequentibus etiam miraculis confirmauit? An non igitur, iuxta S. Auguſtini dictum *epiſt. 118.* inſolentiſſimi inſanierunt, qui vſum hunc Imaginum, etiam cum ipſarum proprio honore, (modò latriæ, vel duliæ cultus Sanctis ipſis debitus, abſit) non retinent, nec deuote conſeruant, ſed abijciunt?

XX. *Argumēta duo hæreticorum contra Imaginum venerationem ineſficacia.*

Duo potiſſimum contra hanc noſtram ſacrarum Imaginum venerationem vrgent Aduerſarij, quibus contendunt, nos omninò impediri, nè noſtrum Idololatriæ crimen à nobis poſſimus amouere: Et ex his illi ſe in ſuo, tanquàm legitimo, firmant Schiſmate. Alterum eſt diuinum præceptum, nè vllæ formentur Imagines. Alterum non excuſari ab externa vera Idololatria eos, qui etiam verum Deum adorant in ſigno quocumque externo: quod ſit pura creatura. Volunt enim cum Caluino; Vitulum aſſumptum fuiſſe à filijs Iſraël *Exo. 32. 4.* ad verum Deum repræſentandum. Et in hoc potiſſimùm firmat, & fundat ſuum tractatum de Romanæ Eccleſiæ Idololatria Rainoldus Anglus, totus Puritanus. Mihi verò dubium non eſt, neque Aduerſarijs eſſe poteſt, etiam Sanctos antiquiſſimos Patres, & ipſam Eccleſiam Catholicam, nota habuiſſe, & Decalogum legis, & hiſtoriam Vituli: Et nihilominus, citrà omnem difficultatem, omnemq; ſcrupulum, ſacris Imaginibus paſsim vſi ſunt cum veneratione, & honore. Sed neq; hæc diſputatio hunc libellum decet. Erit ſpero mihi aliquandò opportunitas Rainoldi librum de Romanæ Eccleſiæ Idololatria plenè confutandi, quo libro nunc maximè Anglia ſuum defendit Schiſma. Vt verò nunc paucis agam, reuoco eis in memoriam facta Salomonis, qui diuina ſapientia inſtructus, templū ſuum ornauit, nō modò illis Imaginibus, & artis, operibus, quæ Deus ipſe fieri iuſſerat, vt erant Cherubini &c ſed etiā ex ſe addidit tot effigies, & ſculpturas arborū & animaliū; erant boues ænei, erant palmæ, malogranata &c. & Thronū ſuū ornauit leonibus, & leūculis aureis *3. Reg. 10. 19. 20.* &c. Intellexit ergo Salomon, & nobis ſatis explicauit, præceptum Decalogi de non formandis imaginibus vllis, non fuiſſe præceptum perpetuum, neque iuris diuini naturalis (niſi quatenus adorationes latriæ erga imagines vetat) ſed iuris diuini tantummodò poſitiui, temporarium, & conditionatum, vt tunc, & tandiu ſeruetur, quando, & quandiu adſit periculum, nè imago idololatriæ ſit cauſa, vel occaſio. Quia igitur nobis iam probè inſtructis nullum in imaginibus idololatrandi imminet periculum, idcircò prohibitio illa Decalogi, quæ ſimilitudines confici vetat, apud nos locum non habet: ac propterea Iconomachi ſacrarum Imaginum vſum abolentes, eaſque confringentes, & indigne tractantes, ab Eccleſia Catholica, pro peſſimis hæreticis perpetuo habiti ſunt, & inter hoſtes Chriſtianæ Religionis computati.

XXI. *Iſraëlitæ in adoratione vituli Idololatræ fuerunt.*

Filios Iſrael in adoratione Vituli crimen Idololatriæ patraſſe, eſt certiſſimum; ſed vitulum illum, ipſis verum Deum tantummodo repræſentaſſe, nunquam conceſſerim; & falſiſſimum eſt, ac contra verum Sacræ Scripturæ ſenſum, aſſerere, Iſraelitas in illo Vitulo, verum Deum adoraſſe. Adorauerunt Vitulum ipſum aureum quem veri Dei diuinitatem habere turpiſſimè errantes putabant. Hoc ego ex clariſſimis Sacræ Scripturæ locis facilè, vt ſpero, ſuo loco, & tempore conuincam, & Caluini, Rainoldique argutationes diſſoluam, oſtendamque verum Deum in ſignis etiam corporeis poſſe citra omne idololatrandi periculum, completa latria, adorari: vt iam turpiſſimo Angli nitantur errori, dum ſomniant ſe, cum Rainoldi ineptijs, de Catholica Romana Eccleſia, tanquam verè Idololatrica, & propterea ab illis iuſtè abiecta, ac derelicta, triumphare. In noſtro profectò ſacrarum Imaginum vſu, cum & mala circumſtantia, & ſcandalum ordinariè abſit, quia inter Idololatras non viuimus, & quia ſatis inſtructi ſumus, aut eſſe poſſumus, circa legitimam Imaginū venerationem, à vera latria remotiſſimā, propterea licitè poſſumus corā Imagine procumbere, & ſic prototypum, ſi ſit adorabile vera latria etiam vera latria adorare. Sic profectò filij Iſrael adorabāt Deū in nube ad oſtium Tabernaculi, nubē vero non adorabant *Exo. 33. 10.* Ita etiam in igne *2. Paralip. 7. 3.* neque hinc Idololatriæ crimen vllum incurrerunt, dum Deum in ſignis corporeis adorarent. Qui ergo huiuſmodi adorationem, tanquam verè, & propriè de ſe Idololatricam damnant, ne pilum quidem in ſe veri, ac ſolidi Theologi habent. Fruſtra itaque hanc Idololatriam Proteſtantes cauſantur, vt ſuum Schiſma defendant; atque ita primum quidem ſe in hoc quoque aperta hæreſi contaminant, deinde veri manent ſchiſmatici, quia cauſa hinc ipſis legitima nulla ſuberat ſeparationis.

XXII. *[illegible] Eucharistia nullo modo Idololatria.*

Apertiſſimam in ſacroſancta Euchariſtia adoranda Idololatriam, hoc eſt, artholatriam, panis videlicet adorationem, & ſanè adorationem latriæ nobis objjciunt; ſe verò ob hoc etiam à Schiſmate excuſant Aduerſarij: ſed plurimum hallucinantur. Nobis enim præſentia realis, ac corporalis Corporis & Sanguinis Domini noſtri IESV Chriſti in Euchariſtiæ ſacroſāctis myſterijs, eſt certiſſima. Nos Ipſummet Corpus Chriſti, de ſe, ob Vnionem hypoſtaticā, adorabile vera latria, ſub ſpeciebus latēs, adoramus. Sed neq; hæc diſputatio hic locum habere poteſt, Præſentiam hanc realem, & corporalem nos ſupponimus, quæ ſuppoſitio nobis iam fide certa eſt; quia ex Euangelio illam petimus, dicente Chriſto, panem in manibus geſtante: *Hoc eſt corpus meum:* iuxta promiſſionem, quam fecerat dicens *Ioan. 6. 51. Panis, quem ego dabo, caro mea eſt.* Itaque ne ſuſpicari quidem poſſunt Aduerſarij, nos in hac adoratione idololatriæ errori eſſe obnexios; ac proinde excuſationem ſui Schiſmatis hinc nullam poſſunt obtendere; ſed verè, & propriè ſunt non modo ſchiſmatici, ſed etiam hæretici; ideoque ab illis mihi fuit omnino recedendum, ne ijſdem ipſorum erroribus adhærerem.

XXIII. *Nec etiam benedictiones ſalis, aquæ.*

Occultam etiam aliquam nobis appingunt Idololatriam, dum in ſale: aqua, oleo, & ſimilibus, poſt exorciſmos, & benedictiones, ſpiritualem fiduciam collocamus. Hæc illi ſane obtrectandi gratia congerunt, & vt videantur, quoquomodo ſuum Schiſma excuſare. Bene tamen ſciunt, nos in iſtis certam fiduciam non collocare, quaſi putemus, creaturas iſtas, vim aliquam certam, & infallibilem ex noſtris exorciſmis, & benedictionibus accipere. Hæc nos vocamus ſacramentalia, non ſacramenta; vt per ea deuotionem in nobis excitemus: tota verò noſtra fiducia in Deo ſolo eſt, qui Eccleſiæ ſuæ precibus inclinatus, etiam per iſtas creaturas, virtute earundem precum Eccleſiæ, & benedictionum, dona ſua diſtribuit. Maximam partem horum, & ſimilium Rituum, ex traditione Apoſtolica, & per manus ab antiquiſſima accepimus Eccleſia, quam qui ſequitur, errare non poteſt. & qui talia contemnit, & abijcit, tanquam temerarius, & Eccleſiæ hoſtis eſt abijciendus. Olei bene-

dicti vſum ponit Tertullianus *lib. de bap.* Inter materias ſacramentales etiam oleum numerat *Auguſtinus epiſt.* 119. Aquæ baptiſmalis conſecratio, ab immemorabili tempore ſeruatur in Eccleſia; nam & *Cyprianus lib.* 1. *epiſt. vltima*, aquæ, & olei conſecrationis meminit, & vnctionis. Templa ſacra ſi aliqua ratione pollucrentur, exorciſmis, & lotione parietum fuiſſe ſolita reconciliari habemus apud Optatum Mileuitanum *contra Parmenianum lib.* 2. Sanctus Baſilius *lib. de Spir. San. cap.* 27. ex traditione deducit ritum communem liniendi oleo baptizatum. In omnium rerum benedictionibus, & conſecrationibus, ſignum crucis adhiberi ſolitum, docet antiquitas; *Iuſtinus quæſt.* 118. *Nazianzen. orat.* 1. *in Iulianum. & orat. in funere Patris. Chryſoſt. hom.* 53. *in Matthæum. Auguſtinus tract.* 118. *in Ioannem. & ſerm.* 3. *de Annunciat, & ſerm. de Tempore.* 181. *cap.* 3. *Areopagita, & alij.* Sunt fortaſſe apud nos ritus aliqui non adeò antiqui in quibus vtimur rebus benedictis, & conſecratis; ſed quemadmodum Eccleſia primitiua ab Apoſtolis inſtructa, non timuit periculum vllum occultioris Idololatriæ, ſi oleo conſecrato, & ſimilibus vteretur, cur nos nunc timeamus, qui nihil plus rebus his conſecratis tribuimus, quam antiquitas ipſa rebus illis tribuerit? Propter hæc igitur ad ſchiſma conuolare, eſt ſummæ impietatis. Ritus hi boni ſunt plurimi quidem ab Apoſtolis inſtituti, alij vero ex deuotione Eccleſiarum Catholicarum orti, fidei nulla ex parte aduerſi, imo fidei conſentanei; varietas rituum, & ceremoniarum fuit etiam olim in Eccleſijs, ſed non propterea à mutua inter ſe communione illæ recedebant. *Friuolum enim*, ait Sozemen. lib. 7. cap. 19. *& quidem merito iudicarunt, conſuetudinis gratia, à ſe mutuo ſegregari eos, qui in præcipuis religionis capitibus conſentirent.* Friuola ergo, imo temeraria, imo impia fuit Anglorum ſegregatio, qua ſe ipſi ab Eccleſia vera Catholica diuiſerunt, & in apertum ſchiſma, ſine legitima cauſa, proruperunt: quibuſcum communicare in diuinis, eſt in ipſorum iniuſtiſſimum & pernicioſiſſimum ſchiſma, conſentire.

XXIIII. *Anglorũ querimonia vana oſtẽditur.*

De nouis articulis, quibus illi ſuas inſtruunt querimonias, & ſuum Schiſma conantur excuſare, non eſt nunc diſputandum; prolixus nimium eſſem, ſi huc diuerterem: Res alias tractanda. Nunc illud ab ipſis quæro, num putent nouos hos, quos vocant, articulos, eſſe fidei contrarios, an non? Si eſſent fidei contrarij, hæreſes eſſent, & nos hæreticos facerent merito euitandos, & à Catholicarum Eccleſiarum communione ſegregandos. Sed iam probaui nullam in Eccleſia Catholica Romana eſſe hæreſim; &, vel ipſo Sereniſſ. Britanniæ Rege, pluribuſque viris in eo regno doctis fatentibus, Eccleſia Romana in fundamentali fide nullum patitur detrimentum. At iam in ſuperioribus probaui, nullum eſſe verum articulum, qui non ſit fundamentalis, & firma fide credendus. Articulos ergo nullos habet, qui Catholicæ fidei aduerſentur: & cum veræ fidei non ſint contrarij, ſed veram fidem cõtineant, cauſam ſchiſmati dare non poſſunt. Sed nos inquiunt, quia articulos illos reijcimus, Eccleſia Romana ab ſe ſeparat, & diuellit. Ego vero doleo, & lugeo, ipſos, antequam de his, quos nouos vocant, articulis, quicquam ageretur, antequam definirentur, iam fœdiſſimum, & ſane completum Schiſma feciſſe: Cum ſumma ergo vanitate nouos hos articulos poſſunt ſuo ſchiſmati prætexere: effectus enim non poteſt ſuam cauſam præcedere. Eos Schiſma ſine cauſa feciſſe contendo, & hinc eos veros eſſe ſchiſmaticos agnoui, ac propterea etiam ab ipſis receſſi. Illi ipſi tamen articuli euidenter poſſunt ex Scripturis, Traditione, & Patribus demonſtrari; & contrarij ipſorum per eos ſtatuti hæreſum manifeſtarum conuinci, ſi primorum Autorum ſenſus retineatur: vtcumque poſteriores aliqui mitioribus vſi conſilijs, commodas ſoleant in aliquo dogmate afferre explicationes, (quas ego interdum nonnullas audiui) à Catholica ſententia non admodum remotas, quæ pias videntur ferre poſſe ſecum conciliationes. Quis igitur abſque pernicioſo errore, imo, & vera hæreſi, in ſola fide reponat ſalutem, & operum bonorum excludat neceſſitatem; merita noſtra abſolute neget; Iuſtorum gratiam faciat inamiſſibilem, & ipſos impeccabiles? Et qui hos, ac ſimiles contendunt mordicus eſſe articulos fidei, contrarios vero eſſe hæreſes, illi profectò circa res fidei errant, & ſe hæreticos eſſe declarant, & conſequenter merito Catholicis definitionibus inter hæreticos reponuntur. Non igitur vlla hæreſis Eccleſiæ Romanæ, non Idololatria manifeſta, vel occulta, cauſam dare potuerunt Schiſmati Proteſtantium: Sed neque Schiſma eidem Eccleſiæ poſſunt illi obijcere: illa enim Schiſma non fecit, ſed paſſa eſt; ab ea ſe Lutherus, ab ea Caluinus, ipſorumque ſequaces priores ſepararunt, dum Eccleſiæ iudicium contumaciter reiecerunt: Illi Schiſma fecerunt: Illi Chriſti tunicam diuiſerunt: Illi altare, contrà altare erexerunt: Illi Catholicæ veræ Eccleſiæ nuntium remiſerunt.

XXV. *Itẽ altera de reformationis prætextu.*

Cauſam quoque, præter hactenus allatas, & diſcuſſas, neceſſariæ reformationis prætexuerunt. Reformationem ego inter ipſos vix vllam, imo, vt verius dicam, nullam vidi, deformationes multas obſeruaui: Conſcientiæ cura communiter abiecta iacet: nullis, ex adulterijs, ex rapina, & proximi deceptione, ex dolis & fraudibus, ex vſuris (ſi pauciſſimos excipias) ſcrupulis vrgentur, qui confeſſionem auricularem, ieiunia, pœnitentiam, & ſimilia ſacra impie aboleuerunt. Quod ſi inter nos etiam reprehenſibile aliquid in moribus, in actionibus, in regimine, & gubernatione, & ſimilibus, inueniſſent, id non Eccleſiæ, ſed ſingulorum defectus denotat, qui à Catholicis non probantur, ſed reprehenduntur, nec pro his leuioribus teterrimum Schiſma erat conflandum. Stat in Eccleſia Romana ſolidum, inconcuſſum, & ſtabile fundamentum, quod ſi etiam verum eſſet nos *ſuperponere ei lignum, ſtipulam, fænum.* 1. *Cor.* 3. 12. non propterea à ſalute eſſemus excluſi. Proteſtantes vero à fundamento receſſerunt, fundamentum ipſum deſeruerunt, aurum, quod ſuum inaniter iactant, & argentum, & lapides precioſi, *proiecta viliora ſunt alga*, niſi ſuper fundamentum, quod Chriſtus eſt, iſta ſuperædificent. Vnum fundamentum non duo fundamenta; vna Eccleſia, non duæ; vnus Chriſtus non duo; Si Chriſtus nobis eſt fundamentum (quod negare non poſſunt) ipſis certe fundamentum ille nõ eſt. Ipſi alteram Eccleſiam ſtatuerunt à noſtra diuiſam, & ſeparatam: & illa ſanè Eccleſia eſſe non poteſt, quia vna eſt Eccleſia, non duæ: Qui in ea Eccleſia vult eſſe, extrà Eccleſiam veram Chriſti eum eſſe oportet.

XXVI. *M. Antonius deceptum ſe ab Anglis fatetur.*

Deceptum me ab Anglis Proteſtantibus fateor, priuſquam naturam Schiſmatis diligentius conſideraſſem: Mihi enim Schiſma ipſis opponenti, reſpondebant aliqui, per ipſos non ſtare, quominus cum Romana Eccleſia communicent: ſe ad vnionem eſſe paratos: Summum tamen Pontificem nolle, eos in communionem recipere, quos ab ſe anathemate reſecuerit. Excuſatio hæc aliquandiu mihi iuſta, & rationabilis viſa eſt. Poſtquam tamen cœpi ex hoc capite in priuatis diſſertationibus, & publicis concionibus vnionem vrgere, quæ propterea mihi non admodum remota videbatur, dum digitum in vlcus altius inferre tento, ſentio in Anglia non Anglicanam, quam mihi vt modeſtã prædicabant, Confeſſionem, ſed Caluini, & multa Lutheri plane deliramenta regulam eſſe fidei communem. Hoc mihi clarius patuit ex vmbratili quadam Synodo Proteſtantium Dordracena, in qua Caluiniani rigores, ex conſenſu, & concurſu etiam Anglicanæ Sectæ, per ſuos ad illam Synodum Miſſos, fuerunt confirmati: quos rigores Puritanicos, hi Anglicana, vt contendunt, illa Confeſſio in certos





articulos diſpoſita, in ſe nequaquam continet, cur Caluinianis exceſsibus ſuum calculum, nomine Anglicanæ Profeſsionis, adiecerũt? Qui igitur fieri poteſt, vt qui ſe Eccleſiæ Romanæ acerrimos hoſtes profitẽtur, illi credantur cum Eccleſia Romana cupere vnionẽ, & per ipſos non ſtare, quominùs illa fiat? Quomodò Schiſmatis culpam in Romana, ſeu Tridentina Anathemata poſſunt illi conijcere, qui antè ipſa Anathemata, Schiſmate ſe à Catholica Eccleſia diuiſerunt, & ſanè Schiſmate, aliqua ex parte, lõgè peiori, ac fœdiori, quã fuerit Schiſma Luthero autore conflatum, & Caluino incenſore poſteà firmatum: quia Anglia dogmatibus Lutheri, & Caluini initio abſtinuit, neque hæreſim, aut idololatriã (quas ſuo Schiſmati prætexuerunt Lutherani, & Caluiniſtæ) Romanæ Eccleſiæ appinxit, & nihilominus abſque cauſa, nè apparenti quidem, ſchiſmati communi hæreticorum, longè poſteà, manus dedit. Diuiſionem, & ſeparationem factã laudant nunc, & tuentur maxima ex parte Angli, & pro ea dimicant, vnionem refugiunt, abijciunt charitatem, quicquid poſſunt, efficiunt, vt cõcordia nõ ſequatur, & fraternitas non conglutinetur; libentiùſq;, dicunt non pauci, & faciliùs ſe cum Turcis inituros ſocietatẽ, quàm cũ Papiſtis. Hoc nè eſt paratum habere animum ad concordiam? Siccinè verum eſt per ipſos non ſtare, quominus cum Romana Eccleſia communicent? Fieri profectò nullo modo poteſt, vt vnio, quæ mihi facilè ſperari poſſe videbatur, conſequatur, niſi illi prius, & hæreſes omnes, ac hæreticos deteſtentur, & cum Catholica Eccleſia Romana rectè ſentiant, eique perfecta charitate coniungantur.

XXVII. *Gradus defectionis Anglicanæ.*

Henricus Octauus cum ſolo Summo Pontifice fermè negotium habuit, & ipſius primatum hæretico ſpiritu negauit, ſuprematumq; Eccleſiaſticum duntaxat, nonnullis intemperijs agitatus arripuit; in reliquis fidem, & Catholicæ Religionis cultum, rituſq; concernentibus, moderatius ſe geſſit. Sub Eduardo filio puero, & multo magis ſub Eliſabeta, non modò à Summo Pontifice Chriſti Vicario, & ſupremo totius Chriſtiani gregis Paſtore, diſceſſum eſt, ſed etiam diuinus cultus per ſummam vim, atq; iniuriã, Catholicis eſt ereptus, imò & publicis legibus laicis ſuppreſſus. Nunquid verò Synodus legitima prius coacta? Num obiecta contrà Catholicos ſunt diſcuſſa? Num defenſiones ipſorum auditæ? Num erroris alicuius, & impietatis in religione conuicti? Num per Iudicem competentem iudicium eſt peractum? nihil minus. An non adhuc eadem violentia, iniuria eadẽ, eadem impietas perſeuerat? Quantum laborant etiam in Anglia, ij præſertim, qui Religionis ſuæ qualiſcumq; curam aſſumpſerunt, nè Catholicis diuinus, antiquus, pius præſcriptus cultus reſtituatur? Itanè ergo per ipſos non ſtat, quominus Schiſma tollatur Reformationem vrgent? At reformatio quantumuis iuſta, & neceſſaria, ſi fiat cum ſchiſmate, eſt turpiſſima deformatio. Id profectò reformatur, quod idem in ſubſtantia perſeuerat. Manere ergo in Anglia, Religio Catholica, eiuſq; exercitium ſubſtantiale debuiſſet, & ſi quid in ea reformandum fuiſſet, id reformationi legitimæ, ſeruandis ſubijci potuiſſet: ſed alia Religio, priori ſuppreſſa, aut compreſſa, non erat inſtituenda: ità aut iam ſint duæ inter ſe diuerſæ, & pugnantes: nam ſi poſterior eſt alia à priori, non eſt reformata prior, ſed, quantum in ipſis fuit, deſtructa. & alia noua conſtructa. Duæ porro Chriſti religiones eſſe non poſſunt, ſed eſt vnica illa, quæ apud nos eſt, vt oſtendi: ſicut vna eſt Eccleſia, vnum fundamentum, & vnus Chriſtus.

XXVIII. *Reditum ad Eccleſiã Romanã neceſſariũ M. Antonius agnoſcit.*

Cum itaq;, inter cætera mala, me, inueterato Schiſmate circumcinctum eſſe, & ſpem omnem Vnionis abijſſe cernerem, ego ſanè Altari, contra Altare erecto, & à charitate Eccleſiæ diſiuncto, tuta conſcientia aſtare nec poteram, nec debebam. Quarè ad eam me redire conſcientiæ ſtimuli coëgerunt. Ad Sanctiſſimam Romanam Eccleſiam, Dominam ſuam, meam Agar reuerti fuit neceſſe, audita Angeli ipſam increpantis voce, atq; dicentis ei, *Reuertere ad Dominam tuam, & humiliare ſub manu illius. Gen.* 16. 9. Fuga illa mea non potuit mihi, niſi & ignominiam parere, & ruinam. Sub Dominæ meæ manu, me humiliari Deus iubet. Atque in hoc maximè me DEVM SEQVI oportet. Vtinam illi, ad quos ſtultè fugeram, ſtatum ſpiritualium ſuum miſerrimum, non ſolum propter hæreſes, ſed etiam ratione Schiſmatis deploratiſſimũ agnoſcerent: à quo Schiſmate iam oſtendi, eos non poſſe excuſari, quia à vera Chriſti Eccleſia, quæ eſt noſtra Catholica Romana, ſe iniuſtè ſepararunt: & hoc me terruit: Schiſmatici enim à Dei filiatione ſunt excluſi, nam *Deum non habent Patrem*, vt aſſerit Cyprianus lib. de ſimp. Prælat. *qui Eccleſiam* veram *nolunt habere Matrem.* Mortuus eſt Chriſtus, *vt filios Dei, qui diſperſi erant, congregaret in vnum Io.* 11. Mors ergo Chriſti, non ſolum hominum redemptionem, ſed etiam Vnionem Eccleſiæ operabatur, atque operatur. Ante mortem Chriſti, erant filij Dei ſparſi, & diuiſi, aliqui ſub lege Moſaica, alij ſub ſola lege naturæ, inter ſe valdè diſſiti, nullam certam ſimul conſtituentes vniuerſalem congregationem. Iam verò diuina illud voluit Sapientia, & omnes penitus ipſius fideles, ac veri per fidem filij, vnicam per totum mundum conſtituerent Societatem, vnicam, ſub Duce, & Imperatore Chriſto, eiuſque vexillo ſancta, & viuifica Cruce, ijſdemq; ſacramentorum ſignis: & teſſeris, militiã profiterentur. Atque hæc Societas, & Congregatio, inſignis eſt effectus mortis Chriſti, quæ mors effecit, vt diſcordes ſectæ, & innumerabiles viuendi rationes, inter ſe diſſimiles, ac valde contrariæ, in vnitatẽ Chriſtianã coirẽt, per illũ profectò, *qui eſt pax noſtra, & fecit vtraq; vnum.* Et hoc ſanè *per Crucem, Epheſ.* 2. 14. Huc applicat Anaſtaſius Synaita *l.* 3. *Hexẽ.* verba illa Creatoris. *Congregentur aquæ in locum vnum*, id enim ad Eccleſiam ſpectare, ait, ex diuerſis populis, & gentibus, & ſectis, ſub vnitate fidei, congregatam. Propterea & ipſe Chriſtus de ſua Cruce dicebat. *Ioan.* 12. 32. *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Athan. de Incarnat. Verbi Dei, ait, *Exaltatus enim in cruce Dominus, vtroq; extẽſo brachio, vtrũq; populũ Iudaicum, & Gentilem, ad ſe vnum inuitauit, vt vtrumq; amplexando in ſinum ſuum colligeret.* Vnicus vero eſt ſinus intrà brachia Saluatoris.

XIX. *Cur mortem Crucis, non autem alia mortis genera Chriſtus elegerit.*

Nec myſterio carere cenſet ibidem Athanaſius; quòd Chriſtus mortem Crucis elegerit, non detruncationẽ capitis, qua Ioanni Præcurſori vita erepta eſt; non ſectionem corporis, quam Iſaias paſſus eſt: *Vt in morte*, inquit, *ſine mutilatione integrum corpus ſeruaret, & cauſa ſubduceretur ijs, qui Eccleſiam in partes cupiunt diſcindere.* Eratq; tantopere cordi Chriſto Domino hæc Vnitas, vt feruentiſſima oratione, ipſa vltima vitæ ſuæ nocte, à Patre petierit, vt ipſius diſcipulos, & reliquos fideles ab hac Vnitate diſcedere non pateretur. *Ioan* 17. 11. 20. 21. & bis addidit, ſe propterea pro hac Vnitate orare, *Vt credat*, inquit *Mundus, quia tu me miſiſti.* Sed noſtri Aduerſarij nihil hæc conſiderantes, quantum in ipſis eſt, mortem, & Crucem Chriſti, abſq; effectu hoc præſtantiſſimo Vnitatis eſſe volunt: & per diuiſiones, ac ſchiſmata, Iudæis, & Infidelibus anſam præbent obloquendi, & blaſphemandi, Chriſtum, non fuiſſe filiũ Dei, nec à Deo miſſũ, ſiquidẽ ab ipſo cõſtituta Societas nõ conſiſtat, ſed ſubinde in partes diſſoluatur. Eccleſia Chriſti eſt vna domus, & vna familia qui ab hac ſe familia ſubtrahit, qui ex hac domo exit, ille ad familiã Chriſti nõ pertinet, & à ſalute prorſus eſt alienus; ſicut qui intra Arcã nõ erant, in diluuio perierũt, *Gẽ.* 7. A corpore Chriſti, quod eſt ſola Catholica Eccleſia Romana, cum ſibi perfecto nexu adhærentibus, ſe Proteſtantes reſecuerunt: igitur membra Chriſti

non ſunt, ac proindè Caput ipſorum non eſt Chriſtus, neque in eos influit ille Spiritum ſuum, & dona ſua. Sunt itaque membra putrida, & iam reſecta, quia ſua ſponte impiè ſe à Corpore abſciderunt. *Sunt palmites à vite præciſi, nulli vſui, niſi igni apti. Ezech.* 15.3. *Neque poteſt eſſe particeps diuinæ charitatis, qui eſt hoſtis Vnitatis*, ait Auguſtinus *epiſt.* 50.

XXX. *Opera bona ſchiſmatico nõ proſunt.*

Omnium bonorum ſpiritualium, ſi quæ putant ſe poſſidere, iacturam per Schiſma fecerunt: *Si linguis hominũ loquar & Angelorum*, inquit Paulus 1. Cor. 13. 1. *Charitatem autem non habeam, nihil ſum, nihil mihi prodeſt* &c. Ex his Pauli verbis monet ſapienter Auguſtin. *de baptiſmo lib.* 1. *cap.* 9. Nullum opus bonum ſchiſmatico quicquam prodeſſe. Apertè Cyprianus hoc ipſum, nec ſemel expreſſit. *Etſi*, inquit, *lib.* 4. *Epiſt.* 2. *occiſus propter nomen Chriſti poſtmodùm fuerit extra Eccleſiam conſtitutus, & ab Vnitate, atque Charitate diuiſus, coronari in morte non poterit.* Idem inculcat *lib.* 1. *Epiſt.* 1. *& ad Iubaianum, & tract. de ſimp. Prælat. ſeu de Vnit. Eccle & de orat. dominica.* Eumdẽ ſequitur Chryſoſtomus *in epiſt. ad Epheſ. hom.* 11.

XXXI. *Schiſma, quàm graue crimen.*

Quanto verò ſcelere ſe obſtrinxerint, facta dira ſeparatione, cõſiderent, quæſo, ex eo, quòd Schiſma ſit Eccleſiæ ſanctæ deſtructiuum: nam vox Chriſti eſt *Omne Regum in ſe diuiſum deſolabitur. Luc.* 11. 17. & Pauli *Videte, nè dum inuicem mordetis, inuicem conſumamini Gal.* 5. 15. Et hoc ſcelus deſtruendi Eccleſiam, poſſe eſſe illud peccatum in Spiritum Sanctum, quod Chriſtus dixit non remitti, neq; in hoc ſeculo, neq; in futuro *Mat.* 12. 31. probat Ambroſius *lib.* 2. *de pænit. cap.* 4. Sic Meretrix illa peſſima 3. *Reg.* 3. 26. malebat infantem non eſſe, quàm illum ſinu propriæ matris excipi; & contrà eã clamabat, *Nec mihi nec tibi, ſed diuidatur.* Schiſmatici, quantum in ipſis eſt, nè fides integra, & viua in ſinu veræ Matris Eccleſiæ conſeruetur, conantur ipſã diuidere, vt apud neutros viua ſit; ſed nihil obtinẽt: & ſciãt de ipſis dici; *Qui diſſipat ſepẽ, mordebit eũ coluber. Eccl.* 10. 8.

Neque mirum, quòd iam in plures hæreſes inciderint ipſi Angli, & Puritaniſmus apud eos dominetur, licèt Lutheranis, & Caluinianis hęreſibus nondũ eſſent contaminati, cum primum ſchiſma totale fecerunt: Iren. enim *l.* 3. *c.* 40. *& l.* 4. *c.* 43. præclarè docet, diſciſſos ab Eccleſia, ex fonte Spiritus Dei nõ potare, ſed eos fodere ſibi lacus detritos, & in errores fœdiſſimos, contra fidei veritatẽ, delabi. Sic & Cyprianus *l. de ſimpl. Prel.* Eccleſiã Catholicã facit radicẽ, fontẽ, ſolẽ, vt ſicut ramus vitã habet à radice, riuuus aquã à fonte, radius ſplendorem à ſole, ita fidei ſinceritatẽ ex coniunctione cũ Eccleſia Catholica haberi. Qui igitur ab ea ſe præciderunt, fideĩ veritatem non poſſunt haurire, ſed neceſſe eſt, decidant in errores. Sunt enim arbores ſine radice, ſunt riui ſine fonte, & ſunt radij ſine ſole. Vnde paſſim Patres, his & ſimilibus rationibus conuincunt, Schiſma tandem in hæreſim erumpere: qui enim cum Eccleſia Catholica coniunctionem habere detrectat, is ab ea diſcere etiam veritates fidei, quarum theſaurus, & conſeruatrix eſt ipſa ſola, detrectabit. Benè igitur Auguſtinus *cont. Creſcon. lib.* 2. *cap.* 7. definiuit, *Inueteratum ſchiſma, eſſe ipſammet hæreſim.* Et meritò Cyprianus *lib.* 1. *epiſt.* 6. in omni Schiſmate illam ad minimum hæreſim inuenit, quòd per ipſum tollatur articulus, *Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam; & remiſſionem peccatorum*: qui enim credunt Eccleſiam ſanctam Catholicam, eſſe veram Chriſti Eccleſiam, ab ea, ſi ita credunt, diſcedere non poſſunt: quòd ſi diſcedunt, profectò non credunt, Catholicam Eccleſiam, eſſe veram Chriſti Eccleſiã. Sic Aug. *hæreſi* 69. *ad Quod vult Deũ*, ait, Donatiſtas, Schiſma in Hæreſim vertiſſe. Et Ambroſ. *in Orat. de funere fratris* approbans illius factum, qui Luciferianas fugerat Eccleſias, vt ego nunc Anglicanas, ait. *Non putauit fidem eſſe in ſchiſmate: Nam etſi fidem in Deum tenerent, tamen erga Dei Eccleſiam non tenerent, cuius patiebantur velut quoſdam artus diuidi, & membra lacerari. Etenim cum propter Eccleſiam Chriſtus paſſus ſit, & Chriſti Corpus, Eccleſia ſit, non videtur ab iis exhiberi Chriſto fides, à quibus euacuatur eius paſſio, Corpusque diſtrahitur.*

XXXII. *Ex ſchiſmate hæreſes dimanant.*

Fuitnè igitur mihi, cum tanto animæ diſpendio, inter Schiſmaticos, & Hæreticos commorandum? abſit. Acerbo animi dolore angor, quòd tandiu inter ipſos fuerim verſatus, & impia contra Matrem meam, contra Veritatem Catholicam arma ſumpſerim, & tractarim, libroſque de Republica Eccleſiaſtica, hæreſibus plenos, quas penitùs abominor, & deteſtor, conſcripſerim, & in Caſtris infamibus, non ſine perpetua nominis mei infamia, militarim. Tanti me ſceleris profectò & piget, & pudet, Veniamque facinoris à Deo Optimo Maximo, à Chriſto Saluatore noſtro, & ab ipſius in terris ſupremo Vicario Summo Pontifice ſupplex, totuſque venerabundus poſco, & errata mea ſummæ Clementiæ eiuſdem Pontificis plenè ſubiicio: Quippe qui à nemine in terris iudicandus, noſtrum omnium ſupremus Iudex, Vices Chriſti in Eccleſia militanti pleniſſimè gerens, ſedet. Vtque Dominus ipſe, pænitenti ſinum miſericordiæ ſuæ libenter aperit, Ita brachiis Clementiæ ſuæ Sanctitatis, me exceptum iri plurimùm confido. Exemplum Cypriani contrà Stephanum Summum Pontificem, in Eccleſia Catholica reprehenſum admodum, & damnatum, me aliquando in ſcelere, Summo Paſtori obnitendi, confirmabat; nunc verò turpis meis lapſus, meo periculo me docuit, quàm facilè à recto fidei tramite deuient Epiſcopi, qui, vnico polari ſydere contempto, certiſſimum videlicet ac tutiſſimum Romani Pontificis ductum poſthabentes, proprios ignes fatuos ſequuntur ad interitum. Vtinam, quemadmodum diuinus Cyprianus, proprij ſanguinis pro Chriſto effuſione, omnẽ prioris animoſitatis eluit maculam, ità mihi quoque; qui eius lapſum multitudine, & grauitate erratorum, incomparabiliter, ſuperauiſſe videtur & opportunitas, & gratia, ſanguine ipſo fæditates meas diluendi, & Veritates atteſtandi Catholicas: quas, vbi atramentum me deficeret, ſanguine ipſo, in laudem, & honorem Dei, Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ exaltationem, & Sedis Apoſtolicæ decus, & ornamentum, obſignare, Deo opitulante, ſum paratiſsimus Adſit Deus.

XXXIII *M. Antoniũ pænitet de lapſu ſuo, & libros à ſe ipſo conſcriptos deteſtatur.*

*Romæ die* 24. *Nouembris* 1622.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſ. P. Magiſtro Sac Pal. Apoſtolici.

A. Epiſc. Hieracen. Viceſg.

Imprimatur. F. Nicolaus Rodulfius Ord. Præd. S. A. Pal. Magiſter.

Hæc Marcus Antonius, ad Eccleſiã Romanã redux fatebatur: non infelix, ſi paulò pòſt ad vomitum non rediſſet, & propter relapſum in hæreſim, iuſtas piæ Matris in ſe vindicias non prouocaſſet. Recidit in priſtinos errores, & Eccleſiæ indulgentiſſimæ in ſe Matri, multis modis illudere voluit: quorum omnium conuictus, & reus peractus, quamquam in extremo vitæ termino, hæreſim iterum eiuraſſet, damnaſſet, ſignaque pænitentis, & contriti cordis coram teſtibus, in carcere Angelicæ arcis, in quam compactus deceſſit, oſtendiſſet, pænas dedit, iudicio S. R. E. Cardinaliũ Inquiſitorũ in eum inſtituto, ſentẽtia ex ſcripto corã defũcti imagine, ad diẽ XXI. Decẽb. 1624. in templo FF. Prædicatorum S. Mariæ ſuper Mineruam nuncupato, pronunciata, pòſt mortem exhumatus, & in acie campi Floræ exuſtus.

XI. *IdẽM. Antonius inconſtãs, in priſtinos errores relapſus cõburitur.*

Sed operæ pretiũ me facturũ arbitror, caſus prædicti Marci Antonii, omnibus, vt ſuſpicor, noti, ordinẽ, ac totius rei ſeriẽ, quæ paucis cõſtat, paulò fuſiùs proſequi, cũ eã publicè innoteſcere, vtile cenſeã, & Apoſtolicæ Sedis admirãda inde Clemẽtia, iuſtiſsimaq; ſimul iudicia inſigniter eluceãt: ex quibus & bonos in virtute, ac pietate cõfirmãdos, & malos ab impietate, &

XII. *Fuſior totius rei, & proceſſus narratio.*





ſcelere deterrendos eſſe confido. Nec deſpero, pari cum eo contagione infectos, qui ſedatis parumper animis, illius proteruiam, ac veſaniam, atque Eccleſiæ æquitatem, ac patientiam intueri voluerint, poſſe ſanari. Quod Deus porrò ſi dederit, ſummis erit nobis eius prouidentia extollenda præconijs, *quod de malis benefacere, quam non hæc mala permittere maluerit.* Qua fiducia fretus, eò alacriùs hæc memoriæ commendanda ſuſcipio, quò rei ſcribendæ veritas à metam pleuè cognita, vt pleniùs ferè à nullo, reſpondentem votis euentum ex hoc paruo labore expectari poſſe mihi facilè perſuadet.

*S. Auguſt. Enc. c.* 27.

XIII. *Quo Anno defecit M. Antonius.*

Annus erat humanæ redemptionis Sexagesimus decimus ſextus ſuprà milleſimum, cùm Marcus Antonius prædictus, profectionis, immò verius defectionis, longo antè tempore conceptum animo, agitatumque conſilium opere complens, natali ſolo relicto, & Catholica Fide, Romanaque Eccleſia, *omnium, qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu* amantiſſima matre, ac veraciſſima magiſtra deſerta, in Britanniam ſeceſſit, ibique *appetens vocari ab omnibus Rabbi*, priuatis colloquijs, publiciſque concionibus, ac typis datis, de conſilio ſuæ profectionis in Angliam, ac de Republica Eccleſiaſtica libris, eandem Romanam Eccleſiam, tam temerè laceſſiuit, tamque impiè blaſphemauit, atque in alijs multis à Catholicorum ſenſu, tam longè aberrauit; vt, & libri tamquàm hæretici fuerint meritiſſimò damnati, atque ipſe ad ſe intrà ſex menſes coràm ſacra Congregatione vniuerſalis Inquiſitionis ſiſtendum, & purgandum vocatus. Sed qui omnem pudorem, ac reuerentiam abiecerat, parere contempſit; immò, *Obdurato corde, & Spiritu obfirmato ad ſuperbiam nouis*, & peſtilentibus quibuſdam alio atque alio idiomate ſcriptis opuſculis, modò ſuo, modò ſuppoſito, modò omnĩ prorſus tacito nomine (quæ tamen omnia eius eſſe conſtabat) in ſcænam frequenter prodibat, ſummi Pontificis authoritatem, ac præcipua fidei Catholicæ dogmata mordaciſſimè, ac mendaciſſimè proſcindens. Quapropter ſeruatis, quæ erant iure ſeruanda, laudatiſſimæ memoriæ, Paulus Papa Quintus, eum hereticum, excommunicatum, quibuſcunque dignitatibus beneficijs, atq; officijs exutum, atque in omnes alias pænas, quæ à Sacris Canonibus præſcribuntur, incidiſſe pronunciauit.

*Ad Tim.* 3.

*Math.* 23.

XIV. *Reſipiſcere ſimulat.*

In hoc perditiſsimo ſtatu cum aliquot annos perſeueraſſet, aliquando tandem reſipuit, ſeu potius, vt exitus oſtendere viſus eſt, reſipuiſſe ſimulauit. Vt enim ex piorum quorundam relatione primum, & poſtmodum ex ipſiuſmet Marci Antonij litteris, fel. rec. Gregorius Papa Decimus Quintus accepit, tanquàm, In ſe reuerſus, ad matrem ſuam Eccleſiam Romanam ſuſpirabat, veniamque erratorum precabatur. Quarè optimus Pontifex, cui nihil potius erat, quàm vt *recederet impius ab impietate ſua, & ad Dominum conuerteretur, & viueret*, *miſericordia motus*, *ad vocem clamoris eius ſtatim reſpondit*, *atque omnium iniquitatum eius non recordatus*, ipſum mox aduenientem Romam, quaſi *Inueniſſet ouem, quæ perierat, ac dragmam, quam perdiderat, Aut Filius, qui mortuus erat, reuixiſſet*, lætiſsimè, benigniſsimeque excepit, ac liberaliſsime habuit. Vt enim ait S. Leo. DOMINVS *noſter bonus, & verus paſtor, qui animam ſuam poſuit pro ouibus ſuis & qui venit animas hominum ſaluare, non perdere. Imitatores non vult eſſe ſuæ pietatis, vt peccantes quidem iuſtitia coerceat, conuerſos autem miſericordia non repellat. Tunc enim demum fructuoſiſsimè fides vera defenditur, quando etiam à Sectatoribus ſuis opinio falſa damnatur* Igitur cum vere conuerſus ſperaretur redux Archiepiſcopus, abiuratis priuatim hæreſibus, cunctiſque erroribus, quos ſequutus fuerat, ac verbo, ſcriptoque docuerat, cæteriſque omnibus doctrinæ ab Eccleſia Romana receptæ contrarijs, demo, commeatu, pecunia, alijſque ipſi, ac familiæ, pro honeſtiſsimo Archiepiſcopi ſtatu in ſingulos annos neceſſarijs, ac inſuper opulenta Eccleſiaſtica penſione, adeò largè, effuſeque donatus eſt, vt non nulli, qui *plurimis annis communi parenti ſeruierant, & nunquàm mandata eius præterierant, tantam munificentiam in eum, qui profectus in regionem longinquam, diſſipauerat ſubſtantiam ſuam, propè indignabundi conſpexerint.* His corporis commodis ad dignitates atque honores pleniſsima redintegratio acceſsit, ità vt in cultu, ac dignitatis inſignibus, in ſeſsionibus, atque in cæteris omnibus, perinde, ac ſi gradu nunquàm excidiſſet, tractatus deinceps fuerit. *Sed homo cum in honore eſſet, non intellexit. Mox enim vt honorificatus fuit, & exaltatus* nulla amplius humilitatis, nulla pænitentiæ, nulla verecundiæ ſigna dedit. immo veluti ad agendum triumphum vocatus, non ad miſericordiam receptus fuiſſet, in inceſſu, in ſupercilio, in colloquijs, tantam elationem animi præferebat, vt veriſsimè dictum appareret. *Multos bonitate Principum, & honore in eos collato, abuti in ſuperbiam* Cumque omnibus ſtomachum moueret, & Chriſtiana nihilominus charitate ab omnibus perferretur, atque adeo honoraretur. In tantum fuit arrogantiæ tumorem ſublatus, vt cum Cardinali Barberino, qui ad Summum Pontificatum euectus, nunc Eccleſiam Dei feliciſsime regit, gratulationes, atque honores ſibi à Purpuratis, cæteriſque optimatibus exhibitos, glorioſe, ac magnificè aliquando iactaret, Cardinalis, in quo erat cum Spiritu Domini libertas, quo hominem ab exterioribus ad interiora contemplanda conuerteret, acutiſsime pariter, ac religioſiſsime reſponderit. Mirandum non eſſe, cum non ſolùm Angelis in cælo, ſed etiam hominibus in terra gaudium ſit ſuper peccatore pænitentiam agente Interim Gregorius XV. vita functo, dum ab Vrbano Octauo eius ſucceſſore pari pietate, ac munificentia, neceſſaria, tùm ad victum, tum ad dignitatis gradum Marco Antonio ſuppeditantur; En talia de eo audita ſunt, perperam dicta, & facta, vt impleri viſum ſit vaticinium illud; *Miſereamur impio, & non diſcet iuſtitiam*, ac prætereà veluti ingratiſſimo obijci potuerit. *Qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem.* Etenim obductæ magis, quam eductæ, aut certè *Bono ſemine tanquàm tacto ſecus viam, à diabolo ſublato*, & ad animum reductæ hæreſes, valida in eo rurſus germina emittere cæperunt. Alijs quippe, atque alijs de religione colloquendi opportunitatibus arreptis, à ſe damnatos, atque abiuratos errores inſuſurrare non verebatur; commemorans, collaudanſque, quandam à ſe inter Catholicos, atque hæreticos iam ſæpe decantatam concordiam, ſi qua, ſcilicet, *ſocietas luci ad tenebras, ſi qua conuentio Chriſti ad Belial. eſſe poſsit.* Hæc religioſi quidam, alijque prudentiſſimi, ac pijſſimi viri cum accepiſſent, cum amanter, diligenterque non ſemel admonuerunt, vt memor *Eductum ſe de lacu miſeriæ, & de luto fæcis*, errata quæ ſemel abiecerat, atque anathematizauerat, ad eum tantum finem reminiſceretur, vt fonte lachrymarum eliceret, ac deleret, ac ſcriptis vberius, impenſiuſque, quam feciſſet, reſpueret, & confutaret, quemadmodum promiſerat, & ſe obſtrixerat in commentario De reditus ſui Conſilio, hortatique ſunt, vt tandem, ommiſſa abominandæ vnionis mentione ſolùm curaret, ſi qua via, & ope

*Luc.* 15.

*Eccl.* 17.

*Ezech.* 33.

*Iſai.* 30.

*Ezech.* 18.

*Luc.* 15.

*S. Leo epiſt.* 12.

*Luc.* 15.

*Pſal.* 48.

*Pſal.* 36.

*Superbus ſimul, & impudens.*

*Eſther.* 6.

*2. Cor.* 13.

*Luc* 15.

*Iſa.* 26.

*Pſal.* 40.

*Math* 13.

*Luc.* 8.

2. Cor. 6.

poſſet ſynceram hæreticorum ad lucem Catholicæ fidei conuerſionem, hac ratione pro ſua virili parte. te. *Solicitus ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis.* Verùm nihilo magis à ſerendis ſermonibus pernicioſis abſtinuit; quin, veluti factus communitionibus nequior, eò amentiæ deuenit, vt maxima cum Audientium offenſione contrà Conciliorum, præcipuè verò Tridentini authoritatem, illiuſque circà fidem, definitiones, verba euomeret; quæ aut nouæ defectionis, aut nunquàm depoſitæ pertinaciæ manifeſtiſſima erant argumenta. His ad ſacrum vniuerſalis Inquiſitionis auditorium delatis, cùm iam ſatis conſtaret, ipſum renuiſſe accipere diſciplinam, *induraſſe faciem ſuam, & noluiſſe reuerti, atque futurum, ſicut heri & hodiè, ſic & cras, & multò amplius* nihil aliud agere fas fuit, niſi filium *contumacem, & proteruum, qui non audierit patris, ac matris imperium, & coercitus obedire contempſerit, apprehendere, & ducere ad ſeniores ciuitatis, & ad portam Iudicij.* nè alioquin in facie Romanæ Eccleſiæ, & in conſpectu ſummi Pontificis expoſita, & quoddam modo in eius ſinu ex impuro pectore effuſa, atque eiecta venena, ſuſcepta, confecta, quin etiam illius iuſſu in publicum prolata Hæretici more ſuo calumniarentur, & qui tamquàm, *Aſſertor veritatis, fidei defenſor, ac doctor gentium* in omnes grauiter animaduertere tenetur, qui verbis, vel ſcriptis impietatem docere præſumunt, Epiſcopo falſæ doctrinæ ſemen palàm diffundenti, vel Catholicis ipſis conniuere videretur.

*In propoſito ſuo pertinax.*

*Ier. 53.*

*Deuteron. 21.*

*S. Bernar. di conſideratione l. 4 c. 11.*

XV. *Fugam meditans capitur, & in carcerem ponitur honorificè.*

Quamobrèm circa denunciata, receptis ſecundùm iuris ſanctiones, iiſque grauiſſimis teſtibus, nè nouum in Eccleſia Dei ſcandalum tandèm erumperet, & nouiſſima fierent peiora prioribus, præſertim quòd ipſe, ſciue ſtimulante conſcientia, ſciue qua alia cauſa moliri fugam, perque repetendæ patriæ nomen, vaſa colligere diceretur, nequaquàm viſum eſt, vltrà cunctandum. Quarè comprehenſus fuit, ac traditus in cuſtodiam, non illam quidem Hæreticorum conſuetam (habita eſt enim ratio ſacræ dignitatis) ſed qualis primariorum hominum eſſe ſolet; nempè intrà molem Adriani, ipſamque adeò laxam vt non nulli ex eius Domeſticis, ad conſueta & ſeruitia præſtanda admiſſi ſemper fuerint. In cuſtodia autem exiſtenti, quæ ſeu in pecunia, ſeu in alijs rebus quibuſcunque anteà præbebantur, ſine vlla diminutione fuerunt perpetuò ſubminiſtrata; nonnulliſque eius, qui tunc erãt in Vrbe, cõſanguineis, paria beneuolentiæ, ac liberalitatis ſigna exhibita fuerunt, pecunijs, & alijs rebus, quibus egebant, non parcè ſuppeditatis, eandemque benignitatem, illo mortuo, experti ſunt, cum alijs, atque alijs rationibus, tàm marium, quàm fæminarum clementiſſimus Pontifex indigentijs ſubuenerit, hac planè charitate oſtendens, ſe impietatem hominis, non humanitatem odio habuiſſe.

XVI. *In eius ſcripturis plures hæreſes cõtinentur.*

In cuſtodiam hoc modo Marco Antonio dato, eiuſque ſcripturis de more ſedulò perquiſitis, vna in ijs reperta eſt, De Matrimonij Sacramento, in qua complures hæreticæ propoſitiones continebantur. Cùmque ad inquiſionem proſequenda, totamque cauſam cognoſcendam ſummus Pontifex F. Deſiderium Scaleam ex Ord. Prædicatorum, Cardinalem de Cremona nuncupatum vnum ex Generalibus Inquiſitoribus delegaſſet, fuerunt ab eo, antè omnia recepti alii peridonei, omniq; oppoſitione ſuperiores teſtes, ac mox ipſe Marcus Antonius iudiciali ſeruato, ſæpiùs conſtitutus, qui infrà ſcripta, manifeſta hæretica axiomata, quorum pleraque manifeſtè abiurauerat, confeſſus eſt, adijciens preterea, ſe tunc quoq, ea tenere, videlicet.

In ea ſententia iam diù fuiſſe, ac etiam nunc eſſe, vt inter Romanam Eccleſiam, atque Hæreticos proteſtantes vnio, & concordia fieret; qua conſentientibus in vniuerſis articulis (quos fundamentales appellabat) ſcilicet Trinitatis, Incarnationis, Diuinitatis, Paſſionis, & Reſurrectionis IESV Chriſti, in reliquis, vt neceſſitate, & merito operum, Sanctorum inuocatione, Imaginum, ac Reliquiarum cultu, Indulgentijs, Sacramentorum proprietate, ac numero, Trãſubſtantiatione, Primatu Petri, Prædeſtinatione, Clauium poteſtate, controuerſiarum Iudice, Purgatorio, ac cæteris apud Catholicos declaratis de Fide, vel tanquam Hæreticis à Concilio Tridẽtino damnatis, Proteſtantes abundare in cenſu ſuo permitterentur, quouſque ſaltem pleniùs examinarentur; cùm diſputari, ac dubitari poſſe diceret, ſintnè ſatis à Concilio Tridentino diſcuſsi, ac definiti, eaque re, opportuniſſimum ſibi videri, vt Eccleſia Romana non nihil de ſua ſeueritate, circa ſupra dictos articulos, vt per Concilium deciſos remitteret, nouæ illos diſceptationi inter Catholicos, & Hæreticos ad id potiſsimum ab vtraque parte delectos ſubijciendo. Id, quod fieri propterea poſſe aiebat, quòd firmiſsimè opinabatur, Concilia, & præcipue Tridentinum, declaraſſe multa de fide; quæ ad Fidem minimè pertinent, vt de Iuſtificatione, de Gratia, quòd ſit qualitas inhærens; de efficientia Sacramentorum ex opere operato, & alijs multis; quodque credebat, articulos à ſe fundamentales vocatos, dumtaxat neceſſarios eſſe ad ſalutem, non item alios paulò antè memoratos; quique illos abnegat, non eſſe membrum ab Eccleſia reciſum, ſed viuum, eique in Fide, & Charitate coniunctum.

XVII. *Illas oretenus confitetur.*

XVIII. *Eaſdem ſanguine confirmare velle gloriatur.*

Adeòque ſibi ipſe in harum adiuuentionum nequitia placebat, vt aſſerere non erubuerit, eodem ſe tunc illius infandæ, atq; execrabilis concordiæ in eſſentialibus Fidei, ac libertatis, in cæteris tanquàm indifferentibus, deſiderio teneri, quo tenebatur, cum ſuæ profectionis in Angliam conſilium illo opuſculo promulgauit, idque etiam nunc itàfixum in animo manere, vt pro illa vitam profuſurus eſſet. En ergo Marcus Antonius, ad nos corpore reuerſus, idem corde, qui erat à nobis auerſus. En ipſe ex ea peſte, qua ad hoſtes declinans erat infectus, ad ſuos reclinans minimè refectus. *Verè etenim inclinauit ex hoc in hoc, verum, tamen fæx eius non eſt exinanita.* Quid autem mirum, ſi, qui tam pertinaciter. *Didicerat malum, mutare non potuerit: velut Æthiops pellem ſuam, aut velut pardus varietates ſuas?* voluiſſet iſte miſer, De Dominis, *duobus Dominis ſeruire*, non intelligens infælix, *Neminem poſſe Deo ſeruire, & Mammonæ; vnum enim ſuſtinebit, & alterum contemnet.*

*Pſal. 74.*

*Ierem. 13.*

*Math. 6.*

XIX. *Eiuſdem errores recenſentur.*

Quarè cum illum ſuſtinere ſtuduerit, quem contemni oportebat, meritò ipſe eſt contemptus ab eo, quem ſuſtinere debebat, honoremque amiſit propter ſacrilegium illud concordiæ vinculum, quod tam ardenter adamauit, vt pro eo vitam amittere tàm impiè concupierit.

De ea concordia præter illa, quæ in ſeptimo ſuo libro, de Republica Eccleſiaſtica, impreſſo Hanoniæ, anno 1622. etiam pro Caſſandri ſententia latiſsimè ſcribit, dixit quoq; ſe, dum ageret in Britannia, concinnaſſe Tractatum, & quæ in illo Hæreticis conceſſiſſet, concedi poſſe, & tunc etiam ſe corde retinere aiebat, atque ad illa tuenda ſe promptum, atque idoneum iactabat, eorumq; non nulla prorſus hæretica expreſsit, nempè Concilij Tridentini Anathemata, non eſſe deciſiones Fidei, ſed præcepta quædam poſitiua, ad retinendam doctrinam apud Theologos in ſcholis tunc frequentiorem; & proindè poſſe, ac debere ab Eccleſia relaxari, rectèq; facturum Pontificem, ſi multis in rebus Hæreticis Proteſtantibus





indulgeret, & condeſcenderet; vt in moderatione ſui primatus, quem Canonici iuris, non diuini eſſe affirmabat; in approbatione liturgiæ Anglicæ, quamuis in ea tranſubſtantiatio negetur, ac reijciatur, in permittenda rursùs conciliari diſputatione ſupraſcriptorũ, qui controuertuntur articulorum, quos in dicto Tractatu pertinaciſſimè, atque impudentiſſimè dictatat, nemini vnquàm ſe conceſſurum, neceſſarios eſſe ad ſalutem, ac denique in aſſenſu plurimis erroribus præſtando, vt ad effectum perduceretur deteſtabilis illa, ac peſtifera concordia, quam ſine vlla prorsùs erroris labe fieri poſſe cõſtanter aſſerebat. quoniã poſita illa, vt vocabat, fũdamẽtali fide, nullos alios, vt hæreticos per Eccleſiã damnari poſſe ſentiebat, cùm liberum eſſe cuiq; diceret, illos aſſerere, vel negare; Indeque inferebat, & Hæreticos in Concilio Trident. non fuiſſe condemnatos, propterea quòd hæreſim docerent; ſed quòd hæreſis Eccleſiam Romanam inſimularent, in ijs, in quibus, dummodò alter alterum non damnet, eſt credendi libertas, & Proteſtantes, quamuis Tranſubſtantiationem, Purgatorium, Imaginum venerationem, aliaq; fidei ſubſtantiam non reſpicientia, reijciant, veram tamen Fidem, veramq; Eccleſiam habere, Eccleſiaſq; Romanam, & Anglicanam, quia in fundamentalibus non diſcrepant, ambas Catholicas, immò vnam, eandemq; Eccleſiam eſſe, ac ſine ſalutis diſpendio, licere ab vna, ad aliam tranſire, atque inter eas communionem, ac Religionis vnitatem eſſe poſſe, rituum, atq; in cæteris articulis non eſſentialibus opinionum varietate, quæ mutuò eſt toleranda, nequaquàm impediente.

XX. *Et Declarantur hæreſes, & propoſitiones hæreticæ.*

Hæc autem omnia muniebat, firmabatq; fidei quadam à ſe excogitata, ſeu potiùs ab Hæreticis deſumpta regula. Totam enim, ac omninò adæquatam regulam aſſeuerabat, eſſe *Sacram ſcripturam, claram, atq; expreſſam* eaque deficiente; Traditionem minimè dubiam; ac nihil propterea homini Chriſtiano Fide diuina eſſe credendum, quod non expreſſum in ſacra ſcriptura, abſq; vlla obſcuritate, & Catholicarum explicationum varietate reperiatur, vel quod ab Apoſtolis, Apoſtoliciſque viris (omni ſublata ambiguitate,) Eccleſiæ traditum non fuerit; extra quam regulam, omnia eſſe in libera cuiuſq; opinione poſita: Ac nominatim non eſſe de Fide cenſebat, generale Concilium ſimul cum ſummo Pontifice poteſtatem habere, controuerſias Fidei dirimendi. In illa verò de Matrimonij Sacramento ſcriptura, quam pòſt reditum, atq; abiurationem, edidiſſe, & ſua manu conſcripſiſſe faſſus eſt, ſequentes aſſertiones hæreticas, vel erroneas, vt perfectè Catholicas, ſe defenſurum conteſtabatur. Matrimonij ſcilicet rati, & conſumati nexum, ob adulterium, ac alijs etiam cauſis diſſolui poſſe; Conciliumq; Tridentinum ea ſuper re, nihil aliud decreuiſſe, niſi erroneum, aut hæreticum non eſſe, aſſerere, quòd diſſolui non poſſit; ac proindè vt probabile, atq; in libera hominum opinione relinqui: immò, & ſæculi Principes certis de cauſis leges ferre poſſe, quibus rati, & conſumati matrimonij fœdus diſſoluatur. Quos omnes errores Hæreticorum argumentationibus, ac deprauatis expoſitionibus ſcripturarum, Canonum, Conciliorum, ac Patrum, ab ijſdem Hæreticis depromptis, comprobare nitebatur. Cùm itaq; hæc, & alia his ſimilia (quæ ſingula recenſere longum eſſet) ſe dixiſſe, ac tenere reſpondiſſet, cenſuit ſacra Cardinalium Generalium Inquiſitorum Congregatio, adhibendos eſſe in Conſilium, Theologicarum propoſitionum Cenſores, qui coràm Cardinali Cremonenſi congregati, ſumma fide, ac maturitate, rem examinarunt, atq; vnanimi conſenſu, propoſitiones hæreticas eſſe dixerunt.

XXI.

Neq; enim obſcura res erat. Tali enim fundamentalium, & non fundamentalium articulorum diuiſione, Eccleſiæ ſanctæ fundamenta penitus euertebat: dumque temerario auſu, nouam quandam Chriſto, *tunicam non ex lino, & lana,* ſed ex errorum varietate contexere molitur, inconſutilem illam, quam ipſi crucifixores permiſſi non erant ſcindere, impiè lacerabat. Quapropter non ſolùm hæreſim, ſed hæreſum peſſimam, aliarumq; omniũ ſeminarium inferebat. Quidquid vnquàm ſummi Pontifices, quidquid Concilia, quidquid Eccleſia Dei, doctore, & ductore Spiritu Sancto, docuerat, immò tota penè orthodoxa doctrina humanarum opinionum caligini, ac delirantium mortalium ludibrijs obijciebatur. Quid enim ſolidum, ac firmum reſtabat, cum authoritatem Cõcilijs, cum Apoſtolicæ Sedi controuerſiarum iudicium abrogabat? Nonnè Lutheranis pariter, & Caluinianis, alijſq; recentibus hæreticis diſsipata ſæpè, vndiq; peruius ad vineam Domini demoliendam auditus pandebatur? Nonnè antiquorum ſæculorum, *Feri ſingulares*, cæterique immanes *Apri de ſylua Tartari* ad eandem depaſcendam reducebantur? *Quis verò ignorat, articulorum Fidei* quamuis ratione rei creditæ, alius alio præſtantior, ac prior ſit, eadẽ tñ Fidei firmitate, atq; cõſtãtia, oẽs tenẽdos, oẽs ad ſalutẽ neceſſarios eſſe, cum ab eodem reuelante Deo, Eccleſia iudice, æquè credendi nobis tradantur? Ratio enim formalis, propter quam aſſentimur, diuina authoritas eſt, quæ cum in omnibus reperiatur ab Eccleſia ritè propoſitis, fieri nullo modo poteſt, vt quis Fide diuina, vnum aliquem articulorum credat, ſi alium quemuis reiecerit. Quarè hic optimè dicitur: Quicunque offendit in vno, factus eſt omnium reus. ex quo fit, vt nulla relinquatur libertas, eorum aliquos non credendi, ſiue immutandi, vel vt Hæreticis condeſcendatur, aliquo modo remittendi, aut ſaltem (quod Nouator hic volebat) nouo examini tanquàm de re nondum iudicata, & conſtituta quæſtio inſtitueretur ſubijciendi. Quam ob cauſam S. Baſilius, roganti Imperatoris Valentis Præfecto, vt tempori pareret, & nè tot Eccleſias propter paruam dogmatum ſubtilitatem vexari pateretur, meritò reſpondit: *Qui diuinis innutriti ſunt eloquiis, corrumpere de diuinis dogmatibus, nec vnam quidem ſyllabam patiuntur, ſed pro his ſi contingat, omnis etiam mortis ſpecies amplectuntur.* Et Gelaſius in Epiſtola ad Euphemianum, petente quodam heretico, vt ſibi condeſcenderet, id eſt, aliquid de religione Catholica, pacis gratia, remitteret, eleganter eius petitionem irriſit: *Cùm autem* (inquit) *dicis condeſcendere nos debere vobiſcum, interim iam vos, aut deſcendere, aut deſcendiſſe monſtratis. Vnde (quæſo) vel quò iſta deſcenſio eſt? Vbique ex ſuperiori quodam loco, ad inferiora, quæque depoſitas à Catholica, Apoſtolicaque communione, ad hereticam, damnatamque prolapſos vos videtis, cognoſcitis, non negatis, & non ſolùm vos infimis iacere delectat, ſed etiam in ſuperiore manentes ſede vultis impelli. Condeſcendere nos vobiſcum inuitatis ad Ima de ſummis; nos coaſcendere vos nobiſcum rogamus ad ſumma de Imis.* Ita verò hæc veritas Marcum Antonium non latebat, vt contrarium errorem paulò antè ipſemet clariſsimè refutaſſet: in illo enim opuſculo, quo ſui reditus ex Anglia conſilium expoſuit pagina 18. hanc ipſam quæſtionem tractat, ac definit his verbis. *Dicent fortaſſe* (Proteſtãtes) *in fundamẽtali Fide, Romanam Eccleſiam non errare, (quod ego quoque aliquandò præſertim verò in conſilio profectionis, & concione Londini habita docere viſus ſum) errare tamen, & in hæreſim prolapſam, in alijs articulis Fidei, qui non ſint fundamentales. Atqui ego primùm neſcio, qui ſit articulus veræ Fidei, qui non ſit fundamentalis. Neque enim vnquàm aut ego capere, aut illi mihi explicare potuerunt, quomodò inter articulos Fidei illa admitti debeat diſtinctio, vt aliqui ſint fundamentales, alij ſecus. Ego ſanè ſemper omnes, & ſolos articulos, qui verè ſint articuli Fidei, fundamentales cenſui. Erraui tamen, vbi à fundamentalibus, & conſequenter omnes fundamentales à veris articulis multos excluſi, qui & veri ſunt articuli Fidei, neque vllo modo ſine hæreſi abnegandi vtcunq, non ſint ex illis primis de Trinitate Incarnatione, Neceſsitate Gratiæ, Baptiſmo in nomine Trinitatis eſſe. vt ſunt Sacramenta, Iuſtificatio, Operum neceſsitas, merita Indulgentiæ, & reliqua, quæ ſuperius vt iam in Eccleſia definita*

*Deuteron. 22.*

*Omnibus Fidei articulis, eadẽ Fide credendum.*

*Pſal. 79.*

*Theodoret li. 4. c. 17. Hiſtoriarũ Eccleſiaſt.*

*cõmemoraui, quia non minus ad fidẽ pertinent, quàm illa. ſi quidẽ qui Deum fallacem putat eſſe in vno articulo quocunque, is fallacem neceſſe eſt ipſum agnoſcat in reliquis omnibus.* Commemorauerat autem ſuprà pagina 11. & 12. implicitam Fidem, vnitatem Eccleſiæ ab vno capite viſibili Romano Pontifice Chriſti in terris Vicario, Miſſæ verũ ſacrificium, & ceremonias, tranſubſtantiationem, Confeſſionem auricularem, cum Sacramentali abſolutione, Purgatorium, Sanctorum inuocationem, imaginum ſacrarum, & Reliquiarum cultum, aliaque, quorum contrarias aſſertiones quas antè tenuerat, ac dogmatizauerat, deteſtatus pagina. x. ait. *Hi & ſimiles errores, ac manifeſtæ hæreſes non tàm meæ, & nouæ, quàm antiquorum, & recentium Hæreticorum, eorumque fabulationes, ac deliramenta à Sancta Eccleſia Catholicâ in pluribus ſacroſanctis Conciliis vniuerſalibus perpetuò damnata; ſcopuli ſunt miſerabiles, ad quos qui accedunt, lachrymabile patiuntur Fidei, & ſalutis æternæ naufragium; ideòque ab illis quàm longiſſimè poſſum, recedo. At nè ad eos exitium vltimum paterer in Anglia, fuit mihi ab ea omninò diſcedendum, & ad Romanam Eccleſiam, verum Catholicorum portum redeundum.* Pagina verò. 33. apertè fatetur, fieri nullo modo poſſe, vt vnio, quam anteà ſibi facilem viſam ait, co: ſequatur, niſi Angli Proteſtantes, & hæreſes omnes, atq; Hæreticos deteſtentur, & cum Catholica Eccleſia Romana rectè ſentiant, eiq; perfectâ charitate coniungantur.

Quòd verò ad Concilia attinet ait pagina 12. *Concilia œcumenica poſteriora ſummæ in Eccleſia Catholica authoritatis nauſeabundus contempſi ſæpius, Florentinum præſertim, & Tridentinum, non nunquàm etiam, & Conſtantienſe; Immo meâ operâ factum eſt, vt Hiſtoria quædam Concilii Tridentini in lucem prodiret, cuius ego Hiſtoriæ fidem certam nullam haberem, imò quæ ſit meritò ſuſpecta impoſturæ. In his quoque me plurimùm erraſſe fateor. Horũm enim Conciliorum ſaluberrima decreta omnia, plena fide, Catholicis omnibus amplectenda eſſe affirmo.* Dènique ſub finem opuſculi, Eccleſiæ Romanæ authoritatem multis profitetur, atque commendat; vt planè inexcuſabilem ſeſe reddiderit, qui agnitam veritatem, & paulò antè conteſtatam; adeò nequiter, ac perfidè ſemel, atque iterùm prodiderit, etiam in horrendam incidiſſe videretur ſententiam intonantis Apoſtoli. *Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hoſtia.* Verùm tamen miſericordia Dei (vt ſperare licet) præſtabilem etiam hic ſe ſe ſuper malitia præbuit. Etenim pòſt ſacrorum Cenſorum ſententiam, qua ſicut dictum eſt, ſine vlla dubitatione, & communi omnium conſenſu, propoſitiones illas damnauerat, cum vehemens præterea ſuſpicio ſuboriretur, nè ſimulatè abiuraſſet, & adhuc duritiam ſuam, & impænitens cor gereret, eoque magis, quod in memo rato concordiæ Iractatu præmonuerat vt ſi Romæ vnquàm cogeretur tanquàm errores eiurare articulos illis contrarios, quos indifferentes vocauit conniuentiæ daretur; cùm de re ad ſalutem minimè neceſſaria ageretur, his de cauſis interrogatus, perſiſtere nè vellet in dictis hæreſibus, abnuit; & earùm ſe pænitere, paratumque eſſe, quatenus hæreſes ſibi à Sede Apoſtolica declarabantur, ad eas deteſtandas, ac abiurandas, ſubiunxit. Quo in ſtatu cum res eſſet, iamque & induciæ ad ſeſe defendendum datæ, ac ſimul exhibitus proceſſus eſſet, dum Patronũ, quẽ elegerat, cõſulit, graui morbo corripitur.

Heb. 10.

Ad Rõ. 15.

XXII. *Incidit in morbũ, & Pontificia liberalitate omnia abunde illi ſuppeditãtur.*

In hoc porrò morbo, ſummi Pontificis bonitas mirabiliter enituit, cuius expreſſo imperio nihil ęgrotanti defuit, quod in propria, domo, ac inter ſanguine coniunctiſſimos, locupletiſſimus quiſq; deſiderare potuiſſet. Illicò accerſiti peritiſſimi Medici; & quæcunque ab ijs alimenta, & remedia præſcribebantur, dicto citius erant in promptu. ſed ità ingraueſcente morbo, vt medici de vita diffiderent, præſertim cum anni tempeſtas, & grauis ſex & ſexaginta annorum ætas accederet, idem Cardinalis Cremonenſis, ſingulari humanitate, & charitate eum inuiſens, religioſeque, ac doctè ipſius erroribus ob oculos poſitis, ad illos abominandos, ac mox Pænitentiæ Sacramento delendos hortatus eſt. Quapropter coràm ipſomet Cardinali, alijſq; ſacræ Inquiſitionis officialibus, quas confeſſus fuerat hæreſes, cęteraſq; omnes, verbo abiurauit, editiſq; pænitentię ſignis, perceptiſq; Sacramentis, allegato etiam ad Sanctiſſimum Dominum, qui ſuis verbis ei gratias ageret, quòd *preſſura carceris occaſionem ſibi præbibuſſet ſerio cogitandi de animæ ſalute, & lucem aſpiciendi, quam anteà ob cæcatus nõ viderat, ac proindè ſe ei debere, quod per Dei miſericordiam cum bona ſpe decederet*, migrauit è vita. Corpus ad quaslibet calũnias repellendas corã diuerſarũ nationũ excellẽtiſſimis Medicis exẽterari placuit, qui oẽs ipſo, atq; inteſtinis diligẽter inſpectis, illũ naturali ægrotatione deceſſiſſe cõcordes aſſeuerarunt.

*Moritur tandem.*

XXIII. *Cadauer eius ſeruatur in ſepultũ ad finem vſq; proceſſus.*

Quoniam verò Hæretici relapſi, & ad pænitentiam vtcunq; conuerſi, iudicium non abſoluitur, ſed contrà eius memoriam proceditur; depoſitum fuit eius cadauer vſq; ad exitum iudicij, ac per edictum publicum citati fuerunt, nominatim quatuor ex eius conſanguineis, qui tunc fortè Romæ erant: cæteriq; omnes ſua id intereſſe, quauis ratione putantes, ad defendendam prædicti Marci Antonij memoriam, & cum præfati quatuor propinqui ſe, illam nolle defendere declaraſſent aliorum verò nullus comparuiſſet, fuerunt ab ipſo ſacro Tribunali electi idonei defenſores, qui diligenter inſpecto proceſſu, nihil ſibi ſuppetere retulerunt, quo dictã memoriã tueri iure poſſent, cũ ex ipſius Marci Antonij cõfeſſionibus, illum hæreticũ relapſũ clariſſimè deprehendiſſent. Cæterum vt planè ſecundũ leges, & qua par erat maturitate ad ſententiam veniretur, ſæpiùs coràm ſummo Pontifice, & Cardinalibus contrà hæreticam perfidiam Generalibus Inquiſitoribus, aſcitis in conſilium Theologis, Iuriſque peritis, negotium propoſitum, ac ſubtiliſſimè examinatum fuit ac tandem viſum eſt ſapientiſſimis viris, iuſtam legum ſeueritatem, nulla in parte mitigandam, ſed omnes in mortui memoriam corpus, & bona, pænas exequendas, quæ in viuum irrogandæ fuiſſent. Et quidem rectiſſimè. Quam enim perniciosi erat crimen exempli: tàm ſalutare in aduerſiones grauitate exemplum edi oportebat, & quam benignam, quàm miſericordem, quàm mitem Apoſtolica Sedes, ſe huic homini præſtitit, quem dùm ex animo rediſſe exiſtimare potuit, paterna charitate recepit: veniaque libentiſsimè ac promptiſsimè donauit, tam grauem, tàm iuſtam, tàm ſeueram ſe exhibere neceſſe erat: cum ex nouo lapſu coniecisſet, immò ex propria eius confeſsione manifeſtè comperiſſet, illum ad nos fictè reuerſum: vt vniuerſi ſcilicet intelligerent eam, & cumulate Humilibus dare gratiam *& retribuere abundanter facientibus ſuperbiam.* Hoc vero indicium cunctis Catholicis in primiſque Regibus, ac Principibus, quos, vt loquitur magnus Leo, Epiſtola 9, *Pro integritate fidei Catholicæ conuenit eſſe ſolicitos*, probatum iri certo ſcimus: Illis vero, qui ſecus ab orthodoxa Religione ſẽtiũt, Obſtruere ora, ad criminationes poſſe non dubitamus: quibus interim Deum obnixè precamur, vt agnoſcendi, atque amplectendi veritatem mentem concedat.

Iac. 4. Petri. 5.

Pſal. 30.

XXIV. *Quibus Ceremoniis proceſſus M. Antonii lectus fuerit.*

Prædicto igitur capto conſilio, dies vigeſima prima Decembris, Anno ſalutis Milleſimo Sexcenteſimo vigeſimo quarto, quæ dies Thomæ Apoſtolo ſacra eſt, non ſine occulta Dei diſpoſitione, ſententiæ pronunciandæ deſtinata fuit: vt qua die in Eccleſia, illius memoria celebratur: illius memoria contra damnaretur, qui fædiſſimã cõfuſionẽ in Chriſti Eccleſiã inducere tẽtauit: dũq; ille honoratur, qui in magiſtro, vulnera attrectando carnis, *Sanauit in nobis vulnera infidelitatis*; dehoneſtaretur, iſte, qui in domino diuinitatis myſteria detractando, ſe ipſum & alios præſidiæ vlcere





contaminauit. Dicta igitur die illuceſcente, tanta ad Beatæ Mariæ ſuper Mineruam, (ibi enim edi ſolent huiuſmodi religionis ſpectacula) multitudo ſe contulit, vt non ſolùm occludendæ, ſed etiam viris armatis fores muniendæ fuerint, areaque antè Eccleſiam, cunctiſque vijs oppletis; vix ipſis Cardinalibus patuerit acceſſus. Alueus, ſeu media nauis Eccleſiæ, à prima ad quartam columnam ſepta erat vndique firma coaſſatione, ſuprà ſtaturam procerioris hominis. A ſuperiore, ac inferiore parte erant ianuæ, quæ ab Heluetijs cuſtodiebantur. A lateribus verò tabulata à ſummo ad imum ità protendebatur, vt Purpuratorum, aliorumque Procerum ſubſellia, plurimoſque aulicos, ac nobiles viros ſtantes, & ſedentes commodè caperent. A dextra in ingreſſu præſidebat ſacer Senatus, à læua inferiores ſanctæ Inquiſitionis miniſtri, ac vrbis Præfectus, eiuſq; officiales conſidebant. Antè ſuggeſtum conſpiciebatur imago coloribus expreſſa Marci Antonij, induti nigra domeſtica veſte, pileolumque Clericalem in manu habentis, vnà cum nominis cognominis, ac olim per eum geſtæ dignitatis Archiepiſcopalis inſcriptione, nec non capſa lignea, pice delibuta, in qua eius cadauer incluſum erat. Reliquum verò templum ciuibus, ac exteris omnis generis erat repletum: licèt enim ſemper ſit maximus conuenarum ad vrbem concurſus, augebatur tamen eo tempore, eorum multitudine qui *ex omni natione, quæ ſub cælo eſt.* appetente anno Iubilei, ſacrarum portarum apertioni interfuturi confluxerant.

Act. 2.

XXIV. *Cadauer eius vnà cum effigie igni adiudicantur.*

His igitur paratis, Clericus quidam in ſuggeſtum conſcendit, & canora voce, quæ per omnes ampli templi partes diffundebatur, vulgari ſermone, (vt rudes quoque intelligerent) proceſſus epitomen, ſententiamque perlegit, qua Cardinales Inquiſitores Generales ad id à ſummo Pontifice ſpeciatim deputati, pronuntiarunt, Marcum Antonium, vti relapſum in hæreſim, contraxiſſe omnes cenſuras, & pænas à ſacris Canonibus, & Pontificijs conſtitutionibus Hæreticis relapſis impoſitas, ipſumque omnibus honoribus, prærogatiuis, ac dignitatibus Eccleſiaſticis ſpoliatum fuiſſe declararunt, eius memoriam damnarũt, atque ex foro Eccleſiaſtico eiecerunt; eius Cadauer, & effigiem in poteſtatem Vrbis Præfecti tradiderunt, ad debitas pænas in illa, iuxtà Eccleſiæ regulam, & praxim exequendas. Ac denique impia, ac hæretica eius ſcripta publicè comburi iuſſerunt, ac bona fiſco ſanctæ Inquiſitiones adiudicata eſſe declararunt Mirum autem dictu eſt, quanta attentione, ac ſilentio omnia audita fuerint, quantuſque omnium plauſus extiterit, probantibus, & gratulantibus vniuerſis, eum, qui conſtitutus in Eccleſia cuſtos ouium, magiſter veritatis, ac Religionis exemplar, per indigniſſimam, ſummamq; perfidiam, proditor gregis, doctor mendacii, ac documentum impietatis euaſerat, talem ſubiiſſe pænam, qua ſi minus æquari, ſaltem aliqua ex parte ſarciri poſſet damnum, quod peſſimo exemplo Eccleſiæ intuliſſet.

XXV. *Et cõburuntur à miniſtris Iuſtitiæ.*

Sententia ergo prolata, Præfecti Vrbis, miniſtri, Cadauer, imaginem, & ſcripta prædicta in plauſtrum conjecta, in aciem, quam vocant Campi Floræ numeroſa proſequente turba, pertulerunt: ibique cadauer, vt erat adhuc cohærens membris, & compaginatum, extractum è capſa vſque ad extremum pectus, fuit frequentiſſimo populo ex alto circũcircà oſtenſum, ac poſteà vna cum effigie, ad ſcripturarum faſce in rogum ad id paratum, deiectum, & concrematum, *Iuſtiſſimo planè Dei iudicio, qui veterum zelotum legis exemplo docuit, Religionis deſertorum oſſa, de ſepulchris auferenda.* Hic finis eius, qui tantum ſe extulit aduersùs ſcientiam Dei, finis Pſeudo apoſtolis, *qui ſunt operarij ſubdoli, & miniſtri Sathanæ*, præparatus. Deus quippè, qui reddit vnicuiq; ſecundum eius opera ijs, qui ſunt ex contentione, & non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati iram, & indignationem rependit. Vah autem illi, cui merces laborum eſt ira, & indignatio. Iraſcens enim Dominus cuiquam propter eius improba ſtudia, *ſuccendit quodammodo ignem, & deuorat vniuerſa*, ſic namq; clamat per Vatem. *Egrediatur vt ignis indignatio mea, & ſuccendatur, & non ſit, qui extinguat propter malitiam ſtudiorum veſtrorum. Et rurſus. Viſitabo ſuper vos iuxta fructum ſtudiorum veſtrorum, & ſuccendam ignem & deuorabit omnia.* Vtinam quem ignis conſumpſit in terris, flamma non vrat in Inferis, & qui nobiſcum manens receſſit de via *& ſcandalizauit plurimos in lege*, à nobis in vera pœnitentia diſcedens, ad cœlum acceſſerit, & *Gaudium attulerit coram Angelis Dei.*

3. Reg. 13. & 4. Reg. 23.

2. Cor. 11.

Ad Rom. 2. 6. 8.

Ier. 21.

Ier. 21.

Malach. 2

Luc. 15.

Sed nos ad Sixtum reuertamur.

XXVI. *Genuenſium votis, & petitionibus annuit Sixtus PP.*

Eodem anno 1479. Princeps, Senatus, Populuſque Genuenſis, ad Sixtum Pontificem legationem decreuit, quo immunitates, & priuilegia, temporum iniuria nonnihil intermiſſa, & labefactata iterum Reipub. pro veteri inſtituto, & more reſtituerentur. Quod quidem ab eodem Papa citrà magnam aliquam difficultatem impetratum eſt. & quo magis ipſe Rempub. ſibi deuinciret, Paulum Fulgoſium vrbis Antiſtitem in purpuratorum Collegium anni conſequentis initio cooptauit. *Petrus Bizarrus hiſt. Genuen. lib.* 15.

XXVII. *Item Roſarii Sodalitatem approbat.*

Hoc ipſo anno, Franciſcus, & Maria Duces Britanniæ, Sixto Pontifici ſupplices fuerunt, vt Sodalitatem, & deuotionem SS. Roſarij, in eorum dominijs feliciſſimè propagatam, ſed obtrectatorum Theonina maledicentia violatam, tueretur, atque approbaret. Sixtus ergo pro eis ita reſcripſit.

*Sixtus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Ea, quæ ex Fidelium deuotione, ad Dei Omnipotentis, & Glorioſæ Virginis Mariæ laudem, & gloriam piè ordinata ſunt, vt firma permaneant, noſtræ approbationis robore ſolidamus, ac Fideles ipſos ad deuotionis opera exercenda Indulgentijs, ac remiſſionibus inuitamus, vt inde reddãtur gratiæ diuinæ aptiores; maximè cum Catholicorum Principum id expoſcit deuotio, & hoc conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Sanè pro parte dilecti filii, nobilis viri. Franciſci Ducis Britanniæ, & dilectæ in Chriſto filiæ, nobilis mulieris Margaritæ, eius conthoralis, Ducisſæ Britanniæ nobis fuit nuper propoſitum. quòd in Ducatu Britanniæ, & pluribus aliis locis, creſcente fidelium deuotione, ab aliquo tempore citrà inuentus eſt certus modus, ſeu ritus orandi pius, & deuotus, qui etiam antiquis temporibus à Chriſti fidelibus, in diuerſis mundi partibus obſeruatur; videlicet, quòd quilibet volens eo modo orare, dicit qualibet die, ad honorem Dei, & Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & contrà imminentia mundi pericula, toties ſalutationem Angelicam, Aue Maria, quot ſunt Pſalmi in Pſalterio Dauidico, videlicet centies & quinquageſies, ſingulis decem ſalutationibus huiuſmodi Orationem Dominicam ſimiliter proponendo: & iſte ritus, ſiue modus orandi; Pſalterium Beatæ Virginis Mariæ vulgariter nuncupatur. Vnde Dux & Duciſſa præfati propter ſingularem, & ſinceram, quam ad B. Virginem gerunt deuotionem, cupiunt ritum, ſiue modum orandi prædictum, ad obſtruendum ora aliquorum detrahentium per Sedem Apoſtolicam approbari. Quarè parte Ducis, & Duciſſæ, & aliorum Fidelium plurimorum nobis fuit humiliter ſupplicatum quatenùs ritum, ſiue modum huiuſmodi orãdi approbare, aliaq; ſuper præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur tã Ducis, quàm Duciſſæ, quã aliorũ Fidelium piã deuotionẽ plurimùm in Domino commendantes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, præfatum Pſalterium, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, illumque tolerandum fore, ac cunctis Fidelibus eo modo orare decernimus, & declaramus. & vt omnes & ſinguli Chriſti fidelibus, ad deuotionis opera, & prædictũ modum orandi eò feruentius inducantur, quo exinde faciliùs animarũ ſuarum ſalutẽ conſequi ſperauerint, vniuerſis, & ſingulis Chriſti fidelib⁹, præfato modo orare volentibus, vbilibet exiſtentibus, præſentibus, & futuris, pro qualibet vice, qua ſic, vt præmittitur, orauerint, pro qualibet Quinquagena præfati Pſalterij, quinque*

*annos, & totidem Quadragenas Indulgentiarum miſericorditer in Domino relaxamus: præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ M. CCCC. LXXIX. Idibus Maij. Pontif. noſtri anno octauo.*

XXVIII. *Ad Sixti PP. exemplum S.R.E. Cardd. Sodalitati Roſarii indulgentias largiuntur.*

Ad exemplum Pontificis, Cardinales quoq; S.R. Eccleſiæ, eidem Sodalitati SS. Roſarij apud Colonienſes Prędicatores inſtitutæ, theſauros ſpirituales, pro ſua facultate, liberaliter largiti ſunt, dato iſto diplomate.

*Guillelmus Oſtienſis, Rodericus Portuenſis, Angelus Præneſten. Oliuerius Albanen. Iacobus Tuſculan. Epiſcopi; Marcus tituli S. Marci, Iulianus tit. S. Petri ad vincula, Hieronymus tit. S. Balbinæ, Stephanus tit. S. Mariæ in tranſ-Tyberim, alias tit. S. Sabinæ, Ioannes tit. S. Praxedis, Antonius Iacobus tit. S. Clementis, Ioannes Baptiſta tit. S. Cæciliæ, Philibertus tit. SS. Ioannis & Pauli, Ioannes Michaël tit. S. Marcelli, Petrus tit. S. Nicolai ad imagines, Diaconus tit. S. Vitalis, Presbyteri: Franciſcus tit. S. Mariæ Nouæ, & Theodorus S. Theodori, Diaconi, Cardinales, vniuerſis Chriſti fidelibus ſalutem in Domino ſempiternam.*

*Glorioſus, & excelſus Dominus, qui ſua mundum ineffabili illuminat claritate, pia vota fidelium de ipſius clementiſſima maieſtate ſperantium, tunc præcipuè benigno fauore proſequitur, cùm deuota ipſorum humilitas ſanctorum precibus, & meritis adiuuatur. Cupientes igitur, vt altare* B. MARIÆ *Virginis ſitum in Eccleſia Conuentus Fratrum Prædicatorum Colonien. ad quod quædam Notabilis Confraternitas Beatæ Mariæ de Roſario vulgariter nuncupata, fore dignoſcitur inſtituta, congruis frequentetur honoribus, & à Chriſti fidelibus iugiter veneretur, conſeruetur, & manu teneatur: nec non luminaribus libris, calcibus, & alijs ornamentis Eccleſiaſticis decoretur, & muniatur, ac in eo cultus augeatur diuinus; vtque ipſi Chriſti fideles eò libentius deuotionis cauſa confluant ad illud, & ad manutentionem, munitionem, & alia præmiſſa manus eorum adiutrices promptius porrigant; quò ex hoc ibidem dono cæleſtis gratiæ vberius conſpexerint ſe refectos: etiam Nobis in Chriſto dilecti Magiſtri Iacobi Sprenger, Prioris S. Dominici Conuentus, nec non & S. Theologiæ profeſſoris ſupplicationibus ſuper hoc inclinati, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius authoritate confiſi, omnibus, & ſingulis, vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, verè pænitentibus, & confeſſis, qui in quattuor, quibus Anniuerſaria defunctorum dictæ Confraternitatis in præfata Eccleſia annuatim celebrantur, videlicet vno, infrà Aſſumptionis, altero infrà Natiuitatis, reliquo infrà Purificationis præfatæ B. Virginis, quinto infrà Annunciationis Dominicæ feſtiuitatum Octauas: nec non in Dedicationis præfati altaris diebus, & feſtiuitatibus, à primis veſperis, vſque ad ſecundas incluſiuè, altare prædictum deuotè viſitauerint annuatim, & ad manutentionem, conſeruationem, munitionem, aliaque præmiſſa manus porrexerint adiutrices; Nos Cardinales præfati, in ſingulis feſtiuitatibus, & diebus ſupradictis, quibus id fecerint, centum dies de iniunctis pænitentijs miſericorditer in Domino relaxamus, & quilibet noſtrum per ſe relaxat. Præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum fidem præmiſſorum præſentes litteras fieri fecimus, & noſtrorum ſigillorum appenſionibus communiri. Datum Romæ in domibus noſtrarum Reſidentiarum ſolitarum. Anno Domini M. CCCC. LXX. IX. die XXIX. Maij. Pontificatus SS. D. Noſtri Domini, Sixti Papæ IIII. anno VIII. Copenſtein. lib. 3. de Fraternit. Roſarij.*

XXIX. *Sixtus PP Eccleſiam Rigenſem cuidam confert.*

Eodem ipſo anno Sixtus Pontifex Eccleſiam Rigenſem in Liuonia, cuidam, authoritate Apoſtolica contulit. Rem hoc modo contigiſſe Krantzius narrabat. Per idem tempus in Liuonia à Fratribus Ordinis Theutonicorũ, cõtrouerſia excitatur, Archiepiſcopo Rigenſi Syluestro, eiuſdẽ Ordinis participi. Anteà quidem Magiſtri Cancellarius hic erat; nunc eius prouectione in eum gradum euectus, vt eſſet caput prouincię; Obnoxius Ordini putabatur, vt viciſſim illi ad nutum obſequeretur. Sed quum honorem Eccleſiæ tutatus, non ſatis per omnia gratificaretur Magiſtro, ille oblitus, quòd Archiepiſcopus eſſet, hoc ſolùm quod Frater Ordinis foret, intuebatur, captum tenuit in arce propria ſub cuſtodia Magiſter Pontificem. Nam vergentem in ſenium, & iam decrepito proximum deſipere dicebat, neque Ordinis, neque Eccleſiæ res pro dignitate gerere. Interdicitur ob eam rem ſacris per omnem diœceſim. Nihil hoc mouit Fratres; qui de capiendis in poteſtatem Eccleſiæ arcibus intenti circumferebantur. Ferunt, in arce Koggenhuſen firmiſſima (quam ingreſſus Magiſter, Archiepiſcopum vinciri iuſſit) reperta Eccleſiæ priuilegia, & multas litteras ab Ordine, & ab alijs Prælatis datas Eccleſiæ, tum ibi per Magiſtrum concrematas. Magno ex hinc bello diœceſis Rigenſis concuſſa eſt: ciuitas ipſa pro Eccleſia ſe oppoſuit Ordini: & magnis animis potius, quàm viribus, arcem Eccleſiæ, quam iam tenebat Magiſter oppugnauit, vt ex manibus Ordinis recuperaret. In eo rerum turbine mortuo Syluestro, Capitulares alium elegerunt Archiepiſcopum. Sed erat vir primarius, & doctus in vrbe Roma, Ordinis dicti Procurator, qui Eccleſiam à Sixto Pontifice impetrauit. Non repugnarunt partes, tam Eccleſiæ, quàm Ordinis, quòd ſperarent ambæ ſuum in eo Prælatum inuenire. Nam habuit Eccleſia nonnullos Romæ, qui auribus noui Archiepiſcopi rem omnem detegerent; vt facilè fiderent, qui pro Eccleſia ſtabant, illum Eccleſiæ minimè defuturum: & quum eſſet Ordinis in vrbe Procurator, illi quoq; commendatus erat, vt benè de illo ſperaret. vtriſque ergo viſus eſt idoneus, qui pacem rebus daret. Erat autem iam antè minoris in Italia Eccleſiæ Epiſcopus, quam facilè dimiſit, quum hanc Archiepiſcopalem accepiſſet. *Krantzius VVandaliæ lib. 13. c. 16.*

XXX. *Ioannes Aragoniæ Rex decũbit grauiter & Ferdinandũ filiũ per litteras cõſolatur.*

Hoc anno, ad XIIII. Calend. Februarii, die Martis Ioannem Aragonum & Siciliæ Regem, quatuor & octuaginta annos natum mors oppreſſit. Digna ſunt, quæ de eius tranſitu narrabat Marineus Siculus, vt à viris Principibus legantur. Omnibus confectis, & extinctis bellis, reliquum vitæ ſuæ tempus Barcinone trãſigebat. Vbi demũ labore, ſenioq; penè cõſũptus, vitali iam deficiente virtute, febre defatigari cæpit. Cum igitur lecto triduò decubuiſſet, vt erat homo ſemper cautus & prudens, iam ſe moriturum cognoſcens, accerſito animæ medico, de omnibus vitæ exactæ noxis, Chriſtianorum more gemens, & magno cum dolore confeſſus eſt. Allatum mox Sacramentum quod auidiſſimè petiuerat, lachrymabundus deuotiſſime recepit. vbi verò animæ ſaluti conſuluit, teſtamentũ deinde condidit, & Ferdinandũ filiũ, hæredẽ, ſucceſſoreq; legitimũ inſtituit. Ad quẽ in Caſtella tunc commorantem nũcios, & hanc miſit epiſtolam. *Satis me, diuque vixiſſe cognoſco, Ferdinande fili chariſſime; & ideò, quoniam & diutiùs, &, vt opinor, benè, & cum honore vixerim, magnas immortali Deo gratias ago. Nunc autem iam tempus eſt vt naturæ debitum perſoluam, cui ego iam citatus, quoniam ſic neceſſe eſt, parare minimè recuſo. Arbitror itaque me propediem ab hac vita mortali diſceſſurum. Continua ſiquidem febre quinque dierum meum penè defatigatum corpus, & ætate confectum, in horas magis debilitari ſentio, & cum ſpe vitæ ſimul deficere. Quapropter vbi noſtrorum maiorum more, & Chriſtianæ religionis inſtituto diuinis, & humanis rebus ſatisfeci, mihi æquum atque perneceſſarium viſum eſt, vt te, quem priuſquã diſcedam, videre non potero, de valetudine mea, vel emigratione potiùs per litteras, & nuncios certiorem facerem. Mitto igitur tibi, ſimul, & Iſabellæ tuæ præſtantiſſimæ coniugi ſalutem, & paternam benedictionem. & quia de rebus à me nuper inſtitutis, quid tu Ferdinande fili pro noſtra, & aliorum ſalute ſis facturus, ex teſtamento noſtro planè omnia cognoſces, hac epiſtola vos (nam tecum etiam Iſabella filia chariſſima loquor) pro meo erga vos amore, & item pro veſtra in me pietate, moneo, rogo, & obteſtor, vt omnibus rebus humanis* DIVINAS *anteponatis. Nihil vobis vnquam ſit cha-*





*rius Dei cultu, nihil virtute præſtantius. Nihil prætereà ſine bonorum virorum conſilio faciatis. Mementote quæſo ſemper iſtius noſtræ monitionis, quæ vos ab amore paterno miſſa profectò nunquam fallet. Ego vobis & labores, & æmulos non defuturos proſpicio. Sed vos, ſi meis monitis parueritis, nullis vnquam victi aduerſariis cedetis, nullis defatigati laboribus ſuccumbetis. Equites inſuper vobis, & populos omnes veſtri Principatus, & Regiam demum dignitatẽ plurimùm commendo. Valete, & abſentiã noſtram fertote moderatè.*

XXXI. *Eccleſiaſticis Sacramentis munitus, obdormit in domino.*

Cum his litteris, nunciis ad Ferdinandum filium miſſis, omnes, qui aderant, quoniam triſtitiam quandam præ ſe ferre videbantur, conſolari cæpit, vt vim neceſſitatis æquo animo ferrent, omnibus moriendum eſſe dicens. neque tamen eos mori poſſe, qui bene vixiſſent. Bonis hominibus, & virtutem colentibus, auxilium diuinum non defuturum; quod ſibi multis in rerum, & fortunæ varietatibus numquam defuiſſet. Hæc cùm dixiſſet, remotis omnibus contẽplationi deditus, aliquamdiù conquieuit. Mox autem vbi vitæ, ſpei minus habere cæpit, admiſſos Equites & familiares perhumanè ſingulos amplexatus, ſuppliciter ab omnibus veniam petiuit, ſi quem fortè grauius offendiſſet, ſi cui non pro meritis ſatisfeciſſet. Interea medici, quò diutiùs eius mortẽ differrent, ex margaritis, & auro, cæteriſq; gemmis admodũ pretioſis, & ſimul contritis confectos cibos ei propinabãt. Quibus aliquanto ſuffulſus, tamdiu vitam produxit, donec quæ voluit, effecit, dixitque omnia. Nullum doloris ſignum, nullam mentis perturbationem, nullum denique mortis metum præſeferens, ſed aduerſus eam fortis & conſtans, omnium præteritarum rerum memor, & præſentes diligenter inſtituit, & de futuris prudenter, religioſeque conſuluit. Pridie verò quam naturæ ſatisfaceret, cum ſe grauius affici ſenſiſſet, extremum Eccleſię petijt olei Sacramentum. Hoc ſolẽniter perunctus, laborantis, & iam demigrãtis animæ ſpiritum magno labore ducens, à Sacerdotibus Euangelicam lectionem recitari, qua Chriſti cruciatus referuntur, obſecrauit, & pænitentiarum Pſalmos. His orantibus dum aures præberet attentiores, ſubito, nimioque languore defeſſus penè conciderat, adeo vt concluſis iam luminibus & manibus frigidi à nonnullis animam efflaſſe crederetur. Verum mox reſpirans, & recluſis oculis omnes qui adderant ſuſpiciens; O *vanas* inquit, *hominum cogitationes. O miſeros omnes qui ad Principatus aſpirant qui diuitias, opes, & nimios honores affectant. O felicem pauperum conditionem, & illorum ſecuram vitam atque beatam, qui panem commedunt cum ſudore vultus ſui, qui viuunt labore manuum ſuarum. Nam mihi miſero, quid regnum, quid honores, quid obſequia plurimorum contulerunt? Quid? Labores ſcilicet magnos, & multa corporis, & animæ pericula: nec vnquam ætate tam longa potui mihi dies aliquos videre bonos. O me miſerum & infelicem, qui tam ſero fallacem mundum cognoſco! qui vitam certè vixiſſem meliorẽ, ſi nõ Rex ſed paupere agri cultor fuiſſem.* Hæc magno cũ animi dolore ferebat, Alphõſi fratris, vt arbitror recordatus atq; ſecutus exemplum, qui Neapoli olim moriẽs eadem protuliſſe verba memoratur. Cæterum cum hæc dixiſſet, imaginem Crucifixi quæ iuxta eum erat defixis oculis intuens; O *Conditor*, ait, *mundi Deus omnipotens, & hominum pientiſſime redemptor, parce mihi indigniſſimo ſeruo tuo; miſerere mei clementiſſime* IESV, *& à peccatis meis auerte faciem tuam, non meis meritis, quæ nulla ſunt, ſed illa tua ineffabili pietate etiam miſericordia, qua motus vt homines à morte redimeres, crucis mortem ſubire voluiſti.* Hæc locutus, voce iam deficiente Chriſti patibulum ſæpius oſculatus expirauit. Funus maximis honoribus, & ingenti ſolennitate celebratum eſt; ſed multo maiore omnium mærore, atque fletu deploratum, tota Ciuitate, ſummo dolore concuſſa, adeo vt mæſtiſſimis lamentis quæque Barcinone domus funeſtata videretur. Vbique namque luctus, vbique gemitus, vbique denique miſerabilis fletus audiebatur. Cum primum egit animam, præter multas hominum quærelas, & vberrimos fletus, venaticos etiam canes, quibus perſequi feras conſueuerat, triſtes vlulatus emittentes mirabiliter fleuiſſe, complures viri nobiles affirmarunt. Aragones prætereà omnes Cathalani, Siculi, Valentini, vexilla magno gemitu per terram trahentes, in ſignum magni doloris etiam clypeos confregerunt. Produxerunt homines ad triginta vſque annos ingentes lamentationes à morte Ioannis Regis conceptas. Peractis exequijs, defuncti corpus pretioſis vnguentis balſamoque perunctum, ex Barcinone magnus Sacerdotũ numerus, & ingẽs nobiliũ multitudo Populetum detulerunt, ibiq; ex teſtamẽto condiderunt. *Lucius Marineus Siculus de rebus Hiſp. lib. 18.*

*Defunctus magna cũ pompa ſepelitur.*

XXXII. *Idem Rex Ioannes deſcribitur.*

Fuit Ioannes vegeto ſemper corpore, & belli, ac venationis laboribus pari, animo viuido, magnitudine, & varietate rerũ geſtarum, ac diuturnitate imperij magnis Regibus exæquandus. Extremã ætatẽ ſugillauit amoribus puellæ, cui Franciſcæ Roſæ nomen fuit, forma conſpicua, libidinis auidus magis quam potens. In teſtamento, tum multa piè, & prudenter, tum duo templa ſanctitatis opinione celeberrima, in domicilium Hieronymiani Ordinis conformari mandauit; Diuæ Engratiæ, Cæſarauguſtæ vnum vrbis muro coniunctum; in Catalaunis alterum, cui Diuæ Mariæ Belpuchiæ eſt appellatio. vtrumque filius præſtitit. *Mariana lib. 24. c. 18.* Fuit Princeps hic Chriſtianæ religionis longe omnium ſtudioſiſſimus. Quotidie ſacris intererat. Diuorum omnium, ac Deiparæ præſertim Virginis ſacra ſtata, caſtè, ac ieiunio; Quadrageſimam prætereà à vigeſimo ætatis anno, ad ſeptuageſimum vſque, ieiunio, & carnis abſtinentia celebrabat. Feſtos dies, ac Dei cultum revereri ab omnibus inuiolabili lege ſanciuit. A Sarracenis imperio ſubiectis, Mahometi nomen inuocari vetuit: indignum, ac ſacrilegum propè facinus exiſtimans, in Chriſtianorum principatu hominis perditiſſimi falſum numen venerationi eſſe. Chriſti corpus, cum per vicos, & in feſto ſuo die, & alias item (vt fit) deferebatur, non modo à Chriſtianis, verum à Iudæis quoque, & Saracenis detecto capite, ac genu flexo adorari ſub mulcta conſtituit. In regimine Iuſtus. Legibus namque, ac ſanctionibus humano, & diuino iure conformatis moderabatur. Clementia quoque, ac liberalitate, quæ propriæ Regum ſunt partes, longe præſtantiſſimus. *Thomas Phazellus dec. 2. lib. 9. c. 10.*

XXXIII. *Card. Papienſis ab ignorante medico occiditur, eiuſq; teſtamentum refertur.*

Eodem anno, Iacobus Cardinalis Papienſis, apud Cryptas Vulſinienſes diem clauſit extremum, elleboro non ritè præparato, à Medico extinctus. Præclarum eius teſtamentum dignum eſt, quod à viris Eccleſiaſticis in memoria teneatur. Ita habet; Fragilis eſt vita noſtra, eamque caſus circumſtant innumeri. Quod vitem us præuidere ſatis non poſſumus. Illum diuturna ægritudo, hunc breuis languor, alium improuiſa mors rapit. Omnibus autem incerta eſt vocationis hora. Quo in loco, quo in tempore ea nos expectet, neſcimus. Expectare illam nos omni tempore, omni loco debemus, memores verbi Apoſtoli, quia illa non tardat; & quod quæ de terra ſunt, in terram vertuntur. Inſcitia eſt ſecuritate vitæ, de exitu non cogitare; diſpenſationem quoque domeſticam; in id tempus differre, in quo mens grauata plurimis, ad vnum aliquid non eſt ſæpe idonea. Angit timor mortis torquet infirmitas, circumſtantium eſt moleſta cupiditas, qui ſua non noſtra quærentes; ab animæ cura ad terrena nos reuocãt, cogẽtes ſæpe pturbationibus ſuis eũ mori, qui vel moriturus non erat, vel certè tam citò nõ moriturus. Vt ergo cõcedente Deo, iſta deuitẽ & ad meũ nõ alienũ arbitriũ q̃ meditor, fiant, putás, q̃ ab Iſaia Propheta, Ezech. Regis sũt dicta, mihi Eccleſię Rõ. Card. imperata, *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues.* Illud etiã Saluatoris formidans, *Vigilate, quia neſcitis diẽ, neq; horã, qua Dñs veſter vẽturus ſit, ſero, an mane, an galli*

*tantu ?* ſtatui teſtamentum hoc condere meo chirographo ſcriptum; cui ita eſſe, vim volo, ſi idipſum, vel eius partem antè mortem non reuocem. Eſt verò huiuſmodi. Inprimis conuerſus in Deum auctorem, & redemptorem meum, cùm anxius ſim futuri de me iudicij, & neſcius, vtrum odio an acceptione ſim dignus; ſciens autē in manu eius vitam eſſe, atq; interitum; per viſcera miſericordiæ ſuæ in quibus ex alto nos viſitauit, humi ſtratus oro, vt fiant aures ſuæ intendentes in vocem deprecationis meæ: non intret in iudicium cum ſeruo ſuo; aduerſus folium, quod vento rapitur, non exerceat potentiam ſuam, nec ſtipulam ſiccam perſequatur: pænitentis Sacerdotis animā nō dedignetur: ignoſcat illi dilicta præterita, & ignorantias ſuas. Suſcipiat creaturam Creator, & factor figmentum ſuum. Meminerit, quòd homo immundus de immundo conceptus ſum ſemine, & quòd in peccatis concepit me mater mea. Veniat antè oculos pietatis ſuæ vitæ humanæ infirmitas: in qua per omnem ſucceſſum nouis ſemper deſideriorum facibus incitati, extinguere ſine illius ope ignea inimici tela non poſſumus. Stulta eſt pueritia, inanis adoleſcentia, iuuentus lubrica, virile ſtudium ad ambitionem inclinat, friget ſenectus, & deficit. Si non ſuſtinet Dominus, cui eſt ſperandi fiducia? aut quem ſarcina tanta ſine alleuamento eius non premat? Recordetur Pauli ſerui ſui ad Romanos, hęc lamentantis: Non, *inquit*, quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odio malum, id facio. Eſt miſerator, & miſericors Dominus, longanimis, & multum miſericors, ſuntque miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Secundum ergo peccata mea, non faciat mihi, neque ſecundum iniquitates meas retribuat mihi: quia non iuſtificabitur in conſpectu ſuo omnis viuens; ſed per ſanctam Natiuitatem ſuam, paſſionem, mortem, & reſurrectionem, & aſcenſionem in cælum, & aduentum ſpiritus Sancti paracleti, ſaluet humiliatam animam, cum beatis ſpiritibus in vitam æternam. Proximè autem ſi quid contrà Paſtorem Principem meum, Romanum Pontificem viuens peccaui; (peccaſſe autem multa me puto) ſi quid dicto, aut facto contumaciùs egi; ſi non ſum dignè reueritus; ſi non parui, ſi contriſtaui, ſi carpſi pro ſuis in me meritis, ſi non dignè retribui, ſupremam eius pietatem gemens imploro, vt mihi ignoſcat, & oblitus omnium defuncti animæ benedicat. Hæc clemens, & ab animo profecta charitas petenti erit leuamini; & danti merces à Domino. Cùm Patribus quoque & Collegis meis, quoniam frequentior vſus fuit, frequentiorē vtriq; eſſe oportuit offendendi occaſionē. In multis enim peccamus omnes. Zelotypia, contentio, obtrectatio, ira, inuidia, ſollicitare animos noſtros ſolet. Quicquid in hoc admiſi, quicquid amari à me acceptum referunt, oro, obteſtorq; per commune conſortium; & ſpem miſericordiæ, quam à Domino iudicandi expectant, vt id omne deponant, iniurias condonent, & placentur defuncto; eam requiem fratri optantes, quam de ſe impetrari cupiunt. Executori, quem in calce teſtamenti deſigno, hoc officium pietatis relinquo, vt ſi ita indulgeat Pontifex, primo pòſt obitum Conſiſtorio, hanc veniam & remiſſionem, non inanis gloriæ, ſed ſalutis cauſa, meo nomine ſuppliciter petat; identidem poſtulans, vt quæ diſpono, quæ teſtor, pius Paſtor paterna indulgentia probet, & non mutet, familiamque meam de me fideliter meritam, piè conſoletur, & iuuet. Vt verò ad gloriam Dei, & integritatē communionis fidelius perſeuerantis, licèt peccatoris ſerui pateat fides: alta voce profiteor, tenuiſſe me à lauacro Baptiſmatis vſque in diem præſentem, ſanctam Orthodoxam Fidem Catholicam, ſymbolum ab Apoſtolis conditum, expoſitionem Fidei magni Concilij Nicæni. Anathematizaſſe etiam me, & anathematizare omnem hæreſim, extollentem ſe aduerſum ſanctam, & immaculatam Fidem: in qua, vt dictum eſt, viuere, & mori intendo, hòc ſequens confeſſionis meæ chirographum Omnipotenti Deo, in extremo iudicio repræſentans, Credo &c. Corpus meum contaminatum flagitijs licèt indignum ſit, cui habeatur honor, ſepulchriq; facilis ſit ſemper iactura: rationem tamen habens dignitatis, quam dedit Eccleſia: Pontificialis quoque officij, per quod plebi honoratiſſimæ præfui: ſacræ etiam vnctionis, qua per inuiſibilem ſpeciem inuiſibilis eſt impreſſus character, tradi oro Eccleſiaſticæ ſepulturæ, atque ijs inſignibus adornatum, quæ conſuetudo noſtri ordinis tulit. Sapiant tamen omnia modeſtiam funeralem, non ſeculi pompam. Si Romæ, vt opto, morior, condi cupio in Baſilica Apoſtolorum Principis Petri, pòſt altare Beati Gregorij, ad dextram ſepulchri Pontificis Pij: vt qui me extulit viuens, mortuus iuxtà ſe habeat. Condi illud ipſum humi volo, marmore tantum non charo contectum, quod parieti Eccleſiæ coniunctum habeat caput. In ipſo autem pariete, honore defuncti Pontificis, ad memoriam meam nihil fabricetur. Marmorea tabula vlnis tribus à terra extans parieti inſeratur: quæ ſuprà ſepulchrum parieti inſita, epitaphium ſequens inciſum bonis litteris habeat.

*Eiuſdem epitaphiū.*

*Luca ortu, Sena lege fuit mihi patria, nomen*
*Dum vixi, Iacobus, mens bona pro genere.*
*Papa Pius Sedem Papienſem detulit: idem*
*Cardineo ornauit munere, gente, domo.*
*Quem colui, viuens, non linquo mortuus, hic ſum.*
*Et propè ſancta Patris filius oſſa cubo.*
*Viuite, qui legitis, cæleſtia quærite, noſtra hac*
*In cineres tandem gloria tota redit.*

Sin alibi in Italia obitum meum eſſe contingat, Romam nihilominus adhuc ipſum locum, volo corpus meum referri, dicta iam ratione humandum. Trans Alpes verò, aut mare in Cathedrali Eccleſia, in cuius vel ciuitate, vel diœceſi mea vocatio fuerit. Tunc vero executoris curæ ſepulchrum relinquens, quintum tantùm, & ſextum verſum demi ex epitaphio volo. Vbicumq; autem exceſſero, teſtamenti inſtitutionem, quæ ſequitur, volo.

*Sumptus, qui & quales in funere faciēdi.*

Impendia funeris, quæ adhiberi ad ſolamen ſuperſtitum magis, quàm defunctorum leuamen ſolent, ſummam mille ducatorum aureorum vero excederet in qua includatur etiam veſtitus familiæ. Quantò hæc exhibebuntur parciùs, tanto erit plenius vnde & illi benefiat, & meæ animæ conſulatur. Superuacua, nec placent Deo, nec laudes inter homines habent. Tranſit breui, memoria funeris, diu permanent damna. Tempora in hoc Pattrum noſtrorum magis ſunt attendenda, quàm noſtra, qui gloria benefactorum, non luminum multitudine illuſtrari volebant ſepulchra. Quicquid amplius ſumetur, quicquid plus erogabitur, piaculum executoris ſit, non peccatum ſobria ſtatuentis. Caſtrum doloris, cubito anguſtius in circuitu ſit, quàm noſtratia ſoleant: ipſe etiam lectus ad proportionem anguſtior. Stratum vero lecti, quod pallium dicitur, ad vetus exemplum, ex ſimplici Damaſceno violaceo ſit ſine vllo omnino auro, aut argento, fimbrias laterum habens ex ſimplici item Damaſceno cæleſtini coloris, in quibus latera ſingula, ſingula tamen inſignia familiæ habeant. Vero in circuitu Eccleſiæ appendi tot inſignium depicta lintea, ludis meo iudicio aptiora, quàm funeri. Pendeant tamen ſuper altari, in quo Miſſa maior cantabitur, & in circuitu caſtri, & in edito laterum Eccleſiæ, quantum caſtrum ipſum porrigitur. Eandem eſſe volo collocationem funalium, quam & inſignium. Ardere ea tot in locis ſine ſacrorum neceſſitate, quem habeant vſum, non video. Legem in his libenter executori do: nè honoris ſui cauſa, ad aliena exempla magis, quam ad ſeipſum cogatur reſpicere: ſermonem etiam de





his omnem teſtantis futurum, non exequatur fidentius. Cereorum, quotidiana, & promiſcua diſperſio magis quam diſpenſatio, multum auget impenſam, nec fructum, qui proponitur habet. Auaritiæ in his ſtuderi videtur non orationi. Ad eos rapiendos concurritur vndique ex tota Eccleſia, pugnatur, clamatur, ſacra omnia perturbantur; quodq; indignius Eccleſia eſt ad hos compeſcendos tumultus publici plerumque vindices adhibentur, haſtis, gladijſque in domo Domini perſtrepentes. Ea ne accidant, preceſque, non rixę meum celebrent funus, nolo, niſi conſidentibus ad orationem, & diuina canentibus illos diſtribui. Per pietatem, quæ debetur mortuis, id non negligat executor funeris. Quaque die in ſalutem animæ meæ legantur per deuotos Chriſti Sacerdotes xxx. Miſſæ tantum. Cum ijs vna cantetur. Qui cantauerit, & Prælatus futurus eſt, ferat in eleemoſyna Carlinos quattuor, in ſingulis Miſſis; vnum qui legerit. Et his ſoluendis, fidelis adhibeatur miniſter, qui ſeipſum & pauperes, & animā meā non fraudet. Solent, mortuis Cardinalibus familiares non veri ad accipiendas familiariū virorū veſtes accurrere, inſtare vt dentur; ſi non dantur, indignari, ac lamentari, vt error non ſit, eos veſtiri volo, qui in notula manu mea ſubſcripta, vel annulo meo ſignata, præſentique teſtamemento incluſa, inuenientur appoſiti, & Capellanis quattuor cannæ. Scutiferis inter quas Parafrenarios, & primum coquum, & Cellarium, & diſpenſatorem nomine, primæ ſortis tres, reliquis dimidiam cannam minus, ſed ſecundæ ſortis iubeo dari. Ita tamen, vt diebus funeris ad orationem omnes conueniant, & pro me deprecentur. Hæc ad Orationem funeris. *extat ad finem epiſtolarum Iacobi Card. Papienſis.*

XXXIV *Moritur B. Ioannes à S. Facũdo Auguſtinianus.*

Eodem anno, Salmanticæ in Hiſpanijs obijt B. Ioannes à S. Facundo Auguſtinianus, qui per plures annos in Miſſæ ſacrificio Chriſtum amoto velamine ſpecierum meruit videre, eiuſque familiaritate vti, ac ſecretas audire, & reddere voces. Fertur, perditæ libidinis mulieris aſtu, venenum propinantis interijſſe, ac ſic martyrij palmam diu deſideratam obtinuiſſe. Clemens VIII. anno Domini 1603. eundem cathalogo Beatorum adſcripſit, coliturque ſolenni feſto, ſacro, & officio, die 2. Iunij, *Nicolaus Cruſenius in Monaſtico Auguſtiniano, 33. p. 630.*

# ANNO CHRISTI 1480.

## SIXTI PAPÆ IV. Anno 9. & 10.

## FRIDERICI ROM. IMP. Anno 41.

I. *Sixtus PP & Ferdinandus Neapolitanorum reconciliãtur Florẽtinis.*

SVperiore anno diximus, Laurentium Medicem ad Ferdinandum Neapolitanorum Regem fuiſſe profectum, ſi quomodo poſſet illum à Sixti Pontificis Societate diuellere. Cum alienaſſe, & nouum fædus cum Rege Florentinos iniuiſſe, fama primum, atque eam ſubſecutæ multorum litteræ, & nuncij, affirmarent, Sixtus de Rege, Senatus Venetus de Florentinis iuremerito quærebatur. Ita enim ſuperiori fædere cauebatur, vt nouam inire Societatem, niſi conſultis ijs, qui vetere fædere tenerentur, neutri liceret. Itaque non ſolum propterea, quod ſecus egiſſe videbantur, quam per leges fæderis licebat, violatam fidem ab illis eſſe cenſebant; ſed illud etiam factum querebantur, vt qui bello gerendo ſocij fuiſſent, (id autem præcipuè ad Sixtum pertinebat) hi à noui fæderis ſocietate per ſummam iniuriam excluderentur. Horum querelæ Florentiam, atque expoſtulationes perlatæ magnum motum Florentiæ excitauerunt. Iam enim in ciuitate non deerant, qui Laurentio parum addicti, & ægre ferrent, & dicerent, eam pacem, ex qua noui hoſtes Reipub. exorirentur, iniquiorem eſſe. Hi noua conſilia agitare parati, perfecerunt, vt cum noui belli metus populo eſſet iniectus, Magiſtratus, ne materia ſeditionis amplius multitudini præberetur (id quod accidere neceſſe erat, propterea quod conſcientia eorum, quæ agebantur, ad plurimos pertinebat) nouum conſilium conſtitueret; ita vt cum ſepuaginta delectorum numero conſtaret, per eos, multitudine excluſa, de ſumma rerum decerneretur. Tum legatos ad Senatum Venetum legi placuit: quem ſi à Ciuitate alienatum appareret, diligenter omnibus eius circumſpectis conſilijs, ad eas cogitationes ſuſcipiendas, quæ digna eius grauitate exiſtimabant, reuocarent. Simul alia legatio ad Pontificem decernitur, ſi qua modo eſſet reliqua ſpes merito iratum hominem, & dignitatis ſuæ, ac muneris memorem placandi. Ac quo magis propenſa ciuitas ad pacem videretur, qui eam legationem obirent, ampliſſimi, homines atque honeſtiſſimi, Petrus Naſius, & Antonius Rodolphus deliguntur, data ijs facultate, quibuſcumque conditionibus viſum eſſet, pacem cum Pontifice faciendi. Quamquam autem iam apud omnes peruulgatum eſſet, fædus Regem cum Florentinis iciſſe; Alphonſus tamen Regis filius, adhuc caſtra in Senenſi agro habebat, per cauſam (vt ipſe ferebat) ſedandi ciuiles diſcordias, & diſſenſiones, quæ numquam in ea ciuitate defuerunt, & eo tempore nondum tumultu belli ſublato grauiſſimæ exardeſcere dicebantur. Atque eò quidem res erat adducta, vt poſtremo communi partium conſenſu in vrbem vocatus, quò de priuatorum controuerſiis conſtitueret, ac pacem inter diſſidentes conciliaret; iam plura etiam ſibi ſumeret, quàm ciuium libertati expediret. Nam & ſupplicio afficiendo alios, & in vincula alios conijciendo, tum multos in varias partes amandando, non Senenſibus modo, ſed Florentinis nouis ſocijs, in magnam ſuſpicionem ciuitatis occupandæ venerat. Itaque cum ſero illos ſuſcepti conſilij, ſed necquicquam pæniteret, qui tandem quò, amentia & furore eſſent progreſſi, non ignorabant; Florentini, quò minùs conatus illorum reprimerent, fædere impediebantur, quod cum Ferdinando patre cupidiſſimè ictum, omni ſibi ſtudio tuendum cenſebant. Tantum autem ex ea re metus ciuitati iniectum ferebant, vt veluti eſſet ventum in rerum omnium diſcrimen, ita prorſus Regis Fidei, & voluntati diffiſi, de ſumma rerum deſperarent. Id vero Florentinos magis commouit, ad pacem à Pontifice flagitandam. Eius animum cum minime obſcurum haberent, aliam legationem, quando minus ex ſententia ſuperioris euentus proceſſiſſet, longè honorificentiſſimam decreuerunt, ex principibus ciuitatis, qui munere legationis fungerentur, duodecim delectis. Hos Pontifex, vt in remittenda iniuria cauſæ rationem habuiſſe oſtenderet, non eſt paſſus ante ſe comparare, quamdiu per certos homines conditionibus paucis iactatis, illos, ad quas maxime vellet, adduceret. Duriſſimæ aliquibus fuerunt iudicatæ; cæterum his, qui grauitatem facinorum expendebant, non modo non iniquę, ſed maxima clementia temperatę. Non eſt neceſſe, illas ex MS. Sixtinarum actionum pag 263. producere. ſatis eſt ſcire, Sixtum, Florentinis ignouiſſe, &, vt Iacobus Volateranus in Diarijs notis MS. Bibliothecæ Vaticanæ num. 3944. meminit. ad XXV. Martij, bellum cum eis ſuſtuliſſe, publicata

ſuſpenſione armorum in templo SS. Virginis, quæ à Populo dicitur, & data die, qua Oratores Florentini publicè veniam peccati, publicè à cenſuris ſoluerentur. Fuere autem hi miſſi, qui veniam præteritorum peterent, ac populum Florentinum communi cauſa expiarent, Franciſcus Soderinus, Præſul Volaterranus, Antonius Rodulfus, Ioannes Ianfiliatius, Petrus Mimerbetus, Equeſtris Ordinis omnes; Guidantonius Veſputius Iureconſultus, Maſus Albizus, Ginius Caponius, Iacobus Lanfredinus, Dominicus Pandolfinus, Ioannes Tornabonus, & Antonius Medices. Ex his Præſul, caput legationis orationem in Senatu habuit, iſtis ferè verbis.

*II. Legati Florentinorum Oratio ad Sixtũ Põtificem.*

Quando nihil minus conuenire videtur, quàm vt qui victi veniam, pacemque petunt, cauſa cum eo, ac ratione pugnent, à quo pax, & venia petenda eſt; breuis ſane noſtra oratio futura eſt, atque explicata futura. Vt nulla aũt eſt ſatis æqua ratio, quæ in cauſa etiam optima, aduerſus parentes liberos tueatur, (vindicanda enim horum iniuria, numquam non læditur pietas, cum vbi illa à parentibus proficiſcatur, iniuriæ ſemper nomen amittat) ita de eo iure decedimus, quod eſſe nobis nullum potuit, quamdiu cum Pontifice Maximo, Principe Chriſtianæ Reipublicæ, parente omnium, qui in hac ſanctiſſima religione cenſetur, geſſimus bellum, atque noſtram ſpem omnem in tua clementia, Sixte Pontifex ſupplices collocamus. Quæ cum diuina virtus in omnibus, Pontificis autem maximè propria ſit; ſi illa omnibus hominum iniurijs videri maior debet, veniam Florentini petimus, non indigni, qui illam ab eo impetremus, quem diuina lex occurrere vltro reſipiſcẽtibus, quem ignoſcere, quem miſericordiæ arcem illam munitiſſimam, quo ſe recipiant, reſerare iubet. Cætera, quæ cauſa ſuppeditat, conſulto omittimus. Ea enim ſi modò vlla in re nobis præſidio eſſe poſſunt, vt leuior peccati cauſa videatur, poſſunt perficere; minimè inficiamur à nobis peccatum eſſe. Temporis ratio, concitata multitudo ſcelere improborum, impoſita nobis neceſſitas, (quod miſerrimum eſt in liberis populis) aut dimicandi, aut ſeruiendi, Pontificem quidem æquiorem nobis reddat: vt videamur penitus culpa carere, modo pęnitentibus haud deſperanda venia ſit, neque ipſi (inquam) quorum maximè hoc intereſt poſtulamus. Atque in eo tamen nobiſcum agitur præclarè, quod non à iudice, cuius nomen animaduerſionis, ſeueritatiſque eſt, ius vllum petimus, (quod etiam ſi eſſet, nullum agnoſcimus) ſed à Pontifice Maximo, quòd eius eſt proprium, certumque munus, aut culpæ liberationem, aut ſi nos ea magis tua clementia quàm cauſa liberat, eam ipſam clementiam lenitatem miſericordiam nobis vt liceat implorare, contendimus. Tamdiu autem diuinam te in terris gerentem poteſtatem homines ſuſpicient, quamdiu ſceleribus hominum ignoſcendo, clementiæ, lenitatis iuſtitiæ partes præſtando, te verè Chriſti Pontificem eſſe, Vicariumque oſtendes. Ita neque cauſa, cui minimè confidimus, neque vllo noſtro aduerſo tempore (leuationem enim aliquam hoc culpæ habet, excuſationem non habet) neque alia re vlla ſuperiores, cæteris vincimus. Poſtulamus, vt nobis ignoſcatur: ſed ab eo hoc quidem, qui citiùs ſe eſſe Pontificem obliuiſcatur, quàm vt patiatur à ſe ignoſcendi facilitatem deſiderari. At qui id poſtulamus? Miſeri, ſupplices, perditis, atque afflictis noſtris rebus; & quod caput eſt, qui & reſipiſcimus, & culpam fatemur. Eo autem in loco ſupplices manus tendimus, qui ampliſſimus idem, atque auguſtiſſimus, ſemper facilis pænitenti portus ad ſalutem patuit; cum ea temporis ratio ſit, vt vna nunc omnium vox exaudiatur; Chriſtianos Principes aduerſùs communes hoſtes excitantium; id, quod nullo modo fieri poteſt, niſi ſublatis anteà diſcordiis, ac pace vbique conſtituta. Nam ſi quid in nobis præſidij, ac ſpe eſt; mutatione conſilij, confiſi doloris ſenſu acerbiſſimo, & (quò quidem nulla eſt noſtra culpa maior, vt maxima illa etiam ſit) ſtudio emendandi in poſterum acerrimo, atque oblitterandi adeò præteritas offenſiones, magis te, quid Pontificis Maximi perſonæ, quàm quid cauſæ noſtræ ratio poſtulet, memorem futurum ſperamus.

*III. Ad Florẽtinorũ Orationem Sixti PP. reſpõſum.*

Cum adhunc modum Legatus peroraſſet, Pontifex, ſatis acriter in vniuerſam Rempub. Florentinam dicitur eſſe inuectus, commemorandis iis, quæ ciuitas aduersùs Pontificiam maieſtatem feciſſe arguebatur. Quamquàm, *inquit*, dubitari non poſſet, quin fracti hominum ſpiritus, atque audacia, armis magis, quàm pænitendi ſtudio eſſent, ſe quidem, cui ſupplicum preces, & verba modò, non quo animo pacem à ſe precarentur, ſpectandum cenſeret, veniam ſe illis daturum: ſed ea tamen conditione ſi animum inducerent, leges victis imponenti (vt æquũ eſſet) nulla exceptione obtemperarent. Numq̃ autẽ illos, aut à ſalute ſua longiùs, aut propiùs perniciem fuiſſe, quàm cum maiorum veſtigijs inſiſtentes, vnius hominis, non dignitatis quidem, aut ſalutis tuendæ (mitius enim id malum videri potuiſſe) ſed dominationis conſtituendæ cauſá, æquè & pernicioſum Reip. & nefarium, impiumque bellum, cum Pontifice Maximo gerere eſſent auſi. Quæ quoniam minùs viderent: vt furioſis hominibus, & qui mente capti eſſent, certa victus ratio, quò citiùs ad ſanitatem redirent, conſtitueretur: eas ſe illis pacis leges impoſituros, quibus aliquando intelligerent, & viribus, quibus maximè ſubnixi inſoleſcerent, & libertate, quæ eſſe chariſſima hominibus deberet, non aduersùs Chriſtianæ Reipublicæ Moderatorem, quem illi fracta armis ferocia parentem communem omnium agnoſcerent, ſed pro religione ſanctiſſima, pro ſalute populorum, pro pace, & concordia, Italiæ ſibi eſſe vtendum. Namque & in eo illos magnoperè falli, qui peccandi impunitatem, & licentiam, qua elati ſuperbiant, tanti ſibi faciendam putent, cum ijdem non videant, libertatis præmium ſibi, quam vnius poteſtati, atque imperio habeant addictam, hanc eandem impunitatem, & licentiam eſſe. Facilè autem intelligi poſſe, non eos liberos eſſe, quòd quæ velint, impunè agant; ſed quòd gratis ſeruire non queant, hanc illis mercedem à ſuperbiſſimis dominis conſtitutam: opimam illam quidem, quando libidinem peccandi, quam improbi modo quærant, communi habeant libertate potiorem. Quę ſanè eò ſe libentiùs commemorare; quo magis etiam intelligant, non omnino illos ſua opinione falſos eſſe, qui in principio ſuæ orationis, parentis ſibi perſonam impoſuerint, nam & parentis ſe, & quidem parentis leniſſimi munere in præſentia fungi, qui liberorum proteruiæ, & contumaciæ oblitus, non ferro domandam ſibi eorum ferociam, ſed verbis comprimendam eſſe ſtatuerit. Itaque illos magnoperè (quod eorum inprimis intereſſet) monitos velle, operam in poſterum darent, nè per eorum audaciam, atque inſolentiam, victa ſua lenitate, qua illi diutiùs, quàm æquum eſſet, abuſi viderentur, ſibi ad ferrum eſſet, & ad arma redeundum; quod in morbis grauioribus vſu veniret, quibus cum lenior curatio minus procederet, remedia adhibentur acriora.

*IV. Sixtus PP. fœderis conditiones legi curat.*

His dictis Pontifex, curauit fœderis conditiones, palàm atque omnibus audientibus recitandas; quibus addi impetrauit, vt Turcico bello, quamdiu hoſtis in Italia maneret, quindecim longas naues armandas ſuo ſumptu, ac ſtatim Ferdinando Regi mittendas, quo illi vſui ad propulſandam vim belli eſſent, curarent. Quod quidem du-

riſſimum



riſſimum ciuitati onus, & grauiſſimum futurum, cum neque ſtudio, neque gratia, neque precibus vllis neque grauiſſimis denique calamitatibus commemorandis, quibus afflicta Reſpub. ac perdita penè eſſet, vt demereretur de cæteris conditionibus pacis, impetrare legati potuiſſent; miſſus poſtea Guidantonius Veſputius, qui functus legatione ad Ludouicum Regem ijſdem forte diebus redierat, & hoc ipſum facile, & multa præterea, quæ reconciliati animi ſigna illuſtria haberent, impetrauit. Die tandem Dominico primo Aduentus, hoc anno M. CCCC. LXXX. omnes legati mane in porticum Baſilicæ S. Petri conuenerunt, Pontificem atque Patres præſtolantes. Ibi Pontifex pro foribus templi procumbentes ad genua, viritim de more virga conuerberatos, terga expiauit. Ingreſſi deinde Baſilicam ſacrificio interfuere; quo peracto domum reducti ſunt, omnium Patrum familijs comitantibus, nam prius vrbem nemine de more obuiam prodeunte, fuerant ingreſſi. Oppida inde per belli tempus Reipub. adempta, reſtituta, ac præſidia abducta. Mouit ad hanc deliberationem Sixtum Pontificem, Turcica in Italiam vſq; irruptio. Mahometes enim Turcarum Rex ijſdem, temporibus Rhodum claſſe appulſa, cũ ſe acerrimè Rhodijs defendentibus fœde inde repulſus, reiectuſque eſſet, Achomatem vnum è Regijs Præfectis impigrum, atque audacem hominem, acceptam copiarum partem Apollonia traijcere Hydruntem iuſſerat, ac maritimam oram illam depopulari; non ſine magna opinione, cum de improuiſo perterritis incideret, per eam occaſionem, aliquam Neapolitani Regni partem, cui magnopere imminebat, poſſe occupari. Sed de oppugnatione Rhodiana operæ precium eſt paulò altius diſſerere.

*Michael Brutus. hiſt. Florentin. lib. 7. Volateranus Geograph. lib. 5. Ioannes Albinas de bello Etruſco. Orlandus Malauoltus hiſt. Senen. lib. 5. parte 3.*

Rhodiana oppugnatio ſic ſe habet.

*V. Rhodiana oppugnatio deſcribitur.*

Poſt Conſtantinopolitanum excidium, ſæuiſſimus Turcarum tyrannus Mahometes, annis viginti octo vi & armis penè omnes vicinas regiones ſubegit, atque circumiacentium inſularum imperio potitus fuit. Itaque ægerrimè tulit, Rhodum, Ioannitarum domicilium hactenus imperio ſuo reſiſtere, atque armis libertatem defendere potuiſſe. Eam igitur quattuor claſſibus fruſtra oppugnare adortus, ſemper inſigni aliqua clade affectus fuit, cum partim captiui ex ſuis palo affixi partim calamis peruſtis perfoſſi, partim membratim diſcerpti, terra, marique trucidati ſuccubuerunt. Cum ergo hoc modo res non procederet, verſutia, dolis, & proditione ſubornatis, qui ſe transfugas fingerent, rem tentauit. pacem enim aliquoties ſimulauit, ſi aut vectigal, aut munera Rhodij offerrent. Generoſitate animorum Rhodij milites vtrumque reijciebant, ac fœdus & munera contemnebant. Cum igitur triennio de proditione Rhodiorum Mahometes conſultaſſet, atque hac ratione nihil effeciſſet, omnes imperij ſui vires eo producere ſtatuit; præſertim cum Rhodij collapſos; vrbis muros, ac mænia reſtituerent, atque munitionibus inſulam vndiquaque egregie munirent. Eius inſulæ oppugnandæ haſce cauſas habebat. Inprimis quod Rhodij vicini viribus Turcarum inſidiarentur, atque labentes eorum res facile opprimere poſſent. deinde quod multis myoparonibus mare infeſtiſſimum Turcis redderent; tertio, quod ab eorum ſacris abhorrerent; ac tandem quòd vni omniũ, neq; impetrata facerent, neque leuiſſimi impoſitione tributi, Turcarum imperium agnoſcere vellent. Ad hæc Mahometes erat ea animi elatione, & magnitudine, vt & incredibili arderet cupiditate nominis illuſtrandi, & æquum cenſeret, neminem imperium ſuum detrectare: quæ cupiditas augebatur rerum proſperarum perpetuo curſu. Erat tum Antonius Meligalus Ordinis Ioannitarum Eques, familia nobili ortus, ſed ingenio vario, & fallaci præditus. Is cum delectaretur magnificis apparatibus, vitæque cultu cum elegantia, & copia, patrimonium paucis annis deuorauit. Redactum ſe ad penuriam videns homo omnium nequiſſimus, nihil humile cogitabat; is nimirum, cui nihil vnquam nefas fuit, nec in facinore, nec in audacia. Meditabatur verò, vt prius patrimonij, ita patriæ ruinam; neque ita ſe parauit, vt ſpes aliqua in ſeipſo eſſet, & conſilium cum re amiſiſſe diceretur; quibus perpeti, ac patrare quàm ſqualidus eſſe Rhodi maluit, cum bona abligurijſſet. Is cum indignus Rhodo eſſet, fallax, & leuis, & ad aſſentationem eruditus, in Regiam Mahometis Conſtantinopolim peruenit; & licet anteà ignotus, ſuis tamen artibus id aſſecutus eſt, vt breui Mahometis familiaritatem intraret, penitus, cum eum acueret ad Rhodum debellandam. Attulerat is ſecum Rhodiæ vrbis deſcriptionem, portis, propugnaculis, munitionibus, arcibus, portubus, vicinis locis ita aptè deſcriptis, repræſentare, vt vrbis facies facile videretur. Idem qua mari peruadendum, quo exponendę copiæ, qua parte propugnacula, mæniaque ſternenda eſſent, ita acutè diſſerebat, oblatus, vt diuina regula, ad antea meditatam oppugnationem videretur. Pellexerat in eandem patriæ perniciem vnum cui vana ſpe animos inflarat, quaſi orto familia Palæologorum, & Eubonicum Demetrium, ac Sophonium, qui quaſi magnorum vanitati deditus, malè paſſim audiebat. Expectauit vero Antonius Rhodo victa vrbis præfecturam; is vero prætexebat cupiditati ſuæ Gręciæ libertatem, quæ & innumeris portorijs, & vectigalibus, & acerba ſeruitute à Latinis opprimeretur: ſe vero iactabat in eam prouinciam ſucceſſiſſe, vt mederetur incommodis Rhodiorum, prouideret ſaluti, ac ſi patriæ amator, & dici, & haberi vellet, quaſi vero fidelior hic eſſet patriæ, quam Chriſto optimo maximo, cuius ſacra homo impius, victus Mohometis auro, intra paucos annos paſſim repudiauit.

*Ad cuius Mahometes à quibuſdam incitatur.*

*VI. Petrus Dambuſſius Rhodiorũ equitũ Magnus Magiſter laudatiſſimus Rhodum munit.*

Petrus Dambuſſius Gallus Aruernus, parentibus nobiliſſimis ortus, erat hoc tempore. 39. Rhodiorum Equitum poſt Ioannem Baptiſtam de Vrſinis Magnus Magiſter. Is puer ſub Sigiſmundo Cæſare vixit, manſuetiorum Muſarum amantiſſimo ita factum, vt litteris imbutus, multorum, quæ ad antiquæ hiſtoriæ cognitionem pertinebant, meminiſſet. Contigit huic forma decora, ingenium acre, conciliandę eorum cum quibus verſaretur amicitiæ, ac promerendi paſſim amoris ſingulare ſtudium. Adhibitus à Carolo ſeptimo Gallorum Rege arduis negotijs, diligentiæ laudem à principe prudentiſſimo eam tulit, vt & amorem eius in ſuſcipiendis mandatis & fidem in conficiendis perſpicere ſe fateretur. Aſcriptus inter Rhodiæ militiæ proceres, optima fide, & fama ſemper apud eos fuit, vt Rhodiæ militiæ Priores, (qui ſeſe Magiſtros appellari voluere) hunc abſtinentem, moderatum, & à cupiditate omni remotiſſimum, præterea magni laboris, ſummæque induſtriæ, digniſſimum ſummo Rhodiorum imperio iudicarint. Ita res Rhodiorum publicas, tamquam ſuas adminiſtrabat; ita manus ab ijs abſtinebat, vt alienis. Idem officioſus, grauis, & liberalis. Itaque Græcis & Latinis adeo placebat, illius vt Ordinis obſeruarent neminem diligentius: adeo cautus, & ſagax, in odorandis Mahometis, & Turcarum conſilijs, vt octauo quoque die per exploratores, quos magna vi auri ſubornabat, omnia haberet notiſſima. Rurſus adeo

vafro

vaſro ingenio in iudicandis his, quæ ab exploratoribus, & transfugis nunciarentur, vt raro ab ijs bis deceptus ſit. Somni cum eſſet breuiſſimi, noctes, dieſq; ad depellendos, aut decipiendos Turcas erat paratiſſimus Rhodi mænia qua infirma eaant, ſedulo inſtaurabat: molas quoque manuales, & publicè, & priuatim curarat. Solitus idem in otio de negotijs cogitare, & magnum quid tacens, & ambulans meditari videbatur. Vbi circa mænia Rhodi ambularet, & circa vicina loca; quos acres, & induſtrios ex ſuo Ordine nouerat, rogabat. Ecquid hac parte ſatis munita propugnacula viderentur. Quid ſi illa parte hoſtis occurrat, qua ei anteuertendum? Quid ſi hoſtium multitudo ſuperueniet in eos, qui vrbe temere eruperint, qua receptui canendum? Quo loco claſſis hoſtium commodiſſime poſſit incendi? Quæ ad incendendum anteà paranda, quæ diuerticula, quæ flexiones implicatis quærendæ? Ex quo intelligebant omnes, Dambuſium mentis agitatione, & earum rerum inueſtigatione, quæ ſibi neceſſariæ viderentur, ad Rhodi conſeruationem, neque otioſum eſſe, neque vbi in præſens certamen veniendum eſſet, imparatum futurum. Non etiam latuerunt eum, quid Meligallus, & Demetrius apud Turcam molirentur. Curauit igitur magnam vim tritici, & omnis generis frumenti ex vicinis locis adduci. Sulphurei verò pulueris tantam copiam repoſitam habuit, vt hæc vna illius cautio maximi momenti ad victoriam fuerit. Arma, tela, gladios, clypeos proceriores ad hoſtem mænibus arcendum recondidit. Per Antonium Dambuſſium fratrem (oppigneratis etiam annuis vectigalibus) pecuniam accepit. A Ludouico vndecimo Galliarum Rege, ſexaginta M. nummum aureorum dono miſſa numerauit. A Ferdinando Neapolis Rege quattuor millia, & commeatum in multos menſes. A Sixto Pontifice Maximo permiſſionem, vt è ſacris vicinis decimas multorum Sacerdotiorum auferret, & quædam vectigalia, quæ ambigui iuris inter Romanum Pontificem, & Ferdinandum Regem fuerant.

*VII. In conſilio Turcarum deliberatur Rhodus oppugnanda.*

Paucis ante obſidionem menſibus Rhodum venerat Antonius frater, ſtipatus nobiliſſimorum equitum comitatu, qui maximè ex Aruernis eſſent. Venit cum eo & Ludouicus è Craonum nobiliſſima Galliæ familia. Præterea Willhelmus Gomarus Xantonenſis, Claudius Columbus Burdegalenſis, Carolus Regius Diuionenſis, Ludouicus Sanguinus Pariſienſis, MATTHEVS Brangelerius Petrocorienſis, & alii plures Galli, inſignes omnes, & bellicis rebus à pueritia aſſueti. Venerat & paulò ante BENEDICTVS SCALIGER, ortus nobiliſsima familia, cuius maiores olim Verona, Italiæque parte non contemnenda potiti fuerant. Aderat etiam Ioannes ab Auu, decimus octauus Ordinis huius in Alemannia Prior, multis nobilibus Germanis ſtipatus. Vtebatur autem ad omnia Dambuſſius CAROLO Montelono Heduenſi, quo neque prudentior, neque fidelior quiſque ferebatur Toto triennio antè concoquebat Mahometes eam expeditionem, incertus adhuc, fluctuanſque, an ſuſcipiendam ſibi proponeret. Tandem rem ad conſilium, vocatis intimis quibuſque, qui bellicis deliberationibus adhiberi ſolent, retulit. Deliberatio hæc omnis fuit; Eſſetnè Rhodus ſummis viribus oppugnanda. Tum iniuriæ Rhodiorum plurimæ, tum contumeliæ recentes illatę adducebant multos, vt oppugnandam dicerent: Accedebat illud, vicinam inſulam, & Latinorum auxilijs nudatam, non difficile eſſe intercipere, quæ multis rebus vſui eſſe poſſet ad aliquas Europæ partes ſubigendas. Neque verò periculum fore, nè inde cum aliquo fortè dedecore abeundum ſit, cum multò plures machinæ ad eius expugnationem afferri poſſent, quàm Rhodo vrbi eſſent lapides, quibus mænia ambirentur. Qui vicinia cætera in continenti littora poſsideat, cur Rhodo abſtineret? cùm & veteres Rhodum Aſiæ addiderint, quæ Cariæ obijcitur. Aſdam qui ſubegerit, æquumnè eſſe Rhodios, vana libertatis nomina, exterorumque numinum cultus iactitantes, colenteſque intueatur? In hac parte hæc erant, quæ Turcas acuebant ad eius vrbis obſidionem; in altera verò, quæ deterrerent, ſequentia. Diuerſam eſſe cauſam Rhodi oppugnandæ, q̄ olim fuerat, aut Conſtantinopolis, aut Trapezuntij imperij: Ibi pro Imperio certatum, hic pro inſula, quæ vix emergat. Cur tot corpora in certam perniciem tradenda? Non idem futurum bellum, qualem per ad Calcidem, aut Scodram. Deligi inſulam omnium bellicoſiſſimam ad prælium, vbi ſedes Ioannitarum Equitum fortiſſimorum; multæ vires, multi concurrentes, multi, qui defenſam velint; etiamſi nemo auxilium ferat, longius bellum futurum. Si reliqui Chriſtiani proceres ſuccurrant, relinqui ad poſteros bellum implacabile; eam oppugnationem cum Mahometi, tum Turcarum vniuerſo imperio inutilem, & periculoſam eſſe. Sed Mahometes priorem ſententiam probauit. Decimoquinto poſtea die Dambuſſius per exploratores admonitus eſt, quaſi non dubium bellum haberet: ad futuros mox Turcas, Miſacho Palæologo Duce cum maximis copiis, & euocatorum firmam manum, & fæderatorum populorum, Regumque, & ſociorum tanta auxilia adfutura, vt octuaginta hominum millia expleant. Ea re cognita, ipſe exercitu luſtrato, Rhodijſque ciuibus, & exteris, Iudæis quoque & ſeruis, qui ad arma vtiles erant, ſexdecim hominum millia habebat. Segeteſq; etſi immaturæ eſſent colligi, & in vrbem inuehi curauit, ne prædę eſſent hoſti.

*VIII. Claſſis Turcica Rhodũ venit.*

Iam per flexum littoris Lycij claſſis Turcica felicitate nauigandi vſa, cum Auſter leuiſſimus ſlaret, Rhodum contendebat. Rhodi ſitus à veteribus ſæpe deſcriptus, non in eo loco nunc hodie viſitur. Qua portus Septentrioni eſt oppoſitus, mari alluitur. quæ pars Occidentem intuetur, hanc excipit planities lapidoſa, maiore longitudine, quam latitudine proxime videntur colles aprici ciuitati imminentes, villis viciniis lautè ædificatis, & fontibus vndique ſcaturientibus, hortis, oleaſtris, vitibus, ceraſis, malis punicis, citrijs inſignes, qua exitus patet in montem Phileremum, Dambuſſius propugnaculum munitiſſimum paucis antè menſibus erexerat. Fanum enim Diui Stephani eodem itinere vix vno milliari ab vrbe diſtat. Habebat Dambuſſius plurimis viciniis locis induſtrios homines diſpertitos, qui in ſpeculis excubabant; ſed qui in monte erant, primi aduentum Turcicæ claſſis tumultuoſe ſignificarunt. Diſſipatum interea conſulto ab hoſtibus Mahometem occubuiſſe, vt imparatos Rhodios eò facilius opprimerent. Sed Dambuſſius vanum rumorem agnouit, & de priſtina cautione nihil remiſit. Poſtea Paleologus, Meligalum ad ſe in claſſe vocauit. Verum is paucos ante dies, ſcaturientibus vndique vermibus, tetroque odore omnibus commotis, Dei hominumque fidem implorans, quos ea perfidia implacabiles habebat, nequicquam quiritans, à nautis in mare præcipitatus fuerat. Vocari deinceps Paleologus iuſſit Demetrium, eoque velut interprete, & itinerum Duce poſtea vſus eſt. Equitatus Turcicus decimo Calendas *Iulij in monte S. Stephani fuit expoſitus. Ibi machinas æneas, teſtudines, apparatumque alium oppugnandæ vrbis ima montis parte collocarunt, ita aptè vt ob montis cacumen rupeſque è Rhodo conſpici non poſſent. Superuenerunt deinde alia copiæ. Dam-

*Meligalus Rhodi proditor diui nitus punitur.*

* Iunii





buſſius etſi antea, quum vrbis præfecturam Antonio fratri abſtuliſſet, varie ſingulos hortatus fuiſſet, tamen Turcis nunc præſentibus, ſimul omnes conuocauit, & rurſus ad ferenda obſidionis incommoda, tali oratione hortatus fuit; *Tandem aliquando, Sodales chariſſimi, quod & litteris multorum, & ſermone omnium perferebatur, videmus Turcas anhelantes ad perniciem noſtram; templa, aras ſacroſanctaque noſtra ſacra violare paratos: vaſtitatem vrbi huic nobiliſſimæ, interitum ſingulis nobis moliri; fortunas omnium, vitas, ſpes opeſque omnes, tot annis parta decora inuadere. Atque ego quidem vt omnem belli martem communem, & ſemper incertos eſſe præliorum exitus non diffiteor, animi tamen veſtri magnitudine in ſpem certiſſimam victoriæ vocor. Suſceptum ab eis bellum nullo noſtro merito; cauſa nulla alia quam libido immenſa propagandi imperij, opprimendique nominis Latini, & excindendi ſacroſanctæ Chriſtianæ religionis. Nobis machinæ, tela, commeatus in multos annos; nobis auxilia ex Italia, & Galliæ firmiſſima; nobis denique Dux & author* Chriſtus *optimus maximus, quo freti, vim ab hoſte ſcelerato, & impio facilè depellemus. Nobis nominis Chriſtiani tuendi cura exſuſcitat animos, & maiores ad vim depellendam facit: illi pro impijs ſacris propagandis laborant. Nobis Itali,* Galli, *Germani ad bella nati; illis Ægyptij, Syri, Aſiatici militant ad delicias educati. Neque ego vllum velim ſcientem in paratam perniciem incurrere, neque vana ſpe lactare animos; id tamen ſpondeo promittoque, ſi longius bellum ducetur, & Italica, & Gallica, & Germanica, & Hiſpanica auxilia ea adfutura, non dicam, quæ obſidionem ſoluant, ſed quibus freti vltrò, & Conſtantinopolitanum illis, Trapezuntinumq; imperium eripere poſſimus. Videbunt illi, neque ſuis ſe conſilij vllum exitum reperturos, & tot*** *eorum rem ita vacillare, & claudicare, vt præcipitem hinc profectionem inutilem ſibi fore ſentiant. Quòd ſi quid acerbius etiam impenderet, conſcientiam rectæ voluntatis, & vitam profuſam tuendorum ſacrorum noſtrorum gratia, ecquis non feliciſſimam, laudatiſſimamque diceret? Me quidem ipſum, ætas, & acta iam vita cum ſuo curſu confecto, ex animi ſententia in propagationem Chriſtiani nominis, tum certiſſimum, quæ bona maneant à patre illo cæleſti, & diuina præmia eo vocant, vt vim etiam, futuroſque caſus parum timeam: qui tamen ne nos opprimant, quo ad eius fieri potuit, data egregie à nobis eſt opera. Vos fortem facitè animum habeatis, & magnum, quod eſt in vnis vobis ſitum. Reliqua temporibus regentur, conſilijſque noſtris prouidebuntur.*

*Dambuſſius ad obſidionem ferendam ſuos hortatur.*

*IX. Rhodii cũ Turcis pugnant.*

Accidit, vt die qui ſacer eſt Diuo Ioanni Baptiſtæ, antelucano tempore, Demetrius transfuga cum turmis aliquot equitum, & peditum Paleologi iuſſu, circa muros vrbis obequitaret, locaque apta ad oppugnationem deſignaret. Non tulit Antonius Dambuſſus contumeliam transfugæ: ſed circa recentem Turcarum aduentum, ad exiſtimationem nominis Ioannitarum pertinere arbitratus, comprimere eorum inſolentiam, acceptis à fratre turmis aliquot equitum eo contendit. Turcæ, hortante Demetrio eos intenti, intenſique excipiunt. Committitur prælium: Antonius adeſſe inſtare, multiſque locis ſtipatus lectiſſimis equitibus in eos inuehi: contra ea Demetrius cum Turcis obſiſtere: vbi quemque periculum caperet, ibi reſiſtere; pedites equitibus permixti, vim propulſare; denique quando numero vincebant, à tergo noſtros inuadere. Antonius conuerſo equo id intuitus, eo impetu in hoſtes inuectus eſt, vt iam illi implicati, & diſſipati cedere cogerentur. Magna pars aut vulnerati, aut cæſi ſunt. Ipſe Demetrius ſuffoſſis ilijs equi procidens, obtritus eſt equitum incurſu. Muratius eques Gallicus, dum cæſi ſpolia incautius legit, vna quoque necatus eſt, Turcis etiam caput eius palam conto geſtantibus, eique mira diritate inſultantibus. Hoſtes, qui ex prima eruptione Rhodiorum robur fugati cognouerant, Georgio Frapamo machinarum admouendarum artifice authore, decreuerunt non aperta oppugnatione aut acie, ſed alio modo Rhodum oppugnandum. Occupato igitur horto Antoniano, & exciſis arboribus, tres inuſitatę magnitudinis machinas erexerunt, quibus Nicoleum propugnaculum, portamque ſubuerterent. Aduerſus eos conatus Dambuſſius antea eò traductis ingentibus duabus machinis, quibus Baſilici nomen inditum erat, ita aptè eas hoſtibus opponi curaret, fruſtra vt incæptum eorum fuerit. Erat hortus Aruernis equitibus attributus; & quia ad ſubitas eruptiones aptus videbatur attributus cuſtodibus ſeptus fuerat vallo, & foſſa, additus quoq; machinis Paleologus loco animaduerſo hunc ſtatuit oppugnare ratus, id, quod res poſtulabat, aut Magiſtrum laborantibus ſuis auxilia ſubmiſſurum, & vrgente ſuorum multitudine intercepturum ſe eos; aut ſi auxilia non veniſſent, loco ſe potiturum. Diffidere quoque loco cæperat Rhodius. Itaque antequam luceſſeret, diſtributis cohortibus, & auxilijs. machinas inde abducere parabat. Hoſtes inſtare, vrgere; Rhodij, vbi innumeros hoſtes viderent, veriti, ne quid grauius accideret, relictis hoſti machinis, in vrbem ſe proripuerunt. Id eorum conſilium, etſi metu forte compulſi ceſſerant, laudauit Dambuſſius; non ignarus, ſi hoſti occurriſſent cohortes, id futurum, vt occidione occiſi omnes, nullo poſtea vſui in tanta militum penuria ſibi, Rhodijſque eſſent. Rhodi vrbis ſitus diſtat à turri Nicolea trecentos ferè paſſus. vergit ea in mare miro artificio ad Myoparones bellicos excipiendos, præceps valde qua patet ad occaſum. eius exitus paulo eſt anguſtior, iminente ingenti concauitate. Verſus Septentrionem ea moles ſita eſt, eique impoſita turris prodigioſo opere, circumdata vndique rupibus marinis. Viſitur adhuc hodie moles dextro cornu ante portum in mare proiecta; cui impoſitum ferunt Solis nobilem illum Coloſſum quem Soldanus Ægyptius, circa Heracly Cæſaris tempora; in Ægyptum tranſuexit. Munitam ferunt turrim pecunia collata à Philippo Burgundionum Duce. Perſuaſerat ſibi Palæologus: hac occupata proſperè ſucceſſura omnia. Itaque rurſus circa hortos Antonianos multò plures machinas diſpoſuit, & ingentis molis turres ligneas erexit eo conſilio; vt munitiones, quibus ſeptus eſt portus, conuelleret, & ne naues aliæ auxilium ferrent, facile impediret. Ex his turribus ſaxa ingentia voluebantur, ſed irrito conatu: in quo Georgius Paleologi conatum fefellerat. Et cum ſe illi ſuſpectum videret, vel dolo malo, (quaſi exploraturus Rhodiorum conſilia) antequam luceſceret, viſus eſt circa portas vrbis, obuium quemque rogitans, vt ad Dambuſsium perduceretur: Hunc plerique veluti exploratorem mox necandum cenſebant: alij ſponte, & ſincera fide tranſiſſe, expiandæ veteris perfidiæ gratia, dicebant. Vicit ea ſententia, vt attributis ei ſex cuſtodibus diligentiſſimè obſeruaretur: ipſe interea rogatus de apparatu, copijs, conſilio hoſtium, grauiter, prudenterque diſſerebat.

*X. Plures Turcæ pereunt.*

Hoſtis interea quatiebat fruſtra admotis machinis vrbis mænia, pilæ tamen ſæpius præteruolantes priuatos infeſtabant. Itaque Paleologus retulit animum ad vetus conſilium, & ſpem Nicoleæ turris occupandæ. Ex his ergo ligneis turribus ingentia rotunda ſaxa in Nicoleam voluebantur. quin & nuper, cum trecentas machinas minores admouiſſet, pars, quæ in occaſum vergit ita quaſſata eſt, vt ingentia ea Saxa, quæ extra turrim collocata erant aptiſſimè ad vim depellendam, corruerent: quorum ruina ingens fragor exauditus eſt. Signinum tamen, aliaque ædificij opera integra manebant, mortario necdum excuſſo. Commoti ſunt grauiter Rhodij ea ruina: Sed Dambuſſius per induſtrios homines hortabatur, moderate eum caſum ferrent; ipſi ſe interea, contra fortunam cautius pararent & armarent; curaturum ſe ne hoſtis ea turri potiatur. Erat tum Rhodi

Antonius Fradinus Franciſcanus, vir doctus, & eloquens, qui ſuis concionibus id aſſecutus erat, vt vnus aptus eſſet ad populum languentem incitandum & ad effrenatum moderandum, & placandum. Cum autem hoſtes putarent, ſe turri potituros, Magiſter Equites Rhodios delegit, qui locum tuerentur. Fabritio etiam Carretto imperauit, foſſas, propugnacula, nouaſque munitiones intus excitare, quibus vis hoſtium arceretur, huncque cum reliquis præſidio reliquit. Ipſe nauicula vectus locum ipſum luſtrauit, & quæ eo muniendo neceſſaria eſſent vt accelerarentur, continuatis noctu, diuque operibus curauit. Ibi verò cubicula, quibus Rhodij equites inſederant, ita oppleta ſaxis, arenaque viſa ſunt, vix vt recipiendis illis vacuus locus inueniretur. Excitata eſt, & alia munitio circa propugnaculum, quod antemurale vocant, & turrim, quæ à Diuo Petro nomen retinet. Ex eo loco vſque ad molem quæ protrahitur verſus turrim, Nicoleam, quando ibi mare parum profundum, & interdum vado inuento permeabile erat, in valle. & foſſis equites Gallici, & Hiſpanici notiſſimæ virtutis, Craono, & Scaligero Ducibus collocati ſunt, qui facile reliquis auxilio eſſent: Sed & machinas bellicas, plures circa mænia auehi iuſſit, quibus naues, faſeloſq; Turcarum, qui ſeſe accingebant ad turrim occupandam deponeret. Nocte, ingenti vlulatu, quid pararent, oſtendebant: prima luce tympanis oēs excitati, ingens vbiq; ſtrepitus. Turcæ noſtros inuadunt, machinarum fragor ad cælos ferri. Qui turrim defenſabant, contra acerrimè niti, neque vllus quam in dextra ſpem habere; Sagittæ vtrinque volare; intenti illi noſtros loco pellere, noſtri fortiter vim arcere; illi rurſus plurimis locis ſemiruta loca propugnare, noſtri ſaxa voluere, quibus multos in mare præcipitabant: maius illis ſtudium Turcas ſauciandi, quàm ſemet tegendi. At dum feſsis, & ſaucijs recentes vndique Alexius Tarſius ſubmittit, ſcalis Turcæ propè ſumma occuparant, Eo die Paleologus ægrotabat, atque Tarſius Turcis præerat. Concurrunt Rhodij, lapides, tela, ollas pice, ſulphureque igneo plenas ingerunt; Turcæ noſtros moleſtabant funibus, & reſtibus, quæ inſtar ſcalarum aptè compactæ, ac hamis, & harpagonibus paratæ fuerāt, quas Turcæ mira arte in Turrim sūmo impetu vibrare edocti erāt. Vbi aūt oēs ſcalæ, hameq; à noſtris comminutę eſſēt, vela contraxerunt. Multi afflicti, multi in aquas præcipitati; magna pars poſt tertiam horam diei, vulneribus confecti, ducis iuſſu inde ſe ſubduxerunt, Octingenti Turcæ occiſi, mille vulnerati, & plures aquis ſubmerſi fuerunt,

XI. *Dambuſſius, eiuſq; frater ſtrenue decertāt.*

Prælio eo ipſe Dambuſſius, & eius frater Antonius interfuit, excuſſa etiam caſſide forti lapide (tertitis alijs) pileum ſumpſit, nihilque remiſit de priſtina diligentia, quin ſuis ſemper præſto eſſet. Sagittam quoque in femur impactam clypeo diuertit. Cum etiam Fabritius Carrettus oraret, ſubduceret ſe periculo, cum illi proximus Baptiſta Aguius cecidiſſet; Tibi, *inquit*, tuique ſimilibus labores hi mei proderunt; præſagiens, & vaticinās Carretto ſummam imperij Rhodij poteſtatem, qua & poſtea potitus eſt. Antonius quoque prægrauante Turcarum multitudine, ingenti arca è ſatis longinquo loco humeris vecta, ingenti ſtrage proiecta, ea multos eliſit, & oppreſſit. Sequenti die ad claſſicum Dambuſſius paludatus, & equitibus ornatiſſimis comitatus, Rhodūm redijt, vbi ei omniū cōcurſus mirabilem in modum præſto fuit. Nihil exoptatius aduentu illius, nihil charius. Supplicationes etiam, ob res proſperè geſtas decretæ. Tum etiam in templo Diuæ Virginis Deum obteſtati, auerteret iram à Rhodijs, & in viliſſima Turcarum capita transfunderet. Paleologus autem ea ſpe excidens, admotis rurſus machinis quatiebat mænia, aditum parans, qua ſui irrumperent. Sed & acriter Turcæ Vrbem oppugnabant; erectis propugnaculis è regione montis, qui vergit ad Septentrionem, eo loco, quo ſupplicium de ſontibus ſumi ſolebat. Loco excelſo machinas admouent, quibus & mænia, & domos Rhodiorum concutiebant, Nec id fefellit Dambuſſium. Itaque Iudæorum hortos, domoſque ibi adiunctas ipſe diruendas curauit. Ibi foſſa, & vallo locum ambientes, erecto etiam muro ſecundum foſſam, nè eo peruaderet hoſtis, effectum eſt, Nemo ab eo opere immunis fuit, vel omnibus paſſim ad tam vtile opus operam ſanè quàm lubenter deferentibus, præſertim cum duces, terram lapides, calcem, arenam ſuis ipſi humeris aduehebant. Horum exemplo & exteri negotiatores, & Iudæi ipſi operas quoque ſuas in id opus contulere. quin & Franciſcani plauſtris ſubuectabant ſabulum, totaque ea oppugnatione armati, negotia attributa ſtrenuè curabant; vt eo maximè motus Dambuſſius victor poſtea cænobium Diuo Franciſco ædificandum magnis ſumptibus curarit.

XII. *Mulieres quoq; arma cōtra Turcas accipiunt.*

Horum exemplo commotæ mulieres ipſæ Rhodiæ, & quæ ſacris addictæ erant, dum alij incumberent operibus, cibos occupatis præparabant. Ipſæ quoque (ſi quæ virili corpore apparuerunt) in tranſuectione publica armatæ viſæ quo hoſti è monte ſpectanti, maior numerus tuentium vrbem videretur. Sed tamen hoſtis machinarum aſſiduo impetu ità profecit, vt ſterneret partem muri: nocte quoque ſaxa voluentes, multos è Rhodijs opprimebant. Ita magnus Magiſter collapſa celeriter reficere, intus nouas foſſas erigere, has leuiter arena ſuper iniecta tegere, proximè picatum, & apparatū ſulphureū admouere, vt ſi ea hoſtis irrumperet, facile opprimeretur. q Paleologus per exploratores intelligens, irrumpendi conſilium diſtulit. Cum autem eorum ſaxorum impetu, quæ ingentia in oppidanos voluebantur variè omnes afficerentur, pueros, & mulieres, quæ bello inutiles erant, Magiſter in hortum concluſit, annona affatim illata: eum tabulato ita contexit, illæſi vt omnes fuerint. Noctu plerique in cellis vinarijs, antris, & cauernis, concauiſq; & tectis locis deſidebant, vt ſaxa vitarent, multi quoque in ædes ſacras ſe abdebant. Cum ita omnes latibulum, & perfugium nocte quærerent, hoſtis ea oppugnatione nihil profecit. Neque tamen Paleologi animus imminuebatur; quin plura quotidie agitaret, & machinas rurſus opportunis locis admoueret.

XIII. *Dambuſſium veneno tollere Turcæ procurant.*

Vbi Turcæ multa agitanti nihil procederet, per transfugas aliquot, qui nondum indicto bello ſubdole Rhodum ſpeculari Equitum conſilia ierant, parat veneno Dambuſſium tollere. Rumor interea ſparſus eſt, auctus Calibaſſæ iunioris vanis impoſturis, qui à Turcarum Imperatore in caſtra miſſus fuerat, ad futurum mox Mahometem ipſum cum centum millibus armatorum, & machinis mille quingentis inſignibus. Eo rumore Itali aliqui, Hiſpani, & Nauarrei ita conſternati ſunt, vt conuenticulis actis quærerent, ſaluumnè futurum eſſet Rhodiorum imperium. Dambuſſius, non minuendo, nec negando rem, at prætereà augendo, addendoque confirmabat. Mox etiam ijs vocatis qui ſeditioſe miſſionem flagitabāt, nauibus ſe eos, quas in terras vellent, ni auehēdos curaturum ait, lubenterque ſe eos ex manipulis expuncturū, modo deſinant quærere, quantæ eſſent hoſtium copiæ. At ſi odioſi eſſe pergant, inferias ſe Plutoni daturū, omnibus iugulatis. Rhodum etiam, ſolis Ioannitis iuuantibus cum incolis & Veronenſium cohortibus, quas lectiſſimas Scaliger adduxerat, defenſurum ſe edixit. At hi ad frugem redeuntes, pænam vltrò in ſe depopoſcerunt, vt oblitterata ſeditionis infamia, cū tumultuoſiſſimè hoſtes adeſſe dicerentur: proriperent ſe, nec redirent, niſi multis capitibus conto elatis. Sequentibus quoque oppugnationibus maximo vſui fuerunt, perforatis aliquot hoſtium tormentis





repentina eruptione. Nec tamen erumpere eos ſinebat Dambuſſius, niſi attributis Aruernis, vt Paleologus rem eſſe ſibi dixerit cum bellicoſo Cantabro, Quirinique & Caroli magni vetere progenie, & Hiſpano indomito. Nouerant enim per transfugas, à quibus ea irruptio fuiſſet, tentata.

XIV. *Deteguntur inſidiatores & puniuntur.*

Interea Ianus Dalmata transfuga in vrbe diſquirebat, quo pacto Dambuſſium veneno aggrederetur; denique omnia tentando ſocium ſibi adiunxit Pythium Epirotam. Erat is Mario Philelpho familiariſſimus, qui fuit Magiſtro à ſecretis: recenti tamen ſeditione, cui is hæſerat, amicitia excidiſſe videbatur. Hunc Pythius anxium aggreditur, hortaturque pænas petat violatæ amicitiæ. Id adeò maturè poſſe euenire, ſi veneno parent Dambuſſium tollere; eſſe id ei facillimum, cui cum cocis, pincerniſque Magiſtri ſit magna familiaritas. Sed ille cum ſimulaſſet ſeſe ea curaturum, quæ maneant præmia, exquirit. Ille Paleologi litteras oſtendit, quibus rem accelerare monebatur; quamcumque participibus facinoris fidem dediſſet, ſe præſtaturum, nec tamen ſubſcriptæ erant, ne res deprehenderetur; tantum prima litterarum nomina latius à tergo ſcripta viſebantur. Marius vti ingenio, & optimis ſtudijs, quibus erat deditus, æquum fuerat, cum recepiſſet ſe curaturum, quæ in rem videbantur, cognitis inſidijs, ad Dambuſſium pergit, & rem omnem vti acta erat, enarrat. Comprehendi mox ille iubet Ianum, & Pythium. Sed Pythius interrogatus de inſidijs, quid egiſſet cum Mario, & quid paraſſet, primo negare, deinde diſſimulare, poſt vbi tormenta adhiberi videt, omnia vti parata erant, aperit; docetque magnis ſe premijs ſollicitatum, vt Principem veneno tolleret. Igitur Pythio gula laqueo fracta, Iano caput detruncatum. Conicij duo tanti facinoris, cognito indicio fuga vrbe elapſi. Marium deinde ardentius complexus Dambuſsius, præſertim cum in eo inſigne lumen probitatis & fidei, delato hoc facinore, perceepiſſet.

XV. *Turcarum Dux Paleologus anceps hæret, multoſq; ex ſuos amittit.*

Detectis his domeſticis inſidiis, Paleologus diu in incerto habuit, quidnam conſilij caperet. Rediit autem rurſus ad Nicoleam turrim: priùs tamen parauit comminuere eas munitiones, quas Rhodii circa littus maris erexerant. Antonius Magiſtri frater, animaduerſo eorum conſilio, quinquaginta ex Italica ſtatione delectis, exitu clanculum ſub tus terram parato, ſummo eos ſilentio emiſit, circa locum, quo incipiebant hoſtes ea moliri, qui ſublatis repentè ſcalis, gladiis, lapidibus, in fugam Turcos vertere, diſsipato eorum apparatu: decem ex his necati, quorum capita haſtis victores extulerunt. Eos palàm laudatos multis Magiſter præmijs donauit, ac tantos eis honores habuit, vt quaſi prodigus deprehenderetur. Iam Turcæ machinationes ſuas ſumma induſtria turri admouebāt, ſperantes ſe munitiones noſtrorum fracturos. Sed quæ hi diruebant, mox multitudine operum, & militum reficiebantur. Inierunt autem de integro nouam rationem, vt ponte conſtrato ex tranſuerſo prodirent, ex fano Antoniano, vſque ad turrim Pons ex varijs lignis conſtratus eſt, cui inerant aditus deſuper: ingentes porrò claui ſuffixi, ita vt latus exciperet ſex homines armatos prodeuntes. Hūc per mare funibus oblongis grauiùs obſtrictū trāsferre parabāt. Geruaſius Rogerius Britānus rei nauticę peritiſſimus, noctu indicans ſuis, magnū neſcio quid ſe moliri, in mare inſilijt; ſummaque celeritate vſus, funes, quibus pons illigatus erat, incidit; deinde ordine rē, vti geſta erat, in vrbem rediens, Dambuſſio enarrauit. Huic ille ſummos honores habuit, donauitque ducentis nummis aureis; pro concione etiam publicè laudauit. Hæc vbi fruſtra fuere, parant hoſtes pontem ſubductis plurimis nauiculis in turrim educere; ſimul etiam faſelos plurimos, & pontones miræ magnitudinis, quibus abundabant, ſubducunt, onerantque eos tormentis bellicis; vt vno eodemque tempore, alij noſtros, qui præſidio turri, relicti erant, infeſtarent, alij aſſenſum pararent, alij machinis eos terrerent. Cum eſſet Dambuſſio nunciatum, faſelos hoſtium circumduci: eoſque claſſem inſtructam, & paratam in aqua habere, nouo præſidio mille delectis equitibus locum auxerat, intuſque omnibus paſſim intentis nouas munitiones pararat. Repente noctu ſigno dato noſtri inuaduntur; ſed hoſtes ſagittis, globiſque æneis pelluntur. Magna rerum, hominumque ſtrages; nocturno fragore vlulatuque circumſonante, pons cymbis tranſuehitur. Sed machinas aliquot bellicas Magiſter ita aptè direxerat, vt hæ pontem, & reliquum apparatum, comminuerent, & quattuor myoparones, & pontones aliquot onuſtos bellicis tormentis perfoſſos diſſiparent, vbi multi quoque ex hoſtibus ſubmerſi ſunt. Nec tamen remittebant hi aliquid, de priſtina oppugnatione. Namque multitudine tormentorum bellicorum abundantes, variè Rhodios infeſtabant, qui & ipſi alijs tormentis hoſtilia ſubuertebant. Protracta ea oppugnatio ex hora noctis tertia vſque ad ſequentis diei horam decimam. Paleologus, vbi vidit ſuorum numerum minui, receptui cecinit, & ira ardens in caſtra redijt. Fluitantia hoſtium corpora diebus ſequentibus littori appulſa ſunt, & ſpolia à Rhodijs lecta. Duo hominum millia quingenti deſiderati. Eadem nocte duo è Creta ſtipendiarij, qui tranſitum ad hoſtes parabant intercepti, capite plexi fuerunt.

XVI. *Turcæ iterum vrbis mænia quatiunt.*

Circa eam muri partem, vbi Itali, & Iudæi excubabant, rurſus incubuerunt hoſtes; ac die quidem non deſinebant mænia obruere, nocte verò actis cuniculis, muro quidem maximè inſtare, foſſas quoque perfodere, eaſque ne viderentur arboribus contegere, munitiones nouas erigere, eaſque viburnis tegere vt inde commodius machinas æneas admouerent. Erat ingens foſſa, aut hiatus haud longè à muro, quem illi multa arena, multiſque ſaxis illatis peræquare inſtituebant, vt inde veluti dorſo parato commodius in murum ſcandere eis liceret. Conſuluit Dambuſſius quid agendum, quoue pacto diſturbandæ hoſtiles munitiones. Placuit Caroli Liguris equitis conſilium qui machinam ligneam die quidem ſtruendam, nocte vero altius promouendam docuit, qua ingentia ſaxa ad hoſtilia opera laceranda emitterentur. Nec ſpes fefellit. Nam ita ingentia ſaxa nocte emittebantur, altius promota machina, vt munitiones eorum comminuerentur. Placuerat eodem authore, vt vacuaretur ea foſſa, quam hoſtes exæquarant. Ita nocte cuniculis actis, eò multi concurrere, vt magnam partem hiatuum, (vti antea) vacuam reddiderint. Paleologus tot ſe repente circumuallatum anguſtijs fatebatur, vnde numquam emergeret: Calibaſſæ tamen conſilio non deſijt mænia quatere. Dambuſſius cum fratre, & ſanctiore conſilio diſquiſiuit, quo pacto ſe tanta hac turba expediret, ruentibus iam muris, qua Itali, & Iudæi excubias agebant. Decretum tum fuit, iuxta vicinum hortum, alterum murum extruendum, geminatum palmarum latitudine denſatum mox figere ima terra paxillos è ligno tenaciſſimo; diffundi deinde diſpergique viſci copiam, diu multumque commixtam, & aqua irrigatam intra arborum ramos, quæ mox comprimatur. Vt conſtitutum erat, mox opus procedebat; nec tamen calibaſſam latebat. Dedit igitur operam, vt opus impediret, adhibito plurimo igne artificioſe admoto. Hic magna induſtria inferebatur, doliolis plenis pice, & ſulphure aptiſſimis incendio mouendo. Accedebant loculi, & ſacculi, alij lana, & canabi ferro intermixto: alij ramento, ſcoria, & ferri excremento, quibus ille exiſtimabat ſe munitiones deleturum, Sed accidit, vt Auſtro reflante, vel quod verius eſt

imperitia eius, qui machinis ijs erat præpoſitus, vanus is eſſet conatus, multoſque ex hoſtibus abſumeret. Ipſe quoque Magiſter, quid hoſtes machinarentur, per transfugas intelligens breuibus illatis machinis multos proſternebat; vnde Rhodijs, & ſocijs animi aucti. Georgius transfuga in eũ locũ perductus fuerat, vti cõſuleret, qua arte eludendi eſſent hoſtes. Is cum perfunctoriè agere videretur, ad extremum conſuluit, vt noua, eaque altiuſcula erigeretur machina, vnde Turcæ impeterentur. Hæc dum pararetur, machinis hoſtilibus vexati ſunt noſtri acerrimè. Ita diffidere omnes illius conſilio, vt transfugam fallaciſſimum ad ſupplicium traherent. Sunt, qui inuito Magiſtro, diſcerptum à furibunda plebe dicant; ſunt, qui acerrimis hominibus ad quæſtionem datum, ordine retexuiſſe narrent, quo dolo in vrbem tranſierit; quibus artibus Rhodum Mahometi daturum ſe pollicitus eſſet: quibus ſimulationibus alias quoq; vrbes, aut ad deditionem pellexerit, aut inuitas diripiendas eluſis ciuibus ei tradiderit.

XVII. *Paleologus alius aſtutiis Rhodios tentat.*

Eius ſupplicio acciſas ſpes aiunt Paleologo, qui etſi omnibus modis inſidias parabat Dambuſſio, intelligebat tamen neque illi ad cauendum prudentiam, neq; aſtutias deeſſe. Poſtquam ergo vidit, vim fruſtrà eſſe, neque inſidias proſperè cedere, quando quæ vi tentarat, aſpera, fædaq; acciderant, conſtituit alijs aſtutijs Rhodios opprimere. Scribũtur litteræ à Paleologo Græcis: & Rhodi antiquis incolis, quibus narrat bellũ hoc à Mahomete ſuſceptum, vt eos æquitate, & fide tueretur, oppreſſos iã Latinorũ ſeruitute. Principiò eos virtutis, continentiæ, beneuolentiæ, libertatiſq; patriç propagãdæ viſos ſtudioſos. Senſim hãc cõſuetudinem, & diſciplinam amiſſam: ſæuitũ in eos, reliquaq; Græciæ lumina videri iniquũ, vt iam commoti eorum contumelijs multi, patria, fortuniſq; carere maluerint: id eſſe clariſſimum, & Antonij Meligali, ac plurium aliorum exemplo. Tandem aliquando miſeræ patriæ conſulant, libertatis, legumq; præſidium, quod Ioannitarum improbitas eripuit, reſtituant, nec eos patiantur, licentia rapinarum, quaſi rabie ad ſingulos, integroſq; procedere. Dambuſſium nè audiant, qui angatur, & laceretur animi cupiditate, & noxarum metu inquies, abutaturq; eorum facilitate ſibiipſis conſilium ſalutare capiant, antequam copijs rurſus admotis, ferro, & flammis Rhodum ſubuertant. His litteris publicè lectis, incolæ Magiſtro reſponderunt: promiſſis inſidiarum pleniſſimis ſe nihil moueri à Græcis verò ſibi, & omnibus Latinis paratiſſima omnia eſſe conſideret: iuberet demùm, quæ ad Rhodum tuendam pertinere arbitraretur, omnia ſe diligenter, ſtudioſeq; curaturos, profuſo etiam ſanè quàm libenter ſuo, liberorum, vxorumq; ſanguine: quæ cum facerent, amorem erga ſe Latinorum imitaturos, merita non aſſecuturos.

XVIII. *Ipſum quoque Dambuſſium Rhodiorũ Magiſtrũ*

Poſteà quoq; rurſus è Græcis transfugis legati ad Dambuſſium mittuntur, qui intromiſſi: variè eum ad deditionem Mahometis, etiam oſtentatis præmijs, accendebant. Monuerunt etiam, videret quò progrederetur, re iam proclinata. Non eandem illi ſemper occaſionem in conditionibus æquis ferendis, & impetrandis futurã cogitaret, ne ſe, Rhodioſq; oẽs funditùs euerteret, nec ſe prudens, ſcienſq; eò demitteret, vnde exitũ videret nullũ eſſe. His reſpondit Dambuſſius conſilijs ſe hoſtium non libenter vti, rebus ſuis integris, afflictis verò conſtanter, ſe, vitam, quam Deo optimo maximo deberet, redditurũ. Idq; potiùs, quã ad vllas deditionis etiã honoratiſſimas, & vtiliſſimas leges deueniat. Cùm Legati præſtito aliquo obſequio Mahometi, non ad deditionẽ, ſed ad ſocietatem ſe eũ hortari dicerent, tum Antonius Principis frater *inquit*, Tu quidem, frater, verbo ad ſocietatẽ, re quidem ad certam prædam peteris. Ità vitatis inſidijs legati digrediuntur, vbi Paleologus nullis conditionibus bellum poſſe componi vidit, noua rurſus capeſsiuit conſilia. Parari itaq; iuſſit omnia tormenta, & triceſimo die pòſt vanam oppugnationem Nicoleç turris, die, & nocte ità pergit mænia ſternere, leuioraq; alia tormẽta in vrbem altiùs emittere, vt quattuor diebus atratũ cælum, & fulgora emittentem condenſatum aërem ſtridore, & fumo ſulphureo, omnes dicerent: & erant aliquot turres altiſſimæ iamq; ima parte muri ità proſtrati, vt ad eruptionem hoſti locus datus videretur.

XIX. *Strenue cũ ſuis cõtra Turcas pugnat.*

Turcæ ergo Quinto Calend. Auguſti vrbem inuadunt, multitudineque prægrauante muro potiuntur, atq; ibi ſua vexilla figunt. Idem faciunt circa turrim Italicam, ſed à læua, & ſiniſtra accurrentibus Italis, & Cantabris, quibus etiam ſubſidio venit Antonius cum nobilitate Germanorum, & Aruernorum, hoſtes pelluntur, & mutilatis corporibus alij cadunt, alij præcipitantur. qua in re Caroli Montlij equitis nobilitata eſt virtus. Erant, quattuor ſcalæ, quibus aſcenſus & deſcenſus patebat in vicũ Iudæorũ, quo loco fuit ea irruptio. At cum animaduertiſſet Dambuſſius, vnà Turcas in vrbem deſcendere, comminuta ea, qui temerè irruperant, diſcerpti ſunt. Altera ſcala, cum iam inſtarent hoſtes, ipſe Magiſter conſcendens, impetu facto ſæpe hoſtem ferire ſtrenui, & acris militis officia exequi, temerè inuectos diſturbare: alios quoque Rhodios equites inducit, qui hoſtes perturbatos loco depellunt. Cùm multi cecidiſſent, hoſtes tandem in ſua caſtra reuertuntur. Eo prælio Dambuſſius quinq; plagas accepit: quarum vnam circa mamillam dexteram, lætalem medici dixerunt. Dei tamen ope emerſit ille ex incommoda valetudine. Cæſa tum Turcarum tria milla, quingenti etiam in vico Iudæorum conciſi. Eo die hoſtes fuerunt territi, & ab oppugnatione deſtiterũt, inſpecta in aëre Cruce inſigni, & perſona fulgente, quæ manu ſcutum, & haſtam geſtabat; aſtitiſſe huic ſyntheſi hominem indutum, Ioannem ſcilicet Zachariæ filium, ſtipatum inſigni nobilitate, quaſi pararet obſeſſis opem ferre. Ferunt etiam fulgore inſolito cælitùs ad confirmandos noſtros apparente, pleroſque Turcarum in acie ſine vulnere, ſine ſanguine, ſine vlla aperta vi; miſerabiliter cecidiſſe.

XX. *Obſidionẽ deſerere Paleologus deliberat.*

Paleologus cùm ſuorum numerum imminutum videret, atque ad nouem millia cæſa, & quindecim millia ſauciati eſſent, anxius erat animo, omitteretnè Rhodi oppugnationem, quæ fruſtrà hactenus fuiſſet: an fortunam opperiretur, qua ſæpe proſperè vſum ſe meminerat. Hæc cùm plures dies; nocteſque æſtuans cogitaſſet, deſperans victoriam, tandem deliberat, ſuos inde deducere. Accelerauit conſilium fama, quæ antè paucos dies percrebuerat, Latinorum auxilia è Roma, Neapoli, & Gallia aduentare. Ferdinandus quidem Rex Neapolitanus, ſubſidio Rhodiis mittebat naues duas refertas militibus, commeatu, & machinis duce Ioanne Poo. Hæ portum inſpectantibus Turcis ingreſſæ ſunt. Emiſere tamen hi in eas machinas bellicas, quarum impetu malus vnus diſruptus eſt. Harum vna cum parùm decraſſet, Paleologus miſſis viginti myoparonibus eam inuadit. Effuſi omnes erant ad hoc ſpectaculum. tribus horis integris pugna protracta eſt, dum hoſtes circumuenire nauim parant. Sed ea talibus erat machinis munita, vt reſpirandi nullus locus daretur: tametſi agitatione maris parùm abfuit, nè mergeretur. At ſedatis iam fluctibus, & tempeſtate commutata, elapſa tandem tribus myoparonibus ad Rhodios ſe recepit. Erat in ea naui Franciſcus Auerſanus à Sixto Pontifice litteras afferens, antè decimum quintum diem, niſi intereà ſolutam obſidionem Dambuſſius nunciet, ſe ingentem nauium, faſelorum hominumque multitudinem miſſurum, libenterque omne ærarium Pontificium in tam ſanctam expeditionem





tionem exhauſturum. Cum hæ litteræ publicè eſſent recitatæ, recreati ſunt omnium animi. gratiæque habitæ Pontifici.

XXI. *Turcæ cælitus territi obſidionem Rhodiam ſoluunt.*

Turcæ verò ſucciſis priùs omnibus arboribus, & vineis, abactoque pecore quantum licuit, inde ſeſe proripuerunt. Ea poſteriore oppugnatione, ſunt, qui ità Turcas ſibi certam vrbis direptionem adfuturam crediderint, vt octo millia palorum aduexerint, quibus, publicè denunciarint, ſe totidem Latini nominis viros infixuros: repertique ſunt circa zonas cæſorum funes, quos in Rhodios vinciendos, vti in dubio euentu attulerãt. Tribus integris menſibus obſidionem Rhodij tulerunt, magna animi conſtantia: cum neque doli, neque inſidiæ, nec multitudo Turcarum, non aduerſa, aſperaque res ingentem eorum animum potuerit ſubigere; quin quem virtute adepti fuerant locum ſimul cum animabus retinerent. *Henricus P. de rebus geſtis Ord. Ioannitarum lib. 5.*

Sunt, qui dicant, poſteà ex ipſis barbaris cognitum, duos viros forma aliquantò humana anguſtiore, quamdiu tenuit obſidio, noctu incenſis facibus circa muros excubare ſolitos; ac vbi iam propè capta eſſet ciuitas, minaci occurſu illos pro muris viſos ferrum identidem intentare; atq; ità barbaros religione perculſos ceſſiſſe. Creditum vulgo, Petri Apoſtolorum Principis, ac Pauli, ſymulachra illa fuiſſe. *Sabellicus lib. 1. decad. 4. Iuſtinianus lib. 9. hiſt. Venet.* Alij, qui bello interfuerunt, Crucem auream media oppugnatione in cælo conſpectam ab hoſte, cum ſymulachro Deiparæ Virginis, haſtam vibrantis viſam; & Ioannis Baptiſtæ effigiem, cum numeroſa manu præſidentem. *Sabellicus lib. 7. Ennead. 10.* Addit *Crantzius lib. 12. Metropol. c. 19.* Cælitus immiſſos milites Turcis terrori, Chriſtianis fuiſſe ſtupori. Dambuſſonium vero, Turca diſcedente, Sixti Pontificis, & cæterorum pecuniis adiutum, inſulam, & vrbem quaſſatam reparaſſe, celebrioremque Rhodum feciſſe: ac præterea Templum Diuæ Deiparæ, cuius auſpicijs bellum geſtum; Oratorium Sancto Pantaleoni, cuius feſto die obſidio ſoluta; necnon Baſilicam Genuæ Præcurſori Domini condidiſſe, ſub cuius patrocinio is Ordo viuit, *Iacobus Boſſius meminit. lib. 12. hiſt. Ioannit.*

XXII. *Principibus Chriſtianis Dãbuſſius victoriam ſignificat.*

Significauit præterea Dabuſſonius Sixto Pontifici, Friderico Imperatori, Regibus, ac Principibus Chriſtianis eam victoriam, datis litteris hoc tenore.

*Sereniſſimo, & Inuictiſſimo Principi, ac Domino noſtro, Domino Friderico Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, Domino noſtro obſeruandiſſimo.*

*Inuictiſſime, ac Sereniſſime Princeps.*

*Quæ in obſidione Rhodiæ vrbis, à Turcis expugnando, & à nobis tutando geſta ſunt, non incongruum videtur veſtræ Imperiali Maieſtati ſignificare, cùm ad hãc diem pugnæ ad honorem Chriſtiani nominis felicẽ, exitũ adeptæ ſint, & non ambigimus, veſtrã Imp. Maieſtatem ex victorijs non paruam lætitiã excepturam. Turci, vbi circa vrbem caſtra metati ſunt, oppugnationis loca diligentiùs explorant, ciuitatem quoque omni ex parte bombardis quatere, & eruere proponunt, & quod mente concipiunt, opere demonſtrant. ad id quoque exequendũ bõbardis & mortarijs vrbem circumdant, verberant, diruunt turres IX. & boluuardon, magiſtratuſque palatia concutiunt. & proſternunt. Tribus tamen ex partibus commodiſſimum ſibi eſſe videtur, ciuitatem oppugnare, & aggredi: potiſſimè ad rem conficiendam pertinere videtur, turris molis S. Nicolai expugnatio, ex qua vrbem in ſuam poteſtatem facilè tranſituram arbitrantur. Eſt enim arx in vertice molis ſita, quæ verſùs Septentrionem in mare prominet. vſque ad portum conſpicit, & aditum nauigantibus, qui eam tenet, ſi libet, facilè prohibet. Ad Occidentem Oratorium S. Antonij ſitum eſt, ferè ant. CC. paſſibus à turri diſtans mari interiecto. Conſpecta igitur loci opportunitate, hoſtis rei potiundæ auidus omni conatu incumbit, vt eam in ſuam redigat poteſtatem. Ad turrim itaque diruendam, tres ingentes bombardas æneas deuehunt, quarum magnitudo, & vehementia incredibilis erat, ſaxa quæque ſphærica IX. palmarum torquebant, eaſque apud Sacellum S. Antonij collocant. Mirabile dictu, calamitoſum viſu, opus quidem percelebre, & quod ſtabiliſſimum videbatur, ſex diebus aſſiduis CCC. Lapidum ictibus turris pro potiori parte diruitur, proſternitur; hoſtis quidem ruinam conſpiciens exultat, plauſibus quoque aëra complet, quæ vana gaudia in luctum ſuum conuerſa ſunt. Nos verò de tuitione turris ſolliciti, grandem, horrendamque ruinam conſpicientes, quod ſupererat, munitioni opplere iuſſimus. & quod id quoque parum viſum eſt, propter ipſius magnum lapſum, conſtituimus nedum arcem tutari, ſed molem ipſam S. Nicolai defendere. Omni igitur vigilantia, curâ, ingenio, operariis ferè mille die, noctuque adhibitis, totis diebus foſſa non in caſſum exciſa, propugnaculis quoque ex lignis ædificatis in vertice ipſius molis circa turrim, in medio quoque eius, & in radice turrim, & molem inexpugnabilem non ſine paruo ſumptu recluſimus: tum præſidium quoque fortiſsimorum commilitonum in ruina molis, & munitionibus, & propugnaculis circa eam confectis collocamus. In radice quoque, ac pede eius altera præſidia ad Orientem, & Occidentem collocamus. Nam illic radix muro clauditur, & mare vadoſum eſt; quare obſeruatur, defenditurque, nè Turci illuc tranſeant, & noſtros à tergo adoriantur. In mænibus vrbis bombardas diſponi iubemus, quæ ad tempus pugnæ officio fungantur. Ignes quoque cum ſcaphis parantur, quæ in claſſem mittantur. Turci ædificij ruina allecti, vno, & demùm altero prælio turrim inuadunt, primùm cum ipſam facilè expugnare putarent, mediocribus viribus aggrediuntur, antè auroram luce adhuc dubia, triremibus ad hoc paratis arcem oppugnant, prælianturque. Noſtri quidem tuitioni intenti, locũ conſtanter tutantur. Sic hoſtis victus diſcedit. Ea in pugna ferè DCC. Turci (prout profugi ſignificauere) cecidere. Interiectis autem diebus accenſi priori repulſa, turrim maris potentia, arte, & ingenio oppugnant, & reparamenta, ac propugnacula iactu bombardarum quatiunt, nonnullaque conterunt. Nos quoque reficimus ſumma celeritate, quod obteritur.*

*Parant ad hæc conficienda triremes benè munitas, & ingenioſè ad prælium ornatas: adijciunt & nauigia quædam oneraria (parendarias vulgò dictas) quarum quædam onuſtæ bombardis, & ſaxis erant, vt locum turris, & molis, qua ſe potituros credebant, munirent, & ex his vrbem laceſſerent, diruerent, expugnarentque. Cymbas præterea quaſdam diſponunt, ex quibus quique Turcorum ſtrenuiſſimi facilè in molem deſcendant, & pontem miro artificio ædificant, qui ex Eccleſia S. Antonij turris in molem tranſitum præbeat. Nos enim ſuſpicati quod euenit, pòſt primam pugnam abundantiùs dies, nocteſque circa turris, & molis tutamenta vires, & ingenium adhibemus, munimenta ampliamus, præſidia augemus, gratuiſſimis impenſis non parcimus. Nam & in ea ſalutem vrbis conſtitutam coniiciebamus. Media igitur nocte, grãdiori accenſi ardore Turci, XIII. Kal. Iulij arcem ſummo ſilentio aggrediuntur, omnique parte magno impetu inuadunt. erectæ enim erant noſtrorum aures, nec dormitabant. Vbi autem adeſſe inimicos comperitur, machinæ ſaxa iaciunt, milites gladio ſtringuntur; baliſtis, fundis, & ſaxorum iactu ex turri, & mole hoſtem deturbant, & propellunt. pugnatum eſt ſumma vi à media nocte, vſque ad horam decimam. Turci verò complures, qui ex cymbis, & triremibus in molem deſcenderant, trucidantur; pons natans Turcis onuſtus, machinarum iactu frangitur, qui ſupererant Turci, merguntur. Quattuor quoque triremes, & ea nauigia, quæ bombardis, & lapidibus onuſta erant, ſaxorũ iactu ex tormentis perfringuntur. & vndis obruuntur. Ignis quoque in claſſem mittitur, qui eam retrocedere compulit. Sic diſcedunt victi Turci. Inſignis quidem hæc pugna fuit, morte clarorũ virorũ, qui Turcis præerant: quorũ interitus luctum exercitui præbuit. Profugi quoque pòſt pugnam introducti affirmant, Turcos in hac pugna magnam ſtragem accepiſſe, ex eis quoque ferè M. M. D. cecidiſſe. Cum autem Turci ſpem turris expugnandæ perdidiſſent, induſtriam, ingenium, vires, & omnem conatum ad vrbem expugnandam conuertunt: & licèt tota ciuitas machinis concuteretur, & laceraretur, vt*

*vix forma prioris vrbis remanſerit, tamen potiſſimè murorum partem oppugnare intendunt, qui Iudæorum domos claudunt, Orientemque ſpectant: eamque etiam partem, quæ ad turrim Italiæ ducitur. Ad hæc igitur mœnia diruenda, & dilaceranda octo ingentes, grandiſſimaſque bombardas comportant, ſaxa circuitus palmarum IX. torquentes, quæ aſſiduò, die, noctuque muros verberant. Nec ceſſant bombardæ, & mortaria circa ciuitatem locata ſimiles lapides torquere, quinimò ad terrorem, & detrimentum ictus multiplicant. Nos ad iactum mortariorum vitandum, imbecillem ætatem, ac mulieres ſub fornicibus, & valuis, & plurimis locis pomerij cohabitare ſtatuimus, quo effectum eſt, vt pauci hoc tormento interirent. Vſi ſunt quoque alio tormenti genere, quo igneas pilas proijciebant, ac ſagittas ignitas ex baliſtis, & catapultis torquent, quò ignem in ædificia iacerent. Nos verò indemnitati vrbis conſulentes peritos artis delegimus, qui pòſt caſum pilarum magna ſolertia ignem extinguerent. His remedijs Rhodij à magnis incommodis ſeruati ſunt. Excogitant inſuper impij vrbem ingenio occulto propinquare. Foſſas itaque tortuoſas effodiunt, quas partim lignis, partim terra operiunt, vt latenter ad foſſas vrbis accedant, propugnacula quoque multis in locis ædificant, ex quibus aſſiduò ſagitant: colubrinis, ac ſerpentinis bombardis noſtros deturbant, fatigantque: penſitant quoque eis eſſe commodum aliquam partem ciuitatis, quæ muro Speronis adiacet, complere. Opera igitur ab hoſte adhibita, lapides congerere non ceſſant, & occultò in foſſam iaciunt; aſſiduitate pars foſſæ oppletur, antemurali quoque æquatur: ex quo & ruina in formam dorſi redacta facillimus conſcenſus in mœnia efficitur. Nos autem inimici conatum conſpicientes, tuitioni vrbis inuigilamus, totaque vrbe & caſtello reparatis, & munitionibus, foſſis quoque quàm diligenter intendimus. Quod Turci coniectantes, deſperati ad muros Iudæorum, & aliò ſe conuertunt, & nos munimentis, ac reparis validiſſimis ruinam Turcorum firmamus, palis lignorum viuaciſſimorum infixis, ac terra, faſcibus arbuſtorum, & ramorum interiectis, quæ inuicem ſubtiliſſimè, firmiſſimèque cohærentes, vim machinarum ſuſtinebant, & ruinam protegebant, nè muri collapſi intra vrbem facilem deſcenſum præberent. Etiam loco propugnaculorum, palos, & vegetes terra oppletas ſtatuimus, quæ noſtros tutarentur, & conſcendentibus Turcis impedimento eſſent. Ignes quoque artificioſos, & alia ingenia parauimus, quæ ad propulſandam Turcorum vim conducere videbantur. Excogitatum quoque eſt, eam partem foſſæ, quæ lapidibus à Turcis oppleta erat, euacuare. ſed cum id palàm effici non poſſet, cuniculo, latentique foſſa in pomœrio ædificata, exitum ſub lapidibus noſtri habent, & occultò lapides in vrbem comportant. Sentiunt profectò Turcæ, qui foſſæ propinqui erant, lapidum congeriem minui, & aſcenſus opportunitatem adimi, niſi quantociùs, quod cupiunt, efficiant. Itaque in ijs operibus XXXVIII. diebus conſumptis, quo in tempore MMM.D. vel circiter ingentium ſaxorum in media, & in vrbem iacti ſunt, Turci ſcilicet occaſione inuadendæ vrbis conſpecta, nè aſcenſus commoditas auferretur, accelerant propoſitum conficere; pridieque quàm bellum iniretur, ac ſequenti noctè, & diluculò, quod mane, quo pugnatum eſt, præceſſerat, octo bombardæ dictis muris obiectæ, abſque intermiſſione ſaxa ingentia torquent; quod loco propugnaculorum adhibitum erat, dilacerant, diruunt: vigiles, & cuſtodes, & mœnium præſidia pro parte potiori occidunt, vt quiſque vix muris ſuperſtare poſſet, niſi ſummo aſtu occultaretur, & ſcala ad ſignum campanæ paululum deſcenderent, & demum conſcenderent. nec tempus datum eſt propugnacula denuò inſtaurandi. cum ſemper ictus bombardarum augerentur, vt eo pauco tempore CCC. vel circiter ſaxa iacta ſint. Turci vero iactu bombardarum finito ad ſignum iactus mortarii, quod pridem in eo loco conſtituerant, confertiſſimi, magno impetu quàm celerrimè VII. Kalend. Auguſti conſcendunt. Erat namque facilis, vt diximus, eius conſcenſus, facilior quàm noſtris per ſcalas. Superiora quoque murorum loca, eradicato noſtro, quod illic erat præſidio (quod primùm tanto impetui reſiſtere nequiuit) antequam ſubſidia noſtra ſcalas conſcenderent, occupant, & illic vexilla ſua ſtatuunt. Idem quoque faciunt ad turrim Italicam cuius verticem oppugnant. Clamor vndique oritur, manus quoque viriliter conſeruntur, magnaq; vi pugnatur. Repentè noſtris hoſti ſe obijcientibus, dextera, læuaq; murorū ſuperioribus locis noſtri hoſtem oppugnāt, & validè deturbant, nè per mœnia diſcurrerent. Scalis quòque, quæ quattuor erant, quibus in vicum Iudæorum deſcendebatur: vna iuſſu noſtro perfracta, conſcenſis hoſti nos opponimus, tutamur, defendimus. Turci verò perpulchrè armati duo millia ſuprà muros erant; confertiſſimi de noſtris ſecum manus conſerentes: qui armorum vim propellere, & loco expellere nitebantur. Sed noſtrorum virtus firma perſiſtens, nequaquam loco ceſſit. Sequebatur verò Turcos, qui muris potiti erant, ingens multitudo Turcorum, quæ totū campum adiacentem, ruinam, vallum, & foſſam oppleuerat, vt terra vix conſpici poſſet. Affirmarunt profugæ MMMM. * Turcorum inuaſioni adeſſe. Noſtri, ex Turcis, qui ſuper muro erant, CCC. vel circiter in vicum Iudæorum propellunt, qui ad vnum occiſi ſunt. Eo in conflictu vexillum imaginis ſacratiſſimi Domini noſtri IESV Chriſti, & religionis noſtræ antè hoſtis conſpectum ereximus. Summa itaque vi horis duabus pugnatum eſt. Tandem Turci preſſi, fatigati, perterriti, vulneribus quoque feſſi, terga vertunt, & fugam tanto impetu arripiunt. vt ſibiipſis impedimento eſſent, & perniciem afferrent. Cecidere ea in pugna Turci tria millia, quingenti, vel circiter, quorum cadauera intra vrbem, & ſupra mœnia, & in foſſa, ac munitionibus hoſtium & mari reperta ſunt, & poſtmodum ad luem vitandam combuſta: quorum ſpolijs noſtri potiti fuere. qui fugientes Turcos vſque ad campi planitiem, magno animo ſecuti eos trucidantes, tandem incolumes regreſſi ſunt. In prælio quidem ex noſtris militibus, & baluis inter confertiſſimos hoſtes pugnantes, non pauci occubuere. Nos noſtrique commilitones pluribus vulneribus acceptis, Deo gratias acturi, præſidio valido muris impoſito domum reuertimur. Nec id profectò ſine diuino auxilio contigit, quæ tantam cladem à noſtris auertit. Miſit enim Deus (non ambigimus) de cælo auxilium, nè plebecula Chriſtum colens, Mahometis ſpurcitijs inficeretur. Parabant Turcæ ſpe potiundæ vrbis ſibi funes ad captiuos alligandos, & palorum ingentem multitudinem, ad viuos cruciandos. Decreuerant enim omnes mortales, mares, & fœminas, ſuprà decem annorum ætatem, trucidare, & palis ſuffigere: tenerioris autem ætatis mortales in captiuitatem ducere, & ad fidem abnegandam compellere, & omnem ſuppellectilem in prædam conuertere, vrbis ditione Turco reſeruata. Sed fruſtrati ſuo nefando optatu, tamquam pecudes cæduntur. His in pugnis, & eruptionibus diuerſis diebus factis, vt appropinquationem prohiberemus, & foſſam euacuaremus, & ageremus, quod ciuitati cōmodiſſimum eſſet, vt machinarum etiam iactu in exercitum, ac viridaria, quæ incolebant, (vt perfugæ diuulgauerunt Turci) nouem millia occiſi ſunt. Ingens quidem multitudo vulnerata, inter quos quidam Capitanei, ac germanus Baſſæ, & quidam Turci gener occubuere. Pugna commiſſa, munimentis priùs exuſtis, ad primum lapidem caſtra Turci locarunt: vbi ſuppellectili, impedimentis, ac machinis onerandis, ac Turcis in Lyciam reuehendis nonnullis diebus conſumptis, Rhodiorum littore ſoluentes Fiſcum continentem vrbem antiquam nauigant. Sic quoque victi cum ignominia recedunt. Omnipotens Deus veſtram Imperialem Maieſtatem feliciter conſeruet ad vota. Datum Rhodi die XIII. Septembris, anno Redemptoris noſtri Incarnationis M.CCCC.LXXX. E.V. Imperi. M. Humiles Seruitores, Petrus Dambuſſen, Magiſter Hoſpitalis Hieroſolymitani, & Conſules. ext. tomo 2. rerum Germ. pag. 158.*

XXIII. *Turcæ Apuliā, & Italiā ambiūt & infeſtant.*

Inter hæc Admetus Baſſa Hidruntem, vt diximus, in poteſtatem redegit. Ioannes Albinus Lucanus, cauſam in Venetos reijcit, quaſi illi abolendæ Societati inter Pontificem Sixtum, & Regem Ferdinandum ſtudentes, auſi fuerint, Mahometum, Aſiæ Regem potentiſſimum, inſita feritate formidandum, ac ſanctiſſimæ Chriſtianæ religioni atrociſſimum hoſtem, ad ſubigendam imbellem Apuliam compulerint, affirmantes, inermem prouinciam, & diù bello deſuetum populum ſubigi, Regemque exhauſtum, ac alieno ære immerſum, numquam ſuppetias iturū. Mouiſſe eos alij affirmant, quòd Ferdinandus Regno Cyprio, cuius illi tutores





fuerant, ac in certiſſimam eius potiundi ſpem venerant, modis omnibus inhiaret: Albinus Florentinos facit authores, qui Alfonſum cum copijs ex agro Senenſi amotum vellent videre, nè ſcilicet ea vrbs in poſterum, Regium ſubiret imperium. Mahometus ſane vir vaſti animi, & bellorum auidus, vt Apuliæ conditiones verius haberet, Admetum virum bello egregium mutato habitu rem omnem exploraturum in Italiam tranſmiſerat; atque vbi vera eſſe comperiſſet, quæ à Ferdinandi hoſte didiciſſet, comparata Byzantij claſſe ſexdecim millia lecta virorum pectora conſcripſit; duplex ſtipendium decernens, quod militia quæ procul domo, terra, marique eſt, magna pericula allatura videtur. Viſus eſt Rhodijs eo apparatu minari; cæterum Apuliam deſtinabat, nec Regnum ſolum Neapolitanum, ſed Italiam omnem occupare, ſi primordijs fortuna fauiſſet, animo verſabat. Eam rem Appuli, ad quos celerius fama exierat. rerum ſuarum timidi, quod primos fortunæ impetus eſſent excepturi, cum ſæpius Neapoli Diomedem Caraffam & Antonellum Petrociam Regios conſiliarios admonuiſſent, per ludibrium auditi ſunt, & tamquam rerum externarum ignari ignominioſe dimiſſi, negligentiorem etiam Regem fecit inanis fiducia, quod non exiſtimaret Turcum, Rhodiam oppugnationem intermittere; quodque audiſſet, ſubmiſſam Rhodijs ex Regno præſidium, à Francino Paſtore viro intrepido duabus onerarijs in medio belli ardore immiſſum: ac quod non minus ſecurum faciebat, iam inclinata æſtate maritimos fluctus exoriri, qui Admetum à traiectu prohiberent. Ea ſpe quæ plurimos mortalium plerumque fruſtra habet, Ferdinandus eluſus, hoſtem negligentius habuit. Aberat præterea procul Regno in Hetruria Alfonſus cum exercitu: quem priuſquam deportaret, ſuiſque auxilio eſſet audito hoſtis aduentu, complura oppida, & vrbes nullo præſidio firmatæ ſubigerentur, quas nec in ſequentem hyemem capi poſſe ratio ſuadebat. His rebus omnibus circumſpectis Admetus Baſſa, coacta claſſe ſtatuit ſoluere, quo tempore frumentum etiam in vicis, villiſque compreſſum non defuturum intelligebat. Viſa ſunt ſub idem tempus aliquot prodigia. In monte Taburno SS. Virginis ſymulachrum collachrymaſſe. Locuſtarum ingentem vim in Meſſapiam delatam. In aliquibus Italiæ locis leniorem terræ motum extitiſſe, & in agro Lucano Sacerdotem à Lupo laniatum: quæ ſunt à Rege ſumma diligentia procurata, & Sacellum in via Puteolana ac ſecundum fere lapidem pedibus ſæpius petitum, & tota vrbe ſupplicatum. E portu Apolloniæ, quò conuenerant, ad Meſſapiæ litus ingentem Turcarum claſſem V. Kal. Sextilis (vti ſolet) fama vulgauit. Huius aduentus, non modò Regnum, ſed Italiam omnem terrore concuſſit. Namque vbi primum barbari in continentem egreſſi ſunt, nudatam omni auxilio prouinciam ſexcenti equites crebris incurſionibus nullo hoſte obuio vexarunt. Ingenti omnis generis præda abrepta, & atroci agreſtium cæde quacumque ierant, per campos edita. Admetus Hydruntem vrbem maritimam circumſedit: ac quinta decima poſt die, noctes, dieſque omni tormentorum genere fatigatam, in poteſtatem accepit. Poſt captum oppidum, propter eos, qui acri prælio egregiè pro patria conciderant, mille captiuos, quibus Mars pepercerat, ad tertiam buccinam antè omnium oculos pro caſtris impiè trucidari imperauit; complures palo affigi. nec ab inermi abſtinere. Maior tamen pars in cuſtodiam abducti, idque actum, vti oppida, & vrbes, ne tam horrendam ſupplicij fœditatem ſubirent, ad voluntariam deditionem inclinarentur. Templa ſacrata miſerabiliter ſpoliata; circa Aras ipſas nullo religionis metu obtruncatus Antiſtes; pueri ingenui, puellæque è complexu parentum raptæ, infanda contumelia, ritu ferarum contaminatæ: nihil denique flagitij in tanta victoria eſt prætermiſſum: Eſt enim gens ea præceps in fœdam libidinem, ac nata in ferinos tumultus; nihil pij, nihil ſancti habens: quæ ab ineunte, ætate non otio ſub tectis, ſed ſæuiſſimis bellis, niuoſa etiam hyeme aſſueta humano ſanguine aſpergi ducit egregium. Præter hæc Admetus valido equitatu potens, cum iam vrbem, parte qua aditus à mari patebat communiiſſet, non ſolum ad vicina oppida, ſed per vniuerſorum Salentinorum agrum, ita vt neque eius prouinciæ intima, & maximè mediterranea: ſatis tuta à Turcarum vi eſſent; excurrere audebat. Quibus rebus paſſim vulgatis, non modò ex Regno, ſed ex tota Italia complures excedere in animo volutabant. Fuêre, qui in Bæticam tranſmiſerint pecunias, vt eſſent ad iter expeditiores, ſi ſors tuliſſet. Nemo arma capere, nemo furentis hoſtis impetum propellere audebat; ſed quiſque deſperatis rebus, mulierum modò tendens victas manus, nihil aliud, quàm incolumitatem ſibi depoſcebat. Sixtus inprimis Pontifex, repentino timore, quem ingens Turcarum potentia longe lateque diffuſa concitauerat, percuſſus, de relinquenda Italia cogitauerat: mox animo reſumpto, periculo totius Italiæ admonitus, nec non ab Oratoribus fœderatorum Principum perſuaſus præterea veritus, ne totius calamitatis Chriſtianorum inuidia in ſe reijceretur Primum Florentinis æquum ſe præbuit: deinde cum ſacro Cardinalium Senatu & Oratoribus Principum re communicata, Ferdinandum, qui ex agro Senenſi exercitum deduceret, & in communem hoſtem in Apuliam duceret, admonuit; præterea Legatos ad Imperatorem, Reges, & Principes Chriſtianos, ad eos contra immanem aduerſarium excitandos deſtinauit; & ante omnia, omnes Italiæ Principes, & reſpublicas ad concordiam reuocare, & arma ſubitanea ſumere voluit. Cumque Rhodum pro qua ſeruanda, claſſem quattuor viginti triremium ſumptibus publicis parauerat, & Paulo Fulgoſo, Archiepiſcopo, Genuenſe duce præmiſerat, iam tandem barbarorum obſidione liberatam eſſe accepiſſet, in Apuliam curſum flectere imperauit, vt Ferdinando pro Hydrunti recuperatione, arma auxiliaria neceſſario, & opportuno tempore ferret. Cardinalis Sabellus, ex antiqua, & illuſtri Sabellorum familia, oriundus, Genuam Legatus iuerat, vt eam claſſem Pontificia pecunia pararet. Præter hæc, cùm in ea omnium trepidatione, apud Imperatorem, & Principes Germaniæ, necnon apud Regem Galliarum malè audiret, quaſi damno totius reipublicæ Chriſtianæ cum Florentinis diutius ſimultates traheret, duriuſque cum eis ageret, ac propterea illi Concilii mentionem oſtentarent, quin & ad illud Prælatos, ille quidem in Germania, hic in Galliis euocare iam minimè dubitarent, Sixtus, vt eorum conatus præuerteret, & Chriſtianæ reipublicæ ſe non deeſſe demonſtraret, Romam, ad anni conſequentis initium, Imperatorem, Reges Principes, ac Prælatos Europæos ad Concilium inuitauit, vt de communi tutela, contra aduerſarium communem deliberarent, atque viribus communibus ex Italia eiicerent. Alfonſus inter hæc, Senis exercitum mouens ad aquas rubras prope Viterbium, vnam noctem conquieuit; inde flectens iter in agrum Tudertinum, & Anarnienſem in Vmbria, Aquilam, & Lanxanum prætervectus, vbi oppugnatam Hydruntem cognouit, mutilatum exercitum ducens, numquam intermiſſo itinere XII. caſtris Tarentū venit. Huius aduentus fama vulgata latiùs euagantes Turcas coercuit; quorum immanitate Apulia occiſa

iam, vbi nonnulla ſalutis ſpes affulſit, cæpit reſpirare. priùs namq; varia clade attrita ex locis omnibus cateruatim demigrabant miſeri mortales, nulla ſpe ſuffulti, fortunæ bona, liberos, & penates victoris arbitrio relinquentes, modo vitæ quauis conſulerent. Alfonſus nihil immorandum ratus (ita temporum neceſſitas ferebat) Tarento quamprimum Lupias commigrauit; vbi, quanta potuit celeritate, ex veteranis, nouiſque militibus exercitum coëgit; ſed complures externæ militiæ rudes, ac penitus ignaros, domum ſe recipere iuſſit, ratus ea hyeme nondum communitam vrbem depugnaturum. Cum nihilominus Admetes cæteræ oræ maritimæ Adriatici ſinus immineret, Recinetenſes, pietate erga SS. Virginem Lauretanam moti, etſi impendentis periculi fama conterriti, tamen immemores patriæ Lauretanam Baſilicam, ſummis opibus propugnare ſtatuerunt. Valido igitur præſidio impoſito, excubias agitabant noctes, dieſq;, ac ne barbaros opulentæ prædæ ſpes ad Lauretanam ædem oppugnandam alliceret, Lauretana dona præcipua in tutum recipi placuit. Mox deprompta, ac de more relata in tabulas, à certis hominibus Recinetum delata fuere, & in arce condita. Satis conſtat ea dona tum ſex fermè millibus aureorum æſtimata. Inter cætera Laurentij Medicei (is Petri filius, Magni Coſmi nepos fuit) ſtatua argentea, quæ nixa genibus altitudinem excedebat cubitalem. Credo Laurentium, cum Sixti Pontificis, ſociorumque armis premeretur adeo, vt ad ipſum Ferdinandum Neapolitanum Regem acerbiſſimum hoſtem ſuum confugere cogeretur donum eiuſmodi vouiſſe, ac periculo defunctum, Lauretanæ Virgini vel tuliſſe, vel miſiſſe. Cæterum ſapiens Recinetenſium conſilium, ſubductum periculo ſacrum aurum argentumque, haud quaquam barbaros à conando ſcelere auertit, Enimuero Turcæ populabundi ad Caſtrum portus Recinetenſis claſſe delati, omiſſa minorum prædatum cura, ad Lauretanam prædam, quam opulentiſſimam ſciebant eſſe, aſportatam alio neſciebant, iter intenderunt. Tuebantur Lauretanam Ædem, vt diximus, Recinetenſes leue aduerſus barbarorum exercitum inſolentem victoria præſidium, niſi ipſa loci Præſes ſuæ Domui præſidio foret. Itaque ad ſacræ Domus conſpectum, ingens repente terror totam Turcarum peruaſit aciem cunctoſque è veſtigio inuitiſſimis animis referre coegit pedem, ſtupore attonitos, & Deum profectò pro illa Æde ſtare memorantes, Idipſum periculum Cardinalem Roboreum Sixti nepotem Laureti Patronum admonuit, vt Laureranum templum deſtinatis propugnaculis, primo quoque tempore communiret. Ex eo templum ipſum in arcis modum impenſe muniri cæptum aduerſus repentinos hoſtium incurſus. Turcis non impune ſacrilegus conatus fuit. Superbiſſimus tyrannus anno ſequenti ſubita morte extinctus; Hydruntum à Chriſtianis receptum, Turcæ Italia pulſi. *Albinus de bello Hetruſco, & Hydruntino Brutus lib. 7. hiſt. Florent. Onuphrius in Sixto IIII. Bizarrus hiſt. Genuenſ. lib. 15. Turſellinus. hiſt. Lauretan. lib. 2. c. 4. MS. expedition. Sixti 4 Bibliotheca Vaticanæ. num. 4155. & alius 5923, pag. 254. & 273. & alius ſine numero. pag. 67. & ſeqq. Iacobus Volaterranus in diario MS. Vatican. hoc anno. num.* 3944.

XXIV. *Imperator & Vngariæ Rex diſcordes Legati Apoſtolici opera conciliantur.*

Antonius Bonfinius memorat, Sixtum Pontificem, præ cæteris cauſis Italiæ factionibus conſternatum, de deſerenda vrbe cogitaſſe, & ſe in Galliam Narbonenſem profecturum fore comminatum eſſe. Quamquam etiam non deerant, in alijs quoque Regnis, & prouincijs, inter Reges, & principes ſimultates. Inprimis inter Fridericum Imperatorem, & Regem Vngariæ Mathiam, bellum recruduit. Imperator, contemptis inducijs, quingentos equites per Prucchenſem agrum in ſuperiorem Pannoniam miſerat, qui prouinciam longe lateque vaſtarent, & Iaurinum vſque cuncta ferro, inique miſerent. Sollicitatum fuerant à Bernhardo Archiepiſcopo Strigonienſi, qui coronam Vngaricam, cum theſauro Regio fugiens, in Germaniam aſportauerat. At MATTHIAS collecto exercitu, Auſtriam per Thomam Tarcium populatus, & Rachesburgo oppido per vim potitus, vim vi repellere properabat: cum Proſper Capharellus Legatus Apoſtolicus, & Epiſcopus Aſculanus, vir genere, doctrina, eloquentia, & probitate præſtans, iubente Sixto Pontifice, & ad concordiam Imperatorem hortante, cum Cæſaris Oratoribus accurrit, Imperatoris crimen excuſauit, & ad pacem inuitauit: quam propediem, ſi Rex dictis auſcultaret, ſe compoſiturum eſſe pollicebatur. Regulorum quorundam iniquitate, non Cæſarea voluntate, ſiquid noui interceſſit, factum eſſe; pacem, quam bellum Cæſarem malle. Adijciebat præter hæc Capharellus monita, preceſque Pontificis, qui hoc execrabili bello tantopere angeretur. vnde Chriſtianæ reipbulicæ, & Catholicæ fidei iam inſtaret exitium. Effecit tandem, vt Matthias Pontificæ authoritati detulerit, & inducias cum Imperatore compoſuerit. Remuneratus eſt Deus, hanc Matthiæ Regis promptitudinem, in obſequendo Pontifici exhibitam: quando eius ducibus contra ingentes Turcarum copias dimicantibus, inſignem victoriam de hoſtibus hoc anno conceſſit. Per id enim tempus autumni Turcarum centum millia, cum quinque ducibus, quos ipſi Baſſas vocant. deductis ſecum Tranſalpinorum auxilijs, Tranſyluaniam ingreſſa, ad Sobinouiam, ſiue Cibinum vrbem caſtra poſuere. Præſenſerant eorum aduentum Vngari, & ad defendenda ſua tripartito, cum totidem ducibus accurrerant. Fortè in vnum agmen, cui Stephanus Bathorus præerat, Turcæ incidere. Stephanus, vbi ſe in arcto poſitum pugnam detrectare, & cum reliquis duobus ſuorum agminibus coniungere ſe non poſſe animaduertit, fecit tamen eos certiores, de neceſſitate dimicandi ſibi obiecta; & militibus ſuis voluntario iureiurando ſeſe obſtringentibus, quod morituri prius quam fugituri eſſent, arma expediuit. Committitur acre prælium tribus ferme horis. Iamque Vngari prægrauante Turcarum multitudine, pedem referre cæperant, & ægre eos ſiſtebat Bathorus, obteſtans pariter, & obiurgans, & recentis iuriſiurandi admonens; cum ecce duo reliqua agmina, in quibus erant aulici Regij, & Raſcij; citato curſu inuecta, in latus hoſtium impetum fecerunt. At illi re improuiſa conſternati aliquam diu, tamen conuerſis equis reſtiterunt: ad extremum vero conturbati, & impulſi, fugam fecerunt. Ibi tunc magna fugentium ſtrages edita. Neminem enim, præter quinquaginta inſigniores captiuos, Vngari viuum ſeruabant. Nec tamen incruenta ceſſit eis victoria. Cecidere multi fortes viri, in quibus nobiles inprimis Paulus Znes, quo nomine Slaui Ducem & Sacerdotem appellant, & Iaxitius Raſcius ductores agminum: quorum opera maximè, victoriam illam tam præclaram, & omni æuo memorabilem Bathorus, quamquam & ipſe ſaucius, MATTHIÆ ex graui pedum dolore decumbenti retulit. Deſiderata fuere ex vngaris octo millia; ex Turcis triginta circiter millia cæſa. Iuuit Bathorum ad victoriam; quod inprimus exercitui ſui turmatim rem diuinam facere moxque Euchariſtiæ loco myſticam terram, id eſt cinerem capitibus inſpergi iuſſerat: ac præterea in exhortatoria concione, ſanctiſſimorum numinum memoriam non prætermiſerat, identidem repetens, *Quicumque pro* DEO *optimo*





*maximo, Diuaque Genitrice pugnat, nulla ratione malis auſpicijs prælium poteſt inire.* Ferunt prætereà aduocata concione, verba hæc feciſſe. *Damnabunt fortaſsè alij, Commilitones, militiam noſtram, immaniumque Turcorum vicinitatem, & pericula deprecabuntur, contrà ego, nihil vobis antiquius, feliciuſque dari, aut contingere arbitror potuiſſe. Alij perniciosa, vana plerique ſtipendia faciunt, quando pro impotenti, ac imbecillo Imperatore, item pro rebus fluxis momentaneiſque meruiſſe viſi ſunt: nos contrà ſaluberrimam, ſanctiſſimamque militiam militamus, quando pro* IESV *Chriſto optimo maximo, pro Chriſtianæ reipublicæ ſalute, pro patria, pro aris & focis, pro liberis, & coniungibus, pro fortunis, pro corporum, & animorum denique ſalute dimicamus. Pars pro alienis commodis, & Imperio bella ſuſcipiunt: nos pro noſtra vtilitate, regno, & immortalitate arma gerimus. Multi totam inedia, abſtinentia, religioneque duriſſimam vitam abſumunt: nos plus vno momento lucri, quàm per totam illi ætatem facimus, & lucrum quidem ſtabile, atque perpetuum. Pluris profectò eſt momenti gutta ſanguinis, quæ pro Chriſti charitate funditur, quàm cætera, quæ in toga, & reliqua vitæ ſecuritate meremur. A comitibus, diſcipuliſque Saluatoris noſtri accipite coniecturam? Cur ille neminem in Apoſtolorum numerum, & ſanctiorum ordines adoptauit, niſi quos ſuo calice impartiuit? Cur martyres potiſſimùm, animarum prodigos, inter Diuos, & cohæredes retulit? Nempe quia ſapientiſſimi præceptoris exemplo, documentoque didicere, pro aſſerenda Catholica fide iacturam corporis pro nihilo eſſe ducendam. Imo nihil pro diuino beneficio magis reputandum eſſe iudicabant, quàm cum in profeſſione Orthodoxæ fidei ad vltima ſupplicia, grauiſſimoſque cruciatus educebantur, quos non modò ſpontè, ſed auidè ſubibant. Sanguinem enim noſtrum vtinam commodiùs erogare poterimus, quàm in vindicando nomine veritatis? inque proterendis gentibus: quæ pſeudoprophetarum errores pernicioſos ſectantur, aſſerunt, & Ieſum Dei filium vnigenitū principem veritatis, & cæli, terræque authorem abnegant? Proindè expergiſcimini commilitones, & hodiè pro Deo pro Diua Deiparente, pro ſacris, pro fide, pro regno, pro denique ſalute, & immortalitate, manus conſerite: certi, numquam defuturum vobis Ieſu auxilium.* Dixit iſta Stephanus: militem inflammauit, & inſigni victoria potitus eſt. Rex exinde gaudio ingenti refocillatus; maximas Deo gratias acturus, aras omnes cum Regina ſupplex adijt, ſupplicationes populis omnibus indixit, & ad multos dies per omnia templa rem ſacram fieri iuſſit. Quo anno Ioannes Cardinalis Aragonius, qui cum ſumma Pontificis poteſtate paulo antè in Vngariam venerat, Strigonium V. Idus Maias intrauit. & Archiepiſcopatum accepit à Matthia datum. Sed cum Bernardus Alemannus, cuius ipſe ſucceſſor erat, ad huc in Cæſaris aula viueret, ſeque in Romano foro iure priuari non poſſe contenderet; Cardinalis, prouentus omnes apud Strigonienſe Collegium deponi iuſſit, donec verus diiudicata lite poſſeſſor extaret. Rogatus Bernardus, cur Archiepiſcopatu, Regnoque temere ceſſerit? *Caudati monachi pulueres, longum ante ſyrma trahentis, vltrà ſe tolerare non potuiſſe reſpondit.* Gabrielem Minoritam, Cardinalem Agrienſem cauillatus, quem ſibi apud Regem præferri, æquo animo pati non poterat. Quarto poſt anno Archiepiſcopatus, Aragonio ſententia iudicum Romanorum addictus eſt: *Bonfinius decad. 4. lib. 6. Cromerus lib. 29.*

XXV. *Chriſtiani Principes fœdus inire ſatagunt.*

Hæc quidem à Batoreo contrà Turcas geſta, quamque ingentia fuiſſent, non tamen eximere potuerunt, trepidationem ex animis Europæorum Regum, ex inuaſione Rhodi, & occupatione Hydrūti conceptū. Hic terror oſtentatus, & reliquæ Italiæ. & remotis nationibus; Reges omnes incitauit, vt ad coniunctionem virum ſerio conſpirarint. Ergo Imperator, Reges Galliarum, Vngariæ, Neapolis Bohemiæ, Angliæ, atque Poloniæ alios, atque alios Oratores ad Sixtum Papam, tractandi, & ineundi noui fœderis miſerunt. Ferdinandus, & Iſabella, Caſtellæ, Aragonum, & Siciliæ Reges præter communem totius Chriſtianitatis cauſam, etiam ſuas habuere priuatas, propter quas ad fœdus aſpirarent. Barbari Granatenſes, ex Africa ingentem equitum, & peditum numerum acciuerant, Chriſtianis vniuerſa Hiſpania opprimendis; ſi Turcis in Vngaria, & in Rhodiana expeditione, ex animi ſententia ſucceſſiſſet. Itaque Gonſaluum Beretam, ea de cauſa ad Sixtum ire iuſſit: quamquam nō omnino ſuis rebus id temporis æquum. Alfonſum Carrilium Præſulem Toletanum, Apoſtolicæ ſedis Legatum, nullo Regis conſenſu, in tota Hiſpania Sixtus creauerat; nec non alia quædam ſanciuerat, tuendæ libertatis Eccleſiaſticæ cauſa. Præter hæc Regi pro Epiſcopo Caurienſi, purpuræ dignitatem flagitanti, diſerte negauerat; cum tñ in gratiā Luſitani æmuli, Georgium Coſtam, Archiepiſcopum Vlixponenſem, inter Cardinales retuliſſet. Hinc graues ſimultates enatæ, adeò, vt Rex cogitauerit, Prælatos ſuorum regnorum, ex Romana Curia aduocare. Commune tamen periculum animos illi fregit, & ad iungendam ſocietatem inuitauit. Offerebat Sixto claſſem nauigiorum maiorum, minorumque numero quadraginta: ex quibus XIIII. onerariæ, totidem triremes, duodecim reliquæ eſſent ſumptibus Regijs inſtructæ. Super hæc Gaſparo Eſpeio, Prorogi Siciliæ, tantam, quantam poſſet maiorem, claſſem comparare, & Ferdinando Neapolis Regi adeſſe imperauit: obſecutus in ea expeditione voluntati Pontificis, qui ad Calendas Nouembres, omnium Regum, ac Principum Legatos ad tractationem fœderis cōuocarat. *Marian. l. 24. c. 21. Surit. l. 20. c. trigeſimoſeptimo*

XXVI. *Narratio Anuli pronubalis S.S. Deiparentis.*

Hoc anno, tumultuantibus inter ſe Peruſinis cum Senenſibus, de poſſeſſione Anuli pronubabilis Sacroſanctæ Deiparentis, Sixtus Pontifex max. controuerſiam de re omnium pretioſiſſima dirimere conatus eſt, datis Apoſtolicis litteris. Inferius eas adſcribam, cùm operæ pretium ſit, totius controuerſiæ ſeriem, priùs exponere Eam verò luculenter, abundè, & ex fide ad poſteritatem tranſmiſit, amicorum meorum eruditiſſimus, & opt. C. V. Ioannes Baptiſta Laurus Peruſinus Prothonotarius Apoſtolicus, Vrbano VIII. Pontifici incomparabili, à cubiculi ſecreto & litteris amœnioribus intimus, euulgato ad Illuſtriſſimùm, & Excellentiſſimum D. Franciſcum Spataphorum, Principem Maletti, & Roccellæ Marchionem, de Annulo Pronubo Deiparæ Virginis Qui Peruſiæ religioſiſſime adſeruatur Commentario, Romæ typis Andreæ Phæi, 1622 Superiorum permiſſu excuſo. Ità narrationis initium faciebat.

Omnium primùm ſatis in aperto eſt, in nuptiis cōtrahendis non apud Romanos modò, aut Græcos, verùm etiam apud antiquiſſimos Hebræorum, vt eſſet fidei, & amoris coniugalis argumentū, Annuli, quem ſponſalem, ac Pronubum appellarunt, inoleuiſſe vſum. Nam de ſignatorio, atq; honorario vulgatior res eſt, quā vt hoc loco commemorari debeat: Ac miſſitatum quidem ad ſponſus arrhæ nomine à ſponſis, ferreum, gemmeum, aureumq;, paſſim ex veterum monumentis intelligimus, addimtq; illud prætereà, non tam vt ornatus gratia geſtaretur, quàm vt eodem coniugali, tamquam ſigillaricio, adſeruata domi ab vxoribus potiora quæ obſignarentur. Cæterùm manſiſſe, & priſco ſeculo, apud vetuſtioris inſtrumēti ſtudioſos in confeſſo eſt. Cum enim occupatos ſuperſtitione animos, Moſes pænitentia & expiatione liberandos docuiſſet. Arcæ fabricam, in qua lapideæ includerentur Tabulæ palàm edixit, Igitur cum ſupellex varia ad Tabernaculum conficiendum, & ad cæremoniarum cultum quæreretur, lapides etiam Onychini, aliæque gemmæ ad ornatum Sacerdotalium indumentorū congeſtæ ſunt: & confertim viri vnà cum mulieribus armillas, inaures, Annulos, ac dextralia præbuere. Huc accedit, quòd cū populū

& principes, Iſaias, ac Dominus verbis acrioribus caſtigaſſet; nè mulieres à ſcelere, & crimine ſeſe alienas eſſe arbitrarentur; ob quarum delicias, & luxruiæ inquinamenta, exactores, Domini vineam miſerè depaſti fuerant: minatur & iiſdem ablaturum ſe omnia veſtium, gemmarum, auriq;, ac monilium ornamenta: in his mitras, diſcriminalia, & Annulos. Vt Iuditæ muliebrem mundum ſilentio pertranſeam, quæ tantiſpèr ob defunctum vita comparem, orbitatis oblita, ad proſternendum tyrannum omnibus ineuntis matrimonij quaſi telis ſe ſplendidè obarmauit. Iam procedente tempore nubentibus Hebrçis, ſi noluiſſent Annulum, quiduis adhibendi, quo oblectaretur vxor, vel ſi teruncium valuiſſet, poteſtas fuit. Vbi verò nuptialis orbiculis arriſiſſet, is ex ferro, aut Onyche conflatus totus, nulloque in pallam lapillo inſerto, ad antiqui victus parſimoniam, & frugales mores indicandos, æquabilis vndequaque connubijs celebrandis opportunus, vt in præſens aureorum fert conſuetudo, putabatur. Ergo vbi præpotentis conſilio Dei, à ſummis Hieroſolymitani templi Myſtagogis, de MARIA virgine in matrimoniam elocanda relatum eſt (trimula enim eò illata, nubiles iam attigerat annos; ac nefas erat intra delubri ſepta vnà cum Sacerdotibus obuerſari diutiùs) eandem perenni virginitatis voto Deo obſtrictam, viro prorſus ad cuſtodiendam ipſam facto, qui foret MARIÆ contribulis, atque ex Dauidis ſtirpe oriundus, IOSEPHO, peregrinationis, ac laborum futuro ſocio, addixerunt: prodigioſa iſtud indicante virga, in cuius faſtigio lapſa (vt aiunt) è cęlo columba conſediſſet. Quamobrem homo egentiſſimus, vt patrimonij, copijs vel exilibus carebat, ac lignario opere quæritare ſibi in dies victum cogebatur, nullum ad contrahendas haſce nuptias paulò pretioſiorem, qui & commodum ſe in id obtulerit, nactus eſt Annulum.

*SS. Virgines à Chriſto deſponſata.* Atque hic planè verus, nequaquã per ſpeciem interceſſit: quod de ijs annulis fertur, quibus ſæpiùs in adiungendis ſibi myſtico connubio virginibus Chriſtum fuiſſe vſum legimus: vt in SS. Agnete, Oſanna, & Catherina Senenſe Virginibus Dominicanis, atq; Alexandrina. Neq; item eius eſt generis, quo Sanctus Ioachim, Annam Mariæ parentem ſibi matrimonio copulauit, & ſeruatur Romæ apud Diuæ Annæ ſanctimoniales. Argenteus enim ille eſt, rudis admodum. Conſurgit pro palla vaſculum, in quo vitrea, ſeu chryſtallina occluditur gẽmula, maculis circũcingentibus nigris in medio pellucida, ſuperficie dũtaxat: interiùs opacitate ingreſcit, ex qua imago, velut è ſpeculo reſilit. Hoc hebetes, & caligantes oculos, quibus dicato ipſi die admoueri conſueuit, plurimùm iuuari tradunt. Nec annulum denique miſſum è cælo aliquem quiſq; putet: quemadmodem receptum nube aliquádò, illucq; ſublatũ in Martyrio SS. Hemeterij, & Chelidonij Calaguritanorũ, Aurelius Clemẽs tradidit.

Enimuerò regionis genio potiùs, quam locupletioris alicuius liberalitati, qui ad virgineum connubiũ eſt adhibitus: animo tenuiſſima in re diues, retulit acceptum Ioſeph, Damaſcum Syriæ Alabaſtritis lapis, ſicut Palæſtinam, qua contingit Arabas, vberrimè cõmendat Onyx. prior ad vaſa vnguentaria cõficienda effoditur: potoria ex altero, necnon amphoræ, & columnæ excinduntur. tranſit & in gemmam, quæ humani vnguis ſimilitudinem æmulatur, popularis materia eſt, & effictì ex ea annuli, quàm minimo æſtimantur. Hoc ex genere cenſetur iſte, quem alij Sardonychen, & Calcedonium tranſnominauere. Illud quoque propè eſt omnium approbatione vulgatum, gemmeo in calice, qui Valentiæ adhuc viſitur, Chriſtum Dominum, Euchariſticum ſanguinem, vt aliquam materni annuli rationem duxiſſe videretur, conſecraſſe. Hunc certè talium æſtimatores acerrimi maluere Calcedonium. In *his Paulus III.* Farneſius, qui per cauſam extruendæ Peruſinæ arcis, Peruſiam quotannis commigrabat, ſemperque explorata gemma recedebat. Ioannes Baptiſta Caſtaneus, Roſſanenſium Archiepiſcopus, quamdiù Peruſiæ, Vmbriæque imperauit, quem poſteà Vrbanũ VII. agnouimus: & Ferdinandus Gonzaga Mantuæ Dux, haud ſemel ea Etruriæ parte perluſtrata. Senſere idem alij viri Principes, gemmarumque peritiſſimi inſtitores, ea vtique religionis ergò inſpecta, & curioſè ſalutata.

XXVII. *Anulus Deiparæ, ex qua materia, & figura inſculptus.* Igitur Arabico, ſeu Palæſtino lapillo in ſubarrhanda virgine vſus eſt Ioſeph, quem inſertum Aaronis Rationali, ſiue Oraculo (ità Græci interpretabantur ob eximium XII. gemmarum fulgorem, quo belli proſpera populo prænunciabantur) ſeni pietas fecerat venerabiliorem. Cumque pronubales annuli fidei ſigno, nimirum coniunctis dexteris, inſculperentur, quòd eſſet mutui fæderis inter coniuges argumentum: adhunc per coniecturas adrepimus; cum notæ neſcio cuius, quæ in annuli dorſo ſublucet, euerſum pænè vetuſtate veſtigium intermicet: ſic vt Apirona non abſurdè voces, hoc eſt, carentem funda, & abſolutæ rotunditatis artificio concinnatum.

Etenim flos permultis eſt è calice erumpens; alijs duo ſemicluſi floſculi, ſponſi virgam iam ſeneſcentis indicantes. Sunt, qui binos putent oculos, vigilantiæ, humilitatis, aut prodigæ in omnes beneuolentiæ teſtes. Caput alij ſerto redimitum, quod ſit Dauidis, à quo ſui fontem generis ampliſſimi coniuges deriuarint: aut character deniq;, qui temporum iniuria apud Hebræos abolenerit. Nemo enim ignorat, Eſdram Iudæorũ litteras immutaſſe, nouoſq; characteres, nè cum populis Samaritæis ipſi congredentur, innexiſſe. Cumq; pòſt emendatum Moſeos volumen, ob gentis Iſraëliticæ captiuitatem, fieri non poſſe animaduerteret, vt per manus traditæ à maioribus leges, ad poſteros peruenirent incolumes, foreq; ex eo, vt quæ diuinitùs Symmiſtæ perceperant, per negligentiam, & ignorationem interciderent: coactis in Synedrium LXX. ſapientibus, aduocatiſq; exceptoribus, quæ quiſq; de legis myſterijs memoriter recitarat, Eſdræ iuſſu conſcripta ſunt: atq; hinc LXX. libri ſcientiæ Cabalæ, ſiue doctrinæ ſecretioris, in quibus intellectus vena, & ſapientiæ fons occultaretur, promanarunt: quos incredibili ſtudio à Sixto IIII. perquiſitos, & Reipubl. Chriſtianæ bono, Latinis litteris reddi cæptos, importunus Pontificis obitus indignè ſubtraxit. noſtraq; tempeſtate tanti apud Hebræos, ſunt, vt ad eorum cognitionem cuiquam, niſi quadragenario aſpirare non liceat.

Sed profectò, quæ de ſphragidophylacio annuli in medium attulimus, coniecturis pleraque innituntur. Iſtud certò certiùs, ex Pelbarti voluminibus; quæ eidem Sixto Ponfici dedicauit, dicimus, concluſam ibi fuiſſe Amethyſti particulam: niſi ex Amethyſto malimus totum, quod eſt vero propius, quæ ad ſcalpturæ facilis, neque ita præſtans exiſtimaretur; quippe in ea Arabiæ gigneretur parte, quæ finitima Syriæ, Petrea vocatur; omninò longè ſordidior, viliorque Indica Amethyſto, quam gemmarii nobiliores, cæteris, quæ in Thaſo, Cypro, Armenia minore, Aegypto, & Gallia reperiuntur, prætulere. Nam recentiorum quorumdam placita ſcitis Hebræorum aduerſantia, prorſus repudiauerim: qui annulum aureum, in cuius pala, puniceus eſſet calculus, à Deipara complures annos geſtatum, ſcriptis editis, nullo auctore, aſſeruere: tametſi vti rem pictura expreſſam, qualem Sanctus exhibuit Lucas, & Romæ in D. MARIAE in Via lata venerabundi intuemur, recenſere potuit, quiſquis renarrator fuit, geſtationis verò meminiſſe, in certa adeò fama, non debuit. Niſi ſi fortaſſe eam ad S.





Edmundum adoleſcentulum pictoribus referre licuerit, qui virginitatem in ipſo vernantis ætatis flore, Deo, coram B. Mariæ ſigno vouit, eandemque annulo, quem ſibi detraxerat, in imaginis digitũ; immiſſo, cui inſcriptum erat AVE, fidei perpetuo ſeruandæ pignorè concredito, in ſponſam adlegit. Ex quo autem ille in ſponſalem arrham, prodijt, dignationem omnium maximam mox ſepoſitus, ac religioni deſtinatus hauſit. Cæterum quid toto hoc de genere lapidum ſtatuendum videatur, haud magno in diſcrimine poſuerim: ferueat modo in Dei matrem ſincera pietas, cuius pronubi annuli ornamenta, nulla laus eſt, quæ poſſit exprimere; de quo quid compertum habuerimus, quam breuiſſimè, veriſſimeque tradenus. Ac iure veri religioſiſſimi, atque acutiſſimi, Bernardi Colnagi ex Soc. IESV, carmen ad Peruſinum populum præmiſerim.

*Sardonychem appellent, vilemve Amethyſton; at eſt mi*
*Chalcedon. variet vox, ſonet vna fides.*
*Quæ* MARIÆ *digitis fuerint admota ligandis*
*Vincla, rogo, hæc noſtrum deſtina corda ligent.*

XXVIII *Hugo Etruriæ Marchio laudatur.* Hugonem Etruriæ Marchionem Sextum, matre Vuilla Bonifacij Camertium Marchionis filia, patre Alberto, Hugonis Italiæ Regis filio, ortum, ſicut Gregorio V. & Othoni III. egregiè nauata opera plurimum inter Chriſtianos Principes illuſtrauit; ita ſacroſanctus Deiparæ, vxoris ignaræ auſpicijs repertus annulus, niſi à tantæ rei notitia arcuiſſent Superi, multo inſigniorem reddidiſſet: quemadmodum Othonem eundem S. Bartholomæi corpus Beneuento Romam, in Tiberinam inſulam, quæ Iouis olim fuerat, aſportatum, paulo ante nobilitarat. Iam meritas defectionis pænas dederat Creſcentius; & Ioannes exoculatus, qui, Gregorio adhuc ſuperſtite, Pontificias infulas occuparat, iiſdem ab Othone fuerat exautoratus; cum Hugo præſeminandæ vulgo pacis, & ſtabiliendæ concordiæ cupiditate adductus, vt erat Imperatoria dignitate conſpicuus (quippe iure ſanguinis iunctus Cæſari, bello ſtrenuus, & moderandæ conſilijs reipublicæ apprimè gnarus) varias conſulto mutabat Sedes. Cluſium autem Tuſciæ oppidum, ſi quando Florentinæ ciuitati prætuliſſet, in qua Cænobium Dei Genetrici ampliſſimum excitarat frequentius incoluit.

Erat huic vxor, Ottonis neptis, Iuditta nomine (ſic Diuus Podo Florentiæ ea tempeſtate Epiſcopus ſcriptum reliquit) quæ præter modum, tametſi non præter ſolitum, gemmis oblectabatur, ad quas ardent & inſaniunt ſtudia fæminarum, Cluſii Ranerius quidam pretioſorum lapidum vſu dignoſcendorum, peritiaque callentiſſimus æſtimator, ac proxeneta audiebat. Is à Iuditta euocatur, Romamq; eius conquirendæ, colligendæque frugis cauſa, vi pecuniarum ingẽti tradita, ablegatur. Diuino fauente numinie factũ eſt, vt in bonum omen & muliebris curioſitas, & gemmarij cuiuſdam iampridẽ ex vrbe Hieroſolyma Ro-*Eius vxor Iuditta gemmarũ auida, gẽmas vndique conquirit.* mam profecti, occurſus verteretur. Et certè alibi, quã Romæ, quæ eſſet ſacrorum Reliquiarum emporiũ, & Chriſti præſepe poſſideret, ſponſalem Matris annulum non decebat in lucem promi; nec niſi ex occaſione vilium præ hoc vno mercium vendundarum, vt humanæ ingenij libidinem, ac luxũ magis damnes, & cæleſtis conſilij rationem demiſſius contemplere. Porro ſanctorum pleraque diu occulta, & per manus tradita, ignorantibus ijs apud quos latuiſſent, aut in earum cultu haud ſatis incaleſcentibus, tardiſſime ad poſteros peruenerunt; nec continuo agnita omnia caligæ, velamina, cineres, annuli, & ſi quæ alia arcanam patrandi miracula vim à Deo fuerunt aſſecuta, Eccleſiaſticarum verò traditionum fontibus, vnde puriſſimi fidelium dimanarunt latices, Eunomius proriſus aliquis, & Vigilantius, fanatico afflati ſpiritu, impietatis venenum nefariè infundunt. Neque venalem tamen propoſitum Mariæ annulum, ſed dono fuiſſe datum ab homine poſt illam Creſcentij perduellionem, quæ Othonianorum irruptione maiore conquieuit, non ſine potentis Dei nutu exiſtimauerim. Nuptiarum enim, & beneuolentiæ index merito quæſtum omnem à ſe debuit excutere; & commodum, vbi proditio atque hoſtilis veſania triumphabat, animorum ſuauiter coëuntium teſſera prolata eſt; longius autem ab aularum fucis, & militaribus Romæ ſtudijs abducenda, in qua ſic tum ambitioni, ac pfidię infulati, galeatiq; Principes vectigalia perſoluebant. Igitur à gemmario Ranerius, margaritarum, atque vnionum tantum comercatur, quantum auri argentique inſtituto mercimonio fuit ſatis. Triduo poſt diſcedere parantem, alijs oblatis nundinationibus compellat inſtitor. Sed gemmarium Cluſinus incuſat, veluti hoſpiti impoſuerit, cui empturienti non ſcrinia omnia, omnes forulos reſerarit: tum ſi quid abſtruſum magis reconditumque habitumque habuiſſet, quod coëmptarum margaritarum dotem candore, læuore, ac pondere ſuperaret, non deprompſerit. Imitari enimuerò ad ea, per quę magni æſtimentur, cum marſupium detriuiſſet; nec poſſet emptionem vllam meditari, vel ſi poſt hac pretia ad ſummum licitationis non excreſcerent, niſi precario; aut oppignorata, quàm turpiter emendicaſſet fide.

Caue ita dixeris Raneri, inquit gemmarius, etenim venum liberaliter propoſui, & nullo fuco, quæcumq; à me, nec caro quidem (præcerne, ſi mentior, mihi irata numina, quibus dactylothecas olim ſuas Scaurus, Cæſar, & Marcellus deuouere?) coëmiſti. Verùm ſeu Genius me aliquis adigit in amorem tui, ſeu rerum ita ſeries trahitur, vt quæ antiquiora diximus, ſubindè mutent dominos, & fidei credi debeant alienæ, quæ conſenuerunt in noſtra, fæderis inter nos icti annulus iſte (quem de gemmarum conditorio acceperat) pignus eſto. *XXIX. Famulo ab eadẽ ad conquirẽdas gẽmas miſſo annulus Deiparentis donatur.* Itane, Cluſinus ſubridens, rem non magni pretii, amicitiæ prædem initæ, hoſpes profuſiſſime, nobis offers? nè obſecro te, mundum tuum qui auro, argentoque exuberat, & gemmarium ipſum penum vnione tàm pretioſo carere velis: pro animo habeo gratiam, & affectus mihi quouis opulento donariò potior eſt.

Nè rudem annulum, quando ità cenſo, (ſubiecit alius) vſque adeo neglectum eas, quem, in quos olim vſus adhitus fuerit, vbi intelligas, pæniteat ſaxo Chriſtianum hominem muneris improuidè deſpecti, & conſilij oppido interueniſſi. Tum magno cupias emptum, quem noſtra tibi vltronea liberalitas, nihil tale opinanti elargitur; neque ſi nunc animo euiluit tuo, non poſteà fiet plurimi: in tantum beati coniuges decus ei, ac dignitatem conciliarunt, qui ad ſuas nuptias tranſtulere. Ac nè ſis neſcius, hoc annulo pronubo MARIAE digitum ſponſus Ioſeph oppignorauit. Hunc habebis Raneri tecum, & nè in impij, & nefarij cuiuſquam deueniat manus, ſedulo aduigilabis. Fruſtrà ſiquidem te admonuerim, capitale fuiſſe ſub Tiberio, annulos, imò & nummos, re modo aliqua non vulgari ſubnotatos, Lupanari inferre, locoque obſcæno admouere. Quid putas, pollutas cæde dexteras, & conſceleratas eo induere? Cæterùm ab excordis ingenij homine in nullo aduigilatum eſt minus: atque annulum recuſare non auſus, in arculam quandam, domi cum reliquis familiæ impedimentis ſeponendam, temerè, nullius perinde religionis admonitus, coniecit: tamquam eius generis extitiſſet, qualem certa ſyderum coitione compactum, Moſen redire in Aegyptum ex Saba cupientem, refractariæ dediſſe vxori, ad expungendam ex ipſius mente ſui memoriam, quidam nimis ſtolidè ſomniarunt.

Ranerius, vbi ſe Cluſium recepit, ad Iudittam rectà contendit, cui gemmaria explicata ſcena, Vnionum ac margaritarum rationarium bona fide repræſentat: oblitus verbum facere de Virginali lapillo, quem planè ſanctius, atque honorificentius Princeps fæmina, quamquam haud dum pietatis ſtudijs vere dedita, excoluiſſet. Sed ſcilicet abnuerunt cælites, Iudittæ obijci piaculare donum, in illa vtique maris, terræq; intertrimenta, & fæces, quibus gemmarum nomen indidimus, proniori: quando etiam ab Hugonis mariti laxo tum quidem viuendi more minimum diſſidebat; qui tamen poſt nihil non pium, nihil non præſtitit cum religione coniunctum. Hunc ipſum à MARIA Virgine inter venandũ increpitum vulgarior fama fert.

*Hugo Iudittæ maritus à B. Virgine increpatur.*

Etenim per colles, ſyluaſque, canibus, & equis inſectantem feras, à cætera turba venatorum oblatus ex improuiſo ceruus longius adduxerat; curſitantemque per nemus remotiſſimum, &, vt diei æſtus erat, ſudore perfuſum, fame ac tædio enectum, egregiè delaſſauerat. Appetebat iam nox, quique belluæ fugientis gratia prope extabuerat, & fruſtra præda è manibus elapſa, ſolus per dumeta oberrans, iterum; quæritabat cibum; tuguriolum nactus, ex equo deſiluit, & glande, de radiculis, famelici paſtoris delicijs, ſe auidæ ſaginauit. Tum aſpero in ſtrato ſomnum captare laboranti, auguſtiſſima ſpecie, & dulci luminum lenocinio, Hugoni Virgo palam ſeſe videndam præbuit; ſic, vt omnem interuerſi affectus ſenſum in animo Marchionis reſtingueret: qui tenax alioqui libidinum, & ab occurſantium formarum obtutu facilè flammam hauriens, contra ius, faſque coniugalis tori male ab illicibus, atq; illicitis amoribus temperabat. Ferebat Deipara vas cæno ſordidum, & vili emblemate ſegmentatum, cibis refertum delicatioribus, qui variarum conditurarum illecebra abſtinentiſſimi cuiuſque palatum demẽtare potuiſſent.] Adeſdum *inquiens*, fame effracte Marchio; his eam epulis profliga obmurmurantem, gratoque edulio viriculas refice fatiſcentes. Abijce ſterquilinium Mater, reſpondit Hugo. Quiuis gurges, & helluo, propter infames quadras, reſpuat male feriata fercula. Me propter eſcaria vaſa aurea, argenteaque, iuuat epularum tempeſtiua luxuries; quæ nunc intempeſtiue blanditur oculis; quando ſordens vaſculum caſtigat acriter, & deijcit edendi amorem. Itane? (Virgo ſubdit) nauſeantis decretum placet; cui vel inuito vtilia propinare non verebor. Huic vaſculo tuum corpus eſt quam ſimillimum, quod pariter ſcatet maculis, & ipſa flagitiorum conſuetudine in ſcopulos recidit, quos horruerat, ſuique ſtulte naufragium circumfert, quod damnarat. Impoſitæ epulæ adumbrant animum, qui non ſecus ſui nauſeam creet, ab eoque abſtineant æque, quicumque vaſis aut corporis haud perferre graueolentiam queant. Nihil fædius peccatorum tabe, quæ nati mei candorem iugulet, & puros beatarum mentium cætus longiſſime abſterreat. Egoque te peſſime oderim tot coopertum ſceleribus, tuæ templum animæ circumſidentibus; veluti ob illatam extrinſecus fæculentiam per lepidum cibum, cum eſurias plurimum, faſtidis ipſe. Atqui pulchre dilectionis ego Mater, & ſanctæ ſpei; meliore in poſterum de te, concepta ſpe, tibi me liquida in luce, in obſcuro ſyluarum anfractu placidiſſime oſtendi; quo mentem è veſaniæ amatoriæ veterno excites, & agnoſcens ſcelus, vltro tibi multam irroges, meque veriſſima prædicantem, mutato in melius vitæ inſtituto, quantum poſſis, æmuleris.

XXX. *Ex obiurgatione fructus egregius ſequitur.*

Et quidem egregius conſtitit obiurgationis fructus. Permulta enim religioſarum familiarium magnis ſumptibus cænobia extruxit, & venerabilius, ac religioſius quoddam in honorem Dei Genitricis Florentiæ ædificandum curauit. Nec pietatis deinde largiore encomio caruit Iuditta vxor, cuius hortatu Diui Andreæ Apoſtoli templum, Florentino eius æui Sanctiſſimo Antiſtiti, poſteriſq; liberaliter Hugo adminiſtrandum dedit.

Iam Ranerio memorata ſuperius obliuio magno ſtetit, & quod fænus, ſi tempeſtiuius annulum reuerentiuſque coluiſſet, animæ cenſum, ac fortunarum ampliter locupletaſſet, in hominis, obſequij aduerſus virginem tardioris, ingens erupit damnum. Nulla illi ſoboles præter virilem erat, quam futuram aliquando opulentiſſimi patrimonij hæredem, arctius foueri, ac nutriri diligentius curabat. Decennij metas puer vix exceſſerat (nam pater decem ipſis annis, ex quo Deiparæ annulo humaniſſimè auctus fuerat, obliuioni parentarat) cum grauiſſime ægrotare cæpit; tantumque imbecillitatis, & languoris ex vehementi contraxit æſtu, vt augeſcenti indies, & graſſanti febri, medicorum curationes fruſtra adhiberentur. Ergo repentino patris deſiderio extinguitur; & quæ eſt mortalium conditio infelix, columen familiæ concidit, & parentum expectatio, quorum ætas ingraueſcens in adoleſcentis amore conquieuerat, momento temporis eluditur. Ranerius acerbi vulneris ſenſu altiſſimè confoſſus, vix adeuntium amicorum leniſſima oratione confirmari, vix communium calamitatum recordatione, atque alienæ orbitatis exemplis auocari à luctu potuit. Vbi lachrymis, ac mærori pluſculũ indulſit, magnificè filio exequias parat, multoq; affinium, & cognatorum affluẽte numero, ipſemet in funus prodit, ad Diuæ Muſthiolæ (Canonicorum Regularium Præpoſitura erat) deducendum.

Hoc templum, quod plus paullò ducentis paſſibus ſecundum Clanim fluuium Cluſio diſtat, & nũc paucorum largitionibus, quippè cænobio, ampliſſimiſque ædificationibus vetuſtate collapſis, ſuſtentatur, pluribus olim prædiis, ac latifundiis ad Vaiã villam, pagoſq; Cluſinos, Plebanos, Peruſinos abundabat: quorũ nonnulla Pius II. Cluſino Epiſcopatui attribuit; alia, ſed quæ Pontificiæ ditionis eſſent, & ad Plebanum agrum pertinerent; Plebanæ ipſi Eccleſiæ Clemens VIII. adiudicauit. Idem fanum per id ætatis maximè illuſtre, notumque omnibus eſt factum, cum ob Diuæ Muſthiolæ, Claudii Principis conſobrinæ, tum ob Irenæi Martyrum tumulata corpora (ambo pro Chriſti confeſſione, Valeriano imperante extremum ſupplicium ſubierant) ex quo & Anonymus Canonicus prodijſſe fertur, vitæ caſtimonia ad miraculum ſuſpiciendus, qui vt Tuſſignani Annales tradunt, ipſo Mariæ Virginis cum Eliſabetha congredientis die, puerum Ieſum, velut alter Simeon, in vlnas ſuauiſſimè excipiebat, & diuini præſentia numinis mirificè recreabatur. Hoc in loco Deiparæ annulus, vt in tempore dicetur, diutiſſimè ſeruatus eſt; & nunc quoque indicat, quædam Diuæ Muſthiolæ imago, ex cuius manu, catenula ſuſpenſus pendet annulus. Nõ longule S. Calliſti conſpiciebatur Aedes, in qua huius reliquiæ in vrnam coniectæ religioſiſſime colebantur, quæ ad Diuæ Muſthiolæ (Calliſtina diruta) mox translatæ ſunt, & ad latus beatiſſimi corporis reconditæ, ac tum luſtratæ, recognitæque, cum in Vrbe Veteri Eccleſia huic Virgini recens excitata eſt, & aliquid hinc eiuſmodi piaculare à ciuibus efflagitatum. Quibus Fauſtus Mellarius, Cluſinorum Epiſcopus ſatisfacier dum ratus, patefacta arca, velum martyris virginis iniectum capiti, ſanguineis guttis interſperſum inde accepit, & ad Vrbem veterem anno huius ſeculi ſexto, dono miſit: Senas verò alterum in nobili eiuſdem nominis delubro adſeruandum, iãpridẽ allatum perhibet? Proceſſerat mortualis põpa, cum inter propinquorum cõplorationes, & exequiaria ſtudia, quod viduæ contigiſſe gnato ſacra Euangeliorũ narrat hiſtoria, gẽmarij filius coronatus iam, at-

*Miraculo comprobatur Anul. Deiparentis.*





que inſtitis manus, ac pedes reuinctus, iuſſis ſubſiſtere libitinarijs, è pheretro conſurgit, mæſtas canentium, & quiritantium, brachio elato, ac manu ori admota compellit voces, patrem euocat, & principio ſollicitũ, animique accipitrem dein lætitiæ temulentia quadam nutabundum, adhunc alloquitur modum.

*Huc ego pater, Mariæ fauente clementia, tibi è cælo adſum; eodem, vbi te contemptæ religionis reum peregero, ſingulari ipſius beneficio rediturus. Nam ecquæ intemperiæ tibi adeo eripuere mentem, vt Sacroſanctam gemmam decennali interuallo, in aliarum aceruo, vtique præ hac vna ſordeſcentium, velut in nequitiæ ſtabulo occuleres? quæ nimirum, virgineus, vt diabolo celaretur partus, Ioſephi, & Mariæ diuinitus conciliatis nuptijs interuenit. Cuius quoniam mortalium nulli ſpectandi copiam feciſti, ſed nec mihi: ab eadem nihilominus tacitus emanans fulgor, animum, oculoſque præſtinguit, meos, vrgetque flagro luminis, te vt obiurgem, fidem hominum, & Cælitum obteſter, ac te dira imprecatione tantum non defigam, ni ſtatim è tenebris eruas, in Solem adducas, publice ſpectandam colendamque proponas. Ad quod te per reuiuiſcentem prolem, illa eadem, quæ impoſuit & geſtauit articulis hortatur Virgo, placarique celerrimè geſtit, aduerſus quam ſomniculoſa pietas ingratum tantopere exemplum edidit. Ac vt nullus fluctuanti ingenio dubitandi relinquatur locus, hoc indicium cape inprimis afficax, & non vnum. Quamobrem pater, votorum ita eſt immemor* (*horum tam ego ignarus, quam tu in exſoluendo piger*) *quibus te iampridem obſtrinxiſti? quin ea demum perſanctè obis, & certum pietati pactæ deſinis diem. Tu Angelo antrum Michaeli ſacrum ad Garganum montem, ac Sipontum vrbem, peregrinantium habitu, te aditurum receperas: tum labentem S. Calliſti in proximo ædem inſtauraturum. Ambo tibi violati diuini iuris dicam, ſcribunt, ac niſi poſt redditum Deiparenti cultum Sacrario dedicationem, itinere Sipontino votum redimas, numquam ſeſe fore placatos tibi propitioſque pollicentur.*

Extemplo è Ranerij petita laribus, erutaque è cubiculi latibulis gemmaria theca, lapillis compluribus onuſta, huc affertur; & reſerata, atque ab inuolucris libera annulum in tam multis, quo maior dictis accederat fides, numquam viſum filio requirenti traditur. Manu vix iniecta, inter orbiculares calculos tum pretioſiores, tum magnete illicibiliores, Mariæ pronubum ſummum apprehenſum digitis feruidè exoſculatur, & palam turbæ, præ gaudio æquè id admirationem, atque in religioſum cultum venerationem que compoſitæ oſtentauit; campanis interea (vt quidam authores ſunt) feſtiuum ſponte ſonitum, publicæ felicitatis indicium, edentibus. Cluſini turmatim confluere, fama, vt ſit, rem opinionem celerius perualgante. Adoleſcentulus autẽ: *Heus Exequiarij*; *ſedulam*, inquit, *operam date, ne multitudini huc procurrenti vna, & altera fœminarum ex primaria nobilitate admiſceatur. Prohibent ſuperi; viuo me, atque indicante, oculis piacularem, gemmũ ab alterutra vſurpari; alioqui præproperas, & effrontes, lethaliter edormiens effugero, mutire auſus præterea nihil. Hugonis & Ranerij Marchionum vxores ſunt. Quidnam luſtrationibus perpurgari dignum, rem vtrique aptabilem inuideat, & Deus arcanis animorum illabens nouit, & vos cæleſtem opem vobis illiſque ſuppliciter exorate. Me vero haud quidem à parente deſtinatum, intuleritis. Signa è metallo quæpiam in proximo occurrent vobis; inibi cum pluſculum effoderitis, marmorea arca icunculis extantibus mire ficta, ſtriataq; illico emerſerit, in ea huic corpuſculo obtegẽdo reſeruata, me recõditote.* His dictis, tradito parochiali Curioni annulo, pheretro componitur, atque in cælum reuolat.

*Moritur qui miraculosè fuerat excitatus.*

Hoc loco quandoquidẽ monumenti fortuito eruendi, & multo antè, vt eſt credibile ingeſta deſuper humo deliteſcentis, nos pueri vox admonuit: neſcio, an pulcherrimi illius ac celebratiſſimi ſepulchri meminiſſe debeam, quod in eodem ſuburbano, Porſena Etruriæ Rex, ſibi magnificentiſſime inextricabilis labyrinthi in modũ, quattuor in ſummo pyramidibus impoſitis, quadrato vbique lapide extruendum curauit. Sed prouocaſſe ad Varronem, id prope fabuloſa expoſitione exprimentem, ſatis habuerimus: nos ad veras exequias, nemine iam attrato præter Ranerium, ob extinctum denuo filio merentem & in lachrymas coniectum, reuertamur.

Cæterum eſt, quo frangatur marmor, eſt quo molleſcat adamas: nihil eſt, quo mortem delenias. Quicũque ſenem antea in tam triſti iactura lugere non prohibuerant, cum alieni ipſi non poſſent non lugere: nunc mutata voluntate valde indignãtur, acriterque increpant, ſi pergat obloqui, nec luctum ponat: quaſi moleſte vnus videatur ferre, quod vniuerſis ciuibus per filium tanta obtigerit felicitas: & ſibi ægre quodammodo ſit, quod ille ex huius vitæ prærepetus naufragijs quæ noſtra viuacitas ſuo magno malo experiri cogitur, abierit tam cito ad Angelorum contubernium: quique votorũ memoriã parenti refricuerit, & munus longe nobiliſſimũ, à Superis, quos vrbi in poſterũ propitiaſſet, impetratũ omnib. indulgẽtiſſime prodiderit.

Funere iã producto, ac perfecta põpa, metallũ, & mauſolæum, vti prædixerat adoleſcentulus, inuenta ſunt, ſepulturæq; magna cũ admiratione mandatus. Exinde ſuburbanam Sanctæ Muſthiolæ Eccleſiam, non tam tumuli prodigioſè in lucem extracti nouitas, quam ſacrarum Reliquiarum opulentia inſigniuit, eoque totiuſque Etruriæ, Vmbriæq; accolas familiaris perigrinantibus curioſitas inuitauit. Peruſinos eo celerior miraculi fama perſuaſit & vt Mariæ cultui impendio obnoxios, ab intimo ſenſu ſuauior cogitatio permouit, quo eiuſdem cognominis ædes per id tempus in Auguſtæ vrbi pomerio, ad portam regionis S. Suſannæ ferebatur, cui ijdem Canonici Regulares præerant, & ad Diuæ Muſthiolæ Cluſinam ædem pertinebat: vtraque tamen noſtro, ac patrum æuo, bello & ruinis deformata. Ergo catenula quædam aurea annulo alligatur, qua, cum ſpectandus publice proponeretur, ſuſpendi, atque circumferri poſſet, idemque in æreum loculamentũ iligneo trunco conueſtitum, vt erat vaſculorum, & metalli pretioſioris, cruſtis aureis, ac ſigillaricijs exornãdi rudis eius loci antiquitas coniectus eſt, & operculo inducto, claui, quo ſupinam magis arguas, haud quaquam Laconica obſeratus. Prius tamẽ quam Anguſta, & ornata ciſtula reponeretur, nonnulla ſignorum editio, quæ religioni efferueſcenti adſtrueret fidem, vulgari cœpta eſt

*XXXI. Miracula edita, Anuli veritatem demonſtrãt.*

Etenim Regij ſanguinis fæmina, Vualdrada nomine præcipiti quodam pietatis æſtro percita, aræ propior facta, gemmam temere corripuit manu ac digito annulari inſeruit. Is, dictu mirum! (ac res peracta concurſu populi, terrore ſimul; & veneratione cernentium) continuò exaruit, & articulis remiſſis, illa eodem relapſa eſt. Quale temeritatis pretium Hebræus quõdam tulit, qui ſacroſancto, in quo Mariæ iacebat corpus, impuras pheretro iniecit manus; quæ veluti ad gladij ictum, etſi mox eiuſdem ope Virginis homini reſtitutæ, conciderunt. Waldrada vero quoad vixit, in huius gloriam, vt quæ meritas nefarij auſus luerat pænas, areſactum digitum, numquam obuelata manu annuli teſtis vtique ſanctius adeundi, fronte pie, ſapienterq; perfricta (nec cupiditas fuit tanti veniæ impetrãdæ, ſtuporiſq; excutiendi) præmonſtrabat. Haud hic omiſerim, q̃ ea de re cecinerit vates non ignobilis.

*Vt primum effulſit nitido ſplendore Lapillus*
*Præſtrinxitque hominum lumina gemma recens:*
*Irruit in franis pietas mulieris Etruſcæ*
*Cui dederat clarum linea priſca genus.*
*Irruit, & temerè acceptum digito inſerit: ille*
*Continuò attractis aruit articulis:*
*Cluſiadæ attoniti hæſerunt. Sed fœmina Princeps*
*Certior hoc thalami Virginei eſſe decus:*
*Exorat* MARIAM, *digitum ne deſerat algor,*
*Aeterno areſcat ſed reus vſque gelu.*
*Vindicis hoc meruit pietatis conſcius horror:*
*Hanc meruit nuptæ Virginis arrha fidem.*

Longè cautior, prudentiorque eſt habitus Franciſcus Vicinus, templi Laurentiani apud Peruſinos Canonicus, & laxandis animarum laqueis pro Epiſcopo ſumma cum poteſtate præfectus. Cum enim, me puero, Decem-Viris qui eſt ſupremus Peruſiæ Magiſtratus, annuli hierothicam reconcinnandam, ac repurgandam ex interuallo cenſuiſſent: atque hoc negotium Contulo de Contulis, antiquæ probitatis viro, quique præcipua erga Onychen (ſic ſenex appellabat) religione ſemper exarſerat, demandaſſent, Contulus, & Vicinus, cui Collegæ, vt annulum tantiſper in vaſe aureo ſeponeret, præceperant, immanem, & ferream arcam reſerant, partitiſque operis, rem quiſque ſuam ſtudiosè, & diligenter curant. Fortè id conſilij, dum educeretur in mentem Contulo venerat: enixè myſtam rogat, vt annulo aliquem digitorum induat, quantuſque foret orbiculus, propriùs deprehendat. Atqui religionẽ ille ſibi iniecit; nec, rem denique vt auderet, vllis precibus adduci potuit. Quod factu procliuius fuit. Sicuti è cera ritè conſecrata finguntur Agni, quos demerſos luſtrali aqua è magnis peluibus, primo, & ſeptimo quoque anno, argenteis adhibitis coclearibus linteatus Pontifex, vnà cum ampliſſimis Patribus eduxit: (& faciebat, dum hæc ſcriberemus Paulus V.) ità in cerea effigie, inſtante Contulo, à Vicino expreſſus eſt annulus: quem Contulus, ſi quando Iſchiade laboraret (ac perſæpè anteà) numquàm non ſalutarem, coxendici admotum, expertus memoratur.

*Oculorum defectui, ac reconciliandis cõiugum animis mirè proficuus.*

Ego quoque Romæ ab hinc quadriennium, Principum aliquot feminarum rogatu, annulos ex ebore conflatos, Peruſiam tranſmiſi, curauique piacularis attactu noſtri, quaſi diuinam ex eo hauſturos indolem, conſecrari, quod deierarent, mulieres partu propinquas, ſeque difficili nixu excruciantes, ſi geſtaſſent digito, ſubleuari. Neque huius muneris expertes feruntur, qui B. Annæ corpus, apud Gallos tranſalpinos attigere; quique Diui Ioannis, Equitum Melitenſium patroni, digito inſerantur. Noſter prætereà eorum oculos, qui ipſum defixi contemplentur, ità iuuare traditur, vt ſi qui indies obtundi ſibi vim luminis, hebetarique indoluerant: hi arcanum illud virus introrſum reſtingui, & refoueri, augerique hoc attentè inſpecto, imminutam aciem è veſtigio ſentiant, ſic vt coloribus floridis, aut ſucris non vna ratione eliquatis, minus vti deinceps habeant, qui feſſos, aut cæcutientes quoquo pacto recreare, vitiaque amoliri conſueuerunt. Ad hæc recõciliandis coniugũ animis, qui ferali diſsidio inter ſe certauerint mirè prodeſt: cuius pacificationis gratia complures voto aſtricti Peruſiam ſe conferunt, fructuque domeſticæ profligatæ diſcordiæ iucundiſsimè potiuntur. Affirmauere iampridem multi, ego quoq; non ſemel interfui, cum malorum Geniorum terroribus exagitati quidam, ad hunc ceu ad ſacram anchorẽ confugere; eoſq; in poſterum dæmonum terriculamenta nihili duxiſſe; tum mulieres à teterrimis lemuribus obſeſſas, annulari aræ propiùs factas, primum ingentibus Sacellum impleſſe clamoribus, deinde eoſdem à corporibus ope Mariæ excuſſos, exactoſque. Vſque adeò verum eſt: miraculis interdum à Deo tàm honorem Reliquiarum aſſeri, quàm hominum pietatem: ad quos ſubinde rerum piacularium promanat inſinuata ſalubritas. Et vt alia taceãtur, illud de theca lignea, in qua gemma goſſypio inuoluta Peruſiam allata eſt, prætereundum non videtur: quam apud Iordanios religiosè diutiſſimè ſeruatam, viſere etiamnum licet; aiuntque: cum Iordaniarum ædium pars ſuperioribus annis concepto igni conflagraret, & aulæa, arcaſque aliquot incendium validè abſumpſiſſet, ſolam thecam, omnibus in ſtuporem adductis, quam flamma non attigerat, inuentam eſſe. Quin cum primarius è familia, goſſypium inibi latens, profanos neſcio quos ad vſus transferre meditaretur, (haſtatorum luſus, & armatas per iocum acies, fabulaſque, Alexandro Riario, Cardinali Legato tum Ciuitas dabat) quotiès diremptum in flocculos digitis capiebat; toties flamma vri, lædique acerrimè videbatur. Sed nos eò tandem flectere orationem decet (ex quo pòſt CCCC. LXXXIV. propè annos de Cluſino Cimelio apud cælites tranſactum erat) quò me patriæ hortatur charitas, quam ſcriptorum penuria omnis generis, ingrata obliuione damnauit.

XXXII. *Idem Annulus Cluſii aſſeruatur.*

Et quidem præſenti diuinæ opi acceptum ſine controuerſia referas, quòd vrbs Senenſium Reipub. obærata, inter Aretium, atque Vrbem Veterem media, Cortonæ finitima, neque adeo virium, Etruriæ præcelſo monti impoſita, exiguarum, tam pretioſo pignore ſpoliari poſſet: Peruſiæ, quod in præcipua felicitatis parte ponat, collocupletaret, obſes fidei vetuſtiſsima, & ſpectabilis Eccleſiæ militantis filia, quo eam vocabulo Clemens V. decorauit; cum illi aperiendæ facultatem Academiæ litterariæ, trecentis ad hinc, & tredecim annis, meritiſſimè indulſit. Aequum ſanè erat, Regiam inter Etruſcas Ciuitatem, quæ vſque ab heroicis primorum Fidei columinum temporibus, Chriſtianæ militiæ nomen dederat, marito velut cælo copulari, quòd ab obitu reſurgens Chriſtus triumphali pompa teſſerarijs ſuis patefecerat: inde opinor, Matris ſuæ annulo, cuius clientelæ maiores noſtri ſemper adhæſere, ſubarrhare conſtituit, & orbiculari ſerto impoſito coronatam ſponſam, melioribus auſpicijs conſalutare.

Agebatur annus ſalutaris ſeptuageſimus tertius ſupra milleſimum & quadringenteſimum, Petrus Riarius biennio antè à Sixto Quarto, Cardinalis renũciatus, Peruſiæ, ac toti Italiæ (Prouincia iã deceſſerat Iacobus Card. Papienſis) legationem ſuſceperat; Vrbani verò Magiſtratus princeps erat Matthæus Franciſcus è nobili Monteſperellorum familia; quo tempore ſingulari Mariæ Virginis beneficio, naſcentis, &, vt ſic dicam, vagientis matrimonij pignora, inter prima prodeuntis in lucem ſalutis incunabula, in ditione Peruſina, & haberi ſanctius, & ab exteris propter excellentem vrbis nobilitatem coli fructuoſiùs cæpta ſunt. Quæ autem ratio à rudi quondam populo ſacratiſſimæ ſeruandæ rei inita fuerit, quæque è candice, & ſtirpibus arborum fabricata receptacula, ergaſtuli vice Cluſinis probarentur, & apertè expoſuimus & nunc reticendum non eſt, quàm parùm tuto conſilio cum per cauſam alendæ pietatis in publico ſtatuendus erat annulus, alieno ad id miniſterio vterentur. Non rarò enim, vt ſe quiſque offerebat, fucatæ modò religionis obtectus pallio (de hominis fide cãdidis ipſi moribus ſupinè iudicabant) non grauatè ad opus temporarium admittebatur.

*Franciſcanus quidã furto rapit annulũ Deiparæ.*

Fortè è Diuæ Muſthiolæ fano, tum mirum in modum ruinis labefactato, dirutis quoque Regularium Canonicorum ædibus, Magiſtratus, cuius & nutu oſtendebatur, Cluſium in Diui Franciſci, cui ſodales ex huius familia operabantur, Calcedoniũ iuſſerat importari, & ſuggeſti & latus, effoſſo in pariete conditorio reponi, vt verba ad populum de ſuperiore loco facienti, oſtenſuroque præſtò eſſet: quæ nimirùm opportunitas Germani cuiuſdam, in Franciſcano ſodalitio miniſtrantis induſtriam exacuit, & nefarios conatus, inexplebili temeritate præfultos, indigniſſimè prouexit. Atque hic Vuintherius nomine, patria Germanus, moribus, qui in ſpecie virum probum, & Franciſci inſtituta ſeriò profitentem deceant, re vera fucatiſſimum nebulonem clamitantibus; nè ab exoleta gentis religione deſciuiſſe videretur, Tuiſtonem Deum, & Filium Mannum ſi minus ſermonibus vſurpabat, Mercurio certè cultum impendebat, hoc eſt rapinarum amorem, ad intimos animi ſenſus occulta quadam affinitate pertingentem, hauriebat.





Enimuerò hominis laruata pietas, cùm inſignem vultu venderet ſanctimoniã: decreſſetq;, contempta numinis reuerentia in ſacrum annulum irruere: quo ſiue inteſtino in Tuſcos odio, nè cæleſti donario diutiùs fruerentur: ſiue vt, verſa in ſodales inuidia, fortaſſis infenſos ſibi, captato tempore Ingæuonas, atq; Hermionas ſuas liberaliſſimè muneraretur, die quodam Magiſtratum adijt, precibuſque inſtitit petere, ſe vt rei annulariæ præficeret: nihil ſe ardentiùs exambiſſe, vtpote è Germaniis profectum, quàm vt nuptialem Mariæ annulum aliquando proximè inſpiceret, tangeretq;. Cui non imponeret, tàm elegãti pietatis inuolucro contecta petitio? Oportebat ab humanitatis iure abeſſe, qui honeſtiſſimo voto non annuerẽt, laudabili fiduciæ non ſuffragarentur, gratioſa erat cauſa rogationis; habebatque in petitione multos cupidos ſui gratioſos. Fauent omnes, & ſtato die expetitam anxiè prouinciam non oſcitanter obit.

Concione habita, dum cõſuetam in latebram propoſitum populo annulũ pronus, vt recondere videatur, incumbit, quandoquidem manuleatis ampliter tunicis incedebat, in manicas reijcit, oſtiolum aſturè oppeſſulat, & clauẽ, vultu effronti, totus ad agendas gratias fictus Magiſtratui reſignat. deinde ſuſtarcinatus, & theſauro in ſinum collato, arreptoq;, quicquid furto, fugæq; cõmodiſſimũ eſt viſum, Cluſio clanculùm demigrauit. Excuſatior profectò, ſi ſaltẽ emendicandæ ſtipis ſtudio circũtuliſſet. Vrſidongenſes Clericos imitatus, qui quæſtus cauſa B. Gislenij oſſa, ſuis humeris per vicos, & plateas geſtaſſe perhibentur: donec S. Gerardus eos Monaſterio exuit, & S. Confeſſoris reliquias ex Melbodio, quò furtim perlatæ fuerant, Vrſidongum reduci imperauit. Sed Vuintherius ſcilicet ab eo longiſſimè receſſit, quòd apud gentiles ſuos fuerat in more poſitum, vt fortiſſimi quiq;, donec ſe cæde hoſtili abſoluerent, ferreum annulũ, quaſi vinculum geſtarent: annulum hic quidem gemmeũ, cæterum imbellis ipſe, atq; ignauiæ mancipium, ceu catenam, & laqueum ferebat ſecum, quo videlicet tantùm non eliſis faucibus, qui fidem perfidè violarat, interiret. Quamquam è ſummo maleficio ſummũ ad Peruſinos beneficiũ redierit, & peſſimum cucullati inceptum propter ſpem ſibi, exteriſq; feliciter ceſſerit. Quarè tantundẽ raptori debeant Peruſini neceſſe eſt, quantum vel munificentiſſimo largitori vix vmquam debuerint. Quid quòd Spinarum alteram, ex immaniſſimo acceptam ſerto, quod Chriſti patientis capiti impreſſum fuit, perindè, atq; annulũ, è Peruſinis quidam, ex alterius Franciſcani laudabili furto profectum putant, qui è Caluio, Vmbriæ municipio ad Sabinos, clepſerit, & Peruſiæ in percelebri ſui Patroni æde, regionis S. Suſannæ confinio, collocarit. Sed manifeſta in re allucinantur. E longinquo enim aduectam, cum Petrus Donatus, Epiſcopus Patauinus Peruſiæ, Vmbriæq; pro Martino V. Legatus, ijs litteris planiſſimè teſtatur, quas de permutanda ſupplicationis die, à Natali Dominico ad Aſcenſionem transferendæ, exarauit. tum è Lotharingia maximè petitam, armarium ferreum, in quo reconditur, ſigilla, characteres, ſtemmata, aliaq; periſtromata perſpicuè nos docuere.

XXXIII *Annuli raptor tenebris punitur diuinitùs.*

Clani fluuio ſuperato, exorta confeſtim, caligine impleuere ſe campi, tantumque nebularum exudare ſunt viſi, vt Wintherium, quò ſe verteret, quàue faceret veſtigium, ancipitem, trepidantemq; reliquerint. Hac fermè ratione militibus prædæ cupidis, & ad diripiendam Lauretanæ virginis Eccleſiam proruere cogitantibus, (quamquam Franciſco Maria Vrbini Duce, qui à Leone X. ditione exutus, Picenum agrũ infeſta populatione percurrebat, reclamante) repentè nebulæ de cælo lapſæ feruntur obortæ: quæ paulatim circa templum denſatæ, eius conſpectum ademerunt; cum tamen propinquiora circum loca Sole eſſent illuſtria. Germanus vbi diutiùs incerta ſe cura diſtrahi, ac moliendo paſſus obniti fruſtrà animaduertit: facti obſtrepente cõſcientia, immiſſam diuinitùs nubẽ animo reputat, ſeq; patrati in Deiparã ſceleris reum ſeueriſſimè accuſat. Igitur humi proiectus, profert è ſinu annulũ, & arbuſculæ, penès quam hæſerat catenula ſuſpendit, ſolutuſq; in lachrymas: Tene, inquit, *ſanctiſſimorum coniugũ vinculum, nefarius ego ac vecors, per ſummam contumeliam, atque indignitatem ſubreptum, transferre aliò ſtuduerim? O me ſacrilegum! quem neque hoſpitij planè inuiolabilis religio, neque maxima Cluſini populi in immerentem liberalitas, aut legum metus, neque iurati dignitas miniſterij, quam fœdiſſimè pollui, ab execrando conſilio deterruère. Nec interim occurrit, quid agam, quid mediter meam ipſius haud quidem miſeratus, veriùs deteſtatus inſaniam. Si te Cluſinis tuis reſtitutum velim: æquam ſanè rem præſtitero. Ceterùm, quæ conuiciorum, quæ ſuppliciorum aduersùm me plauſtra, ad necem vſque deriuaro? Fac verò perhumaniter, accipiant, & delicti gratiam faciant; haud me oppidò abſoluam ipſum, à quo pœnas expetent non tàm furiæ iniquorum facinorum vindices, quàm commilitium ipſum meum, cuius vexillo, ac paludamento, è pij patroni caſtris transfuga procaciter illuſi. At tu diuinum cimelion, cuius vnius ſplendor latè meas diſpellit tenebras, & in quo omne perfugium, & præſidium ſtatui meum, permitte, vt ab orbiculo tuo, quaſi Iri, Orbem tranſlucidis coloribus ambiente, pacemque mortalibus, ac fœdus indicante: permitte inquam, abs te veniam impetrem; tuque caliginem. quæ vallentem meritò obruit, quando illam ab animo iam dieci, à corpore diſcute; quæque deinceps calcanda via ſit, præeunte luce, clementer, ac benignè præmonſtra. En quæ te ſcelerato auſu tractauit manus, tuoque beneficio non obtorpuit, non exaruit: ſi modò nihilo pacatiore te vtatur, quàm paullò ante vſa eſt: en te ſcilicet ſubmiſſius, reuerentiùſque reſumpſerit, & iucundo horrore: quà tucumq, iter aperueris, opem iam ex hoc contactu tàm expectans, quàm poſcens, fidentiſſimè detulerit.*

Ac receptus quidem annulus tãquã magnetis vim latenter obtineret, ad Vrbem apud Tiberim, Etruriæ culminibus impoſitam, flectere viam hominem coëgit: ſic tamen, vt à tergo ab eadem vtriq; nebula vapularet, ſibiq; propiùs ſuccederet, quò progrederetur lõgiùs: fulgor autem corruſcaret in anteceſſu: & tantò certior, viuidiorq; verſaretur in oculis, quantò maiores priùs tenebræ animo fuerant obortæ. Tandem ſplendore illo duce Peruſiam attigit, & ad Nouellanos Sodales, ſiue Auguſtinianos, qui à læua occurrunt euntibus ad Septentrionalem portam, arduo in cliuo (alij magnificentius cœnobium à dextera viæ Angelicæ incolunt) diuertit. Illinc verò ſuſceptum in Germaniam iter identidem arripere geſtientem: eadem viæ aſperiùs caligantis difficultas ſemper deterruit, & cæca vndequaq; nubes, nulla iam antrorſum affuſa luce mirabiliter oppreſſit: neq; ad eam leuandam moleſtiam accenſa quidquam funalia, aut iteratæ ex animo preces profuere. Optimum itaque ratus interſiſtere, dum commodiorẽ, & cælo magis placitam nanciſceretur exeundi facultatem, vt dies diem trudit, potioremq; conſequenti præſcribit modum, rem cum capite amiciſſimo communicare, & in ipſius laribus occultare decreuit. Vnde viginti interceſſerant dies, in quibus non prædonis tantùm viſui tenebræ interdiù offecerant: ſed etiam vniuerſæ vrbis faciem fumus ingens, & nebula craſſior prodigiosè inuaſerat, ſic vt Solis, Lunæque fulgor pluſquam annuis, & menſtruis defectionibus euaneſcere: aſtrà, priſtino deperdito nitore miſerabiliter langueſcere viſa ſint: cum tamẽ hæc omnia naturæ legibus tunc minè aduerſarentur, Iulij caloribus vehementer æſtuantibus, varioque inter ſeſe congredientium occurſu ſiderum, aut fuga diſſidentium immodicam adeò caliginem prohibente: quandoquidem Saturnus cancri ſpatia metiretur, & Sol Leonis domo vteretur, & Procyon proximè abeſſet, vt interim hoc eodem loco rideam fabuloſo æris ſono vaneſcenerem Lunam: nec craſſum, & concretum cælum editiſſimis Etruriæ mon-

tibus tantoperè vmquam immineat; & Tiberis alioqui ad duo millia paſſuum imis ab vrbe procul radicibus decurrens nebuloſum hunc halitum ad mænia penetrantem non exſudet. Monſtri cauſas minus, opinor, deprehendiſſet doctiſſimus hac ætate Ioannes Regiomontanus, paullò ante è Germanijs Romã à Pontifice, ad Paſchatis rationem, temporum interturbatam lapſu, reuocandam accerſitus, cui Eccleſiam Norimbergenſem deſtinarat. Quamobrem haud dubiè affirmauerim, effuſam latè caliginem obliteſcentis apud ſacrilegum hominem annuli, indicium fuiſſe, & ad III. Nonas Auguſti, Deiparæ id ſtatuente numine, perduraſſe: ac tum demùm remitti, ac rareſcere cępiſſe, cum Wintherio diuinitùs ea mens immiſſa, vt patrata Cluſij Iordanio palàm faceret (quod illicò præſtitit) & conſilium, non, quod dicitur, in arena, ſed in medijs tenebris, iudicio ad hæc prodigia caligante, venaretur. Erat Wintherio Peruſiæ cum veteris ius hoſpitij, & domeſticus vſus, tum contracta pietate propinquitas cum Luca Iordano, ſingulari probitate, ac prudentia prædito. (filium aqua luſtrali, dicto initiationis die, tinxerat) huic ingens depoſitum amicè prodidit, omnium, quæ in itinere obtigerant, fide planiſſimè expoſita, ſiue facilitate naturæ, ſiue callida, & ad deuinciendum ſibi arctiùs hominem apta imagine. Sperabat enim, vbi recraſtinator eſſe deſijſſet, Tuſcum Germano abiturienti præſtò futurum, & hauſtas criminis, aut trepidationis tenebras ope tandem ſimplicioris ingenij feliciter exſolutum iri. Lucas, qua erat ſagacitate, caliginis à Cluſina Wintherij profectione cauſa acutiſſimè perſpecta, & eius, quæ dies iam vnde viginti vrbi incubuerat, pertæſus: *Benè habet*, inquit; *vindices adſunt, & Peruſina nubes, in oculos mei hoſpitis, ſi quà temerè elabi tentet, incurſura*: quem amanter tamen, blandèque cohortatur, & magnis pollicitationibus aggreditur, vt munificam patriam, cuius liberalitatem ergà ſe profuſiſſimam confeſtim poſſet experiri, Virginali annulo donaret. Contrà homo abnuere; ſeque, cum abduxit Cluſio, certo conſilio religioni paternæ vrbis apud gentiles Teutones, vt honeſtiorem locum ſacroſancto anathemati pararet, addixiſſe. Probare ſententiam Iordanius, nè quid in hominis animum ſuſpicionis caderet. & præſtare id præſertim vetaretur, quod in tàm volucri bono, & ciuitati inprimis conducibili, ſibi monitu planè diuino faciendum propoſuerat. Rem alius aliam, ſedulò vterque ſuam curat; hic vt itineri ſe quàm citiſſimè comparet, & ad Teutones ſuos pergere feſtinet: nimirùm auſpicio lucis, identidem, ex quo hoſpitales inierat lares, internitentis, quæ, puto, iam erumpere, reddique in plenum geſtiebat, cum immineret dies annulo palàm promendo deſtinatus: Lucas, vt prędoni prædam piè ſuffuretur, nè quà pòſt ſubeat animum pænitentia, bolum tantum patriæ è faucibus per ſocordiam ereptum.

XXXIV. *Peruſini annulum recipiunt, eoq; recepto tenebræ diſparent.*

Subinde Magiſtratum adit; nactuſq; mærentes Patres, ob diuturnas nebulas, attonitæ vrbi circũfuſas: *Mæror*: inquit, *faceſſat, obſecro; teneo, lucem, quid excantet: teneo; nubes, quid pelliceat. Per me tenebris modus eſto, modò verax habear, quamuis magnæ rei obnunciator, & miniſter.* Tum de Teutone narrat ſingula; nec celat de concepta ſpe lucis per annulum, in ædem ſacram inferendum, recuperandæ. *Ecquis*, ſubdit, *non manifeſtè deprehendat: cæleſtes mentes pro cultorum ſuorum incolumitate, atque incrementis excubare? Mitto ex Vmbria ſublatum bellum: mitto oppreſſam factioſorum manum. En, vbi pacatæ propemodum Romana, ac Peruſina ditiones ſunt, allatũ eſt haud ita pridẽ illuc Andreæ Apoſtoli ex Peloponneſo caput: ad nos in præſens Mariæ pronubalis annulus. Hunc ego libens, volenſque iam nunc publici iuris facio. & cùm domi fuero, venerabundus venienti tradam Præſuli. Vos fouete pignus Ciues; & ſi qua vis externa adoriatur, obſirmate animos, æternumque, vel amiſſo ſpiritu retincte: me, meoſque ſeruate, propitij ſemper clientelæ.* Vbi talia audiuere, lætitijs numquam maioribus Patres inceſſere, res in publicas tabulas à Paulo Simeonis decemvirali graphiario excepta eſt. & quò certior muneri adijceretur fides (inſtantibus ferijs, in quibus Cluſini, & vulgò Etruſci omnes ipſius recreari adſpectu conſueſſent) placet Cluſium illuc ſolertiores aliquot ablegare, vt obſeruent clanculum, ſi quid ſtata die, apud Franciſcanos palàm, abſoluta concione, ex annulario conditorio proferatur. Sententiæ frequenter ſucclamatum. Amandant, qui per ſpeciem religionis, veluti gregarij homines, turba in confertiſſimo theatro ſe immiſceãt, & effronti pietate ſuggeſto, ac hierothecæ, quantũ queant, propiores fiant. Quid multa? Spectatę fidei exploratores de inani reperta pyxide, de rubẽte, ac rudẽte adminiſtro, de illuſo gentium, quæ adfluxerant, exterarũ voto mira denique de obſtrepentium & tumultuantiũ clamoribus, Germanum cucullatum, qui poſtremus omnium è ſublimi oſtenderat, ad gladium, ad crucem depoſcentium, renunciarunt.

Ea tempeſtate Iacobus Vannutius, nobilis Cortonenſis, magna ſapientiæ, ac ſanctitatis, laude inſignis, paullò ante è familia Nicolai V. & Calliſti III. poſt Eccleſiam Ariminenſem, Peruſinam Epiſcopus moderabatur; Bononiæq; Prolegatũ, & Pontificis Vicecamerarium Romæ egerat: quiq; obijt Archiepiſcopus Nicenus, ad Dionyſium nepotem, poſtquam Peruſiæ xxxv. annos præfuerat, eo tranſlato Antiſtitio. Hunc celeriter Patres conuenere, deq; oblato præter opinionem cæleſti donario, exultantibus animis fecere certiorem: à quo ſub diei veſperam III. Nonarum Sextilium, ſolenni indicta ſupplicatione, è Iordaniorum domo, in ſuburbanum Wintherio abducto, ſacroſanctus Annulus, inter piacularia Auguſtæ vrbis ſacra, cũ ter ſpectãdus circũfuſæ multitudini, foro in medio, propoſit⁹ fuiſſet, Decẽ-Viralibus in ędibus, in prætorio Larario reconditus eſt. Mirũ dictu! Eo in publicũ prolato, diffractæ ſubitò nubes, caligo omnis depulſa, Vrbiq; in plenũ ſerenitas reſtituta.

Cluſij comperta proditoris fraude, grauis ciuibus eſt inuſtus dolor: laxatiſque iracundiæ frænis, omnes poſcere, ad pænam ſceleratum myſtam, emiſſarios quoque verſus dimittere, ſubtractum furto annulũ, modis omnibus perueſtigare. Eapropter Antiſtitẽ ex Franciſcano Sodalitio (Andreaoum Annales nominarunt) Peruſiam extrudunt, cui in iudicium vocandi hominem, Cimeliiq; virginalis ad ſeſe referendi negotium dant. Qui dum commilitonem ſuum, quà in Cænobio Minoridarum, aut Socculatorum, quà in Diuæ MARIAE Nouellanę perquiſitũ, à viatoribus tradendum in cuſtodiã curat; Lucas ſe meticuloſo, atq; inopinanti Wintherio offert. *Enimuerò te fugit*, inquiens, *cuius rei gratia tibi tam acres à ſodali tuo ſtruantur inſidiæ. Ceterùm eò nunc tua conditio deterior facta eſt; quò neque ſi velis, quam apud me celari volueras, Cluſinis reſtituere gemmam poſſis. quam Peruſina felicitas per me inter ornamenta, & præſidia iam numerat ſua, qua & ſe ſalutariter potitam, æternùm gloriabitur. Neuè meorum animos ciuium, non tibi beneuolos & fauentes putes: omnem illi operam, curam, fidem in rebus quas ad te pertinere intellexerint, ſtudioſiſſimè deferent: proque tua incolumitate nullis non periculis, omnium inuidiæ, obuiàm ire parati ſunt. Vnum modò officij reliquum beneficentiſſimis patronis, me auctore, ac ſuaſore fideliſſimo præſtes velim, vt vnà mecum ad Decem-Viros te conferas, eodemque annulo, perinde etiamnum careant, comitate, & beneficentia vſus, ipſos liberaliter afficias. Videlicet huius ſuſcepti conſilij te nũquã pænituerit: quum mihi gratias vltrò habiturus es hoſpiti, & Peruſinorũ munificentiæ Teutones poſt habuiſſe tuos, ipſi tibi plurimùm gratulabere.* Quid faceret & ſpoliatus prædo, & in hoſtiles ſodaliũ ſuorum manus præceps ruens? Gerit Iordano morẽ: Magiſtratuiſe ſiſtit: & publico iterũ adnotante ſcriba, Maritalẽ Deiparæ annulũ, quaſi ære ſe alieno liberet, præconio munificẽtiæ cohoneſtat⁹ in omni cõſequẽtiũ memoria





ſeculorum efferendum donat. Præmia verò in benemerentem, Patrum, ac plebis vnanimi approbatione, ampliſſima extitere: decretaq; in annos ſingulos vectigalia, & delata copioſè omnis generis ſupplex. Huic cum capiundo immineret Andreacius quò citrà grauioris metum diſcriminis Germanus verſaretur, neq; in hoſtium poteſtatem deueniret: in ædes ſummi Magiſtratus, nè fæderatæ vrbi ille non gratificaretur, & transfugæ minimum incommodaret carceri, captiuus modeſtiſsimè abductus eſt. Galiellus etiam Piccolhomineus Senẽſis, Cluſinorum Epiſcopus, Peruſiã è veſtigio aduolarat; ſueq; annulũ ſponſæ, admotis precũ, ac minarum machinis, ſtrenuè vindicare conatus eſt: quem omni genere humanitatis, atque honoris exceptum, contrà ſapienter contumaces inanem operam ſuſcipientem, Peruſini obiecto pietatis clypeo, officioſiſsimè dimiſere.

XXXV. *Eundem Annulum Cluſini, & Senenſes recuperare ſatagunt.*

Porrò Senenſes ciues ſociæ vrbis iactura grauiſsimè perculit. Nam Cluſini, vbi in Peruſinorum manus deueniſſe gemmam pro comperto habuere, nondum quidem de fæderatorum iniurijs miſerant quæſtum; verùm quò ipſorum petitio apud primarium Etruriæ populum maioris eſſet ponderis, & Senenſis Reipublicæ rationẽ Peruſini longè maiorẽ ducerẽt, enixè rogarunt, vt Senenſium aliquem illuc proficiſci iuberent, qui pretioſiſsimum Deiparæ donarium omni adhibito conatu, ſibi reſtitui curarent. Haud neglectę ſociorum preces. Itaq; antequam è nobilitate quempiam legarent, præſcriptis litteris, Peruſinos antiqui fæderis, amicitiæq; nec non cuſtodiæ ſacrorum, quæ biduo pòſt ipſi repetitum miſiſſent, ita monuere.

*Magnifici Domini Fratres, & Amici chariſsimi.*

*Accepimus glorioſæ Virginis annulum, qui à quodam Ordinis Sancti Franciſci Fratre peſſimo, Cluſinis noſtris ſubreptus fuerat, pro Dei voluntate inuentum eſſe, & curæ, veſtræque cuſtodiæ commiſſum. Sacrilegium ægerrimo ferebamus animo. Nunc vehementer recreati ſumus, cùm in veſtras manus veniſſe cognouimus; vbi æquè ſaluum ſcimus, ac ſi penès nos foret: idque pro noſtra veteris amicitiæ iure, & propter iſtius Reipublicæ iuſtitiam, ac probitatem, quo non minus aliena, quàm ſua tueri conſueuit; ea præſertim, quæ ad diuini cultus laudem, & gloriam pertinent. Eas igitur Sacratiſsimas Reliquias, earumque obſeruationem veſtro ſtudio maiorem in modum commendamus, quouſque noſter veniet Orator, quem ob eam cauſam mittemus. Senæ die VIII. Auguſti. M.CCC.LXXIII.*

*Priores, Gubernator Communis &*<br>*Capitaneus populi, & Ciuitatis* } *Senarum.*

*Nicolaus Burgheſius.*

Hæ litteræ non perindè ab omnibus acceptæ, vt diſsidiorum Indices, quorum ſemina pluſq; gladiatorio ſubactu in poſterum adoleuiſſent. Sicut enim iucundũ fuerat, animorũ amoris glutino coniunctorũ meminiſſe, ſimul ſubijci, quantũ obſeruantiæ, & cultus rebus piacularibus deceret impendi: ità nec æquis auribus de Oratore adfuturo auditus nuncius, & multò iniquioribus de Reliquiis, tamquam de alieno depoſito regerendis. Quamobrèm paullum de Legato admittendo addubitatum: quandò rem Cluſino Præſuli noſtri ſe reddituros præcisè negauerant. Verùm tenuit ſententia meliorum, nè reijceretur, cum præſertim reſciſſent, rem ad Pontificem propediẽm relatum iri. Ad Idus Sextiles Orator Senenſis adfuit, Bartholomæus Bonaſpirius, vir excellenti virtute, ac feruido in patriam affectu, & propugnatione laudatiſsimus. Hunc, mille & ducentis Peruſinorum præſentibus, Decem-Viri in comitium honorifice deduxerunt: tum præcurſoriam fidei epiſtolam ab ipſo oblatam, à Magiſtratus Scriba palam recitari iuſſerunt.

*Magnifici Domini Fratres, & Amici chariſsimi.*

*Iuriſconſultus, & Eques Bartholomæus Bonaſpirius, quem ad vos miſimus Oratorem noſtrum, quædam M.V. noſtro homine explicabit.*

*Ideò habebimus gratiam, vt ei credant, tamquam nobis loquentibus. Benè valete. Senæ die X. Auguſti M. CCCC. LXXIII.*

*Priores Gubernatores Communis, & Capitaneus Populi, & Ciuitatis Senarum.*

*N. Burgheſius.*

Sub hæc multa de veteris neceſſitudinis communicata teſſera, deq; beneficijs vltrò, citroque collatis memorauit. Ita Senenſes de Peruſino populo omni tempore meritos; vt in conſpectu ſociorum ſacrilegum hominem complecti non debuerint, aut videri nefas, quòd per fallaciam nebulo clepſerit, non continuò remitti. Idcircò rogatum adipſos extrudi ſeſe, vt ſartam tectam malint gratiam, qua Senenſes, & Cluſini Peruſinis ſemper adhæſerint: quam rem tranſigi controuerſijs, quæ populos domeſtico cimelio imminentes, acriter premant, diſtrahantque. Haud profectò decere Chriſtianas vrbes ea propter inteſtinis diſſidijs inter ſe ſcindi. Plus ſatis Marij, ac Syllæ ob annulum inimicitias notas; vtiq; eas inter Cepionem, & Druſum, ex quibus profluxerit origo ſocialis belli, nimirum ex annulo in auctione venali. Minus hic ambigi, ad vtros pertineat ille, cuius cauſa illuc ipſe allegaretur. Bonaſpirio, Ordinum viri principes Ruſticus Montemelinus, Antonius Acerbus Eques, cuius pòſt cognomẽ in Inſubria inclaruit, & Monteſperellus humantiſſimè reſpondere. Auguſtam patriam agnoſcere, æſtimareque plurimùm deriuatã in filios à Cluſinis beneuolentiam; multò ſanctiùs Senenſium fæderi, atque amicitiæ ante hac litaſſe. Sed neque diem tamen ad deliberandum ſumpturam, Statuiſſe ſe (pace ſociorum, quod diuinitùs obueniſſet, armis, viriſque defendere; & ſi vim quoquo modo inferre alius conetur, eam audacter, vel oppoſitu laterum, & dubia ſuorum alea à ſe velle prohibere. Rem quidem tantam Peruſinos, quamdiù fuit alieno iure ſuffulta, expetere numquam auſos: per fucum ambijſſe multò minùs, nec cuiquam ſacrilegij patrandi onus demandaſſe. Quòd ſi honorificentiorem ſedem in Etruriæ, Vmbriæque vrbium ampliſſima ſibi ſacer annulus delegerit: non videri æquum, niſi in Chriſti matrem iniurij dici velint, eundem non admitti ab ipſis intrà pectoris conclaue, nedum intra mænia, aut parietes, non & habere, ac fouere in arcanis, ceu Propitiatorium fæderis, & ſi quid apud veteres myſtas erat carius, diuiniuſque. Proinde etiam ſocij caueant, nè Deiparæ iracundiam, quam amorem experiri malint. Satis in aperto eſſe Lauretanæ Domus exempla, modò Recinetenſem inſidentis ſiluam, modò in ſublime in collem ablatæ, aut ab eodem longiùs demigrantis, Omninò, vbi cælitum obſoleſcat cultus, horum iras in exitum verti, & qui ſerio ſupplicium luant, ſerò ſapere.

XXXVI. *Controuerſia ad Sixtũ PP. defertur.*

Dimiſſo cætu, Legatis muneribus donatur, atq; honorifice è ſenatu deductus, etſi magna ſpe deiectus, xxv. Auguſti Senas reuertitur. Ac dum inter duas Reſpublicas, inuitis noſtris litium ſemina proſeruntur; & Cluſini hic Peruſinos ſacrilegij reos apud Sixtum IIII. accuſant, inde Senenſes decertare armis parant: naſcentia Etruſcorum odia ſapientiſſimè compreſſurus, nè tela inſaniæ fierent effuſæ, per religioſum claſſicum quærelæ, Pontifex pro poteſtate intercedit, ad ſeque cauſæ dictionem, Romam vocat. Itaque Patrum decreto, Legati Peruſinorum proficiſcuntur ad Sixtum, qui per ferias Autumnales ex Vrbanis turbis, negotijſque Tibur ſe receperat, inde via Valeria quæ ad Murſos ducit, ad Vſcum Varronis in ædes magnificentiſſimas Coſmi Vrſini, Tranenſis Arheiepiſcopi conceſſurus. Delecti autem ſunt Baleonius Vibius Iuriſprudentiæ, ac nobilitatis gloria excellens; parique generis ſplendore, & ingenij laude Gentilis Signorellus: qui gratiam, fauoremq; emereri ſtuderent cum Petri Riarij Cardinalis, tum Comitis

Hieronymi fratris, affinium Pontificiorum; quorum vterentur opera ad euincendas, tollendaſque concertationes, quantæcumque à Cluſinis, & Senenſibus hactenus fuiſſent ortæ, aut in poſterum ſuboriri poſſent. Nec de procliui erga Peruſinam vrbem Pōtificis animo ſubdubitabant; quam non ſuorum modò ſtudiorum palæſtram habuiſſet (Gymnaſium publicum, artium arcana, in Theologorum Peruſinorum Collegium adſcitus, de Superiore profeſſus loco, doctrinæ ſuæ luce ſplendididus, auguſtiuſq; reddiderat) ſed etiam quaſi honorum matrem, atque altricem iure merito agnoſceret: propterea quod ibidē anno MCCCC. LXIV. in Comitiis Generalibus, Minoridarum familiæ maximus Antiſtes, XX. Maii renunciatus eſt; cum Iacobus Sarzuela ſe Magiſtratu ſponte abdicaſſet.

Interea VVintherius non ſemel, Cluſinis id impenſè Pontificem rogantibus, in anguſtiorem carcerem mancipatur; in clementem, & percommodum tamen, hoc eſt intra palatij Secretiores aulas; quē, quoties Senatus haberetur (ac perſæpè, rebus ita exigentibus habebatur) numquam non ciues in eam iuere ſententiam, vt primo quidem menſtruum, poſtremò annuum cenſum alio, atque alio vectigali cumularent: dabantque operā, vt fæneratitiam cuſtodiam meliore in dies conditione incoleret; quam ſi laxioribus vrbis tectis, aut ipſo deniq; inter ſuos priuato, Antiſtitio frueretur. Quin etiam, vbi aduerſariorum minis intepeſcentibus, deſitum eſt in hominem inquiri; annos plùs minùs triginta publico ſumptu liberè, iucundeq; traduxit. Paræcia inprimis S. Ioannis, haud longe ab ampliſſimis Magiſtratus ædibus, eidem à præſule Abbatiæ S. Poli, in cuius ære Eccleſia illa ferebatur, Optimatium rogatu, in trienniū demandata fuit; idque in annis cōſequentibus, quoad penè vixit, renouatum; egregiè in paſtorali munere Teutone gerente ſeſe. In ea nunc Eccleſia Congregationis Oratorij Patres operātur, qui D. Philippi Nerij, illos ſecuti duces, qui in vrbe proximorum ſaluti fructuoſam adeo nauant operam, inſtituta profitentur. De VVintherij autem Sodalitio non me fugit à pleriſque addubitatum; eorumne in militiam Fratrum cooptatus eſſet, quibus à ſocco, atque ab Obſeruantia nomen eſt inditum; an qui Minoridæ Conuentuales appellari vulgò ſolent. At fuiſſe ex horū claſſe inde maximè docemur, quòd ipſum vita functum acerrimo ſtudio Canonici Laurētiani, & Sodales Franciſcani è Minoridarū familia ſibi aſſerere conati ſunt. Quamquam Prolegato iubente, demortui corpus Laurentianis attributum fuit, eodemque in Sacello, quod ſeponendo annulo Decem-Viri deſtinarant, tumulatum. Hoc prætereà è ſepulchrali progrāmate perſpicuè deprehendas, quod Antonius Fantotius olim ſcripſit, è cuius Schediis, ſicut ſuperiùs allatum de VValdrade areſacto digito concinnum epigramma eruimus, cuiuſque elegantibus Muſis Feltriadem, poema heroicę Maieſtatis plenum, populares debemus.

FR. VVINTHERIO.

*Franciſcanus ille Annuli raptor epitaphio honoratur à Peruſinis.*

*Natione Theutonico, profeſsione Minoridæ Franciſcano, cui Peruſia ob pronubalem* MARIÆ *annulum, fortuitum donum, non minus debet, quàm ſi ſpontè obtuliſſet, vt, cuius luminibus pios dignos ad extremum officium admonuit, eidem tumulum pro dignitate excitaret, & beneuolentiam ex diuturnitate ac nobilitate muneris cumulatius remetiretur, Aram ante ipſam, Ioſepho, & Virgini Deiparæ dicatam, monum. poſ. XXIX. Octobris. Anno M.D.VI.*

Porrò vt optimè de ſe merenti Iordaniæ familiæ patria cum fænore reponeret, quod acceperat, etſi Lucæ pietas benefactorum gratiam à nemine, præterquam à Deo expectabat, eidem tamen, Chriſtophoro, & Iacobo Iordanijs fratribus penſionem annuam, Senatuſconſulto in tabulas relato, præpinguem cōſtituit. Adhæc frumentaria quæque vectigalia in heminas, ſextarium, modios, medinimum, & ſi quibus aliis menſuris dimetimur fruges impendi ſolitæ; ſublato vtique cuiuſuis tributi perſoluendi nomine, quæ munificentia in hæredes ampliſſime deriuata eſt. Prætereà, ne hoſtilem annulo vim vllā domi à Senenſiū, & Cluſinorū efferueſcente ira pertimeſcerent; præſidium ab arca ferreis contexta laminis decretum eſt, petere, in qua hierotheca occultaretur; quam aliud armarium ferreum obuallaret; quo ritu in Aquenſi diœceſi Mariæ Magdalenæ, in huius æde nominis magna cura caput aſſeruari nouimus: & ſanè arca illic multis clauibus obſeratur; noſtra, quæ exterior, ſeptem fuerantque ſingulæ (ſua cuique attributa) penès Epiſcopum, Archipresbyterū, & Canonicos, Decem-Viros, Mercatorum Conſules, Collybiſtarum Præſides, publicorum actorum Exceptores, ac Iureconſultos, interior munita ferro, vmbilicatis, argenteis bullis ſpectabilis, haſce præfert in fronte notas.

## M. CCCC. LXXIII.

*Tempore M. D. P. Artium Ciuitatis Peruſiæ Ruſtici de Monte Melino, & ſociorum, menſe Septembri.*

XXXVII. *Annulus idē magna cū diligentia ſeruatur à Peruſinis.*

Atque ea quattuor inſuper clauibus obſirmata, datumque ius in ſingulas, Dominicanę, Franciſcanæ, Seruitarum, & Auguſtinianæ familiæ ſodalibus; cum lege cautum, ne cuiquam, niſi hiſce præſentibus fieret ſpectandi copia, publiciſque ſemper Graphiariis in Commentarios ex ſolemni forma referentibus. Rurſùs ſciſcente populo, Patribuſque approbantibus ſeuere interdictum, nè ab Auguſta vrbe abſtrahēdi, adſportandique aliò mortalium vlli facultas daretur. Si quis ea de re quocumque nomine referre, aut alienas litteras legendas proponere auderet; ni Centumuirali conſilio, ſuffragijs in totam placituris, aliud fuiſſet viſum; non ſolùm è Curia, ſed ab vrbe longiſſime pelleretur, tamquam Sacerrimus perduellionis, & parricidii reus clepſerit ipſe, rapſeritque, & quo ſpecioſior, ac feſtiuior pompa redderetur, additi inter oſtendendum deſignatorii ritus, vt nimirum tubæ clangerent, tympana, organa, concentuſque muſici perſtreperent, æra campanaria perſonarent, ſericati, ac torquati adeſſent Patres, lintreati flamines, & Deo dicati reliqui. Res Septembri ineunte, Monte Melino procurante, ſolemniter peracta, gemmæque recondendæ interfuere, Vannutius Peruſiæ Epiſcopus, & Michael Angelus Barbius, Cortonenſis ProEpiſcopus, cum promiſcua Magiſtratuum, & Religioſorum turba) ab iiſque, quorum fidei credebatur, fides publice excepta, & iuſiurandum Sacramento emunitum. Exinde ter quotannis promi debere, decreto firmauerunt: hoc eſt ad III. Nonas Auguſti, Kalēdis Nouembris, & poſtridie Paſchatis Reſurrectionis; deduceretur que vniuerſo ſacrarum familiarum comitante cætu, à Sacello Palatino, ad Baſilicam Laurentianam; atque ibidem in ſuggeſto ab eximio Præſulum, horæ ſpatio vnius matutinæ, ac pomeridianæ, ad ſpectaculum proponeretur. At tum pegmate quodam ſatis rudi, ligneoq; temporario apparatu, præ foribus Laurentianis maiores noſtri feruntur vſi: cum primùm ipſo Aſſumptæ in cælum Dei genitricis die ab Antiſtite depeſcentis populi oculis obiectus eſt. Iam quòd à Montemelino, idem mox à Lamberto Carneo x.virum primo, alijſq; factitatum; tametſi inſequente anno trina illa ratio ad vnicam, eamq; Auguſtalem retracta. Quadriennio tamē inuidioſæ legi, bonis efflagitantibus itum eſt obuiam; dieque altero Pentecoſtes, Dominicanis Sodalibus, qui Peruſiam ad Comitia Generalia cupidè confluxerant: itemque biennio exacto, Auguſtinianis oſtenſus eſt. Viris intereà ex vtraque ſodalitate doctiſſimis, atque ſanctiſſimis, annulū,





æternæ prouidentiæ mihi Peruſinis datum, connubij ſacroſancti prædem, demirantibus, & Peruſinorum felicitati maiorem in modum gratulantibus. Sed quia biennium alterum Patres peregrinorum, ciuiumque animos expectatione ſuſpenderant, ac plus nimio piorum affectibus interdicebatur; Ioannes Baptiſta Sabellus Romanus, qui pro Pontifice Tuſciam, atq; Vmbriam perluſtrabat (is mox Cardinalis tit. S. Nicolai in carcere Tulliano inauguratus) quandoquidem viri principes obita ad D. Mariæ Angelorum propè Aſſiſium peregrinatione, viſendi quoq; annuli deſiderio adducti Peruſiam ventitabant, nobiles ac pios hoſpites religioſo voto minimè fraudandos cenſuit. Ea gratia ad dexteram delectus locus extra maiorem Eccleſiam, è regione fontis, præpilata in gyrum crate ferrea, celeberrimi, qua teſtudo pro foro quàm longiſſimè protenſa, & fornices aliquot ſubdiales Brachij Fortebracij iuſſu, antequam ad Bononienſes in ditionem Pontificiam redigendos, proficiſceretur, extructi ſunt. Huc enim Conſulares viri, & Magnates conuenire, ac congredi, & vbi de publica re quidpiam ſtatuendum erat, differere, & conferre ſententias conſueuerant. Sub his porticibus (aliquandò etiam ſupra, editiore videlicet podio vſi ſunt) ſuggeſtus ſpecie quadrangula, lateribus æquis aſſurgens, ex aſſeribus compactus, intextuque auro, ac ſerico, ſtragulis conueſtitus excitabatur; ex quo elata in ſublime ſponſali gemma, frequentiſſimo theatro fiebat ſatis. Iidem fornices noſtra tempeſtate, periſtylo interrupto, multò rudiores, tectorio opere malè loricati viſuntur. Omnibus ergo indidem votiuum iter iucundiſſime ceſſit, & æquè hilares ſpectaculo admiſſi noſtri, exteriq;: apud quos vt præ ſpectandi quantauis copia numquam euiluit; ità noſtros magis, magiſque in ſui contemplationem ſemper illexit; arbitro propter vim combibitam ſuprà electrum, ac magnetem ex attactu Beatiſſimi Patriarchæ, & Mariæ coniugis felicium articulorum. Iam vt oſtentandi crebritati minùs parceretur, viri grauiſſimi identidem auctores fuerunt. Ex horum numero fuiſſe aiunt Vincentium Herculanum Peruſinum, ad Sarnienſem primùm inde ad Foro Cornelienſem, mox ad Peruſinum Epiſcopatum aſſumptum, qui tenebras in id ſuadebat plurimum: hoc eſt, vt palàm ablegata pompa, priuatim in Larario exhiberetur. Florentinos certè eam conſuetudinem ſecutos in Diuæ Virginis Annunciatæ ſipario ſummouendo; quod gaudeat non rarò pietas obuelari, cuius aculei eo validiùs penetrent in animum, quò carens ipſe ſpectris rerum ſeſe agminatim ingerentium lentiùs afficitur, atq; percellitur. Verū enimverò religionis ſenſus nō triſtitia noctis lętior effertur, & per lucis iucunditatem non exſpirat: animi modò cæleſtium cupidine ſanctè intumeſcant, & refractis contumaciæ repagulis, vitæ melioris ſtimulis incitati, non ignaua demiſſione ſpatia peruagentur.

XXXVIII. *Magnæ Cluſinorū, ac Senenſium propter eundem Annulum diſcordiæ cū Peruſinis.*

Cæterùm coniuratis Senenſium, & Cluſinorum ſtudijs in repetendo annulo, Peruſinorum in retinendo, nihil obſtinatius cerni potuit. Vibius, ac Signorellus Tibure ſecundas Sixti aures nacti, precipua in Virginem flagrantis flamma, cuius in Lauretanam ædem luculenta extabant monumenta, omnia de allatis Peruſiam fortuitò Reliquijs, tum quę fuerant aduentum conſecuta miracula, tamquam Peruſinæ cuſtodiæ in poſterum mandarentur, fuſiſſimè expoſuerunt. Dignam videri Auguſtam vrbem, quæ in pietate excolenda à ſuorum, veſtigijs maiorum numquam receſſiſſet, in qua pronuba illa diuini cōiugij teſſera, prohibēte nemine, cōquieſceret, perennaretq;. Cōiectura duci, Beatam Virginem, quæ vno in anno ter mutaſſe ſedem Piceno in agro ferebatur, annulum quoque ſuum pòſt CCCC.LXXXIV. annos trāsferri Peruſiam voluiſſe: eamq; vrbem, quæ ſibi eximio cultu à ſuæ primordio ſacratioris originis deſeruierit, delegiſſe: tantiq; muneris conceſſam gloriam haud par eſſe deſtitui fama, &, quod ſit grauius, tàm nobili Mariæ xenio ſpoliari. Quocirca ſupplicem patriam ſanctiſſimis ipſius affundi pedibus, & benigniſſimi Principis clementiam ſtudioſiſſimè rogare; ne, quo ſolo reliquis anteferri vrbibus in omne æuum poſſet, eo per inuidiam, atq; alienam gratiam, ſe orbari permitteret.

Legatos Pontifex bono eſſe animo iubet, & quando Senenſium alijs (nam Cluſini non contenti ſuis, ad Sixtum Senenſes etiam extrudi curauerant) qui adfuturi propediē dicebantur, aures non erant obſtruendæ (ità æquum poſtulare) curaturum ſe tamen ait, nè addicta Apoſtolicæ Sedi ciuitas fruſtrà ſpem in Apoſtolico Hierarcha poſuiſſe videatur. Commodum è ſeceſſu Tiburtino Romam redeunti, Senenſiū Oratores occurrere. Hi prius in vrbe amicos veteres, ac patronos orando, pollicendo exambierant; præter cæteros, Riarium, & Vrſinum Cardinales, qui eam Rempublicam haud ità pridem in clientelam acceperant, quibus aureorum nummum ad XXV. M. ſpopondere, ſi rem Cluſinam ità aduersùs Peruſinos aggrederentur, vt antequam ad ſaga vtrinq; properaretur, incolumi priſtina amicitia, quod repeterent, regeſtum cernerent; aut à contumacibus, & fœderum violatoribus, qui detrectandi argutias, & fraudis diuerticula in ipſorum veſtigio reperturi ſint, extorqueretur. Per hos, certa luce, ad Pontificem admiſſi ſunt, quem proni in omnia obſeruantiæ, ac precum ſtudia, ſedulò obteſtantur, & obſecrant, nè Rempublicam Ruuereę beneficientię impenſiſſime obnoxiam, tunc ob ereptum annulum Cluſinis iampridem ſocijs Deiparæ liberalitate attributum, in mæſtitiam incredibilem coniectam, tanta ac tam inſigni iniuria ab amicis affectam ſineret: aut ſi candori demum præferre illi præſtigias malint, haudquaquam inultam pateretur. Peccaſſe nimium contrà ius, faſq; fæderatam gentem, cui calamitoſiſſimis tēporibus ipſi præſidio plane fraterno fuerint. & vt denique aliud eſſet nihil, peſtilentiæ meminiſſe debuerant, quam decimoſeptimo eius ſeculi anno atrociſſimam experti forent. quo tempore cum funeſta graſſaretur in omnes lues, & pleræq; vrbis regiones, funeribus continenter exhaurirentur ac firmiores vacuatis ædibus, ius cōcedere, & ſalubriora in loca ſeſe abdere cogerentur: miſſa auxiliariorum manu ad defenſanda Peruſinorum mœnia, vberi commeatu egentiſſimam quamq; familiam Senenſes ſubleuaſſe; & opis, quantū potuere, in miſeros, conſternatoſq; ciues piè, ac miſericorditer contuliſſe. Egregiè verò in præſens maiorum facta compenſari! Præter enim quàm quòd ſacrilegum hominem vltrò correptū, obuinctumq;, & munitum cuſtodia, ſi minus ad Cluſinum Præſulem & Magiſtratum poſtulantem, Senas ſaltem ad coniunctiſſimam, ſocialemq; vrbem, nulla mora interpoſita, ab ipſis par fuerat remitti; Virgineū certè annulum, ſi quis metus & religio, vti æquum videbatur Peruſinorum animos inceſſiſſet, per alterum ſpectatæ fidei, atq; innocentiæ myſtam, vndè alter auexerat, debuiſſe amandari. Numquam in re ſacra per iniuriam retinenda, quemq; citrà noxam, & ſupplicium perſeueraſſe. Azotenorum, & Archaronitarum doceri exemplo poſſe, quàm peſſimè vtriſq; verterit: quòd penes ſe incerta ſede, arcam fæderis conſiſtere aliquantiſper paſſi eſſent. Huc accedere: quòd prædonis ſceleratiſsimi hoſpitem vocare quomodocumque ad pænam neglexiſſent; imò illuſtri præmio, quò vehementiùs ad nequitiam ceteri prouocentur, maleficium cumulaſſe. Ita ne de immani flagitio coràm ſummo ſacrorum Antiſtite, triumphare impunè habeat impudentia? Quænam deinceps rectè factorum merces alios ad laudabiliter viuendum inuitet? quando ſcelus deteſtabile patranti fænerat, atque vtiliter à

ſontibus precatur. Proindenè æquiſsimus pater, vindex ſcelerum, rectique adminiſter, clariſsimam Rempub. in hoc caſu, quo afflictiſsima iaceat, tanta ignominia ſinat contabeſcere. Alienum, quod ſit, raptores reddant, & in auctorem criminis; qui Cluſinas aras, focoſque volens, ſuaſuue alterius indigniſsimè violarit, facta in equuleo quæſtione, ſi dedere noſtris abnuant, ipſi ſeueriſsimè animaduertant.

XXXIX *Cardd. quibuſdam illarum dirimendarũ facultas datur.*

Pontifex Senenſes audiuit perbenignè: ſic tamen vt ne in tali negotio quidquam vnus ſtatueret, eidem octo præſtantiſſimos ex ampliſsimo Cardinaliũ Senatu viros præfecerit. Ex his priſcæ nobis tabulæ quinque inprimis nominant, Franciſcum Piccolhomineũ Senenſem, Marcũ Venetũ, ex vetuſta Barbarum familia Pauli II. conſanguineũ Stephanũ Nardinũ Foroliuienſem; Io. Baptiſtam Cybo Epiſcopum Melphytanum, & Petrum Ferrici Præſulem, Tiraſonenſem; apud quos nimium loci eſſet gratię, nullius inuidia officii fructum temere præcerperet: vtrinque rationum momenta expenderentur, & diſceptatio conditionibus non iniquis componeretur. Quod ſi Octo-vires Principes, è ſapientiſſima purpuratorũ corona aſsũptos iudices, Peruſini recuſaſſent; confeſtim Romã, rem ipſam deuehi curarent, cuius cauſa è populari iactatione in tam altos diſcordiarum fluctus dilapſi forent. Verùm priori conſilio non grauatè acquieuerũt. Sixto interim placere, datiſq; litteris pro poteſtate imperare, vt ſociatis vtrinq; animis, pacem colant; videriq; prorſus abſurdum, quod inde potiſſimùm diſsidiorum ſcintillæ proſilirent, ex quo animorum ſuauiſsimo inter ſe nexu coeuntium conciliatricula detegeretur gemma. Annulus nè fidei, & coniugalis beneuolentiæ pignus, quique ferreas, & ab omni humanitate auerſas gẽtes dulci quodã mutui amoris defluuio conglutiret, nunc quaſi Furiarum prolatus manu, ſub rixarum vexillo Chriſtianos cogat populos, & infeſtis obarmatos mentibus, gladiorũ, ac linguæ mucronibus vellicet, atque transfodiat? niſi ſi quis hoc etiã arbitretur ad ſtultitiã non pertinere; in proſcenio pietatis cum pietatis diſpendio digladiari viciſſim, immaneſque in ſui perniciem excitare tragædias.

Lis hoc quidẽ primo congredientium impetu, non grauatè in fœdus coaleſcere permiſſa eſt; dumq; apud viros Principes, diuini, humanique iuris apprimè peritos, negotium ſuis momentis expenditur. Oratores hilari nuncio quiſque populares afficiunt ſuos; præſertim Peruſini, quorum cauſa, potiore loco eſſe exiſtimabatur. cuiq; citrà vllã, dignitatis, & Virginalis donarii iacturam feliciter velificabantur. Atqui Cardinales illi, quos à Senenſium Legatis dixeram non leuibus pollicitationibus ineſcatos, vt ſuffragij quoque venalis prærogatiua Peruſinos obrueret, Peruſiam proximo ſeſe vertente anno profecti ſunt, Romæ iam à Sixto, qui Magni Anni recurſum à quinquageſimo ad quintum & vigeſimum retraxit, ſacris de more patefactis in Vaticano foribus, & plenariis maioris Iubilæi Indulgentijs toti Orbi condonatis. Quem annum non inſignem modò fecit Daniæ, ac Noruegiæ Regum, & Ferdinandi Neapolitanorum Regis in vrbem aduentus; verùm etiam Tridenti deprehenſa in Simonem puerum carnificina, quam Hebræi, totum iterum ſchema Dominicæ paſſionis repræſentaturi, horrificis expeditis armis, meditati fuerant. Quem martyrem iam olim Tridentini colunt, & nos à ſuperiore ineunte ſeculo, in Diuæ *Mariæ* Angelorum, extrà Romanam portam ſacello excitato, aris, & ſacris veneramur.

XL. *Peruſini cum Cluſinis, ac Senenſibus præliãtur.*

Igitur honorificè Purpurati excepti hoſpites: & ludis, quos expiatrix intercurrentis anni religio non aduerſaretur, feſtiuiſſimè exhilarati: Qui per ſpeciem aulicæ comitatis, Magnates blandè illectos promiſſis ſollicitare aggreſſi ſunt, Pontificioque nomine adurgere; vt tempore vſq; adeo luſtrali, quod probè ſcirent tot retro ſeculis Cluſinorum ditione fuiſſe ſubiectum reſtituerent, vltrò, ſimulque à generoſis animis prædatorii notam ambitus diſiunctum irent. Hoc priuatim primum, palàm deinde Senatu coacto, acerrimeq; diſſerere, hortari, ſuadere; poſtremò etiam interminari, ac belli aſpera proponere. Hic verò incredibiliter à Peruſinis tumultuatum eſt, variiſque rumoribus criminationum tela in ſuaſores ſubfrigidos coniecta ſunt. Eo ſeditionis flabello perturbata, & ſoluta concione, Fæciales pudefacti receſſere: cum etiam Riarius, Diuis quoque procurationem, ad quæſtum, & nundinationem traductam non ferentibus, in flore ætatis, & fortunarum, annos natus duodetriginta, non multò ante, præpropera morte extinctus eſt. Alterius autem ſuperſtitis Peruſini authoritate deterriti, ac vulgata fama, Senenſium facem in nouos contumeliarum, & odiorum æſtus illabi, atque adhæreſcere; contrahere auxilia cæperunt, & propiora hoſtibus municipia præmunire. Turrim inprimis, Clanis iniectam littori, è regione Senenſis cuiuſdam exædificarunt, quam hoſtili opponerent, nomine vtcumque ad proteruiam rudirer indicandam excogitato: nam alius, aliam ſibi vindicare non ſine ludibrio inuitabatur. Ad hoc Caſtroplebium firmiore præſidio obuallatum, quod quidem oppidum quinquageſimo ſeptimo anno in poteſtatem venerat Peruſinorum; paulò pòſt à Martino V. ob curatam feliciſsimè Rempub. Brachio Fortebrachio fiuendum datum; Clemens VIII. in huius ſeculi exitu quod ſe iam conuoluit, vrbis titulo cohoneſtauit, eique Fabricium Paulucium, primum Epiſcopum Plebanum præeſſe iuſſit. Nec fefellerat exploratores Auguſtos: quo præſidii minus in cauſa habuiſſent aduerſarij, eo maiores excurſiones in Peruſinum ipſos facturos agrum, & malè ſartam gratiam acriore pugnæ incendio exuſturos. Vbi gregariorum alam militum conſcripſere Peruſini, ad Comitem Carolum Brachii filium nuncium miſerunt, vt patriam tueretur ipſe; decretæque in poſterum, ſi gladiorum arbitrio diſceptare neceſſe haberent, legationes, ad Mantuæ Marchionem, atque Vrbini Ducem. Petrus Paulus Raneriius I. V. C. iuit ad Venetos, inde ab anno M. CCC. LXVII. Peruſinæ ciuitatis donatos iure, ex quo afflictam vrbem difficillimo eius tempore, pecuniario ſubſidio liberaliſſimè iuuerunt. Ad Florentinos Trincius Coppolus; ad Mediolani Ducem Matthæus Franciſcus Monteſperellus: ad Neapolitanorum Regem, Marianus Baleonus deſtinatur. Menſibus nonnullis interiectis, velitatiunculæ in Cluſinum agrum à Peruſinis fieri cæptæ; quando Cluſini à Peruſino minus abſtinuerant, & gregibus inſidias ſubinde moliebantur. Imò agreſtium quotcumque obuios habuiſſent, iiſdem iniiciebant manus, præque ſe captiuos actos, obſcuro carceri mancipabant. Longè verò plura ab hoſtibus in Peruſinos manabant damna, quàm vt facilè retorqueri in auctores poſſent; cum non perinde Senenſium campeſtria vectigalia Peruſinis finibus circumſcriberentur. Cluſinus duntaxat Epiſcopus in Pacianenſi agro prædiorum quorundam abundabat reditibus, quos vtcumque plebecula, palanteſque milites occupabant, principio contenti paruo, prohibiti à Ducibus, ne latius vagarentur, vſque dum malis irritati grauioribus, tanto efferatiùs ſemet vlciſci coacti ſunt, quanto impudentius à Cluſinis & Senenſibus fuerant laceſsiti. & quidem maiores ſumere ſpiritus licuiſſet Peruſinis, quibus indies potentiorum gratia effuſius blandiebatur: cum præſertim Carolus Fortebrachius Senenſiũ plagem, non vna peditum, equitumque manu occupaſſet. Relictis enim Venetis, propterea in Etruſcos ſe contulerat, quod ſperaret, Peruſinos paternę virtutis





impulſos fama, in ſui obſequium ituros, & in ſuam poteſtatem vrbis mænia dedituros. Sed diffiſus viribus, quòd videret pro ſeruanda libertate ipſos omne vitæ diſcrimen ſubituros, ſe ad Senenſes conuerteret oppugnandos, cauſatus permulta viuo etiam num patri militiæ ſtipendia haud dum ab ipſis perſoluta. Atque hoc ſanè præter Peruſinorum votum, qui in propulſanda iniuria, modeſtia vſi ſunt magiſtra, deq; aliena proteruia, inhibitis continentiæ fræno ſuis, patientia magis, quàm ferocia triumpharunt.

XLI. *Sixtus PP annulum Deiparæ tradi ſibi petit.*

Fortè per id tempus Catharina Galeacij Inſubriæ Ducis filia, Hieronymi Riarij vxor, per agrum Peruſinum iter faciens, non longè à Truſiamno ad læuam Tiberis ad nobile municipium, in colle paullò editiore ſitum diuerterat: Derutam vocitant, vbi figlinas omnium præſtantiſſimas vel Chorœbus Athenienſis auctor citra liuorem dilaudarit. Hic prompta hoſpitio domus tàm ſplendida, & elegans, quàm temporaria ſuppellex largiſſimè oblata, miſſique obuiam, qui tantæ fælicitatis incapax oppidam excuſarent; quique heroinæ animum ita flexere, vt precantes admitteret, & magnanimioris modeſtia hoſpitales lares non abnueret. Huic à X-Viris argentea aliquot vaſa cælaturæ non vulgaris, quæ obſequij, ac clientelæ fidem facerent, dono data: gratiæ inſuper actæ, quòd Sixti IV. clarorumque Principum iuncta ſanguini, vrbis Ruuercio nomini deuinctiſſimæ fines ſua præſentia illuſtrarit. Romam peteret felicibus auſpicijs, atque Auguſtam Rempub. ſeipſi mancipio dantem, apud Sanctiſſimum Orbis Hierarcham, in annularijs rerum articulis, fouere aduerſùs Senenſes non deſiſteret. Peruſiam quoque acceſſit Hieronymus Baſſus à Ruuere de Albizola, Ligur Sixti ex ſorore nepos, Antiſtes Recinetenſis, & fauſta populi acclamatione, velut de eminentiore faſtigio aliquid præſagientis, in Magiſtratus contubernium receptus eſt. Ac nè honores non habiti magnificentiùs putarentur, ſericata aulæa è conclauibus deprompta. pretioſiſsimæ explicatæ veſtes, gemmæ, & toreumata in promptuarium producta. Haud fuit irritum alicuius inaugurationis votum. Feſtinant ab Vrbe nuncii, & Hieronymum, IV. Idus Decembr. M. CCC. LXX. VIII. in Cardinalium numerum cooptatum narrant. Qui exinde memor, tam ſplendidè in Peruſino ſeſe eſſe autoratum, quæ gratiſſimi Principis comitas, & beneficentia fuit, Peruſinorum rebus impendiò ſuffragari inſtituit. Ad hæc præcipuum eorum erga gentibus Pontificios ſtudium vtique eluxit, cum Florentiæ, Pactianæ coniurationis furor in vnius Iuliani cædem erupit, incolumi ſeruato Laurentio, ac Raphaël Riarius, coniuratis captis, ab armatis cuſtodiles ad vrbem redire vetabatur. Peruſini enim Florentinæ Repub. & Laurentio arctè fœderati, Legatos illicò miſere, qui & Mediceæ familiæ ſoſpitatem gratularentur, & Riario libertatem exorarent. Comitem quoq; Hieronymum Sixti perneceſſarium, ſibi magnoperè deuinxerunt Peruſini, quandò in vniuerſum militari prouinciæ præfectum, Peruſiam officioſiſſimè inuitarunt, ac nobili pompa, nobilique comitatu deduxerunt.

Alphonſus inter hæc Dux Calabrię arbiter à Senẽſibus, in domeſticis cõtrouerſijs dirimẽdis delectus, cũ eorumdem pecunijs, & proſcriptionibus, ceu phalariſmo in ipſos vteretur, decideret, inq; maximas eos moleſtias deieciſſet, illorum animos in repetendo annulo imminuit: cùm libertatem ſuam in aperto verſari diſcrimine Senenſes intellexiſſent. Ergo illis non modicè intepeſcentibus, ſucceſſerunt alij, qui inuidiæ veneno afflati, maleque extabeſcentes, Peruſinos frui diutiùs collato cælitùs chariſmate, iniquiſſimo animo paterentur: quin Sixto perſuaſerant, quod ſe facturum anteà comminatus erat, vt demùm Romam illud deferri iuberet, quòd anguſtiùs, atque honorificentiùs in aliquo ſacratiſſimæ vrbis templo, quàm in eo Etruriæ tractu, minùs ſæpè exterorum veſtigijs incaleſcere ſolito, ſeruari poſſet: præferretq; omninò ſalebroſis collibus, quàm nuper MARIAE Virgini Flumentanæ ad læuam Tiberis inſtauraſſet ædem, aut quam ad Circum Flaminium extruxiſſet, & in alterutra Virginis eiuſdem dotalem arrham multò æquiùs collocaret. Nec omitteret per bonam occaſionem ſui Pontificatus, allato in vrbem Mariæ annulo, illuſtrandi, quod Pius II. paucis antè annis fecerat, Apoſtoli Andreæ capite ex Peloponneſo Romam aduecto. Itaq; Sixtus haſce ad Peruſinũ Magiſtratũ litteras, à Ioanne Baptiſta, Cardinale Sabello, tunc Peruſię Vmbriæque Legationem obeunte, reddendas, miſit.

*Sixtus Papa IIII.* *(Peruſiæ.*

*Dilectis filijs, Prioribus Artium, & Communi Ciuitatis noſtræ*

*Dilecti filij, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Per alias noſtras litteras vos hortati ſumus, vt diſcordias veſtras cum Senenſibus occaſione annuli, terminare, & concordiam aliquam, ſicuti decet, & ſalutare vobis eſt, inire velletis. Quæ vt iuxta deſiderium noſtrum facilius ſubſequi poſſit, hortamur vos iterum, & requirimus attentè, vt huiuſmodi annulum, dilecto filio noſtro Ioanni Baptiſtæ de Sabellis, Diacono Cardinali Legato tradere velitis, qui illum nobis tranſmittat. Promittentes vobis, dictum annulum in aliqua venerabili Almæ Vrbis Baſilica collocare, & alias ſacras Reliquias in recompenſam vobis tradere, vt meritò contentare poſſitis. prout latiùs ex Legato ipſo intelligetis, qui mentem noſtram circà hoc latius explicabit. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVIII. Decembris. M. CCCC. LXXX. Pontificatus noſtri anno Decimo.*

*L. Griſus.*

XLII. *Peruſinorũ ad Sixtum PP. humilis reſponſio.*

Perlectis litteris Sabellus, qua erat modeſtia, & dexteritate, vi, ac minis obuelatis, hortationes, & conſilia, & ſtimulos ad Peruſinos permouendos ſatis ex arte adhibere cæpit: poſſe eum certè ipſos egregia demerendi Pontificis opportunitate vti: quam ſi prætermitterent, nullum poſt hac grauius piaculum incurſuros eſſe, quàm benigniſſimi Patris iuſſa detrectaſſe, & voto tam officioſo minùs paruiſſe. Videndum etiã, atq; etiã nè irati vultum intueri malint, quem precãtẽ propemodum animaduerterint, cuiuſque nutibus, ac deſiderio ire vltro obuiam exporrecta fronte, ac protenſis vlnis debuiſſent. Profectò haud leuem gloriam ad Peruſinos redituram: quod ſacrum depoſitum, ſeptimum iam annum cuſtodierint. Quocirca memoria repeterent, quanto honore Pius II. Narnienſes cumulaſſet, quos menſes aliquot ſacroſanctum Andreæ Apoſtoli verticem, Ancona delatum, ſeruare in arce voluiſſet: quem, vbi res bellicæ Pontifici ſecundiores adfuere in Vrbem importari iuſſum, in Baſilica Vaticana percolimus. Porro nè inferiore comitatu, minùſue celebri commendatione illuc Deiparæ annulus adueheretur: ſemet debito cum apparatu, & reuerentia deducturum recipit: idque exemplo Alexandri Oliuæ à ſaxoferrato, Cardinalis S. Suſannæ, quem Pius de latere Legatum, Anconam eo nomine proficiſci imperauerat. Quia verò Alexander apud Sentinates ſuos, biduum S. Apoſtoli caput iuſſerat interſiſtere: ijdem tantæ rei memores, annuis ſtatis cæremonijs, in eadem, qua ſtetit ara, feſto Andreæ die operantur: planè iucundiorem habituri beneficij recordationem, ſi non biduum, ſed menſem, aut annum, cum Peruſini totos ſeptem glorientur ſuo, frui pretioſo pignore potuiſſent. Atq; hic Patres, & aduocata in Comitiũ concio, cùm Legatus loqui deſijſſet, nõ iã verbis vtendũ rati, neq; lacrymis, neq; vociferationibus, quibus ſua ſtudia multitudo profitetur, temperarunt, ſed ſupplices ad terram deiecti, manus tendere, fletu ac dolore conuelli, torquere ſeſe, pectus tundere, interruptis ſingultu vocibus vix poſſe moderari: humaniſſimum Principem orare, obſecrare ob-

teſtari; Sixti nomen Sanctiſſimum, patris pium, ac fauens implorare; ſeſe modis omnibus, dextera iacturum indicantes, annularis ornatum digiti ſignantes manu, infelices, ac miſeros appellare. Cui tam feralis facies, & ex abdito lamenta, adeo & ex verò perita, aliquem miſericordiæ ſenſum non inurerent? quem non expugnarent lacrymę quouis ariete fortiores? Hę ſcilicet, quas oculi miſerorum celeriter profuderant, infimis adiunctas precibus, coram Principe placabilitate, & clementia ornatiſſimo, mutuo ſe perditos, ac proditos clamitantium, mite Sabelli ingenium perſuaſere; leniter eblanditæ gratiam, clientelam ſagaciter expiſcata; ſic, vt mutata continuò voluntate, dediſceret Legatum, ſeque mæſtiſſimæ vrbis, cuius futuram orbitatem animo metiebatur, patronum fore apud ſapientiſſimum Pontificem polliceretur, cuius tantam in animi magnitudine reſidere lenitatem nouerat, nihil vt illo humanius, nihil clementius fingi poſſet. Quarè Peruſinorum cauſam, ſcriptis ad eundem ſupplicibus litteris, confeſtim gratioſus egit: *paratos quidem omnes pro perpetua in ipſum veneratione, atque obſequendi ſtudio, à præſcripto Pontificio hilum non recedere. Nihil Auguſtis mentibus propter ingenitam nobilitatem flexibilius; nihil propter debitam ſummo Principi obedientiam paratius ad obtemperandum. Sed enim ad pretioſi pignoris imminentem iacturam tam dolenter, tamque immaniter ingemuiſſe, quam ſi vrbis muris, quaſi procella ingruens ſuperueniſſet hoſtis, & tortis circum brachia veſtibus, ſtrictiſuè mucronibus, conſternatorum ora ciuium vultuſque improuiſo petijſſet. Quauis capitis & fortunarum naufragia leuiora reputari. Voces quærulas, & ſuſpiriorum plenas ſacrorum cuſtodiæ ab illis laudabiliter fuiſſe impenſas: cumque in Cluſinorum, & Senenſium amicitia parum piæ poſtulationi ex indigenarum voto locus detur, religionem horum, & fidem alienæ amicitiæ videri anteponendam. Creſcere autem eo prolixius in Deiparæ annulum Peruſinorum cultum; quò ab ipſo ſacrarum Reliquiarum promo condo, ad ampliſsimæ ornamentum vrbis efficacius requiratur. Nolit verò Paſtor amabiliſsimus plenum luctus, ac mæroris gregem, quem inopinata felicitas ditauerit, Virginali anathemate carere, & ſubiectæ gentis parendi ardor, deuotionis affectu erga Beatiſsimum Patrem exuberans, de vberrimo Ruuereiæ miſericordiæ fonte, aliquem, ſuo rogatu, beneficentiæ riuulum reportet. Nam cur pro crediti incolumitate donarij Mariæ Virginis rurſum haſtam vibrantis ſimulachrum expectet? quod in tuenda nuper Rhodo obſeruatum memoratur.*

Huius argumenti epiſtolam, aliamque demiſſiore, & obſequentiore Decem virum Chirographo Romã miſſam, Hieronymi Riarii grauiſſima oratio, mirum in modum confirmauit; qui commodum ad vrbem à Pontifice reuocatus, & lugubri, ac funeſto Magiſtratus libello præmonitus, ringentibus inuidiæ mancipiis, Antiſtitem Maximum de ſententia facilè deduxit. Qui ſi paullò commotior in homines nimium pietati obnoxios fuiſſet, Comitis officioſo erga Peruſinos ſuffragio delenitus, religioſiſſimæ gentis curam exaggerantis, pacatior, benigniorq; culpæ ignouiſſet.

XLIII. *Cõciliatis diſsidentiũ animis, ornatiſsimum ſacellum annulo Deiparentis aſſeruãdo deſtinatũ extruendum curant Peruſini.*

Iam quemadmodum ob Etruriæ tumultuantis diſſidia, Senenſium, ac Peruſinorum odia pluſculum recrudeſcẽtia, Sixto iterũ iubente conſenuiſſe videbantur; ſic, datis inter ſe nuperis vadibus, omnium animi multo ardentius ad pacem coaluerunt. Nam cum inter Florentinos, & Senenſes malè dudum ſarta bona deinde fide coiſſet gratia, & tranquilliore genio dimicationibus mutuis receptui canẽte, publicè, priuatimq; ſimultatũ fibræ exaruiſsẽt: eius fœderis Peruſini à Senenſibus per certos homines fuerunt admoniti; quos illi donis, Senenſes litteris effusè gratulantibus ſtatim proſecuti ſunt. Remiſſi inſuper, qui coram amiciſſimæ ſalutationis obirent munus; quæque obtigerat concordia, eandem ipſis ſolidæ, & perpetuæ voluptatis, ſocijs auſpicatiſſimi ominis altricem fore teſtarentur. De annulo ſilentium indictum, in omnia quidem pacificationis argumenta excubarent curantque clam ſedulo, quantum poſſent, vt in plenum recolligeretur beneuolentia, & ad eliciendum populi amorem, liberales manus cum officioſa verborum magnanimitate miſcerent. Cluſinæ flagitionis vocabula, tamquam ſcopulos inimicitiarum prætergrederentur; à qua fortaſſis tot alienis concuſsi arietibus, & domeſticis iactati procellis, mentem iure abalienauerant: cum conducibilius eſſet, in eo videri elingues, quâm id, quod nemo probet, quodque conſopitos in propriam perniciem exſuſcitet, interfari.

Alio etiam officij genere, X. virum, iuſſu Thomas Angelius ex Oliuetana familia, eloquentiſsimæ probitatis florens, laude perfunctus eſt: profectuſque ad Marcum Barbum, Patriarcham Aquileienſem Card. apud Cluſinos fontes (nunc San-Caſsianenſes vocant) valetudinis gratia diuerſantem; qui pro vetere neceſsitudine, delatoque ipſis iampridem, quos fouendos ſuſceperat, amantiſsimi patris patrocinio, Cluſinorum parùm amicas voluntates ſua auctoritate mitigaret, atque ad eam demum eliminandam diſcordiam, quæ ternas vrbes immaniſsimè perturbarat, animum appelleret; datiſque propterea ad Põtificem, & ad Senenſes litteris, ſectam clientibus Peruſinam nobilitatem emeret; quæ omnem vitæ iucũditatem ipſi relatura eſſet acceptam. Nihil tam populare eſſe, quàm pacem, & intra Gratiarum legem caſtigatæ licentiæ mercimonium, quo æque illi, quibus à natura datus eſt ſenſus, ac tecta, agrique rapinis & vaſtitatibus antea procaciter expoſiti, plurimum exhilarari videantur.

Cæterum quo perennaturi apud Peruſinos annuli cultus longè lateque indies amplificaretur; ab Ædicula Palatina digniorem celebratioremque in locum Patres transferendum cenſuere, idque non tam ſponte, quam hortatu Beati Bernardini à Monte feltrio, Minoridæ Franciſcani, qui exquiſita maiorum atrium cognitione ac ſanctimonia pollens, mirus Hieronymi, atq; Auguſtini diſcipulus audiebat; en ethoque afflatus ſpiritu, complura vaticinabatur, fuereque in his bella (Cometis enim duobus ſub initium Sixti IV. Pontificatum conſpectis, abundè fidem fecerant conſecuta) quæ poſteà vniuerſam Italiam funeſtiſſimè deuaſtarunt: Is Eccleſiaſtes ea tempeſtate laudatiſſimus, Peruſiæ inter concionandum pronubi annuli dignitatem excellentiamque lectiſſimis ornabat ſententiis, orationeque viuida, & liberalibus præconijs ad cælum efferebat, ſimulque obſeruantiam illius multò flagrantius amplectendam prædicabat. Huius dicto ſapientiſſimus Magiſtratus extemplo audiens, ornatiſſimum ſacellum in Baſilica S. Laurentij, quà muro picturato, ac cælatis aſſeribus concluſum, quà ferreis pilis, & cratibus, magnificentiſſimo ſumptu extruendum curarit. In ſummo huius haſtati propugnaculi, ducta circum faſcia, hi deſcripti extant verſus;

*Hic ſociata ſuo colitur Regina marito.*
*Et facili iuſtas accipit aure preces.*
*Hac ſacer intactæ matris iacet annulus æde*
*Qui dedit, eſt cuſtos muneris ille ſui.*

Quandò etiam inter Sacras ferias à Sixto inſtitutas, feſti quoque Ioſepho, ac MARIÆ dicati numerabuntur dies, Tabula egregij operis à Petro Peruſino, pictore eius ætatis celeberrimo confici iuſſa eſt; in qua ſuauiſſima colorum temperatione, & elegantiſſimo artificio Hieroſolymitanum templũ repræſentatur, ex quo videlicet nubilis iã prodiiſſet virgo; nõ, vt quidã, nullo opinor auctore, diſſeminarunt, quia ibidem annulus, ceu communis quæpiam nuptiarum celebrandarũ teſſera aſſeruaretur. In huius delubri ſubdiali area, hinc puellarum chorus appictus, inde iuuenum, ſublatis arentibus Virgis modeſtè indignantium, etſi quidam ira paullò commotior ſuam curuus in genu frangit, cum illa Ioſephi effloruiſ-





ſet. Atque hunc ſubarrhare annulô MARIAE digitum parantem Antiſtes ſummus, apprehenſa amborum dextera, ſuis & ipſe manibus Sacramenti maieſtate, ac religione communit. Ad hunc modum Peruſini; opima præda felices, ac diuites, de Cluſinorum incuria triumpharunt. *Io: Baptiſta Laurus Commentario de annulo B.M.V.*

XLIV. *Cardd. creantur à Sixto PP.*

Eodem anno 1480 Sixtus Pontifex, Idibus Maij, quinq; viros in Cardinalium Senatum aſſumpſit: quorum hæc nomina. Paulus Fregoſius, ciuis, & Archiepiſcopus Genuenſis, presb. Card. tt. S. Anaſtaſiæ.

Frater Coſmus de Melioratis, Vrſinus, Romanus, Monachus, & Abbas Farfenſis, Archiepiſcopus Tranen. presb. Card. tt. SS. Nerei, & Archillei.

Ferricus de Cluniaco, Burgũdus, Gallus I.V.D. Epiſcopus Tornacen presb. Card. tt. Veſtinæ. S. Vitalis.

Ioannes Baptiſta Sabellus, Romanus, Protonot Apoſtol. Diac. Card. S. Nicolai in carcere Tulliano.

Ioannes de Columna, Romanus, Protonot. Apoſtol. Diac. Card. S. MARIAE in Aquiro. *Panuinus in Sixto 4.*

Hoc ipſo anno Sixtus, Ioannem de Cardona Comitem, Ordinis S. Ioannis Præceptorem, in Vuandaliam miſerat, qui plenarias indulgentias, in ſubſidium Rhodiorum militum à Turcis obſeſſorum diuulgaret, & auxiliares copias contraheret. Gripſuualdenſes Epiſcopum ſuum Caminenſem, Marinum de Fregeno, ſacrum claſſicum contrà Turcas intonantem, etiam in locis ſacris affecere contumelijs, atq; luto, & lapidibus infeſtauere; qui iniuriam ſuam vindicaturus, Romam contendit, ibique dùm multa molitur, diem ſuum obijt, ſatis exiliter tumulatus, qui magnis ſplendoribus, Apoſtolicus nuncius, multas prouincias peragrabat. *Krantzius VVandaliæ lib. 13. cap. 18. & 20.*

XLV. *Dux Saxoniæ Romæ honoratur à Põtifice.*

Eodem anno Elector Saxoniæ Erneſtus, cum delecto nobilium equitatu, Romam ad viſitanda limina Apoſtolorum venit, & à Sixto Pontifice aliquot Sacerdotiorum in Eccleſia Miſnenſi, & auream roſam accepit. quo etiam tempore, in Motta oppido territorij Venetorum, Iudæi, puerum ſceleratiſſimè trucidarunt; quorum è numero tres Venetijs capitalem pænam ſubierant. *Author rerum memorabilium Saxoniæ vniuerſæ lib. 2.*

XLVI. *Comes Palatinus FF. Obſeruantibus monaſterium condit.*

Circà hæc tempora, Fridericus Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, Monaſterium Minoridarum, Obſeruantium in *Crutzenacht* condidit, quod cooperante oblatione fidelium, non ſine miraculorum frequentia extructum eſt. Nam ciuis quidam Creutzenacenſis imaginem paruulam S. Wolfgangi de ligno ſculptam, in capellam, ſeu Eccleſiam eiuſdem nouæ fundationis poſuerat: ad quam tantus in breui populorum concurſus fieri cæpit, ac miracula prædicari, vt totum opus inceptum ex oblatione populi citiſſimè fuerit conſummatum. nec miraculorum ceſſauit opinio, quouſq; Fratres, pacis, & paupertatis amatores, imaginem depoſuerunt. tunc enim ceſſauit fama ſignorum, ac concurſus populorum paulatim imminutus. *Trithemius in Chron. Sphonheimen.*

XLVII. *Aliqui Franciſcani ſanctitate inſignes.*

Floruerunt hoc tempore in religione Minoridarum aliquot Patres, ſanctitatis laude inſignes. Ex his Ludouicus Placentinus, humilitatis adeò tenaciſſimus, vt Prouincia excedere voluerit, ſi illum inuitum Patres adminiſtrandæ illi prælatum deſignaſſent. Totus concionandi ſtudio, conuertendiſq; peccatoribus intentus, in cænobio Campibaſſi quieuit, multis miraculis, ab obitu clarus, Angelus monicellus campibaſſanus paralyticus, ſtatim, atque ſepulturam illius attigit, conualuit. Ioannes Belus grauiſſima ęgritudine fractus, à fragmento veſtis Ludouici ſanitatem recuperauit. Aliqua mulier ore contracto, à tactu cadaueris Ludouici curata eſt. Aequalis Ludouico F. PETRVS Briettanus in Corſica, multæ abſtinentiæ, vigiliarum, orationum, contemplationumque, diuinis reuelationibus & apparationibus dignus aliquandò meruit SS. Virginem, & puerum IESVM aſpicere, quæ vibices ex flagellatione à dæmonibus inflictos in eius corpore ſanaret. Sanè etiam dum is animam ageret, Curator infirmorum vidit Reginam Angelorum choro Virginum ſtipatam, ad eum decumbentem in cubiculum ingredi, lectuloq; aſſidere: quando is ſpiritum exhalauit, in cænobio Agligano. *Marcus Vlyſsiponen. 3. p. lib. 6. c. 56.*

XLVIII. *Item BB. Andreas, & Ioannes Dominicani.*

His adiungitur ex ordine Prædicatorum B. Andreas Piſcarien. Prædicator inſignis, qui apud vallem Telinam, ditionis Mediolanenſium, magna ſanctitatis, doctrinæ, & eloquentiæ argumenta, in ſalutem populorum edidit, ibidemque Morbinij ſancto fine quieuit, Marmoreo illius ſepulchro plurima anathemata fuere ſuſpenſa, cum hoc epitaphio inſculpto.

*Aedidit Andream fauſto Peſcheria partu,*
*Ordinis altiloqui, qui iuga ſacra tulit;*
*Maluit in tenui, lautæ quam madere menſa,*
*Ardua cui clauſtri, dulcia fecit amor.*
*Imbuit auſpicijs populos felicibus hoſce,*
*Chriſticolæ aſſertor Relligionis erat.*
*Plurima, quæ fecit viuens, & funere preſſus*
*Prodigia, hæc perhibent, gratia quanta fuit.*
*Huic opere pretium, totiens reuelare miſellos*
*Explicat immenſos cum pietate ſinus.*
*Mille quadringentis obijt octoginta ſub annis,*
*Qui hic recubat, vallis Morbinijq; memor.*

Andreã ſecutus hoc eſt ipſo anno, B. Ioãnes Galetus Dominicanus Bononienſis, annis, & meritis grauis. Aegritudo, ex qua obijt, iudicio medicorum, & omnium fratrum, non erat, quæ periculum creare videretur: Ille tamen pręcognita hora mortis, dum Fratres cænatum irent. Sacram Euchariſtiam pro viatico flagitauit. Dicebant illi, eum non omnino malè valere, nullũq; diſcrimẽ imminere. Cæterũ ipſe ſacra exomologeſi peracta, viaticũ enixiùs poſtulauit. Differebant dicebantq;, vt tantiſper expectaret, quoad cænam abſoluerent. verum is anxius exire, ſacrum Chriſti corpus ad ſe ocyùs deferri, exorauit, atq; tandem impetrauit. Delatum, atq; ſuit diuinum edulium, è lectulo deſilijt, & in terram proſtratus, inter gemitus lachrymas, myſticum panẽ ſumma cũ deuotione cõmunicauit. Mox vnctione extremã, precando, vigendoq; planè extorſit: ad extremum, commendationẽ animæ ex formula recitari exorauit, cumq; orantibus Fratribus ſanus mente recitauit. Cùm ad orationem, *Proficiſcere anima Chriſtiana* ventum eſſet; *Egredere*; inquit, *anima mea; quid times? quid trepidas?* ſeipſum ad tranſitum animauit; ac Fratribus orantibus, ſe in fide viua, ſpe ſecura, & charitate flagrante diſcedere affirmans, in cælum emigrauit; Bononiæ tumulatus. *Michaël Pius de Viris Illuſtribus Ord. Præd. lib. 1.*

XLIX. *Moritur in carcere Rupertus Bauarus Archiep. Colonien.*

Eodem anno, VII. Cal. Auguſti, obijt in ſua captiuitate miſeranda, in caſtro *Blanckenſtein*, Rupertus Archiepiſcopus Colonien. & ſicut dicebatur, in excommunicatione Pontificia. Eius cadauer, Bonnã delatũ, in Eccleſia S. Caſſij pòſt aliquot mẽſes fuit tumulatũ. O fortuna, ô inuidia, ô tempora, & mores; quid non præſumit ambitio? In eius locum permittente Sixto ſucceſſit Hermannus, filius Comitis Haſſiæ, Gubernator Capituli, & Eccleſiæ Colonien. III. Idus Auguſti vnanimiter electus; vir bonus, excellens, manſuetus, conſilio, & actione præcipuus. Secutus eſt Rupertum, Sigiſmundus Dux Saxoniæ, Epiſcopus Herbipolen. cui in Pontificatu ſucceſſit Rudolphus Scherenbergius, à Collegio electus, & à Sixto Papa confirmatus. *Chron. Sponheimen.*

L. *Moritur item Nicolaus Perottus Archiep. Sipõtinus, & Renatus Dux Andegauenſis*

Obijt etiam in Italia hoc anno, die XIII. Decembr. Nicolaus Perottus Archiepiſcopus Sipontinus, Pio 2. Paulo 2. & Sixto IIII. Pontificibus Romanis, ob eruditione multiuaria; à facundia purè Latiali,

à probitate vitæ, & meritis longè chariſſimus; qui plurima volumina, Latinitate donauit, longè verò plura ingenij ſui momenta poſteris reliquit; quæ Torquatus Perottus eius gentilis, Sanctiſſimo Domino noſtro Vrbano VIII. Pont. incomparabili à Sacris, & à cubiculo intimiore intimus aliquando in lucem producet. Hic ipſe vir, familiæ ſuæ hoc tempore primas, ſuo gentili epitaphium poſuit hoc ſchemate.

D. O. M.
*Nicolao Perotto Saxoferratenſi,*
*ob reconditam eruditionem.*
*Linguarum, principum peritiam, ſingularemque facundiam,*
*Nec non Illuſtria rei litterariæ Monumenta,*
*Beſſarioni inprimis Card. Sapientiſſ. eximiè claro*
*Tum*
*Friderico III. Imperatori Auguſto à Conſiliis,*
*Et ab eodem Poetica laurea Bononiæ ornato;*
*Inde*
*Eugenio IV. Nic. V. Calliſto III. & Pio II. Max. Pontificibus præcipuè*
*Ob egregiè in Orientali Eccleſia cum Romana tempore Ferrarien. & Florentini Concil. vnienda nauatam operam*
*Longè Clariſſimo*
*Vmbriæ, Tuſciæque Præſidi*
*Archiepiſcopo Sipontino;*
*De Chriſtiana Rep. vniuerſa Italia, Patriaque optimè merit.*
*Cuius iſta Maioribus Tyrannide extincta*
*Libertatem, ac felicitatem debet.*
*Torquatus Perottus*
*Vrbani PP. VIII à cubiculo intimo*
*Gentili ſuo L. M. P.*
*Anno Domini M.D.C.XXIII.*

In Gallia, etiam hoc anno, menſe Ianuario, Renatus Dux Andegauenſis, non modo aduerſis rebus, ſed etiam longa vita nobilis extinctus eſt; ad vitæ finem ſe Aragoniæ, Siciliæ, atque Hieroſolymæ Regem nominans, inani appellatione, præterea prouentu nullo, nè ſpe quidem amiſſa recuperandi. Hæredem teſtamento reliquit, Carolum fratris Caroli filium, ex aſſe. Renato Lotharingio, ſuo ex filia nepoti, Bari Ducatum legauit, quem ſatis amplum in Gallia obtinebat. *Mariana lib. 24. c. 21.*

LI. *Rex Angliæ fratrẽ ſuum necari iubet.*

Fatalis hic annus fuit, Regiæ Anglorum, & Scotorum. Eduardus IV. Angliæ Rex, in immaniſſimum incidit facinus. Georgium enim fratrem Ducem Clarentiæ comprehendi ſubitò iuſſit, atque necari. Fama in vulgus exierat, Regem territum vaticinatione hominis fatidici, in fratrem ſæuiſſe, qui prædixiſſet ita futurum, vt poſt Edouardum, regnaret vnus aliquis, cuius nominis prima littera eſſet G. Quod quia ſic ſolent dæmones ſuis præſtigiis hominum mentes implicare, qui eiuſmodi illuſionibus delectantur, dixerunt poſteà vaticinationem illam non caruiſſe ſucceſſu, cum pòſt Edouardum, Glocestrenſis Dux regnum occuparit. Alij aliam ferunt necis cauſam, quæ eiuſmodi eſt. Per id enim tempus gliſcente veteri odio inter fratres, quo nihil eſt vehementius, Dux amiſſa vxore per operam Margaritæ ſororis petebat ſibi nuptum dari Mariam, vnicam filiam Caroli Ducis Burgundiæ. Edouardus inuidens fratris felicitati, eam affinitatem impediuit. Inde redintegrata ſimultate, quidam Ducis adminiſter eodem tempore veneficii damnatus afficitur ſupplicio. Contrà id factum cùm Dux non potuiſſet ſe tenere, quin vehementer reclamaret, Rex ob eam quærimoniam valdè commotus, Ducem in carcerem detruſit, ac non multò pòſt iure, ſine iniuria, maieſtatis damnatum morte affecit. Ferunt & hanc cauſam fuiſſe. Conſtituerat Georgius, ſorori (quę Burgundo Duci olim nupſerat) auxilium præter Edouardi conſiliũ ferre. Quamobrem comprehenſus, & in vincula coniectus, multis pòſt interiectis diebus, conſilio ad Edouardi præſentiam aduocato, hanc in ſe ſententiam accepit. Ex Londinienſi arce, extra ciuitatem, ad patibulum traheretur; ibi cõſpiceret, inteſtina ſua cremari; cui mox caput tolleretur, & cadauer quadrifariàm ſecaretur. A tam ignominioſa damnatione hortante matre temperatum eſt. Eius tamen ſupplicii genus hoc fuit. In maluatici vini dolio viuus extinguitur, & inde exemptus capite truncatus eſt. Alteram mortis cauſam afferunt, quòd ille regnũ expulſo Edouardo affectarat. At mox Edouardũ eiuſmodi facti pænituiſſe certum eſt, argumentum, quod ferunt, ſi quando pro cuiuſpiã damnati vita oraretur, ſolitum eſſe inclamare; O infelicem fratrem, pro cuius ſalute nemo hominum rogauit. manifeſtè innuentem illum Principum inuidia interiiſſe. *Polydorus lib. vigeſimo quarto, Guagninus lib. 10.*

LII. *Idem facit Scotiæ Rex.*

Eadem Erynnis Scotorum Regiam hoc ipſo anno cruentauit. Ioannes Stenuart Comes Marię, Regis frater, natu minor, menſe Decembri, domi ſuæ, nocte apprehenſus, ductuſque ad arcem Cragmillarenſem, iuſſu Regis ibidem captiuus, deinde conuictus cuiuſdam aduerſus Regem coniurationis, quam arte magica molitus erat perficere, in vico Canonicorum iuxta Edimburgum ſciſſa vena ad mortem vſque effudit ſanguinem, alijque plurimi tum viri, tum mulieres magicæ artis ſuſpicione grauati, & eiuſdem criminis poſteà conuicti, Edimburgi demùm concremati ſunt. *Appendix ad Scotorum hiſt. Boethij. Leslæus lib. 8.* Clarius rem explicabat aliquis alius. Andreas quidam Medicinæ profeſſor, & qui magnam Aſtrologicarum prædictionum habere putabatur peritiam, Regi Iacobo commendatus, plurimam apud eum, in has artes procliuem, gratiam inuenerat, vt magnis pollicitationibus hominem ex Flandria, ad ſe accerſiuerit, ac aduenientem beneuolè exceperit, & opulento Sacerdotio, alijſque muneribus donauerit. Ab hoc cum Rex accepiſſet (vti fama eſt) ſibi à ſuis exitium imminere, eaq; dictio cum maleficiarum mulierum (quibus immodicè deditus erat) reſponſis conſentiret, quæ prædixerant, fore, vt leo à catulis ſuis extingueretur, ex Principe ab initio indolis optimæ, & ſumæ ſpei, ac ne tum quidem penitus deprauato, in immanem tyrannum degenerauit. Suſpicionibus enim animo ſemel occupato, ſanguine proximos, & ferè optimum quemquam è nobilitate pro inimico habebat. Proceres autem cum, ob hanc ipſam cum hoc malefico genere hominum conſuetudinem, Regi erant infenſi, tum longè magis, ob aulicos quoſdam infimæ ſortis homines, quibus nobilitate contempta, ſolis conſultoribus vtebatur. Eorum hi principes erant, Thomas Præſtonus, honeſto quidem loco natus, ſed qui tamen Regi omnibus in rebus obſequi, in animum induxerat. Robertus Cocheranus, homo magnis corporis viribus, ac pari audacia; qui cum è certamine quodam ſingulari cognitus Regi fuiſſet, ſtatim ex architecto, aulicus factus, & ad ſpem vitæ liberalioris erectus, breui diligenter obeundis leuioribus negotijs, & Regis moribus obſequendo perfecit, vt ad intima, de rebus magnis conſilia adhiberetur, ac gener à Præſtono eligeretur. Tertius erat Gulielmus Rogerus, Anglus cantor, qui cum Regis Angli legatis in Scotiam ingreſſus, poſtquam ſemel, & iterum Regi auditus placuit, ab eo retentus, & diuitiis auctus, breui in Equeſtrem ordinem adſcriptus eſt: cæteri, è contemptiſſimo genere hominum, viliſſimarũ artium opifices, & ſola improbitate, atque audacia commendati. De aula ab hoc hominum genere purganda, cum nobilitatis conuocatio fieret, principibus duobus Regis fratribus, eiuſque paulatim prodirent, indicia; Ioannes minimus natu fratrum cæteris incautior, cum temerè de ſtatu Regni liberiùs locutus fuiſſet, ab aulicis arreptus, & in carcerem coniectus, à domeſtico Regis conſilio condemnatus, ac vena reſciſſa mori eſt coactus. Cauſa mortis in vulgus edita eſt, quod cum





fæminis veneficis clàm conſilia conferret, in Regis caput. Id crimen, verum vt videretur, decreta aduerſus veneficas quæſtione, ad duodecim earum, quarum viliſsima erant capita, crematæ. Eadem ſors Alexandrum Albaniæ Ducem, alterum Regis fratrem excepiſſet, niſi diuino beneficio neci ſubtractus fuiſſet. Is quantumuis omnes à ſe, quo ad potuit, ſuſpiciones amouerat, tamen per miniſtros Regios, qui numquam, eo viuo, ſibi ſatis conſultum credebant, ſubitò in arcem Edimburgenſem raptus erat. Ibi cùm diligenter aſſeruaretur ab eis, qui eius potentiam ſibi exitiabilem rebantur, nec per neceſſarios animum Regis placare poſſet, conſilium clam, quando aliter non poterat, euadendi cæpit, conſcio cubiculari tantum miniſtro, quem vnum è ſuis ſibi relictum habebat. Per eum nauiculam conduxit, quam in ſtatione proxima paratam eſſe iuſſit. Deinde, crebris ex aula nunciis commeantibus, qui coràm cuſtodibus (nam ſecretò colloqui non licebat) fingerent, Regem placabiliorem fieri, ac breui ſpem libertatis oſtentarent; cum deſtinatus ad euadendum dies, appeteret, vultu, quantũ in illa fortuna potuit ad hilaritatem compoſito, ſimulat ſe planè nunciis credere, Regem ſibi conciliatum eſſe, nec diu ſe ſperare in ea cuſtodia futurum; lautam cuſtodibus cænam dedit, & ad multã noctẽ vnà cũ eis bibit. Illis diſcedentibus, & vino copioſiore in ſomnũ ſolutis ſolitudinẽ nactus, è linteis lectuli ſui ſtragulis funem concinnauit, pro altitudine, vt rebatur, muri ſatis longum: ac primum, vt periculum faceret, miniſtrum demiſit, è cuius caſu, breuiorem iuſto eum eſſe intellexit. Aucto igitur pro præſenti copia fune, ipſe ſecutus miniſtrum, quo in deſcenſu crus fregerat, in humeros ſublatum, circiter mille paſſus ad mare tulit, ac ventum ſecundum nactus, Dumbarum nauigauit, arceque aduerſus vim ſatis communita, cum paucis in Franciam abijt. Docuit implacabiles eſſe Regum iras nemini, ſed ne ſanguini parcentes, vti ſemel animum ſuſpicio ambitioſi conatus inuaſerit. *B. rerum Scoticarum lib. 12.*

# ANNO CHRISTI 1481.

## SIXTI PAPÆ IV. Anno 10. & 11.

## FRIDERICI ROM. IMP. Anno 42.

I. *Sixtus PP. Concilium indicit pro ſacra expeditione in Turcas.*

VT rebus Chriſtianorum, à Turcarum potentia periclitantibus, Sixtus Pontifex ſubueniret, Cõcilium hoc anno Romæ indixerat, & ad illud Imperatorem, Reges, Antiſtites, ac Principes omnes Europæos inuitarat. In eo quid decreuerit, placet ex litteris, ad omnes abſentes datis cognoſcere. Ita habet Bulla exhortans Principes Chriſtianos ad ſacram expeditionem in Turcas ſuſcipiendam, miſſa Philippo Palatino Electori hoc anno M.CCCC.LXXXI.

*Dilecto filio, Nobili viro Philippo Comiti Palatino Rheni, Sacri Romani Imperij Principi Electori.*

*Dilecto filio, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

*Animaduertentes Chriſtianorum Principum diſcordias, truculento hoſti ad communem perniciem viam indies magis aperire, volenteſque pro Paſtorali officio noſtro his tot incommodis, & periculis obuiare, nè in deterius ſerpant, poſtquam eo iam deductæ ſunt res noſtræ, vt minime cunctandum ſit; cum perfidiſſimus, & vigilantiſſimus hoſtis apparatum maximum aduerſus Italiam, Germaniam, & Rhodum indefeſſo ſtudio (vt ex pluribus locis compertum habemus) inſtruat; triennales inter omnes Chriſtianos Principes, & Potentatus inducias indiximus; ad defenſionem Catholicæ fidei, paterna charitate omnes hortati ſumus; venientes, aut mittentes ad tam piam, & neceſſariam expeditionem, ſub noſtra, & Apoſtolicæ ſedis protectione ſuſcepimus; eis bella, aut impedimenta quomodolibet inferentes, ſub ſpiritualis, & temporalis, gladij pæna, vt abſtineant commonuimus, prout in litteris noſtris deſuper confectis, quas in tuis, & in reliquorum omnium Principum & Potentatuum Chriſtianorum regnis, prouincijs, & dominijs publicari mandauimus, latius continetur. Volentes igitur litteras ipſas plenum ſortiri effectum, & debitæ omnino executioni demandari, Nobilitatem tuam in Domino hortamur, & per religionem, quam profiteris, per paſſionem Saluatoris noſtri quam vt nos ab æterna morte redimeret, ſubire dignatus eſt; per tot fideles populos, qui in teterrimam ducti ſeruitutem præſidium tuum implorant per miſeram ſtragem, quæ tot præclaris ciuitatibus tot nationibus imminet, niſi quamprimum ſuccurratur; per gloriam & ſplendorem Chriſtiani nominis, quod à ſpurciſſimis hoſtibus in totũ conculcatur, niſi noſmetipſos excitauerimus te obteſtamur, & Apoſtolica authoritate tibi mandamus, vt litterarum ipſarum tenorem & continentiam in omnibus, & per omnia ſerues, & cum effectu adimpleas, ſicuti pro Catholico animo tuo facturum te confidimus, ne in extremo iudicio apud tribunal Dei reus ſis effuſi Chriſtiani ſanguinis, qui è manibus tuis requiretur. Alioquin contra inobedientes, & contumaces, ita vrgente communi periculo. & neceſsitate, ad executionem contentorum in litteris ipſis procedemus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XII. Aprilis anno M.CCCC. LXXXI. Pontificatus noſtri anno X.*

*Sixtus Epiſcopus, Seruus Seruorũ Dei. Ad futuram rei memoriã.*

*Cogimur iubente Altiſsimo. & vrgente Reipublicæ Chriſtianæ grandi neceſsitate vniuerſos Chriſtianos Principes ac omnes Chriſti fideles requirere, eiſque mandare vice Dei, cuius locum quamuis immeriti tenemus in terris, vt à vrgentibus inter eos bellis, & guerris, omnino ceſſent & pro illius honore, & ſalute Chriſtianæ religionis in maximo periculo conſtitutæ, aduerſus impiam Turcorum gentem, arma ſumant, & Orthodoxam fidem conculcari à tam ſpurciſsima ſecta non permittant, tot iniuriis laceſsiti. Lex etenim Domini ſancta, & immaculata, quam eliminatis idolorum ſpurcitijs, Redemptoris noſtri vox deuicto mortis aculeo, prædicto mundo inſeruit teſtimonium eius fidele atque verum; Meum, inquit, teſtimonium verum eſt; ſapientiam præſtans paruulis, Apoſtolis ſcilicet, diſcipulis ſuis, qui vt plurimum rudes, illiterati, & indocti, vniuerſum ferme orbem ſua prædicatione, & quam Spiritus S. edocuit Sapientia, ac exemplaris vitæ conuerſatione vicerunt, perditas oues an ipſius veri, & boni paſtoris reduxerunt ouile: impletumque eſt illud Danielis vaticinium; Omnes gentes, omnes tribus, & linguæ ſeruient ei Nam circa tempora Conſtantini Magni, natus ex Maria Deus, & homo Chriſtus, à Gadibus vſque Auroram, & Gangem colebatur; neque meridies neque Septentrio Deum ignorabat, dicente propheta; Ab ortu Solis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum inter gentes. & ex ore ſedentis in throno (vt Ioannes in Apocalypſi ſe vidiſſe teſtatur) tãquã Ieſu Chriſti vicarij gladius, bis acutus, corruſcationes procedebat & fulgura, quæ terras, & maria penetrabant, eratque peralta, & tranquilla quies, gẽs ſancta (vt inquit Apoſtolus) gens electa, populus acquiſitionis Chriſtiani habebantur, eis gentes ſeruiebant quotannis tributa præſtantes. Hæc fuit olim Chriſtianorum poteſtas, hæc gloria, hoc impe ium. Nunc vero, quò Saraceni & Turci Chriſtianos redegerint, miſerum, & flebile eſt enarrare Indi namque & Armenij, ac Æthiopes, qui Chriſtianos ſe eſſe profitentur, in multis à veritate Catholicæ fidei deuiant: quod reliquum eſt continentis Aſiæ, atque Africæ (Septenſi, atque Tingenſi ciuitatibus, & illis duobus vicinis oppidis, quæ Portugalliæ Reges pro fide Chriſti athletæ pugnantes, in Africa eorum ditioni ſubdiderunt duntaxat exceptis) Chriſti nomen, ac legem implacata proſequitur odio. Hoc curſu ad Heraclij Cæſaris tempora vſque peruenimus, cuius temporibus Mahometus ſceleratiſsimus vir contraria legi Dei dogmata in Arabia ſeminauit, & degenerante poſtmodum apud Græcos imperio, ac Romana debilitata virtute, Turci qui ſpurciſsimam eiuſdem Mahometi legem acceperant, è Scythia venientes, omnem minorem Aſiam & in Europam transfretando, magnam illius partem occupantes, ad hos terminos in Oriente Chriſtianos reduxerunt.*

In Occidente verò mari, non paruam in eius finibus partem tenentes, quam Granatam vocant, fidelibus Hiſpanis, eis finitimis ſunt infeſti; & qui ad Tanais oras conſiſtentia incolunt loca, & Norvvegis vicini populi, & Tartari, cum quibus, & Liuoni bella gerunt, Chriſti legem minimè recipiunt. & his tam anguſtis Chriſtianis conſtitutis terminis non contenti Turci, noſtra ætate Conſtantinopolim Orientalis Imperij caput, & plures alias in Europa, & nouiſſime in Italia Hydruntium, ciuitates, eorum ſpurciſſimæ ſectæ ſubdiderunt. Heu loca omnia, in quibus Dominus noſter IESVS CHRISTVS natus, nutritus, baptizatus, conuerſatus, transfiguratus, ac conſumata huius ſeculi peregrinatione, & patefacta Euangelicæ veritatis luce, poſtremò pro noſtra ſalute crucis ſubire patibulum, morique dignatus, ſepultus, & mortuus, reſurgens ſuis diſcipulis apparuit, & cum eis conuerſatus aſcendit ad cælos; & in quibus Sacroſancta Chriſti Eccleſia dilectiſſima ſponſa, & ex illius latere nata, atque educata adoleuit, & ipſius prima iacta ſunt fundamenta. Inſignes etiam illæ, totoque orbe celeberrimæ Eccleſiæ, vbi quattuor generalia celebrata fuere Concilia, in quibus veluti in quadrato lapide ſanctæ fidei ſtructura conſurgit, & quæ ſicut quattuor Euangelia S. Gregorius ſuſcipere, ac venerari profitetur; quatuor etiam Patriarchales Sedes, quas tamquam quattuor animalia, ſenas alas habentia, oculis vndique plena, in medio, & circuitu Agni, Ioannes in eadem vidit Apocalypſi; & ſeptem ad quas ſcripſit, Eccleſiæ, vbi ante Omnipotens Deus confitebatur, laudabatur, adorabatur, nunc, proh dolor! ab his qui eum non nouerunt, quique nomen eius continuè blaſphemant, poſſidentur, conculcantur & prophanantur. Sola ſupereſt Romana Sedes, Sedes vtique immaculati Agni, ſedes viuentis in ſecula ſeculorum. Hæc quippe Patriarchales genuit Eccleſias, quæ quaſi filiæ in eius gremio reſidebant, & in circuitu tamquam famulæ in ipſius aſſiſtebant obſequio. Modo eis, quas genuerat, educaueratque amiſſis, ſola ſedet plorans, ipſarum mærens interitum, ſponſo exules, & deſolatos, & ab illarum ſeiunctos amplexibus. Vox in Roma audita eſt, imo per vniuerſam terram, ipſius ploratus, & eius eiulatus perſtrepuit non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis eius: quem moueant Chriſti opprobria, Chriſtianæ religionis Zelus, miſerorum Chriſtianorum, qui duriſſima ſeruitute detinentur, lacrymæ, deſolatarum regionum, & illorum, qui vicini Turcis vltimum exterminium indies expectant, miſeratio. Omnes enim periculum, in quo verſatur Chriſtiana Reſpublica, norunt, omnes miſerentur; nemo ſuccurrit, nemo fert opem. Potuerunt hæc aliquo modo tolerari ab Occidentalibus Principibus, cum Orientalia remotiora viderentur vaſtari; quamuis ſatius fuiſſet, ad vicini incendium extinguendum occurriſſe, quàm domeſticum ignem (quod ſine magna iactura fieri non ſolet) pertractare. Hæret iam, hæret iam circa præcordia virus; penetralia irrupit hoſtis, gladium ad iugulum adegit. Hinc occupato Hydrunto, Italiam premit, inde Germanorum fines ingreſſus, Bauariam vſque omnia proterit. Non dubitamus, Chriſtianorum Principum mentes, tantis turpiſſimæ gentis iniuriis, ſtomachari, & pro religionis noſtræ zelo indignè ferre, quæ in religionem continuè ab hoſtibus committuntur, & hæc profectò talia ſunt, vt piæ aures, ea ſine graui moleſtia audire non poſſint. Particulares tamen iniuriæ, & priuata commoda, ſuſpiciones præterea, contentiones, variæ hominum cupiditates efficiunt, vt dum quiſque ſe tutum à periculo putat, quia procul abeſt, vel alteri inuidet, ne vel hoſtium ruina creſcat, vel domum vacuam relinquere veretur, tamquam vicini fraude occupandam, Reſpublica neglectui tribuitur, & pecudum more, modo hic, modo ille trahitur in perditionem.

Nos igitur, qui dum Turci inſulam Rhodi ſuperiori anno arcta obſidione tenerent, & eodem tempore, Hydruntinam ciuitatem prædictã occupaſſent, quàm plurima poſſibilia nobis auxilia pro inſulæ liberatione, & Hydruntinæ ciuitatis eorumdem recuperatione, terra mariq; adhibuimus: & cum ciuitas ipſa Hydruntium recuperari non potuiſſet, (prout nec adhuc potuit) & inſula prædicta ab huiuſmodi obſidione fuerit liberata, vniuerſos Italiæ potentatus pacare, vt inuicè pacificè viuentes, contra eoſdem Turcos arma ſumerent, & ad illorũ ex Italia expulſionem vacarent, efficacem operam adhibere curauimus: ſperantes, ipſorum potentatuum facultates, & vires, ad id ſufficere. Cum autẽ inſuper intelleximus, eoſdẽ Turcos maximã claſsẽ parare, & omnibus aliis curis omiſſis, & inſulæ prædictæ, Italiæ, & Pannoniæ, ac Auſtriæ occupationẽ, & Fidei Catholicæ omnimodam conculcationẽ, omnes ſuos diuertiſſe cogitatus, & aperte cognoſcamus ipſius ſæuiſſimi hoſtis vires, adeo auctas eſſe, & in immenſum creuiſſe, vt omnibus Chriſtianis Principibus meritò formidandæ videantur. Neque eas poſſe cohiberi, niſi à pluribus, & diuerſis locis diſtrahantur, atque Italiam, Germaniam, Hungariam imprimis, vt hoſtibus viciniores, in manifeſto periculo verſari; quæ profectò ſi ſingulariter, & ſeparatim inuaderentur, tantis viribus pares eſſe non poſſent; more pij Patris pro filiorum ſalute anxij, atque ſoliciti, de conſilio Venerabilium Fratrum noſtrorum, Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, omnes & ſingulos Chriſtianorum Principes, & Potẽtatus Eccleſiaſticos & ſeculares, ac vniuerſos Chriſti fideles, cuiuſcũque prouinciæ & potentatus exiſtãt, etiãſi Imperiali, Pontificali, Regali, Reginali, Ducali, vel alia quauis Eccleſiaſtica vel mundana præfulgeant dignitate, per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti; per acerbiſſimam eius paſſionem, quam immaculatus & innocens agnus, vt nos miſeros peccatores ab æterna morte redimeret, dignatus eſt pati; per iudicium extremum, in quo eius ante tribunal conſtituti, quiſque ſecundum opera ſua mercedem ſuſcipiet; per ſpem vitæ æternæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe, harum ſeriè enixè monemus, requirimus, & obſecramus, ac in vim repromiſſionis factæ in ſacri ſuſceptione Baptiſmi, & vim iuramenti præſtiti, cum dignitatum ſuarum inſulas ſuſceperunt; nec non per obedientiam nobis debitam, eis & eorum ſingulis, præcipimus, & mandamus, vt mutuam inter ſe charitatem & pacem ac concordiam, vel ſaltem per triennium à die Kalend. menſis Iunij proximè ſequentis inchoandum, treugas, inducias, ſeu belli moram, quas tenore præſentium, authoritate omnipotentis Dei, & pro defenſione, & ſecuritate Dominici gregis, quem Saluator noſter paſcendum, tuendum, atque curandum, nobis commiſit, indicimus, & per vniuerſos Chriſtianos ſeruari volumus, obſeruent, arma deponant, & priuatarum iniuriarum, atque offenſionum obliti, Chriſti redemptoris noſtri iniurias, offenſiones, & opprobria vlciſcantur, & in hoſtes; qui Chriſtianorum omnium ſanguinem ſitiunt, & Euangelicam legem delere conantur, arma ſumant; ac cum à nobis per nuncium vel litteras fuerint requiſiti, per ſeipſos, vel eis legitimè impeditis per eorum capitaneos, vel duces, pro ſua virili & cum notabili parte ſuæ potentiæ accedant, vel mittant; aut tantum de ſuis facultatibus, quantum ſi per ſeipſos irent, vel alios mitterent (vt præfertur) exponere deberent; aut alias ſecundum eorum facultatem in tam ſanctam, & perneceſſariam expeditionem, per ſingulos dicti triennij annos erogent. Opponant ſe murum pro domo Dei, & aprum de ſylua vineam Domini Sabbaoth demolientem, exterminare feſtinent; recognoſcantque ſibi poteſtatem & gladium à Deo commiſſum eſſe, ad vindictam malefactorum (vt dicit Apoſtolus) laudem verò bonorum. Repetant, hortamur, quot prouincias infeſtiſſimus hoſtis, quot regna ſuperioribus annis euerterit, quot Chriſtianis hominibus clades intulerit; quantum virium, quantum potentiæ ſibi cumulauerit; quæ in finibus Germaniæ, quæ Rhodi, quæ in Italia nouiſſimè geſſerit, quam magna ardeat cupiditate dilatandi fines, & imperium propagandi: & tunc cognoſcent, quam ſit eis tutum habere talem vicinum. Pro libertate igitur pro liberis, pro patria, pro ipſa vita, pro religione, & fide Chriſtiana, pro ſalute æterna ſumantur arma, cum talis immineat neceſſitatis articulus, à quo nullus ſe valeat excuſare legitimè, vt in hoſtes, antequam interius penetrent, forti animo proficiſcantur, ſeque & ſuos vlciſcantur à tantis fœdiſſimi huius hoſtis iniuriis, atque imminentem ſibi & ſuorum ceruicibus gladium auertant. Non impoſſibilia, vel nimis ardua eis iniungimus, aut minus vtilia. Neceſſitas ipſa vtilitatem arguit, cum niſi defenſioni ſe accingant, manus dare, & in ſeruitutem venire, atque ea pati quæ victoribus libuerit ſit neceſſe, quæ qualia ſint aliorum exempla nos docent. Imperator Conſtantinopolitanus, dum Regia vrbs expugnatur, in prælio cadens, etiam mortuus capite truncatur: Græcorum proceres, atque omnis nobilitas, depoſitis armis trucidatur: Raſciæ Deſpotis in poteſtatem redactis, eruti ſunt oculi: Trapezuntiorum Imperator contra datam fidem occiditur, Rex Boſnæ in fidem ſuſceptus, inter vina mactatur. Verum eſt, quod ille ait, Regnum non capit





duos. Nolint igitur ſperare Chriſtiani Principes, & populi, vt libertatem victore Turco retinere poſſint: nolint in ſuis fictis blanditijs, & falſis pollicitationibus confidere. Quem ex deuictis regulis vel cũ toleranda conditione ſeruatum videmus? Cui fidẽ vnquã ſeruauit Turcus! Abijciãt hãc falſam & inanẽ ſpẽ Chriſtiani proceres, & in Deo ſolũ, atq; in eorũ dexteris ſalutẽ reponãt, ſi enim viriliter pugnauerint, non ſolum propria defendent, ſed ab aliis deperdita recuperabunt. Sin vero (quod Deus auertat) in ſolita negligẽtia atq; deſidia perſeuerauerint, ſeipſos, & Rempublicam Chriſtianã perdent. Quid enim Chriſtianis deeſt, quod ad victoriam conſequẽdã deſiderari poſſit? Eis viri fortes, equi, arma, pecunia, commeatus abunde ſuppetunt. Adſit tamẽ voluntas & ardor pugnãdi: adſit & vera religio, & ad Deum Redemptorẽ noſtrum, à cuius vijs declinamus, humilis & deuota conuerſio, & Petri, quæ numquam deficiat fides Pauli cõſtãtia, zelus Phinees, & Matathiæ, ac fortiſſimi Machabæi animus, & certa procul dubio de cælo mittetur, ac indubitata victoria. Præcedit enim Angelus Domini exercitũ eius & viuificæ Crucis ac Ieſu Chriſti in ea pẽdẽtis vexillũ, eq; humiliter intuẽtes, & defixis in ſublime oculis victoriã ſperãtes de cælo exurget omnipotẽs & miſericors Deus, & miſertus eorũ, quos plaſmauit, regenerauit, redemit, exurget & diſſipabũtur inimici eius, & fugient, qui oderunt eũ à facie eius. Et vt Principes ipſi, & alij Chriſti fideles, ſic per nos vice Dei moniti & requiſiti contra eoſdem Turcos, arma ſumere, & Chriſtianæ religioni, & fidei defenſioni vacare eo liberius, & ſecurius poſſint. quo intelligent, illas quæ viguerunt, & vigent inter eos diſſenſiones guerrarum, & offenſionum quarumlibet ſuſpicione fore ſublatas, eiſque licere, per ſeipſos militare, & eos, atque illorum ſtipendijs militantes, extra territoriorum ſuorum fines, abſque vlla ſuſpicione, ad eorum Turcorum expugnationem progredi, & mittere, & ad id pecunias erogare, & claſſemque inſtruere, & parare, vniuerſos, & ſingulos Chriſtianorum Principes, & potentatus, Eccleſiaſticos, & ſeculares, & omnes Chriſti fideles, cuiuſcumq; præeminẽtiæ ac poteſtatis exiſtant, etiã Imperiali, Pontificali, Regali, Reginali, Ducali, vel alia quacumque dignitate Eccleſiaſtica, vel mũdana fungentes, ac in terras Chriſtianorũ tẽporale dominiũ quomodolibet obtinẽtes, qui per ſupradicti triennij tẽpus per ſeipſos, vel eis legitimè impeditis, per eorũ Capitaneos, ſeu Duces pro ſua virili & notabili parte ſuæ potentiæ ibunt, vel mittent, aut tantũ de ſuis facultatibus, quãtũ ſi per ſeipſos irent, aut alios mitterent (vt præfertur) exponerent, aut alias ſecũdum eorum facultates in tã ſanctam, & perneceſſariam expeditionem, per ſingulos dicti triennij annos erogabant, à die arrepti itineris, vel qua pecuniã huiuſmodi pro primo anno erogauerint, & quoad in his perſeuerauerint, ac deinde poſt ipſorum videlicet reditum, vel auxilij ceſſationem ad ſex menſes, cum eorum ſtatu, ciuitatibus, terris, dominiis, ſubditis, territorijs, ac bonis omnibus, ſicut ea nunc tenẽt, & poſſidẽt, ſub Beatorum Petri, & Pauli, ac Romanæ Eccleſiæ protectione recipimus, atque noſtra, ita vt dicto tẽpore durãte, & eis præmiſſa per ſeipſos aut alios implẽtibus, plena ſecuritate, & quiete gaudeant, ac omnibus & cuilibet, cuiuſcũque ſtatus, & cõditionis exiſtãt, & quacũq; dignitate præfulgeant, auctoritate Dei Omnipotentis, cuius vices gerimus in terris, cuiuſque cauſa agitur, diſtrictè præcipiendo mandamus, ne durante triẽnio huiuſmodi, & quamdiu per ſeipſos militauerint, aut alios miſerint, vel pecunias ad expeditionẽ prædictã erogauerint, & per ſex mẽſes immediate ſequẽtes (vt præfertur) quouis quæſito colore, directè, vel indirectè, palã, vel occulte, quenquã ex eiſdẽ Principibus, aut perſonis ſupradictis offendãt, aut offẽdẽtibus præbeant auxiliũ, conſilium, fauorem; aut vt ciuitates, terras, & loca vni Principi, vel Domino, aut adhærẽtibus eorumdẽ vtcũq; ſubiecta, ab illius, cui ſubsũt obediẽtia, quomodolibet, ſe ſubtrahãt, aut ab alijs ſubtrahãtur, ſeu alias in illarũ regimine perturbẽtur, vel in eis aliquod innouetur; directè vel indirectè procurẽt. Nos n. cõtra oẽs & ſingulos, quos arma ſumere, & indictas per nos auctoritate Dei Omnipotẽtis inducias huiuſmodi violare, & noſtris inhibitioni & mãdato cõtrauenire cõtingat, per cẽſuras Eccleſiaſticas, & alia iuris remedia, quauis appellatione remota vſq; ad ſatisfactionem condignam omnino, & indilate procedere eoſque perſequi, & ad eorum perſecutionẽ alios inducere non ceſſabimus, vt illos in quorum præiudicium aliquid attentatũ fuerit, pro poſſe indemnes conſeruemus; non ſecus quam ſi talia contra nos & Sedem prædictam, loca ditionis dictæ Sedis ſubiecta forent attentata. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque, ſeu ſi eiſdem Principibus, vel quibuſuis aliis communiter, vel diuiſim à Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbũ, de indulto huiuſmodi mentionẽ. Et vt præmiſſa ad communem omniũ notitiã celeriùs perueniant, & ij, quos tangunt, quod ad ipſos non peruenerint, aut contenta in præſentibus litteris ignorauerint, nullam excuſationem prætendere, vel ignorantiam allegare: volumus eas hodiè, quæ eſt, Quinta Dominica Quadrageſimæ, de Paſſione nuncupata, in præſentia noſtra, in Baſilica Principis Apoſtolorum de Vrbe, aſtantibus ibidem præfatis Fratribus noſtris, & quamplurimis Prælatis Romanam Curiam ſequentibus, ac Imperatoris, Regum, & Principum, potentatuumque plurimorum Oratoribus, ad dietam, quæ præmiſſorum occaſione celebratur, tranſmiſſis, nec non Cleri, & populi multitudine, intra Miſſarum ſolemnia legi & publicari, ac valuis eiuſdem Baſilicæ poſtmodum affigi, & quod huiuſmodi earum publicatio, perinde omnes, quos contingunt, à die Kalend. menſis Iunij prædicti arctent, ac ſi ipſis omnibus perſonaliter, & præſentialiter inſinuatæ & exhibitæ extitiſſent; cum non ſit veriſimile ad aliorum notitiam non peruenire, quæ tam patenter fuerint publicata. & vt præmiſſa eò fiant notiora, quò etiam in alijs ciuitatibus, & locis fuerint patefacta, vniuerſis Venerabilibus Fratribus noſtris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs iuriſdictione ordinaria fungentibus vbilibet conſtitutis, diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus per ſe, vel alium, vel alios, præſentes litteras, poſtquam eas vel earum tranſumpta, authentica manu notarij publici confecta, & alicuius Prælati ſigillo munita receperint, ſeu aliàs earum habuerint plenam notitiam, ſemel, vel pluries prout expedire viderint, in Eccleſiis ſuis, dum maior in eis populi multitudo, ad diuina conuenerit, ſolemniter publicent, & ad Chriſti fidelium mentes deducant, & nuncient, & declarent, eiſdem, faciantque, & mandent per eorum Patriarchatus, Primatus, Prouincias, & Diœceſis, ac loca eorum iuriſdictioni ſubiecta, prout expedire cognouerint, per alios publicari. Nulli ergo omnino hominũ liceat hanc paginã noſtræ monitionis, requiſitionis, obſecrationis, mandati, præcepti, indictionis, hortationis, receptionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrũ, Anno Incarnationis Dominicæ 1481 Sexto Idus Aprilis Pontificatus noſtri anno X. ext. tõ. 2. rerũ Germanic. p. 161.

II. Indulgentias largitur pro eadem cauſa, aliaq; præſtat.

Præter hæc Sixtus Papa, ſacram militiam profeſſis, euntibus, mittentibus, militantibus, vel aliquod ſubſidium in bellum Turcicum conferentibus, indulgentias quamplurimas largitus, Legatos ad Principes, & populos Chriſtianos deſtinauit, qui illos contra Turcas inuitarent. Iuit in Germaniam ad Imperatorẽ, & Proceres, Epiſcopus Theanenſis, qui Comitio Norembergã ab Imperatore indicto intereſſet, & mãdata Pontificis exponeret. Ab vna parte Imperator, cũ Matthia Vngariæ Rege, ſimultatibus renouatis, bellũ inter ſe gerebant: ab altera Maximilianus Imperatoris filius, cum Ludouico Rege Galliarum dimicabãt; qui vires contrà Turcas cõiungere debuerãt. Illis vt arma Sixtus extorqueret, & in Turcas conuerteret, Theanẽſi negotiũ cõmiſerat. Miſit inter hæc, Gabrielẽ Cardinalẽ Agrienſem cũ ſumma poteſtate in Apuliã Legatũ, qui nomine Ap.cæ Sedis, rebus omnibus contra Turcos gerendis præeſſet. Adiunxit eidẽ collegã, Paulũ Fulgoſiũ, Archiepiſcopũ Genuenſem ſacra purpura decoratũ, quẽ claſſi Pontificiæ quattuor, & viginti triremiũ, in ſubſidium Ferdinando Regi apud Genuenſes paratarũ, Legatũ præfecit. Eodem ſuaſore, atque impulſore Matthias Rex Vngariæ, duo millia equitum fortiſſimorum, ad Hydruntum liberandam in Apuliã præmiſit: ipſe aũt, vt vtramq; Myſiam, Illyricum, Daciamque recuperaret, auxilia vndique euocauit. Ipſo illo hortatore, Ferdinandus Caſtellæ, Aragoniæ, & Siciliæ Rex, nauigiorum maiorum, minorũque quinque, & triginta, Luſitanus autem viginti nauium claſſem inſtructam, in Italiam Ferdinando

ſubmiſere Ludouicus Galeazij tutor, XL. aureorum millia; Florentini XX.m. alij ſocij alia plura, vel pauciora, in ſubſidium belli, ex pacto ſociali propere contulerunt. Ferdinandus Neapolitanus Rex præter decimationem Cleri à Pontifice promiſſam, etiam omne ſacrum aurum, argentumque, quod in templis ad ſolennes pompas, ſacrificiaque à Sacerdotibus ſumma cuſtodia obſeruabatur, ex quo militibus ſtipendia perſoluerentur, ſignauit, & Alfonſum filium exercitui Regio præpoſuit. Ex Gallijs Orpheus vir integerrimus, ab Hieroſolymitana peregrinatione redux, pro fide pugnaturus, ociſſime conuolauit. Alij deinde complures ex vniuerſa Italia, ſub Sacra ſigna confluxere. Horum virtute, claſſis Turcica triginta nauigiorum, è Meſſapiæ portu ſubſidia Hydruntum ferens, diſiecta eſt; captis XIIII. triremibus, alijs demerſis. Tentata deinde magnis viribus Hydrunti oppugnatio, quando fama allatum eſt, Mahometem Turcarum tyrannum apud Nicomediam, die III. Maij qui conſecratus eſt Inuentioni S. Crucis, cuius memoriam impius aboletam eſſe cupiebat, deceſſiſſe. Petebat ipſe Sulthanum Ægyptium. Hoc ſiquidem tempore Syria, à Turcis, Armenijs atque Aegyptijs varie multis in locis tenebatur. Nam Caſſano mortuo, maior natu eius filius, qui cæteris fratribus necatis imperium arripuerat, magnam Syriæ partem in poteſtatem redegerat: quod Mahometes ægreferens, trecenta armatorum millia, ducentas triremes, ac trecenta maiora nauigia compararat, Armenium non modo ex Syria pulſurus, verum etiam Aegypti Sulthanum inuaſurus. Verum cum Nicomediam veniſſet, colicis doloribus correptus, ſiue veneno à medico Aegyptio ſibi porrecto ſublatus, quarto die vitã finiuit. qui ſtatuerat nouam claſſem longe maiorẽ contra Rhodios ablegare, ac denuo fortunam belli tentare, niſi fato ſublatus fuiſſet. Ferunt, tyranno, dum nemora, ac ſyluas prætergrederetur, comparuiſſe inter ramos iuuenem forma auguſtiore, humanam ſpeciem excedentem, ornatum veſte candida, manu enſem ſtrinxiſſe, necemque tyranno minitaſſe, atque dixiſſe; *Hoc te confodiam enſe.* Quo viſo vſq; adeo expauerit atque metu conciderit, vt quaſi furore attonitus, in grauiſſimum morbum inciderit. Fuerant etiam prius nonnulli Prætoriani, atque cubicularij, qui de interimendo tyranno conſilium inierant, perpetraſſentque cogitata, niſi Maudromenus vnus ex conſpiratoribus rem prodidiſſet. Hos cum barbarus trucidaſſet, omnes poſtea ſuſpectos habuit, & neminem ſibi fidum putauit, atque nullum, qui duodecimum ætatis annum exceſſiſſet, in cubiculum, quieſcendi tempore admiſit. Moriens, furijs inuectus, ter, *Rhodum*, inclamauit, & in hac voce expirauit. Magnus Turcarum Imperator voluit, ex magnitudine rerum geſtarum cognominari; quod cum Aſia potitus, auctis paterni regni viribus in Europam ingentes copias per Helleſpontum traiecerit, Byzantium expugnarit; Myſiam vtramq; Thraciam, Peloponneſum, Acarnanos, Aetolos, Ambraciam, Epyrum atque Illyricum in poteſtatem redegerit, Aſiæque minoris regna pene duodecim obtinuerit: Pontum denique, Bithyniam, Cappadociam Paphlagoniam, Ciliciam, Pamphyliam, Lyciam, Cariam; Lydiam, Phrygiam, atque omnem Helleſpontum, ſuo imperio ſubiecerit. Innumeras quippe gentes, & incomparabiles exercitus ſæpius atque ſæpius fudit, & profligauit, vel in ſeruitutem abduxit; non minus crudelis, quam in libidinem pronus; æque in mares, ac in feminas, contumelioſus: quorum plurimos tamen vbi voluptatis ſatietas ſucceſſiſſet, trucidari imperauit. Medicum quemdam puluerem in ſingulos dies hauriebat, quo & corpus ad libidinationem, & animum ad ferociam inflammaret. Greges exoletorum, puellarũq; domi in clauſtris cõcludebat, & in exercitu ſecum circumducebat. Fratrẽ

*Turcarũ Imperator moritur & deſcritur.*

quoque natu minimum, adhuc in cunis iacẽtem, ad ſe deferri, & coràm ſe ſtrangulari præcepit: hoc vnico tantũ commendatus, quòd iuſtitiam omnibus ſuis æqualiter adminiſtraret. Matre Chriſtiana, nobili captiua natus, viſus eſt curioſitate rerum Chriſtianarũ aliquando teneri. Enimuerò Maximum, id temporis Græcorum Patriarcham, ad ſe accitum rogauit, ſcriberet explicationem S. Symboli fidei Chriſtianæ, ſibique dari. Paruit hic, Commentario cum omni libertate, è ſacra Theologorum diſciplina confecto, atque illi obtulit. Quem librum, per omnia benè in Arabicã linguã conuerſum ipſe diligenter legit, clementer accipiens, & reuerenter; ad id faciendum, cum ab aliquot palatii ſui Aulicis iuuenibus (Chriſtianæ enim adhuc ibi religionis nonnulli erant) adactus, tum inprimis à filio Amerutzæ (qui par erat in vtriuſque linguæ facultate, Græciæ, & Arabicæ) impulſus. Multos deinde hic vir, rogatu, & iuſſu Mahometis, Chriſtianorum librorum in Turcicam tranſtulit linguam: omnia quidem acta, & tabulas publicas Codices Imperatorios, alia vtilia, multa etiam Religionis noſtræ. Non ceſſabat enim ſciſcitari Mahometes; identidem aliquid cognoſcere, & certior fieri de fide Chriſtiana ſtudens. At nihil ad ſalutem profecit: Non enim Deus in ſtolidi corde locum habet. Inter alia, quæ interrogans diſcebat, etiam de Anathemate, ſeu excommunicatione, audiuit; videlicet, Quicumque à Pontificibus, & Sacerdotibus Chriſtianis, iuſta de cauſa, ob peccatum, aut ſcelus, è ſacro cætu expellatur, hunc talem humatum, non diſſolui in terram, ſed manere corpus eius indiſſolutum, & integrũ in terra; conſpicique ſepulchro talis hominis aperto, cadauer inſtar tympani inflatum, & nigrum, nullo membro amiſſo, nè ipſo quidem capillo. Rurſus, ſi veniam precibus, & inuocatione numinis diuini, ei impetrent, diſſolutionem cadaueris in cinerem fieri. Acciuit, his auditis, Patriarcham, vt eius rei ſibi ab eo fides fieret. Qui veniens, audita Mahometis poſtulatione, ſe planum ei facturum promiſit, vt primùm aliquis ſuccurreret, aliquando anathematis oneri immortuus. Reuerſo in domum ſuam Patriarcha, cogitatione, & diſpicientia, ſi quis præteritis temporibus ea mole preſſus obijſſet, ſuſcepta, patribus in mentem venit, mulieris cuiuſdam libidinoſæ, quæ de quodam Patriarcha, hunc ipſa conſueuiſſe, famam ſparſerat, cui famæ non à nemine fuerat habita fides. Is verò improbitate cognita, anathemati illam quodam die feſto ſubiecerat. Quæ mulier cùm longo ante tempore è viuis exceſſiſſet, Patriarcha exiſtimans, eam, quia tãtum virum inflammâſſet, adhuc anathemate conſtrictã teneri, ſepulchrũ eius aperiendũ curauit. Tunc illa (ô miraculum Dei) in eo ſtatu quo depoſita, reperta fuit, tumida, turgidaq; tantũ, & nigra; nondũ etiã crinibus de capite amiſſis. Re ad Mahometem perlata, miſit is, ad contemplandã illam certos homines. Qui contemplati, admiratione obſtupuerunt. Cadauere deinde in arca poſito, hanc ſigillo Regio muniuerũt, diemque dixerunt, qua die ad videndum reuerterentur. Reuerſis, rem diuinã Patriarcha fecit, recitata etiam precatione, qua crimen illius aboleretur. Quam vt ſanctè, nec ſine lacrymis recitauit, en miraculũ; articuli manuum, pedumque diſiungi, vincula ſolui, ita vt ab aſtantibus etiã, oſſiũ crepitus audiretur. Repoſito cadauere; & rurſus obſignato, cuius tantum nexus omnes diſſoluti fuerant, obſignatam arcam, quæ id continebat, in Sacello Patriarchico depoſuerunt. Pòſt triduum reuerſis Regiis miniſtris, arcaque reſignata, & aperta, apparuit corpus illud iam diſſolutum; de quo nihil reſtans, niſi cinis, homines in admirationem adduxit. Abeunt ad Regem; quæ ſuis oculis viderint, renunciant. Admirari ille, ſtupeſcere, Religionem Chriſtianorum veram & admirandam confiteri.





III. *Aliqua Mahometis laudes.*

Erat porrò formidabilis iſte Mahometes; idque non ſuis modo Proceribus, ſed omnibus etiam alijs. Nulla apud illũ ratio perſonę vllius, celer effector omnium rerum, quas volebat, & in animo habebat. Diligebat quoque viros doctos, eoſque non tantũ ſuæ gentis, ſed cum ſuis etiam nationis, inprimis ex Chriſtiano genere noſtros homines. Adminiſtrabat Regnũ magna cum prudẽtia. Multa indagare, multa cognoſcere; nihil, nè minimorum quidem, quæ in vrbe gererentur, inexploratum relinquere. Certè enim omnia, etiã minuta, perſonæque eius auditu fermè non digna, ſciſcitabatur. Nocturno tempore, per vias ignotus oberrabat, vt oĩs ciuium actiones diſceret. Ferunt, eum prætermiſiſſe nullum opificij, aut negotiationis genus, quod non conſiderarit, & quid ex eo quiſque lucri caperet; & quid quiſque eorum ageret. Huiuſmodi ille inquiſitionem frequenter, quàm ſtudioſiſſimè faciebat. Cumq; percepiſſet, Græcorum Eccleſiaſticæ, muſicæ cantores; notis quibuſdam poſſe deſcribere cantilenas Agarenicas, iuſſit in conſpectum ſuum vocari duos cantores, vnũ, Pſalten Græcum; alterum, quem habebat, ſcientia, & ſuauitate canendi præſtantem Perſam. Quo, Perſicam cantilenam dulciter canente, Pſaltes eam notulis comprehendit. Deinde Mahometo iubente; Perſa auſcultante, illam Pſaltes cecinit eodem modo; ità vt Perſa, & Mahometes admiraretur. Vtrumque ergo muneribus affecit; admiratus vt rem nouam, ingenium ſubtile Pſaltæ, amboſque cum gratia, & honore dimiſit. Aucto demum imperio, cum LVII. annos vixiſſet, expirauit: cui Baiazetes filius, tale epitaphium Græco ſermone inſcribi ſepulchro mandauit.

*Eiuſdem Epitaphiũ.*

*Qui vici innumeros, populos, tot regna, tot vrbes*
*Solus, & immenſi qui timor orbis eram*
*Me rapuit quacumque rapit mors improba, ſed ſum*
*Virtute excelſa ductus ad aſtra tamen.*
*Maior Alexander non me fuit, Hannibal & non,*
*Fuderit Auſonios tot licèt ille duces.*
*Vici victores Dannos, domuiq; feroces*
*Chaoniæ populos, Sauromataſq; truces.*
*Pannonius ſenſit quantum ſurgebat in armis*
*Vis mea, quæ Latio cognita nuper erat.*
*Arſacides ſenſere manus, has ſenſit Arabſque*
*Et mea ſunt Perſæ cognita tela Duci.*
*Mens fuerat, bellare Rhodon, ſuperare ſuperbam*
*Italiam; ſed non fata dedere moram.*
*Hei mihi! nam rapuit mors aſpera, quæque ſub altò*
*Pectore conſideram, vertit & hora breuis.*
*Sic hominum faſtus eunt, ſic ſummata, ſicque*
*Imperia, atque adeo tum, quicquid & orbis habet.*

IV. *Mahometis morte audita gratias Deo agit Sixtus PP.*

Fama mortis Mahometi Romam perlata, Sixtus Pontifex gratiarum actionibus præpotenti Deo ſoluendis, ſupplicationes ad IV. Iunij à Baſilica Vaticana, per Leoninam ciuitatẽ, triduò habuit, vna cum vniuerſo Clero, ac populo, pedes obiuit; quod Omnipotens Deus, populum Chriſtianũ ab ingenti periculo liberaſſet. Cum etiã barbaris nuntiatũ fuiſſet, Mahometẽ deceſſiſſe, maximè cæperunt labarẽ; inclinatã penitùs fortunã indicantes. Sed mortaliũ res eo ordine meant, vt nulla ſit diuturna felicitas, quam in medio curſu fortunæ inuidia non rũpit. Atque vbi nullã ante pactionẽ auribus admiſerant, tum demum amiſſa ſpe præſidij, & cæde, ac morbo attenuati, quonam modo colloquia inirent, ſummo ſtudio quæritabant. Pòſt demũ longa hinc, atq; illinc colloquia, ita conuenit, vt eorũ vnus, duoue Regijs triremibus, Ablonem traijcerent, datis totidẽ Alfonſo obſidibus (ità mutuis pignoribus obligabantur) & alter amboue ſimul Mahometi mortem vitamq; diligentius perdiſcerent, atque vbi deceſſiſſe comperiſſent, ſpe certa vitæ dederent Hydruntum, ipſi quò vellent, liberè tranſueherentur. Interim Solimos Eunuchus vir illuſtris, qui Ablonem, maritimamque orã præſidio tuebatur, quũ Ceraunijs populis, quos Regia claſſis premebat, auxilia ferret inito cum Illyrijs certamine ad Saxa Acroceraunia fugatus, captuſque eſt; quem repente mille aureis redemptum, Albinus aduexit in regnum, vt arcani, ſi quid à Mahometo tenuiſſet, Alfonſo patefaceret, qui poſt finitum bellum à Rege manumiſſus eſt. Dum hæc aguntur, qui Ablonem traiecerant, certius Mahometem deceſſiſſe comperiunt; in quorum reditu, Alfonſo Hydruntum eſt reſtitutum & vt ipſi datam ſibi fidem obſeruari cognoſcerent, nauigijs, quæ ad fortunæ caſus ſubduxerant, impoſiti, facta abeundi poteſtate, ſtatim ſoluerant; ſed aduerſo vento, ad litus, vnde conſcenderant, ſunt reiecti, tamquam delictorum pænas expenſuri. Complures ſiquidem Appulæ puellulæ barbaro cultu, & lingua, quam facilè didicerant, in nauigijs detectæ fuere: quod vbi paſſim diſſeminaretur, ſtreperentque omnia, repentè ab exercitu, cæteriſque, qui viſendi ſtudio victum hoſtem, vrbemque miſerabiliter dirutam confluxerant, arreptis armis fuiſſet acerbe ſæuitum, trucidarenturque ad vnum, niſi Alfonſi aduentu fuiſſet à cæde temperatum; & militum impetus, furorque repreſſus, quibus ſæuiſſima parentum, fratrumue clades, aut captiuorum dolor ingens iuſtas acuebat iras. Ceciderant namque eo bello, miſſique ſub iugum ſupra viginti quinque hominum millia. Barbarorum ergo pars, quos vis belli reliquerat, in Macedoniam traiecere; complures ſub Alfonſo ſtipendia meruere. His rebus compoſitis Alfonſus, in tanta victoria, fortunæque occaſione, belli terrorem in Macedoniam transferre conſtituerat, quam omni præſidio deſtitutam facilius poſſe ſubigi compertum habebat, cum maxima populorum pars militeſque omnes Conſtantinopolim iuiſſent, vbi mortuo Mahomete, de regno inter fratres erat certamen. De eo bello conſultatio ad Ferdinandum Regem reiecta eſt delectus interim habebatur, & commeatus in 30. dies parabatur, qui claſſe traiecturis ſufficeret. Alij exiſtimabant, in Venetos iturum: quorum videlicet inſtinctu, Mahometes Hidruntum inuaſiſſet, eripuiſſetque Ferdinando. Paulus Fulgoſius Cardinalis, claſſi Pontificiæ præfectus, eam profectionem recuſauit, ſed bello Hydruntino confecto, omnes Pontificias triremes, ad Oſtia Tyberina reduxit, ſiue ſollicitatione Venetorum, qui ne Cyprum Alfonſus peteret, metuebant ſiue iubente ita Pontifice, qui pulſo, terra, mariquè hoſte immaniſſimo, Chriſtianę religioni, Italicæque ſaluti feciſſe ſe ſatis dictitabat; & noua Ferdinandi conſilia, turbandis Venetorum occaſionem, Italiæ rebus præuertere cogitabat; non plane Ferdinando placatus, quod Laurentium Mediceum prior admiſiſſet, & bello Hetruſco, ſolus ſuo arbitrio finem imponere voluiſſet. Augebat ſuſpicionem Pontifici quod Alfonſus Turcicas aliquot cohortes, & quaſi floram barbarorum militiæ (mille quingenti numerabantur) alijs dimiſſis ſtipẽdio authoraſſet. Pronũ enim erat iudicare, Alfõſum non in Turcas, ſed in Chriſtianos exercitũ colligere, atque claſſem inſtruere. Neque vanus metus fuit, vt in tẽpore narrabo. Qua hora Turcæ Hydrũto diſceſſere, Frater Leo Minorida, apud Rualiũ in oratione poſitus, repẽtè cõſurgens, faciẽ Solis inſtar illuſtriſſimã exeruit, & circũſtãtibus ſpiritu prophetico renunciauit; Turcas Hydrunto exceſſiſſe, nõ amplius reuerſuros. Inter eos, qui in bello Hydrũtino ſtrenuã operã nauarunt, fuere Ioannes Iulius Aquauiuã, Dux Atriẽſis, & Hieronymus Triſtanus Caſtellus, Interamnæ Nahartium in Vmbria Regulus, cataphractorũ militũ totius Regni Præfectus: qui Galearũ formã longe cõmodiorẽ, vt etiã tũ hominum, quàm equorum armaturã diuerſi generis magis expeditã, & minus grauẽ adinuenit, atque cæſo à Turcis Aquauiua, ipſe proſpero euẽtu rem vniuerſam adminiſtrauit.

*1. Boſius lib. 12. hiſt. Rhodiorum. Ioannes Albinus de bello Hydruntino. Auctor hiſt. Politicæ Turco Græc. lib. 1. Auctor hiſt. Ioannitarum. lib. 5. Philippus Bergomen. lib. 15. Folieta hiſt. Genuen. lib. 11. Bonfinius decad. 4. lib. 6. Mariana lib. 24. c. 21. Iulius Roſcius Hortinus in elogijs militaribus. Marcus Vlyſipponen. hiſt. Seraph. p. tertia. lib. ſexto Mſ. Bibliothecæ Vaticanæ numero 4155. Diarium Iacobi Volaterrani Mſ. ibidem numero 3944. M S. ibidem expeditionum Sixti Papæ. pag. nona, & decima ſeptima.*

V. *Recuperatio Lesbos inſulæ procuratur.*

Secundum hæc, eiuſdem temporis tractu ad recuperationem Lesbos inſulæ, quatuor Liburnicæ, ſuaſu, atq; opera cuiuſdã Monachi Dominicani, ex Pontia maris Tyrrheni inſula oriũdi, magna vitæ integritate, ac eruditione pollentis, Genuæ, publicis ſũptibus adornatæ ſunt: ad hanc expeditionem pleriſq; inſignibus matronis, ac etiam nonnullis viris, à vitæ ſanctimonia commendatis, ſumptus, aliaq; neceſſaria cõferentibus. Cæterum cum multa eſſent, quæ iuſtis de cauſis hanc expeditionem impedirent, nihil ſanè hac in re vlterius attentatum. *P. Bizarrus hiſt. Genuen. lib. 15.*

VI. *Imperator, & Hũgariæ Rex diſcordes.*

Matthiam Vngariæ Regem, nè Myſiam, vtramq; Daciam, atque Illyricum, coacto exercitu recuperaret, Fridericus Imperator impediuit: cuius præfectus, ſuperiorem Pannoniam, igni, ferroq; per id temporis vaſtauit. Quamobrèm ille non mediocriter cõmotus, ad vlciſcendam iniuriam animi vires conuertit: cumque Stephano Valachiæ principe fœdus inijt, qua quidem ſocietate, & nonnulla in ſuperiore Myſia Turcis, eripuit, & in Imperatorem fortiùs ſe armare parauit: ac præterea Ioannem Schanderbecci filium, alioſque Regulos, Illyrico ab Ottomano olim eiectos, vt paterna bona recuperarent, irritauit. Hinc Nicolaus Gingi Dux, Macedoniã ingreſſus, amiſſã olim ditionẽ, patrata magna ſtrage Turcarũ, planè recepit idipſum à Ioanne Cernoi factum eſt: qui cum omnia ſua præter Sabiacum vi recepiſſet, in priſtino regno remanſit. Quamobrèm poterant tunc temporis Chriſtiani, Turcarum potentiam, Sixto hortatore, atque adiutore proſternere; niſi maluiſſent priuatas interſe princeps Europæi ſimultates exercere. *Bonfinius ſupra.*

VII. *Item alij Chriſtiani Principes.*

Impedimento iſtud fuit, nè Reges Septentrionales quicquam conferrent. Maximilianus Archidux Auſtriæ contrà Ludouicum Galliæ Regem bello certabat. Eduardus Rex Angliæ pro illo, Iacobus autem Scotiæ pro Galli partibus ſtabat, ac vterq; mutuò ſe petebant. Hinc domeſticis diſſenſionibus diſtracti cõmunem aduerſarium creſcere, & rem Chriſtianam in deterius ire permittebant. Hos, vt Pontifex Sixtus cõciliaret, ſimulq; vt Ioannẽ Baluem Cardinalem, ab aliquot annis in Gallia captiuum, in libertatem aſſereret, Iulianũ Cardinalem S. Petri Epiſcopum Oſtienſem, in Galliam Legatum miſit. Is menſe Octobri Tornacum venit, vt principes, inter quos acre diſſidium erat, in gratiam redigeret. Verùm vt nihil ſe proficere vidit, in Galliam primùm, inde Romam, eliberato tamen Balue, reuerſus eſt. Quattuordecim ferè annos detinuerat illum captiuum Ludouicus, ſæpè, at fruſtrà, cùm ab alijs, tum à Pontifice Romano interpellatus. Hunc ad vltimum non ſolùm exemit è vinculis, verùm etiam eius culpæ veniam à Pontifice deprecatus, Legato, qui Romam duceret, permiſit. *Hadrianus Barlandus in Chron. Brabantiæ Ducum. c. 151. Philippus Communeus Comment. lib. 9.*

VIII. *Scotiæ Rex Card. Legato paret.*

Cæterùm Iacobo Regi Scotiæ, in Anglicam ducere paranti, & iam iam cum exercitu ingreſſuro, Cardinalis Legatus, qui tum fortè in Anglia moram traxit, authoritate Apoſtolica iuſſit, vt ſub anathematis pœna, ab incepto bello deſiſteret: quò pace inter Principes Chriſtianos vndiq; confirmata, iunctis viribus exercitum contra Turcos, & Ethnicos educendum pararent. Huic paruit Iacobus Rex, exercitumq; retro in Scotiam reduxit: quamq̃ Eduardus remiſſa in ſinum Lethenſem claſſe tentauerit, an quid poſſet dãni Scotis inferre. *Appendix ad hiſt. Scoticam Boethij hoc anno.* Sanè Eduardus Rex, parùm obſequens fuit voluntati Pontificis, expeditionẽ in Turcas vrgentis. Enimuerò, vt decimationem Cleri, ea de re in Anglia quoque à Sixto decretam, præuerteret, ipſe decimas à Clero flagitauit, atq; impetrauit. Synodum Prouincialem Archiepiſcopus Canthuarienſis Londini, hac præcipuè de cauſa, vt mos gereretur Pontifici conuocarat. In ea Synodo Ioannes quidam de Eiglis, I. V. D. Pontificius in Anglia Quæſtor, propoſito pro Concione themate, *Vide, nè lumẽ, quod in te eſt.* multa in rẽ prolocutus, cũ etiã renunciaſſet, Sixtũ Papã, vaſa omnia aurea, & argentea, ac ſuppellectilẽ penè totam pro bello cõtra Turcas gerendo vendidiſſe: ac vniuerſis iam ſuis facultatibus diſtractis, vniuerſali Eccleſiæ prouentuum Eccleſiaſticorum decimas impoſuiſſe: concione finita, Comes Gloceſtrenſis, Marchio Dorceſtrenſis, Comes Northumbrenſis, & Comes Reuerſius, ſubſidium à Clero, Regis nomine poſtularunt, atque obtinuerunt: Eigliſio, Pontificias litteras fruſtrà oſtentante. Sæpiùs tandem alias Synodos, Quæſtor adijt: ſed nihil impetrauit: quamquã Cardinalis Archiepiſcopus, alia Synodo, ad V. Iunij in Eccleſia Paulina conuocata, rem propoſuiſſet. Pauci enim ex Epiſcopis, Abbatibus, & alijs prælatis, conuenerunt: & qui adfuerant, negotium in alios dies reiecerunt. *Auctor Antiquitatum Eccleſiæ Britannicæ, in Thoma Bourgcherio Archiepiſcopo.*

IX. *Moſchouis Dux Poloniæ Regi infeſtus.*

Caſimirus Poloniæ Rex, cũ Marianis militibus, nihil opis poterat in bellũ Turcic adferre. Ioanne Principe Moſcouię omnia miſcente. Is magno cõparato, exercitu, in Liuoniam excurſione facta, magnam vim hominum, non ſolùm ruſticanæ plebis, verùm etiam militaris ordinis in ſeruitutem abegit, prouinciam longè, lateque populatus. Occultè etiam cum nonnullis Lituanis malè Chriſtianis, in Caſimirum, per pacis ſimulationem trucidandũ, conſilia cõmunicauit: & proceres quoſdã ad patrãdũ ſcelus animauit, inflãmauitq;: qui ſe quoq; gubernandæ Lituaniæ natos arbitrabantur, ad quos ſublato Rege, principatus deueniret. Conſtiterant iam omnia proditionis conſilia, deputata loca, & tempora parricidio, vbi Rex, & Regina, cum aliquantis filijs in manus putabatur peruenturus. Prodijt tamen vndecumque malignum conſilium Rex prudentiſſimè omnia circumſpiciens, quum comperiſſet, luce clariora eius inſtituti parricidij teſtimonia, iuſſos comprehendi conſilij cruenti conſcios, gladio vltore percuſſit. Ità proditionis conſilium, quod iuſtè debuit, intercepit malignitatis authores. *A. Krantzius. VVandaliæ lib. 13. c. 21.*

X. *Ferdinãdus Caſtellæ Rex S. Inquiſitionis tribunal amplificat.*

Hoc anno Ferdinandus Hiſp. Rex, in Caſtellæ, & Legionis regnis, ſanctiſſimum Fidei tribunal, iam à tribus annis inſtitutum, magis, ac magis amplificare curauit. Cauſam præbuerant, Iudæorum, atq; Saracenorum ſpurciſſimis ſuperſtitionibus aliqui impiati. Superiore anno, Catholici Principes à Sacerdotibus quibuſdam, & à nonnullis alijs viris Chriſtianæ religionis & Catholicæ fidei ſtudioſis, & præcipuè à Priore FF. Prædicatorum Cænobij Sanctæ Crucis, & Petro Martino Camagno, ſecretario Regio admoniti fuere, in Hiſpania ferè tota quamplurimos homines eſſe de genere Iudæorum, qui Chriſtianum nomen, & doctrinam execrantes, Hebræorũq; more viuentes, in ſuis domibus clam Chriſtianis, veterem legem, ritumque Iudaicum repetebant & obſeruabant, Chriſtianorum cæremonias contemnentes: à quibus, niſi prudenter, maturèq; in eos animaduertere iuberent, magnum ſine dubio periculum, propter eorum multitudinem, Chriſtianæ religioni, Fideique Catholicæ poſſet accidere. Horum peruerſitas, & error impius, atq; deteſtabilis nimiũ Catholicis Principi-



bus fuit quàm moleſtiſſimus. quippè qui grauiſſimè ferebant, quòd eſſent apud ſe, & in ſuis ciuitatibus, ac populis homines de Chriſtiana fide malè ſentientes. Ideòq; ſtatim re communicata cum Petro Gonzalo Mendozio, qui erat Hiſpalenſis Archiepiſcopus, & Hiſpaniæ Cardinalis, & cum alijs viris ſapientibus, ac litteratis, Chriſti Redẽptoris, noſtri honori, ſuoq; maturè conſulere ſtatuerunt. Cæterùm nunc antequam de rebus, quæ in hac cauſa ſecutæ fuerunt aliquid dicamus, duo præponẽda nobis occurrunt; Vnũ de Iudæorum moribus, & ritu: alterum de cauſa conuerſionis eorumdem ad Chriſtianam religionem in Hiſpania. Tria præcipua ſunt, in quibus Iudaicæ religionis documenta conſiſtunt: vt ſcilicet Sabbatho quieſcerent ab omni opere ceſſantes, circũciderẽtur, & à ſuillis carnibus abſtinerent. Hęc quidem præcepta Moſes à Deo accepta Iudæis tradidit, ſed in alio ſenſu, quàm ipſi acceperunt. Sabbatum ſeruabant Iudæi, ſed nimia ſuperſtitione. Ideòq; non immeritò, die Saturni, vt Frontinus ſcribit, quo capere arma non audebãt, vt pręceptũ à Veſpaſiano debellati fuere. Qui irę, & inuidiæ pleni: vt ait Lactantius, Chriſtum accuſabant, quòd legem Dei per Moſen datam ſolueret, quòd Sabbato non vacaret operans hominum ſalutem, quòd ægros ſanaret, quòd circumciſionem vacuefaceret, quodque abſtinentiam ſuillæ carnis auferret. Illud autem de Iudęorum turpitudine quamuis obſcænum, non omittendam putauit Marineus Siculus, ex quo iſta exſcribimus. Siquidem interrogati Iudæi, quidnã Sabbato facerent otioſi; ſordes, reſpondebant, ſabbato nihil agentes digitis purgamus. O gentis ignauæ fœdiſſimam turpitudinẽ. Reſpondeant mihi hic Iudæi ſapientiores, nonnè die feſto melius eſt, hominum curare ſalutem, & ægros ſanare, quàm in fœdam corporis partem digitos immittere? Cum autem Deus à carne ſuilla, Iudæos abſtinere iuſſit, id illis potiſſimùm ſignificauit, vt à peccatis & immunditijs abſtinerent; propterea quod ſus, animal eſt lutulentum, & immundũ, quod cælum numquam ſuſpicit, ſed in terra toto corpore proiectum, & ventri, ſomnoq; ſemper ſeruiens, nec vllum dũ viuit, ſicut cætera animalia, vſum præſtat hominibus. Interdixit ergo, ne porcina carne veſcerentur, id eſt, nè porcorum vitam imitarentur, qui ad ſolam mortem nutriuntur. Figura verò circumciſionis fuit, vt ſcribit Lactantius, vt ſignificaretur, nudandum eſſe hominum pectus, vt aperto, ſimplicique corde viueremus. Illa enim corporis pars, quæ circumciditur, quandam habet ſimilitudinem cordis humani. Quamobrèm nudari eam Deus iuſſit, vt nos hoc argumento admoneret, nè tectum, & inuolutum pectus haberemus, nèue quod pudendum facinus intra conſcientiæ noſtræ ſecreta teneremus. Deus ergo circumciſionem, à carne mortali tranſtulit ad animam immortalem, quæ ſemper manſura eſt. Colunt autem Iudæi, nubes, & cæli numẽ, propterea quòd Moyſi Deus apparuit in nebula, totum Sinai montem cooperiente per ſex dies, qui die ſeptimo de medio caliginis Moyſen vocauit, & ingreſſus per medium nebulæ Moyſes montẽ aſcendit: vbi commoratus eſt quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, ibiq; tabulas à Deo lapideas accepit; legemq; & mandata, quæ ſcripſit Deus, vt filios Iſraël doceret. Vnde dixit in Pſalterio Dauid: *Inuocabãt Dominum & ipſe exaudiebat eos, & in columna nubis loquebatur ad eos.* & alibi; *Inclinauit cælos, & deſcendit, & caligo ſub pedibus eius.* Iudæi ergo adorabant nubes, quia Deus illis in nubibus ſemper apparuit. Vnum tamen Deum colebant, quem ſempiternũ, & immutabilem eſſe dicebant. Vnde legimus in diuinis ſcripturis; Vnus Deus eſt Hebræorum, qui creauit omnia, terrã ſtabiliuit, mariaq; fundauit. Seruant arcano modo Iudæi Pentateuchum, id eſt, volumina quinque veteris Teſtamenti, quæ Moſes conſcripſit, ſcilicet Geneſim, Exodum Leuiticũ, Numeros, & Deuteronomion. Fuit pręter eà mos Iudæis, vt neq; ſitientibus aquas, neq; vias errantibus monſtrare vellent, niſi ſuæ religionis cultoribus. Quod etſi eſt contra omnẽ humanitatem, Moſes tamen putauit, non indignum videri, aduersùs eos, qui ſacra ſua non colebant. Quod ex hiſtoria ſumptũ eſt. Nam quum ſcabie grauiter, porrigi neq; vexabantur, Moſen cum ſuis ęgris, nè peſtis ad plures ſerperet, ab Aegypti terminis expulere Aegyptij. Moſes igitur exulũ Dux inde deſcendens, Damaſcena patria antiqua repetita, Sinai montem occupauit. Et quia metu contagionis, pulſos ſe ab Aegypto meminerant, nè eadem cauſa, inuiſi apud incolas eſſent, cauere voluerũt, nè cũ peregrinis communicarent. Quod ex cauſa factum, paulatim in diſciplinam, religionemq; conuertit: & vt ſibi in poſterum gentem firmaret, nouos ritus contrarioſq; cæteris gentibus indidit, ità vt ne Iudæi conuerſarentur cum Samaritanis. Ob hanc rem, mulier Samaritana, vt ſcribit Diuus Ioannes, denegauit aquam Chriſto tamquam Iudæo, dicens: *Quomodò tu cũ Iudæus ſis, bibere petis à me, quæ mulier Samaritana ſum? Non conueniunt Iudæi cum Samaritanis.* Hæc igitur cauſa eſt, quare Iudęi vias errantibus monſtrare nolebant: quòd ſuos mores, & ritus à cæteris mortalibus contrarios habebant. Apud Athenienſes autem piaculum erat, erranti nõ monſtrare viam. Carmen enim eſt apud ipſos, quod publicis cantabatur in ſacris, eos impios eſſe, & execrabiles, qui viam non monſtrarent erranti. Nunc autem quoniam de Iudæorum moribus iam diximus, cauſam conuerſionis eorum paucis verbis explicabimus.

XI. *Iudæi in Hiſpania, à S. Vincentio Ferrerio Ord. Prædicatorum conuerſi.*

Fuit in Hiſpania ſuperioribus annis ſeculo noſtro vir quidam nomine Vincentius Ferrerius, Ordinis Prædicatorum, Theologus celebris, Orator vehemens, vita probus, & moribus integer, patria Valentinus. Qui quidem dum vixit, Chriſti cultum, fidemque Catholicam publicè concionando, docendo, admonendo, hortando, perſuadendo, non modò ſermonibus, & doctrina, ſed etiam moribus, exemplis, & proficuis lectionibus illuſtrare numquam deſtitit. quem Calixtus III. maximus Pontifex, (quoniam Deus, qui bonis, & ſui cultoribus pro meritis præmia retribuit, in morte eius, & pòſt mortem miracula demonſtrauit) in Sanctorum numerum retulit. Hic itaque cum vita ſanctus eſſet, & eloquentia, magnaq; doctrina maximè polleret, Iudæis errores oẽs, in quibus admodum cæci verſabantur, validiſſimis argumentis, & euidentiſſimis rationibus oſtendens, eorum quàmplurimos ad Chriſtum: Fidemque Catholicam conuertit. Qui cum Chriſtianam religionẽ, Fidemq; noſtrã, verã, ſanctamq; eſſe cõprobaſsẽt, lauacro ſancti Baptiſmatis, & alijs omnibus Eccleſiæ Sacramentis acceptis, Chriſtianorũ moribus, & ſacris viuere liberiſſimè cæpere. Deinde verò, ſiue ſuggeſtione malorũ dæmonũ, ſiue Iudæorũ conſuetudine ſiue quod difficile eſt, aſſueta relinquere, propterea quòd hominum natura mutari non neſciens, ſiquando delicta ſua cognoſcens, ad virtutem, melioremque, vitam ſe conuertit, mox tamen inconſtans ad ſiniſtros mores, ſolitoſque facilè reuertitur: Chriſtum non fuiſſe, quem à Deo mittendum expectabãt, opinantes, in occultis ædium ſuarum locis, Chriſtiana religione neglecta, Sabbatarios ritus, & Iudaicas cæremonias repetentes, noctu Synagogam ingredientes, ſua ſacrificia, feſta Paſchalia, & auorum memoriam quotannis nudis pedibus celebrabant: qui clam Chriſtianis hæc impunè ſeſe facturos arbitrabãtur. Verùm enimuerò nihil eſt imprudentius, nihil ſtultius, nihil dementius his, qui cum peccant, mala, quæ committunt, neminem reſciturum eſſe falsò ſibi perſuadent. Nihil eſt enim tàm occultum, nihil fieri poteſt tam ſecretum, quod ſcire nemo poſſit, in magnis præſertim rebus. Nam quò maiora delicta ſunt,

eò certè citius deteguntur. Non igitur quum peccant homines, exiſtimare debent, quæ fecerint, fore ſemper occulta. Nulla quidem res eſt, quam non longa dies reuelet. Eſt enim veritas temporis filia. Reuelauit itaque tempus, vel potius iuſtitia Dei, Catholicis Principibus Manicheos, in tenebris noctis, & occulto delinquentes, nec impuni diutius peccare permiſit. Quorum maleficijs, & erroribus Catholici Principes obuiantes, conſilio Cardinalis, quem ſupra memorauimus, primum Sacerdotibus, & viris Religioſis in omnibus Ciuitatibus & populis iuſſerunt, vt omnes, qui nuper ad Religionem Chriſtianam conuerſi fuiſſent, tum concionibus publicis, tum priuatis ſermonibus diligenter admonerent inſtruerent in omnibus Eccleſiæ Sacramentis, & in Catholica Fide retinerent, & confirmarent. Cumque hoc parum vel nihil profeciſſe cognouiſſent, hanc ob cauſam Romam Legatos ad Sixtum Pontificem miſerunt. Qui cum cauſam legationis audiſſet, admiratus nouam hæreſim, & moleſtiſſime ferens, dedecus, & ignominiam, quam Chriſti cultoribus impium hominum genus inferebat, litteras ſuas Apoſtolico ſigillo ſignatas, ad Principes Catholicos deſtinauit, quibus in eos Inquiſitionem fieri, & exinde diligenter animaduerti iubebat, qui Chriſtianæ religioni, Fideique Catholicæ quocumque modo detraherent, aut detraxiſſent.

XII. 17. *hominum millia ad gremium Eccleſiæ redeunt.*

Rex igitur, & Regina litteris acceptis, authoritate, iuſſuque Pontificis, Inquiſitoribus, quos ad hanc rem exquirendam, ex omnibus Sacerdotibus Regnorum ſuorum moribus, & doctrina probatiſſimos delegerant, hūc ordinē, & hāc legē ſtatuerunt, vt in omnibus citerioris, & vlterioris Hiſpaniæ ciuitatibus, & populis, literas ſuas, & edicta publicarent Pōtificio iure cōpoſita. Quibus publicatis, & inſpectis, oēs, qui crimen hæreticæ prauitatis incurriſſent, infrà certū tēporis ſpatiū, ſuos errores Inquiſitoribus, qui Patres appellantur, confitentes reuelarent, veniam ſuppliciter deprecantes; Eccleſiæ reconciliari, ſcelerum, quibus Chriſti nomen abnegaſſent, iniunctas ſibi pænitentias peragerent. Ad hoc iudicium, priuſquam terminus temporis conceſſus præteriret, hominum millia circiter XVII. vtriuſque ſexus conuenerunt, quibus Eccleſia, quæ fons eſt miſericordiæ, magnęq; pietatis, contenta pænitentijs vnicuique pro qualitate criminis impoſitis, vitam, qua fortaſsè digni non erant, clementer indulſit. Multi autem, qui litteris Pontificiis, & edictis Regijs parere noluerunt, in ſua hæreſi perſeuerantes, habita probatorum teſtium relatione capti fuerunt, & tormentis affecti, ſua crimina confitentes, in ignem coniecti, vitam cum morte commutauerunt: quorum alij ſua crimina flebant, Chriſtum recognoſcentes, alij pertinaces in erroribus, Moyſi nomen inuocantes. Horum paucis annis, vtriuſq; ſexus millia duo combuſta fuerunt. Multis præterea, quos delictorum ſuorum pænituit, quamuis grauiter peccauiſſent, conceſſum eſt, vt in carcere pænitentiam agentes, vitam finirent. Alijs quoque, qui à morte liberati, carcereque ſoluti fuerunt, hoc pænæ genus datum eſt, vt ſcilicet infames eſſent, & priuati publicis officijs, auro, & omni genere ſerici, duabus crucibus coloris ignei ſignarentur; quarum alteram in pectore, alteram à tergo ſuper exteriorem veſtem, quæ videretur ab omnibus, geſtarent, & ipſi cognoſcerentur. Animaduerſum eſt etiam in mortuos, quos in vita deliquiſſe conſtabat; quorum oſſa, quæ plurima fuere, publicatis bonis, filijſque priuatis honoribus & officijs, è ſepulturis extracta, publicè cremata fuerunt. Hoc iuſtitiæ genus homines quamplurimi de ſtirpe Iudaica, ſuorum criminum conſcij, pertimeſcentes, patria ſua, domoq; relicta, & multis, magniſq; rebus diſtractis, ex Catholicorū Principū regnis aufugerunt. Multi ſiquidē in Luſitaniam, multi in Nauarram, alij in Italiā, alij in Galliam, alij in alias regiones, vbi ſe tutos fore putabant, migrarunt. quorum res, & bona tam mobilia, quam immobilia, ſi quæ extabant, Catholici Principes in bello, quod aduerſus Mauros, & barbaros alios gerebant, diſtribuenda cenſuere. Earum rerum omnium ſumma fuit ingens. In Bethica namque prouincia, duntaxat eorum, qui cum filijs, & vxoribus profugerant, inanium & vacuarum domum millia quinque reperta fuere. & quoniam, vt ſupra diximus, Iudæorum conſuetudo nuper ad Chriſtianam religionem conuerſis pernicioſa videbatur, propterea, quod occaſionem peccandi ſine dubio præbebat, Catholici Principes Iudæos omnes à regnorum ſuorum finibus in perpetuum depulerunt, & exterminarunt. Qui cum per edictum moniti, neque vendere ſuas domos, neque ſecum transferre pecunias poſſent eorum nonnulli deprehenſi fuere, qui nummos in aſinorum clitellis, & auribus deferebant. *Lucius Marineus Siculus, de rebus Hiſpan. lib.* 19.

XIII. *Luſitani Fidem, & imperium dilatant.*

Per idem tempus, auſpicijs Alfonſi Portugaliæ Regis, Duces, & Gubernatores Luſitani, ab Leona monte, ad Arſinarium (quòd recentiores Viride caput vocarunt) atque inde ad vſque Diuæ Catharinæ promontorium (is locis eſt vltra Æquatorem gradus parteſue duas, & ſemis, hoc eſt leucas circiter duas & quadraginta) Crucis trophæum, & arma Luſitanica, protulerunt. Alfonſus enim Rex, quamquam finitimis, & domeſticis implicitus eſſet bellis, magnitudinem tamen animi maiorum ſuorum imitatus, in propagationem fidei Chriſtianæ acerrimè incubuit. Eapropter multæ inſulæ id temporis ab eius nauarchis inuentæ, & commercia varijs cum nationibus inſtituta; Sed cum Aethiopibus præcipuè Occiduis, quam regionem hodie Guineam vulgus appellat, ducto nomine ab vrbe celeberrima Genna, ad quam ingenti fluuio Zanagæ impoſitam, loci opportunitate olim illecti negotiatores vndique confluebant. Patet autem Guinea latiſſimè: & quamquam Zonæ mediæ fermè ſubiecta flagrantiſſimo ſole torreatur; non tamen idcircò (vt falsò priſci putarunt) ab incolis eſt deſerta; quinimò plurimos numerat populos, è quibus maritimi piſce, mediterranei partim lacertis, & immundis animalibus; partim, vbi cælum ſinit, nonnullis frugibus, & lacte veſcuntur; mutantque ſubinde loca, non per vicos, aut oppida, ſed per familias plerumque diſperſi: eæque familiæ ſæpe inter ſe propter inopiam, de aquatione, & paſtione decertant. Infelix hominum genus, ac ſeruituti natum, & cum alijs nominibus tum vnius veri Dei præſertim ignoratione miſerandum. Cum his igitur per captiuos interpretes agi cæptum à Luſitanis. Et quamquam initio propter ſuſpiciones mutuas, vt in re tam ſubita, ac noua turbatum eſt, atque etiam ex inſidijs Chriſtiani aliquot interempti; tamen cognita mox Luſitaniæ Regis iuſtitia, & Chriſtianorum comitate, ac beneficijs deliniti barbari metum poſuere, & commeandi, contrahendique libera poteſtate facta, cum veſte varij generis, & varijs domeſtici vſus inſtrumentis, ebur, & aurum, & mancipia permutabant, nullius, aut ementium, aut vendentium æque bona conditione, atque ipſorum, qui venum dabantur. quippe ex Æthiopiæ ſabuletis in opima Luſitani agri arua, & ex tugurijs & mapalibus Oliſſiponem claſſe tranſlati, vel ipſa vrbis frequentia, rerumque omnium copia, ad manſuetudinem, & humanitatem erudiebantur; & quod longe præſtantius eſt, myſterijs Chriſtianæ religionis poſtmodum imburi, & cæleſti lauacro expiari, è peregrinis, dæmonum ſeruis, hominumque mancipijs, Angelorū ciues, & domeſtici Dei repente euadebāt. Litatum eſt tum primū in Æthiopia Chriſtiano ritu; barbaris ad noua ſacra, cæremoniaſq; ſtupore defixis. Luſitanis vero inter ipſam diuinam





rem gaudio lacrymantibus, q ſua potiſſimùm opera verus Dei cultus in lōginquas adeò mūdi partes gradum feciſſet; nempè, vt impuris fœdata victimis loca purgaret, breuiq; ingentem animorum vim à poſſeſſoribus iniquis in Chriſti libertatem aſſereret. Hiſce rebus ita inſtitutis, admodū expedire viſū, ad Fidem, & mercimonia tuenda, atque ad retinendam cum barbaris amicitiam, opportunis aliquot locis caſtella excitare. Quæ dum ſumma Aethiopum voluntate extruuntur, intereà morbo, laboribuſq; confectus Alfonſus Rex hoc anno emoritur, Sintræ, in quo conclaui erat natus, ad quintum Kal Septembris.

*Alfonſus Luſitaniæ Rex moritur, & deſcribitur.*

Fuit Alfonſo memoria valida, ingenium perſpicax, ſermo purus, ars ſcribendi perfecta, eruditio vngens, amor litterarum notiſsimus: ex quo doctos homines, & Religioſos in ſuam conſuetudinem ſæpè, & colloquia aduocabat. Primus omnium Luſitanorum Regum in proprijs ædibus, ex optimis quibuſque libris inſignem bibliothecam iuſſit inſtitui. Fuit inſuper Muſicæ deditus, victu, & potu modicus, ad miraculum continens Fidei propugnator, Dei inſignis cultor, militiæ viuidus, & generoſus, domi aliquantiſper tardus, atque remiſſus. In ſubleuandam pauperum inopiam propenſus liberalitate adeò inſignis, vt de Regijs præſertim bonis, plura, quàm vel ipſe poſſet, vel Regni anguſtiæ ferrent, erogarit. Iram tam difficilè concipiebat, quàm facilè iniurias condonabat. In priuatis colloquijs perurbanus, nobilibus, ac dynaſtis, magis quàm Regem decuit, morem gerebat: ex quo illis præbita occaſio eſt, vt ſeueriùs, quàm par erat, ſuis quilibet clientibus imperarent; quam licentiam poſteà cum Ioannes c. ērcere niteretur, magno id ſuadere, vitęque diſcrimine peregit. Tot præclaris hiſce animi dotibus coronidem impoſuit, illa in redimendos captiuos profuſa largitas Luſitanis, & barbaris nota, vt captiuorum Redemptor vulgò nominaretur. Pietatis quoque officio, ſui memoriam conſecrauit. Cum enim magna, auri, argentiq; talento pro coniugibus, & filio cum Septa olim captis Moleixequius Fezenſis Rex Alfonſo offerret, ipſe ſpretis Mauri diuitijs, ſola Ferdinandi patrui ſui oſſa, quæ Fezi in lignea capſula ſuprà vrbis portam detinebantur, in pretium poſtulauit, & apparatu omninò Régio, in Bataliæ cænobium detulit. In Africam propagandæ Fidei, & gloriæ Chriſti ſtudioſus, tertiò traiecit. Qua tempeſtate Calixtus Pontifex Chriſtianos Europæ principes, vt inter ſeſe vellent aduersùs Turcam communem hoſtem in Eccleſiam minaciter ſæuientem conſpiratione facta inſurgere, multis, & legatis, & litteris ſollicitabat: eam expeditionem ſolus Alfonſus animo forti, ac religioſo ſuſcepit, pollicitus Deo, ſe cum duodecim millibus hominum, proprijs ſtipendijs integro anno dimicaturum. Quo audito Pontifex mirificè recreatus, Cruciatam illi conceſſit, beneuolentis animi gratiam, & amorem teſtaturus. Cum verò id ratum munus, ſuamq; in Turcam profectionem Rex numquam perituræ vellet memoriæ commendare, nouos aureos nūmos excudi iuſſit, quibus apud exteros vteretur, eoſq; de Bullæ ipſius nomine, Cruciatos maluit appellari. Cum autem, quæ rerum humanarum conditio eſt, tantis conatibus obſtitiſſet Calixti mors, qua in Europa euulgata, vt abſciſſo capite reliqua membra, ità omnes Principum animi elanguiſſent; ſolus Alphonſus ſtetit immobilis, totumque hunc belli apparatum, prouinciam mutans, non cauſam, in Africam cenſuit, aduersùs Mahometanos conuertendum. Coactam igitur ex toto Regno ducentorum viginti nauigiorum munitiſſimā claſſem, ipſe cum viginti quinque circiter hominum millibus, anno Domini 1458. conſcendit, comitante Ferdinādo eius fratre, Duce Viſenſi, & Ferdinādo vtriuſq; patruo, Chriſti militiæ Magiſtro, alijſq; Dynaſtis, & viris Illuſtribus, ac præcipuo Regni equitatu; & magno conatu Alcacerem Ceguer, ciuitatem maritimam muniſſimam, de Rege Fezenſi in poteſtatem redegit: inq; vrbē triumphali pompa, ac religioſo apparatu introductus, Fidem Chriſtianam illò inuexit. Quinto pòſt anno, validiſſima claſſe, & nobili fortiſſimorum equitum comitatu illuc tranſcendit: ac ſubitis quibuſdam incurſionibus hoſtium fines aggreſſus, quā plures illorū occidit. Tertia expeditione, quę trecentorum nauigiorum claſſe, & XXX. m. militum robore conſtabat, Arzillam vno, eodemq; incurſu, ipſe primus in arenam deſiliens, fortiter, & feliciter expugnauit. Antequam verò vrbem inuaderet, vt cæleſti præſidio obarmatus faciliùs victoria potiretur, Sanctiſſimæ Deiparæ, quam impensè colebat, ſi vrbem expugnare contingeret, equum vouit argenteum, cui argenteus itidem inſideret Rex omni armorum apparatu ad elegantiam inſtructus, qualis tunc Alfonſus copias ducebat. Annuerunt Superi, ipſeque beneficijs non ingratus in Virginis Sanctiſſimæ templo, cuià Spincto nomen inditum eſt, propè Eboram, voti fidem abſoluit, equumque mira arte elaboratum, & inſidentem Regem ex optimo argento dicauit: Arzilæque præterea, Aſſumptæ in cælum Virgini templum conſecrauit, quo die Luſitanis admodum glorioſo, ex Portugallia claſſis in Africam ſoluerat Deo poſtmodum ipſo præliante, qui terrorem inopinatum Tingitanis immiſerat. Tingim occupauit, indidemque mox ciuitati Epiſcopum elegit, & fidem Chriſtianam inuexit. Tandem Ioannæ Henrici Regis Caſtellæ filiæ, coniugio, ac ſpe Regnorum, quæ illam contingebant, fruſtratus, vbi illam, Monialium vitam in cœnobio Diuæ Claræ, quod Scalabi exexerat, profiteri compulſam comperiſſet, melancholia, cordiſq; alijs afflictionibus vehementer grauatus, imò & paulatim abſumptus eſt.

XIV. *Alfonſo ſuccedit Ioannes ſecundus magnanimi Rex.*

Eo mortuo, Ioannes eo nomine ſecundus, cùm Regni gubernacula ſuſcepiſſet, vt erat generoſi maximè ſpiritus, animique Rex, & parta retinere, & omni ratione, illa, ac præſertim Fidem Chriſtianam amplificare conſtituit. atque illud præſertim ſummo ſtudio peruestigare: num quis ab Athalantico in Eoūm Oceanum, vel mari, vel terra tranſitus foret. quippè, iam tum, magis acrè, propagandæ Chriſtianæ fidei ſtudium, quàm Arabiæ gazarum, & Indici littoris opulentorum commerciorum mens, & cogitatio, animum illius occuparat. Quam ad rem inprimis idoneum ratus, cogniti iam litteris dynaſtas, amicitia comprehendere, haud ità difficili negotio id eſt conſecutus, pacemq;, & ſocietatem certis legibus fecit cum Bezeguico, & Caramanſa, Baio Samano, alijſq; Regulis; dein, ad vlteriora exquirenda, probatæ virtutis, fideiq; homines familiares ſuos dimiſit. atque id, quò libentiùs facerent; ac minore cum erroris periculo ſeſe vaſtum in Oceanum darent, peritiſſimis ea tempeſtate Mathematicis, Rotherico, & Ioſepho medicis ſuis, item Martino Bohemo, qui ſe Ioannis Monteregij alumnum ferebat, negotium dedit, aliquid cōmuni conſilio excogitarent; ad curſum nauium, in pelago quamuis ignoto regendum: vt vel abductus à cōſpectu familiarium ſibi ſyderum nauta, quam tamen cæli plagam, quàm remota ab orbe noſtro loca teneret, aliqua poſſet ratione conijcere. Ii, quam acerrimo ſtudio re diu multumque agitata, aſtrolabium denique inſtrumentum, quod anteà ad colligendos ſtellarum motus duntaxat aſtronomi adhibere conſueuerant, præclaro ſanè inuento ad vſum rei maritimæ tranſtulerunt: ac pari ſolertia declinationū tabulas cōfecere, quibus hodiè naucleri ad explorandā locorū (quēadmodū Coſmographi appellant) latitudinē vtuntur; vt nō parū, hoc etiā nomine, tota Europa Luſitaniæ debeat. Quod ſi vt latitudinis, ità etiam longitudinis facili negotio rimandæ regulā prodidiſſent

nullo propemodum errore, perpetuum maris, ac terræ cingulum continuo circumactu viatores periti conficerent. Sed quia ab ortu in occaſum, vel contra ab occaſu, in ortum, nihil eſt in perpetua cæli conuerſione certum ac ſtabile, quo dirigere curſum acceſſusue, aut receſſus emetiri poſſumus (namque illa ex errantium ſyderum oppoſitu ſubtilis ac perobſcura collectio, nequaquam eſt ad hanc quotidiani vſus rationem accommodata) idcirco nulli dum longitudinis gradûs notari, neque plane perſpecta potuit eſſe ratio itineris: in quo nauium rectores ſæpiſſimè falluntur. Credo equidem, in hoc, vt pleriſque alijs humanis in rebus, ad mortalium vel acuendam induſtriam, vel coërcendas cupiditates, hac tanta difficultate diuinitus interpoſita. Verumtamen eius inſtrumenti beneficio, mirum quanta nauticæ rei acceſſio facta ſit. quin etiam ex hoc tempore Chriſti diſciplina manare longius cæpit. plures quippe iam viri, & pietatis, & prudentiæ laude præſtantes, certatim ad huiuſmodi expeditiones vltro ſemet Regi Ioanni deinceps offerebant, de quibus ſuo loco. *Matteus hiſt. Indicarum lib. 1. Antonius Vaſconcellius in Alſonſo V.*

XV. *Hiſpaniæ Reges, aliquot Indicas inſulas conquirunt.*

In idem tempus, Surita, & Marineus referunt, Canarias, & Indicas aliquot inſulas, à Ferdinando, & Iſabella Hiſpaniæ Regibus, Chriſto conquiſitas. Cum enim hi Catholici Principes, in rebelles, & omnes improbos animaduertentes, multaque caſtella recuperaſſent, nec non populos ad officium reuocaſſent, magnam deinde claſſem, ad Canarias inſulas miſere, cui præfecerũt, Petrum cognomento Veram, virum ſane fortem, & in re militari expertum. Hic triennio fere, difficillimum cum barbaris Canariæ geſſit bellum. Canarij enim etſi armis, ferroque carebant, telis tamen vtebantur ex arborum ramis, quæ petris acuebant tenuiſſimis, quibus quaſi iaculis ferreis, & peracutis, clypeos, ſcutaque facile perforabant. Lapides præterea fortiſſime iaculabantur, quippe qui ſunt homines lacertoſi, & magnarum virium, pugnaces, & animoſi. Victi tamen ſubactique Catholicis Principibus paruere. His vinci multo quidem fuit vtilius, quam ſi viciſſent; propterea quod antea ferarum more viuerent; ex hoc autem tempore cultum humanum diuinumque cognoſcere, & Chriſti nomen adorare cæperunt. Olim quidem Deum vnicum colebant, ſublatis ad cælum manibus. Orandi locum habebant certum, ſtatutumque quem quotidie caprino lacte ſpargebant, & capras, quarum lacte id faciebant, ſelectas alebant, quas ſancta animalia vocabant. Cæterum Catholici Principes ad eos condoce faciendos, Sacerdotes, viroſque ſapientes miſerunt, qui illos inſtruerent, & ad religionem, fidemque Chriſtianam conuerterent. Subactis Canarijs, & ad cultum Chriſti allectis, Catholici Principes, ad alias multo maiores inſulas, & aurifodinas, non magis auri cauſa, quod inde plurimum optimumque defertur, quam ſalutis animarum rationem habentes, Petrum Colonum, cum triginta nauibus, & magno hominum numero miſere, qui ad antipodas vſque facem Euangelij intulerunt. In vna inſularum à noſtro orbe remotiſſimarum, cuius poſtea erat Epiſcopus, Ioannes Quiuetus Ordinis Minorum, ab hominibus, qui auri quærendi gratia terras effodiebant, numiſma repertum eſt, nomine, & imagine Cæſaris Augusti ſignatum: quod nactus Ioannes Rufus, Archiepiſcopus Coſentinus, quaſi quid admirabile Romam ad Summum Pontificem tranſmiſit. Quæ res nimirum noſtri temporis nauigantibus, qui ſe prius, quam alios illuc nauigaſſe iactabant, gloriam eripuit; quandoquidem numiſmatis huius argumento iam conſtat, ad Indos olim perueniſſe Romanos. *Surita lib. 28. Annalium c. 39. Marineus lib. 19.*

XVI. *Carolus Andegauenſium Dux moritur, Gallorum Rege ſcripto hærede.*

Ad finem huius anni, Maſſiliæ obijt Carolus Andegauenſis, hærede ſcripto Gallo Rege. Multum id turbarum, & tempeſtatum in Italiam, aliquando poſt concitauit, Rege aucto duobus nobilibus Principatibus, Andegauenſi. atque Prouinciæ. *Mariana lib. 24. c. 21.*

XVII. *Itèm venerabiles Henricus Arnoldus, & Cæſarius Carthuſiani.*

In Belgio, apud Carthuſianos Domus Capellæ; ſancto fine quieuit, inſignis vir, Henricus Loëmius Louanienſis, Theologus admodum celebris, magna virtute, & pietate, eloquentia, prudentia, humilitate, & probitate inter ſuos huius temporis facile primus: Tanta erat in omnes humanitate, vt à tota Prouincia, Pater Patrum merito fuerit appellatus. Hic inter alia iſto dono ornatus fuit, vt ſi quando (vt fit) inter Fratres orta eſſet contentio, numquam ſe ſopori ad veſperam dederit, niſi inter diſſidentes pax, & tranquillitas reſediſſet. Si quem etiam Fratrum ſuorum, aut tentatum ſciret, aut miſere afflictum, ſedebat cum illo, vſque in ſeram noctem, & monita ſalutis inſerebat, donec ad meliorem mentem illum reuocaſſet. Amabat vero plurimum eos Fratres qui ſpiritualibus ſeſe operibus mancipabant; deinde eos, qui ſcribendis ſacris voluminibus operam impendebant, aſſerens, *non minorem fructum hos facere digitis, & calamo, quam qui lingua & ſermonibus Diuina verba populis enunciant.* Viſus eſt aliquoties inter celebrandum, ſurſum à terra ſuſtolli, & aliquandiu in aere dependere; vt illuc leuaretur corpore, quo iam ante mentem ſuam præmiſerat. Ante mortem ita corpus longa inedia, ac mortificationibus conſumpſerat, vt tam aridum, atque exeſum, quam vel baculus, vel truncus arboris videretur. Vixit ex LXXV. annis quadraginta in ſacro ordine, ac plenus dierum & operum bonorum obijt. Hunc expirantem cum Prior ſuus honorabilis Pater Arnoldus cerneret, grauiter ex corde ingemiſcens exclamauit; *Quorſum mi Pater tu pergis, & cur me, his in cladibus derelinquis? Vtinam tecum nunc moriar, qui viuere ſine te non valeo.* Quod vbi dixit, mærore pariter, & languore correptus, cibo, potuque abſtinuit; & diebus tantum quindecim ſuperuiuens, amicum ſe vocantem, felici morte ſecutus eſt.

Aequalis Henrico, admirandæ pietatis, & ſingularis erga B. Virginem deuotionis Cæſarius Raſo Carthuſianus in eadem domo Capellæ MARIÆ vir iuſtus, & timoratus, qui Diuæ virginis nomen ſemper in ore, ſemper in corde geſtabat. Hic totum vitę ſuę tempus, quod exegit in Ordine, ſacræ inſumpſit orationi, vigilijs, lacrymis, meditationibus, quibus carnis incentiua edomabat, & mentem ſæpè ſecretis cæleſtibus inſerebat. Ad eius agonem alma Dei genitrix, dignanter accurrit, & ſuum dilectum prompta viſitãs, magnum illi in extremis laboribus auxilij, atq; ſolatij beneficium impendit. Aderant nonnulla probabilia indicia præſentis Virginis, & ex hilari, claroq; vultu morientis, & ex infuſa repentè in mente aſtantium reuerentia, & honore, quibus ad dulciſſimam cæli Dominam mouebantur. *Chron. Cartaſien. lib. 7. cap. 26. & 31.*

XVIII. *Obdormit in Domino Conſtantius de Fabriano Ord. Prædicatorũ.*

Non minor his B. Conſtantius Fabrianenſis Dominicanus, Aſculi in Picæno, cũ magna ſanctitatis opinione defunctus. In eo veluti in ſpeculo refulſerunt clariſſimæ virtutes puritas, moderatio animi, paupertas, prudentia, deuotio, mortificatio carnis per ieiunia, cilicium, diſciplinas perpetuas; auſteritas vitæ, orandi, & contemplandi ſtudium, regularis obſeruantiæ tenor communium officiorum ſequela. Singulis diebus officium, quod vocant mortuorũ, & Pſalteriũ Dauidicũ recitabat, huicq; Pſalterij deuotioni tantũ tribuebat vt nihil fuerit, quod non ſe impetraſſe docuerit. Aliquando pro Græcorum neceſſitatibus, qui à Turcis petebantur, cum Pſalterium recitare inchoaſſet, varijs perturbationibus impeditus, diſtractuſque continuare non potuit; proque inditio certiſſimo accepit, Deum voluiſſe gentem ſchiſmaticam Turcica ſeruitute caſti-





gare. Aliquando pane in communi Cænaculo deficiente profuſis ad Deum precibus annonæ copiam impetrauit. Regularis vitæ rigorem alicubi reuocauit. In oratione poſitus, animam S. Antonini Florentini, eiuſdem Ordinis ad cælos ferri, alterius verò fratris ad purgatorii pænas deſcendentem aſpexit. Mortui baculus, aliquem ſubitò claudum effectum perſanauit. *Pius libro primo.*

XIX. *Mirabilis excommunicationis effectus.*

Narraueram ſuperiùs quiddam mirum mirandum apud Græcos, de virtute, ſeu efficacia anathematis. Iſtud ipſum operæ pretium fuerit, exactiùs cum omnibus circumſtantijs adſcribere. Ita memorat *author hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Turco Græciæ lib. 2.*

Inter cætera, quæ Mahometi indicarunt, etiã hoc dixerunt; Quoſcumque Chriſtiani Pontifices, & Sacerdotes, legitimè, ob peccatum aliquod admiſſum, ſacro cætu eijciant, nec occupent eos, dum in viuis ſint, emendare, vt expientur ab illo lapſu, propter quem eiecti fuerunt; eorum cadauera, ita in exilio ſpiritali mortuorum non diſſolui à terra, ſed remanere tympanorum inſtar inflata, nec ſi mille etiã trãſierint anni, omninò à terra cõſumi, ſed remanere integra, ſicut fuerint humata. Interrogauit amplius; Nũ ijdem poſſent, data abſolutione, rurſus diſſolubilia facere ea corpora? Reſponderunt illi, poſſe. Ipſe, miraculo hoc audito, admiratur cohorruit, nec aliud prætereà quicquam interrogauit, ſed confeſtim Patriarchæ nunciari iuſſit; quæreret hominem communione Eccleſiæ exterminatum, antè longum tempus vita defunctum. Patriarcha, accepto eo nuncio, exterritus eſt: ac ſtatim acciris Clericis Sultani mandata expoſuit, qui mirati ſunt. Incidit Patriarcha cum ipſis in grauem curam, huc illuc cogitationem voluẽtes; vbinam tale, iamdudum excommunicationi immortui hominis cadauer reperiri poſſit. Cumq; nihil ipſis quid facerent, in præſentia in mentẽ veniret, aliquot dierũ ſpatium ad diſpiciẽndum à Rege petierũt. Quo accepto, animũ p omnia verſantes, de tali cadauere cogitant. Tandẽ recordantur Seniores quidã de Clero: fuiſſe tẽpore Superioris Patriarchæ Gennadii ſcholarii, viduã quandã à Sacerdote relictam, pulchritudine conſpicuam, quæ domum extrà Patriarcheiũ habens, quæſtum corpore haud obſcurè vulgaro fecerit. Patriarcham, re cognita, increpuiſſe ipſam, diligentiſſimè monendo, finem faceret peccandi; quò pænitentia acta, veniam conſequeretur. Sed id fruſtrà fuiſſe, muliere laxioribus habenis, ſe ad libidines incitante. Patriarcham interim non ceſſaſſe à redarguendo, & obiurgando; nec id ſeorſim ſolum, ſed etiam aperte, coram Proceribus ſacris, & Clericis. At illa miſera, Diaboli inſtinctu Patriarcham accuſat; eum, quando ipſum ad ſecretam collocutionem acceſſierit, conatum eſſe, ad nefarium facinus vi pertrahere. Ipſe, atrocis criminis indigna accuſatione audita, totus obſtupuit. Ea criminatio per totam Conſtantinopolim percrebuit, & in vicinia tota; quibuſdam veram credentibus, alijs fidem derogantibus. Patriarcha quid faceret? niſi hoc. Quodã Dominico feſto, accerſitis Pontificibus, & Clero, Liturgiam facit, eaque finita clariſſima voce dicit; *Si illa verba, quæ Sacerdotis vidua in ipſum dixerit vera ſunt, ſe ei ignoſci à Deo, & felicitatem dari, eiuſque mortuæ diſſolui corpus, precari. Sin autem cõficto crimine indigniſſimè ipſum calumniata ſibi ſe tenere ipſam è ſacro piorum grege eliminatam, veniæ exortem, & indiſſolubilem, voluntate, & iudicio Dei Omnipotentis.* Hæc ille. Neç diu gladius diuinæ vltionis emanſit; ſed (ô rem miram) die inde quadrageſimo, diſenteria ipſam abſcidit, ac peſſimè mortuam, & humatam, terra corpus eius non diſſoluit; verùm tã inconſumpta, integraq; remanſit, quàm erat, quando ſepeliebatur. Sed nè crines quidem capitis eius vllatenus d[illegible]; verum perinde ipſa ſe habebat, at mulier aliqua viua: niſi quòd non loquebatur. Et tamen multi anni, à condemnatione excommunicationis eius abierant. Huius inquam. mulieris recordati ſunt Clerici; eam adhuc eiectionis vinculo conſtrictam teneri; quam benè ſciebant, improbiſſimã illi beato Patriarchæ Gẽnadio calumniam intuliſſe. Conuentu igitur coacto, palam dicunt ſe ſcire mulierem, iuſta ſententia Patriarchæ Gennadij à ſacris excluſam. Patriarcha Maximus, audito, cadauer excommunicatum inuentum eſſe, iuſſit locum quæri, in quo ſepultum iacebat: vt ſepulchro aperto inſpicerent, & de re certiores fierent. Miſsi ſunt, qui quærerent. Sepulchro inuento, gaudere Patriarcha, extemplo cum Clero, comitatus magno Regis Tzauſcho eò currere. Tunc aperientes eius monumentum, cadauer ſaluum, & integrum repererunt. Erat id nigrum, & tympani modo tumefactum; quod quicumque viderunt, valdè miſeriam illius deflent, horrendo Dei in ipſam iudicio, & condemnatione perterriti. Tum ſtatim Patriarcha cũ Tzauſco Miniſtris indicauit, qui Sultani nomine cadauer excommunicatum inquiri imperarant. Inuenimus, *inquit*, tale, renunciate Regi, quidnam velit amplius fieri. Illi, miraculo hoc audito, currentes venerunt, Regique annunciarunt. Rex, vt reſciuit, miſit aliquot fideles miniſtros, qui inſpexerunt, & vehementer mirati ſunt. Reuerſi dein ad Sultanum, ei formidandam rem, quam viderant, expoſuerunt. Tum Sultanus accerſiuit quoſdam ſuorum purpuratorum, quibus dedit ſigillum ſuum; imperans, in loco certo cadauer reponi; ibi tutò includi, & obſignari. Abeuntes illi, viſo miſerando corpore, obſtupuerunt; in quodã Pammacariſtæ Sacellũ tranſtulerunt, arcamq; in qua incluſum iacebat, Regio ſigillo obſignarunt. Poſteà quæſiuerunt ex Patriarcha, quidnam de cadauere futurum eſſet; & quid reſponſi Sultano referre deberent; videlicet, ad quod tempus futurum eſſet, vt diſſolutio illius, & diſſipatio, veniam à Deo conſecuti fieret. Reſpondit Patriarcha; *Canam ego ſuper illo conſequentias, quæ nobis præſcriptæ de excommunicatis ſunt; & quas quotidie preces habemus, recitabo. Quibus vtriſque peractis, ſcriptum, quo mulieri ſua peccata remittantur, ad Liturgiam recitabimus. Tunc vos accerſemus, vt efferatis corpus.* Paucis poſt diebus, Patriarcha abſolutionem illius compoſuit, Proceribuſque illius nuncium miſit, vt venientes exportarent è Sacello arcam cadaueris, vt ſuper eo Liturgia fieret. Confeſtim de voluntate Sultani adfuerunt, & arcam cum cadauere intus iacente, ſicut obſignata erat, extulerunt. Tum Liturgia frequẽtiſſimo conuentu, Pontificum, Diaconorum, omniſque populi Chriſtiani facta, ſtat Patriarcha poſt eius finem, intima affectione animi, multis cum lacrymis, litteraſque abſolutionis illius, quas ipſe ſua manu perſcripſerat, recitat. Et ecce tunc ingens miraculum à Deo: ecce miſericordiam diuinam, & propenſum erga humanum genus amorem: miraculum, inquam, ingens, & ſtupendum, ea hora diuinitus factum. Recitãte Patriarcha abſolutionem, compages corporis inuicem ſeparari, inter ſe diſſolui, in medio arcæ; ita vt quotquot propè eam ſtabant, audirent crepitum oſſium à ſe inuicem recedentium, diſſoluere ſe toto corpore, ſingulis ſe compagibus diuellentibus, corpore illius miſeræ, quæ Sanctiſſimum Patriarcham falsò criminata fuerat, veniam conſecuto. Nec corpori modo eius venia, diſſolutioque contigit, ſed anima etiam purgatorij cruciatibus liberata, in paradiſum venit. Illi namque, qui anathemate percuſſi ab Eccleſia exulant, cum eorum corpora maneant indiſſoluta, & integra, indigent animæ abſolutione, eamque expetunt, vt liberentur vinculo relegationis. Nam quemadmodum corpora eorum vincta ſunt, nec à terra cõſumuntur; ſic animæ quoque ipſorum vinctæ, ac pænis obnoxiæ tenentur. Quando autem homo veniam accipit, execrationis vinculo ſolutas; Deo benè ni-

uante, anima libere exit, & vitam æternam, lucemque illam veſperæ expertem adipiſcitur; *ſi in viuis exiſtens, pænitentiæ & contriti animi ſigna ediderit*. Sed ad hiſtoriam noſtram reuertor. Illi, qui tunc arcæ, illam excommunicatam continenti aſtabant, audito ille tremẽdo miraculo oſſium crepantium, & inter ſe ſingularim recedentium, magna admiratione affecti ſunt, ac Deo cum lacrymis gratias egerunt, facienti ingentia, & ſtupenda miracula. Deinde peracta Liturgia, arcam cum cadauere tollentes, repoſuerunt, in eodem, vbi anteà fuerat ſacello, idque de mandato, & ſententia Principum à Sultano miſſorum. Quod cum intus depoſuiſſent, clauſerunt fores, & obſerarunt; ei rei cauſam dante innumera populi multitudine. Inde pòſt dies aliquot remouerunt, ſignum, quo ſacellum, deinde alterum, quo arca obſerata erat, & ſeram claue aperuerunt, quandò corpus in arca reperere diſſolutum, diſſipatum, denique miſericordiam conſecutum. Huius ipſi miraculi conſpectu, admiratione obſtupefacti ſunt, ac continuò Primores ad Sultanum currentes, totum illi cadaueris negotium ordine percenſuerunt; quam ſcilicet ob cauſam excommunicatum fuiſſet; qua ratione condemnationem culpæ accepiſſet; quo denique modo, os ab oſſe abſceſſiſſet. Quibus cunctis Sultanus auditis ſuprà modum admiratus eſt, & tanto miraculo obſtupuit, dicens; *Profectò Religio Chriſtiana, extra controuerſiam vera eſt*. Ab eo tempore, beneuolẽtia maiore, & amore, Mechemetam Begum, Amerutzæ filium proſecutus eſt, qui ei de ea re dixerat, quæ ipſo exitu vera comprobata fuit: illos, quos Antiſtites Dei, & Sacerdotes Romani, ſacro piorum cætu iuſtè arceant, ab humo non diſſolui; niſi eis anteà veniam à Deo impetrarint; licèt etiam mille anni tranſierint.

XX. *Alia de impænitẽte quadã fœmina.*

Iſta dum ego exſcriberem, aliud non minus tremendum mihi renunciauit, *Andreas Maccaranus* meus familiaris, *ciuis Aſculanus*; quòd antè triginta annos, apud Adriam Picentinum, ſeptem millibus paſſuum à mari Adriatico diſtante, olim Romanorum colonia, ſe tum puero inſpectante contigiſſe memorabat. Caſſandra erat nobilis mulier, Capyrti militum Præfecti vxor; ſed cui fides, & pudicitia coniugalis parùm cordi erat. Hæc vt ſtuprandi aſſuetudinem in ſpecie integritatis velaret, ſæpè ſæpiùs ſacram Euchariſtiam, ſed ore polluto ſumebat; mox tamen non deglutiebat, ſed in ſudariolum expuebat, & alijs pannis inuolutam reponebat. Moritura, ſacrilegium Confeſſori non indicauit, neque quicquam de eo pænituit; ſicque pro vltimo viatico Echariſtia recepta, expirauit. Animam agente, dæmones feralium volucrum ſpecie, domum inſedere, & vlulatibus, crocitationeque quinam fuiſſent, quidue expectarent, indicauere; ac prætereà catenarum ſtrepitu, fragorẽ inauditum excitauere, donec effuſam rapuiſſent execrandam. Cadauer ad S. MARIÆ Maioris ſepulchro illatum, & lapide ſepulchrali benè concluſum, ædituus, ſummo mane, ſuprà ſepulturam cingulotenus extare adinuenit: & mox in foueam deiectum, ſaxo operuit. Altero diluculo, idem, quod priùs ſpectaculum aſpexit: cumque ferre amplius non poſſet, calce illud percutiens, in ſepulchrum detrudere voluit; cùm ad ictum, quo ſcapulas ſacrilegæ percuſſerat, ſacrata, quam illa viuens præſumpſerat hoſtia, ex ore mortuæ excidit, quam quidem Sacerdos ingenti cum reuerentia excepit: cadauer autem, quod ſacratior locus retinere non ſuſtinebat, è templo eiecit, & ſterquilinio extrà oppidum infodi imperauit.

XXI. *Ioanni Cameracẽſiũ malo Antiſtiti, ſucceſſit Henricus vir laudatiſſimus.*

Hoc anno 1481. menſe Aprili, Mechliniæ diem obijt Ioannes Burgundus, Antiſtites Cameracenſis, Deus hominum ſceleribus iratus, tales dare ſolet ouium paſtores, hoc eſt libidini, commeſſationibus, & auaritiæ deditos, nonnunquã etiam pueros, moribus, & ætate. Qui ſuffectus eſt Ioanni Henricus à Bergis, vir fuit nulli optimorum Antiſtitum pietate, aut alio virtutis genere ſecundus. Victum impartiebat egenis, ſuccurrebat laborantibus, orabat frequenter. Docebat etiam. Quòd enim docendi genus ſalubrius, ac optimo illi, & vni Deo gratius, quàm aberrantes rectè monendo, concionandoque ad viam reducere virtutis? quod ille ſtrenuè faciebat! Adijciam, quòd & ſtudia coluit, ſtudioſos amauit, fouit, prouexit. Multorum, qui ad communem vtilitatem aliquid conſcriberent, portus, ſinus, præmium; ipſius denique Latinæ rei tunc temporis ruinoſæ, & nutantis reductor, ac reformator. *Barlandus in Chron. Brabant. c.* 152.

# ANNO CHRISTI 1482.

## SIXTI PAPÆ IV.

Anno 11. & 12.

## FRIDERICI ROM. IMP.

Anno 43.

I. *Sixtus PP quietis cupidus ad bellum laceſſitur.*

SIxtum Pontificem, in ſumptus belli Turcici, & Etruſci exhauſtum, quietis cupido inceſſerat; quando præter omnem expectationem noua illum tempeſtas, à quo minus ſperabatur, hoc anno vix non oppreſſit. Diximus, Alphonſum Ducem Calabriæ, recuperata Hydrũto, ex copijs Turcicis retinuiſſe ad mille quingentos. Species alia obtendebatur: res verò ipſa poſteà docuit, vt eorum opera vteretur, aduersùs ſiue Florentinos, ſiue Venetos, à quibus barbaros in Italiam fuiſſe euocatos rumor erat. In Venetos primum duxiſſet, niſi Pontifex præuertere bellum Italicam ſatagens, ex amico, & fœderato, hoſtem, nullo ſuo merito accepiſſet. Res eſt. Veneti, ſub tempus belli Hydruntini, Coryctam Dalmatiæ inſulam, quæ Vegia vulgò appellatur, imperio ſuo adiunxerant, principatum ſpontè tradente, Ioanne Regulo, Banni filio. Hunc quod Matthias Rex Vngariæ, Alphonſo affinis, ad ſe trahere fruſtrà molitus fuiſſet, multaque, ac varia bellicis expeditionibus contrà eum ſuſceptis, nequaquam à Venetis retrahere potuiſſet, Ferdinando ſocero animos in Venetos inflammauit: Ardebat ille iam in ipſos, cupiditate Cypri occupandi incenſus: ſed hoc anno magis, quando præter Matthiam, Hercules quoq; Ateſtinus gener, à Venetis peteretur. Querebantur enim cum Senatus beneficio, quicquid à Rhodigio oppido, intrà Padũ, amnẽ, & Ferrariã pateret, qui ager latiſſimus erat, ea lege poſſideret, vt & ſale Venetorũ importato, certo vectigali perſoluto vteretur, & à Republica miſſũ Magiſtratũ, ad ius Veneti nominis hominibus dicendum, quem Prodominum appellabant, acciperet; ipſe contrà antiqua fœdera, ſalem circa Comaclum fieri ab hominibus ſuæ ditionis permiſerit; Prodominum plurimis iniurijs ignominioſè affecerit; & cum alia via honeſtiore non potuiſſet, velut impium, & ſchiſmaticum Chriſtiano cætu, ſacriſq;, per contumeliam excludi paſſus fuerit: ac prætereà, in vectigalibus Reipub. ſoluendis, non ex æquo ſe habuerit; & tamquam Venetos fines, quos ipſe ſuo arbitrio ſtatueret, occupaturus, circa Caput agerem, munitiones quaſdem erexerit. Reponebat Hercules, certũ vectigali pendendo ac Magiſtratui accipiendo præfinitũ iamdudũ abiiſſe, neq; ſe abolitis iam legibus teneri. Veneti contrà ità ius ciuitatis tuebantur, vt dicerent, quãdiù is in poſſeſſione eius agri hæreret, ſtandũ illi





iiſdem conditionibus eſſe, quibus in principio inter eos conueniſſet. Quæ grauis controuerſia cum minui nulla alia ratione poſſet, atq; omnino Hercules qui in poſſeſſione, maneret, ſe fœderis conditiones, quemadmodũ Senatus poſtulabat, ſeruaturũ negaret, tentarunt Patres per Sixtũ Pontificẽ, in veteri illũ amicitia retinere. Neglexit monita Pontificis, occaſionemq; dedit, vt is Venetos ſibi omni ratione tuẽdos propoſuerit, fœduſq; cũ illis percuſſerit maximæ quãdo illi Rauẽna, & alijs Flaminiæ nõnullis locis, ad Romanã Eccleſiã iure antiquo pertinentibus, excedere, Sediq; Apoſtolicæ reſtituere pollicerentur. Ea ſocietate freti Veneti, cùm omnem iam aliam diſceptationem ſuſcipi fruſtrà appareret, quæ æquo iure definiretur, bellum illi inferre, ac publicum ius tueri armis conſtituerant.

*Hieronymus Riarius honorificentiſſimè à Venetis excipitur.*

His temporibus Senatus Hieronymum Riarium, in vrbem magnificentiſſimo apparatu excepit, at nè quâ in re ſibi quicquam reliqui faceret, quæ pertinere ad illius honorem videretur, & Ciuitate, & iure ferendi ſuffragij, qui honos apud illos habetur ampliſſimus, donauit: eaque ratione Pontificem ad ſocianda conſilia multò magis incitauit. Magna pars hominum verebatur, nè multò grauius bellum, per Ferrarienſis belli occaſionem, & Pontifex, & Senatus nouo illi fœdere iunctus agitaret. Namq; Veneti, ſummo ſtudio pecunias cogere, commeatus expedire, delectum militum habere, atque oppida præſidijs firmare pergebant, Conſtantio Sfortia Piſaurenſium Regulo, qui copijs Reipub. præeſſet, delecto. Rubertum quoque San-ſeuerinatem, qui iam ex Inſubribus, Ludouico Sfortiæ iratus deceſſerat, Genua euocarant, & ſummæ rei præfecerant: iuſſis cæteris exercitus Ducibus milites conſcribere, ità vti ad certam diem præſtò cantibus, ad bellum eſſent. Non ignorabat ea omnia Ferdinandus Rex, cuius filiam Eleonoram Hercules in matrimonio habebat. Cumque diuerſis cauſis, magnoperè ſe Pontificem, offendiſſe intelligeret, ac proinde nihil ab illo præclari ſibi expectandum ſciret, ſatis illius conſilijs, & rationibus bello ſuperiore exploratis, vt certiora omnia de illius in ſe animo haberet, ſimul vt cognoſceret, vtrùm Veneti de illius ſententia bellum Herculi inferrent, Alfonſum filium cũ quattuor millibus armatorum auxilio illi præmiſit: cum mandatis, vt quicquid ea de re ſtatuiſſe Pontificem comperiſſet, genero tamen poſito in graui diſcrimine aduersùs Venetos opem ferret. Is cum ad Truentum amnem anteceſſiſſet, quo Neapolitani Regni fines à Pontificis ditione diſcriminantur, præmiſſis ad illum Nuncijs poſtulabat, vt per illius fines copias traducere liceret, quibus ſororis viro, auxilio eſſet: qui ſi liberum ſibi tranſitum daret, ſine vllo maleficio ſe iter facturum per illius prouinciam pollicebatur. Noluit facultatem dare itineris faciendi, varijs de cauſis irritatus, atq; coërcendo Herculi, qui Florẽtinis cõtrà ſe auxilio adfuerat, intẽtus.

*Offenſionis cauſæ inter Ferdinandũ Neapolit. Regem, & Sixtũ Põtificem.*

Offendebat Sixtum, quòd Alfonſus Turcicas cohortes in Chriſtianos retinuiſſet, authoraſſetque: quòd Ferdinandus Rex, non valdè ex dignitate Apoſtolicæ Sedis, ſocialia arma bello Etruſco ſubtraxiſſet, ſeque inſcio, & nedũ contempto, ſed prodito propemodum, nouam cum Florentinis amicitiã, & ſocietatẽ iniuiſſet. Sediq; Apoſtolicę neceſſitatẽ, conditionibus nõ omninò ad grauitatẽ expiandi ſceleris tranſigendi impoſuiſſet: ac p̃tereà, non modò cenſũ annuũ Romanæ Eccleſiæ debitum nõ repræſentaret, verùm etiã titulo minimè æquo, aurũ ab Eccleſia extorqueret, & iura Apoſtolicæ Sedis in Regno Neapolitano infringere niteretur. Accedebat & iſtud, quòd Columnenſes nonnullos, Sabelloſque, amplioribus ſtipendijs ad ſe euocaſſet, militiaque Eccleſiaſticæ detraxiſſet; quandoquidem ipſe Sixtus aduersùs omnes caſus circumſpectus, ſatis honeſtis conditionibus illos ſub ſigna Eccleſiæ inuitaſſet. His de cauſis iratus Sixtus, tranſitum negauit Alfonſo, ac ſimul bellum Columnenſibus, Sabelliſque, quià ſe deſciſcentes in caſtra Alfonſi conceſſerant, indixit, Proſperumque Columnium, qui hactenùs Pontificias copias augebat, & Cardinalem eius fratrem, vt tantiſper, donec cum illorum gentilibus bello decernerẽtur, caſtella, & oppida nonnulla, inter quæ Pallianum, & Capranica erant, in manibus, & cuſtodia Sedis Apoſtolicæ relinquerent, nè ſcilicet fratres ſuos adiuuarent, ſed omninò fruſtrà flagitauit: cumque Proſper militare Eccleſiæ recuſaſſet, ac ea de cauſa, ſtipendiarum aurum remiſiſſet; eaque in re Cardinalis Columnius, vnà cum Cardinali Sabello, atq; Marino, fratre Sabelli, animos fratribus adderent, Ferdinandumque Regem, & Alfonſum ſubſidia poſtularent, hos tres cum Rege conſpirantes, quòd eius exercitum ſuis oppidis propè vrbem recepiſſent, in molem Adriam coniecit, & bona Cardinalis Sabelli alicuius momenti, in Palatium afferri imperauit: reliqua in prædam, multitudini permiſit: ac Hieronymum Riarium, belli gerendi Ducem, Virginium Vrſinum, Iordanem Vrſinum, Paulum Vrſinum Ioannem Columnium Præneſtinum, Iacobum & Andream ex familia Comitum, Pitiliani item, & Mirandulæ Comites, ad illos oppugnandos cum copijs tranſmiſit. Alfonſus, vbi iratum Pontificem animaduertit, neque quicquam poſſe ab eo impetrari didicit, quòd minùs illius voluntate licebat, vi, & armis tentare, ac deſertoribus opem ferre conſtituit; Florentinis ad bellum illi inferendum incitatis. Implicatum enim tum domeſtico, tum externo bello, non dubitabat, quin à nouis conſilijs deterritus, ſuis rebus conſulere, atque à Veneto bello abeſſe cogeretur. Id autem ſi aſſequeretur, plurimum profectum ad totius belli ſummam, quòd erat gerendum, credebat. Ergo in Latium progreſſus, & Columnenſium, Sabellorumque auxilijs auctus, latè belli terrore fuſo, iam Vrbi, vniuerſum agrum Romanum populatus, vicis, caſtelliſque omnibus, aut vaſtatis, aut incenſis, quæ deditioni facerent moram, imminebat. Quæ dùm ab illo geruntur, Florentini in Tifernates copijs ductus, qui non bona fide cum Sixto in gratiam redierant, Laurentio Vitellio eiecto, Vrbis imperium Nicolao tradiderant. His malis ſubitò Pontifex vix non oppreſſus, cùm ad omnia incommoda ſibi præſtandum inuictum animum cenſeret, & dignitati, quam gerebat parem, minimè ſuccubuit.

*Rubertus Malateſta copiis Pontificijs præficitur.*

Itaque capto à virtute animi conſilio, Rubertum Malateſtam clarum militiæ gloria hominem, qui aduersùs Alphonſum rem gereret, ſuis copijs præfecit, atque ire confeſtim obuiam aduenienti iuſſit; cohortatus vt memor eius diei, quo illi, & Principis omnium Vrbis, & Pontificis Maximi tuendi aduerſùs impia arma cura tradita eſſet, tanto munere dignas cogitationes ſuſcipere, & tueri antè partam gloriam virtute, & magnitudine animi vellet. Hinc decedentem ab vrbe, & lætis omnibus, & ſpe ingentium præmiorum proſequutus, delectum militum vrbanorum habere inſtituit, quos in ſupplementum ad ſubitos caſus Ruberto mitteret, atque interim eſſe vrbis præſidio eſſe iuberet. In hoc bello cùm iam ſenſim hominibus, vt fit longo rerum vſu, apparere cæpiſſet, quàm præpoſtera eſſet militandi ratio, vbi quicquid virium, ac roboris eſſet in equitatu, exiguus peditum numerus haberetur; dicitur Rubertus Pontifici perſuaſiſſe, vt nouo inſtituto, vires omnes ad bellum, & neruos in peditatu conſtitueret. Id fieri debere ratione docuit, & veterum authoritate, qui belli artes omnes multò præclarius (quòd magnitudo rerum ab illis geſtarum comprobaret) quam noſtri homines calluiſſent. Cum ſatis omnibus rebus ad bellum inſtructus, neque equitatu eſſet Alfonſo inferior, quem admixtis Græcis ſagittarijs firmiſſimum parauerat, & aliquanto ſuperior peditatu eſſe Rubertus videretur, ire audacter obuiam hoſti perrexit. E-

rant in illius exercitu nobiliſſimi iuuenum, ſequuti illum ad bellum voluntarij, qui ignominioſum nomini Romano ducebant, hoſtes propè in eorum conſpectu prædas agere, atq; impunè ad Vrbis portas infeſta ſigna inferre audere. Eorum forti, atque egregia opera Rubertus eo bello vſus fuit. Cum verò Alfonſus vaſtando, prædandoq;, terrore omnia, & formidine impleret; iam vrbani homines, atque ij inprimis, qui ambitione adducti, & ſtudio honorum aulam ſequuntur, vt ſunt homines molliores, & minimè apti ad belli incommmoda toleranda, de relinquenda vrbe conſilia agitabant. Quòd cum Rubertus non ignoraret, nè quid mollius ex ſua cunctatione, & mora ſtatueretur; ad metum vrbanorum tollendum, ſimul ad hoſtiũ minuendam audaciam, quadrato agmine propiùs ad illos contendit: planè obfirmato animo; vbi plurimùm illis in conſpectum veniret, cùm ijs manus conſerere. Hoc animo cùm eſſet, in agrum Veliternum quò ſe Alfonſus receperat copijs ductis, altero à caſtris hoſtium milliario, plano, atque aperto loco conſedit. Alfonſum illius ſubito aduentu oppreſſum, Friderici fratris aduentus prætereà ſollicitum habuit; quem fama erat, propediem cum nouis auxilijs affuturum Eo autem abſente, minimè virium faciendum periculum videbatur. Cum, aut turpiter ſibi eſſe fugiendum, minimèque pro vetere fama, & gloria belli, aut magno ſuo, ſuorumq; periculo dimicandum intelligeret: nè quid minus ſe dignum, & patre Rege admiſiſſe videretur, pugnare conſtituit, atque in Pontificem, & Sacerdotalem ordinem, militari oratione pro concione inuectus, ſociorum animis confirmatis, copias è caſtris eduxit, eo conſilio, vt pugnare volentibus, facultas nè deeſſet. At Rubertus, qui minimè arbitratus eſſet, fore ſibi hoſtis temeritate vllam dimicandi facultatem, vbi acie directa præter ſuam ſpem, paratum ad pugnandum animaduertit: quòd minùs per militum clamorem, qui pugnæ ſignum poſcebant, exaudiri illius oratio poterat, tantùm admonitis, vt aduersùs impios hoſtes, qui Pontificem ſanctiſſimum, & pro Chriſti cauſa, arma gerentem, vltrò oppugnatum veniſſent, alacritate, & præſentia animi vterentur; patriæ memores, atque eorum, quæ in patria chariſſima ſunt, coniugum, ac liberorum: in hoſtem ſignis conuerſis, ac clamore ſublato inire prælium iuſſit. Pugnatum acriter vtrinque eſt vſque ad meridiem, victoria tandem ad Rubertum inclinauit, qui dũ conferta magis hoſtiũ acie, ſuos premi animaduertiſſet, cuneo facto irrupit, ac iuſſis vbique alijs in directos, & ſtantes impetum facere, tandem eos loco mouit, ac poſtremo cum audaciùs ſigna inferentes ſuſtinere non poſſent, in fugam coniecit; cum minimè Alfonſus diſſimularet, non ſe victum magis militum virtute, & peritia rei militaris, quàm robore peditum, & numero, quorum producta acies latiore ſpatio ſuos à latere aperto circuire, atque equitatus vſum ſuis inutilem facere potuerat. Alfonſus ipſe tectus Turcarum præſidio, quibus per varias occaſiones à ſuis ad Hydruntem relictis, erat vſus eo in bello, ægrè euaſit. Pugna maximè memorabilis pro horum temporum ratione dicitur fuiſſe, vtrimque ad mille deſideratis, quæ tum magna clades habebatur. Captiuorum numerus maior fuit, atque in his, qui magnæ homines nobilitatis Alfonſum gloriæ cauſa ſequuti ad bellum erant: quorum XVII. præcipuos, Sixtus in caſtrum S. Angeli coniecit, alios aliorſum in cuſtodias tranſmiſit. Rubertus adeptus victoriam, in Vrbem triumphanti ſimilis inuectus eſt; cùm mulierum, ac virorũ turba ingens illi obuiam prodijſſet, patriaque illius virtute, & felicitate ſeruata; lætum illi, militibuſq; eius aduentum gratularentur. Atque eius lætitiæ fructus illi quidem breuis fuit. Nam cùm (vt erat pugnandi labore feſſus) in magna, atque ardenti ſiti ſe immoderatius aqua expleuiſſet, dyſenteriæ, morbo correptus, in febrem incidit, quæ leuis viſa, & contemnenda morbi initio, poſtremò eum magis Pontificis quàm ſuorum importuno tempore extinxit. Mortuum illum gratus Pontifex, ad Baſilicã Principis Apoſtolorũ extulit, cũ nullo honoris genere Sedes Ap..., & vrbs Romana abſtinuiſſet, qui haberi ſummo homini poterat, & cuius merita illuſtria, atque recentia eſſent. Sepulchro illius ſtatua equeſtris impoſita, ad imitationem Cæſareani habebat, *Veni, vidi, vici. Lauream Pontifici retuli.*

*Moritur, & ſummis honoribus afficitur.*

Pontifex tanta victoria felix, in eo verti rem exiſtimabat, ſi quemadmodum hoſtes vicerat, ità præclarè parta victoria: nihil de ſumma induſtria, & celeritate remittendo, vteretur. Eo animo cùm eſſet, Hieronymum Riarium, ijs copijs illi attributis, quibus paulò antè Rubertus præfuerat, ire in Tifernates aduersùs Nicolaum Vitelliũ, & Florentinos, quos iterum diris deuouerat, iuſſit. Plurimùm verò ad ſummam rerum pertinere arbitrabatur Nicolaum Tiferno pellere acerrimum hoſtem, & magnę authoritatis, atque potentiæ; vt inimico pulſo, ciuitas in fide, ac per eam in poteſtatem Romanæ Eccleſiæ redactam vniuerſa Vmbria contineretur. Illud etiam ſpectabatur, vt Pontifex Arimino potiretur; quæ vrbs pòſt Ruberti mortem, nullo ſatis valido præſidio munita, relicta erat in fæminæ, cuius Matrimonium plurimi ea de cauſa ambiebant, tutela. Et quidem Rubertus moriens, relictum paruum filium, ſucceſſorem fiduciarium Principatus, ita vxoris fidei commendauerat, vt cùm nullius præſidio maiore niteretur omninò confideret, Pontificem, de quo ità eſſet meritus, ſi quid durius puero accideret, illius defendendi curam aduersùs vim omnẽ, atq; inſidias ſuſcepturum. Quod cùm Sixtus in ſe ſuſcepiſſet, illa verò præceps, ac ſuſpicax, ad Florentinos, & ad Laurentium Mediceum, Pontificis hoſtes reſpexiſſet, eoſque Sixto contempto, in ſubſidium vocaſſet; Sixtus contumeliæ loco id ducens, ac prætereà iure Pontificio, ad vindicandas Flaminiæ vrbes à tyrannis occupatas, quæ iam à Caroli Magni tempore Gallorum Regis pòſt deuictos ab eo Longobardos, Romano Pontifici adiudicatæ eſſent; reſpiciens, curam quoque pueri ad ſe pertinere, & vel vſque ad adultam eiuſdem ætatem, ſiue ex voluntate Ruberti, ſiue iure dominij directi, Arimini adminiſtrationẽ depoſcebat; maximè, nè quid aduerſi, vel puero, vel Romanæ Eccleſiæ ab aduerſarijs contumacibus crearetur, per imprudentiam, & facilitatem mulieris. Hinc conuenerat, vt Hieronymus Tyſerno recuperato, atq; vrbis imperio, Laurentio Vitellio tradito, in Flaminiam per Apenninum profectus, Ariminum occuparet, & puero conſeruaret. Hinc ab aduerſarijs conflata Sixto inuidia, quaſi is principatu Arimini augere Hieronymum ſtatuiſſet; & quò res faciliùs, mortuo Ruberto tranſigeretur, ætate illum, & viribus vigentem, non minore inuidia quàm totius Italiæ incommodo veneni ſuſtuliſſet; eoque ſublato, ex eius vrbis poſſeſſione, & fæminam, & puerum eijcere cenſuiſſet. Quæ dum vulgò ſpargerentur, ac interim Ferdinandus, & Florentini, qui inuiſam Venetorum potentiam, atque opes habentes, omnia ſibi eſſe agenda exiſtimarent, quò properantibus ad belli finem minimè dubiam victoriam (Fridericus Vrbani Dux, à Ludouico Sfortia in auxilium Herculi Ateſtino miſſus, per eos dies deceſſerat, & fæderatorum res in deſperationem morte ſuâ coniecerat: Regiæ verò copiæ penetrare non poterant) è manibus extorquerent, Pontificem ab eorum ſocietate, ad nouum fædus cum cæteris ineundum auocare voluerunt. Id facilè ſe aſſequi poſſe ſperabant, noui Concilij metu inijciendo, quòd vnum telum accerrimum, prophani, & minimè obſequentes habent reliquum, quòd in Romanum Pontificem pernicioſo exemplo, atque conatu intendere cõſueuerunt. Importunè autem





tem tũ Baſileæ indictum iri fama erat, vt minimè vana eorum oſtentatio facilè eum poſſe abducere à ſuſcepto conſilio videretur. Cum ad ea, quæ ipſi excogitaſſent, Cæſaris quoque Legati (quorum princeps erat Andreas Archiepiſcopus Carnieñſis) qui cõplurima de Sixto, & Clero Romano fingens, ac diuulgans, Imperatorem, & Principes Germaniæ, vt Epiſcopos, ad Concilium Baſileam compellerent, impulerat; quique auſu temerario, Sixtum, & Cardinales ad idem Conciliabulum vocare, ſpes potiùs diem illi, & iſtis dicere auſus fuerat) authoritatem ſuam interpoſuiſſent; & Cardinales plerique, ac præcipuè Iulianus Roboreus, & Stephanus Nardinus, mentionem pacis identidem illi inculcaſſent, tandem de eadem cogitare, atque Italiæ quieti, ac otio proſpicere, (quam quidem rem agi videri volebant) coactus eſt.

*Sixtus PP. in delinquentes animaduertit & offenſis reconciliatur.*

Impulit eum amplius ad ſocietatem Venetorum deſerendam, quòd illi Rauennam, & nonnullas alias vrbes ditionis Pontificiæ, reſtituere, quemadmodum par erat, Sixto contempſerant; metumque maiorem illi iniecerant, ſi Hercule deuicto, viribus adaucti, potentiores euaderent: futurum, vt victoria potiti, maiora auderent, atque ſtipendiorum à Ruberto meritorum prætextu, alia quoque ampliora poſtularent. In hac trepidatione Sixtus, quantum attinet authoritatem Apoſtolicam, minimè tamen ſuccubuit: ſed Epiſcopos, qui Baſileam conuenerant, anathemate percuſſit. Archiepiſcopum Carnienſem, authorem, & incentorem malorum, in ergaſtulum, exauthoratum compegit. Fridericum verò Imperatorem, & Principes Imperij vt ophtalmum detergeret, Archiepiſcopum Vpialenſem, Legatum deſtinauit: quodque potiſſimùm à Principibus Italiæ deſiderabatur, pacem, & fædus cum eis in communę percuſſit, ſeruata Venetis poteſtate, fædus cum cæteris intrà certam diem faciendi; ea tamen conditione, vt omninò Hercule, & Ferraria abſtinerent, & occupatas vrbes Apoſtolicæ Sedis reſtituerent. Cùm neque id facere vellent, neque anteà arma ponere ſtatuiſſent, quàm Herculem ſtare conuentis coëgiſſent, Pontifex, quòd eas eſſe ſuas partes ducebat, illos per anathematis, & dirarum comminationem, primo quoq; tempore ex agro Ferrarienſi excedere, atque ab omni in Herculem iniuria, & maleficio ſibi in poſterum temperare imperauit, Proſperum quoq; Columniũ à ſtipendijs Alfonſi recedentem, ac reliquos Columnenſes, ac Sabellos venia quidem donauit, Alfonſumque in vrbem venientem, in gratiam recepit, ac Ferrariam ire permiſit: cæterùm Cardinales captiuos, cũ proceres, dimiſiſſet, aliquantiſper in cuſtodia detinuit, metuens, nè quippiã, per iniuriã captiuitatis irritati, nouarẽt. *Michaël Brutus hiſt. Florentinæ l. 7. & 8. Stephanus Inſixura, & Iacobus Volaterranus in notis diarijs. Mmſſ. Bibliothecæ Vaticanæ. Iuſtinianus hiſt. Venet. lib. 9. Leonardus Coqueus in Anti morneo tomo 2. Antidoto contrà progreſſum 64.*

II. *Cur ad reconciliationẽ Sixtus PP. permotus fuerit.*

Mouit Sixtum ad pacem in Italia ſanciendam, occaſio rei contrà Turcas benè gerendæ, nata ex diſſidio filiorum Mahometis, qui de ſumma Imperij dimicabant. Mortuo Mahomete, ſubitò omnis obedientia more gentis ceſſauerat, publicum ærarium ſublatum, negotiatorum, & Iudæorum opes direptæ infirmiores à potentioribus oppreſſi, inteſtinis odijs, ac mutuis cædibus omnia fædata, ac præter hęc ex diſſidio fraterno Imperium extremo diſcrimini obiectum, ſi tunc Chriſtiani Principes, ad occupandum illud, vires ſociauiſſent. Reliquerat Mahometes nepotes quinque, qui ad dominium paterni imperij aſpirabant, & factiones ſuſcitabant. Sed maior ſeditio, ſeu factio inter duos fratres, Baiazitem, & Zyzimum exorta fuit. Hos Mahometes pater, dùm viueret diuerſis locis diſiunxerat, nè publicis negotijs intenti, alter, alteri, ob futurum Imperium, inſidias strueret; aut verò ipſo viuente, ad ſummam rerum contenderet. At neq; eos priuatam vitam agere tolerauit, ſed prouinciarum præfectos conſtituit, vt vterque ſua prouincia cõtentus, & quietè ageret, & nihil grauius moliretur. Baiazites Paphlagoniam, & Euxini maris littora obtinebat; Zyzimus natu minor Lycaoniam. Ille molliſſimè, in omnem libidinem effuſus, Sardanapali vitam viuebat: hic circa Iconium, venationi, thermis, natationibus, & commeſſationibus iuueniliter laſciebat. Baiazitem, Ildrimi, ſeu fulgur, & fulmen, præcipiti temeritate; hunc Zemam, ſeu Iem, Zyzimum, id eſt amorem, & delicias, à moribus non tàm aſperis appellabant. Vterque cognita morte patris, citatis itineribus, Conſtantinopolim ad Regiam Sedem properabat: hic Orientalium, & Perſarum viribus in Aſia confiſus, ille verò Prætorianorum, & commilitonum fauore. Tumultuatum inter hæc Conſtantinopoli inter duces, ac milites, atque cruentis gladijs certatum, parte vna ad Baiazitem, altera ad Zyzimum ſceptra trahente: ſed vicit tamen factio Baiazitis, quando Achmetes Purpuratus Hydrunti expugnator, vir militaris, vt ſeditionem tolleret, Corcuthum, vnum ex liberis Baiazeti, decem, & octo annorum iuuenem in Regio ſolio collocauit, atq; irato vulgo oſtendit, dicens, huius patrem, Imperatorem à nobilioribus declaratum, ac Regio diademate præ Zyzimo dignum. Ad hunc modum tumultu ſedato, Imperium Baiazeti ſtabiluit, altera factione attonita, iram diſſimulante, & potentiæ Corcuthi ſuccumbente. Paulò pòſt Baiazetus Conſtantinopolim venit, ac magno plauſu à ſuis exceptus, & Imperator ſalutatus, ſimul cum paternis reſiduis theſauris, Imperium occupauit. Zyzimus intereà per Bithyniam terreſtri itinerę incedens, viarum diſpendio moratus, principatu, ac ſpe potiundi Regni fuit fruſtratus. Sed nè quid tamen ſibi deeſſe videretur, à ſuis admonitus, Pruſſam veterem Bithyniæ Regiam occupauit, atque Baiazethem, ad ſingulare certamen prouocauit. Regebat tum alter Baiazetis filius quattuordecim annorum, aui ſui permiſſu, Curiam, & Lydiam Is audiens patruum valido cum exercitu aduenientem, pernicibus equis, fugam arripuit, atque ad Rhodios primùm feſtinauit: cæterùm hæſitabundus in littore fortè onerariam reperit, qua conſcenſa Callipolim, inde Conſtantinopolim delatus patrem totius rei admonuit. Ille porrò Achmetem Baſſam, cum inſtructo exercitu per Propontidem mittens, fraternis copijs obiecit. Ductabat Zyzimus Aſiaticos milites, ſed militiæ rudes, ignauos, & fæminis propiores: qui cum Europæos Baiazetis tamquam audaciores, & robuſtiores timerent: ille ſuorum viribus diffidens Pruſſam reliquit, nec niſi, quadraginta equitibus comitatus in Syriam magnis itineribus profugit, ac ſacrorum cauſa, Hieroſolymitanum templum, in magna veneratione à Mahometanis habitum inuiſit: inde per Arabiæ deſerta, ad Sulthanum Aegypti Regem, Memphim ſe contulit: à quo non modò comiter acceptus, ſed etiam egregiè in aduerſitatibus conſolatus fuit; quando is legatione ad Baiazetem miſſa totius controuerſiæ arbitrium, ſibi permitti poſtulauerat; futurum promittens, inter diſſidentes, ſe poſſe concordiam redintegrare. Dum autem Sulthanus aliquid certi à Baiazete expectarent, Zyzimus Mecham, ad Mahomethi pſeudoprophetæ ſepulchrum venit, religioſuſque, & ſupplex Mahometem adorauit; inde ad Sulthanum reuerſus, cùm Baiazetes fratrem contemneret, nullamque ſpem pacis oſtenderet, Zyzimus ad apertum bellum inclinauit, magniſque muneribus ab Ægyptiorum Rege donatus, peragrata Syria, Iſtmum minoris Aſiæ (quæ nunc Turcica dicitur) penetrauit, & Ciciliæ Regem Caramannum.

à quo per litteras, & nuncios priùs ad commune bellum accerſitus fuerat, conuenit, vt ad ſocietatem armorum pertraheret. Huic enim Ciliciam, & Meſopotamiam paternas regiones, Mahometes abſtulerat. Salutauit is Zyzimum ex nomine Imperatorem, & fœdere cum illo percuſſo, copias ſuas coniunxit, atque Laraudum, ac Iconium vſque duxit, vt Baiazeti, bellum inferrent. Baiazetes in tanto diſcrimine etiamnum anxius, fratris, & Caramanni apertum bellum, ſed magis ducum occultas inſidias, ac proinde defectionem metuebat: præſertim cum Achmetus Baſſa, clàm aliquas ſimultates cum Imperatore alere diceretur. Diſſimulauit tamen hæc omnia, & Achmatum, qui cum iuſto exercitu iam contrà Zyzimum proceſſerat, ſubſecutus, magna auri, & argenti profuſione, inconſtantes militum animos ſibi conciliauit, & præfectos cum copijs in officio retinuit. Numerabat autem in ſuo exercitu Baiazetes, ad CC. M. armatorum. Id cùm Zyzimus, & Ciliciæ Rex à profugis intellexiſſent, cùm ſe viribus impares cognoſcerent, Tauri montis iuga (quorum obiectu Cilicia Syriam à ſe excludit) nè obſiderentur penetrarunt, vt natura loci, ab inſidijs tutiores eſſent. Nam litteris, ac nuncijs vltrò citròque miſſis, & acceptis, Baiazetes pacis ſtudium Zyzimo præferebat, cum ducenta millia aureorum, & Regiam ſuppellectilem in fœdus polliceretur, ſi regni fines excederet: clàm autem dolos meditabatur, atque tendebat, vt viuum in poteſtatem acciperet. Id cùm Zyzimus intellexiſſet, rerum deſperatione adactus, ſocium Regem, & hoſpitem hortatus, vt tempori cederet, ſeque ad meliora ſeruaret; ipſe in maritima Ciliciæ deſcendit, ibique expeditum nauigium mercede adeptus iuſſit parari, ac præſtò ſibi eſſe, vt ſi qua vis ex improuiſo adoriretur, confeſtim in altum abiret. Miſit interim Rhodum, ad Petrum Daubuſſonium Sacræ militiæ Magiſtrum, Nuncios, qui ſignificarent, illum ſtatuiſſe, ſub publicæ fide, in inſulam ad Chriſtianos tranſire, quandò fraterna inuidia preſſus, nullus ſibi locus ſupereſſet amplius. Ad diem X. Iulij in conſeſſu publico audita legatione, id, quod Zyzimus flagitabat, non modò non negatum eſt, ſed quia Chriſtianæ reipub. tanti principis transfugium vtile videretur, confeſtim claſſis in Ciliciam Aluaro Stunicæ, Priori Caſtellæ data, quæ illum ex infeſto littore abductum, Rhodum deueheret. Nondum Rhodiæ naues eò appulerant, cùm Zyzimus ſubito hoſtium acceſſu compulſus, naui parata, imminenti periculo ſe ſubduxit, atque paululùm à littore progreſſus, litteras ad fratrem dedit ſagittæ alligatas, quæ arcu violenter excuſſa, in proximum littus emiſſa eſt: Fuerunt litteræ, quas ille ad Baiazitem dedit, hoc argumento ſcriptæ, vt dicerent; ſe non fidei, nec gentis odio, ſed fratris iniuria ſubactum, ad Chriſtiani nominis viros, fugam intendere; hos præcipuè aditurum, qui omnium maximè Ottomanico nomini eſſent infenſi. Vnam ſpem in tantis calamitatibus ſecum ferre, vt vel ipſe iniuriæ author, vel eius filij quandoque præſenſentis aduerſùm ſe, impietatis debitas pœnas exoluerent. Fertur Baiazites ea epiſtola commotus, lacrymis compertrare nequiuiſſe, animoque conſternato amenti propè ſimilis tabernaculum ingreſſus, remotis omnibus tacitus ſediſſe. Erat tum Zyzimus, octo, & viginti annos natus. Delatum illum claſſe Rhodiana, militiæ Magiſter magna officiorum frequentia, ſummoque honore Rhodi excepit, in peruigilio feſtiuitatis S. Iacobi Apoſtoli, die XXIIII. menſis Iulij. Eadem die Oratores, Ioannem Veſtonem Priorem Angliæ, Merlinum Prozzaſcum Admirantem, Ioannem Quendalium Turcoplierum, Aluarum Stunicam, Priorem Caſtellæ, & alios tres magni nominis viros, in Europam deſtinauit, qui Sixto Pontifici, Imperatori, ac Regibus, & Principibus Chriſtianis aduentum Zyzimi in inſulam Religionis ſignificarent; ſimulque admonerent, nè occaſioni rebus gerendis contrà Turcas deeſſent, ſed & conſilijs, & auxilijs præſtò adeſſent, ad communem hoſtem opprimendum. Poſtridiè quàm Rhodum intrauerat Zyzimus, in comitium Rhodianæ militiæ introductus, cauſã aduentus ſui expoſuit, ac reddita domeſticæ diſcordię ratione, ità diſſeruit: *Sed circò conatũ pòſt patris interitũ ad ſe imperiũ trahere, (& ſi fratre minor eſſet natu) quia ille ex patre nondũ Rege procreatus eſſet, ipſe verò nõ ſolũ ex patre Rege, ſed iã & Græciæ Imperio adepto fuiſſe tamẽ ſic quoque ceſſurum fratri, ſi in aliquã Regni portionem fuiſſet ab eo admiſſus. Eo ſe conſilio Rhodũ veniſſe, vt per ipſum Rhodiorum Magiſtrum, cuius fides, & ſumma virtus in multorum ore eſſet, Romano Pontifici, & cæteris Chriſtiani nominis Ducibus inſinuatus, in paternum Regnum illorum auxilijs reſtitueretur. futurum affirmans, vt ſi aliquandò reſtitui contigiſſet, omni tempore Principum Chriſtiani nominis amicitiam coleret, perſanctèque ſeruaret, omniaque illis de ſe, & ſuo Imperio polliceretur.* Videbatur tamen quòd eo conſilio Zyzimus Rhodum peruenerit, & in ea inſula locum exilij delegerit, vt ſe in proximo ſedente, quandocumq; occaſio oblata eſſet, audaciùs ad res nouandas amicorũ animi conſurgerent, haberetq; eo motu fratrẽ ſemp ſollicitum; quo vt aliquandò ſolueretur, ſua ſponte ad concordiam inclinaret. Fuit Zyzimus ſtatura proceriore, valetudine proſpera, cæruleis oculis ac parùm obloquis, aquilo colore, naſo adunco, & citrà medium prominentiore, obeſo ventre, compactis alioquin mẽbris. Pronus ad irã inſigni oculorũ incoſtantia, quũ animus fluctuaret, in fremitu voce ſimili caprinę: ſedato cæterò quin ſermone, compoſito, & raro. Cibi erat appetentiſſimus, vorare veriùs quàm mandere, aquam ſaccaro infuſam patrio ritu potare; caloris, algoris, & inediæ impatiens. mergere ſe natandi ſtudio marinis fluctibus, denudare corpus ſine rubore, ad lauacra multis etiam ſpectantibus; ſubtriſtis, & cogitabundus videri, nec vllum lætitiæ ſignum dare, niſi in Rhodiorum Magiſtri congreſſu patriæ legis, atq; ſuperſtitionis obſeruantiſſimus, ac gentilium litterarum adeò peritus, vt patris hiſtoriam conſcripſerit. Matrem habuit Regia Dacorum gente, quam cũ duobus filijs apud Solthanum Aegyptium Memphis reliquit. Eius ad Rhodios confugio Baiazetes audito, vt illum omnino inde excluderet, pacem cum Rhodianis equitibus inire molitos, plurimos, qui Magiſtrũ ad eã perẽdã inclinarent, induxit. Inter hęc Zyzimus mutato cõſilio, cũ non omninò tutũ ſibi apud Rhodios, ſiue propter vim apertam à fratre, ſiue propter inſidias occultas, morari exiſtimaret, ſemel, ac iterũ Magiſtrũ interpellauit, atq; tandẽ impetrauit, vt in Galliã mitteretur: quangò Baiazetes miſſo Achmete purpurato, & alijs oratoribus, ignarus, an Zyzimus in Gallias traieciſſet, pacem à Rhodianis flagitabat. Eius rei Dambuſſonius, Sixtum Pontificem, miſſo Ioanne Michaële Pagnano admonuit, & an pacem inire, an inducias ſtabilire, in tanta temporùm iniquitate, in qua, & Rhodus bello ſuperiore, ac terræ motibus planè euerſa eſſet, & principes Europæi domeſticis diſſidijs diſtracti forent, deberet, interrogauit. Annuente Pontifice, & quid Imperator cum Regibus de cauſa Zyzimi decernerent, expectante, tandem Rhodiorum Equites, cum Baiazete per Oratores agentes, fœdus haud ignobile, neq; vnquam auditum percuſſerunt. Baiazete pro more gentis, & ſuperſtitionis iureiurandũ interponẽte, & diploma ſigno Regio confirmãte. Fœderis leges iſtæ erant; Miles gladiũ nè ſtringito: clades in ferre caueto; nec cõtinẽti, nec pelago armis locũ dato; claſſem in occurſu ſalutato; negotiator tutò mercimonia exerceto; cõmeatus mutuò ſumito, ſed ſine vectigali inſolito: [illegible] ſi in lege verſat, reſtituito: [illegible]

*Turcarũ Imperator fœdus init cum Rhodianis equitibus & quibus ſub conditionibus.*





extrà legem eſt, viginti nummorum auri exoluito: arx ſancti Petri perfugis patens eſto; Magiſter Rhodiorum ſingulis annis, trecentos Chriſtianos ditionis Baiazeti, Rhodum educito, & in qualibet placuerit opera collocato; Baiazetes, erepta Rhodijs reſtituito: Pax toto tempore vitæ Baiazetis inuiolabilis perſeuerato. Hunc in modum pace ſtabilita, Baiazetes miſſis Rhodum Oratoribus, confirmationem fœderis poſtulauit, ſimulque Dambuſſonio, & Ordini militari, fratrem Zyzimum, cuſtodiæ veriùs quam tutelæ commendauit, pro annuo ſumptu pollicitus, quadraginta quinque M. aureorum, quamdiù in eorum poteſtate futurus, arma non ſumeret; ac præterea X. M. annua aureorum, ratione damnorum anno ſuperiore à patre Mahomete Rhodijs illatorum. Iam Zyzimum in Gallias traieciſſe Dambuſſonius retulerat; Oratores tamen Baiazetis nomine, vt illum Rhodiani in cuſtodia, vbi locorum foret, vel tutela haberent, flagitabant: ac ſimul pecuniam in ſingulos annos memoratam offerebant. Quibus conditionibus Rhodij, ad VIII. diem Decembris fœdus approbarunt, & datis vltrò, citròque litteris, & acceptis, conſtabiliuerunt, eaque omnia Sixto Pontifici, IIII Ianuarij anni conſequentis perſcripſerunt; ſignificantes, eodem tempore, Achmetem purpuratum, quòd Zyzimo fauere videretur, & bellum paci præferre, arcu collum traiectum in conclaui, Baiazete ſic iubente periiſſe; ipſos verò ad omnem rei benè gerendæ occaſionem intentos, meliora tempora expectare. Baiazetes, in maiorẽ cum Dambuſſio, & Rhodianis amicitiæ, & fœderis confirmationem, dextram S. Ioannis Præcurſoris Domini illi dono miſit; Zyzimus verò in Gallia ſummis honoribus acceptus, in domo Ordinis Ioannitarum dicta, *Burgonouit*, aliquot annos vixit: quam rem Dambuſſonius Imperatori, Regibuſque Galliarum, Hiſpaniarũ, Angliæ, Luſitaniæ, Poloniæ, Vngariæ, & alijs renunciauit, monens, nè reipublicæ Chriſtianæ pro ſua virili deforent, ſed occaſione vterentur. Erat id temporis in aula Matthiæ Regis, frater Mahometi anno ſuperiore defuncti, filius Amuratis legitimus, puer à Chriſtianis pòſt amiſſam Conſtantinopolim interceptus, & Nicolao Quinto Pontif. Romano adductus, à quo ſacro baptiſmate ablutus, & litteris Latinis egregiè in Chriſtianitate inſtructus, poſteà apud Fridericum Imperatorem, indè apud Matthiam Regem, meliora tempora expectans, per eos Principes ſperabat, ſe aliquandò poſſe Imperium auitum recuperare, & Chriſto vero Deo reſtituere. Iuſtis ſe nuptijs ab Amurate procreatum, Mahometem verò fratrem ex pellice natum, adeoq; ad ſe, non ad iſtum illegitimum iura Imperij pertinere aſſerebat: ac proindè Baiazetem, & Zyzimum Mahometi filios, non legitimos eſſe regni poſſeſſores, ſed ſe varijs argumentis confirmabat. Is ſtatim atque accepit, vtrumque ex fratre nepotem de regno contendere, ac Zyzimum auxilia à Rhodianis, & alijs implorare; confeſtim ad Dambuſſonium miſit, qui de vniuerſo negotio hominem edoceret, & ſubſidia, ſi quæ Zyzimo ille pararet, ad ſe deriuaret. *Iacobus Boſſius hiſt. Rhodiorum lib. 12. & 13. Auctor hiſt. Ioannitarum lib. 5. Auctor hiſt. Politicæ Turco Græciæ lib. 1. Leunclauius hiſt. Muſulman. lib. 16*

III. *Ludouicus Galliarum Rex multis vexatur morbis.*

Baiazetes, quando intellexit, Zizimum in Gallias tranſmiſiſſe, ibique à Ludouico Rege honorificentiſſimè exceptum fuiſſe, illicò miſit Oratores cum libello indice ſanctarum Reliquiarum, quæ Conſtantinopoli etiamnum erant; nihil ex eis Regi non gratificaturus, modò fratrem colens, alioqui contrà ſe non iuuaret. Oratores in Prouinciam curſum tenuere, ingreſſu interioris Galliæ prohibiti iuſſu Regis. *P. Aemilius in Ludouico XI.* Is præterquam hoſpitales honores, nihil in Zyzimũ conferre potuit fatali ægritudine correptus. Per id enim tempus ægrotare maximè Ludouicus cæpit. Nam Comitiali morbo cum interim premeretur, elephantiæ quoque occulta indicia præſeferebat, & hemorrhoide crebrò vexabatur. Aliquantum opera medicorum leuatus, non multis pòſt diebus grauiùs ſolito conflictatus eſt, & quidem magnis muneribus certauit opem à Diuis impetrare, quibus complures Eccleſias abundè ditauit: tamen vota, oblationeſque parùm procedebant. Nouiſſimè Diuo Ioanni Baptiſtæ deuotus, in Sacello Pariſiaci palatij, Miſſam, quę de ipſo Domini præcurſore dietim cantaretur, inſtituit, cantoribuſq; libras mille annui cenſus deſignauit: ac præterea Diuum Claudium, qui apud Sequanos in monte Iura colitur, religioſè veneratus; ea peregrinatione exacta, Clerium veniens, nouem totos dies in templo Diuæ virginis religionis gratia diuerſatus eſt. Sæpiùs recidebat in morbum, ac per horas plures, mortui hominis præbebat ſpeciem; aliquandò loquendi facultate amiſſa, cæteriſque membris afflictis, viuere tamen ſe, ac omnia intelligere, quæ dicebantur, vel ſcribebantur, oſtendebat. Abdebat ſe interim, & conſpiciebatur à paucis, & de omnibus malè ſuſpicari cæpit, & magnoperè metüebat, nè ſibi vel adimeretur imperium, vel imminueretur poteſtas. Itaque ſuos familiares omnes à ſe remouit: quòd non ignoraret, pleroſque Galliæ Principes inimico in ſe animo, & ex reliquis Ordinibus ſciebat, multos eſſe exacerbatos. Nam priorum Regum nemo Galliam ſic afflixerat, vt ipſe. Cum igitur omnibus propè diffideret, in Pleſſium caſtellum vrbi Turono propinquum, vbi tum erat, neminem ferè admittebat, præter famulos domeſticos, & ſagittarios numero quadringentos, è quibus multi ſimul ad eius loci cuſtodiam excubabant. Gener ipſius Borboniæ Dux nonnumquam eò veniebat; ex reliquis autem Principibus ferè nemo. Veſtibulum caſtelli totum, cancellis admodum denſis circumſepſit, & qua parte patebat introitus, verua præfixit muro præacuta multis cuſpidibus, & pro foſſa ædificauerat, quattuor ædiculas ferreas, iiſque ſagittarios quadraginta impoſuit, qui non minùs interdiu, quàm noctu ibi excubarent. Iis mandauerat, vt in omnes, qui de nocte, vel etiam manè, priuſquam aperiretur porta, propiùs acceſſiſſent, eiacularentur. De ſuis enim familiaribus hanc opinionem habebat, facilè ipſos, data occaſione, vt authoritatem, & adminiſtrationem ſibi arrogarent, excitari poſſe. Nec temere quidem ità ſuſpicabatur. Nonnulli enim cogitabant, inuadere in caſtellum, & in ocio illo, dum nihil priuatim, aut publicè fieret, ſumere procurationem negotiorum. Præter ea, quæ diximus, crebrò mutabat etiam cubicularios, & famulos domeſticos, affirmans, naturam hominis delectari rebus nouis. Vnum, & alterum exiguæ conditionis, & parùm laudatos homines, admodum habebat ſibi familiaris, qui nihil omnium rerum ad eum deferebant, niſi fortè quid ad ſummam Imperij pertineret. Augeſcebant in eo quotidiè ſuſpiciones: ideòque magnoperè prouidebat, nè quis omnium, de quibus parùm benè ſentiret, aut in vrbem admitteretur, aut etiam propiùs ad eam regionem accederet. Corpore ſic erat attenuato, & exhauſto, vt vix hominẽ repræſentaret; cæterùm vt crederetur, eſſe firma valetudine, magnam ſui famam per omnem ferè Europam excitabat. Creditũ eſt, tot ægritudinibus diuinitus immiſſis confectũ fuiſſe, ſiue quòd, Baluã Cardinalem in carcere horrendo, quem quidem hic ipſe primus excogitauerat, primũ ipſum concluſiſſet, perque totos quatuordecim annos detinuiſſet, ſiue quòd Guillelmum Marchianum, pecunia, & milite, in Ludouicum Borbonium Leodienſem Epiſcopum adiuuiſſet; is autem, eum cum incompoſita populi multitudine vrbe egredientem, ex inſidijs adortus, manu ſua necaſſet, mox Pontificis nudum cadauer, pro Eccleſiæ maioris foribus plebi conſpiciendum exhibuiſſet. Sanè nulla

erat Ludouico Regi à morbo requies, ſeque indies magis, ac magis debilitari ſentiebat, & mortis metu angebatur; cum nemo fuerit illo vitæ cupidior. *Guagninus hiſtor. Franc. lib. 10. Comineus Commentariorum l. 9.*

IV. *Ludouicus Borbonius Leodieſiũ ex quibus cauſis occiſus.*

Quod attinet cædem Ludouici Epiſcopi, à Guilhelmo Arembergio patratam, ea hunc admodum, ex his cauſis patrata eſt. Fuit apud Ludouicum Epiſcopum, Guillhelmus, aliquamdiu ſumma in auctoritate ſummoque honore. Hic impatiens fortunæ, felicitatem ſuam ferre diutius non potuit; quin potius pro beneficijs acceptis odio concepto, aduerſus Epiſcopum ea machinatus eſt, quæ aduerſus hoſtem vix æquũ erat. Erãt huius diſſidij plures cauſæ, quarũ nulla Epiſcopo tolerabilis erat. Nãque ſatellites, & eques eius, quos expenſis ſuis, & menſa ſua apud ſe vna cum Arenbergio ſuſtentabat Epiſcopus, eò petulantiæ iam proceſſerat vt ſoléni ciborũ apparatu nõ contenti, nõ modo patinas ac lances vt erãt, cibo plenas humi per atrium prouoluerent, ſed etiam miniſtris aulicis verbera minarentur. Deinde, & ipſe Arenbergius ita ſe Epiſcopi negotijs importunè ingerebat, vt excluſo per omnia illo, ipſe rerum potiri videretur. Nullus enim erat in aula ſecretarius, qui vel edictum, vel mandatum, vel denique inſtrumentum vllum alia forma ſcribere auderet, quam qua vellet Arenbergius; cum diuerſum facientibus ille minaretur exitium. Ad hæc mandatis etiam Eccleſiæ rebellis erat, cum neque templa frequentaret vnquam, neque ſacris intereſſet, neque peccata confiteretur, neque ſacram communionem accederet, & in Quadrageſima palam carnibus veſceretur. Præterea non ſatisfaciebat conditionibus ijs, quibus eum in gratiam receperat Epiſcopus. Nam cum interfeciſſet D. M. Richardum, eius amicos, vti promiſerat, ſibi non reconciliabat, & quamuis proinde anathemati ſubiectus eſſet, de abſolutione huius ſollicitus non erat. Poſtremo relicta honeſtiſſima vxore, ex qua liberos iam complures ſuſceperat, Colonienſi cuidam ſcorto adhærebat, quod maritum ſuum veneno tollere conatum fuerat. De his igitur omnibus alijſque horum ſimilibus compluribus; cum iuſſu Epiſcopi per graues quoſdam viros argueretur, offenſus, ex palatio Epiſcopi deceſſit. Ex hoc tempore ſeſe homicidarum, prædonum, exulum, proſcriptorum, ac deploratiſſimorum quorumq; hominum conſortio aggregauit, & Epiſcopo inſidias ſtruens, vbicunque illum cognouiſſet præſentem, eodem ſe oculis eius obequitando ingeſſit. Detectis inſidijs, eoque hoſte iam denunciato, in Franciam profectus, Ludouico Gallorum Regi ſuam operam obtulit, ac promiſit ſe illi vniuerſam Leodienſium ditionem in manus tradíturum, ſi Rex ipſe copias ſufficientes tradere non grauaretur. Eius pollicitationibus Rex illectus, Carolum Ambianenſem cum exercitu ad eum miſit. Hic interim duo caſtro præſidia ſuo firmauit, manifeſtumque ſe hoſtem Epiſcopo declarauit. Caſtra iſta tamen, Epiſcopus, auxilijs Maximiliani Auſtriaci in poteſtatem redegit, & quamplurimis conſpiratoribus extremo ſupplicio affectis, aliis ad conuincendum Arenbergium in vinculis reſeruatis, edictum vnà cum conſulibus Leodienſium in illum publicauit, quo Guilhelmus Arenbergius in æternum proſcriptus fuit ſine ſpe reſtitutionis in integrum: idque vigore pacti publici, quod ipſo auctore non ità pridem inter patriæ Leodienſis ordines compoſitum, & iureiurando firmatum fuit. Hoc factum cum intellexiſſet Arenbergius, qui tum temporis in Francia verſabatur, litteras ad omnes patriæ ordines; & ad publicos iudicum conſeſſus, & Cõuentus pluribus locis dedit, orauitque vt ſibi locus, ac dies iudicij aſſignaretur, quo cauſam ſuã ipſe diceret, & ſuã innocentiã Reipublicæ liquidò oſtenderet, probaretq;. Inanes fuerũt hæ preces eius. In ſtatutis enim Leodienſium id cautũ eſt, ne quis vel reſponſum impetret, vel ſe purgandum admittatur, de quo per quæſtiones, & publica teſtimonia conſtat, quòd reus culpæ ſit, cuius arguitur: Hoc igitur maximè doluit Arenbergius, & conqueſtus eſt, ſibi fieri iniuriam non contemnendam, qui ad ſuam purgationẽ non admitteretur. Idem etiã conquerebantur conſanguinei eius, qui genti, familiæque ſuæ notam hanc nimis intolerabilem inuri clamitabant. Ergo ille adiunctis ſibi Gallis & exulibus, & proſcriptis, & flagitioſiſſimis quibuſque, terram Leodienſem, atq; Loſſenſem circumquaque vaſtare incendijs, cędibus, rapiniſq; omnia miſcere, Sacerdotes, ac Monachos interficere, Sacras Virgines palàm violare, templa prophanare cæpit, nihilque reliquit ſcelerum eorum, quæ hoſtes Ethnici, in Ethnicos vnquã tentaſſe memoriæ traditum reperitur. Princeps Arãziorum à Maximiliano Auſtriaco in ſubſidium Epiſcopo Namurcum cum copijs miſſus, & ſi vxor ſua, Epiſcopi ſoror eſſet, non dubijs argumentis deprehenſus eſt, bellũ ducere, & cum Arenbergio clanculũ colludere. Nã cùm aliquot Arẽbergij intimos cõſiliarios haberet captiuos, exigua tãtũ pecuniæ ſumma mulctatos dimiſit, qui liberati, ipſo etiã Arenbergio in patriam pernicioſiores extiterunt. Adeò autẽ crebræ, & graues in terram Leodienſem irruptiones fiebant, vt Epiſcopus coactus ſit, magnis præſidijs ſuæ ditionis fines tueri, quæ res illi luculento damno ſtetit propter ſumptus inæſtimabiles, quos præſidiarijs neceſſe habuit impendere. Cum autem accepiſſet, illum cum numeroſa manu Leodio imminere, ipſe ciuitatẽ ingreſſus, Leodienſium fidem, & tutelam implorauit. Adfuit paulò pòſt cum ingenti exercitu Arenbergius, magnumque terrorem Epiſcopo, & ciuibus incuſſit. Contrà hunc Epiſcopus armatus, ſed malo omine proceſſit. Cùm enim equum ſuum in palatio conſcẽdiſſet; nullis calcaribus, nullis ſtimulis, vt vel loco cederet impellere potuit, quamdiù ipſe inſideret; cum alio ſeſſore recepto, ille non grauatim officium faceret. quod quidem cum identidẽ eodẽ momento accideret, præſagium fuiſſe iudicatum fuit periculi, quod Epiſcopo imminebat. Ad extremum verò Epiſcopus vnà cum ſuis ex palatio deceſſit, qui cum in forum perueniſſet, vbi Ciues armati eum prẽſtolabantur, cõclamarunt oẽs, vt equitum turmæ præcederent, ſe vnà cum triginta duobus opificum collegijs mox eſſe ſubſecuturos. Primo cõflictu hoſtes ſuperiores facti, multos ex comitatu Epiſcopi inſignes viros peremerunt. Erat cum Epiſcopo fortiſſimus adoleſcens, Ioannes Horneus Canonicus; qui reliquis omnibus metu Arenbergij trepidantibus, in foro vexillum arripiẽs animũ addiderat. Is etiam hic declarauit, ſe neq; manibus hoſti, neque menti Epiſcopo defuiſſe, cuius conſilio, ſi Princeps obtemperare voluiſſet, fortaſsè minus eueniſſet mali. Hoc enim ſuadebat, vt Epiſcopus maturè caneret receptui, & intrà mænia tantiſper hoſtẽ opperiretur, donec & Aranzianus, & ſuas etiam copias aduocaſſet, vt his adunatis, hoſte ſuperior eſſe poſſet. Epiſcopus vero partim animi ſui generoſitate, partim doloſis fucatorum conſilijs, fugæ dedecus auerſatus, fortiter in hoſtem tetendit, quo propoſito, cum in anguſtias quaſdam viarũ incidiſſet, vndè effugiũ non patebat, ex inſidijs eſt interſectus; ipſo Arenbergio primùm Præſuli vulnus in iugulum inferente, deinde conductitijs è Francia ſicarijs, multis eũ vulneribus conficientibus, inque Moſam cadauer conijcientibus, ſecundum hæc Arenbergius victor Leodium ingreſſus, quaſi in ſuam ditionem veniſſet, omnia ſacra, atque prophana occupauit, Epiſcopi fautores aliquos, alios vita, alios fortunis, alios his vtriſque exuit. Epiſcopi occiſi corpus etiam ſepultura priuare voluit: ibidemq; oratione habita mirum in modũ tyrannidis Epiſcopum accuſauit: quaſi eius nomine maximæ calamitates per Brabantos Leodienſibus





inflictæ fuiſſent; iam diu potuiſſe harum finem fieri, ſi hic diu de medio ſublatus fuiſſet. ſe patriæ ſuæ ſeruitutem tàm obſcænam diutiùs ferre non potuiſſe; nunc tandem, ſe auctore eum illuxiſſe diem, quo libertatis recuperatæ feſtum ſolenne extincto tyranno agitare liceret. Reſtare nunc id ſolum, vt poſita formidine, atq; ſimulatione omni, amicos amare, hoſtes odiſſe, ex animo inciperent. Mox deinde, vt ſe liberatorem, & non oppreſſorem patriæ declaraſſet, in medio foro patibula duo erexit, in pænam præſidiarijs militibus, ſi qui ciues vltrà præſcriptum aggrauare auderent; deinde ad ordinandum Rempub. animum adiecit, & in poſterum diem, hoc eſt in ipſas Calendas Septembris, Epiſcopi noui electionem Canonicis indixit: & quò minùs electione aberrarent, filium ſuum illis ità cõmendauit, vt precibus minas etiam regaliter addiderit.

*Diſſidium de Epiſcopo Leodienſi eligendo.*

Canonicis inter hęc in Brabantiam maxima ex parte dilapſis, illi, qui remanſerant, poſtridiè in vnũ congregati, volentes, nolentes, Ioannem Arenbergium, Guillhelmi filium, Epiſcopum Leodienſem elegerunt, adoleſcentem necdum ſacris vllis initiatum, Coloniæ Agrippinę litteris operam dantẽ, quem deinceps poſtulatũ Leodienſem appellarunt. Maior pars Canonicorũ, qui Louaniũ propter Leodienſium ſeditiones effugerant, in duas ſententias diuiſi, alij Ioannẽ Hornẽiem, Comitis fratrem, alij Iacobũ Crouiacum, fratrem defuncti Philippi Comitis Chimai, vtroſque Canonicos Leodienſes, Præſulem renunciarunt, deq; cæde Epiſcopi, Sixtum Pontificem certiorem reddiderunt: hi, qui poſteà Leodio aduenerunt, electioni in Ioannẽ Arenbergium, tanquã violentæ, & coactæ renunciarunt, & in partes diuiſi, quidã Horneo, quidam Crouiaco adhæſerunt. Et quidem Sixtus Pontifex anathema in Guillelmum Arembergium, ob cædem Epiſcopi pronũciauit, Maximilianumq; Auſtriacum, & alios principes in vltionem ſceleris, quemadmodum par erat, excitauit: inde electionem per impreſſionem in illius filium factam omninò reſcidit: duo autem reliqui, cum magna contentione coràm eo de prærogatiua litigaſſent, ita demùm rem compoſuit, vt Horneus Epiſcopus, Prothonotario Crouiaco penſionem annuam mille octingentorum aureorum perſolueret. Dedit non multò pòſt parricidij pænas Guillhelmus, antè oppidum S. Trudonis, à Friderico Horneo, Epiſcopi fratre captus, & Traiecti ad Moſam gladio ſubiectus, vniuerſa ciuitate id vidente, & hominem inſanum execrante. *Barlandus in Chron. Brabantiæ Ducum. Pontus Heuterus rerum Belgicarum l. 2. Suffridus Petri libro de Epiſcopis Leodienſ. in Ludouico & Horneo.*

V. *Diſſidentes Principes conciliat Sixtus Pontifex opera Legati & quibus ſub conditionibus.*

Secundùm hæc Pontifex Sixtus, inter Ludouicum Galliarum Regem, & Maximilianum Auſtriacum, tandem pacem, opera Legati Card. compoſuit his legibus. Carolus Delfinus, Regis vnicus filius, Margaritam Auſtriacam, Maximiliani filiam vnicam in matrimonium ducito. Publicata pace, dicta Margarita Atrebati, in manus Dñi Bauiuij, aut alterius Regis ſanguinis Proceris, traditor, in Francia enutritor. Quũ primũ Delfinus, ac Margarita adoleuerint, ſeſe eos ſecundũ legẽ coniuncturos Franciæ Proceres, nomine Regis, ac Delfini iuranto. Margarita Delfino in dotẽ Comitatũ Arteſiæ, Burgundiæ, Maſconũ, Auxerræ, Charoloij, Salniarũ, Barræ ad Sequanã. Boloniæ, ac Noierij adferto, eaq; eorum legitimi vtriuſq; ſexus liberi, hæreditaria ſucceſsione adeunto. Si ſterili matrimonio morte ſeparentur, dictæ tùm ditiones, Philippo Auſtriaco, Margaritę fratri ceduntо. Contentus eſt Maximilianus, ac Belgarum Ordines nomine Philippi Auſtriaci, Rex ſibi ſeruet dictarum regionum oppida, & arces, quæ hoc tempore in eius ſunt poteſtate, in fauorem matrimonij futuri. Quòd ad Fanum Audomari attinet, abſolutis nuptijs, Comitatui Arteſiæ, cuius eſt membrum, cedito; Intereà eius, cura, gubernatioq; ſacro Ciuitatis Ordini, nobilitati, ac plebi, vt Delfino perfectis nuptijs reſtituant, committuntor. Ordines dicti oppidi Regi iuranto, id ſe gubernaturos in rem Delfini, ac Margaritæ, nec permiſſuros, Maximilianus, aut filius eius Philippus, vel minimum ibi iuris exerceant. Idem Ordinis Maximiliano iurantote, ſeſe oppidum nec in manus Regis, nec Delfini tradituros antè nuptias abſolutas. Intereà oppidi reditus, Rectoribus in rerum neceſſariarum vſum ceduntо. Muniorum in oppido vacãtium repræſentatio Delfini, donatio Maximiliani, aut Philippi eius filij eſto, litteræq; hac de cauſa, gratis vtrimq; expediuntor. Si Margarita Auſtriaca antè nuptiarum abſolutionem obierit, Fanum Audomari, ad vetus Imperium Archiducis Auſtriæ pleno iure redito. Oppidanis hoc rerum ſtatu legendi conſueto tempore Magiſtratus ius eſto. Si neceſsitas poſtulauerit, è ſuis Oppidi Legatũ legitote, exteroſq; milites cõſcribitote. Si bellum inter Francos, Auſtriacoſq;, aut alios interea exortũ fuerit, neutram ſequentes partem, à bello intacti manento. Annuas vſuras, quibus Atrebatum Comitatus à Carolo Pugnace eſt oneratus, Rex creditoribus perſoluito. Idem facito penſionibus in Burgundiæ, aut apud Atrebates à præceſſoribus Burgundię Comitibus aſsignatis. Renũciat Rex, Delfinus, ac ſponſa omnibus maternis, hac dote contenti, bonis. Si Delfinus relictis, aut non relictis liberis morte Margaritam præceſſerit, ea Comes Burgũdiæ, Arteſiæ, cæterarumq; ditionũ Domina maneto. Singulis annis è Campanga, Bria, ac Turonibus quinquaginta millia librarũ Turonenſium ei perſoluunto. At ſi illa eum morte præceſſerit, relicti cuiuſcumq; ſexus liberi dictas regiones hęreditate adeũto. Si nulli ſuperſtites fuerint liberi, dictæ regiones ad proximos Margaritæ hæredes redeunto, excepto Duaco, Inſulis, ac Orthiaco, in quibus Rex actionem ſeruabit, donec conſtiterit, iuſta ſit ea, nec nè. Nec Rex, nec Delfinus, nec Maximilianus, tutelam Philippi Auſtriaci prætendito, neq; gerito; ſed Belgarum Ordinibus, in eo, quo nunc ſunt ſtatu, relinquito. Si Philippus Auſtriacus antè pubertatem obierit, ſuccedente illi ſorore Margarita, aut eius liberis, Rex ac Delfinus Belgarũ prouincias, in eo, quo inuenient ſtatu, donec ipſa adoleuerit, relinquito: Ordines autẽ, Delfini, vt veri Domini, ius ſartum tectum conſeruatote. Si adulta Margarita, aut eius liberis, Philippus Auſtriacus ſine liberis obierit, aut quacumq; alia ratione Belgarum ditiones, ad Margaritam, eiuſq; legitimos hæredes deuolutæ fuerint, datis in eam rem litteris, Rex, ac Delphinus pollicebuntur, ſingulas ſe tum Prouincias gubernaturos ſecundum mores, ac conſuetudines maiorum, nec eas, quæ ad hoc non obligantur, compulſuros, vt ad Senatũ Pariſienſem, aut alibi extra ditionem prouocare cogantur. Maximilianus, ac Philippus, vt Flandriæ Comites, eiuſque ditionis Ordines, Pariſienſem Senatum pro ſuprema prouocationis Curia agnoſcito, eaque de re litteras Regi dato. Rex immunitates omnium Prouinciarum, à quibus eæ ſint conceſſæ, approbato, conſeruaturumque ſe promittito. Inſulæ Duacum, ac Orthiacum, primùm ad Curiam Flandriæ, deinde Pariſios, quamdiù Comitum Flandriæ ſubditi erunt, prouocanto. Margarita Eboracenſis Pugnacis vidua, his conditionibus comprehenditor, immunitatibus, iuribuſque conſuetis vbique fruitor. Ab vtraque parte generalis ijs ſit gratia, qui, deſerto legitimo Principe, alteri ſeruierit. Hac pace in poſſeſsionem dignitatum, munerumque omne ab vtraque parte, qui belli tempore pulſi fuere, ſiue Sacri, ſiue prophani ordinis fuerint, redeunto, contenti bonorum ſtatu, muniorumque conditione, quam reperient: eademque ratione omnes ab vtraque parte in agrorum poſſeſsiones, ac bona, quæ vocant immobilia, reſtituuntor. Tornacum, Mortanga, Fanum Amandi, cæterique Regis ſubditi hac pace fruuntor. Quæcumque in ditione

Lutzenburgenſi Rex occuparit, reddito, præl. dia deducito, agrorum iniquas donationes reuocato. Si Regi, aut Maximiliano illatum bellum ſit propulſandum, aut facta iniuria vindicanda, auxilio alter alteri eſto. Eædem pacis leges mari, ac flumine, quæ terra, ſunto. Si aliqua ratione dictæ nuptiæ effectum non ſortiantur, renunciat Rex emptioni vrbis Duacenſis, Inſularum, ac Orchiaci à prædeceſſoribus ſuis factæ, conſentus, vt eæ in perpetuum Flandriæ annexæ maneant, nulla Francorum in ijs actione manente. Propria has conditiones manu Rex, ac Maximilianus ſubſignanto, maximiſque appenſis ſigillis confirmanto, quemadmodum & omnes Regij ſanguinis Principes, vrbes, ac Curiarum Præſides, Idem ab altera parte vrbes, Ordines, Oppida, ac Curiæ Belgicarum Prouinciarum Maximiliano, eiuſq; filio ſubditarum faciunto.

*Maximilianus Auſtriacus, cur ad illas iniquas conditiones compulſus fuerit.*

Ad iniquiſſimas has pacis leges, magno cum Philippi Auſtriaci detrimento factas, neceſſitas ipſa compulit Maximilianum, profecta nimirùm ab arrogantia, ac violentia Flandrorum, præcipuè Gandenſium, qui mortua Duce Maria, Maximilianum contemnentes, filium eius Philippum, ac filiam Margaritam Gandani detinebant, pro arbitrio enutriebant, nomineque Ordinum Belgicarum tutelam vſurpabant, deque ſubditorum bonis, vitaque pro lubito diſponebant, mille quærentes occaſiones, vt Maximiliano in Germaniam retruſo, ipſi pueros Principes, eorumque ditiones, pro animi libidine gubernarent. Inter præcipuos, qui has nuptias paciſque formulam cum Rege conceperant, erat Guilhelmus Rimius, Syndicus Gandenſis, vir aſtutus, prauæque indolis, ac Ioannes Coppenollius caligarius, Magiſtratus ſcriba, homo turbulentus, eaque de cauſa plebi gratus. Coactus tamen eſt Maximilianis pactis ſubſcribere, vt ſe moleſtia, & impenſis belli liberaret, atque pacem Orbi, quemadmodum Sixtus flagitabat, daret. *Pontus ſupra. & Mſ. expedition. Sixti 4.*

*VI. Dietherus Moguntinus Archiepiſcopus moritur.*

Hoc anno, die. 7. Maij diem clauſit extremum Dietherus, ſeu Theodoricus, Comes Iſenburgenſis, Archiepiſcopus Moguntinus, vir bonus, Monaſticæ diſciplinæ inſtaurator, religioſorum, & deuotorum benefactor, pater, & patronus: qui vniuerſitatem Gymnaſij Generalis in ciuitate Moguntina primus inſtituit, & aliqualiter dotatam, à Summo Pontifice confirmari, & conſuetis priuilegijs, ac gratijs cumulari impetrauit: prætereà, quæ in Clero, & monaſterijs, Seligenſtadienſi præſertim, quod nobilium genere, ignobilium moribus, monachorum luxu diffluebat, ſcandala videbantur, tollere procurauit: Ioannem de Weſalia hæreticum damnauit; quendam dicacem, & contumelioſum concionatorem, Francofurti coërcuit, nequiſſimis quibuſdam, & vaniſſimis, quos poſtmodum Berna combuſſit, Mirabiliarijs (ſancti enim Auguſtini verbo Tract. 13. in Ioan. vti placet) formidini fuit; benè perfunctus munere ſuo, dyſenteria, extinctus: cum priùs de Capituli partis maioris conſenſu, à Sixto Pontifice Romano impetraſſet, vt egregiæ indolis adoleſcens, Albertus Saxoniæ, ac Miſniæ Ducis Erneſti filius, annos natus 17. Canonicus Moguntinus, fieret adminiſtrator, poſteà ſucceſſor. *Trithemius in Chron. Sponheimen. Nicolaus Serrarius lib. 5. Moguntiacarum rerum.*

*VII. S. Bonauentura Ord. Minorum SS. cathalogo inſcribitur, & Canonizationis diploma.*

Hoc anno Sixtus Pontifex, Sanctum Bonauenturam Minoritam S. R. E. antè ducentos annos Cardinalem, Diuorum Cathalogo inſcripſit, & quod ſequitur diploma canonizationis edidit. Ità habet.

*Sixtus epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Supernæ cæleſtis patriæ, ciuitas Hieruſalem, cuius participatio eius in idipſum, ità omnium electorum ſalutatione lætatur, vt quorum præſtantiora ſunt merita, copioſiora etiam ſumant gaudia præmiorum. Quod in exceſſu mentis ſuæ poſitus Iſaias Propheta ſenſiſſe videtur, cùm diceret: Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus. Exultent igitur omnium Angelorum chori, qui de vacuarum ſedium habitatione ſolliciti, conantur de virtute in virtutem, ad beatas illas manſiones, vnde ſuperbi ruerunt, ſpiritus humilitate perducere. Exultent quoque omnes animæ iuſtorum, qui Chriſti veſtigia ſunt ſecuti, atque omnes, tàm veteris, quàm noui teſtamenti fideles amici Dei, qui contemptis huius ſeculi vanitatibus, qui conciuium numeroſitate congaudent. Exultet cælum laudibus, reſultet terra gaudijs, quorum ſanctorum editio, lætitiam habet plurimorum. Vnde enim fidei pietas exigit, vt quod pro ſalute multorum geritur, communibus vbique gaudijs celebretur. Præcipuè verò exultet Pontificum cætus beatorum, & ſacra Doctorum concio, qui fulgent in cælo tanquàm ſtellæ in perpetuas æternitates, quos inter, Sanctus Bonauentura, tanquàm nouum ſydus ex hac lachrymarum valle, ad cæleſtem, quæ ſurſum eſt, Hieruſalem, vocante eum Domino, migrare enituit.*

*§. 1. Nos autem, qui diſponente altiſſimo ad culmen Apoſtolatus euecti, chriſtiani gregis curam gerimus, quam pro debito paſtoralis officij, iucundo ſanctorum Collegio conformare, vt debemus, intenſis deſiderijs affectamus, Eccleſiæ militanti, pro cuius ædificatione, & incremento; ipſum Bonauenturam in Catalogum ſanctorum referendum duximus, haud incongruè dicere poſſumus: Exulta hodiè, & lauda habitatio Sion, id eſt chriſtiana religio, in qua tanquàm in monte Sion, per veram fidem habitat verus Deus quoniam magnus in medio tui Sanctus. Quippe in medio Eccleſiæ aperuit os eius, & impleuit eum Dominus ſpiritu Sapientiæ, & intellectus, & ſtolam gloriæ induit eum: & coronauit ad portas paradiſi, in qua vnà cum Angelis, gloria, & felicitate lætatur.*

*§. 2 Lætemur itaque, & exultemus, quia cæleſtis illa Curia ex nobis habet, cui ſit cura de nobis, qui ſuis nos protegat meritis, quos informauit exemplis, illuminauit doctrinis, & miraculis confirmauit. Quem Deus dedit cunctis populis in gloriam, & honorem, cuius memoria in benedictione eſt.*

*§. 3. Ea namque de diuinis rebus ſcripſit, vt in eo ſpiritus Sanctus locutus videatur. Ita piè, religioſe, & ſanctè vixit, vt ſcriptis vita congrueret, & quod dicebat, ſcribebat, doceret exemplo. In quo morum virtus, & ſignorum claritas ità comperta eſt, vt congruentibus maximis meritis, ac miraculis veræ ſanctitatis teſtimonium à militante Eccleſia debeatur eidem.*

*§. 4. Nam cum in flore virente iuuentutis, humanis abiectis illecebris, diuino ſe addixiſſet ſeruitio, religionem B. Franciſci, quæ per ardua tendit, ingreſſus, tantum ſedula lectione, & aſſidua Oratione perfecit, vt cum ſapiente meritò dicere poſſet: Optaui, & datus eſt mihi ſenſus.*

*§. 5. Illuminatus enim ab eo, qui illuminat omnem ſenſum, qui lux, via, veritas eſt, & vita, paucorum annorum ſpatio, incredibilem eſt ſcientiam conſecutus, nec talentum ſibi à Domino creditum, ſudario alligauit, aut terræ infodit, ſed vt ſapientiſſimus diſpenſator in communem vtilitatem conuertit. In celebri enim Pariſienſi Gymnaſio cathedram rexit, vbi abſcondita ſcripturarum enucleans; non ſolum viua voce profuit multis, ſed etiam plurima librorum optimorum, tum in ſacris literis, tum in maioribus ſcientiis monumenta reliquit, quæ eſſent omni tempore poſtremis profutura.*

*§. 6. Magnus doctrina, non minor humilitate, & vitæ meritis, quem Alexander de Ales, Doctor clariſſimus, cui ſe in diſciplina Sanctus Bonauentura tradiderat, tantæ innocentiæ, ac columbinæ ſimplicitatis expertus eſt eſſe, vt dicere ſolitus fuerit, ſibi videri, quòd in eo Adam nunquàm peccaſſet.*

*§. 7. Magnus etiam in Ordine Fratrum Minorum, cui vnus pòſt Beatum Franciſcum, plurimum profuit. Ad eius enim gubernacula vocatus, & Generalis Miniſter Domino inſpirante creatus, talem ſe ſuis præbuit ſubditis, vt in illo Dominicum illud verbum videretur impletum. Qui maior eſt veſtrum, ſit miniſter veſter.*

*§. 8. Nam ſapientia, & morum integritate maior, Prælationis officium cū tanta exercuit charitate, quòd ſponte humilis,*





*nunc doctrina, nunc monitionibus, nunc exhortatione fraterna, nunc etiam corporali ſeruitio ſatagebat, vt bonus Chriſti miles inferioribus miniſtrare. Nec ſolum quæ ab ipſo B. Franciſco piè & ſanctè fuerunt inſtituta; diligentiſſimè cuſtodiuit, ſed multa etiam adinuenta, quæ creſcente Fratrum numero neceſſaria videbantur, adiecit, Ordinem quoque ipſum in Prouincias, Cuſtodiaſque diuiſit.*

*§. 9. Magnus etiam dignitate in Romana fuit Eccleſia. Increbreſcente enim fama innocentiæ, doctrinæ, ac prudentiæ eius à fel. m. Gregorio Papa, X. prædeceſſore noſtro ad Cardinalatus eſt vocatus honorem, vt eius opera in maximis, & difficillimis rebus, quæ temporibus illis inciderant, vteretur. in quem Gregorius ipſe ob ingentia viri merita, nouo eſt vſus exemplo. Statim enim illi Albanen. commiſit Eccleſiam, quæ non niſi vetuſtioribus Cardinalibus ſolet committi.*

*§. 10. Non feſellit expectationem Summi Pontificis, ac Sacri Senatus, optimus, ac Deo amiciſſimus vir. Sed in Conc. Lugdunen. præſidens, omniaque ad ei laudem dirigens, ſedatis diſcordijs, difficultatibuſque ſublatis; ipſi Eccleſiæ maximo vſui fuit, & ornamento.*

*§. 11. Quibus rebus aperte cognoſcitur, quod ſtatuit illi Dominus teſtamentum pacis, & principem fecit eum, vt ſit illi Sacerdotij dignitas in æternum, quem manus gloriæ non inflauit, non diuitiæ ſiniſtrorſum egerunt, ſed in fide lenitateque perſeuerans, pius in Deum, in pauperes miſeritors, iuſtus in omnes; ita hoc corruptibile corpus exuit, vt cum Apoſtolo dicere poſſet: Bonum certamen certaui, curſum conſumaui, fidem ſeruaui; in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.*

*§. 12. Qui etſi ex ſola perſeuerantia poterat Sanctus credi iuxta illud. Eſto fidelis vſque ad mortem; & dabo tibi coronam vitæ ſubſecuta ſunt tamen poſt vitam multa, maximaque miracula, quæ certum Sanctitatis eius probent indicium, & Nos ad ipſius venerationem inducunt, quod Deus meritis præcedentibus venerandum oſtendat. Ipſe enim Deus omnipotens, vt ſuæ virtutis potentiam manifeſtet, & noſtræ ſalutis cauſam pandat, fideles electos ſuos, quos coronat in cælis, ſæpe etiam honorat in mundo, ad eorum memoriam ſigna faciens, & prodigia, quò hæretica prauitas confundatur, & fides orthodoxa ſeruetur.*

*§. 13. Agimus igitur ipſi Deo, quantas poſſumus gratias, quod nos dignos duxerit, per quos hæc Canonizatio celebraretur: quæ licet diuinis literarum monumentis extantibus, coruſcantibuſque miraculis, iam pridem potuerit rite fieri, nunquam tamen, antehac, vel à Principibus, vel ab aliis tanta diligentia fuit petita. Noſtro tempore chariſſimi in Chriſto filij noſtri, Federicus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Ludouicus Francorum Chriſtianiſſimus, Ferdinandus Siciliæ, & Matthias Vngariæ Reges illuſtres, dilecti quoque nobiles viri, Alphonſus Ioannes Motenico Venetiarum. Ioannes Halcam Mediolani, & Ioannes Burbon Duces inſignes. Præterea ciuitates Florentinorum Senenſium, Lugdunenſium, Peruſinorum, & quod tale iubar tulit Balneoregium, tanto ſtudio, tantaque perſeuerantia petierūt à Nobis, vt durum, & impium putaremus, eis in re tam pia reſiſtere, quam etiam Dei monitu petere videbantur. Acceſſerunt aſſiduè Venerabilis Fratris noſtri, Iuliani Epiſcopi Sebinenſis, ipſius Ordinis Protectoris. dilectorum quoque filiorum, Franciſci Samſonis, Generalis Miniſtri, & Petri de Rodulphis, Procuratoris dicti ordinis, ſacræ Theologiæ profeſſoris preces, qui nomine generalis eorum Capituli, id tanquam iuſtum & debitum repoſcebant. Legeramus ſtudioſiſſime ſancti huius diuina ſcripta, quibus poſtquam per ætatem aliquid ſapere licuit, ſemper fuimus delectati. Audiueramus quoque ab antiquioribus præfatæ religionis fratribus, & grauibus quidem viris, quod & ipſi à maioribus natu acceperant, de ſanctimonia vitæ eius conſtantem famam eſſe, ſciebamus de multis, maximiſque miraculis, nec erat propterea apud Nos dubium, quin in triumphanti Eccleſia triumpharet in cælo, & venerationem mereretur in terris.*

*§. 14. Sed memores nos eundem, Minorum Ordinem ex voto ingreſſos, in quo diuina aſſiſtente gratia in Sacris literis, & religioſis moribus, vtcumque profecimus, eademque Miniſteriatus officia exercuimus, atque inde ad Cardinalatus dignitatem, ita vt per conſimiles gradus ad Pontificatus culmen ſubleuatos nos diſponente Domino cognoſcamus, per quos ipſe Bonauentura Sanctus ad triumphantis Eccleſiæ immarceſſibilem gloriam euectus eſt, nè ad id videremur potiùs affectione propria, quàm debita deuotione moueri, eam adhibuimus diligentiam, ac grauitatem, quam rei magnitudo poſcebat. Commiſimus enim tribus ex Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, vt de veritate miraculorum mandarent inquiri. Cumque vnus ex eis inchoato proceſſu, vt Deo placuit, ab hac luce migraſſet, alium in locum defuncti ſubrogauimus Cardinalem, quo etiam decedente alium ſubſtituimus.*

*§. 15. Nec hiis contenti, cùm iam proceſſus ipſe penè perfectus eſſet, & hi, qui delegati erant, fideliſſimè retuliſſent: tamen quia non videbatur in procedendo, tanta quanta requiritur obſeruata ſolemnitas, illum reiterari iuſſimus.*

*§. 16. Demùm cùm ex vlteriori relatione, & fide dignorum teſtium ſuper hoc receptione compertum fuiſſet, multa, & magna à Deo per ipſum ſanctum miracula fieri, quæ in conſpectu multitudinis cernebantur. Nos nè ſpiritui Sancto reſiſtere videremur, qui per os Prophetæ laudare Deum in ſanctis ſuis iubet, in Conſiſtorio noſtro ſecreto huius rei cauſa habito, eorundem Venerabilium fratrum noſtrorum, S. R. E. Cardinalium vota ſuper huiuſmodi Canonizatione ſumus ſcrutati. Cumq; omnium vna, eademque fuiſſet ſententia, videlicet vt in Sanctorum numero referri deberet.*

*§. 17. Conſiſtorium publicum deinde habuimus, in quo magna multitudine aſtante, & in triduum Orationes, ieiuniaque indiximus, vt Deus omnipotens nobis, quod factu optimum in hac re eſſet, oſtendere dignaretur, nec pateretur Eccleſiam ſuam militantem errare, quæ ſe triumphanti conformare ſtudet.*

*§. 18. Triduo deinde elapſo, omnes, qui in Romana Curia erant, Prælatos iuſſimus conuenire, qui ad vnum interrogati quod faciendum videretur, in eandem ſententiam conuenerunt, Beatumque Bonauenturam canonizandum cenſuerunt.*

*§. 19. Nos ergo Dei nutum, & voluntatem ſequentes, attendenteſque iuſtum, ac debitum eſſe, vt quos Deus honorat in cælis, nos venerationis officio laudemus, & glorificemus in terris, cùm ipſe potiùs laudetur & glorificetur in illis, qui eſt laudabilis, & glorioſus in ſæcula: hunc diem Canonizationis ipſius Sancti Bonauēturæ in medio Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, quò maxima omnis generis, Ordiniſque multitudo confluxerat, celebrandum ſtatuimus. Ibi reliquis omnibus legitimè peractis, prædictus Ordinis Minorum Procurator in medio ſtans, dictum illud B. Ioannis Apoſtoli, clara voce proponens, tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo. Pater, verbum, & Spiritus Sanctus, probauit etiam, habito ſuper præmiſſis proceſſu, ipſius beatiſſimæ Trinitatis perſonas teſtimonium, quod Beatus Bonauentura in cælo ſit, præſtitiſſe. Patrem, videlicet, in miraculorum potentia Filium, in doctrinæ ſapientia, & Spiritum ſanctum in vitæ ipſius bonitate. Et proptereà non ſolùm nominibus omnium, qui hanc ipſam Canonizationem fieri ſupplicarunt, ſed etiam ex parte Indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, vt ipſum Beatum Bonauenturam, ſanctum pronuntiare dignaremur, inſtanter, inſtantiùs, & inſtantiſſimè requiſiuit. Confidentes igitur, quòd in hac Canonizatione non permittat nos Deus errare, qui omnia in ea quomodolibet requiſita, etiam ſuperabundanter obſeruari fecimus, & obſeruauimus, de eorundem Fratrum noſtrorum, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, omniumque Prælatorum in Romana Curia exiſtentium, vnanimi conſenſu, & maturo conſilio, de omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, beatæ memoriæ, Bonauenturam Balneoregienſem. S. Theologiæ profeſſorem, ex gremio Sacri Ordinis Minorum, & ex officio Generalatus, in Epiſcopum Cardinalem aſſumptum, Sanctum eſſe, ac aliorum Sanctorum Dei Catalogo aſcribendum, adijciendum, ac aggregandum fore, ac fideliter, firmiterque teneri debere decernimus, ipſumque Sanctorum Confeſſorum, Pontificum, & Doctorum, quos ſancta Dei veneratur Eccleſia, conſortis ſolemniter in præſentiarum aſcribimus, aggregamuſq; per præſentes.*

*§ 20. Statuentes etiā, & mandantes Venerabilibus Fratribus*

*noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filijs, dictorum, ac Patriarchalium, Metropolitanorum, & Cathedralium Eccleſiarum Capitulis, & quorumuis Ordinum, tàm mendicantium, quàm non mendicantium profeſſoribus, nec non quibuſcunque Eccleſiaſticis perſonis, vt feſtum ipſius ſancti Bonauenturæ, ſecunda Dominica Menſis Iulij ſingulis annis ſolenniter, & deuotè celebrent, diuinum officium, veluti pro vno Confeſſore, Pontifice. & Doctore, tàm publice, quàm priuatim, prout contigerit, perſoluentes*

§. 21. *Dilectis verò filijs, Fratribus prædicti Minorum Ordinis, quatenùs huiuſmodi officium ſub feſto duplici, & octaua, eo modo, quo aliorum dicti Ordinis Sanctorum celebrare feſta, & Octauas conſueuerunt, celebrandi concedimus facultatem.*

§. 22 *Inſuper eadem auctoritate omnibus verè pænitentibus, & confeſſis, qui in eadem Dominica, Eccleſiam, in qua ſanctum eius corpus requieſcit, deuotè viſitauerint, annuatim ſeptem annos, & totidem quadragenas, his verò, qui alijs temporibus in ſingulis diebus Dominicis, centum dies; illis autem, qui Eccleſias fratrum Minorum vbilibet conſtitutas, tàm ipſa die feſti, quàm in Octaua, diuinis officiis interfuerint, conſimiles indulgentias, & peccatorum remiſſiones, quæ in ſingulis aliorum eiuſdem Ordinis ſanctorum feſtis, & indultis Apoſtolicis generaliter promulgatis, Romani Pontifices conceſſerunt, de iniunctis pænitentijs miſericorditer in Domino relaxamus, & elargimur.*

§. 23. *Conſiderantes prætereà, quanta ab hoc ipſo Sancto Bonauentura ratione ſcientiæ, & ſanctitatis vitæ, Epiſcopaliſque, & Cardineæ dignitatis, S. R. E ſuſceperit incrementa, quantamque idem Sanctus, cum Beato Thoma de Aquino, coætaneo condiſcipulo, & commagiſtro ſuo, familiaritatem, & ſpiritualem coniunctionem in hac vita ſeruauerit, Vt quos in hoc ſeculo fraterna iunxit charitas, & eadem in cælo præmia conſecutos credimus, præſens Eccleſia pari veneretur honore, prædictum feſtum inter feſta ſacri Palatij Apoſtolici aſſumentes, annumeranteſque, eandem indulgentiam in feſto prædicto in Eccleſia Sanctorum Apoſtolorum de Vrbe, quæ in feſto ipſius Sancti Thomæ de Aquino in Eccleſia B.* MARIAE *Virginis de vrbe Minerua vulgariter nuncupata, habetur, concedimus, pariterque decernimus, fratres Minores, in alma Vniuerſitate Pariſienſi, eiſdem priuilegiis poſſe, ac debere vti, & gaudere, ob ipſius Sancti Bonauenturæ merita, quibus ex Apoſtolicis indultis, Fratres Prædicatores, qui in eadem vniuerſitate, intuitu, & gratia eiuſdem Sancti Thomæ, potiri, & gaudere conſueuerunt, & gaudent, aut potiri, & gaudere quomodolibet poterunt in futurum.*

§. 24. *Quæ circà omnes, & ſingulos in dignitate conſtitutos requirimus, & monemus, quatenùs vniuerſis, & Clericis, & populis ſuarum Ciuitatum, Diœceſum, & Parochiarum præſentes noſtras literas ſolemniter publicantes, eoſdem hortentur vt Deum ipſum, à quo bona cuncta procedunt, humiliter deprecentur, vt ipſius Sancti Doctoris, & Confeſſoris Bonauenturæ meritis, & precibus exoratus, militantem Eccleſiam, Apoſtolicam fidem, & cunctos Chriſti fideles, à Paganorum, & aliorum infidelium, & hæreticorum tueatur incurſibus, & à periculis cunctis ſemper protegat, ac defendat, & illam, quam nobis mundus dare non poteſt, pacem, hoſtium omnium ſublata formidine, firma cum tranquillitate concedat, vtque poſt huius vitæ malitiam, depoſitumque Paſtoralis officij miniſterium, vna cum grege nobis credito, ad ſempiterna tandem gaudia peruenire mereamur.*

§. 25. *Demùm quia difficile foret, literas Originales præſentes, ad vniuſcuiuſque notitiam deferri, volumus, ac decernimus, quòd earum tranſumpto, ſub ſigillo Generalis Miniſtri Ordinis antedicti, & manibus duorum Notariorum publicorum debitè ſubſcriptis, fides adhibeatur in dubiis, omnibus, & per omnia, & illis vbique ſtetur, ac ſi Originales literæ huiuſmodi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.*

§. 26. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ Conſtitutionis, aſcriptionis, aggregationis, ſtatuti, mandati, conceſſionis, relaxationis, largitionis, aſſumptionis, annumerationis, monitionis, ac voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire Si quis aũt hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.*

*Datum Romæ, apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quadringenteſimo octuageſimo ſecundo, decimo Octauo Calend. Maij. Pontificatus noſtri Anno Vndecimo.*

Hæc pro Canonizatione Sancti Bonauenturę, Pontifex Sixtus decernebat.

VIII. *Vita, & obitus B. Antonij ord. Eremitarum S. Auguſtini.*

Quo etiã anno Aquilæ in veſtinis, B. Antonius ord. Eremitarum S. Auguſtini profeſſor, ad cæleſtem patriam emigrauit. Is Mediolani honeſto loco natus, & à pijs parentibus ad omnium virtutum, præfectionem enutritus, poſtquam Medicinæ, & Chirurgiæ artes ad ſummum didiciſſet, eaſque cum ingenti bono eorum, quos à morbis deploratis ſanauerit, aliquamdiu exercuiſſet, extremò illorum ipſorum, à quibus mercedis loco mutationem vitæ, vel ſæcularis in religioſam, vel ſolutioris, in Chriſtianæ diſciplinæ conformem efflagitauerat, & ipſe quoque ſæculo valedicens, in ordinem Eremitarum S. Auguſtini ſe dedit: neque tamen officium charitatis in perſanandis ægrotis intermiſit. Eis antequam manum medicam admoueret, ſignum crucis primitùs imprimebat: deinde ad Sacramentorum vſum inducebat; mox odium peccatorum vna cum propoſito vitæ melioris ingerebat: ſicque cauſis morborum ſpiritualibus eradicatis, potius per miraculum, quam per antidota corporalia ægros ſanitati reſtituebat. Fere vniuerſam Italiam, Gallias, Hiſpanias, Compoſtellam, vſque peragrauit, pene ſolo crucis ſigno omnia morborum genera depellens. Si quando alicuius ditioris curam ſuſcepiſſet, mercedis vice, Eleemoſynam, quam inter ægros inopes partiretur, impetrabat, nullius quantumuis egentiſſimi curam detrectabat, quin potius eis libentius, & gratuito operam, ac miniſterium adhibebat. Caſu quodam claudus effectus cum non poſſet ad decumbentes excurrere ſaluberrima præcepta præſcribebat. A feliciſſima omnium curatione, cum odium maleuolorum quorundam incurriſſet; ac illi conſpiratione facta, in eius necem iamiam intenti, redeuntem quodam in loco exſpectarent, inuiſibilis per medium parricidarum tranſiuit. Tandem ſanctitatis, ac miraculorum ingens, & ſanctis Coſmæ, & Damiano in curandis ægris perſimilis, ad eorum gloriæ conſortium, non ſine dolore Aquilanorum, & circumuicinorum populorum emigrauit. Cum ei mortuo ſepulchralem foſſam aliquis effoderet, Saxum ex oppoſito pariete per miraculum euulſum fodientem percuſſit ac pene exanimauit, adſtanteſque admonere viſum fuit, ne ſubter terram pretioſum ſancti viri corpus defouerẽt, ſed altiore loco reconderent. Diem clauſit extremum ſeptuagenarius. Corpus eius vſq; in hodiernum diem integrum, nullaque ex parte, aut imminutum, aut corruptum viſitur, & in magna veneratione habetur propter celeberrima miracula, quæ etiamnum hoc tempore eduntur. *Claudius Eugenius Aquilanus in vita.*

IX. *Moritur B. Steno ord. Prædicatorũ.*

Eodem anno diem clauſit extremum in Cænobio Scarenſi B. Aeno Danus Ordinem Prędicatorum profeſſus. Mirum mirandum eſt, quod de eo Scriptores commemorant. Aliquando euocatus ad procurandum aliquem, vt vocant, Capitaneum moribundum tardius quam oportuerat, aduenit, & iam vita functum reperit. Cum aliud non poſſet, & ille ſine ſacra Exomologeſi obijſſet, compoſitum in feretro iuſſit ad Eccleſiam ſui Ordinis deferri, & in medio choro collocari. Ibi tamdiu pro ſalute mortui preces fudit, donec ille quaſi è graui ſomno excitatus, ad vitam redierit, quidque illum Steno vellet, diſerta voce interrogauerit. Cum Steno non aliud, quam ſalutem illius ſe quærere reſpondiſſet, & ille quoque eandem ſe optare pronunciaſſet;

conti-



confitentem peccata audiuit, ſacroſanctiſque Myſterio procuratum, ad cœlitos præmiſit. *Michael Pius lib. 1. de viris illuſtribus Ord. Prædicatorum.*

X. *Item Reynardus epiſcopus VVormatienſis.*

Eo ipſo anno 12. Calend. Auguſti obiit Reynardus de Sickingen Epiſcopus VVormatienſis in Germania in Capella S. Ægydij ſepultus, quam ipſe de nouo iuxta Maiorem Eccleſiam conſtruxit. Cui ſucceſſit Ioannes Camerarius de Dalburg, Maioris Eccleſiæ Præpoſitus, vir maiori dignus honore, Pontificum decus, nobilium ornamentum, omnium Philoſophorum, & eruditorum hominum princeps, & gloria, in omni ſcientia doctiſſimus, cui inter Pontifices Germania non habuit parem, nec Italia meliorem. *Trithemius in Chron. Spanheimenſi.*

XI. *Petrus Bagarotus I. C. in Pontificiæ poteſtatis contẽptor peſte extinguitur.*

Hoc ipſo anno Deus ſæua lue extinxit Petrum Bagarotum Patauinum Iuriſconſ. contemptorem Pontificiæ poteſtatis. Is quum Veneti, Ferrarienſi bello à Pontifice Max, anathematis interdicto prohiberentur bellum proſequi, & à Senatu Veneto ſuper ea re à Patauino Iuriſconſultorũ collegio conſilium peteretur, quid facto opus foret, nè Veneti eo anathemate ligarentur, neue conſcientia territi, ab inceptis deſiſterent alijs alia conſulentibus, Petrus omnium primus conſuluit, appellandum eſſe à ſententia Romani Pontificis, ad futurum Concilium accitus Venetias ad firmandum huiuſmodi Commentum, illic maxima tunc peſte in contemptoris graſſante, eodem & ipſe morbi genere correptus cum alijs interijt. *Bernard. Scardeo. lib. 2. hiſt. Pataui.*

XII. *Eberardus VVirtembergenſis Comes viſitat Apoſtolorum limina, & Sixto PP. honoratur*

Eodem anno peregrinationem ad limina Apoſtolorum SS. Petri, & Pauli ſuſcepit, obiuitque Eberardus, Wirtembergæ, & Montiſpeligardi inclytus Comes; Sabbato ante Dominicam Lætare, à Sixto Pontifice honorificè ſuſceptus, atq; die conſequenti, ab eodem Pontifice pro ſingulari munere, roſa aurea, quam Pontifices Romani ſingulis annis Dominica *Lætare* conſecrare, & alicui ex principibus Chriſtianis donare conſueuerunt, cumulatus eſt. *Ioannes Nauclerus volum. 2. generat. 50.*

XIII. *Eccleſia Cortonenſis Ord. Seruor. B. V. varijs ornatur reliquiis.*

Quo etiam anno, Iacobus Vannutius Cortonenſis, Arimini primùm, mox Peruſij, ac poſtremò Niceæ Archiepiſcopus, ex Cæſarie Beatiſſimæ Virginis capillos aliquot, Cortonæ in Eccleſia Seruitarum, cum alijs Reliquijs depoſuit, pixidique inſculpſit.

*Pixide inaurata poſuit Vannucius Heros.*
*Cæſariem ſacram virgo Beata tuam.*
*Oſſaque ſanctorum felici hac ſede quieſcunt,*
*Quorum animæ in cælis gaudia vera ferunt.*

Depoſuerat ante in Eccleſia Cathedrali eiuſdem, ciuitatis, particulam de ligno S. Crucis, & nonnihil de veſte inconſutili Redemptoris noſtri, quæ pignora à Nicolao V. Pontifice, cui à ſecretis cubicularius diu inſeruierat, pluresque perfecturas, ac legationes obierat, aliquando obtinuit. *Archangelus Gianius, Centuria 3. Annal. Seruitarum c. 8.*

XIV. *Aberdonẽſis, & Conimbricẽſis Academiæ eriguntur.*

Eodem anno, concedente Sixto Pontifice, Guilelmus Epiſcopus Aberdonienſis in Scotia, Aberdone in Marria Scotiæ regione; & Ioannes II. Rex Portugallię, Conimbricæ, in Luſitania, Academias ſcientiarum condiderunt. *Auctor rerum memorabil. Saxoniæ vniuerſæ lib. 2.*

XV. *Moritur Alfonſus Carrilius Toletanus Archiepiſcopus.*

Hoc anno; ipſis Kalendis Iulijs obijt Alfonſus Carrilius, Toletanus Archiepiſcopus, annis grauis, viuido ingenio, eoq; non ciuilibus modò, ſed etiam militaribus muneribus idoneo; à quib⁹ tñ neceſſitate magis temporum, itaq;, quàm voluntate abſceſſerat. Tumulus defuncto Compluti, vbi extremam ætatem melioribus ſtudijs propagabat, in Diui Franciſci, quod ipſe monaſteriũ conſtruxerat, conſtitutus eſt ad aram maximam. Troili filij extincti conſequentibus annis coniunctum ad læuam ſepulchrũ, incontinentiæ paternæ fœdum monimentum, Ximenius Cardinalis remouendam ab oculis multitudinis, atque in monaſterij exedram, vbi conuentus Monaſterij ſunt, transferendum curauit. Carrilij Præſulis æmulus, Hiſpaniæ Cardinalis, Ferdinandum, & Iſabellam Reges in Aragoniam ſecutus, approbatione Sixti Pontificis Toletanam Eccleſiam regendam ſuſcepit, vir magnus, maiorum gloria non magis, quàm ſuis virtutibus claris. Ea meritis gratia eſt habita, perpetuæq; iuuandæ reipublicæ voluntati. Enecus Manricus Giennenſis Epiſcopus, in eius locum, eadem authoritate Ap.ca Hiſpali datus eſt Præſul. *Mariana lib. 24. cap. 22.*

XVI. *Item Chriſtiernus Daniæ Rex.*

Mortuus eſt etiam, 22. Maij Rex Daniæ Chriſtiernus, Romana peregrinatione inſignis, princeps humanitae, & clementia Illuſtriſſimus, quem ſua liberalitas, quæ præcipua virtus eſt Principum, ſæpe ad indigentiam contruſit. *Krantzius libro duodecimo Saxoniæ c. 31.*

# ANNO CHRISTI 1483.

## SIXTI PAPÆ IV.

Anno 12. & 13.

## FRIDERICI ROM. IMP.

Anno 44.

I. *Sixtus PP. fœdus cum pluribus Principibus pangit.*

ITaliæ pacis deſiderio, Sixtus Pontifex, à Venetorum in Herculem Ateſtinum ſocietate deſciuerat, vtq; illi arma deponerent, & arbitrio Sedis Apoſtolicæ, vel Principum fœderatorum controuerſiam permitterent, anathemate propoſito edixerat. Cumque aliquantò, quàm vellet, illos in bello gerendo pertinaciores videret, cum Ferdinando Neapolitanorum Rege, Ludouico Sfortia Mediolanenſis Ducis tutore, ac Florentinis fœdus pepigit: maximè quando Veneti, Rauennam, Ceruiam, & aliquas prætereà Flaminiæ ciuitates, Romanæ Eccleſiæ reſtituere detrectarent. Hæc fuit ex primarijs cauſa non ſecunda tamen, quam, in edictalibus litteris profitebatur, vt Italiam bello liberaret, Chriſtianiſq; Principibus pacem redderet, quum ad Pontificem ſpectet, qui vicem Dei gerit in terris, diſcordias Principum è medio tollere, ac ea procurare, quæ Reipub. Chriſtianæ ſalutaria eſſent; vt concordibus poſteà animis, ferrum in infideles vertatur. Veneti, ea denunciatione moti, cuius à Franciſco Diedo, Oratorem tum Romæ publico nomine agente, certiores facti fuerant, Sixto reſpondendum cenſuerunt, litteraſque à Bernardo Iuſtiniano conceptas, hac ſumma dederunt.

*Fœdus illud ingratum eſt Venetis.*

*Vt quæ nuper egerat ſua Sãctitas, ciuili Senatus tulerat animo, Venetoſq, grauibus laceſſitos iniurijs ad arma nũquã recurrere voluiſſe, donec Pontifex priùs bellũ approbaſſet, eiuſq, authoritate, & hortatione Herculi arma illata: nec patres tamen dicere, à pace abhorrere: quin veteri Reipub. maiorumque inſtituto libenter ad eam reſpicere; ſed rem indignam proponi, quum nil aliud ſit, Senatum hoc tempore ad arma deponenda hortari, quàm Venetum nomen, quum iam propè debellatum eſſet omnibus irridendũ exhibere; ſapienter nihilominus Beatitudinem ſuam facere, quæ, vt optimum decet Pontificẽm, paci, ac tranquillitati Italiæ conſulat: verùm ſatis, ſuperque apparere, fraude, doloque Venetam rem peti; quod dum vigeſimum propè annum cum Othomano, terra, marique bellum gereretur, ſtuduerat q; Venetus, vt cõmunẽ hoſtẽ procul Italia armis diſtineret, ne iino tamẽ conſpiraſſet in barbaros, qui rem Venetam grauiter premebant: nunc verò periclitante, Hercule, ad arma omnes concurrere, ad pacemque inquã;*

*ſub quie-*

*ſub quietis Italiæ ſpecie ſuſpiciendum Patres inuitare. Sed id planè agi, vt victoria à Veneto auferatur. Neque id dictum ſua Sanctitas credat, aut propter eius Beatitudinum, cui ſemper & honos Dei, & gregis ſui pax, atque tranquillitas ita cordi fuit, vt ob eam rem multa, magnaque incredibili ardore animi, & charitate perfecerit, longè plura, maioraq; in hoc ſuo Pontificatu ipſe acturus, ſi per eos maximè, qui nunc paci patrocinari videntur, Sanctitati ſuæ, cuius piiſſimum propoſitum eſt, licuiſſet; neque propter Reuerendiſſimos Dominos Cardinales, quorum ſanctiſſimum deſiderium communis Chriſtianorum pacis perſpicuum, clarumque eſt; aut propter Sereniſſimos Caſtellæ Reges, quibus omnibus penè ſeculis puriſſimo amore, & ſincera beneuolentia deuincti fuerint, dictum fortaſſè fuerit, ſed propter nonnullos alios, quibus neque pax, neque bellum poſſit ſatisfacere, Venetæque felicitati hi inuidentes omnes adhiberent artes, vt ea aliquo modo offuſcetur. demum, quod ad arma deponenda attineret, ſtatutum in Senatu eſſe, bona illius venia, bellum omnino proſequi, cuius felicem exitum expectarent.*

II.
*Anathemate feriuntur à Sixto PP. & bellum in illos mouetur.*

Hæc cum à Venetis ſcripta Pontifex accepiſſet, anathematis ſpiculum ſtatim in illos detorſit, quod neque ex agro Ferrarienſi exceſſiſſent, neque ab iniuria, & maleficio in Herculem temperare conſtituiſſent, neque Romanæ Eccleſiæ, id quicquid recuperauerant, reſtituere decernerent; quin potiùs Rauennam, & alia præſidijs adauctis munirent. Quo autẽ omnia communi Confœderatorum Principum conſilio adminiſtrata, magis ex ſententia ſuccederent, ad Conuentum illorum Cremonam indictum, Cardinalem Legatum deſtinauit; vbi exploratis diligentiùs omnium ſententijs, de ratione belli contra Venetos gerendi, & qua in parte eius fieri initium placeret, ſtatueretur. Conuenerant die deſignata, Pontificis Legatus, Alfonſus Calabriæ Dux, Ludouicus Sfortia, Hieronymus Riarius, Laurentius Medices, Fridericus Gonzaga, & ſi qui præterea, his temporibus magni nominis in Italia erant, & militiæ gloria clari. Decretum, vt Ludouicus, aut in Bergomatium, aut in Brixianorũ finibus, Venetis inferret bellum, id quidem per cauſam repetendi eas vrbes, quas ab illis ereptas pertinere ad Mediolanenſem Principatum contendebant: vtque eodem tempore alij viribus coniunctis, ad Ferrariam obſidione ſoluendam, alij ad Bondenum ad eorum claſſem opprimendam, quæ illic in ſtatione erat, properarent. Veneti ſubita tot principum conſpiratione permoti, ad res ſuas maturis viribus firmandas, ex Gallia per Antonium Vinciuerram, Scribarum vnum, Renatum Lotharingiæ Ducem, militari diſciplina clarum, ac deuicti non ita pridem Caroli Burgundi gloria tum maximè florentem, magnis iacturis, & præmijs in Italiam euocarunt, atque euocatum copijs Reipublicæ præfecerunt. Adfuit ille cum ducentis equitibus; atque mille peditibus; ſpe, ſi Venetis res ex animo ſucceſſiſſent, Neapolitanum Regnum de Ferdinando, & Alfonſo recuperandi. Iamque Veneti, ad reuocandum Ferdinandi Regis militem, inuadendumque eius regnum, quinquaginta & ſex nauium claſſem præmiſerant, Brunduſiumque, & Gallipolim, Neritum, Rechaliſcum, & alia pleraque in Salentinis vicina oppida receperant; videbanturque propediem omnes Apuliæ vrbes ſuæ ditionis, atque imperij facturi, niſi aliubi non ſatis feliciter pugnantes pacem facere coacti fuiſſent. Enimuero confœderati, claſſem illorum, quæ per eos dies in Padum inuecta ad Bondenum in anchoris ſtabat, famam gerendæ rei, & nuntios celeritate aduentus ſui antecedentes, nullo negotio non modo illam depreſſerunt, ſed etiam Antonium Iuſtinianum magnæ hominem nobilitatis, quem claſſi Veneti præfecerant, & alios complures in poteſtatem redegerunt. Ludouicus Sfortia, adiunctis ſuis Alfonſo, Duci copijs, cum in Inſubres mouiſſet, atque prædando vbique, & populando omnia Venetis infeſta feciſſet, quicquid agri in Bergomatium, Brixianorum, Veronenſium territorio erat, euaſtato, nihil illis integrum à ſuorum vi, atque armis præter vrbium mænia reliquerat. Tanta autem erat eius celeritas, vt venire ſimul hoſtibus, & adeſſe renuntiaretur, nulloque in loco moratus, cum expeditum agmen duceret, facile quo viſum erat, excurrere, & ſuos recipere, inſpectante etiam Ruberto Seuerinate, Veneti exercitus Duce, audebat. Eodem tempore Hercules Ateſtinus aduerſus Renatum Lotharingum crebris eruptionibus pugnando effecerat, vt nulla illi in re minus quam in armis ac vetere exiſtimatione eſſe conſtitutum videretur? Accidit in idem tempus mors Ludouici Regis Galli; à quo cum Renatus tutor filiorum, Regnique teſtamento relictus eſſet, is cum ea armatorum manu quam reſiduam habebat, in Galliam reuertens, magnam ſollicitudinem Venetis iniecerant. Acceſſit & iſtud, quod animos iſtis imminuit. Quadraginta triremium, biremiumque Aragonia claſſis, ſub Friderici, Ferdinandi Regis, filij ductu, Neapoli profecta, Anconæ portum inſedit, metumque illis grauem occupandi maris fecit. Ergo de belli euentu ſolliciti, ac Sixto Pontifici non parum irati, ad omnes fere Principes Chriſtianos, Oratores miſerunt; in Germaniam quidem ad Fridericum Imperatorem Sebaſtianum Baduarium; ad Carolum Galliæ Regem, Antonium Lauredanum; Ad Auſtriæ Ducem, Paulum Piſonem in Belgas ad Maximilianum Cæſaris filium, Nicolaum Foſcarenum. Summa legationis fuerat, vt hi authoritatem ſuam apud Sixtum, Ferdinandum, ac reliquos confœderatos interponerent, quo pax & concordia certis conditionibus ſanciretur.

*Ludouicus Rex Galliæ moritur.*

III
*Pacẽ petitam à Venetis non detrectat Sixtus Pontifex.*

Non detrectauit Sixtus, Imperatoris & aliorum illorum Principum precibus interpellatus: maxime autem nonnulla controuerſia, inter Alfonſum & Ludouicum belli ſocios recens exorta, adductus. Intercedebat Alfonſo cum Ludouico ſimultas, quæ aliquamdiu male diſsimulata, magna cum multorum pernicie videbatur in apertum bellum eruptura. Cum Iſabella Alfonſi filia, Ioanni Galeatio, patre adhuc viuente nupſiſſet; virilis animi puella quæ cum ingentem fiduciam, & ſpiritus è domo Regia afferebat, tum in cauſa optima multo maiorem conſtantiam præſeferebat, quam ſexus, aut ætas poſtularet; patrem, viri ætati atque ingenio parum fidens, diu iam precibus fatigauerat, vt generi cauſa ſuſcepta, eum tueri aduerſus Ludouici cupiditatem, atque ambitionem vellet; ſatis enim illum parem adminiſtrando imperio, triſti tutelæ nomine teneri oppreſſum querebatur: cum ab omni muneris procuratione prohiberetur, cui aſſueſcere Regum liberi à prima ætate conſueuiſſent, atque id quidem tamquam Ludouici liberi, nõ Galeatij filius hæres, in ſpem eſſet ſucceſſionis educandus. Hæc Ludouici iniuria cũ plane ab illo Alphõſũ alienaſſet, vt minus per belli tẽpus Herculis rebus obeſſet, Friderici Gõſagæ interpoſita authoritas perfecerat. Cũ Fridericus autem deceſſiſſet, tanta animi offenſio, quæ compreſſa magis, quàm tecta, aut diſſimulata videbatur, recrudeſcere, atque progredi in apertam ſimultatem cæpit. Itaque ne quid inimicus noui conſilij iniret, atque ſe minùs paratum ab armis offenderet, clam agere de pace cum Venetis, ac de faciendo fœdere inſtituit. Qua re fœderati animaduerſa, cum iam conueniſſe inter eos, atque initam ſocietatem comperiſſent, magna quidem Herculis querela, qui ſe à genero proditum, deſtitutum à cæteris prædæ potenti inimico relictum intelligebat, & ipſi ad pacem inclinarunt. Impulit & iſtud aliud Sixtum Pontificem, ad





pacem conficiendam. Nicolaus enim Vitellius, quãquam in magnis eſſet anguſtijs, petitus bello à Pontifice, & Florentinorum, qui quidẽ, quo facilius Pontificẽ à Venetorũ amicitia auerterent, minimè opportuno illius tempore ab eius ſocietate deſciuerãt, auxilijs & maximis, & fideliſſimis deſtitutus, nequaquam tñ ille ſpem, aut animum ſua tuendi amittens, ita crebris factis eruptionibus, vires Pontificiorum, atque audaciã fregerat, vt magna illata clade, atque ignominia eos ſoluere obſidionem, & decedere ex agro Tifernatium coegerit. Cuius rei indignitate Sixtus permotus, neceſſe habuit, Hieronymum Riarium ad vrbem reuocare, quem maioribus etiam, quàm antea viribus inſtructũ, ad reprimendũ refractariũ remitteret. Ab hac illum cura nouus repente exortus Romæ tumultus auocauit, ac pacem, etiam cum Vitellio facere, quibus illi viſum eſt. conditionibus coegit. Superiore enim bello Taliacotii agrum, quod oppidum in Martis Claſtidij veteris vrbis ruinis ædificatũ ferunt, Vrſinis, quod erant in Pontificis partibus ademptum, Columnenſibus Ferdinandus Rex adiudicauerat, vſus eorum fideli, fortiq; opera toto eo bello. Hinc rurſum cum Pontifex, & Ferdinandus nouũ fœdus feciſſent, quo cauebatur, vt quæ per belli tempus eſſent adempta, pari vtrinque fide reſtituerentur, Vrſinis maxime vrgentibus, quorũ id permagni intererat, Pontifex poſtulabat, & iubebat, vt Columnenſes, ſi modò itari conuentis placeret, de Vrſinorũ agro decederent, ac pacis, & otii bonũ, quo ſe authore homines fruerentur, minime perturbare ſua audacia, atque ambitione vellent. Hanc Pontificis denũciationem, cum quicquid ſibi eſſe agendum Ferdinãdus ſtatuiſſet, Columnenſes omnino contemnerent, Sixtus iuſta iracundia incenſus, in tanta ſui contemptione, factam ſuam, & ad ſe pertinere, ac propterea ſibi tuendam eſſe armis conſtituit. Eo animo cùm eſſet, Vrſinis iam per ſe incitatis, manus hominum cogere, relliquias veteris exercitus colligere, atque ex agris, quos poſſent homines armare, in Columnenſium oppida impetum facere, agros vaſtare, Romç ædes diripere, atque incendere, ita vt à nullo maleficii, atque iniuriæ genere abſtinerent, imperauit. In his rerum turbinibus Pontifex poſitus, & tam Principum, quã Cardinalium precibus fatigatus, ad pacem cũ Venetis ineundam inclinauit. *Brutus de rebus Florentin. lib. 8. Iuſtinianus hiſt. Venet. lib. 9. Hieronymus Rubeus hiſt. Rauennat. lib. 5.*

IV.
*Idem Sixtus tẽplũ pacis titulo dicat Deiparæ.*

Pace Italiæ, magna ex parte confecta, Sixtus voluit quoddã templum Romæ à ſe extructum Pacis titulo ſignare, Illudq; Sacroſanctæ Virgini dicatum, Canonicis Regularibus Laterano pulſis addicere. Eius tẽpli erigẽdi iſta fuit occaſio. Erat eodẽ loci anteà Eccleſia Parochialis S. Andreæ de Aquarenarijs nuncupata, & in illius porticu effigies B. V. Deiparæ, pueruũ Ieſũ inter brachia tenẽtis, in pariete depicta foris Eccleſiã. Ante hanc dũ die quadã nequiſſimi aleatores ludũt, vnus illorũ cæteris nequior, ob pecunias amiſſas, in horrendas blaſphemias contrà Deũ, & Sacram Virginẽ prorũpit, moxq; diabolo inſtigante ad tantã impietatẽ deuenit, vt primo taxillos in imaginẽ proiecerit, mox pugione arrepto, dictam imaginẽ ſemel, iterũ, ter, quaterq; ſcilicet in pectore, in collo, in gena dextra, & in mento vulnerauerit: vnde ſtatim diuino miraculo ſanguis recẽs, & viuus exiuit. Cuius rei, & miraculi fama per vrbẽ diuulgata, magnus ad dictã Eccleſiã vtriuſq; ſexus fideliũ cõcurſus, & exinde preces ante imaginem fundi, beneficia deprecari, luminaria accendi, vota ſuſpẽdi, & multæ oblationes fieri cæperunt; & quæ antea Eccleſia S Andreæ dicebatur; poſtmodũ propter virtutes, quas Deus ad interceſſionẽ B. M. V. operabatur, Beatæ MARIÆ de Virtutibus, ſiue de miraculis cæpit vocari: & quoniam multæ in dicta Eccleſia fiebant oblationes. Rector eius Eccleſiæ nõnullos de ſuis parochianis viros pios, deuotos, & Deum timentes, ipſius imaginis, & dictarum oblationũm cuſtodes deſignauit, quorum erat munus diligenter curare, vt imago veneranda quam decentiſſimè teneretur, & oblationes non in alios vſus, quam in Dei cultum, & B. Virginis honorem conuerterentur, & Miſſæ frequentes iuxta piam offerentium deuotionem celebrarentur. Ab iſtis mos laudabilis introductus, qui nunc etiam viget, vt diebus ſingulis ſero ante venerandam imaginem, adſtantibus Clericis, & laicis, accenſis luminaribus, Antiphonam in laudem Virginis per tempore, poſt abſolutum diuinum officium recitari ſolita, quam deuotiſſime cantaretur. Porro cum tempore Sixti Pont. tota pene Italia, vt memorauimus, bellorum tumultibus quateretur, & Alfonſus Dux Calabriæ præſertim ob negatum à Pontifice tranſitum ad ferendas ſuppetias Ferrarienſium Duci contra Venetos, vrbem obſediſſet, Sixtus ad dictam Eccleſiam B. V de Virtutibus, alias S. Andreæ de Aquarenarijs accedens, & preces pro pace totius Italiæ ſupplices ante imaginem Virginis fundens, votum vouit, ſi Deus per illius interceſſionem Italiæ pacem largiretur, templum in honorem Dei ſub titulo B. Mariæ Pacis erigere. Quapropter ſoluta Vrbis obſidione, paceque Italiæ reddita, in dicto loco, & in ſolo veteris Eccleſiæ S. Andreæ templum magnificum ſumptibus non modicis excitauit; cui dictam Parochialem S. Andreæ, ab omni ſubiectione Cardinalis Titularis S. Laurentij in Damaſo, & eiuſdem Eccleſiæ S. Laurentij, cui antea ſubdebatur, abſolutam, & exemptam, conſtitutoque in illa fonte baptiſmali, quem prius non habuerat, in perpetuum vniuit. Mox dictam miraculoſam B. M. V. imaginem ex pariete præciſam in nouam Eccleſiam tranſtulit, & in loco decentiſſimo ſuper aram maximam locauit; Eccleſiamque Canonicis Regularibus, attribuit, dato iſto diplomate; cuius partem ad notitiam rerum hoc tempore geſtarum volui adſcribere.

*Sixtus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Idem tẽplum Canonicis Regularibus attribuit.*

*Redemptoris noſtri, cuius in pace locus factus eſt, & cuius Angeli in eius ortu bonæ voluntatis hominibus in terra pacem nunciarunt; quique à ſuis diſcipulis diſceſſurus, & ad patris dexteram in cœlos aſcenſurus, pacem eis dedit, & reliquit, Vices gerentes in terris, illa toto corde, & omni demumque ſtudio ac pijs operibus, & aſſiduis orationibus apud glorioſiſſimam Virginem eiuſdem Redemptoris genitricem, cuius precibus populus Chriſtianus adiuuatur, libenter proſequimur, per quæ pax & concordia nutritur inter fideles, & cultus diuinus augetur. Cum itaque nuper ſuffragante diuina gratia, maiorem, & ſaniorem partem principum, & Dominiorum Italiæ, inter quos magnum diſſidium, cruentaque bella vigebant, ad mutuam concordiam & pacis deſiderium per interceſſionem eiuſdem Excellentiſſimæ Virginis & opem Altiſſimi, ad noſtras preces aſſidue propitiantis, cum magna ferè totius Italiæ lætitia & conſolatione perduxiſſemus, & reliquos adducere cogitaremus, ante quandam imaginem Beatæ Virginis, quæ nonnullis miraculis de nouo coruſcare cæperat, & à fidelibus frequentabatur, eſſemus adorantes, & genibus flexis conſtituti, inſpirante, vt piè credimus, diuina gratia nobis viſum fuit incongruum, quod imago ipſa in quodam paruo tabernaculo conſiſteret, prout tunc ad parietem eiuſdem Eccleſiæ extabat. Itaque in eodem loco templum ad honorem Altiſſimi, & B. Virginis ædificandum vouimus, illudque ad perpetuam tam grandis muneris, nobis non humano conſilio, ſed diuina prouidentia magna in parte conceſſi ſub celebri forma, miroque ædificio fabricari fecimus, ac ipſum in honorem Virginis prælibatæ, noſtris ſumptibus à fundamentis erectum Deo dicauimus, & in memoriam huius pacis & concordiæ, Templum Pacis nuncupari voluimus, ſperantes quod per hæc, & alia quamplura præclara tẽpla, & pia loca, quæ in alma Vrbe, & extra à fundamentis proprijs expẽſis noſtris, & quidẽ magnis fundari & inſtaurari fecimus, & vita nobis comite, cum alijs bonis operibus omnino perſeuerare*

*intendimus, Italia ipſa dulcedine paucis fruetur, & in ea lætabitur. &c. Datum Romæ apud S. Petrum. anno incarnationis Dominicæ 1483. 17. Cal. Octobr. Pontif. noſtri anno XIII. Signata L. Criſſus.*

V. *Innocentius PP. perficit, alijque benefactores recenſentur.*

Reliquum eius templi Innocentius VIII. perfecit, & maioris aræ ornamentum marmoreum, elegantiſſimè ſculptum & deauratum, in quo imago prædicta continebatur addidit: Oliuerius Card. Caraffa monaſterium ædificauit: Gaſpar Riualdus, ciuis Romanus anno 1614. Eccleſiæ amplificandæ cauſa, nouum Sacellum, Regio planè opere adiunxit, & cum lapidibus pretioſis, tum picturis venuſtiſſimis exornauit; inque nouam aram magnificentiſſimam, inſumptis pluſquam XV. M. aureis imaginem transferri curauit. *Gabriel Pennotus Abbas, & Procurator Generalis Canonic. Regul. in hiſt. Generali Clericorum Canonic. lib. 3. c. 33*

VI. *Ludouico Galliarũ Regi Carolus filius ſuccedit.*

Hoc anno Rege Galliarum Ludouico defuncto, ſucceſſit Carolus, cum quo Pontifici Sixto plurimum negotiorum fuit. De his dicemus ſuis locis, ſi prius quæ Ludouico circa mortem acciderint, narrauerimus. A multo tempore illi à morbo nulla requies, ſeque indies magis ac magis debilitari ſentiebat, & mortis metu angebatur. Nemo enim fuit illo vitæ cupidior. Tamen finis prouidus Ambaſiam ſe portari iuſſit. Ibi Carolum filium admonens ait; *Sum, chariſſime fili, breuioris quam æſtimas vitæ; vbique morbo afficior, cui nulla ſubuenire medela queat. Tibi poſt me regnandum eſt, in qua re tibi maximè neceſſarij ſunt fideles miniſtri. Inter plurimos, quorum fidem, & diligentiam ipſe expertus ſum, duos tibi commendatos facio, Oliuerium Dammam, & Ioannem Doiacum. Illius ſeruitio ita vſus ſum, vt eius maxima ope vitam mihi diu ſeruatam eſſe putem. Illum in quo obſequio poſt me habeto, nihil de officijs, aut fortunis, quæ ſeruiendo conſecutus eſt, illi detrahi ſinito. Guiotum quoque Potum, & Bochagium ita exiſtimabis, vt viros conſilio, & prudentia valentes. Philippum vero Deſquerdum in rebus bellicis plurimum ſcire, atque intelligere dubius non ſum. eius prouidentia, atque moderamine, dum bellum erit, vtitor. Cæteros, qui Magiſtratus à me aut officia adepti ſunt, conſeruato. Populum. quem ingruentium bellorum neceſſitate multis vectigalibus extenuaui, quoad per te fieri poterit, leuato. Matri ne credito: cum enim Sabaudienſis ſit, Burdundis fauere mihi ſemper viſa eſt. Alioquin bonam, & pudicam illam ſum arbitratus.*

VII. *A Muſicis, & Eremicolis leuamen infirmitatis ſuæ Ludouicus Rex excogitat.*

Hæc poſtquam dixit, Turonum reuerſus excogitauit à Muſica, valetudinis leuamen quærere. Quamobrem acceſſiri mãdauit omnis generis muſici inſtrumenti luſores, quos centum, & viginti conueniſſe conſtabat. Inter hos affuerunt ouium paſtores, qui multos dies non procul à Regis cubiculo continenter modulabantur, eius conſolandi cauſa, & ne ſomno, quo grauabatur, ſuccumberet. Iuſſit præter, hoc hominum genus, alterum longe diuerſum ad ſe conuenire. Solitarij, & qui eremum incolebant homines, quique opinione ſanctitatis plurimi æſtimabantur. Fæminæ quoque ſpectatæ religionis Turonum conuenerunt, quibus negotium mandatum eſt, Deum indeſinenter orare, vt Regi ſalute reſtituta, maneret ipſe diu ſuperſtes. Inter alios vitæ ſanctimonia claros, audiuerat de quodã Eremita, cui Franciſco nomen à Paula. Hunc ex Calabriæ finibus ad ſe accerſiuit, & in eius gratiam Carolus octauus, templum prope Pleſſium ædificauit. Is duodecim annorum adoleſcens ſpeluncam ſubijt, & in ea commoratus fuit ad quadrageſimum tertium ætatis annum: quo tempore primum Rex eum euocauit per quendam è nobilitate; cui comitem ſe adiũxit princeps Tarentinus Neapolitani Regis filius. Niſi enim Sixti Pontificis max. & ſui Principis mandatum atque conſenſus interueniret, non erat profecturus. poſteaquã ad illud vitæ genus acceſſerat, abſtinuit ab omni fere cibo, quo plerumq; veſcimur omnes. Erat illiteratus, nec eruditionis vllam partem vmquam attigerat; & tamen prudenter admodum, & ſanctè, ſuprà quam credi poſſet, de rebus omnibus loquebatur. Quum Neapoli iter faceret, maximo fuit à Rege, & ipſius liberis affectus honore, ac de pleriſque rebus ità diſſerebat, quaſi per omnem vitam in Principum familijs fuiſſet educatus. Quum Neapoli Romam veniſſet, inuiſebant eum Cardinales omnes; ac ter cum Sixto Pontifice per interualla, priuatim diu, multumq; colloquebatur, aſſidens in ſella propiùs illum, ſplendidè exornata. Cuiuſcumque rei mentio incidiſſet, ad eam ita reſpondebat, vt omnes pariter obſtupeſcerent. Eius autem colloquio ſic afficiebatur Pontifex, vt ei permitteret inſtituere nouum Ordinem, eorum, qui dicuntur Eremitæ Diui Franciſci. In Galliam, vbi veniſſet, Rex non minus, quàm Pontificem ipſum Romanum honorabat, procumbens illi ad pedes, & vehementer obſecrans, vt vitam ſibi proferret. Ille verò, ita vt hominem prudentem decebat, ad ea reſpondit. Sixtus porrò Pontifex, vbi cognouit Regem religioſa propenſione deſiderare linteum illud, cui Sacram hoſtiam Sacerdotes ſuperimponunt, quo Diuus Petrus Apoſtolus dum ſacrum faceret, vtebatur, miſit ei cum alijs multis Diuorum reliquijs. Illa etiam, quæ in Rhemorum vrbe ſeruatur pixis, cum oleo Sacrato, quũ ante id tempus non fuiſſet è loco ſubmota, in ipſius tunc cubiculum delata fuit. Conſtituerat enim velle inungi, ad eundem planè modum, quo fuit vnctus, cum inaugurauretur regno. Pleriq; putabant cũ velle toto corpore inungi. Sed vix eſt credendum, propter exiguitatem olei, quod in ea pixide conſeruatur. Allata eſt præterea ex Sacro palatij Sacello ſummi Sacerdotis Aaron virga, & victoriæ Crux, quam Carolo Magno diuinitus fuiſſe datam, plerique aſſeuerant. Sed definitæ mortis nemo limitem produxerit. Infirmabatur poſteà indies magis, ac magis, nec proderant miris modis quæſitæ & raro antea excogitatæ medicinæ. Nam humano ſanguine, quem ex aliquot infantibus ſumptum hauſit; ſalutem comparare vehementer ſperabat. In eo, quem diximus, Eremita, ſummam perpetuo ſpem habebat, ac ſubinde miſſis nuncijs interpellabat eum, vt vitam ſibi produceret. Cæterùm morbo ingraueſcente viſum fuit Theologis, & alijs nonnullis, apertè illi dicendum eſſe, nihil humani præſidij reſtare, & vt de ſalute ſua cogitaret plurimum intereſſe. Neceſſitate moriendi intellecta, vbi Sacramenta noſtræ religionis ex more percepiſſet. III. Calend. Septembr. Sabbatho exceſſit è vita, qui mortis ſupplicium, aut metum multis frequenter incuſſerat. Voluit autem in Diuæ MARIÆ apud Clerium templo ſepeliri, vbi monumentum ſibi extruxerat, in quod viuens adhuc deſcenderat, decubueratque, tentans, ſi cadaueri illius monumentum quadraret. Loquebatur continenter ad extremũ vſque ſpiritum, deque ſepultura conſtituit, & à quibus deduci vellet funus, præcepit; ac ſubinde dicebat, ſperare, non ſe moriturum ante diem Sabbathi, idque beneficio Diuæ Virginis, q̃ religioſè admodũ p̃ omnẽ vitam coluit. *Philippus Comineus, Comment. lib. 9. & 10. Robertus Guagninus lib. 10.* Carolus Octauus, tertium decimum annum agens patri ſucceſſit. Latinè ſcire pater illum vetuerat, præter illud vnum, *Qui neſcit ſimulare, neſcit regnare.* Exiſtimabat Ludouicus litteras impedimento eſſe regnantibus, idque de ſe iudicium faciebat, quod cum excellenti ingenio eſſet, & plurima noſſet, ad moleſtiam ſibi eruditionem accedere dicebat. Creditum eſt Ludouicum prouidere Caroli fragilitati voluiſſe, cui infantiam non ſatis firmam eſſe conſpiciebat. Teneris enim, atque imbecillibus membris primò Carolus fuit, ità vt ſedulo duci illum, & geſtari molliter, priuſquam ſolidè incederet, oportuerit. Cui incommodo doctrinæ ſtudium, & laborem non congruere, pater arbitrabatur: alioquin erat





VIII. *Carolus Rhemis coronatus cõmendatos ſibi à Patre pœnis ſubijcit.*

Carolo animus diſciplinæ appetens. Conſecratione Remis ſuſcepta, protinus apud Turonum conuentu habito de ſuperfluis Ludouici donationibus, etiam Eccleſiis factis ratio habita eſt; q̃ ad ius fiſci reuocatæ ſunt. Pragmaticæ etiam ſanctionis, vtpote quæ erat plena popularitatis, mentio toties à Pontificibus Romanis, ac Ludouico Rege antiquata, ſponte emerſit; quæ iterum Sedem Apoſtolicam fatigaret. Concurſum erat vndique ad conuentum, & voces ſolutæ metu fuere, ac plenæ expoſtulationum: nobilitate, plebe, ac Sacerdotio, ſuas miſerias deplorante, & libertatem ab oneribus deprecante. Carolus ſuperior omnibus factus, cum quos ſibi videretur, corrogaret, & hi nihil pro ſententia dicere auderent, niſi quòd ille velle præſetuliſſet, & nihil niſi vehementer ac impotenter vellet, præter donationes, & ſanctiones paternas abrogatas, etiam amicos paternos alios reiecit; alios, præſertim, quos pater moriens diligentiùs commendauerat, pænis ſubiecit. Doiaco aures amputatæ. De Oliuerio Damma, cum propter multa, tum ob necem ab eo, Ludouici iuſſu perpetratam, vltimum ſupplicium ſumptum. Nam cum Daniele quodam Flamingo ſibi plurimùm in flagitiis familiari, vitam patibulo terminauit. Huic carmen à nouis & gratioſis in aula legendam, *Guagninus* inſcripſit,

*Sunt ſua criminibus videntia tempora tonſor*
*Currere quæ ſubitò prouida parca vetat,*
*Hoc poteras olim longè prænoſcere Damma,*
*Vt ſaltem horreres tollere cæde pios.*
*Te natura humilem cum mater Flandra tuliſſet,*
*Arte vna noras, radere cæſariem.*
*Hunc talem, & ſeruum te ſæpe Lutetia vidit,*
*Tutus ab hac poteras ducere ſorte dies,*
*Raptus ad excelſam Ludouici principis aulam,*
*Mox crebi furias moribus ante venis.*
*Et crinem huic tondens, dum ſuffers lingere ficos,*
*Par ducibus, Regi Regulus alter eras,*
*Quid tibi non licuit ſoboles ô dira Neronis?*
*Nemo non vixit te referente reus,*
*Nemo Dea ſacra, cæſuram nemo gerebat?*
*Grandia qui renuit promere dona tibi.*
*Protinus exilium, vel mors, vel mulcta, negantem,*
*Præſtit; eras iudex, lictor, & exitium:*
*Regnaſti, ſatis eſt, ſurgunt noua ſydera mundo;*
*Turba ſceleſtorum territa luce fugit,*
*Agnoſce ô tonſor quò te ſcelus extulit atrox,*
*Et te præcipitem propulit in laqueos.*
*Te Daniël, te dira cohors, te Memmius odit*
*Et ſcelerum auctorem damnat, & inſequitur,*
*Neſcio quid de te Superi, vel fata reponunt,*
*Seu lictore cades, ſeu cruce liber eas,*
*Vna tamen vulgi conſtans ſententia, furcas*
*Expedit; vt ſatiet, te pereunte, odium,*
*Interea vinctus culpas abſterge gemendo*
*Peccaſti: morte eſt nunc redimenda ſalus.*

*P. Aemilius in Carolo VIII. Guagninus ſupra,*

IX. *Eundem Carolũ officij admonet Sixtus Pontifex.*

Inter hæc Sixtus, cùm accepiſſet, mortuo Ludouico ſucceſſiſſe Carolum Octauũ, qui in primo regiminis limine pragmaticam videretur velle reſuſcitare, nuncijs, & litteris miſſis eum officij admonens, ab innouatione ſanctionis adeò pernicioſæ retrahere conatus eſt. Cum verò certum haberet, Matthiam Vngariæ Regem Friderico Imperatori in hunc vſque annum infeſtum, arma nondum depoſuiſſe, ſed Pruchum oppidum obſediſſe, atque tandem per deditionem occupaſſe, non intermiſit modis omnibus, concordiam inter illos procurare, ac vtrumque in Turcos inflammare. *Mſ. expeditionum Sixti IIII*

X. *Iacobus* [illegible]

Iacobi etiam Scotorum Regis Oratores, confirmationem & conceſſionem quorundam priuilegiorum flagitantes, hoc anno audiuit. Varia tunc fortuna iactatus fuit Rex Iacobus, à nobilitate primaria in carcerem compactus; & ab Alexandro fratre, Albaniæ Duce, ex Anglia, quò illum fungere compulerat, feliciter reduce. Guillhelmus Crichtonius, nõ modò conſiliorum omnium aduerſùs Regem ſocius, ſed etiam auctor, & impulſor, ex cauſa priuata euaſerat. Erat ei vxor, è nobili Dumbarorum familia nata, eaque pulchritudine inſigni. Eam cùm à Rege maritus corruptam comperiſſet, conſilium inprimis temerarium quidem, ſed ab animo ægro, & iniuria irritato, non alienum ſuſcepit. Minorem enim è Regis ſororibus, & ipſam quoque forma egregia, & conſuetudine fratris infamem compreſſit. Inde, cum alia nobilitate in caput Regis coniurauit. Complures ex his armati, Regis tentorium ingreſſi, illius vitæ maculas (quibus & Reipublicæ exitium, & nomini ſuo infamiam pepererat) confidenter declararunt: Indigniſſimorum quorundam conſilio illum ſubnixum eſſe; his auctoribus, monetam quandam æream preſsiſſe, qua à populo repudiata, maxima Reſpub. fame, rerumque caritate laborabat; nobiles numquam in ſua conſilia ſecretiora eſſe cooptatos; rem quoque longè indigniſſimam admiſſam, quòd vxorem ſuam, fæminam lectiſſimam, ſuffecta in illius locum pellice, reſpuiſſet; quod fratres ſuos, vnum morte deleſſet, alterum regno præcipitem exturbaſſet; idque conſilijs Thomæ Cochranei, Guillelmi Rodgeri, & Iacobi Hommilli, quos ex infima plebeiorum colluuione ad ſummum penè honoris apicem euectos, in ſocietatem libidinum intimam aſciuerat. Dixerunt hæc, & alia Proceres; mox Robertum Kocherandum ex lapicida, ſeu latomo Marriæ comitem, Iacobum Hommillum Veſtiarium, Leonardum Cerdonicæ artis peritiſſimum, Guillelmum Rodgerum Cantorem, & alios eius fæcis homines Regi chariſſimos, comprehendi, ac aureis torquibus, quas geſtabant, ad maiorem contumeliam ornatos, in ponte Landeriæ furcis appendere iuſſerunt; excepto vno, Ioanne Ramſayo, cui octodecim tantùm annos agenti, Regis precibus parſum eſt. Patrata hac cæde, Regẽ in carcerem, Comite Athoniæ cuſtode cõſtituto, compegerunt; miſſiſque in Angliam Legatis, videlicet Archiepiſcopo S. Andreæ, Epiſcopo Dunkeldenſi, Colino Comite Argadiæ, & Andrea Steuarto, Domino Auendaliæ, Scotiæ Cancellario, Alexandrum Regis fratrem, illic exulantem, euocarunt ſummũq; Regis Vicarium creauerunt. Hic porrò in Scotiam appellens, commiſeratione motus, necnon Reginæ precibus perſuaſus, Regem, ſeruoſque omnes, qui carceris moleſtiam, vel cum illo, vel illius cauſa ſubierant, libertate donauit; qui cæteris coniuratis fuga dilapſis, Archiepiſcopum Sanct-Andreanum loco mouit, Morauiæque Epiſcopatu contentum eſſe iuſſit. Andream verò Steuartum ſuum auunculum, in eam dignitatem ſuffecit, & Romam ad priuilegia quædam à Pontifice impetranda miſit, quæ breui pòſt, ſumma Pontificis in illum humanitate conceſſa ſunt, *Leslæus lib. octaua, I. B. lib. 12. Auctor appendicis hiſt. Scotorum,*

*Scotorum Rex regno pellitur.*

XI. *Caſus miſerandus & tragicus filiorũ Edouardi Anglorum Regis.*

Fatalis hic annus fuit Principibus legitimis, Dabo tragicum, & valde miſerandum (nec fortè à ſeculis auditum) caſum, qui duobus Edouardi Regis Anglorum filijs, legitimis regni ſucceſſoribus, à patruo contigit, ad occupandum Regnum inflammato. Quinto Idus Aprilis, ad Weſtmonaſterium, vbi Procerum Conuentum, de expeditione bellica in Gallos habebat, ex morbo omnibus medicis incognito, Edouardus Rex exceſſit è vita: vir ingenio acri, animo magno, memoria tenaciſſima eorum, quæ ſemel imbibiſſet, in rebus gerendis ſolers,

promptus in periculis, in hoſtes vehemens, ac horribilis, in amicos, & hoſpites munificus, in bellis gerendis longè feliciſſimus; libidini indulgens, in quam ſuapte natura propenſus erat: cuius pariter rei, atque humanitatis, quæ plurima ei innata erat, cauſa, ſæpiſſimè inter priuatos, vltra quàm maieſtatis honos poſceret, ſeſe familiarem præbebat: quamobrem percrebuit rumor, illum veneno interijſſe. Paulò ante exitum vitæ, cæperat ſenſim in auaritiam labi, olim ſumma in omnes ſemper liberalitate vſus. Cæterùm regnum, quod propter bella ciuilia populatum, ac tam viris militaribus, quàm opibus penè exinanitum acceperat, rebus omnibus pòſt ſedatas ciuiles diſcordias, multò opulentiſſimum reliquit. Honores præſertim Sacerdotales, præclariſſimis quibuſque viris deferendos ſemper curauit, eoſq; inprimis ad conſilium adhibuit: reliquos verò, quos ex vulgo dilexit, opibus honeſtauit, non dignitate: id, quod multi principes nulla habita honoris ratione, minimè faciunt: quibus virtutibus ità populorum ſuorum animos ſibi deuinxerat, vt magnum apud eos ſui deſiderium mortuus reliquerit. Sed deſiderium tamen, non deſiderij perſeuerantiam, aut fructum: quod eo narratum.

*Eiuſdem caſus narratio.*

Richardus Dux Gloceſtriæ per eos illos dies, quibus Rex Eduardus eius frater exceſſit è vita, in agro Eboracenſi erat. Ad hunc Guillelmus Haſtyngius Regij Cubiculi præpoſitus, cum certis nuncijs litteras Londini datas celeriter miſit, qui eum de morte fratris certiorem facerent, ſuiſque verbis ſignificarent, Regem morientem ei ſoli vxorem, filios, opes, & denique omnia commiſiſſe, proptereà hortarentur, vt quamprimùm vellet ire ad Edouardum Principem in Vualliam, & cum eo Londinum venire, ad rerum omnium curam ſuſcipiendam. Hæc vbi Richardus intellexit, cæpit ſtatim incendi cupiditate regnandi. Sed quia nulla exiſtebat cauſa, quæ ſaltem ſpecie conficiendi negotij honeſta videretur, eam in præſens cogitationem in aliud tempus reijcit. Interim dat ad Eliſabeth Reginam, litteras beneuolentiæ plenas, quibus eam multis verbis conſolatus, maria, & montes, vt dicitur, de ſe pollicetur; ac vt fidem ſtudij ſui & charitatis ergà filios fratris maiorem faciat, conuocatis vndique nobilibus Eboracum, ibi cunctos in verba Edouardi Principis iurare iubet; & ipſe primus omnium dat iuſiurandum, quod paulò pòſt ante alios violaturus erat. Ità reliqui omnes conceptis verbis iurarunt. His actis, ille non mediocri collecta armatorum manu, ſuo tempore ad proficiſcendam ſe parauit. Princeps verò Eduardus id ætatis puer, cui pro ſuo iure viuere non licebat, agebat per idem quoque tempus in principatu ſuo ad Ludlollium, ſub tutela Antonij, Comitis Riuerij auunculi, Thomæ Wagham cubiculi præpoſiti, ac Richardi Graij equitum. Hos Eliſabeth Regina, ac Thomas Marchio Dorceſtriæ eius filius ex Ioanne Graio, priore viro, qui Londini erat, crebris nuntijs admonent, vt confeſtim principem Londinum deducant, quò patris funere facto, Rex more maiorum creetur. Illi Reginæ, & Marchionis imperata facientes, haud multò poſt iter Londinum verſùs intendunt. Approperabat & Richardus Londinum, cui ad Northantonum obuiam fuit Henricus Dux Buchyngamiæ, cùm quo benè longum habuit ſermonem; adeo, vt ipſum iam tum ei ſuum conſilium occupandi regni aperuiſſe, apud vulgus creditũ ſit: cum præſertim Dux poſteà obſecundando, ſiue metu, ſiue obſequio, cum eo ſteterit. Itaque Richardus ex illo, deſtinatum animo facinus, ſibi artificio tentandum, ac ſi minùs quàm ſpectabat, commodè caderet, tunc demum voluntate non occulta obeundum ſtatuit: cui nempe infelici, non veniebat in mentem, ſe peccare ſine ſũmo Reipublicæ detrimento, atq; ſuæ domus interitu, nõ poſſe. Sanè ſic conſceleratis hominibus accidit, vt ſua quemque fraus, ſuum facinus, ſuum ſcelus, ſua perdita audacia, de ſanitate, ac mente deturbet. Ità capto conſilio, Ricardus ad Principem conuolat, qui præcedebat cum paruo comitatu, iamque Stonyſtratfordiam (eſt id pagi nomen) peruenerat, eum ille vnà cum Henrico Duce, militum caterua ſtipatus, eum aſſecutus, in poteſtatem recepit: Antonium verò, & Thomam Vuagham cum nonnullis alijs comprehendit, comprehenſoſque, quia ſuis conſilijs minùs aſſenſuros eſſe ſuſpicabatur, retrò ad arcem Pontifractenſem cuſtodiendos miſit.

At vbi fama tàm importunæ, horriferæque rei Londinum peruenit, cum admiratio, tum pauor omnes occupauit. ſed inprimis exanimauit Eliſabeth Reginam, quæ in fuga ſubito fuit. Nam iam tum nihil ſynceri eſſe rata, cum reliquis filijs, vt eos à præſenti periculo eriperet, & Marchione, in aſylum ad Weſtmonaſterium ſe abdidit. Fecerunt illud idem Principes, qui cum ea ſalutis filiorum cauſa ſentiebant. Haſtygius autem, qui ſecretas inimicitias gerebat cum Marchione, ac alijs, qui Reginæ partium erant, & ob eam rem hortatus erat Ricardum ad ſuſcipiendam curam Principis, cùm vidiſſet, omnia iam ſpectare ad arma, & multò ſecus cadere, quàm putarat, facti ſui pænitens, ad ædem Diui Pauli amicos, quibus magnæ curæ vitam, dignitatem, amplitudinem Eduardi Principis eſſe ſciebat, in vnum conuocat, atque quid agendum ſit, cum eis diſputat. Hic nonnulli, quos recens Ricardi factum maximè pupugerat, maturè Edouardum Principem, quem iam iam pro oppreſſo habebant, in libertatem aſſerendum iudicabant, quò oriens incendium prius reſtingueretur, quàm latiùs manaret: affirmantes, nullum poſthac conſilium à periculo vacuum fore, niſi nefarium inceptum, quod teſtificabatur in Ricardi animo nihil boni inſidere, ſubita vi auerteretur. Reliqui omnes nil eſſe ſentiebant, quod armis vel vi vterentur, vt qui rem haudquaquam dirum aliquem exitum habitura ſuſpicabantur. Quamobrem placuit expectare, dum Ricardus veniret, declararetque, quid eſſet, cur tutores in vincula conieciſſet. Et hoc demum cunctis probatum eſt conſilium, quod è Republica eſſe conſtaret, vt vnuſquiſque Principum, quatenus liceret, à contentione abeſſet. Adfuerunt non multò pòſt Richardus, & Henricus Duces, cum principe, diuerteruntque ad ædes Epiſcopi Londinenſis, quæ ſunt iuxta templum Diui Pauli, vbi Principem vſque eò eſſe voluerunt, dum cætera expedirentur. Tum Ricardus rerum omnium procurationem ſuſcepit; ſed maximo cæpit angi dolore, quòd ſine tumultu non liceret ſibi alterum fratris filium, Ricardum Ducem Eboracenſem in ſuam tutelam recipere, quem mater in aſylo ſeruabat. Nam niſi ambos fratres ſimul in ſua poteſtate haberet, omninò deſperabat, ſe efficere poſſe, quod curabat. In eum idcircò de ſinu matris eripiendum ſpe, & mente oculos defixit; & quod per vim non poterat, per artes, vt ſtatuerat, perficere nititur. Ergo vocata ad ſe bona Principum parte, Nè viuam, *inquit*, ſi nepotum commodis non ſeruio; quando eorum calamitatem cum Republica, iuxta, atque mecum coniunctam ſcio. Igitur poſtquam Eduardus frater Rex noſter nuper moriens, me Regni gubernatorem conſtituit, nihil mihi priùs fuit, quàm vt huc venirem, duceremque mecum Edouardum Principem, eius filium, maiorem natu, vt maturè omnia de conſilij ſententia gererentur. quia mihi decretum eſt, nihil ſine veſtra authoritate agere, quos ſocios, adiutores, participes omnium rerum gerendarum mihi

*Richardi Ducis Gloceſtriæ, doli & fraudes.*





eſſe volo; vt veſtro teſtimonio facilè dicar, quicquid poſthac in adminiſtratione Regni egero, totum illud fide optima contuliſſe ad vtilitatem Reipublicæ, atque commodum Eduardi Principis; cuius curam, atque tutelam ea duntaxat de cauſa, patrem eius mihi credidiſſe, vobis exploratum eſſe exiſtimamus. Verùm vt nè id munus obirem, prout debebam, Antonius Riuerius nuper impedimento fuit: quem proptereà coacti fuimus in vincula cum alijs conijcere, qui ſimul obſtiterunt: vt eorum exemplo alij addiſcerent, noſtra mandata non habere contemptui. Sed ecquid dicemus de malo conſilio, ab illis, qui me ſemper peſſimè oderunt, dato Eliſabeth Reginæ! quæ nulla iuſta de cauſa, tam imprudenter metum ſimulans, auſa eſt filios Regis tamquam facinoroſos, miſeros, perditos, in aſylum, vnicum in terris perfugium egeſtatis, æris alieni, nequitiæ rapere? perinde, ac ſi nos iremus eos perditum, & iam omnia ſpectarent ad violentiam. Quæ res tametſi nobis, & Regno longè maximo dedecori eſt, tamen danda eſt venia ſexui, à quo eiuſmodi furores, facilè proficiſci ſolent. Nos autem huic mundo muliebri, in Rempublicam noſtram peſſimo vtrique exemplo ſæuienti, primo quoque die mederi debemus. Quale equidem putatis futurum ſpectaculum eius diei, quo nouus Rex coronabitur, ſi dum pompa perageretur, eius mater, frater, atque ſorores in aſylo permanſerint? Qualis populi concurſus illuc fiet, cuius authoritate Rex creandus eſt? Quos ille ſuo Principi plauſus, triſtitiæ potiùs, quàm lætitiæ plenos dabit. Profectò nemo eſt quiſquam vnus è populo, qui non iure ſibi timere debeat, puterque omnem iam legum maieſtatem eſſe violatam, ſi Regina, ac filij in aſylo diutiùs fuerint. Igitur collibeat, vt aliqui veſtrum Reginam adeant, curentque eam cum filijs, quamprimùm in Regiam reducere; quæ ſi fortè, vt deprauata ab inimicis, qui in me inuidiam concitare, culpam deriuare ſtudent, de ſententia nulla potuerit ratione deduci, tum agant, vt ſaltem data publica fide, Ricardum alterum filium in veſtram permittat poteſtatem, qui cum alijs Principibus interſit, cùm frater Rex creabitur. Iam animi mei ſententiam habetis: nunc, quod ex Republica eſſe ducitis, facite, qui à me omnia præclara expectare, & poteſtis, & debetis. His ab eo dictis, viſum eſt omnibus, qui nihil fraudis ſubeſſe ſuſpicabantur, tam iuſtum, quàm honeſtum, quod Ricardus ſuadebat. Itaque placuit, vt Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus, Henricus Dux Buchyngamiæ, Ioannes Hauardus, ac plerique alij viri graues id negotij agerent. Hi ad aſylum profecti, cæperunt multis cum verbis, tum rationibus Reginam hortari, vti in Regiam cum filijs rediret; cui tam priuatam, quàm publicam fidem dederunt. Sed mulier quodammodò prouidens animo, quod mox contigit, nullis potuit flecti rationibus, quo ſe Ricardi fidei committeret. Quod illi animaduertentes poſtremò Ricardum eius filium tantummodò ſibi tradi petiere; quod etiam ægrè pòſt multas pollicitationes obtinuerunt. At ita innocens puer à complexu matris diuellitur.

Richardus per hunc modum, id, quod ei in optatis erat, propè conſecutus, nepotes ex Epiſcopi ædibus ad turrim duxit. Non attulit tamen ea res ſuſpicionem cuipiam, quòd illinc pompa, cum Rex coronandus eſt, ad Weſtmonaſterium produci ſoleat. Quo facto, Ricardus, cuius animus partim cupiditate occupandi Regni ardebat, partim tanti ſceleris edendi conſcientia torquebatur, (conſcientia autem facit, vt pænam ſemper antè oculos verſari putent, qui peccarint) nihil priùs poſteà habuit, quàm multitudinem largitionibus lenire; aduerſarios muneribus, præmijs, promiſſis deuincire: deinde in turri, vbi ipſe cum nepotibus morabatur, noua quotidiè de rebus, quæ inſtabant, agendis conſilia, ſubdolè, ac aſtutè cum Principibus inire, conferre, capere. Hæc erat ars, vt dum populo expectatio faciebat nouæ pompæ deſiderium, ſenſim conſultando; exploraret Principum voluntates; ſimulans ſemper, non ſe ſummam poteſtatem affectare, ſed referre omnia ad Regni vtilitatem. Ita communis vtilitatis nomine, aliquot dies ſuam cupiditatem tegendo, velandoque, adeò diſtraxit Optimatum animos, vt illi omnes, extra paucos, quos iam inde ab initio, quod eſſet acturus, minimè celauerat, nullo pacto perſpicerent, quare cunctaretur, quorſumve eius conſilia eſſent euaſura. Tam multa toties proponebat, tam pauca explicabat, vt mens non conſcia recti vacillare ſolet. Sed interim animaduertit, Gulielmum Haſtyngiũ maximè omnium inſtare, vrgereque, vt Eduardo Principi debitus tandem honor deferretur; qui vnus inter omnes heroës, vt gratioſus, & liberalis, plebi multum acceptus erat, plurimumque apud omnium Ordinum viros, honeſtoſque homines authoritatis habebat: ſiue eius potentiam veritus, ſiue deſperans, poſſe eum in ſententiam ſuam trahere, ſtatuit hominem priùs de medio tollere, quàm reliquis, quibus nondum planè confidebat, ſuum conſilium patefieret. Quarè furore incredibili ardens efficiendi, quod deſtinarat, inſidias eiuſmodi ei facit. In cubiculo proximo, illi in quo cum Principibus conuentum frequentem agebat, clam nonnullos manu promptos collocat, mandatque eis, vt accepto ſigno, repentè prodeuntes circumueniant omnes, qui ſecum conſederint, & inprimis manus inijciant Gulielmo Haſtyngio, atque ilicò obtruncent. Sic compoſito dolo, circiter pridiè Idus Iunij accerſiri iubet in turrim, ſpeciatim Thomam Rotheramum, Archiepiſcopum Eboracenſem, Ioannem Mortonum Elyenſem Epiſcopum, Henricum Ducem Buchyngamiæ, Thomam Stanleium, Gulielmum Haſtyngium, Ioannem Hauardum, compluresque alios, quos aut metu, vel beneficio ſibi fideles fore confidebat: reliquos verò Optimates cum Ioanne Ruſſello Lincolnienſi Epiſcopo Angliæ Cancellario, quos nolebat in tam diro, fædoque intereſſe ſpectaculo, iuſſit illo ipſo die eſſe in Curia ad Weſtmonaſterium cum Magiſtratibus, vt ſimul edicerent populo diem, quo Eduardus Princeps Regio eſſet honeſtandus honore. At Principes vocati bene manè conueniunt, omnes in turrim frequentes, tamquam de toto negotio deliberaturi. Hic clauſis foribus, ſoli quaſi teſte tantùm Deo, dum inter ſe de rebus grauioribus agere volunt, Ricardus, qui nihil niſi atrox, & ſæuum cogitabat, ſic eos alloquitur: Vos huc hodierno die, Principes, arceſſendos ea duntaxat de cauſa curaui, vt vobis oſtenderem, in quanto mortis periculo verſer. Ego enim ab hinc paucos dies, neque noctu, neque interdiu quieſcere, neque bibere, aut cibum capere queo. Quare ſenſim me ſanguis, me vires, me ſpiritus deficit, ſupraque modum omnia iam membra, vt videtis (brachium enim oſtendebat) exiliora fiunt, quod vtique malum in me proficiſcitur ab illa malefica muliere Eliſabeth Regina, quæ ſuis veneficijs me infecit, quibus læſus, paulatim diſſoluor. His dictis vt parum ad rem facientibus, cum nemo reſponſum daret, Gulielmus Haſtyngius, qui Ricardum non oderat, ac liberè omnia cum eo loqui ſolebat; reſpondit, Reginam eſſe magna pariter infamiæ nota atque pæna dignam, ſi magicis artibus vſam, ei nocuiſſe conſtaret. Ad ea Ricardus ſubdit: Ego *inquam*, huiuſce mulieris veneficijs pereo. Cui Gu-

lielmus idem, quod anteà reſpondit. Tum Ricardus, vt ſignum daret illis inuadendi, qui in inſidijs erant, clariore voce *inquit*: Quid igitur Gulielme, ſi tuis rationibus ducar ad interitum. Vix ea fatus erat, cum illi, quibus datum erat negotium, prodiere, ac facto vndique impetu, comprehenderunt, ipſum Gulielmum, vtrumque Antiſtitem, Eboracenſem, & Elyenſem, ac Stanleium. Iſti tres diuerſi in carcerem eo loci conijciuntur; Gulielmo verò vix dato confitendi peccata ſpatio, caput ceruicibus abſcinditur. Ita Haſtyngius ſuo ad extremum periculo didicit, illam naturæ legem ſecundùm Euangelicum verbum; *Omnia, quæ vultis, vt faciant vobis homines, ſic & vos facite illis*, impunè violari non poſſe. Is vnus fuit ex percuſſoribus Edouardi Principis Sexti HENRICI filij, qui demùm pari affectus eſt cæde. Vtinam eiuſmodi exempla eſſent tandem aliquando documento ijs, qui quod lubet, id ſibi licere putant. Nunc ad rem redeo. Quo facto, per totam turrim eſt exclamatum, Proditio, proditio. Quæ vox vbi per vrbem peruaſit, ciues, & vniuerſus populus pro veris ea primò dicta accipientes, ſimul ignari, quæ intus geſta eſſent, eandem vocem geminare cœperunt. Poſtea verò quàm rem, prout geſta erat, rumoribus terrificis diſſipatis intellexerunt, tum pro ſe quiſque à domeſticis hoſtibus ſibi timere, fœdiſſimamque mortem, aut miſerabilem fugam cogitare cœpit, cuncto generatim populo gemente, ob extinctum hominem, in quo cum ipſe, tum Optimates, qui Edouardi filios amabant, ſpes ſuas poſitas haberent. Neque illos præteribat, nemini iam Ricardum eſſe parſurum, quò ſibi regnum obtineret, regnique authoritatem in tyrannidem conuerteret. Ricardus pòſt hæc contentus cæde Gulielmi Haſtyngij, Thomam Stanleium dimiſit incolumem; veritus, nè ſi eum iniuria affeciſſet, Georgius Regulus Strangius, eius filius, aliquem in ſe populi tumultum vſpiam non concitaret. Ioannem Mortonum Elyenſem Epiſcopum, qui facilè omnes prudentia, ac grauitate antecedebat; cuſtodiendum tradidit Duci Buchyngamiæ, quem Dux protinus miſit in Vualiam ad arcem ſuam, quæ ad Brechonotum oppidum eſt: Thomam verò Rotheranum, Eboracenſem Archiepiſcopum, commiſit cuſtodiæ, Iacobo Terello equiti. Voluit eos Antiſtites, quibus haudquaquam ſua conſilia probatum iri putabat, eatenus in cuſtodia retineri, quoad rerum potitus, neminem timeret. His rebus actis Ricardus, iam certò ſciens, nihil eſſe, quòd amplius diſſimularet, per litteras mandat Præfecto arcis Pontifractenſis, vt Antonium Riuerium, Ricardum Graium, ac Thomam Vuagam, ſecuri quamprimùm percutiat; id, quod breui pòſt factum eſt. Interim ipſe Londini iã omnia pertimeſcens, primùm omniũ ſeſe armatorum caterua ſtipat; deinde maximos quoſque ex nobilitate viros, largiendo, atque pollicendo ſibi conciliandos ſumma ope curat; quorum bonam partem magis terrore, quàm ſpe beneficiorum adductam, in ſuam traxit amicitiam: mox eorum potentia fultus, aliam ſibi viam aggrediendam ſtatuit. Siquidem deſperabat poſſe, ſe plebem ità muneribus vincire, vt illa æquo animo ſuum ferret imperium: quam non ignorabat libertatis tuendæ, ac conſeruandi iura regni cauſa, facilè ad arma concitari; idcirco timebat. Huic proinde multa cogitanti, res poſtremò in mentem venit, qua ipſe plebs ſpecie quadam honeſtatis decepta minùs abhorreret ea, quæ ipſe eſſet acturus. Itaque homo regnandi cupiditate cæcus, quem nulla iam cupiditas retardare poterat; poſtquam ſanguini domus ſuæ, minime parcere conſtituerat, etiam honori non parcendum ratus, rem eiuſmodi excogitat, & commiſcitur.

*Aliqui in cuſtodia ſeruãtur, alij ſecuri percutiuntur.*

Sermonem habet ſecretum cum Rodulpho Schao, Theologo id temporis magni apud populum nominis, eique exponit hæreditatem paternam iure ſibi venire, vt ætate maiori omnibus filijs, quos Ricardus pater, Dux Eboracenſis ex Cecilia vxore ſuſcepiſſet; cum ſatis conſtaret Edouardum, qui ante regnauerat, nothum fuiſſe, id eſt, non ex iuſta, legitimaque vxore natum: idque per argumenta non ignota. & rogat, vt velit de Paulino ſuggeſto, de ea re concionando populum docere, quo ille tandem aliquando ſuum verum agnoſcat Principem, ac illud ait ſe magnoperè petere, quòd exiſtimet præſtare, vt potiùs matris poſthabeat decus, ac honeſtatem, quàm patiatur tali Regum ſtirpe tàm nobile regnum diutiùs turpificari. Rodulphus ſiue metu perculſus, ſiue amentia arreptus, recipit ſe ei morem geſturum. Atqui vbi dies adfuit, Ricardus, qui nomine, aliena fungendi vice ſuas opes iam firmauerat, ſtipatus agmine armatorum, more Regio ad templum Diui Pauli venit, ibique concioni arrectis auribus intereſt. quo audiente, Rodulphus vir doctus dedita opera, nactus occaſionem loquendi non de re diuina, ſed de tragica, cœpit multis rationibus docere, Edouardum non fuiſſe à Ricardo Eboracenſi Duce creatum: ſed ex quodam alio, qui matris notitiam furtim habuiſſet; & id certis argumentis dilucere, quòd Edouardus neque effigie, neque corporis forma, Ricardo patri ſimilis fuiſſe; cùm ille ſtatura magnus, hic puſillus: ille facie ampla, hic breui, & compacta eſſet. Sed neminem hominem poſſe dubitare, ſi talia benè conſiderentur, quin Ricardus foret verus Ducis filius, qui iure regnum patri debitum poſſidere deberet; proinde hortari Principes, cum in præſentia, Rege carerent, vellent Ricardum, veram Regiam prolem, Regem facere, repudiatis alijs, qui turpi eſſent genere orti. Hæc vbi populus audiuit, mirabilem in modum ei in viſceribus hæſerunt: quippe qui rei indignitate permotus, omnibus precibus execratus eſt concionatoris pariter temeritatem, audaciam, inſulſitatem, atque Ricardi nefariæ mentis errorem; qui non videret, quanta familiæ ſuæ, & totius regni eſſet turpitudo, quantum dedecus, quanta labes, damnare in publico, matrem pudiciſſimam fœminam adulterij; inurere optimo fratri de ſe benè merito perpetuam infamiæ notam infligere innocentiſſimis nepotibus probrum æternum. Quapropter vno momento erat videre alios nouitate, miraculoque rei attonitos, more amentium ſtare; alios flagitij atrocitate perterritos ſibi timere, quòd Regiorum puerorum amici eſſent; alios demùm vicem ipſorum puerorum, de quibus iam actum eſſe iudicabant, dolere. Fama in vulgus iuerat, filios Edouardi in ea concione nothos appellatos fuiſſe, non Edouardum: quod omnino à veritate vacuum erat: quoniam Cæcilia mater Edouardi, adulterij, vt dictum eſt, falsò paſſim poſteà apud benè multos Principes, tantam iniuriam à Ricardo filio ſibi factam queſta eſt. Cæterum Ricardus, ità matre vt adulterâ publicè vituperata, & Edouardi fratri ignominia aſperſa, non pudore, vti debuerat, ſed lætitia prolatæ in apertum rei, per quam curabat regnum ſibi deberi, omnibus planum fieri, affectus, in turrim perinde quaſi à patribus Rex iam renunciatus, cum Regio comitatu redijt. Verùm Rodulphum Schaum tantæ rei turpitudinis præconem, qui non multò pòſt ab amicis, ob eius infamiam verecundantibus, grauiter caſtigatus, ad ſanitatem redijt, adeo facti ſui pœnituit, vt mœrore animi breui conſumptus, meritas ſuæ leuitatis pœnas dederit.

*Commentum aliud Ricardi Ducis Gloceſtriæ contra Edouardũ.*

Iam per hæc Ricardus & dominatum conſecutus

*Item Ri-*





*cardus Rex acclamatur.*

videbatur, & illud vbique quamuis metu magis quàm hominum conſenſu prædicabatur, cum ipſe timoris cauſa periculorum vndique impendentium, neceſſariò ſibi contandum conſtituit, tametſi amici vrgebant, vt id, quod latebat, erumperet, & quod reliquum erat maturè perficeretur; tamen vt nè factum ſuum facilè improbaretur, *voluit etiam, atque etiam, populum monitum, & rem omnem ad Iudices referri, qui eam terminarent. Itaque circiter XIII. Calendas Iunias, iuſſit Iudices, ac ciuitatis Magiſtratus, Robertum Bylles Prætorem, & Thomam Norland, ac Gulielmum Martin Vicecomites cum Senatoribus, in Curiam ipſius Prætoris frequentes conuenire, ad eoſque miſit Ducem Buchyngamiæ, cum nonnullis alijs Principibus, quos in conſilio habebat, vt ſuam agerent cauſam, ſuiſque verbis rogarent, vt illi auditis negotij peragendi rationibus, vellent, id decernere, quod ad patriæ, quod ad omnium ſalutem pertineret. Dux inprimis longâ oratione, mandata Ricardi expoſuit, & ex eius parte demonſtrauit, pro cauſa aliud nihil niſi ius, niſi fidem, niſi conſtantiam, niſi honeſtatem, niſi æquitatem pugnare; cùm ille regnum ſibi repeteret, quo anteà per fratrem Edouardum fraudatus fuiſſet; & propterea vellent authoritate ſua, de tanto negotio agitare, ac conſtituere, quò per fauorem populi, qui eorum iudicio regeretur, ei liceret, regnum ſuum tandem aliquandò obtinere, quod Reipublicæ commodo foret, cum Ricardus ea prudentia, & modeſtia eſſet, vt ab eo omnia æqua cuncti expectare poſſent. Ea fuit Ducis poſtulatio, ſimulque ſententia: contra quam, quia ius inter arma ſilet, nemo ire auſus eſt. At Ricardus perindè quaſi territi Iudices ſecundùm eum iudicaſſent, poſtridie eius diei Regali amictus veſtitu, ac firmo armatorum præſidio conſtipatus, ex turri, per mediam vrbem, ad Weſtmonaſterium progreditur. Ibi in ſede Regia ſedens, Regem tum primùm ſe gerit. Alia enim decernit, de alijs acturum ſe nuntiat; Magiſtratibus præcipit, vt omnia deinceps ſuo agant nomine; Item diem præfinit, quo populus cum Principibus adſit, paratus in ipſius verba iurare. Hæc vbi per omnes partes Regni fama diuolgauit, variè accepta ſunt. Illi enim qui Edouardi, ac eius Eboracenſis domus partium erant, deteſtabantur Ricardi audaciam tamquam peſtem, eam demùm familiam ad internecionem conſumpturam. Contrà qui Henrici ſexti Regis fidem ſecuti erant, illa omnia in rem ſuam fore iudicabant, quod breui tempore ita vſu veniret, vt Ricardi regnum nemini hominum tolerabile eſſet, & Principes illius funditus euellendi cauſa, antequam radices altiùs ageret, facilè officia ſua conferrent in Henricum Richemondiæ Comitem, ipſius Henrici ex fratre nepotem, ad regnumque euocarent. Ricardus interim haud ſecus, ac eius violentia poſceret, veritus eſt, vt nè quam multi Reginæ amici eſſent, qui populum ad arma vocarent, cùm cernerent imperium præripi Edouardo Principi: igitur primo quoque tempore quinque millia armatorum ex Eboracenſi agro (fidebat illis ante alios) collecta, duce Ricardo Rateclyffo ad ſe mitti iuſſit, præcepitque nonnulla Ricardo in itinere curanda. Is ea multitudine vallatus, ad Pontifractum conſtitit, ibique iuſſit Præfectum arcis ſupplicium ſumere de Antonio Riuerio, Ricardo Graio; & Thoma Vuagam, ſicut Gloceſtrenſis præceperat, quemadmodum ſupra ſcripſi, vt ipſo præſente, tam dirum facinus ſine tumultu conficeretur. quo facto, Londinum contendit. Ricardus ea fidelium hominum caterua munitus, confidenter ad cætera exequenda aggreditur. Itaque coacto Principum Concilio ad Weſtmonaſterium, pridie Nonarium Iulij Rex creatur, coronaturque, vnà cum Anna vxore, populo magis ob metum non repugnante, quàm approbante, dictuſque eſt, Ricardus tertius.

Ità Ricardus iniuſſu populi, per potentiam, voluntate quorundam Principum facientium, contra quam ius, faſque eſſet, Regno potitus eſt. Hic non multo pòſt rebus Londini ex ſententia conſtitutis, Eboracum iter habuit, rectaque Gloceſtriam venit. Dum hic moraretur, ad ſingula temporis puncta ita ſcelerum conſcientia mordebatur, vt perpetuo in timore eſſet; quem vt ab ſe omni modo depelleret, nepotes ad mortem ei conſtituti ſunt, quòd illis ſaluis, ſine periculo eſſe nullo pacto liceret. Quocirca per litteras Roberto Brachynburio præfecto turris Londinenſis, mandauit, vt aliquo honeſto modo nepotes ipſos quamprimùm necandos curaret, atque inde Eboracum diſcedẽs libentiſſimis animis à ciuibus acceptus, qui ob eius aduentum, aliquot dies gaudium publicè celebrarunt. Sed Ricardus vt copiam ſui omnibus etiam turi habitantibus faceret, plauſus captandi auidus, edixit diem, quo ſupplicationem Archiepiſcopus Eboracenſis eius rogatu decreuit, in cuius pompa ipſe cum Regina redimitus corona incederet. Duxit ſecum Ricardus Edouardum Comitem Varuici, ex Georgio fratre Duce Clarentiæ nepotem, per quem, vt nè ſibi aliquid periculi procrearetur, miſit eum cuſtodiendum ad arcem, quam vocant, Schereſuton. Præfectus turris Londinenſis, vbi Regis horribile mandatum accepit, rei atrocitate attonitus, ac veritus, ſi obediret, nè ſibi aliquando fraudi foret, illud non continuò confecit: ſperans Regem ſanguini, aut ætati parſurum, vel triſte conſilium commutaturum. Verumtamen tantùm abfuit; vt alterum ſit conſecutum, cum mens immota maneret, vt Ricardus, ſtatim atque accepit, Præfectum differre, quod præcepiſſet, alteri, id eſt, Iacobo Terello dederit negotium cædis maturandæ. Ille imperata facere compulſus, dolenter Londinum proficiſcitur, ac Regios pueros exemplo in omni memoria propè, inaudito, necauit. Ità Edouardus Princeps, cum Ricardo fratre interijt. Richardus Rex per id factum cura & metu releuatus, non diu cælauit cædem, ſed paucis pòſt diebus rumorem mortis puerorum in vulgus exire permiſit; vt, ſicut credere par eſt, poſtquam populus cognouiſſet, nullam iam ex Edouardo ſuperſtitem eſſe virilem prolem, ipſius dominationem æquiore animo ferret. Verùm vbi eius inſignis facinoris fama regnum peruaſit, tantus generatim omnium animis inhæſit dolor, vt eo cunctum iam metum vincente paſſim lacrymarent, & pòſt conſumptas lacrymas gemerent vociferantes; Ecquiſquam eſt certe omnium tam Dei, ſacrorum, religionumque, quàm hominum hoſtis, qui à tanto occiſionis ſcelere non abhorruiſſet? Sed ſpeciatim amici Reginæ & puerorum inclamabant: Quid hic faciet alijs, cùm ſuos crudeliter nullo eorum ſe merito iugularit? pro certo habentes tyrannidem ſæuiſſimam iam inuaſiſſe Rempublicam. Sed matri puerorum infelici, quæ adhuc in aſylo erat, ille rumor inſtar mortis fuit. Vt enim de nece filiorum cognouit ad primum nuntium rei immanitate exterrita, metu repentè corruit, iacuitque exanimata aliquamdiu: poſt ad ſe reuerſa, fleuit, vlulauit, impleuit clamoribus ædes, percuſſit pectus, ſcidit comam; denique tanto victa dolore, mortem ſibi quoque precabatur, ſua identidem chariſſima pignora vocans, ſeq; ipſam inſaniæ cõdemnans, quod alterũ filium ex aſylo

*Eiuſdẽ iuſſu Edouardi Regis filij necantur.*

inſidioſis deluſa promiſſis inimico ad necem tradidiſſet, quæ ſecundùm Deum, & filios, ſe maximè omnium violatam ſentiebat. Poſt longam lamentationem, cùm aliter vlciſci nequiret, DEVM inuocauit perfidiæ vltorem, quaſi certum habens, id aliquando facturum. Nemo erat, qui ad eiuſmodi pueros indigna morte mactatos aſpiciens non terreretur; cùm tale quid ſoleat interdum propter peccata maiorum accidere, & illorum noxa ad poſteritatem redundare. Illud fortaſsè iſtis duobus innocentibus pueris contigit, quod Edouardus eorum pater, Henricum Regem regno, & vita exuiſſet; & paulò pòſt Georgium fratrem, Clarentiæ Ducem occidiſſet: ac præterea religionis neglectæ crimen ſubijſſet; quando per ſanctiſſimum Iuſiurandum aliud mente, aliud verbis promiſſum fecit, illudque ilicò infecit.

*Ricardus Rex ſupplicationẽ Eboraci inſtituit.*

Dum hæc alibi geruntur, iam ſupplicationum dies venerat, quo die Eboracum multi mortales conuenerant, ſtudio noui Regis videndi. Tum in ſupplicationibus magno apparatu à Sacerdotibus conſtitutis, Rex inſigni redimitus diademate interfuit, magna heroum comitante caterua. Sequebatur & Regina coronam quoque geſtans, quę manu ducebat Edouardum filium, etiam parua ornatum corona: tanta ciuium lætitia & gratulatione, vt Ricardum in cælum plauſibus ferrent. Peracta ſupplicationum pompa, Rex haud ita multo poſt Concilium habuit, in quo poſteaquam de ſtatu illius prouinciæ conſtitutum eſt, Edouardum filium principem Vualliæ, Ioannem Hauardum Ducem Northfolciæ, eiuſque filium Thomam Comitem Surræ renunciauit: inſuper ex principum eius regionis numero Regium auxit Senatum domeſticum, quòd in illorum fide ſummam ſpem reponeret. ac nè Henricus Richemondiæ Comes ab inimicis ſtudio turbandi omnia in Angliam reuocaretur, ad Ducem Britaniæ, qui detineret, Oratorem atque pecunias miſit: inde Londinum reuertens, ab vniuerſa ciuitate ſummis honoribus exceptus, vulgi admiratione beatus dicebatur; cum aliquantò pòſt de ſuo ſtatu paulatim ſe demigrare ſenſit, nec in eo ſe vllo conſilio retinere potuit: quando pòſt necem filiorum Edouardi, quoties aliqua non bona tempeſtas in præſens tempus, aut in poſterum impendere apparebat, ſubitò populus ex recenti facinorum Regis memoria, eam ſoli Ricardo aſſignabat, vociferans, Deum expiare in miſeros Anglos, ſcelera Regis; quem propter nouum genus immanitatis criminabatur, deteſtabatur, ac denique ad ſummum vocabat ſupplicium. Cùm ita Ricardus malè ab omnibus audiret, quamuis eum non fugeret, à quibus illæ voces inprimis emitterentur, nec tamen auderet manu vindicare iniuriam: ratus errantis eſſe, interdum monitorum officij non repudiare; incidit ex tanta felicitate in timorem, animiq; triſtitiam, & quia præterita corrigere non poterat, ſtatuit infamiæ notã nomini ſuo inuſtam omnibus officijs delere, ac de ſe talẽ ſpem facere, vt deinceps nulla calamitas ſua culpa, reipublicæ accidere crederetur. Quamquã difficile eſt mutare animum, & quod moribus inſitum ſit, ſubitò euellere. Itaq; ſiue ob eam cauſam, ſiue quia vt tunc vulgi opinio ferebat, malorum actuum iam pænitebat, cæpit deinde alterius vitæ quoddam initium ordiri, nomenq; boni viri prætendere, quò iuſtior, mitior, popularior, ac liberalior præſertim aduersùs inopes haberetur, atque ſic primùm apud Deum, veniam commiſſorum mereretur, deinde apud homines inuidiam leuaret, ac ſe in gratia reponeret. Inchoauit multa opera tàm publica, quàm priuata, quæ immatura morte præreptus non perfecit. Inſtituit Eboraci Collegium centum Sacerdotum. Item eius aures, amicorum bonis monitis iam patere incipiebant; cùm ſtatim pòſt ſatis luculẽter apparuit, timorem, qui raró eſt diuturni Magiſter officij non iuſtitiam, feciſſe ad punctum temporis Ricardum meliorẽ, quandoquidem hominis bonitas, quæ fucata erat, citò refrixit. Ex quo eius cuncta conſilia ad nihilum ſubitò cadere cæperunt. Nam Edouardum filium vnicum primò amiſit, tertio poſt menſe, quàm Princeps Vualliæ factus fuerat; deinde auctore Henrico Duce Buchyngamiæ, facta eſt contra eum coniuratio, cædem innocentium Deo vlciſcente. Sixtus Papa, ſtatim atque intellexit Antiſtites eſſe captos, & in cuſtodiam datos; Ricardum officij admonuit, omniaque molitus eſt, vt eos in libertatem vindicaret. *Polydorus lib. 25. Mſ. expedit. Sixti IV.*

*Filium amittit, & conſpiratio in illum fit.*

XII. *Alia in Regẽ Luſitania.*

Luſitania quoque coniurationibus in Ioannem Regem hoc anno fœdata. Cæterum Ioannes Rex coniuratos in ſuum caput Proceres ſupplicijs vindicabat, comparatumque parricidium multorũ ſanguine expiabat. Mores aſperiores, ſeueritas iudiciorum adhæc linguæ procacitas nobilitatem alienarat; atq; illud maximè, quod contra maiorum morem, in Regulorum ditione ijs inuitis lictores Regij ſontes plectere non dubitarent, Regis fauore, & præceptis inſolentiores: Irritati proceres iniuria, in commune conſultarunt, armiſque decreuerunt, ſi foret opus, vindicandum libertatem, & iura maiorum meritis data. Duo Duces Regia nobilitate, opibus validi, Ferdinandus Brigantinus, Dominicus Viſei, coniurationis capita erant. Hos multi alij ſequebantur, Montismaioris Marchio, Fari Comes, Brigantini fratres, Garſias Meneſius Eboræ Epiſcopus cum fratre Ferdinando, Lupus Alburquerquius Penamacoris Comes. Atrocis coniurationis indicium hac occaſione factum eſt. Conuentus gentis Eboræ à nouo Rege habebantur, omnino frequentes. In ijs conuentibus tum alia præclara ſancita, tum procerum libertas aſtricta lege, nè impunè popularibus nocerent, neq; plus legibus, & æquitate poſſent. Conquerebatur Brigantinus, datam maioribus authoritatem, violandam non videri; veteres ſchedas excuti mandat, Regnumque diplomata Brigantinis Ducibus data. Inter eas ſchedas Lupus Figueredus rationum Magiſter inuenit tabulas, quibus cum Caſtellæ Rege inita conſilia reipub. exitialia conſtabat. Eas clam deſumptas ad Regem perfert. quibus ille cognitis diſſimulare iubet, & exemplo tranſcripto, vnde acceperat, referre tabulas. Accidit, vt Regina ex maturo partu decumberet Almerini primo vere huius anni 1483. Eius inuiſendæ & confirmandæ ſtudio frater Viſei, & ſororius Brigantij Duces accedunt. Splendidè acceptis abs Rege, atque omni comitate cultis, die quodam, facto ſacrificio, Brigantinum ſecretò in hunc modum Rex alloquitur *Dux amice. Sacris operati: & ad ſanctiſſimas aras veriſſima loqui, certò tibi perſuadeas velim. Conſilia contra nos cum Caſtella agitaſſe, neque tibi honeſta, neque debita nobis, manifeſtus cum ſis, vix credo tamen, tanta ſuperiorem gloriam, & merita ignominia fœdaſſe. Quanto hæc cum dolore loquor? Sed quidquid id eſt tamen, perpetua obliuione delere, fixum animo habeo, atque cum offenſa beneficio certare, nouiſque honoribus cumulare mutantem modò, nobiſcumque ſentientem: quem Deus huius Imperij ſceptra tenere voluit: te proximum potentiæ, & auctoritatis locum occupare, opes Regijs æmulas, coniugio certè parem, cum duas ſorores habeamus vxores. Quis tanta vincula amicitiæ diſrumpat? aut à quo expectare poſſis ampliores honores? Excæcauit mentem dolor nimirum. ſed ſi quid in nouo regno offenſum eſt, mutabitur ſi à lictoribus noſtris aliqua irrogata iniuria! exemplo patientia debuiſti prælucere alijs. etiam ego tum me docueris, errata libenter emendabo. Tuenda repub. non conſilium tantùm à te expecto, ſed arma. Quod vt eo ſtudio, quo opus eſt facias, te rurſus cupio exoratum.* Commouit Brigantini Ducis animum oratio Regis. Nè faciles





criminationibus præberet aures, obſecrabat. Se haudquaquam maiorum gloriam perfidia obſcuraturum. Acceptis iniuriis maiora beneficia fuiſſe. Procul tantum facinus ſuperi auerterent; ne cogitaſſe quidem tantum nefas. Si falleret, dira caput ſuum imprecatione execrabatur. Sic à colloquio diſceſſum eſt. Rex Scalabim abijt; Duces in ſuæ ditionis oppida haudquaquam mutatis animis. Ferdinandus Talauera ex Hieronymiano Ordine Prati Prior, Caſtellæ Regibus à ſacris confeſſionibus in Luſitaniam Legatus, probante, ac iubente quoque Sixto Pontifice miſſus, vt communi conſenſu firmato fœdere obſides reciperent, obtinuit. In veteri fœdere id mutatum tantum eſt, vt Alfonſo Luſitani filio, Ioanna nuberet Ferdinandi Regis filia minor, ætate ſimili, aucta dote. Extremo menſe Maio Iſabella ad parentes in Caſtellam miſſa, ad Luſitanum Alfonſus puer. Redeuntem ad patrem, officij cauſa Brigantino proſecuto, Eboræ, vbi Curia erat, iniiciũtur vincula. Nouo indicio cognitum erat, Petro Iuſarte internuncio, cum Caſtellæ Rege vetera conſilia repetita. quod Gaſpar Iuſartes Patri frater indicauit Regi. Dicta cauſa Brigantinus maieſtatis lege, capitis ſupplicium ſubijt, ad X. Calend. Iulij. Cæteris documentum datum eſt, res non nouari, ipſis etiam perſæpe oppreſſis authoribus. Idem ſupplicium de ſex alijs nobilibus Luſitanis, qui in parte coniurationis erant, ſumptum eſt. Magiſter equitum cum alijs præceps è prouincia exturbatus. Brigantini fratres celeri fuga ſeſe è periculo eripuerunt. Filij Philippus, Iacobus, Dionyſius à Matre Iſabella in Caſtellam amandati, quamprimum triſtem nuntium accepit, virum eſſe captum. Viſei Ducem ætas rutata eſt. Proxima die à Brigantini ſupplicio verbis modo caſtigatum Rex, atque ferme periculo exanimatum, incolumem dimiſit. Animi coniuratorum tamen; nihil neque ſeueritate priori, neque noua clementia moti fuere, quin clanculum inter ſe conuenientes, temporum conditionem conquererentur ſeruituti proximam. In paucorum potentiam, ius, ditionemque conceſſiſſe; reliquos vulgus eſſe ſine auctoritate, gratiaque: Brigantinum quoniam ea ferenda non putaſſet, capite pænas ſoluiſſe, eius exemplum ad ſingulos poſſe recidere. Quæ quouſque patiemur viri Principes, niſi prauos conatus inſigni aliquo facinore occupamus, omnibus ſimul pereundum eſt. Quin cædem cæde expiamus? & tyranni ſanguine, optimi, atque innocentis Principis manibus parentamus? Id communi ſententia decretum; Rege ſublato, Viſei Duci gentis imperium deſtinatum. Ingens cæptum, pertinax conatus, fœdus exitus. Dum tempus rei perficiendæ expectatur, detecta Regi coniuratio eſt. Erat Diegho Tenoco Soror Eborenſi Epiſcopo, ſtupri conſuetudine familiaris. Ea cognitum periculum fratri denuntiauit: ille Regi Setubale in oppido in veſte Franciſcana, quo indicium eſſet occultius. Idem Vaſcus Continus renunciauit, cuius frater Guterrius Cutinus coniurationis factæ particeps erat. Illi depulſo periculo Barbæ Comitatus, Stremotiumque, præmium fuit. Regreſſo fortè in agrum vicinum Rege, vt templum inuiſeret opinione ſanctitatis præſtans, adfuerunt coniurati, mutua fide læti; cuius documentum tot diebus fuerat ſilentium ſeruatum. Templo egreſſum perimere parabant; Sed fortuna Regis & Fariæ cubicularij diligentia protexit. Ad autem denunciato periculo cum coniuratos comiter appellaſſet, furorem illi continuerunt. Ad ſuburbium oppidi, mareque, templum alterum eſt Antiquæ Virginis nomine. In id Rex diſſimulanter egreſſus, dum plures aulici conuenirent ad præſidium moratus eſt, cum Vaſco Coutino de induſtria producto ſermone, Grauis erat coniuratis mora, ſolicitis, ne ex tanto numero aliquis fidem mutaret. Dies is Veneris erat Sexto Calend. Septembris, cum Rex vitato periculo, Viſei Ducem Palmela, vbi cum matre euentum morabatur, venire ad ſe iubet, confictis alijs cauſis. Pertinax eſt animus, quem ingens ſpes deuouit. In tanto quamuis periculo Regem adire non dubitauit. Iuſſum in cænaculum aſcendere, paucis præſentibus adacto in pectus pugione peremit. Illud modo fatus; Ioanni Brigantino renuncia coniurationis exitum ab ipſo inchoatæ. Erat is viginti annos circiter natus. Mathematici gentis imperium, quaſi ex aſtrorum inſpectione denunciarant, genus hominum fallax, & vacuum, cuius in omnibus nationibus mendacia viguerunt, vigebuntque. Emmanueli occiſi Principis fratri, omnia, quæ ille habebat data, ſunt continuò; vno tantum Principatus nomine mutato, vt Pacis Iuliæ Dux vocaretur, imperatum. Huic numina imperium gentis deſtinabant; quod Sphera orbis ſimilitudine clypeo adiuncta temerè, portendiſſe viſa eſt. Diegho Syluæ eius pedagogo inſtitutionis præclaræ præmium fuit, oppidum Portalegre Comitis nomine. E Coniuratis alijs, nonnulli capti, Eboræ Epiſcopus cum fratre Ferdinando Meneſio, & Guterrio Coutino. Maior pars in Caſtellum aufugit, vagi, inopes, atque mærore oppleti. vt Eborenſis Epiſcopus iudicio Sedis Apoſtolicæ permitteretur, Sixtus Pontifex ſcriptis litteris expoſtulauit. *Mariana de rebus Hiſpaniæ libro vigeſimoquarto, capite vltimo, M. S. de expeditionibus Sixti IV.*

*Alia in eundem Regem conſpiratio detegitur, & eius authores puniuntur.*

XIII. *Alia coniuratio in Baptiſtam Fulgoſiũ Genuenſiũ Ducem.*

Eodem anno, Genuæ in Ioannem Baptiſtam Fulgoſium Ducem eius Reipublicæ, à conſanguineis coniuratum. Erant in vrbe, eius gentis duo, ſi præſentem dignitatem, & opulentiam ſpectes, clariſſimi viri, cæterum ſi ambitionem, pernicioſi ciues, ſcilicet, Paulus, recèns in Senatum purpurei Ordinis à Sixto Pontifice adſcriptus, & Auguſtinus, ambo Ludouici filij. quorum hic vrbanis cohortibus cum ſummo honore præerat. Hi tametſi Baptiſtæ conſanguinitate coniuncti forent, & per omnes honoris gradus, ad ſummum dignitatis faſtigium euecti, tamen iniquo animo ſupremam illi dignitatem inuidentes, omnes conſilij rationes cum præcipuis ſuæ familiæ, alijſque ſuis ſocijs inierunt, vt eum ad primam opportunitatem Ducali honore exuerent. Verum quia res illa videbatur, vt reuera erat, ſuſpicionis, & periculi plena, variatum de modo perpetrandi facinoris, inter eos haud leuiter fuit: quippe vna pars tantum ſcelus per occultas inſidias aggrediendum dicebat; altera vero aperto Marte ipſum inuadendum eſſe cenſebat. Vicit tamen eorum ſententia, qui rem ſecreto, & per inſidias perpetrandam iudicarent: nimirum quod plurima inde incommoda, ac periculoſæ ſeditiones, ſi res malè ſuccederet, haud immerito ſuccedere poſſent. Quapropter in publico palatio, & quo ipſe de more principum, longo vſu inolito agebat, citra rumorem, vel cædem militum, facinus exequi placitum. Cardinalis cum & ipſe in publico palatio tunc temporis habitaret, prætextu officij, Baptiſtam in cubiculo ſuo exiſtentem, diſpoſitis prius per fornices aliaque occulta palatij loca non paucis militibus, adijt; & cum ſui facti conſcium, & ſocium fratrem vrbanæ militiæ (vti diximus) præfectum haberet, ſine magna difficultate, vel obſtaculo ab illo extorſit, vt ipſe de ſe ſolicitus, ac ſeſe ſuorum perfidia circumuentum animaduertens, vltro vrbis claues peruido ſuo conſanguineo traderet. Quibus conſignatis, illum publicè Principatu, contra omnium gentium mores, atque conſuetudinem, & multarũ ætatum exempla, hac vna excepta vrbe ſpoliauit tãtaq;

improbitate, ac verborum præſtigijs graſſatus eſt, vt etiam conſentiente Senatu cum magna ſuæ factionis congratulatione, & fauſtis acclamationibus, ſeptimo Calend. Decembr. in ipſius locum ſubſtitueretur. Baptiſta interim ſua præcedenti felicitate infelix, & præſenti ſui ſtatus conditione miſer, in exilium ablegatus, ad otium, & quietem conuerſus, tanta cum modeſtia, & animi fortitudine, ad omnem poſteritatis memoriam, & publicum bonum vixit, vt cum eſſet vir ſingulari ingenio, ac eximia eruditione præditus, ad imitationem Valerij Maximi, de illuſtrium virorum dictis, & factis elegantem librum conſcripſerit; in quo cum ad perfidiæ, & ingrati animi caput peruenit, huius purpurati ſui patrui, inſtar omnium, barbaram, & crudelem perfidiam ſumma cum inhumanitate coniunctam deplorat, ac execratur. Nec mirum, certe; huius Cardinalis in proprium nepotem ſummæ iniuriæ, & violentiæ exemplum alicui iure videri debet, cum non modo in ea ciuitate, ſed in multis alijs, ſiue mobilitate ingenij, ſiue inſcitia vel indulgentia ſupremorum Ordinum, ſiue fato, diuerſis ſtudijs, & animorum diſtractione certatum fuerit; ita vt ſæpius neglectis omnium bonarum, & honeſtarum artium diſciplinis, poſtpoſitaque omnium bonorum morum reuerentia, & ſanguinis coniunctione; atque interdum etiam fraternæ charitatis vinculo diſrupto, ad non minus turpia, quam flagitioſa, & deteſtabilia decurſum ſit, adeo certe, vt dum ciuilis ſanguinis effuſio gladiorum impunitate confirmatur, iura, & omnes bonæ leges, ceu inciſo neruo, opulentiorum potentia obrutæ, & oppreſſæ ſubinde fuerint, ciuileſque commotiones ac turbæ, quæ antea æquis conditionibus ſanari conſueuerant, ſenſim ferro diiudicatæ ſint, bellaque poſtremum non iuſtis de cauſis ſuſcepta, vel inita, ſed prout earum merces fuit: quod ſane in ſe minus habet admirationis, quo ſæpius hoc modo paſſim peccatur; ſatis enim iam longo vſu addidicimus, exempla non ibi conſiſtere, vnde cœperint, ſed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latiſſime euagandi viam ſibi facere; & vbi ſemel recto deerratum eſt, in præceps quam facillimè peruenitur; nec quiſquam ſibi putat turpe, quod alij fuit fructuoſum. *Petrus Bizarrius hiſt. Gennen. libro decimo-quinto.*

XIV. *Bellum inter Ferdinandū Caſtellæ Regem, & Mauros.*

Eodem anno pariter, coniuratum, ac bellatum eſt, contra Ferdinandum, & Iſabellam Reges Caſtellæ Catholicos, necnon contra vniuerſos Hiſpaniarum Chriſtianos, à Mauris Granatenſis Regni. Decem annis bellum iſtud geſtum eſt, Regum Ferdinandi, & Iſabellæ auſpicijs, ductuque: plenum varijs caſibus, atrox prælijs, ſucceſſu lætum; fauſtumque Hiſpaniæ, Romano Pontifici, piorumque nationi vniuerſæ; barbarorum imperio ab ſtirpe conuulſo; quod ſeptingentis amplius annis, ea parte qua Granata eſt, ſteterat in Hiſpania, magna gentis iſtius ignominia, probroque. Bæticam inter, & Cathaginenſem prouinciam, Granatæ regnum iacet, vtriuſque prouinciæ pars, ambitu colligens ſeptingenta paſſuum millia, maiori longitudine, longitudine impari. Arunda enim Oſcam ducenta, & quadraginta millia, Cambile Almunecarem vſque centum numerant milia. Murciæ regnum, hoc eſt vetere, Conteſtanos ab ortu Solis terminum habet, à meridie, Mediterraneum mare: ad Occaſum, ſeptentrionemque, alijs Bæticæ regionibus clauditur. Lætiſſima cæli, ſolique facies eſt; agri omni fertilitate terræ inter primos Hiſpaniæ conſpicui. Ipſi montes, quibus regio magna ex parte impedita eſt, aquis manantibus irrigui, idoneique culturæ, mites arbores alunt, perpetuaque viriditate amæni ſunt. vnde aëris temperies hyeme, atque æſtate corporibus inprimis ſalutaris, præſertim qua parte regni caput vrbs Granata ſita eſt, in paucis nobiliſſima frequentiſſimaque, de cuius nomine vniuerſæ prouinciæ appellatio facta eſt. Ipſi ab ſpelunca longiſſima ad Alfaharium pagum pertinente, vbi arcanis olim ſacris, & damnatis artibus incolas operatos fama eſt, nomen datum. Gar enim Arabum lingua ſpelunca eſt, & ex Nata Syriæ vrbe, ſicaiunt, aduecti à Tariffio milites, oppreſſa Hiſpania ijs locis fortunarum ſedes collocarunt. Ab vtraque ergo voce Granatæ vocem conflatam, maiori prudentia & eruditione auctores affirmant: aliàs notationes nominis afferunt alij, ſed chartas conficere, & abuti patientia, non eſt neceſſe incertis originibus, & opinionibus commemorandis. Sanè hoc tractu vrbes quattuordecim erant, municipia ſeptem, & nonaginta, quo tempore poſtremo bello petiti, oppreſſique Mauri ſunt. In eo numero Almeria, Malaca, Guidixium, quæ Plinio Acci eſt, maiori frequentia & nobilitate celebrantur. Belli cauſæ ab antiquo multæ extabant. Maurici nominis inuidia, diſcrepantes de rebus diuinis opiniones, regnum iniuria in Hiſpania conſtitutum, retentumque diu, pudenda ignominia nominis Chriſtiani, multæ & graues inter vtramque gentem iniuriæ; quod ferè finitimis regnis accidit. Reliquias eius gentis ad Hiſpaniæ angulum redactas, Hiſpanorum Regum imbecillitas rexit, prouincia in plures Principatus diſtracta, fatali inter Principes diſſidio, nullo communi conſenſu: vt ferè tantum de publicis damnis ſentimus, quantum ad priuatas res pertinere putamus: religionis amor parum mouet, præ cupiditate iniurias vindicandi, proferendi imperium. Si quando præclari conatus extabant, Africæ vicinæ vires opponebantur, vnde certa auxiliorum ſpes erat, ſæpeque torrentis inſtar ſeſe numeroſæ Afrorum copiæ infuderunt in Hiſpaniam rapidæ, feroces, formidabileſque. ſic factum, vt impiæ gentis imperium non toto triennio conſtitutum, tamdiu ſteterit, ſic cælo viſum: Hiſpanorum gentis peccatis iuſtiſſima ea merces fuit. Superis irritatis, atque nolentibus, inanis omnis conatus ſit, placatis cuncta proſpera cadent: vti hac tempeſtate accidit. Quæſtionibus de Religione conſtitutis; Magiſtratuum authoritate fundata, quæ fluxa eatenus fuerat; iniurijs, latrocinijs, cædibus vindicatis; continuò nouum lumen affulſit rebus, numine propitio prouinciæ viribus confirmatis, excili, oppreſſique Mauri ſunt. Alhama oppidum natura & arte munitum, inprimis captum. Magno numero ibidem Mauri pars trucidati, alij in ſeruitutem abducti ſunt. Magnus hinc terror barbaris, magna Hiſpanis cura incuſſa eſt. Terrebat Mauros audacia, finemque imperio Maurico, ne appropinquaret, verebantur. oſtenta de cælo angebant, ſenexque fatidicus Zaharâ non ita pridem à Mauris capta clamaſſe fertur; *Huius oppidi rudera, vtinam falſus vates ſim, in noſtra capita incident: Imperij in Hiſpania finem veniſſe, præſagit animus.* Albohacenus Rex tamen coacto raptim milite, præſidio Alhamæ properauit; fruſtraneo conatu: Ferdinando Rege obſeſſis ſuccurente, & hoſtem aliò diuertente. Ludouicus Oſorius Giennenſis Epiſcopus deſtinatus, ſcientia militari, magnoq; vir animo, Alhamæ à Ferdinando Præfectus ſaluti fuit obſeſſis; ac inſuper Granatæ planiciem, agroſque incendio, & direptionibus vaſtauit. Sexcentos Mauros equites Granata egreſſos ad reſiſtendū, Cabræ Comes, atq; Calatrauæ Promagiſter magna ſtrage in vrbem reiecerunt. Rebus aſperis in ea gente, extremum malorum diſcordia acceſſit. plerique ciues Granatenſes correptis armis, Albohacenum vrbe expulerunt. Remp. impotenter

habere



habere accuſabant, temerarioque conatu tantum bellum in ditionem attraxiſſe. In eius locum filius Mahomad Boabdiles cognomento Paruulus ſuffectus eſt. (Hali Muleius Alcadurbilis à quibuſdam vocatur) In Albohaceni fide Malaca, Baſta, aliæque vrbes perſtiterunt. Sic diuiſa in factiones gens eſt: neque minus inteſtinis diſſidijs, quam externis hoſtibus laborabat. Conditio miſera, atque perturbata, qualē fuiſſe fides ſit, duobus in exigua prouincia Regib⁹. Mirum videbatur, in tanta quamuis diſcordia, à neutra parte Hiſpanos in auxilium fuiſſe vocatos: quin & ipſo ardore belli ciuilis conſtat tum alias irruptiones tentatas, tum Cagnetum oppidum ad confines vtriuſque gentis, de Hiſpanis captum fuiſſe. Inſignem animorum fiduciam, audaciamque. A Sixto Pontifice impetratum, vt centum aureorum millia Sacerdotijs imperaret: data etiam peccatorum veni Cruciatæ nomine ijs, qui aut voluntarij arma ſumerent, aut certam ſtipem in ærarium conferrent. Quod tertio anno repetitum, neque intermiſſum conſequenti tempore, ab hoc initio magnam pecuniæ vim iam omnibus annis in Regium ærarium infert. Eæ viæ pecuniæ redigendæ nuper inuentæ, ab ijs, qui talibus acriter ſpeculandis gratiam Principum aucupari ſolent, magis incommodæ quam moleſtæ; vti tempus, & maior rerum vſus aperuit. A menſarijs, & ſubditis alijs, grandis præterea pecunia mutua ſumpta eſt. Itum triplici agmine in Mauros; ſed infeliciter ad Malacam 12. Cal. Aprilis pugnatum. Ex hoc tamen magno mærore, & luctu breui piorum animi recreati ſunt, maiori quam acceperant reddita clade, frænataque barbarorum audacia. Pertinaci inter ſe contentione duo Reges Mauri pugnabant Albohacenus, Boabdileſque aduerſus Hiſpanos conſenſu, odioque implacabili; in eo ſpem aduerſæ factionis ſuperandæ habentes, ſi Chriſtianis inſectandis, vlciſcendiſque laudem ad populum & fauorem conciliaſſent. Paterna victoria Boabdilem excitabat, vt vltro bello laceſſeret. Ergo collecta numeroſa manu equitum, peditumque, tum ex ſuis, tum ex aduerſaria factione in Aſtigitanos agros incurrere ſtatuit, ſpe Lucenæ expugnandæ, ampli magis, & lauti municipij, quam validi. Cabræ Comes, auxilio Lucenis adfuit. Vix hæc poſteritas credet. Mauri decuplo maiori numero Hiſpanorum primum conſpectum non tulerunt. Deus illis mentem eripuit; famaque, vt fit, maiora vero de Chriſtianorum numero prædicauerat. Itaque diuinitus incuſſo timore ſeſe in fugam dederunt. Boabdiles Rex equo candido deſcendens, quo inſigni eo die vtebatur, vicini torrentis inter arbores, & dumos, dum ſe occultare pararet, à tribus peditibus, ipſomet metu mortis indicante cognitus, captuſque Lucenam miſſus fuit. Fugientium magnas trages vſque ad noctem facta eſt. Mille amplius equites ceciderunt. cum his Alatar Regis ſocer, & conſilij auctor (quem ex infimo genere, cum ſcruta aromataque iunior vendidiſſet (id certe nomen ſignificat) bellica virtus per omnes militiæ gradus ad eum honorem euexerat, pareſque diuitias) ipſe nonagenarius. Pedites ad quattuor millia, pars capti, pars cæſi ſunt; præda ablata. Fuerat Albohacenus Granatæ poſt hac acceptus, vniuſque imperio deuincti barbari tenebantur. Tametſi capite aduerſæ factionis ablato, manebat tamen pleriſque ciuibus conſcientia prioris ſtudij; nec deerant ſermones ſenium, crudelitatem, auaritiamque Albohaceni increpantium: Ingenti delectu ſex mille equites, pedites ad quadraginta millia Ferdinandus ipſe Rex contraxit. & ad IIII. Calend. Maij, Madrito diſcedens, Illora ſuburbia vaſtauit: Tagiaram vicinum Granatæ oppidum vi expugnauit, euertitque. In Granatæ planiciem mox ferrum, igneſque circumtulit, caſtris loco munito poſitis, vnde vaſtatores cum iuſto præſidio in vicinos agros dimittebat: eo minori periculo ſuo, maiori hoſtium damno, quod Albohacenus ciuium voluntate diffiſus vrbe egredi non eſt auſus. Pauci modo milites ſeſe per agros oſtentare: vagos, palanteſque carpere, aut de ſuo loco pugnaturi. Miſſi tantùm Granatæ Legati: qui ſi Bobadiles Albohaceno patri traderetur, Comitem Ciſontanum, & nouem alios è præcipuis captiuis ęqua permutatione pollicerentur. Addebat alios inſolentes fæderis conditiones, ferox animo barbarus, quas Ferdinandus reiecit, veniſſe ſe dictitans, vt leges daret, non arriperet. Arma tenenti nullam pacis conditionem fore. & erant Hiſpanorum animi ad Boabdilem propenſi. Fauor, & miſericordia acres impetus habent. Itaque Regi ſuadere non deſiſtebat cum alijs Gaditanus, vt eum libertati redderet, factioneſque potiùs inter eam gentem aleret, Chriſtianorum conatibus inprimis opportunas. Motis caſtris, Alhamaque munita, Præfectus Enecus Mendoza, Tendilliæ Comes iuſſus eſt, non modo tueri vrbem, ſed de hoſtibus prædas agere. Vbi Cordubam ventum eſt, Boabdiles Regis iuſſu Porcunæ arce, quæ veteribus Obulcum fuit, adductus, ingenua procumbens, dextramque Ferdinandi deoſculari contendens, amplexu, & amicis verbis acceptus eſt: cum negaret erga Regem quamuis barbarum, & captiuum, hoſpitij iura, ſacraque minuenda videri. Fæderis conditiones hæ fuerunt. Boabdiles filium natu maiorem obſidem dato, adiunctis duodecim alijs Principum filijs, in fide, & obſequio Caſtellæ futurum, patrijs ſacris modo retentis. Duodecim aureorum millia quotannis pendito. Ad regni Conuentus venito. Captiuos quadringentos reddito libertati, quinque annorum ſpatio. Sic barbarus in patriā dimiſſus eſt. Poſt hęc mille quingēti equitęs Mauri, pedites quattuor millia, qui ductore Bexiro Malacitano Præfecto, in Vreræ agros inuecti fuerant, Gaditani, & Ludouici Portocarrerij accurſu repulſi ſunt, victique ad Lethem fluuium magna Maurorum ſtrage. Gaditano data veſtis, qua Reges vterentur Sexto Idus Septembris, Virginis Matris natali die, virtutis præmium: lege in perpetuum lata, præſertim cum intra eundem menſem non viciſſet modo exultantes Mauros, ſed etiam Zahacam recepiſſet, vi improuiſa expugnatam. Ad vrbem Victoriæ, vbi Ferdinandus, & Iſabella erant, Cabræ Comes, & Præfectus Regiæ cohorti, Regum iuſſu ſplendido apparatu excepti ſunt, cunctis proceribus, & Epiſcopis obuiam progreſſis, deducente Toletano Cardinali, Petro Mendoza. Is honos virtuti eſt habitus, merces centena æris minuti millia annua, dum viueret, è Regio fiſco Comiti Cabræ data. Ad vetera gentis inſignia, caput Regis coronatum adiectum eſt; circum oram clypei nouem vexilla de Mauris eo die capta, rei geſtæ munimentum, poſteris omnibus incitamentum, ad audendum, conandumque pro Religione, & patria præclarè. Hibernis aquis, Albaniæ Muri pars magna repentè corruit, militibuſque de vrbe deſerenda conſultantibus, Enecus Tendilliæ Comes, expedito conſilio linteum prætendit ruinæ, imaginem muri, ita pictoris arguta manu mentiente, vt prius proſtrati muri pars fuerit refecta, quam hoſtis periculum cognouerit, caſumque. *Mariana libro vigeſimo quinto, capite primo, ſecundo, tertio, quarto,*

*Mauri inter ſe diſcordes ab Hiſpanis vincūtur.*

*Fœdus inter Ferdinandum & Mauros, fœderiſque conditiones.*

XV. *Mos Hiſpanorum* [illegible]

Mos Chriſtianis victoribus in eo bello fuit, vt cumprimum vel ciuitatem aliquam; vel oppidum cepiſſent, ſtatim ſigniferos ſuos in arcem, vel in aliquem locum eminentiorē iubebant aſcendere, qui primum ſignum ſalutiferæ Crucis attollerent: quam cum aſpexiſſent ſublatā, in terram ſtatim procidentes;

adora-

adorabant, Deo gratias agentes, & Sacerdotes, *Te Deum laudamus*, decantabant. Secundum ſignum vexillum erat Sancti Iacobi Apoſtoli, quem patronum ſuum vocat Hiſpania; quo conſpecto, nomen eius inuocabant. Tertium vexillum erat Regium, titulis, & armis inſignitum, quod vniuerſus exercitus conſpiciens, altis vocibus nomen Caſtellæ ſæpius iterabat. Sublatis vexillis deinde præſul in Oratoriam domum, (quam Mezclitam Mauri vocant, & congregationem, ſicut Iudæorum Synagoga ſignificat) ingreſſus, benedictam, & conſecratam Chriſtianæ religioni dedicabat. Captiuos Chriſtianos, gratis liberabant. Ante prælium ſacram Euchariſtiam percipiebant; inimicitias, & ſimultates deponebant. In conflictu, nomen Ieſu, Mariæ, & S. Iacobi Apoſtoli conclamantes implorabant. *Lucius Marineus Siculus, de rebus Hiſpaniæ libro vigeſimo.*

XVI. *Caſtellæ Regum erga res fidei zelus, ad victoriam conducit.*

Iuuit Ferdinandum & Iſabellam Reges, ad victoriam de Mauris obtinendam, zelus, quo erga res Fidei Chriſtianæ ardebant. Hoc enim anno, ad diem xx. Maij, Gonzali Betero, ſuo apud Sixtum Pontificem Oratori commiſerant, vt apud Sedem Apoſtolicam, ampliorem poteſtatem F. Thomæ à Turre Cremata S. Crucis apud Segobienſes Dominicanos Priori, qui illis à Sacris Confeſſionibus fuerat, & Inquiſitoris in regnis Caſtellæ, ac Legionis munere fungebatur, obtineret, etiam in Aragoniæ, Valentiæ, Cathalauniæ, ac Siciliæ Regnis inquiſitores prauitatis hæreticæ ex Dominicano Ordine creandi, conſtituendique: nec non in quoſcumque de fide ſuſpectos, iudicium inſtituendi. *Surita annal. libro vigeſimo, cap. quadrageſimo nono.*

XVII. *Item erga Apoſtolicam ſedẽ deuotio.*

Iuuit præterea eoſdem Catholicos Reges ad res præclarè fortiterque faciendas, obſequentia, & deuotio erga Apoſtolicam Sedem. Duo præcipuè deſiderabat Sixtus in Regnis Hiſpaniarum, alterum, vt ſacris Ordinibus militaribus viri graues præficerentur; alterum, vt mores corrupti ad veterem diſciplinam reuocarentur. Priori in negotio reſeruarat ſibi Pontifex poteſtatem, Monteſienſi militiæ ſupremum Magiſtrum præponendi: ex qua cum vacante ea dignitate, Monteſianis permiſiſſet, præfectum eligendi, & hi Philippum Boylium deſignaſſent; quem Sixtus confirmauit; Reges necquicquam temere ea in re ſibi agendum exiſtimantes, nihil quidem contra eam electionem, & confirmationem arroganter tentarunt; ſed Pontifici ſupplices fuerunt, dignaretur rationem illorum habere, atque illam dignitatem Philippo Aragonio, Panormitanum Archiepiſcopatum Boylio renuntianti, conferre. Annuit poſtulatis eorum Sixtus & collaudata Regum moderatione, Philippum Aragonium ex Archiepiſcopum Monteſiano Ordini Magiſtrum præfecit. *Surita libro vigeſimo cap. quinquageſimoquinto.*

XVIII. *Eorũdem Caſtellæ Regum virtus, & honeſtas.*

Quanta autem Catholicis Regibus omnis virtus, & omnis honeſtas fuerit, non in humanis ſolum rebus, ſed in diuinis etiam officijs, ad religionis Chriſtianæ cultum ſpectantibus, hinc facile perſpicere eſt; quippe qui non minus diuinarum rerum cultores, morum cenſores, & omnium virtutum profeſſores, quam regnorum ſuorum gubernatores erant. Quamobrem cum vidiſſent Religioſos omnium Ordinum, alios honeſtius, & præcepta ſuæ religionis obſeruantes, alios liberius, ac diſſolutius viuentes, nec ordini ſuæ profeſſionis, nec ſuperioribus obſequentes, omnes, qui clauſtrales dicuntur, & liberè vagabantur, adhibitis ad id viris ſeuerioris diſciplinæ, ad obſeruantium normam, & honeſtiorem vitam curauerunt reuocare. Moniales quoque, quæ licentiùs vagari conſueuerant, à virorum, qui ſuſpecti videbantur conſuetudine, ſecreto colloquio, & monaſteriorum ſuorum exitu prohibuere. Præterea iuuenibus, adoleſcentulis, & alijs cunctis, qui litterarum ſtudijs, & bonis artibus operam dabant, vſum longarum & ſericarum veſtium, promiſſiorumq; capillorum, quibus nonnulli maximè ſtudebant, ademerant. Prohibuerunt, & ludos, aleæ præcipuè, atque chartarum, ex quibus multa quotidiè malorum genera naſcebantur. Viros prætereà probos; & quacumque virtute præditos extollebant, magnis honoribus, & commodis afficientes; malos autem, & pertinaces in maleficijs; & obſtinatos, quos errorum pænitentia non ſubibat, à ſuis Principatibus exterminabant. *Marineus lib. 19. de rebus Hiſpan.*

XIX. *Extirpatio hæreſis & reformatio morũ in ſeptentrione non ſuccedit feliciter.*

Ea cura Sixto Pontifici, quantum ad extirpationẽ hæreticorum, & reformationem morũ, minimè feliciter in Septentrione ſuccedebat. In Bohemia, vrbe Praga, recruduit vetus illa hæreticorum ferocitas, ita vt impetu facto in Catholicos cõciues, maxima multitudo opprimeretur. Pulſi denuò religioſi, exciſa iterum vix benè reſtaurata Monaſteria. Rege Vladiſlao nequicquam prohibere potente. Hamburgi, Adminiſtrator Eccleſiæ Bremen. Henricus Svvartzenborgius Monaſterienſis Epiſcopus, quoſdam Abbates, & Prælatos alios miſerat ad reformandum Conuentum Monialium in Heruehude, ſcribens Hamburgenſi Magiſtratui, vt è ſuo numero quoſdam deputaret, rebus per manſuetudinem, & bonis modis ad intentum finem perducendis. Deputauit Senatus duos ex ordine ſuo, qui audirent, & referrent. Ventum in Monaſterium primo mane. Excurrerat promiſcuum vulgus plurimùm cum Conſularibus: ante etiam venerant viri, ac mulieres, patres, matres, germani, fratres, conſobrini, cognati, & propinqui Monialium. Ab inſanientium fæminarum tumultu res inchoatur: acclamauere tumultuantes quoque viri; incertum, quid quiſque loqueretur. Indignatos, facilè erat intelligere, quod de reformatione ageretur. Non erat, qui audiret, quid à Prælatis ad Virgines diceretur. Orabant illi, vt viri Conſulares quietum ſiſterent populum: nihil proficiunt. Fæminæ conuitijs, & contumelijs in turpitudinem prolabentes, inſanierunt. Pronuntiarant Conſulares populo, ſe eſſe miſſos ad audiendum, & referendum Senatui; nihil futurum in ea cauſa, niſi de conſenſu populi, & ordinatione Senatus. Nihil profuit ea modeſtia, tumultu ſemper accreſcente. Redierunt Conſulares in vrbem, Prælati ſe receperunt in tuta, in curia tamen Monaſterij manentes, expectantes, ſi fortè, increpante Domino, ea tempeſtas conquieſceret. Retulere miſſi Conſulares, quid viderint, quidue audierint de motu populi. Poſtera die ciues magna conglobati multitudine, prodierunt indignabundi in locum publici Concilij, magno clamore vociferantes, non ſe paſſuros, monaſterium viſitari, aut reformari per Epiſcopum: hoc ad Abbatem, Reyneueldenſem pertinere. Niſi prorſus qui miſſi ſunt abeant de Curia Monaſterij, etiam antè cibum ſumptum, abacturos non ſine incommodo. Si aliquot occidantur Sacerdotes, non eſſe rem nouam. Mercatores Bergenſes nuper cum milite mactaſſe Epiſcopum: Non minores illis, ſi commoueantur. Senatus placidè reſpondit, ſe litteris commonitum ab Archiepiſcopo, ſuos ad audiendum, quid gereretur, deputaſſe. Nihil in omni re intentandum, ſine Monialium ac cognationis eorum conſenſu; necdum ſe comperiſſe; quod in detrimentum ſit Monaſterij. Si omnino velint abire prælatos, permittant illis tempora: nihil temerè agant; poſſe omnia meliùs per modeſta conſilia, quàm per tumultum agi. Interim condiſcant, ad quem pertineat viſitatio. Mittunt Moniales ad Abbatem Reyneueldenſem, orantes, vt veniret: rem eſſe magni ponderis, ac præiudicij. Venit ille, & magnis muneribus honorifice exceptus,





honorifice exceptus, vbi audiuit rerum pondus, & quod Archiepiſcopus fungeretur officio, excuſſit manus, ne ſe inuolueret rebus ſupra caput. Tum vero ſine honore dimittitur, nec impenſis eius perſolutis. Ea res cum à maioribus in vrbe ciuibus imputaretur Senatui, audita ſunt indignantium multa murmura, quæ tumultuantes exacuerunt, & audaciam maiorem popularibus præbuerunt. Hinc nata mali ſemina, quæ peſſimos tandem fructus in Senatum protulerunt: adeo vt etiam de necandis Optimatibus, coniurarint. Factum eſt per interualla temporum diſpenſante Deo vt authores grauiſſimi tumultus, qui rem ſine exemplo crudelem conceperant, aut diuino nutu, peſte, quæ intercesſit, de mundo ſublati, aut furijs agitantibus, publico iudicio damnati perierint. Nonnulli in vrbes (vt ſperabant) immunes delapſi, ibi etiam ſcelerum conuicti, gladium vltorem perſenſerunt. Ipſe coniurationis princeps, & alius qui proconſuli vulnus in capite inflixerat, laqueo fracta gula obierunt. Quo tempore, defuncto Stephano Rigenſi Archiepiſcopo, cum Canonici fratrem Monaſterienſis Epiſcopi ſucceſſorem elegiſſent, & nemo eius electionis negotium Romæ apud Pontificem vrgeret, Sixtus Pontifex, Michaelem Mariani Ordinis in Liuonia potentis apud Sedem Apoſtolicam Oratorem multorum Principum litteris commendatum, Eccleſiæ Rigenſi præfecit. *Krantzius VVandaliæ lib. 13. cap. 29. 35. 41. & lib. 14. c. 2.*

XX. *Cõtrouerſiam de ſtigmatibus S. Catharinæ Senenſis, componere conatur Sixtus PP.*

Eodem anno Sixtus Pontifex, duas grauiſſimas controuerſias inter Regulares alios & Minoritas componere conatus eſt. Vna erat de ſtigmatibus S. Catharinæ Senenſis, Diui Dominici inſtitutum profeſſæ. Iactabant Minoritæ, peculiare id Sancto Franciſco, vni, & ſoli fuiſſe, vt ſtigmata paſſionis Dominicæ in ſuo corpore impreſſa geſtarit: Dominicani contra tenebant, priuilegium iſtud communicatum S. Catharinæ fuiſſe: quandoquidem etiam ipſa, ſtigmata Dominicæ Paſſionis mirando quodãmodo expreſsè circumtuliſſet. Præualuerant illi in principio, apud Põtificem Minoritam, vt propoſitis pœnis, & cenſuris vetuerit, imagines eius Sãctæ cum ſtigmatibus pingi, aut fingi, aut in publicum exponi: & ſi quę proſtarent, ſtigmata deleri, abradi, & amoueri. Vnde ingens vbique in Dominicanos perſecutio, cum fidelium ſcandalo coniuncta; tamdiu, donec ille anathemata ſuſtuliſſet, & à perſequutione Minoritas cohibuiſſet. Noſtro tempore, cùm ijdem Minoritæ hanc ipſam controuerſiam excitaſſent, Clemens Octauus Pont. Max. decretum interpoſuit, hoc tenore.

*De iiſdem S. Catharinæ ſtigmatibus Clementis PP. VIII. decretum.*

*Clemens Papa VIII. Vniuerſis Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis. & alijs locorum Ordinarijs per vniuerſum Orbem conſtitutis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

*Cùm, ſicut accepimus, nonnulli Fratres Ordinis Sancti Franciſci prætendant, imaginem Sanctæ Catharinæ de Senis non eſſe depingendam cum ſtigmatibus, ſed ſolius Sancti Franciſci imaginem, ita depingi debere, ac ſuper hoc cum Fratribus Ordinis Prædicatorum altercentur, & contendant. Nos huiuſmodi altercationes, & contentiones præcidere cupientes, negotium iſtud Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ſuper ſacris ritibus & ceremonijs deputatis, examinandum, cognoſcendum, & decidendum, ac terminandum commiſimus; cum decreto tamen, quod interim nihil innouaretur. Nè autem dum in dicta Congregatione, prædictum negotium deciditur in aliqua Orbis terrarum parte circa hoc aliquid innouari contingat, vobis, & cuilibet veſtrum per præſentes committimus, & mandamus, vt authoritate noſtra curetis, & præcipiatis ſub cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, arbitrio veſtro infligendis, ne in Ciuitatibus, & diœceſibus veſtris quiſquam Fratrum prædictorum Sancti Franciſci, aut alij quicumque (donec in dicta Congregatione Cardinalium huiuſmodi negotium ſtigmatum Sanctæ Catherinæ diffinitum, & declaratum fuerit) circa illud aliquid innouare, aut vlteriùs altercare, vel contendere præſumant. Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac præſertim fœlicis recordationis, Sixti Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, cæteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Cæterùm quia difficile foret, præſentes litteras Originales ad vnumquemque veſtrum deferri, volumus, & authoritate Apoſtolica decernimus, vt præſentium exemplis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, ac ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiæ conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides habeatur, quæ ipſiſmet præſentibus haberetur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die XXVII. Nouembris. M. D X C I X. Pontificatus noſtri anno VIII. ext. apud Ioannem Lopez Epiſcopum Monopolitanum, parte tertia, hiſtoriæ Sancti Dominici.*

XXI. *Alteram quoq; controuerſiã de Cõcept. B. Virginis ſedare nititur idem Sixtus.*

Fuit altera, inter eoſdem Minoritas, & diuerſorum Ordinum Prædicatores controuerſia, de Conceptione SS. Deiparæ: quandoquidẽ alteri, alteros hæreticos dicerent, qui ſuam de Conceptione ſententiã propugnarent. Ferunt, Sixtum Pontificem, dum in minoribus eſſet, propoſuiſſe, vt ſi quando Sedem Apoſtolicam conſcendiſſet, eam quæſtionem definiuiſſet. Iſtud verò, cùm Minoritæ ab eo iam Pontifice exigerent, promiſſioniſque, atque voti admonerent illum reſpondiſſe; *Cum eſſem paruulus, loquebar, vt paruulus, ſapiebam, vt paruulus &c.* Neque aliud, quàm ſanctionem inſequentem edere voluiſſe; quam quia aliquis in ſuo Regularium Quæſtionum Tomo, non ad verum verbum exſcripſit, placuit iſthic ex Codice Iuris Canonici, de verbo, ad verbum adſcribere. Ità habet.

*Graue nimis gerimus & moleſtum, cum ſiniſtra nobis de quibuſdam Eccleſiaſticis perſonis referuntur, ſed in eorum, qui ad euangelizandum verbum Dei ſunt deputati, exceſſibus prædicando commiſſis, eò grauiùs prouocamur, quò illi periculoſiùs remanent incorrecti, cum facilè deleri nequeant, qui multorum cordibus ſic publicè prædicando diffuſiùs, & damnabiliùs imprimuntur errores. Sanè cum Sancta Romana Eccleſia de intemeratæ, ſemperque Virginis Mariæ Conceptione publicè feſtum ſolenniter celebret, & ſpeciale, ac proprium ſuper hoc officium ordinauerit; nonnulli (vt accepimus) diuerſorum Ordinum Prædicatores in ſuis ſermonibus ad populum publicè per diuerſas ciuitates, & terras affirmare hactenus non erubuerunt, & quotidiè prædicare non ceſſant, omnes illos, qui tenent; aut aſſerunt eandem glorioſam, & immaculatam Dei Genitricem, abſque Originalis peccati macula fuiſſe conceptam, mortaliter peccare, vel eſſe hæreticos: eiuſdem immaculatæ Conceptionis officium celebrantes, audienteſque ſermones illorum, qui eam ſine huiuſmodi macula conceptam eſſe affirmant, peccare grauiter. Sed & præfatis prædicationibus non contenti, confectos ſuper his ſuis aſſertionibus libros in publicum ediderunt, ex quorum aſſertionibus, & prædicationibus, non leuia ſcandala in mẽtibus fidelium exorta ſunt, & maiora meritò exoriri formidantur in dies. Nos igitur huiuſmodi temerarijs auſibus, ac peruerſis aſſertionibus, ac ſcandaloſis, quæ exinde in Dei Eccleſia exoriri poſſunt (quantum nobis ex alto conceditur) obuiare volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, & certa ſcientia, huiuſmodi aſſertiones prædicatorum eorumdem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præſumerent, eos, qui crederent, aut tenerent, eandem Dei Genitricem, ab originalis peccati macula, in ſua conceptione præſeruatam fuiſſe, propterea alicuius hæreſis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, aut huiuſmodi officium Conceptionis celebrantes, ſeu huiuſmodi ſermones audientes, alicuius peccati reatum incurrere; vtpote falſas, & erroneas, & à veritate penitus alienas, editoſq; deſuper libros prædictos id cõtinẽtes, quo ad hoc auctoritate Apoſtolica tenore præſentiũ reprobamus, & dãnamus, ac motu, ſciẽtia, & auctoritate prædictis, ſtatuimus, & ordinamus, quod prædicatores verbi Dei, & quicũq; alij cuiuſcũq; ſtatus, gradus, aut Ordinis, ac conditionis fuerint, qui de cætero

*auſu temerario præſumpſerint in earum ſermonibus ad populum, ſeu alias quomodolibet affirmare, huiuſmodi ſic per nos improbatas, & damnatas aſſertiones, veras eſſe, aut dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere, poſtquam de præſentibus ſcientiam habuerint, excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrant, à qua ab alio, quàm à Romano Pontiſice (niſi in mortis articulo) nequeant abſolutionis beneficium obtinere. Item motu, ſcientia, & auctoritate ſimilibus, ſimili pœnæ, ac cenſuræ ſubijcientes eos, qui auſi fuerint aſſerere, contrariam opinionem tenentes, videlicet glorioſam Virginem Mariã cum Originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen, vel peccatum incurrere mortale, cum nondum ſit à Romana Eccleſia, & Apoſtolica Sede deciſum. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque, quibus communiter, vel diuiſim à Sede Apoſtolica indultum exiſtat quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiuſmodi mentionem Et ne de præmiſſis aliquando valeant ignorantiam allegare; volumus, quod locorum Ordinarij requiſiti præſentes litteras in Eccleſiis conſiſtentibus in earum ciuitatibus, & ſuarum diœceſum, & locis inſignibus, dum maior ibi multitudo populi ad diuina conuenerit, ſermonibus ad populum mandent, & faciant publicari. Præterea, quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula loca, in quibus, expediens fuerit, deferre: etiam volumus, & dicta authoritate decernimus, quod earundem litterarum tranſumpto, manu publici notarij confecto, & authenticæ alicuius Prælati Eccleſiaſticæ ſigillo munito, vbique ſtetur, prout noſtræ reprobationis, damnationis, ſtatuti, ordinationis voluntatis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ, M.CCCC. LXXXIII. pridie Nonas Septembris Pontificatus noſtri anno XIII.* ext. lib. 3. & reliq. & vener. ſanct. c. 2.

XXII. *Floret Abbas Trithemius in Ord. S. Benedicti.* Illuſtrabat hoc anno Benedictinum Ordinem, Ioannes Trithemius, Abbas Sponheimen. Fuit is, (vt ipſe de ſe narrat) patria Moſellanus, ex quadã villa Trittenheim, quæ à Treuiri, in deſcenſu Moſellæ fluminis ad læuam, diſtat fermè IV. milliaribus, oriundus, parentibus honeſtis, mediocris fortunæ, liberis tamen, natus patre Ioanne de Monte gentili, matre vero, Eliſabeth de Longouico nuncupata, progenitus, quibus vini cultura, vitæ neceſſaria miniſtrabat. Cum autem puer eſſet vnius anni, pater mortuus eſt: matre ob amorem infantis, nè tenellus iniurijs vitrici (vt fieri ſolet) exponeretur, vidua per ſeptennium permanente, quo tandem elapſo, ſecundum duxit maritum, cum quo & alios liberos procreauit plures; qui tamen omnes, præter vnum filium in iuuentute obierunt. Ioannes vero cum eſſet annorũ XV. inuitis parentibus, & cognatis omnibus, amore litterarum tactus, & quadam viſione mirabili, de futura ſcientia quodammodo certior factus, litteras furtiuè diſcere cepit. Hoc vbi vitrico innotuiſſet, duris eũ verbis, durioribuſque verberibus aggreditur, & à propoſito litterario, quod habebat, retrahere totis viribus conatur: Verùm quanto illum plus prohibẽdo quotidiè afflixit, tanto feruentiori deſiderio litterarũ incendit. Noctibus enim (quia diebus, niſi feſtiuis, & id furtiuè, non licebat) dormientibus cunctis domum exiens, ad vicinum quemdam amicum, qui litteris olim operam dederat, pergere conſueuit, à quo puerilium inſtitutionum rudimenta tempore breuiſſimo percepit: ità vt etiam præceptor ipſe vehementer miratus, diceret, ſe numquam tàm docile ingenium, & memoriam viuaciorem in aliquo homine cõſpexiſſe. & hanc viſionem, quam habuit, præſignauit, quam (eo reuelante) talem fuiſſe cognouimus. Ad vnius anni ſpatium ieiunijs, & orationibus continuis duo quædam maxima à Domino Deo cum maxima intentione poſtulauit, quorum alterum fuit, ſcientia Scripturarum, alterum nulli vmquam ſe manifeſtaſſe dixit. Eccè quadam nocte iuuenis claro habitu ſibi dormienti aſtare viſus eſt, qui habebat duas tabulas in manibus, quarum altera ſcripta litteris, altera depicta quibuſdam imaginibus fuit: qui dixit ad eum. Elige ex his duabus tabulis vnam, quam volueris. Qui mox amore litterarum, quas adhuc penitus illo tempore ignorabat, eam tabulam, quæ ſcripta videbatur, elegit. Cui iuuenis qui apparuerat dixit; Ecce Deus orationes tuas exaudiuit, dabitque tibi vtrumque quod poſtulaſti, & pluſquam petere potuiſti. Altera mox die, nihil eo de viſione cogitante, mirabili occaſione, data fuerunt principia litterarum cupienti. Aliquandiu ergo in eadem villa operam ſedit litteris in occulto, quia publice, metu parentum non audebat. Alphabetum, orationem Dominicam cum ſalutationem Angelica, Symbolum quoque Apoſtolorum, Confeſſionem altaris, benedictionemque cibi, & potus, in ſeptem diebus perfecte didicit, ac memoriæ tenaciſſime commendauit. Sed & libros linguæ Teutonicæ poſt hæc à ſemet ipſo legere perfectiſſimè in vno menſe aſſueuit. Videntes autem amici, & maximè Sacerdotes, tantum ingenium iuuenis, & amorem ad litteras, patruo eius Petro de Monte gentili, viro maturo atque ſeuero perſuaſerunt, quatenus quid ſibi tam vehemens litterarum cupiditas in eo prætenderet, experiretur: Conſenſit ille, & ſe tutorem iuuenis (quia patruus) reclamante vitrico, in medium exhibuit, & iam deinceps patrimonij eius rationem habere cepit. Sed quot verbera, quot iniurias, quot contumelias iuuenis innocuus à vitrico ſuſtinuit, quot imbres lacrymarum anguſtiatus effudit, priuſquam iugum eius omni ſeruitute crudelius ſubterfugere potuerit. Euaſit tandem domum nouercam, ſicut Iſraelitica turba Aegyptum, & iter trium dierum amore litterarum in deſerto peregit; primum apud Treuiros; deinde in partibus inferioribus; ac poſtremo in oppido Heydelbergenſi, & ſic via trium dierum in terra aliena (ſicut diximus) peracta, tandem ſe in cœnobio Sponheimenſi, Domino Deo in holocauſtum perpetuum immolauit. Iſtud vero miraculoſe quaſi, & præter eius intentionem contigit. Cum enim ex Heydelberga iter inſtituiſſet cum ſocio Scholari ad patriam, Monaſterium hoc (quia in via erat) comite non modò perſuadente, ſed cogente potius viſendi gratia VIII. Calend. Februarij mane circa horam IX. intrauit, factoque prandio nihil minus, quam religionem cogitans, inceptum iter continuaturus receſſit. Cumque viarum ignarus, ad montem villulæ Bockenaw contiguum ambo veniſſent, cepit oriri ſubito niuium immenſa congeries, denſaque tempeſtas nubium, quæ non ſolum viarum tramitem appleuit, verum etiam facies ex aduerſo cõfundens, oculos pænè excæcauit. Suadenti ergo comiti itineris ad monaſterium reditum; cum progredi nõ liceret, Trithemius reſpondit; Verecundum eſt nimis redire, progrediamur potius, quam poſſumus, Verum præſtolantibus eis vſque tertio ſub arborum tutela finem tempeſtatis, cum prorſus augeretur, iterum Trithemius ad comitem ſuum dixit; Reuertamur ad cænobium oportet, ecce me ibi manſurum videbis. Hoc neſcio, quo inſpirante numine dixit, nihil etiam minus, cum ea dicere, quam religionis introitum cogitans. Inuitus igitur, ſed neceſſario ad cænobium reuerſus, ſecundum quod neſciens prædixerat, perſuaſione Prioris adductus, animum mutauit, & in die Purificationis B. Mariæ ſemper Virginis ſecularem habitum exuit, & nouitius in die S. Benedicti factus, ibidem poſtea ſecundum regulam profeſſus fuit. Factus autem monachus, inter fratres ſine quærela conuerſatus eſt, ſtudiumque litterarum, & ſolitudinem cellæ omnibus delicijs huius ſeculi prætulit, nihilque in hoc mundo amplius, quam ſcientiam ſcripturarum ſitire videbatur. *Chron. Sponheimen.*

XXIII. *Vita, & obitus B. Iacobi Philippi ord. Seruitarum.* Illuſtrabat quoque hoc eodem anno Seruitarum Ordinem B. Iacobus Philippus Fauentinus, miracu-





lis ante & pòſt mortem clariſſimus. Hæc de eo ſcripſit Nicolaus Burgheſius ſenenſis. Eques auratus.

Iacobus Philippus ex bonis, mediocris tamen fortunæ parentibus Fauentiæ naſcitur. Patri Miſſerinus de Bertonis de cella Montis Clari, matri nomen Dominica, ſeu Lucretia fuit. Hic Andreas dicebatur, antequàm dicatus eſſet religioni. qui cum biennis morbo comitiali, ſeu epileptico laboraret, votum ſuſcepit pater, ſi liberaretur, Religioni ſe filium deſtinaturum. Andreas ab initio pueritiæ templa vltro diuina frequentare cæpit; nec voluptatibus, nec ludis delectabatur, quibus pueri oblectari ſolent. Natura fuit ſubtimidus, & taciturnus inprimis, ſolitudiniſq; percupidus. Dùm eſſet nouem circiter annos natus, pater, vt votum perſolueret, eum Religioni Seruorum Beatæ Mariæ Virginis An. 1453. addixit; qui ſpiritu, & nomine renatus, poſteà F. Iacobus Philippus vocatus eſt. Initiatus iam puer obedientia præſtabat, & obſeruatione mandatorum ſingulari: adulta deinde ætate ieiunijs, ac vigilijs ſeſe exercuit. Euangelicas verò traditiones, ſacramque paginam omni ſtudio proſequebatur, qui ea tantiſper refici videbatur. Dum geſta Patrum, & Sanctorum virorum exempla caſtitatis, obſeruantiæ, humilitatis lectitabat adoleſcens, tantum litteraturæ comparuit, vt Chriſtianorum, probatorumque Latinorum libros, planè, rectèque intelligere poſſet. Eccleſiæ, ſuique Ordinis ritus, & cæremonias, diuinorumque officiorum obſeruationes callebat inprimis, eorumque omnium ſtudioſiſſimus extitit. Aliquibus functus eſt officijs, quæ Fratrum omnium gratia miniſtrauit. Erat enim natura facilis, manſuetus, & qui libens honeſtis aliorum deſiderijs obſequeretur. Animo perturbari aut iraſci viſus eſt nunquam: aliorum in ſe maledicta, ſi qua fuiſſent, æquiſſimo animo perferebat: ipſe maledicebat nemini, cuius lingua in omni ætate parciſſima fuit. Non modò turpium, ſed otioſorum quoque verborum expers; ſi quid interdum inter ſe confabulantes obſcenum fortè audiuiſſet, & vultu illicò obnubilari, & breui monitu, diſceſſuque ſuo caſtigabat errantes. Poſtquam Sacerdotali dignitate ornatus fuit, qui deuotione animo, maioreque reuerentia profluentibus lacrymis ſacrificaret, inuentus eſt nemo; vt qui Crucis myſterium, dum hoſtiam præ manibus haberet, altiùs contemplaretur. Ocij fuit inimiciſſimus, quod malorum omnium diceret ſentinam. Inter canendum, celebrandaque in choro diuina officia cum cæteris Fratribus conueniebat. Cæterùm in cella, modò orando, modò legendo tempus impendebat. Interdum tamen aliquo, vel intexendi, vel figurandi miniſterio mentis onus ſubleuare conſueuit, ita vt numquam re aliqua occupatus non eſſet. Deambulacris vtebatur ſolus plerumque, & meditabundus, vultuque demiſſo incedebat. Cùm cætera ſacra volumina, tum Beati Hieronymi libros cupidè perlegebat, præcipuèque de Tranſitu, ſiue Hieronymi obitu frequentabat opuſculum. Iam verò ſola cæleſtia meditabatur, atque cæleſtis magis virtutis ſubſtantia, quàm eſca corporali paſcebatur. ſiquidem ſemel ferè comedebat in die, & paruo, viliq; cibo cõtentus erat: vocatus tamẽ à ſuperiore, quæ communiter parata fuerant, edebat. Verùm ſexta feria in Dominicæ paſſionis memoriam, ſecundùm Ordinis ſui inſtituta cum cilicio, herbarum tantùm cibo veſcebatur, & aqua. Nihil ægrè magis tolerare videbatur, quàm ſe laudantium ora. Hac in re ſingularis viſus eſt, qui opera ſua ſpiritualia, ſummaſq; virtutes, quoad poſſet, abſconderet: vnde bonus licèt, ac rectus ab omnibus haberetur, longè tamen in minore pretio, quàm apud Deum, apud homines fuit. Abiectus enim, & contemptus inter mortales eſſe voluit, Saluatoris exemplo; atq; in occulto nihil optabat magis. quàm Patri, & Auctori ſuo Deo, quoquo modo placere, noſtriq; Redemptoris viam ſequi. Idcircò omne ſuum ſtudium ad incorruptibiles diuitias tranſtulerat, menteme; ſic in cæleſtibus ſolidauerat, vt ad perennis vita gaudia tantum anhelaret. Viuens adhuc, ſanauit Iacobum Monium, Fauentinum Ciuem à fiſtula poſt tergum, qua diu laborauerat, illum ter Cruce ſignans, & Iacobo mandans, vt Deo gratias ageret, & id quod factum eſſet, nulli vmquam manifeſtaret: Iacobus tamen, pòſt mortem Beati, rem, vt contigiſſet, narrauit, & ſuam ſtatuam pro voto poſuit, quæ adhuc ibi conſeruatur. Cùm adeſſet extrema dies, aduerſa capitur valetudine, quam vultu magis quàm verbis indicabat. Cumque, vt valeret, rogaretur? Benè, ſemper pro voluntate Diuina, reſponſum dabat. Abfuit in eo homine, tùm in perferenda morte, tùm cæteris in rebus omnibus impatientia, vel quærela. Non decumbebat, ſed vltro, citroque ſpatiabatur ægrotus. Pridiè quàm decederet, ad decantandum in Eccleſia Matutinum cum cæteris Confratribus interfuit; qui etiam mane nudius rem diuinam celebrauerat. Erat ei familiaris admodum, Frater Simon ex Martiola familia, Ciuis Fauentinus, vir permodeſtus, & rectus, qui cubiculum cum eò commune per plures annos habuerat. Frater Iacobus Philippus eam ad ſe vocat aliquot ante dies, quàm è vita diſcederet, cui viſa habita per quietem communicat ſecretò in choro; quibus monſtrata ſibi fuiſſe dicit, perpetua damnatorum ſupplicia apud inferos; ſubinde eorum etiam cruciatus, quorum non ſine ſpe futuræ vitæ peccata purgantur; poſteà ſalutis æternæ gaudia, & cæleſtis Regni gloriam antè oculos habuiſſe. Veſperi ſingulos ſeorſum, pridiè quàm migraret, confratres adit, veniam petit ſupplex, atque precatur, vt inter craſtinas rei diuina orationes, pro animæ ſuæ ſalute velint orare apud Deum, quam credere ſe dicebat ex corporis vinculis citò diſceſſuram. Poſtero die, extremoque, cum adhuc de celebranda à ſe Miſſa cogitaret, prohibitus propter aduerſam valetudinem, præſertim à Fratre Clemente, quem loco patris ſemper obſeruauerat, iacuit aliquantiſper in lecto, Diuinum, & conſuetum officium legens, & Chriſtum Crucifixum propè ſe tenens, quem perſæpe oſculabatur. Interea linqui animo viſus eſt. depoſuerat iam librum, quem præ manibus habebat; capite nutauit, & contremuit aliquantulum. Confrater Simon id animaduertens, continuò accurrit, qui per cubiculum deambulabat, orationeſque animæ commendatitias vix abſoluerat, cùm vir ſanctus nonum, & trigeſimum agens annum, mortem cum æterna vita mutauit, parentibus adhuc ſuperſtitibus, & lugentibus hora nona, in feſto ſanctiſſimæ Trinitatis, Octauo Calendas Iunij An. 1483. Hic verò cum in cubiculo à Confratribus de more lauaretur, & iam in morbo, vitæque aſperitate, dum viueret, corpus haberet ſcabioſum, & maculatum, protinus ab omni macula, & ſcabie mundatum repertum, omnes Fratres in admirationem rapuit. Dum verò poſt honorabile funus ipſum de more tumulari vellent, Fauentinus populus audita luculenta de ipſius laudibus, per quendam Patrem Oratione, pleno ore proteſtatus fuit, Beatum virum humandum non eſſe, dum confluentes infirmi ex tempore ſanarentur. Quare corpus eius communi omnium conſenſu, plures dies in feretro reſeruatur, donec Galeottus Princeps Fauentiæ ex gente Manfreda, fama Beati commotus, ad eum viſendum ſe confert, & certior de ſingulis factos, ſtatuit omni honore affici glorioſum corpus, & apud aram Sacelli ſui ponendum, venerandumque mandauit. Tantis intereà illuſtratur miraculis, vt vniuerſa ciuitas Fauen-

tina atteſtari poteſt, nullum fuiſſe merentem, qui de gratiæ ſuæ benedictione valetudinem non reciperet. Extat Fauentiæ priuilegium immunitatis ab omnibus oneribus, familiæ B. Iacobi Philippi à Ciuitate, ob eius merita perpetuò conceſſum.

Papiæ, Ioannes Ambroſius de Podio, voto facto B. Iacobo liberatus fuit à mortali infirmitate, eique imaginem poſuit. *Archangelus Gianius lib. 3. Cent. 3. annal. Ord. Seruorum. c. 9.*

XXIV. *Moritur Vgo Volaterranus Epiſcopus, vir ſanctus.* Ornauit etiam hoc anno Volaterranam Eccleſiam Vgo Præſul ſanctiſſimus. Hic ex Agnani vicini caſtri nobili Saladinorum familia, quum Volaterranus ſimul, & Paduanus eſſet Canonicus, ob vitæ modeſtiam, ac Iuris Pontificij ſcientiam promotus, varios labores, & ærumnas ab infeſtis ciuibus ob Eccleſiæ libertatem, & res conſeruandas eſt paſſus, quæ omnia patientia ſuperando, ad ſenectutem ſine querela peruenit. Deceſſit hoc anno M. CCCC. LXXXIII. inhumatus diebus x. à populoq; adoratus, ob viſa ex eo prodigia, deinde conditus in eius vrbis Baſilica fuit. *Raphaël Volaterranus, Geograph. lib. quinto.*

XXV. *Aliqua de Martini Lutheri Natalibus recenſentur.* Quo etiam anno, vt olim eodem, quo acerrimus Catholicæ Eccleſiæ hoſtis Pelagius, eiuſdem acerrimus defenſor. S. Auguſtinus, hic quidem in Africa, ille in Europa natus eſſe fertur; ità hoc eodem anno 1483. menſe, & die, duo inter ſe aduerſarij, vnus in plaga Septentrionali, Eccleſiæ poſteà confirmata ætate bellum illaturus, alter in plaga Auſtrali, qui tamquàm ſtrenuus ſub IESV Chriſti ſignis dux, Eccleſiæ fines longè lateque ad populos incognitos, prolaturus erat, nati ſunt; ſcilicet, Lutherus, vt totum mundum perturbaret, & infinitos Chriſtianos ſub diaboli ſigna cogeret; & Ferdinandus Corteſius, vallis Marchio, vt infinitam Barbararum nationum multitudinem tot ſæculis in miſerrima Satanæ ſeruitute detentam, ſub IESV Chriſti vexillum colligeret. Et quemadmodum ab Aquilone, vt diuinum teſtatur verbum, malum ſeſe expanſurum erat, ita eiuſdem remedium ab Auſtro prouenire debuit. In Saxonia futurus Monachus ad Eccleſiæ ruinam; & eodem tempore in Biſcaia ad eiuſdem defenſionem Chriſtianus Eques emerſit.

Lutherus natus eſt Islebij in Saxonia, ſub Comitibus à Mansfeldia, patre Ioanne, ex Luderorum familia, matre Margarita, vtriſque plebeiæ conditionis. Erant, qui affirmarent; Lutherum à ſpiritu immundo ſub incubi ſpecie prognatum fuiſſe: cuius rei afferebant teſtem, religioſam quandam anum, Lypſiæ habitantem, quæ matrem Lutheri olim Islebij, in publico balneo famulantem nouerat, ac de adoleſcente, quem incubum fuiſſe putabat, audiuerat, à quo illa impregnata fuerit, antequàm cognita eſſet à viro ſuo Ioanne Ludero. Nomen Martini ſortitus eſt in Baptiſmo, antiquo, & patrio more, quòd x. die Nouembris, quæ feſtum Diui Martini præceſſerat, noctu eſſet natus. Margarita Lutheri mater, iuſtiores ob cauſas ſomniare, ac certò credere potuit, ardentem ſeſe facem peperiſſe, quam Hecuba olim Paridis mater; qui tam benignè, & hoſpitaliter à Menelao ſuſceptus, tàm malam eidem gratiam perſoluit, patriamque ſuam exitio dedit. Nam Lutherus tamquam ſulphure, & pice fumans, ardenſque titio, non patriam tantùm, ſed magnam vniuerſæ Chriſtianæ reipublicæ partem incendit, & in cinerem, ac fauillas penè redegit. Hic eſt enim ille, qui Gordium nodum, quo vniuerſæ Eccleſiæ pax, & vnitas conſtricta fuerat, vno ictu diſſecuit, & diſſoluit, & quemadmodum Troiæ excidium illi præcipuè imputatur, qui Durateum illum, & doli plenum equum fabricauit; ità ab hoc vno peſſimi cognominis, & ominis homine, omne malorum Septentrionis Iliadem promanaſſe, verè dicere poſſumus. Cognomen ei fuit Lotter; quod ipſe in prima ad Eckium epiſtola ponit. Alij Lautherum appellabant. Verùm quia primum illud in Germanica lingua, mali eſt ominis, vt quod Scurram, atque adeò nihili hominem ſignificet; alterum verò numerum Antichriſti in Apocalypſi deſignatum impleat, includatque; Martinus, turpitudinem, & malum huius, & illius omen auerſatus, Luther dici poſteà voluit, quod eadem lingua, Purum ſonat. Idem Manichæos feciſſe, ex Auguſtino lib. de hæreſ. c. 42. & lib. 18. contra Fauſtum c. 22. diſcimus, qui non ab anteſignano ſuo Mane, Manichæi (nè ſcilicet Mania, id eſt inſania, nomen eis dediſſe videretur) ſed Manichæi, appellari voluerunt: quaſi facta voce è Manna, & χέω quod eſt fundo. quaſi doctrina ipſorum, quaſi ille cibus cæleſtis, è cælo eſſet defuſa. Iunctinus, & Cardanus, ad genethliacum Lutheri ſchema aſpicientes, hominem ad decipiendum aptum, vafrum, verſipellem, in defendendis erroribus, inſignem Sophiſtam, libidinoſum, fidei deſertorem, & qui nefarium veræ religioni bellum illaturus eſſet, pronunciarunt. Qui ex litterarijs notis numeros myſticos eliciunt, ſiue Hebraicè, ſiue Græcè, ſiue Latine cognomen, aut nomen eius ſcriberent, truculentæ beſtiæ, ſub finem mundi, Dei filio ſeſe oppoſituræ numerum inde eliciunt, ipſumque Antichriſto, & Mahometo conſociant. Qui de amplificato hoc anno, in Hiſpanijs, Sanctæ Inquiſitionis officio mentionem faciunt, obſeruant, ex ea opportuni temporis coniunctione, Dei conſilium fieri manifeſtum, fidei tribunal hoſtibus fidei, antidotum veneno prouidentiſſimè opponentis. Nam tametſi cumprimùm hoc fidei ſanctiſſimæ conſilium eſt inſtitutum, exiſtimarent homines futurorum inſcij atque improuidi, propterea ſolùm inſtitui, vt per illud Hiſpania à Iudæorum, atque Saracenorum ſpurcis ſuperſtitionibus repurgaretur: Deus tamen, qui immutabili præſcientia ſua, præterita, præſentia, futura ab omni æternitate æqualiter complectitur, profligatiſſimos, atq; peſtilentiſſimos poſterioribus temporibus hæreticos exorituros proſpiciens, Sanctiſſimæ Fidei Senatum in Hiſpania conſtituit, ad arcendas ab ea etiam hæreticorum futuras calamitates. *Cochleus de actis Lutheri, Florimundus Remundus de origine hæreſeon. lib. 1. c. 5 Aubertus Miræus in Chronol. Fontenus hiſt. Catholica lib. 1. Genebrardus Chronol. lib. 4.*

XXVI. *Moritur B. Simon Ord. Minorum.* Hoc ipſo anno Cracouiæ in Polonia peſte abſũptus eſt, B. Simon Lipnicen. Eccleſiaſtes diſertus, Minoritarum Obſeruantium Sodalitij, homo plebeius quidem, & obſcuro loco natus, ſed probitate, & ſanctimonia vitæ clarus, ita vt ægroti complures ad ſepulchrum eius, priſtinæ ſanitati reſtituti eſſe memorentur. *Cromerus rerum Polonic. lib. 29.* Huius ſepulturæ votis tabellis ornatæ aliquis hoc epitaphium ſcripſit.

*Lipnicius iacet hic Franciſci ex Ordine Simon.*
*Diuino frater feruidus eloquio.*
*Cuius perpetua fruitur iam ſpiritus aurâ,*
*Quòd probus hic ſanctè vixerit, atque pius.*
*Quod decorare Dei ſtuduit Genitricis honorem,*
*Doctrinam factis atque probare bonis.*
*Hunc miranda vides teſtantur ſigna beatum,*
*Qui miſeris meruit ferre ſalutis opem,*
*Hunc igitur ſtudeas tibi conciliare patronum,*
*Vt voti compos efficiare tui.*

*Matthias Miechouius rerum Polon. lib. 4. c. 73.*





# ANNO CHRISTI 1484.

## SIXTI PAPÆ IV.
Anno vltimo.

## FRIDERICI ROM. IMP.
Anno 45.

I. *Calamitates variæ Sixti PP. fata accelerãt.* SIxto Pontifici fata accelerarunt, calamitates partim Romæ, partim in Lombardia concitatę. Paulum Vrſinum, Venetis tunc merentem, volebat ab eorum ſtipendijs auocare; vt illi maximo ſubſidio nudati, tantò faciliùs, ab Hercule Ateſtino opprimerentur. Retraxit is ſuas copias, Romanumque in agrum traduxit; eò promptiùs, quò bona quædam à Columnenſibus, familiæ Vrſinæ per occaſionem ſuperioris belli erepta, recuperare deſtinaſſet. & quidem inito pridem fædere cautum fuerat, vt quæ per belli tempus eſſent adempta, pari vtrinque fide reſtituerentur. Cæterùm Columnenſes, neque fide pactorum, neque denunciatione Sixti Pontificis, aut minis Ferdinandi Neapolitanorum Regis mouebantur, vt de Vrſinorum agro decederent. Intererat Pontifici, pro ratione iuſtitiæ, ac æquitatis, cauſam Vrſinorum tueri: ac pacis, & otij bonum procurare: nè eam aliqui, perturbare ſua audacia vellent. Eapropter obſidum loco, Cardinales, Columnium, & Sabellum, nec non huius fratrem Marianum, diutiùs in cuſtodia habuerat. Libertati reſtituti duo illi, hic verò clam euadens, quomodò ſe aduersùs Vrſinos defenderent, cogitarunt, militemque ex agris, & veteranis collegerunt; quibus complures proſcriptos, adiunxerunt; ac non tantùm Vrſinorum, verùm etiam aliorum oppida ſuburbica inuaſerunt, atque vaſtauerunt. Hieronymum etiã Riarium, Pontificis pernecellarium ferre non poterant; quaſi is diſcordias inter eos, & Vrſinos eo fine ſeminaret, vt alteris per alteros debellatis, bona alterius, vel vtriuſque familiæ occuparet. Ergo tàm contra illum, quàm contra Pontificem conſilia agitantes, neque militem dimittere, neque Vrſinis ablata reſtituere, neque à probis, contumelijſque, verbo, & ſcripto in illos conceptis abſtinere voluerunt: quod cum Sixtus accepiſſet, iuſta iracundia incenſis, quæ primò aliorum cauſa erat, in tanta ſui contemptione, factam ſuam, & ad ſe pertinere, ac propterea ſibi tuendam eſſe armis exiſtimauit. Mouit Sixtum eò magis, quod Cardinalis Columnij domum, plenam eſſe armatis intellexiſſet; quòd is admonitus, eos dimittere excuſaſſet, quod Laurentius Columnius Prothonotarius Apoſtolicus, ſemel, ac iterum publica fide, & ſecuritate ad Palatium accitus, venire neglexiſſet. Comitatumque Albienſem, contrà voluntatem Pontificiam & Regiam detineret; quodq; multos Hieronymo, & Vrſinis iniquiores, ad ſocietatẽ belli pertraheret. Itaq; tumultuantẽ, Romæ in domo Cardinalis Laurentium, armis Pontificijs, & auxilio Vrſinorum expugnauit, cœpit, in arcem S. Angeli coniecit, tormentiſq; intolerandis excruciatum, tandem, necquicquam innocentiam ſuam teſtantem, & Dei, ac Beatæ Virginis opem implorantem, ſecuri percuti imperauit; ædes quoque Columniorum diripere, atque incendere: & in oppida illorum copias ducere, data benedictione, Indulgentiaque ſolita concedi proficiſcentibus contra hoſtes Eccleſiæ, iuſſit. Dirutæ ſunt pariter domus ſociorum Laurentij, quorum primi erant, Lelius, & Iacobus à Valle, Philippus Sabellus, Paulus, & Ludouicus Mattheij, quòd armati in ædibus Cardinalis conſpecti fuiſſent. Direpta etiam eſt vniuerſa ſuppellex, aurea, & argentea præcipuè, eiuſdẽ Cardinalis: adeò vt neq; galearũ, neq; pileum illi reliquerint. Pecunijs alij ciues multati; Sacerdotijs, atq; officijs pleriq; priuati bona aliorum vel fiſco addicta, vel diripientibus permiſſa: copiæ ad extremũ ad expugnanda, capiendaq; Columnenſium oppida eductæ; proponente Pontifice eam familiam in ordinẽ redigere, atq; propè extirpare. Iuuerũt Columnios Aquilani, necquicquam eos prohibente Ferdinando Rege. Adfuit pariter in auxilium, Nicolaus Vitellotius, Tyferni Regulus, iampridem Pontifici infeſtus. Caſtra Eccleſiæ ſequebantur præ alijs, Paulus, & Virginius Vrſini. Pugnatum eſt, varijs in locis, ſed non valdè ſecunda Eccleſiaſticis fortuna. Vnde aliquis pictorum habuit, irridendo Pontifici, oppugnationem Cauenſis oppidi in tabula depingere: ſed hinc Columnenſes fortiter oppugnantes, hinc Eccleſiaſticos milites, vel miſerè cadentes, vel turpiter fugientes oſtendere. Adpinxerat prætereà aliquam honeſtioris formæ mulierem, qua cum aliquis habitu Minoritano inſignis congrederetur; voluitq; Comitis Hieronymi vxorem indicari, quaſi ei fluxa fides. Iſtud verò Sixtum adeò irritauit, vt pictorem tormentis excruciatum, vix non ſecuri ſubiecerit; niſi mente captum aliqui dixiſſent. Contrà Columnenſes tamen vehementiùs exarſit, & militi augendo; belloque continuando, tum clerum vniuerſum decimauit, tùm mutuam à ciuibus pecuniam ſumpſit: hoc vnum dies, noctesq; ſecum voluntans, quibus modis contumelias illatas vindicaret. Et quidem nonnulla ex hoſtibus oppida, arte magis, quàm Marte acceperat: ad Palſanum autem cùm duxiſſet Hieronymus, infeliciter obſidionem tentauit, cùm erumpentes Columnij, Eccleſiaſticos multis cladibus afflixiſſent, atque propè profligaſſent. Hinc dolore ingẽti, mœroreq; concuſſus Sixtus ipſo feſto die S. Laurentij, quo nuncium cladis audiuerat, aliquantum ægrotare cepit. Poſtridie, Oratores Principum ad colloquium, ſed quod ei ſupremũ fuit, admiſit, atque à renunciantibus accepit, pacem inter Ferdinandum Regem, Venetos, ac Herculem Ateſtinum, in Cremonenſi agro his conditionibus conciliatam, ſtabilitamque fuiſſe: ſcilicet, vt Veneti Aſulam, Romanium, & quicquid hoſtium armis occupatum in Gallia cis Alpina amiſiſſent, reciperent, priſtiniſque cunctis immunitatibus gauderent, tam Ferrariæ, quàm eius finibus: ad hæc Rodigium, Lendenariam Abbatiam, Adriam, oppida iuſto bello parta retinerent; ipſi verò Mellaria, & Ficarolo Herculi reſtitutis, præſidia, & munitiones circa Padum erectas demolirentur. Gallipolim quoque, & quæ in Calabria; maritimis occupaſſent armis, Ferdinando Regi reſtituerent. Hæc cùm Sixtus accepiſſet, maximè indoluit; quod ſe inſcio pacem compoſuiſſent, neque Venetos ad reſtitutionem Rauennæ, Ceruiæ, & aliarum ciuitatum Romanæ Eccleſiæ compuliſſent; maximè cùm ipſe, non tãtùm in ſocietatem fœderis cum Ferdinando, Hercule, & alijs principibus venerit, verum etiam ingentes ſumptus in bellum commune fecerit, & copias militares non contemnendas ſubmiſerit. Ergo fremens, & frendens in febrem incidit; mox apoplexia correptus, mortuo ſimilis aliquantum temporis iacuit; *In morbũ incidit, & breui pòſt moritur.* inde die ſequenti, qui fuit Iduum Auguſti, hora inter quartam, & quintam noctis, in palatio Vaticano expirauit, anno ætatis LXXII. die XXII. Ponficatus XIII. die IIII. Corpus ad Baſilicam S. Petri deductum, cereis faculis tantum XX. paruis comitatum, nigrum, & gutture inflato, quadam antiqua aurea planeta indutum, æreoque monumento conditum fuit; quod in Sacello à ſe conſtructo, Iulianus Cardinalis S. Petri ad Vincula fratris filius, ſtructuræ elegãtia, inter cætera vrbis ornamenta inprimis conſpicuũ, ante aram chori maximam faciendum curauit. Ob-

ſeruatum fuit ſubter veſtes ſacras Pontificias, habitu S.Franciſci indutum iacuiſſe, quod etiam fecit Alexander Quintus eiuſdem inſtituti. *Ciaconus, & Platina in Sixto IV. Stefanus Inſixura in notis diarijs. Iuſtinia. de rebus Venetorum lib. 9. Michael Brutus hiſt. Florent. lib.* 8.

II. *Lis inter Canonicos Regulares, & Eremitas S. Auguſtini de profeſſione & habitu eiuſdem Sancti.*

Circa tempora huius Sixti Papæ IV. lis fuerat exorta inter Canonicos Regulares Lateranen. & Eremitas Ordinis Sancti Auguſtini nuncupatos, de profeſſione regulari, & habitu Sancti Auguſtini, quæ vtinam intra Monaſteria, & clauſtra ſe contineri paſſa eſſet, & non etiam in publicis Conuentibus plebis, ac etiam in Eccleſijs inter ſacras Conciones, ſeipſam prodere voluiſſet. Nam cum Dominicus Taruiſinus, Canonicus Regularis, libellum edidiſſet, hoc titulo prænotatum: *Defenſio Canonicorum Regularium, contra Eremitas*; ex aduerſo Bartholomæus Patauinus Ordinis Eremitarũ, non ſolum verbo, ſed ſcripto, etiam in publicis Concionibus, in Canonicos Regulares inuehi cæpit, præſertim vero, in ipſum Dominicũ Taruiſinum. Nã & in Ciuitate Regij Lepidi in Flaminia poſt quadrag.es cõciones, Piracijs publicè adfixis, Valuis Eccleſiarum & angulis Platearum, quaſdam concluſiones publicè diſputandas propoſuit cõtra Canonicos Regulares probroſas (quæ in libro Euſebij Corradi contra illas edito legi poſſunt neque opus eſt, illas hîc cum legentium offendiculo exſcribere) & die, ac loco ad diſputandũ ſtatutis, ipſos Canonicos Regulares ad publicè arguẽdum contra illas citauit. Qui quoniam neque ſtatura die ad Theſes defendendas, neque alias ſæpè legitimè citatus, de mãdato R.P.D. Iacobi de Romano, Præpoſiti Sãcti Antonini Placentiæ à Sede Apoſtolica Iudicis delegati comparuit, fuit in illum ſententia excõmunicationis promulgata, ediditque Euſebius Corradus Mediolan. pro defenſione Taruiſini & ſuæ Congregationis librum: in quo neruosè, & doctè ſui Ordinis cauſam egit: verum non ea in dicendo modeſtia, qua oportebat virum alias Religioſum, & doctum, & ſi grauiter laceſſitum, non reddere maledictũ pro maledicto, ſed iuxta præceptum Apoſtolicum, vincere in bono malum.

III. *Remediũ opportunum adhibere curat Sixtus PP.*

Quamobrem ſummus Pontifex animaduertens, eiuſmodi contentiones inter perſonas Eccleſiaſticas, ac Regulares, ſecularibus eſſe offendiculo, & graui ſcandalo; Volens eidem malo remedia opportuna adhibere, ſequens Decretum edidit, quod ex authentico exemplo in monaſterio Sanctæ Mariæ Pacis exiſtente exſcriptum hic ſubijcio.

*Sixtus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Qui Apoſtolus præcepit, vt ſe inuicem diligerent, profectò ſine dilectione mutua, bonum aliquod perfectum eſſe non poſſe demonſtrauit, in illa enim conſiſtit omnis bene viuendi ratio, & operatio, ſi odia tranſeant in dilectionem, ſi inimicitiæ cõuertantur in pacem ſi trãquillitas extinguat iram, ſi mãſuetudo remittat vincendi cupiditatẽ, ſed Hoſtis antiqui verſutia vbi maioris charitatis feruorẽ eſſe conſpicit, ibi ſagacius vires ſuas intendit, vt fidelibus Chriſti famulis per diuerticula, & ſuperfluas cõtẽtiones abſtractis de ſua ſagacitate lætetur, cuius conatibus obuiare & mutuã charitatem, & pacis dulcedinem inter fideles quoſque & præſertim ſub eadẽ vocatione, & ſuaui Religionis iugo, Deo militantes enutrire ac diſcordiarum fomenta, & inanes contentiones, quæ nihil ad rem pertinent; nec ædificant, ſed deſtruunt, falce vigilantiæ paſtoralis ad radicem poſita, ſuccidere, & extirpare totis conatibus inſudamus, ne debile ſimplicitatis initium per lõgam altercationẽ ad inextricabiles prorũpat errores, qui poſtmodũ difficilius valeãt emẽdari: ſane nõ ſine mẽtis noſtræ diſplicentia ſingulari, pluries iã dudũ ad noſtrũ peruenit auditũ, quod inter dilectos filios Canonicos Regulares Ordinis S. Auguſtini Cõg.nis Lateranẽ. & Fratres Ordinis Eremitarũ eiuſdẽ B. Auguſtini, quædã minus neceſſaria, minuſque laudabilis cõtrouerſia pullulare cæpit de ipſius præclariſſimi Eccleſiæ Doctoris Auguſtini habitu, ac de pictura & Ordinũ huiuſmodi inſtitutione parte qualibet diuerſimode ſentiẽte, ac prædicãte eſſe veritatem, libros ſuper huiuſmodi leuitatibus cõponere, eoſq; legere, & alijs legẽdos tradere nõ ſine ſcãdalo & perturbatione mẽtiũ legẽtiũ & aliorũ Xpi fideliũ, & per ineptias huiuſmodi, quos Deo lucrifacere deberẽt, perdere feſtinant. Nos attendentes, quòd clariſſimũ Eccleſiæ lumẽ Auguſtinũ præter Epiſcopalis dignitatis habitũ, aliũ geſtaſſe, aut profeſſioni alienæ ſe ſubiecisse, aut affirmare, aut negare ad rẽ non pertinet, niſi quantum contentio ſuperuacanea aucupari nititur, ac tam enorme facinus, & periculoſas cõtentiones de medio tollere, & pœnitùs extirpare volentes; Motu proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiã, ſed de noſtra certa ſcientia, & mera voluntate tàm Canonicis Regularibus dictæ Congregationis, quàm omnibus, & ſingulis Fratribus Ordinis Eremitarũ Sancti Auguſtini quibuſcumque nominibus cenſeãtur, & quacunq; præfulgeãt dignitate, in virtute ſanctæ obedientiæ, ſub pœna excõmunicationis latæ ſententiæ, quã in ſingulares, tã fratrũ Eremitarũ, quàm Canonicorũ prædictorũ perſonas contrafacientes ferimus in his ſcriptis, à qua abſolui nequeant, & quilibet ipſorũ nequeat, niſi à nobis, vel ſucceſſoribus noſtris, Rõ. Pont canonicè intrantibus, ſeu in mortis articulo conſtituti, auctoritate Ap.ca, tenore præſentiũ Inhibemus, eiſq; diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus à contentionibus, ac de B. Auguſtino aſſertionibus huiuſmodi prædicationibus, diſputationibus, & iurgijs, & controuerſijs pœnitus abſtineãt, nec de eis mẽtionẽ de cætero faciant, & ſe mutua charitate in Chriſto Ieſu Dño noſtro diligãt, ſe etiã mutuò venerantes, & ea quæ decorẽ, & venuſtatẽ ambarũ partiũ concernunt alternatim aſſerentes, & ea, quæ ædificant, & inſtruunt, & ad ſalutẽ animarũ Chriſti fideliũ proſunt, Populis prædicent, omiſſis, & pœnitùs reiectis vanis aſſertionibus, & altercationibus, vt ordo à B. Auguſtino datus, qui idẽ eſt in omnibus licèt inſtituta particularia aliqualiter differãt, non diuiſus, non factioſus, non contaminatus, ſed vnicus, pacificus, integer, & immaculatus, prout eſt, & eſſe debet, etiã ab omnib. cẽſeatur. Præterea, vt cenſura Eccleſiaſtica ab omnibus formidetur præter Canonicos Regulares, & Fratres Eremitarũ huiuſmodi, eos inſuper, qui eiſdẽ Canonicis, & Fratribus dederint in præmiſſis auxilium conſiliũ, & fauorẽ publicè vel occultè, directè, vel Indirectè, quouis quæſito colore, ſententias, & cenſuras, & pœnas ſupradictas incurrere volumus eo ipſo, niſi poſtquàm de præſentibus notitiã habuerint à præſtatione auxilij, conſilij, & fauoris deſtiterint, & nihilominus eorundẽ Canonicorũ Regulariũ, & Fratrũ Eremitarũ modernis, & pro tẽpore exiſtẽtibus Rectori, & Generali, ſub ſimilibus pœnis iniungim⁹, vt pñtes literas in eorũ Monaſterijs Clauſtris & Capitulis, dũ maior Canonicorũ, & FF Eremitarũ prædictorũ multitudo cõuenerit, ſemel, bis, ter, & pluries ſolẽniter publicẽt, & Interpretentur, ità quod ab omnibus etiã Grãmaticæ ignaris planè intelligi valeant, & harũ literarũ tranſumptũ, ſeu copiã ad vnumquodq; monaſteriũ Canonicorũ, & Fratrũ Eremitarũ huiuſmodi tranſmittant, quòd ſi ſecus egerint, & mandatis Ap.cis non paruernit, quod abſit, ex nunc, prout ex tunc & ex tunc prout ex nunc excõmunicationis latæ ſententiæ, anathematis, & maledictionis æternæ pœnas prædictas, eos, & ſingulares perſonas ex eis incurriſſe, illiſq; irretitos eſſe motu, auctoritate & ſcientia prædictis, decernimus, & declaramus, & pro talibus ab omnibus reputari volumus, & mandamus, donec, & quouſque Sedes Apoſtolica ſuper contentionibus huiuſmodi aliud duxerit determinan. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non priuilegijs indultis, & literis Apoſtolicis tàm Canonicis Regularibus, quàm Fratribus Eremitarum S. Auguſtini in genere, vel in ſpecie, ſub quibuſuis formis, & verborum expreſſione conceſſis, etiam ſi in eis caueatur expreſsè, quòd Canonici, & Fratres prædicti, ac ſingulares perſonæ ex eis, aut eorum loca interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, niſi de eis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio fiat, & aliàs per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de priuilegijs, & indultis huiuſmodi mentionem, quibus omnibus illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro expreſſis, & ſpecificatis habẽtes, quo ad hoc vt pñtes litteræ ſortiantur effectum, illis tamen aliàs in ſuo robore permãſuris, motu, auctorit. & ſcientia prædictis ſpecialiter, & expreſsè rogamus, & pro nullis, & infectis, quo ad hoc tantùm haberi volumus, nec non ordinis, & inſtitutorum prædictorum ſtatutis & conſuetudinibus etiã Iuramẽto cõfirmatione Ap.ca vel quacunq; firmitate alia roboratis, cæteriſq; contrariis quibuſcunq;. Nulli ergo. &c. Datũ Romæ apud S. Petrũ, Anno Incarnat. Dominica, milleſ. quadringenteſ octuageſ. quarto. Quinto Idus Maij, Pontificatus noſtri, Anno tertio decimo.*





IV. *Ambroſius Coriolanus ord. Eremitarum Generalis Apologiã edit, & carceri mancipatur.*

Poſt hoc Pontificium decretum promulgatum edidit nihilominus Ambroſius Coriolanus, Eremitarũ tũc Generalis contra Can.cos Regulares librũ quẽ titulo Apologiæ, ſeu Defenſoris ſui Ordinis prænotauit, illumq; Sixto IV. Põtifici nũcupauit, ſed Canonicis Regularibus Lateranen. apud eundem ſummũ Pontificẽ cõtra Coriolanũ interpellantibus, & multa non ſolum falſa, ſed probroſa, & contumelioſa contra illorũ Cong.nem in eo libro contenta obijcientibus, cum Pontifex librum Coriolani tribus S.R.E. Cardinalibus examinandũ cõmiſiſſet, ex eorundem, relatione igni illum adiudicauit; & idem decreuit Innoc. VIII. Sixti ſucceſſor, qui eundem Coriolanum à iurgijs, & contumelijs necdum abſtinentem carceri mancipauit. Ita celſus Mapheus Veronenſis, qui tunc eam cauſam apud Sedem Ap.cam pro ſuis Canonicis agebat in libro, quo eiuſdem Coriolani oppoſitionibus reſpondit, corollario 4. in fine, & Auguſtinus Firinenſis in libello eadem de cauſa tunc edito, cuius titulus eſt, Clypeus veritatis.

V. *Diuerſis Eccleſiis præficit Antiſtites Sixtus PP.*

§. 57. Ceterum cùm pòſt tempora eiuſdem Sixti 4. plures de hac materia libri prodierint, & nunc prodeant, videtur hoc decretum in deſuetudinem iuiſſe, præſertim cum duobus ab hinc annis, Canonici Regulares Lateranen. apud Ill.mos & Re.mos DD. Cardinales. Sac. Cong.nis Indicis inſtiterint, nè liber recẽs editus per Ioannem Marquez Auguſtianum Eremitam, de Origine Eremitarum, in quo pluribus circa idem argumẽtum verſatur, publicaretur, nihilominus eiſdem Ill.mis DD. Cardinalibus concedentibus, idem liber fuerit publicatus.

Sed nos ad Sixtum Quartum Pontificem reuertamur. Hic in defuncti Eneci Maurici locum, Rodericũ Borgiã Cardinalẽ Hiſpali Pontificẽ hoc anno dedit, ſed Ferdinãdo Rege multum aduerſante, atque Petro Luouico Gandię Duce, Roderici filio in vincula duci iuſſo, prius decretũ induxit, que, toleraui; Diegn⁹ Mẽdoza, Tentiliæ Comitis frater Palentinus Epiſcopus, in defuncti locum ſubſtitueretur Pontifex Hiſpalen. gratia, & meritis patrui Cardinalis Hiſpaniæ. Eo etiam annuente: Alfonſus Burgenſis Concha Palentiam migrauit. Concham, Abula, Alfonſus Fonſeca. In huius locũ Fernandus Talauera Abulenſis Epiſcopus creatus Prati Prior. Sic in Hiſpania nominandis Pontificibus poteſtas Regibus quærebatur, fundabaturque. Sed res Eccleſiæ, maximè in Italia turbatæ, vt multa Principibus condonarẽtur, effecerũt. *Mariana lib. 25. c. 5.*

VI. *Plura Sixti PP. geſta ſummarie recenſentur.*

In plurimorum Italiæ bellorum ſumptibus Sixtus exhauſtus, quum magna vi pecuniæ indigeret, noua Collegia primus omnium Romanorum Pontificum, quæ vænirent, excogitauit. Dato itaque negotio, Sinolfo de Caſtro Octerio Protonotario, viro ſolerti, & induſtrio, Breuiatores minoris præſidentiæ reſtituit, à Pio creatos, & ab eius ſucceſſore Paulo ſecundo ſublatos; quorum loca quingentis; poſtea ſollicitatores, quorum trecentis væniêre. Deinde certos adſtipulatores, ſine quibus nullæ poſſint confici tabulæ; Ianicerorum quoque, Stradiotarum, & Mamaluchorum officia induxit: ex quibus Mamaluchos, & adſtipulatores, qui ei ſucceſſit, Innocentius VIII. abrogauit. Poſtremò Apoſtolici fiſci nouem Notarios conſtituit, quibus redditus vnius, qui anteà cunctis præerat, aſſignauit. Atque hac ratione Romanæ aulæ libertatem in compedes quaſi coniecit, omni induſtrii, ac laborioſi ingenii diligentia ſublata: quũ nõ niſi pecunia hæc munera parẽtur, quæ antea gratuito doctis, & probis viris tribui ſolebãt. Primus etiã vẽdidit officia Procuratoris Cameræ, Notariatus Apoſtolici, Protonotariat⁹ Capitolij, Notariatus Gymnaſij, metiendi ſalis, & Camerariatus vrbis. Vectigalia noua inuenit, vetera auxit. Plures à ſacratis hominibus decimas, non ſine maxima auaritiæ nota exegit. Sed hæc ſeu temporum neceſſitati, ſeu veriùs proximis, & miniſtris eius tribuenda exiſtimabant; præſertim cum nemo ad eam diem Pontificum, nec animo ad munificentiã, libertatemque propenſior, nec in dando hilarior, nec in promerendis hominibus promptior fuiſſe memoraretur. Miſeros enim atque à Turcis, vel alias ob calamitates auitis ſedibus, & imperijs eiectos, Andream Paleologum Peloponneſi, & Leonardum Toccum, Epiri Deſpotas, honeſtis ſumptibus aluit. Sophiæ, Thomæ Paleologi, filiæ Ruthenorum Duci in matrimonium collocatæ, præter alia munera, dotis nomine ſex aureorum millia donauit. Carlotam Cypri, & Catherinam Boſnæ Reginas regnis, fortuniſque omnibus ſpoliatas, ad ſe ſupplices confugientes, benignè ſuſcepit, ſuaque munificentia ſubleuauit. Chriſtiernum virum religioſiſſimum, Daniæ, Suetiæ, Noruegiæ, & Gotthorum, ac N. Boſnæ & Valachiæ annis grauem, & ſenio confectum, Reges; item Saxonum, & Calabriæ Duces, voti cauſa ad limina Apoſtolorum, & ad ſe ſalutandum, mira cum deuotione venientes, magnificentiſſimis ſumptibus in Palatinis ædibus excepit. Idem Ferdinando Aragonio, Neapolitanorum Regi, ad Iubileum magno cum comitatu venienti, Regio apparatu omnia officia præſtitit, & annuum cenſum, quem Eccleſiæ Romanæ debitum pendebat, equo tamen falerato tributi nomine retento eidem remiſit. Eius filiam Leonoram, per vrbem ad maritum Ferrariæ Ducem tranſeuntem, pompa, & donis Regijs proſecutus eſt. & vt à prophanis ad ſacra tranſeam, Beatum Bonauenturam, Ordinis ſui olim Cardinalem, virum doctiſſimum, & miraculis clarum, inter Diuos retulit. Multas veteribus ſolennitates adiunxit, vt Conceptionis, & Oblationis Beatiſſimæ Virginis Deiparæ; Sanctorum Annæ, Ioſephi, & Franciſci, quas in Eccleſia celebrari iuſsit. Priuilegia à Pontificibus, qui antè eum fuerunt, iure quattuor Mendicantium Ordinibus conceſſa, quieti Eccleſiæ & communi ſaluti conſulens, ampliſſimis diplomatibus confirmauit, & auxit. Auctoritatem maioris Pænitentiarij, dato, quod adſcribere viſum diplomate, definiuit. Ità habet.

VII. *Diploma de Authoritate Maioris Pænitentiarij.*

*Sixtus epiſcopus, ſeruus ſeruorũ Dei. Ad perpetuam rei memoriã.*

*Quoniam nonnulli iniquitatis filij, elationis, & pertinaciæ ſuæ ſpiritu aſſumpto, poteſtatem maioris Pænitentiarij noſtri per longiſſima tempora toti Orbi notam, & à cunctis fidelibus inuiolabiliter obſeruatam in dubium reuocare, & literis ſub eius nomine per officium Pænitentiariæ noſtræ pro tẽpore expeditis cõtumaciter ſe opponere, illiſque detrahere præſumunt, decet nos aduersùs tales, ea adhibere remedia, per quæ ipſorum temeritate repreſſa, eiuſdem Pænitentiarij auctoritas, & poteſtas præſeruentur illæſæ, illiuſq; literæ cum perſonarum illa pro tempore impetrantium quiete, & conſcientiæ tranquillitate, ſemotis quibuſuis obſtaculis, votiuum ſortiantur effectum.*

§. 1. *Dudum ſiquidem per nos accepto, quòd licèt vniuerſo penè orbi innoteſceret inter alia Officia Rom. Curiæ fuiſſe dudum officium Sacræ Pænitentiariæ prouidè inſtitutum, & in aliquibus ex Maioris Pænitentiarij illud pro tempore obtinentis literis, quæ ab eo ratione dicti officij pro tempore emanabant, ſic contineretur videlicet (Auctoritate D. N. P. cuius Pænitentiariæ curã gerimus) & in alijs (Auctoritate D. P. & eius ſpeciali mandato ſuper hoc viuæ vocis Oraculo ſibi facto) in reliquis verò (dicta auctoritate D. P. & eius ſpeciali, & expreſſo mandato) ac huiuſmodi literis, & aſſertioni eiuſdem Pænitentiariæ, tam in iuditio, quàm extra abſque eo, quòd facultas deſuper eidem Pænitentiario per ſedem Apoſtolicam conceſſa in illis inſereretur, fides indubia adhiberi conſueuiſſet, & ab eodẽ tempore citra Maior Pænitentiarius pro tempore exiſtens ex ipſius officij ſtylo dum Epiſcopus Cardinalis exiſteret, ſe Epiſcopũ ſolùm, non autẽ Cardinalem nominare ſolitus eſſet, prout & reliqui Epiſcopi Cardinales in eorum literis faciebãt, & literæ præfatæ cũ antiquo per Maiores Pæniten-*

nitentiarios, qui pro tempore fuerant adhiberi ſolito ſigillo oblongo in cera rubea, & capſa ceræ albæ impreſſo pendente, ſecundùm dicti Officij ſtylum antiquum ſigillari, & ſic expeditæ debitæ executioni abſque vlla contradictione, & exceptione mandari, ac ab omnibus in debitam obedientiam haberi eſſent ſolitæ.

§. 2. Quia tamẽ nonnulli iuris interpretes diuerſarũ partiũ, volentes plus ſapere, quàm oportet, affirmare nõ erubeſcant, & in dubium reducere, an literis dicti officij cum verbis, & ſigillo prædictis, iuxta illius ſtylũ approbatũ, ac ab omnibus indifferẽter ſeruatum, fides eſſet adhibenda, & illis obedire haberent, affirmantes aſſertioni prædictæ Maioris Pœnitentiarij ſuper auctoritate ſui Officij, & Papæ ſpeciali, & expreſſo mandato prædictis nõ eſſe credendum: & pro eo quia Venerabilis Frater noſter, Iulianus Oſtienſis, olim Sabinenſis Epiſcopus Maior Pœnitẽtiarius noſter poſt promotionem ad Sabinenſẽ tranſlationẽ, ad Oſtienſẽ Eccleſias per Nos factas de perſona ſua olim tit. S. Petri ad Vincula Præſbyter Card. ſe non Cardinalẽ, ſed Sabinẽſẽ primùs, & poſt tranſlationẽ prædictã Oſtienſem Epiſcopũ nominabat, literas dicti officij dicto ſigillo ſignatas modicæ auctoritatis exiſtere, in dicti officij, & eius Pœnitentiarij immo veriùs Apoſtolicæ auctoritatis contẽptũ, & ſcandalũ plurimorũ:

§. 3. Nos tunc prouidè attendentes, quòd Maior Pœnitentiarius ordinaria iuriſdictione, & auctoritate fungeretur, & propterea in ſuis literis ſicut alij ordinarij, ſui officij auctoritates inſerere nõ tenentur, quodque ſtylus vbilibet præſertim in Rom. Curia litterarũ Apoſtolicarũ, & aliarum quæ ab ea emanabant, in tantum pro lege ſeruabatur, vt literæ præter ſtylũ expeditæ falſitatis ſuſpicione non carerent, ac volentes huiuſmodi inſolentium temerariis auſibus obuiare, & eorum, quos literæ prædictæ concernebãt, conſcientiarũ paci & tranquillitati, dictique officij honori, & immunitati cõſulere, per alias noſtras literas, Motu proprio, & ex certa ſciẽtia, decreuimus, & declarauimus, literis prædictis Pœnitentiariæ, tunc expeditis etiã, quoad auctoritatẽ, & mandatũ huiuſmodi, de quibus in eis fieret mentio, abſque vlla auctoritatis, & mandati huiuſmodi in eis inſertione plenã fidẽ adhiberi debere, ac ad id probandum alterius probationis adminiculum non requiri. Mandantes omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, quacumque dignitate, & auctoritate fungentibus, ſub excõmunicationis, aliiſque cenſuris, & pœnis tunc expreſſis, quatenùs literis prædictis pœnitentiariæ, ſecundùm dicti officij ſtylũ præfatũ tunc expeditis, & quas pro tẽpore in perpetuum expediri cõtingeret, crederent, & obedirẽt ac parerẽt in omnibus & per omnia perinde, ac ſi in illis Maioris Pœnitentiarij pro tempore exiſtentis facultas, & poteſtas ſibi à Nobis, & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus pro tempore exiſtentibus, ac Sede prædicta conceſſa, quo ad ea, quæ in eiſdem literis Pœnitentiariæ continerentur, ſufficiens inſerta foret, & per literas Apoſtolicas de dicti Maioris Pœnitentiarij auctoritate, & ei facto ſpeciali, & expreſſo mandato viuæ vocis oraculo huiuſmodi conſtaret, prout in eiſdem literis noſtris pleniùs continetur.

§. 4. Cùm autẽ ſicut nuper non ſine animi noſtri moleſtia etiam accepimus, prædicti iuris interpretes, & alij præſumptores, & duræ ceruicis, huiuſmodi literas Pœnitentiariæ dicti Pœnitẽtiarij noſtri, nec non decreto, declarationi & mandato noſtris prædictis adhuc, obtemperare contumaciter contẽnant, ac ore ſacrilego publicè dicere, & allegare non vereantur, literas Pœnitentiariæ huiuſmodi ſolum, & duntaxat in foro conſcientiæ, non autẽ in foro iudiciali huiuſmodi admitti debere, Maiorisque Pœnitentiarij huiuſmodi poteſtatẽ ad forum pœnitentiæ, & conſciẽtiæ duntaxat ſe extendere, & reſtrictã fore ipſumque Maiorẽ Pœnitentiariũ licet in caſibus iuxta facultatẽ ſibi à Sede prædicta cõceſſã per ſe ipſum diſpenſare, & abſoluere valeat, alijs tñ abſoluẽdi & diſpẽſandi, aliaſque ſibi facultates conceſſas per literas ſuas cõmittere non poſſe, & quòd, quamuis litteræ, quæ per præfatũ officium Pœnitentiariæ expediũtur & expeditæ reperiuntur ſecundùm antiquum ſtylum ipſius officij expeditæ fuerint, & expediantur minimè conſtare, & propter ea de earũ validitate meritò dubitari debere pluribuſque alijs, ac exquiſitis ſuggeſtionibus, & cauillationibus prædicti Maioris Pœnitentiarij poteſtatẽ impugnare, & nihilominùs eius literæ huiuſmodi executioni debitæ demãdentur, & perſonæ, quas concernunt, illarum votiuum, ac debitũ effectum conſequi valeant, indebitè & iniuſtè impedire, eiſdemque perſonis contra tenorem literarum prædictarum diuerſa alia, moleſtias ac damna inferre non verentur fiant, in animarũ ſuarũ periculum ac ipſius Pœnitentiarij, immò veriùs noſtri & Sedis prædictæ cõtemptũ & vilipendiũ, ac perſonarũ earũ præiudiciũ non modicũ, & grauamen, permultorum quoque exẽplũ, & ſcandalũ plurimorũ.

§. 5. Nos tantæ temeritati, & audaciæ, prout noſtro incumbit officio opportunis remedijs occurrere, ac Maioris Pœnitentiarij, & officij, perſonarumque huiuſmodi literas præfatas pro tempore expedientium, honori, indemnitati, & ſecuritati conſulere volẽtes, Motu ſimili nõ ad ipſius Iuliani Pœnitẽtiarij, vel alicuius alterius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, & voluntate, & ex certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium decernimus & declaramus, præfatum Iulianum, & pro tẽpore exiſtentẽ Maiorem Pœnitentiarium huiuſmodi, non ſolum per ſeipſum in caſibus iuxta facultates ſibi à prædicta Sede conceſſas diſpẽſare, & abſoluere; ſed abſolutiones, & diſpẽſationes Chriſti fidelibus impẽdẽdas huiuſmodi in diuerſis mundi partibus per ſuas literas alijs cõmittere liberè & licitè potuiſſe, & poſſe.

§. 6. Quodque literæ quæcumque per officium Pœnitentiariæ ſub ſolito ſigillo oblongo in cera rubea, & capſa ceræ albæ impreſſo pendente hactenus expeditæ, & quæ in poſterum expediri contingent, iuxta antiquum ſtylum dicti officij expeditæ intelligantur, nec ad hoc aliud probationis adminiculum requiratur, ipſæque literæ, vt præfertur, expeditæ & expediendæ, illæ videlicet, quæ forum conſcientiæ in foro conſcientiæ tantum, & quæ forum contentioſum concernunt, aut in quibus, quod in contentioſo, aut vtroque foro valeat appoſitum fuerit, tam in foro iudiciali, & contentioſo, Eccleſiaſtico, & ſeculari; quàm etiam in foro pœnitentiæ omnimodam fidem faciant, & valeant, illiſque ſtari & indubitanter credi debeat, ac perſonis prædictis, qui illas impetrarint, & impetrabunt, in vtroque foro huiuſmodi, prout eis conceſſum fuerit, plenariè ſuffragentur & valeant.

§. 7. Volentes, ac motu, & Scientia ſimilibus ſtatuentes, quod omnes, & ſingulæ perſonæ, cuiuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, nobilitatis, & præeminentiæ fuerint, & quacumque Eccleſiaſtica vel mundana dignitate præfulgeant, quæ contra tenorem præſentium, ac priorum literarum noſtrarum huiuſmodi aliquid facere attentauerint, & præmiſſis omnibus, & ſingulis, in totum, vel in partem non paruerint, omnes & ſingulas cenſuras, & pœnas in dictis prioribus literis noſtris contentas, eo ipſo incurrant.

§. 8. Et inſuper, vt præmiſſa omnia tã in prioribus quã præſentibus literis noſtris contenta plenius obſeruẽtur, & contumacia, ac inobedientia illa contẽnentiũ facilius cõprimatur, venerabili Fratri moderno, & pro tempore, exiſtenti almæ vrbis in ſpiritualibus Vicario noſtro, & dilecto filio, Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, etiã pro tempore exiſtenti, Motu, ſcientia & auctoritate ſimilibus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel alter, eorum, vbi, quando, & quotiens ſuper præmiſſis, vel aliquo præmiſſorum pro parte cuiuslibet perſonæ, de cuius intereſſe per tempore agi contingerit, fuerint requiſiti, ſeu alter eorum fuerit requiſitus, priores, & præſentes literas, ac omnia, & ſingula in eis contenta ſolemniter publicantes, illaſque & illa per ſe, vel alium ſeu alios, inuiolabiliter obſeruari facientes, omnes, & ſingulos quos huiuſmodi excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliaſque cenſuras, & pœnas prædictas incurriſſe eis conſtiterit, in Eccleſijs, dum maior inibi populi multitudo ad diuina conuenerit, & alijs locis publicis, de quibus eis videbitur excõmunicatos, & ſententia huiuſmodi irretitos publicè nũcient, & faciãt nunciari ab alijs, ac ab omnibus arctius euitari, nec nõ legitimis ſuper ijs habendis ſeruatis proceſſibus eos, & quemlibet eorum quotiens opus fuerit, aggrauare, reaggrauare, nec non terras, & loca, ad quæ eos & aliquem eorũ declinare contigerit, Eccleſiaſtico interdicto ſupponere, illudque ſtrictiſſime obſeruari facere procurent. Contradictores auctoritate noſtra appellatione poſtpoſita compeſcendo, inuocato adhuc ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis.

§. 9. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, illis præſertim, quibus cauetur ne quis extra ſuã Ciuitatẽ, vel Diœceſim, niſi in certis caſibus, & in illis vltra vnã dietam à fine ſuæ Diœceſis ad iudicium euocetur, ſeu, ne iudices à Sede deputati prædicta extra ciuitatẽ & Diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra aliquos procedere, ſeu alij vel alijs, vices ſuas cõmittere præſumant, & duabus dietis in Cõcilio Generali editis, ac alijs conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quæ in dictis prioribus literis voluimus non obſtare, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Nulli ergo &c. Si quis &c.

Datum Romæ, apud S. Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ, M.CCCC.LXXXIV. 7. Idus Maij Pontific. noſtri, Anno 13.





VIII. *Alia à Sixto PP. geſta referuntur.*

Præter hæc Põtifex Sixtus, in operibus publicis, vel conſtruendis, vel reparandis verè maximus fuit. Nã vrbẽ antè omnia à ſitu, & cœno vindicauit, vijs Vrbis primũ munitis, directis, & lateribus ſtratis, porticibuſq;, & mænianis disiectis, quæ vias deformes, & incõcinnas redditas obſcurabãt: cui rei Vicorũ magiſtros, atque Curatores à ſe inſtitutos præfecit. Quũ verò añus Iubileus inſtaret, quẽ ex quinquageſimo ad xxv. cõtraxit, primuſq; año Salutis M.CCCC.LXXV. celebrauit, animũ ad religioſa loca, & peregrinæ multitudini, ad vrbẽ ventură, opportuna inſtaurãda adijciẽs, inprimis põtẽ veterẽ Ianiculenſem, iãdiu ante disiectũ, quẽ ruptũ meritò ciues appellabant, publicæ cõmoditati, & decori, à fundamẽtis magna cura, & impẽſa ex Tiburtino lapide reſtituit, ſuoq; de nomine, Sixtum, vocari iuſſit; opus ſanè omni antiquo Principe dignum. Xenodochium ſancti Spiritus obſoletum, ac ſordidum, ac vetuſtate penè collapſum, totum vſque ad ſolum diſiecit, & pulcherrimis ædificijs in meliorem ſplendidioremque formam ampliauit. Quumque puellos expoſitos, puellaſque ad pedes ſuos cum nutricibus proſtratos vidiſſet, locum habitandi ijs aſſignauit, mandauitque, puellas nubiles maritis, cum honeſta dote locari; nonnullas verò religioſiores infirmorum ſeruitio perpetuò dicauit. Nobilium quoque calamitate, & ægritudine motus, ſeorſum à promiſcua plebe, loca idonea, decenterque ornata, his attribuit. Religione deinde, & ſingulari pietate inflammatus, qua ſemper Beatam Virginem proſecutus eſt, nobilem ædem cum ampliſſimo cœnobio S. MARIÆ de populo, Ordini Auguſtinianorum à fundamentis erexit. Templũ S. MARIÆ de Pace, cũ Monaſterij parte, Canonicis Regularibus S. Auguſtini ex Cõgregatione Friſonaria, Laterano pulſis, media vrbe de nouo ædificauit. Nã Oliuerius Carafa, Cardinalis Neapolitanus, Monaſteriũ ipſum poſteà totũ à fundamentis extruxit. Diui Petri Baſilicam Vaticanã anteà repurgatã, marmoreis, & vitreis feneſtris templo accõmodatis dilucidiorẽ reddidit, & ruinam ſiniſtro latere minantẽ, additis lateritijs repagulis cõfirmauit. Baſilicæ quoq; Cõſtantinianæ repurgatæ, & in auguſtiorem formã redactæ latera cõſtrauit. Palatiũ vetus Lateranenſe ruinoſum reſarciuit. Multas per vrbẽ ædes ſacras vetuſtate labefactatas, in his SS. Apoſtolorũ abſidã, S. Petri ad Vincula, S. Suſannæ, S. Vitalis, SS. Nerei, & Achilei, S. Balbinæ, SS. Quirici, & Iulittę, S. Viti in Macello, S. Saluatoris trans-Tyberim, & alias multas ſua impenſa, vt ex eius inſignibus, & elegijs liquet, refecit. Muros vrbis multis locis temporum iniuria collapſos inſtaurauit. Vtilitati vrbanæ cõſulens, ductus Aquæ Virginis penè cõfractos, elimatos, perpetuo fornice à monte Pincio, ad Triuij fõtem cũ aqua perduxit. Cloacas vrbis, quibus ſordes in Tiberim vehuntur, repurgatas firmauit. M. Aurelij ſtatuam æneã equeſtrem, humili, & ſordido loco iacentem, in area Lateranenſi auguſtiore loco expoſuit. ædes Pontificias in Vaticano ampliſſimis porticibus deductis renouauit. Prætorianis excubitoribus, qui Põtificij corporis, & palatij cuſtodiæ, ab eo primùm lecti ſunt; Magiſtratibus inſuper, & munera obeuntibus, loca, in quibus cõmodè habitarent, cõdidit; qui anteà præter dignitatem, in cellis penè penuarijs ſitu ſqualentibus agitarent. Bibliothecam Palatinam in Vaticano, toto Orbe terrarum celeberrimã cõſtruxit, adue̅ctiſq; ex omni Europa libris amplificauit; certoſque prouentus, vnde cuſtodes, & librarij, Græci, Latini, & Hebraici menſtrua ſolaria, quibus ali poſſent, haberent, libriq; emerentur, aſſignauit: opus omnium præclariſſimũ, & Maximo Põtifice digniſſimũ. Neq; his cõtentus, reliquos Patres ſæpe hortatus eſt, vt exẽplo ſuo pro facultate quiſq; ſua, monumentis, vel nouis, vel reſtitutis vrbẽ exornarent. Vnde multa à multis extructa ſunt, vel adornata; quẽadmodum à Guilelmo Euſtouteuilla, Epiſcopo Cardinali Oſtienſe, & Camerario, nobiliſſimũ templũ cũ Monaſterio S. Auguſtini, cuius Ordinis protector erat; & propinquũ iuxta S. Apollinarẽ palatiũ. Baſilica verò S. *Mariæ* Maioris in Exquilijs, ductis leua, dextraque fornicibus; Itẽ Oſtia Tiberina cũ arce ab eodẽ reſtituta ſunt. Sed & Cardinalis Agrienſis, Eccleſiã SS. Sergij, & Bachi, cui præerat, ruinæ proximã refecit. Raphaël Riarius, lucutiſsimas apud S. Laurentium in Damaſo ædes tum inchoauit. Ab alijs præter hæc cõplura, & egregia palatia ædificata; ita vt verè Vrbem ex lutea, lateritiam ſe reliquiſſe dicere iure poſſet: quemadmodum Auguſtum olim dixiſſe accepimus, ſe ex lateritia, marmoream relinquere. Merito igitur verſus hi ſimulachro illius in Bibliotheca Palatina adſcripti fuere.

*Ab exemplo Sixti PP. alij cõſtruunt, vel renouant ædificia.*

*Templa, domum expoſitis, vicos, fora, mænia, pontes.*
*Virginiam Triuij, quod repararis aquam.*
*Priſca licet nautis ſtatuas dare commoda portus*
*Et Vaticanum cingere Xyſte iugum.*
*Plus tamen vrbs debet, nam quæ ſqualore latebat*
*Cernitur in celebri Bibliotheca loco.*

Illud quoq; nõ negligẽdũ, quòd eo Põtifice, mercatus, qui anteà ſub Capitolio fieri cõſueuerat, authore Cardinale Rothomagenſe Camerario, tũ primũ in Circo Agonali, 4. Nonas Septẽbris, die Mercurij anno 1477. factus eſt. Nihil enim vmquam Sixtus, quod publico vrbis decori, & cõmoditati eſſe cenſeret, quin perficeret, deſtitit. Rẽ Romanã, Sediſq; Apoſtolicæ dignitatẽ, ita intrepidè, & egregie tuebatũr, vt nõ facile cuiquam quãuis maximo Principi eſſet, aliquid moleſtiæ impunè ei inferre. Multas quoq; Cõſtitutiones edidit, quæ ad vrbis ipſius, & Eccleſiæ Romanæ ornamentũ, decoréq; pertinebant. Cauit etiã edicto, nè porphyretici lapides, nèue marmorei ad profanos vſus è tẽplis tollerentur. Quia vero id publicè intererat, vt Dominicani, Franciſcani, aliorũq; Ordinũ Prædicatores pacificè viuerent, decretum ab eo eſt, de Cõceptione Virginis poſſe quãlibet aduerſantiũ opinionũ, ſine peccato, hęreſiſq; vitio credi. Catholicũ nomen Apoſtolicę Sedis authoritate, Ferdinando, & Iſabellæ, ad indicandam eorũ fidei puritatem attribuit. Inquiſitioniſq; officiũ in Hiſpania inſtituit, ſub quo nõ patitur illos fluctus, & turbines, quibus multæ prouinciæ magna, & miſerrima fidei, & fortunarum naufragia pertulerunt. Inuidia vel ex eo maxima laborauit, quòd vili genere ortus, propinquos ampliſſimis donationibus, & dignitatibus cumulauit. Suggillabant n. æmuli Pontificẽ, quaſi is improbos coleret, erigeretq;, eiq; faces ad vertendã Remp. præberet: cũ tñ exiſtimarẽt, nolle, nõ indignis benefacere Põtificẽ, indecorum, & à pietate Chriſtiana alienũ eſſe. *Onuphrius, & Maſſonius in Sixto IV. Pontif.* Vbert⁹ Foliet. iſtud epitaphiũ, vel elogiũ Sixto ſcripſit:

IX. *Eiuſdem elogium.*

Admirabiles multiplicesq; Xyſti Quarti laudes eæ fuerunt, vt in illo ornãdo cũ diuina voluntate natura cõſpiraſſe videatur, adeò omnia bona in illũ cumulatè cõgeſta sũt. Diuini enim Numinis benignitas, hominẽ ad sũmũ rerũ faſtigiũ extulit. Neq; ea res fortunæ eſt aſſignanda; quin potiùs ipſe ſuo ſibi ingenio & induſtria fortunã feciſſe dicẽdus eſt. Quippe qui Cellis obſcuro Liguſticæ oræ vico, Ciue Saonẽſi, in tenui, & humili ſorte ortus, quãuis gẽs Roboreia nobilis, ac peruetuſta ſit ex ſubalpinis Taurinis oriũda, vnde maiores Xyſti Saonã cõmigrarunt, in eaq; vrbe ſedes, ac domiciliũ ſibi cõſtituerũt. Humili igitur loco ortus Xyſtus, atq; in Frãciſcanorũ diſciplinã, pueritiæ años nõdũ egreſſus, à parẽtibus tradit⁹, ac cũ in eã ætatẽ venit, Frãciſcana inſtituta ex voto profeſſus, tantã animi cõtẽtionẽ in ſapientiæ, & ſacræ doctrinę ſtudijs adhibuit, vt breui ad altiſſimũ in illis famę, & glorię locũ peruenit, adoleſcẽtiáq; nõdũ egreſſus, profitẽdi publicè impoſitũ munus, in celeberrimis Italiæ Gymnaſijs, ea cũ ingenij, & doctrinæ laude exercuit, vt fama nominis ſui omnem Chriſtianũ orbem implerit: quod non viui tantũ

enituit, ſed eo quoq; mortuo viuit, ac vigebit, doctiſſimis ſcriptis æternitati conſecratum. Vniuerſi denique Franciſcani Ordinis ſummus Miniſter creatus, viuidi animi impetu, ad maxima quæque illum ducente, ac viam expediente, breui temporis curriculo à primo hoc honoris initi gradu, Cardinalatus titulo medio, ad Summum Pontificatum aſcenderit. At natura acerrimam, ac propè diuinam ingenij vim, eximiā animi magnitudinem, Regiam magnificentiā ac liberalitatem, ſingularem religionem dedit. Quarum virtutem, cum in omni vita, tum verò in Pontificatu innumerabilia edita ſunt documenta. Atque ingenium quidem in doctrinæ ſtudijs, vt diximus, inprimis apparuit. animi verò magnitudo, ac pietas, cum in ipſo ſtatim initio, tum in toto Pontificatu conſpecta eſt. Simulac enim Pontificatum inijt, omnes curas, & cogitationes in Turcarum impetus compeſcendos contulit; Legatis, ipſis Senatus luminibus, in omnes Europæ prouincias circum miſſis, ad diſſidentes Regum Chriſtianorum animos inter ſe conciliandos, atque in Turcam incitandos, fœdereque cum Venetis, & cum Neapolitano Rege ſancito, compluribus expeditionibus in Turcas, cum infinito ſumptu factis, audaciam eorum repreſſit, & tum à Rhodo obſidionem ſoluere, tum Hydrunto excedere, fecit. Iam verò dignitatis, Iuriſque Pontificij conſtantiſſimus, ac perpetuus aſſertor fuit, contemptuſque ſui acerrimus vindex; grauiſſimis bellis ea de cauſa, tàm contra exteros Principes, quàm contrà contumaces, ac parum imperijs obedientes ſuſceptis. At verò Regia magnificentia, cum ſumma religione coniuncta eluxit, cùm in pauperum inopia ſubleuanda, valetudinarijs reficiendis, & ampliſſimis vectigalibus dotandis; litteratis hominibus amplectendis, ac fortunis honeſtandis; amicis ditandis beneficijs, etiam in humiliore fortuna acceptis, ac meritis, vel tenuiſſimis largè remunerandis; illorum memoriam grato animo longè repetendo: tum verò in immanibus ſacrarum ædium, Bibliothecarum, pontium, alijſque publicis exſtructionibus, quibus vrbem exornauit, ac veluti è cæno, & ſordibus extractam, in auguſtam ſpeciem ac nitorem redegit: viis etiam directis & ſtratis. *Folieta in Ligurum elogijs.*

X. *Theodori Gazæ de Sixto PP. iudicium.*

Theodorus Gaza Theſſalonicenſis, cum libros Ariſtotelis de Animalibus Latinitati donatos, inſcriberet Sixto, hæc illi ſcripſit. Fuerunt & qui pace rectè vterentur, & Pontificatum magna cum laude gererent, quibus te ſimilem video planè ſucceſſiſſe præſtas ſe enim in doctrina, & moribus. Quò fit, vt nomen tuū immortalitati mandandum cenſeas, ſtudio potiùs litterarum, quæ numquam pereunt, quàm vel ædificiorum, quæ breui tempore delentur, vel theſauri gēmarum, & auri, cuius heredes inimici plerumq; ſuccedunt: vtq; voluptates, quæ animi lumen extinguunt, reſpuas, litterarum voluptatem quæ animum illuſtrare poſſunt, expetis, atq; in ea requieſcis. Itaq; omnes Pontificem talem habuiſſe lætamur, & quiſquis ſiue ciuis, ſiue peregrinus, ſtudet pro viribus rem afferre, qua & virtutum tuarum laudem, & animi tui voluptatem augeat. Quem enim ob eius merita non ſolùm veneramur, & obſeruamus, ſed etiam perinde ac patrē amamus, ei perlibenter opera ſtudiorum noſtrorū dedicanda putamus. *Iſta Theodorus in dedicatoria epiſt.* Qui cùm nobiliſſimas iſtas ſuas lucubrationes in membranis perſcriptas Pontifici detuliſſet, nec niſi ducentis ducatis donatus fuiſſet nummos omnes præ indignatione proiecit in Tyberim, ſubdito; *Effugere hinc libet, poſtquàm opimæ ſegetes in olfactu præpinguibus aſinis ſordeſcunt.* atq; ita in Brutios ad Sacerdotij ſui ſedē contendit, vbi paulò poſt planè ſenex fato functus eſt. *B. in Chronol.* Raphaël Volaterranus, Theodoro ſynchronos, cùm virtuti illius fortunam non parem fuiſſe retuliſſet, cauſam addidit; Nam vrbs Roma quantum antiquitùs hominum extulit ingenia, & virtutes; tantò poſtea ob poſterorum, qui in ea dominantur, luxuriam, atq; deſidiam contemnit. Viros quoq; multos (*ait*) ego ſæpe memini, & litteris, & moribus claros, magna Romam expectatione veniſſe: paulè pòſt fame coactos diſcedere. Iſta de ſuis temporibus *Volaterranus lib. 23. Anthropolog*

XI. *Turca vū Imperator dextr. manum S. Ioannis Baptiſtæ manū, donat Equitibus Rhodianis.*

Iacobus Boſſius lib. 13. hiſt. Rhodianæ, narrat; extremis Sixti Pontificis temporibus, Baiazitem Turcarum Imperatorem, à Venetis adhuc dum bello Ferrarienſi occupatis, contrà Ferdinandum Neapolitanum Regem, concitatum, ingentem claſſem in mare mediterraneum, ad vexanda interiora Italiæ loca mittere voluiſſe; ſed tamen Petri Dambuſſonij Rhodiorum Magiſtri prudentia, & dexteritate cæptis abſtinuiſſe, claſſemque intra Archipelagum continuiſſe: ac præterea manum integram Diui Ioannis Præcurſoris, qua is Redemptorem orbis & indicauit, & in Iordanis fluentis baptizauit, magno dono Rhodianis, ex Conſtantinopolitanis theſauris miſiſſe. Guillhelmus Caorſinus, qui ab Dambuſſonio Conſtantinopolim explorandæ veritatis cauſa miſſus fuerat, iſta de brachio S. Ioannis prodidit, miſſo Rhodianis. Seruabatur, ait, Conſtantinopoli, in Monaſterio S. Ioannis cui à Petra nomen, ab Imperatore Iuſtiniano, magnis ſumptibus ædificato. Ante quingentos circiter annos illuc delatum, publicæque venerationi exponi ſolitum, Chriſtiani, qui ſuperfuerant, Græci, & Latini ritùs teſtabantur. Fama, & traditio dudum recepta obtinuerat, Sanctum Lucam Euangeliſtam, magnitudine virtutum Sancti Præcurſoris permotum, Sebaſtem, vbi inter Heli, & Abdiam conditus iacebat Sanctus Præcurſor, animo auferendi ſacri corporis acceſſiſſet; ſed altitudine molis à conatu diſtractum, non niſi brachium, manumq; dexteram, à reliquo buſto abſtuliſſe, ſecumque Antiochiam detuliſſe: Ibidemque ad tempora vſque Iuliani Apoſtatæ, ſacrum iſtud pignus apud Chriſti fideles maxima in veneratione, idemque, nè à ſacrilego Imperatore, vnà cum alijs Sanctorum Reliquijs ignibus traderetur, pia deuotione ſubtractum; ac inde aliquot poſteà ſeculis ab Iuſtiniano Imperatore, eiuſmodi ſacrorum munerum conquiſitore, Conſtantinopolim, vnà cum capite eiuſdem Diui ab Edeſſà, ac tunica Saluatoris inconſutili à Mara ciuitate Aſiæ, translatum, inque Petræ Monaſterio collocatum, cultumque fuiſſe. Memorabant, Antiochiæ, ſtupenda miracula edere conſueuiſſe; ex quibus duo Caorſinus ad notitiam poſteritatis tranſmiſit. Idololatria nondum omninò eliminata, draco vaſtæ magnitudinis in antro quodam propè vrbem, non iumenta modò, ſed & homines obuios deuorabat, peſtilentiſſimoque afflatu aërem inficiebat. Deſtinatum fuit Antiochenis, numen aliquod in forma belluæ deliteſcere exiſtimantibus, præter quotidianam ſtipem, hominem ſortitione electum ſacrificare, draconique voraciſſimo proijcere. Accidit filiam vnicam cuiuſdam Chriſtiani ad victimam deſtinari. Ibi pater anxius, filiæque miſertus, cum nullam ſibi in hominibus opem repoſitam exiſtimaret, ad diuinam confugit, & in templum, in quo manus Sancti præcurſoris altari ſuperpoſita proſtabat, accurrens, prouolutus in genua tutelam S. Baptiſtæ implorauit; inde ad ſacram manum adrepens, adſurgenſque, ſummitatem maioris digiti ex deuotione, & fide præmordens, nonnihil pellis, & carnis ſacratæ auulſit. Inde fiducia concepta, cum filia draconi iam deuota ad antrum perrexit, inque rictum feralis belluæ ſacræ eius carnis fruſtulum iniecit: quod peſtilens draco deglutire impotens, inconti-





nenti crepuit, ciuitatemque attonitam ad venerationem Diui Præcurſoris incitauit. Aliud eſt quod narrabat. Die feſto Exaltationis S. Crucis, Patriarcha Antiochenus cum vniuerſo Clero, & populo Chriſtiano, ſolenni ſupplicatione inſtituta, manū eam extra vrbem in locum quendam eminentiorem, ex quo agri conſeminati deſpici potuiſſent, efferebat; eaque quaſi fertilitatem ſementibus imprecabatur. Hæc ſi immotis digitis perſiſtebat; frugum omnium copiam affluentiſſimam portendebat; ſi digitos vero contraheret, rerum omnium inopiam. *Boßius ſupra.*

XII. *Sixto PP. defuncto, magnæ ſeditiones Romæ ortæ.*

Mortuo Sixto Pontifice, Roma in magno fuit tumultu, non tantùm propterea quòd Vrſini, & Columnenſes arma ſumpſiſſent, ſed etiam quia inſolens populus, per eam occaſionem, ad ciuitatis otium perturbandum, ab iuuentute præcipua concitatus fuiſſet. Columnenſes, Capranicam, Marinum, Cauas, & alia oppida ſuæ ditionis, tempore Sixti amiſſa, de Eccleſia recuperarunt: Cardinalem ſuæ gentis, qui per id temporis vrbe exceſſerat, Romam maximo populi concurſu reduxerunt: ac præter domeſticum militem, à Florentinis Senenſibus Amerinis, Aquilanis, alijſque auxiliares alas aduocarunt, quorum cùm ſuperiores eſſe vires viderentur, ſeditioſi palatium Comitis Hieronymi, qui mortui Pontificis inuidia flagrabat, irrumpentes, cùm ipſum non repeririſſent, in parietes ſæuierunt, omniaque ferro, & flāma deformarunt. Hieronymus enim ęquè ſibi à certis hoſtibus, & à dubijs ſocijs eſſe timendū intelligens, in Adriani molem cum vxore ſeceſſerat, eamq; occupauerat: nihil omnino dubitans, quamquàm magna totius Ordinis offenſione, per interregni tempus, Cardinalibus inuitis, ad quos ſumma rerum defuncto Pontifice redire conſueuit, ſe illam retenturum. indidemque tutum ſe ab omni iniuria futurum. Præter hæc ſeditioſi, horrea publica, in quæ Sixtus magnam frumenti vim intulerat, diripuerunt: triremes duas Pōtificias, data captiuis libertate, rebuſq; omnibus conuaſatis, validiſſimo pretio vendiderunt; domos, & cellas penuarias aliquorum ciuiū commeatu omni refertas compilauerunt, ac prętereà ad manus cum aduerſa factione aliquoties venire non intermiſerunt, cædibuſque nōnullas plateas vrbicas, & vicos fœdarunt. Quāquam autem Conſeruatores vrbici, & Proceres Regionum, patibulis erectis, ſeditionem reprimere tentauerint; nec non ipſi Cardinales factionum primores, dato in Baſilica Vaticana mutuo iureiurando, inducias inter partiarios compoſuerint: nō tamen omnino efficere potuerunt, vt milites extra vrbem eijcerentur. quin potius à quibuſdam vindictam ſpirantibus, noui recenteſque introducebantur. De arce ab Hieronymo occupata cum Patres factum in ſui cōtumeliam nullo modo ſibi eſſe ferendum cenſerent, nè parū eſſe memores ſuę dignitatis viderentur, illum ex tēplo, ea, vrbe, & alijs Eccleſiæ, quæ occupauerat, oppidis decedere intra certam diem iuſſerunt. quo ille imperio territus, ac meliore conſilio arbitratus reddendū voluntate eſſe, quod vi retinere non licebat, acceptis, IV. M. aureis nūmis, quos titulo ſtipendiorū emeritorum poſtulabat, arce, Epiſcopo Tudertino, Sedis Apoſtolicæ vacantis Commiſſario, tradita, (vt iuſſus erat) Roma confeſtim, haud ſatis tutus futurus in magna hominum offenſione, & gladiorum impunitate, vnà cum Virginio Vrſino diſceſſit. Illo ab vrbe profecto, cum in magno vrbanorum metu, reliqui Vrſini, & Columnenſes in armis eſſent, ſenatus, populuſq; Romanus, promiſſa ſecuritate Cardinalibus, ad comitiū celebrandum illos inuitarunt. Ergo illi de ſumma rerum ſolliciti, nè quid detrimenti Comitiorum delatio importaret, peractis Sixto Nouemdialibus, Septimo Calend. Septembr. Miſſa de Spiritu ſancto ab Epiſcopo Portuenſi cantata, Conclaue loco conſueto præparatum ingreſſi ſunt, omnes numero XXVI. quorum hæc nomina.

XIII. *Card. 26. numero conclaue ingrediuntur.*

1. Rodericus Borgia Valentinus, Hiſpanus, Epiſcopus Card. Portuen. & S. Rufinæ, Decanus, & S. R. E. Vicecancellarius.
2. Oliuerius Carafa, Ciuis, & Archiepiſcopus Neapolitanus, Epiſcopus Card. Sabinus.
3. Marcus Barbus Venetus, Patriarcha Aquileienſis, Epiſc. Card. Prænestinus.
4. Iulianus de Ruuere Sauonenſis, Ligur, Epiſc. Card. Oſtienſis, & Veliternus, maior Pænitentiarius.
5. Baptiſta Zeno Venetus, Epiſcopus Vicentinus, Epiſc. Card. Tuſculanus.
6. Ioannes Balues Gallus, Epiſcopus Andegauenſis, Epiſc. Card. Albanus.
7. Stephanus Nardinus Forolinienſis, Archiepiſcopus Mediolan. presb. Card. tt. S Mariæ tranſ-Tiberim.
8. Ioannes Baptiſta Cibo, Genuen. Epiſcopus Melfiten. presb. Card. tt. S Cæciliæ.
9. Ioannes Arcimboldus Mediolanen. Epiſcopus Nouarien presb. Card. tt. S. Praxedis.
10. Philibertus Vgonecti Gallus, Epiſcopus Matiſconen. presb. Card. S. Ioannis, & Pauli tt. Pammachij.
11. Ioannes Michaëlius Venetus, Epiſcopus Veronen presb. Card. tt. S. Marcelli.
12. Georgius Coſta Luſitanus, Archiepiſcopus Vlyſſiponen presb. Card. tt. SS. Marcellini, & Petri.
13. Hieronymus Baſſus de Ruuere Sauonen. Epiſcopus Recanaten. presb. Card. tt. S. Chryſogoni.
14. F. Gabriēl Rangonus Mutinen. Epiſcopus Agrienſis, Ord. Minorum presb. Card. tt. SS. Sergij, & Bachij.
15. Petrus Foſcarus Venetus, Epiſcopus Patauinus, presb. Card. tt. S. Sixti.
16. Dominicus de Ruuere Taurinen. Archiepiſcopus Tarentaſien. presb. Card. tt. S. Clementis.
17. Ioannes de Aragonia Neapolitanus, filius Regis Ferdinandi, presb. Card. tt. S. Sabinæ.
18. Ioannes de Comitibus, Romanus, Archiepiſcopus Conſanus, presb. Card. tt S. Vitalis.
19. Ioannes de Margaritis Hiſpanus, Epiſcopus Gerunden. presb. Card. tt. S. Balbinæ.
20. Ioannes Iacobus Sclafenatus, ciuis, & Epiſc. Parmen. presb. Card. tt. S Stephani.
21. Franciſcus Piccolhomineus Senen. Diac. Card. S. Euſtachij, electus Archiepiſc. Senen.
22. Raphaël Riarius Sauonen. Diac Card. S. Georgij in Velabro. S. R. E. Camerarius.
23. Ioannes Baptiſta Sabellus, Romanus, Diac. Card. S. Nicolai in Carcere Tulliano.
24. Ioannes de Columna, Romanus Domicellus, Diac. Card. S. Mariæ in Aquiro.
25. Ioannes Baptiſta Vrſinus, Romanus, Diac. Card. S. Mariæ nouæ.
26. Aſcanius Maria Sfortia Vicecomes, Mediolanen. Diac. Card. SS. Viti & Modeſti in macello Martyrum.

XIV. *Cardinalis Cibo eligitur in Papam, & Innocentius VIII. appellatur*

Ex his viginti ſex purpuratis, Iulianus Card. S. Petri, in Marcum Barbum Cardinalem S. Marci, vndecim ſuffragijs nitentem, propendebat, eique tria reliqua pollicebatur, ſi modò is palatium S. Marci, Ioanni Cardinali Aragonio dono concederet. Recuſauit Barbus conditionem, neque ſe velle partem habere cū Simoniae affirmauit: maximè, vbi præter labem inexpiabilem Simoniæ, ex ea palatij donatione ingens incommodum Apoſtolicæ Sedi, cum vniuerſi Orbis Chriſtiani perturbatione ſequi poſſet; ſi aliquando Ferdinandus Rex Neapolitanus Ioannis Cardinalis pater, vel aliquis Regum Neapolitanorum ei propinquus, animum induceret Romam, ad palatij, quod arce S. Angeli fortius, rebuſque nouandis commodius exiſtimabat, poſſeſſionem ineundam, retinendamq; veniendi. Reiectus à Marco Iulianus, Borgiam eodem veſperi conuenit; & de excludendo Barbo, mul-

tis,vltrò,citroque iactatis,tandem in Cardinalē Melfitenſem vterque inclinauit: paucíſque pòſt horis cũ Seniores nonnulli adhuc dormirent, decem, & octo calculos, pro Ioanne Cibo conquiſiuit, quibus rebus per ſummam quietem compoſitis,ſummo mane diei Dominicæ,feſtiuitate Decollationis S.Ioannis Baptiſtæ,ad ſeptem reliquos Patres iam experrefactos accedens,Pontificem iàm factum renuntiauit, illoſque ad conferenda ſuffragia incitauit. Ambroſius Coranus, Vicarius Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Pontifici electo ob veteres ſimultates infeſtior, habuit tunc,ſed malo ſuo illi exprobrare, dicereque, Innocentiũm,in tenebris genitum, inque tenebris creatũ fuiſſe Pontificem. Acrior ſignificatio dicterij, conciliauit Ambroſio carcerem duriorem in arce S. Angeli,in quem illum dicacē Pontifex paulò pòſt cōpegit.

## INNOCENTII PP. VIII. Anno I.

XV. *Eiuſdem ſtemma.*

Innocentij nomen elegit, recordatione Innocentij IV. ſui Gentilis; & quod innocentiam morum, vel præſeferret, vel deſideraret. Quamobrem & ſignis Pontificijs inſculpi iuſſit illud ex Pſalmo; *Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum*, & iſtud in omnibus diplomatibus perpetuò ſubſcribebat,

Eius maiores ex nobili Græcia ortos,ante quadringentos annos, Genuenſium rebus maximè florētibus, Neapoli, & Genuæ vrbibus Italiæ clariſſimis conſediſſe conſtat. Ex ea enim familia, vetuſtate, nobilitate,opibus,& ditionibus illuſtri, maior natu frater Genuam, minor Neapolim conceſſit. Neapoli, Tomacellorũ nomen ſucceſſores incertum quo caſu adepti,inter primarias eius ciuitatis familias locũ tenuere.Quamquā ſint, qui prodant,id nominis à gētis in ea vrbe principe Tomacello, viro egregio manaſſē; cuius poſteri,vetuſto familiæ nomine relicto,eius,qui primus Neapolim acceſſit, prænomē pro familiæ gētilitio nomine vſurparunt; qui frequentiſſimus per ea tēpora mos fuit,quod multis facilè confirmari poſſet exemplis. Ex hac gente Bonifacius Nonus, Romanus Pontifex, ingentis animi,& ſpiritus vir,cuius maximè memorabilis extitit Pontificatus originem duxit. Eadem verò gens, quæ Genuam migrauit, auito nomine retento, Cybo, Græca voce,ex Gentilitij clypei inſignibus appellati ſunt. Eſt enim in eo rutilo colore decorato, tranſuerſa faſcia pluribus quadratis cæruleo, atque albo colore alternis, æquiſque ſpatijs confecta, quæ Cybi Latinè, vel Cubi, Græcè verò, χύβοι vocantur. Hæc inſignia vtrique genti communia ſunt. Cæterùm crux rubra, in ſuperficie argentea, quæ Genuenſium publicum inſigne eſt, familię Cybo clypeis adiuncta, ſuperneq; collocata, cuius ſtirpis proprium decus eſt,rebus egregie pro patria geſtis, vt infra dicam,publice partum. Huius familiæ homines, ab eo vſque tempore, quum florente Latinorũ primum, deinde Palæologorum Conſtantinopoli imperio,oppidum Pera, quod propè Byzantium ſitũ eſt,Genuenſes obtinebant, omnibus honoribus, qui in libera ciuitate maximi, atq; ampliſſimi exiſtimantur geſtis in nobilium ordine, cuius partes tuendas ſuſceperunt, clari, inſigneſque fuere. Plures vero ex hoc genere ſtirpes Genuæ manaſſe, quæ nunc in ea ciuitate inter nobiles relatæ ſunt, Oratores ipſius Reipublicæ ad Innocentium Papam VIII. more maiorum, initio eius Pontificatus miſſi, publice teſtati ſunt: quorum adhuc extat oratio. Vniuerſi eius generis honores exequi, quia longum eſſet, familiæ huius tamen breuiter percurram. Ante annos quadringentos, Honorio III. Pontifice ſedente, Fridericus Cybo,ſummo Sauonenſium Sacerdotio Præfectus,inſigne religionis,& ſanctitatis ſpecimē dedit. Vigeſimo anno poſt Lanfrancus Cybo, inter eos, qui nobilitatis ſuffragijs adlecti Rempub. obtinebant, ſummum in ciuitate Magiſtratum, qui Conſulatus dicebatur, geſſit, vir belli, paciſque artibus inſtructiſſimus.Guillelmus Cybo,qui paulo poſt hæc tempora equeſtri dignitate, quæ tum eximia erat, ſiue à Ludouico ſancto,ſiue ab eius ſucceſſore Rege Galliarum ornatus enituit, nobilem inprimis Legationem pro difficillimis Reipublicæ negotijs ad Clementem IV. Pontificem Maximum obijſſe fertur; cui in ea legatione egregiè de ſuis ciuibus merito Crux rubra,de qua ſuperius dixi,publicè dònata eſt: quæ gentilitijs clypeis addita, præclarum ſummæ laudis teſtimonium præbet. Sextodecimo poſt hunc anno, quo tempore Piſani cum Genuenſibus difficili, & periculoſo bello decertabant, Mutius Cybo, triremi priuatis ſumptibus comparata, propè Calarim Sardiniæ vrbem ex prouocatione cum roſtrata Piſana congreſſus, egregiam de hoſtibus victoriam eſt conſecutus. Pòſt hos circa annum Chriſti M.CC.XC. Princiualles Cybo, vt ex priuatorum hominum annalibus,qui ſeorſum diligentiſſimè conſeruantur, intelligitur, cum principibus nobilitatis aduerſus plebem coniurauit; quum nobiles omnem Reipub. adminiſtrationem in ſe transferre, paucorum aliquot nobilitatis ſtudioſorũ conſpiratione,niterentur. Hos omnes virtute, prudentia,conſilio,& animi magnitudine ſuperauit,qui XXV. ferè anno poſt vixit, Danièl Cybo; qui aduerſus Afros,tam ſuis,quam communibus patriæ auſpicijs magnas res geſſit,gratiaque & autoritate plurimum inter ſuos ciues excelluit. Horũ ferè omnium meminit Auguſtinus Iuſtinianus ex Ord. Prædicatorum Epiſcopus Nebienſis,qui Italica lingua Annales Genuenſium conſcripſit. Memorant alij Ioannem Cybo, Belliſſario Duci bellicoſiſſimo commilitonem: alij Calo Ioannem,& Conſtantinum Cybos temporibus Andronici,& Ioannis Paleologi Imperatorum, inſulæ Chij, Rhodi,& Metelini Præfectos. alij Lambertum,& Guillhelmum Ermerem Cybos, Gorgonæ,& Capraiæ inſularum Toparchas, ex quibus Afros eiecerint. alij alios virtutibus,meritis, & dignitatibus varijs illuſtres: ex quibus Innocentij Pontificis pater, equeſtris Ordinis vir, rerumque geſtarum gloria clariſſimus,in ciuitate ſua diu vixit. Eius enim forti fidelique opera vt lib. 7. de rebus geſtis tradit Bartholomæus Facius primum Renatus, deinde bello Neapolitano perfecto, Alfonſus Rex victor multis maximiſque in rebus poſtea vſus eſt. Nam quum per belli tempora,quo de iure regni Neapolitani Alfonſus, & Renatus Reges decertabant, Genuenſes duce ipſo Aaron viro forte,ad DCCC. ſagitarios, Renato miſiſſent & Andegauenſis factionis Dux Renato Regi egregiam operam nauaſſet, præeſſe Neapolitanis iuſſus,ita illos pro Rege abſtinenter, & ſumma cum integritate iure dicendo ſibi deuinxit, vt parta victoria Alfonſus illum Neapolitanorum precibus adductus,& in gratiam recepepit, & Pro-Regem eundem ijs eſſe iuſſerit. Ita ille Romæ quoque, Calixto III. Pontifice Maximo præfectus iuri dicundo, quem Senatorem vocant, creatus, id munus ſumma cum laude geſſit, cuius adhuc in Palatio Capitolino cum elogio, inſignia extant. Aaronis filius Ioannes Baptiſta, Anno Salutis M. CCCC. XXXII natus, forma egregia,animoque liberali, diu inter Alfonſi Regis miniſtros fuit: quo mortuo, in Ferdinandi quoque filij familia aliquandiu vixit. Inde Romam veniens,longo tempore in contubernio Philippi Calandrini, Cardinalis Bononienſis, qui Nicolai Papæ Quinti frater fuit, commoratus eſt: cuius etiam magnificas ædes proximè Sanctum Laurentium in Lucina poſt eius obitũ iam Cardinalis creatus obtinuit. Epiſcopus deinde Sauonenſis, à Paulo ſecundo, poſteà Melfitenſis à Sixto IV. & Datarius, demum Nonis Maij anno M.CCCC LXXIII. cũ alijs ſeptem presbyter Cardinalis, tituli S. Balbinæ primum, mox S.





Cæciliæ ſecunda Patrum lectione dictus eſt, tam patriæ ſtudio, quam fauore Iuliani Cardinalis S. Petri ad Vincula Pontificij fratris filij, æmulatione Petri Riarij, Cardinalis S. Sixti, cuius precibus dicebant, Stephanum Nardinum Mediolanenſem, illo tempore eandem dignitatem conſecutum fuiſſe; nè plus hic, quàm ille authoritate apud Pontificem valere exiſtimaretur. Sed profectò magis ei profuit anteactæ vitæ conſtans,& commendata opinio, quàm vel patriæ charitas, vel ſtudium alicuius. Pontifici enim Sixto ob morum incredibilem ſuauitatem,& ſummam probitatem vehementer gratus fuit: vulgo quidem chariſſimus ob humanitatem, quam omnibus ita præſtitit, vt infimæ quoque ſortis homines complecti,& ijs benignè omnia polliceri cōſueuerit. Alebat propterea vir ditiſſimæ paupertatis, multã, honeſtamq; familiam,tãta moderatione, vt in recta priuatæ domus gubernatione, iuxta ſcitũ Diui Apoſtoli traditionem, optimũ ſe Vniuerſalis Eccleſiæ Rectorem futurum demōſtrarit. Præbuit tũ prius de ſe maius ſpecimen probitatis, quando Sixto Romã difficillimis temporibus, & præſertim peſtilentiæ graſſantis cauſa deſerente. Legatus vrbi prelatus,eam ſanctè, integerrimè, pacatiſſimeque adminiſtrauit. Senenſem quoque in turbulentiſſimo eius reipub. ſtatu, legationem tanta prudentia, & magnitudine animi geſſit, vt ex ea ſplendidiſsimã laudē reportarit. In Germaniã quoq; Legatus reſignatus fuit, vt Imperatorē Fridericũ III. & Matthiam Corninũ Hungariæ Regem, multis iam annis exitiabili bello decertantes cōciliaret, atq; Comitio Norembergenſi Pontificis nomine intereſſet; quod ei muneri, propter integritatē, & in rebus agendis dexteritatem maximè idoneus videretur. Ante illius electionē, habita eſt die Iouis 26. menſis Augusti Oratio ad Patres Comitium ingreſſuros, à Guilelmo Pererio, Apoſtolico Auditore, qui dum miſerandam Eccleſiæ Romanæ calamitatem, & infinita Chriſtianæ Religionis pericula expoſuiſſet, hortatus eſt Cardinales, vt puris mentibus, ac certo iudicio dignũ eligerent Antiſtitem, potentem, domeſticas turbas,& bella externa ſubmouere.

XVI. *Coronatio item, & mores eiuſdem.*

Renunciatus Pontifex, pridiè Idus Septembris, in Baſilica Vaticana ſacram vnctionem accepit,& ſacris de more operatus, ad ſuſcipiendam pro gradibus Baſilicæ triplicem tyaram proceſſit; quam illi Franciſcus Piccolhomineus S.R.E. Archidiaconus, aſtantibus Cardinalibus, Epiſcopis, Clero, & Populo Romano impoſuit. Fuit Innocentius procera ſtatura, Angelico aſpectu, Regiaque effigie: quam Aaron pater ad ipsũ quoq;, veluti à proauis hæreditariam tranſmiſit. Natura ei facilis, humanum, & tranquillum ingenium, ſumma, atque admirabilis erga omnes clementia: morum honeſta quædam grauitas, quæ amorē,& cultum ab omnibus quaſi extorqueret: humilitas ſingularis,& propè inaudita, quam non minùs in Pontificatu, quàm in omni anteacta vita retinuit: cum eadē comitate, ac benignitate, qua & Epiſcopus, & Cardinalis anteà conſueuerat, omnes ſuſciperet. Liberalitatem profuſiorem aliqui in eo deſiderabant; ijs tamen tenacitatem, ſeu auaritiam innatam, ita dicterijs, & rationum momentis obuelabat, vt etiamſi quippiam negaret, neminem à ſe triſtem dimitteret. Fuit nihilominus in pauperes miſericors, & in afflictos minimè parcus. Ferdinandus Rex Neapolitanus inprimis, Alfonſum filium Calabriæ Ducē confecta cum Venetis pace in regnum reuertentem, ad Innocentium diuertere iuſſit; qui ei Pontificatum gratularetur,& omni ſtudio, ac obſequio ad componendam perpetui fæderis ſocietatem ſtuderet eum allicere. Etenim Alfonſus Rex moriens Ferdinando filio præceperat, vti Romanos Pontifices ſumma ſemper veneratione proſequeretur, quod ad regni conſeruationem præcipuè ſpectare cenſebat. Venit ille ad diem XX. Octobris, eoque apparatu ac comitate exceptus fuit, vt beneficia quæ olim Pontifex ab Alfonſo & Ferdinando Regibus accepiſſet, memoria tenere, facillimè iudicaretur. Egit cum Pontifice, vt ſi quando Veneti occaſionem nacti, bellum inferrent, nunquam Regem ab eo diuelli velle: Idem Inſubriæ Ducem, & Florentinos facturos affirmauit; commemorauitque, vbi id inuiolabile obſeruaretur, fore, vt aliquando diu Italia pacem eſſet habitura, quod ad Sedis Apoſtolicæ Maieſtatem, ac nominis eius præſertim decus, & ſempiternam gloriam pertineret. Miſit paulò pòſt Ferdinandus Rex, Franciſcum Quartogenitũm filium, & Ducem Amalfitanum, vna cum Comitibus Montorii, & Alotargenij; ac nō multò poſtea Epiſcopum Caietanum, & alios Eccleſiaſtici Ordinis viros, Oratores, qui in publicum conſeſſum introducti, fidem, & obſequium Innocentio, Ferdinandi nomine præſtiterunt. Genuenſis Senatus, præ aliis certandum eſſe ſibi officio decernens, quod eorum ciuis ſupremam Sedem conſcendiſſet, duodecim Oratores ex præcipua nobilitate ſelectos, Romam ablegauit, vt debitum nouo Pontifici obſequium, & reuerentiam, totius Reipubl. nomine deferrent: qui certè eò maiori cum ſplendore, & apparatu Romam profecti ſunt. quò propter communem patriam arctiùs ſe illi deuinctos eſſe iudicabant. Oratores autem fuerunt, Hector Fliſcus, iuris ciuilis ſcientia, & dicendi facultate non vulgari præditus, Lazarus Auria, Melchior Nigronus, Chriſtophorus Spinula, Franciſcus Lomelinus, Lucas Grimaldus, Thomas Fulgoſius, Paſqualis Saulus Aloyſius Gibertus, Bartholomeus Canitius, Baptiſta Baſadonna,& Ioannes Calderus. Hi ſanè in mandatis habebant, vt ſtatim poſt factam congratulationem, nomine Reipub. apud ipſum Pontificem, de nonnullis priuilegijs, & immunitatibus confirmandis agerent. quod facile, pro ea, qua erat ipſe in Genuenſes voluntate impetrarunt. Bononienſes, Ludocum Sanpetrium,& Bonifacium Catanium, deſtinarunt, qui poſt obſequia Pontifici nouo approbata, tranſactiones cum ſuperioribus Pontificibus ab ampliſſima ciuitate factas, confirmarent, & confirmari poſtularent. Senenſes, Andream Ginucium Epiſcopum Soanenſem, Salimbenium Capacium, Laurentium Boninſegnium ire iuſſerunt, officij,& excuſationis cauſa; quod pleriq; moderationis expertes, illum Legationis pridem munus obeuntem offendiſſent; & citius vrbe diſcedere compuliſſent. Veneti pariter ſuos mittere non omiſerunt, qui diras à Sixto in Ducem, ac Senatum, populumque Venetum pronunciatas, deprecarentur,& nonnulla, quorum inuidia, apud Chriſtianos Principes flagrabant, diluerent. A Rhodianorum Magiſtro,& Ordine, Edoardus Carmandinus,& Guillelmus Caorſinus miſſi; quibus iniunctum, calamitates,& pericula Orientalibus Chriſtianis à Turca,& Soldano impendentia, Sedi Apoſtolicæ renunciare & auxilia flagitare. *Ciaconus, Maſſonus, Onuphrius in Innoc. 8. Stephanus Infixura in notis diarijs Michael Brutus lib. 8. Albinus l. de bello inteſtino. Bizarius lib. 15. Vizanii lib. 8. Malauolta lib. 5. Boſſius lib. 14. Franciſcus Maria Vialardus in Innoc. 8.*

*Variæ ad eum gratulationes & Legationes deſtinātur.*

XVII. *Principes Chriſtianos conciliare ſtudet Innocentius PP.*

Primum,& præcipuum Innocentio Pontifici ſtudium fuit, Pacem orbi Chriſtiano conciliare, ac Principes Chriſtianos ad concordiam reuocare. Durabat vſque in hunc annum atrox bellum inter Fridericum Imperatorem, & Matthiam Regem Vngariæ qui non contentus, imo incitatus ſuperioris anni victorijs, hoc anno, oppido, cui à Diuo Hyppolito nomen eſt in Auſtria, capto, Cornanburgum Danubio impoſitum, quod Viennæ propugnaculum dici poteſt, arctiſſima obſidione cinxit: deſtinato, ſi expugnaret, Viennam exercitum

promouendi, & illam quoque Auſtriacorum Principum inexpugnabilem Sedem, in poteſtatem redigendi. Ergo Pontifex Innocentius, Ioannem Cardinalem Aragonium, Strigonienſem Archiepiſcopum in Vngariam reuerti imperauit, vt Legatus Matthiæ affini arma extorqueret, & cum Imperatore æquis conditionibus componeret. Iniunxit etiam, vt Petrum Archiepiſcopum Colocienſem, in libertatem aſſereret, & Matthiæ conciliaret. Primus hic erat Regis ſecretarius, qui ſolus dicendi libertate apud eum omnia libere loquebatur. Damnabat inſolentia palam tributa, quæ ter quaterue quotannis ob ingentia, diuerſaque bella à Matthia imponebantur, quas Dicas appellabant, quibus non modo domeſticatim, ſed viritim, aureum quiſque nummum pendere cogebatur. Id vulgo, & apud Principem ſæpius improbauit. Præter linguæ libertatem, qua maximi quandoque viri ſe tangi ſentiebant, factioſa quædam acceſſerat æmulatio, huius gratia inter Proceres exorta; qua Regis animus offendebatur, quamuis eum alioquin diligeret, & obſeruaret. Commotus tandem Rex, aut coercendæ libertatis gratia, aut vti dilectiſſimi exemplo amici cæterorum audaciam procerum deterreret, hunc præter Sacroſanctam Metropolitæ dignitatem, in carcerem ſane coniecerat. Nihil non egit Cardinalis, vt captiuum vinculis eriperet. cæterum necquicquam apud obſtinatum Regem obtinere potuit: nam is totis ſex annis per arces Regias, honeſtiſſime tamen Archiepiſcopum ſeruauit. *Bonfinius decad. quarto, libro ſexto, Manuſcripta expeditionum Innocen. Octauus.*

XVIII. *Caroli Galliarũ Regis regnũ perturbatur.*

In Gallijs Carolus VIII. Rex cum Pariſios regreſſus, ante fores Baſilicæ glorioſæ Virginis Mariæ clauſas, præſentibus tribus Epiſcopis, ad Sancta Dei Euangelia ſolitum præſtitiſſet iuramentum, ſcilicet fore ſe fidelem Defenſorem Eccleſiæ; & fidei Catholicæ, necnon ſubiectorum ſuorum, & iuſtitiam administraturum magno & paruo, ſine fraude, & dolo; cumque præter iusiurandum, Sanctionem pragmaticam Romanæ pernicioſam Eccleſiæ, excitatam ab inferis permitteret; diuina permittente vltione, quietem Regni vniuerſi perturbari vndequaque vidit. Ludouicus Aurelianus, ducta in vxorem Regis Ludouici filia, in administratione regni præteritus, bellum mouit. Maximilianus Archidux Auſtriæ, Burgundiam, Artheſiumque repetebat. Britones, Franciſco Duce defuncto, armis à Carolo periti, arma quoque ipſi expedierunt. Quas diſſenſiones vt Innocentius ſubmoueret, vtque Carolum à renouatione Pragmaticæ deterreret, Hieronymum Lopez Valentinum, in Gallias Nuncium, tertio ab inauguratione ſua die deſtinauit. *Naucleus volum. 2. generat. 50. P. Aemilius in Carolo VIII. Surita annal. lib. 20. cap. 61*

XIX. *Angliæ, & Scotiæ Reges cõciliat Innocentius PP.*

In Septentrionalibus inſulis, cum Ricardus Angliæ Rex per cædem nepotum, violenter ſubditis imperaret, Legatos Romam miſerat ad Summum Pontificem, per quos ſupplex eum precabatur, vt ſua authoritate Iacobum Regem Scotorum cohiberet, ab iniuria ſibi, & ſuis inferenda. Pontifex cupiens Anglorum votis ſatisfacere, Legatum deſignauit Iacobum Epiſcopum Immolenſem, qui in magnam Britanniam proficiſceretur, vt ambos eius inſulæ Reges; Richardum videlicet Angliæ, & Iacobum Scotiæ diſſentientes conciliaret. Hoc ipſum apud Notingamiam Angliæ vrbem, vtriuſque Regni Commiſſarijs auditis, non malè Romani Legati ſapientia, & moderatione tranſactum eſt. *Appendix Scot hiſt. Leslæus hiſt. Scotorum lib. 8.*

XX. *Caſtellæ Reges confirmat cõtra Mauros.*

In Hiſpanias quoq; ad Ferdinandum, & Iſabellam Catholicos Reges, nè à perſequendis, expellendiſq; Mauris deficerent, litteras ſcripſit, & Nunciũ miſit. Nũciatũ erat Albohaceni Regis Granatẽſis potẽtiã creſcere, vniuerſa fermè gente ſub eius imperium reuocata: filij Boabdilis, qui imperium ambiuerat, maieſtate paucos teneri, ac vix Almeriæ mœnibus Regiam appellationem tueri. Gens quaſi impium auerſabatur, & ad Chriſtianorum ſacra propenſum. Concionatores per omnes partes à patre dimiſſi, diris execrationibus eius caput defigere, ac furiali carmine deuouere non deſiſtebant. Hiſpani Cordubenſes, Hiſpalenſeſque ſupra decem hominum millia, facta manu, Malacæ agros depopulati ſunt, belli terrorem circumferentes, acceptamque ſuperiori anno, iniuriam ipſis locis maiori damno vlciſcentes: ſperanteſque malis domitos Mauros, tandem in ditionem venturos: nullum ex Africa ſubſidium certè exiguum, ea gente ſuis bellis implicata, & mari claſſibus Chriſtianorum conſtrato, nè ſe potuerint commouere. Alloram inde copiæ promotæ, firmum magis natura loci, nimirum magna ex parte impoſitum rupibus quàm mœnibus oppidum, oppidanis metus ingens, luctuſque; portæ, mœniaque obſeſſa: excuſſæ tormentis ferreæ pilæ muros ſtrauere, Maurorumque animos earum rerum inſolitas fregere. Deditionem fecerunt, pacti incolumitatem libertatemque diſcedendi, efferendique res ſuas. Captum oppidum, eò maiori lætitia, commodoque, quod nulli ex Chriſtianis ceciderunt, barbarique ſuſtentare diu potuiſſent, iugi aquæ fluuio inter rupes præterfluente, inediæ aſſueti. Cibus, potuſque illi genti aduerſus famem, atque ſitim, non libidini, neque luxuriæ ſunt. Sed Chriſtiani eas difficultates cæleſti magis ope, quàm humano conſilio ſuperarunt. Caſtra inde in Granatæ conſpectu poſita ſunt, loco munito: in quibus ſex millia equitum, pedites, ad decem millia ixerant. Intra vrbem ſeptuaginta millia militum erant. Sic vulgò iactatum, & vt multitudinem augeat fama, magnum tamen fuiſſe numerum ex mendacio omnes cenſebant. Terrore belli Mauris oſtentato tantùm, cum tantum robur aggredi non liceret, Septinilium arcem tormentorum fragore territis, atque ad deditionem adactis propugnatoribus, acceperunt. Arundam inde impetus verſus eſt. Ea vrbs montanis inacceſſa locis, modica quidem, ſed valida. Flumen circumductum mœnium maiorem partem cingit, cætera rupes horridæ. Eius vrbis ciues à cultu prouinciæ, & humanitate alieni, feroces maximè habebantur, aduerſùs hoſtes viris etiam, armiſque muniti. Eò vrbis potiundæ maxima cupido Chriſtianos inuaſerat, prouidentes eo propugnaculo ſublato, reliqua facilia fore Malacam vſque. Ergo ſitu luſtrato, vaſtata olineta, hortique præcipua nobilitate ſunt. Pecuniæ in ſtipendium inopia, nè diutius ijs locis morarentur compulit, malum magnis ſæpe conatibus aduerſum. *Mariana lib. 25. cap. 6.*

XXI. *Vngari ſeptẽ Turcarũ millia occidunt.*

Felicius Matthiæ Vngariæ Regi, contrà Turcas ſucceſſit. Septem millia equitum barbarorum per Coruatiam in Carinthiam, & Carniolam, ad diripienda quædam emporia eruperant, decemque millia captiuorum cum ingenti præda abducebant. Hos omnes in reditu, ad Hunnum amnem Coruatiæ, qui Sauum influit, Deſpotes Lupus. Geres Matthias Fanus, & Comes Bernardinus, cæterique prouinciæ Reguli, auſpicijs Regijs ad internecionem occiderunt, ac omnia recuperarunt: Bernardino Frangepanio præ omnibus virtutem militarem exercente. *Bonfinius decad. 4. lib. 6.*

XXI. *Tumultus hæreticorũ in Bohemia.*

Eodem anno, quo iſti aduerſus barbaros dimicarunt, Wladislaus quoque Rex Bohemiæ, contra impietatem certare non omiſit. Non fuit Bohemia, id temporis, & Praga prætertim, à domeſticis motibus quieta, hæreticis, ſchiſmaticis, & profligatis Sacerdotibus, atque Concionatoribus in abſentes Epiſcopos, Cardinales, & Pontificem maximum, mox in præſen-





tes Monachos, & Magiſtratus vrbanos, ac in Catholicum Regẽ deniq; populũ concitantib. Voluit Rex in primis indulgentia, & patientia ferociẽtes, furenteſq; ſanare. Cum id non proceſſiſſet; in aliquot ſeditioſos animaduertit, vt reliquos terrore coerceret. Et iſtud nihil profuit, quo minus probra, & contumeliæ in eum Romanæ fidei fauentẽ iactarentur, ac de vita is quoq; Pragæ, & apud Cuthnos montes quò ſeceſſerat, periclitaretur. Henricus, & Hinco Podiebradij Duces furibundam multitudinem concitauerunt, vt ea Senatũ veteris, & nouæ Pragæ contrucidauerit, & Monaſteria Pragana diripuerit. Hic verò Pragenſes, apud mitiſſimũ Regẽ interpretes eã culpã nõ difficile ſũt deprecati expẽdẽte vires ſuas Wladislao qui in regno omniũ turbulẽtiſsimo, & egeno, quaſi precario regnaret. *Cro. l. 29.*

XXIII. *Diploma Innocentij PP contra Maleficos.*

Innocentius Pontifex, alibi in Septentrione contra impietatem pugnauit, edito ſubſequenti diplomate, ex quo ſumma rei cognoſcetur: Ita habet.

*Innocẽtius Epiſcopus, Seruus Seruorũ Dei. Ad futurã rei memoriã.*

*Summis deſiderãtes, affectib. prout Paſtoralis ſollicitudinis cura requirit, vt fides catholica noſtris potiſſimè tẽporib. vbiq; augeatur & floreat, ac omnis hæretica prauitas de finib. fidelium procul pellatur, ea libenter declaramus, ac etiã de nouo cõcedimus; per quæ huiuſmodi pium deſiderium noſtrũ votiuũ ſortiatur effectum, cunctiſq; propterea per noſtræ operationis miniſterium, quaſi per prouidi operatoris ſarculũ erroribus extirpatis eiuſdem fidei zelus, & obſeruantia in ipſorum corda fideliũ fortius imprimatur. 1. Sane nuper ad noſtrum, non ſine ingenti moleſtia, peruenit auditum: quod in nonnullis partibus Alemaniæ ſuperioris, necnon in Moguntinenſi, Colonien. Treuerenſi, Saltzburgenſi, & Bremenſi prouincijs, Ciuitatibus, terris, locis, & Diœceſibus, complures vtriuſque ſexus perſonæ propriæ ſalutis immemores, & in fide Catholica deuiantes, cum dæmonibus incubis, & ſuccubis abuti, ac ſuis incantationibus, carminibus, & coniurationibus, alijſque nefandis, ſuperſtitioſis, & ſortilegis exceſſibus, criminibus, & delictis, mulierum partus, animalium fœtus, terræ fruges, vinearum vuas, & arborum fructus, necnon homines, mulieres, pecora, pecudes, & alia diuerſorum generum animalia, vineas quoque, pomeria, prata, paſcua, blãda, frumenta, & alia terræ legumina perire, ſuffocare, & extingui facere, & procurare; ipſoſque homines, mulieres, iumenta, pecora, pecudes & animalia diris tam intrinſecis quã extrinſecis doloribus, & tormentis afficere, & excruciare, ac eoſdem homines ne gignere, & mulieres, ne concipere, viroſque ne vxoribus, & mulieres nè viris actus coniugales reddere valeant impedire. Fidem præterea ipſam, quam in ſacri ſuſceptione Baptiſmi ſuſceperant, ore ſacrilego abnegare, aliaq; quamplurima nefanda, exceſſus, & crimina, inſtigante humani generis inimico committere, & perpetrare non verentur, in animarum ſuarum periculum, diuinæ Maieſtatis offenſam, ac pernicioſum exemplum, & ſcandalum plurimorum. Quodque licet dilecti filij, Henricus Inſtitoris, in prædictis partibus Alemaniæ Superioris in quibus etiam prouinciæ, ciuitates, terræ, Diœceſes, & alia loca huiuſmodi comprehenſa fore cenſentur, necnon Iacobus Sprenger per certas partes lineæ Rheni, Ordinis Prædicatorum, & Theologiæ profeſſores, hæreticæ prauitatis Inquiſitores per litteras Apoſtolicas deputati fuerunt, prout adhuc exiſtunt: tamen nonnulli Clerici, & laici illarum partium, quærẽtes plura ſapere, quàm oporteat, pro eo quod in litteris deputationis huiuſmodi prouinciæ, ciuitates, Diœceſes, terræ, & alia loca prædicta illarumque perſonæ ac exceſſus huiuſmodi nominatim & ſpecificè expreſſa non fuerint, illa ſub eiſdem partib. minimè contineri, & propterea præfatis inquiſitoribus, in prouincijs, ciuitatib. Diœceſib. terris & locis prædictis, huiuſmodi Inquiſitionis officiũ exequi nõ licere, & ad perſonarũ earũdẽ ſuper exceſſibus, & criminibus ante dictis punitionẽ incarcerationẽ & correctionẽ admitti nõ debere, pertinaciter aſſerere nõ erubeſcũt. Propter quod in Prouincijs, ciuitatib. Diœceſib. terris, & locis prædictis, exceſſus, & crimina huiuſmodi, nõ ſine animarũ earundẽ euidẽti iactura, & æternæ ſalutis diſpẽdio remanere impunita.*

*2. Nos igitur impedimenta quælibet, quæ per ipſorũ Inquiſitorũ officij executio, quomodolibet retardari poſſet, de medio ſubmouere, & ne labes hæreticæ prauitatis, aliorũq; exceſſuũ huiuſmodi in perniciẽ aliorũ innocentiũ ſua venena diffundãt, opportunis remedijs, prout noſtro incũbit officio, prouidere volẽtes, Fidei zelo ad hoc maximè nos impellente, nè propterea cõtingat, Prouincias, ciuitates, Diœceſes, terras, & loca prædicta ſub eiſdẽ partibus Alemaniæ ſuperioris, debito Inquiſitionis officio carere, eiſdẽ Inquiſitoribus in illis officium Inquiſitionis huiuſmodi exequi licere, & ad perſonarum earundẽ, ſuper exceſſibus, & criminibus prædictis correctionẽ, incarcerationẽ, & punitionẽ admitti debere, proinde in omnibus, & per omnia, ac ſi in litteris prædictis, Prouinciæ, Ciuitates, Diœceſes, terræ, & loca, ac perſonæ, & exceſſus huiuſmodi nominatim, & ſpecificè expreſſa forẽt, authoritate Apoſtolica, tenore præſentiũ ſtatuimus. Proq; potiori cautela litteras, & deputationẽ prædictas, ad Prouincias, Ciuitates, Diœceſes, terras, & loca, nec nõ perſonas, & crimina huiuſmodi extẽdentes præfatis Inquiſitorib. quod ipſi, & alter eorũ, accerſito ſecũ dilecto filio Ioãne Grẽper, Clerico Cõſtantienſis diœceſis, Magiſtro in artibus eorũ moderno, ſeu quouis alio Notario publico, per ipſos, & quẽlibet eorũ pro tẽmpore deputando, in Prouincijs, Ciuitatibus, Diœceſibus, terris, & locis prædictis, cõtra quaſcũq; perſonas, cuiuſcũq; cõditionis & præeminentiæ fuerint, huiuſmodi Inquiſitionis officiũ exequi, ipſaſq; perſonas, quas in præmiſſis culpabiles repererint, iuxta earum demerita corrigere, incarcerare, punire, & mulctare. Necnõ in ſingulis Prouinciarũ huiuſmodi Parochialib. Eccleſijs, verbũ Dei fideli populo quotiens expedierit, ac eis viſum fuerit, proponere, & prædicare, omniaque alia, & ſingula in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, & opportuna facere, & ſimiliter exequi liberè, & licitè valeant, plenam ac liberam, eadem auctoritate de nouo concedimus facultatem. Et nihilominus Venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Argentinenſi, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſe ſe, vel per alium, ſeu alios, præmiſſa, vbi, quando, & quotiens expedire cognouerit, fueritque pro parte Inquiſitorum huiuſmodi, ſeu alterius eorum legitimè requiſitus, ſolenniter publicans, non permittat, eos per quoſcumque ſuper hoc, cõtra prædictarum, & præſentium litterarũ tenorẽ, quauis auctoritate moleſtari, ſeu alias quomodolibet impediri: moleſtantes, & impedientes, & contradictores quoslibet, & rebellẽs, cuiuſcumq; dignitatis, ſtatus, gradus, præeminentiæ, nobilitatis, & excellentiæ, aut conditionis fuerint, & quocũq; exemptionis priuilegio ſint muniti, per excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, ac alias etiam formidabiliores (de quibus ſibi videbitur) ſententias, & cenſuras, & pœnas omni appellatione poſtpoſita, compeſcendo: & etiã legitimis ſuper his per eũ ſeruandis proceſſibus, ſententias ipſas (quotiens opus fuerit) aggrauare, & reaggrauare, auctoritate noſtra procuret, inuocato ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis. Nõ obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis contrarijs quibuſcũq;, aut ſi aliquibus cõmuniter, vel diuiſim ab Apoſtolica Sede ſit indultũ, quod interdici, ſuſpendi vel excõmunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, nõ facientes plenã & expreſſã, ac de verbo ad verbũ, de indulto huiuſmodi mentionẽ, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, cuiuſcũq; tenoris exiſtat, per quã præſentib. nõ expreſſã, vel totaliter non inſertã, effectus huiuſmodi gratiæ impediri valeat, quomodolibet vel differri, & de quacũque toto tenore habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis.*

*Nulli ergo omnino hominũ liceat hãc paginã noſtræ declarationis, extenſionis, cõceſſionis, & mãdati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.*

*Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ. 1484. Nonis Decembris Pontificatus noſtri anno primo.* Ext. in Bullario Inquiſitionis.

Cum hoc diploma ab Innocentio Pontifice expediretur, contigit hoc anno 1484. in ciuitate Spirenſi mirum iſtud mirandum, quod narrat *Iacobus Sprengherus Dominicanus Inquiſitor prauitatis hæreticæ.*

XXIV. *Maleſica quædam puerum quendam è cunabulo tollit.*

Dum quædam deuota mulier, cum quædam ſuſpecta malefica, verba habuiſſet, iuxta morem muliercularum mutuo rixantium rixoſa, de nocte tñ cũ paruulum lactentem cunis imponere voluiſſet, & mentem reuoluens ea, quæ de die cum ſuſpecta malefica peregiſſet, timens de periculo pueri, herbas benedictas puero ſuppoſuit, aqua ſimili aſperſit, ſal exorcizatũ ori parũ immiſit, eũq; ſigno Crucis muniuit, & cunabulũ diligenter alligauit. Et ecce circa mediũ noctis vagientem puerũ audiuit, & dum iuxta morem, puerum contrectare, & cunabulum in altũ prope lectum poſitũ mouere vo-

luiſſet, cunabulũ quidẽ mouit, ſed puerũ cõtrectare, quia aberat, nõ potuit. Fremẽs paupercula, & de pueri amiſſio, ne vehemẽter dolẽs, lumine accẽſo, paruulũ vagientẽ ſub lecto, & in angulo, ſine læſione reperit. *Mal. Maleſ. p. 2. q. 1.*

XXV. *Albertus Moguntinus Archiep. moritur, [illegible]*

Paſſim hęc, & alia multo grauiora in Germania à maleferiatis mulieribꝰ patrabãtur. quo año Albertus Saxoniæ, ac Miſniæ Ducis filius, Mogũtinẽſis Archiep. optimus, atq; iñocẽtiſſimus adoleſcẽs egregijſq; corporis, & animi dotibus ad maxima eſſloreſcẽs, primo amęniſsimi mẽſiũ Maij die, pmatura morte raptus deceſsit. Succeſſit in Põtificatu Bertholdus Comes Hẽnebergius maioris Eccleſię Mogũtinẽſis Decanus, vir cõſilio valdè prudẽs, ore facundiſsimus; opere præcipuus, memorâ tenaciſsimus, die XX. eiuſdem menſis electus, & ab Innocentio Pont. Max. confirmatus. *Serrarius rerum Mogunt. lib. 5*

XXVI. *Moritur itemS. Caſimirus Poloniæ Regis filius.*

Eodẽ año, *vt Crom. l. 29.* memorat, apud Vilnã in Lituania tabe conſũptus, & in Baſilica eius vrbis, à patre Rege Caſimiro ſolẽni põpa ſepultus eſt, S. Caſimirus Iagellonides, clarus ſãctitatis opinio. Fert autẽ is tã caſtè, & cõtinẽter vixiſſe, vt medicis cõcubitũ ſuadẽtib. ſi ſanus eſſe vellet mortẽ oppetere, ꝗ legẽ pietatis Chriſtianę trãſgredi maluerit: lõgè aliter ſentiens, ꝗ pleriq; mortales, corruptiſsimo hoc noſtro ſeculo, qui neq; pænitendũ, neq; pudẽdũ ſibi eſſe ducũt, in cæno libidinũ volutari Leo X. Põt. Max. albo SS illũ adſcripſit: Paulus V. ſucceſſor intercedẽte Sigiſmũdo III. Rege Poloniæ, ac Suetiæ, necnon Euſtachio Volouitio, Epiſcopo Vilnẽſi Romæ pſẽte curãte vt Miſſę, & officij diuini formulæ, Miſſali, & Breuiario Romano inſererentur, & ab omnib. in vniuerſali Eccleſia recitentur, indulſit: propter admiranda, tã in vita, ꝗ in morte, & poſt mortẽ geſta. Operæ pretiũ eſt, vitã ipſius iſthic adſcribere.

*VITA S. CASIMIRI REGIS POLONIÆ FILII, A VENErabili viro Gregorio Swiecicki, Eccleſiæ Cathedralis Vilnenſis Canonico, ex bonis Autoribus cum fide deſcripta.*

XXVII. *Eiuſdem Sancti vita.*

Agebatur iã tũc annus 64. ex quo Iagello Dux Lithuaniæ bellicoſiſſimus Olgerdi filius, Gedimini nepos, ab Vitẽne Romano viro Principe genus ducẽtiũ, Vrbano VI. Põtifice Maximo Eccleſię Romanę clauũ tenẽte, Chriſti fidẽ amplexus, & ſacro baptiſmatis fõte initiatus, Vladiſlai nomẽ ſortitus eſt. Hic in Regẽ Polonię electus, ex Scenaza, (poſt Maria dicta) Kiiouiẽſis ducis filia, ſtirpẽ, ac ſpẽ familiæ Vladiſlaũ videlicet, poſt fęlicẽ progenitoris ſui dictũ, ſimul Hũgariæ, ac Poloniæ Regẽ, & Caſimirũ D. Caſimiri, (de quo nobis ſermo eſt) Patrẽ ſuſcepit, penes quẽ dũ poſt immaturũ Vladiſlai fratris deceſsũ, Regni Polonię adminiſtratio eſſet, nupta ei Heliſabetha Alberti Auſtriaci, Rom. Hungarię, & Bohemiæ Sereniſs. Regis filia, ſex ei liberos, nimirũ Vladiſlaũ, qui Bohemiæ, & Vngariæ Rex fuit, deinde D. Caſimirũ, poſt Ioannẽ Albertũ, Alexãdrũ, & Sigiſmundũ Reges Polonię & Fridericũ, tituli S. Luciæ Cardinalẽ, Archiepiſ. Gneſnẽsẽ, partu edidit ſecũdo. Inter oẽs D. Caſimirus velut inter clariſsimas gẽmas ſpecioſiſsimus Carbũculus enituit. Ab incunabulis enim ſumma cura, diligentique educatus, vnà cum lacte, ea ſemina virtutis imbibit, quæ deinceps per reliquam ætatem adhæſerunt.

Sexẽnis adhuc puerulus pclaris moribus, boniſq; litteris erudiẽdus optimis pceptoribus à parentibꝰ traditus, tantũ pfecit vt in omnib. pgreſsũ eius, quà oculis, quà aurib. ac. cipiẽtibus nõ mediocrẽ admirationẽ excitauit. Erat in eo rara indoles animi, egregia corporis forma, mores cãdidi, ſuaues, ſine faſtu, quibꝰ aſſequebatᷣ, vt qbus vteretᷣ, carus, acceptuſq; eſſet, certè molliter, & in delicijs educatꝰ, diues ac opulẽtus Princeps, in maxima affluẽtia rerũ, iuuẽtæq; licẽtię, pclara ſpecie, habituq; corporis adoleſcẽs ſui potẽs fuit. & cũ trãſgredi potuerit, nõ eſt tranſgreſſus, nec mala geſſit in vita ſua. Labẽtis huius ſæculi gloria contẽpta, pòſt aurũ nõ abiit, & in theſauris pecunię nõ ſperauit, dũ hic nõ habere ſe ciuitatẽ pmanẽtẽ cõtẽplãs, diuini amoris facib. inflãmatus, omne ſtudiũ, ad futurã inquirẽdã nõ manu factã in cælo conuertit: Vbi theſauros nec ærugo neq; tinea demolitᷣ, nec fures effodiũt, Perpetuò autẽ memoriæ eius inerat diuinũ illud oraculũ. ꝙ Regius Vates, cæleſte domicilium adire cupiẽtibus, inculcat, nimirũ in montẽ Dñi neminem aſcenſurum, nec quenquam in loco ſancto eius fixurũ pedẽ, niſi qui fuerit innocẽs manibus, & mũdo corde, qui nõ acceperit in vanũ animã ſuã, nec iurauerit in dolo pximo ſuo. Quãobrem vehemẽti ille glorię perennis æſtuans deſiderio, vt iucundiſſimã Beatorũ patriã cõſequeretᷣ, ad eã regulã oẽs actiones ſuas cõformauit, ꝗ pfato oraculo vniuerſis vitæ Chriſtianæ ſectatorib. pſcribi, animaduertebat. Nec eſt dubiũ vitã eius omniũ virtutũ ornamẽtis cõſpicuã Regni pceribus, alijſq; cuiuſuis ordinis hominibus, Vitæ benè ac laudabiliter inſtituẽdę, fuiſſe exẽplar. Vitiorũ omniũ fuga talis, ac tanta in eo fuit, vt etiã ꝗuis eorũ ſpeciẽ diligentiſsimè caueret. Proinde luxũ veſtiũ, & lecti mollitiẽ, tanꝗ peccãdi fomitẽ declinãs, vti nuda humo pcubili, & exhorridis equorum ſetis cõparato cilicio, alijſq; verborũ aſperitatib. velut cupiditatẽ moderatricib. tenerã carnẽ nõ minꝰ ſæpè, ꝗ auidè Chriſti Cruciatuũ ſalutis noſtræ cauſa ſuſceptorũ memorẽ affligere ſolebat. Diuis omnib. ac pcipuè B. Mariæ Deiparẽti, benigniſſimæq; hominũ patronę maximè addictꝰ erat, ꝗ à ſe meritis ſingulari artificio elaboratis, & pulchro ſcemate, penè oĩa Incar. miſteria claudẽtib. quotidie in terrã fuſis, genibꝰ pio affectu ſalutabat. Cæteris porro officijs religioſis, pijſq; ritib. cũ in æde ſacra peragerẽtur, adeò frequens intererat, vt eũ ſæpius in tẽplo, quã in Palatio, ſępius in Patrũ linteatorũ, piorumq; Sacerdotũ choro, quã amicorũ, Regiorũq; aulicorũ cũ tu videres. Quo tẽpore ſæpè numero à ſenſibus abalienatus, atq; extra ſe poſitus, eo animi ardore precibus vacabat, vt cibi, atq; potus immemor, niſi ſæpius ſub prãdij, aut cænæ horam à parẽtibus, miſſis Nuncijs, domũ corporis reficiẽdi cauſa reuocaretur, totos dies ſine epulis eſſet tranſacturus. Sed neq; tamẽ diuina hac orandi aſſiduitate cõtentus erat, niſi etiã intẽpeſta nocte è ſtrato perſepè conſurgeret, è cubili ſe clã efferret, & pedes diſcalceatꝰ, nullo teſte precãdi cauſa, ædẽ ſacrã aditaret. Et quoniã plerũq; (id quod moris eſt) obſeratis oſtijs ab ingreſſu phibebatur, ſatis religioni, ſatis Deo, ſibiq; factũ putabat, ſi nimirũ ſacras Valuas ſalutaſſet, lacrimis religioſa limina rigaſſet, atq; hoc pacto in precibus pernox, ad fores tẽpli perduraſſet quo loco ſæpiſſimè ſub aurorã à nocturnis cuſtodibus, atq; vigilibus, humi toto corpore pſtratus, precibuſq; intentus, eſt repertꝰ. Verũ enimuero parui hãc corporis moleſtiã æſtimãs, verè egregius, ac ſãctus iuuenis, adeo in ſeſe ipſe ſæuiebat, adeo multis in reb. innocẽtẽ, ac delicatã carnẽ ſuã vexabat, eũ vt nõ carnẽ Spiritui ſubiugare, ꝙ ab Apoſtolo traditũ eſſe diuinæ litterę phibẽt, ſed penitus in carne ſine carne viuere voluiſſe putares. Equidem in reſpuendo, & contemnendo blandiſſimas dominas cupiditates conſtãtiſſimus, in refrenando omnes illicitæ voluptatis illecebras vigilantiſſimus, in abſtinentia à cibo, & potu religioſiſſimus, in ſomno, cæteriſque rebus eiuſmodi atque carnis voluptatibus, commoditatibuſque parciſſimus fuit. Adeo in aula Regia nã aulicũ, aut ſtirpem regiam degere: verũ in Clauſtro religioſæ diſciplinæ aſſuetũ Chriſti athletã, vitã inſtituere arbitrarere. At de hoc rigore vitæ, etiã dũ morbi vis eũ lecto aliquãdo affixiſſet, nihil omnino remittebat. Quadã vice dũ à Medicis iuberetᷣ, dieb. interdictis ab Eccleſia, lacte, & ſimilibus veſci, adduci nullo pacto potuit, vt obſequeretᷣ eorũ cõſilio, & recuperandæ ſanitatis gratia, vel latũ vnguẽ à S. Matris Eccl. placitis deſciſceret. Quã tã rarã nobiliſſimi iuuenis, atq; ſingularem erga SS. Chriſti ſpõsã obſeruãtiã, ea eſt ratione, diuina bonitas remunerata, vt nihil neq, abſtinẽtiæ rigor inualetudinẽ corporis, pmoueret, neq; huiꝰ imbecillitas animi alacritatẽ, atque perfectæ vitæ ſtudiũ retardaret: Quippe qui numine reuelãte iã didicerat, neq; infirmitatẽ iſtã mẽti nociturã, & humana remedia (ſi quę eſsẽt) nequicꝗ pfutura. Ad haſce eius eximias virtutes, sũma quoq; ægritudinis tẽpore patiẽtia, & dolorũ omniũ cõtẽptꝰ accedebat. Et quidẽ ſeper ſiue dũ morbo laborabat, ſiue dũ corpore bene habebat, cũ in alijs rebus omnibus, tũ pręcipue à ſermone, &ſi aliàs eſſet diſertꝰ modeſtiſſimꝰ extitit. Et vero ſi loquẽdũ qdpiã erat, id nequaꝗ faciebat, niſi vel de rebus pijs, ac cœleſtibꝰ, vel de ijs, q documẽto, aut emolumẽto cęteris eſsẽt, loquẽdi copiã haberet. Hinc nihil vnꝗ ipſe, ꝙ alios offenderet, in colloquiũ inducebat, & ſi in aliquem eiuſmodi ſermocinationibꝰ occupatũ incideret, amice corripiebat, ptinaciter peccãtes, etiã ſeuerioribꝰ verbis caſtigabat, ac ſi nõ à pposito deſiſterẽt, vt quã primũ eiuſmodi mortales aula

*Orationi deditiſſimus.*

*Patiẽtia eiuſdẽ in aduerſis magna.*

*Patientia eiuſdẽ in aduerſis magna.*

*Erga Deiparam, & ſanctos deuotus*





regia prohiberentur, apud optimum parentem nullo negotio efficiebat.

*Fidei Catholicæ tenaciſſimus*

Huic igitur tantæ nobiliſſimi & ſanctiſſimi principis virtuti par in Deum religio, in aſſertorem; ac vindicem ſalutis noſtræ Chriſtum fides, in ſanctam Eccleſiam Catholicam, & Romanam orbis Magiſtram extitit reuerentia. Quarum rerum habemus etiam hodie in Cathedrali Eccleſia Vilnæ luculentum teſtimonium, diploma, inquam, illud ipſum habemus, quo huius impulſu Rex ſeueriſſimè cauerat, nè qui è gente ruſtica, ab Vnione Catholicæ, & Romanæ religionis deſciuerunt, templa vel noua erigere, vel vetuſtate collapſa reſtaurare poſſent. Longum eſt dicere, quot in alijs rebus, quàmque ſollicitè Diuus Caſimirus, integritati religionis, ac Eccleſiaſticarum legum obſeruantiæ ſe totum impenderit. Cuius tam ſingulari induſtria effectum eſt, vt nullæ eo tempore diuerſarum opinionum, atque errorum lernæ capita erigerent, quin confeſtim vigilantiſſimi principis acinace demeterentur. Huic porrò tantæ in Deum religioni, & charitati non inferior parte altera in proximum amor, & commiſeratio reſpondebat. Quanta enim hic diligentia quoſuis inopes ſubleuabat, iacentes erigebat, afflictos recreabat, oppreſſos liberabat, omnes deniq; quibuſcunque aduerſæ fortunæ telis expoſitos iuuabat. Hũc enim viduę tutorem, pupilli parentem, egeni, & afflicti, cõſolatorem vocitabãt. Nãq; ea erat humanitate in ſingulos, beneuolẽtia in miſeros, clemẽtiâ in ſubditos, facilitate in vniuerſos, vt vltrò ſi quid à ſe præſtitũ vellẽt, obuios quoſuis interrogaret, cauſas ſuſciperet, ageret, atq; perageret. Qua tã incredibili, atq; inuſitata charitate, atq; prudentia, ſingularem ab omnibus gratiam inibat, & cùm has, aliaſque ob res ad Regnum adminiſtrandum iudicaretur aptiſſimus, id non modò non ambiebat, ſed etiam à Parente, aliiſque Regni proceribus oblatum, conſtãtiſſimè reſpuebat. Cæterũ ea ſemper integritate, & animi. & corporis fuit, vt cõplures viri grauiſſimi, qui nobiliſſimo principi, vel à ſecretis, vel à cubiculi fuerunt, (vt interim Medicorũ ſpiritualiũ, quibus ille animæ ſuæ ſalutem cõcredidit, teſtimonium taceã) conſtanter aſſeuerare minimè dubitarent, eum, & toto, quo vixit tempore, caſtum vixiſſe, & caſtum Virginem, mortem obijſſe. Quod illorum teſtimonium ipſa mors videtur admirabili quadam diuinæ prouidentiæ diſpenſatione comprobaſſe; conſtat enim eum potiùs vitam, quàm hunc inuiolatæ caſtimoniæ nitidum florem amittere voluiſſe, Qua vna in re non ſolùm à Medicorum præceptis, verùm etiam parentum ſuorum monitis, quorum imperio cæteri parebant omnes, vni ſibi diſcedere licitum eſſe exiſtimabat. Et cùm illi in hoc negotio pertinaciter ſeſe gerebant, cùm inſtantiſſimè ab eo efflagitarent, vt vitæ tutandæ cauſa, tori Virginalis conſortium admitterent, (id enim vnicum Medicorum conſilio morbi remedium ſupererat) illos hic caſtiſſimus iuuenis piè increpebat, ſeq; aſſerẽs, aliam vitam neſcire, quàm cum iactura eiuſdem, vitam mortalem prorogare malebat. Quocircà ingraueſcente in dies morbo, poſtquàm diẽ obitus ſui præſentiſſet, eumq; coram aſtantibus prædixiſſet, ſanctiſſimus, ac verè Regius adoleſcens, armis ſpiritualibus ſeſe ritè communijt, ſacramenta, inquam, quæ morituris adminiſtrari ſolent, religioſè percepit, ac demum Chriſti Crucifixi effigiem manu tenens, intentiſq; oculis intuens, dum ſolemnia illa Regijvatis ſæpius iteraret verba *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*. dum in extrema illa vitæ. & mortis lucta, precibus lacrymas miſceret, voce pariter, ac vita deficiente, in Vilnenſi arce, Anno à Virgineo ſalutifero partu, Milleſimo quadringenteſimo octogeſimo quarto, die quarta Martij, illuceſcente aurora (qui etiam annus Sixti Quarti Pontificis Maximi vitæ ſimul. & Pontificatus vltimus fuit) æquiſſimo animo obdormiuit in Domino. Cuiùs eodẽ tempore ab omni immunem peccati labe animã, cõplures fide digniſſimi homines à beatis mentibus in cælum clariſſima circumdatã luce, deportari conſpexerunt. Vixit annos vigintiquatuor, menſes quinque, ſepultus eſt, quàm decuit Regis natum honorificentiſſimè in æde Pontificia, Vilnæ, ſancto Stanislao Martiri ſacra, in ſacrario Beatæ Mariæ Virginis, quem ipſe ſibi viuus ſepulturæ locum deſignarat.

*Virginitatis ſtudioſiſſimus.*

*Maluit mori, quã Virginitatem amitteret.*

*MIRACVLA PER EVM POST MORTEM EDITA*

*Moritur, & miraculis claret.*

Erat puella Vilnæ Vrſula nomine, quæ ſuperſtitibus adhuc parentibus diẽ obijt ſupremũ, His mors filiæ adeò moleſta accidit, & grauis; vt à ſenſibus penè ipſi alienati, præter mortaliũ cõmunem conſuetudinem, magis de vita filiæ reſtituenda, quàm de iuſtis mortuæ ſoluendis, cogitarent. Quo in negotio quid agerent, quò ſe verterent? cùm hanc ad rem nulla humana vis, aut induſtria ſufficeret, ad diuinam ſe cõuerterunt, atq; vbi primũ Diui Caſimiri memoria mentem ſubijt, viſi sũt ambo nõnihil reſpirare, quid multa? votũ faciunt, ſacroſancta adita, vbi quieſcebat Caſimirꝰ, adeũt, luctu, & lacrymis omnia cõplent, clamore, ac precibus ſidera feriunt, Caſimiri nomen, & nomen ingeminant, opem implorant, ſpiritũ defunctæ filiæ reſtitui flagitant. Audijt Caſimirus precantes, lacrymas piorum parentum, ac fidem reſpexit, puellamq; mortuam vitæ ſimul, ac mæſtis parentibus reſtituit.

*Poloni S. Caſimiri auxilio, ſicut & Lithuani victoriam de Moſchis reportant.*

Addo hoc loco & alterum, quod etſi iſto inferius admiratione, ad Caſimiri ſanctitatem demonſtrandam, nihilo tamen minus. Etenim anno Milleſimo quingenteſimo decimo octauo, Moſchorum Dux, noſtris nihil cogitantibus, atque ex improuiſo arcem Polocenſem nõ paruis copijs oppugnare aggreditur, quo tempore, Sigiſmundo primo, inclyto Polonię Regi, alijs multis, grauibuſq; rebus intento, miles in prõptu exiguus admodũm erat. Rex igitur optimus bina ſolùm millia, ductoribus Gaſtoldo, & Ioanne Boracijski aduersùs hoſtes, manum tumultuariam potiùs, quàm exercitum expedit. Abeunt illi diuinis magis, quàm humanis nixi viribus, præcipuè Diuo Caſimiro, quem miraculorum fama celeberrimum effecerat, ſua vota, poſtulationeſq; dicando, & certaminis dubium euẽtum cõmittendo. Pòſt multis ad eum fuſis precibus, auxilium illius benignum experiuntur. Quippe in illa expeditione, cõfecto multorũ dierum itinere, ad Duxam fluuium perueniunt. Vadoq; irreperto vniuerſi in littore ſubſiſtunt, dumq; nimium de tranſitu ſunt ſolliciti, eccè tibi iuuenis quiſpiam albis amictus, forma decorus, & ſpectabilis, candido vectus equo, ijs ſe ſpectandum obijcit, bonoq; omnes animo eſſe iubet, ſeq; ducem ſequantur, imperat. Quæ vbi dixiſſet, confeſtim ſubditis equo, cui inſidebat, Calcaribus, primus in flumen inſilijt, vadũq; demõſtrans, ſuperatoq; nullo negòtio amne, ad ripam alteram ſaluus cæteris inſpectãtibus peruenit. Quo viſo Poloni milites, rei nouitate attoniti, ijſdẽ in veſtigijs diu hæſerunt, neq; quouſq; ille iteratò, vt ſe ducẽ intrepidi ſequerẽtur, cõmonefaceret loco mouerunt; Tandemq; rẽ diuinitùs agi animaduertentes, pleni fide, & fiducia, ſe cateruatim rapidiſſimi fluminis, qua parte ille mõſtrabat, diſcrimini committunt, atq; incolumes tranſeunt. Quod cũ Duces, Regiuſq; equitatus cõſpexiſſet, iuueniſque intereà oculis eorum ſeſe ſubduxiſſet, Caſimirum, Caſimirũ omnes clamitant, eundemque, quem itineris ducem, etiam prælij imminentis, ſupplicibus pro ſe quiſq; votis promotorẽ, & fautorẽ exoptant. Neq; in vanum piorum militũ cæcidere preces, nã cum primo ſigno dato, in hoſtes tantò viribus ſuperiores, impetum feciſſent, illos terga vertere, & obſidione etiã inuitos ſoluere coẽgerũt, multoſq; internecioni dederũt, neq; pauciores in ſeruitutem Moſchos adduxerũt. Victoria parta Poloni, diuinã opem agnoſcere, ſolemnem hymnum *Te Deum Laudamus* canere,

Caſimiri virtutem extollere, remque Regi ſimul cum captiuis Moſchis diuinitùs geſtam, conſcriptamque tranſmittere. Quę adeò Regem commouit, vt non ſolùm ad ædem ſacram agendarum Deo, & Caſimiro gratiarum cauſa ſe ſubitò conferret: verùm etiam ſeriam ſe de Caſimiro in Diuorum numerum referendo, cogitationem, ſuſcepturum promitteret. Verùm quid euenit? iſthæc minùs fortaſsè ſedulò agentes.

Ea tibi anno ſequenti Moſchus ſuperiori clade immanior, ferociorq; effectus, ingentē in ipſam Lithuaniam exercitum inducit, omniaq; nullo antè in dicto bello flammis, & ferro latè vaſtat, Quò tàm periculoſo turbine, ac inſperata tempeſtate perculſis Lithuanis, neq; conſilium, neque auxilium ſuppetebat. Cùm alios hoſtilis gladius de medio tolleret, alios vorax flamma, anima, & ſpiritu priuaret, alios deniq; in miſerrimā ſeruitutem crudelis hoſtium barbaries, & barbara crudelitas, malè priùs mulctatos abduceret. Hiſce rebus animaduerſis è Lithuanica nobilitate, nonnulli patriæ cladem miſerati, quoſcunq; eo tempore tàm difficili poterant, conueniunt, ſeq; ad arma ſumēda, patrioſq; lares, & focos, etiam cum vitæ diſcrimine tutandos inuicem incitant. Atq; paucitas quidem ſuorum, & hoſtium multitudo nonnihil quoſdam initiò eſt remorata; At vbi memoria repeterent, quod anno ſuperiori Diuo Caſimiro duce, ſubſidium diuinitùs ſub Polocia experti fuerant, eiuſdē patrocinio freti, eius opem omnes implorare, quod ſegnius honorem ipſius curaſſent, agnoſcere: culpam deprecari, ſe ſi eis hoc tēpore auxilio futurus eſſet, eius cultū, cæleſtemque honorem apud Sedē Apoſtolicam diligenter procuraturos, ſpondere. Nec irrita cæcidere vota, nam tantus ſubitò animos omnium ad pugnas inceſſit ardor, vt nemo eſſet, qui temerarium putaret, duo millia, ( tot enim ex Lithuanis nobilibus conuenerant) aduersùs ſexaginta millia hoſtium obijcere. Itaque ſignum certamini editur, Lithuani, Dei, Diuique Caſimiri numine ſæpiùs ingeminato, pugnam ineunt: Nec mora vt primùm in hoſtes noſtri irruerunt, adeſt Caſimirus, ſuiſq; Dux faſtus, & Archiſtrategus, in aere, eodem, quo anno ſuperiore & oris, & corporis habitu, ſublimis conſpicitur. Læti tali duce Lithuani, acriterq; cædendo hoſtes, vrgent, inſtantque. Neque diu aduerſa pars, diuinam Indigetis Lithuani vim, & numen ſuſtinuit; ſed cùm ingens aduerſarios pauor inuaſiſſet, in fugam conuerſi, victoribus Lithuanis terga dedere, ex ſuis amiſſis pluribus millibus; è noſtris Dei beneficio, deſiderato nullo quæ cùm Rex pientiſſimus intellexiſſet, eamque tàm prodigioſam victoriam, vni pòſt Deum Caſimiro ab omnibus, qui rei intererant, adſcribi vidiſſet, cæteras etiam, quas alijs diuerſis in locis eodem tempore, exiguo vbique milite, victoria reportaſſet, fauori, & patrocinio eiuſdem ſancti Caſimiri acceptas, referre minimè dubitauit.

*Ad Poloniæ Regis inſtantiā S. Caſimirus SS. numero aſcribitur.*

Quarè in gratiarum actionem, re diuina in templo ſolemniter procurata, Rex optimus nulla interiecta mora, ad Romanum Pontificem, Legationem deſtinauit, curā, vt de Caſimiro in Diuorū numerū aſciſcēdo ſubeat, omnibus modis contendit. Pontifex æquiſſimis Regis Catholiciſſimi poſtulatis non inuitus annuit, remq; Nuntio Apoſtolico in Poloniam miſſo, ipſiq; Archiepiſcopo Gneſnenſi, Ioanni, & Petro Poſnanienſi Antiſtiti, Regni procancellario, demandauit, qui mira omnia opera Diui Caſimiri nutu patrata, diligenter inquiſiuerunt, inquiſita, fide dignis teſtibus ſtabiliuerunt; atque ſic ſtabilita, Pontifici Maximo Leoni decimo, anno Milleſimo quingenteſimo viceſimo tranſmiſerunt. Quibus Pontifex ſequenti anno in Auguſtiſſimo purpuratorū patrū cōſeſſu, diligēter reuiſis, examinatis, tandemq; approbatis, Diuū Caſimirum in numerum Sanctorum, aſſcripſit, quem poſteà Clemens Papa octauus, per totum Poloniæ regnum, & magnum Lithuaniæ Ducatum, aliaſque omnes prouincias ipſorū ditioni ſubiectas, duplicis officij ritu, ab omnibus publicè, priuatimq; coli, & celebrari, anno Milleſimo ſexcēteſimo ſecundò cōceſſit, vt latiùs in Breui Ap.co, de hac re autenticè profecto, licet videre. Hæc de vita S. Caſimiri ex autore ſupra nominato, hoc loco referenda eſſe cenſuimus. Cætera, quę ad ſola miracula pertinent, libenter omiſimus, quæ tamen ab ijs, qui ea cognoſcere cupiunt, ab autore ſuo facilè peti poterunt *extat apud Card. Bellarminum. lib. 3. de Officio Principis.*

XXVIII *B. Cherubini Ord. Minorum ſanctitas, & concionum efficacia.*

Hoc eodem anno. die IIII. Auguſti, apud Cænobiū S. Mariæ Angelorum Aſſiſij, diem clauſit extremum B. Cherubinus Spoletanus, Ordinem Minorum profeſſus. Quod Philoſophiæ, Theologiæ & Iuris Canonici peritiam, eloquentiæ artificio coniunxiſſet, magnum in Concionibus plauſum, ſed non fructum fuerat conſecutus. Accidit aliquando ſuggeſtum conſcenſuro, vt benedictionis obtinendæ cauſa, Fratrem Ioannem Lucenſem ſui inſtituti profeſſorem conuenerit. Ibi vir venerandus, hominem loquaculum, & per floſculos dicendi auram popularem captantem acriùs corripiens, ad puritatem, ſimplicitatemque ſermonis, qua vel ſola peccatores conuerterentur, hortatus eſt; dicens cum Paulo Concionatorum Magiſtro, non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, neque in ſublimitate ſermonis, ſed in oſtenſione virtutis, totum prædicationis negotium conſiſtere. Hæc admonitio tàm profundas egit radices in animo Cherubini, vt is modum priorem dicendi prorsùs dedicerit, & Quadrageſimalibus S. Bernardini Concionibus pro exemplo ſibi propoſitis diſertus, ſed cum fructu ingenti veritatis preco euaſit; concurrenteque ad eum audiendum innumera multitudine, quaſi vniuerſam Italiam, ad ſanctiorem frugem reduxit, Sacroſanctæ Euchariſtiæ cultum, præ cæteris depangebat. Vnde ab eius Concionibus ea de re inſtitutis, maior deuotio vbique in populis: ex qua proinde maior liberalitas, ac propenſio in venerationem eius myſterij: dum ſeruando quidem, vel deferendo Sanctiſſimo Sacramento, fercula ex auro, & argento conficerentur: lampades appenderentur, cerei perpetuò lucerent, homines gregatim cum faculis accenſis illud comitarentur, quoties vel in ſupplicationibus, vel ad infirmos circumferretur; Sodalitates ſub eiuſdem nomine inſtituerentur; & ſupplicationes vnà menſium ſingulorum Dominica obirentur. Ad ſeptuageſimum vſque ætatis annum Cherubinus concionibus incubuit, diuinis, & Sanctorum, ac præcipuè S. Hieronymi viſionibus, ſæpe ſæpius recreatus. Sexaginta millia hominum ad veram pænitentiam conuertiſſe memorabant, quorum animas Angelis permixtas, F. Ioannes Lucenſis aſpexit, deducentes animam Cherubini, cui in hora tranſitus S. Hieronymus apparuerat. Beata Anfroſina à Burgo S. Sepulchri (oppidum eſt in Etruria) rapta in extaſim ab oratione, cum pòſt quattuor horas ad ſe fuiſſet reuerſa, coacta à ſuo Confeſſario, narrauit, ſe vidiſſe animam B. Cherubini, à Sancto Hieronymo, & alijs Cælitibus comitatum, cælos conſcendiſſe.

# ANNO CHRISTI 1485.

## INNOCENTII PAPÆ VIII. Anno 2.

## FRIDERICI ROM. IMP. Anno 46.

I. *Prodigia aliquot in Regno Neapolitano nuntiantur.*

PRodigia aliquot in Regno Neapolitano nuntiata ſunt hoc anno, quæ bellum futurum portenderent,





inter Pontificem Innocentium, & Ferdinandum Regem Neapolitanum. In agro Caſſinate ædes Diui Benedicti horrendo teli fragore bis fulmine icta, decuſſumque Diuæ Virginis marmoreum ſimulachrum. Neapoli in via virginum ( ità dicunt) Diuæ Mariæ ſignum, ſanguinem ſudauit. Ex arce noua, fulmine deiectus apex: & in agro Lucano nocturnæ hominum imagines, candida veſte viſæ. Bellum prænunciabant, quod futurum cum Ferdinando Rege, Pontifici Innocentio, nihil minus, quàm de illo cogitanti. Ad pacem, & quietem colendam natus is, creatuſque videbatur. Quamobrèm inito Pontificatu, otij, & tranquillitatis ſtudioſiſſimus, omnes Reges, ac Principes Chriſtianos, frequentibus litteris, & nuntijs hortatus eſt, vt mutuis diſſenſionibus, & bellis compoſitis, arma deponerent ſocialia, ac fæderibus deuincti, Turcarum vires, toto iam terrarum orbe formidabiles retunderent. Cùm ſingulis etiam Regum, ac Principum, rerumque publicarum Oratoribus, qui Romam plurimi ad eum honoris cauſa conuenerant, de pace, communique concordia egit quàm diligentiſſimè; quando enumeraret bellorum incommoda, per quorum occaſionem contingeret, violari templa, ſummi Dei cultum intermitti, vrbes diripi, virgines incæſtari, matronas ſtuprari, omniaque ſacra iuxta, ac prophana turpiter fædari. Vt autem ſeſe oſtenderet concordiæ cupidiſſimum, Venetos, ob bellum cum Hercule Duce Ferrariæ pertinaciùs geſtum, ſacris à Sixto anteceſſore interdictos, abſoluit, inque gratiam Sedis Apoſtolicæ accepit. Porrò cum ex morbo planè ab omnibus deplorato conualuiſſet, intellexiſſetque, Proceres Vrſinos, Virginio, & Paulo auctoribus, arma Columnenſibus, quorum principes erant, Proſper & Fabritius, intuliſſe, vereſque factiones excitatas fuiſſe, per quas non ſine maximo Vrbis, Latij, finitimarum Vrbi regionum damno, & clade: inteſtinis bellis ſe inuicem lacerabant, ac nè à bonis quidem ciuium Romanorum ſibi temperabant, cædibus, rapinis, incendijs omnia deformantes; nihil non hortando, monendoque egit, vt id quicquid erat inter eos controuerſiarum, potiùs diſceptatione iuris, quàm armatorum copijs dirimeretur. Huic rei, nè Columnenſes partiarium eum fuiſſe Vrſinorum exiſtimarent, Præfecturam Palatij Apoſtolici, Virginio Vrſino ademit: voluitque, vt oppida, de quibus lis foret, in arbitrio Apoſtolicæ Sedis deponerentur, donec iure decernerent hi, quibus cauſæ cognitio delegata. Alienauit ea exauctoratione magis hortatu Iuliani Cardinalis S. Petri ad Vincula, quàm propria voluntate facta, à ſe Pontifex Vrſinos: vt Virginius poſteà, ad Ferdinandum Regem tranſitione facta, magnis incommodis rem Romanam affecerit. Non latebat Virginium, quod paucis inde diebus ſecutum eſt: priuatas olim inter Regem, & Pontificem, necdum Pontificem ſimultates, in apertam diſſenſionem, cruentumq; bellum erupturas; ſi modò aliqua occaſio emergeret, ſeque daret. Dedit Ferdinandus Rex duas grauiſſimas: quandoquidem annuum vectigal, Apoſtolicæ Sedi, ex regno Neapolitano debitum, ſoluere, quantumuis ex fædere aſtringeretur, recuſaret: ac ꝙ non erat Pontifici tolerandū, Eccleſiæ Romanæ hæreditarios ſubditos, proceres, ac populos regni Neapolitani, non ex æquo, & iuſto regeret, neque pro dignitate haberet.

II. *Ferdinādi Regis in Comitem Montorii Crudelitas.*

Aquila eſt in Veſtinis, ſatis Italis, atque exteris nota Vrbs, quòd incolæ croci agrum fertilem colunt, cuius ingens vis quotannis ad longinquas terras aſportatur. Ea ab Amiterno, nobili olim Romanorum colonia, V. millia paſſuum, VIII. à Forconio æquè item nobili municipio, à vicinis populis, cum vtraque vrbs diruta à barbaris, atque æquata ſolo eſſet, dicitur eſſe ædificata. Ita autem ſemper paruit Neapolitanis Regibus, vt diu ſuis legibus vſa, per Regium Præfectum, qui iuris dicendi cauſa à Rege ſtato tempore mittebatur, & ciuium controuerſias minui, & vrbanas res adminiſtrari pateretur. In ea longè authoritate excellebat Petrus, Montorij Comes, cuius præter merita multa in eam ciuitatem, & inſignia, virtus inprimis, & fides probabatur. Ex re fiebat, vt quamquàm Regius Præfectus, qui ius diceret, Neapoli mitteretur, omnia, quæ paulò maioris momenti eſſent, ad eum vnum perinde, atque ad ciuitatis principem deferrentur. Cum munitiſſima vrbs eſſet, & propter ingentem hominum concurſum, in primis eius regionis opulenta, Ferdinandus eam facere penitus ſuæ ditionis conſtitu erat. Eo animo cùm eſſet, Alfonſum filium ad Truentum miſit; nomine, vt tumultum ſedaret, qui exortus ijs locis dicebatur: re vera, vt ſi quam opportunitatem occaſio oſtentaret, ductis de improuiſo ad vrbem copijs, ciuitatem in poteſtatem redigeret, quam minimè parem ad ſubitam belli tempeſtatem exiſtimabat. Eò Alfonſus profectus, quòd nihil ſe effecturum ſperabat, niſi Montorij Regulum per honeſtam in ſpeciem cauſam ablegaret, eum in caſtra euocauit. Ratio eadem fallaci conſilio æqua inprimis obducebatur, vt illius authoritatem, & gratia vteretur ijs diſcordijs tollendis, quæ inter eius regionis homines magna cum multorum pernicie exerceri ferebantur. Paruit Regulus Alphonſi imperio, atque extemplo in caſtra ad illum profectus, continuò traditus vinctus cuſtodibus, & Neapolim, vbi intentiore cura aſſeruaretur, miſſus eſt, velut aliquis maleficorum mulo iniectus. Capti ſunt in ſimul, Franciſcus Lucullus, Antonius Pianella, & Dominicus Montorius, Ortonæque in carcerem compacti.

*Eæ permoti ciues Aquilani à Ferdinando deficiunt, & Pontificis auxilia depoſcunt.*

Mariæ quoque Comitis vxori, Alfonſus diem dixit, vt Neapolim cum filijs iret; quò cum venit, in eandem S. Vincentij turrim vnà cum marito coniecta eſt. Cæſo in iuſ. carcere, ob quaſdam ſuſpiciones Montorio, eque fæderatis Neapolim ad cauſam dicendam euocatis, reque ad Magiſtratum Aquilanum delata, cum tantam iniuriam non magis Regulo illatam, cuius maximè ſtudioſa habebatur, quàm ciuitati vniuerſæ, minimè ſibi diſſimulandum ſtatuerent, tantum tumultum concitauit, vt concurſu facto ad Prætoriam domum, & Antonium Concinellum, Regis Præfectum, & ſi qui alij Regis partibus fauebant, ad vnum omnes interfecerint; maximè quòd ille clanculum, quadringentos circiter milites in vrbem introduxiſſet, libertati opprimendæ: hi verò conſilia non tantum non renunciaſſent, verum etiam inflammaſſent. Iſta vbi effecerunt, Pontificis inſignibus erectis, Romam, qui ſe, vrbem, agroſque Innocentio dederent, Oratores miſerunt. His imperauerant, vt Pontifici ad pedes aduoluti, expoſitis defectionis cauſis, ab illo opem, atque auxilium peterent, aduerſus crudeliſſimum, vt dicebant, Regem, qui fide, ac iure gentium violato, eorum libertati, cui iampridem inſidiatus fuerat, eo tempore vim pararet inferre. Eius auaritiæ, & crudelitati, nè prædæ relinquerentur, non ſolum illi eam cauſam eſſe debere, quòd Pontifex ſit, cuius eſſe credatur proprium munus, ſupplicum preces, & miſerorum non aſpernari: ſed quòd Pontifex Romanus ſit, hæres legitimus, & Dominus ex iuris directi formula regni Neapolitani: cuius interſit ſidei ſuæ creditos ſubditos, ab

omni iniúria tuéri: maximè quando ſe illi; vrbemque dedant, vt receptos in fidem, maiore ſtudio ſibi, atque acriore cura defendendos ſuſciperet. Cognitis Pontifex Aquilanorum poſtulatis, ac re cum Patribus communicata; quod è ſua fide eſſe, & dignitate ducebat, minimè eorum ſibi iniurias eſſe negligendas cenſuit, qui afflictis ſuis rebus, opem à ſe, atque auxilium implorarent. Id conſilium vt Pontifici probaretur, cum eius in Ferdinandum iuſta ira, propter agros Romanos tempore Sixti vaſtatos bellum in Sedem Apoſtolicam motum, non ita pridem; multa inſolenter à Ferdinando, & Alphonſo in Romanam Eccleſiam facta; vt pacem, fœduſque ſemel, ac iterum inſcia Sede, cum hoſtibus concluſum, tributum negatum, Virginijque tranſitionem, concepta effecit, tum vrbis eius opportunitas, quæ in Pontificum Romanorum ditione, tamquam arcis loco Neapolitanis Regibus obiecta, magnam facultatem ad illos in fide continendos perpetuò eſſet præbitura. Inclinauit eò magis Pontifex, quando audiuit, maiorem peditatus Regij partem iam ab Aquilanis cæſam; ſigna Regia deiecta, ac Sedis Apoſtolicæ erecta: nummos æneos cuſos, quorum altera parte claues, Apoſtolicæ Sedis inſignia, altera verò paſſis alis Aquila, ſub cuius pedibus litteris Latinis inciſa eſt, *Aquilana libertas.* Ergo iuſſis Oratoribus bono animo eſſe; ac ciuitate collaudata, quæ eò ſibi perfugium quærendum ſtatuiſſet, quò ſe certa ratio, atque officium duceret, breui ſe perfecturum oſtendit, vt quantumuis illi de ſua fide ſibi, & voluntate polliciti eſſent, prolixè eorum ſe expectationi reſpondere non ignorarent.

III. *In eundem Ferdinandum regni proceres conſpirãt.*

Eodem tempore Neapolitani Regni Principes, alieno à Rege animo, defectionem moliebantur. In eis, qui authoritate præcipua erant, Hieronymus, & Antonellus, hic Salernitanorum, ille Biſinian Regulus habebantur. Perfidiæ, crudelitatis, & auaritiæ infamis Ferdinandum accuſabant, quòd diutino bello exhauſtus, obæratuſque, nouum vectigal populis impoſuiſſet, Regnumque per Antonellum Petrociam, & Franciſcum Coppulam, homines facinoroſos, impiè ingratos, quoſque ſcelerum magnitudo, ac maleficiorum conſcientia premeret, aliquot annos exactionibus intolerandis afflixiſſet, exhauſiſſetque. Ergo quò occultiora conſilia eſſent, cùm per cauſam affinitatis iungendæ, Melphim apud Troianum Caraciolum, quem conſiliorum participem habebant, conueniſſent, coniurationem in Regem & Alfonſum certis legibus, ac iureiurando, nec non fide, pecunijs, atque obſidibus inter ſe datis cõfirmata, iam de ratione belli gerendi, atque à quo fieri initium defectionis placeret, conſtituerant. Alfonſum in ædibus Hieronymi, nondum dimiſſo conuiuio nec deſtinabant: iamque Antonellus, & Ioannes Sanſeuerini cædem perpetraſſent, niſi animis concidiſſent. Vnde Alfonſus detectis coniuratorum conſilijs, xxx. equitum turmis coactis, eos inſperato adortus fuiſſet, vindictamque deſumpſiſſet, niſi Ferdinandus Rex oblatis conditionibus, coniuratorum animos ad componendas res, reconciliandamque pacem non deſperans, vehementer aduerſatus eſſet: exiſtimans ea præſertim ætate, qua ſexageſimum ferè annum ageret, tot principes vno tempore defeciſſe, inſignem turpitudinis notam ſibi afferri, & ſummam rerum in diſcrimen adduci: toto iam ferè regno ad defectionem inclinante. Sed hæc omnia in irritum deciderunt, immite, atque implacabile Alfonſi ingenium omnibus Maximè horrentibus, qui minimè iam occultè, aut diſſimulanter, & cædem illis, & exilium, & proſcriptionem bonorum minitabatur. Ita illi metu territi, cæptis non deſiſtendum, ſed rem celerius conficiendam arbitrati, Patrum Ghiuariam Vaſti Aimonis Marchionem, Carolum Mileti Comitẽ, & Ioannem Sanſeuerinũ Turſij Comitem, diuerſis itineribus Romam miſerunt: reliqui cum Rege de pace arctiùs agere ſimularunt, vt fallaci ſpe implicitum detinerent, donec Legati Pontificem adijſſent. Ex his Turſius, poteſtate dicendi facta, multa queſtus de Rege, Alfonſum inprimis vehementiùs accuſauit: & Pontificem ad iuſtum bellum ſuſcipiendum inflammare conatus eſt: cõmemorans coniuratos potentiſſimos: Regias præterea vrbes, cæteroſque regni primores per multos annos tributo exhauſtos, inueterato quodam odio in Regem, Apoſtolicæ Sedis ſigna intrepidè ſecuturos: populos inſuper quotidianis iniurijs ſupra modum laceſſitos, rerum omnium egenos, vndique bello cinctos, Regem, & Alfonſum non amplius velle tollerare: vtrumque breui regno eijci poſſe, præſertim, quòd ditiſſima, ac populoſiſſima vrbs Aquila, Brutiorum regionis caput, totiuſque regni propugnaculum, Apoſtolicæ Sedis imperium datis obſidibus depoſciſſet, cuius vrbis defectionem ad Aragonei nominis internecionem ſatis eſſe putaret. Antonellus præterea, & cæteri pollicebantur, ſe maximis, diuerſiſque promiſſis, Regni Regulos, & populum ad bellum excitaturos, eoſq; primos fore ad indicendum, inferendumq;: quum primùm Apoſtolicæ Sedis animum intellexerint. Poſtremò iureiurando interpoſito affirmabant, niſi oblatum Regnum, conditionemq; acciperet: non modò illud, ſed Italiam omnem Turcarum imperio breui ceſſuram: quòd eò miſerabile, ac penè ſpoliatum Regnum eſſet redactum, vt interitus potiùs, quàm tam infelix vita ab omnibus expeteretur, rerum omnium libertate adempta. Motus his rebus Pontifex oblatam opportunitatem amplexus, è veſtigio Carolum ad ſuos remiſit, quibus nuntiaret, Sedem Apoſtolicam pro officio legitimam belli cauſam ſuſcepiſſe, ac prompto animo, & viribus illorum præſidio nunquam defuturam: modo nè ſibi ipſi defuiſſe videantur. His denunciatis, nouos militum delectus habuit: ac inprimis Robertum Sanſeuerinatem, numerata grandi pecunia celeriter venire iuſſit. Venetis inſuper, Inſubriæ Duci, Florentinis, Laurentioque Mediceo præcipuè rem omnem per Nuncios, litteraſque ſignificauit, quos enixe orauit, vt in tanta rerum occaſione, Apoſtolicæ Sedi non deeſſent: cùm hæreditarium regnum Neapolitanum iure tueri, & iniurias ſubditorum propellere cogeretur; vel ſaltem domi ſe tenerent, nec in tanto temporum motu Regi opitularentur: quem propter ſummam in rebus omnibus licentiam, non modo Principes, verùm etiam populi capitali odio proſequentes, nullo pacto vltra ferre conſtituiſſent, & ad aram Apoſtolicæ Sedis ſupplices confugiſſent, nè diutiùs affligantur, auxilium implorantes; quibus profectò ſuccurrendum, & diuina, & humana iura depoſcerent. Hæc vbi ex Legatorum litteris Ferdinandus animi anxius accepiſſet, paternæ admonitionis memor, prudentia extingui bellum ratus, priuſquàm arma caperentur, Ioannem filium, Cardinalem confeſtim ad Pontificem miſit, oratum, vt incendium non modò Regnum, ſed Italiam omnem euerſurum propere extingueret, quod optimi, æquiſſimique Põtificis munus eſſet; neq; præberet aures, his præſertim, qui tranquillitati aduerſi, nouos motus falſis criminationibus ſuſcitare niterentur. Meminiſſet, ſi ſemel ſanguine imbuentur manus, haud ita facilè illum poſſe bello finem ſtatuere. Se nulla numquam illum iniuria laceſſiſſe; nec verbo quidem violaſſe; ſed ſumma ſemper in veneratione habuiſſe; omni prætereà ſtudio, ac induſtria procuraſſe, vt Pontifex crearetur. Bello igitur abſtineret

tran-



tranquillitatem Italiæ conſeruaret; perduelles ad obſequium compelleret. Conſideraret, Deum pro iuſta ſtantem cauſa, tam inauditum facinus, ingratumque animum minimè laturum. Si minus, pro Regia libertate, ac dignitate tuenda, Ferdinandum, nec fortunæ bonis, nec ſanguini parſurũ cognoſceret.

IV *Innocentius PP. reconciliatione eſt alienus*

Non alieno fuit à tractatione pacis animo Innocentius. Enimuero Legatum ad res componendas, & Neapolim ad Regem, & in Apuliam ad proceres fœderatos deſtinauit: qui quidem vectigal Sedi Apoſtolicæ debitum, à Ferdinando ante omnia depoſceret; proceribus autem & populo, immunitatem, ac impunitatem impetraret. Nihil potuit aut de vectigali, aut de exactionibus impetrare; Rege inopiam ærarij; in bellum Turcicum, Florentinum, ac Ferrarienſe exhauſti excuſante, dicenteque, Regnum Neapolitanum aduerſus Turcarum impetus, potentiſſimi propugnaculi, Romanæ ditioni, ac vniuerſæ Italiæ eſſe; cui ſeruando, incurſionibuſque arcendis, longè numeroſiores pecunias, quam vectigal eſſet, iam expendiſſet, expendereque haberet: nec propterea quicquam de tributis populo impoſitis remittere poſſet. Dum hæc aguntur, Ioannes Cardinalis Romæ ceſſit è vita; Ferdinandus Rex, nequicquam ſtabilita pace, de qua Pontificis iuſſu in Apulia tractabatur, Neapolim rediuit; coniurati verò velut deliberabundi Salernum conuenere, atque in eius interitum ſub inſidioſa pacis conditione (ita finiri bellum rati) ſtudium, & curas omnes conuertere; ac demum poſt varias ſententias id conſilij iniuere, vt in colloquio, quod ſpe non penitus præciſa pacis cum Antonello, & Hieronimo, Rex habiturus eſſet, diſpoſitis apud Sarnum amnem inſidijs (eo conuenire conſtituerãt) aliquot prius vulneribus, quam ſuccurri poſſet confoderetur: quibus patefactis, deſperata omnino pace, omne conſilium in funeſtum bellum conuerterunt; ac Pontificis ſigna, haud mediocri pompa, bellorumque ſimulacris Salerni erexerunt, educto promulgato, numquam de pace agi, niſi exacto extinctoque nomine Aragoneo.

*Auxilia Florentinorum exquirit Ferdinandus Rex.*

His difficultatibus Rex circumuentus, ad Florentinos & Ludouicum Sfortiam Inſubrum Ducem reſpexit, Ioannemque Albinum, vt ſibi aduerſus tantam belli vim adeſſent, ad eos deſtinauit. Ac Florentiæ quidem viſa res in principio longioris diſceptationis eſſe, aliquamdiu ſuſpenſos principũ animos tenuit. Ita enim placebat Regi opem ferre, vt tamen parum honeſtum bellum, atq; opportunum ciuitati futurũ eſſe cauendum omni ratione iudicarent. Eo enim aduerſus Pontificem ſuſcepto, nemo erat futurus, quin ſuſpicaretur ſtudio, ac morbo animi Florentinos, pro ijs gerere arma, quos ille hoſtes bello perſequeretur: vt minime eſſet dubitandum, eam hominum opinionem fore, haud illis cum Pontifice, ſed quod (ferendum non ſit) cum Pontificatu ſuſceptam contentionem eſſe. Quæ quidem infamia tanta, quàm eſſet pernicioſa Reipublicæ futura, recentem Sixti memoriam, qui cum ciuitati perpetuæ ſimultates, atque inimicitiæ interceſſiſſent, ſatis poſſe indicare. Nam & ea libera omnium quærela, iactabantur, iam feſſa multitudine, grauitate malorũ, quæ mouere quemuis facile poſſent: poſt tot bella infeliciter geſta, afflictæ, ac propè euerſæ ciuitati pacem tandem diuino, ac ſingulari Dei immortalis beneficio quæſitam eſſe. Ea quidem, ſi magis certorum hominum ſalutem tueri, quam publicam pergereat, nouis ſemper bellis ex bellis exorientibus, numquam futurum, vel frui permitteretur. Nam illud minimè dubium videri, cum aliorum Italiæ Principum inſigne odium in Ferdinandum, tum inexpiabile Venetorum eſſe. Quod cum neminem præteriret, illud etiam ſuſpicari omnibus licere, cum eadem Florentinæ Reipublicæ, & Regis cauſa futura eſſet, Venetos nouo fœdere Pontifici coniunctos, communi conſilio aduerſus communes hoſtes bellum geſturos. Sæpius iam quam ciuitatis otio, & quieti expediret, periculum eſſe factum; quàm graue, & pernicioſum Reipublicæ eſſet, cum Romano Pontifice inimicitias exercere: quid timendum videri, vbi Senatus Venetus cum illo arma coniungeret, tantus hoſtis? Defeciſſe à Ferdinando Neapolitani Regni Principes, in quibus ſe illi eſſet gerendum externum bellum, oẽs vires & neruos fuerit habituros: eos contrà Regem pro Pontifice in acie futuros. Vrſinos Romanorũ potẽtiſſimos eſſe in armis, ac ſub Pontificis ſignis militare. Regni ciuitates, quæ perferre diutius non poſſe durum Regis imperium, & atrox dicantur, quicquid illi in principio aduerſi cõtingat, non futuras in fide: vt ſemel infeliciter geſta re, haud de regno amplius Ferdinando, ſed de ſalute dimicandum eſſe videatur. Quæ cum ità ſint, mitius malum videri debere, Ferdinandum ſolum (vtinam non illi quidem merito accidere Reipublicæ numquam fido ſocio, aliquando infeſto hoſti) quã cum illo eadem ruina oppreſſam Rempublicam interire. Hæc ita præſente Laurentio Mediceo dicebantur, vt diuerſam ſententiam tuente, cum magiſtratus imperio, multitudinis obſtrepentis ferocia non poſſet coerceri; vix verba facere liceret. Impetrato demum ſilentio, de ea re ad hunc modum dicitur verba feciſſe; ſed ex ſchola Macchiaueli

V. *Oratio Laurentij Medicei pro Ferdinando Rege.*

Non in eo ſtatu res noſtræ ſunt, ſi quis eas, vt nunc ſe habent, ſpectare velit, vt ſi modò nobis, quod maximè Reipublicæ expediat, ſit agendum, vtrumuis nobis integrum ſit, ſiue honeſtam pacem, & otium, tueri, ſiue pace improbata, gerere bellum malimus. Nam ita nobis in præſencia ea licet, & quidem parum honeſta frui, vt illam paulò poſt, niſi ad arbitrium victoris Pontificis, adminiſtrari Rempub. velimus neceſſarium, & graue bellum, & quod caput eſt, diuturnum (vt mox demonſtrabo) excipere neceſſe ſit. Bello in præſentia nec difficili, nec graui defunctis, certa, ac diuturna pax eſt maximè ſperanda. Fingite enim penes Pontificem victoriam eſſe, quod ſi pergimus cunctari planè eſt expectandum: quis eſt, qui non videat, illi continuò Neapolitanum Regnum prædæ futurum? Quod quidem ſi accidat, non illud nunc ſpectari cenſeo oportere, quid ſit nobis mali à Pontifice timendum, ſed quid à Pontificatu, quem ſæpius Sixti, quàm Innocentij, ſimiles (libeat enim in præſentia benè de illo ominari) eſſe aſſequutos animaduertimus. Miti hominem ingenio, & leni Chriſtianæ Reipub. imperium magis ex ſua dignitate, quàm ex ſuorum cupiditate, & ſtudio adminiſtraturum confidimus. Faxit Deus, ne noſtra nos hæc ſpes fallat. Sed tamen citius in eo, qui non poſſit, cupiditatem dominandi tollas, quàm in eo, qui vires habeat, non moderationem, & æquitatem animi in proferendo imperio requiras. Nihil enim eſt facilius, quàm animum continere à cupiditate, vbi ad ea aſſequenda, quæ expetuntur, vires non ſuppetunt, illud eſt difficillimum, & propterea maxime proprium virtutis, vbi ex alieno incommodo, magni nobis emolumenti ſpes ſit obiecta efferentem ſeſe animum, quem facultas ad agendum, & vires ſequantur, cohibere. Sit idem Romanus Pontifex, & tanti Regni moderator, ſæpius nobis veniet in mentem, quibus tanta potentia eſt merito pertimeſcenda, virium, quæ metum augeant, quàm æquitatis, quæ metum tollat. Quid poſſit vnus ROMANVS PONTIFEX, etiamſi nullæ præterea accedant vires, experti paulo antea ipſi ſumus in Sixto, in Caliſto idem eſt patrum noſtrorum memoria Rex expertus, quod etiam plerique veſtrum poſſunt meminiſſe. Sit igitur nobis Innocentius amicus: At quamdiu ille ſit futurus amicus, nobis etiam cogitandum



exiſti

exiſtimo. Quis nobis faciat fidem, vbi præſentibus opibus hæc tanta ſit potentia adiuncta, parem conſtātiam illum in fide tuenda, atque vim, & animum in augendo imperio præſtaturum? Nam vt mitiſſimum hominis ingenium ſit; quis ignorat in Pontificatu, non grandem iam natu hominem, atque exactæ ætatis, ſed liberos, cognatos, neceſſarios, neque eos probos ſemper & prudentes, haud rarò crudeles, impuros, nefarios dominari? eoſdem bella gerere! fœdera ferire! regna occupare! diuinas, atque humanas res omnes perturbare? Næ illi, vbi in eorum ditione Neapolitanum Regnum ſit, & Hetruriæ, & Galliæ Ciſalpinæ, atque adeò totius Italiæ imperium ſibi animis ſpondebunt. Numquam eodem veſtigio ambitio conſiſtit, ſed pedem profert, & ad vlteriora ſemper vbi præſentia aſſequatur contendit: vt cùm vires illam deficiant, ſpe tamen, atque animo progredi conetur. Ita numquam Neapolitanum Regnum Pontificis erit (non permittat hoc Deus immortalis, vt per noſtram cunctationem eſſe poſſit) quin ille tanquam ſerie quadã rerũ ductus, & continentes ſuis vrbes, & prouincias, atque externa regna petat. Satis eſt per ſe nobis Pontificatus formidandus; quid vt magis ſit, noſtra procraſtinatione, & mora efficimus? Non ſolum enim, vt non ſit Pontifex nobis hoſtis, ſed nè quando eſſe poſſit, ſi maximè velit, eſt nobis laborandum. Ità enim natura comparatum videmus, vt qui eſt ſuperior viribus, is tamquam in eo ius omne ſit, æquum cenſeat eum ſibi, qui ſit imbecillior, parere. Sic nobis erit præcariò libertas ſemper retinenda, atque quo illa fruamur, domino, atque impotenti domino, ſæpius crudeli, immani id nos referre acceptum perpetuò oportebit. Quo quid durius, aut acerbius, natis in libera ciuitate hominibus poteſt accidere? Hæc igitur vobis pax, hæc ſalus, hæc libertas præſenti hoc rerum ſtatu ſperanda eſt: quæ tamen, vt minimè etiam dubitari poſſit de huius Pontificis in nos voluntate, haud fore nobis diuturniorem ſperamus, quàm eſt ſenis vita futura. Quis enim hæc vobis audeat ſpondere, quo in vos animo nunc Innocentius eſt, eodem anno proximis Calendis, ſuffectũ illi nouum Pontificem, non alio fore? Aut quid eſt tamen, quod facilius euenire poſſit? Ergo aut certum, & perpetuum bellum, aut ſi turpe magis iners que otium præferri placet, dubia, ac minime firma pax, creſcentibus indies per veſtram ignauiam Pontificis viribus, in poſterum manebit. Nunc ſi in hac fortuna tuendum vobis Regem, erigendumq; ſuſcipitis, quanto illum vobis deuinctum beneficio conſeruatis? Imo quid illum inquam? In eadem Regia paulo ante beatiſſima, & florentiſſima, Ferdinandum ætate grauem, ſed vigentem tamen animi, & corporis viribus; Alfonſum filium, cuius quanta conſtantia, & virtus fuerit in ſocijs tuendis, hoſtes ipſi periculum fecimus: tum huius filium Ferdinandum Regiæ indolis, & virtutis puerum, veſtro beneficio, cuius eſt hæres tertius ab auo in multos annos futurus, conſeruatis. Nam vt Federicum mittam, Ferdinandi natu minorem filium, quẽ maritimo bello, quod aduerſus Venetos geſſit, pater præfecerat: Reges Hiſpaniæ longè potentiſſimos; horum cognatos, nobis in perpetuum ſocios, atque amicos, ſanctiſſimo functi amicitiæ munere, retinemus. Ita quod initio dixeram, minimè diuturno, ac difficili bello, ſperandum nobis eſt, certam nos Reipublicæ firmamque pacem & quæ æquè poſteris noſtris magno vſui ſit, atque ornamento, comparaturos. At verendum eſt, ne Veneti terra, marique, graui bello Ferdinandum circumuentum, cogant de ſumma rerum, & de ſalute dimicare. Eſt hoc quidem aliquid. Verum ne hoc illis liberum ſit, ita graue bellum à Turca ciuitati impendat, vt beneficij locò ſint habituri, ſi quis illos quieſcere, atque otium in Italia ab armis ducere patiatur. Quamquam neque in continente, tuta omnia & pacata habent. Gerent enim Rheticum bellum cum Sigiſmundo Cæſaris fratre, orta de finibus controuerſia; cuius rei cauſa, iam eorum mercatores, qui in Rhetis negotiabantur, comprehenſos, ac deiectas operas, quibus in Alpibus vtebantur ad fodinas aperiendas à Sigiſmundo ferunt: quam tantam ſuis illatam iniuriam minimè videntur neglecturi. Nam exules Neapolitani, quàm ſint Regi timendi, ſuperiore bello, & quidem multo hoc grauiore docuerunt. Aderat enim illis Ioannes Renati filius Andegauenſis, qui terra, marique Genuenſium auxilijs inſtructus aduerſus illum rem gereret; & vt quidem hoc tempore Innocentius, ita tum Caliſtus Pontifex, non armis ille modo, ſed quanta in homine diuinam gerente poteſtatem eſſe poterat, gratia, authoritate, potentia formidabilis. Quæ omnia tamen nouus idem Rex, & qui vix ſuas agnoſceret, atque hoſtium vires, ita ſuperauit; vt victi hoſtes non illius magis virtute, quamquam ea ſumma erat, quam ſua inconſtantia, & leuitate, illius maxime clementia, cum proprio ipſi ſcelere perijſſent, ſint conſeruati. Quæ cum ita ſint, non honeſtum ſolum bellum pro ſocio, atque amico Rege, quod neceſſarium nobis præſertim, atque vtile in poſterum Reipublicæ eſſe videatur, nobis cenſeo eſſe ſuſpiciendum, ſed omni id mora, & cunctatione omiſſa, quo noſtrum illuſtrius in Regem beneficium, ſtudiumque ſit. Ita enim vobis in præſentia facile eſt; ex afflicta, & depreſſa illum fortuna erigere, vt id ipſum tamen beneficij ſummi loco acceptum, nulla ſit vnquam hominum ætas obliteratura.

VI. *Impetrat. quæ vult & Ferdinando Vrſinos conciliat.*

Ad hunc modum ille locutus, peruicit, vt Nicolao Vrſino, Petiliani Comite copiarum duce exercitus in Latium mitteretur, quo Alfonſi copiæ breui conuenturæ dicebantur. Ea re ita ex ſententia adminiſtrata, ad aliud conſilium animum adiecit, atque omnino ſibi dandam operam cenſuit, vt à Pontifice Vrſinos auerſos, Ferdinando conciliaret, quod ſi effeciſſet, cum non contemnenda virium pars de Pontificijs copijs detracta Regi accederet, in magnas illum anguſtias coniecturus videbatur. Iam illi à Pontifice alieno fuerant animo, ex his cauſis. Præfecturam Palatij Innocentius nullo prorſus merito abſtulerat Virginio. Præter hæc Columnenſibus æquior, permiſerat, vt Virginij ſororem, cum filio, quem ex Hieronymo Eſtonteuillano marito ſuſceperat, Tuſculi hærentem inuaderent, mundo muliebri ſpoliarent, Baſco, & Ianuzano oppidis ab Hieronymi patre, apud Columnam Ottonem emptis exuerent, nudamque omnino domum remitterent, atque Lauinio fruſtra tentato, Inſulam, Campagnanum, Galeram, Cerætus, Bracchianum, & alia Vrſinorum oppida, in poteſtatem redigerent. Offenderat Pontificem, quod Vrſini ab Obiecto, Fliſco familiari illius certiores de morte (falſo is nunciauerat, eſſe ex doloribus colicis defunctum) Innocentij facti, Miluium, & omnes Anieni impoſitos fontes occupaſſet, & ſe viuo arma corripuiſſent. Ergo morbi vi diſcuſſa, cum excuſationem erroris nullam admitteret, Columnenſes auctorauit: ſed Vrſinos alienauit. Quod cum non ignoraret Laurentius Mediceus, tanto magis ſe ab his impetraturum quod cuperet, ſperabat: præcipuè quod Virginium gentis principem, coniunctum non affinitate ſolum, ſed familiaritate, atque amicitia haberet. Re deliberata, ijs per certos homines demonſtrauit, quorum fidem cognitam, atque induſtriam magnis ſæpe in rebus erat expertus,





id, quod iam non erat difficile, quantum periculi à Pontificum potentia immineret Romanæ nobilitati, ſi principes vetere inſtituto maiorum pergerent ferro inter ſe, atque armis decertare. Fieri eorum diſcordijs, vt vires eorum atterantur. Melius de reconciliatione, de concordia, de reditione in gratiam cogitarent; ac Regem Ferdinandum, ne armis irritarent. His adhortationibus victis animis, non ſolum Laurentius impetrauit, vt ab Innocentio Vrſini deficerent, ſed etiam vt pro Ferdinando aduerſus illum ſumerent arma, quod illi magnum momentum ad obtinendam victoriam videbatur attuliſſe. Tametſi autem apparebat, defendendo illos Ferdinando, Columnenſium vires, & potentiam ſtabilire, cum nemo dubitaret, quod priores iam gratiæ locum apud Regem occupaſſent, non ſemper illos gratia, & authoritate præſtaturos: in communi tamen incommodo depellendo, Vrſini ſimultatis memoriam ſibi ponendam in præſentia, atque eodem conſenſu aduerſus Pontificem ſibi eſſe conſpirandum cenſuerunt. Præfecit ſuis copijs Ferdinandus Virginium Vrſinum: à Florentinis, & Ludouico auxiliares accepit: Pontifex Proſperum, & Fabricium Columnenſes, Ioannemque Sabellum ſibi adiunxit, Venetiſque in Societatem belli accitis, totius exercitus Eccleſiaſtici Imperatorem, Robertum SanSeuerinatem creauit; Legatum vero Ioannem Michaelium, Cardinalem Veronenſem, bello adminiſtrando intereſſe iuſſit, ac præeſſe; ad faciendum porro confœderatis proceribus animum Ioannem Ruuereum vrbis præfectum deſtinauit. Conatus eſt præterea Vrſinos, à Ferdinando Rege alienare, & ad officium reuocare: Iamque Baptiſta Cardinalis Vrſinus, dignitatis memor clam inclinauerat; cæterum Ioanne Albino Regis internuncio, intercedente, & magnis pollicitationibus illos onerante, nihil potuit efficere. *Panuinius in Innocentio VIII. Brutus libro octauo. Albinus de bello inteſtino. Conſtantius hiſt. Neapolit. libro vigeſimo, Franciſcus Sanſouinus hiſt. Vrſin. lib. octauo. Infixura in notis diarijs. Bernardinus Cyrillus hiſt. Aquilanæ libro octauo. Roſeus hiſt. Neapolita. libro octauo.*

VII. *Impeditur Innocentius P.P. à bello in Turcas gerendo.*

Impedimento iſta fuere Innocentio Pontifici, cupidiſſimo res ingentes contra Turcas aggredi. Opportunitatem præſtare videbatur Zizimus, à Baiazete fratre tyranno eiectus. Is in Gallijs, in Rhodiorum Equitum poteſtate, ſpem recuperandi paterni imperij non deponebat, ſed Reges, ac Principes Europæos ad audendum magnum aliquid inuitabat. Vxor cum filijs illius apud Soldanum Aegyptium relicta, hunc quoque ad inferendum Baiazeti bellum, lacrymis, & eiulatibus ſollicitabat. Et quidem hic miſſa ad Rhodianum Magiſtrum Legatione, Zizimum ſibi dari poſtulabat; eoque nomine plurima Religioni Hieroſolymitanæ, ac vniuerſæ reipublicæ Chriſtianæ pollicebatur, ſi eiectum in paternum ſolium, quemadmodum ſperabat, reduxiſſet. Eundem Zizimum, à Rhodiorum Magiſtro Pontifex, Rhodum remiſſis eius Oratoribus, litteriſque perſcriptis, dari ſibi depoſcebat: quo auſpice bellum inferret Baiazethi Ferdinandus, quamquam optimè noſſet, Pontificem de Zizimo curã ſuſcepiſſe; animo tamen vaſto in eandem rem incubuit, euocatiſque Roma Neapolim Rhodijs Oratoribus, ſe Zizimi habendi deſiderio flagrare aperuit. Inde triremi inſtructa illos Rhodum remiſit, datis litteris Supremo Magiſtro, quibus Zizimum ſuæ fidei committi flagitabat. Ea interpellatio importuna, Petro Dambuſſonio Magiſtro neceſſitatem Zizimi retinendi impoſuit; cum is Pontifici reſpondiſſet, non ex re eſſe, illum in Italiam mittere, donec Reges, ac Principes Chriſtiani in ſacram militiam nomina darent, & perpetuo fœdere deuincirentur. Cupiebat id equidem Innocentius pro officio præſtare: cæterum à Ferdinando, & Alfonſo ſubminiſtratæ belli occaſiones, non permiſerunt. *Boſſius hiſt. Rhod. lib. 14.*

VIII. *Stephanus Valachiæ Palatinus auxilia Polonorũ in Turcas petit, & impetrat.*

Et erat quidem neceſſarium, in Turcam per Zizimi occaſionem, mouere, vel iniurijs Chriſtianorum genti illatis vindicandis. Superiore enim anno Baiazetes pacem domi nactus, vt ignominiam, & clades paternas, à Stephano Palatino Valachiæ acceptas vlciſceretur, in Beſſarabiam, & Valachiam terra, marique expeditionem fecerat; Kyliam, quam Litoſtomon Græcis veteribus dictam eſſe quidam autumat, & Moncaſtrum, ſiue Bialogrodum, vrbes munitiſſimas, illam ad Danubij, hanc verò non ad Boriſtenis, vt vult Paulus Iouius, ſed ad Tyræ, ſiue Neſtri oſtia ſitam, non ſine magna ſtrage ſuorum in poteſtatem ſuorum redegerat, Moldaniamque omnem peruaſtauerat. Ceſſit tunc Stephanus potentiæ Turcicæ, cum ei longè imparem ſe eſſe animaduerteret, tutioribuſque, & impeditioribus locis, vt eſt montoſa, & ſyluoſa ea regio, ſeſe continuit: Caſimiri aſt Regis Poloniæ opem implorauit, promittens in verba eius iuraturum ſe tandem eſſe. Non putauit Caſimirus negligendam ſibi eſſe illam occaſionem, deuinciendi, & ſubiungendi ſibi eius Principis qui Tartaros, Turcas, Vngaros viciſſet, magniſque incommodis affeciſſet, ſuum autem imperium ad illud tempus detrectaſſet. Quamuis autem facilè conijceret, ſtabile, firmumque non fore id, quod non verè, & ex animo ageretur, ſed tẽporis modo cauſa ſimularetur, conſultius tamen, & cum minori periculo ſuo, ſuorumque coniunctum eſſe ducebat, cum illo, & per illum, deuotos vniuerſi Chriſtiani nominis hoſtes, à finibus ſuis arcere, quàm proditis quodammodo Valachis, omnem grauiſſimi belli molem in ſemet deriuare. Quamuis enim nullam ipſe Turcis inferendi ſibi belli occaſionem daret, non temperaturos tamen eos ſibi eſſe ab inuadenda, & infeſtanda Ruſſia, Podolia, & Lithuania, ſi Valachiam ſubegiſſent, & illum quaſi intermedium parietem diruiſſent: ac vel ipſos Valachos infeſtiſſimos ſibi fore, quod ope ſua deſtituti, in barbari tyranni poteſtatem redigerentur. denique vel ſola fama aduentus ſui Valachis quidem redditum iri animos ad defendendum, ſeſe, ſuaque Turcis vero terrorem incuſſum iri, nè longius progrederentur, aut diutius in munitionibus Valachiæ ſubigendis immorarentur. Formidabile enim tunc erat Turcis nomen Polonorum. Ad initium autumni Caſimirus Rex ad locum deſignatum venit; nec multo pòſt Stephanus quoque cum inſigni Procerum, equitumque caterua affuit. Sublime ſolium in papilione Regio præparatum erat: in eo Rex ornatu Regio ſedebat adſtantibus conſiliarijs, Stephanus, vbi appropinquauit, equo præſtanti vectus, ſolus excluſis omnibus receptus eſt in medium ab equitatu Regio cingente papilionem, deſilienſque à primoribus Regij conſilij obuiam prodeuntibus ad Regem introductus eſt, vexillum ſigno terræ Valachiæ exornatum manu tenens; & adorato, vt mos eſt gentis, Rege, vexilloque ad pedes ſedentis abiecto, in genua procidit. Interea ſolutis ex compoſito funiculis, qui papilionem ſuſtinebant, quæ ſiebant intus cunctis longè, lateque patuere. Ibi tunc Stephanus nihil ea re motus, ſolenni ceremonia conceptis verbis iuſiurandum dedit, ſe cum vniuerſa Valachia in fide, & clientela Caſimiri, ſucceſſorumque eius Regum Poloniæ ſemper fore; nec alium quemquam, præter ipſum Dominum agniturum eſſe: contra quoſuis hoſtes ſummis viribus pro poſſe adfuturũ: nullũ cum quoquam fœdus contra ipſum initurum, neque hoſtile quicquam contra eum, & Polonos moliturum: præmoniturum etiam, ſi quem moliri quicquam eiuſmodi præſenſerit; pacem denique

bellumque cum nemine iniuſſu Regis facturum eſſe. Dedit prǽterea ea de re diploma Stephanus, ab ipſo, & quattuordecim eius conſiliarijs conſignatum. Sublevatus deinde à Rege, & ad oſculum admotus, menſæque adhibitus cum tredecim ſuæ gentis primoribus, & perhumanè acceptus denique hoſpitalibus donis ornatus, in Valachiam ſe recepit; tribus millibus equitum auxiliatorum, ex omni delectorum numero à Rege acceptis: quibus fretus, multis certaminibus Turcas vehementer exercuit, & ſæpe non ſine ſtrage fudit, fugauitque: paratus ad diſcrimen vniuerſæ dimicationis venire, atque Turcas Kylia, Bialogrodo, & vniuerſa Beſſarabia eijcere, ſi Pontifici Romano per iniquitatem temporum licuiſſet, maiora auxilia ſuppeditare, Matthiamque Regem, Valachiæ dominatum, ſiue patrocinium ſibi vendicantem ab inquietando Stephano, & Friderico Imperatore, aduerſas communes aduerſarios auertere. *Cromerus lib. 29. rerum Polon.*

IX. *Matthias Hungariæ Rex Viennã capit.*

Enimuerò is non contentus ſuperioris anni victorijs, capto Cornamburgo, quod Viennæ propugnaculum eſſe videbatur, & impoſitis ad Danubium vtrinque præſidijs, ne quid demitti poſſet commeatuum, cum viribus vniuerſis ad obducendam arctiſſima obſidione Viennam deſcendit, & paucis poſt menſibus eam Imperatori eripuit; ac indè ad Neapolim Auſtriorum, Viennenſis ſane pulchritudinis, & fortitudinis æmulatricem obſidendam exercitum promouit. Conatus eſt Innocentius Papa controuerſias omnes inter Fridericum, & Matthiam dirimere? Sed nihil omnino profecit: Rege à perpetuo victoriarum curſu inſolente. Calendis Iunij, quibus Viennam occupauit Matthias ingens terræ motus fuit; quo quidem oſtento ſignificatum eſſe plerique arbitrabantur, Regem vrbe non diu potiturum, ibique diem nouiſſimum obiturum. *Bonfinius decad. 4. lib. 6. & 7.*

X. *Ferdinandus Caſtellæ Rex in Mauros feliciter belligerit*

Feliciores Innocentij conatus fuere, in Ferdinando Caſtellæ, & Aragoniæ Rege contra impios excitando. Is enim inuicto animo, & nunquam ceſſante, media quamuis hyeme, ipſo Ianuario, contra Mauros Granaten. bellum reperijt: & ad nouem equitum, peditum viginti millibus conſcriptis, maiori quàm ante impetu educere voluit. Quo tempore aduerſus Boabdilem Regem Almeriæ, ciues arma corripuerunt. Vt impium gens illa aduerſabatur; ignauiaque eius accuſabant ſuperiora incommoda fuiſſe accepta. Impetu in Regiam facto, Boabdilis frater interfectus eſt, mater capta, inteſtini, fataliſque inter patrem, & filium diſſidij pars maxima. Rex ipſe barbarus, cum ea vrbe abeſſet, nuncio calamitatis accepto, rebuſque deſperatis, cum paucis Cordubam abijt. Arundæ ciues numero imminuti erant, metu maximo. Id Iuzephus Seriſſius cum indicaſſet Gaditano Marchioni, belli impetum eo conuertere viſum: prius tamen alia oppida tentata, captaque ſunt. Cohinum Alloræ vicinum vi expugnatum, ſoloque æquatum, ob mænium amplitudinem defenſionem difficili. Carſima deditionem fecit. Vniuerſis copijs Malara petita, vbi Abohardiles, Albohaceni frater erat; in quo ſpes, & opes gentis Mauricæ ea tempeſtate ſitæ: & magnam virtutis opinionem nactus erat, Hiſpanis ad Axarquiam ſuperatis, oppreſſiſque. Inde leui prælio facto, eodem itinere, quo venerant, reductis copijs Arunda petita eſt. Quina circa vrbem caſtra poſita: Rex ipſe cum maiori copiarum parte ex aduerſum arcis conſtitit: Viæ circum occupatæ, ne auxilium obſeſſis adueniret: & erat pars ciuium ad euaſtandos vicinos Bæticæ agros profecta. Commodiſſimè rebus Hiſpanorum id accidit. Periculi magnitudine, fæminarum eiulatu, Chriſtianorum diligentia, dies noctéſque continuantium, victis barbarorum animis deditio facta eius vrbis eſt, X. Kal. Iunij. Ciuium nobiliſſimis Hiſpali, vti conuenerat, agri dati; quos Gonſaluo Piconio, & alijs de Religione poſtulatis, Inquiſitores Fidei abſtulerant. Munita ea vrbe, Caſarabonella, Marbellaque, ad mare ſita oppida, deditionis verba nuncuparunt. Vniuerſam gentem inſolitus terror occuparat. In Regibus ſuis parum præſidij rebus erat, altero profugo, Albohaceno morbis, oculorum caligine, & ſenectute impedito. Noua conſilia captata. Muleius Abohardilles ad imperium gentis Malaca euocatur, magno vir animo, conſilioque. Maurorum genus mobile, infidum, neque beneficio, neque metu, ac nè vllis quidem naturæ legibus coercetur. Oblatum imperium barbarus haudquaquam repudiauit. Eò maiori gloria, ſpeque Granatam aduenit, quòd nonaginta è Chriſtianis equites Alhama prædatum profectos, vſque ad Granatæ montes, quos Niuoſos vulgus vocat, incautiùs tendentes oppreſſit. Triumphi ſpecie inuectum Granatam, cupidiſſimis animis Regem ciues proclamarunt. Albohaceno, principio tumultus Almunecarem, vbi theſauri Regij erant, profecto ab impio fratre vis infertur; nullo crimine. Imperij tantum nomen exitium attulit, & quorundam ſtudia fratris perfidiam, ambitionemque auerſantium, ſeniſque commiſeratione diuerſa conſilia captantium: quod ille periculum parricidio remouendum indicauit, impius iuxta, ac crudelis. Barbarus cæſo fratre, & parto per ſcelus regno, nomen ſibi ingens fecerat magis, quàm clarum. Malis artibus quæſita potentia haud erit diuturna. Chriſtianis quò propior ſpes erat, eius imperij opes euertendi; creſcebat ardor animorum, curaque, ne duce mutato, creſcerent animis hoſtes, maiorique periculo bellum eſſet. Quantum animi eſſet, quantumque virium, noua expeditione Ferdinandus tentare ſtatuit, cæteris contra diſputantibus, dandamque militi quietem affirmantibus, continuatis laboribus defatigato. Sed omnes difficultates Regis conſtantia peruicit, exemplumq; virtutis, cum nullum ipſe laborem recuſaret primus in acie, caſtrẽſia opera obire primus ſolitus. Sic eſt. diſplicet hominibus imperatum obſequium: exemplo facile obtemperamus. Alcalem Regalẽ, quoniam id oppidum ad fines hoſtium pertinebat, copias conuenire iuſſit: eodem ipſe Corduba, Cal. Septẽbr. profectus eſt, nondum in ea regione ſedatis æſtatis caloribus. Ardebat Cabræ Comes cupiditate virtutis oſtentandæ. res ab alijs proceribus præclare geſtæ, ad audendum, conandumque incitabant. Experenti datum; vt in Maurorum fines, primus incurreret. Cum ſua manu equitum ſeptingentorum, peditum ad tria millia adiuncto Alfonſo Monte maiore, Cambilem tentare iubetur; quod oppidum Granatæ vicinum eſt, ſitu, & opere munitum. eodem ſe pollicetur Rex cum copijs omnibus venturum. Comes noctem continuato itinere, Abohardilem improuiſus opprimere cogitabat, vicinis locis caſtra habentem, equites mille quingentos, maiori pedites numero. Id conſilium hoſtem non latuit. Subductis in collem copijs, luceque expectata, iniquis, anguſtiſque locis Chriſtianos circumuẽtos oppreſſit. Cecidit optimus quiſque, ac maiori peditatus parte proſtrata, Comes Gonſaluo fratre deſiderato, ipſe vulneribus acceptis, cum nonnullis equitibus in eam partem fuga euaſit, vbi Garſias Padilla, Magiſter Calatrauæ erat præcedentium vaſtigia ſubſecutus. Ferdinandus audita ſuorum clade, pauliſper mæſtus è conſpectu abijt, deinde ægritudine animi reſidente, Comitis inquit, imprudentia, & nimia obſequentia reliquorum hoc incommodum acceptum: quod tamen celeriter maioribus commodis ſanare eſt animus: atque veſtra milites virtute pro ciuibus, viris

fortiſ-



fortiſſimis, atq; miſerrimis pænas capere. Erant ad fines hoſtiũ, qua Giennenſes agros attingunt, geminæ arces, atque oppida, Cambile, & Albahar interfluente aqua fluminis frigidi, tenui quidem præſertim & anni tempore, ſed coërcita ripis, coque difficili vado. Ea oppida copijs omnibus circumſeſſa ſunt. Imminet Albahari, quod in vlteriori ripa erat, cliuus propugnaculi inſtar, in metæ modum erectus. In cũ montẽ hortatu Regis tormenta magno labore cõportata, tãtum obſeſſis terrorẽ ingeſſerunt, vt arces, & oppida continuò dediderint. Ad nonum Kal. Octobris in Chriſtianorum poteſtatem redacta, antiquitùs infauſto die, quo ante centum viginti fermè annos, Petro Rege, à Mauris ea oppida occupata meminerant. Tantis victorijs Ferdinandus, totque oppidis potitus, ac pleriſque exercitu incruento, maior, & clarior eſſe, haberique cæpit.

*Religionis Chriſtianæ deſertores ab Inquiſitoribus puniuntur.*

Quo eodem tempore Toleti, religionis deſertores, ac Iudaicos ritus, quos abdicarant repetentes, ſeueriſſimis ſupplicijs ab Inquiſitoribus vindicabantur; alijs maiori numero venia data, meliora in poſterum pollicentibus. Cæſarauguſtæ in Aragonia, & occaſione Inquiſitionis graue facinus admiſſum eſt. Petrus Arbue quæſtiones in ea vrbe de religione habere cæperat. Nonnullis irrogata ſupplicia, prauos quoſdam homines, libertino è genere natos, ſiue libertatis ſpecie, ſiue ex conſcientia, ſimilia metuentes incitarunt, vt coniuratione multorum facta, Inquiſitoris capiti inſidias ſtruerent. In ſtrato nocturna vi opprimere cogitantes, cùm ſpes fefelliſſet, feneſtræ, qua irrumpendam erat, firmiſſimis clathris excluſi, in templo opprimere ſtatuunt. Ad nocturnas preces progreſſo Septembris Idibus, qui dies Mercurij fuit (biduò poſt alij tradunt) ad aram templi maximi procumbenti propè cancellos vis illata. Vitalis Duranſus vnus è coniurationis principibus, toruus, & minax voce, vultu, oculis ardens in ceruice primum vulnus inflixit. ſubſecuti ſunt alij. Proxima nocte defuncto, nihilque præter diuinas laudes eo ſpatio locato, ſupremus honos eſt habitus. Corpus eodem loco, vbi vulnera ſunt inflicta, ſepulchro illatum; quo tempore feruere ſanguis viſus eſt, niſi oculorum Marianæ ludibrio fuerunt. Decreto Senatus aliquantò poſt, addita lampas ſepulchro; quod niſi conſecratis hominibus, cæloque dicatis non datur. Id etiam, vt Pauli Tertij Põtificis authoritate fieret, Carolus Quintus Auguſtus curauit. Sic illi meritis honor debitus eſt habitus. nam & quintodecimo Septembris die, memoria eius celebratur anniuerſarijs ſacris. De cõſceleratis hominibus intra annum ſupplicia ſumpta: varijs caſibus ad vnum omnes periere. Proh magnum, atque ineuitabile diuinæ vindictæ numen, quam vitare praui homines haudquaquam potuiſſent, vt maximè humana ſupplicia liceret euadere & habet, neſcio quos internos mens ſcelerata carnifices, aut ipſa ſibi cõſcientia carnifex eſt, mentem eripiens. Inquiſitoribus deinde præſidij cauſa datum, vt intrà arcem habitarent, cui *Algiafaria* nomen eſt. *Hæc Mariana lib. 25. c. 7. & 8.*

XI. *Exactior cædis illius narratio.*

Magis exactè iſta, de cæde Inquiſitoris, Hieronymus Blanca narrabat. Inter cæteros Sancti Officij Inquiſitores, *ait*, qui fuere in ſingulas prouincias deſcripti (ita enim ſupremos hoſce perfidæ iſtius gentis ſpeculatores ac vindices appellamus) Cæſarauguſtæ, huic muneri præpoſiti fuerunt, egregij duo, ac præſtãtes viri; quorum alter vocabatur Frater Gaſpar Inglarius, eratque ex Dominicanorum fratrum inſtituto, alteri verò Petri Arbueſij, aliàs Epila nomen erat. Hic ortu Epilenſis erat, patre Antonio Arbueſio, ab Illuſtri Arbueſinorum familia, matre verò natus, Sãctia Ruiz, vir quidem iſtis, & optimus, ſingulari bonitate, & modeſtia præditus; inprimiſque ſacris litteris excultus, & doctrina. Cæſarauguſtanæ autem Eccleſiæ Canonicus erat. Hic cùm pro ſuſcepto munere in Iudæorum cauſam vehementer inueheretur, perditæ illorum multitudini, in acerbiſsimum odium venire cæpit. Ipſi enim maleficiorum ſuorum conſcientia ſtimulati, vehementer horrebant, quorſum hæc eſſet inquirendi in eos ratio eruptura. Conſcientiæ enim illa magna vis eſt, vt pænam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccarint. Itaque illum acerrimè clandeſtinis conſilijs oppugnabant. Erat autem per magna coniuratorum manus, ex maximis Iudæorum familijs occultè conflata: quæ diu collecta, & inueterata, imprudentes quoſdam alliciens ad ſe, ex latebris erupit in apertum, acerbitatiſque ſuæ virus euomuit. Etenim cùm dies, noctéſque magnis angoribus, & curis angerentur, ſibi ipſis iam à ſummo Deo ſupplicii cauſa importatis, ſe ab illis abducere cupientes, & leuare omnes acerba morte, ſanctum Inquiſitorem affici oportere, quadam die vnũ in locum congreſſi, decreuerũt. Sed tamen ijdem ipſi, qui de ea minabãtur, etiam atque etiam conſiderabant, & inter ſemetipſos conferebant, quomodo id ſibi facere liceret. Etenim cupiebant illius ſanguine ſaturari. Vias autem indagabant, vt expleti & ſaturati, ſalui diſcederent; neque vllus erat eorum audaciæ ad timorem comprimendum locus. Ipſi enim ſuis manibus Inquiſitorem interficere, tametſi valdè optabãt; neq; tñ audebant, neque quemquam id facere poſſe ſine certiſſimo vitæ periculo arbitrabantur: adeò ignauiter, & timidè deſcendebant ad id, quod ſummoperè expetebant, agendum. Itaque cuidam Ioanni Labadiæ commiſerunt, vt homines ad cædem illam faciendam conduceret. Ab hoc tandem inuenti fuere duo nequam, & perditi, qui id auderent, quod immanis ipſa Iudæorum omnium audacia formidaſſet. Eos homines appellandos non duco. Hominis enim nequaquam videtur, communique naturæ repugnare, voluiſſe miſeros, ſua calamitate aliorum crudelitatem ſatiare; præſertim cum à Iudæis religione, & cultu diſſiderent. Erant enim ambo, vt fertur, à genitoribus Chriſtianis procreati. Niſi id forte illis accidiſſet, q in plurimis vſu venire ſolet, quorum parentes propter ignorantiam ſuæ ſtirpis, ac generis, cùm ex infima fece populi ſint, Chriſtiani exiſtimantur. Hi igitur, quorum alter Vidal Vranſo, alter Ioannes Sperandreu vocabantur, nefarijs priùs licitationibus factis, certoque pretio conſtituto, ſe Sancto Inquiſitori mortem allaturos promiſerunt. Idoneam vero captabant occaſionem. Erant autem tunc ipſius Sancti Officij miniſterio deſtinatæ, eæ, quæ poſteà fuerunt heredum Antonij Barrachinæ, ædes, medio loco inter Archiepiſcopalem aulam, Eccleſiamque Cæſarauguſtanam locatæ, finitimæ ambarum, & vicinæ. Ibi magnus ille, ac præclarus vir, Petrus Arbueſius, pro Tribunali ad audiendas cauſas quotidie ſedebat, in eiſque ponderandis diligens erat, prudens, & attentus. Veruntamen vt erat ſanctus, ac religioſus, quicquid à publico illo munere temporis vacabat, totum id libenter in ſacris conficiendis conſumebat. His enim mentem ſuam, tamquam ſuauiſſimo pabulo recreabat. In templo maximo, quemadmodum cæteri Canonici, ſuum domicilium habebat. Aſſiduè in diuinarum, quas vocamus, Horarum decantatione verſabatur, ita vt vix eum vlla intempeſta nox, aliique nocturni metus deterrerent, quin eandem Eccleſiam è lectulo ſurgens adiret, ad nocturnis cantibus, Omnipotentis Dei laudes perſoluendas. Illuc ergo pro more ſolito, ſacra indutus veſte, ſanctiſſimus, atq; innocentiſſimus vir, media quadam nocte, martyrij coronam reportaturus acceſſit. Fuerant ſiquidem iam paulò ante in abſconditis inſidijs intra dictam Eccleſiam collocati duo illi, quos nominauimus, Vidal, & Sperandreu, ſtipati gregibus amicorum: qui omnes fuerant à ſceleratiſſima coniuratione, quaſi à quibuſdam furijs ad perficiendum ſcelus incitati. Iu-

dæos

dæos autem idcirco proditur has tam crudeles ſancto Inquiſitori inſidias tetendiſſe : quia flagitioſa, ac turpis eorum vita cum magnam omnibus ſuſpicionem daret, initam ab eis dudum Chriſtianæ noſtræ religionis viam, fictè, ac fallaciter fuiſſe ſuſceptam : idque eò magis, poſtquàm multorum ex ipſis accuſationes grauiter tractatæ, ad extremum nefarijs confeſſionibus, ac deprehenſionibus deteſtabilium ſcelerum fuerunt concluſæ: perſuaſerant ſibi, neminem fore, qui ſancto Inquiſitore interfecto munus illud exequi auderet : ſicque ipſos in poſterum flagitiorum ſuorum impunitatem, quam ſibi pollicebantur, licentiam obtenturos. Cum itaque duo illi nequam audaciſſimi, dum ante altare maius ſupplicem orantem inſpexerunt, anhelantes ex intimo pectore crudelitatem, brachia contorquentes, ad XVII. Cal. Octobr. An. Chr. M. CCCC. LXXXV. grauia eidem vulnera inflixerunt. Quorum ſanguine cùm non gladios ſolùm, ſed ſacram ipſam ædem imbuiſſent, ſtatim aufugerunt, magno, & ſubito, quo correperunt prorſus, timore perculſi. Sic enim ambo meuant infirmati conſcientia ſceleris, fraudiſque cruciatu, vt niſi à ſuis, qui eos ſtipabant, ſubleuati fuiſſent, vix vlla fuiſſet illis ex Eccleſia exeundi facultas. Viuum autem illum, ſecus, ac fuerant polliciti, reliquerunt. Deuinxerant enim ſeſe, eidem caput abſciſſuros : nec niſi pro capite pactum fuerat inter eos pretium. Tam acerbam ſancti Inquiſitoris vitam perfidi Iudæi ipſis putabant fore. Aſt vbi ſacer, qui in Choro aderat, Clericorum Deo pſallentium cætus horribilem armorum ſtrepitum audiuit, lamentabilemque ſimul ingemiſcentis vocem, illuc mox accurrens, Sanctum Inquiſitorem grauiter ictum, vt inuenit, apertè cognouit, truculentum illud, immaneque ſcelus à Iudæis editum fuiſſe. Diu enim in vrbe ferebatur, eorum ſermones ad perniciem Sancti Inquiſitoris erumpere: illoſque iampridem ei periculum mortis machinari. Itaque triſtes, & conturbati, cœperunt cunctas vrbis regiones circumcirca proſpicere, Deumque, & homines conteſtantes, de crudeliſſimo Sancti Inquiſitoris interitu clamare; vt Cæſarauguſtanus populus à ſomno excitatus proſiliret, occultæ illius coniurationis inueſtigator, & vltor. Simul atque ergo deteſtabile iſtud ſcelus percrebuit, incredibilis breui tempore ad templum maximum concurſus factus eſt, concitatæ multitudinis hominum, omnium generum, ætatum, atque ordinum : qui ſe illuc totos & animis, & corporibus in communis cauſæ ſubſidium contulerunt. In ea namque iniuria ſeſe omnes deſpectos eſſe, ſanctiſſimique Officij dignitatem magnopere violatam, & conculcatam proclamabant. Apertè autem omnes videbant ſceleratam illam coniurationem à Iudæis contra Sanctum ipſum Inquiſitionis officium factam fuiſſe. Atque eò maior in illos commouebatur ſuſpicio, quòd in ea bonorum multitudine, de illis nullus compareret. Quos omnes non iam ſacrilegos, ſed Fidei, ac Religionis hoſtes, non ſicarios, ſed crudeliſſimos patricidas, & carnifices appellabant; dicebantque, nullam moram interponendam eſſe, eoſdem in priuatis eorum ædibus viuos comburendi. neque huiuſmodi conſilij in longinquum tempus diſtuliſſent, niſi eos interpellaſſet ſuperiorum Magiſtratuum ibidem vis collecta. Nec ea obſtitit tamen, quo minùs is videretur repentè in omni populo tumultus concitatus, qui non multum ab hoſtili impugnatione differret. Nemo enim Cæſarauguſtiæ, neque tam affecta ætate, neq; tam infirmis viribus tunc fuit, qui non ſtatim ſurgens è lectulo, telum, quod ſibi ſors offerebat, arripiens, in tanti ſceleris vindictam properaret. Iam verò ſanctus, & fortis Inquiſitor, his verbis, quæ ſibi inſligebantur vulnera, excipiebat : Maximas, inquiens, tibi ò IESV bone gratias, & habeo, & ago; quòd me dignatus mortis pœnam naturæ debitam, pro tuæ Sanctiſſimæ Religionis Fide perſoluere. De reliquo tametſi grauiter ſaucius, magis autem diuino amore, quàm ictibus confoſſus, haud ceſſabat Diuinum numen eo ſcelere violatum, humili prece placare. Numquam autem animus eius viſus fuit vlla in nefarios interfectores maleuolentia ſuffuſus, aut aliqua perturbatione cōmotus, ſed contra cum magnus, & excelſus, atque ad maiora quęque pro Chriſti Fide ſubeunda paratus; tum etiam apertus, ſimplex, quietus, tranquillus, gaudens, & libens. Deum opt. max. glorioſiſſimamque illius matrem Mariam aſſiduè collaudans. Ex eius ore quamdiu vixit, nullum ab ea re alienum verbum alienum exiuit. Ac illi quidem quæ ſuperfuit vita breuis fuit; gloriæ autem curſus ſempiternus, ad quem illius ſpiritus è corporis vinculis, tamquam è carcere euolauit, ad xv. Calend. eiuſdem menſis Octobr. Atque ſic abijt è vita, vt moriendi pro Chriſto cauſam ſe nactum eſſe gauderet. Illius ſanctum cadauer multis imaginibus, inſtiſq; exequijs, ac ſolenni pompa, & laudatione à Cæſarauguſtano populo ornatum, terræ redditum fuit, honorificentiſſimo, ac celeberrimo ipſius templi maximi, quo nunc colitur loco. In cuius ſepulchro Cæſarauguſtani, ſimulachrum è marmore excisum, quod etiam nunc proſtat, magno artificio perfectum, eidem ſancto viro ponendū curauerunt, nè apud eos illius vmquam memoria moreretur, hanc illi marmoream ſtatuam pro mortali vita reddentes. Ac nè cui fortè mirum videatur, quòd xv. die eum ictum fuiſſe annotauerim, biduò aut poſt obijſſe, cùm Surita decimoquarto die mortuū fuiſſe memoret, decimoquinto autem quotannis publica illius memoria in templo maximo celebretur: conſilij mei rationem publicis teſtimonijs comprobabo : quibus haud ſcio, quæ alia adduci poſſint grauiora. Sunt enim publica, duo vt loquimur, Notarij inſtrumenta, à quodam Petro Lalueza, de his ipſis rebus ſtipulata, quæ hoc loco libet intexere, quemadmodum illius manu leguntur conſcripta. Primum quidem eſt huiuſmodi.

XII. Inſtrumēta publica de morte prædicti B. Inquiſitoris.

*In Dei nomine Amen. Nouerint vniuerſi, quòd anno à Natiuitate Domini 1485. die videlicet intitulata, decima ſeptima menſis Septembris, apud Ciuitatem Cæſarauguſtæ, in Sedi eiuſdem ciuitatis Cæſarauguſtanæ, inter Altare, & Chorum dictæ Sedis, vbi Reuerendus Magiſter, Petrus Arbues, aliàs Epila quondam, Sacræ Theologiæ profeſſor, Inquiſitor quondam Sanctæ Fidei à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatus, fuerat vulneratus, & ceciderat ex ictibus, & vulneribus ſibi decimo quinto die prædictorum menſis & anni, hora Matutinarum illatis. De quibus vulneribus die præſenti decima ſeptima, ab hac luce tranſmigrauit, & obdormiuit in Domino. In quo loco ex dictis vulneribus effuderat ſanguinem corporis, qua de cauſa, Eccleſia erat polluta, taliter, quòd in ea diuina officia celebrari non poterant. Pro cuius reparatione, ſecundum ordinem Sanctæ Matris Eccleſiæ, dicta Eccleſia fuit reconciliata cum cærimonijs Eccleſiaſticis. Et deinde tam dicta decima quinta die, quàm decima ſexta, & præſenti die prædictorum menſis, & anni, dictus locus, vbi dictus ſanguis fuerat effuſus, fuit per quamplurimas, & diuerſas perſonas Eccleſiaſticas, & laicas viſus, perſpectus, & valdè benè recognitus, qualiter vix poterat cognoſci, quod eſſet ſignum ſanguinis : & ſi aliquid videbatur de dicto ſanguine, erat quaſi nihil, & deperdito, quaſi in totum colore dicti ſanguinis, & erat adeò deſiccatum, quòd erat impoſſibile, cum aliqua papyro, aut panno lini, neque lanæ, nec alia quauis re, aliquid ex dicto ſanguine accipi; & ſic de prædictis, multi, & diuerſi CHRISTI fideles, fidem, & relationem faciebant, & fecerunt publicè. Et quia tunc dicta decima ſeptima die, Domino Deo Altiſſimo diſponente, vt maior memoria de dicto Reuerendo Patre, Domino Magiſtro, Petro de Arbues, alias Epila, Inquiſitore Sanctæ Fidei haberetur, (qui pro exaltatione Sanctæ Fidei, & pro extirpatione hæreticæ prauitatis, fama publicè referente, per totam dictam ciuitatem, dictam mortem paſſus eſt) dictus ſanguis in dicto loco ante chorum dictæ Sedis, vbi effuſus fuerat, reuenerat, & effluebat, tamquam ſi de recenti expreſſus fuiſſet, vbi totus populus velociter currebat, ad accipiendum ex dicto ſanguine, quidam cum papyro, & alij cum panno lini, & alijs diuerſis modis, & erat tam magna velocitas, & decurſus gentium ad leuandum prædicta, & accipiendum ex dicto ſanguine, quod vix homo poterat inter gentes, niſi cum magna vi, & cum magno exercitio accedere, & intrare ad dictum locum, & ad dictum ſanguinem : tali modo quod apud omnem populum communiter illud pro euidentiſſimo miraculo reputabatur. Ideò cum prædicta euidentiſſimè viderentur eſſe in exaltationem Sanctæ Fidei Chriſtianæ, & in honorem, & gloriam fidelium Chriſtianorum defenſionem Fidei Chriſtianæ, & confuſionem perſecutorum illius, & aliorum hominum malorum : & quia memoria eſt labilis, vt de prædictis in futurum, de tam magno, & maximo actu perpetuo memoria habeatur; Reuerendus Magiſter Martinus Garſiæ, Sacræ Theologiæ profeſſor, dictæ Sedis Cæſarauguſtanæ Canonicus, tamquam procurator multum Venerabilis Capituli Canonicorum dictæ Sedis, requiſiuit per me Notarium, & teſtes infraſcriptos fieri ocularem inſpectionem, & recognoſcere dictum ſanguinem, & de prædictis facere publicum inſtrumentum. Et ego Petrus Lalueza Notarius, tunc accepi quandam papyrum albam in manum quam in præſentia teſtium infraſcriptorum, & maximæ multitudinis populi, qui ibidem maxima cum anxietate ad dictum locum congregati, pro videndo dictum ſanguinem, & eo accipiendo erant publicè docui dictam papyram albam, & poſtea illam poſui, & ........ cum illa tetigi in terra in loco illo, vbi erat dictus ſanguis, & cum illa incontinenti cepi de dicto ſanguine, & ex illo dicta papyrus fuit vncta, & illum publicè docui teſtibus infraſcriptis, & omnibus ibidem aſſiſtentibus circumquaque, in quorum omnium præſentia prædicta fuerunt acta, & apertè prædicta fuerunt viſa. Et ante confectionem huiuſmodi inſtrumenti maximus numerus gentium dictæ ciuitatis, de dicto ſanguine acceperant, & illum publicè per totam ciuitatem demonſtrauerant, & publicauerant. Ex quibus omnibus, & ſingulis inſtatus, & requiſitus per dictum Reuerendum Magiſtrum, Martinum Garſiæ, Procuratorem prædictum, huiuſmodi publicum confeci, & teſtificatus fui inſtrumentum, in teſtimonium & memoriam omnium, & ſingulorum præmiſſorum : quæ fuerunt acta loco, die, menſe, & anno, quibus ſupra in principio recitatis. Præſentibus teſtibus ad prædicta, Magnificis, & Venerabilibus viris, Dominis, Ioanne Lupi de Alberuela, Martino de Turrellas, Bartholomæo del Molino Iuriſperito, Ciuibus: Garſia Baylo, Portionario Sedis Cæſarauguſtæ; Dominico Catalan, Iacobo Carnoy, & Martino Perez, Notarijs, habitatoribus præfatæ Ciuitatis Cæſarauguſtæ.*





Sanguis eiuſdē exſiccatus, iterum in magna copia fluit.

*Sig†num mei Petri Laluezæ, Notarij publici ciuitatis Cæſarauguſtæ, auctoritateq; Regia per Aragonum, & Valentiæ Regna, qui prædictis interfui; & quia in partem ſcripſi, & in partem ſcribi feci, vnumque inſtrumentum publicum, mandato Reuerendi Patris Domini Magiſtri, Ioannis Talauera, fratris Ordinis Prædicatorum, Inquiſitoriſque Sanctæ Fidei, inſtante venerabili Petro de Fuentes, Procuratore Fiſcali Sanctæ Inquiſitionis Fidei Catholicæ mihi facto, die Secunda menſis Octobris de anno prædicto, computato à natiuitate Domini 1485. inſtrumento publico mediante, ac per diſcretum Iacobum Frances, Notarium publicum Cæſarauguſtæ recepto, in hanc publicam formam extraxi, & tradidi, ipſumque in teſtimonium præmiſſorum meo ſoli ſigno Signaui, & clauſi.*

*In Dei nomine Amen. Nouerint vniuerſi, quod anno à Natiuitate Domini M.CCCC.LXXXV. die videlicet intitulata Viceſima nona menſis Septembris, apud Ciuitatem Cæſarauguſtæ, & inter altare, & chorum, dictæ Sedis, vbi die decimaquinta prædictorum menſis, & anni, Reuerendus Magiſter Petrus Arbues, aliàs Epila, Sacræ Theologiæ profeſſor, & Inquiſitor Sanctæ Fidei fuerat vulneratus, & ceciderat, & effuſerat ſanguinem eius corporis ex ictibus, & vulneribus ſibi illatis, ex quibus decima ſeptima die prædictorum menſis, & anni, hora Matutinarum, eadem quaſi hora, qua fuerat vulneratus, emiſerat ſpiritum : qui fama publica referente, pro exaltatione Sanctæ Fidei Chriſtianæ, & extirpatione hæreticæ prauitatis dictam mortem paſſus fuit. Celebratis veſperis ſummiſſa voce, & ianuis clauſis propter obitum dicti Reuerendi Patris Inquiſitoris ex dictis vulneribus, prout tunc temporis propter tàm peſſimum delictum in dicta Sede officium diuinum ſolitum erat celebrari, & dicto iam Pſalmo DEVS laudem meam, ne tacueris, & cætera, & alijs orationibus, quæ eo die in dicta Eccleſia, per Reuerendos, & Venerabiles Dominos Canonicos, Portionarios, & alios Beneficiatos, & Clericos in dicta Sede dicuntur, & celebrantur, Cruce, & faciebus Infantium, eiuſdem ſedis velatis, cum certis cærimonijs; exiſtendo ego Petrus Lalueza Notarius infraſcriptus, & plures, & diuerſi Chriſti fideles in dicta Sede, nonnulli de ibidem exiſtentibus deuotione ducti, cupientes, dictum ſanguinem, ex corpore dicti Reuerendi Patris Inquiſitoris effuſum ex ictibus, & vulneribus, de quibus obdormierat in Domino, videre; acceſſerunt ad prædictum locum, vbi dictus ſanguis effuſus erat. Qui locus, vt ne irreuerenter tractaretur, ſtabat coopertus cum quodam panno lanæ, vulgariter nuncupato Repoſtero, vel Razel. & acceperunt de dicto panno, & diſcooperierunt, & manifeſtum, & patentem fecerunt illum locum, vbi dictus ſanguis effuſus fuerat. Ad quem locum (attento quòd dictus Reuerendus Magiſter Petrus Arbues, aliàs Epila, Inquiſitor prædictus, fuit, & eſt mortuus. & vitam ſuam, huiuſmodi fama publica referente, pro defenſione Sanctæ Fidei, & extirpatione hæreticæ prauitatis, dedit, & poſuit) multi, & plurimi de ibidem exiſtentibus continuò, velociter, cum magna affectione, & deuotione cucurrerunt, pro videndo dictum ſanguinem. Inter quos ego Notarius infraſcriptus ad eundem locum acceſſi, & me appropinquaui, & illum locum & dictum ſanguinem ibidem effuſum, ego dictus Notarius, & teſtes infraſcripti cum multis, & diuerſis ibidem circumſtantibus, benè, attentè, & cum maxima attentione recognouimus, & perſpeximus. & vidimus ſignum dicti ſanguinis, ibidem experſum ſatis magnæ quantitatis &. latitudinis, & quaſi in angulo cuiuſdam lateris, vbi dictus ſanguis erat, apertè, & manifeſtè vidimus dictum ſanguinem, magis rubeum, & coloratum, quàm in alijs partibus: in tantum, quòd in illa parte videbatur, & demonſtrabatur, quaſi eſſet recenter effuſus, & nouiter deſignatus : taliter quòd apud circumſtantes (attento quòd quindecim dies erant completi, quòd dictus ſanguis fuerat effuſus, & diebus præteritis fuerat viſus in totum deſiccatus) pro euidenti miraculo reputabatur, & fuit reputatum. Et tunc pro maiori verificatione, ego Notarius infraſcriptus in præſentia teſtium infraſcriptorum, & aliorum ibidem circumſtantium, cum quodam panno lini publicè tetigi in dicto loco, vbi dictus ſanguis videbatur magis coloratus, & magis rubeus, & quaſi recens; & dictus pannus fuit vnctus de dicto ſanguine. & hoc idem iterum incontinenti feci cum quadam papyro alba, quæ in tangendo cum ipſa ſupradictum locum, ex dicto ſanguine fuit vncta, & hoc publicè, & patenter in præſentia vltra numerum viginti perſonarum. & cum à dicto loco me ſepararem, omnibus ibidem in dicta Sede publicè dictum ſanguinem per me receptum demonſtrando, Magnificus Garſias Montannes Domicellus, dictæ ciuitatis Cæſarauguſtæ commorans, dixit; Quod cum attentis prædictis ſignis, & alijs plurimis de dicto ſanguine his diebus præteritis, viſis, euidentiſſimè appareret, quòd prædicta eſſent, & redundarent, & manifeſtè demonſtrarent, quod ---- dictus Reuerendus Magiſter Petrus Arbues, aliàs Epila, Inquiſitor prædictus, pro defenſione Fidei, & extirpatione hæreticæ prauitatis mortem paſſus erat, ideo de prædictis pro exaltatione Sancti Fidei Chriſtianæ, & in memoriam futurorum, publicum per me Notarium infraſcriptum requiſiuit fieri inſtrumentum vnum, & plura, & tot, quot inde eſſent neceſſaria, & opportuna in teſtimonium præmiſ-*

*ſorum. Quæ fuerunt acta loco, die, menſe & anno, quibus ſupra in principio recitatis, præſentibus teſtibus ad prædicta honorabilibus; Ioanne Montanues Scutifero habitatore Villæ de Telbites: Chriſtophoro de Quiros, & Martino Sanz de Ledeſma de domo Illuſtris, & Reuerendiſſimi Domini Archiepiſcopi Cæſaraugustæ.*

V.
*Homicidæ & Iudæi necis Auctores puniuntur.*

Hæc publicus Notarius, non ornatè quidem, ſed clarè, & ad ſimplicem rationem veritatis. Interfectores in facinore manifeſto deprehenſi, illico confeſſi ſunt, Iudæorum gentem vna ſecum de viro ſancto interficiendo coniuraſſe: quæ non diu poſtea, præter debitas, quas tulerunt legibus, ac iudicio pœnas, ſempiternas turpiſſimæ ignominiæ notas ſubiecruns. Publica enim monumenta, quæ hodie cernuntur, in ipſius templi maximi ſuggeſtis poſita fuere, tamquam inſignia, hac turpitudine notata, locata ibidem ad illorum dedecus, & infamiam ſempiternam. Factum eſt inde, vt ſcelerata Iudæorum conſpiratio relinqueretur. *Hieronymus Blanca, Commentario rerum Aragonenſium, in Ferdinando 2.*

XIII.
*Singularium quorundam narratio de prædicto, & alijs inquiſitoribus relatæ.*

Aliqua præter hæc ſingularia, Hieronymus Surita in ſuis Annalibus, de hoc facto, deque alijs ad Inquiſitionis officium attinentibus memorabat, ſcilicet Rege Ferdinando agente Turiaſone, F. Thomas Turrecremata, prior S. Crucis apud Dominicanos Segobienſis, & in Regnis Caſtellæ, Aragoniæ, Valentiæ, & Catalanniæ Inquiſitor Generalis, ad colloquium euocauerat anno ſuperiore complures viros grauiſſimos, quibus cum de rebus ad Fidei Cenſuram ſpectantibus conſuleret. Interfuere præter alios magis illuſtres, Alfonſus Cauallerius, Aragoniæ Procancellarius, Alfonſus Carillus, Martinus Gonzalus, Andreas Sartius, Philippus Pontius Iuris Canonici Doctores. Inſtituti in vrbibus Inquiſitores Apoſtolici, Gaſpar Inglarius Dominicanus, Petrus Arbues Canonicus Cæſaraugustanus, & alij, qui ex propinquo inuigilatione, & de grauioribus negotijs ad Thomam referrent. Publicata inde per vniuerſa Regna, contra hæreticos edicta, ſancitæque pœnæ. quibus ne militaris ordinis viri tenerentur, plurimi ex nobilitate reclamarunt: fruſtra tamen: quandoquidem Ferdinandus, & Iſabella Reges pro Fide Catholica, à Summo Pontifice animati contra niterentur. Eorum iuſſu, vna cum Thoma, Hiſpalenſis, Corduben. Toletanus, & alij Inquiſitores iterum congregati, formulam in cauſis Fidei procedendi ediderunt, & tum pro alijs, tum vero pro Aragoniæ Regno, Adminiſtratores officij Inquiſitionis renunciarunt; Cæſaraugustæ quidem Rodericum Sanchezium, Fiſci Præſidem, Raymundum Marium Aduocatum, Petrum, Iordanem, & Ioannem Anchiaſium Notarios, Ioannem Exeaum Receptorem, & alios alijs muneribus deſtinatos. Promulgarunt deinde formam iuramenti, ex qua omnes & ſinguli Regiarum, procurationum Præfecti, & miniſtri, Deputati, Officiales Regni: Toparchæ, & Domini rerum temporalium Sacramentum coram Inquiſitore Generali dicerent, promitterentque, ſe inuiolabiliter ſeruaturos defenſuroſque Fidem Catholicam, iuxta quod ſeruat, tenet, & docet Romana Apoſtolica Eccleſia: item nullos de Fide ſuſpectos, aut iuſtitiæ adminiſtrandæ præfecturos, aut in impietate toleraturos: & Quæſitoribus Fidei omne auxilium contra apoſtatas præbituros. Fauit huic negotio Ferdinandus Rex cum Iſabella Regina, & vbique locorum ditionis ſuæ, Inquiſitorum ſcita pronunciari imperauit, necnon omnes præfectos, Regnorum ſuorum his ſacramentis auctorari, adiumentoque Inquiſitoribus adeſſe voluit; natus, aut perterritus conniuatione Neophytorum, qui præcipuam nobilitatem, quaſi Rex vniuerſos libertate, rebus, & vita exutum iret concitarent: armarantque contra illum: quique multa pecunia onuſtos internuncios, Petrum Michaelis Auguſtinianæ familiæ apud Cæſaraugustanos Priorem, & Petrum Lunam ſuis vtriuſque Doctorem, ad contemnenda Regia conſilia tam fidenter deſtinarent, eorum animosè alicubi Inquiſitoribus, reſiſterent, ne officio fungeretur. Cumque neque Regis conſtantiam frangere, neque conſiliariorum integritatem corrumpere, neque Inquiſitorum Apoſtolicorum zelum reprimere potuerint, ad ſanguinolenta meditata conuerſi, Petrum Arbues, Epilam Inquiſitorem, Martinum Ragaium Aſſeſſorem, & Petrum Franceſium, ſacri officij Adminiſtrum, de medio tollere decreuerunt. Sacrilegio, ſeu parricidio perpetrando deſignati, Ioannes ab Abbatia, homo facinoribus omnibus fœdatus, manu promptus; Ioannes Sperandeus, Vitalis Vranſius, Triſtanius Leonis Antonius Granius Valentinus, & Bernardus Leoſantes Toloſanus. Hi milite collecto, nocte eam in Baſilicam Cæſaraugustanam ingreſſi, Petrum Epilam Inquiſitorem, officium Beatæ Deigenitrici recitantem, multis vulneribus confectum, pro mortuo reliquerunt, non aliud in ſanguine proferentem, quàm: *Laus ſit Saluatori* IESV CHRISTO, *pro cuius fide morior.* Eo paulò poſt mortuo, ſanguis in pauimento cædis effuſus, viſus eſt ebullire, ac feruere; non tam vindictam, quàm propagationem fidei, & ſtabilitatem Sancti Officij clamans: quæ mox ſubſecuta; Ferdinando, & Iſabellæ Regibus, pro Fide Orthodoxa, proque Sacro Tribunali plurima conantibus. cui, vt maiorem auctoritatem conciliarent, palatium Cæſaraugustæ Regium, iudicijs Fidei addixerunt, ſacraruntque: in quod Ioannes Colinetius Dominicanus Inquiſitor, Ioannes Colmenarius Aquilarium Ciſtercienſium Abbas, & Alfonſus Alarcanius Canonicus Palentinus, Iudices primum introducti ius dixerunt, firmiſſimaſque ſedes tam venerandis ſubſellijs conſtabilierunt; magna ſanè admiratione, atque confuſione aduerſariorum, qui illa euertere, ac ſanguine obruere conati fuerant. Alfonſus Aragonius, Archiepiſcopus Cæſaraugustæ tumultum contra ſeditioſos excitatum vix ſedauit: de parricidis, non toto anno elapſo ſumptum ſupplicium. *Surita. Annal. lib. 20. c. 65.*

XIV.
*Leopoldus Princeps Auſtriacus SS. Cathalogo inſcribitur.*

Hoc anno, die Sacro Epiphaniæ poſtulante Friderico Imperatore, & omnibus ferè Principibus tam Auſtriæ, quàm vniuerſi imperij. Innocentius Pontifex Leopoldum, Auſtriorum quondam Principem, propter ingentia miracula, quæ ab illius interceſſione Deus operari dignabatur, Sanctorum Cathalogo, ritu ſolenni inſcripſit, eiuſque rei diploma vulgauit hac formula.

*Innocentius epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

1. *Sacroſanctam Matrem Eccleſiam, adſtitiſſe à dextris Reginam in veſtitu deaurato, circumdatam varietate; non abs re per Prophetam traditur. Regina quidem, quæ illi Regi Domino per quem Reges regnant, & Principes iuſtitiam faciunt, deſponſata ſit. Vnica eius columba; luna perfecta in æternum; Arcitus per gyrum, nocturna ſpatia perenni lumine illuſtrans, Lucifer, qui neſcit occaſum. Aurora hic in terreſtri ſeculo candidans fecili coruſcans, & in diem lucidum in Regno cœlorum ſeſe diffundens. Regina, quæ illi ſeruiat, cui ſponſa regnum eſt: illi ſi fidem habet, illi ſe totam committat. Regina, quæ ... illi filios ſub verbis alarum ſuarum ... in regna cœlorum ... parturit, vbere de cœlo pleno lactet, ... tripliciter, Regni cœleſtis cum Chriſto ... efficiat. In veſtitu, inquit, deaurato. Veſtimentum ... ſplendidum vitæ eſſe profitemur. Nam ſicut tota Eccleſia ... Chriſti, ita fideles quoque eiuſdem Eccleſiæ veſtimentum eſſe arbitrabimur. Veſtimentum ... per peccatum, neque vagam per ... in Deum, per ſimplicitatem ... innocentiæ, quam homo plaſmatus ... perdidit; ad quam ... inducimur. Veſtimentum deauratum ... ſapientia auro per-*





*reo perlucens: clara enim eſt ſapientia, quæ nunquam marceſcit: facile videtur ab his qui quærunt eam. Doctrix eſt diſciplinæ Dei, electrix operum illius: qua nihil locupletius: quæ operatur omnia: artifex omnium: quæ apud turbas claritatem, & honorem apud ſeniores præſtat. Veſtimentum deauratum perfectione auri, id eſt Iuſtitiæ, qua nihil humano generi vtilius, dilectione diſciplinæ, ex qua cuſtodia legum emanat: legum autem cuſtodia, conſummatio eſt incorruptionis. At verò incorruptio facit nos eſſe Deo proximos, per quam beatitudo æterna vitæ à nobis comparatur. Circumdata Eccleſia dicitur varietate, gratiarum, adminiſtrationum, & officiorum, iuxta verbum Apoſtoli: Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus eas conferens, diuiſiones adminiſtrationum ſunt, idem autem Dominus: & diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Circumdata varietate poteſtatis, Ordinis, ſtatus, & variarum Eccleſiarum decore: quæ veluti adoleſcentulæ, hanc, de qua ſermo eſt, Catholicam Eccleſiam quaſi matrem obſeruant: non vetuſtæ per culpam, ſed nouellæ per gratiam: non ſenio ſteriles, ſed ad ſpiritualem congruæ fecunditatem, & noua ſemper prole pullulantes. Nam à iuſto Abel, vnde Eccleſiæ exordia trahimus, in hanc vſque diem, quot ſanctos orbis terrarum habuit, tot quaſi palmites protulit. ex quibus varij indies ſurgunt ſurculi in hac vinea noſtra, Sabbaoth, quam licèt immeriti: præſtante Domino, ſortiti ſumus excolendam, ſeruntur. Circumdata varietate, quòd alia triumphantis, alia militantis Eccleſiæ ſpecies exiſtat. De triumphante, Domini ſponſione repromittitur: Ego ero eis, quicquid ab hominibus iuſtè deſiderari poteſt: ero illis honor, gloria, ſalus, & vita, virtus, & copia, pax, & omne bonum. Militans autem Eccleſia fundæ non ineptè aſſimulatur. Nam ſicut è funda in gyrum verſata, lapides exeunt, quibus aduerſarij feruntur, & Goliath proſternitur: ita ex Sancta Eccleſia, cum per varias procellas, & tempeſtates fluctuantes huius ſeculi, per tribulationum circuitum rotatur, fortes viri prodeunt: quibus quaſi lapidibus, iniquorum corda tunduntur, & de hoſte humani generis nequiſſimo à Chriſti tyronibus triumphatur.*

*2. Hanc ipſam Eccleſiam Deus omnipotens, mira quadam diſpoſitione, & poteſtate fundauit: pretioſo vnigeniti Filij ſui, Domini noſtri Ieſu Chriſti ſanguine dotatam eſſe voluit: multiplici Spiritus ſancti gratia ornauit Apoſtolorum ſimplicitate, & fide roborauit: quos ignaros delegit, vt populos non tam ſermo illorum, quàm cauſa ad credendum adduceret: Martyrum tormentis, cruciatibus, conſtantia, & tropheis ſtabiliuit: repreſſa paulisper, quinimo confeſſa infidelitatis ſæuitia: & inimico homine ſuperſeminante Zizania creſcente, multiplicataque hæreticorum prauitate, Doctorum cæleſti doctrina illuminauit: & demum Confeſſorum, Virginum, aliorumque Sanctorum intrepida confeſſione, ſolerti cura, exemplíſque, imitatione digniſſimis, aduerſus Sathanæ inſidias circumdedit.*

*3. Inter autem alia ſaluberrima ſanctitatis exempla, diuina, miſericordia, ſydus quoddam mundo fulgere dedit, Beatum Leopoldum Auſtriæ Principem, pium Marchionem, cognomento appellatum, innocentiæ, ſapientiæ, & iuſtitiæ veſtimentis, quibus veſtiri Eccleſiam prædiximus decoratum: bonitate, manſuetudine, atque clementia conſpicuum: ſimplicitate, continentia, & munificentia præclarum, cuius integritas, vitæ ſanctimonia, humilitas, pietas, fides, adeò apud Chriſti fideles inualuerunt, vt vna omnium Germanorum voce, pro Sancto hactenus celebratus fuerit. Chriſtianæ religionis cultum, & eius liberalitatem nonnulla monaſteria, & quidem celeberrima ab eo cum ampliſſimis cenſibus conſtructa, alia etiam magno ſumptu illuſtrata, abundè teſtantur. Hic Princeps optimus, Sacerdotes, & viros religioſos admodum coluit, ſummoſque Pontifices tanta veneratione proſecutus fuit, vt ab Innocentio II. Romano Pontifice, prædeceſſore noſtro, peculiaris Sancti Petri filius appellaretur: & Apoſtolica commendatione, atque ea plenaria, quam vulgò dicunt, abſolutione dignus, ab eodem Innocentio etiam mortuus iudicatus fuerit. Hic vir Dei in ſummis opibus educatus, in magna peccandi licentia conſtitutus, coniugalibus curis implicitus, principatus regimine impeditus, ſedulò tamen pietatis, & miſericordiæ munera ſubibat, laſſos roborans, vacillantes confirmans, oppreſſos ſubleuans, inopes fouens. Inter curas domus, inter coniugales anxietates, inter affectus pignorum, inter multiplices principatus ſollicitudines, inter ſtudia tot laborum, immaculatum ſeſe ab hoc ſeculo cuſtodiuit, & temporalia tractando æterna diſpoſuit.*

*4. Quadraginta annis Principatum Auſtriæ regens, & quod maius eſt illis præcipuè temporibus, quibus propter Henricorum patris, & filij mutuas concertationes, & poſteà propter Henrici Quarti cum Lothario acerrimas, contentiones, in Germania, bellis, incendijs, & agrorum vaſtationibus tumultuatum eſt: ſumma cum iuſtitia, humilitate, & tranquillitate cuncta adminiſtrauit: & alijs cæde, & ſanguine madentibus, creditam ſibi Auſtriæ Prouinciam in diuturna pace continuit. Quibus ex meritis æternæ retributionis, & pacis præmia à Deo Optimo, Maximoque, qui centuplicato fœnore munera hominum penſat, eſt conſecutus.*

*5. Prætendant nunc huius ſeculi amatores ad peccata excuſanda, coniugales, familiares, ciuiles, ſeu Regalis ſolij moleſtias, ſeculi illecebras, aut tentationes. Leopoldi exemplo diuina eos prouidentia circumſcripſit, excuſationes omnes circumuenit, aditum humanæ tergiuerſationis concluſit, & quaſi aranearum telas commenta humanæ fragilitatis diſrupit. A Deo creati, & redempti, Deum debitis honoribus non colimus: & quod dolentes ex intimis referimus, illum non tantùm negligimus, ſed blaſphemamus ſæpenumero. Adhibita ſunt præcepta diuinæ, & humanæ legis: præceptis obtemperare tergiuerſamur. Addita ſunt cæleſtis præmia gloriæ, indicta pœnarum diuerſa genera, cenſura correctionis inuenta: ab illis faciem quaſi rebelles auertimus. Sanctorum varia exempla antè oculos noſtros propoſita, ipſa quoque imitari contumaciter recuſamus: imbecillitatem noſtram, ſæculi ſollicitudines, cum de ſalute noſtra agitur, cauſamur. Leopoldi nobilis Principis coniugati, ac multorum filiorum, ac ſubditorum cura irretiti, clariſſimo exemplo admonemur, vt omni excuſatione ſemota, per hæc temporalia ita cautè ambulemus, ita ſanctè nos exerceamus, vt æterna non amittamus: allecti ſpe momentaneæ huius proſperitatis, perpetuitate gloriæ cæleſtis non fraudemur: ſed mundi moleſtias, illecebras, aut dignitates contemnendo, ad cæleſtem patriam totis viribus contendamus.*

*Multis claret miraculis.*

*6. Huius Beati Leopoldi ſanctimoniam Deus omnipotens innumerabilibus miraculis, ad eius inuocationem editis, comprobauit. Miraculis profectò, quæ tum in factis ſubſtantia, tum & ordine, vim, & poteſtatem totius naturæ exceſſerunt Quis enim non miretur, cùm audiat per Dei miſericordiam implorato, Leopoldi auxilio, paraliticos, arthetiuos, febricitantem, podagra laborantem, priſtinæ valetudini illicò reſtitutos? Quis non magnalia Dei in hoc ſancto agnoſcat, cùm videat, interceſſionibus eius claudos rectè ambulaſſe, apoſtematibus mortiferis infectos liberatos, In carceribus conſtitutum pedicis, manicíſque vinctum, per foramen vnde hominis impoſſibilis exitus erat, eductum euaſiſſe? In varijs vitæ periculis poſitos, illæſos ſeruatos eſſe? Quis non tota mente obſtupeſcat, & Deo Optimo, maximoque præconia manifeſta dicat, cum liquidò deprehendat, meritis ac precibus huius ſancti viri mortuos ſuſcitatos? mutos loquendi facultatem adeptos: cæcos illuminatos? ſurdis auditum reſtitutum eſſe? Maxima ſunt hæc ſanctitatis, & diuinæ approbationis ſigna, humanam expectationem, ac ſpem excedentia: & tamen clariſſimis documentis comprobata ſunt.*

*7. Quinimò ab anno Chriſti milleſimo centeſimo triceſimo ſexto, quo Leopoldus vita functus, ex terris ad cæleſtẽ Hieruſalẽ trãſiuit, in noſtra vſque tempora, & præſentem diẽ magis, atque magis manifeſtata, mira de illo ex mentibus hominum, in Auſtria præcipuè, & per omnem Danubij ripam, deuotio cælitùs infunditur: Incredibile dictu, quanta cum veneratione eius corpus, quod in Monaſterio ſemper Virginis, & matris Dei Mariæ ab eo condito, in loco, quod nouum Clauſtroburgum appellatur, Pataunenſis diœceſeos ſepultum eſt, à Chriſti fidelibus viſitetur; quibus votis celebretur pia eius memoria. Memoratu difficile eſſet, quot, & quanta tabellis, & imaginibus illi dicatis exornetur: quanta luminariorum copia perluſtretur: procumbit ſupplex ante tumulũ languentium, & rogantium turba, opem Leopoldi implorans, nec expectatione irrita diſcedit.*

*8. Huius veneratione, & permultorum populorum ſalute, Rodulphus Auſtriæ Dux impulſus eſt, vt Innocentio ſexto huic*

*Sanctæ Sedi ea tempeſtate præſidente ſupplicaret, quatenus Leopoldum ſanctorum cathalogo adſcribere dignaretur.*

*9. Qui re perſpecta quàm ſapientiſſimè de vita, & miraculis, ac fama eiuſdem Leopoldi ex more, inſtitutoque maiorum, cum conſilio Sacri Senatus Inquiſitionem tunc Archiepiſcopo Pragenſi, & alijs collegis delegauit.*

*10. Verùm cùm ea de re agi captum eſſet morte Innocentij, ſurgentibuſquè bellorum inter Auſtrales, & Pannonios diuerſis turbinibus, immenſiſque procellis in Eccleſia Dei exortis, vſque ad tempora Pauli ſecundi prædeceſſoris noſtri Inquiſitio intermiſſa eſt.*

*11. Chariſſimo autem in Chriſto, filio Friderico Romanorum Imperatori Auguſto, Prælatis, & Principibus Germaniæ apud eundem Paulum multis precibus, tam ſancti viri Canonizationem abſolui petentibus: tribus S.R.E. Cardinalibus de Fratrum ſuorum conſilio, demandatum eſt à Pontifice præfato, vt ſolemnem Inquiſitionem ea de re adhiberent, & proceſſus conſuetos tam per ſe, tam per ſubdelegatos facerent: quod magna ex parte confectum erat, cùm euocato ad Dominum Paulo ſanctæ memoriæ Sixtus Quartus prædeceſſor noſter in hac Sancta Sede diuina prouidentia, conſtitutus eſt.*

*12. Iterandas ergo preces, & vehementiùs agendum, apud Sixtum, Imperator, Prælati, ac Principes prædicti duxerunt, vt tam ſanctum opus Canonizationis captæ perficeret.*

*13. Is vt certiori fide, quæ de miraculis, & vita Leopoldi afferebantur præciperes Venerabili Fratri noſtro Marco Epiſcopo Præneſtinenſi, tunc tituli S. Marci, Presbytero Cardinali, & in Germania Legato, vt præmiſſa percunctaretur iniunxit: qui locupletiſſimam de illis omnibus relationem per publica acta, & legitimos proceſſus eidem attulit.*

*14. Dehinc proceſſibus, & actis publicis magna cum diligentia, per Venerabiles Epiſcopum Portuenſem, Marcum prædictum Præneſtinenſem illo tempore Epiſcopum aſſumptum, ac F.S. Euſtachij Diaconum Cardinalem, Commiſſarios diſcuſſis, priuata primò relatione, eidem Sixto facta, poſtmodum in ſacro Senatu, referente prædicto Venerabile Fratre, Epiſcopo Portuenſi dilucidè reexaminata, & ex illorum ſententia Canonizatione concluſa ſicut Domino placuit.*

*15. Sixto vita functo, nobis, qui eidem in onere, & honore per diuinam miſericordiam, licèt indigni, ſucceſſimus, reſeruatum eſt, vt ſupremam manum tam ſanctæ approbationi apponeremus. Conſilio itaque habito, rurſus Venerabilium Fratrum noſtrorum, S. R. E. Cardinalium in publica concione, omnia prout geſta erant, Leopoldique vitam, miracula, & reliqua merita per Aduocatum Conſiſtorialem proponi curauimus. Demum vocatis omnibus, qui in Romana Curia degunt, Prælatis, in frequenti eorum conſeſſu, aſſiſtentibus nobis eiſdem Venerabilibus Fratribus noſtris, S.R.E. Cardinalibus, ſingulorum vota prælatorum ſcrutati ſumus. Quibus Spiritus ſancti gratia cooperante, manibus, pedibuſque, vt aiunt, in eam ſententiam deuenientibus, quòd Leopoldus meritò ſanctus à nobis canonizandus eſſet, hunc in locum, & publicum ſuggeſtum, hac ipſa die conſcendere decreuimus: vt opitulante Domino, votis, precibuſque fidelium adiuuantibus, ipſum Leopoldum ſanctum definiremus, & pro ſancto venerari debere ab vniuerſis, & ſingulis Chriſtianis mandaremus. Sicque hodiè ſermone per nos habito, re diuina peracta, & reliquis ſolennitatibus adhibitis, ad hanc ſacratiſſimam Canonizationem procedendum duximus. Cum autem verbo ſapientiæ Dominus affirmet homini, qui eum laudauerit, & dilexerit Deum, qui fecit illum. quod in medio populi ſui exaltabitur, in plenitudine ſancta admirabitur, in multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur: mirumque in modum Leopoldus in medio populorum exaltatus ſit, plenitudine cæleſtis gratiæ admirabilis refulgeat: reſtat, vt noſtra approbatione inter electos, & Sanctos Dei laudetur, inter benedictos benedicatur: quæ illi abundè impartiemur, ſi eum inter ſanctos Eccleſiæ adnumerandum, pro ſancto venerandum, atque publicis & ſolemnibus ſupplicationibus, votiſque in Miſſarum celebrationibus, alijſque diuinis officijs inuocandum, Apoſtolica auctoritate indicauerimus. Ad laudem igitur æterni Dei indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: ad Fidei Catholicæ robur, & ornamentum: ad Religionis Chriſtianæ cultum augendum, auctoritate Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, & noſtra, de Venerabilium Fratrum noſtrorum conſilio ſtatuimus, definimus, & pronunciamus, ſanctum Leopoldum Auſtriæ Marchionem, Sanctorum Cathalogo adſcribendum, & publica veneratione pro ſancto obſeruandum, ſicut & nos illum in præſentiarum manifeſta voce ſanctorum Cathologo annectimus, ac minorum Confeſſorum numero adiungimus, publicè ſanctum diffinimus, profitemur, & veneramur.*

*16. Statuentes feſtum eiuſdem, die 17. Kalend. Decembris debere celebrari. & ipſo feſto eius ſepulchrum, quod in prædicto Monaſterio exiſtit viſitantibus, & pro manutentione dicti Monaſterij manus porrigentibus adiutrices, ſeptem annos, & totidem quadragenas Indulgentiæ in forma Eccleſiæ, miſericorditer perpetuis temporibus concedimus. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1485. Pontificatus noſtri anno primo.* extat apud Bellarmin. lib. 3. de officio Principis Chriſtiani.

XV. *Veneti abſoluuntur ab Innoc. Pôtifice.*

Hoc anno Innocentius Pontifex Venetis benedixit, & ab interdicto, cui à Sixto IV. ſuppoſiti fuerant, abſoluit. *Diacon. in Innoc.* 8.

XVI. *Interſector Epiſcopi Leodienſis punitur.*

Eodem anno Deus ſeuerè vltus eſt cædem Ioannis Borbonij, Epiſcopi Leodienſis, verumque fecit illud vulgatum, *Gladio perit, qui gladio ferit.* Willhelmus Arenbergius quemadmodũ narrauimus Antiſtitem, per ſummum ſcelus occiderat. In vltionem parricidij, atque in deteſtationem cædis, aliqui apud Sixtum, & Innocentium Pontifices Maximos intercedebant, vt Sedes Leodienſis, & Clerus aliò transferrentur, quòd ea vrbs indigna Sacris viris, & cæremonijs videretur, quæ ſanguine ſacrato polluta, non ſtatim per vindicias expiationem procuraſſet. Impedimento alij fuere, quo minùs Apoſtolica Sedes, ad iuſtam vltionem procederet. Non tamen potuerunt diuinam retinere manũ, nè vindictam diſtringeret Willhelmus, præter turpiſſimum homicidium in Antiſtitem Borbonium commiſſum, etiam in Maximilianum Principem coniurauerat, ac rebellione excitata, vt erat homo ſæuus, ac ſanguinarius, tàm propria manu, quàm per ſicarios, ac quos ſemper in bonorum capita circum ſe alebat, infandos latrones, alia facinora perpetrarat, neque ſolùm homines plebeios innocentes, ſed nobiles etiam, illuſtreſque aliquot viros, quoſdam etiam ſacris initiatos trucidarat. His facinoribus contaminatum, ac nil præter ſanguinem, bella, & ſeditiones ſpirantem, Maximilianus tollendum iudicauit, & cuidam diploma ſignatum, quàm ſecretiſſimè miſit, qui ſacrilegum quoquo modo caperet, & Traiectum ad Moſam duceret, capite minuendum. Factum. Captus, & Magiſtratui Traiectenſi datus, pænas capite luit; primò confeſſus Sacerdoti vitia animi, & arcano corporis Chriſti Sacramento munitus. *Monimenta Ciuitatis Leodien. apud Suffridum Petrum Ioanne Horneo. cap. 42. 43. Pontus Heuterus rerum Belgicarum lib. 2.*

XVII. *Priuilegia Hoſpitalis S. Spiritus confirmat Innoc. PP.*

Hoc ipſo anno Pontifex Innocentius, hoſpitalitatem, & miſericordiam in miſeros excitare cupiens, priuilegia ab anteceſſoribus ſuis, Hoſpitali Sancti ſpiritus, Romæ in vico Saxonum erecto, conceſſa confirmauit, diplomaque dedit, dignum, quod à Nouatoribus, tam pia opera, quàm Indulgentiarum, & peregrinationum longè antiquiſſimum vſum rident, nouitatiſque falsò accuſant. Ita habet.

*Innocentius Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Etſi ex commiſſo nobis deſuper Apoſtolicæ Seruitutis iugo Eccleſijs, & pijs locis omnibus, vt eorum priuilegia conſeruentur, aſſiſtere teneamur officio pietatis, Hoſpitali tamen noſtro S. Spiritus in Saxia de Vrbe, illiuſque perſonis, locis, & membris in eorum priuilegijs, & iuribus conſeruandis, eò fauorabilius nos adeſſe conuenit, & illa noſtri muniminis præſidio firmiùs ſtabilire, quo Hoſpitale ipſum noſtræ curæ ſpecialiùs eſt commiſſum, & noſtris propinquius adhæret viſceri-*





*bus charitatis. Dudum ſiquidem fel. rec. Honorius Papa III. Prædeceſſor noſter, dilectis filiis Magiſtro, & Fratribus Hoſpitalis noſtri S. Spiritus in Saxia, de vrbe, Ordinis S. Auguſtini, vt de vſuris, rapinis, incendiis (præter Eccleſiarum incendia) damnis datis, & aliis rebus malè acquiſitis, ſi ij, quibus earum reſtitutio, fieri debebat, inueniri, ſeu ſciri non poſſent, nec non de iis, quæ indiſtinctè ad pios vſus in vltimis voluntatibus relinquebantur, ac etiam de redemptionibus votorum (Hieroſolymitano duntaxat excepto) de iuramentis temerè attentatis, diuinorum officiorum omiſſionibus, & nonnullis aliis caſibus componere poſſent, & in vſus pauperum dicti Hoſpitalis conuertere conceſſit: mandans vniuerſis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs Eccleſiarum Prælatis, ac perſonis Eccleſiaſticis, vt Fratres, & nuncios dicti Hoſpitalis ad præmiſſa admitterent; & omnibus, qui Fratribus ipſis de bonis ſibi à Deo collatis ſubuenirent, relaxauit ſeptimam partem iniunctæ pænitentiæ, ac conceſſit plenariam remiſſionem in mortis articulo, largientibus, ſeu tranſmittentibus de bonis ſuis eidem Hoſpitali. Et deinde piæ memoriæ Bonifacius Papa VIII. etiam prædeceſſor noſter, omnibus benefactoribus dicti Hoſpitalis conceſſit tres annos, & totidem quadragenas indulgentiarum; & in certis feſtiuitatibus tunc expreſſis, & in Octauis dictarum feſtiuitatum ſingulis earum diebus, & ſingulis diebus Quadrageſimæ, & ſingulis diebus Veneris totius anni, vnum annum, & quadraginta dies, largientibus, aut tranſmittentibus de bonis ſuis eidem Hoſpitali pro ſuſtentatione pauperum, conceſſit plenariam remiſſionem à pæna, & culpa in mortis articulo; & perſonis Eccleſiaſticis, tam viris, quàm mulieribus quæ circa diuina officia aliquid omiſiſſent, de bonis ſuis eidem Hoſpitali largientibus defectus remiſit: ac voluit, quod in aduentu Magiſtri, & Fratrum ad loca interdicta Eccleſiæ aperirentur, & ianuis apertis in illis diuina officia celebrarentur, & corpora tunc decedentium Eccleſiaſticæ ſepulturæ etiam traderentur. Et ſucceſſiuè Vrbanus Papa V. etiam prædeceſſor noſter, conceſſit omnibus benefactoribus dicti Hoſpitalis, vt Confeſſorem idoneum eligere poſſent, qui ipſos ſemel in vita abſoluere poſſet, in omnibus caſibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis. Conceſſit etiam omnibus Confratribus dicti Hoſpitalis, in ipſius Confratriæ libro deſcriptis, ſoluendo in eorum introitu dictæ Confratriæ triginta denarios Turonen. argenti. & quolibet anno vnum ſimilem denarium, plenariam remiſſionem à pæna, & culpa in mortis articulo: & quod Magiſter, Commendatores, & Fratres poſſent limitare dictam quantitatem, illam ſoluere nequeuntibus, cum certis aliis indultis. Et inſuper Clemens Papa Quintus ſimiliter prædeceſſor noſter, ſimiles Indulgentias, & remiſſiones conceſſit. Ac ſubſequenter Eugenius Papa IV. Similiter Prædeceſſor noſter omnibus, & ſingulis tàm Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus vtriuſque ſexus fidelibus, qui in Confraternitatem huiuſmodi recepti, & in illius libro deſcripti forent, ac tres florenos auri de Camera, in principio receptionis ipſorum, nec non ſucceſſiuè annis ſingulis vnum groſſum, quorum decem vnum florenum ſimilem conſtituerent, Camerario dicti Hoſpitalis perſoluerent, quod ſinguli Sacerdotes idoneos, per eos poſt ſolutionem trium florenorum huiuſmodi eligendos, & in mortis articulo plenariam remiſſionem cõcedere poſſent, ac eos ſemel in vita abſoluere in omnibus caſibus, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis voluit, & decreuit. Præterea Martinus V. etiam prædeceſſor noſter, prout in litteris Eugenij IV. deſuper in forma, Rationi congruit, confectis plenius continetur certis dedit iudicibus in mandatis, vt omnibus, & ſingulis tam Ordinarijs, quam ſubdelegatis, eorumque Officialibus, & quibuſuis Dominis temporalibus, & alijs ad hoc deputatis tabellionibus, atque ſcribis, cuiuſcumque ſtatus, gradus, dignitatis, vel præeminentiæ, aut conditionis forent, vt pro licentia adhibenda, vel præſtanda, & ſuper ea litteris teſtimonialibus conficiendis, ſigillandis, & concedendis, à prædictis Fratribus, Nuncijs, & perſonis, ſingulis annis pro littera, & licentia qualibet, vltra vnum Florenum auri de camera non peterent, ſeu reciperent, aut exigi, ſeu recipi permitterent. Quodque ſuper decimis, & fructibus alijs, occaſione terrarum, agrorum, vinearum ad præfatum Hoſpitale ſpectantium, [illegible], & Fratres & perſonas Hoſpitalis prædicti, illiuſque loca & membra non grauarent, ſub excommunicationis pæna ipſo facto mandauit. decernens irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quauis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Rurſus Ioannes. 22. etiam prædeceſſor noſter, conceſſit Magiſtro, & Fratribus prædictis, vt poſſent componere de vſuris, rapinis, incendijs, & alijs præmiſſis, prout Honorius III. Papa conceſſerat. Item Innocentius Papa III. etiam prædeceſſor noſter, fundator dicti Hoſpitalis, dedit & conceſſit, ad fidem, & deuotionem fidelium, ac Salutem animarum, Hoſpitale prædictum viſitantibus & omnia eius membra, à feſto Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſingulis diebus, vſque ad octauam eius, duo millia annorum & octingentos annos indulgentiarum. Item idem Innocentius conceſſit Hoſpitali prædicto, & eius membris, ſingulis feſtiuitatibus Apoſtolorum, duo millia annorum indulgentiarum. Item Innocentius prædictus conceſſit Hoſpitali prædicto, & eius membris, ſingulis diebus totius anni, vnum annum, & quadraginta dies indulgentiarum. Item Alexander Papa V. ſimiliter prædeceſſor noſter, conceſſit Hoſpitali prædicto, & eius membris, in feſto S. Spiritus de menſe Iunij, ſingulis diebus, vſque ad Octauam eiuſdem, quattuor millia annorum & octingentas quadragenas, & remiſſionem ſeptimæ partis peccatorum de indulgentijs. Et Dominicæ, qua cantatur pro introitu Miſſæ,* Omnis terra, *Alexander prædictus conceſſit Hoſpitali prædicto, et eius membris, omnibus, & ſingulis primis diebus Dominicis menſium totius anni, tria millia annorum, & totidem quadragenas, & remiſſionem tertiæ partis omnium peccatorum. Item Alexander prædictus conceſſit Hoſpitali prædicto, in eius membris in feſto Corporis Chriſti ſingulis diebus vſq; ad Octauam eius, duo millia annorum, & remiſſionem ſeptimæ partis omnium peccatorum. Cæleſtinus Papa V. conceſſit Hoſpitali prædicto & eius membris, à feſto Epiphaniæ vſque ad Octauam, ſingulis diebus centum millia annorum de indulgentijs. Idem Cæleſtinus Papa V. conceſſit Hoſpitali prædicto & eius membris, in feſto Natiuitatis Virginis Mariæ, & per eius Octauam, ſingulis diebus triginta millia annorum de indulgentijs. Item Clemens Papa V. conceſſit Hoſpitali prædicto, & eius membris, à feſto Reſurrectionis, Domini noſtri Ieſu Chriſti vſque ad Octauam eius, ſingulis diebus duo millia annorum, & Octingentos annos de indulgentijs. Item Bonifacius Papa VIII. conceſſit Hoſpitali prædicto, & eius membris, à feſto Aſcenſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti vſque ad Octauam eius, ſingulis diebus, duo millia annorum, & octingentos annos de indulgentiis. Item Clemens Papa VI. conceſſit Hoſpitali prædicto, & eius membris, à feſto Pentecoſtes, vſque ad Octauam eius, ſingulis diebus octo millia annorum, & totidem quadragenarum, & remiſſionem omnium peccatorum plenariam. Item Innocentius Papa VI. conceſſit Hoſpitali prædicto, & eius membris, à feſto Aſſumptionis B. MARIAE Virginis, vſque ad octauam eius, ſingulis diebus duo millia annorum, & duo millia quadragenarum de indulgentiis. Item Benedictus Papa XII. conceſſit Hoſpitali præfato & eius membris, à feſto Sancti Leonardi, tria millia annorum, & totidem quadragenas de indulgentiis. Summa dierum venia à Summis Pontificibus, & ſexaginta Archiepiſcopis, & ſeptuaginta Epiſcopis, in Conſiſtorio Lateranen. auctoritate Apoſtolica confirmatorum, ſeptingentos annos, & totidem quadragenas. Summa Miſſarum totius Ordinis per annum, triginta duo millia, & totidem Pſalteria Fratribus, quæ ſunt Ordinis, facit. Præterea eſt conceſſum eiſdem benefactoribus fraternitatis & Confraternitatis, in Miſſis, matutinis, vigiliis, ieiuniis & eleemoſynis, quæ fiunt in toto Ordine in perpetuum participare. Item Nicolaus Papa V. etiam prædeceſſor noſter omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, in virtute Sanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pæna iniunxit, vt dum Fratres dicti Hoſpitalis ad eorum loca pro eleemoſynis colligendis accederent, illos benigne recipientes, ipſas eleemoſynas huiuſmodi quærere permitterent, ac Hoſpitalia, & membra dicti Hoſpitalis, & omni iuriſdictione quorumcumque Ordinariorum exemit, & illa ſub ſua, & Beati Petri protectione ſuſcepit; ita vt nullos Fratres dicti Hoſpitalis excommunicare, aut loca, &*

*membra ipſius Hiſpitalis Eccleſiaſtico interdicto ſupponere poſſint. Decernens ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari; ac certa alia eiſdem Fratribus, & laicis indulſit in forma communi. Demum vero Sixtus Papa IIII. ſimiliter prædeceſſor noſter, omnes libertates, immunitates, & indulgentias, tam à fel. rec. Bonifacio VIII. Vrbano V. Ioanne XXII. Alexandro V. Innocentio V. Martino V. Eugenio IV. Nicolao V. Calixto III. Pio II. & Paulo etiam II. Romanis Pontificibus, quam alijs prædeceſſoribus ſuis, ſiue per priuilegia, ſiue per indulgentias, Magiſtro, Fratribus, ac Hoſpitali prædicto in membris eiuſdem hactenus conceſſas (illas pro ſufficienter expreſſis habens, ac ſi de verbo ad verbum inſertæ fuiſſent) nec non libertates, & exemptiones ſecularium exactionum, à Regibus, & Principibus dicto Hoſpitali, membris & locis eis ſubiectis conceſſas, auctoritate Apoſtolica approbauit, & confirmauit, prout in litteris ſingulorum per ordinem deſuper confectis (quarum ac omnium aliorum præmiſſorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent præſentibus haberi volumus pro expreſſis) plenius continetur. Quare pro parte dilecti filij Pij, eiuſdem Hoſpitalis Magiſtri, & Fratrum prædictorum, nec non vniuerſorum Præceptorum, ſiue Commendatorum, & Fratrum aliorum Hoſpitalium membrorum, & locorum, dicto Hoſpitali noſtro ſubiectorum, nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt conceſſionibus, indultis, ſtatutis, decretis, relaxationibus, & alijs præmiſſis, pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adijcere, illiſque in præmiſſis opportune prouidere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Hoſpitale prædictum tamquam nobis peculiare, noſtris ſpecialiter gerimus in viſceribus charitatis, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, conceſſiones, indulta, ſtatuta, relaxationes, & litteras prædictas, cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis, cæteraque præmiſſa, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus: Decernentes illa omnia & ſingula perpetuæ firmitatis robur obtinere. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis, & conſuetudinibus Hoſpitalis, & Ordinis prædictorum, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, commiſſionis, & Conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quadringenteſimo octuageſimo quinto, duodecimo Calend. Aprilis, Pontificatus noſtri, anno ſecundo.*

*Extat in Bullario Romano.*

XVIII. *Idem Pōtifex ope Deiparæ ſanatur à doloribus colicæ.*

Diximus ſuperius, Innocentium Pontificem inteniſſimis doloribus colicæ laboraſſe, quibus medicorū nullum potuit remedium induſtria inuenire. Adhibuit humani generis ſoſpitatrix Maria, Ipſe enim audita perenni fama miraculorum: & gratiarum, quæ ad eius imaginem Annunciatæ apud Florentinos in templo Seruitarum ſeruata, piè inuocantibus, Virginem perpetrantur, voto peculiari ſeſe eidem aſtrinxit, & vix eo concepto, ab acerrima illa infirmitate conualuit. Pro gratiarum actione, imaginem ſuam, XIX. Aprilis huius anni, tholo ſuſpendi in templo eiuſdem Annunciatæ imperauit, & omnibus Seruitarum familiæ, priuilegijs ab origine examinatis, recognitis, & in compendium redactis, confirmationis robur adiecit, *Franciſcus Vialardus in vita Innoc. 8. Archangelus Giauius, in annal. Seruitarum cent. 3. l. 4. c. 5.*

XIX. *Eiuſdem Deiparētis cultus amplificatur Mediolani.*

Hoc anno, Mediolani apud Inſubres, placuit Deo cultum eiuſdem SS. Virginis Mariæ amplificare. Ad portam vrbis cognomento Ludouicam, proſtabat exiguum Oratorium eo loci conſtructum: vbi S. Ambroſius corpora Sanctorum Nazarij, & Celſi martyrum repererat. Ibidem eminebat columella cum loculamento cancellis ferreis clauſo, in quo imago Deiparentis depicta ſeruabatur. Deuotionis cauſa acceſſerat ad Oratorium, ſacris operaturus Ioannes Petrus Porrus, vir illuſtris, & Eccleſiaſtica dignitate ornatus. Dum ſacrificium altaris offerret, duo Angeli præſtantiore, quàm humana ſpecie ante cancellos loculamenti columellę viſibiliter cūctis genu ibi flexi apparuerunt, atq; velum, quo imago tegebatur, manibus proprijs retexerunt. quo repanſo, viſendam quoque ſe ad cancellos præbuit Angelorum Regina, cunctorūq; oculos ſupercæleſti pulchritudine, qua venuſtior excogitari non poterat, perſtrinxit, & odore fragrātiſſimo, quem diffuderat, recreauit. Vnde maior in humani generis Tutelarem *Mariam* populi deuotio: concurſus populorum frequentior ad locum apparitionis. Signa, & miracula ab illius interceſſione multiplicata; Oratoriū in Baſilicam ampliſſimam, venuſtiſſimamq; commutatum, imago in locū eminentiorem translata, & votiuis ab auro, argento, gemmiſque donarijs ornata: ad cuius arā, nos quoque ad annum 1594. quo Mediolani in religioſo Cœnobio S. *Mariæ* Gratiarum, Theologiæ operam dedimus, aliquoties litauimus, Octo, & viginti hominum extant teſtimonia, qui Sanctam Sanctorum apparentem videre meruerunt.

XX. *Item apud Allobroges.*

Ferè eodem anno, apud Allobroges, eiuſdem Sacroſanctæ Virginis deuotionem, à ſubſequentibus prodigijs amplificauit.

1. Non procul à Geneua, ager eſt *Rocchietæ*, ad Sabaudiæ Ducis poſſeſſionem, ſeu dominium ſpectans. In eo paſtor quidam oues ſuas cum paſceret, è propinquo ſpineto aliquoties audiuit planctum, ſiue eiulatum. Primum accurrere, & explorare non auſus, tandem poſt aliquot dies, vbi ploratum geminari audiret, acceſſit, & imaginem Sacroſanctæ Virginis, velut lilium in medio ſpinarum iacentē conſpexit. Tangere religioſum ducens, vt erat pietate inflammatus, ad vicinos Patres Carmelitanos properauit, rē vt audierat, inueneratque, enarrauit: Sed ægrè fidem apud auditores inuenit. Iuerunt tandem & hi; ac ſpineto appropinquantes, planctum primo eiulantis audiuerunt; deinde imaginem, quam diximus, repererunt. Mouere, & ad Eccleſiam ſuam transferre conati, nihil omnino promouere potuerunt. Vnde voluntatis diuinæ, quæ eodem in loco cultum ſuæ Matris introducere ſe velle ſignificabat, certiores facti, ibidem Oratorium extemporaneum extruxerunt. Quo loci crebreſcentibus miraculis, & deuotione populorum aucta, Marchio Camberinenſis Magnificum Templum Diuæ Virgini ſuper ædificauit, & Patrum Carmelitarum Ordini adſcripſit. Quamquam autem nihil prætermiſſum fuerit diligentię, vt inueniri poſſet, qui eam imaginem inter ſpinas reliquerit, tamen numquā potuerat ſciri, aut reperiri, depoſitor lilij tam venuſti, tamque miraculoſè Medicati. Aliquis ex vicino Delfinatu eam imaginem ex Oratorio clam ſubtraxerat, & in templo quodam eius prouinciæ repoſuerat. Cęterum illa die conſequenti, eodem in loco quo ſubtracta fuerat, per miraculum reperta eſt, diuina, vt pie creditur, virtute relata. Hinc maior deuotio, hinc frequentiora, maioraque miracula.

*Miracula ab inuocatione B. Virginis patrātur.*

2. In eodem Allobrogū principatu, in agro Vinouenſi aliquis bubulcus arabat. Hic cuidā loco propinquus, cum boues arātes Stiua ante ſe ageret, mouere eos loco non potuit. Percuſſit, & ictus validè geminauit; cæterum fruſtra omnes conatus adhibuit, bobus ad locum immobiliter conſiſtentibus. Accurrit fortè aliquis eques, vir nobilis, & agricolam pertinaciter boues quatientem, illoſque pertinacius reſiſtentes conſpicatus, hominem, vt deſiſteret, & ſi quid fortè eo loci ſecreti lateret, vt inquireret, admonuit; ſimulq; ex equo deſcendit. Stiua, qua boues fruſtra percuſſerat, ille terram vix fodere cæpit, quando pauimentum lateribus perpolitis, quaſi recens ſtratum reperit; quo diruto, imaginem Diuæ Virginis fi-





liolo [illegible], ibidem reconditam aſpexit. Fama eius rei vulgata, Ruuerci, in quorum ditione ager erat, Clero proximioris Parochialis templi euocato, imaginem ingēti cum deuotione populorum, indicta ſupplicatione publica tranſtulerant. Mirum mirandum. Die altero, eodem loci quo primum reperta fuerat imago, ab agricola denuò reperta eſt. Accidit ſecundò, & tertiò. Quod pro indicio certiſſimo decreti diuini accipientes Ruuerij, templum in agro extruxerunt, Carmelitaniſq; vnà cum imagine adſcripſerunt. *Felix Aſtolfus in hiſtoria vniuerſali Imaginum B. V. M. lib. 10.*

XXI. *B. Maria Genuenſis Deiparæ deuotiſſima.*

In hoc Diuæ Deiparentis cultu, exercuit ſe eximiè Beata Soror Maria, Genuæ id temporis apud Ligures nobili genere nata, & Seruorum Reginæ Cælorum tertio Ordini adſcripta. Hæc ab ineunte pueritia, Beatiſſimæ Dei matri, cuius nomen gerebat, addictiſſima fuit; & quò ſe eidem amplius nuncuparet, nuptias, quas parentes proponebant, reſpuere, virginitatemq; fœcunditati antihabere voluit. Vnde, in parthenopæum Seruitarum Veſtalium admiſſa, religionemq; arctiorem profeſſa, tantum à deuotione Beatiſſimæ Virginis in omni virtutum genere profecit, vt etiam quendam leproſum ſola oratione perſanare meruerit. *Archangelus Giauius Centuria 3. annal. Ord. Seruorum lib. 3. c. 12.*

XXII. *Vita, & obitus B. Luchinæ ordinis Prædicatorum.*

Aequalis illi B. Luchina Soncinas, tertij Ordinis Dominicanorū habitum induta, neq; minùs Beatæ Deiparenti addicta. Hæc in domo parentum puella, mira puritate, ſimplicitate, & deuotione vixit. Adultior facta, quantum venuſtate excellebat, tantū extincta priſtina deuotione, vanitatibus ſeculi, ornatui externo, choreis, ludis, ſalua tamen corporis integritate, & nominis fama, incumbebat; ac paulo poſt nobilem maritum nacta, iamq; ex eo filioli, & filiolæ breui ſuperſtitū mater facta: quò ſe chariorem illi videbat, eò magis per vanas mundi oblectationes placere ſtudebat, donec B. Matthei Carrerij Dominicani Mantuani, verba illa Prouerbiorum, *fallax gratia, & vana eſt pulchritudo. Mulier timens Deum ipſa laudabitur* prò concione expendentis, admonitione perculſa, vitam in melius commutauiſſet. Vix enim ſermonem in muliebres luxus detonantem audiuit, ſtatim in momento, ſub tempus ipſius cōcionis ornamenta vana capiti detraxit, caput velo operuit, pectus tundere, & ex oculis vberrimas lachrymas profundere non ceſſauit: & iā in alterā mutata, domū reuertēs, cætera ſuperflua, & nitida, pretioſaq; depoſuit: totius vitæ culparum præteritarum cōfeſſionem generalem fecit, nec non marito aſſentiente, tertij Ordinis Dominicanorum habitum induit, viuendique ſtrictiſſimam rationem inijt: vt quos anteactis illecebris fortè offenderat, recèns aſſumpto rigore ædificaret. Non diu ſuſtinuit inconſtans maritus, eam veſtium, ac morum mutationem Luchinæ: ſed tàm ipſe per ſe inſolentiùs, quam per illius Confeſſarium importuniùs egit, vt veſtes religioſas, ſecularibus commutaret. Nihil tamen efficere potuit, vt ſpecioſas, aut pretioſas reaſſumeret. Enimuerò pullam vilem, ſtrictiſſimamq; induit, cilicium aſperrimum nudæ carni impoſuit, ferrea, nodoſa, duplicataque catena renes ſtrinxit: præter hanc cinctu coriaceo latiore, ferreis clauis ad inſtar pectinum, quibus lanæ, vel pelles carminantur armato, nudam ſeipſam cinxit: carnium eſum ſibi perpetuò interdixit, nec niſi leguminibus, & herbis vitam tolerauit: ieiunia ieiunijs, ſolo pane, & aqua cōtenta continuauit: lecti mollitiem declinans, duroq; ſcabello caput reclinans, breuiſſimum ſomnum captauit: funibus ferratis, noctibus ſingulis, vſq; ad ſanguinis effuſionem corpus flagellauit. inter hæc precibus, & meditationibus intenta, Roſarij SS. Virginis ſacra myſteria attentiùs conſiderauit, cultuique eiuſdem Sacroſanctæ Reginæ impenſiùs vacauit. Summo mane, audito ad ſalutandum Virginem ſigno, ad Eccleſiam Dominicanorū properans, alicubi in loco à cōſpectu vulgi ſemotiore tamdiu orationibus vacabat, quo ad ſummum ſacrum quotidianum abſolueretur. Singulis ſeptimanis totius anni, tribus diebus; tempore autem Quadrageſimali, quotidiè ſacram Euchariſtiam maxima cum deuotione percipiebat. In ea vitæ conſuetudine, nihil tamen de officijs domeſticis remittebat, quin potiùs omnia ſola, (ſola famulam in ea domo exigerat) demiſſa humilitate, & vigilanti ſolicitudine ijs temporibus obibat. Præter hæc, in operibus miſericordiæ ſpiritualibus intenta, & temporalibus exercendis aſſidua, præcipuè ægros animi, & corporis, quacumque potuit ratione recreabat, ſolabatur, iuuabat: decumbentes in xenodochijs, clauſos in ergaſtulis, ad mortem damnatos, morti iam propinquos agonizantes viſitabat, omnemque charitatem eis oſtendebat. Pauperes ſtipem oſtiatim mendicantes, peregrinos, religioſos, & quoſcūq; quauis neceſſitate oppreſſos, domo excipiebat, neceſſariaq; pro poſſe illis miniſtrabat. Hæc, & alia pietatis officia cum maritus ægrè ferret, eam que vel durioribus verbis exciperet, vel ab exercitio operum retraheret, prohiberetque: illa tamen patienter omnia ſuſtinuit, neque à conſueta ratione viuendi deſiſtens, promeruit, vt maritus, nocte concubia, ipſam à terra in altum, inter duo candelabra lucentia per miraculum ſublatam, oculos in cælum defixos, & manus expanſas in oratione habentem aſpexerit, & inde coniectura de ſanctitate illius facta, non ſolùm ipſam permiſerit, ad ſupremum virtutum culmen properare, verùm etiam ipſe in virum alterum mutatus, comitem ſe eidem ad ſummam perfectionis adiunxerit. Fama Luchinæ per Galliam totam diuulgata, innumeri ad eam viſendam accurrebant: ex quibus illa plurimos valetudini priſtinæ, oratione ſola reſtituit: Bonifacio Montis ferrati Marchioni, iam ſeptuagenario, prolem maſculam impetrauit, plurimaque miracula ad communem aliorum ſalutem perpetrauit. Annum nata quintum, & quinquageſimum, à cæleſti reuelatione diem ſupremum præcognouit: quo adueniente, ingenti humilitate Sacrum Chriſti corpus deſumens, in his verbis: *Nunc viam vniuerſæ carnis, ſecura ſalutis ingredior*, felicem animam Deo reddidit; multis miraculis obitum eius ſequentibus. Decennio poſt aperto illius ſepulchro, ſuauiſſimum odorem ex eius corpore, præſentes quamplurimi perſenſère. *Michaël Pius lib. 3. de Viris Illuſtr. Ord. Præd.*

XXIII. *Item BB. Euſtochij, & Franciſchinæ ord. Minorum.*

Contemporanea Luchinæ, Beata Euſtochium Catanienſis, Sicula, Clariſſarum Ordinem in monaſterio Valicenſi Sanctimonialium [illegible] profeſſa. Hæc nobilibus parentibus nata, & Smaragda in baptiſmate dicta, adhuc in ipſis magna ſanctitatis ſigna dedit. E cunis enim frequentibus [illegible] continuis [illegible], nuda in nudā humo quieſcebat. maior facta, cilicio, & ieiunijs corpus macerabat. Iſtud tantò ardentiùs fecit, quando iam nubilem, pater, nobili cuidā, & præpotenti adoleſcenti in matrimoniū collocare decreuerat. Tūc enim faciem, venuſtiſſimam vigilijs, abſtinentijs, & reliquis auſterioris vitæ rationibus deformauit, vilē cultū induit, orationi dies, nocteſq; incubuit: neq; vt maritū acciperet, adduci vnquā potuit: quàquā pater ꝓpterea doloris impatiēs, in ægritudinē ſupremā inciderit, ex eaq; diem vltimū ſeptimo pòſt die obierit. Hinc iā quaſi ſui iuris, Veſtalibus Clariſſis ſeſe adiūxit, Euſtochiumque appellari voluit. Præ cæteris ſanctis, Paulū Apoſtolū, Franciſcū, Hieronymū tutelares, ſed inprimis Reginam ſanctorum omniū ſibi delegit, ad venerationem, & imitationem. Cilicio ex pelle ſuilla, ſpinis acutis infarcta, corpus domabat: flagra in ſingulas noctes addebat: Orationibus perpetuò inuigilabat. In contemplatione myſteriorum paſſionis Chriſti defixa, ciuitatem Hieroſolymorum ſpiritualiter in cordis penetralibus ædificauerat; hic ædiculam SS. Virginis, alibi cœnaculum.

templum Salomonis, montem Oliueti, hortum, torrentem, Caluariæ faſtigium, & alia loca actionibus, & paſſionibus Redemptoris noſtri illuſtria, cogitatione diſtinguens, fingenſq;, vt ex locali memoria, ad ſingula redemptionis humanæ myſteria vehementiùs aſſurgeret meditanda. Strictioris vitæ cupida, cū Indulgentia Summi Pontificis, ex Vaſicenſi Conuentualiū Parrenopæo licuiſſet egredi, & aliud Cænobium, in quo ad rigorem Regulæ S. Claræ viueret, extruere, multas perſecutiones, tum à monialibus Conuentualibus, tum à Minoritis Obſeruātibus, illis diſceſſum eius, & Iacobæ ægrè ferentibus, his curam earum, ac noui Monaſterij ſuſcipere detrectantibus, forti animo ſuſtinuit. Aliquando etiam Satanam in forma, vel moloſſi, vel porci, vel vrſi, vel etiam Monialis Aethiopiſſæ, apparentem, & à propoſito deterrere conantem conſtantiſſimè vicit. Infirmitate etiam graui non ſemel conflictata, patienter omnia tulit, atque conſolari meruit, Summo Pontifice curam illius, & ſodalium Minoritis Obſeruantibus committente, numero Sanctimonialium eiuſdem deſiderij aucto, infirmitate perſanata, & per miracula ſubſequentia, Domino, pium eius inſtitutum comprobante, nec non SS. Virgine, & S. Franciſco illam viſitantibus, & de multis arcanis per reuelationem edocentibus. Aliquoties, in extrema neceſſitate Monaſterij, vel panes per miraculum multiplicauit, vel annonam inſperatam oratione impetrauit. Aliqua Monialis, ex flammeo Euſtochij abluto, aqua ſuo nepoti in potum propinata, hydropicum miraculosè perſanauit. Alia quædam fæmina leproſa, eiuſdem aquæ potu mundata eſt. Ipſa illa, compluribus ſanitatem oratione obtinuit. Moritura, in die SS. Fabiani & Sebaſtiani, ſponſum IESVM cum Angelorum multitudine ad ſe venientem aſpexit; ex quo faciem inſtar Solis orientis exeruit. Quinto à morte die, Aeditua cum alijs quatuor Monialibus in oratione matutina perſeuerantes, tres ictus validos dari in loculum, cui Euſtochium mortua indita erat, audientes, reliquis Sodalibus accitis, cùm loculum aperuiſſet, aſpexerunt vultum illius rubicundum, odorem ſuauem redolentem; cætera verò membra tam viuida, quàm ſi ſpiritum non exhalaſſet: ac præterea ſanguinis riuulum è naribus ſtillantem, neque per totos viginti duos dies ſtagnantem; quo peruncta quædam cæca, & leproſa, viſum, & ſanitatem recuperauit; nec non alij permulti infirmi curati ſunt. Pòſt vigeſimum quintum diem, totum corpus ſudorem odoratiſſimum, maximè diebus feſtis, & veneris, multo tempore ſudauit; ſanandis ægritudinibus ſalutarem.

Par huic in ſanctitate B. Franciſchina, eiuſdem veteri, & inſtituti: qua mortua, ſtella lucidiſſima ſupra Monaſterium, & ſepulturam apparuit; quando illa moriens Sororibus inquirentibus, Num illas aliquando reuiſura eſſet, promiſiſſet, ſe illam in ſpecie ſtellæ viſuras. Sorori quoque Euſtochio oranti viſendam ſe dedit, multo ſplendore circumdata, grateſque habuit, quòd illius auxilio tantam gloriam, quantâm frueretur, conſecuta foret. *Marcus Vlyſſiponen. 3. parte hiſt. Seraphicæ lib. 7.*

XXIV. *Cadauer puellæ integrum ac incorruptum, item caput humanum, ad inſtar dolij magnum reperiuntur.*

Hoc anno Romæ, via Appia, quinto ab vrbe lapide, in agro Monaſterij S. MARIAE Nouæ, foſſores fodientes, inciderunt in quandam ſepulturam, intra quam repererunt loculum marmoreum ſatis benè marmore opertum, & plumbo oblitum; quo aperto, inuenerunt cadauer puellæ duodecim, vel circiter annos natæ, ſindone odoratiſſimis vnguentis, & aromatibus imbuta inuolutum, adeò integrum, & incorruptū, vt ante aliq. dies, puella mortua fuiſſe videretur; genis rubicundis, oculis aliquantū conniuētib⁹, ore aperto, lingua exerta, quæ traheretur & retraheretur, dentibus candidis, vnguibus manuum, & pedum firmis, brachijs, quæ attolerentur, & deponerentur; capite mobili, ſed tyara aurea, & capillis aureis ornato, circumcirca frontem: carne reliqua tractabili, & quæ nonniſi colorem, aliquot poſt diebus mutauerit. Creditum eſt, alicuius gentilis fuiſſe; & ideò ex Pontificis decreto, in quandam foſſam proiectum fuit. *Stephanus infixura in Notis Diariis.* Quinque annis ante, in Creta inſula, & ea quidem parte, qua ad meridiē obuerſa eſt, operarij quidam, dū immanis arboris truncos, ad naualē; fabricā radicitùs eruerent inuenerunt humanū caput, terræ reconditum, inſtar dolij magnitudine, idque imperiti homines, quum temerè attrectaſſent, confeſtim putri vetuſtate ſolutum, in puluerem abijt. Dentes ſtupendæ magnitudinis, ad Inſulæ Magiſtratus delati, rei fidem fecere, quorum vnus Venetias miſſus, etiam hodiè oſtenditur. *Sabellic. lib. 1. Aenead. 1. Rapſod.*

XXV. *Mulier quædam 17. proles vno partu enititur.*

Eodem anno Genuæ, Ioannis Antonij Buccanigræ coniunx, Bartholomæa nomine, ſeptemdecim liberos, rara quadam, ac fere inuſitata fecunditate, vnico partu enixa eſt: qui, licèt eſſent eiuſmodi corporis formæque conſtitutione, vt diurna vita frui non darentur, tamen omnes viui in lucem editi fuerunt. Hic partus potiùs ad portentum, quàm ad aliquod Reipub. omen tractus; quòd Italia, ac propemodum cæteræ nationes omnes, vulgata iam, & conſtanti opinione huiuſmodi partus, tamquam monſtroſos abominentur. Quamquam haud ſcio, vtrùm illud miraculum naturæ magis raritati, & inſolentiæ, quàm prodigij alicuius teſtimonio ſit aſsignandus; potiſſimùm cū retroactis temporibus, multæ inciderint ætates, & tempora, quibus natura talibus varietatibus luſerit, atque inſcrutabilem ſui inueſtigationem prodiderit. Legimus enim apud probatiſſimos authores, paſſim multa huiuſmodi naturæ occurriſſe exempla: & inter cætera quidem, ſatis conſtat, in Aegypto mulierem quinque liberos vnico partu enixam eſſe; cuius etiam meminit Ariſtoteles, vt grauiſſimus auctor, ita etiam arcanorum omnium diligentiſſimus inquiſitor, qui de hac re diſſerens, ſtatuit, hunc partum; humanam naturam vix vnquam excedere. Auguſti etiam Cæſaris tempore, vna ex eius ancillis in agro Laurente quinque pueros ſaluos, & incolumes peperit, qui paucis pòſt interiectis diebus, omnes ad vnum vnà, cum matre interiere, tanta cum totius Italiæ admiratione, vt iuſſu ipſius Principis monumentum perpetuum, ad perpetuam rei memoriam ei collocatum, atque dicatum ſit. Aliqui etiam recepti authores retulerunt in litteras, Margaritam, Comitiſſam Hollandiæ, anno ſalutis 1276. ætatis verò ſuæ anno 42. ipſo die Paraſceues, hora nona ante meridiem, vno partu peperiſſe infantes viuos promiſcui ſexus, numero, quod omnem fidem excedit, ſexaginta quinque, omnes vitales, diſtinctiſque corporis proportionatis membris, ſunt, qui ſcribant, ſingulos pollicis magnitudinem non exceſſiſſe: ſunt verò alij, qui aſſerant, etiam pulli magnitudinem adæquaſſe. His omnibus ab Epiſcopo Traiectenſi, ipſius Comitiſſæ auunculo, in multorum procerum, atque ordinū corona, pòſt ſacri lauacri perceptionem, nomen inditum; & maſculis quidem, Ioannis, femellis verò, Eliſabethæ; qui etiam, vix paucis interpoſitis diebus, vnà cum fecunda matre, ex hac luce in meliorem conceſſere, & Hagæ, vico Hollandiæ celebratiſſimo, ac definiendis litibus cōſtituto domicilio, tumulo, ac celeberrimo epitaphio decorati. Sunt, qui huius monſtroſi Margaritæ Comitiſſæ partûs cauſam, ad eius propriam culpam trahant, quaſi ipſa ſiniſtro iudicio aliarum matronarum, præſertim verò pauperiorum pudicitiam inſectata, eam propter vteri fecunditatem, non ſemel palàm in ſuſpicionem deuocare auſa eſſet; adeò, vt vna vel de media plebe muliercula, ſuæ Principiſſæ conuicium iniquo animo ferens, illi precata ſit, vt ad expiandum inſimulati ſceleris reatum, ſimili partu,





vel etiam numeroſiore deinceps oneraretur. *Petrus Bizarrus hiſt. Genuen. lib. 15.*

XXVI. *Eclypſis in ſigni.*

Hoc ipſo anno 1485. die XII. Martij adeò propter Solis eclypſim ſunt omnia obſcurata, vt deficiente iā die candelæ accenderentur: In vrbibus gallinæ; foris verò, diuerſi generis aues, ad ſolita quietis nocturnæ loca ſeſe reciperent. Durauit autem hęc eclypſis, ad quartam horæ partem; quam ſtatim ſecuta eſt ingens rerum omnium penuria, fames, ac pernicioſi hinc inde tumultus. *lib. de prodigijs, & oſtentis.*

# ANNO CHRISTI 1486.

## INNOCENTII PAPÆ VIII. Anno 3.

## FRIDERICI ROM. IMP. Anno 47.

## MAXIMILIANI I. ROM. REG. Anno 1.

I. *Maximilianus Friderici Imperatoris Filius eligitur in Regem Romanorum.*

INnocentius Pontifex, anni huius initio, legationem inſignem audiuit, à Friderico Romanorum Imperatore, & Maximiliano eius filio, Archiduce Auſtriæ, Duce Burgundię. Fridericus ſuperioribus annis à Principibus Imperij interpellatus, vt filium Maximilianum conſortem Imperij fieri pateretur, ſemper abnuerat, reſponderatq;: ſe filium ſuum propiùs agnouiſſe, neq; rebus gerendis idoneum adhuc eſſe, probè noſſe. Multo tempore propoſiti huius tenax, nolebat vlla de re minùs audire, quàm aſſumptione Maximiliani: quòd ſiue ex ſententia fecerit, ſiue quadam ſimulatione præſetulerit, ſiue etiam magnum onus adminiſtrandi euiſcerati Imperij filio auerterit, incertum eſt. Tandem, tandem, ſiue ætate prægrauante, ſiue moleſtijs, à Matthia Rege Vngariæ, & à Turcis fractus, matureſcentibus iam annis filij, de Gallis, & Flandris victoris, ad mutandam ſententiam inflexit, & tum Septemvirale Comitium Francofordiam Principibus Imperij indixit, tum vnà cum Maximiliano, communes Oratores ad Innocentium Pontificem deſtinauit; qui impetrarent, vt liceret Principibus Friderico viuente, Maximilianum F. ætate, virtutibus, & rebus geſtis florentem, ad Romana ſceptra euehere: iſtumque eadem ſuſcipere; præmiſſis ſolennibus iuramentis, pollicitationibus, & Tabulis, ſeu diplomatibus aureis, quæ, in Romanos Reges aſſumendi, iure, & more recepto, Pontifici Romano, Sedi Apoſtolicæ, Eccleſiæ, & Eccleſiaſticis ſolerent præſtare, offerre, & repræſentare. Re in Sacro Senatu relata, non abnuit Pontifex: quandoquidem multa præclara de Maximiliano accepiſſet; & Legati plena poteſtate fungentes, nomine Maximiliani iuramenta conſueta dixiſſent, priuilegiaq; Romanorum Pontificum, atq, Sedis Apoſtolicæ à ſuperioribus Regibus confirmata, aureis quattuor bullis à Maximiliano ſignatis comprobata repræſentaſſent. Ad XVI. diem Februarij Francofordiam conuenere, Bertholdus Moguntinus, Ioannes Treuirenſis, Hermannus Colonienſis, Archiepiſcopi: Philippus Comes Palatinus Rheni, & Bauariæ Dux, Erneſtus Dux Saxoniæ, & Albertus Marchio Brandeburgenſis. Hi peracto diuino officio in Baſilica S. Bartholomæi, obſeruato ordine bullæ aureæ, felici auſpicio Maximilianum in Regem Romanorum elegerunt, & paulò poſt, die X. menſis Aprilis, in ciuitate Aquenſi, diademate Caroli Magni ex archiuis Norembergenſibus allato inaugurarūt, Sacris operante, atq; inungente Colonienſi Antiſtite. Secūdùm hæc, Fridericus, vnà cum Maximiliano Rege, Francofordiæ, Cōuentum Principum habuit, in q; ea, illis, atq, communitatibus ſacri Imperij, abſentiumq; legatis cōſentientibus, de pace per vniuerſum Imperiū ſeruanda, ad decennium legem tulit, qua omnibus, & ſingulis ſacro Imperio ſubiectis mandauit, vt pacē, & concordiam inuicem ſeruarent, nemo alterum in perſona, vel in rebus, via facti offenderet. Si quis aliquid cōtra alterum mouiſſet, ſi quis conſilium, auxilium, vel fauorem turbarum concitatori pręſtitiſſet, vel pręſentia ſua animos addidiſſet, tamquam perduellis ab omnibus haberetur, &, nulla etiam præcedente Iudiciali declaratione à quocumq; poſſet violari. Nō obſtantibus quoad præmiſſa quibuſcumq; conſtitutionibus, ſtatutis, conſuetudinibus, colligationibus, & ſocietatibus, iuramento, vel quacumq: confirmatione roboratis. Fecit Fridericus eam pacem, vt poſſet Matthiæ Vngarorum Regi, Gallos in Maximilianum, Venetos in Sigiſmundum Auſtriacum, Polonos, Bohemos, Anconitanos, quin & Turcas in ſe ſollicitanti; & hinc omnibus aduerſarijs, & præcipuè Turcis reſiſtere. *Stephanus Infixura in notis diarijs Romanis. Mſ. rerum Innoc. 8. Nauclerus volum. 2. gener. 50. Mutius lib. 29. Auctor rerum Saxon. l. 2. Tritbem. in Chron Sponheimen. Cuſpinianus in Maximiliano 1. Krantz. lib. 13. Saxon.*

II. *Electionē illā Matthias Hūgariæ Rex impedire conatus eſt.*

Conatus eſt Matthias, *vt Krantzius memorat*, Maximiliani aſſumptionem maximo conatu impedire. Eapropter Friderico Imperatori bellum in Auſtria excitatum, ad hunc vſq; annum continuauit; ac Vienna capta, Siſeſtorphum, Lauam, Egburgum, Saduienum, & alia complura non ignobilia in Auſtrijs, & Styria oppida, ſiue deditione, ſiue impreſſione in poteſtatem redegit. Neapolim deinde hoc anno obſidione grauiſſima preſſit, Vrbem in Auſtria munitiſſimam, & impetui Turcarū excipiendo aptiſſimam. Vt autem tutiùs cum illo bellum gereret, Ladislaum Bohemię Regem, ad Iglauienſe colloquium euocatum, muneribuſq; ampliſſimis delinitum, ſibi fædere deuinxit. Ad labefactandas enim Auſtralium vires, & frangendam Friderici cum Imperialibus ſocietatem, nihil cōmodius cenſebat, quàm illum bellicoſiſsima gēte pollentem, ſibi conciliatum habere. Ioannem præterea Varadienſem Antiſtitem, ad Gallorum Regem, iam Maximiliano infeſtum, Oratorem miſit, vt cum illo fædus iciret, fraternamq; ſocietatem iniret, vt diſtractum duplici bello Maximilianum abſumerent. Zyzimum quoq; Turcarum Imperatoris fratrem, in poteſtate Regis Gallorum viuentem poſtulauit; non vt grauiore bello tyrannum, quod Bonfinius prætexit, afficeret, ſed vt occaſionem haberet, vel metu ab inferendo ſibi bello retinendi, vel ad fædus contra Auſtriacos permouendi. Hoc enim anno, vt Leonclauius narrat, Baxenſis reguli filium ad Baiaſitem miſit, quem is ſummo honore excepit, & grauibus auro veſtibus, magnaq; pecunia donatum, ad Regem remiſit: dubio procul, omnibus, quę poſtulauerat, conceſsis, vel promiſsis. Cum Ferdinando Neapolitanorum Rege, illi præterea affinitas erat: cuius filio, Ioanne Aragonio Cardinale, ſuperiore anno veneno à principe Salernitano ſublato, Metropolitanam Strigonienſem Cathedram, à morte illius vacuam, Hippolyto Ateſtino, Reginæ Beatricis ex ſorore nepoti, cōceſsit, & ad eam implendam in Vngariam venientem, ingenti honore coluit, vt Herculis eius patris non minùs, quàm Ferdinandi Regis, opera, in diſtrahendis Innocentij Pōtificis, pro Friderico, & Maximiliano viribus vteretur. Iā & Blancam Sfortiam Mediolanenſium Ducis filiam, Ioanni Coruino filio in connubium, miſſa legatione expetijt; vt non tantū fæderibus, verùm etiam affinitatibus potens eſſet. Præter hæc, fædus cum Anconitanis percuſsit, ſigillumq;, & ſigna Regalia illis miſit, quæ terra, mariq; geſtarent: quæ quicumq; læderent, pro hoſtibus ab illo ducerentur. Eam cum ipſo ſocietatem, Innocentius Pontifex ægerrimè tulit, & ad reſcindendum fædus Anconitanos vi adegit. *Krantz. ſupr. Bonſinius decad. 4. lib. 7. & 8. Leonclau. hiſt. Muſulman. lib. 16.*

III. *Principes Chriſtiani conciliantur opera Innocentij papæ.*

Quod præcipuum fuerat Innocentius non neglexit. In Germaniam enim inprimis Nuncium Apoſtolicum deſtinauit, qui inaugurationi Maximiliani Regis intereſſet: quique Principes ad faciendam pacem inuitaret, & in Turcas, ſacrum bellum indiceret, ac pro illo gerendo pecunias ex decimis fructuum Eccleſiaſticorum colligeret. *Mutius & Nauclerus ſupr.* Et ne Auſtriaci ab eo bello ſuſcipiendo, propter Venetorum nonnullas contra Sigiſmundum ſimultates diſtinerentur, illos ſibi magis deuinciendos putauit: vt tantò faciliùs pacem eos inter, & Sigiſmundum conciliaret. Ergò illi monente Pontifice, Sebaſtianum Baduarium, & Bartholomæum Bembum Oratores, Romam miſerunt, ad renouandum publico nomine cum eo fœdus. Tulere fructum ſuæ in Sedem Apoſtolicam promptitudinis à Deo, Veneti, proſperè re geſta aduersùm Aegyptium Regem. Eo enim nouum quid mari Syrio moliente claſſem inſtructam, ſub auſpicijs Franciſci Prioli emiſere: qui in Cyprum delatus, bellicos Sultani metus ità compreſſit, vt omnia breui pacata reddiderit. *Petrus Iuſtinianus hiſt. Venetæ lib. 9.*

IV. *Exitus belli inter Pōtificē, & Ferdinandum, & quibus de cauſis pax inita.*

Italiæ quoque pacandæ Innocentius cumprimis vacauit, ac bellum, quod pro dignitate, ac iuribus Sedis Apoſtolicæ, anno ſuperiore, contra Ferdinandum Neapolitanorum Regem ſuſceperat, miranda prouidentiæ diuinæ ratione, pace propter opinionem omnium conciliata confecit. Cauſas inauſpicati huius belli in ſuperioribus explicauimus: progreſſum, & exitum operæ pretium eſt narrare. Varia fortuna inter Pontificios, & Regios certatum: variè pariter à Regijs cum Pontifice, & verè variè, ſcilicet varia, & fluxa illorum fide actum. De bellicis conflictibus, certiora iſta Robertus Sanſeuerinas, Eccleſiaſticarum Dux copiarum, vt aliquid agere videretur, pontem Nomentanum à Regijs occupatum, ac paulò pòſt ipſum Nomentum de Vrſinis, quamquam non ſine aliqua cæde ſuorum cæpit. Inde Montem Rotundum copias mouens, Ioannem Baptiſtam Cardinalem adeò perterrefecit, vt is primò ad ſe venerit: deinde Romam ad Pontificem clam conceſſerit, culpam familiæ Vrſinæ, quæ ad Ferdinandum defecerat, deprecans, atque obliuione præteritorum impetrata, omnia ſua, & ſuorum in manus Pontificias deferens, vt is pro arbitrio ſuo decerneret: modò nè ſtyrpem Vrſinam, de Eccleſia perpetuò ante merentem, propter id temporis defectionem, non odio Sedis, ſed Columniorum cauſa factam extirparet. Indulſit Innocentius hac lege, vt is Virginio fratri ſuaderet, qui oppida, & caſtra, non tantùm, de quibus controuerſia fuerat, verùm etiam nonnulla alia ditionis Vrſinæ, Sedi Apoſtolicæ permitteret: atque ipſe Monte Rotundo, & quibuſdam Abbatiæ Farfenſis caſtellis excederet. Virginium, ſiue non potuit, ſiue diſſimulauit Cardinalis ad eas conditiones inducere: ipſe viſus eſt aliqua ex parte ſatisfeciſſe promiſſis: maximè permotus, quando Fabricius Columnius Albienſem Comitatum, Lauinium, Flauianum, San Georgium, Galleſium in poteſtatem redegit, & terrore bellico per Vrſinorum agros circumlato, Galeram vſque prædas agens, fœdâ vaſtitate, omnia compleuit, ita vt Virginium coëgerit, pedem referre vſque Bracchianum. Hic Alfonſus Ferdinandi filius, quòd neque à Mediolanenſi Duce, neque à Florentinis fœderatis ſubſidia in tempore aduenirent, neque Nicolaus Vrſinus, Petiliani Comes ſuppetias ex pacto promiſſas ferre properaret, omni auxilio deſtitutus, ab omni latere non modò circumcluſus, ſed etiam oppugnatus, iam ad patrem, reditum cogitabat: cæterum omni ex parte pericula ab hoſtibus circumſpiciens, quam tutiorem exiſtimauit fugam, eam ad Virginium arripuit, vt hominem, nè omni ſpe deſtitutus ad Eccleſiam inclinare cogeretur, confirmaret: vtque Montempolitianum Florentinæ ditionis oppidum, euaderet: indidemque Nicolai, & ſociorum copias expectaret: vel ſi opus eſſet, Florentiam ad ſollicitandos illos excurreret. Centum tantummodò equitibus inſtructus, Mancianam ſyluam vna nocte ſuperauit, bis hoſtili peditum manu in ſaltus faucibus intercluſus vix euaſit, continuatoque nocturno itinere per patentes Viterbienſium agros, ad Martæ amnem audaci conſilio delatus, Pitilianum primò, inde Politianum, præpropera celeritate, non ſine metu, & cura, nè ab hoſte opprimeretur, aduolauit. Ferdinādus Rex cæſum in pugna falſo rumore acceperat, & iam propè de retinendo regno deſperabat, maximè proceribus fœderatis audaciùs inſultantibus illius fortunis. Inter hæc enim ad Hieronymum Biſiniani Principem, Caſtrum velleris oppidum in Lucanis vrbis inſtar deſciuit: Ienſanum, & Spinaccola in Apulia, ad Pyrrhum Baucium inclinarunt; Anezanum in Marſis ad Fabricium Columnam: complura etiam loca, & caſtella ad Rugeronum, qui olim Ioannem Andegauenſem, vi regno pulſum ſecutus in Galliam, audita conſpiratione ad amiſſas opes ociùs commigrauerat. Addebat terrorem Ruuereus Vrbis præfectus, qui quattuor, & decem militum turmis fretus, reliquam Marſorum partem, Aequorumque circumiecta oppida omni præſidio nudata præter Celanum occupauerat, & Aterno ſuperato per Marrucinos in Lanxanum iter flectens, ad Hiſtoniū vrbem, cui Vaſtum nomen eſt, in littore maris Adriatici copias traduxit: vbi oppidum Montis Odoriſij primùm diripuit, deinde conuicina loca aſſiduis incurſionibus hoſtiliter vexans, ingentis ſpe prædæ in Apuliam magna cum Regis iactura contendit. Quo diſcedente, Baucius ſucceſſit, omniaq; cæde, ac incendijs confecit: ratus, popularium animos eo terrore faciliùs poſſe immutari, & ea deſperatione coactos, faciliùs ad Pontificem ituros. Antonellus quoq; Salerni Princeps, tribus militum turmis, & quingētis peditibus fretus, multorum, præcipuè in Picentibus animos tentauerat, omniaq; hoſtilia oſtentauerat, Ferdinādo Regi addictis.

V. *Varij rumores circumferũtur.*

Petrus Guenara, Vaſti Marchio, facilè his conceſſit. quin fama ferebat, Fridericum quoque Regis filium, ſpe regni acceſſiſſe in partes, verò, an falſo, nè tunc quidem conſtitit. Alfonſus Calabriæ Dux, magnam inuidiæ partem patri Regi conflauit, moribus incommodus: in quo nec luxuria crudelitati obſtabat, nec crudelitas luxuriæ. Iam & iſtud vehementiùs Ferdinandum premebat, cùm accepiſſet, Caroli Regis Galliarum Oratores ad Innocentium venientes, Laurentij Medicei, quando Florentia tranſibant, nec non Virginij Vrſini, Bracchiano ſeſe continentis, præfractos conatus coarguiſſe: ac fortè à ſuſceptis illis nonnihil auertiſſe: deinde Romæ honorificè exceptos, Innocentio Pontifici à ſuo Rege, & Regno ingentia omnia detuliſſe: Renatum Lotharingum à Legato Apoſtolico, ad poſſeſſionem Regni Neapolitani euocatum, breui affuturum: inter hæc Regē Carolum, ſex millia peditum, ſuis ſtipendijs in ſubſidium Sedis Apoſtolicæ miſſurum, eiſq; toto belli tempore ſtipendia numeraturum: ac præter hæc CCC. M. aureorū, in quoſcumq; Romanæ Eccleſiæ vſus expoſiturum: & ſi opus foret. IIII. M. equitatus Allobrogici auctoraturum. Enimverò Innocentius, grauiſſimis à Ferdinando, & Alfonſo iniurijs laceſſitus, & Neapolitani Regni procerum, quos contra omne fas violari intellexerat, precibus interpellatus, ad Carolum Regem opis petendæ cauſa Iulianum Cardinalem Ligurē legatum miſerat; datis luculētiſſimis mandatis, vt Renatum in Italiam euocaret. Quod verò Ludouicus etiam Sfortia Mediolani Princeps, Ferdinando auxilia adornaſſet; eū vt Pōtifex diſtineret, Nuncium cum pecunijs ad Heluetios, Sfortiarum hoſtes, miſit, qui XVI. M. ex





ea gente bellicoſa armaret, ditionibus Ludouici euertendis. Perculit ea res, non tamen fregit animum Ferdinandi; qui & domi aduersùs proceres fœderatos, copias non contemnendas, ſub ſignis Friderici filij & Ferdinandi nepotis, necnō Caroli ex illegitimo congreſſu nati, opponere non neglexit: & Alfonſo primogenito, auxilia Florentinorum, & Mediolanenſis præſtolanti, nè ſibi deeſſet, auxilia, quæ potuit, ſubminiſtrauit: quodque ex vſu maximū fore videbat, artem quoque componendi belli, à multo vſu callidus, adhibendam cenſuit: vt qua bellum quoquo modo traheret, qua nonnullos ex ſuis in diſcrimen adductos periculo eximeret, qua hoſtiles duces vel corrumperet, vel ſuſpectos Pontifici faceret: & ad extremum, ſi qua vel neceſſitas, vel ſpes pacis offerretur, non impetratam, ſed datam à ſe, iactaret. Robertum certè Sanſeuerinatem corrupiſſe, hinc multi cum Pontifice coniectabant, quòd is remiſſiùs cum hoſte agere, occaſiones belli conficiendi, victoriarumque negligere, atque propè fugere videretur. Quid porrò Sanſeuerinas, cum Virginio Vrſino egerit, quandò potens Bracchianum expugnare, ipſumque in poteſtate habere, potiùs ad pacis conſilia, vtque ſe Pontifici permitteret, inuitarit, ſatis ex euentu palàm fuit. Siquidem Virginius, cùm belli vim, & rerum anguſtias vltra ferre non potuiſſet, quamquam affirmaſſet, ſe ad Pontificem iturum, modò ſibi ab Sede Apoſtolica honeſti belli cōditiones non denegarentur, nèue in Ducem Inſubrium, & Florentinos ſocios, & amicos læſæ fidei, monumentum poſteris reliquiſſe diceretur, vt æquum erat, poſtularet abſolui: ac Pōtifex non ad tempus deliberaſſet, ſed extēplo conditionē, accipiens, xx. dies ad id peragendum libentiſſimè cōſtituerit, exiſtimās ea Virginij defectione, in quem oēs vires conuerterat, Romam bello liberari, & Regnum, de quo certabatur, faciliùs occupare; Virginius tamen rem omnem per Xantem ſcribam ſine mora Laurentio Mediceo patefecit: & venientibus Florentinorum, & Sfortiæ paulò poſt copijs, Bracchianum tradere voluit; nec ita multò copijs ſuis cum eorum coniunctis, Romæ fortunam, quæ belli eſſet caput, tentandam ſuaſit, remque Regiam penè proſtratam, conſilio, & viribus erexit, adeò, vt Alfonſus per agrum Cornetanum ſupra Centumcellas, Tolfam, & Anguillariam flectēs iter, ad vſque quartum ab vrbe lapidem exercitum promouerit, & locum caſtris occuparit; vnde Oſtiam intercipere, nè inde vel commeatus, vel ſuppetiæ Romanis inueherentur, tentauit: agrum Romanum ferro, & igni infeſtauit: in Latium tranſire, inoffenſo pede conatus, in vrbe quoque tumultus excitare non ſemel curauit: Roberto Sanſeuerinate nullo ea die Imperatore, quando Alfonſus ex Etruria auxiliares alas, non magno ſuorum periculo, aut cura ad Bracchiani ducem tranſduxit: ille verò Aquam pendentem, cum aliquot equitibus ſenſim cedendo inclinauit, & hoſtibus poteſtatem tranſeundi fecit. Tam intimè prolatis caſtris, Alfonſus, Liprignianum ad deditionem coëgit, circumſeptos Soractis montis iugo aliquot prælijs fatigauit, ac Pontianum propè Tyberim oppugnare adorſus, in inuidiam apud Pontificem adduxit Sanſeuerinatem: cum quo colloquium de deſerendo Innocentio cum habuiſſet, & magnis illectum conditionibus ad defectionem impuliſſet, rem omnem Pontifici ſignificauit: ſimulque admonens, vt videret, cui duci fideret, mentionem pacis iniecit. Quò autem magis in Pontificis ſuſpicionem, odiumque Robertum induceret, præter hoc, quod de pacis conditionibus Albino medio diu agitauit: etiam tabulas manu Roberti ſubſcriptas, ſignataſq; de ijſdem Innocentio tranſmiſit. Vnde Pontifex, vbi Robertum non ex fide agere, ac ſuis propterea animos ſatis diminutos, hoſtibus verò auctos cerneret ad pacem quoque flexit mentem, & extemplo conſilium Alfonſo aperiens, vti Albinum ſuum, cui quod animo haberet, credidiſſet, tutò ad ſe mitteret, inſinuauit. Mouit Pōtificem ad id conſilium, quod à Carolo Rege non niſi pollicitationes acciperet: Renatus Lotharingus aduentum differret: pecuniæ in ſtipendia militum deficerent: ager Romanus hoſtili ferro tam à ſuis, quàm à Regijs fœdaretur: popularium, ac militum infidæ voluntates erumperent: Senatus, populuſque Romanus pacem, contentis precibus implorarent: ac quod maius eſt, primores Sacri Senatus, Senenſis, Sabellus Aſcanius, Iulianus, cum plurimis alijs Patribus, in Sacro Comitio, nomine Ferdinandi Regis omnia abundè pollicerentur, & ad eandem pacem ineundam hortarentur. Fuerat etiam à Ferdinando Caſtellæ Rege ijs motibus pacandis Legatus Tendiliæ Comes, qui ſui Regis nomine, Pontificem placaret, ac fide publica tutos fore fœderatos proceres Neapolitanos reciperet, modò poſitis armis, ad officiū redirent. Ludouicus quoque Sfortia, ab Heluetijs bello petitus, nihil non egit, vt Ferdinandum Neapolitanū ad pacem poſtulandam incitaret. Quod cùm is facere nō intermiſiſſet, Pontifex Albino internuncio Regio, conditiones præſcriptas Neapolim ferendas dedit: ac interim Ioannem Cardinalem Venetum, in caſtra proficiſci iuſſit, qui cum Alfonſo tranſigeret, nè Romanus ager ferro, aut flamma vaſtaretur, donec aliquid certi decerneretur. Robertus inter hæc ſpe omni eluſus, occulto Pontificis odio premente, cum fortunas ſuas in extremo ſitas eſſe iudicaret, deſperatis rebus, Innocentium tamen adiuit: ſed vt in conditionibus pacis ipſe quoque poneretur, impetrare non potuit: quin & de filio in Cardinalium Senatum recipiendo, & de ſtipendijs, aut præmijs non niſi verba accepit: ac quod grauius eſt, Romano agro ſtatim excedere coactus eſt: quòd eius milites omni flagitiorum generi deditos, licentia, ac libidine, cui ſemper ille indulſerat, vbique in omnes ſæuijſſe, ac præ alijs ingenuam puellam Viterbienſem, forma notam, vulnerato marito, noctu rapuiſſe Pontifex accepiſſet. Michaël Brutus, etiam Laurentium Mediceum conciliatorem inuidiæ Roberto facit: qui ſiue ab Oratoribus Caroli Regis deterritus, ſiue à ſuis illectus, ad compoſitionem, Innocentium inclinare deinceps decreuit, reque excogitata, per certum è ſuis hominem, quem ſpe ingentium præmiorum onerauerat, litteras illi tradendas curauit, ita perſcriptas, vt à Roberto ad hoſtes de proditione miſſæ, atque interceptæ viderentur. Confirmato in ſuſpicionibus Pontifice, vſus adminiſtris inſignis probitatis, & fidei hominibus, quorumque magni eſſe apud Pontificem authoritatem ſciebat, curauit crebrò eum admonendum fatigandumque precibus, vt à bello animum auocaret. Tandem adduxit hominem, fidei ſuorum diffidentem, vt inexpectatam, ſed omnibus tandem deſideratam pacem componeret. Eius conditiones fuere, ad XII. diem Augusti, Romæ publicatæ.

VI. *Pacis conditiones.*

Ferdinādus Rex Neapolitanus, Romanæ Sedi, ſingulis annis, ad diem SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum octo millia vnciarum auri puri, cenſum, ſeu vectigal ſolueret.

Regni Proceribus, qui fœdere iuncti arma corripuerant, ignoſceret, eoſq; incolumes ſeruaret.

Aquilanos in libertate relinqueret: quibus licitum foret, vel Pontificem, vel illum dominum agnoſcere. Caſſinenſis Abbatia, vnà cum omnibus ditionibus, & bonis attinentibus, Pontificis diſpoſitioni ſubiaceret. Pontifex Romanus, omnes Epiſcopatus, & Sacerdotia Regni pro arbitrio diſtribueret: cauſas Eccleſiaſticas per appellationem deuolutas cognoſceret: Cōmiſſarios, Inquiſitores, Viſitatores, Cognitores earundem cauſarū quoties adlibuiſſet, vel opus eſſet,

mitteret, ac plenariam in cauſis ſpiritualibus, & mixtis iuriſdictionem exerceret.

Pontifex, Gallis nè impedimento eſſet, ſi quando impetum facturi in Regnum eſſent.

Tempore belli hinc inde acquiſita, Regis Hiſpaniarum arbitrio, quoad reſtitutionem relinquerẽtur.

Virginius Vrſinus, nudipes, capite aperto, collum laqueo inuolutus, genibus flexis coram Pontifice, miſericordiam ſupplex depoſceret.

Reliqui Vrſini, & inter hos Ioannes Baptiſta Cardinalis, Pontificis voluntati ſe totos dederent, & humiliter veniam peterent.

Rex Hiſpaniæ, Ludouicus Sfortia, & Laurentius Medices pro Rege Ferdinando pacis vades eſſent.

VII. *Fœderis immemor Ferdinandus proceres regni curat occidi.*

Compoſitis ad eum modum rebus, Põtifex omnes copias Eccleſiaſticas dimiſit; Ferdinandus Neapolitanus Rex omnia promiſſa ludibrio habuit, cum ætate præceps, ad deteriora credenda, & ad irroganda ſupplicia: aduersùs quaſuis tempeſtates opibus fretus, quas à patre traditas habebat; & ipſe longa poſſeſſione imperij ingentes cumulauerat. Fœdere facto, opprimere proceres Regni fœderatos aggreſſus eſt. Sic ſpecie nuptiarum, quæ in arce Noua celebratæ ſunt, Sarni Comes, Petrocia, Copula, Anellus Arcamonus, cum nonnullis alijs comprehenſi, capite pænas dederunt. Franciſcus Caleni Comes, in tabulam deuinctus manibus pòſt tergum illigatis, fœdiſſimè à bobus per vrbem protractus, atque vbi ad acerrimum ſecuris ſpectaculum ventum eſt, à carnifice recuruo cultro iugulatus, & in quattuor partes diſſectus, tamdiu trabibus pependit, quamdiu Regis tulit voluntas. Ioannes Antonius Policaſtri Comes, etiam capite pænas luit. Principes Altamuræ, Biſinianique varijs temporibus capti, cum multis alijs, diuturna cuſtodia perierunt, lenta, grauique morte. In Ioannem Antonium Martianum, cum trigeſimum iam, & quartũm annum vinculis conſtrictus nondum ſatis pænarum dediſſe videretur, gladio animaduertit: quibuſdam cum paruis liberis parentum culpæ innoxijs, interfectis: multum quamuis expoſtulante per Legatos Hiſpaniarum Rege Ferdinando, minis additis, fidem ſuam haudquaquam ludibrio fore paſſurum. Sed vicit omnia peruicax Neapolitani animus, immemor rerum humanarum inconſtantiæ: venturi ſecurus, euertendi imperij certiſſima fundamenta cæde procerum, inuidia prouincialium ponebat. *Ioannes Albinus de bello inteſtino. Vialardus in vita Innocent. VIII. Mariana lib. 25. c. 7. Stephanus Infixura in notis diarijs.*

VIII. *Facinoroſos nonnullos interfici curat Innocentius PP.*

Bello Neapolitano confecto Innocentius, ad pacis vrbanæ ſtudia animum conuertit. Inprimis Vrſinos Columnẽſibus & Marganios, Sancta Crucianis, conciliare conatus, omnia humana remedia huic concordiæ adhibuit, donec inter diſcordes conueniſſet. Pij, Pauli, & Sixti edicta contra homicidas, & ſicarios renouauit, & omnes vrbe, ditioneque Eccleſiaſtica eiecit. Duos fratres Franciſci Bubali filios, Petrum, & Hieronymum, qui ſeditioſis omnibus receptaculum erant, ob potentiam diù impunitos, vna die ſimul capi, & ſecuri percuti mandauit: quamquam cum parente ipſorum longo anteà tempore amicitiam contraxiſſet. Dominicum etiam Viterbienſem, & Franciſcum Maldenſem nobiles viros, & ſcriptores Apoſtolicos falſarios, omnibus ſuis reclamantibus, ſuſpendio enectos, medio foro combũſſit. In Bucolinum Auximi tyrannum, in ciues ſuos ſæuientem, qui vrbe ex priuato occupata ab Eccleſia defecerat & conſcientia ſceleris de venia obtinenda, Turcum in auxilium vocare nõ dubitauerat, iamque Aulonam ad Turcicos præfectos litteras, quibus ſeſe, vrbemque dederet, miſerat, quas reliquas habuit copias mouit, & non ſine magna ſtrage expugnatum, captiuum ad Ludouicum Sfortiam tranſmiſit; cuius præcipuè ope id bellum duce Ioanne Iacobo Triultio confecerat. In vindicandis publicis facinoribus inexorabilis, omnia circum vrbem à graſſatoribus, latrocinijſque purgauit: vnde poſteà toto eius Pontificatu, & annonæ maxima vbertas, & pax florentiſſima vbique, & præſertim Romæ fuit. *Panuinius in Innoc. 8. Michaël Brutus lib. 8.*

IX. *Innocentius à Genuenſibus offenſus, Florentinis ſe coniungit.*

Cùm Lazarus Auria, Genuenſium Orator, illum, vt pacem inter ſuos ciues, & Florentinos componeret, interpellaſſet, eam initio huius anni æquis conditionibus confecit; ſc. vt Florentini arcem Sergnelli, quam tenebant, dimitterent, omnique iure ſuo in rebus Sergianenſibus cederent, contrà Genuenſes Petram ſanctam, omneque ius ſuum in Florentinos transferrent. Florentini mutarunt voluntatem: quòd Pontificem in amicitiam ſuam traduxiſſent, Genuenſes autem multis illum offenſis à ſe alienaſſent: quarum prima fuit; quòd cum nonnullam pecuniarum ſummam à Genuenſibus publicè mutuam quæſiuiſſet, Genuenſes mutuam quidem pecuniam dederunt: cæterùm ità illiberalibus modis, ità omnia minutè perſequentes, ac Pontificem veluti faucibus preſſum, ad ſuas conditiones adducentes: tamquam non cum ſacrato Principe, ſed cum vacillantis fidei mercatore agerent. Ad hæc Lazarus Auria, filiam ſuam, Franciſco Cybo Pontificis neceſſario, iungere matrimonio recuſauit. Præterea pecunias quaſdam à Pontifice in ædificationem ædiculæ in mole, Diuæ Claræ titulo inſignem, miſſas, Genuenſes retinuerant, affirmantes, eas ſibi à Pontifice multis nominibus debitas. Poſtremò aulæa quædam Pontificis Genuam aduecta, Genuenſes, per magnum Pontificiæ maieſtatis, atq; ipſius Innocentij ciuis ſui contemptum, non priùs dimiſerunt, quàm portorio ſoluto. qua iniuria, inſolentique contemptu irritatus, ſeu adeò impulſus, Laurentij Medicei affinitatem expetijt, Magdalenamq; eius filiam, Franciſco Cybo deſpondit, totumq; ſe ab omni ſtudio, ſenſuq; Genuenſium deinceps diſiunctum, in Florentinorum amicitiam tradidit. *Vbertus Folieta hiſt. Genuen lib.* XI.

X. *Galliarũ Rex fauet Genuenſibus.*

Carolus Galliarum Rex, occultè Genuenſibus fauebat. Eum vt de omnibus in Italia, tàm cum Ferdinando Neapolitano, quàm cum Genuenſibus, & Florentinis geſtis, Pontifex certiorem faceret, Nuncium in Gallias deſtinauit: ſimulque ſignificauit, quàm perfidè Neapolitanus in ciues graſſaretur; quàmque ingratè in Sedem Apoſtolicam, & in Ferdinandum Regem Hiſpaniarum ageret: illi quidem neque cenſum ſolueret, neq; reliqua præſtaret: in hunc verò Mauros Granatenſes excitatos adiuuaret. *Vialardus in vita.*

XI. *Caſtellæ Rex Mauris aliquot oppida eripit.*

Fauit tunc Deus Hiſpano, in profanos mouenti. Loxã inprimis, cæſis, reiectiſque Maurorum copijs, per deditionem accepit. Aequalibus auſpicijs ad alia oppida motis caſtris, pauca repugnantibus barbaris, plura ex deditione cepit, Illoram, Zagram, Balnea, Moclinum: tametſi ex ijs quædam, ita erant loco, & opere munita, vt diu ſuſtentare potuiſſent: in ipſiſque Granatæ oculis, ob idque certiori auxilij ſpe. Ipſi Granatenſes ciues ſoliti erant, Illoram, dextrum oculum, Moclinum, clypeum vocare. Cauſis timoris maior timor, ad id conſilij Mauros impulit. Granatenſes eo accepto incõmodo ſpẽ fermè abiecerant, præſertim vicino agro igne corrupto, luctuq;, & cæde cõpletis omnibus partibus. Itum deinde in Abohardillem, militaribus copijs potentem. Semel, ac iterum, Mauri reiecti, & in fugam verſi, atque planè profligati; Neapolitano fruſtrà fremente. *Mariana lib. 25. cap. 9.*

XII. *Regnum Angliæ*

Miſit etiam hoc anno Innocentius, Nuncium in Angliam, qui Henrico VII. pòſt Richardi tyranni cædem, ad Regia ſceptra ſublimato Regnum confirmaret, & de matrimonio cum Eliſabetha affini contrahendo cognoſceret, & ſi opus eſſet, legibus Eccleſiaſticis ambos ſolueret.





*confirmat Innoc. PP. Henrico Regi.*

Diximus ſuperiùs, quemadmodum Ricardus Dux Gloceſtriæ, Edouardo fratre Rege mortuo, eius filijs non tantùm Regnum eripuerit, verùm etiam illos in turri Londinenſi ſecuri percuſſerit: matrem vtriuſque in aſylum ſeſe recipere coëgerit, & filias duas fraude, ac dolis à complexu illius ſuſtulerit, maioriſque natu Eliſabethæ, matrimonium, exhorrente quamuis puella ambiuerit, tentaritque: ac præterea proceres nonnullos Edouardi mortui filijs impensè fauentes, necemque innocentum, & calamitatem Reginæ, filiarumque ægerrimè ferentes, per tyrannidem è vita ſuſtulerit: ſtabiliendo ſcilicet ſibi regno: quod à cæde illorum, ad Henricum Comitem Richemondiæ, Henrici VI. filium, à quindecim annis apud Franciſcum Ducem Britanniæ in exilio vitam agentem, & patrium regnum ſperantem, expectantemque ſpectabat. Non poterant proceres ampliùs ferre impotentem dominatum Richardi. Ergo Henrico Buchyngamiæ Duce auctore contrà illum conſpirantes, Henricum ex Gallia aduocandum cenſuerunt: modò is Eliſabetham, Edouardi mortui filiam, vxorem acciperet. Adfuit ille; & apud Loceſtriam commiſſo cum Ricardo occurrente prælio, victor, & Rex euaſit: cum reliquis in fugam coniectis, Ricardus inter confertiſſimos prælians occubuiſſet. Fertur eadem nocte fuiſſe Ricardo terribile ſomnium. Viſus eſt enim per quietem, videre circa ſe obuerſari imagines, quaſi malorum dæmonum horrificas, & illas non ſinere ſe quieſcere. Quæ equidem viſio non tàm ſubito pauore eius pectus perculit, quàm anxijs impleuit curis. Namque ſtatim poſt animo æger, ex ea re grauem pugnæ futuræ euentum præſagiebat, ac non ea animi, aut vultus alacritate, qua ante ad certamen accedebat; qui vt nè hoſtium metu territus, diceretur eam præ ſe ferre triſtitiam, multis mane ſomnium ſuum recitauit. Verùm id, credo, non fuit ſomnium, ſed conſcientia ſcelerum; conſcientia, inquam, eò grauior, quò culpa maior, quæ ſi aliàs numquam, at extremo vitæ die, ſolet facinoroſis commiſſa eorum repræſentare, ac illorum ſimul impendentes pænas monſtrare: vt meritò ad id temporis punctum, malæ actæ vitæ pænitentes, hinc triſtes migrare cogantur. Et quidem potuit Ricardus, vt fama erat, ſalutem fuga quærere: nam qui circa eum erant vbi viderunt, militem iam inde ab initio certaminis, languidè, ac ſegniter arma mouere, atque alios clam prælio excedere, fraudem ſuſpicato, hortati ſunt, eum ad fugam: & cum iam manifeſtè res inclinata eſſet, equũ velocem adduxerunt. Ille verò, quem non fugiebat, populum ſibi infeſtum eſſe, ſpe depoſita omnis poſthac futuri euentus, fertur reſpondiſſe, ſe eo die aut bellorum, aut vitæ finem facturum. adeò magna audacia, magnaq; vis animi in eo fuit: qui propterea ſciens certò illum diem, vel regnum ſibi deinceps pacatum redditurum, vel perpetuò adempturum, corona Regia redimitus in certamen deſcendit, quò aut initium, finemue regnandi ex illo faceret. Ita miſer ſubitò ſimilem exitum habuit, atque ijs accidere ſolet, qui ius, fas, honeſtum pro eo habent, ac voluntatem, improbitatem, impietatem. Sanè iſta exempla longè hominum vocibus vehementiora eſſe deberent, ad deterrendum eos, qui nullam horam vacuam à ſcelere, crudelitate, flagitio, præterire patiuntur. Thomas Stanleius coronam Ricardi inter ſpolia repertam, capiti Henrici protinus impoſuit; Henricus, adeptam victoriam, Deo Opt. Max. multis precibus acceptam, ſtatim retulit, & totius rei Carolum Galliarum Regem, & Franciſcum Britanniæ Ducem, inprimis verò Innocentium Pontificem certiores fecit: hic autem Regnum acquiſitum Henrico confirmarit: illudque iure hæreditario, iure belli, iure coniugali, iure electionis, iure Senatus, ſeu Parlamenti Anglicani, necnon iure Pontificio, atque ſuo, ad Henricum Regem ſeptimum, eiuſque hæredes, in perpetuum ſpectare debere pronunciauit.

*Cum eodẽ Reg. diſpẽ. ſat Pontifex, vt contrahere poſſit cum Eliſabetha Edouardi Regis filia.*

De nuptijs inter eundem Henricum, & Eliſabetham Edouardi filiam, Pontifex, ad diſpenſandum, ſeu confirmandum illud legitimum, diuinitùſque conciliatum, ac ad pacem, & tranquillitatem Anglorum maximè neceſſarium matrimonium, authoritate ſua opus eſſe putauit: quia quarto cognationis gradu nupturi ſe contingebant: quod etſi diuino, Pontificio tamen iure prohibetur. Præter hæc Henricus Rex, cum Ioannem Mortonum ſecum in patriam reducem Regni Cancellarium conſtituiſſet, eundemque, Thoma Bourghier, Archiepiſcopo Cantuarienſi mortuo, ad Metropolim à Monachis poſtulari curauiſſet, authoritate Innocentij, ab Epiſcopatu Elienſi ſolui, atque transferri & confirmari anniſus eſt. Hæc translatio, & confirmatio, perinde, atque illa Thomæ Bourghier, qui ab Elienſi etiam ſede, ad Cantuarienſem aſſumptus fuit, ſex diſtinctis bullis publicata eſt. Mox ab Willhelmo Selling, Sacræ Theologiæ profeſſore, & Eccleſiæ Cantuarienſis Priore allatum eſt vexillum Archiepiſcopo, quod in munerio Elienſis Epiſcopi in Holborne accepit, atq; oſculatus eſt, ac deinde Crucigero ſuo tradidit. *Polydor. Virgil. Angl. hiſt. lib. 25. Author antiquitatum Eccleſiæ Britannicæ in Ioanne Mortono.*

XIII. *Ioannes Miluertonus Carmelita in epiſcopos procax carceri mancipatus moritur.*

Quo etiam anno viuendi finem fecit Ioannes Miluertonus Carmelita, Theologiæ Doctor, & Profeſſor Oxonienſis, vir etſi doctus, attamen multa ſibi temerè arrogans, propter quæ opus fuit Sedem Apoſtolicam conſulere. Imprudente quodam zelo plus ſatis reprehendit exceſſus Prælatorum Eccleſiaſticorum, & ipſorum adeò Antiſtitum. In eis grauitatem pro ſuperbia, congruum dignitati habitum pro luxu, hoſpitalitatem pro prodigalitate, ſeueritatem pro tyrannide, vel grauiter redarguebat, vel omnino condemnabat. Occaſionem quidem primam ſumpſit non omninò malam. Nam per iſtud tempus Reginaldus Pecoccus Epiſcopus primùm Aſaphenſis, deinde Ciceſtrenſis in graues errores prolapſus eſt. Contra hunc Miluertonus, & benè, & ſtrenuè concionatus eſt. Sed intra debitos limites nequaquam ſe cõtinuit. Non enim opus erat atrociter, Præſulis vnius diffundere crimen in omnes: cum nulla ratione, vt ſcribit S. Hieronymus, paucorum culpa, fiat omnium ſcelus. Hoc tamen fecit, & quidem ſuo malo Miluertonus. Cuius malum exemplum ſecuti quidam alij Monachi, indiſcretis ſuis è ſuggeſtu reprehẽſionibus, Epiſcoporum contra ſe animos exaſperauerunt, & ad iuſtam iracundiam, prouocauerunt. Ex his inſolentioribus Monachis, Richardus Epiſcopus Londinen. duos carceribus concludi fecit, & ipſum Miluertonum excommunicauit. Miluertonus Romam ad Summum Pontificem confugit. Pontifex, accuſatione Epiſcoporum accepta, & Miluertoni excuſatione reiecta, hominem in carcerem detrudi fecit, & ad triennium in caſtello S. Angeli detinuit. Tandem cauſa ſeptem Cardinalibus ad iudicandum commiſſa, eorum quidem ſententia, vinculis liberatus, & aliquo modo honori reſtitutus fuit; ab Epiſcopatu tamen Meneuenſi tum fuit reiectus, ad quem anteà fuerat electus. Occaſione huius tàm grauis infortunij, totus Ordo Carmelitarum in Anglia deinceps declinauit, honor, & exiſtimatio diminuta eſt, auctoritas euacuata, doctrina etiã defecit; deficientibus medijs, & Mecænatibus, qui ſubſidia ſtudiorum, vt priùs illis ſubminiſtrarent. *Pitſeus de Illuſtribus Angliæ Scriptoribus.*

Hoc anno Innocentius Pontifex, contra Ma-

giſtratumBrixienſem ſententias Inquiſitorum contra hæreticos, latas exequi detrectantem hoc tenore reſcripſit.

*Venerabili fratri noſtro, Epiſcopo Brixienſi, & dilecto filio Inquiſitori in partibus Lombardiæ.*

*Innocentius Papa VIII.*

*Venerabilis frater, & dilecte fili, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

*Dilectus filius, Frater Antonius de Brixia Ordinis Prædicatorum, in partibus Lombardiæ Inquiſitor hæreticæ prauitatis, vnà cum Venerabili fratre Epiſcopo Brixienſi, ſeu eius Vicario Generali, ſicut nobis nuper fecit exponi, contra nonnullos vtriuſque ſexus hæreticos (vt accepimus) quos culpabiles, vt hæreticos impænitentes repertos, pæna debita iuris puniendos condemnauit; ac Officiales Ciuitatis Brixienſis, vt iniunctam executionem adimplerent, requiſiuit. qui Officiales iuſtitiam miniſtrare, & dictas ſententias exequi (niſi prius proceſſus per Epiſcopum & Inquiſitorem agitatos viderent) in non paruum Orthodoxæ fidei ſcandalum recuſarunt. At cum huiuſmodi crimen hæreſis ſit merè Eccleſiaſticum, & delicta nullo pacto impunita remanere debeant, tenore præſentium vobis committimus, atque mandamus, vt ſi eſt ita, eiuſdem Officialibus ſecularibus Ciuitatis Brixienſis, ſub excommunicationis pæna, & alijs cenſuris Eccleſiaſticis præcipiatis, atque mandetis, vt infra ſex dies, poſtquam legitimè fuerint requiſiti, ſine aliqua dictorum proceſſuum per vos agitatorum viſione, ſententias per vos latas, contra huiuſmodi hæreticos promptò exequantur, appellatione remota. Quam excommunicationis pænam ipſo facto volumus, & tenore præſentium declaramus incurriſſe; ſi quod mandatum fuerit, intra dictum ſex dierum ſpatium, ceſſante legitimo impedimento, cum effectu non impleuerint. Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis Ciuitatis Brixienſis, cæteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 30. Septembr.* 1486. *Pontificatus noſtri anno tertio.* Ext. in Bull. Inquiſit.

XV. *Cõtrouerſiam de annulo pronubo Deiparæ dirimit Innoc. Pontifex.*

Eodem anno Innocentius, reliquum controuerſiarum, quod inter Peruſinos, & Cluſinos, Senenſeſque, de annulo pronubo Sacroſanctæ Virginis (cuius hiſtoriam ſuperius explicauimus, ſuſtulit) eiuſque poſſeſſionem Peruſinis religioſiſſimis adiudicauit: Rei narrationem continuabat, Ioannes Baptiſta Laurus Peruſinus V.C.SS.D. Noſtro Papæ Vrbano VIII. & Cardinali Barberino à ſecretioribus Principum epiſtolis, in eo, quem aureo ſtylo ſcripſit, de hoc ipſo annulo, Commentario.

Innocentio Octauo ad Pontificatum aſſumpto, cùm ad eum, Regum, Principum, Rerumq; publicarum Oratores mitterentur, Peruſina quoque ciuitas, Vidonem Baleonem deſtinarat, qui fidem, venerationem, obedientiam ſuorum primum vice popularium præſtaret: deinde ad Senenſe fœdus curas omnes, cogitationesque conuerteret. Senas quoque Stephanum Guarnerium amandauerat, vt quibus Romæ Vido incaluiſſet concordiæ prę́fationibus, earundem identidem ſubmonitus, ſuas & ipſe turres, vineaſque, quod dicitur, ad expugnandos finitimorũ animos admoueret. Neque hoc iam præter modum Zelotypia enim mirifica tenebatur; & feruidi amoris, quo erga Deiparæ annulum æſtuabat, hic erat afflatus. vſque adeo illud Gregorij Nazianzeni dictum cum ratione congruere putandum eſt; Animi acrimoniam, vbi ad pietatem acceſſerit, zelum parere; zelum, fidei præſidium eſſe. At Guarnerius dùm laborat maximè, vt nubeculas odiorum reliquas conciliatæ inter ſe vrbes amolirentur, quæque multa populationibus mutuis perierant, vtrinque amice rependerentur: probare hoc Senenſes. Cluſini, depoſiti conclamatam memoriam haudquaquã velle. Plus ſatis illo per otium Peruſinos potitos; cum externarum ipſi, ciuiliumq; turbarum fluctibus pæne obruti, rem tamdiu quodammodo neglectui habuerint; de qua recuperanda, Republica vel euerſa, conflictari cum ingenijs tam alieni appetentibus debuiſſent. Conatus verò poſt hactenus Senenſibus improſperè ceſſiſſe: qui iis in armis, quæ alio pro firmanda vrbis ſecuritate obuerterant, prę́ſidii parum inueniſſent, in Riariis fratribus, atque in delectis Cardinalibus propè nihil. Animos tandem à metu ad ſpẽ certam, quæ, Sixto Papa ſuperſtite, euanuerat, reuocari; ex quo Innocentius, cui rationes, & vota prius probaſſent ſua, æquitati ſignum ſuſtuliſſet. Qui dum anxiè Genuenſes ſuos ambit, vt Sergianam Florentinis reſtituant, dictitatque; vrbem vi captam, à Diuo Georgio Genuenſium patrono, religione ſalua, retineri non poſſe; de Annulo Cluſinis erepto idem æquiſſimum Pontificem videri pronunciaturum; à cuius poſſeſſione, quam ſibi haud dum aſſerere nequiuerint, nullo pacto ſeſe in poſterum arcendos. Quod ſi controuerſiarum ius denique tollendarum, nè non Etruſcorum fœderum cultores omni tempore habeantur, alicuius arbitrio adiudicare placeat; paternæ Innocentij voluntati, & Franciſco Piccolhomineo Cardinali ſe liberè permiſſuros. Quidquid autem calculis vtrimq; collatis ſtatuiſſent ambo, id ſe fide optima, firmato prę́iudicio, ratum fixum, firmum ſimpliciter habituros. Peruſini, etſi Piccolhominei auctoritatem, in quo nimirum patriæ charitas exarſura videbatur, ſeu credebatur, iure ſibi metuendam affirmarent: Pontificis tamen benignitate freti, qui nobiliſſimæ ſubiectæ vrbis iacturam minùs facile, vt putabant, toleraſſet; ſimul quia Cardinalis Recinetenſis, Ruuereiorum, ac Florentinorum ſuffragiis plurimũ fiderent: rem Innocentij, & Piccolhominei iudicio nõ grauatim permittunt: conſcriptiſq; ex Senatus Conſulto litteris: Antonius Acerbus Romam aduolat, qui Baleono iunctus, cum Senenſium Legatis negotium tranſigat; neue amabiles patronos, fœderatoſq; non fatiget precibus, quæ Peruſinorum votum tueri, ac prouehere illi pugnaciſſimè contendunt. Pontificis animus nunquam æquè in Peruſinos beneuolus, ac fauens, ſiue continere ſuauiter in officio Peruſinos operæ pretium duceret; apud quos factiones hoc tempore gliſcentes (finitimarum Ciuitatum Regulis ſe tyrannicè efferentibus) haud adeò in procliui erat; & vt ſacra ſaltem in re tumultuantibus ciuibus gratificaretur, quos publicorum munerum adminiſtrationibus, quibus Baleonum cumprimis potentia nitebatur, pænè in totum priuauerat (quæ enim centum, & viginti fuerant, ad quattuordecim deficere Innocentius imperauerat) ſiue ſuopte in Virginem ingenio pronus, quã in Aede Lauretana, bulla cũ gentilitiis inſignibus aurea, Pontificali amiculo ex holoſerico villoſo, & peripetaſmatibus Innocẽtio dignis, largè donauerat; eò nõ inuitus cõſiliũ flexit, quò Deipara Virgo potiorẽ mundi ſui partẽ, poſt diuturnã apud Cluſinos commorationem, transferri voluerat. Piccolhomineus diuino vti, multi exiſtimauerant, monitu, & occulta ſpiritus operatione adductus, propenſæ erga Peruſinos Innocentii voluntati minimè refragari eſt auſus: cum interea Florentinis ex fœdere, pro Peruſinis vehementer deprecantibus, denegare ſuffragium non liceret Fortaſſe & nonnulla eius temporis recordatio humaniſsimi Principis memoriam refricuit, hinc & ad gratificandum procliuior factus: cum nempe in Peruſino Gymnaſio Pontificij & Cæſarei iuris candidatus, à Pio II. auũculo in ampliſſimum S.R.E. Cardinalium ordinem cooptatus eſt. Igitur vterque, quod ab octo purpuratis Patribus, tot interea elapſis annis, ob Etruriæ fluctuantis domeſticos, & concuſſæ in vniuerſum Chriſtianæ Reipublicæ ſuper-incidentes clades, confici non potuit, ſolenni concepta formula, tabellaria ſententia, ſumma omnium conſenſione decidit, & pronubum Deiparæ Annulum, iudicio vſus, Peruſinæ vrbi adiudicauit: arbitrio autem reſarcienda





damna pronunciauit, ac ciuibus, qui gregalium aut frumentariorum prouentuum naufragium fecerant, quoſdam Cluſini agri pagos, vſque dum expenſi, acceptique tabulæ conuenirent, vectigales attribuit. Eius rei vbi primum Peruſiæ fama percrebuit, cæpere indigenæ, conuenæque ſubita lætitia priuatim, ac publicè perfundi, Oratores reduces tripudijs, & acclamationibus excipere; &, quo indicio, cum quidpiam propſperè ſucceſſit, vti conſueuimus, flammas paſſim in foro, in uijs, turribus mænibus, in palatio excitare; lychneones per domos ſingulas diſponere, & luminibus noctem, ceu mos lucernarum Aegyptiacarum, infringere, ſeſeque mutuo, gaudij temulentia geſtientes ſuauiſſime complecti. Actæ exinde ſuperis ingentes gratiæ, quorum auſpicijs res bene, feliciterque vertiſſet. *Ioannes Baptiſta Laurus Peruſinus, Canonicus S. Mariæ Trans Tyberim Romæ, in Commentario de annulo B.M.V.*

XVI. *Miraculũ in Imagine eiuſdẽ Deiparẽtis apud Leonicũ patratur.*

Dum hæc Romæ, & Peruſiæ, ex occaſione annuli B.V. agerentur, miraculum in Imagine eiuſdem Deiparentis apud Leonicum in Gallia Ciſalpina, patratum eſt, quod memorat *Secundus Lancellotus Peruſinus, Abbas Oliuetanus* Publica quædam opinio, ac vetuſtiſſima traditio circumfertur, & quibuſdam pariter Hiſtoriarum monumentis legi perhibetur, quo tempore Attila Hunnorum Rex, quem flagellum Dei cognominarunt in Italiam exercitum promouit ſub annum noſtræ ſalutis 490. in planicie, lociſque paluſtribus mille paſſus Leonico, & tantundem Lobia diſiunctis, quod oppidum ſub Vicetinum, & ſub Veronenſe dicitur, recta via, qua Veronam Leonico itur, inter Regis copias, & Leonicenos, alioſque ex finitimis locis contractus, magna vtrorumque internecione acie dimicatum, ac multis poſt annis, quærulas quaſdam & horribiles voces à prætereuntibus exauditas; vt, cum nec breuiori, nec commodiori itinere Veronam contendi poſſet, Leoniceni, quibus illac tranſeundum erat, laruis plerumque corriperentur, peſſimiſque modis acciperentur. Reſpub. igitur Leonicena tam graui calamitate ſuos liberatura, ad Pontificem confugit, ſuamque neceſsitatem exponendam curauit, vt locum ſua benedictione conſecraret, ſuppliciter deprecata. Pontifex exaudiens, mandauit, propterea, vt templum ibi S. Petro Apoſtolo conſtitueretur, & habita ad auditas lamentationes alluſione, S. Petri Lamentenſis appellaretur. Præter hæc, omnes, quibus S. Petri Baſilica Romana exornatur, culparum expiationes impartitus eſt, quo templo cõſtituto, quærimoniæ illæ, & voces horrendæ non amplius auditæ ſunt. In eo templo, ad ſiniſtram altaris in muro depicta erat imago B. Virginis, ad cuius venerationem, ac deprecationem multi ſe inferre conſueuerant. Mariae ſpecies eſt in cælum ſublatæ iunctis manibus, cæleſtiumque ſedem ſuſpicientibus luminibus, cum libro vlnis impoſito, filioque in patibulum ſuffixo impendenti, quod trunci more figuratum duodecim faciebus Apoſtolos referentibus ex alijs trunculis ramorum in modum ex præcipuo trunco enaſcentibus circumdatur, Angelis hincinde genua curuantibus. Annus erat à Chriſto nato præſens 1486. cum menſe Aprilis Nouarienſes tres calceorum ſutores, Ioannes Antonius, Guilhelmus, & Ioannes Petrus Veronæ conuiuerent, mutua inter ſe beneuolentia, & familiaritate coniuncti; quorum primus Ioanni Petro aureos admodum eſſe quinquaginta interdum conſecutus, Guillhelmum conuenit, ſi ad hominis cædem ſecum coiret, mediam pecuniæ partem traditurum. Conſilium Guilhelmo probatur, Ioannem ergo Petrum Leonicum verſus perducere, & captata occaſione, vita deturbare conſtituunt. Die quodam Dominico Ioannes Antonius ſocijs domi ſuæ prandium condicit. Inter epulas, vt cum ipſis pannum pretio quæſituris nundinas petat Leonicenas, Ioanni Petro artificioſe perſuadent. A prandio, Io. Antonius ſica, gladio Guilhelmus, pugione vero Io. Petrus accepto Leonicum ingrediuntur; quo cum hora vigeſima tertia, peruentum, extra Caſtrum hoſpitantur. Poſtera die Leonicum introeunt, Deumque in templo primum venerati, in cauponam pranſum ſecedunt. Compranſi, & candidum pannum commercati, Veronam reuertentes, cum Ioannes Petrus naturæ leuandæ cauſa aliquantulum de via, non procul à Sancto Petro Lamentenſi deflexiſſet, reliqui duo tempus, locumque nefario conſilio perpetrando ſatis idoneum exiſtimantes, inſequuntur, manuſque extemplo afferentes, Io. Antonius altum pectori vulnus inflexit, Guilhelmus poſteriori veſte, crinibuſque prehenſum arietat; vterque miſero aſſultans, faciem, aliaſque corporis partes ad necem vſque vulneribus confodiunt, ac Virginem ambo execrati, pecuniam marſupio ſubtrahunt, & quem coemerat pannum, ſurripiunt, Sanctique Petri templum ingredientes, ſuper aram enumerant, ſibique ex æquo diſtribuunt. Guilhelmus autem ſcelere tam læthifero triſtis ſocium ita alloquitur. Heu mihi, frater mi, infeliciſſimo Io. Petro iugulato grauiter peccauimus. Quiſnam ſciat, inquit, Io. Antonius. Deus, Guilhelmus reſpondit Virgoque Deipara. Tum Io. Antonius ira percitus, ſiue cacodæmone abreptus; Si mihi, *ait*, perſuaſum ſit (deteſtabile maledictum) meretricem hanc, Virginem Mariam facinus animaduertiſſe, (verba ipſa ex probata capitis quæſtione deprompta) ego decem vulnera illi infligerem. Hæc præfatus, ſicam Io. Petri adhuc ſanguine fœdatam ſtatim arreptam contra Virginis imaginem propè aram contorſit, faciem, frontem, pectuſque percutiens, turpiſſimo illo conuicio, meretrix Virgo Maria, ſæpius inculcato, oculo tamen ſiniſtro inprimis vulnerato, ecce tibi (res quidem miraculo pleniſſima) læuam manum ab altera ſeiungit, extollitque, & ſauciato lumini, indolentis more imponit; ex pectore vero pari admiratione ſanguis emanauit, cuius ad hanc vſque memoriam guttulæ inſpiciuntur. Multi paulo poſt ſeſe è mercatu recipientes, Deumque in ædicula more ſuo veneratione afficientes, Dei genetricis imaginem ſanguine imbutam, & priſtina forma, aliqua ex parte immutatam repererunt Ioannis quoque Petri cadauer exangue, non multum longè ab ædicula aſpexerunt, & à ſocijs occiſum, fuiſſe coniecerunt; necnon miraculum in imagine perpetratum diuulgarunt. Io. Antonius fuga ſibi conſulens nuſquam comparuit, Guilelmus comprehenſus, vbi omne facinus retexiſſet, equo raptatus, capite contuſo, in quattuor partes ſectus, homicidij pænas dedit. Aſcriuienſis Epiſcopus, rogatu Leonicenorum negotium de imagine Virginis percuſſa, immutataque, quæſtionem habuit, & rem certiſſimis teſtimonijs examinatam, probatamque in tabulas retulit. *Lancellotus lib. 2. c. 49. hiſt. Oliuetana.*

XVII. *Alia etiã miracula fiũt apud plebs actũ*

Felicius accidit duobus fratribus, iam etiam in ſe furentibus ſeque alterutrum occidere properantibus. In extremis Venetorum æſtuarijs, pagus eſt Plebs ſacti nuncupatus, omnibus ad vitam tolerandam refertiſſimus. In eo duo fratres mortuis parentibus, hæreditatem reliquam citra omne iurgium inter ſe diuiſerant; de quadam imagine Beatæ Virginis, quæ vnica tantum ſupererat, conuenire non poterant. Ventum ad verba, inde ad arma, & alter, alterum vita exuere nitebatur; donec infans vnicus, vix

dum aniculus, ab vberibus maternis dependens, papillaſque ſugens, mirum mirandum, diſerte locutus furorem diſcutere, arma ponere, vtrumque nomine SS. Deiparentis imperauit. eamque de qua diſceptabant imaginem in proximam Eccleſiolam deferre, ibique deponere iuſſit, ea lege, ne alterutrius peculium eſſet, ſed omniũ venerationi, & inuocationi expoſita maneret: à qua ſecuta poſtmodum miracula, & ex piorum eleemoſynis ædificata auguſtior Eccleſia, quę paulo poſt Minoritarum familiæ permiſſa eſt. *Felix Aſtolfus, Canonicus S. Saluatoris lib. 10. miracul. B. V.*

XVIII. *Dæmonũ Incuborũ & Succuborum exempla in Scotia.*

Hoc anno mirum quoddam mirandum, apud Scotos retectum eſt, de illuſionibus dæmonum. Nauigantibus è Fortheo æſtuario negotiationis cauſa in Flandriam, tanta ventorũ oborta eſt vis, vt velis, malo, armamẽtiſq; ruptis, & naui fœde inter tumentes vndas iactata; certiſſimã mortẽ cuncti expectarẽt. Nauicularius tantã, tãq; inſolitã aeris inclem ẽtiã eo tẽpore demiratus, (ſuberat enim ſolſtitium æſtiuum) quũ id nõ ſideri, ſed malorũ dæmonũ inſidijs, magnis tribueret clamoribus, reddita eſt vox ex ima naui mulieris ſe miſere incuſantis, quod incubo, humana ſub effigie, qui cum permultos ante actos annos habuiſſet conſuetudinem, iam tũ fuiſſet commixta, & ab eo ſubacta. mari ergo ſe celerius tradendã, vt ipſa pereunte, quæ tanti mali imminentis cauſam præbuiſſet, cæteri Dei benignitate permanerent incolumes. Accedens ad lacrymantem fœminam Sacerdos, eius, atque cæterorũ ſaluti conſulendi cauſa crimen iam palam fatentẽ, horrentẽ ſcelus vehementer, alto pectore ſuſpirijs indicibus, pœnitentẽque facti pie eſt hortatus, nè ſibi deeſſet, cui certo cognoſceret, numinis fauorẽ adeſſe, crimina lacrymis, atque animi pænitudine deleri. Media Sacerdotis exhortatione, quũ multis ſuſpirijs afflicta mulier admiſſum facinus deploraret, cunctis viſa eſt atra nubes è nauis ſentina proſilijſſe, ingentiq; ſono, flãma, fumo, atq; fœtore, ſeſe in mare deieciſſe. Sedatũ eſt inde cælum, pacatumq; mare, & negotiatores cum naui cunctis rebus ſuis ſaluis, in optatum portum abiere.

Haud multis annis poſt in Gareotha regione vico quattuordecim vix paſſuum millibus ab Aberdonia, Adoleſcens multa formoſitate, coram Aberdonenſi Antiſtite queſtus eſt, palam, ſeſe à dæmone ſuccuba (vt dicunt) gratiſſima omnium quæ vidiſſet forma, multos antea menſes infeſtatum: eamdem occluſis foribus noctu ad ſe ingredi, blanditijs in ſui amplexus compellere, dubia luce abire ſine ſtrepitu pene nullo ſe poſſe modo, quum plures attentaſſet, à tanta, ac tã turpi veſania liberari. Iuſſit itaque Epiſcopus adoleſcentem alio ſe conferre, & vt Chriſtiana religione magis laudatis ieiunijs, & orationibus plus ſolito accommodaret animum; fore, vt pijs operibus intento, victus cacodæmon terga eſſet daturus. Euenit adoleſcenti, ſalubre conſilium religioſè exequuto, paucos poſt dies, vti venerandus Antiſtes erat prę̄fatus.

In Marrea regione, ſub idem fermè tempus, Puella nobiliſsima, & formoſiſsima, complurium auerſata connubium, in infandam cum cacodæmone conſuetudinem inciderat. quę cùm vterum ferret, parentum rigore coacta edere ſtupratorem, adoleſcentem mirâ pulchritudine frequentius ſecum noctu, interdiu nonnunquam conueniſſe; vnde autem veniſſet, quoue inde abiiſſet, neſcire ſe reſpondit. Parentes, & ſi filię parum crederent, accuratius rem aduertentes, conſilio, quis eſſet, qui puellæ pudicitiã expugnaſſet, explorandi, cognito tertiò poſt die indice ancilla ſtupratorem adeſſe, reſeratis foribus, accenſoq; tædarum ingenti numero, cubiculũ ingreſſi, horrẽdũ monſtrũ, figura ſupra humanam fidem terribili, in filiæ amplexibus ſunt conſpicati. Concurrere ocyus cõplures ad fœdum acciti ſpectaculum. Inter eos Sacerdos probatæ vitæ, nec Sacræ diſciplinæ ignarus, cæteris, aut trepidè abeuntibus, aut pauore illiſis terræ, quũ Ioannis Euangelij initium recitare orſus, ad eum locum, *Verbum caro factum eſt* perduxiſſet, malus dæmon horrendo ſublato clamore cubiculi tectum ſecum aſportans, omni ſuppellectile incenſa abijt. Fœmina periculo ſeruata, poſt triduum enixa eſt monſtrum, vndequaque fœdum aſpectu, quale nuſquam anteà (vt ferunt) inter homines viſum, quod obſtetrices, nè in familiæ dedecus ſeruaretur, extructa ingenti pyra, citiſſimè exuſſerunt. *Hect. Boet. lib. 8. hiſt. Scot.*

Hoc anno, nouum morbi genus Angliam peruaſit, fortè in vltionem ſcelerum Richardi tyrãni. ſubitò ſudor quidam mortifer corpus tentabat, ac ſimul dolor caput ſtomachumq; vehementi caloris ardore affectum angebat. Quo in morbo homines, quia à principio erant, quia alij æſtus minùs patienter, ſi in lecto erant, ſtragula dimouebant: ſi veſtiti, veſtes deponebant, alij ſitientes, frigidum potum ſumebant; alij demum patientes caloris fœtoriſq; (nam ſudor grauè olebat) additis ſtragulis ſudorem prouocabant, æquè omnes aut ilicò, aut non multo poſtquam ſudare cæpiſſent, moriebantur: ita vt ex omni ægrotantium numero vix centeſimus quiſq; euaderet. neq; vlla interim medicorum ars, aut ſcientia quicquam opitulabatur, quod morbi nouitas omnem illorum excluderet peritiam. Verum poſt viginti quattuor horas (tanto temporis ſpatio vis eius morbi ſæuiebat) abeunte ſudore, nonnulli confirmabantur, nõ eo tñ ita expurgati erant, quin iterum, atq; iterum in morbum reciderent, multique inde perirent. Sed ea res, remedium tanto malo ad vltimum monſtrauit: nam qui ſemel primo ſudarant, cũ deinde rurſum ægrotarent, obſeruabant ea; quæ in prima curationæ profuiſſent; & illis pro remedio vtentes, addebant ſem per aliquid vtile ad curationem. Itẽ & illi ijdem cum iterum in idẽ valetudinis genus inciderent, ex priore obſeruatione earum rerum, per quas ſe confirmaſſent, ita ſe curare dicerũt, vt vim ſudoris illius facilè tolerarẽt. Quibus rebus ita vſu venit, vt poſt ingentem mortaliũ ſtragẽ, remedium vnicuique promptiſsimum inuentum ſit, ꝙ erat huiuſmodi. Si quis interdiu ſudore corriperetur, cum veſtitu protinus cubatum ibat, ſi noctu, & in lecto, tum quieſcebat, nec ſe loco mouebat, vſque ad viginti quattuor horas exactas. Interim ita ſe ſtragulis onerabat, quo non prouocaretur ſudor; ſed ſua ſpõte molliter ſtillaret, cibi nihil capiebat, ſi tamdiu famem tolerare poterat; neque plus potionis conſuetæ, ac calefactæ hauriebat, quàm modicè ſatis eſſet ad ſitim extinguẽdam. Inter hanc curationem inprimis cauebat, ne manum quidem, aut pedem ſui refrigerandi, recreandiq; cauſa, extra ſtragula proferret: quod facere, læthale erat Hoc remedium eſt nouo morbo inuẽtum, qui tãtum id temporis Angliam peruaſit, & poſt hac ſæpe grauiter afflixit. De Henrico Rege, quod primus, quo regnare cœpit, annus fuit hac peſte inſignis, vulgus exinde opinionem concepit, prodigium fuiſſe duri eiuſdem Regis futuri imperij, ipſumq; Henricum, vſq; ad extremum vitæ ſpatium, nullum tranquillum, atque otioſum ſpiritum fore ductorũ, quod, quamquam ex vana religione exitus probauit; quando ab initio cæpit ſuorum ſeditionibus vexari, adeò vt nuſquam ei poſteà per illas licuerit eſſe quietum, ſecurumue. *Polyd. lib. 26. hiſt. Angl.*

XIX. *Nouum morbi genus in Anglia.*

Eodem anno in Palatinatu, nõ procul ab Heydelberga in pago quodam Rorbachio, gemini vtriuſque ſexus obuerſis tergoribus annexis, nati ſunt. *Auctor lib. de prodigijs, & oſtentis.*

XX. *Monſtrũ hoc anno viſum.*





# ANNO CHRISTI 1487.

## INNOCENTII PAPÆ VIII. Anno 4.

## FRIDERICI ROM. IMP. Anno 48.

## MAXIMILIANI I. ROM. REG. Anno 2.

I. *Ex Turcarũ claſſe imminenti periculo occurrere ſtudent Rhodij equites.*

Zizimus Baiaſitis Turcarum Imperatoris frater, certiſſimam fugiens mortem, in Gallias conceſſerat, vxore cum filijs relicta apud Saladinum Aegyptium. Ad hunc Baiaſites miſerat Oratores, illam, & filios Zizimi poſtulatum. Securum ſiquidem ſe imperij minime credebat, quoad illa, iſti, & Zizimus in humanis eſſent. Saladinus, quamquam barbarus, hoſpitalis tamen iuris obſeruans, nec illam, neq; iſtos prodere voluit: ac Oratoribus diſcedere iuſſis, bellum potiùs in ſe moueri expectauit, quàm fidem hoſpitij violare. Iſtud porro cum Baiaſites maximo molimine adornaret, Petrus Daubuſſonius, ſupremus Rhodiorum Magiſter, quia Turcicæ claſſi per eius Religionis maria tranſeundum eſſet, ne quod incommodum ab infido hoſte improuidus acciperet, occurrendum imminenti periculo exiſtimauit, & tũ claſſem ipſe quoque extemporaneam inſtruxit, tum littora, & portus præſidijs firmauit, tum verò præcipuè Innocentium Pontificem totius hoſtilis apparatus admonuit, auxiliaque in tempore poſtulauit. Reſpondit Pontifex datis Magiſtro literis, die XIII. Martij, & ſibi negotiũ cordi eſſe ſignificauit: poſtquam etiam nõnulli, Apoſtolicę Sedi refractarij, Turcarum exercitum in Italiam euocare haud vererentur. Mitteret ergo Romam aliquot Equites Rhodios, quibuſcum de tota re conferret, & quorum conſilio in bello Turcis inferendo vteretur. *Iacobus Boſsius lib. 14. hiſt. Rhodianæ.*

II. *Item Veneti.*

Venetis quoque nonnihil periculi à Baiaſite imminebat. Enimuerò is in Aegyptium moturus, à Senatu petierat, vt in Cyprum, claſſem illi liceret appellere. Iſtud ipſum Patres negarunt; & Pontificem, ne ſocios ſi Turcica vis impenderet, dereſeret, interpellarunt: ac interim addubitãtes, nè Baiaſites vim aliquã, aut Catherinæ Reginæ (q̃ Venetijs Cornelia gẽte nata, Iacobo Regi Cyprio nupſerat, & ab eo vidua relicta rerum potiebatur) aut Reipub. inferret, claſſem quidem ſubmiſerunt, Catherinam vero, cui nefarij quidam inſidias moliebantur, in patriam reuocarunt. Enimuerò grauis cura inceſſerat Principem, & patres Cypri inſulæ, ſuis opibus tuendæ; quæ eò maior inciderat, quò minus ſtatus inſulæ videbatur poſthuma Regis prole extincta, ſub muliebri imperio aut quieturus, aut ſecurus. Ne igitur inſula nobiliſsima, fraude aliqua domeſtica, aut vi externa alienaretur; vna inprimis cura hærebat animis, eratque in Curia agitata, vt Regina Venetias accerſeretur: (erat enim hæc, publice à Senatu Veneto in filiam adoptione recepta, vt Regia dignitas tutiore eſſet loco, & inſula minus iniuriæ obnoxia, præſidijs, & nouo regimine firmata. Claſsis præfectus Franciſcus Priolus, Regno validis præſidijs firmato, Cypriorum animos in Veneti Senatus fide, & beneuolentia confirmauit: Georgius Catherinæ frater, illam Regiæ poteſtati aſſuetam, ac priuatæ fortunæ ſtatum deſpicientem, magnis pollicitationibus eò adduxit, vt in patriam reuerti ſuſtinuerit, ingenti, ac plane Regio honore à Principe, & Patribus ſuſcepta. *Sabellicus Ennead. 10. lib. 8. P. Iuſtinianus hiſt. Venetæ libro decimo. Boſsius ſupr.*

III. *Et Pontifex, & Imperator*

At Innocentius Pontifex fœdere cum Principibus Italiæ contra Turcas percuſſo, vt pecunias in bellum ſacrum cõgereret, decimas omnium fructuum Eccleſiaſticorum omnibus viris ſacratis impoſuit, & tam Fridericum Imperatorem, quam Maximilianum Romanorum Regem, vt Principes Germaniæ ad eam expeditionem impellerent, hortatus eſt. *Ciaconus in Innoc. 8.* Fridericus porrò Imp. magnum quidem conuentum Norimbergæ pro auxilio ferendo contra hoſtes ſuos, & pro fide Chriſtiana habuit, & in eo Principes Germaniæ congregauit: communitates quoque Ciuitatum imperialium adeſſe voluit: vbi cum Pontificius Collector, ſeu Nuncius, edicta Innocentij de decimis recitaſſet, atque Clerus ſeſe oppoſuiſſet, & à requiſitione, ac proceſſibus huiuſmodi, ad eundem Innocentium, melius de cauſis, cur non deberet decimas ſoluere appellaſſet, ipſe quoque Imp. ſeſe interpoſuit, & ne quid Clerus decimarum contribueret, imperrauit. *Nauclerus volum. 2. gener. 50. Mutius lib. 29.*

IV. *Et Maximiliano Regi Flãdrenſes.*

Par pari rependerunt Flandrenſes Maximiliano Regi. Cum enim curaret ærarium inſtruere, vt gerendi contra hoſtes belli neruum in expedito haberet; inque eam rem ſtatus Flandriæ congregaſſet, Clauſtrales, Eccleſiaſticos, ſeculares, à quibus magnum æs depoſcebat: ſpirituales quidem, quod iuris erat, obtenderant, ſe non poſſe niſi conſulto Summo Pontifice, in ea re quicquam conſtituere: facturos tamen de benignitate, quantum iure ſinerentur, ſi ſuis libertatibus reſtituerentur: Flandri autem multa cauſati ſunt; exhauſtas populi vires crebris contributionibus; iam non eſſe in eorum facultatibus, quod elargirentur. Creſcebant poſt hæc in vrbibus Flandriæ primum murmura, deinde apertæ indignationes, quod ſoli Flandrenſes emungerentur argento, reliquas ditionis terras perdurare immũnes: non ſe auri montes alijs habere maiores: finem aliquando fieri oportere exactionum: alioqui, ſi perſeueraret emungere vehementer, ſanguinem aliquando profluxurum. *Krantz. Saxoniæ lib. 13. c. 3.*

V. *Venetos, & Auſtriacos, conciliat Innotius Põtifex.*

Non par pari reddidit Auſtriacis Innocentius. Cũ enim hoc anno, inter Sigiſmundum Archiducem, & Venetos, occaſione finium, & mercium interceptarum bellum non minus cruentum, quam exitiale fuiſſet exortum, ipſe pacis communis ſtudioſus Antonium Epiſcopum Teruiſinum ad pugnaces, Nuncium deſtinauit, qui arma vtrique parti deponere ſuaderet. Feliciter ſucceſſit Teruiſino, ipſo enim ſuaſore, pax his conditionibus ſancita eſt, vt redditis vtrinque captiuis, fines, de quibus angebatur, Venetis intacti manerent: res negotiatoribus ad Bedſamum ademptæ, æqua æſtimatione redderentur. De Ibanio, & Nomo oppidis ex hoſte captis, Innocentius Pontifex iudicaret: ea autem tamdiu Venetus teneret, quoad Pontificis declaratio ſecuta eſſet. *Sabellicus & Iuſtinianus ſup.*

VI. *Pro bello in Turcas aliqua officia venalia inſtituit*

Eam pacem Innocentius inter illos conciliauit, metu impendente Thracij belli cum Venetis terra, marique barbarus, ſi in Auſtriæ fines, Sigiſmundo cum eis bellũ gerente, irrupiſſet, eſſet formidabilis futurus. *Michael Brutus hiſt. Florentin. lib. 8.* Ad hoc ſacrum bellum gerendum ærario Pontificio exhauſto, Sixti anteceſſoris exemplũ ſecutus, quo pecuniã colligeret; quinquaginta duos viros inſtituit, quos plumbatores Bullarũ Apoſtolicarum vocauit, eisq; certos Eccleſiæ prouentus in perpetuum conceſſit: ex qua inſtitutione ad XXVI. m. aureorũ accepit. Veniere ſinguli 500. aureis. Eodem exemplo XXVI. Secretariorũ Collegiũ, quorũ officia vẽderentur, erexit, à quibus ad LX. m. aureorũ exegit. Veniere ſingula 2500. aureis. Ripæ quoq; præſidentium officium XXX. viris creatis venale induxit, qui ſingula officia CC. aureis emerent. Cęterum, quum Ferdinandus Rex Neapolitanus, in pacis anno ſuperiori factæ fœderibus ſancte ſpopondiſſet,

ſe vectigal annuum VIII. m. vnciarum auri puri Romanæ Eccleſiæ ſoluturum; neque, id præfinito tempore præſtitiſſet, Pontifex, Petrum Vicetinum, Epiſcopum Cæſenatem, Cameræ Apoſtolicæ Auditorem, & Iacobum Volaterranum Secretarium, ac cubicularium Apoſtolicum, ad repetendas res Neapolim ad illum miſit. *Onuphrius in Innoc. 8.*

**VII.** *Pacis fœdera non ſeruantẽ Ferdinãdum Regem admonet.*

Quum autem interim Ferdinandus, Proceres quoſdam Neapolitanos in conditionibus fœderis deſignatos, contra fidem, & pacta, iureiurando, & vadibus firmata comprehendiſſet, & alios ex eis ilico fortunis, & vita exuiſſet, alios in vinculis haberet, nonnullis neceſſitatem aliò fugiendi impoſuiſſet, ac quo ſeueritati ſuæ ſpeciem prætenderet, varios, contra hos & illos alios omnes, proceſſus criminationum plenos formaſſet, inque varias orbis partes ad Reges, & Principes Chriſtianos miſiſſet; Pontifex eam rem grauiter, quemadmodum par erat, tulit; & eapropter, antequam Cæſenatem mitteret, ad eum ſcripſit, hoc tenore.

*Innocentius Papa VIII.*

*Chariſſime in Chriſto fili, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum ad nos delatum fuiſſet per medium Oratoris tui, dilecti filij Antonij de Alexandris, de captura illorum Baronum non potuimus non vehementer mirari, cum res natura ſui, ardua, ac maximi momenti ſit, honoremque Sedis Apoſtolicæ, & eorum, qui fidem ſuam præſtiterunt, non mediocriter concernant. Maluiſſemus propterea rei huiuſmodi prius nobis notitiam fuiſſe factam, licet exiſtimemus pro prudentia tua nihil niſi conſulte à te fieri debere. Hortamur tamen, & pro officio paſtorali maieſtatem tuam monemus, vt quemadmodum decet in procedendo contra illos ſuperſedeas, rei enim grauitas, & pondus omnino exigere, & poſtulare videntur, vt re bene, matureque intellecta, ei finis grauiſsimus imponatur. Quod vt commodius fieri poſſit, propediem Nuntium noſtrum hac cauſa tantum ad te mittemus. Interim vt dictum eſt omnino ſuperſedeas, quia hoc mentis intentioniſque noſtræ eſt. Datum Romæ Apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 8. Iulij 1487.*

**VIII.** *Obedire detrectãtẽ Regem anathemate percutit Innocentius pontifex, & regno priuat.*

Iuit tandem Cæſenas Neapolim. Venientem Rex, per viarum diuerticula ire, & forte in itinere diſtinere voluerat. Recta Capuam properanti, honoris ſpecie, prætextu tamen viſitandæ Diuæ Deiparentis apud Capuanos præcipua religione cultę obuiam proceſſit, Neapolim duxit, mandata Pontificia, ſiue volens vt ipſe Albino ſuo ſcribebat ſiue nolens, vt aliqui ferunt (Cæſenatem diutius, ac ſæpius audientiam poſtulantem non impetraſſe; Regem venationum occaſione præſentiam hominis ſubterfugiſſe, ac illum obſeruata aliquando hora, & opportunitate, quando Rex venatum exire habuerat, ad portam cubiculi Regii tantiſper, donec prodiret, expectaſſe, ibidemque mandata Pontificia, vtcumque poterat, expoſuiſſe, memorant) audiuit; ſed non obediuit. Enimuero in Procerum captiuorum negotio, cum proceſſus varios Pontifici Romam miſiſſet, authographa iudiciaria, ne Pontifici repræſentarentur, Oratori, per quem miſerat, inhibuit: cauſam contra eos motam, non per viam violatæ pacis, ſed rebellionis, & nouorum criminum, perpetuo aſſeruit, ſeque vitam, honorem, atque Regnum poſiturum, & amiſſurum, quam illos vel abſoluturum, vel dimiſſurum datis litteris reſpondit: tantum aberat, vt ab actione contra illos deſiſteret, vel quicquam Pontifici monenti, necnon ſponſoribus deprecantibus quicquam deferret. Summa criminationum erat, quaſi illi Renatum Lotharingum, ad Regni poſſeſſionem vocarent, atque fugam adornarent. De vectigali annuo, ridebat, & cauillos regerebat, ſe in id bellum, pecunias omnes prodegiſſe; ærarium exhauſtum habere: Pontificem [illegible] tantorum ſtipendiorum [illegible] non [illegible] debere ea, quæ poterat, exigere [illegible] etiam in annos minus quattuor conſequentes, nullam eius vectigalis facere mentionem, adeoque ab eius ſolutione omninò liberum pronuntiare. Beneficiorum præter hæc diſpoſitionem Eccleſiaſticorum, Pontifici non tantũ ex pactis conditionibus, ſed omni iure ſeruatam, debitamque, Ferdinandus negabat, & ſolitis cauillationibus ludebat, Pontifici, ignotos eſſe homines, qui Eccleſijs præficerentur: ſibi autem omnes ſubditos probè notos; ac propterea ſibi ius & poteſtatem conuenire dignitates Eccleſiaſticas collocare. Volebat Pontifex contumacem Regem, benignioribus rationibus ad officium reuocare: & eapropter Oratores Hiſpaniarum Regis, Florentinorum, Mediolanenſis Ducis, & Ferrarienſis interpoſuerat, qui illum monerent. Cæterum ille omnibus reponebat idem, quod Pontifici: ac præter hæc addebat, illos nihil commune habere in reliquis fœderum conditionibus, præterquã in tribus, ne Pontificem offenderet; aut ei bellum cieret, ne Aquilanos anteà rebelles violaret; nè Proceres Neapolitanos, niſi ex noua cauſa, aliquo modo, vel damno afficeret. de annuo vectigali, aut diſpoſitione Eccleſiarum, nihil ad illos pertinere. Cum hac pertinacia Pontificem irritaret, atque porro Regibus, & Principibus Chriſtianis, criminationũ in Proceres libellos tranſmittens, Pontificem pariter, quaſi iſto ad rebellionem concitaſſet, in ſocietatem criminis vocaret, vel potiùs authorem conſpirationis nominaret; nequicquam, aut Regum Hiſpaniæ precibus, aut admonitionibus Pontificis, & fœderatorum Principum moueretur; Innocentius, illum anathemate notauit, & Caroli Galliarum Regis litteris concitatus, Neapolitano Regno paulò poſt (vt in tempore narrabimus) priuauit: quandoquidem illud Carolus ad ſe ex legitima ſucceſſione, & hæreditate pertinere affirmabat. *Vialardus in vita Innoc. Ciaconius, & Panuinius in Inocent. Ferdinand. in epiſtolis, quæ ſunt ad Albinum, Innoc. in epiſt. Surita Annal. lib. 20. c. 82. Infixura in notis diariis huius temp.*

**IX.** *Ferrariæ Ducẽ honorificè excipit Innocẽtius.*

Venit hoc tempore Romam Hercules Ateſtinus Dux Ferrarien. voto peregrinationis Compoſtellanæ à Pontifice ſolutus, & nè Italia excederet, prohibitus. Venientem Pontifex honorificè excepit, & de negotijs, quibus premebatur, conſulit. *Infixura in diario Romano.*

**X.** *Malacam Caſtellæ Rex capit, & periculum quoddam euadit.*

His difficultatibus impeditus Pontifex, non potuit tantum, quantum volebat, contra Turcas præſtare, aut Regibus Hiſpaniarum contra Mauros Granatenſes bellum gerentibus ſuppetias mittere. Opportunè, atque feliciter Ferdinandus Caſtellæ Rex arma in eos mouerat, duobus Mauris inter ſe de Imperio dimicantibus, Abohardile, & Boabdile. Malacam, Rex, equitum duodecim millia, peditũ quadraginta duxit. In itinere, Veles propinquum oppidum, fruſtrà defendente Abohaldille oppugnauit, caſtriſq;, & impedimentis hoſtilibus potitus, Mauros profligauit. Barbarum Regem victum ſtudia etiam hominum deſtituerũt. amiſſo exercitu redeuntem, Granatæ ciues Boabdile æmulo in Regem conſenſu ſalutato, mænibus excluſerunt, anxium, & miſerantem fortunas ſuas. Obſeſſi ſpe defenſionis abiecta, conditionibus deditionem fecerunt. Bentomitium vicinum oppidum Velis exemplo, leges, præſidiumque accepit. Vicinos Malacitanos ingens pauor inuaſit, ne diu ſuſtentare poſſent, externi auxilij nulla, aut modica ſpe. Connixa præfectus vrbe egreſſus, de deditione egit. Is molitionibus cognitis Afri, qui eam vrbem præſidio obtinebant, veriti, nè ipſi hoſti traderentur, ſimul indignantes, quod rem tantam non cõmunicaſſent, facto impetu, præcipuam arcem, cui Alcaſabæ nomen ſupra vrbem eſt, occuparant: deiecto, trucidatoque præſidio ipſo etiam Connixæ, fratre ad mænia aduolarant; colloquia ciuiũ interrumpentes, interficienteſq;, ſi quos contra conari deprehendiſ-

ſent



ſent. Ita magnitudine ſupplicij cæteros deſiſtere compulerant. Ergo tormenta maiora, & caſtra propiùs ad Malacam ab Hiſpanis promota. Eſt ea ciuitas in plano ſita, niſi qua parte collis aſſurgit, gemina arce munitus (inferiori Alcaſabę, ſuperiori Gebalpharo nomẽ eſt) modica ſpatijs, elegãs tamen in paucis, & pro amplitudine frequens, portu, atque nauali nobilis, qua parte, mari alluitur. A tergo montes [illegible] vineis, hortis, domicilijſque nitentes. Vtramque arcem geminus murus coniungit munitione perpetua, ager conſpicuus, læta cęli facies, latè in vicinum mare proſpectus; commercio Africę, atque Orientis hac tempeſtate nobiliſſima, copioſaque. Eam antequã terra, mariq; circumuallaſſent Hiſpani, aliquot leuia cum Mauris erumpentibus prælia, ſemper victores cõmiſere. Ferdinandus Rex, periculũ, diuino beneficio vitauit. Facta fuerat in caput eius. à Malacitanis coniuratio. Maurus in ea gente vir magna opinione ſanctitatis, deſtinata voluntate Regem interficiendi, ſe capiendum vltrò præbuerat. Rege quieſcente ad tentorium Marchionis Motæ deductus Reginæ iuſſu, cum ex apparatu reputaſſet. Prætorium eſſe, diſtricto acinace in Aluarum Portugaliã (is fortè cum Beatrice Bobadilla colloquebatur) irruit ferox, tortoq;, ac minaci aſpectu. corporis inclinatione ictu vitato, aliorumque accurſu, Maurus comprehenſus, peremptuſque eſt. Sic diſcrimẽ à Ferdinãdo depulſum. Auctæ interim vtrinq; copiæ. Obſeſſos fames vrgebat, neque tamen Afrorũ contumacia remittebat. Ciuibus inde, vt in maiori periculo, metuque ad deditionem propenſis, Dordux ex eo numero præcipua auctoritate, & opibus in caſtra progreſſus, de cõditionibus egit. Negauit Rex vllam conditionẽ fore, niſi vrbe ad eius voluntatem dedita. ex arcano tamen Dorduci promiſit, ſi fortem, & fidelem operam præſtaret, ipſos & propinquos oẽs inuiolatos fore, magnis beneficijs additis. Fide data, Chriſtianorumque præſidio adiuncto, in arcẽ aditu patefacto, in ſumma Homagij turri, Regia vexilla explicauit. Ciuibus, Africaniſque magnus terror iniectus ſpei mixtus. Reputantibus incolis Dorduci promiſſa facta, ad cæteros pertinere, ac colligentibus ſarcinas ſtudio diſcedendi, concurſu Chriſtianorum bona omnia, & libertas ablata. Idem de vicinarum arcium præſidiarijs militibus fuit, ſimili errore ad mare progreſſis. Afri etiam cum eorum duce Zegri venerunt in poteſtatem. Transfugis, quorum erat magnus numerus, irrogata ſupplicia, & religionis deſertoribus, qui ex Iudaica gente, Chriſtiana ſacra ſuſceperant, ignis pœna fuit. Alijs Iudæis, atque ciuibus Mauris permiſſum, vt moderato pretio redimerent libertatem. Ad XV. Kal. Septembr. vrbe nobiliſsima capta, dies feſti vniuerſa Hiſpania celebrati ſunt, ſuperis actæ gratiæ, votorum damnati, ea promptiſsimis animis perſoluere. Sedes Epiſcopi captæ vrbi reſtituta, Pontificis Innocentii venia, Gotthorum ætatis exemplo. Lætitiam nonnihil obſcurauit metus ex Oriente allatus. Baiaſitem Turcorum Imperatorem contracta valida claſſe, de Sicilia cogitare, Hiſpanorum viribus in eam partem à bello Granatenſi auertendis. In id bellum Maximilianus Auſtriacus Rex Romanorum, è Belgis, monente Innocentio duas onerarias miſit onuſtas omni bellico apparatu, Latrone Guenara ductore. Garſia Padilia, Calatrauæ Magiſtro hoc anno defuncto, Innocentius, Ferdinando Regi, eius Ordinis, & Magiſterij adminiſtrationem authoritate Apoſtolica permiſit, vt tanto acriùs in ſacram expeditionem incumberet.

**XI.** *Africa luſtratur à Luſitanis.*

Ferdinandi Regis armis premebantur Mauri Granatenſes ruinæ proximi: ſimul Luſitani ad Orientis prouincias viam aperiebant anniuerſatijs nauigationibus, quod ad Henrico Principe inſtitutum fuiſſe diximus ſuperioribus annis, extima Africæ litora explorare, longiuſque in ſingulos annos prouehi non deſiſtebant. Tantis laboribus fructus non reſpondebat. Beatas Indie prouincias adire, opeſque celebratas fama, quas benigna cælum manu ijs gentibus, quam alijs copioſius dedit, in patriam auehere cogitantes; aromata, gemmas, margaritas, aurum, ebur, argentum, aliaque, quibus hominum ambitio, magis, quam vitæ neceſſitas, pretium adiunxit. Summas rerum nunciat fama, maiora ſæpe vero: ſyluas eſſe proceribus, & in maximam altitudinem editis arboribus, Cynamomi, caſſiæ, garyofoli, piperis zinziberis vim magnam prodigioſas animantium formas, hominumque inſolentes mores, habituſque. Non prudentia, ſed temeritas fore videbatur, relegatas in vltimam terrarum regionem gentes, opeſque perſequi exiguis Luſitaniæ viribus immenſo terrarum ſpatio, Oceanique diſiunctas. Sed omnes difficultates, vel deſiderium propagandæ Chriſtianæ fidei, vel gloriæ cupido, ne forte etiam in aliquibus auaritia habendi ſuperabat. Ergo ſuperioribus annis Bartholomeus Diacius rei nauticæ in paucis præſtans, miſſus à Rege ſuo, vt Bonæ ſpei promontorium adiret; vbi extenuatis vtriuſque littoribus, Africa ad Auſtrum procul porrigitur: eo promontorio tranſmiſſo, ad flumen, cui in altera parte Infanti nomen effecerunt, nauigando peruenit. Ingens cæptum, pertinax conatus. Antonius ex Franciſcano Ordine, Bartholomeo ſocius datus, vir acer, impiger, ſolers, atque audax, inde pedeſtri itinere, Africæ, atque Aſiæ magnis ſpatijs luſtratis, Hieroſolymam peruenit. Inde in Luſitaniam, ipſe terra, Bartholomeus mari reuerſi, viſa ambo Principi, gentique renunciarunt. Quoniam prima ſucceſſerant, maius ſtudium acceſſit perficiendi, quæ inſtituta erant. Duo viri ardenti ingenio, magnoque rerum vſu, & quod caput erat, Arabicæ linguæ cognitione præſtantes delecti operi perficiendo ſunt; Petrus Couanilla, Alfonſus Payua. Claſſem inſtruère, magni ſumptibus erant. terra iuſſi ſunt Africæ, atque Aſiæ regiones internas conſiderare. Ij Idibus Maij Oliſſipone egreſſi, obitis Neapoli, Rhodo, Hieroſolyma, Alexandria, Cayroque Aegypti vrbe primaria, diuerſi, Petrus quidem Ormucium, quæ Inſula ad ſinus Perſici fauces iacet, Calicutiumque obiuit; Alfonſum autem Aethyopiæ interioris regiones luſtrantem mors oppreſſit. Petrus littoris à Rege ſuo acceptis, vt niſi prouincijs omnibus conſideratis, non rediret in patriam, Aethiopiam profectus, cum gentis Imperatori Alexandro, quem vulgus Præſto-Ioannem vocat, Nahu, & Dauidi ſucceſſoribus operam, & ingenium probaſſet, diſceſſu eſt prohibitus, coniuge data, atque amplis poſſeſſionibus, vnde vitam ſuſtentaret. De ſcripto tamen ad Regem Luſitanum, viſa, explorataque, renunciauit. Calecutium nobiliſſimum emporium eſſe totius Orientis maximè celebratum.

*Varij Orientalium mores.*

Gentem fuſco colore, viribus imbellem, morum inſolentia maxima; ſuperiori corporis parte nudos, crura, lumboſque veſte tegere, pleroſque auro, purpuraque diſtincta: lacertos, & brachia margaritis onerare: ex humeris acinacem pendere, nuptijs coire fœminam vnam maritis multis: eoque incerta prole, patribus non filios ſuccedere, ſed ex ſororibus natos. In Aethiopia late fuſas gentes, nigro omnes colore, atque Chriſtiano nomine eſſe: veterem religionem ſyluescentem, plurimum ex Iudæorum ritu, & hæreticorum erroribus confuſam eſſe: Regi parere potentiſſimo innumeras copias equitum & peditum alenti, tendentique ſub pellibus: gentibus ſanandæ magnã ſpẽ eſſe, ſi vltro, citroq; miſſis ad eã legatis in ſocietatẽ aſciſcerẽt verũ hæc cõſequẽtibus annis geſta ſunt Pontificibus Romanis ad cõuerſionẽ illarũ gẽtium animo intentis Luſitaniſque Principibus excitatis. *Maff. l. 25. c. 9. 10. 11.*

XII. *Stratagema in Angliæ Regem confictũ.* Eodem anno, Innocentius Pontifex, aſylorum in Anglia immunitates, priuilegiaque temperauit; quod nonnulli in Regem Henricum malè animati, vbi grauiſſima in Regiam Maieſtatem commiſiſſent, ad ea perfugiebant; & captata opportunitate, inde erumpebant, copias ſcribebant, & in Regis perniciem ruebant. Eboracum ante feſta Paſchalia ibat Rex, vt eam prouinciam aduerſariarum partium inprimis ſtudioſam in officio contineret; quando Franciſcus Louellus, regulus, cum Humfredo Staffordio ex aſylo Colceſtrenſi diſcedentes: magnas bene copias compararant, & contra Regem promouerant. Re non ſuccedente quemadmodum deſiderabãt, Franciſcus fuga ſibi conſulens alicubi latuit. Humfredus in aſilũ, quod vocant, Colnanum ſeſe contulit. Inter hæc etiam ex parua factaque re, initium magni motus contra Regem ortum eſt, quod pro artificio rei, facinus audax cenſendum, neque indignum memoratu eſt. quamquam pro hoc tempore nulla admiratione dignum, quoniam in eo regno iampridem permulti homines, inter ſeditionem aut orti, aut nutriti, nec in armis diu nec in otio eſſe poterant, partim domi ſedentes, ac male cogitantes, partim per licentiam bellorum, omnia prædæ eſſe cupiẽtes, ac ad vlciſcẽdas partium iniurias vehementer ardentes, qui neque belli, neque pacis iura vlla eſſe volebant; ex quo, vt improbi facile, aut odio emolumentoue in fraudem impellebantur, nec deerant, turbarum, ac ſeditionem duces authoreſque. In ijs fuit Ricardus Simondus presbyter homo ſordido loco natus, cui fraudes, & doli à primo cordi erant; cæterum non indoctus. & propterea diſcipulum ſibi elegit, Lambertum Symenellum puerum non malo vſquequaque ingenio, per quem fallaciam eiuſmodi confinxit. Venit perfidioſo homini æquæ improbo, ac facinoroſo, qui iam à contrarijs Regi principibus ſubornatus fuerat, in mentem, facere ſuum Lambertum Regem, & ſe Anglorum Antiſtitum primarium, cuius conſilio materiam dedit, quod in vulgus fama valere, filios Edouardi Regis, quos cæſos à patruo diximus, aliquo terrarum, ſecreto migraſſe, atque ita ſuperſtites eſſe, ac Edouardum Varuici Comitem, Ducis Clarentiæ filium vel necatum, vel breui necandum à Rege Henrico. Hi rumores quamuis vaniſſimi, ſpem fecere Ricardo Simondo, vt veniſſe tempus putaret, cum Lambertus apte poſſet alicuius ex iſtis Regijs pueris perſonam ſumere, & regnum repetere; vt qui certum quaſi haberet, omnino non defuturos, qui eum iuuarent; cum odia ex factionibus orta vt plurimum æterna ſint, quod ille ex ſeipſo metiebatur. Ita ea ſpe ductis, ſuum Lambertum Oxonii, vbi literas ſtudebat, regalibus moribus inſtituere, bonis erudire artibus, Regiam proſapiam edocere, miro ſtudio conatus eſt vt cũ opus foret, vulgus pueri indolem miratus, fidem ſuo commento facilius haberet. Fama iuuante, Edouardum Varuici Comitem, in carcere interijſſe Simondus, exiſtimans eſſe tempus, obire deſtinatum facinus, mutauit adoleſcentulo nomen, vocauitque eum, Edouardũ, quod illud nomen, filio Ducis Clarentiæ fuiſſet, quin & id ætatis puer erat, vt alter, alteri annis non præſtaret: ac protinus cum eo in Hyberniam traiecit, ibique nonnullos Hybernorum principes, parum Henrico fidos ſecreto conuenit, dataque ab illis fide, narrauit, ſe ſeruaſſe filiũ Ducis Clarentiæ à morte, ac duxiſſe in eam terram, quam audierat ſemper vnicè amaſſe nomen, & genus Edouardi Regis Thomas Gerardinus inſulę Cancellarius ſpecie veri deceptus, puerum hoſpicio recepit, ac reliquos in eam ſententiam duxit, vt in fidem pueri venirent, Regem appellarent, ſocios reducendo illi in Angliã, & arma pararent, diademate Regio more maiorum ornarint, atque freti coniuratorũ opibus, in Angliam ducere non dubitarint. Ab hoc Simondi, & Simonelli facinore, magna ſtrages edita eſt: ſed Henricus Rex ſuperior euaſit, & collatis ſignis, primum alios alibi reſiſtentes aduerſariorum duces interfecit, deinde cæteros omnes in fugam vertit. *Eo ſtratagemate Angli, & Hiberni moti, bella gerunt.* Ioannes Comes Lincolnienſis, Franciſcus Louellus, Thomas Brogtonus, Martinus Suardus, ac Thomas Gerardinus Hybernorum ductor, in loca prælij interfecti: cæſa ad IIII. M. hominum. Lambertum quoque Regem commentitium, cum Ricardo ſuo præceptore cæpit: & illum quidem, quod innocens nihil per ætatem peccaſſet, vita donatum, culinæ addixit: hunc autem, quia preſbyter fuerat, Archiepiſcopo miſit: qui coràm Maiore, & Senioribus Londini ciuibus, ex carceribus eum produxit, fatentem ſe oppidani cuiuſdam Oxonienſis filium, Lambertum Simenellum à patre abductũ, finxiſſe, & mutuaſſe in perſonam Edouardi Ducis Clarentiæ filij, eoque commento Hybernos, & Anglos concitaſſe ad eum motum, qui nuper tàm funeſtus fuit. Poſt eam confeſſionem, tamquam læſæ maieſtatis, & tanti homicidij, ac Chriſtianorũ effuſi ſanguinis reus, Clericali ordine priuatus, Maiori, & Vicecomitibus Londinenſibus traditus, vt intelligeret, lapidem ſolere ſuper eius caput cadere, qui illum in altum emiſerit, vt aiunt, æternis tenebris, vinculiſque demandatus eſt. Multi, ad quos eius coniurationis crimen pertinebat, ipſi ſibi conſcij aſyla, ſeu ſanctuaria petebant; ſed Conſtitutione Innocentij Pontificis promulgata, inde ad pœnam trahebantur; priuilegio adẽpto his, qui ex locis Sanctis ad perpetranda huiuſmodi ſcelera exirẽt, ad eaq; redirẽt. Ex eo Põtificio edicto lata eſt lex, vt aſylis inſcripti, ſi homicidia, furta, incendia, ſacrilegia, depopulationes agrorum, Regni, aut Regis proditiones poſteà committerent, inde eiecti vi laica, ad ſupplicium ducerentur. Quo anno Londini Synodo Metropolitana celebrata. Archiepiſcopus Cantuarienſis permiſſu Innocentij, Hẽrico Regi in rebelles, decimas prouentuum Eccleſiaſticorum in Anglia conceſſit; & commenti ſuperioris coarguendi, Edouardum Ducis Clarentiæ filium, è turri Londinen. eduxit, populiſque oſtendit. In eadem ineptos quoſdam concionatores, qui in concionibus populum nihil docerent, ſed cum plauſu populari, eloquentia canina, in Epiſcopos abſentes immodeſte latrarẽt, acribus minis coercuit: atque Londinenſem Clerum veſtibus molliter laſciuientem, & in cauponis frequentius perpotantem, ad modeſtiam reuocauit. *Polydor. hiſt. Angl. lib. 26. Auctor Antiquitatum Eccleſ. Britann. in Ioanne Mortano.*

XIII. *Miracula diuerſis in locis eduntur à B. Virgine* Circa id tẽpus Piſtorij in Etruria, & Raconiſio in Albrogũ Ducis ditione, duo inſignia patrata ſunt, à Diua Deiparente. Piſtorij, eius Diuæ imago, candidiſſimum liquorem tam copioſè eliquare menſe Auguſto cepit, vt à fronte, vſque ad pedes aliquot diebus emanarit. Concurſu populorũ ad prodigium facto, multiſque ſanitatum miraculis ſubſecutis, Epiſcopus, & Magiſtratus loci, rem, ne qua humana impoſtura ſubeſſet, aut oculis piorum illuderet, explorare voluit. Cumque omnem fraudem abeſſe, nec niſi diuinam virtutem ineſſe certò certius didiciſſet Petro Victorio, & Ioanne Baptiſta Ridolfio Prætoribus conteſtantibus, deuotioni populorum imaginem permiſit: ad quam plurimis accurrentibus, & miraculis crebreſcentibus, templum Reginę cælorum; titulo Humilitatis extructum fuit. Raconiſij porrò, ſurdo, & muto cuidam paſtori, Diua Virgo apparuit, & ad oppidanos, vt templum in honorem ſuum ædificarent, deſtinauit. Per miraculum ille eloquens euaſit, Raconiſijs, quod viderat, renunciauit, & ad ædificationem templi incitauit; quod paulò poſt religioni Carmelitanæ adſcriptum fuit. *Aſtolphus lib. XI.*

XIV. *Moritur B. Ioa. Licius ord. Prædicatorum.* Hoc anno B. Ioannes Licius Ord. Præd. profeſſor, diem clauſit extremum. Natus is Cacami in Sici-





lia tàm paupertimis parentibus, vt mortua matre, illum ſemeſtrem, pater habuerit neceſſe, ſolo ſucco malorum granatorum tantiſper in vita retinere, donec aliqua pia lactens lactandum gratis ſuſceperit, eaque propter marito grauiter decumbenti ſanitatem meruerit. Adultior factus, ſextam feriam, & Sabbathum ſolo pane, & aqua tolerauit. Religioni adſcriptus, per omnia ſanctitatis officia ad ſummum perfectionis euaſit. Aedificando Cœnobio Cacamenſi intentus, cùm lapides pararet, aliqua die currum illis onuſtum, à bobus tractum præter omnem expectationem accepit, neque boues cum carro per miraculum diſparentes amplius aſpexit. Profluuium aquæ, ſubter calcariam fornacem erumpens, nè ignem accenſum extingueret, ſola oratione ſtagnauit: tantiſper donec lapides in calcem vrerentur. quo facto, fons, vſque in hodiernum diem manans, ibidem erupit. Alicuius gangrenam à medicis deploratam, facto luto ex ſputo, & puluere ſanauit. Cuidam marito pro vxore ex partu laborante, opem anxiè imploranti, cum priùs *ſe peccatorem, miraculis patrandis impotentem, indignumque* excuſaſſet, tandem compatiens, vt domum reuerteretur, dixit; vxorem partu ſolutam, filium genuiſſe. Septuagenarius vita exceſſit; cuius res geſtas Paulo IV. Pont. Max. iubente, Antonius Falus, Abbas S. Anaſtaſiæ Cacamen. ſcripto complexus eſt. *Michaël Pius lib. primo de viris Illuſtr. Ord. Præd.*

XV. *Prodigia varia.* Prodigia quædam inter hæc partim oculis hominum ſunt obſeruata, partim temerè credita. Biceps infans eſt Patauij natus. In eo propter naturæ luxuriem, nihil alioqui fædum aſpectu. omnia magis tetra in puero, qui per eoſdem dies Venetijs editus dicebatur, ore plurifariàm ſciſſo, & propter multa fædiora relatu, genitale membrum habuit vertici adgnatum; atque ob eam rem non placuit in apertum referri. & vt ſæpe euenit, vt animis ſemel religione imbutis, omnia aurium, oculorumq; ludibria pro portentis habeantur, percrebuit rumor, gallinam ad Apoſtolorum ædem gallinacei, cantum infauſto omine edidiſſe, extincto confeſtim eius domino, qui leuiter ægrotabat, eaq; interfecta repertum aiebant ouum in proximo, in quo Baſiliſæ eſſet ſpecies inchoata. Affirmabant alij natum in patricia domo Baſiliſcum, quem pertinaci incubatu gallus excluſiſſet. Sed hæc vulgò credita. *Sabellicus Ennead. x. lib. 8.*

# ANNO CHRISTI 1488.

## INNOCENTII PAPÆ VIII. Anno 5.

### FRIDERICI ROM. IMP. Anno 49.

### MAXIMILIANI I. ROM. REG. Anno 3.

I. *Maximilianus Rom. Rex capitur à Flandris & qua de cauſa.* NOua, & inopina Maximiliani Romanorum Regis captiuitas, Innocentium Pontificem hoc anno grauiſſimè afflixit. Eam tantò grauiùs tulit, quantò maximè indignis modis, Principem benignum, à ſubditis rebellibus tractari intellexit Brugis, & Gandaui duarum in Flandria maximarum vrbium ciues, detrectabant Imperium Maximiliani: non quòd huius maieſtatem contemnerent; ſed in cauſa erant conſiliarij, multa à bonis, ac principi ſuo impenſiſſimè deditis ciuibus inclementer extorquen[illegible]ter cæteros multum erat ſuſpectus [illegible]s Longocollius Regi à theſauris. Gandenſes primi tria militum millia contra Maximilianum eduxerunt, & Cortraco potiti, ciues ad præſtandum ſibi, & Philippo. Archiduci ſacramentum coegerunt. Maximilianus re audita, Brugas properauit: ſed in carcerem ſe coniecit: quum tamen ſine præſidio alicuius momenti ad vrbem veniſſet, expectaturus Belgarum Ordines, qui de pace cum Galliarum Rege ineunda erant acturi. Ortum initium tumultus à fabris lignarijs, qui portam S. Catherinæ, & Gandenſem ſui iuris fecerant. Secuta omnia opificum collegia, & correptis armis opportuna vrbis loca occuparant: nec non Maximiliano cauſam tumultus exquirenti, ſuperbe reſpondentes, ad ædes reuerti compulerant: maximè cum duo & quinquaginta ſigna militaria in foro, ſubſequente armata plebe explicuiſſent, tentoria erexiſſent plauſtris, ac quinquaginta maioribus tormentis ſeſe muniuiſſent, relictiſque rebus omnibus, ac clauſis tabernis, nocte, dieq; cum armis ibidem manentes clamitarẽt, ſe rationem cupere reddituum, ac annuorum prouentuum Comitis Flandriæ, extortarumq; pecuniarum, quas prę̨teritis annis ad bellum contuliſſent. Explicarunt deinde ad Hallæ turrim vexillum Flandriæ, ac vrbis Brugenſis. Vrbis Tribunum militarem, & Scultetum nouum delegerunt: ædes Petri Longocollij diripuerunt: Maximilianum, vt pedes ad populum in forum ex ſuis ædibus veniret, adegerunt: ac adpoſtulationes Gandenſium in domo aromatopolæ cuiuſdam, ſatis anguſta, ad fori angulum, nequicquam obſecrantem, vt in ædibus ſuis cuſtodiretur, concluſerunt: communi conſenſu cum Gandenſium Legatis decernentes, firmas ei cuſtodias adhibendas, ne aliqua ratione elaberetur: eaque de cauſa ferreis craſſis clatris domus feneſtras cancellatim præcludendas. Sculretus lectis ex omnibus Collegijs octo viris, eos ad cuſtodiam Maximiliani excubare iuſſit: Proceres omnes alia quærere hoſpitia præcepit, ſuis iniungens, ne vel latum vnguem à Rege diſcederent, ſed ſingularem eius curam noctu, dieque haberent. Poſt triduum è fæce plebis multi in eius ædes irruentes, omnem Regiam ſuppellectilem in prædam vertérũt, calumniati armorũ aceruum, in ciuium perniciem congregatorum ſe reperiſſe. Paulo poſt annitẽribus Gandenſibus, nouos legerunt nomine Ducis Philippi, & Galliarum Regis Magiſtratus, Maximilianum verò ad proprium gubernandum filium, eiuſque ditiones, inidoneum declararunt. Inde aliquot nobiles, in carcerem coniecerunt, & Maximiliano renunciarunt, ſe id feciſſe, vt prauos iniuſtoſque gubernatores, prædatores, ac extortores punirent. Quin & aliquot ex nebulonibus eodem die in cubiculum eius irruperunt, & nonnullos, qui remanſerant proceres, in ergaſtulum detruſerunt: eoque compegerunt omnes, qui tempore Maximiliani in Magiſtratu præfuerant. quodq; e atrocius eſt, illos fabri lignarij è poteſtate noui Magiſtratus extortos, in forum traxerunt: & ſcena lignea vndique patente in medio extructa, ac equuleo, in quo malefici torqueri, ac per tormenta examinari ſolent erecto, omnibus ſpectantibus ad eum modum torſerunt, vt luxatis oſſium iuncturis, membra lacerarentur, humerorum axilæ diſrumperentur, ſcapulæque loco mouerentur. Aliquos ex eis igne exuſſerunt, aliquos capite minuerunt. Inter hæc domeſticos Maximiliani alicubi deliteſcentes, propoſita impunitate ac ſolutione ſtipendiorum è latebris elicuerunt: et [illegible] perfidia in eos vſi, omnes in vincula compegerunt. Inde metuentes, nè ille aliqua ratione, aut arte è domo aromatarij elaberetur, ei in ædes Philippi Cliuij migrandum nuntiarunt, cumque eas ferreis clatris conſultis locis probè muniuiſſent, fruſtra deprecantem, commigrare iuſſerunt. Paruit vrgenti neceſſitati, exitaque domo illa pedes tentoria omnium Præfectorum adijt, ac diuerſas in acie ſtantium ciuium legiones ca-

pite nudo, pileum manu tenens, tria flagitauit: Primum, ne corpori ſuo per vim iniuriam inferrent; deinde nè ſe in manus Gandenſium, aut Gallorum traderent: tertio, 10. aut 12. famulos, qui in cubiculo, ad menſam, ac in culina ſeruirent, ſibi reſtituerent. Addebat & iſta; Non rectè eos facere, quod, nullo perſonæ ſuæ reſpectu habito, non aliter ſecum agerent, quam cum minimo, comitatus ſui famulo. Meminiſſent miſſa in Germaniam honorifica legatione, ſe inuitatum, rogatumque ab Ordinibus Belgarum, iniquiſſimo, duriſſimoque tempore fuiſſe, nuptias cum Maria Burgunda, Flandriæ Comite maturaret; ſeque in maxima Belgicæ prouinciæ perturbatione, relicto Cæſare patre, paternaque ditione, omnibus propinquis, ac amicis, ad ignotam perueniſſe regionem, duxiſſe Comitem eorum in vxorem, ſuſcepiſſe liberos, duodecimumque iam agi annum, quod cum maxima cura, diligentia, ac labore Belgas rexerit, ac defenderit, reſtiteritque potentiſſimo Europæ Regi, Belgarum libertati quamquam aliud ſimulet, ſemper inſidianti. Proinde meminiſſent, ſe Cæſaris Friderici vnicum eſſe filium, Romanorum Regem è nobiliſſima, potentiſſimaque Germanorum familia ortum, quem pro perſonæ ſuæ conditione alia ratione tractare debuiſſent, & adhuc deberent. Scire ſe mortalem eſſe conſtitutum in eorum poteſtate, non iuſto bello deuictum captum, ſed qui ad eos vt amicos, ac fideles ſubditos, ſine iuſto præſidio, quæ in rem eorum eſſent futura cum ipſis tractaturus, ſpontè bonoque animo veniſſet, quem ſi nunc velint, occidere poſſint; quod ſi facerent, non omnes Auſtriacos ſecũ occubituros, nec illos planè tũ voti futuros, multominus, ſi ſe Gãdenſibus, aut Gallorum Regi captiuũ traderent. Deductus ad ædes Philippi Cliuij Maximilianus, non ſine vitæ periculo aliquamdiu egit. Diuerſæ enim ſeditiones clam in eius exitum, opera Gallorum concitabãtur; qui nihil lubentius vidiſſent, quam vt Brugenſes per ſeditionem Romanorum Regẽ occiderẽt, aut indignis modis tractarẽt quò Belgæ expoſiti prædæ, Gallis ſaltem pro parte cederent. In hac rerum aduerſitate, ſolitudine, ac ſummo vitæ periculo numquam ab animi magnitudine diſceſſit Maximilianus, nec quicquam indignum ſe fecit, aut locutus eſt. In his tantis malis, ad Pontificem ab Imperatore, & Principibus Imperij datæ ſunt litteræ quibus ſignificabant captiuum eſſe Brugis, Regem Romanorum. Innocentius re intellecta, nihil cunctatus, Friderico conſolatorias ſcripſit, necnon Colonienſium Archiepiſcopo, vt Brugenſes, Gandenſes, cum Ipreſſibus, qui tam audacis facinoris, auctoribus ſeſe iunxerant, anathematis fulmine defigeret, niſi mandato obtemperantes, intra certum tempus cuſtodia Maximilianum emitterent. Scripſit & ad omnes Principes Imperij, & ad Ordines Hannoniæ, iubens inferre bellum Flandris, ſi poſt ſuam admonitionem, Regem non liberaſſent; Philippus Cliuius primus in ſeditioſos copias duxit, & varijs cladibus eos affecit. Carolus Sauenſius præclaram pariter operam contra illos nauauit, Philippus Maximiliani filius, Mechliniæ agens, procerum, qui apud ſe erant conſilio, Belgarum Ordinem ad ſe conuocauit, cumque eis de liberando patre egit. His Brabantiæ, & Hannoniæ Ordines coniuncti, nec non Principum Imperij Oratores cum eam captiuitatem animis, vt par erat, ægerrime ferrent, & rebellibus bellum (iam imperijs Principes, duce Cæſare Friderico, coactis copijs, in Flandriam contendebant, armis Maximilianum è ſeditioſorum manibus extorturi, Flandriæ, ac Galliæ ingenti terrore iniecto) renunciarent, tandem ad pacis conſilia impulerunt, vt

*Liberatus poſt tertium mẽſem.*

pactis, & iureiurando firmatis conditionibus Maximilianum, poſt tertium menſem, quàm captiuum fecerant, dimiſerint. *Beuter lib. 5. de rebus Maximil. ac Philippi Adrianus Barlandus in Chron. Brabantiæ Ducum. Krantzius lib. 13. Saxon. c. 9. & ſeqq.*

II.

*Et quibus ſub conditionibus.*

Hæc eſt formula iuramenti à Beutero præſcripta, ex qua Maximilianus ſeſe aſtrinxit, in ſcena genu poſito ad altare. *Libera voluntate, ac bona fide in præſentia ſacræ Euchariſtiæ, particulæ Crucis Domini, Euangeliorum, corporis D. Donatiani huius vrbis Patroni, ac Canonis ſanctiſſimæ Miſſæ, promittimus, conſeruaturos nos, ac reipſa completuros, pacem, ac conditiones inter nos ab vna parte, ac tres Flandriæ Ordines, quique cum eis ſtetere, ab altera parte factas, obſeruaturoſque concordiam, ac vnionem noſtro conſenſu à Belgarum prouinciis initam, eorum, noſtrique ſigilli appenſione confirmatam, roboratamque ad hæc fide Regia pollicentes, quantum honori, famæ, ac nomini noſtro conſultum volumus, nos numquam eas violari permiſſuros, nec, vt id fiat, vllum rationis velamentum, iuſtitiæ obtenſionem, nec ſpeciem, artem, aſtum, calliditatem, nec prudentis conſilij ſimulatam neceſſitatem quæſituros, nec repertam admiſſuros, idque ſecundum tenorem litterarum, quæ dictam pacem. ac concordiam deſcriptam continent, liberans Flandros omnes à ſacramento, quod nobis vt patri, ac tutori, filij noſtri, quacumque etiam forma fuerit, dixerint* Deinde iuſſu Romanorum Regis, Beueræ Dominus hac ratione iurauit. *Ego Philippus Burgundus, Campueræ, ac Beueræ Dominus, inſiſtens, exemplo iuriſiurand à Romanorum Rege præſtiti, bona fide iuro, ac promitto, in præſentia Sacratiſſimi Corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti, veræ eius Crucis, Euangeliorum, corporis D. Donatiani huius vrbis Patroni, ac Canonis Sanctæ Miſſæ, me reipſa ſeruaturum, ac quantum in me erit, omnibus numeris impleturum conditiones pacis, concordiæ, ac vnionis, quæ inter dictum Romanorum Regem, Flandriæque Ordines ſunt conceptæ, neque me vlla ratione ijs contrauenturum, neque permiſſurum, vt vllo modo contraueniatur. Si verò quempiam contrauenire, aut pacem aliqua ratione violare velle intellexero, promitto, ac iuro, iuſſu, ac iniuſſu Romanorum Regis hic præſentis, me annixurum, ac curaturum, vt Flandri contra dictæ, pacis, vnionis, ac concordiæ violatores ſeriò iuuentur.* Legati Ordinum, ſingularum Prouinciarum hoc modo iurauere. Nos Legati trium Ordinum, Ducatus aut Comitatus Brabantiæ, Hannoniæ, &c. omniumque ditionum, ac Ciuitatum hic præſentium, repræſentantes, tres Ordines dictarum Prouinciarum, ac Ciuitatum, ſecundum exemplum iuriſiurandæ ſolenniter à Romanorum Rege hic præſente præſtiti, iuramus, ac promittimus &c. Reliqua enim cum Beueri iureiurando per omnia conueniunt. Poſtremi omnium iurauere tres Flandriæ Ordines, Præfectus Brugenſis (ſupremum Balliuum vocant) ac Præfecti manuariarum operarum. Omnium iureiuranda ſuſcepit, qui & ſummum ſacrum fecit, Vicarius Antiſtitis Tornacenſis. *Beuter. ſup.*

III.

*Ad illam Maximiliani liberationem plurimum conferunt Caſtellæ Reges.*

Ad hunc Maximiliani liberationem plurimum cõtulere Ferdinandus, & Iſabella Caſtellæ Reges. Hi enim, ad illum è cuſtodia educendum, Ioannem Fonſecam, atque Aluarum Arronium Legatos in Belgas miſerunt: Romæ autem Bernardino Caruaialio Protonotario Apoſtolico in locum Garſiæ Toleti, Aſturicenſi tunc Epiſcopo, poſtea deinde Cardinali & Placentino Epiſcopo, necnon Medinæ iureconſulto, qui partes Legatorum apud ſummum Pontificem implebant, iniunxerunt, vt indignitatem facinoris in Maximilianum à rebellibus ſubditis admiſſi, Innocentio Papæ repræſentarent, atque ad eius liberationem, Pontificem, & Sacrum Senatum inflammarent. Etiam tum de potioritate loci, inter eos, & Maximiliani Oratores circa latus Pontificis diſputatum. Galliarum Regis Oratores, quod Maximilianum pro Romanorum Rege minimè agnoſcerent, Maximilianeis, locum in Sacello Pontificio cedere noluerunt. Caſtellanis, ſui Reges manda-





uerant, vt ijſdem Maximilianeis, quos ad Pontificem miſerat, præter morem maiorum, vt quidam diſputabant, ſuperſtite patre, ità priores partes concederent, ſi Galli Regis Oratores idem facerent; medios aſſidere non paterentur. Ea controuerſia, non multum inſedit animo Maximiliani. Enimuerò is Philippum Burgundum, Terueræ, ac Beueræ Dominum, & Ioannem Salezarum, in Hiſpaniam ad Ferdinandum Aragoniæ, & Iſabellam Caſtellæ Reges tria petitum miſit, primum, vt perpetuæ pacis cauſa fædus fieret: deinde, vt ſibi viduo, filiam Iſabellam vxorem darent; ac, ſi Innocentius Pontifex permitteret, alteram filiam Ioannam filio Philippo deſponderent. Factum fædus. Iſabellam Luſitaniæ Regis filio deſponſatam antè aliquot menſes renunciatunt. Quod ad Ioannam attinebat, ſeſe libenter ea de re communicaturos, quamprimùm adoleuiſſet. & iam id temporis Friderici Auguſti indulgentia, permittente Innocentio Papa, Philippum nepotem Auſtriæ Archiducis titulo, nouo exemplo (cum maioris Auſtriæ Duces vocarentur) auxerat, nouiſque honoribus augere deſtinabat, Hiſpanicæq; affinitati idoneum præſtare. *Surita Annal. lib. 20. c. 78. Mariana de rebus Hiſpan. lib. 25. c. 12. Beuter ſupra.*

IV.

*Caſtellæ Rex, regẽ Neapolitanũ officij ſui admonet.*

His ipſis diebus, Ferdinandus Rex Neapolitanorum, nondum Innocentio Pontifici ob cauſas ſuperiùs memoratas ſatis irritato conciliatus, cùm non ignoraret, quoſdam ex proceribus fuga dilapſo ad Ferdinandum, alios in Hiſpaniam, alios ad Carolum Regem in Gallias conceſſiſſe, & tàm hos, quàm illos, vtrumque Regem ad capeſſendum regnum Neapolitanum varijs prætextibus ſollicitare: hiſque Summum Pontificem non conniuere modò, ſed etiam fauere, vereretur autem, nè Caſtellanus. Iſabellam filiam, Gallorum Regi coniugem, æternum concordiæ inter ſe, ac illum vinculum deſtinaret: atque mutuò conſenſu regnum Neapolitanum alter alteri concederet, Pontificemque contra ſe iuuarent: Leonardum Toccum, domo Græcum, atque à Græcis Auguſtis genus ducentem, opulento Principatu à Turcis euerſum, atque in Italia degentem, Legatum ad Caſtellanum Regem miſit, qui de nuptijs appellaret, ſuperiori tempore pactis, Ferdinandi ex Alfonſo filio, Duce Calabriæ nepotis, eiuſdemq; Capuæ Principis, cum Iſabella Ferdinãdi Caſtellani filia, quã etiam Maximilianus Rex expetebat. Eo conatu impedito, quoniam Iſabellam Ferdinandus Gallo Regi, aut Luſitani Regis filio deſignabat: Maria altera Iſabellæ ſoror, in eius locum ſubſtituta eſt, priori modo pacto inducto, irritiſq; ſponſalibus. Per hanc nouæ affinitatis occaſionem, non intermiſit Caſtellanus Neapolitanum, fidei, de officio Pontifici ex pacto, præſtando, deque captiuis eliberandis, & extorribus patria, in gratiam recipiendis admonere: *Surita ſup. c. 73. Mariana ſup. c. 11.* & ad bellum Turcicum hortari.

V.

*AEgyptij victoriam de Turcis reportant.*

Hoc enim anno, Baiaſetis Imperatoris Duces, ingenti claſſe comparata in Saladinum Aegyptium, copias innumerabiles ducentes, Rhodum, Melitam, Siciliam terrore maximo compleuerant, ac Pontificem Innocentium de ſalute totius Italiæ ſolicitum reddiderant. Petrus Dabuſſonius, Rhodiorum Magiſter, periculo cum ſuis proximior, Pontifici omnes hoſtium progreſſus ſignificauerat: & auxilia implorauerat. cæterum nè tyrannum viribus potentem contra ſe irritaret, ne fædere à Saladino interpellatus, illud percutere differebat, donec Pontifex aliquid certi ſtatueret. Saladinus in Pontificem omnia reijci certus, cum magnum operæ pretium in Zizimo, ſi illum apud ſe habuiſſet, collocari intelligeret; Oratorem ad Innocentium, & Ferdinandum Neapolitanum deſtinauit, qui Zizimum ſibi dari poſtularet, atque fædus contra communem hoſtem feriret. Poſtulabat eum ipſum à Dabuſſonio, & Innocentio, Matthias Rex Vngariæ, certam de Baiaſite victoriam, ab illo apud ſe præſente promittens. Cæterùm non erat ex re, illum aut Saladino, aut Matthiæ, aut alicui Chriſtiano Regi permittere. cum ſatius foret, & terra, marique contra Turcas bello gerendo magis opportunum, ſi in Italiam ex Gallia veniſſet, & Romæ pedem fixiſſet; quò Pontifex Romanus, eius præſentis occaſione vteretur, ad omnes Reges, & Principes Chriſtianos ad ſacrum bellum excitandos. Ergo eius aduentum ſummoperè vrgebat; cumque illi iam cum Oratoribus Dabuſſonij, Philippo Cluſio, & Guillhelmo Caorſino de illo conducendo conueniſſet, Carolum Galliarum Regem, in cuius regno apud Rhodianos Aluernienſes ſeruabatur, admonuit, vt Zizimum, Romam duci permitteret. Id bono totius Chriſtianæ reipublicæ, graui autem incommodo Turcorum Imperio futurum. Non negauit Carolus; verùm ambigens, nè aliò, ad alium quempiam Regem Chriſtianum, vel Principem, non verò Romam duceretur; paciſci cum Innocentio, & Sacro purpuratorum Sedis Apoſtolicæ Senatu voluit, & pignoris loco, decem millia libras auri puri poſtulauit, nè aliò, quàm Romam, Zizimus ex Gallia transferretur, neue ſe inuito, aut inſcio, Pontifex de illo decerneret, aut quippiam diſponeret, aut alios, quàm Rhodianos Equites illi ducendo, atque ſeruando adhiberet. Inter hæc, cùm claſſis Turcica, Lyciæ, Pamphiliæ, & Ciliciæ oras præteruecta, in Syriam perueniſſet, Saladinus inſtructo exercitu obuiam progreſſus, cum hoſte manus conſerere inſtituit. In Ciliciæ finibus ad Tauri iuga, vbi olim Alexander magnus, memorabili pugna Darium vicerat, biduò eſt dimicatum. In eo loco primo die erat pugna dubia & acerrima, tum etiam locorum accolæ inter pugnæ ardorem Aegyptijs commeatum omnem interceperant, vt Turcis gratificarentur. Vndè inopiam Aegyptij veriti, ſi bellum traheretur, ſequenti die in planiciem egreſſi, hoſtem ad pugnam elicuerunt. Erant Turcæ multò plures numero, ſed ex itinere feſſi. centum enim millia eo die conflixiſſe dicuntur. Mamaluchi, meliores equos, & arma habebant. Eſt hic à prima luce ad noctem vſque tanta ſtrage vtrinque decertatum, vt pauci pro numero eorum, qui in acie ſteterant, ſuperfuerint. Ex Turcis vix tertia pars euaſit. Nec minor clades Aegyptijs contigit, cum ex ſeptuaginta millibus, qui in eo prælio fuerant, dimidium ſit deſideratum. Sequenti nocte Turci per ſilentium in pacatum receſſerunt, relictis caſtris commeatibus refertis ipſis Aegyptijs. Calumbeius, & Cherſeolus Turcorum duces in fuga intercepti fuere. Claſſis Turcica cum circa oſtium fluminis Selphici ſtaret, tempeſtate maris fædè diſiecta, miſerum ſpectaculum hoſtibus præbuit. Baiaſetes, ſtatim, atque cladem ſuorum intellexit, quamuis ignominioſam pacem à Saladino oblatam non eſt aſpernatus. Quarta die Septembris, Dabuſſonius, Innocentium de toto belli ſucceſſu, datis litteris certiorem reddidit, deque Zizimo quantociùs Romam ex Gallijs transferendo admonuit. Cum autem Ferdinandus Caſtellæ Rex accepiſſet, numeroſas equitum, & peditum copias à Baiaſeto contractas fuiſſe, ac valida claſſe conſtratum mare: ac vndecim prædatorum biremes à reliqua claſſe diuulſas, Melitem inſulam penè omnem prædæ habuiſſe, & direptioni: merueretque nè Turcæ eam inſulam belli ſedem efficerent, aſſueti Europæis littoribus, aduerſùs quidem prædones, ex Sicilia claſſem miſit, ductore Patella, ſerum auxilium, hoſte cum præda dilapſo: ex Hiſpania verò nouam claſſem parauit, nouo Siciliæ Prorege, Ferdinando Acunia, non modò Chriſtianorum

præcipuè Siculorum finibus tutandis, ſed tentandis etiam Africæ litoribus idoneam. In vrbe quoq; Melitenſi, quæ gemino portu quantumuis magnæ claſſis capax eſt, vtrumq; portum cuſpide terræ diſtinguente, cui à Sancto Anſelmo nomen eſt, propugnaculum prohibendis hoſtibus ædificari imperauit: veritus, nè in ſuos fines ſæua verteret tempeſtas, Baiaſete cupido ad occaſum proferendi Imperium, & vlciſcendi dolorem, ob denegatum Zizimum fratrem. Inter hæc Ferdinandus, ab Innocentio non tantũ ſollicitatus, verùm etiam pecunijs in ſacrum bellum (ſeptuaginta M. nummum aureorum Pontifex ſingulis annis in eam expeditionem Caſtellano Regi numerabat) collatis adiutus, per Conteſtanos in Mauricos fines nouo conatu, apparatuque incurrere feſtinauit. Opportunum fuit, duobus Mauris de Imperio certantibus. Abohardiles Regium nomen ægra iam ſpe ſuſtentabat. A Boabdile, quanquam ei maior potentia, ſtudia prouincialium auerſa, quaſi ignauo, impioque, & nomine tenùs Mauro, pectore Hiſpano. Ergo diſſentientibus illis, placuit irrumpere.

*Aliquot oppida idẽ Rex à Mauris eripit.*

Almeriæ inprimis agri incenſi, vexatique. Vera oppidum ad mare ſitum, quod Melæ Vergi, Varea Antonino creditur, impugnatum: & deditione acceptum. Veræ exemplum Mauxacra (quæ veteribus Murgis fuit) ſequuta: vtrumque Veles Album, Rubrumque. Multa alia caſtella, & oppida temerè munita, aut ſine præſidio acceſſerunt. Magnus terror, neque minus periculum hoſtium animos fregerat, nè agri vaſtarentur, ad deditionem inclinatos. Almeriæ locis finitimæ aditu, Taberna arx ſitu inexpugnabilis prohibebat. Eam nouo præſidio firmaturus Abohardiles accurrit, mille equites, viginti millia peditum ſub ſignis habens. ſimul inſidere ſaltus, Hiſpanoſque diſpalatos carpere cogitabat, in caſum vniuerſæ dimicationis non venire certus, ex conſcientia ſuarum imbecillitatis virium; quod collectitius exercitus eſſet, exiguo rei bellicæ vſu. Cùm pugnam barbari detrectarent, Hiſpani ferociores facti, multas paſſim manus ad campeſtria deuaſtanda miſerunt. vis mali in Almeriæ planiciem maximè incubuit deinde Baſtæ agri vaſtati, aquis irrigui, ob idque inſigni prouentu, & amænitate. Riuis, quibus ea planicies diſtinguitur, impediti Hiſpani, haud leue damnum accepere. concurrentibus Mauris multi ceciderunt. In eò numero Philippus Aragonius, Monteſiæ Magiſter iuuenta ferox, ferox nobilitate, quo extincto, multiſque vnà ambientibus, Ferdinandus Rex, concedente Innocentio Pontifice, eum honorem, pareſque opes vtendas, fruendas, adminiſtrandas ſuſcepit, quod exemplum ad alios militum Ordines manauit, effecitque, vt aucta Regum potentia, eorum militum authoritas euaneſceret: cùm præmia virtuti dari ſolita, emeritæ militiæ viris, rebus conuerſis aulæ aſſeclis plurimùm cedant. At tumultus in Comitijs vigebant, Regijque ærarij tenuitas erat ſupplenda. rectè, niſi mala exempla quandoque ex bonis initijs deriuarent. Verùm hæc Hiſpanæ reipub. vulnera ſanare quis poſſit in magna aſſentatorum potentia, frequentiaque? prætermittere ſatiùs arbitror. Tametſi quis æquo animo ferat, opes maiorum pietate conceſſas, profligandis Chriſtiani nominis hoſtibus, effundi nullo reipub. fructu? Quantum ijs terræ, mariſque parari potuit? *Boſius hiſt. Rhodianæ lib.* 14. *Auctor. hiſt. Ioannitarum lib.* 5. *Mariana lib.* 25. *cap.* 12. & 13. *Ciacconus in Innoc. octauo Surita ſupra cap. octuageſimo primo, & ſeq.*

VI. *Ferdinandus Neapolitanorum Rex erga ſedẽ Apoſtolicam ingratus.*

Innocentius quidem Pontifex, tanquam indulgentiſſimus bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſator, neceſſitate Ferdinandum Regem vrgente, id, quod diximus adminiſtrationis duorum Militarium ordinum eidem conceſſerat. Qui in exemplum traxerunt, aut Pontificum indulgentia abuſi ſunt, ipſi videntur: ſed ab hac benignitate Pontificia, alij, non aliud, quàm æquum in perpetuum fuerit, flagitare [illegible] probrum ſibi, & familiæ æternum procurent: quemadmodum Ferdinandus Neapolitanus, ſibi, & [illegible] intulit, beneuolentia Sixti, & Innocentij Pontificum male vſus, & tam illi, quàm huic, ſed magis huic [illegible]. In hunc etiam annum, neque vectigal annuum ſoluere, neque vel captiuis, vel eiectis proceribus, libertatem, aut immunitatem, quinimò nec etiam vitam relinquere tolerabat; quamquam & ex pactis ſacramento roboratis, & ſponſorum interceſſione firmatis teneretur: & illorum ipſorum ſponſorum precibus, ac monitis vrgeretur. Quaſi verò id parum fuiſſet: in agro Reatino propugnaculum quoddam ad Romanam Eccleſiam pertinens, quod prohibendis ex regno Neapolitano copijs, nè in territorium Apoſtolicæ Sedis erumperent, fuerat extructum, occupauit, ac diruit: quo facto, Alfonſum filium Calabriæ Ducem, cum exercitu copioſo ad inuadendum Latium, & reliquam Campaniam vaſtandam miſit: neceſſitatemque Pontifici impoſuit, militem ſcribendi, & ad tutelam patrimonij Apoſtolici armandi. Eiuſdem artibus factum nonnulli memorant, nè Forum Liuij, & Fauentia, ad poſſeſſionem Pontificis redirent: extinctis, hoc anno, vtriuſque vrbis principibus. Forum Liuij, Hieronymus Riarius, Sixti IV. neceſſarius iure fiduciario obtinebat. In ea vrbe erat Franciſcus Vrſus, ob eximiam opinionem virtutis, magna apud ſuos ciues authoritate. Ea cum pari ingenio eſſet, ac prudentiæ adiuncta, grauem de eo curam, & ſuſpicionem Riario iniecerat. Itaque, cùm nulla ſpes eſſet, beneficij magnitudine eum deliniri, quòd ſeruitutis præmium videretur: alia ratione continendum in fide arbitratus, ſæpe exilij, & mortis denunciatione abducere à nouis conſilijs, conatus erat. Quæ alijs terrori fuiſſent, ea homini acerrimo, & magni animi, æquè, & ad ſe vindicandum in libertatem, & ad patriam liberandam ab impotenti domino magna incitamenta, extiterunt. Eo animo cùm eſſet; ex familiaribus cõſilij participes, & ſocios delegit homines, magni animi & ſpectatæ virtutis, quorumq; fidem inprimis probatam habebat. Diem cædi conſtitui placuit, quo die nũdinæ erãt in vrbe futuræ: quoniam veriſimile videbatur, magnum agreſtiũ concurſum nundinarũ celebritate fieri, ſi quis caſus poſceret, eorũ per opportunam operam ad omnia fore cõiuratis.

*Hieronymus Riarius Sixti PP. neceſſarius occiditur.*

Conſueuerat Hieronymus, inclinante in veſperam die cænam inire. quo quidem tempore, cùm quamdiu familiares cænarent, ſolus ipſe ageret; non magno negotio, vbi eò acceſſus pateret, opprimi poſſe cenſebãt. Cùm de hora conueniſſet, Franciſcus eò cum cæteris profectus, ſeducto puero, qui ad cubiculi fores aſsiſtebat, ſe habere ait, quæ remotis arbitris cum Principe agere vellet. Poteſtate ingrediendi facta, cùm dicere exorſus eſſet intentum, quò eſſet euaſurus, multis confectum vulneribus interfecit. Quo facto, ac ſimul puero interfecto, nè rei geſtæ index familiam ad tumultum excitaret, arcis Præfectum, qui caſu paucis comitatus Principem venerat ſalutatum, à cæteris coniuratis occidi imperauit. His rebus celeritate ſumma patratis, abſciſſum Hieronymi caput, ex ſuperiore ædium parte in ſubiectam aream proiecerunt, ac populum iampridem Riarij dominationi infenſum ad arma vocarunt, vt Pontificis inſignia erigerent, & per ſuos ciues, vel in libertatem, vel in Pontificis plenam poteſtatem vindicare vellent, impulerunt. Miſſam à Magiſtratu, ac populo Foro Liuienſi legationem Innocentius audiuit; atque facilè poſſeſſionem eius vrbis adipiſci potuit, niſi Ferdinandus, Ludouicum Sforiiam Mediolani principem, Catherinæ Riarij relictæ patruum (erat





hæc Sfortianæ gentis; Galeacij Vicecomitis qui domeſtica coniuratione perijt, filia) ad auxilia viduæ ſubmittenda excitaſſet: atque is Ferdinandi conſiliorum ſecurus, Pontifici, nè quid contra Catherinam moueret, etiam belli terrorem oſtentaſſet.

*Audax Catharinæ prædicti Hieronymi, vxoris facinus.*

Audax, & ingenioſum facinus de hac Catherina narrant ſcriptores. Cùm populus à coniuratis incitatus, ad ſtudium libertatis erectis animis, cuius capeſſendæ magna erat oblata occaſio, in forum arreptis armis concurriſſet, atque immoderatis ſtudijs, & acclamationibus efferens coniuratorum nomina, tyranni liberos ad necem poſceret, ipſa magnæ audaciæ, atque animi fæmina, ſæuientibus obuiam facta, habuit eorum fidem implorare. Aliqui fortunam illius miſerati, eam à furenti multitudine ſubtraxerunt: ſed tñ vna cum liberis cuſtodiæ tradiderunt, eo cõſilio, vt per eam recipi arcem liceret, quæ ſatis valido militum præſidio tenebatur. Nam quicquid coniurati, aut vim, & arma, aut obſidionem intentarent, illi negabant ſe arcem tradituros, niſi ſibi ab ea imperatum eſſet. Id illa iuſſa facere, quæ quanta ſibi occaſio oblata eſſet ad rem agendam non ignoraret, ſe ita obtemperaturam recepit, vt ſibi tamen ingredi in arcem, & colloqui cum militibus liceret, quorum fidei arcis cuſtodia tradita eſſet. Quò id minus agere dubitarent, liberos, qui iam erant in eorum poteſtate obſidum loco aſſeruari iubet. Hac ſpe illis iniecta, obſidibus liberis retentis, facilè illi poteſtatem ingrediendi, vbi vellet, fecerunt. Qua re impetrata, iam è tuto loco, quamquam & coniuratos, & tanto conſenſu multitudinem armatam ad arcem oppugnandam conſpiciebat, eos minis deterrendo, ac mortem, & quæ ijs grauiora eſſent ſupplicia denunciando, arma ponere, ac diſcedere è medio iubebat: breui ſe ab impijs, & ſceleratis hominibus, ni parerent, pœnas expetitura. Nam cùm illi, niſi tradi arcem extemplo iuberet, ſe liberos excruciatos in eius conſpectu minarentur interfecturos, odio, atque iracundia fæmina prouecta, ſibi verò liberos haberent, reſpondiſſe, ac ventrem ex prole concepta tumentem, oſtendiſſe fertur; ſibi iam natura eſſe proſpectum, vt ſi quam iacturam liberorum faceret inimicorum iniuria, facilis ſibi eius ſarciendæ ratio conſtaret. Cùm hæc illa vigilantia ſumma, & cura adminiſtraſſet, ac facilè ſua authoritate milites, quò minus de arce dedenda cogitarent in officio continuiſſet, Ludouicus Sfortia, patruus illi ex Inſubribus minimè dubio auxilia ferebatur. Quæ cùm ita eſſent, coniurati, qui vt certos ſe hoſtes habituros, ita nihil ſibi præſidij (quod ſperabant) à Pontifice affuturum animaduerterent: dominum extinxiſſe, minimè dominationem ſuſtuliſſe, videbantur: quàm vt effugerent, relicta vrbe, ſe in Tifernates receperunt. Cum Catherina conſilio, atque audacia amiſſum viri morte Principatum breui recuperaſſet: multitudine etiam fauente, quæ mutatione conſilij redimere inconſtantiæ crimen conabatur; de ijs quæſtionem habere inſtituit, quibus authoribus poſt virum interfectum, erat tumultus excitatus. Ad hunc modum varijs in illos conſtitutis ſupplicijs, qui comprehenſi, conuictiq; eſſent, abſentiumq; bonis publicatis, acerrimè, vt ſe facturam prædixerat, viri mortem vlta eſt. & quidem Præfectus Cæſenatium, in auxilium coniuratorum, cùm nonnullis Eccleſiæ, ſtipendiarijs accurrerat: ſed fruſtrà. Nam à Sfortianis comprehenſus, & in vincula coniectus, tamdiu detentus eſt, donec Pontifex Ludouico nonnulla ex poſtulatis conceſſiſſet. Quo etiam anno, die 2. Iunij Fauentiæ, ab vxore Ioannis Bentiuolij filia, patris (vt ferebatur) conſilio, certis hominibus in necem adornatis, ſublatus interijt, Galeotus Manfredus vrbis Princeps. Is aliquot ante annis bello inteſtino, quod cum Carolo fratre geſſerat, victor Principatum occupauerat; homo præter militiæ gloriam, neque ineruditus, & quæ erat in viro principe ſignificatio virtutis, cumprimis doctorum hominum ſtudioſus. Is ipſe cùm eſſet mathematicis addictus, aliquanto priùs viderat, vt fertur, inſtare ſibi fatale tempus: quod cum à vi extrariâ metueret, atque ſollicitè caueret, in vxoris cubiculo multis eſt vulneribus confoſſus. Eum illa cùm ſe graui morbo correptam ſimulaſſet, in abdita cubiculi parte interfectores collocauit, & ad ſe inuiſendum venientem, interfici curauit. Cauſæ variæ ferebantur. Alij id viri odio, quòd nobilium fæminarum conſuetudine, contra matrimonij iura vteretur: alij patris Imperio, qui eius vrbis ditioni per generi mortem immineret, tribuebant. Non quieuit Fauentia à Galeotti cæde. Qui dominatum Eccleſiæ ſuſpirabant, Innocentium Pontificem facinoris atrociſſimi certiorem factum, inuocabant. Vidua cum Aſtore paruo filio occupatu arce, quamquam ſe acerrimè aduersùs concitatam multitudinem tueretur, impotens tamen tanti ſceleris inuidiam in fluctuãte ciuitate, diu ſuſtinere Bentiuolum patrem implorauit, quò cum non paruam manum adduxiſſet, non paucos ex ſuo comitatu inter tumultum popularium amiſit: ipſe ab agreſtibus, & montanis hominibus, qui magno numero ad vrbem venerant, captus, & Modilianum, vetuſtum Aemiliæ caſtellum ductus, vix poſtea in libertatem emiſſus eſt, opera Laurentij Medicei, apud Innocentium Pontificem multum hoc tempore potentis.

Tumultuantibus ad eum modum Foroliuianis, & Fauentinis, ſiue exemplo illorum, ſiue incitatione Neapolitani Regis, Peruſini nouas res tentare voluerant. Innocentius Pontifex in ſumptus belli ſacri pecuniarum egens, nonnulla agri Peruſini emolumenta, ad Apoſtolicam Sedem ſpectantia vendiderat. Ciues, ſua illa eſſe affirmantes, cum putarent ſibi maximam prouentuum partem detractum iri, reſtiterant, atq; imperium detrectare videbantur. Mouit contra eos Pontifex Mauricium fratrem, qui oſtentatione armorum illos in officio contineret. Cumque is audaciam Peruſinorum, terrore bellico repreſſiſſet, ac paulò poſt diem ſupremum obijſſet, Ciuibus ad nouos motus reuerſis, Iulianum Ruuereum, Cardinalem S. Petri ad Vincula Legatum à Latere miſit: vt temeritatem rebellium caſtigaret. Opus fuit collegam illi adiungere, Franciſcum Cardinalem Senenſem, quem tamen Peruſinorum primores, non priùs voluerunt admittere, quàm ſpopondiſſet, nequaquam ſe aduerſæ factionis extorres ad vrbem reuocaturum. Tudertini quoque, fulginates, Hortani, & complures Picentes, & Vmbri, parùm obedientes Pontifici hoc eodem anno fuerunt; quando is pecuniam neceſſariam ab eis exigeret. Legati, quos dixi, vix tandem eos ad obſequium reduxerunt. *Inſixura in diarijs. Vialardus in Innoc. 8. Brutus lib. octauo. Sabellic. ennead.* 10. *lib. octauo.*

VII. *Tumultus, & ſtrages magna Genuæ.*

Tumultuatum etiam hoc anno Genuæ, contra Paulum Fulgoſium Cardinalem, Reipublicæ id temporis Ducem. Is impotenti dominatu, cùm vehemens ciuium odium meruiſſet, metueretque, nè ab eo conflagraret, ad acriora remedia ſalutis ſuæ comparanda animum adiecit: quæ ſimul ad inimicos ſuos Principatu patriæ arcendos, ſi fortè ipſe ab eo deiectus eſſet, valerent. Quarè præfatus, ciuitatem numquam quieturam, niſi in fide, & tutela Sfortianorum: id, quod ipſi ſæpe experti eſſent: facilè ciuitati perſuaſit, vt Oratores ad vrbem Duci Mediolanenſi, vſitatis conditionibus tradendam mitteret. Erat tum regimen omnium penes Ludouicum Sfortiam, Ioannis Galeatij Ducis patruum: qui Bona Ducis matre ab aula ablegata, ac Ioanne Galeatio ipſo Duce hebeti, ac ſocordo ingenio ad nullum negotij genus habili, arcibuſque, ærario

atque omni militia, ac cæteris, quibus principatus innititur, paulatim in ſuam poteſtatem redactis, excepto titulo Principis, omnia pro Principe gerebat. Ad hunc ergo Legati venerunt: quos paulò poſt conſecutus eſt Fulgoſinus, Pauli ipſius Ducis filius, cum quo Ludouicus affinitatem ſubitò coniunxit: Clara, Ioannis Galeatij Ducis ſorore notha illi in matrimonium data, nuptijs omni Regiæ opulentiæ apparatu coram ipſis Genuenſium Legatis factis. Hæres Genuæ auditæ vehementer capita aduerſarum factionum commouerunt: cum ſerò intellexiſſent, quantum potentia Pauli affinitate, & opibus Sfortianorum ſubniſi augeretur: ſiue ille Ducis, ſiue Vicarij Sfortianorum titulo (hæc enim inania nomina eſſe) res gereret: quæ res ipſos illius pedibus proculcandos perpetuò proijceret. Ergo coniuratione facta, milite ſenſim introducto, Paulum in fugam coniecerunt. Prætorium occuparunt, nouos Magiſtratus ad ſtatum rerum ordinandum conſtituerunt, arcem, in quam Paulus confugerat, oppugnare porrexerunt: ex quo ſecuta ingens ciuium ſtrages, quando quotidiè inter erumpentes Pauli ſtudioſos, & obſidentes, prælia committerentur: in quibus multi ante oculos inſpectantium ciuium cadebant, ciuitaſq; cadaueribus implebatur. Secutæ aſſiduæ domorum arci cõtiguarum ruinæ, atq; ampliſſimorum ædificiorum incendia: quo nihil ad aſpectum erat miſerabilius, ac fædius. quam fæditatem, ac miſerationem augebant, imbellis ætas, ac ſexus è flammis, quibus omnia ſua abſumenda relinquebant, ſeminudi, & ſemiuſtulati euadentes, matronæq; paruulos natos circum geſtantes: quæ tota vrbe diſcurrentes, flebilibuſq; queſtibus fortunam ſuam lugentes, Superumq;, ac hominum opem, & miſericordiam ſupplicibus precibus implorantes, totam vrbem luctu implebant. Sed nihil erat horribilius, quàm tacita cogitatio, quę hominum animos ſubibat; Ciues ipſos in patriam ea edere crudelitatis exempla, quibus nulla maiora ab immani barbarie execrabili odio efferata expectãda fuiſſent. Ciuitatem ipſos ſuam, in qua nati, & educati eſſent, incendijs, & ruinis deformare. Adeò nihil eſt in feritate vlterius, quò cæca factionum rabies non perueniat. Ergo ſanioris mentis Ciues, magna confuſione in ipſa vrbe exorta, cum nulla ſpes affulgeret, arcis breui temporis ſpacio facilè expugnandæ: atq; exinde poſſe grauiores calamitates ceruicibus reipub. venire, metuerent: conuerſis animis, vt plerumq; in extrema neceſſitate fieri conſueuit, ad illorum potentiam, de quorum patrocinio & ope multum ſibi pollicebantur, confugiendum ſtatuere, ac Senatus decreto ſanxere, vt ad ſubleuandam Rempub. in tantas anguſtias coniectam, ad diuerſos Chriſtiani Orbis Principes, Liguſtici nominis ſocios, & Reipub. dignitatis amantes, inprimis verò ad Innocẽtium Pontificem, & Carolum Galliarum Regem Legati mitterentur. Quamobrem honorificentiſſima legatio ad ipſum Pontificem habita fuit: cuius ſumma in hoc potiſſimum verſabatur, vt ipſe Põtifex patrij ſoli, in quo in lucem editus ſit, miſericordia tandem caperetur, atque communem patriam ſaltem ab interitu ſeruaret. Nihil læti ab eo Oratores attulerunt, nullamque opem ab illo impetrarunt: ſiue, quòd memoriam contemptus ſui nondum animo depoſuiſſet: ſiue nè Ludouicum Sfortiam irritaret: ſiue quòd, vt fama exierat, occultis conſilijs cum Fliſcis & Adurnijs, Paulo Fulgoſio aduerſantibus communicatis, Genuæ ad dominium Apoſtolicæ Sedis adiungendæ, occaſionem expectaret: cuius ſuſpicionis fidem auxiſſe videbantur Conſentinus Antiſtes, Pontificis nepos, poſt initam inter ciues concordiam, non ita longè à Rapallo incognito habitu deprehenſus, ad Obiectum Fliſcum clam miſſus, vt pacem cum Mediolanenſibus conſtitutam occultis rationibus impediret, adiecta etiam non modica ciuium largitione. De Obiecto vulgatum eſt, nullis efflagitationibus voluiſſe aurem dare, vt capita darent: quòd eam rem, neque occultam eſſe poſſe intelligeret, ſeque alieniſſimo tempore ſuſpectum omnibus eſſe facturam, magnaque inuidia oneraturam. Miſſi deinde ad Galliarum Regem Legati, qui Reipub. nomine illi vrbem offerrent, ſimulque rogarent, vt ad caſtri expugnationem ſe ſaltim pecunijs iuuaret. At hic callida humanitate ſingulis ferè diebus, Oratoribus diem conſtituendo, hoc effecit, vt citra aliquem fructum, totum illud temporis, quo ipſi ibi egerunt, effflueret: adeò vt poſt longam moram illius voluntate necquicquam tentata, domum non ſine ſtomacho redierint. Itum vltimo ad Sfortiam, neceſſitate potiùs vrgente quàm voluntate: qui Imperio Reipub. ſuſcepto, Paulum Card. Ducem, ad Magiſtratum deponendum incitauit, illiuſq; Reipub. adminiſtrationem Adurnijs, titulo Vicariatus in decẽ conſequentes annos permiſit: propoſitis conditionibus. Paulo, vt Caſtelletum, & reliquas arces, quas habebat, Principi illicò traderet; Si in vrbe manere in animo haberet, nullis ſe rebus publicis interponeret, ſed ſacra, & quæ ſui muneris eſſent, curaret: ac interea, dum illi à Pontifice æqualibus Sacerdotiorum vectigalibus ſubueniretur, ſena aureorum nummum M. quotannis à Ludouico acciperet. Quibus rebus tranſactis, Paulus, patriam numquam reuiſurus, Romam ſe contulit: vir viuidi quidem, & peracris ingenij, cæterum mali, prauiq;: Sacræ profeſſionis, ac Sacerdotalis muneris numquam memor; ſed per omnem vitam inquinatus, ac facinoribus; & ſanguine ſuorum Ciuium contaminatus. *Folieta lib. 11. Bizarus lib. 15. hiſt. Genuen.*

VIII. *Coniurãt Scoti in ſuum Regem.*

Quaſi verò hic annus fatalis fuerit Principibus. Scoti quoque Septentrionalium ferè extremi, in Regem ſuum ſurrexerunt: quibus reprimendis Põtifex Innocentius fruſtrà operam adhibuit. Iacobus eo nomine tertius illis imperabat, vir non tam ingenio prauo natus, quàm praua conſuetudine corruptus. Nam cũ initio magnæ, & pręclarę indolis, animiq; verè Regij ſpecimen dediſſet, paulò poſt per aliquos, ſed paulatim in licentiam effuſus eſt. Succeſſerant in familiaritatem homines infimæ ſortis, à quibus in omnia ſimul vitia præceps eſt datus. Cumque excluſis ferè omnibus primæ nobilitatis viris, eos ignobiles, & obſcuros, aulæ ſuæ muneribus præfeciſſet, ſeque totum voluptatibus parùm honeſtis immergeret, auaritiæ denique corrogandiſq; vndequaq; pecunijs ſummoperè incumberet: maximum in ſe odium, non ſolùm nobilium, verùm etiam populi concitauit. Princeps aulicæ factionis erat Ioannes Ramiſæus, qui ad Lauderam ſeruatus à Rege, ſupplicium euaſerat. Is in tantam elatus fuit ſuperbiam, vt cum Domus Magiſter, (is honor apud Scotos præclarus habetur) à Rege eſſet electus, multiſque prędijs opulentis donatus, non tamen ea fortuna contentus, impetrauit edictũ, nè quis præter ſe, ſuoſq; comites, in eis locis, in quibus Rex diuerſaretur, arma ferret: vt ſcilicet hac ratione, ſe, ſuamq; factionem aduersùs nobilitatem communiret, quæ indignitate flagitiorum Regis permota, ſibiq;, vehementiùs metuens, frequentes ſeorſum coitiones faciebat, & armorum terrore ſtipata obambulabat. Id verò edictum longè plus Iacobo, & Ramiſæo odij, quàm terroris conciliauit: cùm manifeſtæ ſeruitutis imago omnium oculis obuerſaretur. Cumque accepiſſent Regem intereà nihil aliud moliri, quàm vt animum expleret eorum ſanguine, qui rebellionis titulo delati fuerant: iamq; & vi, & arte, illum conari perſpectũ haberent, detectis eius conſiliis, ad apertam quoq; ipſi rebellionẽ ſeſe excitarunt, & quem anteà emendatũ, nõ extinctũ volebant, deſperata cõcordia, omnia conſilia in eius exitiũ contulerũt. Illa difficùltas eos habebat ſollicitos, quem ſibi ducẽ





nominarent, qui Rege in Ordinem coacto Vicarius regni eſſet, populo non ingratus, & obtenti nominis illuſtris, factionem minimè grauaret inuidia: ac multa circumſpicientibus, in Regis filium ab omnibus conſenſum eſt. Is à cuſtodibus ſuis, & ætatis infirmioribus (XIV. annos attigerat) rectoribus corruptus, hoc maximè metu, nè, ſi ille recuſaret, ad Anglos hoſtes familiæ ſuæ perpetuos imperium deferretur, non difficile paſſus eſt, ſiue trahi, ſiue duci. Renunciarunt illi paulò poſt Regi ſibi metuenti, & de concordia Oratores mittenti; vnam ſpem concordiæ eſſe, ſi filio ſibi ſuffecto; Regno ſe abdicaret. Hoc reſpõſum Rex Legatis, quos ad Galliarum, & Angliæ Reges mittebat, oſtendit, eoſque ſummoperè rogauit, vt auctoritate ſua, aut ſi opus eſſe auxilio, paucorum rebellium furorem infringerent, eoſque ad ſanitatem reducerent, communemque eam fortunam exiſtimarent, & quæ ſuo confugio non difficilè ſerperet ad propinquas gentes. Miſit etiam ad Innocentium Pontificem Legatos, qui orarent, vt pro ſua paterna in Scoticum nomen charitate, Legatum in Scotiam mitteret, qui rebelles, pro iure ſacroſanctæ poteſtatis cogeret, vt armis poſitis, Regi ſuo obtemperarent. Pontifex cum accepiſſet inteſtinas, funeſtaſq; iſtas diſſenſiones aduersùs Regẽ excitatas, quas maximè extinctas cuperet, hominem ſingulari eruditione & prudentia, Andream Caſtellẽſem Epiſcopum (qui poſteà Cardinalis T.T. Sancti Chryſogoni, virtutis & doctrinæ à ſummo Pontifice creatus, monumenta celebria in re litteraria reliquit) nuncium Apoſtolicum in Scotiam, pacis conciliandæ gratia deſtinauit. Sed is quãquam per diſpoſitos equos, nulla interiecta mora adproperaſſet, & iam in Angliam traieciſſet, ſerò aduenit: Statim enim, atque in aulam Regis Angli (ad quem etiã à Summo Pont. mandata attulerat) conceſsit, cæſum à nobilitate Iacobum Regem Scotum intellexit. Ferunt ante pugnam initam, Iacobũ Principem edicto cauiſſe, ne quis violentas manus patri ſuo inferret: eundemque, cum iam occiſum intellexiſſet, in lacrymas ſtatim, ac ploratus grauiſsimos prorupiſſe. Sed quid ille faceret, qui à ſuis cuſtodibus in hoſtium poteſtatem traditus, permulta non tantum diſsimulare, ſed etiam tolerari neceſſe habuit, vel ſimul de vita cum patre periclitari. Fuit Iacobus à principio, humanitate in ſuos eximia. His potiſsimùm, qui litterarum cognitione pollebant, aut artem aliquam reipublicæ vtilem inſigniter callebant, familiariſsimè vtebatur, vt frequentius, quibuſdam nimium, & præter dignitatem ſuam Regiam, in pleriſque rebus non ferendis, indulgere videretur. Ab humani autem ſanguinis effuſione vſq; adeò abhorruerat, vt rariùs, quàm fortè in regno ſuo expediret, de ſontibus pænas ſumeret, & pleraque hoc ſeculo perperam multis in locis per Scotiam deſignabantur mala grauiſsima, quæ ſi Rex ipſe compeſcere maximè voluiſſet, ob enatas ſibi cum proceribus ſuis varias ſeditiones, nonniſi cum ſummo Reipublicæ diſpendio, & vitæ ſuæ magno diſcrimine potuiſſet. Hoc ipſo nomine Scoti permulti, qui in Regni finibus proximè ad Angliam degunt, quique fere latrocinijs ſemper viuunt, magna prædandi licentia, quaſi Rege conniuente hoc tempore paſsim vtebantur. Sed quos Iacobus tertius caſtigare tempore ſuo fortè neglexit, aut potius nimijs ſeditionum viris diſtrictus commodè non potuit; duo ſequentes Reges, Iacobus quartus eius filius, & Iacobus quintus, ex filio nepos, ſapientiſsimè, & fortiſsimè nefarios vbique prædones repreſſerunt. Cæterum, in Iacobo III. multa erant veræ pietatis ſigna, tanto Principi conuenientia. In ſacris enim ædibus erat frequenter, diuinis officijs valdè attentus. Concionibus Apoſtolicis lubẽtiſſimè aderat, atque ſtans capite etiam nudo, Dei verbum vnà cum filio ſuo primogenito adhuc impubere, religioſiſſimè excipiebat. qui mores cum ſinceriſſima pietate coniuncti, poſteà in Iacobo IIII. eius filio permanſerunt. Sane ad pietatis regulam ſuas omnes actiones ita exquiſite reuocauit, vt quarum virtutum motus illi fuerint à natura congeniti, earum poſtea indicia clariſſima omnibus eluxerint. Paternæ cædis (cuius non erat ſibi omnino conſcius) memoria illi pectus ita perfoderat, vt ad labem inde conceptam eluendam, ferrea catena ſe ſemper cinxerit. Dei ſanè, ac Diuinorum cura ita illius animum tangebat, vt quod erat illi à Reipub. curis neceſſarijs vacuum tempus, id Deo, ac diuinis impertinerit. Viſere crebro Monaſteria, illa donis ornare, aliaque quotidie ſuæ virtutis ſigna orbi ſuſtolere. *Appendix hiſt. Scotorum ad Hectorem Boeth. Leſleus de rebus geſtis Scotorum lib. 8. B. rerum Scoticarum lib. 12.*

IX. *Reges Angliæ, & Galliæ cõciliare nititur Innocentius PP.*

Inter Anglum quoque, & Gallum Regem, hoc anno aliquid turbarum; ad quas ſubmouendas Innocentius Pontifex, manum ſtrenuam admouit. Carolus Rex nullam belli cauſam habens, niſi imperij fines propagandi, Franciſco Britanniæ Duci illud intulit: prætextu, quaſi is aliquot Francos Principes rebelles hoſpitio accepiſſet, ac præcipuè eorum caput, Ludouicum Aurelianenſium Ducem: re vera autem, quòd in ſpem occupandæ Britanniæ facilè veniret: quandoquidem Fanciſcus ſenex, ac lethargicus ſine maribus eſſet. Iſtud Henricus Rex Angliæ cernens, quamquam ope Caroli regnum Angliæ obtinuiſſet, nequaquam ex re ſua fore indicauit, vt Britannia amica populi Anglici, & quæ ſæpè ei vſui fuerat, à Gallo occuparetur, ſtatuit ſibi ſuccurrendum Duci, vbi videret res eius in periculo verſari: quod etiam vt faceret, accendebatur charitate paterna, qua eum Dux iam inde ab initio, cum in Britanniam fugiſſet, complexus ſemper fuerat. Hæc vbi accepit Pontifex Innocentius, bello premi Franciſcum à Carolo ac Henricum non difficilem futurum, ad ferenda ſubſidia Britanno, ſtatim commiſit Ioanni Lilio, apud Anglos ſuo, & Apoſtolicæ Sedis nuncio, qui omnes inter Carolum, & Franciſcum controuerſias dirimeret, atque pacem tandem inter Reges ſtabiliret. *Polydorus hiſt. Anglic. libro vigeſimoſexto*

X. *Poloniæ Regis filius victoriam de Tartaris reportat*

Hoc anno, Cazimirus Rex Poloniæ, Fridericum filium natu minimum ſtudio, & opera ſua, ad Epiſcopatum Cracouienſem, ſecundum Ioannem Reſſouium tunc mortuum, euexit; cumque annis ferè puerilibus ſacri Canones impedimento forent, ad eam dignitatem capeſſendam: Innocentius Pontifex auditis poſtulationibus Collegij Cracouienſis, facilè indulſit, vt tantæ molis titulos, ac munia ſuſciperet. Merebatur Cazimirus, contra hoſtes Chriſtiani nominis Tartaros, indefeſſus. Per id temporis, cum celeri nuncio, eoſdem, tranſmiſſo apud Tauane, Boriſtine, Poloniæ, & Ruſſiæ imminere accepiſſet, Ioannem Albertum filium cum expeditis copijs aulici comitatus ſui contra eos miſit; ac Ruſſicæ, & Podolicæ nobilitati, vt cum eo ſeſe coniungeret, imperauit. Et fuit ea dicto audiens. Cum autem cognouiſſet Ioannes Albertus, Tartaros ſolita celeritate vſos, rapta præda raptim recedere, curriculo ſecutus eorum veſtigia, per nota viarum ac tramitum compendia ducentibus Podolijs, ad Copeſtrinum vicum peruenit. Ibi certior factus ab exploratoribus, & captiuis, Tartaros bipartito agmine cum duobus Ducibus, quos Cæſares ſiue Zaros illi vocant, reuertentes, partim ante ſe haud longe abeſſe, partim aliquanto interuallo ſubſequi; relictis cum exiguo præſidio ſarcinis, & ijs equitibus, quæ debilitatis curſu, equis ſequi

non poterant, in id agmen hoſtium, quod anteceſſerat, maiori animo quàm conſilio à tergo impetum fecit. Tartari à longè, vt in patenti planicie Chriſtianos Polonos aduentantes conſpicati, deduxere agmen conuerſis equis, vt mos eſt gentis; denſoque ſagittarum imbre, ſurſum verſus iaculati, equos pariter, & equites ſupernè conſauciabant, donec præpeti curſu inuectis Polonis res cominus gladijs agi cæpit. Ibi vero impares Polonis armatioribus, in fugam conuerſi ſunt: quam tamen obiecta cænoſa palus impediebat. Itaque multi in prælio, longè plures in fuga cecidere: capti multi, pauci ex eo agmine, quod quindecim millibus equitum conſtitiſſe memoriæ proditum eſt, cum Duce, abiectis equis in palude hæſitantibus, pedeſtres euaſere. Præda omnis à Polonis recuperata, & captiuis, hoſtiumque exuuijs cumulata. Nec mora ad cæteros, qui ſequebantur retro, Poloni contendere, Fortè fortunarij improuisò aduenientes, impedimentis Polonorum apud Capeſtrinum relictis, potiti erant: & cum ibi aquæ mulſæ, qua ferè in potu vtuntur Ruſſi, & Podolij, aliquantum reperiſſent, ex itinere ſitientes, largius ſeſe ingurgitabant, diffugiſſe rati Polonos. Id cum Poloni cognouiſſent, in commeſſabundos, & ebrios facto de repente impetu, quaſi in pecudum cæde ad laſſitudinem vſque verſati ſunt. Dux quoque hoſtium alter correptis armis, tentatoque necquicquam cum paucis inordinatis Marte cecidit. Decem millia equitum in hoc agmine fuiſſe memorant, & ex eo numero paucos euaſiſſe. Tantus numerus barbarorum, tunc deſideratus; beneficio ſanè maximo Chriſtianitati; quam Baiaſites Imperator Turcarum Scythicis ferè copijs potentior quam alijs, delere alicubi, vt narrauimus, properabat. Ergo re benè geſta Cazimirus, & Ioannes Albertus, ex hac inſigni victoria apud omnes Chriſtianos Principes clariſſimi, Innocentium Pontificem facilè permouerunt, vt Friderico penè puero, tam inſignem Eccleſiam concederet. *Cromerus lib. 29. Miechouius lib. 4. c. 73.*

XI. *B. Iacobi Philippi Seruitæ plura miracula recenſentur.*

Hoc anno Nicolaus Burgheſius Eques auratus, Magni Pauli V. Burgheſij Pont. Romani atauus, pernicioſo morbo Senis laborans, Fauentiam, ad ſepulchrum B. Iacobi Philippi Seruitæ gratia ſanitatis recuperandæ conceſſit, votiuamque ſui ex argento imaginem appendit, cui etiam hoc carmen eucharisticum pro rei confeſſione ſubſcripſit.

*Corde laborabam genio ſtimulatus iniquo*
*Quòd vitio ſtomachi creſceret atra bilis.*
*Huc mox confugi ſupplex, numenque precatus*
*Diue tuum; vacuæ non rediere preces.*

Rogatus inter hæc à Patribus Seruitis, vt B. Iacobi Philippi eorum Sodalis, ante quinque annos vita functi, vitam, & miracula toto hoc quinquennio, quod à morte elapſum patrata, ſcripto conciperet; ſtylum accommodauit, & quæ partim ex tabellis appenſis, partim ex recenti hominum memoria, partim ex publicis documentis accepit, complexus eſt. Vitam Beati inſeruimus anno 1483. quo is deceſſit. Iſtic placuit, ad conſolationem piorum miracula recenſere, eius ſtylo.

1. Gineuera Zucharini Gaſparis vxor ciuis Fauentini, pæna inenarrabili pedis dextri per tres annos aggrauata, ad corpus glorioſum ſe conferens, confeſſim omnem dolorem ſemotum ſenſit.
2. Paulus Fauentinus de nobili gente Cauina, eodem die cruribus contractus, ægrotoque corpore nixus ligneis ſuſtentaculis, ad Beati cineres ſeſe recepit, & miſericordiam clamans, ſuffragiumque implorans, reliquias tangit, & continuo liber ſurgit.
3. His miraculis diuulgatis vndique confluebant populi, ſuos infirmos deferentes, inter quos allatus Franciſcus Aluptarius ex Granarolo oppido, qui ità diu tumidis curribus, turgidoque corpore fuerat, vt vix loco ſe mouere poſſet; voto tamen ſuſcepto, ſacriſque cineribus tactis, illicò ſanitati reſtituitur, ligneoſque ſcipiones, ad perpetuam memoriam in æde ſeruorum ſuſpendendos curauit.
4. A Philippo de Spaltis Valle Amonis, filius (Iulianus nuncupatus) oculo ſiniſtro obcæcatus ad venerabile defertur corpus; cuius dextra illicò, quod oculo fuit adiuncta, ſubita cuncta labes ab oculo cecidit.
5. Menghinus Rauallienſis ex apoplexiæ morbo ſiniſtri lateris robur amiſerat, pariterque inciderat in morbum hernicum, quo non ſolum inteſtino dolore, ſed vitæ quoque tædio afficiebatur, ſed ad glorioſum accedens corpus conualuit.
6. Domina Lena, vidua ſexagenaria de Raſulinis, tumidis cruribus, turgidoque corpore cum vehementer afficeretur, & ipſa voto ſuſcepto, læta diſceſſit.
7. Melchior puer tredecim annos agens, pedem ſiniſtrum cum peruolutum, retortumque, plures geſſiſſet annos, tanti viri meritis liber euaſit.
8. Antonia ſeptennis Vgolini filia de Marchettis, ex caſtello Granarolo, & ipſa eodem morbo laborabat; ſed eodem modo voto ſuſcepto, eodem etiam modo ſanitate priſtina donatur.
9. Vrſula Antoniæ mater, ab aſpero fiſtulæ morbo, quem per octo iam annos paſſa fuerat in brachio ſiniſtro, huiuſmodi infirmitatem amplius non patitur.
10. Puella quædam, cui nomen Gentilis erat, tredecim annos ſurda, ac muta vixerat. at parentes, Luchinus ſcilicet, & Gineura Vexanenſes de Forliuio, eam ad beatum corpus perducunt, quo facto, illicò, Deo laudes dare cæpit; qui meritis B. Patris à tali, ac tanta infirmitate ipſam curauerat.
11. Giſola Lugenſis fæmina, annorum ſex, & quadraginta, morbo Hernico cum diu languiſſet, ad ſacrum accedit corpus, & fuſis precibus ſanitati donatur per merita, & interceſſionem B. Iacobi Philippi; cuius corpus honorificè reconditum in Eccleſia ſeruorum Ciuitatis Fauentinæ adhuc miraculis claret, & vndique non tantum ex vlla ciuitate, ſed etiam ex circumuicinis locis accurrunt infirmi, & à varijs languoribus curantur.
12. Puer Hieronymus Rauennas, annos natus tredecim claudus erat, in partē dexteram curtiori cruce deflectens; quapropter greſſus eius maiorem in modum deformis eſſe videbatur. Habuit acceſſum non ſine magna deuotione ad B. Iacobi Philippi ſepulchrum, vtq; liberaretur, ſuppliciter obſecrauit: nec primo, nec altero die gratiam conſecutus eſt, ipſe propterea nihilo ſegniùs tertio orauit die, quinimo multo clamore, ac plurimis lacrymis inſtabat magis, vt quod petierat, impetraret. Victus B. Iacobus Philippus pueri miſeratione, poſtulata tandem conceſsit. Saluum enim puerum fecit, rectumque paribus fecit cruribus. Data eſt ab omnibus Deo gloria, non ſine lacrymarum copia, puerque lætus, in patriam ſuam, reditum habuit.
13. Rengarda ex Maſſa, Ferrarienſi Angelo Ghermalio nupta, morbo eiuſmodi generis ægrotauit, vt loquendi facultatem penitus amitteret. Itaque nouem perpetuos menſes, verbum vllum facere non potuit. Fulgente magis indies B. Iacobi Philippi miraculorum ſplendore, mulier in ſpem adducta eſt, ſi ad ſacrum corpus deferretur, ſalua vt fieret, & loquendi compos. Perducta igitur ad Beati ſepulchrum, adhibita





ingenti reuerētia, ſupplicauit ex intimis animi cordisq; medullis, vt loquendi facultatem recuperaret. Tunc B. Iacobus Philippus deuotiſſimæ faminæ priſtinam facultatem loquendi reſtituit, quæ ſtatim expeditam in conſpectu omnium orationem habuit; poſtea ſummas agens Deo, Sanctoque gratias, ſuam domum lætabunda pedem retulit.

14. Sancta Nicolai Romandioli Foroliuienſis filia, perplexis totius corporis neruis præpedita languebat, & à genitrice ad Beati corpus delata ſalua, liberaque facta eſt. Poſt preces adhibitas, laudans Dei Maieſtatem, mox in patriam redijt.
15. Magdalena de patre Benedicto Foroliuienſi genita, vbi primum nata eſt, vtroque latere debilis atque manca eſſe perſpicitur; veniente iam ætate gradiendi quoque penè impos, quæ ægritudo perdurauit, ad tertium vſque decimum ſuæ ætatis annum. Mater eius Dominica oſtentis, Beati Iacobi Philippi diuinitus micantibus compulſa, decreuit tali calamitate languentem filiam, ad Beati monumentum perferre, quæ poſtquam perducta eſt ante Sacras reliquias, aliquantiſper ibi commorata gratiæ non erat particeps. Iteratis deinde precibus, nec votum aſſequebatur. Quapropter cum abire decreuiſſet, & domum reuerti cæpiſſet, inter vias deuotiſſimo corde cereum ſimulachrum B. viro deuouit, ſi ad ſuos rediens ſana fieret. Poſt hoc animi propoſitum meliuſcula ſtatim facta eſt, & antequam ad proprios lares perueniſſet, liberata penitus fuit. Voti deinde ſuſcepti memor ad ſacrum corpus ſe retulit, votumque magno cum gaudio perſoluit, glorificans Deum, & Beato meritas agens grates.
16. Iacoba de Rambellis ex Caſtello Garnazolo, ſpiritu occupata maligno, non parum vexabatur. Trahitur ad Beatum corpus, quæ poſt frequentatas orationes munda facta eſt pulſo malo dæmone, qui antea cæteris adiurationibus eijci non poterat. Sed B. Iacobi Philippi meritis diſcedere illum ab ea oportuit, quæ magna cum fide Diui opem implorauerat. Laudata infinita Dei bonitas ab ingenti turba fuit, fæminaque excuſſo dæmone mentis compos magno animi gaudio domum redijt.
17. Matthias Ioannis filius ex pago Fauentini agri Turbata, comitiali morbo, quem caducum dicunt, diu laborauerat. Hic magna cum reuerentia & ſpe, ad venerabile corpus acceſſit, deuotam ſupplicationem adhibuit, illico ſanatus eſt, vt qui numquam poſtea eiuſmodi morbo ſopiretur. Data Deo gloria, lætus reuerſus eſt in patriam.
18. Sanus Sabbatinus ex Sancto Georgio Vallis Amonis, quinque annorum puer infirmus morbo hernico, commendatur Sancto, ſtatimque ſanus factus eſt. Propinqui ſummopere Deum collaudantes, & agentes B. Iacobo Philippo gratias, puerum bene valentem, domum reduxerunt.
19. Ioannina vidua, quæ Stephano de Marradio ditionis Florentinæ nupſerat, apoplexiæ morbo vires dextri lateris omnes perdiderat, Domi manens, dum tanta Diui Iacobi Philippi miracula ſplendeſcere indies magis pleno omnium ore cognouit, deuotiſſimè Beato ſeſe commendat, votique ſe ream facit, ſi gratia ſua reſaneſcat. Hoc ſtatim facto, tali morbo ſoluta eſt. Accepti tanti beneficij memor ſubito ingreſſa eſt iter, & ad venerabile corpus profecta, debitas egit gratias, ſuſceptoque voto cumulatè ſatisfecit.
20. Mulier annorum circiter quadraginta quinque, cui Pax nomen erat, ex Ruſtio Fauentini agri caſtello de gente Bellonā, hernico morbo per quatuordecim annos ægrotauerat, ita vt eſſet inutilis, nec domi quicquam agere poſſet, quod ad muliebre officium pertineret. Hæc venit cupide, ad venerabile Beati corpus, & gratiam poſtulauit ſuppliciter, quam pro ſuo deſiderio conſecuta, B. Mariæ Virgini, & Viro Beato ſimul iuſtas gratias egit, ad ſuoſque contenta redijt.
21. Eodem modo grauatus Stephani filius ex Foro Cornelij, quam Immolam dicunt, territorio, ſūma voluntate, ac ſpe ad Beati monumentum ſeſe contulit, obſecrauit deuotiſſime, vt integra illi valetudo reſtitueretur; quam ſtatim conſecutus eſt, ante oculos omnium, qui aderant. Collaudata æterni Dei largitate Dominicus incolumis inde digreſſus eſt.
22. Iacobus Bartholomæi filius in pago territorij Immolenſis Mazolano, captus mente per multos annos fuit, qui furore frequēter exagitatus, multa dicebat abſurda, de ſe, deque alijs malè cogitans. Quapropter aſtringi vinculis, & compedibus ſæpe illum oportebat. Hic non ſine magno ſuorum labore, ad ſacrum corpus conductus eſt, qui poſtquam ingreſſus eſt Eccleſiam, magna voce clamās, varijs modis inſaniebat, & ligari eum neceſſe fuit, ne ſibi, aut cæteris perniciem inferret. Qui primùm ante Mariæ Virginis altare oblatus, poſt frequentatas deinde ſupplicationes redijt tandem ad ſeſe, prorſuſque reſipuit. Bonæ igitur mentis compos ante ora adſtantium omnium his verbis vſus eſt. Me inſanientem vidiſtis, vidiſtis furibundum; modò per ſummam B. M. Virginis clementiam, per B. Iacobi Philippi merita furore depoſito, ſanus penitus factus ſum, liberoq; arbitrio fungi poſſum, quod mihi ferè perierat. Ab omnibus itaque vobis Deus magnificetur, qui ſupra merita ſemper de humano genere bene meritus eſt.
23. Iacobus Petri filius Rauennatis, obtuſa oculorum acie grauabatur. Profectus ad ſacrum corpus ſuppliciter Beato ſeſe commendauit. Meritus gratiam, liberis, nitidiſque oculis in patriam, glorificato Deo, redijt.
24. Baptiſta, Ioannis Tonij ex valle Lamonis oculum alterum macula ſex annos obductum geſſerat, quo nihil ferè videbat. Venit ad B. Iacobi Philippi ſepulchrum, implorauit opem, oculus ſtatim labe mundatus eſt, & ſuo planè reſtitutus officio: quam quidem rem ſentiens ipſe Baptiſta, Beato, ſummas egit gratias, lætuſque diſceſſit.
25. Feneſina, quæ Miſſiroli Fauentini vxor fuerat, contracta in pugnum ſiniſtra manu præmebatur, quæ explicari niſi vi non poterat. Acceſſit ad Venerabile corpus, manus ſuæ libertatem ſuppliciter orauit; eamque ex ſua deuotione ſine mora conſecuta, Mariæ Virgini, Beatoque gratias egit, expeditaque manu domum reuerſa eſt.
26. Nicoloſſa Baptiſtæ filia ex oppido Oriolo ſicco de valle Sancterni, languido, retortoque dextro pede nata eſt, cuius vitio, & dolore præpedita ægrè viuebat. Magna cum ſpe petijt Beati ſepulchrum, humiliter ſeſe commendauit, gratiam cōparauit, ſanato pede, poſtquam Deum magnificauit, hilaris domum redijt.
27. Thomas, Petri Gratiani filius Cutignolæ ortus, Primus, Iacobi Rinaldi filius; Chriſtopherus, Ioannis Muliani filius, agri Rauennatis; hi tres morbo hernico laborantes, diuerſis quidē diebus ad ſacrū B. Iacobi Philippi corpus ſeſe receperunt, ſuppliciter quiſq; pro ſe gratiam petens, oēs voti cōpotes

facti, data Deo gloria, ad ſedes ſuas reuerterunt.

28. Galitia, Alexandri Phalyamphari Fauentini filia, inualido, contractoque corpore languens, ad venerabile corpus delata, penitus liberata eſt, ob B. Iacobi Philippi merita, cui gratias peregit.

29. Tarſia, atque Andrea ſorores, Syluestri filiæ ex caſtello Bagnerio territorij Fauentini, acceſſerunt ambæ ad lucidum corpus diuerſis quidem morbis laborantes. Tarſia, ex vi quartanæ febris duobus exinanitis in manu digitis Andrea magno dextra mammæ tormento premebatur. Supplices orauerunt Beatum pro integra valetudine, quam facile conſecutæ fuerunt. mox benè valentes actis gratijs reuerſæ ſunt in patriam.

30. Ioanna Sebaſtiani Tubicinis filia in Lugho territorij Ferrarienſis, ob variolum amiſerat lumen oculorum. Pro impetranda luce venit ad B. Iacobi Philippi corpus; accurata ſupplicatione facta obtinet gratiam. Illuminata igitur, actis Beato gratijs magno cum gaudio in patrium ſolum reuertitur.

31. Dominicus Magnani filius ex Sarnapago in agro Fauentino, oculo ſiniſtro cæcus erat. Iter, habuit ad venerabile corpus, deuotè ſupplicauit, citò poſtulata conſecutus, Beatæ M. Virgini, ſimulque B. Iacobo Philippo multas egit gratias, atque oculis ambobus æquè videntibus, magna cum lætitia redijt ad ſuos.

32. Betuccius, Ioannis Immolenſis filius incola Bagnacauali, cum languido, contractoq; crure quindecim ægrotaſſet annos, ad B. Iacobi Philippi corpus ferrato ſcipione ſuffultus ægrè ſeſe duxit; orauit ſuppliciter per deſiderata gratia, quam deinde conſecutus ſummis laudibus Dei bonitatem Beatique merita proſecutus, ſano crure redijt.

33. Santes Stephani Macharini filius, ex Felice pago agri Fauentini, pari cruris vnius imbecillitate laborauerat. Hic ad lucidum B corpus venit, & poſtquam magna cum reuerentia B. Iacobum Philippum precatus eſt, liberatus omnino fuit. Ita benedicens Deum, debitaſque Beato gratias agens ad ſuos redijt.

34. Adamantes nomine puella, Thomæ Meluxandi ex Bagnacaualo, abducto altero, cæcatoq; oculo notata, dum B. Iacobi Philippi optat opem, obuolutis genibus ante monumentum conſequitur gratiam, quam quæſierat, & glorificans Deum, oculum vitio liberatum domum retulit.

35. Ioanna Ludouici Gharagnini filia ex Lugho, cum vno brachio ita infirmo, ac debili ægrotaret, vt leuare illud non poſſet, venit magna ſpe freta ad nitidum B. Iacobi Philippi corpus, brachijque liberationem petens voti compos facta eſt ac iuſtas Deo, Beatoque gratias agens, læta domum repetijt.

36. Altera nomine Ioanna ſimili in crure morbo infirma, refugit ad glorioſum corpus, ſupplicationibuſque diligenter adhibitis, ex voto reſaneſcit. dedit gloriam Deo, domumque ſana reuerſa eſt.

37. Thadæus Dominicai filius ex Oriolo Sicco de valle Santerni, cum ambobus brachijs, dextroq; crure contractis, & inualidis ægrotaret, ſperans auxilium à B. Iacobo Philippo ſupplex acceſſit ad monumentum, atque ante diſceſſum voto potitus eſt.

38. Benedictus penè infans, à matre Gentile perlatus ad glorioſum corpus; Octauianus Manfredi filius ex Caſtro nouo profectus ad ſacras reliquias, ambo à morbo hernico curati ſunt.

39. Antonius Paſquini filius, ex plebe Apri vallis Hamonis, cum ſex annos oculis captus fuiſſet, confugiens ad B. curpus illuminatus eſt.

40. Catharina Andrioli Sytonij Foroliuienſis filia tertium agens annum clauſis oculis, cæſiſque palpebris, delata à matre ad glorioſum corpus B. Iacobi Philippi, in conſpectu circiter duûm Millium hominum poſtulata accepit.

41. Antonia Philippi Ruſtici filia ex Bagnacauallo, manu dextra tres iam annos manca, atq; impedita, perducta ad B. Iacobi Philippi corpus, gratiam exoptatam obtinuit.

42. Petrus Antonius Marchionis Marzoti filius ex Lugho, quartum iam, & decimum annum pedem alterum recuruum, languidumque gerebat, qui nulla ex parte præter pollicem digitum mouebat. Acceſſit ad B. corpus, & ſanitatem pedis recuperauit.

43. Dina puella, Chori Barbiani Rauennatis filia morbo cardiaco grauiter laborabat Ducta ad venerabile corpus, cor eius à premente dolore liberatum eſt.

44. Gregorius Matthei Lionelli filius de Varnello, cum dextro pede plano terram calcare non poſſet, anterioris partis vitio, refugiens ad B. corpus, liberè inceſſit ſanato iam pede.

45. Gutia puella Georgij arcis Ferraſianæ Præfecti filia, cum ſiniſtrum crus tribus, vel eò amplius digitis dextro crure curtius haberet, poſtquam acceſſit ad B. corpus, & orauit, extenſum eſt ſiniſtrum crus, alterique cruri æquale factum, admiratione omnium, qui aſtabant, æternam Dei poteſtatem ſimul laudantium.

46. Forliueſa Blaſij filia, ex agro Foroliuienſis villa Grappâ, morbo paralitico affligata, obtinuit, quod ad B. Sepulchrum expetijt, vt potè cuius membra contremiſcere deſijſſent.

47. Iacobus Nigrini filius ex Solero caſtello, cum in vno crure pænam ſex menſes habuiſſet non mediocrem, quam nullo modo poterat leuare, ductus ad ſacras reliquias ſanatus eſt.

48. Franciſcus Dominici Tonſoris filius ex Terdotio Florentinorum caſtello, pedibus obliquis impeditus, vt potè quorum digiti in partem poſteriorem reflexi fuiſſent, ad ſepulchrum B. viri curatus eſt, facta oratione.

49. Magdalena puella, Xanctis Paſſantei nepris, ex Garnarolo, pede altero recuruo nata, cùm non poſſet eo incedere, ad glorioſum corpus perlata, ſtatim liberata fuit; atque gradiendi officio perfuncta.

50. Baptiſta Marci Bucchini Fauentini filia, contracta, implicatâq; manu languens, cum ad B. reliquias ſupplex oraſſet, poſtulatam gratiam nacta eſt.

51. Nicolaus Theutonicus Ordinis Fratrum Minorum, morbo hernico viginti annos languerat. Cognitis tot B. Iacobi Philippi miraculis, deuotiſſimo animo monumentum eius petijt, ſuppliciter orauit, atque conualeſcens morbi ſubligacula ante idem monumentum reliquit.

52. Ioannes Andreas Nicolai Fauentini Caſalenſis filius, XIV. annos natus in via ab onerato, plauſtro oppreſſus, inque diſcrimine poſitus, ſeſe B. viro commendans, euaſit illicò, & quidem diuinitùs; quippe qui tanta mole conteri, extinguique debuerit. Viuus tamen, ac penè intactus, & à manifeſta morte liberatus, diſcedens de ſub curru, liberatori ſuo ceram obtulit imaginem.

53. Dominicus Antonij Mulionis Fauentini filius, quartum, & decimum annum agens fortè in puteum profudum concidit, imaque, perijt alta obrutus aqua. dum rueret, venit ei in mentem B. Iacobus Philippus cui ſe ex animo commendauit, & ex fundo ad ſummam putei aquam emerſit, vnde porrecto fune, liber extractus eſt. Qui rem hanc viderant, omnes maiorem in modum





Dei miſericordiam collaudauerunt, & iuſtas Beato gratias egerunt.

54. Blaſius Tabellio ex ciuitate Caſtelli oriundus in arce Cæſenæ aſſeruabatur. Cùm ei omnis ſpes exeundi ſublata foret, ob multas, in ſeſe paratas inſidias, B. Iacobo Philippo ſe commendauit, votumque ſuſcepit, quod nequaquam fruſtrà factum eſt. Siquidem ſuæ liberationis mira occaſio ſubſecuta fuit. Cum enim compede ſolutum per ſe alterum pedem arcis Præfecto oſtendiſſet, & rem, cauſamq; narraſſet, cuſtos carceris diuinitùs quidem (velut credibile eſt) Blaſium protinus eduxit ex eodem loco. qui Fauentiam profectus votiuam tabulam Beato obtulit, & ſimul gratias peregit.

55. Honufria Ioannis filia ex territorio Fauentino ſextum decimum agens annum, nondum locata viro, longo tempore decubuerat: nec morbi ratio, quo erat implicata, ſatis vmquam dignoſci potuit. ex communi tamen multorum opinione faſcinata putabatur. Hæc B. Iacobo Philippo tot miraculis iam fulgenti ſe maiorem in modum commendauit, votoq; potita immunis euaſit.

56. Guido Guidoctus ex Butrio Bononienſis agri, dextro crure contracto atque recuruo, decem iam annos vixerat. Ad ſacras reliquias deuotus confugit, & crure rectificato, ſine ſcipione (cum priùs non poſſet) incedens domum redijt.

57. Auguſtinus faber ferrarius ex Montechio ditionis Ferrarienſis, manus ambas reflexis, perplexiſque. digitis diu geſſerat. Supplex ad B. Iacobi Philippi ſepulchrum venit, aliquot dies in oratione tranſegit, demum expeditis manibus diſceſſit.

58. Occupatos ab immundis Spiritibus Iacobus Philippus cæleſti petitus patria, præcipuè liberauit, liberatque quotidiè, vt qui patientia, atque virtute ſua, diaboli inſidias dicitur ſuperaſſe, & virginitatem perpetuò ſeruaſſe.

59 Laurentio Lucenſi telæ ſericæ textori filius erat Michaël decimum & ſeptimum agens menſem qui cum pro paruulorum more gradum tentaret, in terram ſæpius prolapſus, tenellum caput grauiter infregit: cuius vulnus ita magnum erat, vt omnes medici eius ſalutem penitùs deſperauerint. Deploratum iam puerulum B. Iacobo Philippo pater commendauit: & facto voto, illum omnino à febri, & reliqua infirmitate ſanum accepit, votiuamque eius imaginem Sancto appendit.

60. Ioannes Georgij ex valle Hamonis, graui, acutoque morbo laborabat, qui à medicis, nec ſatis cognoſci, neque curari vmquam potuit. Voto ad Beatum virum concepto, inexplicabili morbo ſuperato, ſanus remanſit.

61. Comes Palatinus Ioannes alterum humerum fractum diu geſſerat: cui cùm nulla ars medica ſubuenire potuiſſet, B. Iacobi Philippi ſupplex opem implorauit: votumque deuouit, ſi liberaretur, ſe cum duodecim librarum cereo, nudum ad eius vſque monumentum ex proprijs laribus perrecturum. Sanus factus, aliquot dies in voto perſoluendo negligens fuit. Pæna negligentiæ ſubſequente, ab equo proſtrato in terram decuſſus, humeri coſtas luxatas accepit; inq; grauiorem morbum recidit. Ergo negligentiæ, & ingratitudinis pænitentia ſubeunte, iterum ad Beati patrocinia recurrit, beneficium accepit, atq; vota perſoluit.

62. Nicolaus Burgheſius eques, is qui B. Iacobi Philippi vitam ſimul, atque miracula memoriæ prodidit, atra bili, maloque genio vexabatur. Adductus in ſpem ſalutis futuræ, pro ſuſcepto voto Fauentiam petijt, ſeque Beato ſuppliciter commendauit. Vacuus gratia aliquot ibi dies moratus, poſtquam ab hoſpite, Seruorum Cænobij Præfecto (nam apud eum Nicolaus diuerterat) interpellatus, vitam, & ſuperiora miracula ſtylo concepiſſet, Senas commodiùs reuertens, perfectam ſanitatem adeptus: inde ad agendas liberatori ſuo gratias, Fauentiam, pedes reuerſus eſt.

Iſta ſuperiora miracula, intra quinque annos à morte B. Iacobi Philippi Fauentiæ patrata, *Nicolaus Burgheſius, Eques* edidit: quæ extant apud *Archangelum Gianium lib. 3. c. 9. 10. & 11. Annalium Ord. Seruorũ B. M. V.* Addit idem Gianius iſtud inſigne, quod in tranſlatione reliquiarum Beati Iacobi Philippi ad alium magis ſpectabilem locum, poſt centum annos facta, flores iamdiu ante centum annos ſuper corpus Beati ſparſi, atque ſimul cum eo tunc clauſi, pòſt recluſi, perindè recentes inuenti ſunt, ac ſi eadem ipſa cum proprio colore, & odore collecti fuiſſent. Colunt eius memoriam Fauentini die 25 Maij: ad cuius honorem panis benedictus diſpenſatur. *Gianius ſupra.*

XII. *BB. Franciſci Galli, & Iacobi Papienſis Ord. Minorũ felices exitus.*

Eodem anno duo Minoritani cælitibus ſeſe adiunxerunt. Vnus Franciſcus Gallus in Prouincia Neapolitana, tanta ſollicitudine in ſeruitute ad ſacrum Miſſæ ſacrificium, vt dæmones in inuidiam adduxerit. Aliquando vnum ex eis aſpexit, palam contra Sacerdotem ſtringentem: qui tamen ad eleuationem ſacræ hoſtiæ diſparuit. Triduò antequam moreretur, ſcalam ad cælos, qua aſcenderet porrectam, vidit: cumque iam exiſtimaret, ſe pedem illaturum ad ſuperna, tres gradus imminutos intuitus, tertio pòſt die ſe moriturum prædixit. Alter fuit Iacobus Papienſis, litterarum à doctrina quidem humana rudis: cæterum diuina illuminatione ita in myſterijs abditis inſtructus, vt etiam Piſani Theologi habuerint illum conſulere. Franciſco Bargæ ſodali animum agenti, facto ſuper os moribundi ſigno Crucis, dictoq;, Domine, ſi frater iſte non indignus tua ſeruitute, nè tam citò illum rapueris: ſanitati reſtituit. *Vliſſiponen. lib. 7. hiſt. Seraphicæ cap. 10. parte 5.*

XIII. *Item Paulæ, & Iacobæ eiuſdẽ Ordinis ſanctimonialium.*

Hoc eodem anno Paula, & Iacoba, apud Aquilanos in Veſtinis Clariſſæ, ad cæleſtem patriam emigrarunt. Par vtriq; cordis, & corporis puritas, deuotio, auſteritas vitæ: niſi quòd Paula grauioribus à dæmone tentationibus erudita. Poſt annum quintum, & decimum, in religioſa perfectione exactum, repræſentauit menti illius duos Aquilanos Ciues, nihil non agens, vt virginem impuro amore inficeret. Cùm orationibus, ieiunijs, & alijs ſpiritualibus armis ſe hoſtem ſuperaſſe crederet, tertius adfuit tentator multitudine ſodalium dæmonum ſtipatus, maiora inſtrumenta expugnandæ illi adhibens. Vicit tandem illa, oratione, & ſacra confeſſione. qua peracta, vidit è tabernaculo, in quo Sacroſancta Euchariſtia reconditur, IESVM ſponſum ſibi apparentem, ac omnem tentationum procellam depellentem Iacoba, vt ſecretiùs ſibi, ac Deo viueret, nèue multiloquio Deum, aut proximum offenderet, in nouem annos, ſilentium perpetuum ſibi indixit, ità, vt extra orationem, nemini prorſus loqueretur. Mutam, omnes exiſtimabant fuiſſe: donec nouem annis actis cubiculum illa ingreſſa, ſanctiſſimam Deiparentem, filiolo onuſtam, Angelorum choris comitatam, non ſolùm aſpexit, ſed etiam inuitantem, vt Ieſu paruulo ſitienti potum daret, audiuit: & id temporis ipſa vitrum aqua plenum illi porrigens, nonnulla apparenti Matri, & Filio prolocuta, contiguas cellas inhabitantibus Sanctimonialibus, indicium dedit: non mutam, ſed loquacem eſſe. Accita ad Præfectam Cænobio, rem, vt erat, confeſſa eſt: tantaq; perfectione virtutum effloruit, vt etiam à morte ipſius, panni, vel linteamina, quæ vſui habebat, ſolo iniectu, multis ſanitatem contulerint. *hiſt. Seraph. lib. 7. c. 15. 16.*

# ANNO CHRISTI 1489.

## INNOCENTII PAPÆ VIII.
Anno 6.

## FRIDERICI ROMAN. IMPERAT.
Anno 50.

## MAXIMILIANI I. ROMANORVM REGIS
Anno 4.

I. *Innoc. PP. & Veneti conciliare conantur Imperat. & Regem Vngariæ.*

GLiſcente, etiam in hunc annum diſcordia, inter Fridericum Imperatorem, & Matthiam Regem Vngariæ, Fridericus, media ferè huius anni æſtate, venit in Italiam mediocri comitatu. Miſerant ei venienti obuiam Veneti, qui illi felicem acceſſum publico nomine precarentur, hoſpitaliterque, & amicè acceptum, per Venetæ ditionis loca comiter, & benignè traducerent. Ille per Tridentinos Italiam ingreſſus, nonnihil circa Benacum verſatus eſt, lacus amænitate captus. Per Veronam inde, Vicentiam, & Tauriſium, portum Naonẽ petijt. Cauſa tàm longi itineris in homine iam nonagenario haud vna viſa eſt. Opinati ſunt aliqui geſtationis gratia, Alpes ab eo tranſcenſas. Sed quum multa alia, tum locorum aſperitas fecit, vt multi hoc non crederent. Iſtud conſilij fuit, vt intercedente Innocentij Pontificis authoritate, de pace cum Matthia Rege cominùs ageret, de qua per legatos citrò, vltroque iam anteà miſſos, fruſtrà ad id tempus fuerat inter partes agitatum. Enimuerò Matthias Rex, Auſtriam hoſtiliter adortus, magnam eius Prouinciæ partem, cum Vienna vrbe clariſsima ademerat: ad quod bellum componendum, Pontifex, & Veneti Legatos ad Fridericum, & Matthiam Regem miſerunt, qui vtrumque ad pacem hortarentur. A Pontifice, ad Imperatorem Gratianus Villanouanus, ad Matthiam Angelus Hortanus, Nuncii iuerunt. Sed primis congreſſibus nihil conficere potuerunt, Matthia victoriis partis inſoleſcente; Imperatore autem, propter Flandricos, contra Maximilianum filium recrudeſcentes motus, non tantum potente, vt oſtentatione aliqua potentiæ, Matthiam ad ſuſcipiendas pacis conditiones poſſet adducere. *Sabellicus Ennead. 10. lib. 9. Stephanus Inſixura in notis diarijs Mſ. liber expedition. Innoc. 8.*

II. *Idẽ Innoc. PP. Flandros, & Maximil. Regem componere ſatagit.*

Enimuerò Maximilianus, graui contumelia à Brugenſibus, & Flandris ſuperiore anno affectus, quamquam pacem cum illis compoſuiſſet, ignominioſam tamen, & per vim extortam ſibi cum reputaret, non eam omnino ſeruandam exiſtimauit. Flandri pariter, Rege Gallo vires faciente, & Philippo Cliuio, qui ad eos acceſſerat, ductore, tamdiu eandem ratam habere, ſanctèque cuſtodire decreuerant, quoad ſua, ſociorumque ſalus pateretur. Recruduit inde bellum ciuile, atque inteſtinum, in quo variè certatum. Nunc Galli, & Flandri ſuperiores erant; nunc Maximilianus, & Germani. Cupidus inter Reges concordiæ, Innocentius Papa, Villanouano Nuncio commiſit, qui Fridericum, & Maximilianum de ea conueniret. Carolum Galliarum Regem, miſſis ad eum Andræa Grimaldo, & F. Balthaſaro Spino ac paulo poſt------ F. Antonio Flores Epiſcopo Tragurien. Nuncijs ſollicitauit, nè ipſo incentore Belgium cum Flandria conflagraret; quin potiùs ſocero Maximiliano cederet, eaque ratione huic quidem pacatas prouincias efficeret, ſe autem ex bello importuno expediret, atque ad Neapolitanum compararet. Salutaria monentem Pontificẽ Reges audiuere. Carolus, Abbatẽ Fani D. Dionyſii Vicecomitem Roſouarti, ac Præfectũ ſupplicium libellorum Oratores in Germaniam deſtinauit. Maximilianus, miſſis ad Imperij Principes litteris, eos Francofurtum conuocauit; tractationemque de pace inter ſe, ac Philipum filium, & Carolum Galliarum Regem, rebelleſque Belgas permiſit. Eam tandem interpellantibus atque curantibus, Raymũdo Perardo, Prothonotario Apoſtolico, & Franciſco Sfortia nuncijs Pontificijs, hiſce conditionibus, menſe Auguſto concluſere.

III. *Pacis conditiones inter Maximil. Regem, & Flandros.*

Rex Romanorum, ac Francorum certo mox loco conueniunto, ſeque inuiſunto, acamplexantor; quæſtionemque de Ducatu Burgũdiæ, ac Comitatu Charoloij deciduntо, quemadmodum & de Fano D. Audomari. Quod attinet ad controuerſiam rebellium Belgarum contra Rom. Regem, promittit Francorum Rex ea in re, ſe rationem honoris ac exiſtimationis Rom. Regis habiturum, quemadmodum proprij patris, cuius filiam matrimonio teneat; mittetque ad Belgas Legatos cum ampliſſima poteſtate, qui omnes controuerſias componant, arma poni curent, pacemque ſtabiliant. Nobiles cum Rom. Rege Brugis capti, & adhuc Gandaui, & in Francia detenti, liberi ſine pretio dimittuntor. Gandenſes, conditiones pacis Gaueranæ cũ Philippo Bono olim initas, quod attinet ad annuam Magiſtratuum electionem, ac ius, quod extra, intraq; vrbem, tum Ciuibus, tum Comitis miniſtris dicent, obſeruanto. Rom. Regi pro factis belli impenſis, conſtitutis Flandriæ Ordines temporibus, ſemel quingenta, viginti quinque millia florenorum ſoluunto. Rom. Rex in gratiam Regis Caroli, Philippum Cliuium in gratiam recipito, eique omnia ſua, vxoriſque bona reſtituito. Hac pace confœderati vtriuſque partis, qui velint, comprehenduntor, intraque tres menſes, antequam ea ab vtraq; parte Sacramento confirmetur, mentem declarare coguntor. Vtetur etiam huius pacis commodo Margarita Eboracen. Pugnacis vidua, reſtituenturque ei omnia ſua, ea ratione, qua pace anni 1482. erat conuentum. Permittit Rom. Rex in gratiam Regis Caroli, vt Albrethus Dunoſius Creueceuris, ac Philippus Cominæus, in plenam bonorum omnium, quæ vocant immobilia, poſſeſsionem reuertãtur, quemadmodum & reliqui dictorum Regum ſubditi, quamcumque partem fuerint ſecuti. Reditus annui, tempore belli à non Dominis recepti, ab ijs repetere non licebit, nec ex agris eijcere villicos, quos non Domini ijs locauere: Bona, quæ vocant mobilia, locis veterum poſſeſſorum reperta, eorum ſunto; non reperta, non repetunto. Munera publica, profana, ac ſacra, à quocumque donata, rata manento. In gratiam Rom. Regis, Carolus Rex, Ludouicum Aurelianorum Ducem, carcere dimittunto, modo Rex Rom. ſpondere velit, eum poſthac contra Regem Carolum noui nil moliturum. Ad hæc in gratiam Rom. Regis Rex Carolus reſtituet Annæ Britonum Duci, oppida, vrbes, munitiones, & arces, quas in eius ditione occuparet, modo illa Anglos omnes ditione ſua dimiſerit. Rex Carolus in libertatem reſtituet Naſſauium, Pollainium, cæteroſque, quos Brugis cum Rom. Rege captos, Gandenſes Creueceurio in Franciam abducendos dederant. Iubebat vterque Rex ſtatim publicari ſuis in Prouinciis conditiones pacis anno 1482. initas. Dabit vterque Rex tabulas, propria manu ſignatas, ac ſigillo munitas, quibus dictas pacis leges ſe recipere, ſeruaturumque promittet, quemadmodum & Proceres Regibus ſanguine iuncti, ac præcipuè ditionum vtriuſque partis vrbes. Comprehenditur hac pace Rex Hiſpaniæ Angliæ, Anna Britonum Dux Margarita Eboracen. ac Ioannes Hornanus Antiſtes Leodienſis. Publicata eſt pax apud Francos, ac Belgas, magno omnium ho-





minum gaudio de qua cum nuncij Apoſtolici, Innocentium Pontificem certiorem feciſſent, ipſe quoque vocatis in comitium Patribus, coram Oratoribus Imperatoris, ac Regum Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Neapolis, Ducum vero Mediolani & Ferrariæ, & Reipub. Venetæ ac Florentinæ eandem renunciauit, feſtaque lætitia vrbem impleuit. Eam poſtea Oratores Maximiliani, & Carolus Rex Montij apud Turones, confirmarunt & octauo die Octobris in hanc formulam transfegerunt.

IV. *Conditionum pacis confirmatio.*

Carolus Dei gratia Francorum Rex. Conſiderans ſingularem amiciciam, quam nobis Rom. Rex pater noſter exhibet, fiduciamque, quam in nobis collocat; animaduertensque Flandros omnem iamdudum ſperatæ pacis effectum, eiuſque leges in noſtra poteſtate conſtituiſſe; ſequentibus conditionibus è conſilio. Procerum noſtri ſanguinis, ac intimorum Conſiliariorum pacem cum eis fecimus. Maximilianus Rom. Rex abſolutam filij ſui Ducis Philippi tutelam habeto, ditioneſque eius omnes ipſumque Flandriam gubernato, quemadmodum ante hos tumultus, ac bella gubernauit. Quicumque initio belli, Gandaui, Brugis, aut Iperis in Magiſtratu fuere, nigris induti veſtibus, capite, pedibuſque nudi, ac in genua pronoluti, ante ſingularum Vrbium ſuarum portas, aut vbi Rom. Rex iubebit, veniam præteritarum offenſarum ab eo, eiuſque filio Philippo petunto; fatentorque, ſi nil tale factum eſſet, ſeſe nunquam facturos. Quod ad domum attinet Craneburgicam, in qua Brugis Rom. Rex fuit detentus, quemquam hac de cauſa dirutam cupit, ac eius loco Sacellum ædificari, ea res, cum ſeſe Reges inuiſent, cum cæteris controuerſijs, quemadmodum & de eorum morte, quos iniuſte Brugenſes necarunt, definitor. Ac quoniam durante Ciuili bello, nec Rom. Rex, ac eius filius Philippus, ex annuis Principum prouentibus magno ſuo cum incommodo quicquam in Flandria, nec apud alios rebelles recepere, quemadmodum nec Dux Margarita, nec aliquot Proceres: tum etiam vt exteri milites ſolutis ſtipendijs, citius Flandria Brabantiaque deduci poſſint. Ordines Flandriæ ſpatio trium annorum trecenta millia aureorum liliorum Rom. Regi perſoluunto. Conditioni Francofurdienſi de captiuis gratis dimittendis pareto. Ad dictæ ſummæ ſolutionem, Audenarda, Aloſtum, Teneramonda, Hulſtum, Niportum, Veurna, Dixmunda, Dunkerka, Borburgum, Grauelinga, & alia eiuſmodi conditionis oppida, nil conferunto. Exules omnes reſtituunto, niſi quorum cauſa in iudicio agitatur. Omnes ac ſinguli in poſſeſſionem rerum ſuarum, ſecundum pacta pacis anni 1482. ac Francofurdienſis, redeunto. Quicquid rerum (vt vocant) mobilium, ac annuorum redditũum, acceptum impenſumque fuerit, non repetito, quemadmodum nec vſuras præteritas. Permittit Rom. Rex Gandenſibus, Brugenſibus, ac Iperanis, vt ob dictæ ſummæ ſolutionem annuis reditibus, ſe ſuoſque grauare poſſint, rataque habet onera præterito bello ditioni indicta, modo populi conſenſu ſint facta. Quod de Philippo Cliuio Francofurdienſibus conditionibus eſt ſtatutum, firmum ratumq; maneto. Quæ præterea à Rom. Rege petuntur, definitioni Regum ſeſe mutuo inuiſentium reſeruanto. Immunitates vrbium, oppidorũ, ac agrorum, ſecundum leges veteres ſarta tecta ſunto. In rebus Iuridicis conditiones pacis anni 1482. obſeruanto. His pacis conditionibus, leges Rom. Regi Brugis anno 1488. extortæ abolentor, litteræque ab eo hac de cauſa datæ, reſtituuntor, ac diſcerpuntor. Rom. Rex, eiuſque filius Philippus, has conditiones tabulis propria manu ſignatis, ac ſigillis appenſis munitis, confirmanto, ac confirmari curanto ab Alberto Saxone, Cliuiæ, ac Iuliæ Ducibus, tum per eos Belgarum vtriuſque Ordinis Proceres, quos Flandri requirent. Si alicui harum conditionum interpretatio neceſſaria fuerit eam à Rom. Rege, eiuſque filio Philippo petito. Vtraque pars literas, vt decet, conſignatas in manus noſtras cuſtodiendas mittito. Actum Montij apud Turones, ſecundo Calendas Nouembres, Regni noſtri anno ſeptimo.

Rex Carolus ad hanc pacem amplectendam, non minus, quàm Rom. Rex, animo ardebat, tum quod nuptias Britannicas, quibus poſteà, Maximiliano filia remiſſa, Britanniam Galliæ adiungeret, illumque grauius affligeret, mente voluebat, tum quod bellum Neapolitanum ad quod ab Innocentio Pontifice vocabatur, aggredi proponebat. *Beuter lib. 3. Mſ. expedition. Innoc. VIII. Vialardus in Innocentio octauo.*

V. *Ferdinandum Neapolitan. Regem anathemate ferit, regno priuat, eique bellum indicit Innoc. PP.*

Siquidem Pontifex, grauiſſimis iniurijs à Ferdinando Rege Neapolitano, eiuſque filio Alfonſo Duce Calabriæ irritatus neceſſe habuit, Ferdinandum ſacris denouere, Regno priuum decernere, & ad illud occupandum Regem Galliarum euocare. Ludebat Pontificem moribus, & ingenio facilem Ferdinandus. Vectigal annuum pro iure beneficiario Regni Neapolitani, quemadmodum in pactis ſuperioribus conuenerat, non modo pendere detrectabat, verum etiam ſumptus belli in Pontificem à ſe facti depoſcebat. Proceres Neapolitanos, ad fidem, & patrocinium Sedis Apoſtolicæ, pridem ſub Alfonſi Ducis tyrannide reſpicientes, quos contra pacta in vincula coniecerat, nedum ſoluere, ac liberrati, fortuniſque reſtituere recuſauerat; ſed inſuper quoſdam vita exuerat, alios ſolum vertere coegerat, omnes calumnijs intolerandis toto orbe onerauerat. Pontificios quoſdam miniſtros, Beneuentum, regendæ, curandæque reipublicæ ab Innocentio miſſos, eiecerat. Oppidanos Anguillariani Comitatus, nè Sedis Apoſtolicæ imperium tolerarent, pecunijs ad rebellionem excitauerat. Ferdinandi Regis Hiſpaniarum Oratores, qui eum de pacis conditionibus inter Pontificem, illumque ſacramento firmatis admonerent, ludibrio habuerat. Virginium Viſinum, Pontifici propter ſumma beneficia obnoxium illi detraxerat, belloque in Sedem Apoſtolicam, ciendo, iterum ſummo cum imperio præfecerat. Litteris ad Reges, & Principes Chriſtianos perſcriptis, multam inuidiam, Innocentio confictis falſis criminibus conciliare nitebatur. His & alijs contumelijs laceſſitus Pontifex, cùm priuatas iniurias Regi impotenter furenti ex animo condonaſſet, eaſque contempſiſſet; Sedis Apoſtolicæ maieſtatem, & principatum vindicare voluit. Itaque die feſto Principum Apoſtolorum, Sacris ritu ſolenni in Baſilica Vaticana perſolutis, præſentibus Cardinalibus, ac Regum, & Principum Oratoribus, adſpectante innumerabili populo, in Ferdinandum Neapolitanorum Regem, anathema ſtrinxit: benignitate tamen Apoſtolica in eum vſus, duos menſes, intra quos ſatis daret, & pactis ſtaret, indulſit; ne ſententiam præcipitare videretur. Cumque nihil ea indulgenti cunctatione proficeret, iterum ad XI. diem Septembris, congregatis ad Comitium Patribus, & quotquot in vrbe fuerant Regum Legatis, præſente Antonio Epiſcopo Alexandrino, Neapolitani Regis Oratore; interpellantibus, Cameræ Apoſtolicæ præcipuis adminiſtris Felino Lunadeo, Auditore Rotæ, & Nicolao Parmenſi Prothonotario; multa grauiter, de Sedis Apoſtolicæ clementia, deque Ferdinandi contumacia, diſſeruit: atque tandem anathemate contumacẽ percuſſit, Regno Neapolitano propter conditiones, violatas exuit; bellumq; ſacrum in eum indixit, ad quod gerendum, Regem

Galliarum inuitaſſet. Procancellarius Apoſtolicæ Sedis in pedes erectus. Edictum Pontificium vulgauit: Fiſci Apoſtolici præpoſitus, acta omnia in tabulas referri præcepit, execrantibus cunctis peruicaciam Alexandrini Epiſcopi, qui futili interpellatione, nomine Ferdinandi præuocationem interponere non erubuit, ab Innocentio ad futurum Concilium. Iam iſta omnia præuiderat animo Pontifex. Ergo contumaci reprimendo, Imperatorem, Reges Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæque, Venetos, ac Florentinos fœdere ſibi deuinxerat. Quoque potentior à conſilijs Laurentij Medicei, qui apud Florentinos authoritate præſtabat. Multumque apud illos Principes, & præſertim ſuper Vrſinos pollebat, euaderet, affinitate ſibi adſtringere hominem conatus, Magdalenam eius filiam, Franciſco Cybo ſuo gentili, matrimonio iunxit, ac præterea Ioannem eiuſdem filium, ex Clace Vrſina natum, inter purpuratos, pridiè Idus Martij retulit, quando etiam flagitante Rege Gallo, Ludouicum Spinayum, Lugdonenſem Archiepiſcopum, & Petrum Dabuſſonium, Rhodianorum ſupremum Magiſtrum: ac

*Nouos creat Cardinales.*

præter hos ſuo motu, Laurentium Cybo Archiepiſcopum Beneuentanum fratris ſui filium, Ardicinum Portam Nouarrienſem, & Antoniotum Pallauicinum Genuenſem, veteres ſuos familiares viros honeſtiſſimos; Franciſcum item SanSeuerinatem Roberti f. & F. Gerardum Mappheum Camaldulenſem Patriarcham Venetum, ipſis Venetis petentibus ſacro Collegio inſeruiſſet. Quo primum die, cenſuram Apoſtolicam Innocentius in Ferdinandum publicabat, Nicolaum quoque Vrſinum Pitiliani, Suanæ, & Nolæ Comitem, ſpectabili pompa in Baſilicam Vaticanam venientem excepit, & iureiurando poſt Sacram hoſtiam libatam, obſtrictum, Romanæ Eccleſiæ copijs imperatorem ſupremum, datis publicè vexillis, alijſque eius poteſtatis inſignijs, præfecit; permiſſaque eidem, & Franciſco Cybo authoritate, militem ſcribendi, & in Ferdinandum ducendi. Addiderant Innocentio animos Reges, Galliarum Carolus, & Ferdinandus Caſtellæ, ex quibus ille miſſa legatione ſplendida, cuius princeps eminebat Guillelmus Comes Sauvalerianus, XX. M. armatorum ex veteranis, in bellum promiſit; hic vero deſtinatis Neapolim quoque duobus Oratoribus Ferdinandum ad officium reuocare modis omnibus contendit; & ſi detrectaret, hoſtem quoque ſe ei futurum profeſſus eſt.

VI. *Zizimus ad Innocentij Papæ conſpectum adducitur.*

Sanè multa ſe Carolo debere Innocentius pronunciabat; quod & arma contra Maximilianum depoſuiſſet, & in Neapolitanum ſiue mittere, ſiue ducere deſignaret: maximè tamen efferebat, quod Zizimum Baiaſetis fratrem, Romam tranſmiſiſſet. Venit hic in vrbem, magno Gallorum, & Ligurum comitatu, die Martij XIII. ac ſolenni pompa acceptus eſt, tota vrbe ſpectante. Inceſſit enim à porta Appia per ſpecioſiores vias inſigni inſidens equo, medius inter Franciſcum Cybo, & magni Rhodiorum Magiſtri fratrem deinde in Sacrum Palatium inuectus, ibidem honorifice habitus eſt: Non multos poſt dies, publicum in Conſiſtorium deductus, ad Pontificis Maximi conſpectum conſpicuo in throno inter Purpuratos, & Oratores ſedentis, neque flecti ante illum, neque deoſculari ex more veſtigium, vt qui præſunt ſacris ritibus, & ceremonijs illum edocebant, vllo paſſus eſt modo: vt dolore, & indignatione permoti Chriſtiani, qui ſpectaculo intererant, rabidam omnes bilem deſpumarent, & in alterutros fremerent, quod non vi incuruaretur à ſtipatoribus armatis, aut barba raptaretur ad ſacros Pontificis pedes, nè impune Chriſtianã dignitatem, & diuinam noſtram rem contẽneret, is qui ſub patre Mahumeto tantum beati ſanguinis noſtri profuderit ſæuus, & impius. quantus quaſi lacum efficeret, aut quantum vix riuus egereret. Erat aſpectus barbari dirus, & truculentus corpus compreſſum, & validum, ceruix lata, pectus vaſtum, & prominens, ſtatura vltrà quàm mediocris, habens & oculorum alterum luſcum, actorum, naſum aquilinum, caput inquietum ſemper, omnia colluſtrans, & tamquam minax inſpectans: ætate anno quadrageſimo proxima, patrem ad vnguem (vt ex cælata imagine Mahometi viſum) referens; & vt indole, ſic & moribus peſſimis, inſigni atrocitate, & ſæuitia æquans. Pontifex accedentem propius ſolium amplexu dignatus eſt. Ille oſculum faciei exambiens, Innocentio vultum declinante, riſum omnibus mouit. Per interpretem pauca locutus, ſibi quidem gratulabatur, quòd ſummum Chriſtianorum Antiſtitem videret: pro ſe autem orabat, vt Pontifex huius diei, quo ad ſupremum imperium natum principem complectebatur, meminiſſe vellet, ſeque commendatum haberet: multo plura in tempore dicturum. Reſpondit benignè Pontifex, ſed titulos, nonniſi *Nobilis, & nobilitatis*, quos ille audire expectabat, minimè attribuit. Ille porrò, neque ſalutato, neque adorato Pontifice ex aula diſceſſit, cum etiam in acceſſu, caput volumine Turcico contectum vix inclinaſſet. Turcæ comites duodecim, pedes Innocentij oſculati ſunt Legatus Saladini Aegyptij, ad genu oſculandum ſeſe demiſit. Miſerat hunc Saladinus ad Pontificem, vt Zizimum ſibi permitteret, quem vxor cum filijs in Ægypto relicta expectabat. Magnam vim auri, pro illius redemptione, ac prætereà ſanctam Hieroſolymorum ciuitatem Pontifici pollicebatur, cum etiam Zizimus, ſi Baiaſitem fratrem viciſſet, ac imperio, regniſque illius deuicti potitus fuiſſet, ſe omnia Chriſtianis erepta priſtinis bellis reſtituturum offerret. Et quidem Pontifex Zizimum in palatio Vaticano honorificè & laute habuit: Canibeum autem Saladini legatum, magnis ſpebus oneratum, in Aegyptum remiſit, data poteſtate, X. M. equitum contra Turcas ex Chriſtianis armandi. Miſit prætereà cum eo Philippum Canouium nuncium, qui cum Saladino, & Rhodianis de bello Turcis inferendo deliberaret. Sed is impotenti arrogantia negotium aliquo modo corrupiſſe viſus eſt, quando ſibi ſoli, non etiam magno Magiſtro poteſtatem decernendi vſurpaſſet. Parum aberat, quin Zizimus iam Romæ ſecurus, veneno periret. Chriſtophorus Magrinus, Picens Caſtranus, Caſtellionem Fani Fortunæ, Sedi Apoſtolicæ ſubtraxerat. Inde ab Ioanne Baptiſta Agnello, Prothonotario Apoſtolico copijs Pontificijs eiectus, Conſtantinopolim profugus, Baiaſiti operam ſuam in Zizimo tollendo offerens, auro, gemmis, veſtibus pretioſis cumulatus, venenum, mortiferum ſecum in Italiam retulit, & Romam intrepidè venit, maximè pollicitationibus incitatus, cum ei Baiaſites Chalcydem inſulam ſpopondiſſet, parricidij mercedem ſatis luculentam. Veneno tanta vis, vt aquas, etiam fluidas inficeret: quas, ſi quis potaſſet, quintum vix diem viuebat. Obſeruauerat nebulo, fontem perennis aquæ, extra Vaticanum, ex quo lympham Zizimus bibebat. Hunc, quamquam probè ſignatum, pharmaco commixto infecit; latere tamen non potuit. Viſus ab aliquo, cognitus, comprehenſus, quæſtionibus ſubiectus, cum omnia faſſus eſſet, à Gubernatore vrbis, capite damnatus, per vrbem equis raptatus, & in quattuor partes ſectus, attentati facinoris pænas dedit. *Vialardus in Innocentio octauo, Infixura in notis. Mattheus Boſſus epiſt. 32. Boſſius lib. 14. Pannimus, & Ciaconus in Innoc. 8.*

VII. *Pax inter Imperat. & Vngariæ Regem promulgatur.*

Diximus ſuperiùs Innocentium curaſſe, vt inter Imperatorẽ, & Regem Vngariæ pax componeretur. Ea primis congreſſibus Oratorum cõfici non potuit.





Inducijs prorogatis, Matthias ſuadente Angelo Hortano Nuncio Apoſtolico, Ioannem Varadienſem Epiſcopum Oratorem, ad Fridericum, & Maximilianum ire iuſſit; vt de pace tractaret. Maximilianus inclinabat, Fridericus primum repugnabat. Otthonem deinde Bauariæ Ducem cum ſeptem collegis deſtinauit, qui diſſidentium controuerſias expenderet, atque tandem finem bello imponerent. Conuenit tandem inter diſſentientes. dumque feſta Sanctiſſimæ Euchariſtiæ celebrarentur, in longiſſima ſacræ pompæ tranſuectione, Budæ, cum Matthias Rex ex alto ſpectaculo præſideret, in frequentiſſima concione pax inter Fridericum Imp. Maximilianum Rom. Regem, & Matthiam publico edicto promulgata fuit: Concordiæ verò præſentia partium confirmandæ, Comitium ad Idus Septembr. indictum, vbi Imperator & Reges pactis conditionibus ſatisfaceret, & de reliquis tranſigerent. Increbreſcente Matthiæ morbo, res in alterum menſem prorogata. Inde poſtea Nouembre, & Decembre nihil actum, illo terciana febri laborante. Inter alia, quæ Angelus Hortanus Antiſtes, nuncius Apoſtolicus apud Regem Matthiam egit, fuit liberatio Petri Archiepiſcopi Colocienſis, quem Matthias ob libertatem conſiliorum iam ab aliquot annis in cuſtodia habuerat. *Bonfin. dec. 4. lib. 8*

VIII. *Ad pacem ineundam conducit metus à Polonis & Bohemis.*

Impulit Matthiam ad hanc pacem ſanciendam, præter Pontificis authoritatem, metus à Polonis & Bohemis. Wladislaus Bohemiæ Rex, & priuata, & communi iniuria mouebatur, ad bellum illi inferendum. Multa de Wladislao is partim bello, partim iniquo fœdere quæſierat: pluraque in dies appetebat, Duceſque Sileſios, Ioannem Zeganenſem, & Henricum Munſterbergenſem, duriſſimis pactis ad dedendas ſibi munitiones Zeganum, Sprotauiam, Cozuchouiam, Suebodinũ, Grunbergã, Polcouiciã, Vartãbergam, & Francheſteinum adegerat: Ioannem Ducem Glogouienſem ducatu exuerat: & expleuerat quin & Bohemiæ quoq; imminere videbatur, & in Wladislai caput Bohemos quoſdam ſicarios comparaſſe dicebatur. Ergo ad eas iniurias propulſandas, bellũ Matthię inferre ſtatuerat; maximè quando etiam Friderico Imperatori, velut cliens Imperij deeſſe rectè non potuerit Sed omnia domi, foriſque ſuſpecta habens, & in paupere regno tamen, alieno quoque nomine valde obæratus, cum ſe Matthiæ viribus imparem eſſe, & Fridericum non modo nihil opis afferre ſibi poſſe, verum etiam ope ſua indigere cerneret, cum Cazimiro patre Rege Poloniæ, ſocietatem armorum iunxit. Caſimirus nè quid interea à Baiaſete pateretur cum barbaro fœdus icit hac lege, ne quid alter, alterius ditioni incommodaret. Vnde Matthias omnium non ignarus, cum non tantum vires coniunctas Bohemorum, & Polonorum metueret, verum etiam Baiaſetem ſuſpectum haberet; ne ſe bellis cum tot Regibus implicato aliquid contra Vngariam moliretur, ad pacem inclinauit. *Cromerus lib. 29. rerum Polon.*

IX. *Tumultus in Scotia.*

Hoc ipſo anno, in Scotia, tumultuatum à proceribus quibuſdam, contra Iacobum IV. ante aliquot menſes creatum Regem. Comes Lenoxiæ, Dominus Lylæus, alijque horum ſimiles copias cogebant vt Iacobum regno mouerent. Ad id ſcelus eos impulit inuidia, qua æſtuabant miſere; quod alios in Regis intimam Societatem aſciſci, ſe verò longiſſimè ſegregari viderint. Cauſam tamen ſuo ſceleri affinxerunt, mortem patri à filio, crudeliſſimè illatam: cuius tamen ipſi fuerunt & auctores, & duces, Regis ergo induſium cruentum, tamquam ſignum præferentes, Striuelingum rectà contenderunt. Cæterum à Regijs excepti, ſuperatique terga dederunt. E familia Lenoxiorum plurimi interfecti; deſiderati nonnulli Barones; multi præterea capti, ſuſpendio vitam finierunt. Rex trium Ordinum concilio Edimburgi indocto, omnibus, qui ſub patris ſui ſignis contra ſe pugnarant, impunitatem propoſuit. Eorum quoque, qui cum patre in prælio ceciderant, hæredibus bona prædia, fundos liberè indulſit. In eodem concilio, in patrem necis ſuæ cauſam proceres deriuarunt: filium autem Iacobum, & reliquos omnes, qui ab illo contra patrem erant, omni crimine ſolutos; frequentiſsimo Senatu declararunt. Eam ſententiam litteris conſignatam, Regio, ac ſuis ſigillis ſignatam, tres regni Ordines, ad labem omnem regno delendam, Innocentio Pontifici, Imperatori, Regibus Galliæ, Hiſpaniæ, Daniæ, alijſque, quibus fœderis religione iuncti erant, tranſmiſere. Rex vt omnibus palàm eſſet, patrem, ſe inuito fuiſſe interemptum, catena ferrea quoad vixit, ſe cingebat, cui ſingulis annis annulum vnum adijciebat. *Leſleus de rebus Scot. lib. 8.*

X. *In Rebelles Angliæ Re... edictum promulgat Innoc. Pontifex.*

Hoc eodem anno, nondum plene ſopitis in Anglia contra Henricum Regem motibus, Innocentius, edictum ex formula diſciplinæ Eccleſiaſticæ, in rebelles ſubditos miſit, quod Archiepiſcopus Cantuarienſis in tota ſua prouincia publicauit. Ioannem quoque Lilium, natione Lucenſem, iuriſconſultum, ac bonis moribus ornatum, Quæſtorem Apoſtolicum in Angliam deſtinauit; qui bello ſacro contra Turcas, & Mauros gerendo, pecunias colligeret, & ad contribuendum, largitione ſpiritualium gratiarum, à Sede Apoſtolica propoſitarum, fideles incitaret. *Auctor Antiquitatum Eccleſ. Britannicæ.*

XI. *Reges Caſtellæ multa oppida eripiunt à Mauris.*

Præter enim Turcicos, occaſione Zizimi motus, Mauri quoque Granatenſes non quieſcebant. Contra hos, animos addente Innocentio, Ferdinandus Caſtellæ Rex, hoc anno, duodecim millia equites, pedites quinquaginta millia, ſub ſignis eduxit. Primo impetu, Cuiar oppidum, munito loco ſitum occupauit. Baſtam inde diuturna, fere ſex menſium, obſidione ad deditionem compulit. Hacenus cognomento ſenex vrbis Præfectus, ad quem bellici etiam Imperij ſumma redibat, colloquio flexus Guterij Cardenæ, Promagiſtri Legionenſis, cum etiam diutiùs ſuſtentare potuiſſet, re cum ſuo Rege, qui Guidixij erat, communicata, deditionem facere conſtituit. Res comparanda miraculo viſa eſt Hiſpanis, Conditionibus pridiè Nonas Decembris nuncupatis, Rex, Reginaque triumphi perſimili pompa in vrbem die proximo inuecti ſunt. Ea formidine, multa circum oppida, vltro dedita, obſides, frumentum, & alia, quæ vſui forent, affatim præbuerunt. Taberna, Seron, quod mirabantur ampliùs, Guidixium, Almeriaque, quæ diuturnam obſidionem tolerare potuiſſent, ne tentata quidem defenſione, ipſo Abohardile Rege dedente, captæ ſunt. Ad Almeriam Regem barbarum in caſtra venientem, Ferdinandus Rex obuius benignè accepit. Acceſſere præterea in victoriæ partem duæ arces munitiſsimæ locis inter ſe coniunctæ, marique imminentes, Almunecar, vbi Regij Maurorum theſauri, cultuſque eſſe conſueuerat, & Salobrena, quæ veteribus Selambina in Baſtulis ad mare Ibericum fuit, locis arduis, ea munitione, vt Regum filijs, & fratribus cuſtodiendis, carceris inſtar eſſet. *Mariana libro vigeſimo quinto, capite decimo tertio, Surita libro vigeſimo, capite octuageſimo primo.*

XII. *Hallæ Deiparæ præſidio ab inuaſione hoſtium ſeruantur.*

Superiùs etiam memorauimus Belgicos tumultus. In eis Philippus Cliuius, partium Maximiliano Regi aduerſarum Dux, animo, & manu ſtrenuus, valdè in rem putabat, Hallas Bruxellæ propinquas capi. Defendit Beata Deipara ibi culta, ſuos oppidanos. Miraculo rem adſcriptam, produxero

ex Lipſio. Vno anno, Cliuius bis tentauit. per inſidias ſemel, & occultam intra muros conſpirationem; iamque copias ad ſex millia militum cum tormentis eduxerat. ignaris ſuperuenturus. Caſu ciuis (quid caſu? Numine & Diua vigilabat) ciuis, inquam, Bruxellenſis à præſidiarijs capitur; qui rem omnem & coniurationem detexit. Cliuius ignarus aduenit, & vt putabat, ignaris. Illi ſilent, diſsimulant, adire patiuntur, foſſas tranſire, muris ſubire: tum vndique ex præparato ingruunt, tela, viri, fœminæ. & magna ſua clade proturbant incautum hoſtem: deleturi etiam, ſi maior aliqua manus in oppido fuiſſet. Alterum hoc ipſo anno, clarioris ſubſidij. Quod fraus abnuerat, à vi Cliuius voluit impetratum. Venit eo cum inſtructo decem millium equitum, peditumque exercitu. Ita autem ſubitus venit, vt centum viginti Hallenſes præſidiarios, lignatum, & pabulatum egreſſos, ad vnum omnes interciperet: triſti augurio, & damno certiore, quo minor in vrbe manus, vix ducenti quinquaginta milites remanebant. Sed DIVA ſcilicet, quæ tutelæ ſuæ totam rem facere voluit, etiam muros dirui tormentis paſſa, & aditum lato limite fieri, qua vel tria plauſtra tranſirent. Præterea, ignis ferreis cauatis globis, & qui emiſſi pateſcerent, eumque funderent, in domos variè ſparſus: & quaſdam iam comprehenderat. Vbique periculum, clamor, conſternatio. vna re ciues conſtantes, ad Diuæ opem pijs votis confugiunt. Tum veluti robore diuinitus immiſſo, à templo feruntur in hoſtem, ipſi Sacerdotes ijs mixti. Pugnatur acriter, illinc viribus, hinc animis maioribus· ac denique ſub veſperam cum multa ſua cæde hoſtis pellitur, ipſe quoque faſſus, Numen ſibi palam repugnaſſe. Interea fœminæ, & imbellis manus incendia reſtinguere, è quibus decem vna aliqua domo conſcenſa, cum ea ipſa decidunt. Mortuas, & obtritas, tam graui ruina, omnes exiſtimare, at illæ ſurgunt ſine maiore aliqua noxa & domum quæque ſuam pedibus ſuis eunt. Quis non tum laudes, grateſque ſacræ Virgini corde, ore, plauſu dixit. Et hoſtis cum ſequenti die iterum oppugnare pararet; ecce tabellarius à Carolo Croyo, Chimaci Principe, cum literis, quibus intra triduum auxilium, & copias promittebat. Ciues gaudio exultare, tympana, & campanæ ſonare, omnia lætitiæ ſigna dare; vt hoſtis non aduentare, ſed aduenisse iam auxilia ſuſpicatus, ſiue Deo etiam terrente, & auertente, trepidus feſtinuſque inde diſcederet; ne mortuorum quidem cura aut ſauciorum, quos in foſſis vijſque reliquit, ipſa etiam oppugnationis aut belli inſtrumenta. Sanè centum circiter globos è ferro aut lapide, etiam nunc monumenta rei, in æde ſacra ſeruant arcis ligneis conditos, qui 30. 40. ſunt, & qui 60. pondo libras habent. *Lipſius in diua Hallen. c. 6.*

XIII. *Pro pace impetranda ſupplicationes Leodij inſtituuntur.*

Hoc perturbato rerum ſtatu, habitæ ſunt Leodij ſupplicationes ad Deum pro pace impetranda, interpoſitis Sanctorum, & ſpeciatim ſancti Lamberti Martyris, Eccleſiæ Leodienſis præcipui, poſt Chriſtum, patroni precibus, & meritis: viſitatæ quoque ſacræ eorum reliquiæ, & populo debita cum reuerentia ad eas colendas & venerandas exhibitæ. Factæ quoque ſolemnes proceſſiones, & ſacrificia ad Deum placandum magna cum populi deuotione per Prelatos, & alios Sacerdotes oblata, vt ex hiſtorijs hiſce de rebus à pientiſſimo, & doctiſſimo illius temporis viro conſcriptis videre eſt, quas quia inuocationem Sanctorum, cultum reliquiarum, & Imaginum, quæ hodiè Nouatoribus in quæſtionem vocantur, confirmant, & nobis, ſi quando in ſimilibus periculis, & turbis conſtituamus exemplum inſigne, quid tum facto nobis opus ſit, demonſtrant, placuit hic illarum exemplar ſubijcere.

# HISTORIA VISITATIONIS FERETRI B. LAMBERTI MARTYRIS, ET PONtificis, & aliarum reliquiarum Eccleſiæ Leodienſis.

## *AB AVCTORE ANONYMO HVIVS TEMporis ſcripta.*

ANno à Natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo octuageſimo nono, menſis Aprilis quarta decima, hora ſexta, de ſero Venerabiles, & generoſi Viri, Domini, & Magiſtri Godemillus de Eldris Scholaſticus, Henricus ex Palude Cantor, Ioannes Biliton præsbyteri, VVilhelmus de Liberme, & Iacobus de Corſvvaremia Subdiaconi Canonici Leodienſes, vnà cum Dominis Criſpino Roefs paruæ menſæ Canonico, & Notario, nec non Brunone de Tills. S. Materni, Ioanne Iorlet etiam paruæ menſæ, Ioanne de Dyck, aliàs de Wert, & Chriſtiano de Goë Cappellanis Eccleſiæ Leodienſis teſtibus; De mandato, & voluntate Venerabilium, & Generoſorum Virorum Dominorum Decani Capituli Leonenſis confeſſi & contriti ſacris veſtibus ſolemniter induti cum luminaribus, & omni decentia feretrum, & locum glorioſi Martyris Beatiſſimi Lamberti acceſſerunt.

Quo aperto, euaporauit cæleſtis, & ſuper omnem humanam dulcedinem dulciſsimus odor continuè durans, & in ipſo feretro repererunt ſarcofagum pulcherrimum nobili opere conſtructum rubicundum, in cuius ſuperſcriptione habentur hæc verba.

*Loculus ſancti Lamberti Martyris, & Pontificis* de antiqua littera conſcripta.

Quo aperto, & interius mundiſsima ſyndone ſubducto, ſæpefati Domini repererunt primum, pannum, ſiue Balderrinum aureum integrum, mundiſſimum; ſecundum autem Balderrinum, in quo Beatiſsimus Lambertus ab initio fuerat tumulatus, & deinde translatus aliquatenus conſumptum, propter nimium temporis lapſum.

Et inter illa duo Balderrina repererunt vnum Epitaphium plumbeum, in quo de antiqua litera habentur hæc verba.

*Chriſti Martyr, & Tungrorum viceſimus nonus, & penultimus Epiſcopus Lambertus, hic requieſcit, cuius ſacratiſſimum corpus hic repoſitum eſt à Leodienſi Epiſcopo, Alberone ſecundo, 14. Kalendas Ianuarij, anno ab Incarnatione Domini 1143. poſt triumphatum autem, & receptum Bullionem, anno tertio.*

Nec non quodam alio Protocollo huiuſmodi tenoris.

*Ad rogatum Illuſtriſſ. D. Domini Guidonis de Hembercourt, qui deuotiſſimè à nobis aliquas reliquias petijt: Nos generaliter Domini Canonici præſentis Eccleſiæ B. Lamberti annuendo eius precibus contulimus ſibi pretioſum munus captum circum baſes, & venerandos pedes Beati Lamberti Martyris, præſentibus Dominis Decano videlicet, D. Ioanne de Seranio, & ſuo confratre etiam Canonico, M. Theodorico Godeſcaldi, &c. Cum præſentibus Capellanis eiuſdem Eccleſiæ. Datum, & viſitatum anno Domini 1449. menſis Ianuarij, die Ioannis Chryſoſtomi pro die veneris, præſente me Notario infraſcripto in teſtimonium cum prædictis vocato, præcisè hora quinta poſt veſperas.*

*Ita ſignaui Ioannes Iunenis.*

Deinde apertis omnibus panniculis, venerunt ad venerandum corpus Beatiſsimi Lamberti, quod illic vnà cum venerandiſſima teſta capitis ipſius glorioſi martyris conſeruatum, & collocatum repererunt miro ordine fragrantiſsimo.

Quas quidem Beatiſſimas reliquias inter corporalia ſacratiſsimo (videtur deeſſe Martyris.) Chriſti ſanguine adſperſa, vnà cum terra digniſsimè repoſuerunt, reliquerunt, & dimiſerunt, vnà cum certa parte capillorum Beatiſsimi Lamberti, nec non quadã corda nodoſa, qua vti conſueuit idem Martyr glorioſus. Et iterũ primo ſarcophagum, & deinde feretrum ſuis clauibus clauſerunt, & benè firmarunt; & deinde *Te Deum laudamus* ſubmiſſa voce dicto, ſe exuerunt, & lotis manibus, & ablutione manuum ad ſacrarium miſſa, abierunt ad propria.



Decima octaua eiuſdem menſis fuit per D. Cantorem ex eadem commiſſione coràm prædictis Notario, & teſtibus viſitatum feretrum Beatorum Martyrum ſociorum Beatiſsimi Lamberti, ſcilicet Petri, & Andoleti, quorum corpora integra reperta ſunt, vno capite dempto, ſcilicet S. Petri, qui minor inter eos erat ſtatura; eiuſdem tamen capitis mentum, ſiue mandibulum cum dentibus illic habentur. In quo feretro duæ ſcedulæ repertæ ſunt, & repoſitæ, quarum ſcedularum vna ſine ſigillo continebat hæc verba.

*Hæc ſunt reliquiæ Petri, & Andoleti, cognatorum B. Lamberti Epiſcopi, & martyris, qui cum eo paſſi ſunt.*

Alia vero cum ſigillo magno rotundo Virgineæ ceræ, vt apparuit impreſſo, quod Imaginem B. Lamberti habebat, continebat hæc verba.

*Hic Iacent corpora Sanctorum Petri, & Adoleti cognatorum B Lamberti.*

Scriptura autem de antiqua litera, quæ habebatur in circumferentia dicti ſigilli talis erat.

*Sanctus Lambertus, Epiſcopus Leodienſis, & patronus.*

Quibus omnibus debitè viſitatis, & omnibus reliquijs debitè recollectis, idem D. Cantor eaſdem in & ad eorum feretrum in pannis ſericis, & munda ſyndone inuoluit, & cum dictis ſcedulis, ac alio prothocollo præſentis viſitationis, manu dicti D. Criſpini Notarij ſcripto, & ſubſcripto, decentiſſimè collocauit; ipſumque feretrum illicò firmiſſimè claudi iuſſit, ac ad locum ſuum priſtinum decenter reponi fecit, & mandauit.

Deinde altera die ſequente, Idem D. cantor virtute eiuſdem commiſſionis feretrum B. Materni confeſſoris viſitauit, in quo nonnulla oſſa eiuſdem confeſſoris reperit, vnà cum pluribus alijs reliquijs aliorum Sanctorum. Et in eodem feretro ſcedulam talis tenoris.

*In iſto feretro habentur oſſa Sancti Materni Confeſſoris primi Epiſcopi Tungrenſis, ex Treuiris Leodium tranſlata, vnà cum quampluribus reliquijs ſanctorum Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, atque aliorum electorum, anno Domini octingenteſimo quadrageſimo ſecundo, per Otgherum Decanum, de licentia Stephani Papæ IV.*

Et deinde feretrum B. Magdalbertæ Virginis viſitauit, in quo, & oſſa, & ornamenta eius cum nonnullis alijs reliquijs reperit, prout in ſcedula præſentis tenoris (quam in eodem feretro vnà cum dictis reliquijs decenter relocatam dimiſit) continetur.

*In iſto feretro habentur oſſa B. Magdalbertæ Virginis cuculla, & velum eius, cinctura eiuſdem Virginis nigra miro opere contexta, item peplum, ſiue caput egumentum eius, item vnum aliud velum eius, nec non duæ partes magnæ de habitu eius, item duo forfices parui, quibus in vita ſua, Virgo glorioſa vtebatur, vnà cum nonnullis alijs ornamentis eiuſdem Virginis, ac quàmplurimis alijs reliquijs diuerſorum aliorum ſanctorum Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, atque Virginum.*

Quibus omnibus ſic viſitatis, & decenter relocatis, idem dictus Cantor ambo feretra ſuis ferramentis claudi, & conclauari iuſſit, & ſimilibus ſcedulis etiam ab extrapoſitis, & affixis, iuſſit ambo feretra rubeo colore digniſſimè collocari, & ad ſuum locum priſtinum prout poſita ſunt, collocari.

Item infrà ſepta dicti feretri Sancti Lamberti ſunt duæ aliæ paruæ capſæ prætioſæ pleniſſimæ reliquijs.

In quarum vna ſunt hæ reliquiæ primò de linteo, quo terſit, quando abluit Chriſtus die Cænæ, pedes diſcipulorum ſuorum, de Præſepio Domini, de ſpongia Domini, de loco Annuntiationis Dominicæ, de Dente B. Remigij, vnà cum infinitis alijs reliquijs in eadem capſa exiſtentibus, quorum corpora quieſcunt in Colonia.

In alia verò eſt vnum caput ex ſociabus B. Vrſulæ cum pluribus alijs digniſſimis reliquijs.

Tandem omnibus his ſacroſanctis reliquijs digniſſime in ſuis collocatis, claues feretri tam exteriores, quam interiores fuerunt per Dominos meos, Decanum, & Capitulum portatæ, & collocatæ in Archiuijs Eccleſiæ in capſa ſuperiori, quæ intitulatur, Mechlinia.

## *HISTORIA SOLENNISSIMÆ FESTIVITATIS Venerandi Capitis Sancti Lamberti, Leodij habitæ anno Domini 1489. eiuſdem Auctoris.*

*Supplicationum illarum ordo, & hiſtoria proponitur.*

FEſtum diem (qui noſtris in diebus celebratus in Ciuitate Leodio primum habere ſimilem viſus non eſt) memoratu digniſſimum quanquam impar ſum tanto oneri, literis mandaturus, vt poſſit habere ſequentem, & vt poſteris eius documenta ſumere volentibus, & longæ, & difficilis inquiſitionis labor abſit, te huic cæpto, cuius meritis ex ignobili quondam Vico. *Legia* in egregiæ Ciuitatis robur euaſit, cuius precibus, & interuentione ab his, quas patimur tribulationibus liberari confidimus, ad cuius honorem & gloriam etiam præſens, de qua loqui intendo, eſt ordinata feſtiuitas, Lamberte Diue Pater, inuoco.

Nec verò cuncta complectendi, quæ in eo geſta ſunt, cupido acceſſit, nec quidem facultas datur, & ſupra vires negotium eſt, cuius enim non modò mediocre, verum Ciceronianum ingenium rem tanti plenam myſterij, non dicam condigno proferre ſermone, imò plenè excogitare ſufficeret, quæ quantum, & dignitate, & præcioſitate, quæ, & fieri, & dici poſſunt, omnibus præſtat, tantum hiſpida mei ſermonis ſuppelectile opus non habet extolli, Vereorque nè potius, quod mihi crebrò accidit, minus plenè tradam, quam ipſius dignitas expoſtulat, & requirit & apud eos huic quid laudis detraham orationis exiguitate, idcirco alicui, & Rhetorum adhuc ſtudijs calenti hoc haud immeritò negotium iniungendum fuit, cui & eloquentia ſuppeteret, & orationis copia non deeſſet. Sed quoniam Dominis meis ſemper Venerandis DD. Decano, & Capitulo Inſignis Ecc.æ Leodienſis, quibus neque in hoc, neque in alijs refragari volui, nec fas eſſet, placitum fuit mihi potius (quamuis in alijs ſatis occupato) iſtud onus imponere, beneuolum precor, vt lectorem habeam, qui non mordaci dente, ſed caritate beneuola & minus dicta ſuppleat, & emendet errata.

Etenim quam veneranda Ecc.corum conuentio, quanta religioſorum deuotio ſingularis, quantum decus in habitu in inceſſu, quanta modeſtia, qualis procedentium ordo, qualis miniſtrantium diſciplina, quæ populi ſuſpiria, quæ lamenta circumflui, & ne multis morer, quanta omnium in commune circa metuendum verticem reuerentia fuerit, eſt, qui verbis efferat, nemo.

Rem igitur (vt videtur) aggrediens arduam nullatenus tamen mihi verba etiam ſi mutus eſſem, credo, & arbitror defutura, dummodo ſanctiſſimi Martyris Lamberti, & laudes, & quæ ad ipſius Lau-

dem facta ſunt, nitar exponere. Ex eo enim quod ineffabilia ſunt, fandi tribuunt facultatem. Quamobrem non proprijs viribus, ſed ipſius tantum adminiculo innisus, hunc modum noſtræ hiſtoriæ narrationem exordiar.

Anno igitur à Natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo octuageſimo nono, Pontificatus verò ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri D. Innocentij, diuina Prouidentia Papæ octaui anno quinto. Epiſcopatus denique Reuerendi in Chriſto Patris, & Domini, Domini Ioannis de Horn humiliter quinto, Cum pax patriæ Leodienſis, & Regionum quies circumiacentium propter temporum intemperiem, & guerratum inſultus, quæ tunc vndique durius ſæuiebant, & Villas deuaſtabant, & oppida abſente paſtore repetent placandi cæleſtis numinis gratia, meritis, & interceſſione patroni per venerabiles, & generoſos, egregioſque viros, ac Dominos Decanum, & Capitulum Ecc.æ Leodienſis gratia ſancti Spiritus, vt piè credendum eſt, diuinitus inſpiratos, quia ſalutem non humana ope, ſed Sanctorum tantum intuentu prouenturam ſperabant ſolenniſſima hæc, de qua loqui intendo, eſt ordinata feſtiuitas.

In qua præcipuo cum honore illud metuendiſſimum Sanctiſsimi Pontificis & Martyris Lamberti noſtri patroni caput, quod per trecentorum quadraginta, & ſex & eo amplius annorum ſpacium penè occultum & intactum cum corpore, ſupra chori ingreſſum ſine præcipuo, & ſingulari aliquo ſibi honore exhibito in tumba iacuerat, eſt per fori & Clauſtri circuitum deportatum.

Cuius ſeriem decurſurus, prius aliqua generalia ad ipſius decorem conuenientibus inſtituta ſubijciam: Eccleſiæ autem tapetibus, cortinis, veſtibus deauratis, & ſericis ornamentis parietibus per gyrum diligenter, & decenter aſſixis, digniſsimum apparatum, campanarum feſtiuiſsimum pulſum, ac alia, quæ more feſtiuitatis eiuſdem Sancti fuerant pleniſsimè, & glorioſè per acta tanquam nota, & viſitata prætereo. Tantum iſtud hic erat excellentiæ, ſingularis, quod pannis fuit feretrum prætioſiſsimis, & ſplendentibus vndique circumſeptum, per cuius gyrum, & per vniuerſos templi angulos, & loca congrua tenſis ramis virentibus, quandam mentis iucunditatem aſpicientibus ipſa viriditate præſtabant His igitur ſic ritè diſpoſitis, & ornatis adueniente die, quo venerãdũ Martyris antedicti corpus ante annos octingentos à Traiectenſi vico, per Sanctiſsimum Dominum Antiſtitem Hubertum, primum Leodienſium & vltimum Tungrorum Præſulem, ad inſignem locum, in quo nunc vſque quieſcit, fuerit miraculis coruſcantibus honorabiliter translatum, veſperiſque primis, & matutinali officio ſecundum priſci temporis conſuetudinem ſolemniter, & decenter peractis; in primis diligentiſſimè, & ſuper omnia obſeruatum eſt, ianuis chori lateralibus vſque meridiem, à primo matutinarum pulſu firmiter obſeratis, baſtionarijſque Petro de . . . & Henrico de Houthem, alijſq; cuſtodibus eiuſdem ſcilicet. Ecc.æ computatoribus interius ante oſtium ſtudioſe diſpoſitis, nè ſæcularium cuipiam officio durante chori pateret ingreſſus.

Ordinati ſunt etiam tres beneficati Ecc.æ Sacerdotes ſuper hoc negotio diſponendo induſtrij, qui non parum ſolliciti, cappis induti ſericis omnes tam Ecc.æ quam religioſos ſumma cum diſcretione, & forte loca iure eis aptata, & ordinem debitum dirigebant.

Appropinquante autem hora octaua diei, Eccleſiarum prælati ſecundariarum cum canonicis, cappellanis, coralibus, & alijs earũdẽ ſuppoſitis, omni ornatu, & cappis præciotiſsimè decorati, Vexilliferis thurificatoribus, ac cæteris miniſtris præcedentibus, maxima cum decentia, per earundem Præpoſitos ſolito more introducti, antiphona prius decantata, in locis conſuetis ſederunt, quos tamen Capellanorum loco, reliquiarum baiuli ſubſequentes, hinc inde ciroferarijs thoritiones ferentibus, chorum ingreſſi, ſummũ circa altare ſcamnis ibidem diſpoſitis præſtiterunt, torribus propter nimiam populi concurrentis copiam ante templi introitum derelictis.

Non minùs decenter religioſorum cætus, Sacerdotalibus decorati veſtibus, eodem in tempore confluxerunt, qui pariformiter glorioſa Virgine per antiphonam ſalutata, ſuas in choro ſedes ceperunt. Sanctorum autem Laurentij, & Iacobi Abbatiarum, belli reditus quoque, & ſcholarium capellani bini reliquiarum geſtores non in caſulis, aliorum ad inſtar, ſed cappis ſericis reliquos ſubſequuti, ſummum iuxta altare permanſerunt.

De hinc quanta fuerit parochialium Eccleſiarum populi frequentia, quis Decor, quis ornatus, qualis deuotio præſens vix valet ſtylus exprimere. Vnuſquiſque enim huius ſolennitatis cernere cupiuit præſentiam, non ſenio preſſus, non arata magis fronte iam annus, non puer præ æui adhuc imbecillitate balbutiens, non alieni ſemper auidus lucri, & nè ſermonem longius protraham, non potens non impotens ab huius ſe paſſus eſt tàm felici viſione fraudari, cuius aſpectio, lapidea corda ad compunctionis poterant molliciem incitari. Quis enim tàm ſaxei fuerit capitis, quis tantum ſanguinis ſitibundus, quis tantum ſeculi voluptatibus deditus, qui iſta conſpiciens, non compunctus fuerit, vel ad horam! cum pars pedes nudi, pars attriti carnem cilicijs, pars pedes lachrymis ora rigantes, pars cereos manibus geſtantes accenſos, & omnes penè fatiſcenti corpore, ſpiritu gaudente ieiuni, & perlætanter, & quàm deuotiſsimè, confeſsione priùs præhabita peccatorum, ad iſtud celeberrimum officium, ſuos caſulis fulgentes elegantibus curatos, vexilliferis ſingulorum præcedentibus greſſibus proſequuti humilibus conuenerunt.

Quem putas eorundem in Virginibus fuiſſe, & imaginibus apparatum, quem quidam proprijs motibus, quaſi ex inſpirato, non iuſſi, non moniti, ſed certi, dubium non eſt, illius, ad cuius hæc facta ſunt gloriam, aſpirante fecerunt. Quilibet ſe cultiore, quo poterat, decore parabat. Taceo, libet enim præterire communia, de hijs, quæ extrinſecus ſunt, platearum, atque vicorum ſummo ſtudio elaborata munditia, ita vt nihil eſſet in itinere derelictũ; quod tranſeuntium obtutum offenderet: Nam cuncta ſplendore nitebant, tapetia feneſtris pendebant affixa, ſi quid ornari quis habuit, quid decoris foribus appenſum aris compoſitis mirandam repræſentabat prætereuntibus venuſtatem: Tanta etiam fuit vndecumque ramorum viriditas in plateis, vt quis per nemorum denſa ambulare ſe crederet.

Sed vt his omiſsis, ad id redeam, vnde digreſſus ſum. Hi, de quibus ſupradictum eſt, populares baſilicam venerabiliter introgreſſi, in capellis, & locis circumuicinis, omni cum modeſtia ad vſque finem officij permanſerunt, quorum tamen curati cum reliquijs chorum introeuntes circa gradum ſanctuarij quieuerunt, vexillis retro altare, & tortitionibus ante templi oſtia cum Virginibus, & imaginibus collocatis.

Sed huius me penè cepit obliuio. Operæ prætium eſt huic etiam narrationi inſerere; præfatos tàm Eccleſiaſticos, quàm religioſos, & ſeculares, antequã ad ſanctiſsimi Lamberti Baſilicam conuenirent, ſigillatim in ſuis Eccleſijs priùs feſti paſchalis ad inſtar, miſſas ſpeciales, & proceſsiones ſolemnes omnibus indicto ieiunio peregiſſe, vt ſic multiplicatis precibus, & Dei ira in nos duriùs ſæuiens placaretur, & digniores faceret oratores præmiſſa deuotio, nè putetur, hanc ad celebritatem, more ſolito, arida mente,





tanquam ad atellanorum ludicra, vel mimorum figmenta veniſſe.

His ita digeſtis, & pro mei tarditate ingenij iuxta poſſe deſcriptis ab ipſius officij cæremonijs iam exordiri delectat, quod quantæ fuerit dignitatis, humano nequit explicari dictamine.

*Non mihi ſi centum linguæ ſint, oraque centum.*

Imò ſi ſingula mei corporis membra verterentur in linguas, accurate, copioſèque ſatis poſſem exprimere, excellentiſsimam huius operis dignitatem. Idcircò certè mens refugit, & inter articulorum reuolutiones vltra metuit calamus proficiſci. Sic inter affectum, metumque poſitus, ſpe tandem propulſante timorem auertam.

Poſtquam igitur Sanctorum Laurentij, Iacobi, Ægidij, & Vallis S. Lamberti Abbates, nec non Eccleſiæ maioris, ac ſecundariarum prælati, atque ſuppoſiti habitu cum eleganti, & ornatiſsimo in templi medio, & religioſi Sacerdotalibus veſtiti per ſedium ordinem in choro, parochiarumque inueſtiti, cæterique reliquiarum geſtores in ſcamnis ſanctuarij circa gradum ſuis in locis ſinguli ſubſtitiſſent, Reuerendus in Chriſto pater, & Dominus D. Iaſpar Abbas Stabulenſis, vir iam grandeuus, mitra caput ornatus, & baculo ſuſtentus paſtorali, venerabilibus, inſignibuſque viris, ac Dominis Petro de Hoelnoes Diaconatus, & Iacobo de Corſvvarem Subdiaconatus fungentibus officijs comitatus, miſſarum celebraturus ſolemnia, ad altare proceſſit, eò de hinc modeſto gradu cum luminaribus & thuribulis locum, in quo Martyr glorioſiſſimus quieſcit cum eiſdem miniſtris aſcendente, tractum illum deuotiſſimum *Adiuua nos Deus &c.* glorioſa modulatione in templi medio D. cantor cum duobus canonicis, genibus flexis exorti ſunt. Hunc Clerus proſequitur, humi ſternuntur vniuerſi, oritur ſilentium, ceſſat ſtrepitus, tuſſis reprimitur, attentiſſimis quiſque animo, & ſenſibus, ea, quæ à nominatæ facundiæ viro, Domino Petro de Hollengnoel, huius feſtiuiſsimi cauſam diei, & occaſionem tàm celebris noſtro excogitatæ patrono reuerentiæ, atauis noſtris, & omnibus retrò ſeculis inuiſæ, præclarè, imò quàm elegantiſsimè declarante verbis diſſerebantur gallicis, accuratiùs auſcultabat.

Fit deinceps generalis peccatorum confeſsio: Abbas abſolutionem confert clero, & populo genua flectentibus, & vice verſa Clerus eidem: & continuò per Abbatem, Diaconum, & Subdiaconum antedictos, illud ſemper honorandum, & populo tantoperè expetitum caput, de tumba aſſumitur, omnibuſque continuò demonſtratur.

Quo viſo cunctorum commota ſunt viſcera, corda tremuerunt, & nemo tàm ferrei pectoris; qui non fuerit commotus ad lachrymas, illamque extemplo antiphonam. *Lætare & lauda &c.* Vniuerſus Clerus genibus prouolutus, cantore inchoante, deuotiſsimè iucundo modulamine cecinerunt. Quo facto Abbas, & versùs occidentem, & verſus orientem venerando populum capite ſignauit; ad altare defert, miſſæ officium deuotus exequitur: quodquàm ſolemniter dignè, inſigniter, & à Clericis, & à monachis decantatum fuerit alternatim, non eſt opus exponere; Hoc vnum dixiſſe ſufficiat, duos vnà, inchoato miſſæ introitu, *protexiſti*, & pòſt eos totidem, Euchariſtiæ Sacramentum, aras ſuper Imperiales, omni coram populo immolaſſe, vt ſic quoquo modo tumultum ſedato, & plebs illis audiendis intenta quieſceret.

Quo penè terminum ſortito, & cum pace data, communio cantaretur, cunctos Parochialium plebanos, præfati directores, binos ſua vexilla ſequentes, maximo cum moderamine egreſſos, reliquiaſque dignanter ferentes ordinarunt, inter quos Beatorum Romacli vltrà pontes, Chriſtophori, & Veronæ paſtores, 30. præsbiteri, ordine per eos piè diſpoſito ſequebantur, quibus Virgines nondum thalamis iugatæ ſpecioſa forma, crinibus paſſis, & calamiſtratis modeſtis vultibus, inceſſu compoſito, annulis, armillis, argento vermiculatis, murenulis decoratæ interſeſere, cum Imaginibus binæ gradiebantur, cereis ab vtroq; latere faculis deportatis.

His eo pacto principiò progreſsis, humili poſt eos tranſitu, imo deuotiſsimo obſeruantium conuerſi inſuper pelliceis, in albis leuitæ, Sacerdotes in Caſulis, ſuo modeſtiſsimo greſſu in ſtuporem, & in quodam ſpiritualis incentiuum amoris, circumſtantium animos incitabant.

De hinc cæteri mendicantium cætus Minorum, Prædicatorum, & Carmelitarum eximia cultus decentia extrinſeci, inſigni concluſas artificio reliquias, omni cum reuerentia deferentes, iunctis vexillis, & torticionibus procedebant.

Pariformiter Canonici regulares pauci, vt puta duodecim tantùm numero, ſed per decorem omnes rubei coloris indumentis tàm Presbyteri, quàm miniſtri, non longè ornatiſsimis inferiores, Vexilliferis, thurificatore, quatuorque tam tædarum, quàm tortitionum portitoribus comitati, laudis plurimum conſequuti ſunt: ex eo maximè admirationi facti, quòd tot retroactis temporibus in proceſsione non viſi, huic diei augmento ſui tranſitus primitias reſeruarunt.

Cruciferi etiam prioribus non minùs politi, habitu ſolemni ſuum poſt vexillum inſigniter ambulabant, poſteà cum Domini Scholares, Præmonſtratenſes, & Benedictini præcedentium ad inſtar, ſed abſque Vexillis exiſtent . . . . Vexilla ſecundariarum quoque Eccleſiarum cum clericulis, & ſcholaribus more ſolito ferebantur, ad vltimum maioris vexillum Eccleſiæ, quod gemmis, & niueis lapillis mirificè contextum, plurimorum in ſe traxit intuitum, literarum ibidem tunc temporis ſtudio incumbentes ſcholares penè ducenti ſequuntur, capitis inſigne Venerandi baculis appenſum deferunt, Horum ſertis capita redimiti. Quis omnium horum dignè explicet modeſtiam, & decorem?

Sed quoniam ad finem feſtinat oratio, de hijs hactenus dicta ſufficiant. Mirandis plus miranda ſuccedunt. Igitur pòſt Eccleſiarum, & Eccleſiæ choraules ſuppoſita, & beneficiatos cappis politos inſignibus, maioris cantor Ecc.æ baculum cantoris geſtans argenteum reuerenter inceſsit, quem cuncti Eccleſiarum, & Eccleſiæ canonici proceſſione ſequebantur digniſſima. Quorum omnium ſi habitum, nomina, dignitatem, cultum, diſſerere niterer, tædium certè legentibus generarem. Quamobrem vt hiſtoriæ ſtylo non diutiùs teneat, reliqua breui abſoluam.

Poſt omnium eo modo progreſſum, exeunt, Abbatiarum, & Eccleſiarum Capellani reliquiarum latores, torres ex vtroq; latere deferuntur, nitent veſtibus, miratur populus pronus adorat.

Hinc Sancti feretrum Theodardi à quatuor paruæ menſæ Canonicis, & pari modo poſt eos à totidem Sancti Materni aliud pretioſius Sancti Lamberti omni cum ſolemnitate cappas indutis rubeas portabant? circa quæ miniſteriorum torticiones, cum diuerſi generis luminaribus, quorum tanta fuit copia, vt numerum in ſcripta redigere difficilimum foret, digniſſimè ſunt delatæ, intermixtis parte ab vtraque viris egregia forma, ætate integra, & ſtatura inſigni, baliſtarijs numero ſatis copioſo cum Ciuitatis vexillis, qui ibidem ante Palatij fores armis micantes radiantibus Venerandi capitis præſtolabantur aduentum, quod in eorum medio à venerabilibus viris, ac Dominis Petro de Holgnoël, & Iacobo de Corſvvareme aſſociatis Sancti Ægidij, & Vallis Sãcti

Lamberti Abbatibus, maxima cum reuerentia, populique præcipua deuotione circumſtantis, & ſtupore, qui ex rei nouitate attonitus fuit penitus, & ſtupefactus cum tanço ſilentio, vt in tam copioſæ cætu multitudinis, quod mirabile dictu eſt, vnius vix ſonus audiretur, feſtiſsimè portatum eſt: illudque thurificatorum nimietas, mimi, tubicines multiplici muſicalium genere concrepantes, ſuauiſſima melodia abſque fatigatione pręibant. Supra quod etiam prætioſum à quatuor iunioribus Capellanis quàm pulcherrimas rubei coloris dalmaticas veſtitis tapetum ferebatur.

Poſtremò venerabile ſacramentum Abbas Stabulenſis, aſſociatus SS. Laurentij, & Iacobi Abbatibus, ſanctæ Crucis lignum, & glorioſæ Imaginem Virginis à Beato Luca depictã geſtantibus reuerendiſsimè detulit pari modo thurificantibus cithariſtis, varioque miniſteriorum agmine, & cæteris omnibus, quæ decorem præſtare poterant, procedentibus. Quos quidem quemadmodum, & priores iuuenes gratioſa facie, moribus diſciplinati, cum pauonum ventilabris ſubſequuti, temporis feruorem ventilatione continua temperabant, ſub tapeto, quod à duobus deluminari, & alijs totidem Sacerdotibus ferebatur. Inde copioſiſſima multitudine turba popularis nobilium, conſulum miniſterialium, cælum precibus pulſabant orantes, & mixtis oratione lachrymis ſuperiorum ciuium implorabant auxilium. Hic proceſſionis Epylogus.

Qua feſtiuitate Sacramenti nequaquam petulanter peracta, omnes valuas, quas exiuerant, ſunt ingreſſi, Virgines autem Parochiarum, imagines, torres, tortitiones, & baliſtarij foris: parochialium, Mendicantium, Regularium, & Cruciferorum vexilla in choro: Abbatiarum, & Eccleſiarum in templi medio: Curati, Monachi, & Canonici ſuis in locis ſinguli permanſerunt, illius excellentiſsimi capitis aduentum magna cum reuerentia præſtolantes. Quod tandem illatum cum Venerabili Sacramento, omnibus humi proſtratis, ſupra menſam exquiſito decore ſub corona, altaris ad inſtar piè diſpoſitam, collocarunt, circa quam tres Abbates mitrati eidem priùs reliquijs, & feretris ſuper impoſitis, in Cathedris digniſſimè pauſauerunt.

Quis æſtimet, & cogitare ſufficiat in eorum introitu, quantam fuiſſe muſicorum ſuauiſſimam, & reſonantium Symphoniam, dum hic buccinæ concrepabant, illinc reſonabant chorus, & tympana, inde perſlarunt fiſtulæ buccas, inde templum repleuit fumus incenſi, vt nunquam Bacchi, aut Cereris feſta, nunquam pulueris agones Olympici, & vt omiſſis gentilibus ad noſtra veniam, nunquam ædis dedicatio Salomonis, nunquam Moſayci inſtitutio tabernaculi ampliori fuerunt celebrata triumpho.

Pòſt hoc canore iubilo letitiæ canticum. *Te Deum laudamus*, iucundiſſimè per cantores in diſcantu, per monachos in cantu ſimplici, omni cum deuotione viciſſim cantatum eſt.

De hinc antiphona ad glorioſi martyris laudem *lætare, & lauda &c.* ab Infantibus duodenis humi proſtratis dulci modulatione concinitur.

Qua finita, alia ſcilicet. *Magna vox*, à cantore incipitur, Venerabile Sacramentum, & caput venerandum cum reliquijs ad altare feruntur, feretra, tapetia, cætera ornamenta ad ſacriſtiam: cuncti ad propria reuertuntur, ſcholares carminis voces tollunt ad ſidera glorioſiſſimi martyris ſuffragium poſtulantes.

Statim oſtia chori lateralia ſunt aperta, duo Dominorum, & beneficiatorum totidem ad digniſſimi capitis cuſtodiam deputantur, qui accurrenti ipſum exhiberent populo intuendum, cuius tanta fuit illo die copia, & confluxus, vt exiguo viribus præ nimia preſſura, vix ad illud pateret acceſſus, vnde, & æreas per columnas reſtibus circumlegatis turbæ ab altaris propinquo nimiùm aditu arcebantur: cautiſſimèq; prouiſum eſt, nè veſtes, nè mappæ, nè tapetia altari appenſa vulgi comprimentis taminarentur attactu.

Igitur refectione peracta omnes ad huius ſolemniſſimas diei veſperas conuenerunt, quæ cum ritè, immo decentiſſimè fuiſſent ex more finitæ per miniſtros Eccleſiæ & Cantores, qui Turcis Eccleſiæ ſcandentes cacumina tubis, & buccinis magnificè clangentibus amæniſſimis, & altiſonis cantilenis mæſtorum animos gratioſis modulis recrearunt, feſtiuiſſimus populo exhibitus eſt ſpectanti triumphus.

Quis omnia ſcriptis complecti poſſet, quæ ipſo in die, & gratię, & laudis facta fuere? certè mihi calamus ante deficiet, quàm cuncta, quæ ſunt geſta, ſcribendo conſummem.

Cum autem Solis radij vergerent ad occaſum & iam cænæ tempus adeſſet, glorioſæ Virginis laudibus per ſcholares ſolito more cantatis, bini in ſuperpellicijs cum tædis, & tortionibus ad Sancti baſilicam gradiuntur, quo omnibus vnà Dominis cum luminaribus congregatis, Inſignes viri, Godenolus de Eldris, Petrus de Holgnoël, & Henricus ex Palude pretioſiſſime Sacerdotalibus decorati, illum metuendiſſimum Sancti verticem, tympanis, & choris ſuaue ſonantibus maxima coram populi frequentia, ac dulci cantorum, & fiſtularum iubilo, ad locum ſuæ requietionis priſtinum cum eximia gloria portauerunt: per eoſdemque accepta benedictione, clericuli ſua carmina iubilantes, & populi de ſui magnificentia Patroni ſupremi rectorem olympi laudibus proſequentes, ad propria ſunt reuerſi.

*HISTORIA OSTENSIONIS RELIQVIARVM Celebratæ Leodij Anno Domini 1489. eiuſdem Auctoris.*

Prima oſtenſio reliquiarum.

*Reliquiarum oſtenſio.*

ANno à Natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo octuageſimo nono, menſis Iulij die decima, quæ fuit dies ſeptem Fratrum Martyrum de expreſſo, & vnanimi conſenſu, atque voto, mandatoque venerabilium Virorum Dominorum, Decani, & Capituli Leodienſis attendentium, iram Dei placari, afflictoſque Eccleſiam, & patriam, degenteſque ſub eiſdem populos à guerrarum turbinibus, humana ope liberari minimè poſſe, conſiderantiumq; ob id, ad Suffragium Sanctorum omnino recurrendum fore, ſperantiumq; ſe precibus, & meritis glorioſiſsimæ Virginis, & genitricis Dei MARIAE, Beatiſsimique Lamberti Martyris, & Pontificis patronorum noſtrorum, omniumque Sanctorum pacem optatam, diuque deſideratam obtinere debere: Venerandiſsimæ, ac Sacratiſsimæ reliquiæ in Eccleſia Leodienſi, longinquo tempore reconditæ fuerunt de ſuis locis, ad quoddam Tabernaculum decentiſsimum, ſuper introitum chori ad latus ſepulchri dicti Beatiſsimi Lamberti, tapetis aureis, & ſericis ornatiſſimè confectum, cum omni reuerentia, & decentia apportatæ, & illic in quodam altari ornatiſsimo repoſitæ.

Et officio completo, & cantatis antiphonis de beata Virgine primò, & deinde de patrono noſtro S. Lamberto, populis illic ad pulſum campanæ more Aquenſium, & Traiectenſium ſolito congregatis, per duos ex Dominis de Eccleſia maiori ornatiſsimo habitu fulcitos publice oſtenſæ, & per duos religioſos, & deuotos viros, ſimili ornamento decoratos

galli-



gallicè, & teutonicè pronuntiatæ, & deſignatæ, prout in quadã ſcedula inferius deſcripta, omnes hæ reliquiæ ſecundùm ſuum ordinem habentur inſcriptæ.

Quæ quidem oſtenſio ſingulis diebus ſubſequentibus, paucis propter guerrarum inſultus, & alias cauſas exceptis, fuit continuata vſque ad feſtum B. Mariæ Magdalenæ incluſiuè, in quo die fuit inſtituta, & habita ſolemnis miſſa ſpecialis cum toto Clero Ciuitatis, quam celebrauit, Reuerendus Pater, Abbas Sancti Iacobi Leodienſis, cuique etiam interfuerunt Stabulenſis, & S. Laurentij monaſteriorum Abbates, qui poſt miſſarum, & proceſſionis ſolitæ ſolemnia, omnes tres ſimul in Pontificalibus huiuſmodi ſanctiſſimas reliquias ſucceſſiuè, primò versùs nauem Eccleſiæ vulgo, & deinde circumeundo feretrum versùs chorum Clero, illic propter vulgi ineſtimabilem, inuiſam, inauditamque preſſuram, & multitudinem congregato, pro vltima vice oſtenderunt. Et tandem eiſdem Sanctiſſimis reliquijs in ſuis debitis locis decentiſſimè relocatis, ad propria remearunt.

*ORDO VERO RELIQVIARVM OSTENSArum erat iſte.*

*Pro Prima Vice.*

Primò Imago B. MARIAE Virginis depictaã B. Luca Euangeliſta. Secundò amictus Sancti Lamberti Martyris, & Pontificis, cum vna ampulla de oleo, quod ſtillat ex ſepulchro Beatæ Catherinæ Virginis.

*Pro Secunda Vice.*

Reliquiæ Sanctorum Vincentij, Stephani, Georgij, Laurentij, Coſmæ, Gereonis, Mauritij, Blaſij, Criſpini, Criſpaniani, Dioniſij Ruſtici, & Eleutherij Martyrũ. Item vnum brachium, vna coſta, vna pars mandibulæ, cum vno dente, & duobus oſſibus Beatæ Barbaræ Virginis, de Carnibus Sancti Pauli Apoſtoli incineratis, de oſſibus B. Chriſtinæ Virginis S. Hyppoliti Martyris, de Rupe, in qua ſtillauit ſanguis Chriſti, & de petra, ſupra quam B. Virgo MARIA panem confecit.

*Pro tertia Vice.*

Feretrum Chriſtallinum, in quo habentur oſſa multa Sanctorum, Remacli Epiſcopi, & Hadelini Confeſſoris.

Feretrum deauratum, in quo habentur multa oſſa corporis S. Huberti Confeſſoris, & primi Epiſcopi Leodienſis.

*Pro quarta Vice.*

Feretrum Sanctæ Magdalenæ Virginis, nutricis, & gubernatricis S. Lamberti in pueritia ſua, in quo ſunt multa oſſa eiuſdem, velum, cinctura, & cucullа eius, Veſtes, peplum, ac forſices eius, quibus in vita ſua vtebatur.

Feretrum Sancti Materni primi Epiſcopi Tongrenſis, in quo ſunt multa oſſa corporis eius per Ogerum Decanum de licentia Stephani Papæ quarti, anno Domini octingenteſimo quadrageſimo ſecundo, ex Treuiri Leodium translata.

*Pro quinta Vice.*

Feretrum Sancti Theodardi Epiſcopi Tongrenſis, & martyris, in quo corpus eius integraliter continetur vnà cum maiori parte corporis S. Magdalbertæ Virgnis.

Item feretrum ſanctorum Martyrum Petri, & Adoleti ſociorum, conſanguineorum B. Lamberti, qui cum eo paſſi ſunt. In quo feretro omnia oſſa eorum continentur, vno capite dempto: cuius tamen mandibula eſt ibidem, de quorum venerando martyrio in eorum oſſibus magna ſigna apparent. Item in eodem feretro eſt corpus S. Floriberti, Epiſcopi Leodienſis, & Confeſſoris.

*Pro ſexta Vice.*

Duæ monſtrantiæ deauratæ pares, in quibus ſunt diſtinctim, & decentiſſimè locatæ reliquiæ XII. Apoſtolorum. Quatuor Euangeliſtarum. Quatuor Doctorum Eccleſiæ, de Cruce S. Andreæ Apoſtoli, & Petra, ſupra quam Chriſtus præſentatus in Templo, de lapide, ſuper quem ſedit Virgo Maria, grauida de Chriſto, de palma, & veſte S. Ioannis Euangeliſtæ, de oſſibus, infula S. Martini, de oſſibus S. Nicolai Epiſcoporum, de oſſibus S. Leonardi S. Ægidij, S. Bernardi, & Ioannis Chryſoſtomi Confeſſorum.

*Pro ſeptima Vice.*

Quoddam Altare portatile, in quo habentur oſſa teſtæ S. Ioannis Baptiſtæ.

Quoddam aliud reliquiarium, in quo habentur reliquia infraſcriptæ videlicet, De ſpongia, de menſa, de Præſepio, & columna Chriſti.

*Pro octaua Vice.*

Corda nodoſa Beati Lamberti Martyris, & Pontificis.

*Pro nona Vice.*

Amictus plenus ſanguine, in quo Lambertus Martyr glorioſus Martyrium ſubijt.

Pars lintei, quo in die cænæ Chriſtus ſe ſuccinxit, & pedes diſcipulorum ſuorum exterſit.

*Pro decima Vice.*

Caput glorioſi Martyris Lamberti, vnà cum Capillis capitis ſui.

*Pro vndecima Vice.*

Velum, ſiue caputegumentum B. MARIAE Virginis.

*Pro duodecima Vice.*

Lignum ſalutiferæ Crucis Domini noſtri IESV Chriſti.

*Pro vltima Vice.*

Fuit oſtenſum feretrum Beatiſſimi Lamberti, in quo Veneranda oſſa ſui glorioſi corporis decentiſſimè continentur.

Item baculus Paſtoralis, quem eadem hora, qua Martyrium ſuſtulit Beatus Lambertus, Angelus Domini miraculosè præſentauit Papæ Sergio, mane in in aurora obdormienti, & annuntiauit ei Martyrium Beati Lamberti, quòdque Sanctum Hubertum Romæ peregrè in Eccleſia Sancti Petri exiſtentem, præficeret in Epiſcopum Tungrenſem. Quod, & Papa fecit Sergius, & Huberto Romæ in Eccleſia Sancti Petri in oratione reperto, baculum aſſignauit, quem idem Hubertus Leodium reportauit.

Item ſtola, manipulum, chirotecæ, ſandalia, calcei eiuſdem beatiſſ. Lamberti.

Item ſunt vltrà præmiſſas Sanctiſſimas reliquias in Eccleſia Leodienſi in Summo Altari, & infra Septa feretri Sancti Lamberti, in Capella S. Materni, & in Capella S. Ægidij diuerſæ aliæ Venerandæ reliquiæ, quæ propter earum multitudinem non fuerunt oſtẽſæ. Hæc auctor *Anonymus apud Suffridum Petri in Ioanne Horneo Epiſcopo Leodienſi* memorabat: neque in vanum facta; Ab ea enim piorum in Diuos deuotione, pax inter Reges Chriſtianos, ſublatis diſcordijs ſecuta eſt: ad confuſionem quidem Nouatorum, qui has Sanctorũ exuuias, per ſummam impietatem vel contemnunt, vel blaſphemant: ad conſolationem verò piorum Orthodoxorum, qui illas, & pro amuletis contra aduerſa corporis, animique, & pro clypeis, vel præſidijs, contra aduerſarias, ſiue ſpirituales, ſiue corporales poteſtates habent, ſuſpiciunt, & venerantur, perpetuò experti, & experientes opem, ac tutelam eorum, quorum Sacra pignora in neceſſitate reſpiciunt.

*SS. precibus pax obtinetur.*

XIV. *Nipho vir probus fit Patriarcha Conſtantinopolitanus*

Hoc tempore Maximo Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Patriarcha defuncto, Græci Antiſtites Synodum Patriarchę legendi gratia egerunt, & ſuffragatione ritè facta, Niphonem Pontificem Theſſalonicen-

tem

ſem ſuffecerunt. Ea electione peracta, dederunt ei minorem ſignificationem: deinde etiam maiorem, veſpertino cãtu finito. Inde Haracleenſis ei pedũ Paſtorale in man⁹ tradidit: & ipſe, celſiſſima Patriarchica ſede conſcenſa, ſacro & laico benè precatus eſt ordini. Erat huius Patriarchæ maximus vſus: de ſuggeſtoque ſingulis diebus docebat. Non ille quidem alijs omnibus doctior erat: ſed latè profluens inerat oratio, & ſententiarum pondus: propterea quod cæteris Philoſophis, qui hoc tempore erant, antecellebat. Patriam ei Peloponneſus præbuerat, hodiè Moræa appellata. Matrem habuit Romanam, id eſt, Græcam, nobiliſſimo genere natam: patrem, vnum ex Albanicis Proceribus. Ab ineunte ætate, monaſticæ vitæ cupiditate arſit. Hoc animo præditus, reliquit parentes ſuos, ſeque in Sancti Montis Monaſterium, Pantocratoris nomine dictum, contulit: vbi in Monachorum cætum cooptatus, poſteà Sacerdotis titulo ornatus fuit. Ac ſanè multos annos in illo Monaſterio exegit: donec mortuo Theſſalonicenſi Metropolita, thronus eius abſque ſacrorum Antiſtite, ac Paſtore manſit. Congregati igitur Epiſcopi Theſſalonicæ cuncti, Metropolin ingreſſi ſunt. Vbi Synodo facta, præſentibus Clericis, & alijs ſacrorum Ordinum viris, Primoribuſque Ciuitatis, & cuncto pupulo legerant ipſum Niphonem, miſſiſque honeſtiſſimis hominibus, ac Clericis in montem Sanctum, ipſum venire ad ſe, vt Pontifex fieret, iuſſere: quòd præclara de ipſo fama ſparſa erat; longè, latèque. Nolebat eos audire Nipho: recuſabat exire de Monaſterio, & Pontifex fieri. Patres verò Monaſterij, acceſſerunt ad ipſum, & rogarunt, atque cohortati ſunt: hoc ex re populi fore omnino, *inquiebant*, opus eſt Eccleſiæ digno Paſtore. Ideò nè detrecta noſtram cohortationem, ſedi pedibus fauſtis, noſtris comitatus precibus, cape paſcendo Chriſti de nomine dicto gregi thronum. Tunc ille, oratione ipſorum victus (nihil quippe, quod contradiceret, habebat) nè contumax aduerſus illos videretur ſupremum Monaſterio valedixit, & ſeniorum cætui, adeòque omnibus fratribus, Theſſalonicenſiſq; Metropolita renunciatus eſt. Inde ſecuto tempore, Patriarchicum Conſtantinopoli decus accepit, ſed non diu retinuit, grauiſſima tempeſtate, ea ſede eiectus. Erat ſuperiori tempore Symeon Trapezuntius, Patriarcha Conſtantinopolis, qui diem ſuum obijt, relictis magnis, propè innumeris opibus; nullo per vitam teſtamento ſuper eis facto, Eccleſiæ ne cederent, an Monaſterijs inferrentur, an aliò deportarentur, vbi commodum videretur, ſed inteſtato mortuus eſt. Cæterum Patriarcha factus hic Nipho, non inſinuauit, vt honore aliquo afficeret Amerutzæ Scerdebei filiũ tunc Regiæ pecuniæ præpoſitum, & in viciniaPatriarchij habitantem. Vnde dolorem non paruum hic cepit: ſe, cui prorſus nihil honoris Patriarcha habuiſſet, ab eo deſpectum iudicans. Alebat itaque odium, tamquam venenum in ventre abditum, aduerſus Patriarchã: ac tempus ei euomẽdo opportunũ captabat: ſicut etiam fecit. Nam cùm ſciret, Patriarchæ Symeoni defuncto nullum eſſe hæredem, omnes illas facultates, aliaque Eccleſiæ vaſa, ærario Regio vendicabat. Dicebat enim, quæcumque ſacra vaſa, & alia, viuente illo Patriarcha dedicata fuiſſent, omnia pertinere ad Regẽ. Arripuit ergo iſte Amerutza libros Euangelicos eleganter ornatos, argentea thuribula, pulchras imagines, velamina ſacra varij generis, ſceptra argẽtea, & alia id genus multa: quarũ Eccleſiaſticarũ rerũ omniũ preciũ, excurrebat ad Aſperorũ millia centũ octoginta. Oẽs quoq; Clericos in cuſtodiam coniecit. Ita magna in Patriarchio perſecutio extitit. Patriarcha, quid ad hęc faceret, animo dubius, conſiliũ cum quibuſdam Proceribus cepit, ac teſtes ſubornauit, qui dicerent; Baſilium quendam, eſſe mortui Patriarchæ nepotem ex ſorore Hoc ipſi, ſicuti à Patriarcha inſtructi erant, pro teſtimonio dixerunt. Verùm Amerutza exactè ſciebat, illos falſum teſtatos eſſe; quia non ità erat, ſicut ipſi dixerant. Hoc ei, vt Trapezunte oriundo, & res Symeonis cognitas habenti, probè notum erat. Tantùm Patriarchæ pronepos Baſilius fuit, è ſororis eius filia. Hic nactus occaſionem Amerutza, euomuit venenum, quod intra ſe habuerat contra Patriarcham, eoque eum infecit, & necauit. Retulit autem rem ad Baiaſitem Tunc hic, cùm audiſſet vehementer Patriarchæ iratus eſt, eumque auguſta illa ſede deiecit, & ex vrbe in exilium pepulit. Tribus verò teſtibus naſos amputari imperauit, quorum teſtium vnus, Hieromonachus erat nomine Antonius. Remanſit thronus longo tempore Patriarcha vacuus. Nipho verò, qui Patriarcham egerat, vrbem clam, in conſulto Sultano intrauit, tantùm Quæſtore conſcio, Charatzij perſoluendi cauſa. Quo facto, rurſus clanculũ aufugit, nè ab aliquo conſpiceretur, qui ipsũ Sultano proderet, à quo capite mulctaretur. Cũ itaq; Sultanus magnã iram aduersùs Patriarchã gereret Clericos acciuit, iiſque mandauit, alium Patriarcham facerent: nemo verò illum alterum, qui anteà fuiſſet, reciperet, nec vllam cum eo commercium haberet. alioquin, ſi quis hoc interdictum violans deprehenderetur, eum ſuſpenſum iri. Audita tam ſeuera ſententia, & comminatione Sultani, coactum eſt Cõcilium Pontificum, Clericorum, nobilium, & totius plebis, Patriarchæ creandi cauſa. Ibi animis difficili conſultatione diſtractis: cui nam potiſſimùm is honor mandandus eſſet, venit eis in mentem ſuperioris Patriarchæ Dionyſij, qui ſe munere abdicauerat, & in Cænobio Coſinitzæ verſabatur: propter inuiſta calumniã, qua quidã ipſum circumciſionis crimine infamauerant. Ita Sultano indicarunt, ſe inueniſſe virum, Patriarchatu dignum. Tunc ipſe ſtatim certos homines ad illum miſit cum mandatis: qui profecti, quantumuis reluctantem, adduxerunt inuitum. Erat tunc is valdè ſenex. Vt aduenit in magnam Eccleſiam Dionyſius, iterumque Patriarchicã ſedem cepit, currentes venere Pontifices, clerici, quiuis Sacrorum Ordinum participes, nobiles, & plebeius ordo, debitamque reuerentiam, & gratulationem exhibentes, fauſtam inuicem ab eo precationem acceperunt. Perfectæ virtutis in hoc Patriarcha imago conſpiciebatur, tantaque Monaſticæ diſciplinæ ſcientia, & vſus, vt nemo cum eo comparandus eſſet. Multum ille ieiunabat: totas noctes inuigilabat precibus. Quotieſcũque aliquò iturus Eccleſiaſtici negotij cauſſa eſſet, numquam equo vehebatur, ſed pedibus iter faciebat, licèt ſumma ſenectute. Aliam ex alia Eccleſiam adibat, precationes, & ſupplicationes faciens. Conſumpſit in adminiſtratione Patriarchica duos menſes, & aliquot annos. Tum reſignatione facta, in Monaſterium ſuum, vbi anteà fuerat, Coſinitzæ, ad opera pænitentiæ, & pietatis ſe retulit. *Auctor hiſt. Eccleſiaſticæ Turco-Græciæ lib. 2.*

XV. *Vterq; Patriarcha cum Romana Eccleſia conſentiebat.*

Duorum iſtorum Patriarcharum mentionem adeò libentiùs fecimus, quia vterque ab vnione cum Eccleſia Romana non abhorrebat: quinimò & Pontificibus Romanis deferebat, & Sacrum œcuminicum Florentinum Concilium pro legitimo agnoſcebat. Quo tempore enim Gregorius Zeminlachus, ex Egumeno Conſtantinopolitano, in Metropolitem Ruſſiæ, & Moſchouiæ vniuerſæ, intercedente Iſidoro Anteceſſore, qui Florentiæ interfuerat, à Pio Secundo Pont Max. ſuffectus fuerat; Moſchouitæ autem ad ſchiſma procliues, Ionam quendam elegerant: Dionyſius primo Patriarchio, omnibus Epiſcopis & populis Moſcouitarum ſcripſit, & pro authoritate imperauit, vt Gregorium Metropolitem, verum, & legitimè creatum agnoſcerẽt, eique in omnibus obtemperarent: Ionam verò, tamquã ſchiſmaticum execrarentur: qui neque Romano Antiſtiti, neque Eccleſiæ





Occidentali, neq; Florentino Concilio cõmunicaret. Obſecuti ſunt id tẽporis Dionyſio, Moſcouitę, Ionaq; relicto, Gregorium Iſidori ſucceſſorem, à Pio II. creatum, Florentini Cõcilij, & vnionis Eccleſiaſticę tenacem amplexi ſunt, ità Dionyſio iubente. Nipho porrò, cum iterum Patriarchio præfuiſſet, interrogatus ab Ioſepho, cognomento Soltano, Metropolita Ruſſorum, quid de Florentino Concilio cenſeret, hoc modo reſcripſit.

*Nipho, Dei miſeratione Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, nouæ Romæ, Oecumenicus Patriarcha piiſſimo, & Deo dilecto Ioſepho fratri, & Conſeruo, Metropolitæ Kiiouienſium, & totius Ruſſiæ, ſalutem. Accepimus litteras dilectionis ſuæ, ſcriptas humilitati noſtræ, quibus ſignificas, Romanorum Eccleſiæ Epiſcopos Ruthenos, & Lituanos vobis moleſtos eſſe, voſque compellere ad vnitatem Eccleſiaſticam Florentiæ decretam. Vnde metuis ingentia pericula, amiſſionem priuilegiorum, & libertatis, quæ illo tempore, quando vnio decreta eſt, à Regibus Poloniæ vobis conceſſa ſunt. Poſtulas itaque à nobis auxilium, & ad veſtrum potentiſſimum Regem commendatorias. Deſideras inſuper ſcire de hac Synodo, quomodò fuerit tranſacta, vt poſſis reddere rationem omnibus perſequentibus, & compellentibus ad vnionem. Scias igitur, eam Synodum legitimè fuiſſe congregatam, & magnificè totius Orbis lætitia, & conſenſu comprobatam: idque præſentibus, Illuſtri Imperatore noſtro, Ioanne Palæologo, & SS. Patriarcha Conſtantinopoleos, beatæ mem. Ioſepho, non ita pridem ante nos ſedente: & Vicarijs, ſeu Legatis fratrum noſtrorum Patriacharum, Archiepiſcoporum, & principum, Orientalem Eccleſiam repræſentantium: præſente quoque Epiſcopo Romano vnà cum ſuis Cæterum, cum nonnulli gentis noſtræ, qui domi remanſerant, noluiſſent decretam amplecti vnionem, fortè ex odio in Latinos: ideò apud nos confuſio & nullus ordo: quando oues nobis concreditæ, Imperium, & arbitrium in nos ſibi vſurpant: quorum peruicaciæ reſiſtere non poſſumus. & quis ſcit, ſi non ideò diuinæ iracundiæ furor in nos deſæuit, & in dies deſæuire non intermittit, quòd ſanctam vnitatem reſpuerimus: vt prætercam, quòd ſubſidia Latinorum non tantùm amiſerimus, ſed etiam in eos offendimus. Quamobrem neque mirari oportet, ſi etiam vobis ſunt difficiles: quamuis non iniuſtam excuſationem habeas, dum inſcio Patriarcha Conſtantinopolitæ nequicquam tibi licere dicis. Nos certe, quamquam maximè cuperemus, nihil facere poſſumus eorum, quæ nobis expediunt. Ergo illi minimè de nobis conquerantur, ſed potiùs calamitatibus noſtris compatientes, Deum nobis propitium reddant, vt à tyrannica ſeruitute libertati, denuò vniamur, diuina fauente clementia. Tu verò nè nimiùm reluctaueris, ſed amicè cum Latinis verſare (nam & noſtris Sacerdotibus, in dominio Veneto degentibus, nos vtique iniunximus, vt vnà cum iiſdem Latinis, ſeruato tamen Eccleſiæ Orientalis ritu, ſimul orent, & congregentur) ſed ritus patrios obſerua. Namq; nõ prius maiores noſtri in vnionem Florentinam cõſenſerunt, quàm priuilegia noſtra fuiſſent confirmata. Scripſimus Principibus, & Antiſtibus Ruthenis, ac Lituanis noſtri ritus, vt tibi in omnibus ad nutum ſint. Anno* 7000. *die* 5. *Aprilis. Indictione* 11.

Et annalibus Ruthenorum *Leo Creuſa Archimandrita Vilnen. in lib. defenſionum Eccleſiaſticæ vnionis Vilnæ impreſſo* 1618. *apud Leonem Mamonicum.*

XVI. *Egregium Ædis Lauretanæ teſtimonium.*

Eodem anno Baptiſta Mantuanus Theologus idẽ, ac Poëta egregius initio ſuæ hiſtoriæ, egregium Ædi Laurentanæ tribuit teſtimonium, ꝙ ab re nõ erit huic hiſtoriæ intexere. *Cùm nuper*, inquit, *veniſſem, ad Sacratiſſimæ Virginis Mariæ Sanctum domicilium, vidiſſemque qualia, & quanta Deus oſtendit in te loco miracula, & ſuæ virtutis, atque clementiæ ſigna manifeſtiſſima: me ſubitò horror inuaſit, & viſus ſum audire vocem Domini loquentis ad Moſen. Non appropinques huc, ſolue calciamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Inde præfatus legiſſe ſe in templo Laurerano tabula in parieti affixã, ſitu, & caue corroſam, in quã vnde, & quonam pacto locus ille tantam ſibi vendicaſſet authoritatem, conſcripta erat hiſtoria, hæc inquam præfatus adiecit. *Hiſtoria igitur in tabella continebatur eiuſmodi, Templum B. Dei Genitricis Lauretanæ quondam ipſius Virginis cubiculum fuit, in quo nata, nutrita, ab Angelo Gabriele ſalutata, & Spiritu ſancto fuit obumbrata.* Cætera inde perſequitur, quæ à Præpoſito Teremano memoriæ prodita, & in Lauretana Æde propoſita diximus: vt ex Teremani tabulâ eſſe deprompta ſatis appareat. Ad extremum auguſtiſſimæ huius Domus laudationẽ ingreſſus, eã non modò terreſtri paradiſo, vbi Eua, ex Adæ latere efficta eſt: Mõti Sinæo, vbi lex data: templo Salomonis præcipua numinis pręſentia inclyto; Bethleemio antro, quæ cunabula fuerunt Saluatoris: Tabori Monti, vbi Chriſtus clariſſima luce circumfuſus apparuit cum Moſe, & Helia colloquens. Monti oliuarum, vnde Chriſtus triumphans aſcendit in cælum: verùm etiam auguſtiſſimo Chriſti ſepulchro, quo nihil in terris ſanctius habetur, longè, multumque anteponit, præcipuè quòd hic Deus humanitate indutus, fundamenta iecerit ſalutis humanæ. Cuius laudationis illa eſt inſignis ſanè, ac frugifera clauſula. *Sed quid plura de Domus huius ineffabili dignitate commemorare pergo? libet mihi Iacob Patriarchæ ſermone concludere. Terribilis eſt locus iſte, non eſt hic aliud, niſi Domus Dei, & porta cæli.* Ergò à Mantuano, viro celeberrimo prodita litteris eſt Lauretana hiſtoria, quæ ad eũ diem ſermonibus tantùm vſurpabatur. Ex eo tempore vulgari cæpta, magno vel Lauretanæ religionis incremento, vel mortalium bono. Namq; ea, quam dico, hiſtoria breui volumine circumlata, cùm auidè, & paſſim lectitaretur: plurimorum animos ad Lauretanam Ædem viſendam, colendamque pellexit. Cæterùm annus ille non magis Mantuani hiſtoria, quàm egregio nobiliſſimi Principis dono inſignis fuit. Quippe eodem ipſo anno M. CCCC. LXXXIX. Stephanus Bathorius, Tranſiluaniæ Princeps (Vaiuodam ipſi appellant) argenteum B. MARIAE ſimulacrum ferè ſeſquicubitale, egregiè factum, pulchrèque auro interlitum, Lauretanæ Virgini donũ miſit. Ad Virginis pedes Vaiuodæ ipſius armati effigies, item ex argento ſupplex viſitur. Votiuum eſſe donum, cauſa baſi inſcripta declarat. *Magnif. D. Comes Stephanus de Bathor, Vaiuoda Tranſiluanus, & Siculorum Comes, nec non Iudex Curiæ Sereniſſimi Principis D. Matthiæ, Dei gratia Regis Vngar. Boem. &c. in honorem Dei, & eius Genitricis Mariæ, ob eam cauſam, quòd ipſe per interceſſionem eiuſdem Virginis Glorioſæ, à quodam maximo periculo liberatus fuit. Anno M. CCCC. LXXXVIIII. dicauit.*

XVII. *Ope B. Virginis Lauretanæ obſeſſa à Dæmonibus mulier liberatur.*

Idem porrò annus inſigni miraculo memorabilis perhibetur: Petrus cognomento Orgentorix ciuis Grationopolitanus fuit genere, atque opibus clarus. Huius vxor Antonia nomine pari nobilitate mulier à ſeptem teterrimis diabolis obſeſſa tenebatur. Petrus igitur liberandæ coniugi intentus, cùm nihil in Gallia inexpertum reliquiſſent, eam adduxit in Italiam. Ac primò Mediolani ad S. Iulij, inde Mutinæ ad S. Geminiani, denique Romæ ad ſacram Columnam ſolemnes exorciſmi, nequicquam adhibiti, Deo liberatæ mulieris decus Lauretanæ Virgini reſeruante. Iamque Orgentorix, conſilij, auxilijque inops, in patriam deſperata re, cogitabat, cùm in Rhodium equitem incidit ſibi notum, & Lauretanæ Virginis ſatis gnarum. Huius ſuaſu, fiduciæ plenus venit cum vxore Lauretum an. eius ſeculi LXXXIX. Quò vt ventum eſt, mulier ſumma vi obluctans, à decem robuſtis viris alleuatur, & in Sanctiſſimam cellam delata, ante B. MARIÆ effigiem ſiſtitur. Stephanus Francigena, Canonicus Auximanus erat tum cuſtos Sacroſancti Sacelli, vir probitatis, ac virtutis expertę, qui vexatores diabolos exorciſmis de more vrgere cæpit. Illi iubente Stephano nomina ſua profeſſi, exire obſtinatè recuſabant. Sed vicit Dæmonum obſtinationem conſtantia Sacerdotis, & diuina vis. Itaque eorum quatuor Dei numine, alius pòſt aliam exacti, ingentibus ædem clamoribus impleuere. Tres erant reliqui pertinaciores cæteris. Hos igitur Stephanus maiore vi adortus, & Mariæ nomen inclamans, premere inſtitit. Haud ita multò pòſt quintus (Heroth nomen erat)

malis feſſus, exceſſit ſigno dato. Stephanumque compellans ait: MARIA nos eijcit, non tu. Inde ſextus (cui nomen Horribilis) erumpens vociferatur queribundus. *Maria Maria* nimiùm in nos ſæuis. Cæteris eiectis, poſtremus nomine Arcto, ante omnes alios pertinax lamentari magno gemitu, eiulatuque cæpit. Nimis potentis *Maria*, vtiq; in hoc loco, vbi nos ex noſtra poſſeſſione eijcis inuitiſſimos. Illata cum honore eius loci mentio ſciſcitandi cupidinem Stephano iniecit. Ergò mendaci ad verum extorquendum, ſedulò inſtandum ratus, percontari, quis tandem ille eſſet locus, in eoq; perſtans Dei, ac Deiparæ nomine imperare, vt verum eloqueretur. Nec fruſtrà. Arctus exorciſmorum vi ſubactus tandem profitetur, illud eſſe Deiparæ cubiculum, vbi Deum Gabriëlis nuncio conceperit, & ſimul adiungit, ſe diuinitùs ſubigi, verum in præſentia edicere. Tum verò Stephanum cupido inceſſit cognoſcendi, vbi Angelus ſteriſſet ſalutans Virginem, vbi Virgo cùm ſalutaretur, oraret. Igitur vt ex mendacij patre verum exſculperet ſolemnibus exorciſmis ſubigere inſtitit, vtrumq; vt locum demonſtraret ſedulò. Ille demùm diuina vi coactus enunciauit, Virginem quidem in cellæ angulo vltrà cornu Euangelij, ad dextram Sacroſancti camini (vbi nunc eſt ſcabellum aptum genibus flectendis) Deo ſupplicantem à Gabriële ſalutatam: ipſum verò Angelum ex diametro in aduerſo angulo ad feneſtrę dextrā ſubſtitiſſe. vt facilè appareat ab Angelo, Virginis reuerentia, quàm remotiſſimum locum intra cellæ parietes eſſe quæſitum. Arctus ergò hiſce rebus enunciatis, tandem ex corpore obſeſſæ mulieris excuſſus, eam reliquit exanimem. At illa haud multò poſt ex pauimento, vbi proſtrata iacuerat, redeunte animo ſurgit: ſimul cum viro ingentes Lauretanæ Virgini grates agit, vota perſoluit. Haud facilè res alia huius generis nobilior, teſtatiorq;. Interfuerunt pleriq; primorum Recinetenſis Ciuitatis, in quibus Io. Fran.cus Angelita pater eius, qui Lauretanæ Virginis hiſtoriam texuit. Interfuit Antonius Bonfinis Aſculanus, is, qui Vngarici Regni Decadas ſcripſit. Itemq; Io. Bapt. Mantuanus, vt ipſemet in Lauretana hiſtoria profitetur. Qui ad ea, quæ diximus; hoc addit: Arctum illum ritè exorciſmis ſubactum, hoc quoq; inter cętera indicaſſe. Sacram Virginis cellam, antequàm Nazaretho excederet, Carmelitanorum curæ commiſſam fuiſſe. Quæ quamuis mendacis Diaboli indicio enunciata, tamen quia veracis, ac præpotentis Dei vi, ac nomine ſunt extorta, haud pro vanis habenda, præſertim cùm veriſimilia ſint, & Chriſtianæ Religionis augeant cultum. *Turſellinus Laur. hiſt. cap. 7. lib. 2. & alleg. Bapt. Mant. & Hier. Ang.*

XVIII. *Vita, & obitus B. Stanislai ex Ord. Canonicorum Regularium.*

Hoc anno, mortalitatem, Cazimiro, Cracouiæ, in Cænobio Corporis Chriſti exuit, B. Stanislaus Canonicus Regularis. Honeſtis in ea ciuitate parentibus natus, tyrocinium in Vniuerſitate Cracouien. primò poſuit, tanto profectu, vt æquales omnes ſcientia ſuperarit. Inde inter Canonicos Regulares, regulam S. Auguſtini, profeſſus, tanquam lucerna ſuper candelabrum poſita, vitæ Sanctimonia, & perfectione virtutum adeò effulſit, vt breui tempore Concionatoris, paulò poſt Lectoris, deinde Pro-Prioris munus obire fuerit coactus. His officijs perfunctus, plurimos doctrina, exemplo, charitate inprimis actuoſa Chriſto lucrifecit: maximè quando miſericordiæ opera ſedulò exerceret. Bis tantum, ſingulis ſeptimanis reficiebatur: cilicium aſperrimum geſtabat: nuda in humo capiti ſuppoſito lapide ſomnum fallebat: vigilijs, orationibus, contemplationi in Eccleſia noctes, dieſque incumbebat; Sacrificium myſticum quotidiè ſumma cum deuotione litabat: ſilentium perpetuum meditationibus ſeruabat: vnde aliquando meruit, Reginam Cælorum cum filiolo, & Sancto Stanislao apparentem aſpicere, atque ab ea audire; *Gaude fili Stanislaë, de inſigni tua iſte deuotione, qua me, & S. Stanislaum proſequeris. Viriliter age: Te enim vnà cum Sanctis meis, merces copioſa expectat in cælis.* In his exercitijs virtutum, ad præmia æterna properanti, apparuit illi Chriſtus, cum Matre, Sanctis Poloniæ tutelaribus comitatus, & blandè compellans, *Surge*, inquit, *& feſtina fili mi Stanislaë, hodiè enim mecum eris in paradiſo.* Quibus verbis animatus, cũ ſe æternitati per vſum Sacrorum præparaſſet, in illis verbis, *In manus tuas*, Domino ſpiritum exilientem commendauit, multis miraculis clariſſimus. Centum LXXIII. nuper in lucem dedit, *Chriſtophorus Lonicuius, eiuſdem Cænobij profeſſus, in lib. de vita, & miraculis B. Stanislai Cazimirien.*

XIX. *Item B. Petri Mogliani Minoritæ.*

Eodem anno, Camerini in Italia, diem clauſit extremum B. Petrus Moglianus Minorita, magnus hoc tempore diuini verbi præco, potens in opere, & ſermone. Sola inuocatione nominis IESV, & ſigno S. Crucis multos infirmos curauit; aliquem etiā cæcū illuminauit. Mortis diem, à reuelatione diuina pręcognouit. In agone poſitus, totis duobus diebus Satanam tentatorē, varias formas induentem, & quà terrorem incutientem, quà à fide Chriſtiana abducere conantem aſpexit, audiuit, & per gratiam diuinam vicit, profligauitque; maximè quando Fratribus aſtantibus inſinuauit, vt Paſſionis Dominicæ hiſtoriam ſecundum Mattheum prælegerent. Ex eius enim ferè ſingulis ſententijs, Incarnationis, vitæ, mortis, & reſurrectionis Chriſti myſteria, de quibus tentabatur, veteratori demonſtrauit, eoq; effugato lætus ad cælum emigrauit. Duodecimo à morte anno, cum Magiſtratus Camerinas vellet eum in alium locum transferre, manu laica feretrum mouere non potuit; donec Minoritæ acciti ſuas admonuiſſent, *hiſt. Seraph. lib. 7. c. 13.*

XX. *Et B. Bartholomæi Seruitæ.*

Hoc ipſo anno, B. Bartholomeus à Vico foreſto, Ord. Seruorum B. V. M. apud Brixiam deſijt eſſe in humanis. Natus is patre agricola, à teneris annis ſpecimen probitatis dabat. Bergomi, Conuerſorum, inter Seruitas habitu ſuſcepto, Brixiam ad viliora Monaſterij officia deſtinatus, tres, & triginta annos continuos, coquinæ miniſteria tam ſedulò exercuit, vt numquam tamen diuinis, nocturnis pariter, & diurnis precibus in templo deeſſet, aut regulares obſeruationes omitteret. Quarè cum aliquando à Fratribus increparetur, quòd nimius in oratione proprium officium negligeret, & dapes hora competenti in coquina nequaquam pararentur, Bartholomæus humiliter reſpondebat; ne eſſent, tam ſolliciti, per IESVM, de prandio, vel de cęna: omnia ad horam opportunam futura parata. & rei probabat euentus, illum nequicquam fallere. Vnde in vulgus fama manauit, Angelos, qui in deſerto Chriſto miniſtrauerant, Bartholomæi, dum is orationi vacaret, munus in coquina exercere. Auxit fidem, dùm alijs tempus non orandi, ſed vaſa neceſſaria mundandi exprobrantibus, vtenſilia, quę inquinata relicta eſſe viderant, abluta, mundaque oſtendit. Aliquando fracto lebete & dapibus effuſis, Bartholomæus oratione præmiſſa, habuit ab Angelorum miniſterio, quod Fratribus apponeret, tamquam ſi nihil omninò damni in coquina accidiſſet. In hoc humilitatis, & ſanctitatis exercitio, totidem annis, quot Chriſtus vixerat, conſumptis, migrauit ad cælum, in peruigilio ſui tutelaris: pòſt mortem illuſtratus miraculis.
*Archangelus Gianius. Annal. Seru. Cent. 3. lib. 4. c. 8.*

* * *





# ANNO CHRISTI 1490.

## INNOCENTII PAPÆ VIII. Anno 7.

## FRIDERICI ROMAN. IMPERAT. Anno 51.

## MAXIMILIANI I. ROMANORVM REGIS Anno 5.

I. *Ferdinandus Neapolitanus Rex Innocentiū PP. denigrare molitur.*

SEd neque hoc anno Ferdinandus Rex Neapolitanus quicquam omiſit, Innocentio Pontifici vexando. Præter hoc, quod nec vectigal annuum ſolueret, neque Proceres libertate, aut patria donaret, neque alijs ex pacto conditionibus ſatisfaceret: criminatorias etiam in illum, inprimis ad Fridericum Imperatorem, deinde ad Reges, & Principes Chriſtianos ſcripſit: in quibus auaritiam, ſacrilegium, libidinem, Pontifici, atque eius perneceſſarijs affingebat; vtque hominem dignitate exuerent, incitabat. Non facile fuit iſtis imponere: quibus perſpectum fuerat, hæc omnia à malo animo proficiſci. Quamobrem Fridericus, rerum omnium non ignarus, Ferdinando interminatus eſt, ſe in Italiam cum exercitu venturum, aut verò Maximilianum Regem, filium miſſurum, niſi ille æquior Pontifici eſſet. In hanc rem, Bernardum Stich Oratorem in Italiam deſtinauit, qui primo quidem Innocentium, deinde Ferdinandum adiret: & illi quidem abundè ſubſidia, in contumacem offerret, hunc verò ad obſequium Pontifici debitum induceret: ac ſi poſſet, pacem inter ambos, ſi non detrectaſſent, conciliaret. *Vialardus in vita. Infixura in notis diarijs.*

II. *Principes Chriſtianos in Turcas armare ſatagit Innoc. Pontifex.*

Inter has moleſtias non intermiſit Pontifex cogitationem, atque curam belli ſacri: ſed quandoquidem miſſis vndique Nuncijs, Imperatorem, Reges, Reſpublicas, ac Principes abſolutos, eò adduxiſſet, vt hi ſuos Oratores cum plenaria facultate, ad xxv. diem Martij, Romam deſtinarint: quibus cum de ratione belli ſuſcipiendi, gerendiq; contra Turcas decerneret, vſus occaſione Zizimi, Romæ tunc opem Chriſtianorum in fratrem Baiaſitem implorantis, atque certam de hoſte victoriam, & ex eadem omnia ſpecioſa vniuerſæ Chriſtianitati pollicentis, facilè eos ad ſacram militiam animauit: vt hi in ſe omnino receperint, nomineque Regum, ac Principum, à quibus miſſi ſpoponderint, minimè defuturos omnes, viribus, ac pecunijs ad tyrannum deprimendum. Adfuerunt à Friderico Imperatore, à Maximiliano Romanorum, item à Galliæ, Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Poloniæ, Bohemiæ, & Vngariæ Regibus, à Venetis; Sabaudo, Inſubre, Florentinis, Lyguribus, Senenſibus, Lucenſibus, Heluetijs, Saxone, Bauaro, Brandeburgico, Rhodijs, & alijs Oratores: quorum conſilio, & aſſenſu ſtetit, vt in expenſos eius expeditionis, vnuſquiſque Princeps, ac Reſpub. decretam pro ſuo modo pecuniam numeraret, vel, aut milites, aut naues armaret; ſiue commeatu iuuaret. Pontificem Romanum, in annatis, decimis, vel quotidianis contributionibus exigendis, tum in indulgentijs, gratijs, ac priuilegijs promulgandis, Cruceque ſignatis ſub ſigna vocandis, nemo impediret. Cruce ſignatis terra, vel mari pugnaturis, domi, foriſque nemo moleſtiam inferret: Si aliquis trium Regum, vel Hiſpanus vel Gallus, vel Anglus copias in Turcam duceret, ipſe quoque Pontifex bello intereſſet; Sin Rex abeſſet Pontifex Legatum, vnum maritimis, alterum terreſtribus copijs Cardinalem præficeret. Itali, Hiſpani, Galli Angli, mari; Germani, Bohemi, Poloni, Angli, & reliqui rem terra gererent. Fœdus perpetuum inter eos deinceps eſſet neque quis, quemquam, quouis titulo laceſſeret, aut infeſtaret; ſed inter eos iuſtitium armorum tantiſper intercederet, donec victores de barbaro triumpharent. His in rem communem in pleno Oratorum Comitio decretis; Innocentius, ad Imperatorem quidem, & Romanorum, ac Daniæ Reges, nec non ad Principes Imperij, Raymundum S. Mariæ nouæ Cardinalem; ad Bohemiæ autem, Poloniæ, & Vngariæ Reges, Reginum S. Cyriaci item Cardinalem, in Gallias autem & ad Venetos, Iulianum Rouereum, Cardinalem, Legatos: in Angliam porrò, & Scotiam, Petrum Vſumarium Genuenſem, Nuncium deſtinauit: qui à Sacro Comitio decreta peruulgarent, & ad tam neceſſariam expeditionem Europæos animarent, animarentque. Non hæc latebant Baiaſitem: qui vehementer ſibi metuens, nè à tanta conſenſione Principum Europæorum opprimeretur, S[illegible] Rhodiorum Magiſtro, Cardinali Dambuſſonio, ſibi eſſe in animo pacē cum Europæis colere, ſignificauit, ac proinde, quid ſibi facto opus foret, conſilium ab eodē expetijt. Suaſit ille, mittere oratorē. Non quod id ex re Chriſtianorum exiſtimaret: ſed vt tempus Innocentio conciliaret, armis, & viris parandis. Ergo Baiaſites, Rhodum primu ad Dabuſſonium traijcere Oratorem iuſſit: vnde nulla mora interpoſita, Petro nepoti, Guidoni Blanchefortio Priori Aruernenſi iunctus, Romam ad Innocentium die feſto S. Andreæ Apoſtoli venit, munera pretioſa dedit, à tribus anis Zizimo debitam ex pacto pecuniam numerauit: eadem 40. aureorum millia in annos ſingulos Zizimo pactam, ſe Pontifici ex fide numeraturum; ac præterea pacem perpetuam, & commerciorum ſecuritatem Chriſtianis ſe conceſſurum, ſeruaturumque promiſit: ſi modò Zizimum fratrem in cuſtodia honeſta, quoad viueret, retineret, & à meditato bello deſiſteret, atque alios Europæos euocaret. Contra Antonius Minorita, S. Sepulchri Hieroſolymæ præfectus, à Saladino Aegyptio Orator miſſus, Pontificem, ad ſuſceptum bellum incitabat, ſique Zizimum ad vxorē, ac liberos apud Saladinum viſendos dimittere ſuſtineret, montes aureos nomine illius offerebat. *Vialardus, & Infixura ſup. Boſſius lib. 14. hiſt. Rhod.*

III. *Hiſpani præliantur in terra Granatenſi.*

Ferdinandus Hiſpaniæ Rex, præ cæteris hortabatur Pontificem, vt occaſione Zizimi vteretur, neue aut Baiaſitem, aut Saladinum audiret: quandoquidem & ipſe pariter Mauros diſtineret, nè à bello reſpirare, aut Turcis auxilio eſſe poſſent. Huic bellum Mauricum conficere cogitanti, vnius modo Granatæ vrbis munitio opponebatur. Eius ſubigendæ præclara occaſio oblata eſt. Ciues nè externo quidem metu coerciti, correptis armis Regem Boabdilem (cui Ferdinandus ſuperiori tempore fidem dederat, cum ſuis omnibus inuiolatum fore) quod ſæpe fecerant, intra Albaicinum compulerant, ægra ſpe non iam de imperio, quod pereunte obſequio nullū erat, ſed de ſalute, de libertate laborantem. Commota multitudo indignari, fremere, tumultuari, minari exitium. Amicum Principem in periculo deſerere auxilia poſtulantem, iniquum erat; tametſi noui ex Oriente terrores oſtentari erant. Aegypti Saladinus potentiſſimus, niſi incepto deſiſteret Ferdinandus gentis Mauricæ impugnandæ eiſdem imbutæ ſacris, cæde vindicaturum ſe omnium, quicumque ex piorum natione in Aegypto, atque Syria reliqui erant, minabatur; nè à ſacris quidem, & templis temperaturum. Legatus in eam rem Antonius Millanus

Franciſcano Monaſterio Hieroſolymæ Præfectus, eadem Neapolitani Regis verbis, eo ex itinere conuento, monuit, vt fama ferebat, Mauricæ genti æquioris, quàm honeſtum eſſet, & fas Principi Chriſtiano. Nulla iniuria prouocatum debere ab iniuria temperare, neque mouere, vnde grauiores calamitates extarent. Sacris quamuis diſcrepantem gentem, temerè violandam non videri. Neque barbari minis, neque Neapolitani præceptis Ferdinandus eſt territus. Ad Sultanum tamen bello peracto Petrus Martyr legatus eſt, facti rationem redditurus: ad Neapolitanum in ipſo nouæ expeditionis procinctu, codicillis explicatæ cauſæ, cur iure Chriſtiano, imperium iniuria conſtitutum ab antiquo, & vnde multæ recentes offenſæ prouocarent, euertere honeſtum, faſque eſſet. De piorum ſalute laborare: ſed temperaturos dolori barbaros cognita veritate; neque commiſſuros vindictæ ſtudio, vt vectigalia amitterent, quæ genti grauiſsima imperabant. Nominis ſanctitas, non modo tutum à periculo indignitateque Antonium legatum præſtitit: ſed effecit, vt reuerentiſſimè officioſiſſimeque haberetur, dimitteretur que. Simul ad Granatenſes ciues miſſi, qui Ferdinandi verbis nunciarent; Si poſitis armis imperata facerent, eadem conditione, qua cæteri deditij futuros. Commouit ea denunciatio vtramque factionem, vt poſitis odijs de communi ſalute conſultarent. Neque ignorabat barbarus Rex, Ferdinandum magis nomen ad præſidium eius, quàm vires afferre: pro ſe verbo, pro ſeipſo re pugnaturum; neque ceſſaturum, niſi vrbe in poteſtatem redacta. Viri in ea gente ſancti inter vtroſque commeantes ad concordiam prouocare, obteſtari, monere, quod in rem foret. Seu finis belli eſſet, ſeu reſumere arma mallent, vnicum genti in pace præſidium; diſsidio vtroſque prædæ fore. Ergo ſancita concordia inter Mauros, Hiſpani prædabundi in Granatæ planiciem irruperunt, Rege ductore. Vaſtatæ circum ſegetes magno ciuium dolore, metuque, nè fame premerentur. Ioannes expeditionis comes, à patre Rege balteo militari donatus; Cordubam præda abacta. Mauri vix metu depulſo, ductore Boabdile, Alhendinum arcem Hiſpanorum præſidio recens munitam euerterunt. Ea iniuria vindicata, noua irruptione vaſtatis ab Rege panico milioque; quæ vna ſpes ſupererat vitæ ſequenti anno ſuſtentandæ. Guidixienſes quoque Mauri correptis armis tumultuantes, Hiſpanos, qui in arce erant, adacti vi perimere parabant: ſed Villenij celeritas ſeruauit. Per ſpeciem Fandaraxium impugnandi, quod oppidum ab imperio Abohardilis defecerat, Guidixium inuectus cum valida manu, equitum, peditumque, Mauros vrbe egreſſos, quaſi numerum luſtraturus, clauſis portis aditu prohibuit, Hiſpanoſque periculo eripuit. Rurſus Ferdinandus de menſe Auguſto in Granatæ fines, igne, ferroque populationes fecit. Nouo conatu Boabdiles, Salobrenam obſidebat, ſed magna diligentia & virtute, Franciſco Ramire defendente, nouoque à tergo terrore vrgēte, incepit, abſiſtere, Granatamq; ſeſe referre cōpulſus eſt. Abohardili datū ſubditis tumultuantibus, recuſantibuſque eius imperium, vt in Africam traijceret, ampliſſimis muneribus donatus, vti erat in ſuperiori fœdere cautum. Huic ſupplici, proſtratoque, donatum fuerat Fandaraxium, in montibus Granatæ ſitum municipium, adiectæ aliæ circum villæ, & pagi, prædiaque, vnde vitam ſuſtentaret, decem aureorū millia annuorum prouentuum, exiguum vectigal, leueq; regni excepti ſolamē; eò minori cōmiſeratione, quod imperium meminerant à parricidio inchoatum. Mauris recens ſubditis datum, vt recentis agris excluſi mœnibus, in ſuburbijs habitarent, nuda omni munitione rebellandi facultate ſublata, arma etiam & ferramēta detracta. Rebellātibus ſubditis Abohardili, cōceſſū m in Africam concedere. Quo abeunte, iam non niſi contra Boabdilem bellum reſtabat. *Mariana lib. 25. c. 14. 15.*

*IV. Moritur Hungariæ Rex Matthias.*

Cum hæc à Ferdinando Hiſpanorum Rege aduerſus Mauros agerentur, Matthiam Regem Vngariæ mors intempeſtiua oppreſſit, non tantùm, quòd Turcico bello gerendo inuictum animi ducem ſuſtulit, ſed etiam quòd tres potentiſſimos, Vngariæ regnum ad ſe quiſque iure ſuo trahentes, Principes, importuno tempore inter ſe commiſit, quando opera illorum contra Turcos, Innocentius Pontifex maximè opus haberet. Viennæ, in celebri feſtiuitate Palmarum, in theatro teporiario, quod in arcis ſubdiualibus pridiè erexerat, ornaueratque, ante aram pretioſiſſimo inſtructam apparatu, cum Legato Apoſtolico, omnibus Oratoribus, & cunctis procerum ordinibus, ſex circiter horis, donec Palmarum feſta ex more agerentur interfuerat: ac indè in palatium reuertens, ad huc horas prandere diſtulerat, Reginam expectans, Sacro die vrbana templa luſtrantem. Inde debilitato ſtomacho languorem incurrit; excandeſcens paulò poſt in famulum, à menſa ieiunus ſurrexit; vertigine capitis, & confuſione oculorum, deinde apoplexia correptus, ex qua die Martis proximo, Nonis Aprilis anno ætatis. 47. extinctus eſt. Inter funebria officia, affuit Apoſtolicus Legatus; Sacris operatus eſt Dominicus, Albæ Regiæ Antiſtes; Regem mortuum laudauit, Petrus Epiſcopus Lucerinus, Ferdinandi Neapolitani Orator. Quidam Moraui proceres, nuncio mortis tardius credidere; quoniam memoria tenebant, aliquoties famam mortis eius anteà ſparſam fuiſſe, ac ſemper illum magno alicuius malo reſurrexiſſe. Poſtquam certò apparuit ſepultum vnus è proceribus illis; à centum, *inquit*, annis, malus theſaurus melius tempeſtiuiuſque in terram conditus non eſt: malè enim ille fuerat mulctatus à Matthia. Funere Regio Albæ in Baſilica principe procurato, Beatrix Regina Budam reuerſa, authoritate, qua apud Hungaros poſt mariti quoque mortem pollebat, obtinuit vt interregno durante, ipſa potiſſimum regnaret: liberalitateque mox, & ſermonis Latini elegantia, tum item arte mulcendi aures hominum hactenus ſe inſinuauit, vt ſibi à compluribus concederetur poteſtas deligendi maritum, quem ad regnandum maximè ſciret appoſitum. Erant aliqui Ioannem Coruinum Matthiæ filium Regem acclamantes. Sed obteſtabat natalium macula, quòd non ex iuſtis nuptijs illum Matthias ſuſcepiſſet, Alij Ioannem Albertum Polonum, Cazimiri Regis filium, quod ferocior, & armis promptior eſſe videretur, iamque Tartaros Chriſtiani nominis hoſtes, magna cum nominis ſui gloria proſtrauerat, Regnoque vtilis crederetur, Regem optabant, & legatione ad eum miſſa, ad ſceptra capeſſenda vocabant, Germanis viciniores, Maximilianum Regem deſiderabant, quòd affirmarent, multis antè annis, Friderico imperatori eius patri, ac demum illi votis, & ſuffragijs vniuerſorum Ordinum, iuſta perpetuæ hæreditatis prærogatiua, ac tabulis ritè confectis, ſi Matthias abſque prole deceſſiſſet, regnū Hūgariæ illi delatum fuiſſe. Reliqui, omnibus alijs cōpetitoribus, atq; ipſo etiam Ioanne Coruino Matthiæ filio, præteritis, Vladiſlao Cazimiri Regis Poloniæ filio, tunc Bohemis imperitanti, quietis, & ocij appetentiſſimo homini, ſuffragāte Beatrice Regina, quæ illius nuptias appetebat, earūq; ſpe haud dubia ſuſtētabatur, & Stephano Zapoliano Palatino Comite Scepuſienſe, quē largitione, & ingētibus promiſſis in partes traduxerat, regnū detulere. Legato Apoſtolico vt Pontificia autoritate declaratis quæ videbat iuſtiſſima muniretur, præsēte & omnia de Vladiſlao acta probante. Hūc in factiones Hūgaria ſciſſa, Pānonica quoq; cōcordia turbata fuit, quatuor de poſſeſſione regni certantibus

*In eius locum eligitur Vladiſlaus Poloniæ Regis filius.*





quod oſtenta quædam paulò ante portenderant. Albæ, vbi Regum monumenta ſunt Hungariæ, coruorum mutuò inter ſe crocitantium, vellicantiumque ſeſe multitudo conſpecta eſt. Cumaræ, in turris faſtigio, quæ ſupra portam extollitur ciconia parente exploſa, quatuor inter ſe ciconiæ acerrimè ſanè decertabant. Itum ad arma inprimis à fratribus. Vladiſlaum non Bohemi iam ſoli, ſed & Moraui, & Sileſitæ iuuabant, vt rurſus cum regno Bohemiæ copularentur: Albertum parens Cazimirus copijs inſtruebat, grauiſſimè ferens, quòd maior natu filius, vno diademate contentus eſſe nollet: qui tamen quàm libenter ad arma deſcenderit, hinc liquet, quod plures conditiones rei fraternæ componendæ vltrò obtulerit; & cum neque patrem, neque fratrem mouere poſſet, ipſe in caſtris, quæ aduerſus fratrem parabantur, adeſſe noluit. Magna præterea cura, præfectis militiæ iniunxit, vt ſi ventum ad manus eſſet, meminiſſent, ab altera parte Albertum ſtare, quem fratri violare fas non eſſet. Sed parum abfuit, quin violaretur ob nimiam animi audaciam, qua poſt confoſſum ſub ſe vnum equum, altero rurſum in aciem inuectus eſt, ęgreque inde elapſus, inter fugam ſuorum, quos retinere non potuit, inſequētes Bohemos fruſtratus. Præter hæc cum de euentu belli certior factus eſſet, non obſcurè præ ſe tulit, magis lætari ſe de ſalute fratris, quàm de ſua victoria; miſſiſque ad eum Legatis, pacem cum eo æquis conditionibus fecit. Occurſum mox ab eodem Vladiſlao Ioanni notho Matthiæ filio, ad occupandam Budam feſtināti, quaſi illegitimi filij legitimā in regnis habere deberet ſucceſſionem. Opes addebant animum, quas Matthias ei cum toto patrimonio ſuo reliquerat, magna vi auri, & argenti adiecta, vt facilè militem ſcribere, exercitumque conflare potuerit. Hunc Valachorum auxilijs ferocientem, Vladiſlaus profligauit, & ingentem prædam inter militem partitus eſt. Maximilianus Rom. Rex, Vienna, Neoſtadio, Prucco, cæteriſque Auſtriæ oppidis recuperatis, ad inuadendam quoque Albam Regiam copijs admotis, eam militi diripiendam dedit. Budam exercitum promouēti, Vladiſlaus maiores copias in via obiecit, victoriam quoq; retulit, atq; Alba recepta, Regium in illa diadema ritu ſolenni ſuſcepit; viſuſque eſt non ſolum de viuis competitoribus, ſed de mortuo etiam æmulo triumphaſſe. Deficiente namque regni vexillo, quod Regi inter coronandum offerri ſolebat, detractum eſt Matthiæ vexillum, ſupra ſepulchrum eius ſuſpenſum, illudque in manus Vladiſlai velut triūphantis traditū. Omnis ordo coronationis, atque ſeries ex præſcripto librorum Pontificiorū pependit, illincque deſumpta, & perfecta eſt. Eius verò caput, & ſumma erat, ſacratis Antiſtitibus verba iuriſiurandi prælegentibus, Regem fide, & Sacramento adſtringi, quòd Religionem Catholicā, ac omnes Ordines in ſuis libertatibus, regniq; fines, & limites pro virili defenſurus eſſet; ac ius æquabiliter dicundo omnibus ex æquo iuſtitiam adminiſtraturus. Quibus verbis prolatis, ſacra eius capiti corona impoſita fuit. Sacrā appellarā ideò aiebant, quod cū eā Romæ fabrefactā Benedictus Pōtifex eius nominis ſeptimus, Meſconi, Polonorū Principi mittere animo deſtinaſſet, cælitus admonitū, vt illa potius Stephanum Pānoniæ Principē ornaret, qui recēs Religionem Chriſtianam ſuſcepiſſet. Sed me operæ precium facturum reor, ſi omnes cærimoniarum partes ſingillatim, ac minutatim, cum Bonfinio perſequar.

*Coronatur in Regē Hūgariæ.*

*V. Corationis ritus deſcribitur.*

Vndecimo Kalen. Octo. Vladiſlaus Rex, è proximis Dominici Antiſtitis ædibus, vbi reſidebat, præcedente honeſtiſſimo comitatu, & vniuerſo Pontificum ordine in Pontificio cultu progrediēte, detecto capite, demiſſiſq; crinibus, paludatus in Diuæ Genitricis Baſilicam prodijt: à dextra Vrbanus, Agrienſis Epiſcopus, à ſiniſtra, Sigiſmundus QuinquEccleſienſis erat. Ante hos Ioannes Coruinus iam reconciliatus, elatis manibus ſacrum diadema præferens; cuius latera hinc Stephanus Bathor, qui ſceptrum Regale, & Ioannes S. Georgij Comes; pomum aureum ferens, claudebat. Mox iſtos Stephanus Syrmienſis Epiſcopus auream pacem, & Prior Lauranæ crucem gerens anteibat. Quin & Paulus Kimiſius cum ſtricto gladio, & Matthias Gerebus cum enſe vagina recondito aurea; item Vladiſlaus veteris Palatini filius, Magiſter agazonum cum equo; & Vladiſlaus Loſontius cum Regali vexillo, præcedebant. Cæremoniarum ordinis Præfectura Ioanni Epiſcopo Varadienſi tradita; Oſualdo Zagabrienſi veluti Metropolitano ſacrorum operatio commendata; cū Hippolytus Strigonienſis Metropolita, cuius hoc ſacrū munus erat, ob immaturam adhuc ætatem non adeſſet. Vbi in Baſilicam peruentum eſt, præſidente in ſolio Rege, in parato ſuggeſtu, procurante cuncta Ioanne Varadienſi, omnes pro dignitate in ſubſellijs conſedere. Inſtructi verò ad myſteria Pontifices, in gradibus præ ara magna conſtructis, ſupra quam gladium ſtrictum, ſceptrum, & coronā, cæteraq; inſignia Regis impoſuere; item & arcanorum exorciſmorum oleum, ſine quo Regalia initia fieri ritè nequeunt. Vladiſlaus omnium religioſiſſimus, ad ſacra hæc accipienda inſignia ſe optimè præpararat. Eadē hebdomade alternis diebus ieiunia tria iam habuerat, quotidianaq; in Deum reſipiſcentia tanti regni molem obiturus, diuinam opem implorarat; haud inſcius, traditam à Deo poteſtatem ſine diuino præſidio geri non poſſe. Diebus aliquot ad Deum ingemuerat, vt quem Regem is elegerat, ſuis auſpicijs comprobaret, & vnà cum regno tueretur, in diuinoque ſemper obſequio retineret. Poſt conſenſum igitur omnium, cum Zagrabienſis, qui Metropolitani loco in coronatione fungebatur, ante magnam aram præſideret, Rex paludatus adhuc, cum Pontificibus, qui eius latera claudebant, ac reliqua manu Principum, è ſolio deſcendit, & occurrentibus in Pontificio habitu duobus Epiſcopis, ad Metropolitanum ductus eſt. Conſtitutus ante ipſum, ex more præueneratus eſt Antiſtitem. Mox è ductoribus Epiſcopis alter; Sacroſancta, *inquit*, Reuerende Pater, Eccleſia poſtulat, vt hunc delectum militem, in Regalem efferas dignitatem. At percontanti illi; An eo munere dignus eſſet; continuo eſt ab omnibus acclamatum, pro explorata viri ſapientia, & virtute, iam eſſe dignitſimum, & Reipub. ſalutarem. Poſt hæc Metropolitanus Sacroſancti patris officio fungens, admonuit; vt cum præclarum inter mortales locum inuenerit, ſed periculis, laboribus, ſolicitudineque perpetuò refertum; ſecum ipſe reputaret; cùm omnis à Deo poteſtas ſit, de grege ſibi commiſſo, Deo quoque rationem reddere oportere; pietatem itaque ipſi vſquequaque ſeruandam, Deum tota mente complectendum, colendum puro corde; Orthodoxam fidem, quam ab incunabilis hauſit, ad mortem vſque conſtantiſsimè retinendam, & pro virili parte defenſandam; Chriſti Vicarios, & Pontifices omnes, pro dignitate obſeruandos; Eccleſiaſticam vbique gentiū libertatem aſſerendam; diuina, & humana pro eorū ratione curanda; iuſtitiam citra perſonarum diſcrimen, vbique adminiſtrandam: exornandos eſſe bonos, malos verò nulla impunitate donandos; miſerabile quodlibet genus hominum, ab iniquiſſimo quouis detrimento vindicandum; faciles adeuntibus aures adhibendas, & manſuetudinem cum affabilitate præſtandam, nihil denique patrandam, quod ſit à Regia dignitate alienum; & regnum ſuæ fidei commiſsū, ita eſſe gubernandum, vt non ad priuatam, ſed publicam vtilitatem regnaſſe videatur: præmium denique rei benè geſtæ, non in terris, ſed in cælis poſtulandū. Contra Rex horum admonitus; Cùm diuinis, *inquit*, auſpicijs me, ad regendam Vngariam euocatum ſentiam, inprimis teſtor Deum Opt. Max. cæteroſq;

*Fidem & Religionẽ promotu-rũ iurat Vladiſlaus.*

cæleſtiũ Numinũ Ordines, deinde vos oẽs, qui nunc adeſtis, me Fidem Catholicam, pietatem, iuſtitiam, leges, pacemque omnibus, cum ſacroſanctis, tum prophanis, cæteriſque hominibus, qui qualiſcumque fortunæ perſonam gerunt, & ſub mea ditione verſantur, quantum in me ſitum eſt, & fideliſſimi Senatusconſulto fieri poteſt, diligentiſſimè, & integerrimè ſeruaturum: Pontificibus Maximis legitimum ſemper honorem exhibiturum, ac diuina, & humana iura curaturum: Eccleſiarum iura tutaturum, & Antiſtitibus, proceribuſque noſtris debitum ſemper honorem impenſurum; illud poſtremò, toto corde, ac ſummo ſtudio enixurum, nè quid vmquam detrimenti reſpub. temerè patiatur. Mox in admota propiùs Sacroſancta Euangelia ritè iurauit, vt dicta iureiurãdo rata, & firma ab omnibus haberentur. Genibus deinde flexit, implorandæ diuinæ benignitatis gratia, ante Metropolitani pedes procidit. Contra ille aſſurgẽs, ingeniculatis omnibus, elatis in cælũ manibus, & mitra depoſita, alta voce precatus: Omnipotens, *inquit*, ſempiterne Deus, creator omnium, Imperator Angelorum Rex Regum & Dominus Dominãtium, qui fidelẽ Abraham de hoſtibus triumphare feciſti, tribuiſti variã Moyſi, Ioſueq; populi tui ductoribus victoriam humilemque Dauid ad regni faſtigia euexiſti: quin etiam Salomonẽ, ineffabilis ſapientiæ paciſq; munere ditaſti in preces noſtras quæſumus reſpice, & ſuper hunc dilectũ tuũ famulũ, quẽ tuo nomine veneramur, optauimuſq; Regẽ, tuarũ gratiarum dona diffũde, ac dextera potẽtię ſuæ domi, militiæq; tuere, Serua in ſanctiſſimo ſeruitio tuo, ac præſta vbique gentium iuſtitiam cum religione retineat inuiolatam; & tuo nomine fretus, exoptatam de Orthodoxæ fidei hoſtibus victoriam, & optima ſpolia referat. Quod vt à clementia maieſtatis tuæ imploremus, te per Chriſtum Dominum, & Deum noſtrum, te per Filium tuum vnigenitum, te per ſempiterni Regni collegam intimum, & conſubſtantialem, nũcupatiſſimis votis comprecamur.

Poſt hæc inclinato ante magnam aram Metropolitano, & proſtrato ad læuam eius Rege, recinente choro, ſacræ lytaniæ preces effuſæ, & nuncupata vota. Quod vbi factũ eſt, Metropolitanus reſumpta, mitra in proxima ſede deſedit. Rex à Pontificum corona circumſeptus, & ante illum genu flexus, exuto brachio, humeroque, arcano cathecumenorũ oleo, priſcorum Regũ more Dauid à Samuele propheta delinitus eſt. Inter deliniendum Metropolitanus iſta precando dixit; Chriſtus Opt. Max. Filius Dei viui, qui à Patre oleo exultationis delibutus eſt, præ participibus ſuis; ipſe per præſentem ſanctæ vnctionis, infuſionem, paracleti Spiritus tibi benedictionem demittat, eandẽque ad cordis vſq; intima transfundat: vt exacta terreſtris regni gubernatione præclara, in æternum cum Regnum Rege, conregnare merearis in cælis. Intentis deinde in cælum oculis, ita cõprecatus eſt: Omnipotens ſempiterne Deus, qui vt Reges populi tui ſacro miſericordiæ tuæ oleo inungerentur, edixiſti, manibus noſtris vim tuæ benedictionis infunde quæſumus, & Vladiſlao, famulo tuo, quem ſub tuo numine Regem inungimus, dignam vnctionis efficaciam, & virtutem infunde, vt munita dextera, & corroborato brachio, fortiter, iuſtè ac ſapienter delegatum ſibi regnum tuis auſpicijs gubernare mereatur, tuamque ſacroſanctam fidem longè latèque tueatur: quod vt à clementia tua impetremus, te per vnigenitum Filium tuum exoramus.

*Regis induitur veſtibus.*

Poſtquam Rex ſacris Regalibus initiatus eſt, à Põtificibus turbaq; Procerum in ſoliũ reducitur. Metropolitanus ſubinde ſacris incepit operari, & inita cõfeſſione, ſacer chorus concinuit. Interea Rex in ſacrarium relatus, depoſito paludamento, Regali Diui Stephani Regis habitu, aureiſq; cothurnis induitur. Pallium è ſerico factum vranei coloris erat, cui Dei thronus, & Apoſtoli omnes, cum diuina maieſtate, ex auro contexti, in palmatæ veſtis ſpeciem, quod non tàm vetuſtate, & cenſu, quàm religione picturæ ſpectabile videbatur. Regali, ac ſacro inſtructus habitu, ſolium repetijt; vbi poſtquam *Alleluia* concinuit chorus, ad magnam aram ex more reductus, Metropolitanumque veneratus eſt. Tũc ille, ſumpto ex ara ſtricto gladio, quem diximus; Accipe, *inquit*, gladium Diuorum Apoſtolorum authoritate conſecratum & diuino numine tibi deſtinatum: accingere ſuper femur tuum, & regna: huius vi æquitatem exerce, protere iniquitatem, ſacroſanctam Eccleſiam tuere, protege fideles populos, & hæreticos, ac hoſtes Chriſtiani nominis perſequere: defende viduas, & pupillos, inſtaura collapſa, inſtaurata conſerua; è facinoroſis dignas pænas exige, & benè merentibus debitum honorem impende. Omnia igitur conſultis auſpicijs, & diuino numine diſpone, vt egregius iuſtitiæ cultor, cum Saluatore humani generis, regnare perpetuo merearis. Cum ita dixiſſet, enſem in vagina reconditum; illi ſtatim accinxit, dixitque: ſuper femur tuum accingere gladio tuo potentiſſimè; illudque altius menti imprime, ſacroſanctos viros non gladio, ſed fide regna viciſſe. Secundum Metropolitani orationem Rex protinus enſem accinctus aſſurrexit, eduxitq;, ac fortiter vibrauit: mox læua manica terſum recõdidit, Poſt hęc, repetitum pro dignitate Metropolitanũ, genu flexo præueneratus eſt. Deinde ſubadminiculantibus omnibus in Pontificio habitu Epiſcopis, acceptam ex ara coronam, Regi Metropolitanus imponens. Coronã, *inquit*, ſacram accipe, ab indignorum manibus Epiſcoporum, diuinæ Trinitatis nomine tuo capiti inditam. Hanc ſanctitatis gloriam, & honorem, ac opus fortitudinis eſſe crede; quin etiam initijs iſtis te miniſterij noſtri non expertem intellige, quippe qui, veluti nos ſpiritualium paſturam gerimus, ita in externarum rerum præfectura, te, aduerſus omnes Chriſtianæ plebis hoſtes, tuæ fidei commiſſæ, intrepidum, fortiſſimumque reddas, clariſſimuſque propugnator adſiſtas, ne regno tibi delegato indignus eſſe videare. Hæc vbi dixit, Regale ſceptrum porrigens; Virtutis, *inquit*, & veritatis virgam accipe, qua te facinoroſos proſternere, fouere pios, errantes dirigere, collabantes data dextera remorari, deprimere ſuperbos, humiles efferre, tueri probitatem, & iniquitatem inſectari ſcias oportere. Diuinum illud dictum tecum reputa quotidie: Virga æquitatis virga regni tui: & ideo dilige iuſtitiam, & iniquitatẽ odio habe: quin propterea quidem te vnxit Deus exultationis oleo præ participibus ſuis, vt ſuæ vnctionis iura ſeruando cum cohærede ſuo filio, te perpetuo regnare poſſe ſentiamus. Surgenti deinde Regi reconditum à latere enſem Metropolitanus amouit, enſi feroque ipſius dedit, qui eum continuò ante Regem geſtaret. Mox in capite ſacrũ diadema, dextra autem ſceptrum geſtantem in Regale ſolium reduxit, & collocauit, his verbis affatus; *Sta hic, inclyte Rex, & regna, locumq; nunc tibi à Deo delegatum retine. Te per Omnipotentis Dei authoritatem, & per hanc ſanctam coronationem, Beatorum Apoſtolorum, cæterorumque Diuorum auſpicijs, miniſterio meo tibi traditam, vehementer oramus, vt quanto ſacrum Collegium magnæ aræ propinquius auſpicis, tantò potiorem vbique gentium honorem tuis Antiſtitibus impendas: & veluti te Ieſus Dei, hominiſque medius hic euexit, ità ſicut fas, & æquum eſt, Cleri, & plebis rationem habe, & vtriuſque iura pro dignitate tuere.* Vix iſta dixerat, cum ſacer chorus ingentes Deo laudes gratiãſque concinnere cæpit. Secundum hymni concentum Metropolitanus exclamans *ait*; Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua, iuſtitia, & iudicium præparatio ſedis tuæ. Deinde per Chriſtum Opt. Max. cæteroſque Sanctos fauſtiſsima quæque comprecatus eſt. Quod vbi fecit, ad aram reuerſus, ſolennia proſecutus eſt; cumque ad ſacram communionem peruentum eſt, ſe Re-





gemque ſanctiſſima Euchariſtia refecit, muniuitque. Sacris ritè peractis, cum vniuerſa Rex multitudine ad Diui Petri Baſilicam contendit, ibique in parato ſolio reſidens, aliquantiſper ius dixit. Hinc profectus extra vrbem, in magnum ſuburbium prodijt, & in edito loco paratum ſolium cum inſtructo quorundam procerum ordine conſcendit, miſſilibus pecunijs inter eundum populo diſperſis. Hic ab omnibus in frequentiſsima concione poſtulatum, vt cuncta Regni iura, priuilegiaque à ſuperioribus conceſſa Principibus, vel maximè ab Andræa Rege cum cæteris conditionibus, inuiolata ſeruentur. Stephanus Bathor Reipublicæ nomine, id in pulpito poſtulauit, vt à legitimo & iam coronato Rege, cuncta magis rata, firmaque haberentur. Tunc Rex indicto ſilentio: Nihil, *inquit*, (Proceres, populique mei) Reges omnes magis addecere videtur, vt in veritate, & æquitate gubernent, quam præ oculis ſemper habere Deum; iuſtitiam, integritatemque vbique retinere, promiſſa præſtare: Itaque in diuinam ſapientiam oculi nobis aſsiduò intendendi, vt vnde munus humanũ habemus, & imperium, inde lucem & gratiam cũ benè merendi facultate hauriamus; nihilque faciamus, quod non Regia perſona ſit dignum; nihil etiam moliamur, quod à publica ſit vtilitate, & ſalute alienum. Noſtris hoc maximè pectoribus inſidere debet, altiùs, quòd ſicut nos, & olim progenitores noſtros, clementiſsimus Deus, reipublicæ veſtræ præeſſe voluit, ita & vos diuinam voluntatẽ nunc veſtris ſuffragijs, communiq; conſenſu cõprobaſtis. Quare cò vehemẽtiùs innitendum, vt dignitati noſtræ, & expectationi veſtræ ſatisfaciamus. Vos omnes de Vladiſlao benè ſperare iubemus, & patria ſemper numina exorare, vt quem vobis Regem iudicio veſtro approbatum dederunt, eidem quoque in veſtrarum rerum moderatione, cum cæleſtis clementiæ dexteritate ſemper adſint, & cæptibus omnibus domi, & militiæ iuxta faueant; adſitque inprimis huiuſce patrona Regni, Diuina Genitrix, ſub cuius tutela, omnẽ reipublicæ interitum auertemus. Poſt hęc, nos omnibus ęquos pro dignitate futuros exiſtimate; quandoquidem non later, veros Principes, à quo imperium acceperunt, ipſũ Deum imitari oportere, rerum omnium æquè ſalutem curantem, redundantiamq; ſuæ bonitatis in res oẽs effundentem: cum bonum quodlibet, tanto præſtantius eſſe videatur, quanto profuſius impartitur. Nihil Principe indignius eſſe cẽſemus, quàm priuatam publicæ vtilitatem anteferre. Is tyrãnidis mos eſt, quæ ad publicum exitium exorta, nõ regni, quod ad commune commodum inuentum eſt. Qui ad ſalutem publicam natus eſt, publicæ ſtudeat vtilitati: & bonum paſtorem imitetur, qui pro ſuis ouibus animã exponere non veretur. Nobis igitur omnino erit curæ, vt meorum more progenitorum, qui paribus auſpicijs potiti ſunt, publicæ impenſiùs, quam priuatæ rei curam geramus, nullos labores, nulla pericula, pro ſalute veſtra detrectemus; nihil quoque ducamus antiquius, quàm de veſtra republica benè mereri; vt cum humanis exceſſerimus, de commiſsis paſturæ ouibus, bonam Deo rationem reddere poſſimus. Quare cum iuſtitiæ officium ſit, ſuum cuique ius reddere, Proceres; vltro pollicemur, æquam Deo mentem, cultum, & honorem, quantum humanæ facultate fieri poteſt, Vladiſlaum omnino præſtiturum, diuina, & humana iuſtè ſeruaturum, Reipublicæ veſtræ, Regiæque maieſtati, domi, foriſque, niſi ipſi vobis defueritis, numquam defuturum; indicendo iure legitimam cuicumque impenſurum æquitatem; miſerabilium perſonarum rationem habiturum. Proinde quod præſtanda promiſſa poſtulatis, illud ſcitote omnes, qui adeſtis, nos non ad ſoluendam legem ſed ad implendem ad vos veniſſe; non ad reſcindenda, antiquandaque decreta, priuilegiaque veſtra, ſed inſtauranda: non ad inſolita vectigalia imponenda, ſed leuandam Rempub. ære alieno grauatam: non ad propaganda inutilia bella, ſed ad pacem, quietemque fundandam; non denique ad violanda, nè minima quidem ex parte promiſſa, ſed conſeruanda peruenimus. Vtinam qualem animum in vos inſtituimus, talem in vobis erga nos ipſi reperiamus. Itaque ſi Deus, Diuaque Genitrix patrona noſtra Principem integrum, bonum Regem, parentem pientiſſimum, indulgentiſſimumque moderatorem denique auaritiæ, & iniquitatis, expertem contulit, veſtris ſuffragijs approbatum; date quæſumus operam, vt edicta ſeruetis, faciatis imperata, & vbique grata nobis præſtetis obſequia. Vtrinque illud ſemper enitemur, vt quotidianis ſic vtrimque certemus officijs, vt finitimi omnes difficulter intelligant, an nè vos meliorem Principem, an meliores nos populos inuenerimus. Quod autem de præſtandis interiecto iureiurando promiſſis expoſcitis, ſic omnes habete; cum nihil maieſtatem Regiam magis lædere videatur quam rata pro irritis, & promiſſa pro vanis habere, neque conſtare verbis, neque fidei habere rationem, Deum, Cæliteſque teſtamur, & hoc Sacroſanctæ Crucis lignum, in qua Saluator humani generis vltrò pependit ſupplices interponimus, iuramuſque, nos inito diuinis auſpicijs, & beneficio veſtro nuperrimè regno, quæcumque in Vngariæ finibus pacta iam accepimus, eadem omnia, cum cæteris cõditionibus, diplomate noſtro confirmatis, integra ſemper, & inuiolata ſeruaturos, nihilque molituros, quam vt integerrimũ indulgentiſſimumque Principem decet, de Repub. benè mereri, ac nihil deniq; ipſa tyrannide magis eſſe abominaturos. Cum iſta dixiſſet, iureiurando, deoſculata cruce, promiſſa omnia confirmauit ingenti vndique plauſu ſublato. Interfuit celebritati Legatus Apoſtolicus, & Orator Ferdinandi Neapolitani Regis. His in Italiam dimiſſis, miſſa inſuper Legatio ad Pontificem, & Regem, quæ vtrumque totius negotij, certiorem faceret, & omne officiorum genus vtrique deferret. Miſſi præterea, ad Maximilianum Romanorum Regem, Oratores, qui proponerent, Vladiſlaum, in diſceptatione de iure ad regnum delatum, magis velle, arbitrario vicinorum Principum interuentu, vel etiam Summi Pontificis authoritate, cunctæ æquo, & bono componere, quam ancipiti bellorum ſorti ſubijcere: tantummodo interim iſtud ſecum expenderet. Tabulas, quibus ius ſuum tuebatur, vel ex peritiſſimorum Iuris conſultorum ſententia viribus deſtitui; vtpote, quæ non ſpontaneis, ſed coactis, ſuffragijs editæ, conſenſu nobilitatis, ac populi caruerint; qui eas ſumma cum indignatione exploſas reiecerint, vix prohibiti, quin interficiendis Legatis, qui tabulis conficiendis affuerant, violentas manus inieciſſent. De Auſtria eas inter Fridericum Auguſtum, ac olim Regem Matthiam icti fœderis conditiones interueniſſe, nè illa, niſi aliquot myriadum ſumma pecuniæ depoſitæ, adimi ab Vngaris poſſet. Itaque Maximilianum etiam atque etiam obnixe petebant, vt depoſitis ſimultatibus, atque offenſionibus, ancipiti iure ſuo decederet; vel de illo, ſiue apud Rom. Pontificem, ſiue apud vicinos Princeps diſceptari pateretur potiuſque interea, in Turcas iam Syrmio, & vicinis Iſtro prouincijs imminentes, ſacro iam à Summo Pontifice indicto bello, arma conuertere vellet, *Bonfinius decad. 4. lib. 10. Nicolaus Iſthuanffius lib. 1. Dubrauius lib. 31. Cromerus lib. 29.*

*Vladiſlai Regis ad populum oratio.*

*Legatos ad Papam & Romanorum Regem deſtinat.*

VI.

*Ioannes Varadienſis Epiſcopus fit Minorita.*

Accidit inter hæc iſtud non indignum narratione. Ioannes Varadienſis Epiſcopus, qui apud Matthiam ſemper obtinuerat Principatum, coronato è ſententia ſua Vladiſlao Regem cum ſe ſat patriæ & humanæ gloriæ ſatisfeciſſe putaſſet, præter omnium opi-

nionem, omiſſa mortalium rerum cura, ad Diui Franciſci Cænobium, inuito Rege confugit, facinuſque præclariſſimum edidit per omnia tempora memorandum, quandoquidem ex actiua, contemplatiuaque vita iuxta triumphare ſtatuit ſe omnibus honoribus perfunctum eſſe ſenſerat, quibus aliquorum mens humanarum rerum cupiditate ſolet irretiri. Quaſcumque legationes maximas obierat tam honorificè geſſit, vti cæteros huius temporis Oratores apparatu, prudentia, liberalitate, ac eloquentia ſuperaret. Honeſtiſſima ſemper, & perquam culta familiarium multitudine delectatus eſt. Tantum autem ſibi ex Matthiæ Regis beneficentia diuitiarum, oppidorumque compararat, vt ad centum aureorum millia, præter villas poſſideret. Vnus tantum è ſorore nepos ſupereat, & tantæ quidem indolis, vt nec auunculo, nec patri dominatu videretur indignus. In ſalutarem igitur incidens reſipiſcentiam, ita inter ſe diſſeruit: En ſtultam mortalium ſapientiam! en irritos hominem labores! en per quam vanum, breuiſſimumque finem. Quid ex his tandem ſperare licebat, præter maximum Pontificatum? Altius enim euehi non poteram. Quid demum conſecuti ſumus præter catenatos labores, perpetuamque procellam, & æternam ſpiritus afflictionum? Valeant hæc omnia, quæ me meipſius immemorem effecere: quæ me terreſtribus infodere miſerijs; quæ me ad diuini numinis vultum numquam ſuſpicere permiſere: humanis ipſe rebus vltro renuncio: me à mundi miſera vindico conditione, & diuini numinis auſpicio iter illud inibo, quò me (ni fallor, vt non fallor) ab omni mortalitate iam aſſeram. Cuncta recenſui voluptatum agmina; ambitionis omnia munera prægustaui; formidoloſa diuitiarum fomenta poſſedi: clientum ſalutationes ante ambulonum turbas, familiarium multitudinem non ignoraui, neque popularis aura, neque gratia Principum, nec plauſus populorum, nec officia amicorum, nec cultus aſſiduus domi, foriſque ſeruatus, mihi defuit. Quid tandem ſolidæ vtilitatis ex his legere placuit? nempe nihil præter detrimentum, defectum, interitumque verioris felicitatis, & aſſiduam ſpiritus afflictionem. Cedamus igitur terreſtri patria, & momentaneis his rebus vltro renunciemus, nè dum amore mortalium rapimur, mortem quoque perpetuam nobis comparemus. Sat luſum, & inſanitum eſt. Sat in rediculoſo errore verſatum: ſat denique corpori indultum: nunc animæ, nunc immortalitatis habenda ratio, nè animantium more viuere videamur. Poſtquam in hoc aſſiduo bello mortalium nemo ferè tuto viuere poteſt, niſi ad munitiſſimas arces effugiat, editiora loca petamus, & ex humili genere nati vitam quæramus illuſtriorem: nec abs re quidem nobis factum erit, ſi Chriſtum imitantes, quantò huic vano ſeculo clariores viximus, tantò deliteſcamus obſcurius, vt cumulatus, hic vanæ noſtræ gloriæ pænas exoluamus; & diſcat exemplo quiſque noſtro non in rebus momentaneis, & fluxis, ſed ſtabilibus, & æternis ſpem ſolidam eſſe collocandam. Humilibus orti parentibus, in priſtinam humilitatem, quod reliquum eſt vitæ, redigamus; nè, cum hac ætate plus ſapere debeamus, in obſtinata vitæ miſeria, & cæcitate perſiſtendo grauius deſipere videamur. Proinde nos à quotidianis naufragijs & fortunæ poteſtate tandem aſſeramus; Saluatoris noſtri humilitatem imitemur, & Crucem ſubeamus, vt dum fragilem hãc vitam contempſerimus, perpetuam nobis comparemus Si quot labores in ſeruitio mortalium Principum tolerauimus, tot in diuino officio pertuliſſemus, iam verè beati poſſemus exiſtimari. Hæc apud ſe expendẽs, haud aliter, quã à cæleſti numine admonitus; Epiſcopatu ſe abdicauit; amiciſq; plurima diſtribuit; mox Olomuciũ in Morauia ſecedẽs, antequã religionis Minoritana ſumeret habitũ, mira celeritate templum Sanctis omnibus extruxit, ornauitque, & ſacris veſtibus, vaſiſque locupletauit. Exacto inter hæc anno implorata publicè venia, tamquam ſi humanis excederet, complorante populo, & collachrymantibus amicis, accitis è Sileſia Diui Franciſci Sacerdotibus ſacroſanctum habitum induit, & ab illis exceptus, curru conſcenſo Wratislauiam concedens, ibi in ſacro Franciſci cænobio die, noctuque in diuino cultu verſatus eſt. *Bonfinius ſup.*

VII. *Vita B. Ioannæ Reginæ Luſitaniæ Ord. Prædicatorũ.*

Non tàm deſpicabile, quàm eſt Nouatoribus, nomen, aut munus Regularis vitæ hoc tempore magnis viris fuit; quandoquidem & Regio ſtemmate illuſtres Principes, iſtud ambiuerint, profeſſique fuerint. Dabo in exemplum Ioannam Luſitaniæ Principem, Dominicanarum Sanctimonialium inſtitutum complexam, quæ hoc anno 1490. Aueri extincta eſt, vita cælibe atque ſanctiſſima. Mirabiles huius Sereniſſimę Principis & Sanctiſſimæ heroinæ virtutes, digniſſimæ profecto ſunt, vt Eccleſiæ lucem videant; omneſque illa ſuo exemplo ad imitandum prouocet; blandeque illiciat.

Alphonſus eo nomine Quintus Luſitaniæ Rex, diu cum Eliſabetha coniuge, omnibus & corporis, & animi dotibus egregie ornata fæmina ſine prole vixit. Quamobrẽ Regina aſsiduis precibus à numine filios efflagitabat, qui in auitum regnum, & Regiam pietatem ſuccederent. Annuente precibus Deo, breui victurum infantem, qui Ioannes dictus eſt: atque hoc amiſſo, filiam ſuſceperunt Ioannam: quæ Olyſipone lucem hauſit, pridiè Nonas Februarij anni 1452. Vbi ſacri fontis lauacro tincta fuit, Regni Princeps ab omnibus ſolenni ritu dicta triennio tantum matris educatione potita eſt, quam totius regni mærore immatura mors cælo rapuit, felicem gemina prole ſuperſtite, cui vtrique à Ioanne ſimiliter Euangeliſta nomen indi maluit, ob ſingularem in Chriſti Domini dilectum pietatem: Defuncta Eliſabetha nihil Alphonſus immutari in Reginæ domo paſſus eſt: ſed omnia in Ioannæ Principis, quamuis tantula adhuc eſſet, obſequium vertit, illam Beatrici Meneſiæ, pari nobilitate, & virtute fæminæ erudiendam tradens Creuit igitur Ioanna non corporis minùs, quam animi pulchritudine, adeò, vt miraculi inſtar eſſet; & animus in facie quaſi in ſpeculo relüceſceret. Multi illam Chriſtiani Orbis Principes fama commoti, nurum, multi coniugem optabant: & quò tanta pulchritudine, aliquali ratione frui poſſent, eximios pectores, qui ad viuum exprimerent, in Luſitaniam certatim mittebant: qui omnes Sacramento interpoſito affirmabant, nulla artis induſtria, Ioannæ venuſtatem, & hilaritatem poſſe adæquari: feruntque Ludouicum Galliæ Regem, vbi iconem vidit, in genua prouolutum, numini egiſſe grates, quòd tàm famoſam in terris diuinę pulchritudinis imaginem ſibi licuerit contueri. Eam igitur Delphino coniugẽ miſsis in Luſitaniã Legatis ab Alfonſo petijt. Legatione hic lætus, quàm in regni vtilitatẽ mirè facere animaduertebat, Ioannę rem aperuit, & conſenſum expetijt. Hæſit hæc anceps; vbi de nuptijs agi tàm ſeriò vidit, quæ alias ſibi animo deſponderat. Sed qua erat prudẽtia, ætatis teneritudinẽ cauſata, & rerũ inſcitiã, quæ patria domo abſenti multum allatura eſſet Nocumenti; nondũ virilẽ Delphini ætatem, qui vix quintũ ſupra decimũ inierat annũ: fratris præterea valetudinẽ, cuius immaturum interitum aſſidui penè morbi minitabantur: propterea; à regni ipſius vtilitate minimè eſſe eam, ad quam regni hæreditas deferenda foret, externo Principi tradere. Multa præterea adeo ſcite, & prudenter in rem ſuam propoſuit, vt admiratus Alfonſus, rem in aliud tempus differendam eſſe decreuerit. Interim Ioanna omni pietatis, ac virtutum exercitatione indies creſ-

*Ob eximiã pulchritudinẽ à pluribus Principibꝰ expetitur.*





cere, quotidianis Curiæ oblectationibus ſuffurari ſeſe, tempus maiori cùm voluptate orationi, quàm confabulationibus impendere, horarias preces quaſi penſum quotidiè decurrere, & quò maiori animi voluptate pſalmorum hymnos recitaret, quæ obſcuriora ſunt ſibi Luſitano ſermone aperienda curauit: nè in Dei laudibus decantandis inſcia eſſet. Chriſti Domini vitam, & Sanctorum geſta aſſiduè peruoluebat, de ijſque cum aulicis puellis crebrò ſermonem texebat, delectabaturque præcipuè in earum Sanctarum facinoribus legendis, quæ illibatum virginitatis florem, martyrij ſanguine illuſtratum cruentarunt. Sacro intererat eâ compoſitione, vt religioſæ vitæ fæminis decennis Princeps exemplari merito poſſet eſſe. Quotidiè ſe in priuatum Sacellum recipiebat, vt ſolitas orationum preces obiret, nullique vmquam quamdiu ibi fuit, licuit eam alloqui: ita enim ſe Numini ocioſam tradebat, vt ſecularibus totam ſubtraheret negotijs. Illis diebus, quibus anniuerſaria celebritate Saluatoris Chriſti opprobria, & mors recurrunt, miro ſe ſilentio mulctabat, vix circa ea, quæ maximè opus eſſent, verbum proferens; atque hoc etiam abſtinebat ſacratiori triduò, quo interdiu, noctuque à templo decedebat numquam: cibum vix guſtabat, ſomno nullatenus tenerum corpuſculum recreabat, orationibus intenta, lachrymis vbertim manantibus interna ſolatia procurabat, quibus minimè auarus Deus ſatis labores, & ærumnas compenſabat. Vt autem Chriſti Domini imitaretur exemplum, maioris hebdomadæ Iouis die, duodecim mulieres externas, inopes, mendicas, ſordidas, pannoſas, ſqualidas, deformes, & quæ nauſeam poſſent excitare, ſumma induſtria ſibi comparari iubebat. harum ſordidos pedes, priuſquam alibi (vt Reginarum deliciæ etiam in aſperis facere conſueuere) abluerentur, depoſito Regio ornatu, ancillari cultu, nè eam inopes agnoſcerent, paucis arbitris, nè in ſummiſſionis exercitio populares auras captare videretur, infuſa in peluim aqua, flexis poplitibus blandè ſordibus purgabat, mundabat, tergebat, ſiccabat, & oſculabatur: nouis poſteà veſtibus ornatas, & aliqua donatas pecunia dimittebat: inſcias quidem, à quanam ſibi tantum beneficij Chriſto tantum officij fuerit impenſum. Inde ſe iterum in templum recipiebat, neque vſquequo ſacratiſſimo Paſchæ mane Dominicæ Reſurrectionis lætitia, publica pompa celebraretur, pedem aliò efferrebat. Mira fuit in egenos pietate, & liberalitate: carceres, noſocomia, & cætera huiuſmodi miſerorum domicilia crebriùs inuiſi iubebat: ægrotis, egentibus, peregrinis, ſi quos inopia premi ſciebat, liberaliter, erogata ſtipe ferebat opem: neque vſquam, vel ad meridiem cibum ſumptura accubuit, vel ſub noctem in cubiculum ſe recepit, priuſquam ab ijs, quorum induſtriæ hæc commiſerat, quid actum eſſet, ſedulò, & curioſè edisceret. Si qui è famulis, aut ijs, qui in Curia verſabantur, odio inter ſe diſſidebant, concordiæ ipſa author, reſciſſas amicitias omni induſtria redintegrabat, ijs aſpera, qui aut verbis, aut manu promptiores alios læſerant: interdumq; paci odia præhabentibus, ſtipendia denegari iuſſit.

*Pauperũ mulierum pedes lauat.*

VIII. *In corpus ſuum ſæuit.*

Hæc in alios Ioanna. Sed in ſeipſam qualis, quàm ſæua, & hoſtili animo, nè iuuentutis flore, deliciarum abundantia, Regio faſtu, vitij aliquid ſub reciperet, vitiorum fomites fuit inſequuta? Mirum ſanè, ſed omnia virtutis vincit amor: omnia Chriſti Domini exemplum mortalia pectora cogit. Laneas ſibi ſubuculas aſpero è panno, quamuis non ità craſſo, nè aliquis ſuſpicioni locus eſſet, arctas, vt corpori eſſent intimæ aſſui fecit, has vbi ſemel induebat, ſiue calore aſperiores fierent, ſiue frigoris rigore acriùs pungerent, neque diu, neque noctu deponebat, quouſquè ſcaturientium verminum multitudo, nè in exteriores veſtes erumperent, illam deponere, & mundiorem aliam reſumere cogeret. addebat ſæpius cilicinam veſtem, quam arctè conſtrictam laneo induſio ſupponebat, vt dolorem dolori, macerationi iungeret macerationem. Quoties Alphonſus pater (crebrò id eueniebat) in Principis domum ſub noctem ibat, vt regni curas aliquali oblectamento deliniret, hilari facie, & lætabunda procedebat Ioanna. Sed quia modò cum patre, modò cum Ferdinando, Principe Regis fratre ſaltare ex arte compellabatur, quod ipſa miro decore faciebat, quam in comenda facie curam aliæ ponerent, in ſe crucianda collocabat, & cilicio multiplici voluptuoſam ſaltationem, quam tamen nonniſi ex patris præcepto obiuit vmquam, prædamnabat. Hæc in quindenni puella eò admirabiliora, quò tenerum corpuſculum tanti doloris impatiens, quò ætas ludicris, quàm ſerijs accommoda magis, quò apparatus, & laſciuia, ad delicias, & molliorem vitam, quàm ad duram, & aſperam conducentia maiori erant impedimento, quò hæc omnia ſumma induſtria, nè in patris Regis, aut Principis fratris, quorum vtrique chariſſima erat, & proculdubio omni ſollicitudine pijs conatibus obſtarent, cognitionem deuenirent, celanda eſſent. Aliud addidit mirandum non minùs, ſed fortaſsè ratius, quo ſatis indicauit, quàm ingenioſa fuerit in ſua ſupplicia. Deliciarum faſtidioſa poſtquam Regali in lecto de more accumbebat, vt famulis, & patri faceret ſatis, decedẽtibus reliquis, è ſtrato in ſomne corpus corripiebat, atque in Sacellum quod propè cubiculum erat, quaſi in aſylum confugiens, nocturnæ orationi, ſuſpirijs, & gemitibus abundè vacabat: quibus ſtatis diebus, modò incruentam, modò ſanguineam flagellationem adiungebat, ibique fatigata, & ſomno oppreſſa aliquantulum quieſcens nocturnis matutinas preces continuabat, donec multo iam die, tacito gradu, nè quis perſentiſceret, in Regium ſe lectulum recipiebat, vt famulas, quæ vigiliarum ignaræ erant, aduocaret. Itaque Regiam perſonam, & faſtus ſuſtinere cogebatur, nuda humo inter ſuſpiria dormitabat, & nullius ſibi conſcium flagitij lectum, ſingulis noctibus lachrymarum imbribus irrigabat.

IX. *Eiuſdem lectus, qualis.*

Parum hoc, ſibiq; adhuc iuſto indulgentior cùm videretur, quæ crudeli in ſua commoda animo ſatis non erat, ſocios aduocauit, & communicato conſilio, immanius ſibi bellũ gerere ſtatuit. Igitur in cubiculo inferiori ſuberis corticem ſterni fecit, & in eo rudem culcitram auium plumis infertam, qualis indigentibus apud Luſitanos vſui eſt, pro linteis, & ſtragulis, laneas veſtes craſſas, & aſperas ijs ſimiles, quibus in Hibernia viliori plebi mos eſt, temporis iniurias repellere: puluinar arietina lana adeò ſuffartum, vt ad ligni duritiem propiùs accederet. Huc igitur mobili ſcala (priùs enim in cubiculi pauimento ſerratis tabulis oſtium recludi fecerat) poſtquam in ſua famulæ diſceſſerant, incomitata deſcendebat: & quòd humanæ imbecillitati quietis indulgere cogebatur, ita inuita capiebat, vt veſtium aſperitate male acceptum Regium corpuſculum, vigilias iterum, & orationem mallet, quàm laborioſam, & ſemiſomnem indulgentiam. Huc nemini vlla ex cauſa patebat deſcenſus, præter quàm ei fæminæ, quæ Principi à ſecretis erat. Cui aliquando ex Ioannæ facultate, ac exigente, nullo tamen conſcio, eò introire permittebatur. Hæc poſteà ſuppellex Ioannæ delicioſa, & inter mundi muliebris ornamenta cæteris charior, Auerium lignea in arca tranſducta, & Parthenonis Antiſtiti, vt voluptuoſe Principem exciperet, commendato ſecreto tradita fuit. Ieiunijs ita vires atterebat, vt priſci eremi mores inter aulæ delicias æmularetur: & quamquam apponerentur ſemper epulæ antè ora paratæ Regifico luxu adſtãtibus famulis, genium, & ſtomachũ defrau-

dans, vel ex ijs, quæ viliores, & iniucundiores erant, paululum deguſtabat; vel omnium faſtidioſa, pane, & gelida contenta, irritata potiùs, quàm ſe data fame, à menſa diſcedebat. perpetuò tamen hilaris, & iucunda, varijs famulos illudebat artificijs, nè apud Regem, quod admodum ſemper verita eſt, tantæ aduersùs ſeipſam ſæuitiæ incuſaretur: quippe, quem ſciebat, quod illi eſſet chariſſima, minimè permiſſurũ, vt ſuſceptũ vitæ genus amplius proferret, obſtaturũq; ſeriò, nè poſtmodũ in ſeipſam tàm auſtere animaduerteret.

X. *Gubernãdo Regno Ioanna adhuc iuuenis à Patre admonetur.*

Suſceperat per id tẽporis Alfonſus Mauritaniæ expeditionem: à qua, & rebus bello illo præclariſsimè geſtis immortalem gloriã, & ſempiternum Africani nomen reportauit. Eò ſecum, quanquàm valetudinarius eſſet, & delicijs, quàm bello aptior, Ioannem Principem, quintum ſupra decimum ineuntem annum detulit: vt poſtquàm memorabile aliquod facinus armis ederet, equitis inſignia acciperet, Regni plena adminiſtratione Ioannæ commiſſa; quæ quamuis ætate (nam octauum ſupra decimum agebat annum) tanto oneri videretur impar; prudentia tamen, quod adoleſcentia detrahere poſſe videbatur, ſufficiebat abundè. Quòd publicis Regni negocijs ſupererat tempus, orationi totum impẽdebat: patris incolumitatem, & felicem expeditionis euentum, à Numine contendens, & partito labore, nè quamdiu publicis commodis vacabat, ceſſaretur à precibus, ita aulicis puellis horas diuiſit, vt modò hæ, modò illæ, aliæ alias excipientes cõtinuum precandi tenorem conſeruarent. Neq;, irrita vota, nam breui, Arzilla, & Tingis Mauritaniæ nobiliſſimæ vrbes in captæ fuerunt: ex qua victoria cùm Alphonſus triumphabundus domum ſe reciperet, occurrit obuiam Ioanna, ad miraculum ornata, & pulchra, & poſtquàm patris manum deoſculata, & Principum fratrem amplexa eſt, Duces, & Regni primates gratulabunda ſalutauit, ita coram omnibus patrem alloquuta fertur: filiæ intuitu, quàm bellica gloria lætiorem, vt victorias primùm gratulata à pietate, fore diceret, ſi ſe, quam præ omnibus clariſſimam haberet, Numinis obſequio gratus manciparet, liberamque parthenium eligendi copiam faceret; quando nihil ſibi optabilius poſſet accidere, quàm inter Chriſti ancillas abducato Regio feſtu, quod reliquum eſſet vitæ traducere; pluraq; in ſuam rem adeò ſcitè, & prudenter congeſſit, vt admiratus Alphonſus, manantibus vbertim præ deſiderio, & dolore lachrymis nè Numini videretur contraire, vt erat Religioſus, & in omnem pietatem propenſus, precibus annuerit: & quanquàm Ioannes frater, qui id ſemper ægerrimè tulit, & Regni primores, non vultu modò, ſed verbis Regi obſtare conati fuerint, atque in Regni detrimentum hanc eſſe mutationem affirmauerint, & publicè Regni Ius, cuius illa Princeps dicta, Iurataq; fuerat, ſaluum, & integrum fore, conteſtati ſint, quæ maiores animi procellas deuicerat, minora hæc deſpiciens tonitrua, die parthenone ſedulò agere cæpit.

XI. *In oppido Auerij Cænobiũ ſanctimonialium Dominicarũ ſanctitate floret.*

Non multos ante annos, Auerij, quod oppidum priſcis *Lauare*, inſignis Ducatus caput Oceano abluitur, & nobile eſt Regni emporium, ſub IESV nomine, & tutela Sanctimonialium cænobium extrui cæptum fuerat, à primarijs fæminis, quæ delicias pertæſæ, aſperioris vitæ auidæ, cruci ſuffixi, ſeruatoris pauperiem, & ſummam rerum omnium deſpicientiam æmulatæ, mira aſperitate, corpora mulctabant. Percrebruit breui, vt aſſolet, tantæ rei fama; & nobiliores Virgines toto regno, quaſi ad delicium aduocabat. Inter has; quæ Principi Ioannæ amicitia, & ſanguine admodùm coniuncta fuerat, Eleonoram Meneſiam, Viennenſis Comitis filiam, quæ Brigantini Ducis nuptias cæleſti agno poſt-habuerat, matre, & fratribus, duobus Comitibus, altero Eboræ antiſtite, penè inuitis, Chriſti amor, & cæleſte deſiderium omnium ſumma admiratione attraxerant. Hæc Principem (id enim ſibi imperatum fuerat) crebris Epiſtolis erudiebat, de ijs omnibus, quæ ſanctimoniales, ex Regularium præſcripto obibant, quibus Ieiunijs corpuſcula macerarent; quotis vigilijs Numini laudes decantarent: qua animi ſubmiſſione, eſto è prima nobilitate, & ſummis in delicijs enutritæ, & domos verrere, & coquæ obtemperare, accumbentibus miniſtrare, atque ancillarum miniſterio fungi ſolitæ eſſent: quàm vili cultu, quàm exigio ſumptu, quanta rerum omnium penuria, priſtina damnarent. Quæ cùm Principis votis mirè reſponderent, eò ſe recipere ſtatuit, vt liberè ancillari, quæ omnium Princeps eſſet, omnibus poſſet. Sed nè Auerij nomen, patrem deterreret; interim in parthenonem, quem propè Oliſſiponem Dionyſius Rex condiderat, *Odiuellas* vulgò dicunt, ex Regis licentia ſe contulit occultò & paucis, ſed ijs nobiliſſimis, vt Principem decebat, ſtipata.

XII. *Cõmunis luctus ob diſceſſum Ioannæ in Cænobiũ.*

Miro omnes dolore Principis abſentia affecit, in lachrymas palatini omnes ſoluti; ſed maximè nobiliſſimæ puellæ, quæ illi miniſtrabant, & perinde quaſi in Reginæ luctu, atram pleriq; veſtem aſſumpſere. In ijs Ioannes frater, qui dolori plùs iuſto indulgens, eſto aliquot pòſt annos lugubrem habitum depoſuit, ſuſceptum mærorẽ animo nunquam exuit. Palatij ianuæ clauſæ, perpetuis tenebris mærorem omnibus indicabant; populares quaſi chariſſimum quiſq; pignus amiſiſſet, publicũ propriuato dolorẽ ducebant: ita omniũ animos, vultus hilaritate virtutis opinione, & mirâ in pietatẽ propẽſione, ſibi Ioanna deuinxerat. Odiuellas, vbi de Principis diſceſſu certior facta eſt, Philippa Eliſabethæ Reginæ germana ſoror, ſe cõtulit ſtatim: quò etiã Rex, & Princeps crebrò iritabãt, vt Ioannã inuiſerẽt, & ſuauiſſimo fruerentur colloquio; interdũq; propoſitis rei difficultatibus, maximè frater, eã à ſuſcepto vitæ ꝓpoſito retrahere conabãtur. Sed incaſſũ ſẽper ceſſere conatus, imò curiæ viciniã exoſa, vt aliò abire liceret patrẽ orauit, exorauitq;: qui Diuæ Claræ cænobiũ ad Mondæ ripas iuxta Conimbricam ſitũ, & ſanctiſſimæ Reginæ Eliſabethæ exuuijs, nobiliſſimis totius Regni Virginibus inclytum ædificijs amplum, mira illo tempore aeris tẽperie ſalubre, Principi aptiſſimum fore arbitratus, eò deducẽdam quam primùm curauit. Ab Odiuellas proficiſcentem, comitati Rex ipſe, & Princeps, Philippa matertera, & Regni proceres, Conimbricam vſque atrati omnes, quaſi defunctam flerent, & efferrent. Pridiè eius diei, quo Conimbricam erant peruẽturi, patrẽ ſecretò alloquuta, ſummis precibus ab eo contendit, vt Auerium in *Ieſu Parthenum* ſibi recedere liceret. Obtupuit ille; ſed nè filiam mærore impleret, cõceſſit tandem; & quanquàm Princeps frater præ omnibus repugnaret, Auerij ſolitudinẽ, aeris intẽperiem, domus anguſtias, & quòd à Curiæ frequentia admodũ remotus eſſet locus prætẽdens; Vicit Ioãna, quæ nõ Regios faſtus, ſed Bethlemici antri inopiã, deſerti ſolitudinẽ, Crucis Anguſtias, & Seruatoris ærumnas iam dudum animo cogitabat. Aueriũ igitur, ijſdem comitantibus deuentum, vbi poſt aliquos dies, Rege, & Principe ducentibus, Cænobiũ adijt, pridiè Auguſti Nonas, in Beati Dominici, cuius viuendi rationẽ *Ieſu Sanctimoniales* cum habitu acceperant, peruigilio. Ibi Alfonſus in lachrymis profuſus, quantum chariſſimum ſibi pignus in oculis haberet, conteſtatus eſt: & quanquàm ira magis, quàm dolor Principem Ioannem percelleret, in diſceſſu tamen Charitatis indices lachrymas retinere nequiuit: quippè qui propter à Ioannæ conatibus obſtabat, quòd illam mirificè diligens, à tanta ſorore abeſſe ſibi exiſtimabat grauiſſimum. Philippa Matertera, etiam ſi Cænobij ſepta egreſſa fuerit, in vicinis tamen ædibus, vt crebrò viſere poſſet cõſobrinã, ſibi manendũ ſtatuit.

XIII. *Aduentu Ioannæ in oppidũ Auerij cælum comprobat.*

Auſpicatò Aueriũ elegit Ioanna, cælo ipſo cõprobante. Nã in Martio mẽſe, ingentis ſplendoris cometa





cerni cæptus eſt, ex ijs, quos Philoſophi laudatos appellat. Rotundus ipſe, magnus, mirè lucidus, quẽ neq; denſæ noctis tenebræ obſcurare, neq; pluuiæ vſquam nubes occultare viſæ ſint. Poſt ſolis occaſum, ſupra parthenonis domus ſubitò accenſus comparabat; modò in ea aëris parte, quæ domũ, in qua Ioanna Princeps degit, ſupra erat fixus, & ſtabilis; radium, qui latus erat, & oblongus, ad eam vſque, in qua ſacræ veſtes aſſeruantur, protendebat: modò hanc ſuperſtans illã verſus explicabat caudam: ita tamẽ, vt locum quãdiu cerneretur, commutauerit nunquàm. Atq; in hunc modum totis ferè quinq; menſibus, ſubitò quotidiè comparens, & diſparens, omnium oculos rapiebat, & inſolito ſplendore atque ſtabilitate faciebat admirationem: maximè tamen ſanctimonialiũ animos, natura pauidos, & prodigiis inſuetos percellebat, quæ ſignificationis ignaræ, quid ſibi damni præſagiret, expedire nequibant. Soluit tamen euentus ipſe omen. Nã quo die Ioanna Auerium peruenit, diſparuit prorsùs; quaſi nouo ſyderi, pulchriori quidem, & feruentioribus radijs accenſo, aërius Cometa locum cederet. Triennium fermè eodem habitu permanſit; ſed famulis dimiſſis, ſola inter Chriſti famulas, quibus cum ſacris in odæo frequenter intererat, & nocturnas aliquãdo preces, quanquàm non ſine valetudinis damno, quòd illius domus aliquantulũ abeſſet, frequentabat, donec ineunte anno ſupra milleſimum quadringẽteſimum, ſeptuageſimo quinto, octauo Kalend. Febr. qui dies Apoſtoli Pauli Conuerſioni ſacer eſt, Religionis habitum magna animi voluptate induit.

XIV. *Ioannæ in Religione exercitia.*

Neq; habitum modò, ſed animum ita commutauit, vt Principis ne veſtigia quidẽ in Ioanna depræhẽderet: reliquis nouitijs per omnia ſimillima, in nullo à cõmuni victu, habitu, aut exercitijs, qualia, qualia eſſent, exceptionem paſſa eſt ſibi præſtari. Suo ordine poſtrema in Odæo aſſidebat, alternis vicibus cum alijs, aut cereos tenebat, aut tenentibus aſſiſtebat: in refectorio alias inter accumbebat, & Principi eadem, quæ reliquis nullo delectu miniſtrabat, fictilibus vaſis, quanquam neq; figulo patre, neq; Auo genita eſſet, legumina appoſita veſcebatur: domos verrebat: ſcutellas, & catinos calida abluebat, triticũ purgabat; farinam ſubcernebat: nebat; aſſuebat; ægrotantibus, & accumbentibus ſummâ hilaritate, atq; animi ſubmiſſione, quaſi omnium famula, ancillabatur; nihilq; ità abiectũ, & vile fuit, quod Ioanna, ſumma lætitia nõ obiret: cilicia miræ aſperitatis attexere didicit, vt ſibi, & alijs macerationis forent inſtrumenta: Flagella itidem, tam incruenta, quàm quæ ſanguinem elicerent, mira arte elaborabat: Ipſaque, vtpote remedia ſępe ſæpiùs experta, quæ in ſe ferociùs ſæuiebant, & Sanguineam flagellationem ſæuius exercebant, chirurgi inſtar medicabatur.

Atq;, vt quam animi abiectionem corde, & medullis infixam gerebat, ante oculos haberet, ſemper, in eo corio, quo penſum colo alligabat, illam Seruatoris ſententiam inſcribi fecit, *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Cùm admodum anguſta foret in parthenone res familiaris, ſanctimoniales ipſæ (neq; enim ancillarum & famularum vſus admittebatur) panem, ligna, aquam, & quæ quotidianis vſibus neceſſaria erant, comportabant, inter primas, ſemper Ioanna debiles conſolabatur, robuſtiores laudabat, & æmulabatur, exemploque omnibus prælucebat. Quæ ita Regios faſtus abiecerat, nomen quoque deponere ſtatuit, neque ſe Principem dici patiebatur. Obſtitit tamen Antiſtes, atque ea iubente, vbi opus erat, priſtino more nomen ſuum ſcribebat, & in ipſis cænobij tabulis, vbi Ioannæ nomen cum alijs affigebatur, *Princeps* perpetuò, quanquàm ipſa recl. maret, dicta fuit. Crebrò apud Confeſſarium expiabat animum, & ſacra Synaxi reficiebat: communis omnibus, & Ioannæ erat religioſus à confeſſionibus: ſuo ordine inter nouitias in genua prouoluta, & ni voce agnoſceretur, cætera incognita exponebat crimina. ſuo itidem loco ſacræ menſæ accedebat, & niſi aut vultu, aut nomine noſceres, vnam è media plebe, ad Sacrarum Virginum numerum aſſumptam diceres. Orationi multum temporis impendebat, & ità diuinis reficiebatur ſolatijs, vt præ lachrymarum aſſiduitate, genas quaſi exuſtas haberet: veſtis lanea & breuis, crepidæ humiles, lectus alijs par, domus eadem cum cæteris.

XV. *De religioſæ vitæ inſtituto deſerendo tentatur.*

His Auerij Sanctimoniæ exẽplis clarebat Ioanna, cũ tantæ rei fama Regnum totum peruaſit, & cõmouit. Eò igitur ab omnibus Luſitaniæ Vrbibus, quaſi in publicum Regni cõuentum primores miſſi ſunt, qui publicè profiterentur, ſe conſenſuros nunquam, vt religioſa vota emitteret, quotieſq; Regno opus eſſet, inde abducturos, vt hæredem ex ea (namq; eo tempore Ioannes frater prolem nõdum ſuſceperat) in matrimonium collocata habere poſſent. Venit, vbi rem ſciuit, Princeps ipſe paucis comitatus: in quibus Eborenſis aderat Epiſcopus Ioannes Meneſius, rei nouitate adeò permotus, vt veſtẽ lugubrẽ aſſumpſerit, barbam diù nõ totõderit: & niſi Numinis timore, atq; paterna reuerentia cohiberetur, aliquid auſus eſſet, quod Ioannæ ſummam attuliſſet moleſtiam. Cùm tamen parthenonem ingreſſus eſſet, & multa aduersùs Antiſtitem ſtomachatus dixiſſet, illius modeſtis reſponſionibus lenior ſororem adit, cuius ex aſpectu, vbi mutato habitu, tenui cultu, & per omnia nouitiã intuitus eſt, ſibi imperare minimè potens, in amplexum pariter, & lachrymas ruit, multaque in rem ſuam cùm dixiſſet blanditijs, modò lenis, modò minis ſeuerus, profecit nihil. Adeò Regum minas, quæ Regnum contempſerat, nè à Chriſto auelleretur, parui ſemper fecit. Philippa verò, quæ Principem ſæpiùs inuiſere ſolita erat, vbi mutaſſe habitum cognouit, Auerio, inſalutata Ioanna deceſſit Odiuellas, quo etiam acciri quamprimùm fecit Miciam Aluerengam, notæ ſanctitatis Virginem, quam inde ſecum Ioanna Auerium detulerat, vt ſola, & omni humano ſubſidio denudata, aut religioſæ vitæ ſuſceptam rationem deponeret, aut ſaltem aliò, quod optabant, migrare vellet.

XVI. *Grauibus item vexatur morbis.*

Quanquàm verò ita ſpiritu eſſet feruido Ioanna, vt nihil ſibi arduum, nihil durum exiſtimaret, tot laboribus tenerum, & delicatum corpus ſufficere non potuit, grauibus proinde tentatur morbis, qui vltimũ vitæ diſcrimen ſæpiùs adduxerunt; atq; cõmuni medicorum voto iecur, & renes admodum vitiatos eſſe, maximè ex aſſiduo piſciũ vſu cùm decerneretur, neq; vires vltra redintegraret, prudentum hominũ cõſilio, patris imperio, & fratris precibus adducta tandẽ fuit, vt à religioſa profeſſione deſiſteret. Quòd eo libẽtior fecit, quò ſibi duriùs videbatur citra animi noxam, quæ ex regula promiſſura foret, exactè minimè poſſe exoluere. Quare antiſtite vocata, ſuo in Sacello habitum ſæpiùs exoſculata, lachrymarum imbribus madidum deponit, ſe à nouitiarum numero, & muneribus exemptam declarans: cumque aliquot horas eo depoſito domum perluſtraret, reſumpſit iterum: vt foret omnibus manifeſtum communi eam viuendi ratione deinceps non obligari: neque propterea, aut mores, aut priſtinum vitæ inſtitutum inuertit. In Odæo eundem ſibi locum, quem anteà ex ordine cum nouitijs habuerat, delegit modò: aliarum periculis, eodem ſemper animo, & ſubmiſſione adfuit: ſibi, eſto morbi neceſſitas aliquid mitius exigebat, perpetuò aſpera, & quoad vires ſufficiebant, inimica.

XVII. *Occaſione peſtis Auerio diſcedit.*

Anno à Chriſti natalitio 1479. cùm Luſitaniam dira lues inuaſiſſet, paulatim ſerpens Auerium, & vicina oppida vaſtabat; quarè Rex, & Princeps, Ioannæ ſuæ, verbis, qui dicerent, miſerunt, oppido quamprimùm excederet, quò vellet, in cam-

que rem, Conimbricenſem, & Portuenſem Epiſcopos, atque alios Regni Principes Auerium proficiſci imperarunt, qui diſcendentem comitarentur, & vbicunque manere ſtatuerat, aſſiſterent, vt decebat. Repugnare tanto imperio non potuit. Quarè delectis ex ſanctimonialium numero ſex, in quibus antiſtes ipſa fuit, parthenone, manētiū lachrymis, & abeuntiū deſiderio maximo, quinto Kal. Octob. in viam ſe dedit. Vbi manendum erat, Sacellum exornabant, ibiq; ex more, quamquàm non elata voce ſtatutas preces quotidiè alternis verſibus perſoluebant, & quotis diebus flagellationem facere moris erat, quanquàm in diuerſorio eam non omittebant mira omnium admiratione, qui Principem, & primæ nobilitatis fæminas in ſe adeò inſueto ritu deſæuire vix audientes credebant. Hoc in itinere Prioriſſa obijt, Beatrix Leitoa, omnium virtutū exercitatione laudatiſſima: quæ prima Auerij parthenonij auctor, & mira prudentiæ, atq; religioſæ diſciplinæ opinione moderatrix fuerat, propter eaq; Ioannæ in primis chara, atq; adeò illius obitum magno doloris ſenſu accepit.

XVIII. *Auerium iterum ſe recipit.*

Cum verò omnia vaſtandi nullum lues finem faceret, Auerium iterum ſe recepit, tanquam in quietis aſylum, ſed hac ſibi diutiùs frui non licuit. Eò enim Ioannes Princeps ſe cōtulit, vt cum ea de nuptijs cum Maximiliano Romanorum Rege, Federici Imperatoris filio ſeriò ageret. Illa tamen cōſtanti animo ita reſpondit, vt omnem conficiendi negotij ſpem fratri pręcideret; atque vt ſemel, quæ ad nuptias ſpectant, abſoluamus, quāquàm temporis ordo alibi id exigeret, quod cum Ioanne, defuncto iam patre, accidit interſeram. Ab Anglia exorta tempeſtas, hoc modo tranquillata eſt. Nam Anglus, qui Richardus fuit illo nomine tertius, bellum, ſed perpetuas pacis leges, & fraternam amicitiam promittens, adiectis alijs, quæ in Luſitaniæ commodum mirè faciebant, conditionibus, Ioannam ſibi ſanguine coniunctam, deſtinata Legatione ſponſam precabatur. Alcobacam Rex cum Philippa matertera ſe contulit, & Ioannam, quæ in Portu propter peſtilentiæ metum, tunc temporis degebat, ad ſe quamprimùm venire iubet. rem aperit, in quantum Reipublicæ bonum id eueniat, declarat ſeriò, propter eàque nè toties repulſam patiatur, orat: & commendato Philippę negotio, relicta ſorore, abijt. Omnem adhibuit matertera induſtriam, omnes acciuit artes, omnia mouit, & tentauit, iterum, atque iterum rem Ioannes vrgere perrexit vſque adeò, vt iræ impatiens Sanctimonialibus, quæ Principem comitabantur, illius congreſſu, & colloquio ſeuerè interdixerit. Ad ſolitas illa recurrit preces, & dum mærori confecta plorationi nimiùm indulgeret, leui correpta ſomno, aſtare ſibi intuita eſt pulcherrimum adoleſcentem, qui blandè ſalutatam compellās, Noli, *inquit*, vltrà mærere, pone lachrymis modum, iam enim, è viuis abijt. Nec plura dixit, & diſparauit. Diſcuſſo illo ſomno, in ſeſe redijt, & ex mira animi tranquillitate ſibi à Deo miſſum, quiſquis ille fuerit, cùm conijceret, fratri reſpondit, nè iniquo eſſet animo, in Angliam proficiſci eſſe ſe paratam, ſi quem ſibi optabat ſponſum, adhuc in viuis numeraretur. Quòd ſi ad mortuos tranſiſſet, hoc vnum ſibi efflagitare, nè vltrà ſecum de nuptijs ageret. Obſtupuit Ioannes, vultus, & animi ſecuritatem, qua, abſentia, quaſi præ oculis obuerſarentur, ſibi ſoror prædicebat. Neque dubitare de euentu licuit diu, cùm intra hebdomadam, à Legatis, de Regis obitu Ioannes admonitus, eidem iuſta ſolui magnificè iuſſerit, & Olyſſiponem proficiſci maturans, in deceſſu, de varijs Regni negotijs ſororem, cùm conſuleret, iterum illa rogauit, nè ſe alij coniugem fore exiſtimaret, cùm ſibi illud exploratum eſſet, quando alia non pateret euadendi via, aut ſe, aut eos, qui ſponſam optarent, nuptijs commutaturos. Vtque omnem in poſterum moleſtijs occluderet aditum, vbi de Alphonſi patris obitu nuncium accepit; atque parentari fecit, quaſi ſui iuris, &, vt dicere ſolebat, manumiſſa eſſet, perpetuæ ſe Virginitatis voto religioſè obſtrinxit.

*Ioannæ connubium plures expetunt.*

XIX. *Eiuſdem obitū aliqua præcedunt prodigia.*

Aliqua Ioannæ obitum prodigia præceſſere, quæ lubens omittenda duxi, nè anacephalæoſeos legem præterire videar. Anno igitur. 1489. ſexto Idus Decemb. tres ampliùs horas, Luna obſcurata eſt, quaſi tantæ Principis interitum lucis defectu præſagiret æquè, & lugeret: poſtero ſi quidem die graui morbo laborare cæpit: & quamuis in dies febris accreſceret, in ipſo Chriſti natalitio, à lecto ſurgens, ſacris vnà cum Sanctimonialibus in ODeo interfuit: crimina ritè Confeſſario aperuit, Chriſti Domini corpus mira animi teneritudine accepit: & quia præ virium imbecillitate ſtare vltrà non poterat, in lectum iterum ſe recepit. Eadem inſequenti die fecit, corporis infirmitatem indefeſſo ſpiritus feruore ſuperans. Medici, quid mali eſſet, definire cùm non poſſent, varia adhibebant medicamenta: ſed irrito omnia euentu: quæ tamen illa, eſto aſpera, & amara, detrectauit nunquàm: imò illorum ad arbitrium ita ſe compoſuit, vt nè tranſuerſum abſcederet vnguem. Exemplo ſit mira gelidæ, qua ſibi interdixerant, abſtinentia: quamùis enim præ ſitis, & febris ardore, oris interiora in vulnera hiarent, & ſummum afferrent dolorem, qui lachrymas excutiebat: gemebunda Numinis implorabat opem, maiora ſe promeritam fuiſſe tormenta, maioribus dignam cruciatibus ingeminans, à nulla, vt ſaltem vulnera aut refrigeraret, aut ablueret, gelidam efflagitauit. Morbus igitur in dies creſcere, febris intendi, ſtomachus, venterq; extendi, dolores augeri, ciborum mira nauſea laborare: quibus effectum eſt, vt à lecto deinceps imbecillum Corpus, vix duabus adiuuantibus puellis, ſacro ipſo Dominicæ paſſionis die, vix attollere potuerit, quod etiam ſummo labore, vt reſurgentis Chriſti Dominico die, ſacro ſe pane reficeret, iterum vltimò præſtitit: Odæoque cùm iam ad lectum reciperetur, valere iuſſo, mira lachrymarū ſignificatione, deliciarum ſibi locum, quanto animi dolore conteſtarū voluit. Vbi Ioannæ morbus diuulgatus eſt, Philippa matertera Auerium, vt conſobrinam inuiſeret, perrexit ſtatim: quò etiam Bracharenſis, Conimbricenſis, & Portuenſis antiſtites, & alij Regni proceres confluxerunt. Ioannes Rex itineri ſe accinxit: ſed medicorum conſilio, qui veriti ſunt. nè defunctam inueniret, expectare compulſus eſt, an aliquantulùm mali vis remitteret. Quarè extremo ſororis amplexu, quod ipſi grauiſſimum fuit, fraudatus eſt. Sibi ipſa teſtamentum confecit, quo parthenonem ex aſſe reliquit hæredem, ſeruos omnes, & ancillas, qui ad Chriſti caulas ab impia Mahometis ſuperſtitione confugerant, manumiſit; famulatus, vt honeſtis viris locarentur, dotes diſtribuit.

XX. *Generaliter confitetur, & ſacro viatico communitur.*

Conſobrinum Georgium, Ioannis nothum, à quo Auerij Duces originem trahunt, quem à prima infantia educarat, ad ſe aduocatum, miris inſtruxit documentis, illud ſępè monens, Deū, vt omniū Iudicem prę oculis haberet ſemper, nihilq;, cuius poſteà pænitendum foret, vnquàm ageret. Tibi ô fili, animam hanc meam (ita IESV cænobium appellare conſueuerat) impensè cōmendo, nè tibi excidat è memoria, qua te cura trimeſtrem excepi, qua diligentia vilibus indata cantum lachrymis, & fletum muſica ſemper miſcens enutriui. hoc tibi cænobium patria, vt patriam tuere, & vale, iuſſitq;, vt aliò deduceretur, quoadusq; Ioannes de ſuo obitu certus, filio cōſuleret. Ingraueſcente morbo pridiè Nonas Maij, quo die in feruentis olei dolium immiſſus fuerat Euangeliſta Ioannes, quē ipſa hæreditaria ab Eliſabetha matre propenſione mirè ſē per coluerat, ante actæ vitæ maculas, quantum memoria aſſequi valuit, miro doloris ſenſu, & lachrymarum imbre, Confeſſario expoſuit: eodem die, ſacro





viatico communijt, atq; vnctione armauit. Et quanquàm deinceps maiori angeretur dolore, neque cibi aliquid, aut ſomni capere poſſet, vſq; ad tertium Idus Maij protraxit vitam, quàm ita ſanctè reliquit, vt duxerim operæ pretium pietati magis, quàm breuitati morigeratus, aliqua memoratu digna, vt palàm ſit, qua prudentiæ, & Sanctitatis laude notanda ſit Ioanna, ipſa, quâ euenere ſerie, hic exponere.

XXI. *Medicos excuſat, eiſq; gratias refert.*

Conuocatis Medicis, pro induſtria, & labore, magnas habuit grates, & quanquàm fruſtrà omnia euenerint, Numini id adſcribendum eſſe dixit, cuius arbitrio humanæ vitæ periodus, aut protrahitur, aut præſcinditur: cumq; palàm faſſa fuerat, ſe à Deo longiorē curſū efflagitaſſe, quò pleniùs anteacta ſcelera, pænitentia poſſet, & eleemoſinis redimere; aliter ſuperis fuiſſe viſum: qui licèt immerentem, ad meliorem vitam reuocabant, ſibi exploratum eſſe, illa ipſa nocte deceſſuram: propter eaque nihil eſſe, quarè vltra vigilijs fatigarentur, abirent proinde, & ſui memores apud Deum eſſent. Iis dimiſſis, Antiſtitem, & reliquas ſanctimoniales, nè abirent, exorauit: propterea quòd illarum ope, maximè indigeret, Confeſſarioque miſit, quiſuis verbis peteret, præſtò vt eſſet, & Epiſcopos ſui deceſſus admoneret, vt fuſis ad Deum precibus, morienti auxiliarentur. Integra tamen voce, & morientis nulla alia ſignificatione, crebrò quota eſſet hora, aſtantibus ſciſcitabatur; quaſi non modò ſciret, ſed anxiè, quæ futura eſſet vltima, expectaret. Vbi nō multum diſtare noctis mediū audiuit, ſacerdotes acciri iuſſit, caputq; ſibi alio appoſito ceruicali altiùs attolli, & quoniàm eo motu dolores acriùs pupugere, Chriſti, & Deiparæ auxilium mira teneritudine, ac lachrymis implorauit ſæpiùs. Vbi aduęnit Cōfeſſarius, protractis Summi Pontificis literis, in quibus ipſi plenaria Indulgentia conceſſa fuerat, ſublatis manibus, & pectus ſæpiùs dextera contundens, contenta voce illud ſæpiùs iterauit: *Peccaui Domine, mea culpa, indulge miſeræ.* Sibi pendentis à Cruce Seruatoris Imaginem propiùs admoueri rogauit, & pedes exoſculata, *Domine*, inquit, *Deus meus, miſerationū Domine, auerte faciē tuā à peccatis meis.* Quæ verba quotiès in aliq; Chriſti, aut Beatiſſimę Virginis ſimulachrū incurrebat, mira animi, & corporis ſubmiſſione repetere ſolita fuerat.

XXII. *Chriſti paſſionem legi curat, & deuotè audit.*

Doloribus aliquantulùm propè exanimata, vbi in ſeſe redijt, antiſtitē rogauit, ſibi, vt Redēptoris paſſionē legeret: cùmq; eò ventum eſſet, vbi immane illud ſcelus, quò carnifex Seruatoris vultū alapa fædauit, à Ioanne deſcribitur, viribus ipſa deſtituta, vt ſibi dextrū brachiū attolleretur, efflagitauit, genæque colaphum quanto maximo potuit in tanta debilitate impetu inflixit, & clara voce, *ô Domine*, inquit, *qui tā acerba pro ingratis hominibus perpeti maluiſti, mihi ignoſce, me ſalua, & in eorū, qui beata viſione potiti, æternas tibi laudes decātāt, numerū adſciſſe.* Omnia attentè, & mira, vultus tranquillitate audiebat, vbi verò inſigne aliquod Chriſti opprobrium recitabatur, ignoſce *Domine*, dicebat, *ignoſce, & nè intres in iudicium cum ancilla tua, nè iniquitates meas recorderis. Ignoſce miſeræ peccatrici.* Cum vltimum animam efflantis Domini verbum accepit, Iunctis aliquantulum ad pectus manibus, demiſſa voce orauit: ex ijs tñ, q̄ interrupta pcipiebātur, Catholicæ fidei pfeſſionem eſſe coiectatæ ſūt, q̄ viciniores erāt, ſacræ Virgines. Ter trigeſimum pſalmum repetens: *ſemper*, inquit, *Domine, & Deus meus in te ſperaui, tibi ſemper animam hanc, quam ſanguine tuo tibi redemiſti, totis viribus commendaui: quod idem modò, quāto poſſum, animi affectu præſto: tibi Domine, & beatiſſimæ Matri tuæ Virgini Mariæ, Dominæ meæ, animā meā cōmendo:* & vlterius Virginē ipſā alloquuta: *Monſtra*, inquit, *te eſſe matrē &c. Maria Mater gratiæ, Mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe.* Tunc Apoſtolorum, & Athanaſij Symbola clara voce, alijs comitantibus, dixit: Sacerdotem rogauit, vt eas inciperet preces quibus antiquo Eccleſiæ more morientibus, contra Aduerſarij incurſationes opem à Deo, & ſanctis poſcimus; accenſum de more cereum dextra illa apprehendit, nec ampliùs demiſit. Aſtabant Sanctimoniales in genua prouolutæ, & lachrymis perfuſæ: neque illa iam aliquem doloris ſenſum exhibebat, ſed mira vultus tranquillitate animi quietem declarauit: illudque omnibus mirandum accidit. Vultus, qui diuturno morbo, venuſtatem, & colorem amiſerat, inſtante morte, non modò in priſtinam pulchritudinem, ſucci plenus, & colorum viuacitate integra apparuit, ſed formoſior multò, & cryſtallina luce circumfuſus: oculos iam media in morte ad Chriſti effigiem cùm extuliſſet, omniū admiratione ſmaragdis ſimillimi rutilare viſi ſunt, & cum ita aliquandiù perſtitiſſet, ad illa precum verba, *omnes ſancti Innocentes orate pro ea*, immaculatum Deo efflauit ſpiritum: mox in gremium decidere manus, aduentitia illa diſparuit pulchritudo, & oculi palpebris ſpontè coëuntibus ſplendorem, & ſui conſpectum omnibus ademerunt. Corpus de more, religioſo habitu indutum, in Sanctimonialium conſpectum, vultu, manibus, plantiſque nudatis propoſitum fuit. Eò omnes mira lachrymarum, & ſuſpiriorum vi confluxere, & pedes certatim exoſculare, Sanctum cadauer venerabantur. Vbi verò campanarum pulſu Principis obitus diuulgatus eſt, toto oppido eiulatus exaudiri, quaſi priuato domus quæque luctu planctum attolleret.

XXIII. *Herbæ, & arbores Ioanna mortua areſcunt.*

Simul, ac dies illuxit, in ſarcophago compoſitum corpus, & nè multitudini, pateret, coram Epiſcopis, & religioſis viris, Tabulis contectum eſt. Porrò dum in Templum efferretur, omnium in conſpectu illud accidit, quò Ioannæ deceſſum, vel ipſæ arbores, & herbæ ſenſus expertes collacrymari viſæ ſunt. Intra Cænobij ſepta hortum ſibi ipſa, vt Sanctimonialibus leuamini eſſe poſſet, conſeri iuſſit: eò, labore feſſas euocabat, & mira verborum comitate, inter Paradyſi delicias recreabat: curabatq;, vt ſuo tepore aquâ vel duceretur, vel inſtillaretur, & lectæ arbores aliūdè auulſæ ſererentur: imò, ipſa ſua manu aliquas plantauerat aliquandò. Cùm igitur illac defunctum cadauer in Odæum efferretur, & ſarcophagi, vel aſpectum, vel contractum arentibus ſubitò ramis, Florum, & foliorum honorem excuſſere arbores, & emorientes herbæ: quamq; ſibi beneficam ſenſerant demortuam ſe ipſas amænitate, & vita mulctantes, deflere viſæ ſunt. Aruerunt Coroneæ mali, citrinæ, medicæ, & quot quot inſita erant arborum, & herbarum genera: neq; ex ijs vlla repullulauit. Vbi in templum, peruenere inferijs, quàm maxima potuere pompa ſolutis, incredibili omnium ordinum dolore, & ploratu, ſanctū corpus in Inferiori Odæo terræ commiſere. De Ioannæ virtutibus plura dicerem, ni faſtidioſus fuiſſe formidarem: plures de illius gloria Viſiones accidere, quas etiam prætermitto. Vixit Ioanna annos XXXVIII. ex ijs XVIII. Auerij, ſumma virtutum opinione, & mira ſui deſpicientia traduxit: pridiè Idus Maij, anno M. CCCCXC. ad feliciorem vitam emigrauit. Corpore fuit procero, & valido: ad miraculum venuſta, Fronte liberali, oculis viridi colore lætis, & amplis, naſo modico, labro inferiore aliquantulùm prominente, colore albo, & rubicundo: ex ipſo aſpectu Princeps.

XXIV. *Miracula poſt Ioānæ mortem patrātur.*

Plura pòſt Principis obitum narratu mirabilia accidere, plures illius apud Deum Interuentu maxima obtinuerunt, quæ Ioannæ ſanctitati accepta retulere: Illud vnum pro coronide memorabo. Vaſtante Auerium dira lue, in tutum ſeſe proripuere medici. Quare relictum vulgus, paſſim peſte correptum miſeras efflabat animas. Inter alios, lethifer morbus ſanctimonialem corripuit, mira virtutū opinione celebrem, annis grandæuā, quæ Ioannæ fuerat familiaris. hæc febri accenſa, cùm nullū ſibi remediū ſupereſſe aſpiceret, ad preces confugit; Ioannam apud Deum patronā

ſuſcipit, Terram è Principis tumulo erutam ſocijs petit; datam, poſtquàm piè exoſculata eſt, & capiti ſuperpoſuit, apoſthemati applicat. Mirum dictu, non remiſere modò, ſed penitùs dolores extincti ſunt, & ſopiti; febris miſeram extemplo reliquit; apoſthema ipſum, nullo adhito medicamine pus reſolutum eiecit, & in antiquam valetudinem reſtituta, quæ vitam deſperauerat, quantum apud ſuperos Princeps Ioanna valeret, alijs grata prædicabat. Illud dictum vellem, firmam Medicorum eſſe ſententiam, vèneno ſublatam fuiſſe. Cùm enim in aliquos propter ſcelera animaduerti iuſſiſſet, & quendam pertinacia infamem, vrbe, & agro relegaſſet, de ea occidenda inter ſe conſilia, eos habuiſſe conſtat: morbique inde principium accidit, quod ſibi ab ea domo frigidam, vt æſtiuum calorem leuaret, allatam cùm bibiſſet, mira totius corporis commotione exagitari cæpit, vomitu, torminibuſque laborare, corde angi, plus ſolito mærere; venter, ſtomachuſque tumere, & mutata valetudine in eum tandem morbum lapſa eſt, quo propter Sanctimoniæ zelum, miris doloribus cruciata, ad feliciſſimam palmam euolauit. Eius memoriæ adſcripta ſiue encomia, ſiue epitaphia, non dignum fuit omittere.

### I.

### INOPINATO MORIVNTVR PRINcipes, qui Ioannæ coniugium petierunt.

XXV. *Carmina in quibus aliqua de geſtis B. Ioannæ recenſentur.*

*Blandæ nec impuris vnquam temerata venenis,*
*Principis æthereum pectora cepit amor.*
*Mille poli tedæ ſuccendunt: mille ſagittis*
*Vritur, & flagrat quò mage caſta magis.*
*Mille proci voluere ſibi coniungere; mille,*
*Poſt habuit thalamos Virginitatis amor.*
*Forma Aquilas generoſa trahit: ſed pectus in iſtud*
*Non vires Aquilæ fulmen, & omen habent.*
*Gallorum petiere mirum ſibi lilia. Marcent*
*Sceptra hæc, dum cæli lilia mente colit.*
*Deperijt fruſtrà diuiſus ab orbe Britannus,*
*Nec tanta immenſo frigore flamma perit.*
*Omnibus vnus amor populis & Regibus; vnus*
*His luctus, illis funera fecit amor.*
*Nam perijt fato, quocumque popoſcit acerbo,*
*Riualem tanti eſt velle habuiſſe Deum.*
*Nec mirum & ſuperos, & qui regit aſtra Tonantem*
*Vna hæc, quæ poſſet flectere forma fuit.*

### I I.

### TRIVMPHANTI PARENTI PROcedit obuiam Ioanna, petens, vt ſacræ alicui familiæ ſibi liceat nomen dare.

*Obuia victori graditur Ioanna parenti*
*Mille petita viris, mille negata procis.*
*Armat in armatas bella altera, & arma phalanges,*
*Arma vel in ſuperas ius habitura domos*
*Ille triumphantum mos eſt, ait illa petenti*
*Imprimat, vt nullam fœda repulſa notam.*
*Te mihi victorem Cælum dedit; ergo Tonanti*
*Me redde; inquit vicem ſponte repende vicem.*
*Purpura ſordeſcit, ſaccus iuuat; Aula fatigat,*
*Ara leuat; tellus me premit, aſtra vocant.*
*Da mihi, captiuis quæ ſunt pro crimine, pœnas;*
*His meus in pœnis ritè triumphat Amor.*

### I I I.

### AD ASPECTVM IOANNÆ PRINCIpis emortuæ, vernantes flores emoriuntur.

*Fertur inhumano Ioannæ extincta pheretro*
*Pallida virgineis aſſociata choris.*
*Tranſit odoratis halantem floribus hortum,*
*Quem nuper tenera ſeuerat illa manu.*
*Demiſere caput ſocia papauera; marcent*
*Lilia, frondis honos defluit, aret olus.*
*Aſtrorum vt flammis ſol aureus addit honorem,*
*Sole micante micant; ſole cadente cadunt.*
*Ioannæ aſpectu vernabat gratia florum,*
*Ioannæ aſpectu deficiente, cadunt.*
*Aſpiceres quoties clara aſtra, & caſtra decoris,*
*Labente ex oculis fonte rigabat agrum.*
*Præ deſiderio mæſtis nunc æſtuabat herbis.*
*Triſtæ gemunt violæ, lilia triſte gemunt.*
*Quem lacrymæ paſcunt, Lacrymarum è fonte reſurgit,*
*Cùm deſint, ponunt Marcida ſigna comas.*

### IV.

### IOANNÆ IN CÆNOBIVM ADVENtum, Cometa, obitum Luna deficiens præſagit.

*Principis aduentum formoſus luce Cometes*
*Præmonet: extremum Luna labore diem.*
*Vt monſtret ſidus, flammat noua ſidera cælum,*
*Abijcit, vt ploret Cynthia mæſta iubar.*
*Ioannæ aduentu vaneſcit ſidus in auras*
*Victaque maiore lumine ſtella fugit.*
*Luna vbi ſidereas reuocandam ſenſit in aulas,*
*Inuidet, & tanto priua decore gemit.*
*Namque olli interitu ſplendor non interit: auxit*
*Mors lucem occaſus contulit ipſe iubar.*
*Et quæ præſagum vincebat luce cometem,*
*Exanimis Lunæ cauſa laboris erat.*
*Quid palles? maculas ſi vis perfundere luce,*
*Ioannæ extincto à ſidere quære iubar.*

### V.

### PRO CHRISTI SPINEA CORONA, plures Regnorum coronas neglexit.

*Contemplata ſuam, & Chriſti, Ioanna coronam.*
*Quam diuerſus, ait, flos vtriuſque viret?*
*Illa voluptatem mihi germinat, iſta dolorem:*
*Hæc roſa fert ſpinas, illaque ſpina roſas.*
*Spinea ſit, quamuis illa eſt pretioſior auro,*
*At mea ſit quamuis aurea, ſpina manet.*
*Sentibus illa viret, tamen eſt in ſente leuamen,*
*Non habet hæc ſentes, at ſine ſente ferit.*
*Chriſte vices mutare velim: caput ergo coronent,*
*Aurea ſerta tuum, ſpinea ſerta meum.*
*Si te ſpina iuuat, plures tibi proferet aurum:*
*Hoc ſpinas: auri plus tua ſpina mihi.*

Antonius Vaſconcellius Soc. IESV Sacerdos, Theologus Olyſipponenſis, in Anacephalæos Regum Luſitaniæ, hæc omnia de Ioanna Principe mundum triumphante, ſcribebat, & pangebat.

XXVI. *Alfonſus Luſitaniæ Regis fil'. in ipſis nuptiarũ ſolemniis moritur.*

Mundi oblectamenta, quamquam amore ſponſi IESV contempſerit Ioanna Princeps: iuuit tamen ad eorum deſpicientiam, cogitatio vanitatis, & inſtabilitatis omnium, quæ in pretio, apud homines ſeculi amãntes. Diffugiunt velut vmbræ, & ferè ſemper in ipſo illecebræ momento, doloribus permiſcentur, ſæpe etiam funeſtis. Vel nepos illius ex Ioanne fratre Rege Alfonſus, documentum dedit, nihil eſſe rebus humanis inconſtantius. Is enim hoc ipſo anno paulò poſt mortem amitæ, inter ipſa nuptiarum ſolennia, quæ adoleſcens annorum XVI. patre præſente celebrabat, implacabili omnium dolore extinctus interijt. Iſabellam, Ferdinandi, & Iſabellæ Regum Caſtellæ maiorem Regem filiam in matrimonium ducebat, pacis perpetuæ, inter vtramq; Regiam pignus ſecurum. Hiſpaniæ Cardinalis, Ludouicus Oſorius, Giennenſis Epiſcopus, Diui Iacobi, & Alcantaræ Magiſtri, Gomerius Figueroa Feriæ, & Alfonſus Pimentelius Comites, multa alia nobilitate ſequente, ſponſam in Luſitaniam deduxerunt, omnibus ad decorem compoſitis, ſuſcepto inter eos, & Luſitanos excipientes





tes illã, de ſplẽdore, cultu, & elegantia, certamine. Nullus indè in nuptiarum lætitia maior apparatus, memoria hominum viſus, aut auditus eſt, nec tãta ſpectaculorum varietas, aut veſtium tanta lautities, quanta in nuptijs Alfonſi. Ante ambulones, muliones, coqui, & alij Principum, & nobilium miniſtri, aureis, argenteis, & holoſericis induti, vilia miniſteria exercebant. Per Italiam, Hiſpaniam, & alias regiones, quicquid aurei, argentei, aut ſerici panni inuentum, nauigijs ad id miſſis exemptum, & in Luſitaniam allatum, pecunia præ manu textoribus ſoluta, ad id nouas telas conficiendas. Nullibi tot obſoniorum architecti, cantores, pſaltes, mimi. Nullum triclinium maiora vidit epularum portenta, nullus abacus vaſa capaciora, nulli parietes ſuperbiora aulæa, nec vlla ætas magnificentiores apparatus. Quorum fama, è diuerſis Europæ partibus, ad eam celebritatem conuenere multi, edictis etiam, & præmijs propoſitis. Ludi nuptiales Eboræ, atque Scalabi in ſextum menſem continuati. Nihil eſt ſyncerum conſtanſque in rebus humanis. Lætitiam vniuerſæ gẽtis inopinus caſus cõturbauit. Regem in eo oppido ad ripam Tagi fluminis ſub veſperam progreſſum, Alfõſus Princeps honoris cauſa comitatus, cum Ioannem Meneſium ad currendum admiſſis equis prouocaſſet, ferocis, quo ferebatur, equi repentino caſu oppreſſus, breuique in piſcatoris caſa ſuper fæni ſtrato locatus extinctus eſt: quanto parentum, & Sponſæ, atq; totius prouinciæ luctu, dicere non eſt opus. Tot ſpes, tot gaudia, diem vnum in contraria vertiſſe, veriſſimis lachrymis querebantur. Corpus ad maiorum ſepulcra tumulo contectum, & inferiæ more patrio datæ, Rege & reliqua nobilitate atrata in veſte funus proſequentibus. Iſabella vix primis gaudijs delibatis, tam breui ſpatio ſponſa, coniux, vidua ad parentes in Caſtellam contecta lectica remiſſa eſt. Sic res humanæ, & gaudia leui momento permutantur. Auratis, & gemmatis veſtibus, ſaccus, & ſquallor, epithalamijs, & hymeneis lamenta, ac vlulatus ſuccedunt. *Nonius de rerum Portugal. geneal. Mariana lib. 25. c. 14.*

XXVII. *Innocentius PP. tangitur apoplexia.*

Parum etiam aberat, quin hoc anno palatium Vaticanum funeſtaretur. Enimuero die 27. Septemb. Innocentium Pontificem, ſubita apoplexia inuaſit, hominemque propè extinxit, ita vt totis horis viginti ſine arteriarum motu, immobilis iacuerit; famaque iam mortis eius quoque verſus diffuſa, Cardinales de ordinandis circa ſucceſſorem omnibus, properè conuenerint. Decies centena millia nummum aureorum, in vſus belli Turcici, & Neapolitani, ab eodem collecta tunc reperta ſunt; quæ in molem Adriani transferre patribus placuit, nè prædæ paterent. Franciſcus Cybò demerendi Ferdinandi Regis cupidus, Ziziminn Baiaſitis fratrem Virginio Vrſino, vel Florentinis tradere cogitabat, vt Neapolim diceretur. Sed Cardinales in ipſa mole Adriani ſeruandum decreuerunt. Inter hæc Pontifex die conſequenti, ſubito magna omnium admiratione viuus apparuit, motuſque iam in vrbe exorientes diſcuſſit: ſed tamen in poſterum ex illo morbo grauiſſimo non omnino conualuit, vnde rebus agendis, & præcipuè bello vtrique parando, non adeò acriter, quemadmodum prius incubuit. Perculit hominem fulmen, quod campanariam Baſilicæ Vaticanæ turrim paulo ante conceſſerat, & in cubiculum Archiepiſcopi Conſentini, nepotis delapſum, lectiſternium vniuerſum cæteris inuiolatis exuſſerat. Cometes etiam id temporis viſus nonnihil timoris iniecit; à quo ille ſtupidior factus quaſi iam fatali ignauia premeretur, non omnimodam ſolicitudinem adminiſtrando muneri adhibuit. *Infeſſura in Notis. Vialardus, & Panuinius in Innoc. 8.*

XXVIII. *Aliqua de Vener. F. Stanislao Ord. Prædic. recenſentur.*

Eius tamen Nuncij atque Commiſſarij, vbique regnorum Europæorum, ad ſacrum bellum indicendũ, commeatumque, & pecuniam conquirendã deſtinati ſolicitè omnia curabant. In regno Poloniæ, Innocẽtius id muneris demandauerat Alberto Secimenſi, Prouinciali Dominicanorum, ſcripto ad eum diplomate. Hic porro in curam aſſumpſerat F. Stanislaum, cognomento Kolkokam, S. T. B. virum eruditione præſtantẽ, & ſanctitate vitæ venerabilem. Nonnulla à maioribus partim voce, partim ſcripto tradita, de eodẽ alicubi vulgauimus, digna, quæ etiã hoc loco memorentur. Erat iſte pater, in concionibus feruidus vitiorum obiurgator, in oratione, & contemplatione pernox, in cuſtodia ſenſuum ſolicitus, in mortificatione ſui rigidus. Ante imaginem Chriſti in cruce paſſi, quæ in angiportu Eccleſiæ SS. Trinitatis Cracouiæ, vt antiquitate, ità veneratione ſingulari proſtat in altari, ſæpiùs oraſſe tradunt. Supra cuius in oratione ſupplicis caput ſæpe viſebantur radij, in globum flammeum reſoluti pignora ſplendoris illius, quo omnes qui Chriſti imaginẽ in ſe expreſſam referunt, perenni claritate illuſtrabuntur. Audiebantur & ſermones dulciſſimi ab imagine Crucifixi, quos Saluator Orbis cum Stanislao miſcebat, & ſeniles illas vitæ moleſtias (annos quippè centenos vitæ ſuæ numerabat) ſolicitudineſque anxias, quas ex longo incolatu ſuſcipiebat, ſuauiter leniebat. Is aliquando ante imaginẽ B. Virginis Deiparæ, quæ in ara Dormitorij extat, parum decenter inductus, orans, flagris ab Angelo admonitus eſt, vt maiori veneratione, columbinis pudiciſsimæ Virginis oculis ſe in poſterum ſiſteret. Aliquando etiam in angiportu ſecunda, quæ tunc ligneã erat, circa puteum noctu obambulans, globoſq; precatorios voluens, audiuit ſingultientem quendam in putei profundo. putauit Fratrem quempiam caſu lapſum eſſe; vocauit ſecundò, & iterum: nullus reſpõdebat: ſingultus tñ præteruolabant aures eius. Spiritũ aliquem inſidias Fratribus, vel ſibi tendentem primò ſuſpicabatur, & vt erat in hoc genere diſcretionis geniorum probatus ſigno Crucis fronti, ori, & pectori impreſſo, adiurauit eiulantem, diceret. Quiſnam eſſet: cuius rei gratia illo loci deliteſceret, ſubſideretq; quæ etiam cauſa ſingultuum. Animæ ſum, *reſpondit*, Fratris illius, qui nuper obij, officij ſui parum memoris; purgatorij pænis hoc in puteo, iuſto iudicio Dei deuota. Mirum putas, me in gelido fonte flãmis torreri! Paſchaſium illum Vrbis Romanæ Diaconum in balneo quoque eaſdem pænas exſoluentem recogita, non mirabere. Secutus ſum errantem, ſequor errotis flagra olim ſuſtinentem. Cæteras, quibus reſperſus fui, leuiores maculas, non tibi pando. hoc vnum ſcias, Fratreſq; deſides officij admoneas velim, me hic flãmis purgatorij ignis exuri, quod pro anima alterius Fratris decedentis, Pſalteria conſueta non recitauerim. Et quàm, *ait ſenex*, grauis eſt vredo, qua torreris? Igne alij, *reſpondit*, aura eſt tenuis, comparatione ardoris, quo diſcrucior. Experiri volo, *intulit Stanislaus*, hoc in mortali corpore, cruciatum, quem aſſeris, modò vt partem aliquam expẽdam ſuppliciorũ, quæ demerui. Non potis eſt homo, *reſpondit ille*, infirmitate circumdatus hæc perferre. Tamen ſi peruicaci animo poſcis, volam manus extende, guttulam ſudoris mei excipe, me tuis ſacrificijs iuua; Fratribus ſuade, caueant, nè ob ſimiles culpas, æqualibus plectantur pœnis. Protẽdit ille manum, igneam quãdam lachrymulam excepit, qua peruſtus doloris immenſi impatiens, vociferans concidit in terram ſemimortuus. Accurrerunt Fratres confabulantis ſermonibus, nec non clamoribus dolentis excitati, ac ſeniculum iam exanguẽ & ferè emortuum repererunt; crebriſq; fomentis, fugiẽtem animam detinuerunt. Cauſam doloris, & caſus percontantibus aperuit, hæcque poſteris indidem inculcanda admonuit. Annuũ ſuperſtes deinceps fuit, cruciatus purgatorii inexhauſto corpuſculo perſentiſcens. demum ſancto fine quieuit, ſepultus penes Crucifixi illam imaginem, cui toto pectore adhæreſcebat, atque deſeruiebat. *Propago S. Hiacinthi c. 5.*

XXX. *Item de Venerab. PP. Ioãne Stubach, & Dominico Cathalano eiuſdẽ ordinis.*

Floruerunt hoc tempore, in eadem Dominicana Religione, duo viri, ſanctitate & eruditione illuſtres: Ioannes Stubach ex Prouinciali Germaniæ Vicarius Ordinis, & Dominicus Cathalanus, Cænobij S. Mariæ Gratiarũ ſui inſtituti Mediolani conditor. Vtriq; Zelus ingens, ſeruandæ, & propagandæ regularis diſciplinæ ſacrificandi perpetua conſuetudo: orandi & concionandi ſtudium indefeſſum. Stubachi iſtud facinus memorandum. Venetias aduenerat, vt Comitijs Generalibus, eligendo ſupremo ſui Ordinis Magiſtro deſtinatis præſideret. Ciues pia hoſpitalitate erga venturos Patres in ciuitati, cubicula ſplẽdidiſſimè in Cænobio ornauerant, aulæis, & periſtromatibus ex ſerico ſuſpenſis. Ibi verò Stubach primum adueniens, vbi hos luxus aſpexiſſet, in lachrymas prorupit; & contenta voce; Hoccine, *ait*, inſtitutum eſt S. Patris Dominici? Hæc paupertas? hæc durities lecti? Iſte ſecularis ſplendoris contemptus? Dixit; neque prius cellam deſtinatam ingredi ſuſtinuit, quàm parietes nudarentur & lectiſterniũ ex præſcripto legum poneretur. Dominicus ſpiritu prophetico clarus, Papienſibus mortalitatem prædixit; apud quos vita functus, ſanctitatis, & miraculorum fama innotuit. *Pius de viris illuſtr. Ord. Præd. lib. 1.*

XXX. *Moritur B. Bertramus Auguſtinianus.*

Inter Auguſtinianos, hoc anno, Firmi in Piceno, ex hac miſeriarum valle, multis diuinæ Maieſtatis ſignis, euocatus eſt B. Bertramus, ex generoſa familia in Hiſpania oriundus; poſtquam multis annis Eremiticam vitam duxiſſet, ſub obedientia Prioris Firmani: quo tempore, numquam aut genus, aut familiam detexerat: detexit autem ſub Eremitico palliolo virtutes latitantes Deus. Cum enim corpus ſepulturæ mundaretur, Angelicus concentus palam auditus eſt. *Nicolaus Cruſenius parte 3. c. 31.*

XXXI. *Floret Ioannes de Magdalena eiuſdẽ ordinis.*

Aequalis tempore, Ioannes de Magdalena, Auguſtinianus, Vlyſſiponenſis, in Italia, præſertim Romæ vixit: qui cum eſſet Theologus præſtantiſſimus, occaſione cuiuſdam chartæ ſanguine miraculoſo ab hoſtia ſacrata emanante perfuſæ, quæ Caſſia Vmbriæ oppido in Monaſterio Auguſtiniano ſeruatur, & colitur, rogatus ab Ambroſio Corano Priore Generali, ſcripſit tractatum vtiliſſimum, in quo multas de ſanguine miraculoſo abſoluit controuerſias, & dubitationes. Is poſtea in patriam reuerſus, Alfonſum Principem, de quo ſcripſimus, Ioannis II. Luſitaniæ Regis filium, in litteris, & moribus inſtituit, & ſex, ac viginti annos Vlyſſipone Theologiam ex prima cathedra prælegens, à doctis viris expedita Commentaria reliquit. *Pamphylus in Chron. Auguſtin.*

XXXII. *Sanctitas B. Benedicti Valentini Minoritæ.*

Contemporaneus ſuperioribus, B. Benedictus Valentinus, Ordinem Minoritarum in Hiſpania profeſſus. Huius tanta merita apud Deum fuere, vt ſudariolo mortui illius, aliquis energumenus à malo dæmone ſit purgatus. A feruore concionantis, fumare illi caput auditores ſæpe videbant. Anno ſuperiore apud Alicantum eo præſente, & verba ad populum faciente, aliqua miranda contingere. Ad pluuiam, in ingenti ſiccitate impetrandum, Rector Parochiæ S. Ioannis, à ſuo templo, ad aliud B. M. Virginis gratiarum, curæ Minoritarum creditum, proceſſionem inſtituerat, & exundantem vim aquarum obtinuerat. Eo beneficio populos recreatos, octauo poſt die, gratijs Deo agendis in proceſſionem coëgerat, & deuotioni excitandæ, imaginem vultus Chriſti, ex Romano prototypo, quod Veronicam dicunt, delineatam, Romaque delatam, in ſupplicatione detulerat, die 17. Martij anno 1489. Diſtractus poſt, cum ad arcendam multitudinem tumultuosè irruentem reieciſſet, & imaginẽ duobus Minoritis præferendã dediſſet, viſa eſt manus eorum, pondere per miraculũ creſcente ita grauare, vt ſuſtinendæ illi opus habuerint alios aduocare. Paululũ deinde cũ in quodã loco ſubſtitiſſent, & imaginẽ altius ad veneradũ extuliſſent, viſa eſt illa, dextro oculo guttam liquidiſſimam, cryſtallo puriorem, ſereniſsimo cælo ſtillare. Qua re populi attoniti, imaginem ad Monaſterium B. M. V. detulerunt, indidemque Benedictum pro cõcione, ſed ſub dio audierunt, miranda hæc dilaudantem. Altero die, qui Veneris erat, ad concionem inuitati, ſereno pariter cælo, nubibus ſubitaneis denſiſsimis cooperti, eleuatum in aëra Benedictum, ac duas in aëre imagines priori aſſimiles, nec non abſoluta concione nubes in formam crucis, in quattuor partes diuidi conſpexerunt; vnde copioſiſsimus imber agros oẽs innudauit. Alia die prolata Benedicto cõcionante, eadem imagine, viſum eſt cælum quaſi aperiri, & ſignum Crucis varijs coloribus inſtar iridis diſtinctum apparere: vnde creſcente populorum deuotione, eò loci, vbi primùm imago guttam eliciut, Cænobium Clariſſis extructum, & miracula, terra, marique ab eadem imagine patrata, quorum anniuerſariam ibidem memoriam recolunt, die XVII. Martij. *Vlyſſiponen. hiſt. Seraph. lib. 7. c. 16.*

Eodem anno 1490. in agro Feſulano apud Etruſcos, miranda quædam à deuotione in Sacroſanctam Virginẽ euenerunt. Inter condenſa montiũ ſuper Plebem SS. Geruaſij, & Protaſij Feſulanæ Diæceſis verſùs Aquilonẽ, altus, & præruptus imminet collis, ad ima S. Brigidæ per deuia declinãs, à Sanaria, Seruitarum eremo tertio milliari à Feſſulis quarto diſtans. In eius decliuiori deſcenſu prædium, quod *Lenari*, dicitur, colebat vir pauper duarum puellarum pater, quæ per ea nemora ouiculas quaſdam ad paſcua quotidiè ductabant. Inter has curas paſtoricias ſæpe ſæpius in meridie ſolis æſtum ſub rupe illa declinantes, preces, & laudes coràm vetuſtiſſima quadam, & ferè exoleta imagine B. M. V. ibidem ſupra memoriam hominũ locata, ſimplici, & puellari deuotione fundebant. Voluit Regina cælorum ſua præſentia illas recreare. Itaq; die 2. Iulij, qua Viſitatio eiuſdem recolitur, ſuper nube lucida, vnà cum filio, inter duos Angelos albis induta, ſaxo cuidam inſidẽs, ſpecioſiſſima vtriqr apparuit, perterritaſq; ſolata admonuit, ve le eodem loci templum habere, ac patrem earum ibidẽ videre. Accerſito illi viſendam ſe præbuit, quidque de templo à populis extruendo cuperet edocuit. Fama eius rei per Florentina, Feſſulana, & Mugellana prata, campeſtria, & montana diffuſa confluentibus cateruatim ad ſaxum populis, die 22. Auguſti, quæ erat Dominica poſt feſtum Aſſumptionis, eadem ſpecie plurimis apparuit, & de templo extruendo, voluntatem aperuit. Cliuus aſperior erat, quam vt poſſet facilius complanari. Ergo ex oppoſito, templum ædificare cæperunt; ad quod facilius aſcenderetur. Cæterùm quicquid interdiu operæ extruxiſſent, noctu corruebat. Vnde voluntate Diuæ Virginis perſpecta, eo loci, vbi ſuper ſaxum conſpecta eſt, circumcirca lapidem templum erexerunt, cui à Saxo titulum indiderunt. Ad quod, vt Iulius II. Pont. M. in diplomate narrat, cum *propter miracula quæ ibi interceſſione eiuſdem B. M. V. operatur Altiſsimus, conflueret multitudo fidelium, viſitantibus, & pias eleemoſynas, ac oblationes offerentibus*, nonnullas Indulgentias largitus eſt. Calend. Octobr. 1504.

XXXIII. *Miranda à Deuotione Deiparæ patrãtur.*

Aliquis Canonicus Florentinus, dùm illam imaginem in ſolemni proceſſione, Florentiam à Confratribus Sodalitij, gratia neceſſitatis cuiuſdam publicæ illatam, & per Metropolitanam Baſilicam ſumma cum deuotione ciuium delatam vidiſſet, ſed riſiſſet: ac præterea contumelioſis verbis affeciſſet, vix prolatis verbis vindice Deo gemini fulminis ictu è cælo percuſſus interijt. Miraculis imago, etiam in anno Domini 1609. illuſtrabatur: frequenti ex agro Mugelano, & Apenninis alpibus, præcipuè ſingulis Dominicis Maij concurſu populorum. Cura eius templi Patribus Seruitis, iure congrui, ab Iulio 2. credita eſt. *Archangelus Giamus. Cent. 3. Annal. Seruorum lib. 4. c. 9.*





XXXIV. *Tempeſtas ingens, & inaudita in vrbe Conſtãtinopolitana.*

Hoc anno, die XII. menſis Iulij, tempeſtas ingens prius inaudita, in vrbe Conſtantinopolitana admodum deſæuijt. Superiorum enim trium ſyderum ignes qui decidui ad terras, fulminum nomen habent, contagionẽ nimij vaporis hoc modo in eã regionem delapſi ſunt, primo ingentia tonitrua audita, exinde fulmina ardentia viſa, & longiore tractu fulgetra. Octingentas domos ignis rerum edax conſumpſit, & hominum tria millia, vt nec lignum, nec forma ædificiorum remanſerit; ac præterea columnæ antiquæ, imaginem Conſtantini habentis, partem eiecit. *Nauclerus vol. 2. gener. 50.*

XXXV. *Hyems rigidiſsima, & homines ſylueſtres viſi.*

Fuit etiam hoc anno vbique fere, citra omnium hominum memoriam hyems rigida, & niualis. Iacuerunt alicubi inſolubiles niues vſque ad initium æſtatis, in quibuſdam locis vrbanis; concretumque eſt circa vrbem Venetiarum ſtagnum, quam longe, lateque patet vſque ad mare, tam alta glacie, vt ex Margaria vico, & alijs circumiectis locis, pedibus, curruque ad vrbem iretur: diſſerenauit poſt caſum niuium in plures menſes, circumuehebantur venales aquæ, vt aſſolet in cymbis, verum rigore concretæ, ac ſecuribus diffractæ, vt magis oculorum æſtimatione venderentur, quam menſura. Paluſtres, & marinæ volucres in paludibus deprehenſæ minoraque animalia intolerandis frigoribus paſſim interiere. In Noruegia id temporis reperti in montibus homines piloſi, quales ſylueſtres eſſe feruntur. Incolæ aſſerunt, belluas eſſe humana forma, homines inſigni odio perſequentes; quæ quidem die nil mali inferant noctu vero villas inuadant, & homines trucidatos deuorent: oſtia effringant, mediocres arbores radicitus euellant; trunciſque magnarum arborum ab arboribus detractis, inter ſe pugnent. *Auctor de prodigijs, & oſtentis.*

XXXVI. *Monſtrũ noui generis in Scotia.*

Circa eadem tempora, monſtrum noui generis in Scotia natum eſt, inferiore quidem parte corporis ſpecie maris, nec quicquam à communi hominum forma diſcrepans, vmbilicum verò ſuprà, trunco corporis, ac reliquis omnibus membris geminis, & ad vſum, & ſpeciem diſcretis. Id Rex Iacobus diligenter, & educandum, & erudiendum curauit, ac maximè in muſicis qua in re mirabiliter profecit: quin & varias linguas edidicit, & varijs voluptatibus duo corpora ſecum diſcordia diſcutiebant, ac interim litigabant, cum aliud, alij placeret: interim veluti in commune conſultabant. Illud etiam in eo memorabile fuit, quod cum infernè crura plumbiuè offenderentur, vtrumque corpus communiter dolorem ſentiret, cum verò ſupernè pungeretur, aut alioqui læderetur, ad alterum tantum corpus doloris ſenſus perueniret, quod diſcrimen etiam in morte fuit magis perſpicuum. Nam cum alterum corpus complures ante alterum dies extinctum fuiſſet, quod ſuperſtes fuit, dimidio ſui computreſcente, paulatim contabuit. Vixit id monſtrum annos XXVIII. ac deceſſit. *P. hiſt. Scot. lib. 13.*

XXXVII. *Homo incognitus Ingenti admiratione Romæ viſitur.*

Romæ etiam hoc anno 1490. homo quidam incognitus, vili, & obſoleta veſte indutus, Romæ, ingenti admiratione omnium conſpectus eſt. Plateas, & vicos vrbis frequentiores obambulans homines ad cõcionem vocabat, & aliquem eminentiorem locum conſcendens, aliquid ad explanationem Euangeliorum ſe dicturum pollicebatur. Congregata multitudine tàm aptè, dilucidè, diſerteque, loca veteris Inſtrumenti, nouo teſtamento componebat, myſteriaque Fidei Chriſtianæ recondita explicabat; & præſertim prophetarum ab initio Orbis, vſque ad Chriſti aduentum de Chriſto oracula depromebat, vt vulgus hominem diſertiſſimum, & doctiſſimum eſſe exiſtimauerit: doctiores vero tamquã ex auditis alicubi concionibus facundum, non verò ſolidè eruditum, deriſerint; vt tunc maximè, quando illi ſpiritum ſibi prophetiæ arrogare auſus, nonnulla de venturis, anno conſequenti cædibus, & cladibus Romano populo prædixerit, ac Pontificem eodem anno 1491. moriturum, ſucceſſoremque Angelicum (aſsimilia ante aliquot annos ſomniabat Amideus Minorita, vt memorauimus) futurum, temerario, & falſo vaticinio obtrudere voluerit. *Infixura in notis Diariis Romanis.*

XXXVIII. *Seuerienſiũ Principes ad Moſcouitas deficiunt.*

Hoc anno, Ruſſorum Seuerienſium Principes, vltrò ad Moſchouitas, à Regno Poloniæ defecerunt. Cauſa fuit præcipua, quòd de religione, ſeu vnione cum Occidentali Eccleſia, rituq; Sacrorum à Polonis diſſentirent, cum Moſchis verò conſentirent. Ea de cauſa Cazimirus Rex, ad bellum rebellibus inferendum ſeſe comparabat. *Cromer. lib. 29.*

XXXIX. *Commẽtitia eſt illa diſpenſatio, vt Miſſæ ſacrificium in ſola panis ſpecie offerretur.*

In hunc annum Chronologi reijciunt, quaſi Pontifex Innocentius, Noruegis, vt ſine vino, ſacrificium Miſſæ offerrent, indulſiſſet. Potuit eſſe, vt aliqui quos memorabimus, Sacrilegi, propter vitiatas, quas ſcribebant, vendebantq; litteras Pontificias, Sacerdotio exuti: & ignis ſupplicio addicti, aliquid tale Noruegis obtruſiſſent, ac ſimplicioribus impoſuiſſent: cæterum falſum eſt, aliquid tale, Pontificem permiſiſſe; quandoquidem ex inſtitutione diuina, incruentum Sacrificium panem, & vinum, adeò requirit, vt nè ſummus quidem Pontifex, alteram partem detrahere, aut aliquid circa integritatem Sacrificij immutare poſsit.

---

# ANNO CHRISTI 1491.

## INNOCENTII PAPÆ VIII. Anno 8.

## FRIDERICI ROMAN. IMPERAT. Anno 52.

## MAXIMILIANI I. ROMANORVM REG. An 6.

I. *Pax inter Vladislaũ & alios principes fit cũ certis conditionibus.*

Pontifex Innocentius, de pace inter Wladislaum Regem Vngariæ, & alios Reges competitores ſollicitus, Legatos in Germaniam ad Fridericũ Imperatorem, & ad Maximilianum Rom. Regem; necnõ ad Cazimirum Poloniæ, Ioannem Albertum, à quibuſdam Vngaris electum, & ad Vladislaũ, quẽ diximus, Cardinales Raymundum, & Reginum deſtinauerat. His interpellantibus, ac interuentu Procerum ex Auſtria, Vngaria, Polonia, & Bohemia, ad lites dirimendas euocatorum, Maximilianus, nè ambitionis, ac auaritiæ argueretur, pacem cum Vladislao fecit, his legibus: Vladislaus Rex belli impenſas, cauſa Vngariæ, à Rom. Rege factas reſtituito. Titulus Regis Vngariæ Archiducibus Auſtriæ maneto. Si Regẽ Vngariæ aliquem ſine maſcula prole, de vita decedere cõtigerit, Auſtriæ Archidux hæres, ſucceſſorque eſto. *Beuter. lib. 2. Mſ. de reb. Innoc. 8.* Inter eundem Vladislaũ porro, & Ioannem Albertum hæ conditiones præſcriptæ. Ioannes Albertus, Vngariam deinceps miſſam faceret. Vngaris, qui in verba ipſius iuraſſent, iuſiurandum remitteret. acciperet autem in Sileſia Glogoniã maiorem, Cozochouiam, Sprotauiam, Zelanegoram, Suebodinum, Giuram, Croſnam, Scenauiam, Opauiam, Carnouiam, Toſcum, Bythomiam, Suirchleneciam, & Cozle, eaque omnia ditione teneret, vnà cũ liberis ſuis maribus, ſi quos habiturus eſſet, tantiſper, quo ad Rex non eſſet. Verum vt ferrent tamen eorum locorum homines onera publica ex æquo cum Vngaris, Dux autem ipſe Ioannes Albertus liber, & immunis prorſus ab ijs eſſet. Intereà vero dum hæc præſtantur Aperiaſſum, is & Sobenouiam retineret. Quod ſi Vladislaus nullis relictis liberis decederet, Ioannes Albertus poſt eum regnaret apud Vngaros.

Nemini autem fraudi eſſet, cum eo contra Vladiſlaum ſenſiſſe. adhæc, vt ijs, qui Matthiæ Regis tempore exulaſſent, liber ad ſuos reditus pateret. Denique vt captiui vtrimque redderentur, itemque munitiones captæ. *Cromerus lib. 19.* Iam etiam pax, cum Ioanne Coruino Matthiæ filio, operante Apoſtolico Legato ſancita fuerat; vt is diadema S. Stephani Regium, & arces ad Regiam poſſeſſionem ſpectantes reſtitueret; vtque omnia eorum diplomata, qui Coruinorum & villas, & bona à Regina poſt partam victoriam dudum impetrarant, qui ciuili bello occubuerãt, aut reip. hoſtes promulgati fuerant, continuo inita concordia reſcinderentur, & pro irritis haberentur; qui eo tempore occupata reddere pertinacius recuſarent, perduellionis crimen planè ſubirent. Ablata cuncta redderentur, ex pertinacibus pœnæ deſumerentur. Coruinus Boſnæ, Croatiæ, & Slauoniæ dominium, omniaque oppida, vicos, theſauros à Matthia patre ſibi legatos retineret; Petrum Colocienſem Archiepiſcopum, quem Matthias Rex annos ſex in arce retinuerat, liberaret, & vna dignitatem reſtitueret. *Bonfinius decade quarta, libro octauo.*

II.
*Innocentij PP. decretum contra eos qui impediunt confugientes ad Sedem Apoſt.*

Concordia ad eum modum inter Reges ſtabilita, non deſtitit illos & alios Innocentius Pontifex ad ſacrum bellum contra Turcas excitare; atque ſtipendia conquirere. Cæterum, nè Ferdinandus etiam Rex Neapolitanus deeſſet, placuit, ad Regum Hiſpaniæ preces, aliquid rigoris demittere, atque inter eum, ac Sedem Apoſtolicam, de vectigalibus annuis, & de proceribus Neapolitanis controuerſias, arbitrio æquiſſimo componere. Quibus conditionibus pax ſteterit, ad initium conſequentis anni dicemus. Interea vero, ne proceres, & populi laceſſiti, aut quauis iniuria violati, ad tutelam Apoſtolicæ Sedis confugientes, & ab eadem iudicium, iuſtitiamque poſtulantes, à quoquam aut prohiberentur, aut impedirentur; Pontifex, iuris, & moris Eccleſiaſtici tenax hanc, quam adiungo, legem ſciuit.

*Innocentius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Officij noſtri debitum, quo ſumus vniuerſis noſtræ curæ creditis, in iuſtitia debitores, exigit, & ad hoc potiſſimum nos inducit, vt huius S. Sedis Apoſtolicæ auctoritatem, & honorem præſeruemus, ac opportunæ prouiſionis remedia etiam adhibeamus, per quæ ius ſuum quiſque conſequi valeat, & iuſtitiam exquiſitis vijs, & à canonibus damnatis modis conculcare ſatagentium malitijs obuietur, tranſgreſſoreſque debitis afficiantur pœnis, vt à ſimilibus abſtinere diſcant, & alij ſi non virtutis amore, & iuſtitiæ zelo inducti, ſaltem formidine pœnæ perterriti, talia committere non præſumant. Sanè multorum clamoribus, & fide dignorum relatione (non ſine maxima mentis noſtræ perturbatione) accepimus, quod ſæpiſſimè contingit, & quodammodo in quandam conſuetudinem, ſeu potius abuſum deductum eſt, vt cum aliqui ad Romanam Curiam (ad quam vtpote communem omnium patriam ex omnibus mundi partibus confluere ſoliti ſunt, pro iuſtitiæ complemento in cauſis potiſſimè ad forum Eccl.cum pertinentibus conſequendo) accedunt, & cauſas in eadem Curia palatij Apoſtolici cauſarum Auditoribus, ſeu alijs Iudicibus contra eorum aduerſarios committi, & citationes ad partes, vt moris eſt, & ſtyli antiquitus in eadem Curia obſeruati exiſtit, decerni obtinuerunt, hi contra, quos huiuſmodi citationes executioni mandari debent, ad iudicia ſecularia, & alias verita, Principeſque, & potentatus ſeculares recurſum habentes, tam perſonis ſic agentibus, quam notarijs publicis, & alijs etiam quibuſcunque Curſoribus noſtris huiuſmodi citationes exequi volentibus, per principales ſeu iudices, & officiales ſeculares huiuſmodi, ſub formidabilibus pœnis inhiberi, & præcipi procurant, & faciunt, nè illas exequantur, & vt iam factas executiones reuocent, ſeu ſaltem etiam iuramento aſtringi, quod de executionibus huiuſmodi relationes non faciant, aliaſque, ne huiuſmodi citationes, executiones fiant, diuerſimode impediunt, & quandoque clerici, quibus in beneficijs Eccleſiaſticis ius competit, beneficia ipſa ad ſuorum aduerſariorum inſtantiam reſignare, & illa ius nullum habentibus, dimittere compellantur. Notarij verò, ſeu tabelliones publici, & aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ, plus temporalem, quàm æternam pœnam metuentes, de huiuſmodi citationum executionibus, & inhibitionibus, ſeu impedimentis circa illas præſtitis, etiam in virtute per eos in ipſorum creatione ad Notariatus ſiue tabellionatus officium præſtiti iuramenti, ab his, quorum intereſt, requiſiti, metu pœnarum temporalium huiuſmodi inſtrumenta publica deſuper conficere, & in publicam formam tradere, aut de his ſe rogatos facere non audent, ex quo iuſtitia perit, ſeu ſaltim retardatur, beneficiaque Eccleſiaſtica multotiès abſque titulo Canonico detinentur occupata; mandata verò Apoſtolica contemnuntur, & auctoritas Sedis Ap. cæ prædictæ vileſcit, libertaſque Eccleſiaſtica conculcatur. Nos igitur cupientes, quantum cum Deo poſſumus, huic morbo, ne vlterius inualeſcat, opportunam medelam adhibere auctoritate Apoſtolica, hac noſtra perpetua conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, quod omnes, vt ſingulæ perſonæ, tàm ſeculares, quàm regulares, cuiuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, & præeminentiæ, ſeu ordinis exiſtant, contra quas in eadem Curia cauſæ, quæ in illa tractari conſueuerunt, ſeu poſſunt de iure, vel conſuetudine commiſſæ ſunt, vel in futurum, tàm per appellationem, ſeu deuolutionem ad illam, aut aliàs quomodolibet committerentur, & quæ citationes huiuſmodi in vim Commiſſionum Apoſtolicarum decretas, vel decernendas, aut quæuis alia mandata, ſeu reſcripta Apoſtolica iuſtitiam, vel gratiam continentia, quo minùs iuxta illarum tenorem executioni demandentur, per ſe, vel per alium, ſeu alios directè, vel indirectè, quauis quæſito colore impedire, aut impediri facere, ſeu clericis, vt beneficia Eccleſiaſtica renuncient, aut iuri in illis ſibi competenti cedant, vel vt à proſecutione cauſarum, & iurium huiuſmodi deſiſtant, mandari facere præſumpſerint, aut pro illis impediendis, & renuntiandis ad principes, ſeu officiales ſæculares, publicè, vel occultè per ſe, vel alium, quouis quæſito colore recurſum habuerint, cauſam perdant, & omne ius tam in petitorio, quàm in poſſeſſorio; in re, vel ad rem, de qua agitur, eis competens, eo ipſo amittant, & beneficia ſic renunciata obtinendum inhabiles exiſtant. Aliæ verò perſonæ Eccleſiaſticæ, ſeu etiam ſæculares, quas cauſa huiuſmodi non tangit, executionem citationum huiuſmodi, aut aliorum quorumcunque mandatorum ſeu reſcriptorum, & prouiſionum Apoſtolicarum, vt præmittitur, impedientes aut impedientibus huiuſmodi auxilium, fauorem, conſilium, publicè, vel occultè, directè, vel indirectè præſtantes cuiuſcunque conditionis vel præeminentiæ exiſtant, ſententiam excommunicationis eo ipſo incurrant, à qua (præterquam in mortis articulo conſtituti, & ſatisfactione præuia) ab alio quàm à Romano Pontifice pro tempore exiſtente, & canonicè intrante, abſolutionis beneficium nequeant obtinere. Notarij verò, ſiue tabelliones publici prædicti, qui de executionibus citationum, & mandatorum, ac prouiſionum huiuſmodi faciendis, aut quo minùs fiant inhibitionibus, requiſiti fuerint, inſtrumenta publica deſuper ad inſtantiam intereſſe habentium, ſeu intereſſe prætendentium (ſatisfacto tamen de congruo ſalario) conficere recuſauerint, periurij reatum incurrant, ac executionem officij tabellionatus amittant, fiantque infames eo ipſo, & eorum Inſtrumentis, ſiue ſcripturis publicis poſtmodum per eos ſuper rogationibus poſteà factis, & conficiendis, donec ad huiuſmodi reatu periurij abſolutionem & infamiæ abſterſionem obtinuerint, nulla fides in iudicio, vel extra adhibeatur, & vt huiuſmodi Conſtitutio & ſtatutum ad ſingulorum notitiam deducantur, vniuerſis locorum Ordinarijs in virtute Sanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus, quatenus ſtatutum, & Conſtitutionem noſtram huiuſmodi, per ſe, vel alium, ſeu alios in eorum Eccleſijs vel Ciuitatibus publicent, ſeu publicari faciant, ac Conſtitutionis huiuſmodi copiam Cathedralium Eccleſiarum valuis, ita quòd veriſimiliter, ad ſingulorum notitiam peruenire valeat,*





*aſſigi faciant; nec non pro tempore exiſtenti curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, vt inſtante Procuratore Fiſci noſtri, & Succeſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, contra omnes, & ſingulos, etiam qualitercumque prærogatiuos, quos prædictas ſententias, & pœnas ſibi incurriſſe conſtiterit, eiſdem ſententijs, & pœnis illaqueatos tamdiu publicè nunciet, & faciat ab alijs nunciari, ac vt excommunicatos ab omnibus arctiùs euitari, & nihilominùs legitimis per eum deſuper habendis ſeruatis proceſſibus, ſententias, & pœnas præfatas, iteratis vicibus aggrauare, authoritate Apoſtolica procuret; donec ipſi ſic excommunicati, abſolutionis beneficium, ſatisfactione præuia meruerint obtinere. Volumus autem Conſtitutionem, & ſtatutum huiuſmodi in Cancellaria Apoſtolica publicari, & in quinterno Cancellariæ prædictæ, inter alias inibi deſcriptas Conſtitutiones annotari, & deſcribi; ac poſt duos menſes à die publicationis huiuſmodi computandos, omnes abſentes, præſentes verò in eadem Curia, poſt diem publicationis huiuſmodi arctare, ac omnibus petentibus dari, & concedi, eo modo, quo aliæ Conſtitutiones de Curia concedi conſueuerunt. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque; aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, & excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, & indulto huiuſmodi mentionem: quod quidem indultum, decernimus eis, quacumque authoritate muniti ſunt, in hoc aliqualiter ſuffragari non poſſe, quo minùs huiuſmodi ſententijs, & pœnis ſubiaceant. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam, noſtrorum, ſtatuti, ordinationis, præcepti, mandati, voluntatis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum, Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo, quadringenteſimo, Nonageſimo primo, Octauo Calendas Februarij, Pontificatus noſtri anno octauo.*

Placet, publicetur, & deſcribatur. I.

Lecta, & publicata fuit ſupraſcripta bulla, ſiue Conſtitutio, Romæ in Cancellaria Apoſtolica, anno Incarnationis Dominicæ 1491. die vero vltima menſis Ianuarij. Pontificatus SS. in Chriſto patris, & D. N. D. Innocentii diuina prouidentia Papæ VIII. anno octauo, *ext. in Bullario Pontiſ. Rom.*

III.
*Caſtellæ Reges S. Inquiſitionis officiũ promouẽt.*

Lata Superiori Conſtitutione, accidit in Hiſpanijs, Segobienſem, & Calagoritanum Epiſcopos, eorumque parentes, conſanguineos ac nonnullas perſonas Eccleſiaſticas illuſtres, & opibus, factionibuſque potentes, criminis hæreſeos, apud Inquiſitorem Aragoniæ, Valentiæ, & Cathaloniæ Generalem, accuſatos, per viam interpoſitæ ad Innocentium Pontificem appellationis, voluiſſe forum ordinarium declinare, & in Romana Curia cauſam diſceptari. Fungebatur id temporis iſto officio, F. Thomas Turrecremata Prior Dominicanorum Segobienſium S. Crucis, Ferdinando, & Iſabellæ Regibus, à ſacris Confeſsionibus. Viſum eſt Regibus, eam prouocationem, ſuffugiendæ iuſtitiæ interpoſitam eſſe, ingentiſque ſcandali, & periculi occaſionem præbere. Ergo Pontifici, quid vindicandæ fidei opus foret, ſignificarunt, & ne ordinariam Inquiſitorum S. Officij iuriſdictionem, per friuola effugia, in vilipendium aliqui adducere auderent, flagitarunt. Pontifex, non ignarus, Epiſcoporũ cauſas, præſertim, ſi eos in hæreſim labi contingat, Sedi Apoſtolicæ reſeruari: nõ quidem illos Romam euocauit; ſed Epiſcopum Tornacentem Nuncium, ſiue Commiſſarium in Hiſpaniam deſtinauit, qui vnà cum Inquiſitore, cauſam cognoſceret, atque integrum ex iudiciario proceſſu negotium Sedi Apoſtolicæ referret, & ab eadem Sede decretum expectaret. De alijs, non Epiſcopis, hæreſeos accuſatis, Inquiſitor pro officio decerneret. Datum id hoc tempore, pietati Regum; quibus vnica & præcipua cura contra impietatem dimicare. *Surita Annal. lib. 20. c. 49.*

IV.
*Mauros inſiſtant, & Granatam obſidione cingunt.*

Is ipſe Ferdinandus, hoc anno contra Mauros Granatenſes pugnaturus, aucto exercitu trinis caſtris in Granatæ conſpectum, Sabbato ad nonum Calend. Maij, ad Guetaris (id pago nomen eſt, ſexto ab vrbe lapide) ſcaturigines, primò acceſſit. Ex ijs locis Villenæ Marchionem, & tria equitum millia in vicinos mõtes prædatum miſit; ipſe ſe eodem ſubſecuturum, cum copiarum robore pollicitus, præſidio futurus; ſi quid montani homines durum in armis genus, aut ex vrbe hoſtes mouerent. Ad Padulium cum proceſſiſſet repulſis Mauris, qui ad premendum Hiſpanorum agmen, ex vrbe erant egreſſi, coniectiſque in fugam, Marchione ex ſententia patrata occurrit, nouem pagis Maurorum incenſis, multaque præda lætus. Rex, quoniam prima proſpere euenerant, in vlteriores montes belli terrorem intulit, lateque populationes, ac direptiones fecit. Mauri equites pediteſque notis tramitibus montium, quà tranſitus erat anguſtias obſidentes victi, deiectique ſunt. Cæptis fauebant numina Quindecim alij pagi direpti, euerſique, magnaque præda capta: cuius magna copia erat, montanis à belli ſuperioris malis immunibus, idoneiſque in vrbem comeatus affatim importando: quod omnino prohibendum erat. His rebus ſine vulnere confectis, intra triduum, vnde diſceſſerant, læti redierunt: factis caſtris munimenta addiderunt, ſubitarij operis foſſam, vallumque. Quinquaginta millia militum erant, quinta equitum parte, Hiſpanæ iuuentutis flos ingenti delectu contractæ, viuida virtus vigenſque. Vrbem equitum, peditumque numeroſæ copiæ muniebant; quoſcumq; belli ſæuitia reliquos fecerat, magno rei militaris vſu. In vrbana multitudine parũ præſidij erat, in pace feroci, in periculo ignauia.

*VrbsGranatenſis deſcribitur.*

Vrbs Granata natura loci, opere, muris, propugnaculis inexpugnabilis tutaq; erat. Ab occaſu panditur planities agri optimi, multo effuſo in ea ſanguine, vberi gleba, cẽtũ decem millium ambitu: longitudo maiori, quam pro latitudinis modo, fontibus, qui ex vicinis montibus ſex & triginta deriuantur ac riuis irrigua, amænaque, ac humano propè cultu felicior. Ab ortu Eliberritanos montes erigit, vbi quondam Eliberris ſita fuit; niuoſos ad auſtrum, iugis inter ſe ſerie cohærentibus, ad Mediterraneum mare. Latera leniter decliuia, & cultura læta, & domicilijs frequentia ſunt. Vrbs gemino impoſita colle. Daro amne interfluente tenuiaqua quem Singilis mediam interſecans planiciem, vrbe dilapſum excipit. Mœnia validiſſima ſunt, mille, & triginta turribus diſtincta, horrentiaque ſpecie minaci. ſeptem olim portis, nunc duodecim. Circumuallari coronaque militum cingi non poteſt, egregijs etiam à planicie, vnde aſcenſus æquior eſt, operibus propugnaculiſque firmata. Ea parte templum eſt maximum, Mauris rerum potientibus rudis ſtructuræ, poſteriore ætate eleganti opere, eiſdem veſtigijs perfectum, humano propè cultu auguſtius, ſanctum omnibus circa populis, inclytum non tam diuitijs, quam Sacerdotum numero, probitateque. Propè, forum ducentos pedes latum, triplo longius ad lineam directum, ædificijs ambientibus & mercatorum tabernis elegans. Geminæ arces ſunt: ad Auſtrum nobiliſſima pertinet, Vrbi imminens, proprioque cincta muro, cui Albambræ, hoc eſt Rubræ nomen vicini ſoli color effecit, ſpatijs iuſtæ ciuitatis inſtar. Fundamenta Mahomed cognomento Mirus poſuit, extruxere conſequentes Reges; Sed gloriam perfecti operis Iozephus cognomento Bulhagix tulit. Supra eius arcis portam in læui marmore inſcriptio legitur Arabicis litteris, eo Rege demonſtrans fuiſſe perfectum opus, dedicatumque gentis anno ſeptingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, ad noſtram ra-

tionem milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſexto. Eundem, Albaicinum in aduerſo colle ſitam vrbis regionem, proprio muro cinxiſſe conſtat; eo ſumptu, vt arte metalla permutaſſe, cum opes regni non ſufficerent, fama ſit. Reliqua vrbs interiecta eſt, vicis deformis, anguſtis plateis, vitio gentis Mauricæ ædificandis oppidis minimè curioſæ. Domorum ſexaginta millia complectebatur; ingens numerus, ac vix fidem facturus. Illud mirabilius, quod à Legatis Iacobi ſecundi Aragonij Regis, Clementi Quinto Romano Pontifici, Viennenſes conuentus habenti, affirmatum: inuenio ducenta millia capitum cum Granatæ eſſent eo tempore, vix quingentos ex Mauris parentibus, auiſque prognatos eſſe: quinquaginta millia, Chriſtiana ſacra eiuraſſe; pios ad triginta millia captiuos teneri. Illud certius Ciues in viginti tres tribus noſtra ætate diſtinctos: de numero ciuium laborare non attinet. Ex vrbe, & reliqua prouincia, ſeptingenta aureorum millia Mauris Regibus prouenire erant ſolita. Inſana vectigalia erant; ſeptimaque frugum, & pecorum pars pendebatur. decedentibus ſine liberis, Reges hæredes ex aſſe erant, cæteris proportione, quantum vnus ex filiorum numero. Ferdinando Regi animus erat, ſupremo adhibito conatu, eam vrbem in poteſtatem redigere, locis, vbi caſtra erant ædificata vrbe, cui à ſancta Fide nomen fecit. Surgebat incredibili celeritate opus, breuique ad faſtigium peruenit. Intra mœnia ſuis quæque partibus tentoria deſcripta, tum tendentium ordine, tum itinerum interuallis ſpecie mirabili, ad inſtar iuſtæ vrbis. Interim variæ manus prædatum dimiſſæ; cum Mauris ex vrbe egredientibus ſæpe pugnatum: capta aliquando tormenta, magnuſque hoſtium numerus malo compulſus in vrbem reiectus, muro ſuccedentibus Hiſpanis propius quam ante meminiſſent. turres, vna, & altera captæ, earum quibus propè vrbem, & ſpeculis, & munitione Mauri vtebantur. Succeſſu lætos Hiſpanos inopinatus caſus conturbauit. Ad ſextum Idus Iulij noctu in Regis tentorio incendium excitatum, maioris periculi metum incuſſit. Erant tabernacula ex ramis arborum plurimum intexta. ijs auide concipientibus flammam (candela fortè à Regina neglecta) repentè tum prætorium, tum vicina tentoria, cum ignis ſiſti non poſſet, arſerunt. Fraude Rex hoſtium id contigiſſe exiſtimans, in publicum nudus prodijt arrepto clypeo militari. Certe periculum erat: ne Mauri occaſione captata, in Hiſpanorum caſtra impetum facerent. Irruptione prohibenda Gaditanus cum equitatus parte totam noctem in armis, qua parte tranſeundum erat, ſuſtentauit. Maior turbatio, quam periculum fuit. Proxima luce populationes repetitæ; variæ etiam manus diebus conſequentibus in montes miſſæ prædatum, nihil hoſti tutum faciebant, enixè quamuis locis omnibus propugnanti, deſperatione, qua nihil eſt acrius faciente animos. Verum Hiſpanis nihil remittentibus, Mauri malis omnibus domiti, ad deditionem flexere animos. Buleacino Mulcho vrbis Prætore in caſtra egreſſo, atque ex Hiſpanis vltro, citroque commeantibus Conſaluo Fernando Cordaba, & Fernando Safra, qui Regi à ſecretis erat, hæ conditiones conſenſu ſcriptæ ſunt, atque vtriuſque partis Sacramento firmatæ, ad ſeptimum Calendas Decembris.

*Mauri ad deditionẽ flectunt animos.*

Intra dies ſexaginta vtramque arcem, turres, portas, Mauri traderent.

Regis Ferdinandi Sacramentum acciperent, in fide & poteſtate futuros.

Chriſtianos captiuos ſine pretio mitterent.

Dum ea eſſent perfecta intra diem duodecimum obſides quingentos darent, ciuiũ nobiliſſimorũ filios.

Ijdem poſſeſsiones retinerent, arma, equoſque, tormentis modo contraditis.

Templa ex ritu gentis, patriaque ſacra.

Suis legibus viuerent, iudicibus ex gente creatis; quorum conſilio Regij Prætores iura darent Mauris.

Vectigalia triennio remitterentur magna ex parte; neque deinceps maiora imperarentur, quàm ſuis Regibus pendere conſueuiſſent.

Qui in Africã nauigare mallent, ijs ſua pretio vendendi facultas eſſet; nauigia cum fide darentur, quibus ipſi portubus nominarent.

Boabdili filius, ac cæteri ſuperiori tempore fidei obſides, Moclino, vbi erant deducti, redderentur.

Vrbe dedita, nullo amplius fidei pignore opus fore.

Hæc mutuo ſanciebantur, ſed à Mauris vix non inuertebantur; adeò vt ad finem huius anni, nondum potuerit Ferdinandus Granata potiri; cupidus nõ tàm imperij proferendi, quàm Fidei Chriſtianæ amplificandæ, & impietatis proſternendæ. Omnium tamen, quæ hoc anno geſſit, certiorem fecit Innocentium Pontificem, cuius hortatu, & ſuppetiis, ex publicatione Cruciatæ collectis contra hoſtes Crucis Chriſti pugnabat. Quàm feliciter poſtea, illis Granatam eripuerit, & Chriſti Crucis vexillum ibidem erexerit, initio cõſequentis anni narrabimus. *Mariana l. 25. c. 16.*

V.

*Luſitani fidem Catholicam feliciter propagãt.*

Feliciter non minùs Ioãnni Luſitaniæ Regi ſucceſſit in profliganda barbarie, fideque Chriſtiana apud Aethiopes propaganda. Per idem temporis, Iacobus Canus acceptis à Rege nauibus, Euangelio magnum iter aperuit. Proceſſit vltrà metas Altonii ad oſtium ingentis fluuij, qui ex ipſis Nili fontibus originẽ trahens, Zaires ab incolis dicitur; ac tanta aquarum vi, præſertim hyeme ſeſe in Oceanum infert, vt prodatur in octoginta millia paſſuum ab eo vinci mare: quod ex dulci nimirum hauſtu prænauigantes intelligunt. Columnas aliquot Ioannis iuſſu, è Luſitania ſecũ aduexerat Canus; quibus propter Crucis figuram, & Regij Stemmatis inſignia, Latinis, & Luſitanicis verbis erat inſcriptum, quo quæq; ſpatia terrarum Rege, quo duce, quo tempore aperta forent. Ex ijs ergo columnis vnam, ditionis Luſitaniæ teſtẽ, in oſtio collocauit: deinde aduerſo flumine ſubuect⁹, errantes paſſim Aethiopũ greges vidit, atro colore, vibratoq; capillo vt cęteros, verumtamen, vt vberiore ſolo, ſic etiam ingenio, moribuſq; longè mitiores. quippe leuibus duntaxat munuſculis, & benigno vultu inuitati, ſeſe aduenis tanta ſecuritate credebant, vt eorum quoque nauigia, ſine vllo metu, vel ſuſpicione, inuiſendi gratia conſcenderent. Veteres amicos, vel conſanguineos diceres, ſi communio intercederet linguę. Sed è multis ac varijs interpretibus inuentus eſt nemo, qui ſermonẽ gentis teneret. Nutibus ergo agebatur: quibus haud ægrè cognitum eſt, præpotentẽ Regem, cui cuncti pareant, plurium dierum itinere introrſum abeſſe. Eo audito, Canus, aliquot è ſuorum numero ad ſingula propius exploranda incolis ducibus miſit in Regiam; iiſq; obſidũ loco relictis, præcipuè indolis quatuor ipſe viciſſim Aethiopas in Luſitaniã aſportauit, perſanctè pollicitus, quinta decima Luna (quæ temporum momenta ibi obſeruantur) ſeſe illos incolumes patrio redditurũ ſolo. Ij porrò, inter nauigandum, & Cani cura, & ſua ipſi docilitate, Luſitanici ſermonis conſuetudinẽ nacti, de Cõgi regno, (ſic enim appellari denique patuit) deq; eius opibus, ritibus, inſtitutis cuncta poſtmodum ex fide, atque ordine retulerunt. Eorũ aduentu Ioannes Rex mirè lætatus, & collaudata Cani prudẽtia, nouos iuſſit hoſpites inprimis benignè, & copioſè tractari. cũq; ex ijs multa per otiũ quæſiſſet; veritus, nè lõgior mora Luſitanis obſidibus aliquid afferret incõmodi, mãdauit Cano, Aethiopos, quã optimè rurſum acceptos





quamprimùm in patriam reportaret, ſuoſq; reciperet: tum, vbi vlteriora luſtraſſet, in reditu ad Regem Congi adiret ipſemet, cumque omni ratione ad Chriſtum allicere ſtuderet. Nec mora; tempeſtatem idoneam nactus Canus, peregrinos Congum relatos, cum obſidibus bona fide permutauit; ac, nè temporibus excluderetur, continuato in præſentia curſu, leucas vltra id regnum ducentas prouectus, duas duobus locis, cuius dixi formæ columnas poſuit, quarum alteri à S. Auguſtino (cuius in diem natalem appulſus inciderat) alteri ab ipſomet lapide nomen inditum eſt. Inde Congum reuectus, mira gentis gratulatione ad Regem ipſe cum amplis muneribus, & egregio comitatu contendit. Congi Rex, quod mira quædam de Ioannis munificentia, & comitate à ſuis audierat, ſumma cum honoris, & mutuæ beneuolentiæ ſignificatione Canum aduenientem accepit. Exinde pedetentim Canus quemadmodum in mandatis habebat, ex occaſione ſermonẽ de rebus diuinis inferre, ac Regem adhortari, vt ſpretis inanibus Dijs, vnum Deum cæli, terræq; conditorem agnoſceret. Atq; hoc loco vel maximè patuit, ad conuertendos animos, quantò plus in perſpecta charitate, quàm in verborum apparatu momenti ſit. Militaris homo erat Canus, & ferro potiùs, quàm litteris innutritus. ac nihilominus rudi eius oratione Rex, videlicet officijs Chriſtianorum ante captus, ad ſtudium veræ pietatis adeò exarſit, vt aures ad Canum ſemper ſitientes afferret, ac multa ipſemet vltrò de religione quotidiè quæreret. Quinimò in eundem animi ſenſum familiares quoq; ſuos, & Regni proceres, apertè monendo, hortãdoq; pertrahere nitebatur. Accedebat ad hæc, internus auræ cæleſtis afflatus, qui mentes Aethiopum cæcas ad rectum ſalutis iter occultis motibus prouehebat. Iamq; agro ad Euangelij ſemen accipiendum ſubacto, Cani reuerſionis tempus inſtabat. Quem Rex tametſi aduocatum ſibi in Luſitania videbat fore; tamen pro inſtituta conſuetudine perinuitus dimiſit, deditque proficiſcenti comites pueros nobiles, præfecto Zacuta, vno ex iis, qui nuper in Luſitania fuerant. Huic etiam, atq; etiam mandauit, primùm vti ſuo nomine, Ioanni pro immortalibus eius in ſe promeritis, gratias ageret ingentes; deinde, vt ab eodem ſuppliciter peteret, ipſum Oratorem, & pueros cæleſti lauacro expiatos, & Chriſtianis præceptionibus probè inſtitutos, cũ pijs aliquot ſummi Dei Sacerdotibus Congũ remittere nè grauaretur. vehementer optare ſe, cum liberis, & propinquis, & Regno, ſi fieri poſſet vniuerſo, Chriſtiana ſacra ſuſcipere. Addit Legationi munera, magnam eboris vim, veſtemque permultam (hæc Aethiopum gaza eſt) è palmarum folijs ſcite, atque artificioſe contexta. Ea legatione Ioannes Rex, vt erat egregie pius, maximo gaudio cumulatus eſt, cum tantam pandi portam Euangelio conſpiceret. Ergo, ſimul, atq; maturum eſt viſum, feſto ornatu, & ſolenni pompa Ioannes & Eleonora vxor Zacutam; pueros alios alij Principes viri vetere Eccleſiæ inſtituto luſtralibus aquis gratulabundi admouere: & Zacutæ quidem, Ioannis; cæteris verò, ſponſoris cuiq; ſui nomen impoſitũ. Baptiſmo peracto, confeſtim idoneis traditi præceptoribus, totũ biennium ſumma cum diligentia Chriſtianis moribus, & myſterijs imbuti fuere. Ac tum denique perhonorifica legatio in Congũ decreta, cũ Regalibus donis, & Sacrorũ apparatu magnifico. neq; neophyti modò ad ſuos remiſſi, verũ etiã è Sanctiſſima Dominicana familia viri tres probatæ virtutis atq; doctrinæ delecti, qui apud eoſdem Aethiopas, & docẽdi, & initiandi munere fungerentur. Acceſſere ad hos, etiã architecti cum fabris, ad templa vero Deo in illis regionibus extruenda. Princeps legationis fuit, è pręcipua nobilitate vir, Conſaluus Soſa. Huic inter nauigandum peſtilentia abſumpto, Rhotericus fratris filius communi voluntate ſuffectus fuit. Magna interim apud Aethiopes erat expectatio nouę Religionis, & cũ cæteri fermè ſummi, atq; infimi Chriſtianorum aduentum valdè expetebant, tum verò auidiſſimè Regis patruus, qui maritimis Congi populis imperabat: quam Congi partem Sonum incolæ nominant. Is, vt primùm naues ad littus applicitas audiuit, ingenti ſtipatus frequentia, magnoque cymbalorum, ac turbarum ſtrepitu, deſcendentibus Chriſtianis obuiam prodijt, vix præ gaudio ſui compos, & quoniam exacta iam ætate erat, nè oblatam ſibi diuinitùs occaſionem fruſtrà elabi ſineret, baptizari ſe ſtatim voluit vnà cum altero è filijs paruulo, quippe qui per ætatem ſibi conſulere nondum poſſet: alterum iam adultum, quamquam eodem ſtudio vehementer incenſum, & obſecrantem etiam atque etiam, nè ſe cæleſtis illius beneficij expertem vellet; honoris tamen cauſa, Regi, Regiſque liberis in tanto myſterio anteuertere non eſt paſſus. Temporario igitur templo è frondibus, ac ramalibus raptim excitato, aræ tres Chriſtiano more adornatæ fuere: ac ſacris ritè peractis, primus ex omni memoria baptiſmus ille in ijs terris incredibili omnium lætitia celebratus eſt, anno poſt Chriſtum natum M. CCCC. XCI. Patrem, nouo nomine Emmanuelem: filium Antonium vocari placuit. Nec modò vultu, ac veneratione conceptam religionem, ac Fidem præ ſe tulit ſenex: ſed etiam aduocata concione ipſemet è ſuperiore loco in ſimulachra, & nefarios ritus, quibus ad eam diem dediti fuerant, adeò acerbè inuectus, & præteriti temporis errata, & flagitia tàm grauiter ac dolenter eſt deteſtatus, vt animo planè immutatum, ac Deo plenum haud dubiè cerneret. Iis rebus cognitis, maiorem in modum lætatus eſt Congi Rex; perque eam gratulationem ad patrui ditionem, ac fines munificè adiecit, agri, quod leucas in longum triginta, in latum decem pateret. Quo tanto de ſe Regis iudicio magis, magiſque animatus Emmanuel, ad ſuperiora Chriſtiani animi documenta non minùs præclarum adiunxit aliud. Siquidem graui edicto conquiſita vndique idola, quamquam multis id ægrè ferentibus, & in cumulum congeſta; publicè concremauit. Prætereà, Chriſti Sacerdotes, quamdiù ibi ſubſtitere, tamquam è cælo delapſos, omni officio proſequi, & charitate complecti; de Fidei myſterijs, deque varijs virtutum generibus aſſiduè percunctari: Deum verò ſuppliciter exorare, vt quando multò maximam vitæ partem in cacodæmonis famulatu poſuiſſet miſer, quantulumcumque ſupererat temporis, totum id in Chriſti Domini cultu, & in vera pietate conſumere ſibi liceret. Iam, rei diuinæ quanto cum ſilentio, vel tremore potiùs intereſſet, ex eo patuit, quod iuueniliter intereà ſtrepitum ciẽtes, ad ianuam templi honorarios ephæbos, principum filios, illicò mactari imperauit: indignum facinus ratus, auguſtiſsimum illud ſacrificium, in quo pro ſalute hominum Deus ipſe immolatur, ab hominibus negligi. Itaque dubio procul adoleſcentes, leuis, & quotidianæ apud nos (quod pudeat) noxæ pœnas capite ipſo luiſſent: ni ætatem, ac genus miſerati, & diuinæ inſuper clementiæ memores Luſitani vehementiùs obſtitiſſent. Iamque ab Congi Rege nuntij aderant, Legatum orantes, nè aduentum vltra differret: Regem in vrbe, cui Amballe nomen, patrui baptiſmo, & conuerſione lætiſſimum, feſtos agitare dies, nihilque illi eſſe longius, quàm, vt elutis toto animo ſordibus, ad filiorum Dei cætum vnà cum cæteris aggregetur. Itum inde in Regiam. Soſa cum comitibus, honorificè ab oppidanis armatis, tripartito agmine effuſis receptus, & ad Regem per medias turbas adductus. Is in edito ſuggeſtu, vt ex omni parte conſpici potuerit, ebur-

*Regis patruũ baptizant.*

*Fidei Catholicæ deuotiſſimus eſt.*

neæ ſellæ inſidebat, mitratus infula è palmæ folijs opere ſubtili, & eleganti perfecta: à capite ad pubem nudus: cætera ad pedes vſque, veſtis bombycina contegebat: læuum brachium armilla ex orichalco adornabat: equina cauda pendebat ex humero. Id ſolis Regibus datum. Introductus Legatus, ſalutatione peracta, expoſitiſque Luſitani Regis mandatis, illicò per Sacerdotes adſtantes, dona, veſtem pretioſam, tabulas pictas, aurea vaſa, & argentea, & omne Chriſtiani ritus inſtrumentum in conſpectu populi totius, petente idipſum Rege proferri iuſſit: quæ Rex perattente ſingula contemplatus, quem quæque in vſum, quidue ſignificarent, curioſiùs quærebat. In ijs præfulgidum erat Crucis vexillum, quod ſolenni precatione conſecratum, *Innocentius Pont. Max.* Luſitano Regi ex vrbe Roma tranſmiſerat. Eo explicando confeſtim Rex, & concio tota venerabunda procubuit. namque inter illam ſacrorum expoſitionem Aethiopes adeò intentis oculis geſtus, motuſque Sacerdotum obſeruabant, vt eodem penè, quo Luſitani momento capita ſubmitterent, iungerent palmas, genua flecterent. Ab eo ſpectaculo Luſitani in hoſpitia benignè diuiſi: tum de Regis, & Reginæ baptiſmate ſedulò agi cæptum. Id quò maiore apparatu, ac cærimonia fieret, templum Chriſtiano more priùs ædificari placuit. Opus erat ſanè difficile, tùm alias ob cauſas, tum quòd lapides, & cæmenta longè admodum petenda forent. Sed tantus fuit ardor, vt breui comportatis vndique neceſſarijs, vrgente, atque inſtante Rege, multis ſtructoribus agi res cæpta ſit. Cruci dicanda erat ædes. Quarè primus lapis eſt poſitus V. Nonas Maias; quo die Eccleſia ſalutaris ligni Inuentionem anniuerſaria gratulatione concelebrat.

*Baptizatur quoq; Rex Cõgi, cum vxore, filio, & aliquibus regni proceribus.*

Dum hæc maximè fierent, aliqui rebelles exercitu tumultuario coacto magna manu incurſiones in regni extrema faciebant. Aduerſus id malum, quoniam & celeritate, & ipſiuſmet Regis præſentia opus erat: nè quid ſibi interim aduerſi eueniret, occupauit Rex baptiſmi Sacramento æternæ ſaluti conſulere. Nec Regina rem longiùs diſtulit: atque ad indicandum in Luſitaniæ Reges grati animi obſequium, ille Ioannis, hæc Eleonoræ ſibi nomem deſumpſit. Ingens Aethiopum multitudo, ad ſpectaculum vndique confluxerant. Ex ijs, proceres aliquot, Regis exemplo, & PP. Prædicatorum adhortationibus incitati, ſe per idem tempus ad Chriſtum adiunxere. Nam è duobus Regis filijs, alter ad omnem virtutem, ac pietatem propenſus, natu maior, ad regni fines tutandos feſtinè præceſſerat: iunior alter, Panſus Aquitimus nomine, nimirum vt eſſet, qui pios poſtmodum exerceret, à nefaria ſuperſtitione, & auitis moribus nullo pacto abduci ſe paſſus eſt. Sub hæc raptim coacto exercitu Rex, admiſtis Luſitanis aliquot, in hoſtes iuit. Abeunti, Soſa Crucis vexillum de manu porrexit: hortatus, pergeret in dimicationem alacer: ſigni eius beneficio (tantùm fiducia nè deeſſet) hoſtibus vtique ſuperiorem futurum. Nec vana fuere promiſſa: prælata Cruce fuſis, fugatiſque rebellibus, paulò poſt victor Ioannes in Regiam redijt. Quantem natu maior filius ſecutus eſt: qui cùm Chriſtianæ doctrinæ diligentem inprimis operam dediſſet, perducto iam ad faſtigium templo, ſumma populi celebritate baptiſmo luſtratus eſt, Alphonſumque ſe appellari voluit: quo nomine Ioannis Luſitaniæ Regis filium vocari didicerat. Ac nè quid ad lætitiam deeſſet, baptizari cum eodem inſignes viri permulti. Indè profectus in Iſundos, quibus populis iàm tum ex parentis auctoritate imperabat, Apoſtolico apud eos munere ipſemet fungi cæpit; ac veritatis lucem admirabili ſtudio promiſcuè omnibus impertire. Quo tanto Chriſtianæ rei incremento admodum lætus in Luſitaniam reuertit Soſa, relictis in Congo Sacerdotibus ad cæpta promouenda.

*Signo Crucis Rex de hoſtibus victoriam reportat.*

Verùm ij partim inſolitis caloribus, & cæli grauitate conſumpti: partim etiam (quæ viciſſitudo eſt rerum) ab incolis aſpera, atque acerba multa, abſente præſertim Alfonſo, perpeſſi ſunt. Etenim quamdiù de Eccleſiaſticis cærimonijs, & de myſterijs rectæ in Deum fidei eſt actum, ea tametſi hominis captum infinitis partibus ſuperant: tamen quia ob idipſum Deo digna, & rationi conſentanea videbantur: haud ità repugnabatur ab Ethnicis. Aſt vbi de iuſtitia, temperantia, ſubmiſſione ſeriò præcipi eſt cæptum, & è Chriſtianæ diſciplinæ inſtitutis, abijcienda auguria, malè parta reddenda, condonandæ iniuriæ, aſpernandæ libidines, frangendæ cupiditates erant: enim verò tum quaſi ventilabro ad trituram adhibito, boni viri illicò ſecerni ab improbis: alteri vel amore virtutis capti, vel pœnæ metu perterriti, æquitate delectari, ſectari pacem, voluptates repudiare, duces, & rectores animorum ſuorum honore, & beneuolentia proſequi: alteri denuò dæmonum laqueis irretiti, ad ritus nefarios, atque ad auaritiam ac ſuperbiam, & priſtinas turpitudines miſerandum in modum reuolui, odiſſe lucem, Magiſtros auerſari, & à piorum conſuetudine longè refugere. Nec vulgò tantum ſerpebat vitium: notiſſimus, ac ditiſſimus quiſque arduum, ac difficile virtutis iter eò magis horrebat, quò maiora ſibi malorum irritamenta, & deliciarum illecebræ ſuppetebant. Rex demum ipſe, qui tantum initio ardorem, ac firmitatē animi præſe tuliſſet: vbi à lactis dulcedine, ad ſolidos cibos traduci eſt cæptꝰ, deſiderio priſtinæ vitæ paulatim adeò elanguit, vix vt in eo roboris Chriſtiani quicquā agnoſceretur. Occurſabāt ſcilicet eius animo priſtina oblectamēta, ludi, cōpotationes, quæq; ebrietatem ſequuntur, offerebant ſeſe identidem auſpicia, & ſortes, quibus ad amentiam omnis fermè barbaria dedita eſt: titillabat ſenſum, effundendæ iracundiæ, & doloris puniendi ſuauitas: quibus quaſi machinis, vrgente præſertim dæmone, ſenſim de ſtatu ſuo deiecta mens irà obduruit, vt cùm internas religionis, & officij recordationes obſtinatè repudiaret: tū ſalutaria Sacerdotum hortamenta, ac monita, nō modò ad animum, ſed iam nè ad aures quidē admitteret. Accedebat, ad res profligandas, acerrimum dæmonis telum, muliebris coniuratio. Quippè, vt cæteræ fermè gentes, ita etiam Aethiopes, præter eam, quam iuſtæ vxoris habent loco, ſinguli pellices alere conſueuerāt plures, paucioreſue pro opibus. Eæ cùm ex inuectis nuper ſanctionibus pelli, aut ablegari ſe à viris quotidiè cernerent, vt eſt impotens iracundiæ ſexus, damnum, & ignominiam non tulere: ſed cætibus habitis cōſenſu per ſe, perq; cōmunes amicos cū Rege vehemēter agere inſtiterunt: aduectitias religiones, duruūq; & horridum vitæ genus abijceret: præſentibus bonis & copia rerum, quoad liceret, frueretur, neu incertam ſpem felicitatis futuræ, tanto pretio, tantaq; cōmodorum & voluptatem iactura ſibi emendam exiſtimaret. Hæc, & alia eiuſmodi blādimenta, cùm neq; Rex inuitus acciperet, & eadē tabe infecti permulti, ac præſertim Regis filius Panſus Aquitimus adiuuaret, breui maximū in diſcrimen adducta Chriſtiana tota res eſt. Obſtabant ſceleratis conatibus fideles, ac boni, vt numero inferiores, ita diuino præſidio, & cauſa lōgè ſuperiores. Egregiū verò ſe pietatis vindicē, & aſſertorē præbebat Alphonſus: patriſq; miſeratus inſaniam, dictis, factiſq; neophytos in fide, atq; in officio cōtinebat.

*Regis Alfonſus filiꝰ zeloſus in fide Catholica promouenda.*

Ad eū tollendum obicem, proceres aliquot Panſum incenſum iam regnandi cupiditate, omni ratione fouere: Alfonſum abſentem varijs criminationibus patri ſuſpectiorem reddere, indies inſtituerunt. degeneraſſe illum planè in externos mores: nihil iam patriæ, vel auitæ conſuetudinis pati: Regem verò ipſum ità vel contemnere, vel odiſſe, vt in eius contumeliam artibus magicis, quas à Chriſtianis nuper acce-





perit, amnes exſiccet, vitiet fruges, atque adeò Regias pellices vltra ad ſe ipſe pelliciat. Eiuſmodi calumnijs, atq; portentis cùm iuuenis innoxij famam ex compoſito quotidiè lacerarent, Zelotypum ſenem, & in affecto iā corpore animi quoq; viribus defectum, facilè perpulere, vt Alfōſum omni dignitate, honoribus, vectigalibus per ſummam iniuriam exuerit. Iacuiſſetq; porrò in ſolitudine, & ſquallore Dei ſeruus, vndiq; circumuentus & proditus: niſi diuino inſtinctu, coorti quidam ex Optimatibus, Regē apertè increpuiſſent, quòd hæredē regni deſtinatū, ſtirpis maximū, eximia virtute ac pietate filium indicta cauſa damnaſſet. Reputaret ſecum illius in arcendis hoſtibus præclara facinora: in tuenda popularium concordia ſtudium: in ipſo Rege colendo pietatem, & fidem. dein videret, num tantæ indoli, tantiſque laudibus cōſentanea eſſent, quæ ab inimicis ad inuidiam conficta, nimiùm patulis auribus in animum demiſiſſet. Quin per idoneos viros, in filij vitam, & actiones inquireret: ac perſpecta demum, & cognita veritate, quod æquum videretur, & in reum, & in accuſatores, pro merito cuiuſque ſtatueret. Hiſce monitis quaſi è veterno excitatus Rex, ac ſeipſum leuitatis incuſans, per ſummam diſſimulationem quæſitis ijs, quæ Alfonſo obiecta erant, cùm prorſus vana, & commenticia comperiſſet; maxima bonorum gratulatione inſontē filium in priſtinum dignitatis, & honoris, ac gratiæ locū extemplo reſtituit: cōſceleratas calumniatores, nè quid tale poſteà quiſquā auderet, perpetua notatos infamia, ſecuri percuſſit. Cuius tanti, tamq; inſperati beneficij magnitudinē Deo acceptam referens, vt debebat Alfonſus, multò etiam ardentiùs, & liberiùs ad Chriſtianam fidē tuendam, atq; amplificandam incubuit: ac præter cæteras artes exterminandis gentiū ritibus ad eam diē adhibitas, regno toto palàm capite, ſanxit, nè quis inanium Deorum effigiē vllam, vel priuatim, vel publicē coleret, haberetue. Quo edicto, in rabiem efferati aduerſarij, frequentes in Regiam coēuntes, tumultu per operas excitato, credulū, ac timidum Regē in eam ſententiam adduxerunt, vt, niſi reuocaretur illicò edictū, ingentem ſeditionē adeſſe nō dubitaret. Hoc ille timore correptus, cōtinuò per celeres nuncios admonuit filium; videret etiam, atque etiā, quid ageret; quò progrederetur: neu peregrina, ac noua religione mordicus retinēda ſe, ſuoſq; omnes in apertū capitis, ac fortunarū diſcrimen obijceret. Cū ille nihilominus in incepto perſtaret, Deūq; multo magis, quā homines metuēdos duceret, ira percitus Rex iuſſit Alfonſum quāprimū ad ſe venire. At ille, cū naſcētis eius Eccleſiæ ſalutē in ſuo capite verti probè intelligeret: pericula belli excuſando, variaſq nectēdo moras, tādiù rē diſtulit, quoad lætali morbo implicitus parēs, cū ęgrū ſpiritū per multas curationes in dies aliquot extraxiſſet: tandē ſuperante medicamenta vi morbi, demortuus eſt. Intereà Panſus, & ſua ipſe cupiditate, & improborū ſuaſu, nō dubia ſpe regnandi concepta, ſolicitabat promiſſis Aethiopas, blandè ſingulos appellabat, viuendi licentiam, & libertatem oſtendebat; deniq; ad excludendum aperta vi fratrē, arma, & copias præparabat. De his, & de morte patris, à matre, quæ ab eorum cōſilijs abhorrebat, certior factus Alfonſus, Amballem præoccupauit, & concione aduocata, de meritis Luſitanorū in patriam; de prærogatiua ſui iuris ad regnum; de Panſi fratris impietate, ambitione, & fraudibus, de veritatis lumine à Chriſtianorū inſtitutis; deq; æquitate, & bonitate cauſæ multa diſſeruit: hortatus, nè à veritatis oblata ſibi diuinitū luce ad cæcas iterū tenebras delaberentur; neu Panſi minas, parataſq; ab eodē copias pertimeſcerent; Deū immortalē, cuius in eo negotio ageretur cauſa, pro ſua ſūma iuſtitia, & bonitate, rectè ſentientibus affuturū. Hęc & alia ad tēpus accōmodata, cū ingēti ſpiritu peroraſſet: tātus repētè motus animorū eſt factus, vt incredibili conſenſu Alfonſum protinus Regē, æqui pariter, & iniqui conſalutauerint. Secutum inde fraternū prælium. Panſus acies duas produxit: Alfonſus Rex, non plures quàm ſex & triginta armatos, cum aliqua imbellium turba, quæ ad Regiam perculſa metu cōfluxerat, oppoſuit: bono, ac præſenti animo vt eſſent, conteſtatus: Deum verum, quem ſpretis falſis dijs venerari inſtituiſſent, pro ipſis haud dubiè pugnaturum.

*Idem Alfonſus hoſtes ſuos diuinitus ſuperat.*

Nec vana cecinit, vbi ad teli iactum eſt ventum, Chriſtiani armati, inermeſq; ſublato pariter clamore, IESVM Deum, & Sanctum Iacobum, ex diſciplina Luſitanica ingeminarunt. Mirum dictu, ad eas voces, tamquam cæleſti fulmine afflata prior acies, cum aliquamdiu attonitæ ſimilis fluctuaſſet, terga poſtmodum vertit: cumq; eandem trepidationem, pauoremque ſubſidijs intuliſſet, turbatis eo impetu ordinibus, conuerſiſq; illicò ſignis, effuſa omnes fuga, ſaltus auios, & nemora petiere. Hanc tam incredibilem victoriam, ac planè diuinā: alia nō minùs admiranda ſubſecuta res eſt. Cippus erat in ſyluis, captandæ cuipiā feræ paratus à venatoribus. In eum cippum curſu præcipiti cū ſe Panſus per imprudētiam induiſſet, corpore toto grauiter conſauciato ſic hæſit, vt explicare ſe inde nulla vmquā ratione valuerit. Cōprehenſus, & in cuſtodiā traditus, fruſtrà nitente Alfonſo, conſeruare fratrem, & ad Chriſtum adiungere, in pertinaci mentis duritie, & voluntaria cæcitate miſer animam efflauit. Longè meliùs, & ſaluti, & exiſtimationi ſuæ conſuluit is, qui Panſi ductabat exercitum. Siquidem è fuga retractus, cùm ſibi necem inſtare minimè ambigeret: miſit, qui Regi demiſsè nuntiaret: non deprecari ſe mortem, quam ſuæ temeritati debitam, præclarè noſſet: Id verò omnibus votis expetere, obteſtarique, nè ſe abſque fidei Chriſtianæ myſterijs ex hac vita excedere pateretur; ipſo congreſſus initio, circa Alfonſum apparuiſſe viros humana ſpecie auguſtiores, ipſius, quam Luſitani adorarent, Crucis nota diſtinctos, clariſſima circumfuſos luce, vultu acerrimo præliantes; eo nimirum viſo Panſi milites ingenti horrore perfuſos, extemplo ſe in fugam dediſſe. Itaq; ſibi non eſſe iam dubium, quin præter Chriſtianorum Deum, nemo vel in terris vel in cælo colendus, adoranduſque ſit. Neque aſpernatus eſt reſipiſcentem Alfonſus; quin potiùs clementer accepto, & per baptiſmum in Chriſtianos relato, vitam, & incolumitatem ea lege conceſſit, vti purgando in poſterum, verrendoque Sanctæ Crucis templo cum ſuis operam daret; & in myſtici lauacri vſum, puros latices religioſè conueheret. Ea victoria magnum rei Chriſtianæ momentum attulit. Nam regni poſſeſſione adita, & barbaris quotquot poſteà ſemel Euangelio opponere ſunt auſi, perpetuo felicitatis tenore ſuperatis, Alfonſus quinquaginta ipſos annos (tot enim deindè regnauit) hominibus verbo, & exemplo ad omnem virtutem, ac pietatem erudiendis, egregium, & paſtorem populorum, & vineæ Domini cultorem, ad extremum vſque ſe præſtitit. Per idem tempus, quo Chriſtiana ſacra in Congum perlata ſunt, eadem Regulus quoque Benienſium, Congo vicinus, ab Ioanne per Legatum expetijt, Luſitanicæ magis amicitiæ, ac præſidij ſpe, vt euentus docuit, ad opes, imperiumq; firmandum, quàm quò de ſuſcipienda Chriſtiana religione ſeriò cogitaret. Quocirca Sacerdotes ad eū ſumma Ioannis voluntate profecti, & ab auitis erroribus, ritibuſq; ſacrilegis perditum hominem diū, multumq; reuocare conati, cum nihil omnino proficerent, Ioannis demum accitu in Luſitaniam irriti rediere. Lætioribus initijs, exitu etiam triſtiore fuit alia per eoſdem fermè dies Luſitanorum expeditio, In ijs amnibus, qui Aethiopiam Occidentalem interfluunt, inprimis nobiles duo cenſentur, Gambea, & Zanaga: Stachitim, Daratumque priſci dixere. Intra duo hæc flumina quicquid ſpatij longo procurſu in

*Regulus Bonienſiũ Baptizatur in Luſitania.*

Arſinarium vſque promontorium deſinit, populi tenent ij, quos vulgus Ialophos appellant. Horum Rex, nomine Bemoinus, contracta cum Luſitanis amicitia, & crebris à Ioanne muneribus, nuntijſque ad ſtipendia Chriſti ſolicitatus, cùm nihil tale agitaret animo, Luſitani tamen Regis optima ſtudia & ſpem varijs promiſſis, ac fruſtrationibus eludebat: idemque Chriſtianos aduenas inprimis vnicè liberaliterque tractabat; quòd eorum commercijs, ac ſocietate, ſuas opes non mediocriter augeri quotidiè cerneret. Sed quod vitæ genus, vt ſequeretur, nullis vmquam rationibus adduci potuit, id ipſum vt vltrò exoptaret, denique malo, miſerijſque coactus eſt. Siquidem regno pulſus propinquorum inſidijs, cùm illud fruſtrà ſæpe recuperare tentaſſet, victus aliquotiès, fugatuſque, ad extremum in Luſitaniam exul cum paucis perfugit, ad expertæ virtutis, & beneficentiæ Regem: ab eoque ſupplex infimis precibus auxilium petijt. atq; id, quò faciliùs impetraret, baptizari cum ſuis (ij erant viri nobiles ad quinq; & viginti) & Ioannem de Regis nomine dici ſe voluit. Celebratum eſt myſterium tertiò Nonas Nouembris, hoc anno M. CCCC. XCI. mira Pontificum, & procerum gratulatione, & frequentia: exhibitique per eos dies publicè ludi, conuiuia, venationes, & ſpectacula equeſtria: in quibus Ialophi deſultoria arte, & agitandi peritia, ità ſe admirabiles præbuere: vti Numidis ipſis (quorum in celeritate, motuque corporis præcipua laus eſt) agilitatis palmam omnium iudicio, conſenſuque eripuerint. Peractis myſterijs, Rex neophytus Innocentio Pontifici per ſupplices litteras ritè obedientiam detulit, idemq; in Luſitaniæ Regis ditionem iure beneficiario, ac voluntaria deditione conceſſit: ac ſe, modò amiſſa reciperet, Luſitanis ad interiores Lybiæ Reges, & pretioſa metalla ducem fore profeſſus eſt. Iamque exulis, & nota probitas, & afflicta fortuna, Luſitanum Regem, & regni Principes ad miſericordiam allexerat. Quarè idoneo ſubſidio adiuuandum hoſpitem Ioannes ratus, & inſuper haud negligenda, quæ ab eodem ad gloriam, diuitiaſq; proponebantur: viginti validas naues deduci, & omnibus rebus ornari, quamprimùm imperauit. In eam claſſem præter nautas, & propugnatores, Euangelici quoq; præcones impoſiti, Aluaro Dominicano Præfecto eximiæ virtutis, ac ſapientiæ viro, quo Rex ipſe ad ſacras confeſſiones vti conſueuerat. Additi prætereà non modò, vt in ſuperiorem claſſem, fabri, ſed etiam, nè materiæ inopia laborandum foret, cæmenta cum reliquo ædificationis inſtrumento. Iam enim Ialophi conſenſu Luſitanus arcem ædemque ſacram in Zanagæ ripis, opportuno ad merces exponendas, imponendaſque loco, excitare decreuerat. Verùm tantus hic apparatus, ac ſpes non ſine cauſa conceptæ, paulò poſt in irritum cecidere. Siquidem delata iam ad Zanagam claſſe, & caſtello inchoato, Petrus Vaſæus, cognomento Biſacutus, qui claſſi cum imperio præerat, ſine metu verſantem in prætoria naui, Regem Ialophum pugione confodit; vel fraudis, ac perfidiæ ſuſpicionibus incitatus; vel pertæſus cæli, ſolique; quod ibi paucis diebus complures Luſitani perijſſent. Tumultu inde excitato, naues in Luſitaniam reductæ. Ita, maximi compendij rem, quæ & plurimos homines Chriſto conciliatura, & Luſitanis ad interiora commercia, & inclytas Libyæ aurifodinas aditum præbitura videbatur, vnius hominis iracundia momento corrupit. Veruntamen eius claſſis fama, bellicuſque apparatus, & profugi Regis cauſa benignè ſuſcepta, non parùm ad Luſitanici nominis dignitatem, & commendationem in ijs regionibus profuere. Quocircà & Chriſtianis deinde negotiatoribus maior honos, fideſque haberi cæpta, & à multis dynaſtis ad Ioannem Oratores cum muneribus miſſi, fœderis & amicitiæ cauſa. Itemque ipſe litteras, & nuntios deſtinauit, cùm ad alios prænobiles Africæ Principes, tum verò ad Reges Tungubutu, Mandingæ, Fullorum, & earum gentium, quas vulgò Moſes appellant, multis in rebus Chriſtiana inſtituta ſectantium, ac præſertim in nominum impoſitione, quæ fermè à Sanctis Apoſtolis mutuantur. Nam ad Chriſtianorum Aethiopum ſub AEgypto, ſeu Abaſſinorum Regẽ, qui Prete Iannes dicitur, tenui fama, & auditione duntaxat iam ſibi notũ, propter peſtilentes terrarum tractus, & noxia animalia, & vaſtas ſolitudines interiacentes, cum id vel maximè cuperet, ex ea parte aſpirare non potuit. *Maffeus hiſt. Ind. lib. 11.*

VI. *Seditio magna Roſtochij*

Hæc propagandæ fidei tentamenta valdè oblectarunt Innocentium Pontificem: non minus quàm Roſtockenſium, contra Magnum Magnopolenſium Ducem turbæ afflixerunt. Amplificando cultui diuino, deſtinabat Magnus Parochialem S. Iacobi in Collegiatam erigere. Obſtiterunt ciues, non tàm odio religionis, quàm ſuſpicione, & exinde metu, nè id initium rerum nouandarum eſſet. Magnus Epiſcopum Zuuerinenſem admonuit, vt pænale monitorium decerneret, quatenùs Roſtockienſes piæ, ac religioſæ cauſæ fauerent, ac Principi obtemperarent. Obiecerunt illi appellationem qualemcumque ad Innocentium Pontificem, & in ea conquieſcentes, Epiſcopi mandata neglexerunt. Epiſcopus exercebat in eos gladium Eccleſiæ. Sed illi, quum appellationem legitimam ritè obtendiſſent, inuenere Clerum, qui illis adhæreret. Interim populus cum patribus, ex alijs cauſis prouocati, totis ſe niſibus appoſuerunt erigendo collegio. Erant qui perinde in conſortes publici conſilij vindictam quandam meditarentur, ꝙ malè inuicem concordes eſſent ſedentes in Senatu. Inflámanere, turbã qui vltionem cogitabant in compares, vt totis viribus plebs Eccleſiaſticæ cauſæ reniteretur, quod in ea omni cauſa inſidiaretur ciuium libertati: Non quæri à Principibus Eccleſiam, ſed vrbis plenum dominium, vt inijciatur frænum libertati. Non agi de collegio, ſed de arce quandoq; in vrbe collocanda, & transferenda Epiſcopali cathedra, de Zuuerino in Roſtockium. Ita ſibi ſomnia finxerunt, quæ pro veris habuere, à nemine cogitata. Interim per maleuolos diſſeminatur in vrbe, rem eſſe compoſitam, inter Principes, & quoſdã ex Proconſulibus: eſſe illos proditores vrbis, qui clàm cæteris de præiudicio vrbis cum Principibus egiſſent. Primùm ſecreto murmure, deinde aperta etiam indignatione inuecti ſunt audaciores in bonos viros, quòd vulgus ſtimularetur à quibuſdam in concilio. In hoc turbido vrbis ſtatu, Dux proſequendo negotio multas cauſas prætenderat, quòd plenum opus videretur pietate, ac religione: deinde quòd plurimum vbiq; fauorem ex pio meritus opere, ex alijs cauſis obuios ſibi Roſtockenſes ad iuga compelleret. Profectus deuotionis gratia in vrbem Romam, Epiſcopum, Raceburgenſẽ, & multam ex militia ſecum duxit familiam. Expleta deuotionis cauſa: fundandi Collegij ſanctum propoſitum per ſupplicationem inſinuauit Summo Pontifici Innocentio, orans deputari exequutores. Facilè inclinauit Põtifex, rei, in qua diuini gloria nominis amplificari quæreretur. Dedit exequutores, & inter alios Raceburgenſem Epiſcopum: qui in ipſa vrbe deſuper fulminauit proceſſum; nè, ſi quid Summo Pontifici, aut illi exequutori in itinere humanitùs accidiſſet, cauſa non integra, ſed iam inchoata cenſeretur. Hoc interim proceſſu, poſteàquàm in ſua redierunt, requiſiti Roſtockcenſes, quod opponerent, non habuerunt. Fremebat vulgus, diſſidebant in concilio patres; è quibus, qui ſaniùs rem intuebantur, ſuaſere, vt ſe parituros oſtenderent: quia tum nulla ratione poſſent mandatis Apoſtolicis con-





traire. Verbo aſſentiri, nihil nociturum cauſæ: rem denique numquam perficiendam, populo reclamante. Alijs aliud eſt viſum: ſi ſemel paruerint, ſemper parituros. volebant enim aſcendere ex aduerſo. Sed ſuperati ratione ceſſerunt: ſimul quod ſperarent vulgus exaſperandam in eorum capita, qui eius ſententiæ fuiſſent authores, quibus (vt diximus) malè voluerunt. Accita in prætorium communitate, res quã potuit maxima modeſtia fuit propoſita: eſſe cauſam, cui Papa, & Imperator, & totus mũdus faueret, quam nemo niſi malignus de iure impediret. Sed eſſe omnibus illis communem ſententiam, vt totis animi, corporiſque niſibus reluctarentur, nè vmquam procederet in effectum: idque poſſe tum iure fieri, ſi nunc verbo aſſentiant, vt euitent iuris pænas: rem tum numquam futuram. Si verò nunc reluctentur, recuſantes parere, tum ſe pænis Eccleſiaſticis laqueatos, finaliter ad omnia compelli. Ea tum vtcumq; accepta eſt oratio: vt tamen ciues Senatui dicerent, curarent omnia prudẽter: ſed ſuper omnia noſſent, Collegium ſe in vrbe nunquàm paſſuros, proque ea re omnes in commune morituros. Senatus requiſitus, & monitus proceſſu, reſpondit, ſe, vt viros deceret Chriſtianos, mandatis Apoſtolicis parituros. Deſuper ſumebant documenta publica, qui miſſi fuere, iamque non erat quod Roſtockenſis opponeretur. Inter hæc Senatus miſſis oratoribus Ducem orabant, vt rem tantiſper differret, donec feruor populi miteſceret. Dux, per has dilationes illudi ſibi exiſtimans, aſſumpto ſecum Baltaſare fratre: duobus Epiſcopis, Zuuerienſi ordinario, & Raceburgẽ. Apoſtolico executore, ac multis prælatis, nobilibus, & militaribus viris, cum inſigni familia Roſtockium venit, & Senatui, omnia mala ominanti, deſtinata aperuit. Ventum ſolenni proceſſione in Eccleſiam S. Iacobi. Ibi Zuuerinenſis Epiſcopus ſacris indutus, officium de Spiritu Sãcto peregit: Principes, nobiles, Senatus, Ciues, omnes ſuo ordine munera ad altare obtulerunt. Expleto diuino officio, Raceburgenſis Epiſcopis exequutor Apoſtolicus, litteras primum plumbatas produxit, eaſq; legi iuſſit: inde exequutorias. Quibus iam in publicum recitatis, commiſſionem ſibi factam exequens, Parochialem Eccleſiam erexit in Collegiatam cum inſignibus: creauitq; Capitulum de preſentibus Eccleſiarũ paſtoribus, quibuſdam alijs adiunctis: ex quibus, Præpoſitum fecit, Decanum inſtituit, & quemq; ſuo ordine in ſubſellia duxit. Inde in Sacriſtiã, velut Capitularem locum adduxit, mãdauitq;, vt ex illo die nocturnum, atq; diurnum officium perageretur in ea Eccleſia, cũ ritibus, & ſolemnitatibus, quę cõſueuerant in Eccleſijs eius diæceſis obſeruari. Conuiuio omnibus exhibito, cũ à vino aliqui incaluiſſent, per iocum (vt inter epulas fieri ſolet) dixere. Nouum Collegiũ, nouis martyribus condecorandum: in quibus primus iure eſſet Præpoſitus, cuius nomen conforme Cantuarienſi Thomæ (erat is Thomas Rode: Principum Cancellarius, Paſtor Eccleſiæ B. Mariæ, qui in capite præſederat) id præferret, vt pro libertate Eccleſiæ. quomodò ille cæderetur; & quidem iſta per iocum ille dixerat, cęterum poſtridiè, quum iam plana omnia, & quieta viderentur, & Duces primo mane, guſtato poſt diuinum officium cibo abire pararent: in nouum Collegium, antè Miſſæ Collegialis officium (quum tertia de more penſio ſolueretur) irrumpentes aliquot ciues in Eccleſiam, indignatione inflammati, proculdubio ſumpto priùs inter ſe conſilio, diſturbare rem diuinam aggreſſi ſunt. Duo nequam chorum ingreſſi, libros Cantuales cum ſtrepitu deiecerunt, iubentes mala in hora omnia conticeſcere. Increbuit mox rumor per Eccleſiam in populo, qui eo die Dominico frequens conuenerat. Ad diem enim feſtum ſeruauere malignum propoſitum, quò populum omnem, alijs diebus intentum labori, haberent ad tumultum: ſimul ſperantes, vt interim Principes abirent. Inchoatã iã tumultu, in ipſa Eccleſia gregatim curſitantes, quæſiuere nouos Canonicos, inprimis Præpoſitum, & Decanum, quos ſcirent rei inſtitutores apud Duces: alij portas vrbis ſeruauere. Præpoſitum, iàm ante diuino in Eccleſia ſua B. Mariæ audito officio, quum abire conſtitueret cum Principibus, facto grege, cùm domum eius tumultuantes irrupuiſſent, diu vltrà latitantem extraxerunt, & in turrim, quæ poſita eſt ad Vuernouiam includere voluerunt. Ità enim inter illos cõuenerat. Sed cũ magna in turba incertus clamor diuerſa iactaret, & multis iniurijs per capillos tractatus, verberibus pulſatus, ſputis illitus afficeretur, per viã impulſus duriſſimè, ibat tamen vtcumq; volens: cùm aliquis acclamaſſet, ſub glaciem detrudendum. Id veritus, medio itinere iam reſtitit trahentibus, vt à multis etiam inuitus traheretur. In hoc luctamine quidam, clara ſuper multorum in medio capita, quam tenebat claua, capiti renitentis illiſit, vt viribus deficeret iã cadens, iã iamq, moriturus. Quod videntes, qui duxere, in latus plateæ ad canale cadentem impulerunt, ictibus crebris tundentes, vt mortem properarent. Qui propiùs occidere non poterant, lapidibus petiere iacentem, alij iam mortuum ſputis, alij calcibus affecere. Fæminę alioqui molle, & compatiens genus, tum furuerunt, non cedentes virorum inſaniæ. Iacebat eo in loco ab hora diei nona, vſq; in veſpertinam. Adeò inſtigante diabolo, liuoris venenum omnes peruaſerat. Interim etiam nouum Decanum, qui pridem fuit Archidiaconus, virum grandæuum olim, & ipſum Principum Cancellarium, multum vbique quęſitum, prodente aliquo, inter anus in hoſpitali S. Spiritus latitantem, extraxerunt, & multis affectum contumelijs, in turrim, quæ ſtabat in eminenti vrbis loco deduxerunt: curantibus nonnullis, qui proximi irent, quique benè illi vellent, nè inſigniter læderetur. Ibi clauſus aliquot menſes permanſit. Principes audito tumultu exire properabant, deducti à ciuibus ad portas, quæ reſerabantur. Ducis coniunx, iam conſcenſura currum, à tumultuantibus incurritur. Erant, qui ſubuertere currum conarentur, quòd ibi vnum ex Canonicis dicerent latere. Vix illa ex vrbe educta: in foro tumultuantibus ciues, aliquis Proconſulum vix mitigauit. Ad veſperam inuenti ſunt vtcumque, qui Paſtorem ſuum, crudeliter cæſum, & per contumeliam horis ſex in publico relictum, in Eccleſia, in qua Paſtoralem geſſerat curam, tumularint. Secuta in vrbe ciuium interna ſeditio: dum alij alios vel proditores patriæ, vel hæreticos clamitarent, & foribus altrinſecùs, rotas, & cruces adpingerent, ac alteri alteros ad extrema depoſcerent. Cædem Canonici, & contumeliam ſacris illatam, nec non contemptum diuinæ, & humanæ poteſtatis, indignè tulit Innocentius Pontifex: & cùm Duces Magnapolenſes ad vindicias de ſacrilegis ſumendas animaſſet: tum cauſam, Apoſtolicæ Sedis, & illorum, Friderico Imperatori, ac Principibus Imperij: præſertim verò Regi Daniæ, Duci Pomæraniæ, & Marchioni Brandeburgenſi commendauit, vt, ſi opus eſſet, armis etiam, rebelles ad obſequium compellerent. Vix, hoc anno, 1491. quinto pòſt variam fortunam extracto bello, Roſtockienſes, Pontificijs, & Principum, ſpiritualibus, & temporalibus coacti armis, tandem imperata fecerunt, ea lege, vt Collegio in ſtatu inſtituto permanente, multa aureorum millia Principibus numerarent, pulſus reciperent, veniam cædis Præpoſiti ex formula præſcripta poſtularent, inq; Senatum nouiter allectos conſidere paterentur. Quo tempore, in eadem prouincia, in oppido Sterneberg, Principatus Stargardiæ id accidit, nouum ferè, & inauditum piaculum quod Iudæi commiſere. Hi coëmpto ab impijſſimo Sacerdote Chriſti Sacramento, impiè abuſi ſunt. Vbi vidiſſent,

malè ſibi rem cedere, reddiderant Sacerdoti. Ille fodit in terram miſer, ac miſerabilis: quem ſanum deſtituit conſilium, poſtquam impium iniuit commerciũ. Ad pænam illum præparabat, cui contumeliam auſus fuerat irrogare: alioquin inueniſſet alteram viam ſeruandi Sacramenti, niſi in ſuam pænam fuiſſet excæcatus. Defoſſum publico loco diuiniſſimum Sacramentum, mirabiliter innotuit: effoſſum, in Eccleſiam delatum: Iudæi concremati: Presbyter ipſe Roſtockij degradatus, meritum luit ſupplicium. Nam ignitis per viam forcipibus lancinatus, inque montem Caluariæ perductus, congeſtis ibidem lignis exuſtus eſt: ſatis inſigni (vt ferebant) cordis compunctione inſtinctus, ſupplicium æquanimiter excepit: inter alia repetens, etiam maioribus ſe dignum cruciatibus, quos volens expenderet, ſi modò peccatricis animæ Deus miſeretur. Inque ea compunctione defecit. Cæptus eſt inde, in locum Sterneberg populorum ex omnibus locis concurſus; maximè propter miracula, quæ indies patrabantur, atque narrabantur. *Krantzius Vandal. li. 14.*

VII. *Presbyter quidam, & Iudæi ob Euchariſtiã violatã comburuntur.*

De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, à Iudæis violato, magis dilucidè ſcripſit Nauclerus. Genus, *inquit*, hominum calamitoſum Iudæi, nouiſſimè anno ſalutis 1492. die XXI. menſis Octobris in oppido Sternebach, ſub dominio Principum Magnopolenſium, auxilio Petri Sacerdotis, Eleazar Iudæus, & complices ſui, Sacramentum Euchariſtiæ diuiniſſimum per hoſtias maiorem, & minorem obtinentes, has perforarunt, & cruor ilicò proſilijt, quo linteum præcinctum ruborem accepit. quo miraculo perterriti, ad Petrum id deferunt. Principes autem illuſtres Balthaſar, & Magnus fratres re comperta, cum veſtigia vulnerum, quæ remanſerant, cernerent, Iudæos cremari fuerunt XXX. numero: Petrus verò prædictus Sacerdos ſe illis vendidiſſe confeſſus eſt: & quomodò poſt puncturas Iudæi Sacramentum cruentatum, & panno inuolutum ſibi reſtituerint; & quòd ſuffoderit in terram: vbi eo indicante, inuentum eſt cruore conſperſum. Sacerdos degradatus, & incineratus fuit. In eodem autem loco hodiè multa fiunt miracula. Audiui ego à quodam Sacerdote, Capellano Magni Principis, quòd vnus ex Iudæis ſeſe in flumen præcipitem dederit, mortemque ſibi conſciuerit: & quòd vna ex mulieribus Hebræis, tres filias habens, minorem infantulam iugulauerat, ſecundum ſimiliter occiderit: tertia verò vix è manibus parricidæ elapſa, auxilio Chriſtianorum ſaluata extiterit. *Naucl. vol. 2. gener. 50.*

VIII. *Aliqui Innocentio PP. refractarij recẽſentur.*

Hæc dum in Vvandalia gererentur, Innocentius Pontifex, etiam in Italia, aliquos refractarios habuit. Omitto, Peruſinos, & Anfidanos, qui hoc anno Sedi Apoſtolicæ, contumaces, nonniſi armis ad officium cogi ad imperium potuere: Veneti, magis legum ſuarum curioſi, nulla ratione adduci tolerauere, vt præter eas, dignitatem quandam Eccleſiaſticam ab Innocentio quidem delatam, aliquis retineret. Petrum Bembum dabo, qui narrabat. Obijt per hos dies (anno 1491.) mortem Romæ Marcus Barbus, Pauli ſecundi Pont. Max. fratris filius, è Cardinalium Collegio, vir, & doctrina, & probitate, & ſanctitate vitæ & Romanorum ciuium gratia egregiè inſignis; quique Comitijs Pontificalibus Sixti morte habitis, parum abfuit, quin à Collegio ſummum locum adipiſceretur. Eo mortuo, Innocentius, Patriarchatum Aquilegienſium, quem is multos annos obtinuerat, Hermolao Barbaro Legato apud ſe Veneto attribuit. Iſtud, vbi ciuitas intellexit: tametſi Hermolaus ad Senatum ſcripſerat, coactum ſe à Pontifice veſtem Senatoriam mutauiſſe: quoniam tamen Sacerdotijs cooptari ciues Veneti, qui legati Romæ eſſent, lege prohibebantur: grauiter tulit autum illum contra leges patrias facere. Auxit eius rei magnoperè inuidiam: quòdantea, ex Hermolai litteris, quas ad Senatum de Barbi morte ſcripſerat, more, inſtitutoq; maiorũ Comitijs Senatorijs præiudiciũ Patres fecerant, cuius ipſi ciuis nomen ad in adipiſcendum Sacerdotium Innocentio commendarent. Itaque deceptos in eo ſeſe, ac propè deluſos querebantur. Erat omninò Hermolai, propter eius ſummam in litterarum, atque optimarum artium ſtudijs præſtantiam, magnum apud exteras nationes nomen: apud ſuos quidem certè maximum. Nam ad doctrinæ ſingularem opinionem, etiam vitæ perpetuam innocentiam adiunxerat. Simul is multum patris opibus, & gratia, qui ſummo proximum in ciuitate Magiſtratum gerebat: multum clientelis, neceſſitudinibus, propinquitatibuſque pollebat. quibus tamen in rebus omnibus ſatis ſibi præſidij non habuit: cum pluris à patribus vna legum charitas, maieſtaſque, quàm vllorum ciuium omnibus aucta nominibus dignitas, atque claritas fieret. Decem viri enim litteras ad eum ſeuerè ſcriptas dederunt: mora omni, excuſationeque ſublata, Sacerdotium repudiaret; Id ſi non faceret, patrem Magiſtratu remoturos, & bona eius publicaturos, præ ſe tulerunt. At pater, perſpecta ciuitatis voluntate, omnibus tentatis rebus, cum iam eam flecti, & leniri poſſe diffideret ægritudine animi eſt mortuus, filius non multò poſt Romæ, editis Plinianis caſtigationibus, immenſi propè laboris opere, priuatus plebeio morbo perijt. Eum vitæ finem Hermolaus habuit, omnium ex ſua ciuitate, qui antè illum nati eſſent, Latinorum, & Græcorum litteris planè doctiſſimus. *P. Bembus hiſt. Venetæ lib. 1.*

Hoc anno 1491. Bononiæ diem clauſit extremum, B. Iacobus Alemannus, Diui Dominici inſtitutam profeſſus. IX.

HÆC EST EIVS VITA AB IOANNE Antonio Flaminio conſcripta.

I.

*Incipit vita B. Iacobi Alemãni Ord. Prædicatorum.*

Vlma Germaniæ ciuitas eſt. Hanc Beati Iacobi patriam perhibent, cui Alemanno cognomentum eſt inditum, viro hac noſtra ætate, religione, ac vitæ ſanctitate memorabili. Ortum ex honeſta familia duxit, patre Theodorico: qui quidem vitæ integritate, ac moribus ſanctiſſimis, magnum filio adiumentum attulit, vt in talem euaderet, qui non ſuæ tantùm familiæ, verùm etiam patriæ, ac religioni, in qua enituit, & præ ſenti ſeculo ſplendori, atque ornamento eſſe poſſet, patrem ipſum accepimus, cibi, ac potus fuiſſe parciſſimi, ac magno in rebus omnibus per totum vitæ curſum fuiſſe vſum temperamento: quod maximè teſtatur vitæ longitudo: nam centeſimum ac tertium impleſſe annum memorant, corpore ità recto, ac firmo, vt iuuenum eſſe ſolent, vt nec baculo vti opus eſſet, nec exarmatas dentibus, quæ prima ſeneſcentium iactura eſſe conſueuit, fauces haberet. Liberos ſuos vtriuſque ſexus ad religionem præcipuè inſtituebat. Quarè frequenter ipſe ad officia diuina, & conciones ſacras adducebat, atque ita aſſuefaciebat, vt nihil faciliùs, aut libentiùs agerent. Quæ quidem tam diligens inſtitutio quantam vim habuerit, vel ex B. Iacobo, cuius vitam ſcribimus, licet conijcere.

II.

*Romã proficiſcitur.*

Agebat is annum ætatis quintum atq; vigeſimum, cùm cæpit illum ingens viſendæ Vrbis Romæ deſiderium, quod eam ſcire eſſe Chriſtianæ religionis caput, ac ſedem, quam Princeps Apoſtolorum Petrus, & Paulus ſuo Martyrio conſecraſſent, & tot Chriſti athletarum certamina illuſtrem feciſſent. Patrem igitur, quem mira pietate colebat, ſummis precibus orauit, vt ſe ſineret, eò proficiſci Ægrè pater, nec ſine multis lachrymis tandem permiſit, vt iret. Dolebat enim obſequentiſſimum filium à ſe diuelli ad tam longin-





qua loca tendentem. Tamen quòd pia cauſa iuuenis animum moueret, nec iuſtis aſſenſum votis denegandum arbitrabatur, exorabilem ſeſe præbuit. Prouolutus igitur ad genua patris, inter fratrũ, ſororum, ac propinquorum fletus, quibus ob eximias dotes erat chariſsimus ſupplex petijt, vt ſibi benediceret: & ſic abijt. Initio Quadrageſimæ Romam peruenit, & priuſquam aliò diuerteret, celeberrimum toto orbe Diui Petri templum inuiſit. Ibi autem ad Dominicam reſurrectionem commoratus eſt: quo quidẽ tempore nullam neque intra, neque extra vrbis muros ædem reliquit, quã non adierit, tanto fruens gaudio, quantum verbis conſequi nemo poſſet. Poſt Dominicam reſurrectionem cepit illum deſiderium in Regnum Siciliæ proficiſci. Venit igitur Neapolim. Tunc fortè Rex Alfonſus bellum gerebat, ſub quo militare decreuit. Credo diuinitùs factum, vt iuuenis optimus militari commercio grauiter flagitijs offenſus, quæ militiæ maximè vigent, conſilium ſalubre demum caperet, vt tutiorem viuendi rationem iniret.

III.

*A militiã vitijs abſtinet.*

Ad eam igitur militiam admiſſus, merere cæpit, nihil de ſanctis moribus, aut de priſtina conſuetudine ſua remittens. Multa ibi videbat, quibus valdè offendebatur. Quare occaſionem demum indè abeundi ex re leui, ac penè ridicula inuenit: quam ipſe iam ſenior factus, & monaſticam degens vitam narrare ſolebat. Mos eſt militibus, præcipuè belli tempore, de rapto viuere, & frequenter prædas abigere, nec etiam amicis parcere: de quorum prædiis ſolent equis pabula rapere, gallinas, & alia eſculenta, aut vi, aut furto ſurripere. his grauiter modeſtiſsimus iuuenis, & alienis abſtinens offendebatur, & commilitones ſuos liberiùs increpabat. Illi autem deridere iuuenem, & accuſare, tanquàm ſuperſtitioſum. Et quia raptis nullo pacto velle vti animaduertebãt, dolo eum circumuenere. Ingreſsi ſunt in quodam oppido Iudæorum Synagogam quidam eius amici commilitones, & ex lampade, quæ ibi ante Moyſis libros die, noctuque ardebat, oleũ vel ſurripuere, vel ſe ſurripuiſſe finxerunt: ex horto quodam braſsicam (vulgò caules nũcupant) quam optimè conditam, illi horum omnium inſcio appoſuerunt. Cùm autem ita ſimul veſcerentur, & eo cibo delectari valdè videretur, ridere conuiuæ cæperunt. Quærens ille, quæ tanti riſus cauſa foret, audit, braſsica ſe veſci ex horto quodam ſurrepta, quæ oleo Iudaicæ lampadis condita eſſet. Non poſſet dici, quantoperè ſit ea re offenſus. Tum demum decreuit prorſus militiam relinquere. Quarè compoſitis rebus ſuis, & impetrata abeundi facultate, Capuam venit.

IV.

*Militiam deſerit, & Capuano cuidam fideliter deſeruit.*

Ibi nactus eſt Capuanum ciuem, præclatum virũ, iuriſconſultum, & equitem. Qui vbi iuuenem conſpexit forma præſtanti, atque vt ex clara indole, & lineamentis oris colligebat, probum, miro illius deſiderio tactus, & apud ſe retinere maxime cupiens percontatus eſt, num in ſuo vellet contubernio reſidere. Annuit ille, & apud eum moratus eſt quinquennium tanta fide, ac morum integritate, vt eum patronus æque, ac filium diligeret, atque tractaret. Verùm exacto iam quinquennio, immiſit illi Deus ingens deſiderium in patriam redeundi, & genitoris ſenioris memoria multò vehementiùs, quàm anteà, illum ſtimulare cæpit ad reditum. Sciebat enim patrem iam eſſe admodum ſenem, putabatque ingenti videndi filij deſiderio teneri, cuius diſceſsũ ægerrime tuliſſet, ſeq; iã tot annos procul à patria, tanto terrarũ ſpatio diuiſum abfuiſſe: rationẽ ſibi patriæ pietatis habendã. Cũ igitur abire decreuiſſet, conſilium patrono aperuit, Ille autem qui eum amaret vt filium, & cuius diu fidẽ eximiam expertus eſſet ac integritatem, non dici poſſet, quantum ea re turbatus fuerit: nec vllo pacto volens eum dimittere, ea cæpit omnia dicere, ac polliceri quę poſſent abire volentem retinere: niſi certa illi fuiſſet abeundi ſententia. Iuuenis autem contra orare, obteſtarique, vt ſibi iuſtiſſimis de cauſis, quas afferebat, abire ſalua eius gratia liceret, ſed nihil proficiebat ille enim pertinaciter in propoſito perſtabat, & rogabat, nè ſe dubitaret. Fluctuabat animus iuuenis, & præter modum angebatur, quod intelligebat, oportere ſe tandem clam diſcedere, neque enim impetrare poterat, vt libere diſcederet.

V.

Cum igitur hoc ſæpius, ſed nequicquam, tentaſſet demum vel inuito patrono, ſed furtim abire decreuit. Obſeruauit igitur opportunum ad id tempus, & reindumentis, quæ à patrono acceperat cum pecunijs, quas idem illi perſoluerat, & reſumptis veſtibus: atque pecunijs, quas ſecum ipſe attulerat, habita prius ante Chriſti effigiem, quam in cubiculo habebat, diligenti Oratione, vt propitio numine diſcederet, abijt. Tandem Bononiam peruenit, & ingreſſis Diui Petronij celeberrimum templum, quod in ipſo ciuitatis foro eſt ampliſſimum, orauit, ac Deo gratias egit, quod ſoſpes eo perueniſſet. Erat illi in animo, in Germaniam reuerti ad genitorem, ſed rem Deus aliter inſtituerat. Namque in ea vrbe quędam ex comitibus, qui cum eo venerant, hortati ſunt, vt ſtipẽdia ibi faceret, & ſub quodam Thoma Tartario militaret. Conditionem igitur accepit, atque in ea vrbe remanſit. Incredibili autem voluptate afficiebatur, cum tot ibi fratrum collegia cerneret, quorum loca quotidie frequentabat, præcipueque diui Dominici templum vbi maximè verſabatur, tanquam quod erat futurum, præſagiret. Ita paulatim, & patris, & patriæ oblitus eſt, nec iam aliud cupiebat quicquam, quam in ea monaſterio vitam agere.

*Ordinem Prædic. ingredi cupit.*

VI.

Tali igitur incenſus deſiderio, die quadam, vbi illuxit, ad ædem Diui Dominici venit, ſuum conſilium cũ eo communicaturus, qui prius factus eſſet obuius, & facturus quicquid ille conſuluiſſet. Fortè fortuna opportune admodũ incidit in ipſum monaſterij præfectum, Nicolaum Cartonellum Catalanum concionatorem eximium. Ad cuius genua prouolutus, rogauit, vt ſibi, cupienti maximæ Deo famulari conſiliũ, & opem afferret. Attulit ille continuò ſalutare conſiliũ & facunda oratione, quæ ex illius ore diuinitus manabat, accenſum iam per ſe iuuenis animum ſic inflãmauit, vt ſublata omni mora petierit in conſortium Prædicatorum admitti, quod poſtero die conſecutus eſt. Erat beatus Iacobus literis mediocriter eruditus, & annum agebat quartum, atque trigeſimum, quando monaſticam vitam ingreſſus eſt. Qui cum inter alias animi plurimas dotes præcipuè mitis, ac manſuetus eſſet conſiſtere in humillimo gradu voluit, & ex eorũ rum eſſe grege, qui conuerſi vulgo nuncupantur. Sed exceptus eſt mira omnium lætitia, quaſi præſagientium, qualis, quantuſque iuuenis ille euaſurus eſſet nec quicquam fefellit opinio. Siquidem continuò totum ſe Deo tradidit, necquicquam omiſit, quod ad verum illius cultorem pertineret. Magiſtro tyronum, quos nouitios appellant, præcipuè vacabat: quem frequenter ſupplex orabat, vt ſe inſtrueret, ac ea doceret, quæ ſibi præcepta religionis, ac inſtituta patrum panderent. Quo ſtudio, atque ſolertia breui mire profecit, charuſque omnibus, & admirabilis eſſe cæpit.

*In eundẽ Ordinem admittitur.*

VII.

*Varijs excellit virtutibus.*

Adeo autem mitis, adeo manſuetus erat, vt cum omnibus ſanctior eſſet, omnibus ſe deteriorem putaret: quæ res tum maximè cum decurſo iam anno, de patrum iudicio, ac voluntate dubitauit. Nam ad genua ſingulorum prouolutus, rogabat, nè ſuis offenſi

criminibus,à ſuo contubernio,& ſocietate ſe repellerent. Verba autē illa, quibus vti profitentes initam vitā ſolent,adeò tenaciter menti illius adhæſerant,vt nullā diei elaberetur hora, in qua eorum non reminiſceretur. Quæ autem profitendo promiſerat, tam exactè, tamque conſtanter ſeruabat, vt mirabile omnibus obedientiæ, paupertatis ac patientiæ exemplum foret. Pudicitiam vſque ad exitum vitæ ſeruauit, vt nihil illo purius ac mundius conſpiceretur. Nam præterquam quòd ſuum corpuſculum acerrimè domitabat, vigilijs quoque orationibus, ieiunijs & alijs multis macerabat modis: oculos ſuos diligentiſſimè cuſtodiebat,nè quid intueretur,quod ad libidinem prouocaret, atque ob eam rem numquam otioſus erat. Nunquam illum ſine negotio dies, nunquam nox inueniebat. Quod ſi quando egredi in publicum cogebatur,impenſe Deum rogabat, vt ſe cuſtodiret, & ſuos auerteret oculos,ne vanitatem cernerent, quod ſciebat ſolere per feneſtras mortem ingredi quod ſi quando veſtigium aliquod fortè libidinum excitabatur,continuò Chriſti cruciatus inenarrabiles ad memoriam reuocabat: quo quidem tanquam ſubito imbre,illud quicquid erat incendij reſtinguebatur.

VIII.

*Præſertim Obedientia.*

Sed inter plurimas virtutes,quibus excellebat,præcipua erat Obediētia. Recordabatur enim ſēper Chriſtum vſq; ad mortem factum eſſe obediētem. Quæ res quidem adeo promptum reddebat illum ad parendū, vt ſæpiſſimè iuſſa præueniret,& nondum bene auditis quæ ſibi mandabantur, tanquam audiuiſſet,illa continuo exequi feſtinaret. Afferam huiuſce virtutis memorabile exemplum Præfectus Monaſterij, Michael Holandinus, per monaſterium ducebat magnum quendam Antiſtitem. Incidit fortè in Beatum Iacobum,& conuerſus ad præſulem. *Videsne hunc?* inquit. *Mira vitæ integritate inter nos effulget, in quo præcipua virtutum enitet obedientia. Huius rei mox,ſi velis, periculum faciam.* Annuit præſul. Præfectus igitur accerſito ad ſe B. Iacobo. *Fili*, inquit, *opus eſt: vt ſublata omni mora, vſque in Galliam te ad Pariſinam vrbem conferas: magni enim momenti literæ tibi eo ſunt perferendæ.* Lætus ille repentè, *Præſto adſum pater*, inquit. *Sed licet ne ſtatim me in cubiculum meum tendere, vt baculum, ac pileum ſumam?* ſtupuit Antiſtes ille, nec ſatis mirari poterat incredibilem in re tanti momenti promptitudinem. Ciuis quidam Bononienſis aliquot ex cænobitis Diui Dominici ad villam vrbi propinquam inuitauerat, præcipueque rogauerat,vt Beatum Iacobum ſecum adducerent. Profecti igitur, cum iam pranſi eſſent, vnus ex patribus qui primum ibi locum tenebat, vt ſummæ illius obedientiæ periculum faceret,iuſſit, vt accepta funda (eſt autem id rete) ad propinquum Rhenum iret piſcatum. Paruit ille continuo & vno iactu mirandam piſciculorum vim cepit, ità vt omnes obſtupeſcerent, ſed id cuncti illius obedientiæ adſcripſerunt.

*Eius obedientiæ exempla.*

IX.

Quemadmodum cum Præfectus monaſterij quadam die illi iuſſiſſet, vt ad quærendum panem feſtinaret. Nam tum fortè quandam in vitro effigiem pulcherrimam pinxerat,(vitreas enim feneſtras optimè concinnabat)& vt colores vitro tenacius inhærerent in paruo fumo ex mare poſuerat: quæ res eius præſentia maximo indigebat. Attamen potius eſſe parendum ſuo præfecto ratus ſacculum arripuit, & ad mendicandum panem ſeſe contulit. Reuerſus poſt multas horas, tam benè decoctos in pictura colores offendit, vt nunquam melius illi ars ſucceſſerit.

X.

*Charitas eiuſdem.*

Erat admirabilis quoque in eo Charitas. Nihil putabat antiquius, quā præcipuè ægrotātibus in monaſterio inſeruire: qui quidē illius præſentia,& miniſterio ita recreabantur,vt non dubitarēt,ſe mox omni ægritudine leuandos,& certè plerique leuabantur. Quod ſi qui fortè obibant, & ipſe eos ex more lauabat, & proprijs humeris efferebat. Quare ea reſedit in animis hominum opinio,vt minimè dubitent,nunc vita functum, facilè ægrotantibus, ſi inuocetur, ad futurum, quod tam promptam operam quolibet morbo laborantibus,viuens exhibebat. Id ita eſſe,multis quidem exemplis poſtmodum comprobabimus. Ad hanc vero tam eximiam virtutem amplexandam leniſſimis verbis,& efficaciſſimis aſſiduè alios hortabatur,eratque ipſe præclarū omnibus ſpecimen, & exemplar. Solus deinde orationi,& contemplationi totus erat intentus,Deumque aſsiduè pro viuis omnibus, atq; defunctis precabatur. Frequenter primus omniū ad nocturnum officium ſurgebat: quod vbi celebratum erat, angulum quempiam remotiorem, ac ſecretiorem deligebat. Ibi totus mente,& corpore,Deo vacabat. Nullus autem elabebatur dies, in quo præcipuè Chriſti geſta non recenſeret,& multis cum lachrymis diros eius cruciatus,acerbiſsimamq; mortem repeteret. Cùm verò iam multum oraſſet, & finem faceret, illud denique dicere ſolebat: *Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine: ſuccurre mihi hodiè, cum Patre & Sancto Spiritu, in ſempiterna ſecula, Amen.* Et ad glorioſiſſima Virginem, quam præcipuo cultu venerabatur,cōuerſus, aiebat: *Aue Regina cælorum, pro ſalute mea, & omnium fidelium.* Deinde ad Sanctos omnes ſeſe conuertens, dicere ſolebat: *Sancti Dei omnes. &c.* Poſteà verò ad omnes Eccleſiæ aras accedebat, ibique à B. Virgine incipiens, orabat. Cum verò iam illuceſceret,totum officium ſuum horarium, vſque ad veſpertinum celebrabat,& vbi ſacris altaris, quam Miſſam dicimus, ſemel aut ſæpius, prout otium dabatur,interfuerat, ad opera manuum, quorum penè in omni genere monaſterio erat vtiliſſimus, reuertebatur, vt ſic diuinis functus paratior eſſet, ac expeditior, ſi quid ſibi agendum mandaretur. Sed nullam orationem ſuauiorem ſibi, ac iucundiorem promebat, quàm Dominicam. Tunc enim putabat ſibi os melle, ac omni nectare compleri.

XI.

*Aliæ eiuſdem virtutes.*

Semper autem ſancti aliquid, vbi finem orandi fecerat, meditabatur, nec vllum ſinebat tempus elabi vacuum: habebatque illud frequens in ore. *Qui non laborat, non manducet*, & inſuper illud addebat. *Multa mala docuit otioſitas.* Taciturnitatis vero tantus erat cultor, vt nunquam, niſi vſus exigeret, loqueretur. Sed & patientiæ, atque conſtantiæ memorabile erat exemplum. Tres grauiſsimas ægritudines paſſus eſt, quas intenſi dolores exacerbabant. Eas tamen ita diſsimulauit, adeoque patienter tulit, vt nunquam à conſuetis actionibus fuerit retractus; nec alicui, quæ pateretur, prodiderit. Erat præterea mire affabilis, placidus omnibus, ſalua grauitate, charus, atque amabilis, ac plurimarum virtutum ſplendore monſtrabilis. Qua fama impulſus illuſtris Princeps, Calabriæ Dux, qui poſteà Alphonſus Secundus Siciliæ Rex fuit, cum Bononiam profectus, Diui Dominici ſepulchrum viſeret, Beatum etiam Iacobum videre voluit; quem nunquàm antea ſibi viſum, vbi cum multis alijs Cænobitis ad ſe venientem conſpexit, ſtatim cognouit, & honorificè ſalutauit, & amplexus eſt. ac rogauit, vt pro ſe Deum precaretur, vt poſſet incolumis in patriam,& ad genitorē ſuum reuerti,& factus eſt voti compos. Ad tantum autem Sanctitatis gradum euaſerat, vt cæleſti circumfuſum luce, orantem noctu multi viderint. Infeſtum quidem per omne tēpus dæmonem habuit: ſed eius dolos, hucuſque latentes expertus eſt: deinceps vero aperto Marte multa cum eo certamina habuit. Nā fuſtibus ſæpe orantem cecidit, & alijs mille vexauit modis: ſemper tamen





athleta fortiſſimus victor euaſit. Mirificè autem poſt diſceſſum dæmonum cæleſti luce,quā diximus, recreabatur,& voce Angelica. Adhortans enim de cælo miſſus Angelus,ſic eum alloquebatur. *Serue Dei, eſto fidelis vſque ad mortem. Expecta Dominum: viriliter age, & confortetur cor tuum. Ingentia ſunt enim, quæ tibi pro paruo labore, atque certamine præmia proponuntur.* Ità melior in dies, & ſanctior fiebat.

XII.

Die quodam conatus eſt dæmon illum ab Oratione retrahere. Orabat autem ad aram Diui Vincentij poſt completorium. Venit igitur hoſtis antiquus in veſte conſciſſa,& ad pudenda vſq; ſubducta, vnicum habens in fronte vt Cyclops oculum. Vbi verò illum Beatus Iacobus aſpexit,ſigno ſe ſalutiferæ Crucis armauit,& ſtatim dæmon euanuit. Nocte autem quadam poſt celebratum nocturnum officium, cùm ad aram Beati Antonij,quod remotior erat,& obſcurior, orandi cauſa ſe recepiſſet, dæmonum caterua ſpecie lætantium cum tripudio ingenti ad eū venit. Miratus ipſe tantam in eis lætitiam,audacter ad ſe vocatos,per Sacroſanctum Ieſu Chriſti nomen iuſſit, vt ſibi tantæ læticiæ cauſam promerent, putabat enim, quòd erat, eos vel patraſſe ingens aliquod malum,vel quod mox patrandum foret, tantoperè lætari: nec eum fefellit opinio. Reſponderunt igitur, ſe idcircò adeò lætos eſſe, quòd poſtero die ciuium ſeditione ingens ſtrages edenda eſſet. Quod vbi Beatus Iacobus accepit, continuò ad Deum conuerſus,multis lachrymis ciuiū pacem ab eo impetrauit, & vrbis tranquillitatem. Cùmq; ab oratione ſurrexiſſet, & cubiculum ſuum eſſet ingreſſus,quieturus aliquantulum,ingentem ibi offendit teterrimorum coruorum multitudinem, crocitantium,& vnguibus,ac roſtris ſeſe impetentium. Ille verò ſigno ſe Crucis repentè muniuit,& dixit: *Deus in adiutorium meum intende*, quibus verbis fœdiſſimæ alites continuò euanuerunt. Sed quò magis illum dæmones infeſtabant,& oppugnare conabantur tantò illum ad certamina fortiorem, & alacriorem Deus reddebat.

XIII.

*Rapitur extra ſe.*

Raptum illum aliquando in cælum Pauli more, accepimus. Nam cùm ſe die quadam orationi dediſſet, ſenſit continuò ſeſe auferri,& tanquam cadauer corpus ſuum relinqui. Putauit autem ſeſe in quendam amæniſſimum locum eſſe perductum, vbi ex variorum florum aſpectu,& odore incredibilem voluptatē caperet. Ibi ſe mirificos audiſſe concentus,& omnia, quæ ad explendam voluptatem pertinerent, vberrimè fuiſſe. Ingreſſus eſt eo fortè momento temporis, illius cubiculum ex cænobitis quidam, qui vbi iacentem, ac veluti mortuum vidit, exclamauit continuò,& rem Præfecto monaſterij trepidus nunciauit. Accurrit ille cum caterua fratrum; qui cum ſtatim, vt mos eſt, cōfricare cæperunt,& aquam in faciem iacere,& omnia experiri, quæ circa exanimatos fieri ſolent. Reſipuit ille tandem velut ex graui quodam ſopore excitatus,& conquæſtus eſt grauiter, quòd ſe incredibili ſuauitate, ac voluptate priuaſſent.

XIV.

*Miracula adhuc viuens edit.*

Prodigijs multis claruit adhuc viuus,è quorum numero quædam referam. Quidam Bononienſis ſacerdos optimus,cui Hyeronimo Auido nomen fuit, beato Iacobo familiaris,& charus admodùm erat. Is fortè in grauem incidit valetudinem, vt minima de eius ſalute ſpes eſſet. Miſit ille, qui beatum Iacobum ad ſe perducerent. Venit continuò, vt erat benignus omnibus & expoſitus. Cumq; ſe mutuò ſalutaſſent,& dulci colloquio, paulùm ſe recreaſſent, rogauit beatus Iacobus, vt omnes cubiculum egrederentur. Quod vbi factum eſt, continuò cæpit orare, ac pro ſalute ſui familiaris precari. Mox aſſurgens, à capite ægrotantis ad pedes, dexteram ſuam leniter duxit. Miram rem aſſeram, prout manum per corpus ducebat, ita repentè ex illis partibus fugabatur morbus, vt ſubſecuta ſit ſanitas. Eiuſdem Sacerdotis ſoror grauiter ægrotauit, ſperauit tandem opem, quam in fratre fuerat experta. Igitur ad ſe accitum, rogauit, vt ſuis apud Deum precibus ſibi adiumento eſſet. Ille verò habita breui oratione, frontem ægrotantis Cruce ſignauit, & ſoſpitem extemplo reddit.

XV.

*Feliciter moritur.*

Venio nunc ad eius felicem obitum. Annos erat natus quatuor, & octuaginta Beatus Iacobus, cùm in valetudinem incidit, quæ illi ſuprema fuit. Intelligens ipſe finem adueniſſe ſuæ vitæ, vocauit ad ſeſe illum, cui ægrotantium cura cōmiſſa erat,& ait: *Ego, frater, iam delibor, & tempus meæ reſolutionis inſtat. Proinde rogo te, huc voces inſignem doctrina, & religione virum magiſtrum Vincentium Caſtronouenſem, monaſterij huius Præfectum, cui delicta mea generaliter conſiteri volo.* Quod vbi fecit, & plenam remiſſionem ex more aſſecutus eſt, acceſſit ad eum ex cænobitis vnus, cui Dyoniſio fuit nomen, cui inteſtina fluebant, ſpei, ac fiduciæ plenus,& ait: *Dilecte frater, tu quidem ad patriam properas, ego autem atroci morbo hic crucior: nec cantare poſſum, nec concionari. Sed te per Deum rogo, ad quem tendis, vt cum illi iunctus fueris, memineris mei, ac tuis precibus, hanc à me moleſtiam depellas*, qui ſe quidem id facturum ſpoſpondit. Cum autem ad vltimum deueniſſet, priuſquàm expiraret, ipſe ſibi manus decenter, & pedes compoſuit,& ita felicem efflauit animam. Continuò autem color, qui morienti, ad ſolet, abierat, & vultus quædam hilaritas,& per totum corpus candor eximius redijt, & claritas admirabilis, vt nulli dubiū eſſet, quin recta in cælum migraſſet. Is autem, cui inteſtina, ſicut modò dixi, fluebant, quique illius opem paulo ante petierat, accedēs ad eius cadauer, & multo cum fletu amplexatus, cepit promiſſa repoſcere, & rogare, vt ſui memor eſſet. Nec promiſſam ille opem diſtulit; nam priuſquàm indè abſcederet, ſeſe diro prorſus liberatum morbo ſenſit. Obijt autem beatus Iacobus anno ab aduentu Chriſti, Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo primo, quinto Idus Octobris.

XVI.

*Claudū, & mutū ſanat.*

Statim autem per totam vrbem viſa eſt vox diuinitus diffundi, quæ cunctos moneret; vt ſi Sanctum virum, qui obiſſet, cernere vellent, continuo ad ædem Diui Dominici concurrerent. Repente autem tota confluxit ciuitas, ſeque felicem putabat, quicunque ſacrum cadauer poſſet contingere. Puellus ibi annorum trium, qui nec firmis adhuc greſſibus conſiſtere, nec loqui poterat, per confectam multitudinem,& per medios pſallentes patres ad Sanctum cadauer diuinitùs euaſit: cumq; illud tetigiſſet, ſtupentibus omnibus,& firmiter gradi, & rectè loqui cæpit, domumq; profectus, ſtupentem nouitate rei matrem admonuit, vt ad ædem Diui Dominici properaret, & ſancti viri corpus viſeret mox ſepeliendum. Præfectus verò monaſterij, cum cæteris patribus, cùm eum ſepulturi eſſent, communi ſententia diuerſo in loco ſepelire decreuerunt, nè cæteris commiſceretur cadaueribus: cum ſic multorum, qui cum ſanctitatis opinione deceſſiſſent, permixtione, & confuſione cadauerum, memoria periſſet. Separatim igitur cum in loco tumularunt, quod paruum Capitulum appellant, nec ibi diu perſtitit. Nam cùm incredibilis quotidiè magis fieret ad eius ſepulchrum populi concurſus vtriuſque ſexus,& inſolitum eſſet, ac indecens, fœminas ad eam partem monaſterij ingredi, vbi ſepultus erat: neceſſe fuit poſt diem octauum, permittente id Bononienſi Antiſtite, in Eccleſiam transferre, & ad aram Diui Thomæ ſepelire, ſic integrum & incorruptum, ac ſi tunc primùm expiraſſet. Vbi verò ſepultus

fuit, penè infinita ſecuta ſunt prodigia, quorum partem aliquam commemorabimus.

XVII.

*Alia Bononiæ patrat miracula.*

Quidam Bononienſis mercator filium habebat infantem, vtpotè anniculum: qui cum grauiſſimè ægrotaſſet, expiraſſe putabatur: nullum enim in eo vitæ ſignum apparebat. Parentes igitur mæſtiſſimi, confugientes ad opem Beati Iacobi, cuius modò extincti fama ſanctitatis erat celebris, vouerunt, ſi puer reuixiſſet, Beati ſe Iacobi, hoc eſt, Prædicatorum veſtitu illum induturos. Continuò igitur oculos infans aperuit, atque conualuit: tabellaque ad ſepulchrum Beati Iacobi appenſa eſt, cum inſcriptione tali: Hic puer extinctus erat, ſed meritis Beati Iacobi reuixit. Mulier quædam deſperata iam ſalute, & ſacro inuncta oleo, Chriſtiano more, mox animam exhalatura videbatur. Propinqui eius Beati Iacobi opem implorarunt, & mira res continuò ſecuta eſt. Nam quę loqui paulò ante non poterat, caput extulit: & *Deo*, inquit, *gratias ago, qui Beati Iacobi meritis me à morte reuocauit.* Vir clarus vita, litteris & religione Hyeronimus Bononienſis, ex Diui Dominici Prædicatoribus, fortè concionabatur, & Beati Iacobi ſanctitatem, & prodigia multa, quæ ad merita illius teſtanda quotidiè Deus edebat, quibus æquum erat laudibus, efferebat. Aderat concionanti Bononienſes quidam ciuis, qui filium domi reliquerat grauiſſimè ægrotantem. Is accenſus talibus, atq; in magnam ſpem arrectus Deum rogare cæpit, vt Beati Iacobi meritis præſenti ægritudine puerum ſuum liberaret. Factus eſt continuò voti compos, & poſtero die ſoſpes cum patre epulatus eſt.

XVIII.

Bononienſis matrona legerat ad idem ſepulchrum in tabella, quendam monachum vehementiſſima febre Beati Iacobi meritis eſſe liberatum. Hæc ſororem habebat, iam tres menſes tertiana, & ingenti dolore capitis laborantem. Inuocauit illa Beati Iacobi pro ſorore auxilium, & ſtatim conualuit. Alia quoq; matrona, centeſimum tranſgreſſa annum, diro, & pudendo morbo laborabat: tacto illius ſepulchro liberata eſt. In eadem ciuitate puella dolore graui, qui totum corpus inuaſerat, iam quatuor menſes laborauerat. Magna fiducia impetrandi eius implorauit, & conſecuta eſt. Nam ſtatim abſq; vllius adminiculo ſurrexit è lectulo, & die poſtero eius ſepulchrũ inuiſit. Bartholomæus Genuenſis Ordinis Prædicatorum, Monaſterij Saonenſis Præfectus, in grauem Bononiæ febrem inciderat. Qui admonitus à comite ſuo, vt ad Beati Iacobi auxilium confugeret, confugit, & confeſtim conualuit. Paulus etiam Boemus, eiuſdem Ordinis Bononiæ ſtudens, & ipſe grauiſſima febre laborabat, futura iudicio medicorum diuturna, dolorem præterea capitis iam nouem annis patiebatur. Is ad Beati Iacobi opem confugit, & extemplo vtraque moleſtia liberatus eſt. Vincentius Soncinenſis in eodem monaſterio ex eorum numero, qui Conuerſi dicuntur, familiaris admodùm Beato Iacobo fuerat, & morientem in ſuo gremio fouerat. Is fortè in grauiſſimam febrem inciderat, adeò vt ſe non poſſe diutius viuere putaret. B. Iacobũ precatus eſt, vt ſibi adiumẽto eſſet, & ex templo affuit. Quidam ex agro Bononienſi, cui Magacaro fuit nomen, & ipſe grauiter febricitans, Beati Iacobi auxilium inuocans, ait: *Si vera ſunt, quæ de tua ſanctitate prædicantur, & ad opem ferendam implorantibus tàm facilem te, ſicut audio, exhibes, mihi quoque precor, ſubueni.* Non fuere ſpes, ac preces illius irritæ. Nam cõtinuò febris illum relinquit. Nobilis matronæ Bononiẽſis, graui terrore perculſa, ita exhorruerat, vt membra omnia contracta eſſent. Venit illa in mentem B. Iacobus, & eius opem rogauit, & mox priſtinæ valetudini reſtituta eſt.

XIX.

*Item aliis in locis.*

Verùm non Bononiæ ſolùm, ſed etiam in remotis Italiæ ciuitatibus claruit miraculis. Nam & Mediolani vxor eius, quem iuſtitiæ ducem vocant, cùm iam tres annos contracta habuiſſet crura, audita Beati Iacobi fama, quæ iam celebris in pleriſq; Italiæ locis erat, illius opem implorauit, & mox ſanata eſt. Et in Venetis Murani quidam præsbyter in æde Diui Petri Martyris depictam nuper effigiem attentiùs intuebatur: cumq; perquiſiſſet, cuiuſnam eſſet, audiuit eſſe Beati Iacobi Bononiæ nuper extincti, admirabili ſanctitate viri, cuius meritis multa prodigia Deus ederet. Is iam multis annis ingenti dolore capitis laborauerat, tanto quidem, vt ſæpe ſuſpicaretur, nè mentem amitteret. Igitur ſpei plenus, & fidei, Beatum Iacobum precatus eſt, vt ſibi adiumento eſſet. Adfuit ille, ac diuturna valetudine ſupplicẽ ſuum liberauit. Ciuis quidam Bononienſis filium habebat, diu calculi morbo laborantem. Acceſſit ad B. Iacobi ſepulchrum, & rogauit, vt filio opem afferret, & impetrauit, nam puer continuò liberatus eſt. Dionyſius quidam Lucenſis, filium habebat Bononiæ grauiter ægrotantem, vt de eius ſalute medici deſperarent. Ad ſepulchrum Beati Iacobi acceſſit, & filium illi ſuum commendauit. Quem, domum reuerſus, incolumem reperit: & cum ingenti gaudio ad ædem D. Dominici rediens, & magna voce Deum laudans, multis audientibus, impetratam opem teſtatus eſt.

XX.

*Periclitantibus in partu ſubuenit.*

Puella Antonij tonſoris in eadem ciuitate vitam monaſticam in monaſterio Diuæ Agnetis agens, iam tribus annis grauem capitis dolorem paſſa fuerat. Beati Iacobi opem implorauit, & ſanata eſt. Nobilis in eadem ciuitate matrona iam duos dies partus doloribus cum magno vitæ diſcrimine fuerat vexata. Hortantibus obſtetricibus, vt Beati Iacobum inuocaret, quanta potuit voce implorauit, exaudita eſt. Eandem opem in ſimili diſcrimine plebeiæ mulieri attulit, & Calcareſio ciui Bononienſi, qui captus oculis, nihil cernebat, viſum reſtituit: & Mutinenſi cuidam, qui tanti beneficij memor, argenteos oculos ipſemet ad eius ſepulchrum Bononiam pertulit: & cuidam calcis artifici, qui oculum ità calce oppleuerat, vt per multos dies nihil inde prorſus cerneret. Is enim ad Beati Iacobi ſepulchrum profectus, priuſquàm templum ingrederetur, depulſis tenebris, viſum recepit. Ancilla cuiuſdam matronæ Bononienſis, brachium diù inualidum, ac inutile habuerat. Acceſſit ad eius tumulum, & brachio tetigit: momento temporis priſtinum robur recuperauit. Quidam Bononienſis aromatarius, diuturnum in lingua morbum paſſus fuerat, ſic vt difficillimè, & cum magno cruciatu cibum caperet. Vouit is argenteam Beato Iacobo linguã ſi dirus, eius ſuffragio morbus, à ſe depelleretur. Mox liberatus eſt, & eodem die, quo vouerat, perſoluit.

XXI.

*Et iumento cuidam.*

Stephanus è numero Conuerſorum Diui Dominici, Placentia Bononiam veniens, vt clarum quendam concionatorẽ ſe cum Placentiam adduceret, nobili mulæ inſederat. Hæc neſcio, quo caſu in lethalem morbum incidit, ità vt humi iacens, pabulo prorſus abſtineret: nec periti morborum talium medici, opem vllam ſpondebant: Ingenti curarum æſtu fluctuabat Stephanus nobilitate mulæ, ac pretio, & eius, qui commodauerat, claritate. Relicta igitur illa in ſtabulo, tanquàm mox nullis proficientibus remedijs moritura, ad tumulum ſe Beati Iacobi receperat, & eius opem implorauerat: reuerſuſq; ad ſtabulum, ſic affectam, vt antè, inuenerat, & morienti ſimilem. Feſſus ingenti ægritudine animi, & curarum plenus, cubitum ſe contulerat. Dormienti illi viſus eſt Beatus,





qui monuit, vt continuo ſurgeret, & populum mulæ apponeret. Credidit ille diuinitus ſe moneri, & paruit: mulam inuenit perquirentem pabulum, & priſtinæ valetudini reſtitutam.

XXII.

*Item cuidam hydropico.*

Anno milleſimo quingenteſimo, menſe Februario, vir quidam hydropicus ad idem ſepulchrum cum vxore venit, vt ibi vota perſolueret: qui affirmabat, ſe implorata B. Iacobi ope, quatridui ſpatio, diro, & exitiali morbo ſanatum. Finem profectò non inueniam, ſi cuncta perſequi velim. Sed hæc, ni fallor, ſatis eſſe videri poſſunt, quæ viri tanti apud Deum merita, & ſanctitatem eximiam abundè teſtari queant. *Ioan. Anton. Flaminius in vita.*

X. *Floret Bernardinus Fertinus Ord. Minorum*

Per id etiam temporis Bernardinus Fertinus, Franciſcanus, per omnem Italiam agendo, & docẽdo; tum myſteria ſapientiæ diuinæ ſumma eloquentia patefaciens, tum homines ad impuritatem animorum ſuorum verè cognoſcendam, illamq; ex animo deteſtandam, & cultum, ac venerationem Dei amplectendam adducens, Rauennæ ſæpius id prædicauit. cumq; ob populi frequentiam, templa minùs ſufficerent, in foro, ſumma vocis, quæ ad aures omnium integra pertinebat, felicitate concionabatur. E concione autem per occultos vicos homines vitans, qui ex eius periinde, ac viri ſancti veſtimentis aliquid abſtrahere ſemper conſueuerant, domum redibat. Eius impulſu, & concionibus, Iudæi fæneratores vrbe Rauenna haud ita diu poſt eiecti; & interea certæ pecuniæ, & fundi, hominum piorum erogationibus, & Phyliaſij præſertim Rouarellæ Archiepiſcopi, qui multam numerauit pecuniam, collecti ſunt; ex quorum prouentibus, oppignoratis egentium bonis, pecunia traderetur. Montem pietatis appellant, quem adhuc non abſq; pauperum ciuium vtilitate, Rauennates extare conſpiciunt. Fuit is annus à partu Virginis M. CCCC. XCI. *Rubeus hiſt. Rauen. lib. 7.*

XI. *Moritur Venerab. P. Ioannes Aldenardus Carthuſianus.*

Eodem anno, diem clauſit vltimum Ioannes Aldenardus, Gertrudomontani in Hollandia Cænobij Cartuſianus. Hic dum ex vtero matris proditurus eſſet, contigit matrem in partu intolerabili dolore laborare. Vnde patri perſuaſum fuit, vt fructum, qui eſſet naſciturus, diuino offerret famulatui. Quod dum ille feciſſet, mulier ſtatim peperit puerum elegantem, & quaſi ſine dolore. Idcirco parentes ab annis teneris, hunc viris religioſis tradiderunt imbuendum; à quibus ſcientias addiſceret, & virtutes. Eius tam ſimplex, innocens, pudica, morigera, ſobriaque ſcribitur pueritia extitiſſe, vt quaſi alter Samuel paruulus videretur. Poſt acceptam in ſcripturis notitiam, voti memores parentes, in grandem quandam, diuitemque Abbatiam, quæ in Flandria eſt, impetrato loco iuuenem tradiderunt. Monachi ſtatim huic, opes Monaſterij enarrant, Abbatis gloriam, ampliſſima prædia, pingues, & multiplices portiones, læta & exquiſita conuiuia, nocturnas crapulas, vina falerna. Verum iſtius generis delicijs, pius adoleſcens nequaquam aures accommodabat. Itaq; conſiderans, Monachos libenter bibere, rarius pſallere, crebros in popina, tardos in Eccleſia, menſas colere, animas deſerere, quærere quæ ſua ſunt, non quæ IESV Chriſti, clam fugit, & ductus diuino ſpiritu, domum Capellæ B. Mariæ intrauit. Profeſſus, & Sacriſtiæ præfectus, innocentiam, humilitatem, & deuotionem præcipue coluit; eaque propter ab omnibus amabatur. Paupertatis amãs, vix neceſſaria corporis admittebat; in cella nihil habebat. Virginitatis florẽ immaculatũ ſeruauit. In prima cõfeſſione, quid Priori diceret, non habuit. Triginta quinq; annos Sacriſta, in sũma ſimplicitate Deo & fratribus inſeruijt. Ab ea cura, grauiſſima infirmitate ſolutus, decẽ quibus ſupertixit annis, ingẽtes ſibi theſauros, ab orationibus & auſteritatibus, comparauit: nulli die, ac nocte ſibi paſſus carnis, requiem impertiri. Ab amicis eade rè admonitus; *dum tempus habemus*, inquit, *operemur bonum.* In hoc virtutum omnium exercitio, duos dies ante feſtum Præſentationis B. M. V. leni febre correptus, in ipſa ſolennitate inter brachia intactæ Virginis impollutum ſpiritum exhalauit. *Petrus Dorlandus Chron. Cartuſien. lib. 7.*

XII. *Floret B. Veronica Auguſtiniana.*

Mediolani in Monaſterio S. Marthæ, viuebat hoc tempore B. Veronica, inter Sanctimoniales Auguſtinianas profeſſa. Legere, & canere, à cultu Deiparæ didicit. Eam ſæpe ſæpiùs, aliàs in paludamento candido ſtellis diſtincto, aliàs in veſte cyanea, lilijs, & roſis aſpẽſa, Angelis comitatam aſpexit. Aliquando etiam puerum Ieſum videre promeruit. Liberatam quoq; Monialem vita functam, ſed Purgatorij pænas luentem ante oculos habuit: vtque Moniales à murmuratione abſtinerent, illas admonuit. Aliquot monialibus ſalutem impetrauit; breuique tempore tantam ſanctitatis famam vbique diffudit, vt etiam Principes orationibus illius ſeſe commendare voluerint. De hoc Monaſterio, fama eſt, publicis actis teſtata, olim quando aliqua ſanctimonialis in ſepulchrum inferretur, reliquas ibidem conditas, quaſi viuerẽt, & ſpirarent, locum dare ſolitas, recèns ſepeliendis. *Aſtolfus Canonicus. lib. 11 mirac. B. M. V.*

XIII. *Stellæ videntur in meridie.*

Romæ, die 24. Auguſti, in tẽplo B. M. V. in via lata, cum altare maius remoueretur, repertæ ſunt in arca porphyretica, aliquæ SS. Reliquiæ à Leone IX. P. M. olim reconditæ. ſcilicet; S. Hyppoliti; Darij corpus & Sociorum, de ligno S. Crucis, de veſte Chriſti inconſutili, de Spongia Chriſti, de veſtimento B. M. V. de velo eiuſdem: de terra ſepulchri Chriſti. S. Stephani Mart. Corpus S. Agapiti mart. Eiuſdem anni menſe Iunio, die 26. Lunæ, viſæ ſunt ſtellæ in cælo in meridie, euntes ante ſolem. Solis quoque deliquium fuit. *Infixura in notis diarij.*

# ANNO CHRISTI 1492.

## INNOCENTII PAPÆ VIII. Anno 9.

## FRIDERICI ROMAN. IMPERAT. Anno 53.

## MAXIMILIANI I. ROMANORVM REG. An. 7.

I. *Granatenſes ad rebellionem concitare Maurus quidã conatur.*

PAulo ante memorauimus, bellũ Granatenſe propè fuiſſe confectum; niſi vulgus Maurorum maximè infidum, mobile, ſeditioſum, quieti, & otio aduerſum, diſturbaſſet. Iam certis conditionibus fædus cum Ferdinando pactum erat. Maurus quidam, cuius nomen non proditur, quaſi Panicis actus, turbida oratione ad arma concitare populum non neglexit. *Inſimulatione beneuolentiæ, proditionem, fraudem, inſidias contineri. Boabdilem Regem, & Proceres nomine Mauros eſſe, voto cum hoſtibus ſtare. Perpetuæ ſeruitutis iugum imponitur, adeſte animis. Sed præſentes miſerias & pericula ferre graue eſt? Animi eſt iſta mollities, pauliſper in malis tolerare non poſſe: minora, ac temporaria mala perpetuis, & grauioribus mutare. Quid verò ad ſpem affertur inuiolatos vos fore, de bonis non ago, quæ pars vanitate integra fore perſuadent; nempe nouos ciues alienus ager ſuſtentabit? An ignoratis, quanta veſtri ſanguinis hauriendi ſitis ſit. Superioribus bellis, parentibus, propinquis magna ex parte deſideratis, vindicare prætermittant: Vetera omitto: annum iam circumuallatos, & nos macerant, & ipſi non minores clades pertulerunt, circa munimenta ſæpe trucidati, neque magis obſidentes, quàm obſeſſi, noua vrbis munitione bellum defendentes. Ferrei ſint, niſi vrbe dedita veſtris capitibus peremptorum manibus parentarint. Quaſi*

*beſtiæ cæco impetu, ac rabie concitatæ ſitiunt ſanguinem. Sed viri ſanè non ſumus, alioquin mecum ſuſtentate. Aderit numen, Mahometeſque vates, reſponſa vetera, & ſiderum motus fauent, ſed fortibus; deſtituunt ignauos. At annonæ inopia premit, ſed ſi parcitis, & quæ à priuatis recondita ſunt in commune conſertis, in multos dies poſſumus tolerare: iiſque conſumptis, eorum corporibus, qui ad bellum inutiles ſunt, famem propulſare quid vetet? Graue, inquis, & horrendum ſacinus. Sed exemplum tamen à veteribus in ſimili periculo ſi non haberemus, inſtitui denuò, & poſteris prodi pulcherrimum iudicarem. Stat ſententia: ſi mortem recuſare fas non ſit, cruciatus, contumeliaſque vitare. Capi, diripi, incendi patriam non videbo: matres, Virgines, pueros ad ſtuprum, & in ſeruitutem rapi. Idem ſi perſuadeo, corripite viri arma; fœdus importunum diſturbate, nec cunctatione opus eſt, vbi pernicioſior eſt quies, quam audacia.* Hæc ardentibus oculis, vultu minaci per compita, & plateas voce væcordi concionatus, viginti hominum millia ad arma concitauit. Furore, & rabie, & cauſis incertis, eoque difficilioribus remedijs agitabantur. Boabdiles nulla iam authoritate, ne in tanta colluuione ludibrio haberetur, intra Alhambram arcem ſe tenuit. Feroces primos impetus multitudo habet; mox conquieſcit, ſine capite, ſine viribus vano conatu. Idem ſedatis tantiſper animis, proxima luce in Albaicinum deſcendens, vbi gentis ſtudia integra erant, conſternatas ſuorum mentes ſanare contendit. *Veſtra*, inquit, *cauſa non mea, vt quidam inuerecundè ſuſpicati ſunt, huc monitorem veniſſe, vel hæc fides ſit, quod arce in noſtra poteſtate poſita hoſtem aduocare nolui, veſtra ſalute neglecta quamuis nouis iniurijs prouocatus: neque antea dum veſtris viribus reſtitiſtis, dum auxilia aliundè ſperaſtis, dum frumentum in vrbe fuit, pacis conſtituendæ vmquam author fui. Mittantur vetera. Sæpè à nobis peccatum eſſe confiteor, ſide hoſti habita, Regno aduerſus patrem ſumpto: ſed pœnarum nihil minùs datum eſt. Rebus deſperatis fœdus pepigi cum hoſte, nè honeſtum dicam tempore certè neceſſarium. Quid ſanaſici homines, vt pacem pulcherrimè inſtitutam euertant, afferre poſſint non intelligo. Si alicundè præſidium eſt, pacta conuenta mecum fallite. Sed ſi omnia ſublata ſunt, opes, præſidia, commeatus, mens propemodum ipſa; quid furore perciti, vel alieno ſi prouidetis, vel veſtro ſi morem geritis in perniciem irruitis? E duobus cum neceſſaria ſunt, minus incommodum ſuſcipere ſapientes decet: quales vos eſſe conſiderem, niſi ſuperior tumultus hanc opinionem debilitaſſet. Sed cum omnia victoris ſint, cùm neceſſitas vrgeat, quicquid relinquitur, pro munere habituri eſtis. De fide hoſtium non diſputo: non ſemel violatam eſſe confiteor. Verùm fides obligatur fide. obſides exigere, accipereque quid prohibeat, aut arces, aut viros principes. belli conficiendi cupidine omnia hoſtis dabit.* Hac oratione, commoti multitudinis animi conquieuerunt. Sic ſæpe popularis tumultus non maiora remedia, quàm cauſæ ſunt. Quid Mauro multitudinis concitatori ſit factum, non inuenio. fuga euaſiſſe ſuſpicabar. Sed præterito Boabdiles periculo admonitus, interiectò dierum ſpatio, multa rurſus nouari poſſe, litteras continuò ad Ferdinandum Regem dat; munuſq; adijcit, duos equos generoſos, aciuacem, ephippia. Quæ in vrbe contigerant, renunciat. celeritate opus eſſe; exiguam ſæpe moram magnorum motuum cauſam extitiſſe. Quod felix, fauſtumque eſſet, quando ſuperioris ea ſententia ſtaret, Alhambram proxima luce iniret de manu ſe, arcem, regnumque victori traditurum. Eæ litteræ ipſis Calendis Ianuarij huius anni 1492. miſſæ in caſtra ſunt: quibus Ferdinandus lectis, quanta fuerit lætitia affectus diiudicare promptum eſt. Rebus in diem proximum comparatis, qui dies in faſtis Granatenſibus eius vrbis captæ memoria ſacer eſt, veſte lugubri ob Alfonſi Luſitani Principis caſum, trabea mutata inſtructas, armataſque acies, quaſi ad pugnam in arcem, vrbemque duxit, gratum oculis ſpectaculum, Regina, filijque ex interuallo ſequebantur; intertextis auro veſtibus proceres luxu, pretioque ornatus certantes. Ea pompa, apparatuque accedenti propiùs arcem Regi, Boabdiles obuiam egreſſus, quinquaginta equitibus ſtipatus occurrit. In pedes deſilire, Regiamque victoris manum deoſculari prohibitus, demiſſis in terram oculis, haud læta fronte, id modo elocutus; *Tui Rex inuictè ſumus; tibi imperio & vrbe cedimus; vtere, vt libet, moderatò, vt ſperamus, & leni.* Statim arcis claues in manus dedit, ille Reginæ, Regina filio. Ab eo Enecus Tendilliæ Comes arci præfectus belloque dux in ea prouincia futurus acceptis clauibus, cum valida æquitum manu in arcem ingreſſus eſt. Subſequebatur ſplendidus Sacerdotum, & Procerum ordo. In his Toletanus, Hiſpalenſiſque Antiſtites eminebant, Diui Iacobi Magiſter, Gaditanus Dux. Ante omnes Ferdinandus Talauera, ex Abulenſi Præſule, captæ vrbi deſignatus Archiepiſcopus, ſacra precatione è Pontificalibus libris recitata, vti moris eſt, legitima capientium vrbes verba nuncupauit: ſimul Crucem, quam Toletanus præferebat poteſtatis inſigne in ſumma turri conſtituit, gemino vexillo addito, Regio, & Diui Iacobi. Subſecutus eſt plauſus, & lætitiæ permixtus clamor militum, & procerum. Viri Sacrati hymnum Deo pro diuino munere concinuerunt. Regem in genua procumbentem, atque humillimo corporis habitu gratias agentem numini, quod ſuo ductu dediſſet gentis impiæ imperium, & nomen in Hiſpania excindi, Crucemque inſignem erigi, vbi diu impietas viguerat, altis ſtabilita radicibus: atque vt ea rata, propria, fixaque eſſent precantem, peracta oratione Proceres adierunt, gratulanteſque de nouo imperio, dextram ex ordine deoſculati ſunt in genua procumbentes. Idem officium Reginæ filioque Principi cum eſſet præſtitum, peracta eius diei pompa poſt prandium, ſecundum vicinam vrbis portam in caſtra eodem ordine reditum eſt. Purchenæ vallis in Conteſtanis paulo ante Mauris erepta Boabdili tradita eſt; vectigaliaque deſignata, in Africam nauigaturo tandem, tædio vitæ priuatæ, cui impares Reges ſunt. Quingenti captiui, vt conuenerat, libertati redditi ſine pretio, habita ſupplicatione Regem ſacrificio peracto die altero ſupplices adierunt, militibus, quod ſibi patriam, ſe patriæ reſtituiſſent, egere gratias: quod pro religione, pietate, Hiſpaniæ ſalute, & gloria, res humanis maiores confeciſſent, accurata oratione collaudarunt, reſtitutores, parentes, vindices nuncupantes. Vrbem ingredi non eſt viſum, priuſquam omnia tuta eſſent, portis, turribus, propugnaculis, præſidijs occupatis. Priori perſimili pompa in vrbem inuecti quarto poſt die, ad aras procubuere, laudes diuinas, hymnoſque repetentes. Duces, militeſque; concelebrantes numen, quod victorias victorijs cumularet, triumphoſque de hoſtibus Chriſtiani nominis præberet. Ferdinandus, Iſabellaque auguſtiores ſolito viſi ſunt, ſplendido cultu, vigenti ætate, nouo imperio, tantoque bello confecto conſpicui, pareſq; maiores conditione vulgari. Cælo certe dati ad Salutem Hiſpaniæ, conſtituendis iudicijs, quæ labefactata erant; legibus ſanciendis, vnde iura populis dantur; vindicanda religione; pace publica fundanda, domeſticis, externiſque diſſidijs ſublatis: proferendo imperio non in Hiſpania modo, ſed ipſo tempore ad extremas cæli oras: ingenijs prouincialium, ad virtutis, & eruditionis, ſtudium excitandis; præmijs, quæ ſunt ampliſſima in Hiſpania, non maiorum imaginibus, neque ad cuiuſquam gratiam, ſed ad veram meritorum rationem tributis. Doctrinæ cultu ſuſcepto, quantum profectum ſit, explicare non eſt neceſſe, res ipſa indicat. maiori eruditione, & ſanctitate Sacerdotes, & Epiſcopi, maiori prudentia & integritate Magiſtratus, vix alibi terrarum inueniuntur. Itaq; ante hæc tempora paucos quoſdā litterarum laude præſtantes numerare licebat: qui deinceps in Hiſpania, in omni

*Iidē Reges ad ſalutē Hiſpaniæ nati, & dati.*





eruditionis genere excellentes fuerint, recenſeri vix poteſt. Erat Ferdinando facies honeſta, maieſtas in vultu, inceſſuque par, aſpectus gratus, ſermo expeditus, perſpicuum ingenium, iudicium graue, mores faciles. Se adeuntibus comis, clemenſque, bellicis fuit iuxta, ac ciuilibus muneribus par; tam aſſiduus in negotio, vt labore refici, ac reparari videretur. Corpus nullis munditijs emollitum, ſed cultu, & victu frugali, & parato militare. Equos arte incitare, atque in varios orbes flectere cum dexteritate. Iunior teſſeris & alea, maior aucupio animum curis grauem remittere ſolitus. Regina præſtanti formæ venuſtate, nullo fuco mentita facie, totius oris dignitate, modeſtiaque ſingulari, religionis ſtudijs dedita, atque litterarum: viri amans, ſed cum Zelotypia, ſuſpicionibuſque. Latinæ linguæ non planè expers fuit: quo præſidio Ferdinandus caruit, nullo litterarum cultu in minori ætate, cognoſcendis tamen ex hiſtoria maiorum geſtis, & litteratorum hominum colloquijs, animum oblectabat. Quo die natus eſt Ferdinandus, (ſic affirmatum inuenio) Neapoli quidam è Carmelitano Ordine vir ſanctus, Alfonſo Regi; *Hodie* inquit, *in Hiſpania citeriore puer tui generis eſt natus; cui cælum noua imperia pollicetur, ingentes opes, fælicitatemque, pio præ cæteris, religioneſque cultori, & amplificatori præclaro.* In tantis virtutibus quædam vitia ineſſe propemodum neceſſe fuit: vt nihil eſt in rebus mundanis ſyncerum. Sed auaritiam tamen; calamitas vectigalium excuſare potuit: ſeueritatem, temporum, moruque labes. Callido ingenio fuiſſe, fidemq; ex commodo nōnumquam mutaſſe, externi authores accuſant, ex fide, an ex inuidia gentis, non diſputo, & ſolet hominum malitia virtutibus veris, vicina vitiorum nomina affingere: ſicut è contrario fallunt, atque laudantur vitia, quæ virtutes imitantur. Magnos ſibi Principes toto orbe Chriſtiano affinitate deuinxit; Luſitanos, Auſtriacos, Anglos. Plures Regias propinquitate complexus eſt. Annę Britannę auunculus, quę Galliæ Regina fuit, Ferdinandi Neapolitani patruelis: Catherinæ Vaſconum Reginæ auunculus maior. Id etiam in Ferdinandi actionibus accuſatur, quòd eam, & virū nullo conſanguinitatis reſpectu, immenſa imperādi ambitione, auito regno expulit in Galliam cōſequentibus annis. Sed ſpecies religionis prætenta facto eſt, & Rom. Pōtificis iuſſa: vnde diuturni, graueſq; motus extiterunt. Henricus Labretus his Principibus natus, paternum regnum repetijt, maiori, quàm ſucceſſu. Ex hoc, & Margarita, Franciſci Regis Galliæ ſorore, Ioanna principatus hæres nata eſt, Antonio Borbonio, Vindomienſi Duci coniunx: eius Henrici mater, quem ducta Margarita trium Regum Galliæ ſorore, Franciſci, Caroli, Henrici, proximum affinitate proximum ſanguine per viros ſtemmate generis continuatos; poſt repudiatas, eiurataſque prauas de Religione opiniones, propter quas Catholici proceres negabant Imperio Gallico idoneum videri, Henrico leuiro ſine prole decedēte, noſtra ętas, benignitate, & indulgentia Clementis VIII. Pont. Max. vidit, magnum Galliarum Regem. Obitâ à Ferdinando, & Iſabella Regibus, atque luſtrata vrbe Granata, Mauri ſub Chriſtianum imperium Superis auctoribus, auſpicatò, in æternum, ea in Hiſpaniæ parte conceſſerunt ſalutis anno M. CCCC. XCII. octauo Idus Ianuarij, qui dies Veneris fuit, anni Arabū octingētefimi nonageſimi ſeptimi, menſis Rabih Haraba, dies Octauus. Pijs omnibus, vt Magorum memoria ſacer veteri inſtituto celebriſque, ita recenti victoria vniuerſæ Hiſpaniæ ſalutaris, fauſtuſq; illuxit. cùm ſublata, euerſaque impietate, ſuperior gentis ignominia procurata eſt, Hiſpaniæq; pars non exigua, in formam prouinciæ redacta, Magiſtratus, legeſque accepit. Lætitiæ particeps reliquus Orbis fuit. Ad Innocentium Pontificem, belli Maurici ſiue authorem, ſiue adiutorem miſſus Ioannes Strada, Nuncius ex Hiſpania, ipſis Calend. Febr. Papam, Cardinales; vrbem & Italiam noua lætitia cumulauit. Supplicatione ad Diui Iacobi Hiſpanorum ædem à Pontifice, Sacroque Senatu decreta, habitaque, pòſt gratias Deo, & ſuperis perſolutas, Regum, & Hiſpaniæ laudes præconijs haud immeritis accommodata tempori oratione celebratæ ſunt. Ad Imperatorem, Regeſque ſimul datæ litteræ, ac miſſi, qui gaudium ingens nunciarent: confectum Mauricum bellum: cæſos, domitoſque hoſtes, impoſitum Granatæ iugum, vrbi quondam Chriſtianorum ſpolijs extructæ, ſuperbæque: ac Chriſto redditum tandem vniuerſæ Hiſpaniæ imperium. Eo nuncio vrbes, & prouinciæ finitimæ, longinquæque dies feſtos agitabant, ludos, & ſpectacula inſtituerat: omne genus, ætas, ordo, conditio, templa ſubibat, ad aras procumbebat, vota perſoluebat. *Mariana lib. 25. c. 17. 18.*

*Magna lætitia In-*

*noc. PP. & toti Italiæ ob Granatā receptum.*

II.

*Caſtellæ Reges cur Catholici titulo donati.*

Innocentius Pontifex præ alijs, ingenti lætitia perfuſus, Ferdinando, & Iſabellæ de tam inſigni victoria congratulatus, cognomen *Catholici* Regi de impietate triumphanti attribuit, *Taraſſa. Genebrard.* duabus ad hæc præterea rebus incitatus maximè: quando, triduò ante nunciatam victoriam, id eſt, die 28. Ianuarij, Alphonſus Sylua & Petrus Frias, Oratores Ferdinandi, iubente, & intercedente Rege, pacem inter Pontificem, ac Ferdinandum Neapolitanum Regem conciliaſſent, publicamque feciſſent; adeòque ſuo Regi, titulos Pacarij Italiæ, & Eccleſiaſticæ ſecuritatis, maieſtatiſque Pontificiæ Vindicis conquiſiuiſſent: *Surita Annal. lib. 20. c. vlt.* ac veluti fata in omnia religionis Catholicæ & Pontificis decora, & deſideria conſpiraſſent, ipſo die, vel peruigilio, quo Granatæ ad Chriſtiana iura traductæ nuncius Romam aduolauit, Petrus Mendozius Hiſpanus, Cardinalis S. Crucis, titulum Cruci Chriſti olim affixum, in parietinis eiuſdem Eccleſiæ S. Crucis, maxima Pontificis, & totius vrbis exultatione adinueniſſet, & bellum itaque Mauricum confectum, & dignitas Pontificia vindicata, & Crucis titulus ab Hiſpano repertus, Innocentium permouerunt; vt tam ſpecioſum cognomen Ferdinando adſcripſerit. De pace conciliata paulò poſt dicam: cum prius de Inuentione tituli retulero, quæ *Lelius Petronius, Paulus de Magiſtris, & Stephanus Infixura, Ciues Romani, in notis diurijs* reliquerunt. Ita habent. *Die prima menſis Februarij, anni M. CCCC. XCII. venerunt noua de partibus Africanis: dictumque fuit, qualiter Rex Hiſpaniæ habuit victoriam de Granata, ipſamque cepit, & dominatus eſt: & eam fuiſſe captam, pactis omnibus, & fœderibus: nam diu ante oppreſſerat eam. Quibus autem conditionibus, non benè ſcitur. Eadem die miraculum in Vrbe fuit. Nam cùm Dominus Petrus Gondiſalus de Mendoza, Cardinalis S. Crucis, de ſua impenſa faceret incruſtare, & dealbare dictam Eccleſiam: quando operarij tetigerunt ſummitatem arcus exiſtentis in medio Eccleſiæ, iuxta tectum, vbi adhuc ſunt duæ paruæ columnæ; ſenſerunt ibi certum vacuum. cumque aperuiſſent, inuenerunt vnam paruam feneſtram, in qua erat vna capſula plumbea, duorum palmorum, benè clauſa, & ſuper eam erat lapis quidam quadrangulus marmoreus, vbi erant ſculpta iſtæ litteræ, videlicet: HIC EST TITVLVS VERAE CRVCIS. In qua capſula, reperta fuit quædam parua tabula, longitudinis vnius palmi cum dimidio: quæ ab vno latere erat comeſa, & vetuſtate corroſa: ibique erant cauatæ, ac deinde colore rubro tinctæ, infraſcriptæ litteræ, ſiue verba: IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM: ſed illud Iudæorum, non erat perfectum: quia illud RVM, nonniſi vſque ad R. incluſiuè remanſerat, & illud VM: ceciderat, vt dixi: quia erat tabula ab ea parte corroſa, & vetuſtate deficit; & primus verſus erat ſcriptus litteris Latinis, ſecundus verò litteris Græcis, & tertius litteris Hebraicis. Ad quem locum quaſi tota Vrbs acceſſit, & Papa Innocentius etiam poſt triduum vidit eam, iuſſitque permanere in dicta capſula; cum quadam lamina*

*Titulus crucis Chriſti affixus reperitur.*

*vitrea, ſuper altare, in feſtiuitate dictæ Eccleſiæ: & eſt omnium æſtimatione, illa tabula, quam Pilatus poſuit in Cruce ſuper caput Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti poſita ibi per ſanctam Helenam matrem Conſtantini, tempore, quo fuit dicta Eccleſia fabricata.* Hæc ex notis diarijs Mſ. quibus conformia Alexander VI. Pont. Max. narrauit, in diplomate, quod ſuo loco inſeremus.

III. *Aliqua de S. Crucis titulo referuntur.*

De titulo, Cruci Chriſti crucifixi à Pilato affixo, qui cauſam mortis, & perſonę conditionem morientis exprimebat, crediderim neminem dubitare: qui fidem Ioannis Euangeliſtæ narrationi, adhibendam ſibi putat. Enimuero is diſerte meminit, Pilatum, Chriſto cruci affixo, titulum Hebraicis, Græcis, & Latinis characteribus præſcripſiſſe: Iudæos, vt refingeret interpellaſſe: atque hunc tandem in ſententia perſtitiſſe, dixiſſeque, *Quod ſcripſi, ſcripſi.* Mos erat, præcipuè Romanis, titulos eiuſmodi, reis, vel præferre, vel præſcribere, vel figere. Caio Caligula Imperatore, ſolenne, ſeu publicum epulum Romæ exhibente, is ipſe ſeruum, ob detractam lectis argenteam laminam, carnifici confeſtim tradidit, vt manibus abſciſſis, atque ante pectus è collo pendentibus, præcedente *Titulo*, qui cauſam pænæ indicaret, per cætus epulantium circumduceretur: vt Suetonius narrat. Domitianus Imp. patrem familias, quòd Thracem Myrmilloni parem, munerario imparem dixerat, detractum è ſpectaculis, in arenam canibus obiecit, cum *hoc titulo*: *Impiè locutus Parmularius*, vt idem Tranquillus ſcripſit. Aliquis Dominus, ſeruum affixerat Cruci, vt Dio meminit, cum litteris, *ſiue Titulo*, quæ cauſam mortis aperirent. Gentiles, vt Tertullianus exprobabat, in *tabella* nihil aliud recitabant, quàm illum Chriſtianum. Attalus cum vndique per amphitheatrum circumduceretur, Tabula, in qua Latinis litteris hæc inerat inſcriptio, *Hic eſt Attalus Chriſtianus* præcedebat. Sebaſtianus martyr ad Catacumbas, iuſſus eſt ligari in medio campo, & ſagittari à militibus, *ſub Titulo Chriſtianitatis.* De Chriſti titulo, appoſitè Prudentius, in apotheoſi aduersùs Iudæos,

*Pilatus iubet ignorans, Tu, ſcriba, tripictis*
*Dirige verſiculis, quæ ſit ſuffixa poteſtas:*
*Fronte Crucis titulus ſit triplex triplice lingua.*
*Agnoſcat Iudæa legens, & Græcia norit.*
*Vt venerata Deum præcenſeat aurea Roma.*

De hoc ipſo Crucis Chriſti titulo Ambroſ. in Luc. c. 23. Beda in idem cap. Chryſoſtomus hom. 84. in Ioa. Auguſtinus de tempore, in feſto Epiphan. Domini ſerm. 5. tomo 10. Sedulius lib. 4. operis Paſchalis, & alij SS. Patres.

Quòd verò Tabella hæc, neq; exuſta, neq; proiecta, ſed, vnà cũ reliquo inſtrumento paſſionis eiuſdẽ in loco eodem, quo Crux de foſſa, recondita, & anno ſalutis CCC.XXVI. à ſancta Helena, Conſtantini magni Imperatoris matre, eo in antro, quo Chriſti Domini noſtri ſepulchrum effoſſum erat, tunc, cum Sanctam Crucem, clauos, & diadema repererat, ea quoq; inuenta ſit: Sozomenus teſtatur his verbis; *In altera autem parte eiuſdem loci, tres inuentæ ſunt Cruces: & aliud ligniculum ſeparatim, quod Tabulæ geſſit ſimilitudinem, verbis, & litteris non Hebraicis ſolùm, verùm etiam Græcis, & Latinis inſcriptum, quæ verba, ac litteræ non aliud complectebantur, quàm IESVM NAZARENVM REGEM IVDAEORVM. lib. 2. c. 1.*

IV. *S. Crucis titulus Romam delatus.*

Eam tabellam, quòd S. Helena, vnà cum ligno S. Crucis, Romam ſecum detulerit, & in Baſilica S. Cruci ab eadem, & Conſtantino dicata condiderit: conſtanter ab omnibus hucuſque creditum eſt. Quod partem eiuſdem Tituli, Placidius Valentinianus Imp. in maiore arcu eiuſdem Eccleſiæ concluſerit: Onuphrius Panuinius in ſuo de ſeptem Vrbis Eccleſijs Romæ, Commentario refert; quodq; eam Cardinalis Mendozius repererit, produxeritque. Alexander VI. Pont. in diplomate teſtatur. Minio illitos fuiſſe characteres, referunt illi ciues. Frequentiſſimum enim fuit apud antiquos, ea, quæ ſpectabiliora, & maioris æſtimationis eſſe volebant, rubeo colore inficere. Hemorus, in bello Troiano illas naues præ cæteris decantat, quę erant rubeo colore conſperſæ. Ouidius, *Titulos* librorum minio notatos memorat. Romani, ſolennibus diebus inſtantibus, ſigni Iouis faciem minio tingebant. Aethiopes, eorum idolorum ſtatuas, quæ maiore veneratione colebant, minio illinebant. Minio tinctus Camillus triumphauit. Minio ſepulchrorum epitaphia inſcribebant. Minio volumina conſcribebant; non tantũ quòd litterarum characteres ſpectabiliores redderet minium, ſed quia etiam, apud eos, ac præſertim Romanos, non maximæ tãtum, ſed etiam ſacræ auctoritatis erat, vt Plinius lib. 3. c. 7. narrat. Ergo in Chriſti Domini Crucis Titulo litteræ rubeo colore tinctæ fuerant, non eo tantùm, quòd titulo tunc morituri hominis eſſent inciſæ: verùm etiam cæleſti diſpenſatione, vt diuinitas, & excelſa conditio herois, imo vt veriùs dicam, veri Dei, & hominis, qui crucifigebatur, innueretur; ac prætereà, vt litteræ ipſæ magis conſpicuæ redderentur; quò eminùs, atque commodiùs perlegerentur. Quocircà non omnino à vero abeſſe illud quoque crediderim, vt quemadmodum eiuſdem Tituli litteræ rubeo colore erant infectę, ſic eius quoque areolam dealbatam fuiſſe, vt Nicephorus Calliſtus, & pòſt eum Arnoldus Mermannius in ſuo de Sancta Cruce libello tradidere. Etenim & hoc ipſum Romani facere conſueuerant, qui inſignioribus delinquentibus quibuſdam non ſolito tantum altiorem ſtatuebant Crucem, verùm in ipſorum reorum conditionis, ac dignitatis irriſionem, atque ignominiam, dealbari inſuper mandabant. Quod ſane à Galba Imperatore factum quandoque legimus apud Suëtonium. Is enim tutorem, quòd pupillum, cui ſubſtitutus hæres erat, veneno necaſſet, Cruce affecit Implorantique leges, & Ciuem Romanum ſe teſtificanti, mutari, multòque præter cæteras altiorem, & dealbatam ſtatui crucem iuſſit. Cùm autem Saluator, quòd ſe Regem dixiſſet, per ſummum ludibrium purpura indutus, ac ſpinis coronatus fuerit; conſequenter etiam non à veriſimili omnino abhorrere cenſendum eſt, id, quod Nicephorus, & ab ipſo mutuatus Arnoldus Mermannius aſſeruit, ſacratiſſimum Chriſti Domini Titulum dealbatum, prælato quodam, & eminenti ligno, ad columnæ formam, Cruci ſuper impoſitum fuiſſe. His temporibus, ſacratiſſimus hic Titulus, neque ruboris, neque albedinis præſefert tincturam: nullumque alium, quàm vetuſtiſſimi ligni refert colorem: tincturis illis præ vetuſtate nimia, & frequenti contrectatione euanidis. Porrò, nonniſi tertia ferè pars eiuſdem Tituli, hoc tempore Romæ aſſeruatur: nonniſi his litteris, Latino quidem charactare extantibus NAZARENVS RE. & totidem Græcis, ac nonnullis Hebraicis. quod eadem tabella ſectione fuerit diuiſa, vt portionum eius partes, ad alias Chriſtiani Orbis Eccleſias mitterentur. Quamobrem ſanè non eſt, cur Caluinus, cæterique hæretici, ſacrarum Reliquiarum impij contemptores, & hoſtes, vel minimum quidem vmbræ, & caliginis offudiſſe, aut in dubium reuocaſſe putẽt ſinceritatem, & veram eſſentiam huius precioſi, ac ſacratiſſimi pignoris, quod Roma tenet, certiſſimum Chriſti triumphi, eiuſque Crucis viuificæ teſtimonium, dum aſſerunt, Titulum S. Crucis Tholoſſæ, alijſque Chriſtianitatis vrbibus reperiri. Nam id optimè congruere poſſe concedimus, partes eius ſcilicet, quæ Romæ deſunt, illic aſſeruari. *Iacobus Boſſius lib. primo de Cruce c. 11.*

V. *Cuſpis Lanceæ Chriſti, à*

Opportunè ſanè, hoc anno 1492. lætitiam Innocentij P[illegible], & C[illegible]leri, Populique Romani cumulauit [illegible] Dominicæ paſſionis inſtrumentum, à Baiaſite T[illegible] Imperatore dono miſſum. Illi ipſi





*Turca donatur Innocentio Pontifici.*

tres Ciues Romani narrant hoc, quod adiungo. *Die vltimo menſis Maij, in die Aſcenſionis, intrauit in Vrbem Orator magni Turcæ, qui donauit lanceam, vel ferrum lanceæ Longini, cum quo fodit latus Domini noſtri Ieſu Chriſti in Cruce: & fuit accepta à Pontifice, & toto Clero proceſſionaliter, ab Eccleſia S. Mariæ de populo, vſque ad S. Petrum, & erat incluſum dictum ferreum in quodam tabernaculo pulcherrimo chriſtalli, cum pede, & alijs ornamentis puri auri. & fuit res magnæ æſtimationis, & forma eius eſt deſignata in propria forma ipſius: & cuſpis eius eſt apud Regem Franciæ, prout ipſemet Turca nunciauit Papæ per dictum Oratorem. ex notis diarijs Infixura &c.*

VI. *Aliqua narrãtur de Chriſti lancea.*

De eadem lancea, ſicut & alijs Chriſti necis inſtrumentis, Andreas Hieroſolymitanus, Cretenſium Archiepiſcopus, in Comment. de precioſæ Crucis venerabili exaltatione c. 5. memorabat. *Poſtquam*, ait, *poſt mortem in Cruce ſuſceptam, vita, & mortis Dominus poſt tres dies reuixit, inuidiæ ſtimulis puncti Iudæi, & timore affecti, ne quid ex rebus illis Sacroſanctis, quæ fuerunt in illa veneranda, & beata paſſione, ſeruatum, Iudæos quidem vlciſcendi eſſet inſtrumentum, cuſtodiendi autem eos, qui crederent in Chriſtum; ea defoderunt in intimis terræ finibus, illic deponentes imprimis precioſum theſaurum, Crucem, inquam, & omnia, quæ ad Crucem pertinent, nempè clauos, & lanceam, & quem in Cruce Pilatus ſcripſit, & affixit titulum.* Reperta poſteà eſt hæc, eadem lancea ſanctiſsima à glorioſa Helena, Conſtantini matre, cùm ſanctam Crucem, titulum, & clauos inueniſſet, vt diximus ſuperiùs. In peruetuſto illo libello, cui titulus eſt, *De locis ſanctis*, à venerabili Beda in compendium redacto, legitur, lanceam hanc Hieroſolymis, in porticu Templi Sanctiſsimi Sepulchri, Cruce quadam lignea incluſam aſſeruari ſolitam ea veneratione, qua ibidem his verbis innuitur: capite ſecundo, *Lancea militis inſerta habetur in Cruce lignea, in porticu Martyrij, cuius haſtile in duas interciſum partes, à tota veneratur ciuitate.*

*Miraculosè Chriſti Lancea reperitur.*

Poſt longam annorum ſeriem, hæc ipſa lancea Sacratiſſima, Antiochiæ per miraculum reperta eſt, vertente noſtræ Salutis anno M.XC.VIII. dum illa Ciuitas, arctiſsima obſidione oppugnaretur à Corbagar, ſiue, vt Hiſtorici noſtri ſcribunt, Corbana, Perſarum Regis copiarum Imperatore, qui cum validiſsimo Turcarum, & aliorum barbarorum exercitu mouiſſet è Perſide, vt Antiochiæ ſubſidio eſſet, contra Gotfriedi Bullionis, cæterorumque Principum Chriſtianorum exercitum, qui ex Occidente, validiſsimis copijs inſtructi, ad Terræ Sanctæ recuperationem proficiſcebantur, illic adeſſe non potuit, niſi poſt eandem à Chriſtianis vrbem expugnatam. (Verum ingenti exercitus ſui multitudine confiſus), illam obſidione vallauit; atque intra paucos dies, obſeſſos Chriſtianos, ad ſummam rerum omnium difficultatem, & annonæ caritatem reduxit. Dum verò Chriſtiani his coarctarentur anguſtijs, Presbyter quidam, Petrus nomine natione Prouincialis, Maſsilia oriundus, Podienſem Epiſcopum, qui Legati Apoſtolici munere fungebatur, & Toloſæ Comitem adijt, aſſerens, Beatum Andream Apoſtolum, per quietem ſibi apparuiſſe, ac ter, quaterque eum monuiſſe, vt Principes Chriſtianos Antiochiæ obſeſſos commonefaceret, de lancea, qua Dominicum latus in Cruce perfoſſum fuerat, diligentiſsimè perquirenda, quæ in æde Diui Petri eiuſdem vrbis altè obruta, abditaque latitabat; certiſque indicijs locum, vbi reperiri poſſet, deſignaſſe: affirmans, eundem Sanctum Apoſtolum multis comminationibus atque terroribus ad eam legationem ipſis deferendam impuliſſe; quam tamen cum ſibi timens diutius detrectaſſet, eò quod pauper, & humilis, nulliuſque authoritatis, & æſtimationis, homo eſſet, vrgentiſſima demum eiuſdem Apoſtoli iuſſione, mortem ipſi minitantis, ſi id differre diutius auderet, compulſum atque coactum prodidiſſe. Podienſis autem Epiſcopus & Toloſæ Comes, cæteris Principibus omnia, quæ maſſilienſis Presbyter dixerat, ſecretius communicantes, eundem præſentem conſtituunt, vt totam viſionis ſeriem ijſdem quoque Principibus, ſicut & ipſis ore proprio exponeret. Qui cum verbis eius fidem adhibuiſſent, ad Principis Apoſtolorum Eccleſiam, omnes ſimul confeſtim acceſſere; terraque eo loco, vbi presbyter innuerat refoſſa, ingenti omnium admiratione, lanceam, quam prædixerat, re vera inuenerunt. Qua eruta, multitudinis clamor in cælum ſublatus eſt, approbationis religioniſque plenus; & Deo Opt. Max. laudes atque ingentes gratiæ referebantur; & quaſi feliciſſimum quoddam victoriæ præſagium è cælo ijs deſcendiſſet, ingenti lætitia, & certiſſimæ liberationis, atque victoriæ ſpe omnes repleti ſunt. Quamobrem triduano ieiunio indicto, ac pijſſimè expleto, ſacraque confeſſione peccatis expiatis, diuina Euchariſtia refecti, & communiti, vrbe explicatis vexillis egrediuntur, Podienſi Epiſcopo, & Apoſtolico Legato, ſacram lanceam reuerenter manibus deferente; tantaque animi alacritate, atque virtute inimicum exercitum adorti ſunt, vt prælio commiſſo fregerint, & fugarint, Barbaris ſupra centena millia, vt ſcripto quidam prodidere, deſideratis. In quorum caſtris adeo ingens diuitiarum copia inuenta eſt, vt precioſis, opimiſque ſpolijs omnes onuſti, Antiochiam ſint reuerſi. Vbi propter affluentiſſimam omnis generis commeatuum copiam, in eiſdem caſtris repertam, ex ſumma frumentaria rei caritate, omniumque rerum inopia, admirabilis annonæ vilitas repente conſecuta eſt. Admirabilem hanc ſacratiſſimæ lanceæ inuentionem, plerique eorum temporum hiſtorici ad poſterorum memoriã prodidere; atq; inter cæteros præcipuè, *Guilelmus Tyrienſis Archiepiſcopus in ſua de bello ſacro hiſtoria lib. 6. cap. 14. Robertus Monachus, qui adſuit. lib. 7.* & pòſt hos *Blondus dec. 2. lib. 4. Paulus Aemilius de rebus geſt. Franc. lib. 4. S. Antoninus Florentiæ Archiepiſc. de bello ſacro c. 13. §. 5. Nauclerus generatione 35. Platina in vita Paſchalis II.* atque alij complures.

VII. *Veritas Sanctæ Chriſti miraculo probatur.*

Narrat Tyrienſis Archiepiſcopus aliud inſigne miraculum, quod huius lanceæ ſacratiſſimæ occaſione Dominus operari dignatus eſt. Nam poſteaquam Antiochiæ reperta fuerat, parta quam ſupra narrauimus victoria, cum inter Principes, ac Proceres illos Chriſtiani exercitus, magna æmulatio, & inuidia coorta eſſet, ac penitus ſerperet; quidam familiaris, & Capellanus Normãnorũ Comitis, Arnolphus nomine, vir litteratus quidẽ, ſed quẽ morum peruerſitas, ac diſſeminãdi tumultus, & ſcãdala exagitabat auiditas, crebris in populum, atque exercitum diuulgare cæpit ſermonibus, lanceæ ferrum illud in Diui Petri Antiochena Baſilica repertum, reuera nõ illud verum ferrum lanceæ illius ſacratiſſimæ exiſtere, quæ Domini noſtri latus in Cruce aperuit; verum inuentionem ferri huius, callidum, atque aſtutum commentum quoddam Toloſſani Comitis extitiſſe, eliciendi inde quæſtus gratia, cum Presbyter ille, qui inuentionis huius author fuerat, ipſius Comitis familiaris eſſet. Qui quidem ſermones, magni ſuſurri, atque altercationis excitandæ ſeminarium extitere. Quare cunctus exercitus, & populus in duas factiones diuiſus, magnis diſceptationibus implicabatur; altera ex duabus partibus conſtantiſſimè affirmante, ac defendente, illam verè Chriſti lanceam eſſe, diuinoque afflante Spiritu reuelatam, ac pro illius obſeſſi populi ſolatio repertam; altera vero contra, commentitiam fabulam, & callidum Toloſſani Comitis conſilium id extitiſſe, pertinaciter contendente. Quamobrem optimus ille Sacerdos, qui eiuſdem lanceæ inueniendæ auctor fuerat, incredibili mærore animi angebatur, atque diſcruciabatur; ſanctè affir-

mans, & iureiurando in animum ſuam ſeſe deuinciens, nullam in eo negotio fraudem, aut dolum interceſſiſſe, ſed para reuelatione diuina, lanceam eandem pro Chriſtiani populi ſubſidio ſibi commonſtratam: atque vt ſinceræ veritatis illius incredulis fidem aſtrueret, ignem ſe ingreſſurum pollicebatur. Die igitur Veneris, paſſionis Domini memoriæ ſacro, ingenti lignorum ſtrue, eo iubente, coaceruata, & igne ſuccenſa, cuius horribilis flammæ proſpectus, vel ipſis intuentibus terrorem incuteret: cùm bonus ille Sacerdos, qui Presbyter Petrus Bartholomæi de Maſſilia appellabatur, accepta in manibus lancea, vniuerſo circumſtante populo, atque exercitu, qui vt tremendum illud flammæ iudicium, ac probationem conſpiceret, incredibili auiditate, & curioſitate eò confluxerat, poſtquam genu flexus aliquantiſper oraſſet, ſigno Crucis ſemuniens, animosè, atque intrepidè ingens, & horribile incendium illud ingreſſus eſt: ex quo ſaluus, & incolumis exiuit. Inde plebs ingenti illo miraculo obſtupeſcens, admiratione, ac religione percita, tanta auiditate eum tangendi, ac manus ipſius deoſculandi, in illum indiſcretè irruit, vt oppreſſus, ac totus contuſus, paucis inde exactis diebus diem ſuum clauſerit extremum. Eadem narrat. P. *Æmilius.*

VIII. *Eadem Chriſti lancea ad varia loca defertur.* Delata deinde eſt eadem lancea ſacratiſſima, ad Conſtantinopolitani Imperatoris dominium, & in Regia vrbe integrè, & ſanctè ſeruata; donec Balduinus huius nominis ſecundus, quintus ex Gallis Conſtantinopolitanus Imperator, ærarij inopia compulſus, Venetis proprium filium ob æs mutuò acceptum, pignori dedit; partemque (ſcilicet cuſpidem lima deſectam) lanceæ, ſpongiamque eadem ſub conditione tradidit. Quas poſteà Ludouicus Francorum Rex, cùm ipſe Balduinus redimere non poſſet, ab ipſis Venetis, Balduino permittente redemit, & in Franciam perduxit, vt Philippus Bergomenſis in Chronic. ſupplemento, libro decimotertio anno 1240. teſtatur. Reſiduum eiuſdem ferri ſacratiſſimi, in Eccleſia Sancti Ioannis de Petra, Conſtantinopolitanæ Ciuitatis, magna veneratione aſſeruatum fuit: donec vrbs ipſa, Chriſtianorum peccatis ſic exigentibus, in Mahumetis ſecundi Turcarum Imperatoris poteſtatem venit, ſalutis noſtræ anno M.CCCC.LIII. Tunc enim ſacrum pignus hoc, vnà cum alijs ſacroſanctis reliquijs, in victoris tyranni poteſtatem redactum eſt. Nam cùm idem Mahometes non ignoraret, multa gaza, rerum eximiarum copia, lauta, & eleganti ſuppellectile eiuſdem Imperatoriæ ciuitatis ſacras ædes eſſe refertas: publico præconis edicto, mortis pœnam non obtemperantibus comminatus, iuſſerat, omnes Eccleſiarum reliquias, & ornamenta, vnà cum Imperatoris theſauro ſibi intacta, inuiolabiliter reſeruari. Quamobrèm omnes confeſtim Sanctorum reliquiæ, omnes gemmæ, aurum, argentum, omniſque pretioſus Eccleſiarum ornatus, vnà cum tota ſuppellectile, aureis, argenteiſque vaſis, ac gemmis in Imperatorio theſauro repertis, victori tyranno allata ſunt; ac inter ea præcipuæ ſacratiſſimæ lanceæ ferrum, quod vnà cum alijs ſacris pignoribus, in magni Turcæ ærario aſſeruatum fuit, vſque ad hæc tempora Baiaſitis, qui habendi fratris Zizimi, Romæ apud Innocentium ſeruari cupidus, ſuadente Petro Dabuſſonio Cardinale, Rhodiorum ſupremo Magiſtro, donum Pontifici, per ſuum Oratorem miſit. Antequàm Orator Vrbem ingredi permitteretur, Anconæ, ita diſponente Pontifice aliquantùm ſubſtitit, donec de excipiendo ferro deliberaretur.

Sex Cardinalibus Pontifex commiſerat, vt in veritatem rei inquirerent, & de modo pompæ decernerent. Viſum nonnullis, non eſſe fidem adhibendam, præſertim in re tanti momenti, Chriſtianitatis hoſti. Alij Pariſiis, quidam Norembergæ ſacram aſſeruari lanceam aſſerebant, eamque à Baiaſite miſſam in dubium vocabant. De Norembergenſi; ex Sigeberto, & auctore vitæ S. Gerardi Bronienſis Abbatis dictum; illam non Longini, ſed magni Conſtantini Imperatoris, clauis Iesv Chriſti Crucifixi ſanctificatam eſſe. De Pariſienſi: cuſpidem tantum, ab hac, quam Baiaſites mittebat, lima deciſam, non autem reliquum ferri videri. De fide Baiaſiti habenda, concluſum, non eam debere in dubium vocari, ſponſore, & interprete tanto Cardinali, qui Turco perſuaſerat, vt mitteret. Certum & indubitatum apud eum fuiſſe, & eſſe, idque à quotidianis commercijs, & miſsionibus Conſtantinopolitanis, inter eum ipſum, & Baiaſitem intercedentibus, præſertim verò Chriſtianorum, qui in eadem vrbe, vel Pera exploratum, lanceæ ferrum Dominicæ in theſauris Turcicis ſeruatum: idq;, non ita pridem vrbe in ſeruitutem Turcicam redacta, à Venetis apud Mahumetem expetitum, neq; tamen habitum; quanquam xv.m. nummum aureorum Imperatori repræſentare voluiſſent. Ex hiſtoricorũ deinde narrationibus conſtare Imperatores Orientis olim Chriſtianos, magno in pretio; & honore iſtud ipſum ferrum habuiſſe: & eapropter Baiaſitem, velut cymmelium inæſtimabilis venerationis, ſummo Chriſtianorum Hierarcho deſtinaſſe, demerendo illi in re tanti momenti, quanta eſſet Zizimi conditio: ex quo, vel pernicies vel ſalus Turcici imperij pendere videretur: ſi arbitro Pontifice, vel in ſacrum bellum duceretur, vel Baiaſiti mitteretur. Decreto: Fidem adhibendam eſſe quantumuis barbaro, Pontifex Archiepiſcopum Arelatenſem, atque Epiſcopum Fulginatem, Anconam præmiſit, qui lanceam ab Oratore Turcico exceptam, vaſi chryſtallino ad id parato includerent, & ſolenni ritu, à ciuitate, in ciuitatem, Narniam vſque in proceſſione deferrent. Ad eam ciuitatem, duos Cardinales Legatos, Ruuereum, & Luſitanum, obuiam ferro ire iuſsit: & ad diem Aſcenſionis Dominicæ, publicata totius Cleri vrbani, & populi ſupplicatione, comitante Sacro Senatu, cum Oratoribus Regum, ac Principum, vniuerſo Clero ſacram pompam induto, ad portam Flaminiam vſque proceſſit. Cùmque ſacram ferens lanceam Ruuereus non multum abeſſet, Innocentius extrà portam quinquaginta circiter paſſus pedes iuit: illaque de manu Cardinalis accepta, genu in terra poſuit, oſculum antea impreſsit, & omnia deuotionis religioſæ officia erga illam complexus, ſub vmbella aurea, in vrbem ſupplicantis in modum intulit. Præibat, & ſequebatur omnis ordo, omnis ſexus, vſque ad Baſilicam Vaticanam, vmbellam ſuſtinente aliquantùm Principe Capuano, filio Alphonſi Ducis Calabriæ, quem Ferdinandvs auus, Rex Neapolitanus, Romam miſerat, fœderibus cum Innocentio ſanciendis, & paci, quæ ad XXVIII. Ianuarij publicata fuerat, ſtabiliendæ. Iſtud ferrum, ſimile eſt forma ferro prælongarum haſtarum, quas antiqui Sariſſas, noſtrates picas appellant, niſi quòd in eo cuſpis delimata deſideretur, Pariſijs in Regio Sacello, aſſeruata. Fuit idem ferrum ſacratiſsimum ab eodem Pontifice, in ſuum ipſius cubiculum, ad tempus aſſeruandum, delatum, ab ipſo priùs coràm illo, in Diui Petri Baſilica, fuſis de more precibus; & populo, qui frequentiſsimus





eò conuenerat, elargita cum ipſo benedictione. Erat enim illi in animo tantiſper apud ſe detinere, donec ſumptuoſiſſimum Sacellum in ipſa Diui Petri Baſilica collocando eidem extrueret. Cæterùm mors præmatura, cogitationes magnificas diſſipauit. Vnde, quod illi ipſi tres ciues ſcripto conceperunt, *die Lunæ, 16. menſis Iulij, Sanctiſſimum ferrum, quo fuit D.N. perfoſſus, Cardinales, & Collegium, de camera dicti Pontificis in Eccleſiam S. Petri portauerunt, & loco, vbi incluſum eſt Sudarium, vna cum dicto Sudario collocauerunt.* Seruabatur illic ſumma cum veneratione, donec impellente neceſſitate vetere Baſilica diruta, in nouam, à Paulo V. tranſlatum eſt, & vna cum Sudario vultus Sancti loco eminentiſſimo, è regione Confeſſionis S. Petri repoſitum: quod ſolennioribus diebus populorum venerationi oſtenditur. *Infixura in Diar. Viallardus in Innoc. 8. I. Boſsius lib. 1. de Cruce. c. vlt.*

IX. *Pax fit inter Pōtificē & Ferdinādum Neapolit. Regem.* Dictum eſt, pacem fuiſſe renunciatam, inter Pontificem & Neapolitanum Regem; eique ſtabiliendæ, Ferdinandum, Principem Capuanum, Ferdinandi Regis ex Alfonſo filio, Duce Calabriæ nepotem Romam veniſſe. Ingreſſus ille die 27. Maij huius anni in Vrbem, & ad conſpectum Pontificis in Conſiſtorio publico adductus, veniam præteritorum patri, & auo precatus eſt. Vehementer ſibi vterque metuebat ab irato Pontifice, nè hoc, quod parabatur ſecundo bello de regno & vita periclitarentur. Dignitatem & Maieſtatem Eccleſiaſticam grauiſſimè offenderant; vel maximè, quando Pontificatus, pretio concederent. Inter alia premebantur infamia, quando Tarentinam Eccleſiam, XIII. millibus aureorum Hebræo cuidam vendiderant; quam is pro filio ſuo, quem Chriſtiana ſacra ſuſcepiſſe mentiebatur, coemerat. Aenaria quoque inſula, ſanguine viginti quattuor Procerum Neapolitanorum hauſto, vindictam flagitabat: quod à ſanguinario Alfonſo, iubente, vel ſaltem conniuente Rege, innocentes criminum, viri illuſtres, affinitatibus etiam Ferdinandi Regis florentes, fidei duorum Regum nimis fidentes, ibidem per ſummam perfidiam occubuiſſent. Iam Rex Galliarum, tam à Pontifice, quàm à neceſſarijs occiſorum ſollicitatus, arma parata oſtentabat. Ergo nè vltima adire cogerentur, ad concordiam inclinarant: Pontifex quoque bellum Turcicum magis cogitans, Pacenſe, & Aſturicenſe Epiſcopis, à Ferdinando Rege Caſtellæ Oratoribus miſſis ſuadentibus, ſanguini Chriſtiano parcendum ſtatuit; & Principem Capuanum tam benignè habuit, vt non tantum veteres offenſas Ferdinando, & Alfonſo, ex animo remiſerit, cenſuriſque Eccleſiaſticis illos exſoluerit, verum etiam, tam Alfonſo Duci Calabriæ, quam Ferdinando eius filio, Principi Capuano, Regnum Neapolitanum certis ex formula conditionibus conceſſerit, nec non Baptiſtinam ſuam gentilem, Ludouico Aragonio, Marchioni Hieracenſi, Regis, & Principum agnato in matrimonium collocauerit: præſentibus ad ſolennitatem Cardinalibus, Beneuentano, Senenſi, & Ruuereo, cum Franciſco Cybo, Principe Capuano, Duce Amalfitano, & XL. Proceribus. Receperat in ſe Rex Ferdinandus, vectigal annuum Sedi Apoſtolicæ ex pacto ſoluere. Eccleſiarum diſpoſitionem, & curam Pontifici relinquere: cæſorum filijs, vel hæredibus ſatisfacere: Franciſco Cybo aliquam in regno Neapolitano Toparchiam concedere: & in bellum Turcicum omnes vires conferre. *Infixura in notis diarijs. Vialardus in vita.*

X. *Dux Lotharingiæ Renatus, Siciliæ, & Neapolis regna ſibi adiudicari poſtulat.* Quibus peractis, Ioannes Briellus Primicerius Metenſis, & Archidiaconus Tullenſis, à Renato Duce, Romam miſſus, pro tuendis Neapolis, & Siciliæ iuribus, illius nomine coram Innocentio Pontifice in hunc modum proteſtatus eſt.

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Amen. Anno à Natiuitate eiuſdem 1492. die verò louis 22. menſis Iunij Pontificatus Sanctiſsimi D. Noſtri, Domini Innocentij diuina prouidentia Papæ 8. Anno 8. Reuerendiſſimis Dominis Sanctæ Eccleſiæ Romanæ Cardinalibus, & coràm ipſo Sanctiſsimo D. N. Papa adſtantibus ibidem pleriſque Prælatis, Regum, & magnorum principum, & magnatum ambaſsiatoribus, inque mei notarij publici, & egregiorum teſtium infraſcriptorum præſentia perſonaliter flexis genibus, ac aliàs cum ea, quam in tanto conſpectu, & actu decet reuerentia conſtitutus Reuerendus Pater, Dominus Ioannes Brielli, Sedis Apoſtolicæ Protonotarius, Vtriuſque Iuris Doctor, vt Illuſtriſsimi Principis, & Renati Ducis Sereniſsimi, in Romana Curia, & apud eandem Sedem Apoſtolicam Orator, & procurator, prout de ſuæ procurationis mãdato manu propria ipſius Ducis ſubſcripto, & magno eius ſigillo cereo ſigillato, & ſigno manuali Michaelis, eiuſdẽ Ducis, Secretarij ſignato, vt mihi notario facta fides legitima extitit, habens idem R.dus Pater D.nus Ioannes Brielli Orator, & procurator præfatus, ac in ſuis tenẽs manibus certam papyri cedulam ſuumque ſermonẽ in, & ad perſonam memorati Sanct.mi Domini Noſtri Papæ ibidem, vt præmittitur, præſentis, & audientis, aduertentis, & intelligentis dirigens hæc verba, vel ſaltem in effectu ſimilia, exorſus eſt, & dixit. Beatiſſime Pater, nuperrimè, vt aſſeritur, Sãctitas veſtra quandam inueſtiturã aliàs per prædeceſſores Veſtræ Sanctitatis, de regno Siciliæ citrà Pharum in perſona Domini Ferdinandi de Aragonia, factã cõfirmauit, ac etiam de nouo Alphonſum, filium eiuſdem Ferdinandi Ducem Calabriæ, & Ferdinandum eiuſdẽ Alphõſi filium principem Capuæ vulgariter nuncupatos, de eodem regno, in graue damnum, & præiudicium Ill.mi Principis & Domini mei, Domini Renati, Ducis Lotharingiæ, ad quem de Iure regnum ſpectat, & pertinet. Ideo ego Orator, & Procurator eiuſdem Ill.mi Principis, & eius nomine, recurro ad pedes Sanctitatis Veſtræ proteſtans, appellans, & querelans de omnibus ijs per veſtram Sanctitatem factis, & actis, quẽadmodũ in hac præſenti meæ app.nis, reclamationis, recurſus, & querelæ cedula pleniùs continetur. Clementiſsime Pater, licet Regnum Siciliæ, citra Pharũ, Neapolitanum vulgariter nũcupatum, per varias & reiteratas conceſsiones, & inueſtituras diuerſis prædeceſſoribus Ill.mi D. Renati, Lotharingiæ Ducis, dicti regni regis à ſancta Sede Apoſtolica, atque pluribus Sanctitatis veſtræ prædeceſſoribus ritè, & ſolenniter factas, ac aliàs Iure legitimo ſpectauerit, & pertinuerit, deq; ipſo regno, Iuribus, honoribus & emolumẽtis eiuſdem per tempora etiam memoriam hominum excedentia notoriè gauiſi fuerint, & pacificè diſpoſuerint, eidemq; Domino Renato Regi, tàm virtute dictarũ conceſsionũ, & inueſtiturarũ, quam alias legitimè de prœſenti ſpectet, & pertineat, q nulla poteſt tergiuerſatione occultari, eundemq; Sanctitas Veſtra ipſum Dominum Renatum placres, poſtquã fuit ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumpta, non immemor iuris ſibi in dicto regno competentis, pro vero, & indubitato rege dicti regni, non ſolũ putauit, ſed etiam publicè nominauit, & reputauit, prout etiam ab alijs continuo pro vero Rege dicti regni, tàm in Italia, Francia, Germania, quã reliquis mundi partibus fuit nominatus, & reputatus, prout adhuc de præſenti nominatur, & reputatur. Nihilominus tñ veſtra Clementia, quæ aſſiduè cognouit ipſum D. Renatum regem præfatum ſemper fuiſſe, & eſſe Sanctitatis Veſtræ, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ, & Sedis Ap.cæ deuotiſsimum, illiuſque mandatorum obedientem filium, & obſeruantiſsimum, nec vnquàm perpetraſſe, propter q ab huiuſmodi ſuo Iure ceciderit, ſed etiã ad obtinendũ, & regendum d. regnum ſemper fuiſſe, & eſſe habilem, nẽ ſciatur, qua de cauſa mota fuerit, niſi ad importunam neceſsitatem Domini Ferdinandi de Arago-

nia, dicti regni occupatoris, & detentoris, Alphonſique eius filij, & Ferdinandi ſe nominantis principem Capuæ, ipſius Alphonſi filij prout ab aliquibus aſſeritur nuperrimè prætenſam Inueſtituram, vt dicitur per aliquem, ſeu aliquos Romanos Pontifices in perſonam dicti Domini Ferdinandi, de dicto regno, & illius dominio factam confirmauit, & vltra hoc, Alphonſum dicti Ferdinandi filium, & Ferdinandum eiuſdem Alphonſi filium prænominatos, ipſo Domino Renato. cuius præcipuè intererat: & Domino Ioanne Brielli vtriuſque Iuris Doctore, dictæque Sedis Protonotario, ipſiuſque Renati regis Regni prædicti oratore, & procuratore, in Curia Romana continuò præſente, ad obuiandum, & cauſam, ſi quam haberent, quarè talia fieri non deberent, allegandum, minimè vocatis, nec auditis, nec intellectis Iuribus, rationibus, & cauſis, in, & ſuper dicto regno ipſi Domino Renato, iure legitimo, & valido competentibus, etiam de nouo inueſtiuit, in graue damnum, & præiudicium dicti Domini Renati, & boni iuris ſibi in dicto regno competentis. Cùm autem Beatiſſime Pater, credatur, quòd Sanctitas veſtra in præiudicium dicti Domini Renati, & eius boni Iuris in dicto regno competentis, habeat ſibi, aut poſteris ſuis in præſentiarum, aut forſan lapſu temporis quoquomodo præiudicare, idem Dominus Ioannes Brielli, vt tanquam Orator eiuſdem Domini Renati, ab omnibus per Sanctitatem veſtram, ſicut præmittitur, contra eundem Dominum Renatum, & bonum ius in dicto Regno ſibi competens, coneque dicto eius Oratore auditis, intellectis, nec vocatis, grauaminibus, vt præmittitur, factis, non ſolùm in his ſcriptis prouocat, & appellat, ſed etiam grauiter querelat, ac ſe grauatum dicit, & grauatum denunciat, dictoque nomine ad pedes eiuſdem Sanctitatis Veſtræ, & ſanctam Sedem Apoſtolicam, cuius ſententia conſueuit in melius commutari, tanquàm grauatus, & oppreſſus humiliter recurrit, vt talia ſic contra eundem dominum Renatum geſta, prout de facto videntur proceſſiſſe, de facto etiam tollantur, & quòd Dominus Renatus in ſuo bono iure conſeruetur, nec in aliquo ſibi præiudicetur. Cùm benigna tamen ſupportatione veſtræ Sanctitatis, ac aliàs proteſtatur de latiùs querelando, & ius dicti Renati ſui DOMINI, prout ſibi viſum melius fuerit, tàm in genere, quam in ſpecie, & generaliter eorum de perſequendorum apud eandem ſedem Apoſtolicam loco, tempore, congruis, & opportunis, humiliter veſtræ Sanctitati ſupplicans & requirens, vt ſuper præmiſſis dignetur reſponſum ſub literis authenticis eiuſdem Sanctitatis veſtræ dare, atque concedere, aut dari, & concedi facere. Et præmiſſa proponit, exponit, narrat, dicit, petit, querelat, prouocat, recurrit, & proteſtatur dictus orator, quo ſupra nomine, tàm coniunctim, quàm diuiſim, ac aliàs omnibus melioribus modo, via, iure, cauſa, & forma, quibus meliùs de iure poteſt, & debet ſaluo iure addendi, &c. & proteſtatur de corrigendo præmiſſa, quatenùs opus, & iuris fuerit. Quam quidem cedulam Sanctitati Veſtræ præſento, offero, & exhibeo, & in ſignum veræ præſentationis, oblationis, & exhibitionis, eam in manibus publici, Apoſtolici, & Imperialis notarij repono. Quibus ſic per Reuerendum patrem, Dominum Ioannem Brielli oratorem, & procuratorem prædictum, huiuſmodi oratorio, & procuratorio nominibus, dictis propoſitis, & factis, prælibataque cedula, vt præmittitur, præfato ſanctiſſimo Domino Papæ præſentata, oblata, exhibita, atque in manibus meis fideliter repoſita, ipſe Dominus Ioannes, quo ſupra nomine petijt à me notario ſæpè dicto, quin, & teſtes infraſcriptos de hoc inſtantiùs rogauit, & requiſiuit, vnum, & plura, iam dictæ cedulæ, & ſuæ procurationis mandati inſertionibus, de, & ſuper præmiſſis omnibus, & ſingulis tradi inſtrumentum, & inſtrumenta. Acta Romæ in Palatio Apoſtolico, die, & menſe, quibus ſupra, adſtantibus quibuſdam inter cæteros prænominatis, & alijs pluribus notabilibus, & Clariſſimis Viris, necnon Domino Cardinale Senenſi, Domino Cardinale Sancti Georgij, Domino Archiepiſcopo Florentino, Domino Archiepiſcopo Antibarenſi, Domino Laborenſi, oratore Regis Franciæ, Domino Ioanne Tauone oratore Illuſtriſſimi Ducis Mediolani, & Domino oratore Venetorum, & Domino Epiſcopo, oratore Regis Anglorum, Domino Felino, & Domino de Perrerijs Auditoribus Rotæ vocatis, & rogatis & pluribus alijs teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, atq; rogatis. ſed, & Ioannes Briellus pro tuitione iurium Regni Neapolitani in gratiã Renati, quæ ſequuntur, ſcripto dedit Innocentio Papæ, Epiſcopo Carnotenſi, Domino de Gacuria, alijſque Chriſtianiſſimi Francorum Regis Oratoribus præſentibus.

Ad hoc, quòd Sanctitas Domini noſtri Papæ ſit informata de iure, quod regnum Siciliæ competit, Sereniſſimo Principi Domino, Renato, dicti Regni Regi moderno, ſciendum eſt, quòd bonæ memoriæ Rex Robertus quondam pacificus, & Dominus dicti regni habuit filium Carolum, Ducem Calabriæ, qui pòſt eum in dicto regno ſucceſſurus erat, prout apparet per teſtamentum dicti Regis Roberti conditam anno DOMINI 1443. Sed ipſe Carolus deceſſit antè obitum dicti Regis Roberti patris ſui.

Idem Carolus duas habuit filias, Ioannam primogenitam, & Mariam ſecundo genitam. Præfatus autem Rex Robertus, eandem Ioannam primogenitam dicti Caroli filij ſui per ſuum teſtamentum inſtituit in dicto regno Siciliæ hæredem vniuerſalem. Dictæ autem Mariæ ſecundo genitæ dicti Caroli legauit Comitatum Albæ.

Dicta verò Ioanna primogenita, & regina, quæ multos habuit liberos, certis de cauſis rationalibus mota (prout patet per bullas ſuper hoc confectas) petijt Licentiam à felicis recordationis Clemente Papa VI. adoptandi in filium ſuum, & hæredem inſtituendi in dicto regno in Dominum, Ludouicum Ducem Andegauiæ, auum Regis Renati moderni, & fratrem Caroli quondam Regis Francorum, aui Francorum Regis præſentis.

Prædicta licentia petita, & obtenta, prout conſtat per bullam dicti Clementis Papæ, datam anno Domini 1380. ipſa Ioanna adoptauit, & inſtituit hæredem præfatum Ludouicum, Ducem Andegauiæ: quam adoptionem confirmauit Papa Clemens, prout ſimiliter conſtat per bullam ſuper hoc confectam.

Dictas autem confirmationem, & licentiam approbauerunt, & ratificauerunt fælicis recordationis ALEXANDER Papa V. & Sacroſanctum Concilium Piſanum, quo Papa ALEXANDER inueſtiuit, & infeudauit de dicto regno, Regem LVDOVICVM II. patrem ipſius Renati Moderni. Et iſtas confirmationem, & approbationem iterum confirmauit, & approbauit Sacroſanctum Concilium Conſtantienſe, & ſimiliter Papa IOANNES antè ſuam depoſitionem.

Præfata quoque Maria ſecundo genita fuit matrimonio coniuncta cum Ludouico, Duce Duracij, ex quo matrimonio proceſſit Carolus de Duracio, aliàs de Lapas, & ex dicto Carolo proceſſerunt Ladislaus & Ioanna, qui Carolus, & Ioanna habuerunt, ſemper ius contradicendi in Regno, & partem illius obtinendi, videlicet contra Ludouicum Andegauiæ primùm appellatum Ducem illo nomine, auum Domini Regis Renati, qui temporibus ſucceſſiuè per plures annos Ciuitatem Neapolitanam, & magnam partem Regni obtinuerunt, & tenuerunt. De tempore verò fælicis recordationis Martini Papæ Quinti, ipſe Martinus conſiderans diuiſiones, & ſcandala, quæ oriri poſſent inter bonæ memoriæ Reginam Ioannam præfatam, & Dominum Ludouicum defunctum fratrem dicti Regis, de conſilio Reuerendiſſimorum Dominorum Cardinalium certam fecit ordinationem, & declarationem, per quam ſine præiudicio iuris tàm quæſiti in prædicto regno, regi Ludouico nouiſſimè defuncto, & ſuis ſucceſſoribus ordinauit, & declarauit, quod dicta Ioanna, Regina regnum prædictum teneret vita ſua Comite. Et poſt eius obitum dictus Rex Ludouicus Tertius, & ipſo decedente ſine liberis præfatus Rex Renatus per quod conſtat, quod iſtud regnum Siciliæ ſpectat, & pertinet ad eundem Dominum Regem Renatum, & non ad alium, quem Domina Regina Ioanna, & DOMINVS Rex Ludouicus præfati hæredem ſuum vniuerſalem in dicto regno inſtituerunt.

Quare cum præfatus Rex Renatus per præmiſſa in dicto regno ius habeat, pro parte Chriſtianiſſimi Francorum Regis, ac ipſius Regis Renati, Sanctiſsimo Domino noſtro Papæ ſupplicatur, quatenùs arrogationes, inueſtituras, & infeudationes præfatas confirmare, & approbare dignetur, & ipſum Regem Renatum habere in Regem Siciliæ, eumque dicti regni Regem nominare, & nominari facere, ſuiſque Ambaſſiatoribus, & Procuratoribus locum debitum; vt ſui prædeceſſores habuerunt, aſſignare, & aſſignari facere, prout alij Summi Pontifices fecerunt. Aliter ſi ſecùs fieret) Iuribus prædicti Regis graue præiudicium inferretur.

Et cùm prædictus Rex Renatus certis legitimè cauſantibus excuſationis impedimentis adeò, vt taliter ſit impeditus, quòd ad præſentiam dictæ ſanctitatis nunc venire nequeat, ſuum conſtituit ad infraſcripta procuratorem, & ſindicum, dignetur dicta ſanctitas ipſum recipere in ſuum, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubditum, & vaſſallum, homagiumque debitum Iuramentum per ſuum procuratorem ad hoc per eum legitimè conſtitutum acceptare, & recipere, & quæcunque alia circa hæc neceſſaria, & opportuna ordinare, & dictus Rex Renatus paratus eſt debitum ſuum, & quæcunque alia dictæ ſanctitati placentia facere. Et inſuper cùm præfatus Dominus noſter teneatur prædictis Renato, & Regno Siciliæ dare auxilium, & fauorem contra quoſcunque volentes prædictum regnum inuadere, vel occupare, dignetur dicta ſanctitas Regi Aragonum, qui dictum regnum inuaſit, ſub cenſuris, & alijs pœnis debitis iniungere, & mandare, vt de dicto regno diſcedat, eundemque Dominum regem Renatum non moleſtet directè, vel indirectè, nec non ei, & ſuis ſubditis det auxilium, & fauorem ad regendum, & gubernandum in pace prædictum regnum, & mandare principibus, & Dominis prædicti regni, vt ſibi tanquàm Regi ſuo vero, & naturali obediant.

Et quia nonnulli ſupradicti regni præfato Domino noſtro accepti eum, & Sanctam Romanam Eccleſiam acconciliantes non modicum fauorem acquiſiuerunt, Ciuitatemque Capuanam ſub fidelitate dicti Regis exiſtentem occupauerunt, & modò Regi Aragonum, homagium præſtiterunt, quod ſimiliter certi alij in dicto regno exiſtentes fecerunt, dicuntque dictum Regem Aragonum, ad dictum Regnum de licentia Sanctitatis prædictæ acceſſiſſe, ex quibus præfato Regi Aragonum, maximum augmentum, & fauorem impenderunt, & Prædicto Regi Renato præiudicium, & iacturam intulerunt. Dignetur Sanctitas prædicta, per Bullã ſuam declarare, præfatum Regem Aragonum, de ſuæ ſanctitatis licentia, vel mandato, ad dictum regnum non acceſſiſſe, nec præfatos Dominos, de dictis, licentia, & mandato hoc feciſſe, immò mandare præfatis Dominis, & alijs, vt præfato Regi Aragonum non obediant, & alia facere, quæ circà materiam ſunt neceſſaria. Et præfatus Rex Renatus offert cum dicto Regno, & alijs dominijs, & potentijs ſuis obedire eidem Sanctitati, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, vt verus filius, & ſubditus ſuus, eique ſeruire in quibuſcunque: vt fecerunt eius Prædeceſſores, & nouiſſimè dictus Rex Franciæ, & alij Domini regni Franciæ, dictus Dominus noſter ſupradicta faciendo ſe obligabit ad tollendum totius dubietatis offendiculum, & nodoſæ ambiguitatis ſcrupulum euitandum, in materia veri, & indubitati iuris Sereniſſimi Principis Domini Renati, Dei Gratia Hieruſalem, & Siciliæ Regis, &c. quod indubitanter habet, & haberi dignoſcitur in dicto regno Siciliæ tam in proprietate, quàm in poſſeſſione, & vt cunctis conſtet, & luce clariùs appareat, quòd præfatum regnum Siciliæ cum omnibus Iuris, & pertinentijs ſuis, eidem Domino Renato, eiuſque hæredibus, & ſucceſſoribus in perpetuum tàm maribus, quã fæminis reſpectiuè competit, ſpectat, & pertinet pleno iure, & non alteri præter antiquas infeudationes, conceſſiones, Inueſtituras, &c. de voluntate, & beneplacito claræ memoriæ Dominæ Ioannæ primæ, olim dicti regni reginæ, per Gregorium XI. Clementem VI. Alexandrum V. Ioannem XXIII. Succeſſiuè Romanos Pontifices, & pro Romanis Pontificibus in dicto regno tentos & habitos, & reputatos, factas de auctoritate duorum Conciliorum Generalium, Piſani videlicet, & Conſtantienſis confirmatas, Sereniſſimis Principibus Ludouico Primo, & Ludouico Secundo ſucceſſiuè, Domini Renati prædicti auo, & Patri, de quibus per literas Apoſtolicas, & à ſingulis Romanis Pontificibus, & Concilijs antedictis emanatas conſtat, & apparet notanda, conſideranda, & multum ponderanda ſunt, quæ in litteris Apoſtolicis Domini Martini Papæ Quinti, ſuper infeudatione, donatione, conceſſione, & inueſtitura felicis memoriæ, Domini Ludouici tertij, & præfati Domini Renati eius fratris, hæredis, & Succeſſoris, confectis contenta ſunt, expreſſè, ea videlicet, quæ ſequuntur.

Et primo ex tenore dictarum literarum Apoſtolicarum conſtat, quòd dictus Dominus Martinus voluit, & expreſsè ſtatuit, & ordinauit, quod præfatæ infeudationes, & inueſtituræ per dictos ſuos anteceſſores, eiſdem Ludouico primo, & Ludouico ſecundo, eorumque hæredibus, & ſucceſſoribus de dicto regno factæ & conceſſæ, in ſuo robore permanerent, nolens eiſdem in aliquo derogare; ſed eas conſeruare.

Item in prædictis literis expreſſe cauetur, quod dictus Dominus Martinus diſponendo de dicto regno in perſonam, ipſius Ludouici, hæredumque, & Succeſſorum ſuorum, & nominatim dicti Domini Renati, voluit tollere materiam contendendi de dicto regno omnibus, & ſingulis perſonis, quibuſcunque, exceptis Domino Ludouico tertio, & hæredibus ſuis, ſpecialiter dicto Domino Renato, & Carolo fratri ſuo, &c.

Item Præfatus Dominus Martinus motu proprio, ex certa ſcientia, de plenitudine poteſtatis cum conſilio, & aſſenſu fratrum ſuorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, ſuadente Sanctæ Eccleſiæ Romanæ vtilitate, pro pace, & quiete dicti regni, eiuſque Incolarum, aliiſque rationalibus cauſis, quæ præfatum regnum cum tota terra citra Pharum, omnibuſque Iuribus, & pertinentijs ſuis, eidem Ludouico Tertio, eiuſque hæredibus, & ſucceſſoribus, etiam ſi alteri ius in dicto regno non haberent; vel ius quæſitum non foret, eiſdem in feudum perpetuum conceſſit, & donauit totaliter, ac plenariè tranſtulit, & tranſportauit, ipſumque, & hæredes ſuos iam natos, & inpoſterum naſcituros inueſtiuit, volens, ſtatuens, & decernens præfatum regnum cum omnibus Iuribus, & pertinentijs ſuis eidem Domino Ludouico ſpectare, & competere, poſſeſſionemque ipſius habere, & habiturum eſſe, poſt obitum claræ memoriæ Dominæ Ioannæ Secundæ, tunc regnum poſſidentis pro ſe duntaxat, & ſuis liberis ex ſuo proprio corpore deſcendentibus; & non vltra, nec aliter.

Item quod fortius eſt, prædictus Dominus Martinus præfatum Dominum Ludouicum Tertium, pro ſe, & ſuis hæredibus de dicto regno præſentialiter inueſtiuit, & in perſona procuratoris ſui, ad hoc ſpeciale mandatum habentis vice, & nomine ipſius Regis, & admiſit ad homagium, & fidelitatis Iuramentum, ipſum Dominum Ludouicum, verum regem dicti Regni nominando, & pronunciando.

Item Idem Dominus Martinus antedictus non ſolum inueſtiuit & infeudauit Dominum Ludouicum in Regem dicti Regni, & ſuos hæredes, & ſucceſſores in genere, ſed etiam in ſpecie, & nominatim voluit, ſtatuit, & ordinauit, quod ſi forſan contingeret, dictum Dominum Ludouicum Tertium mori ſine liberis, præfatum Regnum cum omnibus Iuribus, & pertinentijs ſuis eidem Domino Renato eius fratri, liberè acquireretur, perueniret, & ſuccederet in eodem, ac pari modo DOMINVS CAROLVS eius frater Germanus, ſi dictus DOMINVS RENATVS ſine liberis moreretur.

Item ipſe DOMINVS MARTINVS pro maiori robore firmiter commiſit bonæ memoriæ, Franciſco Archiepiſcopo Narbonenſi eius Camerario, ac Vicario in partibus Aueniouenſibus, & vltramontanis, poteſtatem, & facultatem recipiendi fidelitatis Iuramentum à dicto Domino Ludouico Tertio, quod quidem Iuramentum idem Dominus Ludouicus in propria perſona fecit, & præſtitit in forma debita, in manibus dicti Domini Archiepiſcopi, prout per publica Inſtrumenta dicitur conſtare, quæ tamen in dictis literis non habentur inſerta.

Item quod præfatus Dominus Martinus ſuper dicto regno retinuit & reſeruauit certas penſiones annis ſingulis, ſoluendas certis diebus & terminis in dictis literis expreſſis per dictum Dominum Regem, eiuſque ſucceſſores, ac certos modos ſuccedendi in dicto regno circa graduum, & ſexuum qualitates, nonnullaque alia certa limitatione limitauit, ſtatuit, & ordinauit, prout in dictis litteris Apoſtolicis plenius continetur, & de quibus ad præſens non eſt multum curandum, cum ſint de rebus futuris, & caſibus necdum emergentibus.

Item prænominatus Martinus inter cætera voluit, ſtatuit, & ordinauit, quòd ſinguli dicti reges futuri, poſtquam dicti regni dominium adepti fuerint, Romano Pontifici, ac Romanæ Eccleſiæ teneantur homagium, Ligium facere, ac Iuramentum fidelitatis præſtare, ſi dictus Romanus Pontifex ſit in Italia infrà ſex menſes: ſi verò extra Italiam infra annum, & faciendo huiuſmodi Iuramentum expreſſum, teneantur facere mentionem de dictis literis ipſius Martini: voluit etiam eſſe in optione dicti Romani Pontificis, ipſum regem vocare perſonaliter ad præſtandum huiuſmodi Iuramentum, dum tamen ad hoc ipſi regi tutum locum ſtatuat, & aſſignet, vel aliquem mittere Cardinalem, aut alium ad huiuſmodi fidelitatis Iuramentum recipiendum vice, & nomine ſanctæ ROMANAE ECCLESIAE, ac Romanorum Pontificum, qui ſunt pro tempore

Item quòd præfatus Rex in dicto Regno futurus, dabit, ſeu dare tenebitur priuilegium ſuum aurea bulla bullatum Romano Pontifici, & dictæ Romanæ Eccleſiæ, in quo proprio Iuramento fatebitur, & recognoſcet expreſsè prædictum regnum Siciliæ, & totam terram, quæ eſt citrà Pharum, vſque ad confinia terrarum Romanæ Eccleſiæ, excepta ciuitate Beneuentana cum Territorio, & pertinentijs ſuis, quæ Romanæ remanebit Eccleſiæ, ex ſola gratia, & mera libertate Sedis Apoſtolicæ, ipſi Regi, eiuſque heredibus de nouo fore conceſſa, ipſumque regem recepiſſe, & tenere regnum, & Terram huiuſmodi à Romano Pontifice, ac Romana Eccleſia prædicta ſub pactis, modis, & conditionibus in dictis literis Apoſtolicis ipſius Domini Martini contentis, & expreſſis.

Itèm præmiſſa omnia in dictis literis Apoſtolicis contenta, & expreſſa decreuit, voluit, ſtatuit, & ordinauit in perpetuum valitura, ac plenam, ac perpetuam obtinere roboris firmitatem, motu, ſcientia, poteſtate, conſilio, & aſſenſu, quibus ſupra.

Itèm decreuit irritum, & inane totum, & quicquid per dictam Dominam Ioannam 2. tunc viuentem, & poſſeſſionem dicti regni incumbentem, aut quemcunque alium, aut qualitercunque ſcienter, vel ignoranter in contrarium iam foret attentatum, vel in futurum contingeret attentari. Non obſtantibus quibuſcunque conceſſionibus, infeudationibus, coronationibus, inueſtitutis eidem Dominæ Ioannæ, vel aliquibus ſuis prædeceſſoribus per ipſum Dominum MARTINVM, aut alios Romanos Pontifices de dictis regno, & terra factis, & conceſſis:

Itèm prælibatus Dominus Martinus caſſat, & reuocat ſpecialiter, & expreſsè, omnia iura, conſtitutiones feudales, conſuetudines Regni prædicti, nec non conceſſiones, infeudationes, inueſtituras, atq; coronationes antèdictas, quę, & quas haberi pro inſertis, & expreſſis, cęteraq; omnia, & ſingula in contrarium facientia, & per quæ præmiſſo-





rum effectus à quoquam poſſet impediri, vel differri.

Itèm de plenitudine poteſtatis ſuppleuit omnes, & ſingulos defectus, qui in præmiſſis, & eorum ſingulis interuenire potuerunt, prout hæc omnia, & ſingula in literis Apoſtolicis dicti Domini Martini, manu eius propria ſubſcriptis, vnà cum ſubſcriptione manuum, de duodecim Cardinalium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, eiuſque Pontificis Domini Martini, vna bulla plumbea more Romanæ Curiæ bullata, ſub data 2. Nonas Decembris, anni Natiuitatis Dominicæ 1419. Pontificatus verò dicti Domini Martini Papæ 5. anno 3. pleniùs, & latiùs continetur.

Ex quibus omnibus iuris concluſiones eliciuntur, vt ſucceſſiuè patet, Primum, quod poſt obitum dictæ Dominæ Ioannæ 2. nec etiam ea viuente, nullus præter Dominum Ludouicum 3. aut eius hæredem potuit, neque poteſt, debuit, aut debet, de dicto regno contendere, aut quomodolibet ſe impedire, obſtante diſpoſitione, & ordinatione dicti Domini Martini ipſius regni ſuperioris, & directi Domini.

Item quòd dicta Domina Ioanna 2. non potuit quouis modo diſponere in præiudicium dicti Ludouici Tertij, & fratrum ſuorum, ac hæredum, & ſucceſſorum, maximè cùm infeudatio facta eidem Dominæ Ioannæ fuerit limitata, & qualificata ſolùm, & duntaxat ad ipſam Dominam Ioannam, hæredes ſuos ex ſuo proprio corpore legitimè deſcendentes ſe extendens, prout in literis Domini Martini antedicti expreſsè cauetur, & ità ius ſuum vltra non procedit.

Item ſi forſan dicta Domina Ioanna 2. de dicto regno aliquid diſpoſuerit, ipſum alienando, ſeu ad alios munus transferendo, ipſa cecidit ab omni Iure, quod in eo habere videbatur, & totum ius ipſius, ad dictum Ludouicum 3. & eius hæredem fuit ipſo facto deuolutum, & hoc probant verba in dictis literis contenta, videlicet pòſt dictæ Ioannæ obitum, vel alias quamprimum ex ipſius perſona, etiam ea in humanis agente, ſeu aliàs quouis modo regnum, & terram prædictam ad Romanam Eccleſiam eſſe deuolutam contigerit, ex nunc, pro vt ex tunc, in feudum perpetuum, tibi chariſſimo in Chriſto filio, Ludouico 3. Regi Illuſtriſſimo, & tuis hæredibus iam natis, & in poſterum naſcituris concedimus, donamus, transferimus, tranſportamus, &c. & nihilominùs quicquid factum foret per dictam Dominam Ioannam, in præiudicium Domini Ludouici, eſſe irritum, & innane, ob proprium decretum Papæ interpoſitum, vt patet in fine dictarum literarum.

Item cum præfati domina Ioanna, & Ludouicus Tertius mortui ſint ſine liberis, totum regnum quoad proprietatem, & poſſeſsionem, ad dictum Dominum Renatum, dicti Domini Ludouici hæredem, & ſucceſſorem in dicto regno generaliter, quàm ſpecialiter nominatum fuit, & eſt pleno iure deuolutum, transfuſum, translatum, & tranſportatum. Ita quod dictus Dominus Renatus ſtatim poſt obitum ipſorum ius, & titulum regni ſuit, & eſt conſequutus, ac ſe potuit, & poteſt nominare, & intitulare regem, & dominum dicti regni, abſque alia ſolennitate, vel declaratione.

Item quod dicto Domino Renato licuit, & licet, per ſe, vel alium ipſo potiſsimum legitimè occupato, poſſeſsionem actualem, corporalem & realem dicti regni, iuriumque, & pertinentiarum eiuſdem apprehendere, naſciſſi, intrare, & retinere homagia, recipere fructus, redditus, & prouentus ipſius regni exigere, cæteraque omnia, & ſingula facere, gerere, & exercere, quæ veri reges dicti regni eius prædeceſſores facere potuerunt, debuerunt, & conſueuerunt. Et hoc probatur non ſolum per generalem clauſulam de hæredibus dicti quondam Ludouici Tertij mentionem facientis, ſed etiam per ſpecialem in dictis literis Apoſtolicis appoſitam, quæ ſequitur. Tu vero decedente ſine legitima prole ex tuo corpore deſcendente, dilecti filij nobiles viri Renatus, eiuſque hæredes, ac ipſis deficientibus, Carolus fratres tui Germani, eiuſque hæredes legitimi ſexus qualitate, & Ordine graduum ſeruatis, vt prefertur in regno, & terra ſuccedens antedictis. Sunt etiam ponderanda alia verba literarum Apoſtolicarum, in quibus cauetur, quod Papa ſtatuit, & ordinat, quod poſt dictæ Ioannæ obitum, ac aliàs Papa viuente, & per præfatum regnum, eiuſque poſſeſſio ad dictum Ludouicum; eiuſque hæredes liberè perueniunt. Per hoc enim, quod dicit liberè, apparet, quod potuit poſſeſſionem dicti regni, vt præmittitur, adipiſci liberè, id eſt licentia cuiuſque minimè requiſita, & non obſtante oppoſitione, vel contradictione cuiuſcumque.

Item prædictus Dominus Renatus de neceſſitate non indiget alia infeudatione, vel inueſtitura, cum per dictum Dominum Martinum fuerit infeudatus, & inueſtitutus in perſonam Domini Ludouici fratris ſui antedicti. Et cum præfatum regnum ſit feudale, & in feudum dari certum ſit eidem Ludouico Tertio, eiuſque hæredibus etiam ac ſi Papa iuraſſet de nouo non Infeudare.

Item Domino Renato ſæpe dicto nil aliud reſtat, niſi poſt ipſius regni poſſeſſionem adeptam, Sanctiſſimo Domino noſtro Papæ moderno homagium, & fidelitatis Iuramentum offerre, priuilegiumque, de quo ſupra, aurea bulla bullatum eidem exhibere, cenſum, ſeu penſionem ſolitam, & ordinatam congruis temporibus, & terminis perſoluere, & de ijs percipiendis, & admittendis præfatum Dominum noſtrum Papam inſtanter, atque ſolenniter, & infra tempus debitum requirere, & cum proteſtatione, quod per dictum Dominum Regem non ſtat, quò minus præmiſſa omnia, ad quæ idem Rex tenetur Romano Pontifici, impleantur. Et ſic Dominus Renatus Rex erit tutus, & ſecurus.

Item contra infeudationem, ſiue Inueſtituram dicti Domini Renati, aut ius, ſiue titulum, quem habet in ſuo regno, nil poteſt opponi, vel allegari, neque ius ſcriptum, neque conſtitutio feudalis, aut particularis conſuetudo Regni, nec etiam aliæ infeudationes, vel Inueſtituræ, quibuſcunque alijs factæ per Romanos Pontifices, cum omnia ſint ſublata, derogata, caſſata, & reuocata per non obſtantias in dictis literis Apoſtolicis contentas, & expreſſas.

Item non fuit neceſſe, leges, iura, conſtitutiones, ſeu conſuetudines prædictas, vel aliquam ipſarum particulariter, vel ſpecialiter nominare, ſeu exprimere, cum eas, & ea voluerit habere pro expreſſis, & pro inſertis, vt patet in dictis literis Apoſtolicis.

Item nullus defectus cuiuſcunque ſolennitatis omiſſæ poteſt allegari, vel opponi; quia Papa ſupplet omnẽ defectũ de plenitudine poteſtatis, prout in dictis literis cauetur, quod vtiq; ſibi licuit, ma-

ximè cùm regnum ipſum Romanæ Eccleſiæ ſit ſubiectum.

Itèm contra infeudationem, & Inueſtituram dicti Martini non poteſt opponi vel allegari ſurreptio, circumuentio, fraus, dolus, violentia, ſeu præmium, importunitas, aut aliquid huiuſmodi, cùm præmiſſa omnia in dictis literis contenta facta fuerunt motu proprio, ex certa ſcientia, & mera liberalitate de conſilio, & aſſenſu Dominorum Cardinalium, vt patet in literis ante dictis.

Item ſi Romanus Pontifex, qui fuerit pro tempore, vellet aliquid diſponere in præiudicium dicti Domini Renati, ſeu Regnum eius, vel eius partem, aut aliquod Ius ad coronam regiam pertinens, alienare, aut ad aliam manum transferre, inuito domino Renato Rege, vel eius hærede, ſeu ſucceſſore, hoc facere non poſſet, quia per prædictas infeudationem, & inueſtituram dicti Domini Martini, aliorumque prædeceſſorum ſuorum fuit, & eſt ius quæſitum dicto Domino Renato, & eius hæredibus, eſtque dicti Regni verus Rex, & Dominus effectus. Et cùm rerum dominia ſint de Iure naturali, gentium iure omnino approbante, introducta, non poteſt Papa, vel quicunque alius princeps prædictum ius tollere, & ſi forſan hoc vellet facere de facto, cùm de iure non poſſit, licitum eſſet eidem Domino Renato Regi, ſe, & dictum regnum ſuum defendere manu armata, ſi opus eſſet, etiam contrà Papam, ipſumque tanquàm hoſtem, & inimicum impugnare, iuxtà regulam illam, qui noſtra tollit, inimicus noſter eſt, non obſtante fidelitatis, ſeu homagij iuramento, & ad ſe, & regnum ſuum defendendum tenentur Vniuerſi Vaſſalli, & Incolæ regem iuuare, & ad eius Imperium, ſeu mandatum bella mouere, & arma ſumere, & hoc faciendo apud Deum merentur.

Itèm ſi aliqui Romanorum Pontificum prætenderent in dicto regno ius habere, quantum ad vtile dominium ratione deuolutionis, aut alterius, tunc cognitio, ſeu Iudicium non ſpectaret ad Papam: quia quando agitur inter dominum, & Vaſſallum, cognitio non ſpectat ad dominum feudi, ſed ad pares Curiæ, & ſic ad aliud Tribunal oporteret recurrere, quod eſt non dignum.

Itèm, & ſinguli Vaſalli, & Incolæ dicti regni eidem Renato, tanquam vero Regi, & Domino ſuo parere, & obedire tenentur, & ſi faciant contrarium, peccant, non ſolùm contra regiam maieſtatem, ſed etiam contrà Deum, & in foro conſcientiæ iuxta quod ſcriptum eſt in libro Regum, Qui non obedit principi, morte moriatur. Et Apoſtolus præcipiebat obedire principibus, non ſolùm propter iram, ſed propter conſcientiam, & non tantùm bonis, & modeſtis, ſed etiàm diſcolis.

Itèm ſi fortè aliquis eorum, cuiquam alteri vellet adhærere in præiudicium dicti Domini Renati, veri, & indubitati regis ſimiliter peccaret grauiſſimè, & offenderet non ſolùm humanam, ſed etiam diuinam Maieſtatem. Quod apparet ex illa hiſtoria libri Regum, vbi habetur expreſsè, quòd decem tribus Iſrael à Tribu Iuda, & Beniamin, ſciſſæ ſunt, & relicto eo, qui debebat ſuccedere in Regno, videlicet Roboam filio Salomonis, alterum Regem ſibi conſtituerunt. Et iratus eſt Dominus in omne ſemen Iſrael, vt dicit ibi textus, & demoliuit eos, & dedit in direptionem, donec abijceret eos à facie tua, & ſequitur cauſa. Quia diſſipatus eſt Iſrael à domo Dauid, & conſtituerunt ſibi Regem Ieroboam filium Nabath. & idem poſſet dici de illis, qui relicto Domino Renato, alteri adhæſerunt, videlicet, quod diſſipati ſunt à domo Dauid, id eſt, à Chriſtianiſſima domo Franciæ, quæ meritò comparari poteſt domui Dauid, ad quam domum Franciæ regnum illud ſemper pertinuit, quod Infidelium Tyrannorum non ſine ſanguinis proprij effuſione, domino coadiuuante, eripuit, conſtituerunt ſibi Ieroboam filium Nabath, generationem barbaram, duram, & inhumanam, quæ nuper de dicto regno ſe huc vſque impediuit, nec ad malum ibi faciendum.

Item eodem genere peccati tenentur ij, qui dictum Dominum Regem Renatum, vel dominam Reginam eius vxorem, aut alios per ipſum deputatos, non admittunt ad poſſeſſionem Regni, ſicut illi, qui ipſum de dicti regni poſſeſſione expellerent, quia cenſentur expulſores, qui viuentem non admittunt.

Item ſicut illi, qui eidem Domino Renato fuerunt, & erant obedientes, & fideles, digni ſunt honore, laude, & præmio apud Deum, & homines: Ità è contrario cæteri rebelles, & infideles merentur puniri apud Deum æterna damnatione, apud homines pæna reorum criminis læſæ maieſtatis, qui tripliciter à iure puniuntur. Primò in perſonis, videlicet pæna capitis, quia tales debent gladio feriri, & accuſari poſſunt pòſt mortem, & ad accuſationem eorum, & teſtimonium contrà patronos, meretrices participes criminis, &c. Item puniuntur quantum ad bona, quia omnia eorum bona confiſcantur, & à tempore criminis commiſſi, nil poſſunt alienare de bonis eorum, & emancipatio, vel manumiſſio antè teſtamentum facta per eos non valet. Tertiò puniuntur quantum ad eorum filios, quia ipſorum filij ipſo iure ſunt infames, & inhabiles ad omnes honores, & dignitates, & nulli poſſunt ſuccedere, neque ab Inteſtato neque ex teſtamento, exceptis filiabus, quæ de bonis tantum maternis poſſunt detrahere Falcidiam. Et vt dicit textus legis, filiis ob crimen læſæ maieſtatis perpetua egeſtate ſordentibus, mors ſolatium, vita ſupplicium, quibus vita Imperatoria tantum lenitate conceditur, cum in paterno parere deberent ſupplicio, in quibus paterni criminis exempla metiuntur.

Ex quarum conſideratione pænarum tam diuino, quàm humano iure inflictarum pro ſalute animarum, & corporum, pro honoris, & famæ conſeruatione caueant omnes incolæ, & Vaſallij Regis prædicti, nè à domo Dauid, id eſt, Chriſtianiſſima domo Franciæ ſcindantur, aut diſſipentur. nè omnipotens Deus eos, & ipſorum Regnum abijciat à facie ſua, & demoliat eos, & det in direptionem, ſicut factum fuit de filijs Iſrael. Quod ipſe miſericors Deus per ſuæ indeficientis Clementiæ pietatem auertat, Amen. *Franciſcus Roſſieres in Stemmat. Lotharingiæ Ducum. tomo 5.*

XI. *Edictum Innocentij PP. contrà non ſoluentes cenſus Sedis Apoſtolicæ.*

Interpoſita eiuſmodi proteſtatione, reſpondit Innocentius Pontifex, curæ ſibi futurum, nè Renatus iure poſſet conqueri de Apoſtolica Sede, quaſi contra iura illius, Aragonijs Neapolitanum Regnum conceſſiſſet. Ergo cognoſcendis partis vtriuſque monimentis, atque documentis, quibus niterentur, deſignatis aliquibus tam ex Sacro Senatu, quàm ex Auditorio Rotæ legum peritis negotium dedit: ac interim Guidonem Blancheſortium, Rhodiorum Aruernenſium Priorem, à Carolo Rege Galliarum iam in Turcas bellum decernente, nuncium audiuit, & poſtulata omnia conceſſit. *Boſſiu ſlib* 10. Cumq; de Aragonijs ſubdubitaret, ne vectigalis annui penſionem vel fraudarent, vel differrent legem contra quoſcumque, in feſto SS. Petri & Pauli Apoſtolorum, cenſus Cameræ Apoſtolicæ non ſoluentes, hoc edicto promulgauit.





*Innocentius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.*

*Docet Romanum Pontificem Ieſu Chriſti in terris Vicarium, qui militanti Eccleſiæ præeſt, illius iura tueri, & conſeruare illæſa. Sanè ſicut accepimus, nonnulli in Ciuitatibus, terris, caſtellis, fortalitijs, & locis alijs temporali dominio præfatæ Eccleſiæ ſubiectis, & in temporalibus Vicarij, feudatarij & gubernatores, ſeu emphiteotæ, perpetuo, & ad tempus deputati, conſtitutum cenſum in Inueſtituris, & conceſſionibus quas de illo habuerunt, in feſto Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli de menſe Iunij ſolui conſtitutum, præfatæ Eccleſiæ ſolui non curant, in animarum ſuarum periculum & eiuſdem Eccleſiæ detrimentum. Nos igitur qui alios in ſua iuſtitia confouemus, nolentes præfatæ Eccleſiæ pro poſſe noſtro iura negligere. Motu proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de mera noſtra deliberatione, & certa ſcientia, Apoſtolica auctoritate monemus, & requirimus, eos, & quemlibet eorum, vt cenſum, & canonem quemcumque, quem pro factis eis, ſeu eorum auctoribus conceſſionibus, Cameræ Apoſtolicæ ſoluere tenentur annuatim, in illa celeberrima die, qua huiuſmodi cenſus Cameræ generaliter ſolui conſueuerunt, videlicet in feſto Apoſtolorum præfatorum, Cameræ Apoſtolicæ perſoluant in loco dictæ Cameræ, vbicumque illam pro tempore adeſſe contigerit. Monemus inſuper, & requirimus illos ex eis, quibus conceſſum vel mandatum foret, aut pro tempore mandari contingeret, quod cenſum per eos debitum alicuius dictæ Cameræ creditoribus aut alibi quam in dicta Camera ſoluant, ſeu ad ſoluendum vlterior dilatio data foret, vt per ſuos legitimos procuratores, & nuncios cum ſufficienti mandato in eadem Camera in feſto prædicto comparere, & ſe fore pro eiſdem eis conceſſis Ciuitatibus, terris, caſtris, fortalicijs, & locis, feudatarios Vicarios, & gubernatores, ſiue emphiteotas, pro dicta Eccleſia, & ad talis cenſus ſolutionem ea die propterea dictæ Cameræ obligatos fateri, & recognoſcere, ac cauſas, quare in eiuſdem cenſus ſolutione ceſſant, ea die allegare, & probare debeant, coram Prælatis, Præſidentibus, & Clericis dictæ Cameræ, ſub pœnis in conceſſionibus eis factis huiuſmodi appoſitis, & alijs à iure ſtatutis. Alioquin eos ceſſantes in cauſis & canonis huiuſmodi ſolutione, reputari, & haberi debere perinde ac ſi ſuper illius ſolutione nil innouatum extitiſſet, eodem motu ſcientia, & auctoritate decernimus. Ac eiſdem Prælatis, & Clericis committimus, & mandamus, vt illos, qui monitioni huiuſmodi paruiſſe coram eis non docuerint intra vnum menſem computandum poſt dictum feſtum pœnas priuationis Ciuitatum, terrarum, Caſtrorum, fortelitiorum, & locorum huiuſmodi iuxta ſuarum Inueſtiturarum, & conceſſionum tenorem incurriſſe declarent, & eos à Ciuitatibus, terris, Caſtris, fortilitijs, & locis huiuſmodi pro quibus cenſum non ſoluerũt ſtudeant effectualiter amoueri. Contradictores per cenſuras Ecc. appellatione poſtpoſita compeſcendo. Inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, Apoſtolicis contrarijs quibuſcumque ſeu ſi Communitatibus, Vniuerſitatibus vel perſonis præfatis, aut quibuſuis alijs communiter, vel diuiſim à Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Et quia difficile foret præſentes litteras ad ſingulas prouincias, & alia loca deferre, & illas in eis publicare volumus, quod litteræ ipſæ in valuis Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe affigantur, & per decem dies continuos dum ibidem ſolemnis Miſſa celebratur, per Canonicos eiuſdem Baſilicæ teneantur, quodque illarum affixio & publicatio ſic facta de illis perinde omnes quos concernunt, arctent, ac ſi eis perſonaliter intimatæ fuiſſent. Nulli ergo omnino liceat hanc paginam noſtræ monitionis, requiſitionis, decreti, commiſſionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datũ Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo, nonageſimo ſecundo. VI. nonas Maij Pontificatus noſtri anno octauo. De Curia B. de Zilinna. Viſa in Camera Apoſtolica Antonio de Viterbio Cam. Clericus. Anno à Natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo. Indictione decima die verò 25. menſis maij, Pontificatus S.D.N. Innocentij diuina prouidentia Papæ VIII. anno octauo, ac 25. eiuſdem menſis retroſcripta Bulla affixa, & publicata fuit in valuis Baſilicæ Apoſtolorum Principis de Vrbe, & in eſſeis audientia, dum ibidem Miſſa ſolemnis celebraretur, & maxima gentis multitudo intrantium, & exeuntium ibi erat, per me Bartholomæum B. de Miranda Curſore.*

XII. *Principes Chriſtianos contra Turcas ſollicitat idem Innocentius.*

Conſtitutis ad eum modum Neapolitanis, & Eccleſiaſticis rebus, Pontifex Innocentius, quod tantoperè deſiderabat, contra Baiaſitem fœdere cũ Regibus, & Principibus initio, mouere tandem decreuit. Apud Vellonam ille in anchoris ſtabat, in Italiam, vel Siciliam, claſſem ingentem moturus. Ergo Pontifex, Ferdinandum vtriuſque periculi, & fidei admonuit, vtque hoſti ſeſe opponerent, poſtulauit. Ferdinandus porrò Caſtellanus, Ferdinandam Acuniam Pro-Regem Siciliæ, vnà cum Friderico Aragonio vires coniungere, portubuſque communitis, obuiam barbaris ire imperauit. Neapolitanus, Alfonſum Calabriæ Ducem, Hydruntum cum copijs præmiſit: Pontifex Venetos, & Genuenſes, vt ipſi quoque maritimo apparatu hoſtem exciperent, excitauit; atque ipſe non contemnendam manum deſtinauit. Irritus fuit is conatus, Baiaſite nec quiquam ſe mouente, ſed ad omnem occaſionem, ex Zizami perſona intento. Enituit tunc temporis ingens Ferdinandi Caſtellani, in extirpanda impietate, ac fide propaganda Zelus. Enimuero præter Mauros Granata eiectos, & claſſem contra Turcas inſtructam, Iudæorum gentem, tota Hiſpania, hoc annò exegit (ſunt qui referant CXXIV. millia familiarum, vel CCCC. M. Hebræorum pulſa) legeſque ſeueriſsimas, in eos, qui occulto remanere voluiſſent, publicauit: necnon F. Thomam Turrecrematam Ord. Prædicatorum Inquiſitorem Hiſpaniarum Generalem, vt apoſtatas, & perfidos curioſiùs inquireret, puniretque edictis Regijs, vbique diuulgatis, animauit. Ex his & Mauris, cum plerique Romam perueniſſent, ac peſtilentiſſimis erroribus, præcipuè Hiſpanos inficerent; Innocentius Pontifex grauiter animaduertit, data Quæſitoribus ampliſſima poteſtate, vt profanos extirparent. Super hæc Caſtellanus, eodem anno, benè precante Pontifice, amplificandæ fidei Chriſtianæ, nouum, & toto cælo diuiſum ab Europæis orbem quærere, & Chriſto adiungere aggreſſus, Chriſtophorum Columbum, incognita maria enauigare iuſſit. Operæ pretium duxi, retecti huius noui orbis auſpicia, paulò latiùs explicare.

XIII. *Noui orbis inuentor Columbus deſcribitur.*

Columbus, naualis ſcientiæ peritia abſolutiſſimus, natus eſt apud Ligures, vico Arbizolo, aſperitate loci, & ſolitudine ignobili, non longè à Sauona, diſtante. Pro conditione loci parentes habuit planè obſcuros; quippe quorum ſors infrà mediocritatem exiſtens, adeò fuerit tenuis, & anguſta, vt pro veteri Ligurum, maritimam oram accolentium inſtituto, piſcationibus, alijſque naualibus exercitijs vitæ ſubſidia quæreret. Ab ineunte ætate maiorum ſuorum ſtudia ſecutus, rem nauticam, circa aliquam ferè temporis intermiſſionem tractauit: adulta verò iam ferè, in eam ſe curam totum contulit, vt ex varijs ſuſceptis nauigationibus, rerum naualium, & maritimarum exactam quandam conſequeretur peritiam: & poſtquam tyrocinium ſuæ artis, diuerſis, ijſdemque peritis nauarchis, magna cum ſua laude, & eorum ſatisfactione poſuiſſet, ità vt nullus ferè eſſet maris Mediterranei, & oræ Occidentalis angulus, quem non

perluſtraſſet: nauigationum ſuſceptarum proſpero, atque felici ſucceſſu alacrior factus, maiora ſecum animo ſubindè meditabatur: &, vt in heroicis naturis fieri conſueuit, præteritas profectiones tamquam triuiales, & nimiùm frequentatas faſtidiens, irrequieto animo, & ingenti cura hoc vnum quærebat, vt nominis ſui obſcuritatem aliquo egregio & memorabili facinore inſigniret atque illuſtraret: adeo, vt cum indies magis, atque magis iuuenilis animus proferendę famæ cupiditate flagraret, & inflammaretur, hoc vnicum dies, noctesque volutauit, quomodò noua Regna, & inſulas aperiret. Erat Aſtronomicæ, & Mathematices cognitionis ità peritus, vt cùm vtramque ad naualis ſcientiæ cognitionem neceſſariam eſſe intelligeret, ambas ſummo ſtudio coniungere voluerit, quò meliùs ſolis, & poli altitudinem, & latitudinem intelligeret. Vt verò pleniorem, & abſolutiorem rerum maritimarum notitiam aſſequeretur, totum ipſum mare Mediterraneum, ac Oceanum verſùs Meridionalem plagam, vſque ad inſulas Fortunatas, quas vulgò Canarias dicimus, enauigarat, diligentiq; obſeruatione in Luſitaniæ littoribus animaduerterat, ſtato & anniuerſario anni tempore ſtatum ventorum Occidentem verſùs ſpirantium ità exoriri, vt ex huius venti aſſidua aurâ non ſolùm longinquam nauigationem commodè conficere poſſet, verùm etiam de multa prouinciarum Occidentalium inueſtigatione certò ſibi omnino polliceri. Fortè etiam contigit, nauem, quæ ex Hiſpanico littore ſoluerat, in Oceano, ſumma vi tempeſtatis ſic agitari, ac demùm adeò procul abripi, aut quàm longiſſimè inter Occidentem, & Meridiem progreſſa, ventis aduerſis, ad nouam omnibus tunc ignotam, & inacceſſam inſulam deferretur. Ea deinde, vt præpotenti Deo viſum eſt, tot iniurijs cæli fracta, mariſq; difficultatibus oppreſſa, & omnium rerum indiga, Maderam celebrem inſulam, paucis attamen ex omnibus, quós illa vexit, ſaluis, adpulit. Inter quos ſuperſtites nautæ quidam, inprimis nauis ipſe gubernator fuit. Chriſtophorus ergo Columbus, qui tum Maderam inhabitabat, has hominum è naufragio reliquias hoſpitio perquàm humaniter excepit, domiq; fouit. Interim eorum caſus, & errores toto mari, tàm varios, & quæ ad vniuerſam eam nauigationem præcipuè ſpectabant, diligenter ab ijs, & gubernatore nauis perſcrutatus eſt. A quo gubernatore ſitum nouæ, incognitæque illius inſulæ, additis etiam longitudinis, latitudiniſque gradibus, & quæ de eius incolis compererat, didicit. Exactis aliquot poſt diebus, ij nautæ, & gubernator maximè, propter morbum, quem ab inedia, tùm grauiſſimis alijs incommodis, diuturna, longaque illa nauigatione contraxerant, omnes è vita deceſſere. Columbus igitur acris ingenij, iudicijque vir, omnia, quæ ab illorum ore, tum ſcriptis, & indicibus chartis cognouerat: ac inprimis repertam illam nouam Inſulam animo ſecum repetens, ac ſurſum, deorſumque voluens, ſæpeque, ac multum de his multa meditans, eò tandem deuenit, vt firmis Geographiæ rationibus, peregrinationumque, & nauigationum experientia inſtructus, perpenſa ſecum vltimæ Hiſpaniæ, & extremorum Orientis finium diſtantia, Oceanique interlabentis vaſtitate, fieri non poſſe putaret: vt vltrà centeſimum, & ſeptuageſimum longitudinis gradum: nullis prorſus interiectis terris, ſeſe Oceanus porrigeret. Accedebant Platonis, Ariſtotelis, Senecæque, tum aliorum doctorum virorum relicta ad expendendum Coſmographis argumenta, & coniecturæ; quibus alias in hoc Oceano Continentes terras, alias item inſulas, illi reperiri contendebant. Has autem terras, ſe, ſi claſſe, & neceſſarijs rebus iuuaretur, detecturum ſibi perſuaſerat, atq; promittebat. Quas cogitationes, primùm ſeriò, ac ſupplex Ferdinando Regi Caſtellæ non ſemel expoſuit. Poſtquam fidem non faceret, eas cum Ioanne II. Luſitaniæ Rege communicauit. Apud hunc quoque nihil proficiens, tandem Henricum VII. Angliæ, & Carolum VIII. Galliarũ Reges, ac præterea alios Principes, quos vel auctoritate, vel potẽtia, præ reliquis valere crediderat, adijt: ſed nemini tamen eorum perſuadere potuit, vt opem ipſi aliquis, quam ad eam nauigationem poſcebat, & neceſſariam eſſe oſtendebat, adferre voluerit. Reuerſus tandem in Hiſpaniam, Ferdinandum Regem iterum conuenit, qui tum bello Granatenſi confecto, nouarum rerum laude, & ſtudio dicebatur æſtuare. Alfonſus Mendozius Cardinalis, & Alfonſus Quintauilla, in aula Regiâ hoc tempore multa gratia, & auctoritate florentes, quibus cum Columbus ſuum inſtitutum communicauerat, hominem ad Regem introducere, obtinuereq;, vt ipſemet liberos iiſdem de rebus ſermones conferret. Rex, etſi priùs eorum, quos nominaui, procerum perſuaſione haud parùm moueri cœperat, magis tamen graui, ac diſerta Colũbi oratione, firmiſsimis rationibus innixa, accenſus, ac iam deuictus, protinùs illi nauẽ opportunè inſtructam, & duas celoces, ex his, quas vulgò Caramuſſolas vocant, tradi iuſsit: in quibꝰ, vltra centũ, & viginti ſelectos milites, omnes fermè Hiſpanici generis, omnia ſuppeditata ſunt, quæ ad lõgam, & periculoſam nauigationẽ pertinere exiſtimabantur. Pecuniã Ludouicus Sanct-Angelus, Regiarũ Rationum Scriba, Columbo numerauit. Erat ſeptemdecim tantũ milliũ ducatorũ: eamque is Regi, propter Granatẽſe bellũ exhauſto, mutuã dederat. Patres duo Franciſcani, vehementer eam expeditionẽ iuuerunt, tũ Columbũ animando, tũ etiam Regẽ impellendo, vt in eam occaſionẽ ſeriò incumberet. Ex huius familiæ inſtituto, aliquot patres Colũbo adiuncti, cũ in regionibus adinueniendis præclarè iuuerunt, atq; primi in oras illas incognitas Euangeliũ intulerunt, fidẽ Chriſtianã plantarunt, doctrinaq; Orthodoxa irrigarunt. Tertiò Nonas Auguſti, quo die, olim apud Indos Perſis finitimos, Abenner Rex, perſequens Eccleſiam Dei, multa Monachorum, & fideliũ examina, diuerſis ſupplicijs excarnificauerat, Columbus ad Indias retegendas, hoc anno 1492. è Gadibus ſoluens, per inſulas Fortunatas, inter Occidentem, ac meridiem, curſum tenuit, & perpetua nauigatione, ac ferè eodem ventorum afflatu vltra triginta tres dies, inſtitutum iter profecutus, tãdem in inſulam ingentem, quam Hiſpaniolam placuit appellare, peruenit: quæ ſanè à Gadibus, rudi ſupputatione milliariũ Italorũ facta, circiter quinq; millibus diſtare dicitur, Cãcri Tropico ſuppoſitam. In lõgitudinem tota exporrigitur, ità vt caſtaneæ folij formam referat, & Britanniã magnitudine æquare, vel, vt nonnullis placet, excedere perhibetur. In continẽtem igitur ſuis ibi expoſitis, ſumma cum diligentia, omnia loca etiam minutiſſima inueſtigauit, ac breui ſpatio totius illius regionis tractum, incolarum mores, ritus, ſtatum, quæque ex eis partibus ad Europęos deriuari potuiſſent commoda ſolertiſsimè inueſtigauit. Verum equidem eſt, quod ad primum ignotæ claſsis aſpectum, inſulani, in ſyluas, & deuia loca aufugerint: Columbus tamen eos ſpe pacis, nouiq; commercij, ad litus ſenſim pellexit, adeòque cicurauit, vt hi admirati nouum genus hominum, naues, & omnia, quæ in eis erant, ad conuictum, familiaritatem, & commercia deſcenderint, ac pro rebus nullius ferè pretij, modò aliquid inſuiſſet artificij, vaſis vitreis, ſpeculis, ſcorteis, ligulis, crotalis, & alijs puerilibus oblectamentis, aurum certatim ingeſſerint. Nudi vulgò agitabant: Solem, Lunam, cælum & ſtellas adorabant: Regem vnum ſe habere, nutu, & ſignis præſeferebant: ex tanta auri pro ludicris mercibus profuſione, creditum eſt, inſulam auro abundare. Cùm ergo Columbus in hac prima nauigatione nihil omninò prætermiſerit, quod obſeruatione dignum iudicaret, ſequenti

anno



anno, poſt longam ac moleſtam nauigationem, Barcinonem ad Regem Ferdinandum rediit. *Surita Annal. tomo Quinto lib. 1. c. 8. 6. Vialardus in vita Innoc. 8. Iuſtiurra in notis. Bizarrus hiſt. Genuen. lib. 16. Sabellicus ennead. 10. lib. 8. Ioannes Mataleus Metellus in epiſt. Platus de bono ſtatus Religioſi lib. 2. c. 30.*

XIV. *Danorum Reginam honorificè excepit Innoc. PP.*

Inter hæc Innocentius Pontifex, Barolæ Cypri Reginæ, in vrbe vita functæ, iuſta funebria ſumptu magnificentiſſimo fecit, eiuſque cadauer ad SS. Andreæ, & Gregorij Sacellum in Vaticano ſepulturæ dedit. Dorotheam Danorum Reginam, voti ſoluendi cauſa ad limina Apoſtolorum venientem, & hinc Hieroſolymam ex voto proficiſci cupientem, Regio cultu excepit, & Hieroſolymitana peregrinatione exſoluit. Paſchatis celebrandi tempus, diuturno aſtrorum curſu nonnihil immutatum, ad Eccleſiaſticas regulas reuocare volens, plurimos Aſtrologiæ ſcientes, Romam accerſiuit. Præeminentiæ, & hinc præcedentiæ, inter Oratores Regum, Principum, & Dominiorum controuerſias mira dexteritate componere curauit. Inter Cardinales æqualitatis amans, pro æquitate, omnes ex æquo diuitijs, neceſſarijſque locupletauit, quodq; inſignis moderationis eſt, conuiuantes ſe ex vrbe, vbi ad templum S. Celſi ventum erat, omnes redire, neminemque vltra pontem tranſire voluit. Pro libertate Eccleſiaſtica conſurgens, vt Anicienſem, & Montis albani Epiſcopos carceri mancipatos, Rex Carolus liberaret; vtque Parlamenti Pariſienſis, nonnullos contra Pontificiam authoritatem auſus reprimeret, adeoque pragmaticæ Sanctionis repullulantia ſemina extirparet, ſerio admonuit, effecitque. Pro patrimonio Eccleſiæ Romanæ ſollicitus, Comitatum Valentinum, & Dienſem in Delfinatu, à miniſtris Caroli occupatos, ſeuera comminatione temporalium, & ſpiritualium armorum recuperauit. Ardicino Portæ, Cardinali Nouarienſi, qui imbecillitatem humanarum rerum ſecum conſiderans Monachum agere, eaque propter dignitatem relinquere cogitauerat, miſſionem petenti, conceſſerat: cumque id factum Sacer-Senatus ægro aliquantum animo tuliſſet, illum iam Montis Oliueti Monachum futurum datis litteris reuocauit: quibus tamen Ardicinus modeſtiſſimè in hunc modum reſpondit.

*Aliqua Innoc. geſta recenſentur.*

*Beatiſſime Pater. Attulit mihi Magiſter Gratianus de villa noua Breue Sanctitatis Veſtræ, cuius lectione commota ſunt omnia viſcera mea, intellecta perturbatione mentis Sanctitatis Veſtræ, & Sacri Senatus Reuerendiſſimorum Dominorum meorum, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium; tum etiam quod animaduerti interpretari in ſiniſtram partem, quæ non temerè, non leuiter, non repentè, ſed conſultò deliberaui, circa vitæ meæ ſtatus mutationem. Non eſt immemor Sanctitas Veſtra, quoties, primo anno ſuæ feliciſſimæ ad Apoſtolatum aſſumptionis, pulſaui aures ſuas, vt aſſentiri dignaretur ardenti deſiderio meo, quo tenebar, me ad Regularem vitam in aliqua Religione transferendi. Quod quum denegaſſet Sanctitas Veſtra, ſequentibus annis id ſæpius repetij, etiam cum lachrymarum effuſione: fateor, quod Sanctitas Veſtra ante Cardinalatum repulit petitionem meam. Quum verò etiam, poſt Cardinalatum ignis ille Sancti huius propoſiti arderet in pectore meo, menſe Aprili proximè elapſo, nouas preces Sanctitati Veſtræ pro ea re obtuli. Sanctitas Veſtra poſt multas rationes contra petitiones meas allegatas, tandem acquieuit; & viuæ vocis oraculo, ingrediendi religionem, mihi licentiam impartita eſt, quam poſtea per duas ſupplicationes, manu eiuſdem Sanctitatis Veſtræ ſignatas, denuò conceſſit. De hinc quum appropinquaret dies receſſus, petij denuo à Sanctitate Veſtra, licentiam pro receſſu meo; quam Sanctitas Veſtra, cum regratiatione pilei, gratioſè conceſſit, & benedixit mihi, ad oſculum Sacratiſſimum pedum admiſſo. Hæc non ſcribo, Beatiſſime Pater, vt exiſtimem opus eſſe, ea commemorari Sanctitati Veſtræ, quæ cordatiſſima eſt; verum vt intelligeret, quod aliqui de me ſiniſtrè ſuſpicantur, me non repentè, non præcipitanter, non leuiter motum fuiſſe. Nec debet mirari quiſquam nec nouum, aut temerarium id exiſtimare, quum etiam inter Romanos Pontifices ab Eccleſia Canonizatos, reperiatur, quidem fecerit Cæleſtinus V. qui Sanctus Petrus de Murone nuncupatur. Legitur etiam ad priuatam, & religioſam vitam tranſiiſſe Sanctus Hieronymus Romanæ Eccleſiæ Presbyter, quem Cardinalem ferunt fuiſſe. De Petro Damiani, qui licet non ſit inter Sanctos relatus, tamen pro Sancto honoratur, habetur ex libris per eum editis, quos ipſe legi, ipſum ex Cardinale, & ni fallor, etiam Epiſcopo Oſtienſi, factum monachum fuiſſe de Summi Pontifici licentia. An verò huiuſmodi licentiam à Sacro Cardinalium Collegio habuerit non memini. Ego ab eodem Collegio hanc licentiam non petij, & non ſum ratus adeo imbecillem, & infirmam Vicarij Chriſti poteſtatem, vt non poſſit præbere, ac porrigere manum volenti ſaluti animæ ſuæ honeſtiſſimo modo conſulere. Ego enim, quod in arduis, Collegium teneatur Pontifex conſulere, non inficior; tamen petenti ſibi, niſi quod ſalutem animæ conceſſerint, credo ſolius Pontificis auctoritatem ſufficere. Quid eſt enim, Beatiſſime Pater, ingredi, & profiteri Religionem, niſi humiliare, & exinanire ſemetipſum, & formam ſerui accipere, ſeque vſque ad mortem obedientem facere exemplo Saluatoris noſtri, qui dum id fecit, exemplum nobis præbuit? Gregorius Nazianzenus Epiſcopus, vt ſcientiæ, & contemplationi vacaret, Epiſcopatum dimiſiſſe. Quare, qui me properantem ad Religionem accuſant, etiam hos accuſent. Si hi peccarunt, fateor me deliquiſſe: licet forſan tantorum Patrum teſtimonia, & adducta rationes me excuſabilem reddere poſſunt. Quod autem dimiſſo Cardinalatus habitu, diſſimulato habitu me itineri commiſerim, non opinor propterea me notam vllam apud graues, & prudentes viros contrahere potuiſſe. Nam quum vellem, quod hactenus feceram, ſecretiſſimè fore, idque proprio fratri mihi fideliſſimo occultaſſem, exiſtimaui ſatius, etiam diſſimulato habitu, inter ignotos, quam cum vero habitu incedere: & propterea à pœna, & à culpa, & ab omni alia nota me immunem eſſe exiſtimo. Si tamen erratum eſt, quum id humanum ſit, ſupplico Sanctitati veſtræ, vt quæ mihi grauiora peccata dimiſit, etiam hoc dimittat: pœnitentiam, quam mihi pro hoc peccato iniunxerit, non minus deuotè, quam humiliter ſuſcipiam. Beatiſſime Pater Sanctitas Veſtra, quæ ſemper tam tenerè perſonam meam dilexit, & tantopere, ac multifariam honorauit, dignetur opus ſuum, & facturam ſuam in ſancto propoſito conſouere, memor, Chriſti Vicario nihil peculiarius eſſe, quam eum de animarum ſalute ſollicitum eſſe. Hic de animæ meæ ſalute agitur, quæ ſola ante oculos verſatur. Licet enim exploratum habeam, Cardinalium, Epiſcoporum neque ſtatum quauis alia religione perfectiorem eſſe; exiſtimaui tamen ad inferiorem Religionem tranſitum, fragilitati meæ tutiorem eſſe. Non eſt inſcia Sanctitas Veſtra, ſe animæ meæ rationem in diſtricto iudicio reddituram, quam longè faciliorem reddet, ſi humilitati meæ hoc indulſeris, quam ſi ab hoc meo veteri, & ſancto propoſito me reuocauerit. In hoc annuat Sanctitas Veſtra humillimis, & lacrymoſis precibus meis, nec velit in amaritudine animæ meæ, me morte acerbiorem vitam agere. Adeo enim turbata eſt, vt quod ſcribo, vix ſatis ipſe perpendam. Miſerere animæ meæ, Pater pientiſſime, qui mihi ſemper in omnibus affabilis, benignus, & miſericors fuiſti, & cum ineffabili clementia, meas ineptias tot annis tolerasti; & patere obſecro, vt importunus petitor ſim ante oculos pietatis tuæ. Conuertere Domini aliquantulum, & vide afflictionem meam, & conſidera etiam, quomodo conſulatur honori meo. Si iam, vt ita dixerim, ad aratrum manu poſita, retro aſpiciam; nonne oculi omnium in me conuertentur, exiſtimantes, me leuiter diſceſſiſſe, & leuius rediiſſe? Quibus omnibus per Sanctitatem Veſtram ſapienter conſideratis, dignetur me ſuo amœniſſimo, & mihi deſideratiſſimo reſponſo conſolari, & reuocatas gratias, prius tamen benignè conceſſas, in priſtinum ſtatum reſtituere, ſciatque me nullo*

pretio

*pretioſiore dono, hoc tempore donare poſſe. Quamuis enim ipſe peccator ſim, & indignus, cuius preces à Deo exaudiantur: id tamen ſi impetrauero à Sanctitate Veſtra, pro tanto munere, conabor aſsiduis apud Deum orationibus multiplicato fænore recompenſare. Quocumque in loco, voluerit, me eſſe, Sanctitati Veſtræ acquieſcam, & quicquid mandauerit, exequar, Chriſtique Vicario, tamquam Chriſto obtemperabo, & ab illius obedientia diſcedere nefas eſſe exiſtimabo. Felix valeat Sanctitas Veſtra, cuius ſacratiſsimis pedibus me humiliter commendo. ex Rancilione die 12. Iunij anni 1492.*

Noluit quicquam Innocentius Ardicino ampliùs concedere. Quamobrèm in Vrbem reuerti neceſſe habuit, atque arbitrio Pontificis, & Sacri Senatus ſeſe permiſit: nonniſi tamen octauum menſem ſuperuixit: cùm ante ſe Pontificem præmiſiſſet. Is enim hoc anno, in extaſim quandam ſopori feram ex morbo incidens, exceſſit Romæ in Vaticano, VIII. Kal. Auguſti, hora noctis V. ætatis LX. Pontificatus verò VII. menſe x. die 27.

XV. *Moritur Innoc. PP. & aliqua de illo narrantur.* Hæc Leonellus Concordienſis Epiſcopus, in publico Patrum conſeſſu, in defunctum pro Concione dixit, quibus breuiter vitæ eius ſummam complexus eſt. Ortus eſt Innocentius patria, Genua, Ligurum metropoli, terra, marique potentiſſima familia Ciborum, vetuſta nobilitate, apud Neapolitanos quoque ſub Tomacellorũ cognomine inſigni, ex qua & Romanus Pontifex Bonifacius Nonus, & Cardinales, & Epiſcopi complures tamquam ex equo Troiano prodiere. Parens ei fuit Aaron, equeſtris ordinis vir probatiſſimus, & in regenda Neapoli, & in Prætura vrbana, quem nunc Senatum appellant, adminiſtranda Illuſtriſsimus. Liberalibus cumprimùm per ætatem licuit, à parentibus traditus diſciplinis, ad eruditionem magis, quàm oſtentationem profecit. Initiatus Eccleſiaſticis ſacris, Romam veniens, in clientelam Philippi Cardinalis Bononienſis, Nicolai Quinti primæ Sedis Antiſtitis germani, ſe contulit: qui eius virtuti tantum tribuit, vt ipſius fidei, ac diligentiæ proprij corporis, ac rerum ſuarum curam crediderit, & per omnes eum gradus ad Epiſcopatum vſque prouexerit. Quo in ſtatu tantam omnium ſuauiſſimus moribus beneuolentiam ſibi conciliauit, vt aſſumptus ad ſummam cathedram Xyſtus eius nominis Quartus, quem priùs ob eius ingenij amænitatem, dexteritatem, atque modeſtiam, maiorem in modum dilexerat, in domeſticum, & Datarium, quod eſt non paruæ exiſtimationis officium adſciuit: in quo ità ſe induſtrium, fidum, vigilantem & integrum geſſit, vt creſcente in dies magis, magiſque ipſius apud Xyſtum gratia, & auctoritate, non ſolùm ex Sauonenſi Eccleſia, ad Melfitenſem translatus, verùm etiam ſecundis Cardinalium creandorum comitijs in ampliſſimum ordinem ſummo omnium conſenſu, nec minori gratulatione fuerit cooptatus. Cardinalis renunciatus, officio, & dignitati numquam defuit. crebrò, quod eſt optimi Senatoris, in Senatum veniebat. graues, liberas, & oppurtunas de rebus magnis, & arduis ſententias dicebat: aderat aſſiduus publicis ſolennitatibus rei diuinæ; & præter ſuam, quam promptiſſimè obibat, aliorum quoque deſidentium vicem, hilari & deuota mente ſupplebat. Alebat prætereà vir ditiſſimæ paupertatis multam, honeſtemque familiam, tanta moderatione, vt in recta priuatæ domus gubernatione, iuxta ſcitam Diui Apoſtoli traditionem, optimum ſe vniuerſalis Eccleſiæ rectorem futurum demonſtrarit. Præbuit tamen priùs de ſe maius ſpecimen probitatis. Demandatum ſiquidem turbulentiſſima peſtilentiæ tempeſtate legationem Romanam, Xyſto Pontifici Maximo cum tota Curia vrbem Romam deſerente, ſanctè, integrè, ac etiam pacatiſſime adminiſtrauit. Senenſem quoque difficillimis ſanè temporibus tanta prudentia, & magnitudine animi geſſit, vt ex ea ſplendiſſimam laudem reportauerit. Deſignatus eſt deinde in Germaniam Legatus: cum in cunctis ad Eccleſiæ dignitatem, proſperitatemq; ſpectantibus, ſe obſequentiſſimum, omni labore poſtpoſito Summo Pontifici exhiberet, viſum eſt, illum ad vrbem reuocare, vbi illum Pontificium faſtigium paulò poſt exciperet. Pontifex, non minus quàm olim in omni acta vita humilitatem diligentiſſimè ſeruauit; doctus à magno Gregorio, qui nihil in Pontificali ceruice ſplendidius fulgere, quàm humilitatem, aiebat. Eadem itaque humanitate, affabilitate, ac benignitate cunctos ſuſcipiebat, qua & Epiſcopus, & Cardinalis anteà conſueuerat: vt idem ſemper, ſeruato tamen decoro, fuiſſe videretur: nec immutati in eo mores, ſed aucta tantũ dignitas cognoſceretur. Sermonis tanta dulcedine & elegantia, ac iudicij perſpicacitate, cuncta poſtulata colligebat, & petentibus reſpondebat, vt nemo vmquam potuerit ſine admiratione audire. Sanè illud, quod eſt Principis proprium, obſeruabat, vt ſiue concedendo, ſiue negando, neminẽ à ſe triſtẽ dimitteret. Salutares cogitationes, de repub. Chriſtiana ſuſcipiens, omnem curam, mentem, atque diligentiam, ad tuendam Eccleſiæ dignitatem, ad religionem Chriſtianam Zizimo Sultano iam maximis laboribus habito propagandam, ad ſubditorum commoda, adque ſeditiones, diſcordias, & ſchiſmata tollenda conuerterat. Conſtantiſſimus Iuſtitiæ cultor, pacis ſtudioſiſſimus amator, & exuberantis annonæ vigilantiſſimus inſtructor, ſedatis honorificè ſibi ingruentibus bellis, peculiares Eccleſiæ populos, & Romanos inprimis quàm feliciſſimos exoptauit. Exultauit ſummopere, cùm ad maiores dignitates viros extulit eruditos, & probos: erat enim illi vera inſita bonitas, quæ illum ad quaſcumque actiones optimas propenſiſſimum ſuper omnia reddebat. Sic propterea in pauperes miſericors, afflictorum non minùs conſolator, quàm Principum ſuſceptor liberalis, & Dei & Sanctorum eius pientiſſimus venerator. Pontificale item palatium, miro, ſumptuoſiſſimoque opere exornauit, & multiplicauit, & multiplici, pretioſaque ſuppellectile, tam diuinis, quàm domeſticis vſibus apta largiſſimè decorauit. Viſitatus à Domino pluribus longiſque morbis, quos patientiſsimè tolerauit, multa ſanctè, & vtiliter cogitata perficere nequiuit. Adueniente demùm diuinæ vocationis hora, ſumptis ex ritu Chriſtiano deuotiſſimo animo ſalutaribus Sacramentis, intrepidè adeò ſpiritum reddidit creatori, vt quaſi iam compos æternæ gloriæ videretur (ſicut erat) cæleſtem vitam morte commutare. *hæc Leonellus.* Vbertus porrò Folieta iſtud ei elogium ſcripſit.

XVI. *Eiuſdem elogium.* Innocentium Octauum è nobili gente Cibo; moderationis, clementiæ, animi ab omni contentione remoti, ac pacis, & concordiæ ſtudioſi fama ad Pontificatus Maximi honorem, omnium humanorum altiſſimum extulit: quem ille iiſdem artibus exercuit, quibus per omnes honorum gradus conſcendens adeptus eſt. Duæ enim inter ſe contrariæ, inſigneſque virtutes in eodem ornando conuenerunt, ſumma ſeueritas, & ea, quam diximus, eximia clementia. Nam nemo acriùs maleficia puniuit, ſub nulloque Pontifice Vrbs pacatior, aut quietior fuit, minuſque furtis, cædibus, maleficijs infeſta. Ingenio verò ita miti ac benigno fuit, vt Ioannem Baluum, Cardinalem Andegauenſem, à quo per ſummam perfidiam oppugnatus eſt, quippè qui Concilium contrà ipſum conflare ſtuduerit, tantæ iniuriæ oblitus, veniam petentem nihil retractans, in gratiam receperit. vt meritò nullius Pontificis mors ex multorum ſeculorum memoria, maiori luctui, ac mærori, toti aulæ omnibuſq; pijs fuerit, cùm ob incredibilem humanitatem, morumque ſumitatem, ac ſingularem innocentiam omnibus ſummis, & infimis, æque charus ac venerabilis eſſet. Initia Pontificatus nonnihil inquieta, & infeſta





habuit, ad bellum Neapolitanum à Proceribus illius regni attractus, inani ſpe oſtenſa ditionis & dignitatis Pontificię amplificandę: qua ſpe illuſus, moleſtum negotium, ab ipſiusque naturá & profeſsione alienum, mox depoſuit: poſteaque ab omni armorum tractatione perpetuò abhorruit; totaque Pontificatus mens fuit, pacem, & concordiam inter Chriſtianos Principes conciliare; in quibus contra Turcas Chriſtianá regna occupantes aſsiduè incitandis, nullum vmquam optimi Parentis, ac ſeduli Paſtoris officium prætermiſit. ] In extrema ægritudine, cùm aliquis Medicus Hebræus, inſcijs reliquis, pharmacum quoddam, ex ſanguine à pueris decem annorum, maximo cum infantium diſcrimine hauſto paraſſet, illique offerre voluiſſet, totus exhorruit, & feralem hominem comminata morte, in fugam coniecit. Moribundus, cum Borgiæ Cardinali, decretũ de Præfecto molis Adriani renunciaſſet, illudque Ruuereus Præfecti amicus, in ſuam contumeliam, per Borgiam extortum exiſtimans, multis contumelijs, acerrimiſque iniurijs Borgiam prægrauaſſet; Innocentius Pontificiæ dignitatis memor, contendentes repreſsit; dicens, haberent rationem Pontificiæ Maieſtatis, vel ſaltem CHRISTI, cuius perſonam ſuſtineret; nec non & dignitatis Cardinalitiæ, quam gererent.

Sepultus fuit Innocentius in Baſilica S. Petri æreo monumento; quod nuper eius gentilis, Albericus Cybo, in nouum Baſilicam, vnâ cum ſtatua æreâ tranſtulit, epitaphiumque illi ſcripſit hoc ſchemate.

INNOCENTIO VIII. CYBO

PONT. MAX.

XVII. *Epitaphium eiuſdem.* *ITalicæ pacis perpetuo cuſtodi: noui Orbis ſuo æuo inuenti gloria, Regi Hiſpaniarum Catholici nomine impoſito: Crucis Sacroſanctæ reperto titulo: Lanceâ, quæ Chriſti hauſit latus, à Baiazete Turcarum Imp. dono miſſâ, æternum inſigni monumentum, è vetere Baſilica, huc translatum, Albericus Cybo Malaſpina, Princeps Maſſæ, Ferentuli Dux, Marchio Carrariæ, Pronepos, ornatius, auguſtiuſque Poſ. Anno M. DC. XXI.*

XVIII. *Moritur Laurentius Mediceus.* Præceſsit Innocentium, eius primò hoſtis, deinde amicus & affinis, Laurentius Mediceus, Reipubl. Florentinæ facilè princeps. Is enim Florentiæ in Hetruria, die VIII. Aprilis vitâ functus eſt. Ex Hyppocondriacis doloribus laborans, cum mortem ſibi cerneret imminere, nihil prius habuit, quam vt animę medicum accerſeret, cui de contractis totâ vita noxis, Chriſtiano ritu confiteretur. Nocte mediá quieſcenti, cùm Sacerdos ſacram Euchariſtiam deferre nunciaretur; *Procul, inquit, à me hoc abſit, patiar, vt* IESVM *meum, qui me finxit, quique redemit, aduſque cubiculum hoc venire. tollite hinc obſecro me quamprimum, tollite, vt Domino occurram.* Et cum dicto ſubleuans ipſe ſe quã tum poterat, atque animo corporis imbecillitatem ſuſtentans, inter familiarium manus obuiam ſeniori ad aulam vſque proceſsit. cuius ad genua prorepens, ſupplexq; ac lachrymans: *Tune inquit, mitiſsime* IESV, *tu nequiſsimum hunc ſeruum tuum dignaris inuiſere? At quid dixi ſeruum: imò verò hoſtem potius, & quidem ingratiſsimum, qui tantis abs te cumulatus beneficijs, nec tibi dicto vmquam audiens fuerim, & tuam toties læſerim Maieſtatem. Quod ego te per illam, qua genus omne hominum complecteris charitatem, quæque te cælitus ad nos in terram deduxit, noſtræque humanitatis induit inuolucris, quæ famem, quæ ſitim, quæ frigus, æſtum, labores, irriſus, contumelias, flagella, & verbera, quæ poſtremo etiã mortem, crucemq; ſubire te compulit: per hanc ego te ſalutifer* IESV *quæſo, obteſtorque, auertas faciem à peccatis meis: vt cum ante tribunal tuum conſtitero, quo me iamdudum citari planè ſentio, non mea fraus, non culpa plectatur, ſed tuæ Crucis merito condonetur. Valeat, valeat in cauſa mea ſanguis ille tuus* IESV *pretioſiſsimus, quem pro aſſerendis in libertatem hominibus, in ara ſublimi noſtræ redemptionis effudiſti.* Dixit, Sacrum Chriſti corpus, maximâ cum deuotione ſuſcepit Petrum filium Principatus, & virtutis hæredem deſignauit, monuitque, virtutem modò & bonam mentem coleret; non defuturum cœlitus patrocinium. Cùm autem ad eum ingreſſus eſſet. F. Hieronymus Sauonarola Ferrarienſis, hortareturque, vt fidem retineret: ille verò tenere ſe ait inconcuſſam, vt quàm emendatiſsimè poſthac viuere deſtinaret: ſcilicet, facturum obnixè reſpondit: vt mortem denique, ſi neceſſe foret, æquo animo toleraret: *Nihil verò*, inquit ille, *iucundius: ſiquidem ità Deo decretum ſit.* Benedictionem ſubinde ab eodẽ Patre poſtulauit, preces præparatorias ad mortem ſimul vnà recitauit, erratorum à ſingulis veniam ſibi concedi expetijt, totumque ſe poſt illa perunctioni extremæ, demigrãtiſque animæ commendationi dedidit. Recitari dein Euangelica hiſtoria cœpta eſt, quâ ſcilicet irrogati Chriſto cruciatus explicantur: cuius ille agnoſcere ſe verba, & ſententias propè omnes, modo labra tacitus mouens, modò languentes oculos erigens, interdum etiam digitorum geſtu ſignificabat. Poſtremò ſignum Crucifixi, defixis vſquequaque oculis intuens, identidemque deoſculans expirauit: vir ad omnia ſumma natus. Qua nocte obijt Laurentius, ſtella ſolito clarior, ac grandior ſuburbano imminens, in quo is animam agebat, illo ipſo temporis articulo decidere, extinguique viſa. quo compertum deinde eſt, eum vita demigraſſe. *Politian. lib. 4. epiſtol.*

XIX. *Facta eiuſdem recenſentur.* Ioannes Michael Brutus, hiſtoriæ Florentinæ ſcriptor non obſcurus, in Laurentij laudem illuſtria quàmplurima ſcripſit; ſcilicet, quòd Florentinos, propter bellorum diuturnitatem, otij & pacis artium oblitos, ad reſpiciendam magiſtratuum autoritatem, legibus, & iudiciis conſtitutis reuocauerit: eaque ratione egentium, ac perditorum hominum audaciam coercuerit, fidemque vel retinuerit, vel ab infinitá hominum cupiditate vindicauerit: ad bella quæcumque gerenda, Reipublicæ Florentinæ, ſumptus, vel ex ſuo ærario, vel à ciuibus mutuò acceptis pecunijs, ab undè ſuppeditauerit: mercaturam, & agriculturam, ex quibus robur, ac nerui omnes in Rempubl. diducũtur, & ipſe exercuerit; & ciues ad exercendum, exẽplo, & authoritate ſua induxerit; ac præcipuè lanæ, & ſerici Textrinis addixerit: ac prætereà ad conformandos ciuitatis mores cõuerſus, liberalium artiũ inſtaurãdarum cura ſuſceptâ Piſis opportunâ maximè ciuitate, quò plures ſuo beneficio comprehenderet, Gymnaſium inſtituerit, ac claris hominibus, qui iuris ciuilis Prudentiam, Philoſophiam, ac cæteras liberales artes profiterentur, amplis propoſitis præmijs illud impleuerit: ac inſuper Florentiam eruditos, & magni nominis Philoſophos, Chriſtophorum Landinum, Marſilium Ficinum, Demetrium Chalcondylam, Angelum Politianum, Marullum Trachaniotam, Ioannem Picum adoleſcentem, præter generis nobilitatem, excellenti quadam eruditione clarũ, quâ ſibi Phænicis nomen conſenſu Doctorum omnium quæſierat, acciuerit, magno in honore habuerit, cum eis de omnibus, quæ ad Religionem colendam, & ad vitæ inſtitutionem pertinerẽt, cùm à Republ. otium eſſet, diſſeruerit; eoſque iuuentuti, licentia vitæ, & luxuria diffluenti præceptores adhibuerit. Hæc cùm in laudem Laurentij ſcripſiſſet; non prætermiſit etiam aliqua, Laurentio, abſolutam dominationem ſiue ſibi, ſiue ſuis paranti affingere; ſcil. immoderata gloriæ cupiditate, fortunam æquè indulgentem, ac aduerſantem ſuperaſſe; maximas relictas à patre diuitias, liberalitatis, & magnificentiæ oſtentatione, ſiue clarum ambitione, ſiue ſtudio virtutis expoſuiſſe: præſidio militum ſtipatum, ciuium libertati, ſiue illudere, ſiue tyrannidem imponere voluiſſe: Parios, pro concione, non inuidioſa minus quàm vera oratione in Laurentium dixiſſe; Eò ventum eſſe patientiâ ciuium, vt non iam illi Dominum ſibi eſſe ferendum, quod mitius malum

tempore coacti iamdiu pertulerint; ſed dominationem, atque eam quidem importuniſsimam, & minimè tolerandam intelligerent. Ioannem Medicem regnaſſe priuatum ciuem in libera ciuitate, magna eorum infamia, per quos illi creſcere eò vſq; licuerit: ſed irà, vt libertatis veſtigia aliqua eſſent reliqua: Coſmum filium item exercuiſſe Regnum, ſed in aduerſarios, in inimicos infeſtiſsimos, in eos, qui adductum antea in capitis diſcrimen, & carceris indignitatem, & calamitatem exilij ſubire coegiſſent. Sæuijſſe Petrum in ſui oppreſſores, viros quidem optimos, ſed inimicos tamen: ab amicis, affinibus, cognatis abſtinuiſſe. Tempore ali impunitatem, & in eos, qui ſemel patientiâ obduruerint, noua, atque intoleranda imperia, iniurias omnes, atque acerbitates excogitari. Ita Laurentium, & Iulianum Petri Medicis liberos, non iam quid poſsint modò ſentire, ſed etiam, vt quid poſsint, alij intelligant, laborare; ac quò illos non ius, non æquitas, non pudor, ſed libido, ambitio, crudelitas impellat, contumelioſè, ac ſuperbè in omnes, non ordinis, non coniunctionis, non affinitatis vlla habita ratione, edicere, decernere, ſtatuere. Eadem animi impotẽtia, publicam pecuniam, qua maiores ditati, honeſtis tamen in ſpeciem nominibus cupiditatem obtexerint, expoſitam palàm quæſtui habere; ea fidem, exiſtimationem, familiæ dignitatem ſuſtinere: cum ob vnam regnandi cupiditatem vaſtam, atque immanem, domeſticas copias egentibus hominibus, ſibi beneficio obſtringendis, effuderint; quorum ſcelere atque audacia, licentius in dies, & maiore cum contemptione, in ſuorum capita inſultent. Addit Brutus; in Laurentio fuiſſe fiduciam ſui ingentem, & ambitionem parem, inimicam, rem vtramque ſanis conſilijs, vt cum prætereà maxima fortunæ adiumenta, quaſi additamenti loco accederent, æquum cenſeret, omnia ab ſe vno peti; neque fratrem aliquando ſalutaria monentem audiret, ac omnibus in rebus, quod ſibi ſemel conducere ſtatuiſſet, conſulto occaſiones inquireret, aduerſariorumque autoritatem in Republ. eleuaret. Tradiderunt etiam nonnulli, ipſum de religione ſecus ſenſiſſe, vt idem Brutus narrat, & reponit; ipſum de religione optimè ſenſiſſe viſum eſſe, vſque eo, vt eos, quorum minus de ea recti eſſent ſenſus, aculeo etiam perſtringeret orationis, minimè inquiens mirandum eſſe, mortuos homines de animorum immortalitate, & de beata vita dubitare. Iſta & alia Brutus, cum recenſeret, memorabat pariter, qui tunc mores Florentinorum, quando Laurentius Rempublicam gerere videbatur. Reſtincta, *ait lib. 5.* bellici incendij flammam, repentè obliti Florentini, vt fit in ſecundis rebus, quanto defuncti eſſent periculo, ex nimio otio, atque animi ſecuritate, ad inertiam & deſidiam conuerſis animis, vt numquam antea maiorum memoria, ad omnia vitia, quæ turpia magis, & deteſtabilia ſunt in hominum vitâ, intoleranda, atque infinita licentiâ aditum ſibi aperuerunt. Tãta autem infamiâ tum ciuitas laboraſſe fertur, vt ſcriptores eius temporis (credo, quod natis hominibus ad induſtriam, & frugalitatem, multò etiam quàm eſſet grauior videretur) dignam rem exiſtimarint, quam memoriæ hominum proderent. Quærebãtur grandes natu homines, temporum vitio commutatã faciem rerum, in qua ciuitate ſummâ cum laude maiorum, parſimonia victus, & moderatio viguiſſet, in ea ipſa, quas res priuatorum ambitio, & mollitia animi oſtentaret, luxum, illecebras, mollitiem, corruptelas, nequitiam omnem, & vitæ turpitudinem hæſiſſe. Itaque quorum maiores multis laboribus ferendis, virtute, abſtinentiâ, probitate excolendâ ciuitatem florentiſsimam feciſſent; eos tamquam pudore amiſſo, iam, quod deperderent, nihil reliqui haberent: fœdiſsimis voluptatibus diffluentes, vino, alea, luxuriâ perditos, turpiſsimis amoribus, atque intempeſtiuis conuiuiis addictos, nullis non flagitiis coopertos, & ſcelerum conſpici. In legum, & iudiciorum contemptione poſitam ſummam impunitatem; in audaciâ, & temeritate fortitudinis laudem; facilitatis in animi remiſsione, atque indulgentiâ; in maledicentia, & dicacitate, commoditatis & elegantiæ; omnia languidè, diſſolutè, molliter agi, ac per ſummam ignauiam, atque inertiam. Corporis cultum, in quo cum ſtudium, atque induſtria excelleret, tum nè quid luxui deeſſet, vnguenta ſummo labore, & pretio quæſita conſumerentur, quibus obliti in matronarum cœtu homines delicati, atque elegantes niterent: contrà, cultum animi nullum; nullam diſciplinam, ac vitæ inſtitutionem dignam liberis hominibus, nullam officij religionem, nullam fidei. Cætera ex eodem inſtituto, fœditatem in moribus, & turpitudinem, ſtudium eorum, quæ conſpicerentur, quòd ambitio & cupiditas definiret immenſis finibus: in luſtris, in ganeis, in ludo talario frequentiam; in curia, & foro ſolitudinem, & vaſtitatem; alendis improbis hominibus, Lenonibus, Sicarijs, aleatoribus profuſiſsimos ſumptus; fouendis miſeris, honeſtis artibus prouehendis, ſordes, atque auaritiam incredibilem. Hæc *Brutus*, de moribus Florentinorum hoc tempore, & de Laurentio Mediceo rerum potente. *lib. 5. 6. 7. & vltimo, hiſtoriæ Florentinæ.*

Florentinorũ hoc tempore mores.

XX. Hieronymus Sauonarola Priorem agit S. Marci Florẽtiæ.

Præerat id temporis, Cœnobio Dominicanorum S. Marci, Florentiæ, F. Hieronymus Sauonarola Ferrarienſis, quem ad actum vitæ extremum, Laurentius, vt ex Politiano narrauimus, acciuerat. Priùs, nullã ratione adduci potuit, vt Laurentio inclinaret; nè illius actiones, ſiue in ambitu dominatus, ſiue in permiſsione, vt aliqui criminabantur, tot, quot Brutus recenſebat, flagitiorum probare videretur. Quamobrem congreſſum, & conſuetudinem illius, modis, quibus poterat, fugiebat; vtpotè libertatis Reipublicæ ſtudioſus, & ſcelerum obiurgator acerrimus. Vſus, vel abuſus obtinuerat Florentiæ, vt quicumque, cuicumque Religioſorum Cœnobio præfectus, ſtatim, atque magiſtratum iniuiſſet, Laurentium, quaſi vrbis Principem conueniret, & gratijs pro munere Præfecturæ, velut ex eius arbitrio, à ſuffragatoribus collato actis, ſe in eius poteſtate futurum teſtaretur. Prælatus ſui Ordinis Cœnobio Sauonarola, ire neglexit, ac interpellatoribus Senioribus reſpondit; ſe illorum ſuffragio à Deo Paſtorem deſignatum, Deo, non Laurentio omnia debere. Offendit ea res Laurentium, qui æquum eſſe cenſebat, omnia ab ſe vno peti; & iniquum eſſe dicebat, hominem aduenam, ad vrbem, ſeu domum ſuam veniſſe, neque ſe tamen conueniſſe, aut officium feciſſe. Itaque quibuſdam familiaribus ea de re conqueſtus, vt illi hominem conciliarent, cuius magnam eſſe in populo autoritatem non ignorabat, ſollicitus laborabat. Hieronymo, nihil mouente; tandem per ſpeciem Miſſæ audiendæ, non ſemel ad S. Marci veniens, & in horto cœnobii exſpatians, hominem ad colloquium elicere conabatur: vt is pro more aliorum Regularium recepto, obuiam prodiret, diuertentem comitaretur, & ſermonibus non ingratis oblectaret. Adduci, neque etiam Seniorum precibus potuit, vt non vocatus occurreret, accederetue: cubiculo incluſus, ac religioſis occupationibus intentus. Tentauit ſæpe ſæpiùs muneribus ſubmiſsis corrumpere? ſed fruſtrà cum is aſsimilem ſe iam diceret, qui offam quidem ab extraneo obiectam non ſperneret; cæterùm neque à latratu abſtineret, quo hoſtes domus, vel domini deterreret, aut profligaret. Aliquando etiam non contemnendam aureorum ſummam, in oblationum arcam inijciendam miſit: vt Hieronymus tàm inſigni beneficentiâ fractus conciliaretur. Hos ille aureos à Laurentio miſſos, edoctus, à reliqua pecuniâ ſeparari, & ad S. Martini, *Bonos*, quos vocant, *hommes*, iuuandis nobilibus egenis deſtinatos, ferri iuſsit; præfatus, non ſe tali,

Eidem offenſus Laurentius Mediceus.





ac tanta pecuniâ indigere. muſſabant fratres, qui iam in vſus Cœnobij aurum ſpe expenderant: verumtamen Hieronymus, reuerentia ſui illos compeſcuit, nec quicquam de conſtantia ſua remiſit: exemplum ſecutus illius, qui aurum, & amicitiam Iuliani Imperatoris, non tantum neglexit, ſed etiam contempſit. *Mſ. Vita Sauonarollæ, & duo authores.* Reliqua actionum Sauonarollæ (de quo ſæpius tractandum in conſequentibus erit) antequam memorem, opere pretium eſt, ab ipſius ortu ordiri, & hactenus acta quemadmodum ab Ioanne Franciſco Pico, Comite Mirandulano, & alijs auctoribus ſcripta ſunt, enarrare.

## I.

XXI. Sauonarolæ initia recenſentur.

Natus eſt Hieronymus Ferrariæ XI. Calend. Octobr. anno 1452. patre Nicolao Sauonarolla, nobili Patauino, matre Helena, ex illuſtri Bonacoſsiorum familia. Michael auus paternus, qui Patauio artis medicinæ docendæ, & exercendæ à Nicolao Ateſtino accerſitus, ſtirpem, Ferrariam intulerat, vt arte Grammatica inſtrueretur puer nepos Hieronymus, quoad vixit, operam dedit. Illo vita functo, tradidit eum Nicolaus pater cæteris liberalibus erudiendum; eo quidem conſilio, vt imitatus aui veſtigia, & opibus, & gloria familiam pergeret exornare. Addiderat ipſe literis religionis cultum, cui à teneris, vt aiunt, vnguiculis, adeò ſeſe dediderat, vt cum eiuſdem ætatis pueris ludere congreſſus eſſet, paulò poſt digrederetur ad altariola conſtruẽda: quamquam pietas vbi aliquantulum adoleuit, occulebatur, quodam quaſi velamento litterarum; quas ſic excoluit, vt ſpem de ſe amplam litterario gymnaſio concitarit. Erat Hieronymo intellectus perſpicax, ſolertia acris, iudicium clariſsimum, quod in veritatem ipſam quaſi ſuapte natura ferretur. Accedebat huc, & iugis lectio, & delectus auctorum, in verſandis Philoſophorum, Theologorumque monumentis, quibus ſe totum crediderat, nihil ſibi ad ea non legenda modo, ſed ediſcenda reliqui faciens; nihil ferè temporis ab eis vendicans ſibi, niſi dum politiori linguę vernaculę, & Hetruſcis rithmis, quibus per id ætatis aliquantum oblectabatur, operam daret.

## II.

XXII. Philoſophiæ operam dat, & D. Thomæ Aquinatis doctrinæ addicitur.

Philoſophiæ Peripateticæ, quæ ferè ſola hoc tempore excolebatur, pro viribus incubuit: & cum in ea multæ ſectæ haberentur, Aquinatis Thomæ Commentarijs addicebatur, quem aſsidua contemplatione ſe perdiciſſe referebat, & Latinorum Philoſophorum, Theologorumque, qui antea ſcripſiſſent, Principem eſſe prædicabat. In ipſo autem philoſophandi munere ducebatur minimè eo impetu, quo feruntur innumeri, qui quem ſequi malint, Doctorem, non lectione ipſa, ſed vulgi opinione deligunt. Qui error, omnium habetur pernicioſiſsimus in diſcendo: quandoquidem iuſtum voluntatis imperium ex ipſa rerum notitia ſic conſtat exoriri; vt liqueat rerum ſectandarum delectum, non de vaga, quam circumferat vulgus opinione; ſed de percepta, perpenſaque cognitione veritatis pendere oportere. Vnde illud ab eo ſæpius repetitum, vitiari ob id plurimum ſtudia litterarum, quod ordine præpoſtero in Authoribus deligendis, voluntatem intellectus ſequeretur.

## III.

XXIII. Mirus eſt veritatis amator.

Mirus erat veritatis amator euſq; prouectus, vt ſi quid nõ placeret, ingenuè fateretur. Quod ætate procedente ſumpto iam Religionis habitu, & claritate nominis eius ſeſe diffundente, multò oſtendit apertius: quippe qui audiens Græca quæpiam Sexti Philoſophi monumenta adſeruari, in quibus dicerentur, eſſe vniuerſæ doctrinæ humanitus inuentæ, ea è Græco transferri in Latinum, paululum antequam moreretur, mandauerat, prorſus multorum, qui ſe ſcire iactabant, arrogantiam: idque ipſum muneris Georgio Antonio Veſpuccio, vtriuſque linguæ gnaro, qui ex eius erat ſodalitate, delegerat; volebatque eidem operæ Zenobium etiam Acciaiolum vtriuſque linguæ compotem, eiuſdemque virum ſodalitatis incumbere; feciſſentque votis ſatis, niſi mors ipſum violenta rapuiſſet. Eatenus verò ducebatur amore veritatis, vt dum maximè floreret, & ingenti gloriâ, quæ diceret, quæque ſcriberet, circumferrentur, cùm rogaretur ab amicis, quatenus ſuis ſententijs acquieſcere auditores vellet, non aliter reſponderit, quàm aliorum quorumlibet; demptis eis, quæ ſuperno luminę hauſta patefaciebat diuino munere.

## IV.

XIV. Diſputationibus Doctorũ intereſt.

Ad Doctorum hominum coronas diſputare adoleſcens cõſueuerat; vnde oriri cœpit opinio, futurum eum magni nominis virum. Nam propter diſputandi peritiam, & acumen ingenij multos ſibi conciliauerat. Non erat facile iudicatu, vtrum eius eruditio morum grauitatem, an hæc doctrinam excelleret: virtutibus huiuſcemodi ſic inter ſe certantibus, vt ex earum conflictu rarum quoddam, imò magis Hieronymi proprium reſultaret: quando inter eos, qui liberalibus artibus vacabant, prodigio par eſſet, qui Philoſophorum litteras Chriſtianis virtutibus redimitas profiteretur; quæ tamen, ſi eis non condiantur, vti gladius in furentis manu, & hoſtem perſæpe, & dominum etiam iugulant. Conſuetudo ei cum alijs perrara; ſibi ipſi ſemper comes: mos autem fuit ſpatiandi ſeorſum, tum fouendi animi gratiâ, tum illud meditandi maximam hominum partem laborare ſtultitia, ob id, quod finem, ad quem nati, aut ignorarent omnino, aut notum non procurarent acquirere. Propterea à populari cœtu, & Curia abſtinebat maximè, vſque adeò, vt nonniſi ſemel tota ſua vitâ primarum, in arcem Herculis Principis, quo Ciues omnes confluebant, introierit; totus ſ. veritati contemplandæ mancipatus.

## V.

XXV. Ordinem Prædicatorũ ingreditur.

Hoc vitæ tenore ad annum vſque ætatis ſecundum & vigeſimum ſeruato, cogitare ſecum cœpit, perſeuerandum nè ſibi foret in ea vita, quam viuebat, an alia potior quærenda: diuque ambigenti ei, ac variarum concurſu opinionum auxilio, nocti per ſoporem frigidiſsima quædam aqua in corpus illabitur: ob quam de ſomno continuò excitatus, animatus fuit ad nouã capeſſendã vitam, Deo ita volente, qui animabus eũ potius, quã corporibus mederi malebat, moderabaturq; iam in eo illecebras carnis, & ſaluberrimo illo frigore feruorem ætatis reſtinguebat. Quare & Chriſtum ſequi omnino, & omni humanæ gloriæ nuncium remittere ſtatim cõſtituit, ad quod faciendum, non nihil etiam ex ſermonibus ſacerdotis cuiuſdam Auguſtiniani, quaſi diuinis ſtimulis vrgebatur. Ergò Fratrum Prædicatorum Ordinem præ cæteris delegit, in quo Deo militaret; allectus illius egregia famà, & meritis; & quòd Thomæ Aquinatis, Doctoris illorum præcipuè placita ſectaretur. Iſtud conſilij, cum parentes, & fratres latere voluiſſet, die S. Georgij, quo Ferrarienſes in honorem Tutelaris Diui, ſolemnibus occupari ſolebant, clàm vrbe diſceſsiſſet; & Bononiam profectus, in cœnobio S. Dominici habitum eius Ordinis, ſed Clericalem induit; oblitus omninò propoſiti cuiuſdam, quod prius altè menti inſederat, ſacerdotij ſcilicet refugiendi: quippè qui conſtituerat, inter eos, quos appellant Conuerſos, vel hortum colere, vel manuale officium exercere, ac in ſimplicitate cordis propriam tantũ, non alienã ſalutem curare. Diuino decreto factum; qui erudiendis populis illum deſtinabat. Quòd autem conijceret, parentes eam vitæ illius mutationem ægrè laturos, illis datis litteris

hortatus eſt, nè eam felicitatem ſibi inuiderent, neu è dolorem exinde conciperent; quandoquidem præſtantius eſſet animabus, quam corporibus mederi.

VI.

XXVI. *Lectorem agit, ac SS. Patrũ ſcripta diligenter perluſtrat.*

Tyrocinio in Ordine S. Dominici poſito, cum ex voluntate ſuperiorum, aliquot annis Philoſophiam naturalem, & Metaphyſicam ſumma cum auditorum vtilitate docuiſſet, & complures diſcipulos feciſſet, ſe poſitis curioſis ſubtilitatibus, Chriſtianæ ſimplicitati ſe penitus dedit, ac ferendæ, fouendæque pietati, Collationes Caſsiani, Meditationes S. Auguſtini, Sanctorum Patrum Vitas, Diuo Hieronymo adſcriptas, ac inprimis diuinitus ſcripta veteris, & noui inſtrumenti eloquia, nocturnâ, diuturnaque manu ita verſauit, vt totum ferè ſacrorum librorum canonem, & memoriâ teneret, & profundè, exacteque, quantum homini licet, intelligeret. Vnde, & peccatis hominum audiendis, & eis de ſuggeſtu corrigendis, reprimendiſque adſcriptus, delegata ſibi munera viribus omnibus implere pergebat: quamquam illud, vt hoc commodiùs exequeretur, poſtremis vitæ annis depoſuerit, omni conatu cõcionibus habendis intẽtus. Quibus perorandis, tametſi & vocis, & geſtus gratiâ, & ſelecta etiam dicendarum rerum copia, in ipſis initijs deſtitueretur, diuino tamen munere proficiebat, & non paucos à ſupremis vitijs, ad virtutes ſummas euocabat. Nec ſolum, quæ de pulpito ad plebem faciebat verba, verum & quæ priuatim etiam diſſerebat, vim Euangelici illius probati ſeminis afferebant, quod cum alias ſæpiſſimè accidit, euenit etiam quodam tempore, quando Ferraria, Mantuam naui vehebatur; in qua decem & octo milites, obſcœna iactantes, impetratâ ab eis veniâ dicendi, ita diſſerendo perculit, vt vndecim ex illis ad eius pedes prouoluti, inueterata multorum annorum flagitia confeſsi, vitam in melius commutarint: quippe qui nõ magis verbo, quàm exemplo virtutem formaret.

*Canonis regularis, & Virginitatis illibatæ diligentiſsimus cuſtos.*

Regularis obſeruantiæ rigidus à ſe exactor, votorumque, quæ labijs in profeſsione diſtinxerat, vigilans adeò cuſtos, vt paupertati ſeruandæ pannoſus, ſemper inceſſerit, ſtramineo ſacco incubarit præter ſacra Biblia, nihil aliud retinuerit, ſomni, cibiq; parciſſimus fuerit, virginitatem illibatam (vt Vincentius Bandellus Dominicanorum Generalis; Alexandro VI. Summo Põtifici aliquando teſtatus eſt) toto tempore vitæ ſuæ ſeruauerit; puritatem nullo mortali peccato contaminatam (quod Sebaſtianus Brixianus: Congregationis Dominicanorum Lombardiæ Præfectus, qui amplius, quàm centum vicibus eius cõfeſſiones exceperat, perſanctè affirmabat) retinuerit; perque ſummam perfectionem virtutum, intrepidus, ad arguenda flagitia, ſiue publicè, ſiue priuatim euaſerit.

VII.

XXVII. *Vitia hominum intrepidè arguit.*

Egebat Apoſtolico iſto ſale Italia: quando nullus ferè hominum ſtatus, nullus ordo, nullus ſexus non ſcordeſceret, ſceleribus opertus. Sacerdotium, Simoniaca perfidia, Epiſcopi & reliqui dicebantur auſpicari, nec non auaritia, & luxuria polluere, Angelis venerabilem dignitatem. Cultus Dei, ab eis neglectus; ſacra vel obſoleta, vel nonniſi ad ſpeciem miniſtrata; diſciplina Eccleſiaſtica proiecta: quin etiã ferebantur aliqui Deum nõ colere, & in fidei Chriſtianæ contẽptum, contumeliamque pleraque ſpargere ſanè Marſilius Ficinus, Canonicus Florentinus, nullam Chriſti, aut B. Virginis, vel alicuius ſancti imaginem, ſed ſolius Platonis in cubiculo habebat, & antè eãdem, dies noctesque lampadem ardentem perpetuò ſuſpendebat; ille vir tantoperè Laurentio Medici & Florentinis chariſsimus, neq; pauci erant, qui de immortalitate animorũ nil planè credentes, Epicuri vita ducebãt. Cõplures; qui Religioſę addicti vitæ, ab inſtitutis ſe laxioribus ſecreuerant, & traditas à Patribus Regulas profitebantur, vnde & ſibi cognomen vſurpauerant, ad hypocriſim dilapſi offendiculum ſæcularibus ponebant. Proinde feruorem illum Chriſtianis debitum, non modo in viuum ſuum tepuiſſe iudicabant hi, qui Deum in ſpiritu, & veritate colebant, ſed & torpuiſſe penitus, & refriguiſſe. Ad hæc Principes tyrannicã vim publicè exercebant; & aſſentatoribus, lenonibus, malarum, turpiſsimarumque voluptatum miniſtris abundabant, qui rapinarum admonerent, qui ad improbitatem impellerent, quique etiam ad auaritiam, atque Chriſtum contemptum, flagitiaque ad alia velut manu ducerent. Qui vexabantur, nihilominus voluptatem illam, quæ in popinis, ganeis, luſtris, pluma, aleâ, ſordibus, domicilium ſibi conſtituit, ſectabantur. & ſtupris, ſacrilegijs, nefandis vitijs, rapinis, concuſsionibus, alijſque ſceleribus inſeruiebant, vt ſacrum illud repeti potuerit, non eſſe, videlicet, qui faceret bonum, vſque ad vnum. *Ioannes Franciſcus Picus Mirandulæ Dominus, & Concordiæ Comes in Vita: & duo Authores Mſ. Vitæ Sauonarolæ, ex Bibliotheca Marciana Florent.*

VIII.

XXVIII. *Teſtimonium, & Prophetia S. Franciſci de Paula de Hieronymo Sauonarola.*

His putoribus extinguendis, Sauonarolla natus, quantum in hoc tempore pręſtare debuerit, quemue, aut fructum operæ, aut finem vitæ habiturus foret, S. Franciſcus à Paula, Ordinis Minimorum Conditor, ante plures annos prædixit. Simeon quidam Limenius, Chriſtianæ religionis ſtudio feliciter flagrans, & in ſtipem quæritantes maximè liberalis, eundem Diuum Franciſcum, qui anno M. CCCC. LXXIX. arctioris diſciplinæ familiam inſtituerat, ac cœleſti afflatus numine, multa vaticinabatur, vt de Hieronymo Sauonarola, cuius iam tunc rara probitas, & ſingularis integritas arcem pietatis occupaſſe credebatur, quid ſentiret ipſe, ingenuè confiteretur, per literas rogauit. Eas ille ante pendentis Chriſti ſignum proiecit; quem conceptis verbis, vbi exorauit, in hanc ſententiam Etruſca oratione reſpondit:

*Eximius iſte Vir, in quo ſyncera pietas animi cum eloquendi viribus paria facit, rem Eccleſiaſticam in Cœnobijs aliquot ſui Ordinis Labentem ſeueriori lege coercebit. Libros ſtylo non minus aureo, quàm doctrinæ inſignes notis, in publicum emittet. Florentiæ Concionatorem aget præſtantiſsimum, ad quẽ audiendum homines cateruatim confluent, à melioreme delectu habito; myſterijs diuinioribus imbutos; ad aſperiorem, ſacratioremq; viuendi cultum traducet. Verùm, quia improborum, atque ingrati animi vitio laborantium ſeges vberrima eſſe ſolet, non deerunt factioſi, qui innocentiæ laqueos intendant, & inculpatam famam verbis igne maleſicè petulantiſsimè proſcindant. Quamobrem maieſtatis apud Pontificem accuſatus, ab Aduerſarijs per ſummum ſcelus trudetur in carcerem, & falſo iuratis teſtibus, extremo ſupplicio afficietur: ſuſpenſus trabe, medius inter duos ſodales, Chriſti exemplo, animam efflabit, deinde comburetur. Ac ne lecta oſſa, & cinerem, veluti ſacrum, & piaculare quiddam, obſeruantium ſui quiſquam adſeruet, ea in Arnum proijcientur; quãtis ſublegetur nonnihil, idque erit miraculorum ferax. Cæterum adhuc agens inter viuos, intonabit minabundus; Væ tibi Florentia! in duram ſeruitutis aleam abduceris, & alienæ libidini, vel inuita, obtemperabis. Neque dicto fides aberit.*

*Haud multo poſt, duos ex eadem familia Romanos Pontifices Florentina vrbs dabit. Prior excelſi animi vir erit, magnificus, pius, qui & mihi, admittente Gallorum Rege, & cœnobia decernet. Alius natione Belga, in demortui locum ſufficietur, qui breuiſsimum Pontificatum geret. Biennio à priore nondum exacto, Mediceus alter renunciabitur, homo, abſurdis moribus, inquies, aſtutus, immani flagrans odio: cuius improuido conſilio, Roma capietur, diripietur que: cum hoſte inibit fœdus. Florentiam pertinaciter circumſidebit, & Clemens partem clementer oppugnabit; nec ſoluent obſidionem, niſi mercede pacta. Ducem nothum arceſſet, patriæque præficiet; qui & mox per familiaris inſidijs, tolletur à medio. Ciues autem animaduertentes, Republicæ formam incolumem diutius non poſſe retineri, niſi nouum ſubſtituant Ducem, alium eiuſdem familiæ deligent: ea ratione Tyrannis auferetur. Datum in loco Paulæ die XIII. Martij 1479. Pauperrimus F. Franciſcus de Paula minimus ſeruus IESV CHRISTI.*

Extabat antegraphum epiſtolæ exemplar, apud Michaelem Bonellum, Cardinalem Alexãdrinum, ex quo apographum exſcripſit Robertus Ridolfius V. C. quod Dominico Mellino, ciui Romano die 8. Maij anno 1594. & ex eodem tranſumptum Vincentius Giraldus, Bernardo Goadio, die 12. Nouembr. 1595. dedit. cui aſsimile, ſeu verbis æquale eſt in Bibliotheca Herculana Dominicanorũ Peruſiæ, quod hic exhibuimus, Latinum, ex Cent. 1. epiſtolarum *Ioannis Baptiſtæ Lauri Peruſini*, Vrbano VIII. Pont. Max. à cubiculo, & litteris Latinis, quas ex typographia Auguſta Peruſ. prælo dedit, anno ſalutis 1618. & Cardinali Marcello Lanti inſcripſit.





IX.

XXIX. *Aliorum de eodem Sauonarola prædictiones.*

Aequalia, nonnulli alij de Sauonarola prædixere. Sexdecim antequàm Hieronymus naſceretur annis, Tridentinus Monachus Carthuſianus, Albertus nomine, anno 1436. prædixit, futurum virum ex Prædicatorum Ordine ſpiritu Prophetiæ præditum, qui poſt annos circiter quatuor, & quinquaginta ſc. 1490. circiter Florentiæ pænitentiam prædicaret, & iuſtus tandẽ pro veritate moreretur, cõbuſtus in medio filiorum: multa, qui prius ex alto ſecreta reuelaret afflatus diuino numine. Thomas Strata Florentinus eiuſdem Ordinis profeſſor, felici exceſſu, multis in vrbe Florentinâ perſpecto memorabilis, decennio priuſquam Hieronymus celebris haberetur, Vgolino Verino ſororis marito, ſæpius retulit, Hieronymum ipſum, qui tam obſcuri, potiùs, quàm clari nominis ferebatur, futurũ paulò poſt in Eccleſia celebrem.

Proſper Pittius Florentinus Sacerdos, & maioris Templi Canonicus prædixerat, futurum, vt Florentiam vir quidam ex Ordine Prædicatorum celeberrimus à ſacris concionibus accederet, qui res diuinas, quas & ipſe hauſerat, ſed quòd eſſet impeditioris linguæ promere nequiret, veluti Sancti Spiritus Tuba, toti terrarum Orbi patefaceret. Cui poſt annos octo de pulpito concionanti, cum Proſper ipſe præſens adeſſet, animo raptus cognouit, idque Carolo Pittio, amico, & conſanguineo manifeſtum fecit, eundem eſſe illum, quem prædixerat, Florentiam venturum; qua in vrbe poſt opera præclariſsima, & ſuſpendio, & flammis in medio vrbis foro necaretur.

Franciſcus Boni, Ciuis Florentinus, referebat iſtud, ſibi, anno Domini 1487. ſexdecim menſibus antequã Florentiam Sauonarola veniſſet, accidiſſe. Ante S. Michaelis Eccleſiam, à Vicedominis nuncupatam ſpatiabatur; quando aliquis venerando aſpectu vir, quem prius neque viderat, neque cognouerat, illum correpto pallio intus traxit, & ſoli Deo nota arcana ſe ei reuelaturum pronunciauit. Dixit, Vindicem flagitiorum Chriſtum, Florentiam vrbem, propter innumerabilia ſcelera in ea commiſſa; velle deſtruere: ſed *Mariam* Virginem peccatorum aduocatam, pro Florentinis interceſsiſſe, ac ſuæ peculiaris curæ eam ciuitatem renunciaſſe: cumque Filius facinora ciuium exprobraret; illã pectus, & vbera ipſi oſtendiſſe, perque vterum, quo geſtauit, & mammas, quas infans ſuxit, veniam Florentinis impetraſſe; quibus ad meliorem frugem conuertendis, elegerit Hieronymum Sauonarolam Ferrarienſem: tanta gratia de rebus diuinis diſſerendi, vt locus auditores non caperet, & admiranda morum mutatio ſequeretur. Inter diſſerendum, exiſtimabat Franciſcus Boni, hominem loqui, vel de Franciſco Aragonio Minoritano, vel de Carolo Fauentino Seruitâ, qui tunc temporis Florentiam, doctrinâ, & exemplis illuſtrabant. At ille, non hos, Hieronymum Sauonarolam, profeſsione Dominicanũ; verbi ducem venturum pronunciauit: moxque à Boni conſpectu diſparuit, ac nuſquam poſteà viſus fuit.

Aliqua venerabilis Matrona, Brixiæ, ſanctitatis ingens, quo tempore illic Sauonarola concionabatur, hominem ad colloquium aliquoties inuitauit. Cùm autem impetrare non potuerit, quòd is conſuetudinem ſibi non eſſe, fœminas alloquendi, excuſaret; illa diuino ſpiritu permota, quæ cælitus de homine futura cognouerat, ſcripta epiſtola expoſuit, illum, Florentiam iturum, maximos fructus in populis facturum; ſed tamen ad extremum multa indigna, & tandem ignominioſam mortem paſſurum. Eam epiſtolam, Hieronymus, quamprimùm perlegit, terriculamenta, figmenta dæmonis eſſe ſuſpicatus, in ignem conieeit: cæterum cum aliquot poſt annis, ex euentu, quæ illa prædixerat, vera fuiſſe experiretur, Pandolfo Rucellaio ſodali, & Petro Berti nobili Florentino enarrauit.

In Germania quoque, quædam ſanctiſsima Monacha olim prædixerat; Eccleſiam ope viri cuiuſdam ex Ordine Prædicatorum, qui etiam ſpiritu Prophetiæ polleret, reformatam iri.

Columba quoque Reatina virgo, quæ Peruſiæ ſumma cum omnium admiratione multos annos ab omnium corporalium eduliorum genere prorſus abſtinuit, perpetuâ vtens inediâ, & ſingulis diebus Chriſti corpus in Sacramento ſumens, multorumque, ac magnorum prodigiorum effectrix, mira de eodem Hieronymo pronunciauit.

X.

XXX. *Apocalypſim S. Ioannis Euangeliſtæ, è ſuggeſtu explicat.*

Florentiam, partim Angelicis colloquijs monitus, partim à ſollicitudine Ioannis Pici, Comitis Mirandulani, (qui hominem per occaſionem Capituli Prouincialis Dominicanorũ Rhegij doctè diſceptantem audiuerat, Magiſtratuique Florentino vt illum acciret, perſuaſerat) vocatus, miſſuſque à ſuperioribus, anno M. CCCC. LXXXIX. appulit; & ſtatim è Lunari ſuggeſtu in ſacra æde S. Marci, Apocalypſim S. Ioannis Euangeliſtæ, Florentino populo interpretari exorſus eſt. Videbat, eum, quem narrauimus, corruptum Florentinæ vrbis ſtatum: nec ignorabat narrata ab alijs, de alijs Italię principibus, ac populis, quæ iuxta diuinæ iuſtitiæ tenorẽ exigere videbantur, vt de ſceleſtis hominibus, deque eis potiſsimum, qui præerant, prauoque exemplo ſubiectos ſibi corrumpebant, atroces pœnæ ſumerentur; quando iam deſertores Aſiæ, & Africæ populi, propter non diſsimilia flagitia dati in reprobum ſenſum, ſub immani tyrannide, multis erroribus, & ignorantiæ tenebris circumuoluti, gemant potiùs, quàm viuant, vltrice diuina vindictâ proſtrati: ſeriem præterea diuinæ prouidentiæ expendebat, quæ ab ipſo rerum primordio, & conditi orbis incunabulis, quamquam amabilem clementiam erga delinquentes primum oſtenderit, laneoque pede ad vindicias ſumẽdas proceſſerit; tarditatem tamẽ grauitate ſuppliciorum compenſauerit, neq vllum peccãdi obſtinatum ſine pœnâ dimiſerit. Nam & humani generis parentes, exilio, & ærumnis mulctauit: & libidine communi infames cathaclyſmo obruit; & Babelis ſtructores per orbis clymata diſperſit; & puerorum amatores ignibus exuſsit: & Pharaonem cum equitatu, mari demerſit: & induratæ ceruicis Hebræos gladio, ſerpente, & alijs plagis extinxit: & nemini prætercà in poſterum impunè peccare ſiuit: præſertim ſi quis contemneret, in profundum peccatorum infixus. Ergo veriſimile futurum iudicabat, eos, qui flagitijs ſeſe inquinauerant, poſſe fieri, aut diuinæ benignitatis compotes, ſi vitijs relictis virtutes amplecterentur, monitore aliquo, aut ſeueritatis, & vltionis virgæ capaces, ſi obſtinatius ſordeſcerent in ſceleribus, exemplumq; fierent prauorum facinorum. Conſentaneum quippè, vt ſuam Eccleſiam Deus eodem perpendiculo, quo ſemper vſus fuerat, metiretur, & obliquos eius parietes reuocaret ad lineam, monitis primùm, deinde flagellis, pro ſcelerum varietate diuerſis. In his cogitationibus inhærenti, affulſit illi nonnihi diuini luminis, quo ingruentes Florentiæ, Italiæ, & alijs regionibus calamitates, nec non reuocationem Eccleſiæ, inſtaurationemque ſeuerioris vitæ præuidit. Hæc inter ipſa initia, cùm non omnino extra omnem dubitationem illi paterent, vt omnis ei ambi-

*Futura aliqua prædicit.*

gendi occaſio præriperetur; quum Prophetiæ lumen non citrà vela nen humanæ ratiocinationis affulgere aliquando ſoleat; vnde euenit, vt homo partim aduentitio ſplendore colluſtretur, partim ex humana imbecillitate caliget: ille nè viſis adhuc ambiguis deluderetur, ſæpiſsimè Deo preces fundere, corpus ieiunijs macerare, & flagellis atterere, & alios ad id officij cohortari voluit, quò tandem diuinæ clementiæ munere, extra dubitationem, lucideque innoteſcerent ſibi, quæ priùs ambiguè, & ſubobſcurè monſtrabantur. Oranti igitur ei, & diuinas laudes in Eccleſia perſonanti, dum in contemplatione diuinæ bonitatis abſorptus eſſet, iſque præſertim verſiculus caneretur; *Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iuſtificationes tuas*, fugatæ à ſenſu, & intellectu tenebræ omnes ſunt, & ſuborta lux, quæ dubitationem omnem de futuris, quæ præuiderat euentis expulit: adeò, vt non dubitarit, & priuatim Ioanni Pico Mirandulano, & publicè plurimis auditoribus dicere; quæcumque de futuris præhauſerat, non ſecùs ipſa luce infuſâ diuinitus, vera ſe comperiſſe, ac quilibet compos mentis, partem omnem ſuô toto minorem eſſe nouit, & de re qualibet, aut affirmationem, aut negationem veram eſſe oportere. Proinde cœpit ea, quæ futura præuiderat, inter expoſitionem Apocalypſis confidètiùs afferre: tametſi initiò eas ipſas, quas hauſiſſet notas, citra corticem non proferret; ſed velamentis illis Apoſtolicæ reuelationis obtectas dabat in vulgus, veritus, nè mitiorem multitudinis partem inſolito Prophetici tonitrui fragore nimiùm perterreret; aſperiorem autem, & effrænem, ad riſum, & ſcommata concitaret; ob monſtruôſam quorundam hoc tempore, & multis retrò ſeculis inolitam perſuaſionem; nō eſſe poſtremis temporibus Prophetas viros, neque poſt Ioannem cognomento Baptiſtam, hoc diuinæ prouidentiæ munus in Eccleſia viſum. Aliqui, id temporis minuti, & exiles Philoſophi, Theologiq́ue, gentilium, & Poetarum potiùs curioſitatibus, quàm ſacræ doctrinæ myſterijs addicti, quorum ingens, & numerus, & authoritas, apud Mediceos, & licentioris vitæ quoſdam Florētinos fuerat, eam opinionem comprobare auſi ſunt: quāquam ſucceſſu parùm felici. Nam & ab ipſomet Sauonarolâ, & à Ioanne Pico, & ab alijs viris ſolidè, & ſanctè eruditis, tum rationibus, tum auctoritatibus ſacris, tum exemplis perpetuis, ex ſcripto prolatis ad hoc opuſculis confutati ſunt.

## XI.

XXXI. *Plurium ſubit, inuidiam.*

Prædicabat itaque renouandam, ſiue reformandam in moribus Eccleſiam; ſed cædendā priùs, expurgandamq́ue flagello graui: niſi pœnitentiæ partes ſuſciperentur. Et quamquā idipſum ex Apoſtolico textu decerpere videbatur; non potuit nihilominus effugere, quin & ludus ſubmoueretur ignaris, & inuidorum linguæ acuerentur; quas, vbi publicè vitia eorum, qui præerant, aggreſſus eſt perſequi, in ſe atrociſsimas expertus eſt. Inter alia, mortem Innocentio Pontifici Maximo prædixit: & ea ſubſequutâ, fidem apud pleroſque ſibi conciliauit. Mediceæ quoque familiæ futuram calamitatem, nec non Laurentij Medicis mortem prænunciauit. Is, vt diximus, cùm hoc tempore in Republ. Florentina Princeps & haberetur, & eſſet, ſic vt omnia ferè ad eius nutum agerentur, audiuiſſetq́ue Hieronymum, apertiùs in abuſus tyrannicos inuehi, tentatiſque multis modis vt eum ſibi conciliaret, omnia fruſtra ceſsiſſe vidit, quinque vrbis ciues magnæ authoritatis viros ad eum tandem deſtinauit, monitores, vti ex ſeſe Hieronymo ſuaderent; ex re eſſe, & Religionis, & Reipublicæ Florentinæ, vt aliorum more, hoc eſt in vniuerſum concionaretur, nec particulatim res non admodum neceſſarias aggrederetur; ac quod præcipuum eſt, à futuris rebus prænunciandis abſtineret. Enimuerò prædicebat, Caroli eius nominis Octaui Galliarum Regis in Italiam aduentum, ac proinde clades, quas illaturus fuerat, quacumq́ue tranſiret; Piſanæ vrbis à Florentino, dominio ſubductionem; atque Neapolitani Regni, ab Aragonijs ad Gallos reuolutionem. Hos viros ad ſe venientes Hieronymus priùs benignè reprehendit, aſſeuerans, non vti dicebant ipſi, ſed Laurentij Medicis inſtinctu loquutos; deinde eius nomine monendum Laurentium adiecit, vti erratorum pœniteret, quoniam ipſi, eiuſque domui calamitas diuinitus impendebat. Tres alios deinde miſit, non iam opertis, ſed apertis Laurentij nomine verbis locuturos, quibus palàm reſpondit, ſe Florentiæ manere, Laurentium ex ea diſcedere oportere. Cuius rei memor Laurentius, cum æger non multò poſt temporis iaceret, & proximus morti eſſet, Hieronymum vocari iuſsit, virum ſcilicet intrepidum, & quem nec blanditijs, nec vllis artibus à veritate flecti poſſe comperiſſet. Quem accerſitum (præſto autem affuerat) comiter allocutus, rogauit, vti Chriſtiano more peccata ipſius audire vellet: cui facturum ſe, quod peteret, annuit, ſi antequam noxas contractas confiteretur, tria præſtaret. Primum; fidem habeas oportet, inquit Laurenti. Adeſt, *inquit*, Pater. Secundum: Reſtituas opus eſt, ſi qua iniuſtè ablata ſunt. Tum ille cogitabundus aliquantulum repreſsit verba: mox autem; Hoc dubio procul efficiam Pater, aut hæredibus efficiendum meis relinquam, ſi ipſe non poſſem. Tertium adiecit: Libertatem patriæ reſtitue, vt in ſtatu priſtino, Florentina Reſpubl. collocetur, quibus verbis cùm nullum reſponſum dediſſet, paulò poſt exceſsit è vita. Ipſe Sauonarola non dubitabat affirmare, certum ſe futurum tunc de Laurentij ſalute, ſi ſe ille maturius aduocaſſet, deq́ue animæ ſalute ſecum contuliſſet, libenter ſe illi hoc beneficium à Deo impetraturum, omniq́ue ope eum adiuturum; quamquam non ignoraret illum cum potens rerum eſſet, ſibi paria, atque Bernardino monteferetrio Minoritano comminatum fuiſſe: quem ille, propter libertatem in flagitia inuehendi Florentia eiecerat. *Picus & Mſ. in vitam.*

## XI.

XXXII. *Laudatur Marianus de Genezano Auguſtinianus.*

Eminebat, Laurentio rerum potente, inter concionatores Florentinos, Marianus à Genezano, Columnenſium oppido, Eremita Auguſtinianus, de quo iſta, eiuſdem Ordinis Auguſtiniani, *Iacobus Bergomenſis, in ſupplemento Chronicorum* ſcripſit. Marianus *ait*, vir erat Theologus præſtantiſsimus, hoc æuo tamquam Lucifer, & Sol quidam perfulgidus, ſuis exquiſitiſsimis declamationibus, & nouo concionandi genere emicuit, ac veluti alterum electionis vas mundo oblatus, tantam ingenij vim, & docendi robur de ſe oſtendit, vt dicere auſim, neminem in hoc ſæculo, inueniri vmquam potuiſſe, qui cum eo exquireret cōparari. Erat profectò talis, ac tantus, vt nihil ex eo eſſet in omni politiore diſciplinâ fruſtrà deſiderandum. Nam in ſuis declamationibus ad populum, ita verbis lectis diſertus erat, & ſententioſus, etiam canora voce, vultuque ac cæteris corporis motibus ad rem erat accommodatus, vt tamquam alter Demoſthenes, nihil ad laudis cumulum recedere poſsit. Deinde (quod perfectius erat) tanta pollebat religionis modeſtiâ, vt potuiſſet cum vniuerſo terrarum orbe, de omni genere laudis facilè contendere. Se quoque in familiari ſermone cognoſcibilem præſtabat, quāta doctrinâ, quanta eloquentiâ, quanta vel ſapientiâ eſſet præditus. Quas ob res factum fuit, vt innumerabiles auditores quadam incredibili obſeruantiâ, mox ad ſe traheret: qui audito homine mirabundi, conteſtim eius egregias virtu

tes,



tes, & religionem prædicarent. Plurimi namque cum hominis videbant habitum, & quandam indolem in oculis, & vultu minimè vulgarem, necnon & corpuſculum eius inuictum, & infatigabile, quia videbatur neſcire reparare vires, niſi quaſi ex laboribus ipſis, pro magno ducebant miraculo. Hæc ille, de ſuo Sodali. *Iouianus Pontanus* in Dialogo, qui Egidius inſcribitur, iſta de eodem. Ego, *ait*, ipſo Muſarum nomine excitus ſum ad lachrymas, Mariani Eremitæ memor factus, qui nuper maximo cum deſiderio Chriſtianorum omnium, Italiæque præſertim totius, his in locis diem obiens naturæ conceſsit. Dum Muſas in ijs Chriſtianas & colit venerabiliter, & illarum ſecreta per diuorum templa, perq́ue ædium ſacrarum pulpita mortalibus, & enucleatiſsimè aperit, & ſuauiſsimè etiam decantat. Terræ huic gratias agite, è qua, mortalibus exuperatis laboribus in cœlum euolauit; vbi ſanctiſsimis cum viris agens luce fruitur, non Solis quidem eius, mundum qui illuſtrat vniuerſum, ſed luce eâ, quæ Dei mente profundens ſeſe, & fouet eos, quos ſe euocauit, & inuitat cæteros, qui Dei ipſius memores, lucem eius intueri volunt, ac per eam tenebras mortalitatis effugere. Mihi quidē (neſciam fortaſsè, an parum Chriſtiano è ritu, forſan & ſuprà quàm Chriſtianum decet hominem) venit in mentem, in Mariani memoriam hymnum ludere, inque eius honorem decantate cum familiaribus; quem quia non diſplициturum vobis intelligo, referam in hoc præſertim otio. Is autem talis eſt.

*Qualis Alphei liquidos ad amnes,*
*Siue Meandri viridante ripa*
*Concinit ſerum moriens in ipſo*
*Funere cygnus.*
*Talis ad plectrum, ad thyaſos Deorum*
*Ludit in cœlo Marianus, ipſa*
*Morte victurus Marianus, ipſo*
*Funere felix.*
*Ipſe ſis felix, faueasq́; nobis,*
*Ipſe ades feſsis Mariane rebus.*
*Tu preces audi miſerorum, & iras*
*Siſte tonantis.*

Hæc Iouianus, Poeta, ex veteri Philoſophorum ſcholâ de rebus Chriſtianorum doctus; cui in omnibus lucubrationibus tertium quodque verbum, vel Dij, vel Diui, vel Muſæ; Alfonſo, & Laurentio Mediceo, ac perinde omnibus eorum aſſeclis addictus; ſupra quàm Chriſtianum, (vt ipſe fatetur,) decet, luſit, & & ſcripſit, de ſtudiorum æquali. Aequalia, ex eodem contubernio, *Angelus Politianus in Miſcellaneorum præfatione* ad Laurentium Medicem: Marianus, *inquit*, hic Genazanenſis, nec in Theologia cuiquam ſecundus, & omnium; quos in Eccleſia Concionatores audiuimus, non prudentiſsimus modò, ſed & facundiſsimus: cuius neque ſuſpecta populis ad bonam frugem tendentibus eloquentia, quoniam vitæ incredibili ſe ueritate commendatur; nec è diuerſo triſtis, aut reformidabilis auſteritas, quoniam Poetica delinimenta, pulchramq́ue iſtam litterarum varietatem, nitorem, delitias non aſpernatur. Idem *Politianus lib. 4. epiſt. 6.* Triſtano Chalco de eodem. Scribis Marianum Genezanenſem Theologiæ conſultum, qui ſacras iſtic ad populum conciones habet, tantâ eſſe omnium admiratione apud vos, vt eorum facilè fidem, quæ de ipſo in Miſcellaneis prædicauimus, abſoluerit: iri adhunc plenis vndique vijs, allici lepore verborum, ſuſpendi ſententiarum grauitate, flecti omni orationis impetu & viribus. Fatebor, quid mihi vſu venerit, cum primùm hic apud nos concionari cæpit. Acceſsi, vt audirem, ſic quomodò alios conſueueram, explorabundus, & penè (vt verùm dicam) contemptim. Sed vt habitum vidi hominis, & ſtatum, quaſiq́ue indolem, quandam in oculis, & vultu minimè vulgarem, cæpi aliquid expectare iam quod eſſem probaturus. Eccè tibi igitur, præfari incipit. Arrigo iam tum aures, canora vox, verba electa, grandes ſententiæ, denique agnoſco inciſa, video membra, ſentio circumductum, capior numero. Tum partiri pergit; attendo: nihil impeditum, nihil inane, nihil ibi, quod caudam traheret. Texit deinde argumentorum nexus, illaqueor: retexit, expedior: inſerit alicubi narratiunculas, ducor: modulatur carmen, teneor: iocatur nō nihil, rideo: premit, vrgetq́; veris, do manus: tentat affectus mitiores, ſtatim mihi per os lachrymæ: clamat iratus, terreor, ac veniſſe iam nollem: denique pro reipſa, quam tractat, & figuras variat, & vocis flexus, & vbique actionem geſtu commendat. Mihi verò etiam (vt fatear) creſcere in ipſo pulpito, nec ſupra ſui modò, ſed omninò ſupra hominis menſuram ſæpe eſt viſus: ac dum ſic omnia, quaſi ſingula contemplor, ceſsit miraculo iudicium. Putabam fore tamen, vt conſumptâ poſtmodum nouitate, minùs indies me caperet. cæterùm contra accidit. Idem enim poſtridiè, quaſi alius audiebatur, ſed illo ipſo melior, qui pridiè viſus optimus. Nec tu illud corpuſculum contempſeris. Inuictum, infatigabile eſt, vt non aliundè magis reparare vires, quàm de laboribus ipſis videatur. Quis inde autem tantum vocis, tantum ſpiritus, tantum virium, ac laterum ſperaret? Adde, quòd & ruſticatus quandoque ſum, domiq́ue cum ipſo familiariùs egi; & quidem nihil vidi placidius, nihil tamen etiam cautius. Non eius abſterret ſeueritas; non item corrumpit facilitas. Alij cum ſe Magiſtros Eccleſiarum profitentur, credunt ſibi ius eſſe in homines vitæ, & necis: Itaque ſic intemperanter poteſtate abutuntur, vt numquam ſupercilium, numquam pædagogi cultum, & verba illa tetrica deponant. Hic autem noſter, ſic modum tenere didicit, vt in ipſo tantum pulpito cenſuram exerceat; cùm deſcendit, inuicem ciuilitas excipiat. Quare ſic à me, ſic à Pico item Mirandula meo (bonè Deus, quo viro?) frequenter aditur, vt nullo magis quàm ſermone illius, & conſuetudine, triſtitiam litterati laboris diſcutiamus. Nam Laurentius ipſe Medices, elegans ingeniorum ſpectator, quantum homini tribuat, non modò ſubſtructo protinus inſigni S. Galli cœnobio oſtendit, ſed multò etiam magis aſsiduitate quadam cultuq́ue, ſic vt vnam cum illo ambulatiunculam omnibus fermè vitæ vrbanæ diſcurſibus anteponat. Iſta POLITIANVS de Mariano; qui tandem Romæ Prior Generalis ſui Ordinis deſignatus, & Alexandro Pont. Max. ob dicendi leporem charus, nec nō ab eodem, ad Vrbini Ducem, & paulo poſt ad Fridericum Neapolitanorum Regem affinitatis conciliandæ cauſâ Nuncius miſſus, Hieronymo Sauonarolæ multas calamitates conciuit: primùm Florentiæ, inde in Vrbe, apud Laurentium, Alexandrum, Ioannem Card. Mediceum, & alios, vel Mediceis fauentes, vel floſculos eloquentiæ captantes, odioq́ue corripientem in porta habentes multum potens. Scriptores ſanè vitæ Sauonarolæ hæc de Mariano memorabant: Fuit magis diſertus, quàm in ſcientiâ Sanctorum eruditus: qui ſciret eloquentiâ, & artificio, nobilitatem, ac plebem ad ſe trahere; lachrymas cùm vellet, & quantas vellet profundere, profuſaſq́ue & manu collectas, cōciliandis auditoribus in populum è ſuggeſtu ſpargere; poetarum flores & fabellas aptè, & lepidè inter concionandum frequentiſsimè inſerere; vitia hominum nō multùm exagitare; Laurentium, & viros illuſtres Mediceo addictos, ex arte Oratoriâ non modò obliquè, & occultè; ſed etiam diſertè, & palàm dilaudare: adminiſtrationis Reipubl. Florentinæ penes Laurentium arbitriū, altutè magnificare, atq; extollere: ſigna, ſeu imagines Chriſti cruci affixi in ſuggeſtu ita aptè verſare, vt nemo in ſcena magis appoſitè; ſed vereor, nè ſupra quàm Concionatorem Catholicum deceret.

*Marianus præfatus Sauonarolæ multas calamitates conciuit.*

Aliquo

aliquo enim die ſacroſancto Paraſceues, dum Crucifixi imaginem populo ſub finem Concionis oſtenderet, ita illam miro artificio aptauit, vt pro illius capite, ſuum repræſentârit, & quaſi ipſe Redemptor loqueretur ſermonem effinxerit, non ſine offenſione piorum. Huic, iam in Hieronymum, (ad quem, illo deſerto, Auditoris multitudo inclinare cœperat) inflammato, Laurentius cœnobij Auguſtiniani conditor, & priuatim homini non minùs familiaris, quàm beneficus, non difficilè perſuaſit; vt omne ſtudium in exagitando Sauonarolâ collocaret, Concionemque meditatò inſtitueret, in qua modum dicendi, & donum futura prædicendi, quo hic pollebat, eleuaret; iactaretque inſolentem eſſe rationem ad populum concionandi, quam Hieronymus introduxiſſet; nec non temeritatis munus eſſe, futura vaticinari; ex quorum quidē auditu, non alius fructus, quàm ſectæ in populo & ſeditiones tandē naſcerentur. Anno ſuperiore 1491. die feſto Aſcenſionis Dominicæ, Marianus, genio indulgens, & Laurentiô morem gerens, ſumptis verbis illis Chriſti Redemptoris. *Non eſt veſtrum, noſſe tempora, vel momenta*, pro themate, adeò acriter, & ſalsè in Hieronymum inuectus eſt, vt neminem clàm fuerit in quem dicerentur, tàm inſulſa, tamque importuna; vt plurimi auditorum ex primaria nobilitate procacem deſeruerint, & ad Hieronymum declinarint, maximè quando is ſancto zelo ſuccenſus, non quidem vt ſuam priuatam de æmulo Eremita iniuriam vindicaret: verùm vt indeficientem diuinæ prouidētiæ, ac benignitatis erga Eccleſiam fontem oſtenderet, rationibus, & exemplis illuſtriſsimis pro cōcione ſtudioſè inſtituta demonſtrauit; numquam in Eccleſia defuiſſe, aut defore, Paſtores, Doctores, Prophetas, & alios Dei adminiſtros; inter quos minimè repugnare, quin etiam ſe quoq; diuina manus vteretur, quæ nec opiliones, nec infantes, nec vellentes Sycomoros aliquando repudiauit, quinimò etiam linguas iſtorum, & aliorum ſimplicium excitauit, ad ſalutem populorum. Erat aliquis amicorum, qui compateretur Hieronymo, illum modis indignis fuiſſe à Mariano, idque publicè proſciſſum. At ille fiduciâ euentuum animatus, confidenter reſpondit: *Me oportet creſcere, illum autem minui.* Dixit, & quæ prædixit, aſpexit, Mariani auditorium omninò deſertum, principes populi ab eo alienatos, populumque ei maximoperè offenſum; vt is habuerit neceſſe, Hieronymum de pace deprecari, & ad ſacrum publicè in S. Galli celebrandum inuitare: quaſi ſignum daturus vniuerſis ſecutam inter eos recōciliationem. Exprobrauit tunc Mariano Hieronymus, citrà tamen verborum acrimoniam, quòd is interpellatus aliquandò, quid de ſua ratione concionandi cenſeret, optimam, & ſaluti animarum apprimè accommodam affirmauerit, nuper autem tàm acriter eādem exagitare, ipſumque populo execrabilem efficere contenderit. Quâ re Marianus percitus culpam in Laurentium reiecit: non tamen diuinam effugere potuit; paulò poſt, vnà cum F. Baſilio Camertio eiuſdem inſtituti Eremitani Profeſſore, & Laurentij quondam pædonomo, Florentiâ eiectus; & ſubſeclue diuinitùs grauiſsimâ infirmitate ità percuſſus, vt præter vſum linguæ, ad maledicendum expeditæ, nihil ei ſanum remanſerit: quando is Alexandrum Pontificē, & ſacrum Senatum in Sauonarolam inflammaret, procaciterque detonaret; Ignibus exure, Pater ſancte, inſtrumentum Diaboli: offendiculum Eccleſiæ; turbatorem populorum, prophetam fallidicum, & alia. Bernardinus Caruagial, Cardinalis S. Crucis, improbitatem linguæ in Mariano execratus, ſæpè ſæpiùs exprobrabat, in arido corpore, linguam adeò viuacem, atque procacem; propter quam in illum verſiculus Pſalmiſtæ poterat torqueri; *Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet, deſiderium peccatorum peribit. Mſ. vit. Sauonarolæ.*

*Sauonarola de Mariano prophetia.*

Quid ad hunc vſque annum 1491. dixerit, fecerit, tolerauerítque Sauonarola; ita ipſe narrat in libello conpendij Reuelationum.

XIII.

XXXIII. *Quæ hoc anno paſſus Sauonarola.*

Proſpiciens, *ait*, omnipotens Deus Italiæ peccata, præſertim in Principibus tàm Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus multiplicari, nec ea diutiùs ferrē valens, ſtatuit Eccleſiam ſuam ingenti flagello expiare. Et quoniam, vt inquit Amos Propheta, *Non faciet Dominus Deū verbum, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos Prophetas*; voluit propter electorum ſuorum ſalutem, id flagellum in Italia prænuntiatum iri; vt præmoniti, ad tolerandum iam ſeſe firmiùs præpararent. Cumq; Florentia veluti cor in homine in medio Italiæ ſita ſit; eam ad huiuſmodi præconiū ſuſcipiendum eligere Deus ipſe dignatus eſt: vt inde illud per cæteras Italiæ partes, quemadmodum in præſentia videmus impletum, latè diffundatur. Me itaq; inter alis ſeruos ſuos indignū & inutilem ad hoc miniſterium eligens, Florentiam, ex mandato Patrum meorum venire curauit Anno Domini 1489. quo quidem anno, Calendis Auguſti, die Dominico, cœpi in templo noſtro Sancti Marci publicè librum Apocalypſis interpretari, & per totum eundem annum Florentino populo prædicans, tria continuè propoſui; Primum, Renouationem Eccleſiæ his temporibus futuram. Secundum, Grande flagellum vniuerſæ Italiæ antè talem renouationem, Deum illaturum eſſe. Tertium, hæc duo citò futura. Has verò tres concluſiones probabilibus argumentis, & diuinarum Scripturarum figuris, atque alijs ſimilitudinibus, ſeu parabolis ex his formatis, quę modò in Eccleſia fiunt, probare, ac perſuadere laboraui; huiuſmodi tantùm rationibus inſiſtens interim, & diſsimulans me etiam alio modo horum cognitionem à Deo accepiſſe; quoniam ad ſuſcipiendum arcanum, minùs idonea tunc animorum diſpoſitio videbatur. Succeſsiuè ſequentibus annis paratiores ad credendum mentes perpendens, nonnumquam viſionem aliquam in medium adduxi, non aperiens, eam eſſe propheticam viſionem, ſed tantùm in morem parabolæ illam populo proponēs. Demùm magnam contradictionē, & irriſionē, omnifariàm cōditionis hominum conſpiciens, plerumq; ex puſillanimitate ab his deſiſtere, & alia prędicare firmiter ſtatuebam: nec poterā. Quicquid. n. lectionis, & ſtudij à priore cœpto declinabat, tędiū ſuggerebat, & quotieſcumque cogitabam, vel etiā conabar talia prædicare, vſq; adeò deſpiebant, vt etiam mihimetipſi diſplicerem. Ex quo memini prædicantem me Florentiæ in templo S. Reparatæ, anno Domini 1490. conſtituiſſe compoſitum iam ſermonem ſecundæ Dominicæ Quadrageſimalis ſuper huiuſmodi viſionibus ſupprimere, & de cætero à talibus abſtinere. Teſtis autem eſt Deus, quòd totum diem Sabbathi antecedentem, & integrā noctem proximam vſq; in lucem inſomnis pertraxi; adeoque omnis mihi præcluſus aditus, & quæuis doctrina præter hāc ſubtracta fuit, vt aliò prorſus me vertere nequiuerim. Et diluculò tandem longa vigiliâ feſſo, & oranti mihi dictum fuit, Demens! *Nonnè vides Deum velle, vt talia in hunc modum annunties?* Quamobrem eodem mane terrificam prædicationem egi. In his primis annis, futura hæc argumentis tantum ſcripturarum, rationibus, & varijs parabolis, propter indiſpoſitionem populi prænunciabam. Deinde inſuper innuere cœpi, hæc futura alio lumine, quam ſola ſcripturarum intelligentia à me haberi. Demum rem clariùs adhuc aperire aggreſſus ſum, verba mihi diuinitùs inſpirata, iam ad verbum ſincerè proferens; inter quæ ſæpè repetebam; *Hæc dicit Dominus Deus; Gladius Domini ſuper terram, citò, & velociter.* Itemque aliàs: *Hæc dicit Dominus Deus; Gaudete, & exultate iuſti; verumtamen parate animas veſtras ad tētationem, lectione, meditatione, & oratione; & liberabimini à morte ſecunda. Et vos ô ſerui nequam: qui in ſordibus eſtis, ſordeſcite adhuc. Venter veſter impleatur mero, renes veſtri diſſoluātur luxuriâ & manus veſtræ, ſanguine pauperum polluantur. Hæc enim eſt pars veſtra, & hæc ſors. Sed ſcitote, quia corpora veſtra, & animæ veſtræ in manu mea ſunt: & poſt breue tempus, corpora veſtra flagellis conterētur: animas*





*autem veſtras igni perpetuò tradam.* Quæ verba non ex ſacris decerpta Scripturis (vt aliqui arbitrabantur) ſed è cœlo tunc nouiſsimè prodierunt. Et quoniam in viſione vnâ, multa eiuſmodi verba de cęlo miſſa continentur, quorum partem tunc palàm feci, contectâ nihilominùs viſione, nè ab incredulis irrideretur, ſolam hanc modò deſcribendam neceſſe putaui; vt intelligatur, quo ordine verba illa à me tunc publicè pronunciata emanârint.

*Viſio Sauonarolæ & prædictiones referuntur.*

Vidi itaque anno 1492. nocte præcedēte vltimam meam declamationem Aduentus Domini in templo Sanctæ Reparatę, manum in cœlo cum enſe, cui inſcriptum erat; *Gladius Domini ſuper terram citò, & velociter.* ſuper manū autem inerat; *Vera, & iuſta ſunt iudicia Domini.* Ipſius verò manus brachium egredi videbatur, à tribus in vna luce faciebus, quarum prima ait; *Iniquitas ſanctuarij mei clamat ad me de terra.* Secunda reſpondit; *Viſitabo ergo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.* Tertia ſubiunxit: *Miſericordiam meam non diſpergam ab eo, neq; nocebo in veritate mea, & miſerebor pauperi, & inopi.* Rurſus prima inquit: *Oblitus eſt populus meus mandatorum meorum diebus innumeris.* Secunda reſpondit; *Conteram ergo, & confringam, & non miſerebor.* Tertia ſubiunxit; *Memor ero ambulantium in præceptis meis.* Deinde vox ingens ex tribus faciebus, ſuper vniuerſo orbe ſimul intonuit dicens; *Audite omnes habitatores terræ; Hæc dicit Dominus: Ego Dominus loquor in zelo ſancto meo. Ecce dies venient; & gladium meum euaginabo ſuper vos: Conuertimini ergo ad me, antequam compleatur furor meus. Tunc enim anguſtia ſuperueniente requiretis pacem, & non veniet.* His verbis finitis, totus conſpectui meo orbis inſinuari viſus eſt. Tum multitudo Angelorum è cœlo in terram in albis deſcendebat, innumeras ſtolas candidas in humeris, & cruces rubeas in manibus geſtantium; hique vniuerſum orbem perluſtrantes, ſingulis hominibus candidam veſtem, & crucem proferebant. Aliqui oblatum munus ſuſcipiebant, & induebantur: aliqui reſpuebāt, nec tamen alijs quominùs acciperent impedimento erant. Nonnulli verò, & aſpernabantur ipſi, & cæteros pro viribus ſuſcipere prohibebant. Hi poſtremi erant tepidi, & humanâ ſapientia tumidi, qui & deridebant ipſi, & alijs, nè acciperent, ſuadere conabantur. Poſt hęc manus illa enſem verſus terrā inclinauit: moxq; denſis nubibus aer obduci viſus eſt, compluens gladios, & grandines horriſonis tonitruis, & ſagittas, & ignes: & in terra bella, peſtis, fames, & innumeræ tribulationes exortę ſunt. Cōſpiciebam verò Angelos per medios populos gradientes, & pocula limpidi meri ipſis candidatis, & cruciferis propinantes. Quo hauſto illi dicebant: *Quam dulcia faucibus noſtris eloquia tua Domine.* Reſidentem de hinc fecem in fundo calicis, ijdem Angeli ingerebant alijs, qui ab eius potu ſe auertentes, videbantur pœnitentiā appetere, nec illam conſequi poterant dicentes: *Quare obliuiſceris noſtri Domine?* Volenteſque oculorum aciem in Deū intendere, tribulationis grauedine præpediebantur, & tamquam ebrij erant, quorum cor medijs è pectoribus euelli uidebatur, quærenſque humanarum voluptatum ſolatium non inueniebat, propterea velutì amentes, & excordes agebantur. Poſt hæc vehementiſsimam vocem ex tribus illis faciebus ſic, audiui dicentem: *Audite ergo verbum Domini. Propterea expectaui vos, vt miſerear veſtri. Venite igitur ad me, quia benignus, & miſericors ſum, faciens miſericordiam omnibus, qui inuocant me. Quòd ſi nolueritis, auertam oculos meos à vobis in perpetuum.* Inde ad iuſtos vox illa ſe dirigens dixit: *Vos autē gaudete iuſti, & exultate, quia cùm pertranſierit breuis ira mea, peccatorū cōfringam cornua, & exaltabuntur cornua iuſti.* Statimque viſio euanuit, dictumq; hoc ad me peruenit: *Fili, ſi peccatores haberent oculos, viderent vtiq; quàm grauis, & dura ſit hæc peſtis, & acutus gladius. Pro dura verò peſte, & acuto gladio, ſignificabat Spiritus loquens, prauorum prælatorū regimen, & prædicatores humana philoſophiæ, qui nec ingrediuntur ipſi regnū cœlorum, nec alios ingredi ſinunt:* ex quo indicabatur, Eccleſiā adeò corruiſſe, quòd horum ſpiritualis impugnatio longè ſit grauior, quàm aliæ corporales tribulationes, quæcumque ipſi Eccleſiæ accidere poſsint. Ideò ab eodem ſpiritu mihi dictum eſt, vt exhortarer, & rogarem populos ad obſecrandum Deum, vt ſuum timorem in terram immitteret, renouaretque memoriam, & amorem beneficiorum, & paſſionis Vnigeniti ſui in cordibus humanis: & bonos paſtores, ac diuini verbi præcones Eccleſiæ daret, qui gregem ſuum, non ſeipſos paſcerent.

Poſt iſta verò, Deo pariter inſpirante, prædixi, quēdam tranſiturum alpes in Italiam, ſimilē Cyro, de quo ità ſcribit Eſaias; *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt ſubijciam ante faciem eius gentes, & dorſa Regum vertam; & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur. Ego ante ibo, & glorioſos terræ humiliabo. Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam: & dabo tibi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorum; vt ſcias, quia ego Dominus, qui voco nomen tuum; Deus Iſrael, propter ſeruum meū Iacob, & Iſrael electum meū.* Dixi quoque, nè Italia arcibus, & propugnaculis ſuis fideret: quoniam, abſque vlla difficultate ab illo expugnarentur. Florētinis etiam prædixi, eos præſertim innuens, qui tunc gubernâbant, ipſos electuros eſſe conſilium ac deliberationem ſuæ ſaluti, atque vtilitati cōtrariam, & quò infirmiori, & qui ſuperandus eſſet, adhærerent, quodq; tanquam temulenti, omne conſilium prorſus amitterent. Quæ cùm iam maximè vicina ceruicibus eorum impenderent, etiam tū minimè credebantur, me ſe è atteſtante, quòd ab humana ſapientiâ fallerentur. Omitto priuata, & ſingularia à me prædicta, quæ ad euitandum ſcandalum publicè aperire fas non fuit: ſed aliquibus familiarium meorum tum prodidi, veluti prę̄finitum tempus mortis Innocentij Octaui, & Laurentij Medicis: reuolutionem quoque Florentini regiminis, ſeu ſtatus prædixi futurum, quāprimùm Rex Francorum Piſas aduentâſſet, & huiuſmodi plura pręfatus ſum, quæ ſi modò recenſere vellem, quoniā vulgo tunc non innituerunt, forſitan nunc minimè crederētur. *Hæc Sauonarolæ de ſeipſo, in Compend. Reuelationum.*

XIV.

XXXIV. *Item aliquæ eiuſdem virtutes recenſentur.*

Idoneum ſe reddiderat prophetico lumini, virtutibus non omninò vulgaribus. Victus ratio illi cum omnibus alijs religioſis communis: id magni illius, & numquam ſatis laudati Bernardi pro comperto habēs, mirari homines eum ſoluere, qui agit, quod non conſueuerunt cæteri, ſc. in ipſa victus ratione. In veſtibus mundities apparebat, eiuſdemque ſanctiſsimi viri verba repetebat: Paupertatem ſibi placere, nō ſordes. Cibi, & potus, quantum fieri poterat, abſtinentiſsimus fuit, quos ſemper de cōmuni ſumebat menſâ, niſi dum homines nō omninò vulgares, Florentiam ad eum viſendum accederent. Tum. n. hoſpitum menſæ cōuiuebat, tametſi guſtum ob aſsiduas cōtemplationis poſtremis annis penè omnē amiſiſſet. Sermo ei familiaris fuit, qui & nullę ſanctitatis ſpeciem affectatam prætenderet, & in hortamenta virtutum, vitiorumque deteſtationem magnâ cum dulcedine deſineret. Quę autem ſæpiſsimè proferret in medium, & quæ tamquam proloquia libentiſsimè vſurparet, hæc ferè in vniuerſū erant: Tantum ſcire hominē, quantum operaretur, quod à Diuo Franciſco Aſsiſino, cuius vitæ vehementiſsimè afficiebatur, prolatū olim memoriæ proditū eſt. Nec id quidem abs re vti arbitror, cū ex operibus, quæ à charitate proficiſcūtur, pendeat beatitudo, cuius adeptione ſciēdi deſideriū impletur. Similē irē eſſe animā hominis aiebat ferro qd in medio duū magnetū ponitur, quorum ſupernè vnus, infernè alter collocetur. Conandum nobis aſsiduè eſſe, vt internè poſitum abdicemus, & ad ſuperiorem illam, ſublimemque partem trahamur; terrenis & videlicet voluptatibus, quæ ſenſus illiciūt, & ad inferna trahunt omninò poſthabitis, hæreamus rebus ſpiritualibus, & inuiſibilibus, ad quas & facti ſumus, & diuinis monitis inuitamur. Illud quoque, vt

à vanæ gloriæ quæſtu amicos remoueret, ſolitus erat aſſerre; ſpiritualem cibum hac in parte non differre à corporali, quòd etiam ſi ſuauiſsimus ſit, & lautiſsimus, non in eius tamen, qui nutritur, naturam euadit vniuerſus, ſed pars eius inſito calore non omninò concocta, modificataque per corpus in excremẽta vertitur, & loca petit inferna; ille nõ aliter, qui tametſi fultus bonitate videatur, & primâ fronte, cœlum petere, pars tamẽ aliquantula vergit ad ima, quæ veneno gloriæ præpeditur, nè charitatis calore percoqui poſsit ex integro, modificariq́; per corpus, & numeris omnibus abſolui. Ad indagandam veritatẽ, & inuidias, reliquaſque affectiones prauas effugandas præfatum hoc perſæpè repetebat; eum, qui exquiſitiſsimè videre velit, infecta oculorum cõſpicilia deponere oportere. Nam ſi purâ, & congenitâ luce fuerint perſpicua, rerum ſpecies vti ſunt in pupilla, recipi. Si verò virentia, cerulea, purpurea, fuſcaue ſeſe obtulerint, adulterari quodammodò formas eas, quæ ex rebus depromuntur, talesq́; qualia ferint conſpicilia, videri ſolere. Haud ſecus euenire intellectui, qui phantaſmatibus tanquam ſpeculis quibuſdam vtitur ad contemplandum, ea ſi aduentitijs coloribus impermixta fuerint, lucidam, & in reſpiciẽdo, & in ratiocinando veritatem patere, nec non tranquillam, & congenitam ſpeciem præſentari, ſi rubritie, fuſcedine, viriditate alicuius affectionis ſiniſtra maculata, falli primùm ſpiritualem viſum, deinde vitia, cõtumelias, liuorem, perniciem, cædes ſuaderi. Solebat item monere ſtudioſos literarum, nè auctores voluntate ſibi deligerent, ſed ratione; nec præponendum ſibi hũc, vel illum prius quam, vel examinaſſent, vel à talium peritis perſuaſi eſſent, quoniam ex nimia affectione, iudicium veri inficitur. Duce igitur intellectu, non voluntate huiuſmodi in rebus vterentur, vt liberum poſteà facerent, de rei veritate iudicium.

XV.

XXXV. *Sauonarolæ aſſabilitas, & benignitas.*

Viſendi eius, & alloquendi omnibus ea facultas erat, vt inimicis etiam, & perſecutoribus aditus nõ negaretur; qui ſi quando colloqui cœpiſſent, eorũ pleriq́; qui oppugnatores venerant, mox propugnatores facti diſcedebant; ſuauiſsimo quodam humanitatis, & lenitatis vinculo irretiti. Idq́; non nullis aliquandò cõtigit, vt ab eius aſpectu ſe priùs nõ ſubtraherent, quàm quæcunq; in eum maledicta ſparſiſſent, quaſcumq; decipulas moliti fuiſſent, ſuaptè ſpontè faterentur, quibus ille nihil ſuccenſus, non ignoſcebat modò, ſed manſuetudinis, & benignitatis verba reſpondebat, quibus ſe ab eis veniam poſtulare magis, quàm præbere videretur. Et quippe natiua hominis placabilitas fuit, vt nũquam vocẽ iracundiæ extulerit, nunquam vllũ quamquam plurimum laceſsitus, indignabundus mutauerit. In eliminandis vitijs exardeſcebat quidem, ſed cum è ſuggeſtu verba faciebat ad plebem communi autem in ſermone, preſsâ potiùs, & leni oratione, verbiſq́; ſimplicibus, quàm aut ſoluta exaggeratione, & impetu, aut exertâ voce vtebatur. Et quamquam vitia ſemper, non homines peroſus eſt, veruntamen in ipſis etiam vitijs obiurgandis commodius interdum eſſe arbitrabatur, placido, & animo, & ſermone, quàm turbulento, & excitato vti, probatos corporum medicos imitatus, qui vulneribus quidem medicamenta interdum acerrima admouent, adhibentque ferrum, & ignem, ſi fomenta non proſint: ægrotis verò non modò non ſuccenſent, verùm compatiuntur potiùs, & aliquando etiam, ſi cõducere id putant, blandiuntur. Diſcipulos ſuos crebrò monebat; à principum hominũ, qui omninò Chriſtianè non viuerent, commercijs cauendum eſſe; ratus, eis animis, qui ſe Chriſti cruci affixiſſent, diuitum, principumq́; virorũ amicitias, venenum fore, quod quidem tantum aberat, vt ipſe non ſeruaret, vt etiam ab affiniũ cõſanguineorumq́; conuerſatione, poſtquã Religionẽ adijt, enixè caueret. Sed neq; vnquã creauit, vt opibus augerentur, vel iuuarentur, quæ nõ ſatis etiã ad decentẽ victũ ſuppetebant; cùm Nicol. pater eius, vir probus,

*A Principibus & diuitibus malè viuentibus abſtinendum ſuadet.*

ex honeſtis opibus ad mendicas, ob crebra vadimonia deueniſſet. Abſtinebat aũt vir ſapiẽtiſsim⁹ ab hoc pietatis officio: tum quia diuitias illis impedimẽto eſſe ad cõſequendam ſalutem animi rebatur, mediocritatemque eam, quæ in paupertatem declinat, conducibiliorem fore; tum etiam, quia calumnias in ſe non parùm multas conflâſſet, quibus ei officio, quod ſibi delegatũ diuinitùs fuerat, derogatum iri cognoſceret; eoq́; magis, quod eius perſecutores ſpargebant in vulgus, quæſiuiſſe eum ſororibus dotem, à qua ſæpe etiam oblata, quàm maximè abhorruerat; quandoquidem Ioannes Picus, dum venditis nepotis patrimonijs, duo aureorũ nummum millia ex aceruo pecuniæ dempſiſſet, ipſaq́; egenis erogare propoſuiſſet; quâ potuit voluntatis propenſione, Hieronymum, quẽ ad id negotij delegarat, rogauit, vt quadringentos ex eis in dotẽ ſororũ daret, quod tunc maturo ipſe conſilio renuit. Renunciatum tamen Laurentio Medici, qui tũc Remp. Florentinam gubernabat, alijſq́; permultis; perſuaſiſſe Hieronymũ Pico ipſi eadem de cauſa, bina illa ducatorum millia, pauperibus diſtribuenda, vt indè nuptum ſorores traderet; quam quidem rem tantum abiuit, vt aut excogitaret, aut proponeret, aut acciperet, vt & ipſe Ioannes Picus in maximam Hieronymi laudem, & nepoti Ioanni Franciſco Pico, qui hæc ſcripſit, & alijs referret, impetrare ſe ab eo, quod quæſierat, nequiuiſſe. Voluntariæ paupertatis enim, Hieronymus, ſemper ardentiſſimus amator fuit, ad eamq́; totis præcordijs ſitiendã ſodales ſuos identidem hortabatur. Nec ſecus honoratos habebat Chriſti ſeruos ſtrictiori addictos Religioni pannoſis veſtibus, & rudibus, ac ſeculi diuites in auro, & coccino, ſeruorum etiam cuneis conſtipatos: Fratrum ſodalium veſtes breuiores, ſtrictioresq́; aliquantò inſtituit, quàm eſſe cõſueuerant, ad normam eos, & exemplum reuocans antiquorum, qui pauperrimam (vt ita dixerim) paupertatem docuêre. Monuit etiam, vt à geſtandis crepidis abſtinerent, ſuperfluas eas exiſtimans, quandò earum loco ſoleas quaſdam, calceamentis inſerere, & cõmodius foret, & his etiam à quibus victum mendicabãt, gratius, quos minùs, quàm fieri poterat, vexandos dicebat, exẽplo Pauli, qui tametſi victum à Corinthiis iure ſuo vendicare poſſet, maluerit tamen ſcænofactoriam artem exercere, vnde ſibi ad tollendam famem prouideret.

XVI.

Nulla omninò earũ rerũ, quæ ſub Lunari machinâ cõtinentur, intento afficiebatur animo, nec diſcipulos affici volebat, vt in Deũ totis virib. poſſent cõmodiùs ferri; & quo pacto id facilè aſſequerentur, nõnullis regulis explicatũ reliquit, idipſumq́; exemplo, priuſquã verbo monſtrauit. Implẽdæ ſuperiorũ voluntati prõptiſsimus fuit. Cellâ ſuâ cõtentus, nihil doctrinâ elatus, nihil ob id, quod præſideret, tumidus, nihil curioſitate inquietus, verùm calcatis terrenis omnibus, iuge diuinorum meditatione & ſatur, & placidus. Quod ſi quãdo vehemẽtiùs, quã oportuerat, affectu, ſe rei cuipiam inhærere cõprehendiſſet, id omne abijciebat, etiã ſi tale eſſet, vt ſpirituale magis dici, quàm ſiue temporariũ, ſiue ſeculare poſſet. Namq; & ſacros libros, & Sanctorum imagines, & qui etiam in Dei honorem ipſe ediderat Cõmentaria, vel quibus ſuberat, vel diſcipulis, vel impetrata veniâ amicis tradebat, nè qui totus in Deum ferri animus atq; integer debet, ad ſub lunaria iſthæc diligenda diutius paulatim procumberet. Integritatẽ carnis ad extremum vitæ cuſtodiuit, & qui eo pollebant munere, mirificè ab eo diligebantur. Inter omnia verò vitia, à quibus caueret, inſultus humanæ gloriæ diligenter obſeruabat. Simulachrum ob id humani capitis ex ebore fabrefactum frequenter habebat in manibus, quod aſsiduò attritu digitorum ferè conſumpſerat, aiebat enim, eius aſpectu gloriæ vanæ ſtimulos obtundi; quando, & quæ fuerant, ſuntque, & quæ item futura putarentur hominum capita, horrida falce mortis, quæ humanæ gloriæ floſculos quantum-

XXXVI. *Obediens eſt, & humilis.*





libet florentes excindit, caluario illi eſſent euaſura ſimilia. Quâ etiam maximâ fide pollebat, Chriſti crucifixi æneum ſimulachrum, aut manu præhenſum, aut tunicæ manicis inſertum frequenter geſtabat, vt, ſi quando, quod futurum expectabat, occideretur, geſtu ſaltem, & opere, ſi linguæ officium intercluſum fuiſſet, Chriſtianam fidem coràm ipſa crucifixi imagine profiteretur. In orando Deo, & feruentiſsimus, & aſsiduus fuit, tantaque in eum animi propenſione ferebatur, vt Euangelicum orationis indefeſſæ decretum ſe implere palam faceret. Noctis tempus omne, præter id paruum, quod neceſſario ſomno dabatur, oratio ſibi, & contemplatio vindicabant. Dies inter publicas, & priuatas orationes finem accipiebat, eâ duntaxat eius parte vix demptâ, quæ naturæ neceſsitati, & ordinarijs diuinorum eloquiorum lectionibus impendebatur, quamquam præpediebatur ſæpè amicorum concurſu, qui varijs de cauſis hominem conſulebant, atque eo veluti internunciò, quid eſſet opus facto, Deum ſciſcitabantur. Eam namque cum ipſo amiciſsimam, ob cordis puritatem, & aſsiduas orationes inierat, vt nihil ſibi, quod non impetraret, peteret reuelari; eoque iam deuenerat, vt per decennium antequam moreretur, nil de ſermonibus, quos habiturus erat ad populum, (tantâ erat in Deum fiducia, & propenſione) inciperet cogitare, priuſquam de eo, de quo dicturus erat, diuinis oraculis erudiretur. Rariſsimum quidem donum, & fortaſsè quod vix alicui alteri obtigerat. Etenim neminem, quod ſciam, proditum eſt memoriæ, tàm crebrius diuinis viſionibus illuſtratum. Et quamquàm Dionyſius Areopagita ſcribit, Carpum Cretenſem Epiſcopum, numquam conſecrauiſſe diuina myſteria, niſi viſione propitiâ præeunte; hoc tamen ſoli homini, illud innumeræ multitudini munus accommodatum. Rapiebatur item eius anima perſæpè, diuinæque luci adeò copulabatur, vt deſtitutum ſenſibilibus officijs corpus velut emortuũ relinqueretur. Eueniebat hoc illi dum faceret diuina; atque ob eam cauſam ſemotis, quantum fieri poterat, arbitris, Dominicum in altaris ſacramento corpus, & ſanguinem pertractabat. Sed qui lucernam non ſub modio, vt occuleretur, verùm ſuper candelabrum, vt patefieret ponendam ſtatuerat, quandoque in cœtu Fratrum Sodalium, corpore eius quaſi exanimi remanente, mentem ad cœleſtia gaudia ſuſtollebat. Brixiæ olim dùm eſſet, nocteque ea, quã Chriſti natiuitas præſentatur, cùm diuinæ laudes in Eccleſia vocibus peragerentur, corpus eius immobile per quinque horas manſit, ſic mente, & affectu penitus in Deum abſorptis, ob ſancti Spiritûs præſentiam, vt facies eius magnũ lumen emitteret. Peractis enim diuinis, qui regreſſi ſunt poſteà ad finem rei contuendum, ſi vidiſſe teſtati ſunt, ipſam Hieronymi faciem, extinctis etiam lampadibus, noctis tenebras fugauiſſe, eiusque fulgore Chorum ipſum Eccleſiæ vniuerſum colluſtratum fuiſſe. Sic præſente Ioanne Franciſco Pico, Auguſtinus Morus Brixienſis, eiuſdem Profeſſor Ordinis, non auritus tantùm, ſed oculatus huiuſce rei teſtis Mirandulanę plebi de pulpito aſſeuerauit. Syluester eius vitę comes, & martyrij conſors, roganti Ioanni Franciſco Pico, de Hieronymi ſanctitate, atque obſeruantiâ, vt occulti quippiam proferret in rerum eius confirmationem (ſciebat enim eum multorum ſecretorum cõſcium) affirmauit, columbæ ſpeciem, quæ ſancti Spiritûs præſentiam, gratiamque indicaret, ſemel, atque iterum ſe vidiſſe Hieronymi humero inſidere, argenteſque, auro etiam corruſcante pennis redimitam, roſtro in aurem ipſius porrecto diu inſuſurraſſe. Alij viderunt duos Angelos concionantem circumſtantes, & pallium eius, hinc inde diſtendentes: alij Reginam cœlorum populo benedicentem, tunc, cùm ille benè auditoribus precaretur quidam capillatura in modum Nazaræorum illuſtrem: nonnulli palmam manu geſtantem: aliqui ſanguinem è dextro latere

*In oratione aſsiduus, & feruens.*

*Rapitur ſæpiſsimè.*

*Spiritus S., Deipara, & alij ſancti adſtare Sauonarolæ conſpiciuntur.*

fundentem, vel aliquo alio cœleſti prodigio admirandum F. Bartholomeus Raguſinus Prior, vnum ex 24. Apocalypticis ſenioribus ad Hieronymum cœlitùs miſſum aſſeuerauit; à quo is illuſtratus, Italiæ vniuerſæ, ac præcipuè Brixienſibus clades, quæ poſtmodum ſuperuenerunt, prænunciauit.

XVII.

Eodem Spiritu ſancto reuelante, humanarum mentium arcana exquiſitiſsimè perſpexit, & pleriſque hominibus ſuorum maculas criminum, in intimis penetralium latebris reconditas, leniter coarguendo & detexit ſimul, & vt abſtergerentur, faciliùs pręſtitit. Obiurgauit enim ex ſodalibus quempiam, & peccata nonnulla ſub oculis poſuit, quæ ille poſteà in penitiſsimis receſsibus diu geſtaſſe ſoli Deo nota confeſſus eſt. Sed & Florentinum quoque ciuem, detecto animi, quod tegebatur vlcere, ſanauit. Nam licet is diuina diu mãdata ſeruaſſet, in id tamen impegerat criminis, quod vllam de feneſtra fœminam concupijt, & mente adulterium commiſit. Poſteà verò, cum Hieronymo per Bibliothecam ſpacianti accurriſſet, agnitus ab eo ſtatim, & reprehenſus, quòd non is eſſet, qui pridiè fuerat, ad Sacerdotem tremebundus confitendi peccati gratiâ ſtatim cucurrit, & ſupplex veniã deprecatus eſt.

XXXVII. *Cordium arcana intuetur*

XVIII.

Dæmones, qui vel obſeſſa corpora vexabant, vel ad hominum terriculamenta per ædes ſtrepebant, mirum in modum formidabant ab aſpectu Hieronymi: nec vnquam nomen eius præ rabe exprimebant, aut litteras inuertentes, aut ſyllabas decurtantes, aut in aliud ſatagentes transformare. Illudq́ue maximè dolebant, magnaque vociferatione conquerebantur, impetrare illum à Deo, quæcumque vellet, nec vnquam genua, vbi ea poſuerat, leuare ſolitum, priuſquam voti compos euaderet. Minabantur illi perſæpè; ſed illicò euaneſcebant, ſanctiſsima, quæ in eos effunderet, verba ſubueriti. Quo tempore, ſodales Etruriæ fratres à Ciſalpinis ſecreuerat, numeroſa dœmonum multitudo, bono, quod inde ſequi coniectabatur, infeſta, præpedire opus cœptum molita eſt. Proindè habitatores cœnobij vniuerſos moleſtijs impetere, & terroribus impedire; quorum inſultibus, Hieronymus, tum orationibus, tum adiurationibus continuis reſiſtebat, & noctu etiam ſanctificatæ aquæ aſpergine, per Monaſterium percurrens, eoſdem cubiculis pellebat. Sed poſtquàm iuuari diſcipulos Hieronymi magis, quàm lædi vmbratilibus ſuis bellis animaduertiſſent dæmones, ceſſandum ſibi duxerunt; priùs tamẽ in Hieronymum conamina, quę poterant, molientes, qui dum noctis intempeſtæ ſilentio conſuetum iter arriperet, & cellas fratrum omnes, pſalmis, & aquæ ſacræ guttis, ceu amuletis expiaret, vel propugnaculis armaret, denſârunt ſic aerem, vt prætereundi per cœnobium facultas vix daretur, quo eodem tempore ad eum verba hæc facta ſunt, quòd mala quæreret; quæ tot, & tanta in eum cõcitaturi eſſent, vt ferre non poſſet. Ad quæ lætus ille reſpondit; quæcumque vellent pararent, & exercerẽt; nihil tamen formidare ſe, quia adiutorium eius in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram. Aliquem nouitium à dæmonio, de relinquenda religione grauiter ſollicitatum, ſolo aſpectu à tentatione liberauit. Conuerſum quendam Fratrem à ſatana infeſſum, quem nodis inſolubilibus dæmon ad ſpondas lectuli alligabat, & frequenter in forma æthiopis apparens miris modis diuexabat, precibus perſanauit.

XXXVIII. *Eundem Dæmones timent.*

XIX.

Tanta erat animi eius æquabilitas, vt ſemper eadem pelleret lætitiâ, ſiue à dæmonijs tentatus, ſiue à peſsimis hominib moleſtiâ affectus, ſiue quibuſcumq́; tentationib. vexatus. Cõueniebant oẽs, qui eo familiariter vtebãtur, nihil in eius cõuerſatione mirabilius viſum pace eâ, quã corde guſtabant, & vultu præferebat: quæ quidẽ, quando inter omnifarias procellas, ſecura ſẽper, & immobilis pſeueraſſet, ſuit cũ illa eadẽ aut illi

XXXIX. *In aduerſis eius æquabilitas*

certè particeps, quã Chriſtus dedit Apoſtolis, & quam mundus dare nõ poteſt. Nihil.n. in eum momentanei, nihil perituri poterat: qui iiſdem omninò ſpretis, aut faſtiditis, in æterna illa & ſemper manſura quiete radices amoris defixerat. Proinde in mente illius meritò pax illa florebat, quæ omnẽ ſenſum exſuperat. Enimuerò qui res fluxas amat, aut ſubueretur, fluit & ipſe animo, momentiſque mutatur. Qui ſtabilioribus rebus inhæret, caducis & momentaneis omnibus calcatis, ab omni motus, & temporis iniuriâ liber, æternitatem ipſam aſſequitur mente, & felicitati futuræ initiatur. quandoquidem ea ſit amoris cõditio, vt res natura ipſa diſcretas colligat, vniatque adeò, vt amantem in amatum ipſum, quoad fieri poteſt, planè transformet. Quapropter ibi eſſe vnumquemque, vbi deſiderium eius eſt: iam receptum ab antiquitate, ex diuinis etiam atque humanis litteris, extra omnem controuerſiam confirmatum. *Ioan. Franc. Picus in vita, & Mſ.*

XX.

XL. *Sauonarolæ Conſtantia.*

Narratum ei aliquando fuit, aduerſarios in tantum illius contemptum prorupiſſe, vt non modò ipſi hominem probris & dicterijs lacerarent, verùm etiam quoſdam petulantes pueros concitarent; qui ridiculum in modum illum in ſchedis depingerent, & vel illuſoribus ridendum proponerent, vel in medio auditorio chartas imagine eius depictas proijcerent, vel alicubi tranſeuntem cachinnis exciperent, nec non impoſtorem, falſum vatem, populi ſeductorem conclamarent. At ille ad omnes iniurias ſurdus ac mutus, æquo animo omnia ferebat, neque quicquam de conſtantia ſuâ mouebatur. Aliqui ex his Minoribus fratribus, quos de Obſeruantia vocant, ſtudio hominem lacerandi, in cœnobium Feſulanum S. Dominici, ad quod is diuerterat, venerant, & patientiam illius multis contumelijs expugnare pergebant. Cæterum ille quaſi non haberet in ore ſuo redargutiones, imperturbato animo & vultu omnia probra audiuit: & non modò non reiecit, quæ recepit; Sed etiam procaces benigniſsimè habuit, atque peruicaciam inſolentium infractâ patientiâ fregit. Rudem alij, rerumque Theologicarum, ac cœleſtium prorſus ignarum, quamquam regulari diſciplinâ & ſanctimoniâ præſtantem iactabant: alij eruditum quidem, & arcanorum cœleſtium ſcientem, ſed aſtutum, verſipellemq; vulgabant; plerique prædictiones eleuare & ex illis inuidiam concitare in eum omnimodis ſtudebant. Verumtamen ille eadem fortitudine, quâ impoſturas ſpernebat, reprehendere flagitioſos, monere, orare, increpare, terrere, & per varia argumenta, tentamentaq; homines ad ſanctitatis normam reuocare non intermittebat; quaſi etiam ſibi dictum foret. *Opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple, argue obſecra, increpa, inſta opportunè, importunè, in omni patientia, & doctrina.*

XXI.

XLI. *Abbates duos leniter reprehendit*

Duo Abbates opulentæ cuiuſdam Religionis, ad eum viſendum aliquando conceſſerant; ſed adeò ſplendido cultu, veſtituque, vt ipſum etiam S. Bernardum in luxum Monaſticum olim declamantem prouocâſſent. Hos quidem Sauonarola benignè excepit: ſed tamen Apoſtolici officij memor, cũ omni lenitate, & manſuetudine tanti ſplendoris, ſumptuſque veſtium admonuit: ac neſcio quid friuolè excuſantibus, Sanctos Benedictum, & Maurum, cæteroſque veteris ſanctimoniæ Patres in exemplum adduxit, ironiamq; ſuauiter admiſcuit; S. Stultè illos inſtituti Monaſtici authores feciſſe, quod nec ipſi induerint, neque legem veſtiariam præſcripſerint, quæ iuberet, ex eodem panno chlamydem, & cucullam ſarciri; poſtquam pretioſior veſtis, & minoris reſpectu quodam vænirer, & diutiùs, quàm vilior ferret ætatem, & maiorem cappatis, vel togatis venerationem in populis conciliaret.

XXII.

XLII. *Vitæ periculum diuina ope euadit.*

Bononiæ, in S. Petronij vaſtiſsima Baſilicâ, ſacro Quadrageſimæ tempore, anno 1492. verba ad populũ faciens, habuit vitæ periculum adire, niſi Deus ſicariorum mentem commutâſſet. Rerum in ea vrbe principatum, exercebat Ioannes Bentiuolius, nobilitate, & clientelis potens. Eius vxor, mulier faſtuoſa, quæq; omnia ſibi non minùs, quàm marito licere putabat, non tam vt hominem ex ſuggeſtu detonantem audiret, quàm vt ab auditorio frequentiſsimo honores extorqueret, ad concionem, ſed vel ſub medium, vel ſub finem aliquoties, ſed ingenti cum pompa, ſatellitibus, famulitio, gynecæo numeroſo comitata aduenerat. Medio ferè in auditorio, ſedilia illius eminebant. Ad ingreſſum pompaticæ, omnes quotquot concioni intererant, Magiſtratus, nobilitas, viri, fœminæ illuſtres aſſurgebant, inclinabant, ſalutabant, & tamdiù ſilentij neceſsitatem concionanti imponebant, quouſq; inſolens mulier conſediſſet. Iniquum, nec ferendum id nõ tàm Hieronymo, quàm Auditorio viſum. Fœminam, oſtentationis, non deuotionis cauſa ad Baſilicam venire; cultum, ac venerationem, quaſi pleno iure, ab omnibus exigere: verboque diuino offendiculum afferre. Ergò Hieronymus, aliàs, ſemel, ac iterum more ſolito tardiùs venientem, patienter quidem ſuſtinuit; ſed tamen in commune, cum omni ſuauitate omnes precatus eſt, tempeſtiuè venirent; neque aut ſibi, aut Auditoribus moleſtiam aliquam, commotione omnium intempeſtiuâ concitarent. Spreuit preces, ac monita orantis ſuperba illa; & maiorem pompam induta, longum ſyrma poſt ſe trahens, innumeriſque famulis antecedentibus, & famulabus conſequentibus ſtipata, quaſi vniuerſis illudere vellet, vna dierum ad medium concionis venit. Ibi Hieronymus, fortè, in luxum veſtium inuectus, ac vehementiùs in contumacem inflãmatus, Sathanam, in lembo veſtis, quo illa terram verrebat, ferri, geſticulare, & exultare cõclamauit; fœminamque tantoperè irritauit, vt illa velut altera Iezabel furijs agitata, duos mox ſatellites ad Hieronymum in ſuggeſtu mactandum ſubmiſerit. Cumque illi tunc neque conſcendere, neque quicquam in templo conficere, potuerint, eoſdem ſub crepuſculum ad S. Dominici cœnobium reuerti, & per ſpeciem aliquam, illum ad portam euocatum trucidare imperauerit. Non permiſit Deus hominem violari, ſed non minùs, quàm in Baſilica oculos Sicariorum praſtrinxit, ita etiam in cœnobio conatus illorum irritauit. Cùm enim F. Dionyſius cuſtos portæ, Hieronymum admonuiſſet, illum à duobus armatis ad portam expectari, ſeque metuere, nè in perniciem illius ſubmiſsi veniſſent; Hieronymus diuino fretus auxilio, ad eos proceſsit; & à quo venirent, quidue poſtularent, intrepido animo interrogauit: quem illi vt aſpexerunt, repentè immutati, à Bentiuolia quidem ſe miſſos reſponderunt, ſed quæ benè homini volens de valetudine illius edoceri cupiebat, omniaque humanitatis officia offerebat: ſi qua re is indigeret, tantum vnico verbulo inſinuaret; nihil eſſe omninò, in quo ei gratificari non deſideraret. Ita qui ad cædem perpetrandam deſtinati erant, repentè ſanguinarijs cogitationibus depoſitis, aliud, quàm ſanguinem viri zelatoris referebant; aſſerente coràm eis, illo ipſo non Bononiæ, ſed Florentiæ illum lauream martyrij manere.

*Diabolus in lembo veſtis mulieris cuiuſdam inſilere conſpicatur.*

XXIII.

XLIII. *Aeger Sauonarola diuinitus ſanatur.*

Reuertens Florentiam, cùm à vehementiſsimis caloribus, & labore itineris (pedes ibat) feſſus, in languorẽ incidiſſet, & appetitu deperdito, nihil omninò ciborum comedere potuiſſet, eaque propter aliquam infirmitatem grauem metueret, apparuit illi aliquis ſpecie humanâ anguſtior, qui curam illius, ſe habiturum dixit, & in diuerſorium propinquius adducto, quoddam ſingulare edulium præparauit: quo guſtato, appetitum, & vires in momento ferè recuperauit, & reliquum viæ, citrà moleſtiam vllam confecit. Comitatus eſt Hieronymũ, cuſtodiæ (vt credidit) Angelus deſtinatus, vſque ad portam S. Galli Florentiæ: cumque





illum intra vrbem introduxiſſet, ex oculis illius ſe ſubtrahens, admonuit, vt opus miniſterij diuinitus iniunctum, ſtrenuè adimpleret. In horto cœnobij S. Marci, inter roſeta conſidens priuatim primùm coram Fratribus, & amicis nonnullis, de rebus cœleſtibus, diſſeruerat. Aduentantes cùm locus non caperet, coactus eſt in templo cõcionari; tanto cum fructu, vt ingens morum mutatio ſecuta breui fuerit; acclamantibus quàm plurimis, mel, & lac ſub lingua illius eſſe, & exinde abundè ſcaturire. Famâ illius vndequaque diffuſa, accurrebant Florentiam viri Principes, & magnates, qui hominem audirent, & de rebus grauiſsimis conſulerent.

XXIV.

XLIV. *Dæmonij præſtigias cognoſcit.*

Accidit inter hæc quiddam, memoratu dignum. Ex eius Sodalibus in cœnobio S. Marci, F. Hieronymus Beninus, à dæmonio deluſus, videre ſibi viſus eſt, ſcutiferum à Magiſtratu Florentino ſubmiſſum, qui illum in palatium veniret accitum; habere proceres literas ab Alexandro Pontifice, quibus illum Eccleſiæ cuidam non ignobili, & opulentæ Epiſcopum renunciabat. Properaret itaque, nec tantam honoris occaſionem intermitteret, ſed citrà omnem tergiuerſationem ſuſciperet. Annuit incautus ille, & nuncium tantiſper ante oſtium Bibliothecæ expectare obſecrauit, donec à Præfecto Monaſterij Sauonarolâ, facultatem exeundi, & benedictionem obtineret. Acceſsit; negotium expoſuit, & vt ſibi egredi, atque dignitatem delatam ſuſcipere liceret, flagitauit. At Sauonarola, ſpectrum dæmonis credulo apparuiſſe in ſpiritu edoctus, nè Veteratori fidem adhiberet, admonuit, & vt porrò præſtolantem ad fores Bibliothecæ quæreret, ire iuſſit: quem Beninus nuſpiam reperire potuit, ac tandem, quam Sauonarola fraudem eſſe maligni renunciauerat, ab experimentis certiſsimis comprobauit. *Mſ. & Picus in vita.*

Hæc authores vitæ de Sauonarola memorabant: ſed nos ad Pontificia reuertamur, quibus iſtud prælóquium præſcribere adlibuit.

# ALEXANDRI PAPÆ VI.

## ANNO I.

XLV. *Plures Summi Pontifices innocenter à maleuolis quibuſdã traducti.*

CHAMO, vel impudentiore aliquo patre natis, congenitum, pudenda, vel retegere, vel fingere Parentum. Ab his, nè degenerarent *genimina viperarum; ab vtero* vſque, aut *locuti ſunt falſa*, aut *turpia* matris reuelârunt. In hoc calumniarum, & contumeliarum, theatro, nimis, ah nimis vapulârunt, etiam innocentes Pontifices: præcipuè qui nacti hoſtes, vel flagitijs infames, vel factionibus æmulos. Illuſtres ab hac linguâ, vel *Calamo Scribæ*, atrociter, non minùs, quàm *velociter ſcribentis*, Damaſus, Symmachus, Leo, & alij Sanctimoniæ veteris: quibus volupe fuit, in oculis orbis, innocentiã, incontaminatã teſtimonijs, & argumentis vinci neſcijs, demonſtrare, atque eodem honoris compendio, *os loquentium iniqua* obſtruere. Nec mirùs conſpicui, ſuccedentes Patres, ſub hac machera ſerpentina, & ſub hoc *ſtylo ferreo*, non quidẽ gementes, ſed à cõſcientiâ rectè factorum triumphantes; Bonifacius VIII. & IX. Vrbanus VI. Ioannes XXIII. Eugenius IV. Sixtus IV. & multi alij; quibus zeli Apoſtolici pro domo Dei, pretium ab aduerſarijs fuit, MALE AVDIRE. nihil mirum, ſi & Alexander VI. ab hac geniali turbâ non illæſus: cui ab ipſis ferè Romanæ Aulæ, antè, & ſub Calixto auo incunabulis, ſolenne fuit, quaſi *ab vbere* colluctari cum *aſpidibus & Regulis*; quorum & olim & æternum ferax, Circus ambitionis. Vel vnus Ruuereus, Senatus C. ferè Princeps, ſufficiebat, ad Alexandri famam, vel factis, vel fictis inumbrandam: quando vno & altero, Sixti videlicet, & Innocentij Pontificio, viderat hominem ingentibus operis, ad magna eniti, atque Pontificatum præripere. Inflammauerat Iulianum, quod in extremo iam Innocentij ſpiritu, Alexander libertatis, & æquitatis amans, Pontifici de molis Adriani Præfecto, illo audiente dixerat, quæ dixerat; quando ad verbum *Maranus* ſibi per ſummam contumeliam ab illo dictum; & obſcuritatem natalium, & vitæ maculas exprobrarat, Pontificatum ambienti. Addebat faces Riarius Camerarius, & ipſe quoque Alexandro parùm æquus: quibus adiuncti Galli, Hiſpani, nonnulli Principes Itali, & aliqui proceres Romani, ſiue odio gentis, ſiue inuidiâ dignitatis, ſiue impatientiâ fræni, ſiue etiam inſolentia perneceſſariorum Alexandri, vehementius, quàm par fuerat, concitati; vel oleum lucubrantium lucernæ, vel aterrimum atramentum ſuffuderunt; à quo tàm liuentes Alexandro notæ, vt vix Neroni, ſiue Heliogabalo, ſiue cuipiam ex illis propudioſis maieſtatis Romanæ contaminatoribus, adpingi, vel affingi poſſent. Sanazarius, inter alios huius æui famatores, ſine controuerſia primus, Alexandrum Satyricis verſibus, in gratiâ Neapolitanorum Regum, quibus profuſè addictus, priuatim lacerauit; vtque alij bonarum horarum helluones, verſa & auerſa ſcriptione illum proſcinderent, auctor fuit. Figulis nolo fidem adhibere; importunis, nolo calamo ſecundare; vel ab hac Regiâ Salomonis præſcriptione: *Gloria filiorum, pater cum honore.* Itaque penes authores fidem relinquam, quibus otium fuit, vel fingere, vel ſcribere, Alexandrum, aliqua auribus grauia admiſiſſe: magis ſecurus, aduerſariorum commenta, quàm Alexandri facinora fuiſſe. An hæc temerè præſcripſerim? ex narrationibus, quas grauiſsimorum authorum verbis ipſiſsimis adſcribam, quiuis iudicato. De electione, prima erit.

XLVI. *Cardinales pro nouo Põtifice eligendo cõclaue ingrediuntur.*

Octauo Idus Auguſti, Sacris de Spiritu ſancto à Cardinalium Decano abſolutis, tres, & viginti Patres Conclaue ingreſsi ſunt.

1. Rodericus Borgia, Valentinus, Hiſpanus, Epiſcopus Card. Portuen. Decanus Collegij, & Procancellarius.
2. Oliuerius Caraffa, Ciuis, & Archiepiſc. Neapolitanus, Epiſc. Card. Sabinus.
3. Iulianus de Ruuere Sauonen. Epiſc. Card. Oſtien. & maior Pœnitentiarius.
4. Baptiſta Zeno Venetus, Epiſcop. Cardinal. Tuſculanus.
5. Ioannes Michaelius Venetus, Epiſc. Veronen. Epiſc. Card. Præneſtinus.
6. Georgius Coſta, Epiſc. Card Albanus.
7. Hieronymus Baſſus de Ruuere Sauonenſis, Epiſc. Recanaten. Presb. Card. tt. S. Chryſogoni.
8. Dominicus de Ruuere Taurinen. Archiepiſc. Tarantaſien Presb. Card. tt. S. Clementis.
9. Paulus Fregoſius, ciuis, & Archiepiſc. Genuenſ. Presb. Card. tt. S. Sixti.
10. Ioannes de Comitibus, Domicellus Rom. Archiepiſc. Conſanus, Presb. Card. tt. S. Vitalis.
11. Ioannes Iacobus Sclafenatus Mediolanenſis, Epiſ. Parmen. Presbyt. Cardinal. tt. S. Stephani in Cœlio monte.
12. Laurentius Cybo Genuen. Archiep. Beneuentanus, Presb. Card. tt. S. Cæciliæ.
13. Ardicinus de la Porta, Nouarien. Epiſc. Albien. Presbyt. Card. tt. SS. Ioannis, & Pauli.
14. Antoniotus Palauicinus Genuen. Epiſc. Aurien. Presb. Card. tt. S. Anaſtaſiæ.
15. Frater Matheus Gerardus, ciuis, & Patriarcha Venetiarum, Presbyt. Cardinal. tt. SS Nerei, & Achillei.
16. Franciſcus Piccolhomineus, ciuis, & Archiepiſc. Senen. Diac. Cardinal. S. Euſtachij, S. R. E. Archidiacon.
17. Raphael Riarius Sauonenſ. Diacon. Cardinal. S. Georgij in Velabor. Sacræ Romanæ Eccleſiæ Camerarius.
18. Ioannes Baptiſta Sabellus, Roman. Diac. Card. S. Nicolai in Carcere Tulliano.

19. Ioannes Columna, Domicellus Romanus, Diac. Card. S. Mariæ in Aquiro.
20. Ioannes-Baptiſta Vrſinus, Domicellus Rom. Diacon. Card. S. Mariæ Nouæ.
21. Aſcanius Maria Sfortia Mediolanen. Diac. Card. SS. Viti & Modeſti in Macello Martyrum.
22. Ioannes de Medici Florentinus, Diac. Card. S. Mariæ in Dominica.
23. Franciſcus San ſeuerinas, Diacon. Card. S. Theodori.

XLVII. *Borgia eligitur, & Alexander VI. nuncupatur.*

Ex his, duo, & viginti tulit ſuffragia, Rodericus Borgia ſacri Collegij Princeps; *tantam*, vt Platina memorat, *omnium beneuolentiam nactus, vt omnium applauſu Pontificatus munere fuerit inſignitus; poſtquàm annos circiter XL. non paruâ cum laude, Vicecancellariatus molem ſuſtinuiſſet.* Non igitur vero ſimile eſt, quod ſuperioris, ac ab his, poſterioris temporis Scriptores, Alexandro, & ſacro Senatui iniquiores, commenti ſunt; illum partim pecuniâ, partim officijs, ac ſacerdotijs, quæ habebat, ampliſsima repromiſsis, complurium Cardinalium ſuffragia palàm coemiſſe; hos verò veluti diuini præcepti contemptores, cœleſtis authoritatis dignitatem, pretio vel officio vendidiſſe. Benè merendo ille, Pontificatus faſtigium aſcendit, quippe, qui, vt idem Platina teſtatur, *ob ſingularem virtutem, iuuenili æuo Cardinalis factus, & Vicecancellariatus Magiſtratu donatus, eam prouinciam ad ſui, ſuorumq; decus, ac gloriã exactiùs peregiſſet; tam profundâ Philoſophiæ ac diuinarum litterarum ſcientiâ, vt felix tanto Pontifice Roma dici potuerit: quem oſcitantem rarò comperit quiſquam, quin aut libris legendis, aut diuino cultui, aut rei Chriſtianæ ſemper attentus eſſet: aſſentatoribus inimicus, litteratorum alter Mecenas, in monendo dulcis, in arguendo acer, à primæua ætate, quæ facilè mores, quibus imbuitur, diutiùs ſeruat, manſuetè, inter doctos, qui iuueniles animos regendi artem apprimè callebant, ad maxima educatus.* His virtutibus ille Pontificatum mercatus, nè ingratus, aut illiberalis erga ſuffragatores videretur, omnia, quæ ante Pontificatum in eius poteſtate fuerant, & alia quàmplurima inter eos diſtribuit. Sfortiæ Procancellariatum; Vrſino palatium cum caſtris Suriani, & Monticelli; Columnio Abbatiam Sublacenſem; Michaelio, Eccleſiam Portuenſem; Sabello ciuitatem Caſtellanam, & Baſilicam S. MARIAE Maioris; Fregoſio Eccleſiam S. MARIAE in via latâ; & alijs alia non contemnenda donaria: vndè forſan maleuolentes occaſionem arripuerunt, calumniandi, quaſi Pontificium coemiſſet. Sexto, ab ingreſſu Conclauis die, ſcilicet III. Idus Auguſti, renunciatus Pontifex, trigeſimo pòſt diè, ſcilicet pridiè Idus Septemb. inſignia ſupremæ dignitatis, à Franciſco Piccolhominco Archidiacono, in gradibus, antè fores Baſilicæ Vaticanæ accepit, Cardinalibus, Epiſcopis, Clero, & populo Romano adſtantibus. *Platina, & Panuinius in Alexandro VI. Infixura in notis diarijs Romanis* addit, quòd accedenti de more ad Eccleſiam Lateranenſem Alexandro, factus fuerit maximus honor per vrbem: multi arcus triumphales, magis, quàm vnquam alij Pontificum erecti; multæ acclamationes, & gratulationes auditæ, multa inſolitæ lætitiæ ſigna viſa. Sed extrema illius, luctus, præſertim vniuerſæ Italiæ, occupauit; à varijs ſimultatibus, & diſsidijs Principum, qui Alexandro omnimodam felicitatem Pontificatus eripere viſi, etiam famæ aliquid inſperſerunt. Iſta eſt origo, totius calamitatis temporum Alexandri.

XLVIII. *Vniuerſos Chriſtianos Principes ſuæ aſſumptionis admonet.*

Poſtquàm vniuerſos Reges, ac Principes ſuæ aſſumptionis admonuiſſet, ac inueterato Chriſtianæ Reipublicæ more, Oratores eſſent ad nouum Pontificem mittendi, qui eum tanquam Chriſti in terris vicarium adorarent, eique ſe obtemperaturos promitterent, Ludouici Sfortiæ, cuius proprium fuit ab alijs minùs prouiſa cõſilia excogitare, quò reliquos omnes prudentiá ſuperare videretur, conſilium fuerat, vt omnes ſociorum Oratores vno, eodemq; die Romam ſimul ingrederentur; ſimul in publico conuentu ſe coram Pontifice ſiſterent; vtque Oratorum vnus omnium nomine verba faceret; quòd eo facto maximâ cum exiſtimationis omnium acceſsione, vniuerſæ Italiæ, oſtenderetur, eſſe inter ipſos non modò beneuolentia, & fœdus ſed tanta potiùs neceſsitudo, vt vnus duntaxat Princeps, vnumq; corpus viderentur. Huius cõſilij vtilitatem non minùs ratione, quàm recenti exemplo demõſtrari. Nam, vt creditum fuerat, Pontifex è viuis, qui proximè exceſſerat, Innocentius VIII. ſociorum animos parùm inter ſe conſentire, ex eo colligens, quòd ad ſe colendum, & adorandũ ſeparatis conſilijs, diuerſiſque temporibus veniſſent, eò ad regnum Neapolitanum inuadendum minùs promptior extiterat. Ludouici conſilium, facilè Ferdinandi Neapolitani Regis lenitas comprobauit: comprobârunt amborum auctoritate inducti, nec Petro Medice in publicis conſilijs contradicente Florentini. Apud hos in ciuitate, ſine vlla repugnantiâ patris magnitudini ſucceſſerat Petrus, trium filiorum natu maximus admodum adoleſcens: ſed qui nec per ætatem, nec per alias eius conditiones tanto oneri ſuſtinendo par eſſet; nec ad res domi, & foris procurandas eâ moderatione præditus, quâ fuerat pater; qui inter ſocios principes prudenter, vt tempora ferebãt, agendo, publicas, priuataſque fortunas, & viuens amplificauerat, & moriens eã de ſe opinionem in animis omnium reliquerat, quaſi ipſius potiſsimũm operâ, pax in Italia fuiſſet conſeruata. Petrus ex aduerſo genio indulgere, cum æqualibus ludere, amoribus fœdari, curſu, aut venatione tempus fallere, paterna conſilia inuertere, nimiumq; ſe factionibus, aut partibus addicere turbidus, ac præceps non dubitauit: eoque animi impetu, cum vix primùm ad Reipub. gubernacula manum admouiſſet, nec paternum conſilium ſecutus, nec re cum optimatibus ciuitatis, ſine quibus res graues decerni non ſolebant communicatâ, Virginij Vrſini, propinqui ſui perſuaſionibus inductus, ſic ſe Ferdinando, Alfonſoque, à quibus Virginius totus pendebat, addixit, vt Ludouicus Sfortia iuſtam haberet timendi cauſam; vt quandocunque ſibi Aragonij nocere voluiſſent, Petri Medicis authoritate, Reipublicæ Florentinæ vires ſecum coniunctas haberent. Detexit eam pactionem, vel maximè, occaſio miſsionis ad Pontificem Oratorum. Cùm enim Petrus, Reipub. Florentinorum Orator eſſet deſignatus, decreuiſſetque ſuam legationem, ſuperbo admodum, & Regio ferè apparatu illuſtrẽ reddere, priuatim moleſtiſsimè ferebat, ſi Romam vnà cum alijs ſociorum Oratoribus intraret, quod animaduerteret, ſi in Pontificis conſpectum veniret, ſuæ pompæ ſplendorem in tanta multitudine in oculos hominũ incurrere nõ poſſe: quæ vanitas iuuenilis, ambitioſis hortationib. Gentilis, Epiſcopi Aretini, qui vnus fuit Oratorũ, corroborabatur. Nam cùm ad eum, tum propter ſacram dignitatẽ, tum propter ſtudia litterarum, quæ vocant humanitatis, in quibus verſatus fuerat, orandi Florentinorum nomine prouinciam eſſet delata, ſibi oſtentandæ eloquentiæ occaſionem, illo inuſitato, & nouo modo eripi, in tam ornato & celebri conſeſſu, incredibiliter dolebat. Idcircò Petrus, partim ſuâ leuitate, partim aliorum ambitione impulſus, (nolebat tamen ad Ludouici Sfortiæ notitiam venire, ſecum eſſe, qui eius conſilio repugnaret) à Rege petiuit, oſtenderet ſe re diligẽtis expenſas, animaduertiſſe eam legationem ſine multa confuſione cõmuniter obiri eam nõ poſſe. itaq; ſuaderet, vt ſinguli per ſe ſuperiora exempla ſecuti, ſuã legationem obirent. Qua in re cùm Rex ei gratificari cuperet, magis ei re ſatisfecit, quàm gratificandi modo: neque enim Ludouicum celauit, ſe haud aliâ de causâ ab eò quòd primùm comprobauerat, diſcedere, quàm quòd à Petro Medice ad id eſſet ſtimulatus. Ex hac mutatione maiore moleſtiã ſe affectum Ludouicus oſtendit, quàm res ipſa per ſe mereri videbatur. Expoſtulabat vehementer, quòd cùm iam notum eſſet Pontifici, totique Romanæ Curiæ primum inſtitutum, qui-

*Petrus Medices, Ludouico Sfortia ſuſpectus.*





que author eius extitiſſet, nunc vt ipſius minueretur authoritas, irritum fieri: quòd quidem ei eò moleſtius accidit, quòd exindè cœpit olfacere, Petrum Medicẽ cum Ferdinando clandeſtina agitare conſilia; id quod ex ijs, quæ ſunt conſecuta, indies clariùs apparuit. Hæc ſocietas, quæ omnium malorum ſeminarium, ac principium fuit, *Franciſc. Guiciardinus hiſt. lib.* 1. Alexandrũ, aliquandò ad nonnulla agenda, permittendaque impulit, vnde maligni haberent occaſionem carpendi, & imponendi, vt dicetur.

XLIX. *Diſcordia inter Card. Ruuereũ, & Sfortiam, & Alexandrum Põtificem.*

Diſsipato eo Ludouici conſilio, venit inprimis à Ferdinando Neapolitano, Fridericus filius. Hũc apud ſe, Iulianus Card. Ruuereus excipere, & diebus aliquot magnificentiſsimo, ac Regio ferè cultu, habere voluit. Is obſequio Pontifici, nomine patris præſtito, inter alia agere in cõſiſtorio voluit; nè Pontifex Ladiſlaum Vngariæ Regem, à matrimonio cum Beatrice, Matthiæ relicta per verba de futuro quaſi firmato, abſolueret. Erat ea ſoror Friderici, ſed non iam ea ætate quæ ad prolem ſuſcipiendam opportuna eſſet. Ea propter, Ladiſlaus, ex conſilio ferè omnium procerum Vngariæ, non tam fœminam faſtidiebat, quàm cõiugium iniri refugiebat; quandoquidẽ & Maximilianus Rom. Rex, viduus, ab eadem de matrimonio cum ſpe Regni Vngarici obtinendi interpellatus, in literis, MATREM ſalutârit, viduæq; animum ea nomenclaturâ offenſum ad Ladiſlaũ tunc inclinârit. Cauſam Friderici, ardẽtiſſimo ſtudio Ruuereus, vſq; ea altercationes, & cõtentiones cum ipſo Pontifice tuendã ſuſceperat; vel maximè propter Cardinalem Sfortiam, per quem, Pontificatum adipiſci non potuit. Enimuerò hic familiæ ſuæ ornandæ ſtudioſus, curabat, & Pontificem, quem ad eam dignitatem euexerat, vrgebat, vt non obſtante pollicitatione Beatrici facta, Ladiſlaus, Claram Sfortiam, quam deperibat, poſſet vxorem accipere. Hinc veteres, non tantùm inter Sfortiam, & Ruuereum, verùm etiam inter hunc, & Pontificem ſimultates, eruperunt, Ferdinandumque ſimul in partes rapuerunt, vt Iulianus quidem à Comitio diſcedens, quamquam à Pontifice in Palatium reuocaretur venire contempſerit, ac barbitonſore ſtatim accito barbam, & caput ſibi radi iuſſerit, ſicque ſeruilem in formam deformatus, veſteque obſoletâ indutus, cymbulâ conſcenſa ipſe remigans inter alios, medias inter Pontificias triremes incognitus Romã profugerit, Oſtiamque ſeſe receperit; ac quod capitale vitium non tantum arcem occupârit, præſidioque firmârit, verùm etiam Virginium Vrſinum, armis, & clientelis potentem, iamq; Alexandri iuſtam indignationem, ob aliquot vrbi propinqua viæ Caſsiæ regione oppida, de Franciſco Cybo Innocentij defuncti gentili empta, ſed ad dominium Apoſtolicæ Sedis, ſeu diſpoſitionem Romani Pontificis ſpectantia meritum, ſecum traduxerit. Extabant ad hæc argumẽta diſsidij nihil obſcura inter Pontificem, & Ferdinandum Regem, vel quia Rex annuum tributum nõ redderet Eccleſiæ, aut quòd diſcordiam circa Pontificem, ſua ſponte ortam, occultis alebat ſtimulis, nè reddere cogeretur. Sanè iſtud interim accidit, vt cùm Pontifex, Malianum, animi causâ, ad Innocentianum palatium, vnà cum familiarium comitatu accederet, tormentum maius ex aliquo viciniore loco contra venientem aliquis exonerauerit, pedemq; referre compulerit. Tantum erat irarum, in Ruuereo, Vrſino, & Friderico, cõtra Alexandrum. *Infixura in notis. Sabellicus Ennead* 10. *lib.* 9 *Laurentius Capallenus in Comment.*

L. *Alexander Pontifex à bello Chriſtianos Principes dehortatur.*

Venerunt inter hæc aliorum Chriſtianorum Principum, & dominorũ Oratores, quos Alexander officiũ faciẽtes, perbenignè ſuſceptos, comiter allocutus eſt, ſuadens mutuis Chriſtianorum bellis dilabi Rempub. Chriſtianam, & aſſatim minui; eoſque ſuorum Principum vice exhortans, nè opibus, aut corpori parcerent, vt Turcorum faſtus immanis annihiletur, & Chriſti lex paſsim prædicetur. *Platina ſupra.* Singulos etiam Reges, ac Principes litteris hortatus eſt, vt pacem domi colerent, de bello autem nullo omninò cogitarent, niſi in ferociſsimam Turcarum gentem Chriſtianorum exuuijs ſuperbam. *Ciacconus in Alexandro* 6.

Pridiè Calend. Septemb. in primo Conſiſtorio, Ioannem Borgiam Valentinum, ſororis filium, Archiepiſcopum Montis Regalis, Presb. Card. tt. S. Suſannæ creauit; ac rebus Vrbanis intentus, quatuor iudices, qui de quacumq; causâ capitali cognoſcerent, ac prætereà carcerum viſitatores inſtituit: ex quo tempore, ius in vrbe ſeueriſsimè dici cæptum. Die prætereà Martis, omnib. ſe adire, & alloqui volentibus, ſeipſum publicè exhibuit: vt vnuſquiſque neceſsitates ſuas, quibus premeretur, exponeret. *Panuinius in Alex.* 6.

LI. *Liber Prophetiarum S. Cathaldi miraculosè reperitur.*

Non nimis, in re grauiſsimi momenti, Infixura crederem, niſi fidem ei augerent monumenta publica, & auctores claſsici, qui idem narrârunt, de libro prophetiarum S. Cathaldi, hoc anno, menſe Aprili, monendo Ferdinando Neapolitano Regi, Tarenti in Apulia, miraculosè reperto. Dabo verba Infixuræ. Eodem menſe in Apulia apud Tarentum miraculosè repertus fuit quidam liber ſub terra, clauſus cum tabulis plumbeis; in vna quarum, erat forma crucis Domini, cum litteris videlicet, C. R. A. T. & in alia erant litteræ, Cataldus Rachau, Archiepiſcopus Tarentinus, & non fuit apertus, niſi per Regem cum fidele ſuo. Nam fuit portatus ad Regem Ferdinandum, qui noluit illum aperire, priuſquam conſtaret per veras probationes, quòd talis liber eſſet antiquus, & quòd miraculosè repertus fuiſſet. Modus autem quo repertus eſt, fuit talis, quòd in quadam Eccleſiâ dicti loci, erat quidam Diaconus bonæ vitæ, cui in ſomnis venit dictus Cataldus, bis nunciãs ei, vt ipſe vnà cum Epiſcopo, illum locum foderent in dicta Eccleſiâ, vbi erat quædam imago Virginis MARIAE cum Chriſto infante in brachio, qui Chriſtus reſpiciebat, & digito oſtendebat locum fiendæ foſsionis, dixitque ei in ſomnis, vt librum, quem inuenirent, portarent ad Regem, aperiendum. Cumque dictus Diaconus eſſet negligens in hoc, fertur præfatum Sanctum Cataldum viſibiliter ei apparuiſſe, mandaſſeque ei vt ſupra, & tunc dictus Diaconus acceſsit ad Epiſcopum, cui omnia prædicta annunciauit, deditque ei alia interſigna, quæ habuit à dicto Sancto Cathaldo, & poſteà accedentes, & fodientes, inuenerunt librum prædictum, quem in continenti cum magna ceremoniâ, portauerũt ad dictum Regem, qui Rex tamquam incredulus præmiſſorum, ipſum Epiſcopum, & Diaconum carcerauit, quos poſteà, cognitâ veritate, quòd hæc non fuit fraus, dimiſit. Hæc *Infixura in notis diarijs.* Ab hinc decem annis, nempe 1614. Romæ, ex officina Typographicâ Iacobi Mal.ardi, prodijt vita S. Caſtaldi, à *Bartholomæo Morono* Tarentino edita, & libri ſex Cataldiados. *F. Bonauentura Moroni fratris*, Tarentini, Ordinis Minorum arctioris Obſeruantiæ, Theologi, Cõcionatoris, ac Pœnitentiarij Lateranenſis, Alexandro Cardinali Montalto inſcriptis adiuncta. In eo libro iſta leguntur.

De inuentione libri, ſeu prophetiæ S. Cathaldi, prout habetur in codicibus Eccleſiæ Tarentinæ. Die 8. Aprilis, 10. Indictionis, Tarenti, anno 1492. Pontificatus ſanctiſsimi in Chriſto Patris, & Domini Innocentij diuinâ prouidentia Papæ Octaui, anno 8. qui fuit dies Dominicæ Paſsionis, regnante Ferdinando, apparuit S. Cathaldus, Diacono cuidam Raphaeli Cuceræ Tarentino, dum in choro maioris Eccleſiæ preces funderet ad tertiam noctis horam. Cumque Diaconus eſſet nimio terrore correptus, ſic eum Sanctus dicitur allocutus; ſæpè tibi dixi, vt Eccleſiã adires, quæ Orientem versùs extra muros vrbis ſita eſt, & Petri Apoſtoli nomini Dedicata, & illud accedere noluiſti. Vadè igitur nunc ad Archiepiſcopum, eique meis verbis iniungas, vt congregato Capitulo, & Clero, & populo ciuitatis ad illam Eccleſiam ſolenni proceſsione contendat; reperiet enim in quadam columnâ, puerum depictum, dexteræ manus digito locum indicantem, quem effo-

diens, vaticinium reperiet, quod ego adhuc viuens, Domino reuelante compoſui. In eo loco crucem condidi plumbeam, quibuſdã literis inſculptis, & librum etiam plumbeum, laminis plumbeis circumtectum, & obſeratum: in quarum fronte literas appoſui, quæ docent, quid ſit circa volumen illud obſeruandum. Quòd ſi Rex, cui liber illicò mittendus eſt, obſeruare noluerit, quæ in eo præcepta reperiet, in multas incidet ærumnas, & ipſius regnum fame, peſte, & fidelium incurſione vexabitur: & prædicta ſi non credet, accedas tu ipſe Raphael, eique aperias omnia, quæ vidiſti. His dictis euanuit ab oculis eius.

LII. *Confirmatur præcedens narratio.*

Hæc ferè omnia *Alexander ab Alexandro lib. 3. cap. 15. dierum genialium* commemorat, iſtis verbis. Cùm florente fortunâ Ferdinandi primi, Regis Aragonij vrbs Neapolitana, & regnum nullis adhuc belli calamitatibus premeretur, ſatis conſtat, Cathaldum virum ſanctum, qui ab hinc annis mille Pontifex vrbi Tarentinæ præfuit, quemque patronum Tarentini ciues venerantur, & colunt, nocte intempeſtâ, miniſtro ſacrorum cuipiam tunc ſacris initiato, & in caſta religione educato, ſemel, atque iterum in ſomnis apparuiſſe, ac monuiſſe, vt libellum à ſe conſcriptum, quem in abdito loco viuens abdiderat, in quo diuina arcana ſcripta erant, effodere, & protinùs ad Regem deferri curaret; qui cùm parum fidei ſomnio dediſſet, eadem ſibi per quietem ſæpiùs obuerſatâ ſpecie, cum primo diluculo ſolus moraretur in templo, ipſum Cathaldum, qualis erat olim dum in vita ageret, Pontificia veſte, & infulâ amictum, eidem miniſtro planè vigilanti apparuiſſe, & præcepiſſe, vt poſterâ luce, cum primùm poſſet, libellum à ſe conſcriptum, in abdito loco, quem in ſomnis prædixerat, cõditum effodere, & Regi deferre, nè cunctaretur; pœnam, ni fieret, grauiter comminatus. Poſterâ luce, ſolenni pompâ miniſtrũ cum populi comitatu ad latebram, in qua longiſsimo æuo libellus latuerat, proceſsiſſe; eumq; plumbeis tabellis obſignatum, & clauis obſeratum inueniſſe, ſatis conſtat. In eo certum eſt; futurum Regni excidium, miſerias, calamitates, & luctuoſa tempora, atque inſtantia mala, quæ poſteà ſecuta ſunt, Regi prædixiſſe. Id, quod experimento docti, magnâ mercede perſolutum vidimus. Hæc *Alexander de S. Cathaldo*. nè fors Regibus iſta acciderint, propter Alexãd. Chriſti Vicarium, quaſi violatũ. cum quo neque ex fide, neque ex æquo toties actum: & tamen malè ſcriptis infamium Poetarum, laceratum?

LIII. *Moritur Cazimirus Rex Poloniæ.*

Hoc anno 1492. Cazimirus Rex Poloniæ, poſtquã quatuor, & ſexaginta annos vixiſſet, quinque autem, & quadraginta, ingenti prudẽtiâ, integritate, & felicitate regnâſſet, morbo inualeſcente, ſacroſanctis Chriſtianæ religionis myſterijs ritè perceptis, menſe Iunio animam exhalauit. Funus ſolenni pompâ elatum, in Baſilica Cracouienſi ſepultum eſt. Aliquantò ante mortem illius, poſt medium Decembrẽ, tres Soles in meridiè viſi ſunt: deindè cometes duum ferè menſiũ ſpatio poſt Occidentẽ Solem apparuit, prodigia, vt creditum eſt, mortis Regiæ. Succeſsit patri Ioannes Albertus filius, non magis procerum, quibus Fridericus frater Epiſcopus Cracouiẽſis, Sbigneo Oleſnicio, Archiepiſcopo Gneſnenſe non veniente in Comitio pręſidebat, ſuffragijs, quàm populi foris circà comitium ſtantis clamore adiutus; & ibidem Cracouiæ, de more nouus Rex à Sbtigneo Archiepiſcopo inunctus, diademateque ornatus. *Cromerus lib. 29. & 30.*

LIV. *Præſens vitæ periculum euadit Ferdinãdus Caſtellæ Rex.*

Eodem anno, die 7. Decemb. Ferdinandus Rex Hiſpaniarum, periculum vitæ adijt. Dùm enim Barcinonæ quaſdam priuatos de iniurijs conquærentes audiret, à quodam Cathalano, qui ſomniauerat, ſe occiſo Rege, Regem futurum, diſtricto gladio vulneratus fuit ad aurem. Captus fanaticus, & per tormenta interrogatus, tamquam ſomniator exquiſitis cruciatibus peremptus eſt. *Surita in annal.*

LV.

Eodem anno illud Henrico VII. Anglorum Regi accidit. Quidam ex aſtris prædixerat eodem ipſo anno periturum. Res eſt ad Henricum delata; qui hominem verbis honorificis accerſiuit, diſsimulans, quod reſcierat. Inter cætera hominem interrogauit; Num ex aſtris certa prædici poſsint? Aiebat. Num ipſe eſſet eius artis peritus? Annuebat: ſperans ſe tantò plus habitum iri à Rege. Ibi Rex, *Dic igitur mihi, vbi tu futurus es his feſtis Natalibus?* Inſtabat enim Natalis Domini. Aſtrologus hærebat: Rex vrgebat. Cumque ille negaret, ſe poſſe certum prædicere; *ergo*, inquit Rex, *ego ſum artis peritior, quàm tu: Nam ſcio te futurum in turri*: Sic enim vocant locum munitum Londino imminentem, in quo ſeruantur, quos volunt eſſe in tuto; ſimulque innuit, vt duceretur. Illic, vbi ſatis refrixerat calor, cum riſu dimiſſus eſt. *Tympius de pœnis Aſtrolog. ſuperſtit.*

*Aſtrologus à Rege Angliæ punitur.*

LVI. *Nequitia quorundam hominum in Germania.*

His temporibus in Germania fuerunt quidam perdiriſsimi homines, Archiepiſcopi, & Moguntinæ Eccleſiæ hoſtes (quorum nomina cenſemus indigna, vt ad notitiam poſteritatis vllatenùs debeant peruenire, quamquam ex militari genere fuerint procreati) contra Clerum, & Sacerdotes Domini inaudita hactenus tormenta excogitantes. Teſticulos enim eorum, quos ceperant, vt ſe ad loca præfixa, ſi vellent liberari, ſequerẽtur, quibuſdam feris, & clauſtris ferreis tam fortiter includebant, formam, & modum aperiendi quodam admirabili inuento occultantes, vt ab alio, quàm qui clauſiſſet, nullo ingenio, nullâ arte, nullaue limaturâ potuiſſet aperiri. Nullus ex Clero potuit eſſe ſecurus, qui ad dominium Eccleſiæ Moguntinæ pertinuiſſet; ſed capiebantur in circuitu Sacerdotes, torquebantur, ſpoliabantur, & verberibus afflicti, nonnulli etiam ex tormentis ipſis mortui ſunt. Philippus Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, omnes Sacerdotes, ſiue ſeculares, ſiue clauſtrales, quotquot ſub eius tutela fuerant, ab iniurijs prædonum illorum ſtrenuè defendit, titulumque Defenſoris Eccleſiaſticorum ſibi acquiſiuit. *Chron. Sponheimen.*

LVII. *B. Petri Minoritæ vita, & obitus.*

Eodem tempore diem clauſit extremum B. Petrus Minorita, Treguandę in Senenſi territorio natus. Puer octennis, iam diuino amore inflammatus, parentibus inſcijs, ad Minoritanos confugerat. Reductus domum à patre, mox viſum amiſerat: quem tamen, non multò poſt recuperauit; ſtatim, atque pater votum concepit, eum Minoritanæ familiæ remiſſurum, ſi lumen amiſſum recepiſſet. Minoritanis adſcriptus, ab inſtitutione S. Bernardini tantum in regulari diſciplinâ, & ſcientijs profecit, vt hoc tempore magnus eſſet Euangelij preco, Propheta, & miraculorum patrator. Fœminarum congreſſum, velut aſpidis, vel baſiliſci fugiebat. Aliquando, vnam ſanguine iunctam, & iam annoſam, quę alloquium poſtulabat, nè aſpicere quidem ſuâ ſponte ſuſtinuit: ac ſuperiorũ iuſſu compulſus cùm vix in cõſpectũ eius veniſſet, nihil aliud, quàm, *Regina Virginũ, nõ me amplius ſuſtinet tecum eſſe*, prolocutus benedictione impertitâ, ſtatim ab eius oculis ſeſe proripuit. Orãdi, cõcionandi, ſacra faciẽdi ſtudio addictus, hęc omnia ſummâ cum ſolicitudine, lacrymarum profluuio effuſo, quotidiana ſibi effecerat. Somnum, ſi quando breuiſsimum rapiebat, in pedes erectus carpebat: hoc prophetico edicto, *tunc ſine dubio moriturum, quando ſomni causâ in lectulum ſeſe demiſiſſet*. Peſte Etruriam vaſtante, quibus prædixit, vel non ægrotaturos, vel non morituros, verum edixit: poſtquàm ſupplicatione publica peractâ, imaginem ſacroſanctæ Deiparentis, quam in proceſsione prætulerat, illis identidem oſtendiſſet, & ad charitatem Chriſtianam adhortatus fuiſſet. Multos morbis diuerſis conflictatos, per miraculum ſanauit. Quendam cœcum natum, illuminauit. Morti propinquus, cùm ſacrum, die 17. Ianuarij, ſummâ cum deuotione audiſſet, læui ægritudine correptus, in lectum ſe demiſit: & ſecundùm quod prædixerat, mortalitatem depoſuit: cum priùs ſacroſancta Eccleſiæ myſteria percepiſſet. Secuta ingentia miracula à morte: quorum indicia quàmplurima anathemata, võtorum obnoxij appenderunt. *Vlyſsippon. hiſt. Seraphica parte 3. lib. 7. c. 19.*





# ANNO CHRISTI 1493.

## ALEXANDRI PAPÆ VI. Anno I.

### MAXIMILIANI ROM. REG. Anno 8.

I. *Chriſtianos Principes pacificare ſtudet Alexander Pontifex.*

ALEXANDER, Pontificatu inito, nihil antiquius pace Chriſtianorum Principum habuit, vt ijs ad communem concordiam reuocatis, contra Turcas vteretur. Violatâ, turbataque ea fuerat, id temporis, inter Maximilianum Romanorũ, & Carolum Galliarũ Reges, illiuſque ſocios, Ferdinandum Aragonium, & Henricum Anglum pro Maximiliano certantes contrà Gallum. Occaſio diſcordiarum nata, ex matrimonijs irritatis. Maximilianus hoc tempore cœlebs, initio mẽſis Ianuarij præteriti anni, duxerat vxorẽ Annam, Franciſci Britannorum Ducis filiam: vt per illius connubium, principatu Britannico potiretur. Factum id per Procuratorem, ſolennibus circà matrimoniũ adhibitis. Vt enim puella, quod promiſerat, ſeruare religione teneretur, nocte inſequenti, Annam torum cõiugalem, matronis nonnullis, ac Principibus teſtibus ingreſſam, Maximiliani vice, cuius in eo negotio Vicarius erat, Orator, nudato crure genutenus, in lectum immiſſo contigit; perindè quaſi ita puellæ notitiã habita, matrimonium pro rato firmo haberetur. Parùm valuit iſta apud Carolum religio. Is à Maximiliano, qui non ita pridem per aliud matrimonium Belgas ſibi omnes adiunxerat, ſi per iſtud nouum, partem Galliæ opulentiſsimam, Britanniæ principatum obtineret, ſibi valdè metuens, rationem depellendæ, quam metuebat, procellæ excogitauit, & Annæ nuptias maturandas ſibi, Maximilianique affinitatem repudiandam (eius filiam Margaritam impuberem deſponderat, & Pariſijs in ſpem futuri complexus educabat) conſtituit. De Margarita Maximiliano remittendâ, prætextus hic erat, Cęſarẽ Fridericum, ac ipſum Maximilianum patrem ſæpiſsimè per litteras nõ ſolùm Regi Carolo, ſed diſertis etiam verbis, apud omnes fermè Germaniæ Principes, non ſemel eſſe conqueſtos, contrà ſuam voluntatem, Margaritam, Ordinum aliquot Belgarum violentiâ, Regi Carolo in vxorem fuiſſe traditam, quæ indignitas cùm illi nullâ ratione eſſet ferenda, illã intactam, ac vti decuit, educatam remittere. De Anna ducendâ, ſeu præripiendâ periculum à potentiſsimi vicini dominatu obtendebatur, qui in præſens amicitiam ſimularet quidem, cæterùm iam immemor affinitatis, & fœderum, bella ex bellis ſerendo regni æmulum ſeſe profiteretur. Datum eſt negotium quibuſdam primùm Annam tentandi. Hæc inprimis mirabatur; deindè etiam fidem Maximiliano datam frangere verebatur. Sed Lavalla, aliæque Britãnicæ nobiles, quarum & conſuetudine vtebatur, & familiaritate delectabatur, muneribus Caroli delinitæ, ad ſpem ampliorem regni melioris, puellam impulerunt; prætexentes, Maximiliano marito tueri vix poſſe Britanniam; Pontificẽ Romanum authorem ſacrorum, facilè legibus eam ſoluturum, quas nec violatas eſſe, dum tutius, & certius matrimonium initur. His, & alijs perſuaſa Anna, ſe, ditionemque Britannicam in fidem Caroli Regis cõtulit; ac paucis pòſt diebus, Carolus & hanc ſibi deſpondit, & Margaritam repudiauit. Exarſit hinc ferale bellum inter eum, & Maximilianum; in cuius gratiam, Ferdinandus Hiſpaniç, & Henricus Angliæ Reges, arma Carolo oſtentabant; indignè ſcilicet ferentes, puellam, quæ Maximiliano fęderato ritè iam matrimonio iuncta eſſet, contra quam ius, faſque ſit, huic eripi, & ad aliud connubium trahi. Non parum terroris Carolo, ea Regum cõſpiratio incuſsit: ſed nequeminùs Alexandrum Pontificem, bellum in Turcas molientem affecit. Quamobrẽ is de pace ad illos, Leonellum, Concordienſem Epiſcopum, Nuncium deſtinauit; qui inprimis Carolum ad conciliandos offenſos Reges inclinauit; deindè in Angliam, ad Henricũ traiecit; ac inde ad Maximilianum in Belgium conceſsit; iſtud ſtudioſè agens, vt Reges omnibus ſuperioris temporis iniurijs funditùs euulſis, in amicitiam, & cõcordiam redirent. Conuenit, vt Carolus Annam retineret, Margaritam Maximilianus reciperet: cui Carolus, vt Archiducis Philippi patri, ac tutori, Comitatũ Burgundiæ, Arteſiæ, Charoloij ac Noyeij liberè poſſidendum relinqueret; neque quoquã titulo, aut prætextu in hæc dominia ius ſibi, aut vſurparet, aut prætẽderet: ereptaq; oppida reſtitueret: Henrico Anglorum Regi idem Carolus, pro ſumptibus in bellum factis, ſummam pecuniæ benè magnam, iuxta æſtimationem Legatorũ, ac poſteà in aliquot annos millia aureorum vicena quina numeraret: Ferdinando Hiſpaniarum Regi, ipſe ille Carolus, Comitatum Ruſcinonis, & Perpiniani reſtitueret: Ferdinandus porrò, quique ei ſuccederent, prouincijs recuperatis, comiter maieſtatem Gallicam conſeruarent; ipſe in Gallos, arma nè ferret; nec alios, qui in Gallos bella eſſent geſturi, commeatũ, aliaue ope iuuaret, nec per fines regni ſui tranſire ſineret: Carolus, ad extremum, Oratores, ad Alexandrũ Pontificem, Maximilianum, Ferdinandum, Henricum Reges, ac Venetos deſtinaret, qui confirmationẽ tranſactorum poſtularent, & nomine Regio, de nõ violandis, ſed præſtandis præmiſsis fide iuberent. Hi ad eos profecti, pacifica omnia retulerunt: Maximiliano, in gratiam Pontificis, iniurias, quamquam grauiſsimas remittente: ac prætereà ex morte Friderici patris, & Turcarum in prouincias ſubiectas incurſione, per hoc tempus diſtracto, afflictoque. De Ruſcinione, & Perpiniano reſtituendis Ferdinãdo, Ioannes Mauleonius Franciſcanus, qui Annæ Regiæ ſorori erat à confeſsionibus ſacris, vnà cum Ludouico Ambaſiano, Albienſi Pontifice, Carolo infixerant aculeum; quaſi non redditis his rebus, ſeſe ipſe falleret; Imperatorem omnium, & Magiſtrum Deum non falleret, cõtrahi quidem animum vtilitatis ſpecie; ſed vbi certum ſit vitium adiunctum rei, quæ ſpeciem vtilitatis afferr, continuò arripiendum honeſtum, ſecernendam, abijciendamque vtilitatem: atq; ità exiſtimandum, conſcientiã mentis noſtræ, quam à Deo accepimus, à nobis diuelli non debere: hanc vnam teſtem optimorum nobis cõſiliorum viuis, fatoque functis futuram. Hæc illi cùm ſubinde occinerent, facilè eum in eam ſententiam adduxerunt, maximè iam meditantẽ bellum Neapolitanum, neq; poſt ſuum diſceſſum, conuelli res Gallicas volentem. *Arnoldus Ferronius lib. 1. Beuter. lib. 4. & 5. Polydorus Virgilius lib. 26. Nauclerus gener. 50. Sabellicus Ennead. 10. lib. 9.*

*Quibus Conditionibus inita pax fuerit inter Gallũ, & alios Reges.*

II. *Moritur Fridericus Imperator.*

Maximilianum, vt dixi, mors Friderici patris à bello Gallico auertit. Is hoc anno 1493. in peruigilio Natiuitatis B. Virgin. rebus humanis exemptus eſt, poſt quàm annos LIII. menſes V. ſceptra Romani imperij tenuiſſet: octo verò, & ſeptuaginta annos vixiſſet. Natus eſt is patre Erneſto, Duce Auſtriaco, matre Cimburgâ, Semouiti Maſoniæ Ducis filiâ, Regio Polonorum ſtemmate, fœminâ nõ minùs fortiſsimâ, quàm religioſiſsimâ, quæ ſupra muliebrem ſexum fortis, digito ſæpè auellanam, & iuglandem frangebat, ac clauos parieti infigebat: quodque pietatis eſt, cultui diuino deditiſsimâ. orationibus inſiſtebat, Sacramẽta frequẽtabat, loca ſancta religioſiſsimè viſitabat, ieiunijs, & vigilijs macerabat corpus, atque ad omnem ſanctitatem marito, ac filijs communibus præibat. Ab hac Fridericus optimè educatus, in religione Chriſtianâ adeò creuit, vt adoleſcens factus, nullis terræ periculis, aut maris tempeſtatibus deterritus, loca omnia, in quibus Saluator operari dignatus eſt, redemptionem, ſalutemque generis humani viſitauerit, Monaſteria plurima reuerſus in patriam extruxerit, cenſibuſq; annuis, ac reditibus locupletauerit. Fuit enim Principi Catholico, & pio animus ad pietatem formatus, ſedatus, ac tranquillus, religionis amans, ac zelans, ingenium perſpicax, memoria tenacior, ingens cupiditas pacis, &

*Idem deſcribitur.*

ocij, ſingularis amor virtutum, quas in quouis homine diligebat, dignitaſque præmio ducebat. Latinè libenter loquebatur, licet Poeticam, atque Oratoriam non plurimi faceret. Iuriſperitos mediocriter dilexit, quòd iuris æquitatem diceret ab ijs inuerti, iuſtitiamque fœdari. Rex Romanorum declaratus, ſchiſma, quod inter Eugenium, ac Felicem, Sabaudiæ priùs Ducem Amedeum ortum erat, nec non neutralitatem, Eccleſiæ Catholicæ nocentiſsimam, ex natione Germanicâ ſuſtulit, Cóciliabulum Baſileenſe diſſoluit, & obedientiam magno labore, ac ſumptu Eugenio, & Nicolao Pontificibus Romanis reſtituit. In gerẽdis rebus tardiorem, ac remiſsiorem accuſabant plerique, ac tenacem, quia anteceſſores, Sigiſmundus, & Albertus fuerunt prodigaliſsimi. Sed ſicut quærendi æris fuit ſtudioſus, ità eiuſdem retinendi non fuit attentus. *In victu mediocris*, & penè abſtemiùs adeò, vt nullum magis horreret vitium, quàm ebrietatem, ſingularique amore abſtemios proſequeretur; ſæpiuſque Leonoræ coniugi per Aeneam dici iuſſerat, quæ pariter vini non appetens fuit, malle ſterilem ſobriam, quàm temulentam, ac fęcundam vxorem. Aeneas Syluius refert, Fridericum numquam iuràſſe, niſi cum in ciuitate Aquenſi apud Belgas, & cùm Romæ coronatus eſſet, idque iuramentum tenuit conſtantiſsimè. Cùm enim iureiurando promiſiſſet, quæ bona poſsideret, ab imperio ſe nullatenùs *alienaturum*, & modò hoc, modò illud ex eo peteretur, maluit auarus negando, quàm cócedendo periurus videri: eamque ab cauſam, petenti Borſio Marchioni Eſtenſi, Ducatum *Mutinæ*, & Rhegij, tamdiù reſtitit, donec intellexit, eum Ducatum, qui ſub annuo tributo concederetur, lucri magis, quàm alienationis ſpeciẽ habere, præſertim cùm Mutina, & Rhegium in ſua poteſtate non eſſent. Interrogatus aliquandò, quid homini optimum cõtingere *poſſet: reſpondiſſe fertur*, *Bonus ab hac vitâ exitus*. Quod ſibi contigiſſe, piè creditum eſt: quando ad vltimũ, ex ætate, laboribus, fluxuque veteri, vlcere, quod gangrenam vocant, in tibia erumpente, tibiæque à medicis deſectâ, veniens, reſolutâ ab eſu melonum aluo, morti proximus, acceptis iuxtà Chriſtianorum inſtituta Eccleſiæ Sacramentis, deuotiſsimè animam Deo commendauit; pacatâ iam vniuerſa Germaniâ, ac ſingulis Principib. ſumma in tranquillitate degentibus. *Nauclerus ſupra, Cuſpinianus in Friderico.*

III.
*Turcarũ victoria in Liburnia.*

Eodem menſe, quo Imperator obijt, non mediocris eſt clades in Liburnia accepta, nunc terra ipſa Croatia eſt: Septem millia Chriſtianorum ſunt vno prœlio interfecta. Conflixére ea pugnâ ad nouem millia hominum Pannonum, Liburnorumq; quorum prouinciam aſsiduis excurſionibus Turci peruaſtabant, fuitque ab initio cruentũ certamen. cæterùm Turcis egregiè vincentibus, cæſa eſt Chriſtianorum acies, ex parte multò maxima. vix duo millia, mediâ ſtrage dilapſa, per ſaltus & nemora in pacatum abierunt. Victor hoſtis, vt cœſorum numerus commodiùs iniretur, nares iacentium exectas, balteoliſque inſertas ſecum extulit. *Sabellicus ſupra.* Tàm triſti accepto nuntio Maximilianus Rex, exequiarum pompam, quam Viennæ celebrare genitori parauerat, intermittens, exercitum ſuorum validum in Croatiam mouit aduersùs Turcas, quos fugiſſe intereà cũ didiciſſet, poſitis vbiq; præſidijs neceſſarijs, ad peragendum patris funeralia, in Auſtriam reuerſus eſt: quibus Viennæ Sabbatho poſt feſtum S. Nicolai,

*Friderici Imperatoris funeralia peraguntur.*

aſtantibus Oratoribus, Summi Pontificis, Regum Galliæ, Hiſpaniæ, Vngariæ, Bohemiæ, Poloniæ, Neapolis, Daniæ, ac omnium ferè Principum Orbis Chriſtiani, Edouardo Rege Angliç iuniore, Cardinale Rothomagen. Duce Auraniæ, Alberto Saxonum, & Alberto Bauarorum Ducibus, ac plurimis Epiſcopis, Abbatibus, Prælatis, cum octingentis Miſsis ſolenniter peractis, multa hortante Alexandro Papâ, inter Maximilianum Regẽ, ac Principes, & Oratores aliorum, de pace Chriſtianorum firmandâ, & bello in Turcas mouendo ſtudioſè tractata ſunt. *Cuſpinianus ſupra. Trithem. in Chron. Sponheimen.*

IV.
*Veneti alios Principes Chriſtianos contrà Turcos ſollicitant.*

Venetorum Nuncij, in eo Conuentu, expeditionem contra Turcas maximè vrgebant; quòd Bayaſites per illud ipſum tempus Albaniâ peruaſtatâ, captoq; Dyrrachio vrbe maritimâ, eorum vrbi, ac prouincijs è propinquo immineret. Percuſſerant illi, appetente huius anni vere, cum Alexandro Pontifice fœdus, in XXV. annos proximè ſuccedentes, eâ cõditione; vt ſi vlteriùs armis à Bayaſite laceſſerentur, Alexander eis Zizimũ Bayaſitis fratrem, qui tum Romæ detinebatur, traderet; cuius auctoritate, atque gratiâ contra tyrannũ vti poſſent. Ergò nihil nõ faciebant, vt ea expeditio, à Maximiliano, & reliquis Regibus, ac Principibus Chriſtianis ſuſciperetur, eiſque maximè Alexander, cum reliquis fœderatis fauebat: qui cùm ad Ioannẽ Albertum, Poloniæ Regem, de ſacro bello decernendo Nuncium miſiſſet, ipſi quoque Veneti Oratores ſuos deſtinârunt, ad bellum in Turcas gerendum cohortantes. In tanto Chriſtianorum motu, Bayaſites quoque Legatos ad eundem ire iuſsit, ac peramplis donis oblatis, pacem, & amicitiam ei deferebat, nè pluribus ſcilicet ſimul bellis diſtineretur. Facilè enim conijciebat, Ioannem Albertum, niſi fœdere & iuriſiurandi religione aſtringeretur, non defuturum eſſe reliquis Chriſtianis, ac præcipuè Ladiſlao fratri Regi, & Vngaris, quorum ditiones vti proximas, ipſe tunc infeſtandas, ac ſubiugandas ſibi propoſuerat. Diu fuit anceps Ioannes Albertus, quid faceret; Pontificine, ac Venetis, an Turcis gratificaretur. Huc eum pacis commoda inuitabant; illuc pietatis, religioniſque, necnon inſitum gloriç, regniique propagandi ſtudium, & vlciſcendi patrui apud Varnam à Turcis interfecti, cupido impellebat. Ad bellum autẽ procliuior, cùm Turcicas vires ſecum expenderet, animaduertebat apparatu maiori, & ſocijs magis conſentientibus, auxilijſque ex proximo ſibi opus eſſe. Sine etiam fratre Ladiſlao, & Vngaris, nihil certi potuerat ſtatuere. His ità maturo cõſilio apud ſe expenſis, Turcicam legationem vix intra vertentem annum, pactis trium annorum cum Bayaſite inducijs dimiſit; cum Ladiſlao aũt fratre apud Liblium in Scepuſio cõuentum egit, deque ratione belli contra Turcas gerendi, ſemotis arbitris, plurima deliberauit. *Petrus Bembus hiſt. Venet. lib. 1. Cromerus lib. 30.*

V.
*Beatrix Matthiæ Regis vidua matrimonium cum Ladislao Vngariæ Rege ambit.*

Illi ipſi Venetorum Nuncij, Ladiſlaum Vngariæ Regem ad ſacrum bellum ſollicitauère: poſtquàm etiam Alexander Pontifex, Legatum, eâdem, & quadam aliâ de cauſa grauiſsima ad eundem Regem miſiſſet. Beatrix, relicta Matthiæ Regis, coniugium Ladiſlai ſucceſſoris ambiebat, & quodam iure prætendebat. Cum eâ de re fuiſſet interpellatus ab illa, poſtulataque illius ad Comitium retuliſſet, nemo ex Vngaris reperiebatur præter paucos, quos pecunijs, & præfecturis ipſa ſibi deuinxerat, cui coniugium eiuſmodi probaretur. Regem Ladiſlaum mulieris inprimis ætas, ac nota ſterilitas deterrebat: Patres, quod timẽdum putabant, nè peregrinis gentibus regnum communicatum, breui ad nominis interitum perueniret: Bohemi, præter cætera, decretum etiam publicum proferebant, quo cautum erat, nè cui Bohemiæ Regi viduam ducere liceret. Quia verò ſi poſtulantis Reginæ conditio, apertè reſpueretur, nemini dubitandum videbatur, quin ſtatim bellum illa eſſet maximum tum ſuis, tum aliorum opibus conflatura, haud quamquam ſponſalium ſpe deijciendam eam exiſtimabant, quòad regnum eſſet ab imminentium bellorum terroribus exolutum. Rex inſtante vehementiùs indies muliere, atque Procerum, quos poterat, animos, muneribus, & pecunijs corrumpente; veritus, nè ſi conſilium Patrum ſecutus falſis Reginam promiſsis tenuiſſe, ac parùm ſincerâ fide regiſſe tandem videretur, Patribus, procerumq; Principibus ſecretò accitis, ità eos erat allocutus; Cùm me Regem declaratũ Vngarorũ nõnulli hortati eſſent, vt Beatricem Aragoniam mihi deſponderem





vxorem, eorum haud quaquam, vt verè dicam, ab initio conſilium improbaui. Sic enim fore videbam, vt ducẽtis aureorũ millibus ab ea nomine dotis acceptis: & trecẽtis millibus, quæ ex dote, & ſortis ei iure debentur, quemadmodũ ipſa pollicebatur, regno remiſsis, non Boemico ſolum exercitui, cui Matthias Rex multa ſtipẽdia debebat ſatisfacere, ſed Polonis etiã, & Germanis, qui regnũ propè ex compoſito inuaſerant, faciliùs poſſe occurrere. Poſt autem, cum eadem nullis talibus promiſsis expletis meum tamen adhuc matrimonium affectaret, meq; ſi ſuã conditionem abnuerem, bello perſecuturã atq; ad hoſtes noſtros acceſſuram, eiſq; Zotium, Diolgyurum, ac Strigonium ſe tradituram oſtẽderet, neq; externos iã ſolum Principes, amicos, ac neceſſarios, ad belli ſocietatem alliceret, ſed qui nihil ſtuderent, meq; ab eo matrimonio deterrerent, hoſtium propè oẽs numero duceret: fateor me cum tanta rei indignitate, tu multò magis perſpectâ mulieris ſterilitate commotum, à priſtina omninò ſentẽtiâ deſtitiſſe: & ſi quam ſpem nuptiarum obieci, me idipſum communis ſalutis causâ, vel authoribus vobis egiſſe: cum dimiſsis omnibus Boemicis copijs, nullo alio modo infeſta Reginæ arma, mihi, ac regno veſtro imminentia propulſare commodiùs poſſem. Nunc verò cùm vos in eadem perſtare ſententiâ videam, vt quò faciliùs mulieris potentiſsimæ inſidiæ propulſentur, declinenturque, eius ſponſalia ſimulentur, atq; ars arte quodãmodò deludatur, faciam, quod vobis placere ſentio. Si illud autem apud vos teſtatum, relinquo me non tã iudicio meo, quà auctoritate veſtra ad hanc cõſilij rationem accedere, id, quod vobis prædictum volo; nè quis me fortaſsis contra dignitatem Regiã, vt perfidioſum aliquando inſimulare; aut huius me conſilij, ſi quid propterea durius accidiſſet, authorem reprehendere iuſtò poſsit. Cùm omnes aſſenſi eſſent, haud multò poſt inſtante muliere ſponſalia in hæc verba paucis adhibitis teſtibus, pactus erat, vt diceret; ſpondere ſe Reginam, ex Antiſtitum, Procerumque voluntate ducturum. Curatis ijs, cùm ab ea crebris nuncijs vocaretur, inſtantium bellorum molem cauſabatur. Semel cùm acceſsiſſet, nullum tamen ſponſi ſignum ei ediderat, non riſum, non iocum, non oſcula, non blanditias vllas attulerat, ſed quaſi alienus cum aliena, præſentibus ſemper arbitris locutus, ab eadẽ aliquantò blandiente, triſti ipſe, ſeueroque vultu diſceſſerat. *Bonfinius decad V. lib. 2.*

VI.
*Proceres illud matrimoniũ Ladiſlao cum Beatrice diſſuadent.*

Comitijs, ad Calendas Februarias, ſuperiore anno Budæ indictis, Petrus Archiepiſcopus Colocenſis Reginæ cauſam egit. Reclamatum cum eſſet ab vniuerſa Cõcione; aſſerentibus cunctis, Regem fœcundam Virginẽ ducere oportere, & regno Vngarico nihil ſterilitate Reginæ incommodius accidere poſſe, Beatrix nõ ſine dolore, & lachrymis litteras ad patrem Ferdinandum, Neapolis Regem per idoneos homines miſit, ſummis ab eo precibus contendens, vt miſsis ad Ladislaum Legatis, toties promiſſas nuptias, ſuâ auctoritate, ad optatum finem deducendas curaret, aut quid in reliquũ ſpei foret habendũ diligentius exploraret. Ille poſtulatione, & precibus filiæ adductus, quas haud iniquas arbitrabatur, Andream Caraffam, Comitem Montorij, virum ſummâ nobilitate & virtute in Vngariam miſerat, qui Beatricis cauſam ageret, & Ladislaum amicè, ac leniſsimè ad iungendam ſecum affinitatem, ducendamque in coniugem Beatricem hortaretur. Id ſi Ladiſlaus faceret, crebriſque ſuis pollicitationibus ſtandum exiſtimaret, gratâ mente, cum immortali gratiarum actione, ipſum Ferdinandum, ac filium Alfonſum, ſemper vſurpaturos. Ad ea Ladiſlaus, quum per aliquot menſes, Legatum apud ſe retinuiſſet, breuiter reſponderat; agnoſcere, nec diffiteri, ſe Aragonios ipſos Reges, tàm patri ſuo Caſimiro, quàm ſibi, omnibus in rebus, eâ, quâ par eſt amicitia, & beneuolentiâ coniunctiſsimos ſemper fuiſſe. Quòd autem in eo contrahendæ affinitatis vinculo, non ſtatim animum ſuum explicare queat; petere magno ſtudio, vt patienter ferre meminerint; ſe propediem miſſo ad ipſos ſuo internuncio, atque Legato, quid ſui de coniugio conſilij ſit denunciaturum. Nec multò poſt autumno appetente, munus illud legationis, Antonio Epiſcopo Nitrienſi demandatum fuit, quum Andreas Caraffa iam ad Ferdinandum perueniſſe exiſtimaretur; mandatis additis, vt primò Alexandrum Pontificem maximum qui Vngaros ſingulari beneuolentiâ in clientelam ſuſceperat, Romæ conueniret, ac deinde Ferdinando Rege

*Idẽ matrimoniũ Ladiſlaus reſpuit, & Pontifici, ac Regi Neapolitano ſignificat.*

conuento, mentem Ladiſlai, à Beatricis coniugio alienam, eiuſque cauſas abſque vllis ambagibus ordine explicaret. Quæ Antonius ſummâ fide, diligentiaque exequutus, Alexandrum primò adijt, ab illoque haud multò poſt dimiſſus, Neapolim venit, Ferdinandoque officiosè ſalutato, graui oratione aperuit, Ladiſlaum eo eſſe animo, vt Beatricem ſororis amantiſsimæ loco ſemper ſit habiturus; ſed Boemicis legibus ſeueriſsimè cautum eſſe, nè Rex Boemiæ, viduæ cuiuſpiam matrimonio implicetur; neque in tanta tot Regum ſerie, legis præuaricatæ vllum extare exemplum: ideò ſe contra leges, quas iurâſſet, innouare nihil poſſe. Vngarorum etiam votis prohiberi, Beatricis infœcundam ſterilitatem, quæ magno Reipublicę ipſorum incommodo, Matthiæ fortiſsimi Regis orbitati cauſam præbuiſſet, ante omnia damnantium. Conceſſurum ſe, vt oppidis, arcibus, ciuitatibus, & quæcumque alia habet, omnibus frui vti liberè queat, dum, vixerit. Non defuturam occaſionem, quâ illa Florẽtis alicuius Principis connubio, Deo iuuante propediem potiatur. Ladiſlaum ab eo, quibus oporteat, precibus petere, nè ipſi propterea paulò inhumanioris facti culpam adſcribat; ſed potiùs temporum, ac bellorum neceſsitati, ac ſubditorum populorum ſingulari pertinaciæ tribuendum exiſtimet. Ferdinandus ſe in his rebus, quæ arduæ prorſus, graueſque ſint, conſilio vſurum reſpondit. Ab Alexandro vero Pontifice, haud longè interiecta morâ, tale tulit reſpõſum, quale Ladiſlaum, Caraffæ Ferdinandi Legato dediſſe meminerat, nempè propediem fore, vt quæ mens ſua in cauſa Beatricis ſit, per nuncium in Vngariam expediendum breui intelligeret. Hoc remiſſo, cum hiſce mandatis Legatum in Vngariam miſit, Vrſum Vrſinum Romanæ ſtirpis virum nobiliſsimum; qui omnium noxarũ expiationem Pontificis nomine, & authoritate Ladiſlao obtulit, ſi ſumptis armis bellum Turcis inferret, omnibusq; alijs qui ſacro eo bello intereſſe, Chriſtianamque Rempub. iuuare vellent: ſimulque ſe priuata à Pontifice mandata, ad Ladiſlaum habere retulit, quibus cauſam Beatricis, Ferdinandi filiæ, enixiſsimè commendaret, ne eam, cui toties ſpem coniugij multis verbis promiſerat, auerſo animo nunc aſpernandam putet: id Summo Põtifici adeò gratum futurum, vt numquam eius propenſi ſtudij memoriam animo ſit depoſiturus. Ad ea Ladiſlaus, quamquam ſibi quotidianum cum Turcis bellum intercedat, ſe tamen non fore poſtremum, ſi ſummum ipſum Pontificem, ac Imperatorem Auguſtum, cæteroſque Reges & Principes Chriſtianos, vnanimi voto bellum ſacrum contrà veros hoſtes feriò parare animaduerterit. Ad Beatricis nuptias quod ſpectet, ſe iam per Legatum, mentem ſuam Pontifici ſimul, & Ferdinando ita nudâſſe, vt quũ eam abundè intellexerint, non ſit neceſſe in ea repetenda cõmorari; ſe in eodem propoſito adhuc perſiſtendum deliberaſſe, nec dubitare Legatum ab eo tempore, quo in Vngaria fuerit, à diuerſis Proceribus tam Vngaris, quam Boemis, intellexiſſe excuſationes ſuas, quibus apud Summum Pontificem, atque adeò Ferdinandum vſus fuiſſet, non ex vano excogitatas, ſed veras, arduaſque fuiſſe; quas vt illis denuò inculcare velit, ſe etiam, atque etiam vehementer petere. Vrſinus Romam reuertens; Villaci in Norica diem clauſit extremum: *Nicolaus Iſthuanſſius hiſt. lib. 2.*

VII.
*Vngari victoriam de Turcis reportant.*

Venetis Legatis, de ſociali cõtrà Turcas bello interpellantibus, Ladiſlaus, nec negare in præſens, neq; polliceri viſus eſt: ſpẽ haud dubiã offerens, ſe breui, ea quoque in re æquiſsimis eorũ petitionibus locum daturũ. Inter hæc tamẽ ipſe Turcas vellicare non intermiſit, ſed Paulo Quiniſio iuſsit, eique prætorianas turmas, cohorteſq;

ſubmiſit, vt Danubio traiecto, verſùs Samãdriam excurreret, agroſq; longè, ac latè vaſtaret: vnde is proxima caſtella, in quibus Alibegus Samandriæ præfectus, ex Michalbegorum familiâ oriundus, vir domi, militiæq; clarus, coniuges, liberoſque, & pretioſiorem ſuppellectilẽ habebat, cum adiacentibus oppidis, nec opinatò aggreſſus, tanta adhibita celeritate cepit, vt Turcæ ſpatiũ arma capiendi, ſeque tuendi non habuerint, Vngarique captis, aut ad vnum interfectis omnibus, vtroque caſtello, exiguo tempore interiecto, potiti ſint. Vnum ad ſummam militum lætitiam cumulãdam defuit, quod ſilij, ac coniuges Alibeghi, per occultam auerſæ portæ ſemitam, deducentibus Eunuchis eorum cuſtodiæ prępoſitis, ſub tumultu feliciter profugiſſent. Incredibilẽ in his caſtellis, ac vicinis oppidis prædam repererunt. Idem Ladislaus, petente Alexandro Pontifice, Ioannem Albertũ fratrẽ, Poloniæ Regem, ad bellum Turcis inferendum inclinauit, eique conceſsit, vt arces Achilleam, & Moncaſtrum in Moldauia, quâ Tyras flumen, nunc Neſter appellatur, in Iſtrum illabitur, ſitas, quæ à Baiaſite Turcarum Principe, ſub inducijs, viuente adhuc Matthiâ Rege, furtim captæ erant, recuperaret, ſibique retineret. *Iſthuanffius lib. 2. & 3.*

*Proditores quidã pœnas luunt.*

Reperti ſunt hoc tempore, aliqui præſidiarij, qui de Alba Græcâ Turcis prodendâ agitarent conſilia: quos Paulus Quiniſius comprehenſos, & crimen faſſos, acerbiſsimo, atq; haud ſcio, an aliàs vnquam audito ſupplicij genere omnes affecit; quippè in carcerem fœdiſsimum conditos, ſingulis diebus, eorum ſingulos, hædorum in modum veru præfixos, & ad ignem diligenter aſſatos, ſocijs veſcendos appoſuit; identidem, ad indignum cruciatum aſperitate conuicij cumulandum, *vt proditorum caro ad palatum reſponderet*, interrogans: nouiſsimum autem eorum, nemine omnium extante, cui ipſe cibus apponeretur, lentâ inedia, cibique neceſſarij ſubtractione confecit. *Bonfinius ſup. lib. 3.*

VIII.

*Beatrix Regina, Ladiſlai fidem poſtulat.*

Inter hæc Beatrix Regina, nullo intermiſſo temporis puncto, quietem nullam concedebat Ladiſlao. Nam & diem illi Romæ apud Alexandrum Pontificem dixerat, & in Vngaria querimonijs omnia, & motibus implebat, fidei datæ poſtulans Ladiſlaum Regem. Et quidem coràm Sede Apoſtolicâ, Ladislaus, factum, rationibus, & duorum Regnorum authoritate, ſeu conſenſione defendebat; in Vngaria verò, cum iiſdem, quorum conſilio, eo tempore vtebatur, Thomâ Bocaccio, Epiſcopo Agrienſe, & Ioanne Bornemiſsâ collocutus, in Comitio per Ioannem Varadienſem Epiſcopum interpretem reſpondit; ſe quin Beatrici verba dederit, inficias ire non poſſe, vti anteà quoque non negauerit. Sed neque illam grauiſsimis conditionibus, ad quas ſe obligauerat, ſatisfeciſſe vnquàm, quas ſi illa adimpleuiſſet, meliori in ſtatu rempub. futuram fuiſſe; neque Auſtriæ tàm ſegniter, tamque deſidioſè amiſſæ detrimenta ſubſequuta. Auerſum ſe ab illa ducendâ animum habere, cum ob alias cauſas, tum quòd ingraueſcentis ætatis, ac notæ infæcũditatis ſit, quæ etiam Matthiam Regem orbum liberis reddiderit.

*Ladiſlai excuſationes.*

Cur enim vel ſuo, vel Reipub. de Ordinum commodo ducenda ea ſit, ex qua nulla proles ſperari poſsit? & regnum ſe decedente, non ſine bellorum procellis, cladibuſque, iterum exteris lacerandum exponatur, aut inteſtinis ſeditionibus collapſum intercidat; aut certè à Turcis, Chriſtiani nominis hoſtibus, quod dirũ, infelixq; omen Deus auertat, occupetur; ac per illud ad inuadẽdas cæteras Reipu. Chriſtianæ regiones porta pãdatur? Illam quidẽ ſibi apud omnes fermè Chriſtianorũ Principes, ſed potiſsimum apud Summũ Pontificẽ, aſtutę, ac indignæ Principe viro perfidiæ crimen inieciſſe, & in ipſa etiam Vngariâ, contra ſuam dignitatem, clam nouis rebus ſtuduiſſe; quæ omnia ſe diſsimulando prætermiſiſſe, nè cum ambitioſiſsimâ muliere, certamen ſuſcepiſſe videretur. Hãc igitur ſuæ voluntatis ſummam eſſe, vt ſi è Repub. ipſis videatur, Beatricis cõiugium omninò repudiandum, idque ei abſque ambagibus ſignificandũ cenſeat. Sin ipſis Ordinibus ſecus viſum ſit, futurum ſe ſemper in eorum poteſtate; quos certè exiſtimet tam propenſis in ſe animis eſſe, vt ſe liberos procreare, ſeque mortuo, regnum illis potiùs, quàm exteris quibuſpiam deferendum peroptent. Dixerat iſta Varadienſis: Ordinibus placuit, Beatrici cũ Ladislao omnem cõiugij ſpem præciſam renũciare: quibus illa auditis, proſciſſo grauiſſimis probris, & execrationibus Ladislai nomine, in Italiam conceſsit, & non multò poſt in arce Aenariæ inſulæ, quam olim Pithecuſas, nunc Iſclam vocant, inter miſerias, ruinamque totius domus Aragonicæ, quæ illi ab occupato Neapolitano à Gallis regno, vt poſteà narrabimus, vitam cum morte commutauit. Ladislaum verò Alexander Pontifex, ab illius commercio abſolutum reddidit; eique vt aliam, quam vellet, ducere poſſet, pro ſacroſanctæ auctoritatis ſuæ poteſtate indulſit. *Iſthuanffius lib. 3.*

IX.

*Inter Alexandrũ PP. & Ferdinãdum Regem diſcordiarũ Origo.*

Vertit iſta in ſuam contumeliam Ferdinandus Neapolitanus Rex, & Alfonſus Beatricis frater: à quibus fortè per impoſturam in Ladislaũ dictum, quaſi multo auro ſententiam Romæ redemiſſet. *Dubrauius libr. 31.*

Sanè hæc Beatricis controuerſia, intempeſtiuè accidit, Alexandro Pontifice, alijs grauiſsimis de cauſis Ferdinando, & Alfonſo Aragonijs non ſatis placato, quin verò in eos iuſtiſsimè irritato, ſeu irato. Narrare ſuperiùs inceperam, quomodo Franciſcus Cybo Genuẽſis, Innocentij Pontificis perneceſſarius, nonnulla caſtella Romæ vicina poſsidebat, Anguillariam, Cereuetus, & alia. Is cum poſt mortem Innocentij, Petri Medicis vxoris ſuæ Magdalenæ fratris amicitiâ fretus, Florentiam, ſe ad habitandum contuliſſet, vix primùm eam vrbem attigerat, cum Ferdinandi Regis conſilio, & Petri Medicis operâ, ea caſtella, Virginio Vrſino aureis nummis quadraginta millibus vendidit. Præter cõſilium, etiam bonam eius ſummæ partem, Ferdinandus, Virginio clam mutuò dederat; in ſuum cõmodum ceſſurum ratus, quò magis Virginij ſuam militiam ſequentis, ac propinqui opes circa Romam diffunderentur. Nam Rex ſecũ reputans, Pontificum potẽtiam, inſtrumentũ eſſe peropportunum ad regnum Neapolitanum, quod eſt in veteri Põtificum Romanorũ iure; quodq; per lõgiſsima ſpatia ditioni eorundem finitimum eſt, perturbandum; nec non memor controuerſiarum, quas tum pater ipſius, pręcipuè cum Calixto III. Alexandri auo, tũ ipſemet ſæpenumero cum Põtificibus habuiſſent; ſemperq; exprompta eſſe nouarum contentionum materiam, finium iura, cenſus, beneficiorũ collationẽ, procerũ perfugia, multaq; alia, quæ inter vicinos nõ rarò, neque minus ſępe inter eum, qui alterius beneficio aliquid poſsidet, & ipſum dominũ oriri ſolent; ſemper ſuæ ſecuritatis firmamẽtum eſſe duxit, ſi omnes, vel potentiores ſaltem Romanæ ditionis proceres, ſibi addictos retineret, quod quidem hoc tempore faciebat libentius; quoniam Ludouici Sfortię, Cardinalis Aſcanij fratris ipſius gratiâ, authoritatẽ apud Alexandrum Pontificem magnam fore exiſtimabat.

*Sfortiæ adhærent Alexandro PP.*

Neq; minus Regem mouebat metus, nè in Alexandro reſideret aliquid odij, vel ſtudij à Calixto III. deriuati; qui Alfonſo, patre Ferdinandi mortuo, niſi mors eius conſilijs, interueniſſet, arma mouiſſet, vt eum regno Neapolitano, quod in Pontificatus iura reciderat, ſpoliaret: nihil planè memor, Alfonſi opera, in cuius erat natus regnis, & cui diu inſeruierat, ſecum cæteros obtinuiſſet gradus dignitatis ſuæ, tum verò ad Pontificatum adipiſcendum, haud leuia adiumenta conſecutũ. Obliterauerat memoriam beneficiorum, cura tuendi iuris Apoſtolicæ Sedis, ad quam Neapolitanum regnum recidebat, Ferdinando non legitimis nuptijs nato, adeoque non ſucceſſore legitimo beneficiarij iuris. Ferdinandus etſi magnę prudentię princeps haberetur, non intellexit tamen, quanta ea caſtellorum abalienatio inuito Põtifice facta, eſſet reprehenſione digna, quę vllo tempore nulla pręterq; leuiſsimę vtilitatis ſpe propoſita, ex altera parte grauiſsima adferre poterat detrimenta: quippe ad res nouas eorum animos incitauit, quorum intererat cõmuni cõcordię conſeruandæ operam dare. Pontifex enim cum exiſtimaret, ex illa ſe inconſulto venditione, ea caſtella iure





& legibus ad Pontificiam ſedem eſſe deuoluta; cumque eo facto Pontificis maieſtatẽ non mediocriter imminutam cenſeret; ad hęc quid Ferdinandus in eo ſpectaret reputans, contra eum, contraque Petrum Medicẽ, & Virginium, Italiam vniuerſam querelis impleuit; affirmans, ſe quantum ei vires ſuppeterent, ac ſuppeditarent, nullam prætermiſſurum operam, vt & ſuam dignitatem, & ſanctæ Sedis iura retineret. Sed neque minùs commouebatur. Ludouicus Sfortia: qui cum ſibi inaniter perſuaſiſſet, ſuis & Aſcanij conſilijs, Pontificem omnia adminiſtraturum, id omne ſibi detrahi dicebat, quod de Alexãdri potentiâ diminuebatur. Inprimis verò illud angorem conceptum augebat, dubitari iam non poſſe, quin Aragonij, & Petrus Medices, quãdo in eiuſmodi rebus ijſdem cõſiliis progrederẽtur, arctiſsimo intra ſe ſocietatis vinculo coniuncti eſſent; quorum conſilia tamquam ſuis rationibus periculoſa vt infringeret, vtque eò magis hac occaſione Pontificis ad ſe animum flecteret, eum ad ſui ipſius dignitatis conſeruationem, quanta maximâ potuit animi contentione incitauit: ſibi ob oculos poneret, non id modò, quod in præſentia ageretur, verùm etiam quàm graue eſſet in ipſis Pontificatus auſpiciis, ab ipſiſmet clientibus ſuis, tanti gradus maieſtatem fuiſſe contemptam: ne crederet, aut cupiditatem Virginij, aut caſtellorum momenta, aut aliquid eiuſmodi Ferdinandum permouiſſe; ſed quod vellet iniuriis, quæ initiò paruæ viderentur, ipſius patientiam, atq; animũ tentare; mox, ſi ad hæc nihil ſeſe commoueret, indies maiora tentaturus: eius ambitionem nihil eſſe à cæterorum Regem Neapolitanorum diuerſam, qui Romanæ ſedis hoſtes perpetui fuiſſent; idcirco ab ijſdem Regibus, Pontificẽ armis fuiſſe ſæpiſsimè vexatos; vrbem Romã occupatã; hunc ipſum Ferdinandũ Regẽ, bis contra duos Pontifices, exercitus, quibus filium præfeciſſet, ad vrbis vſque muros: miſiſſe ſemper fere cum ſuperioribus Põtificibus apertas inimicitias exercuiſſe: irritare eundem etiamnum contra ipſum, non modò ſuperiorum Regum exemplo, ſuaq; innata dominandi libidine, ſed multò magis vindictæ cupiditate, ex memoria offenſionum, quas à Calixto III. accepiſſet: hæc ſolum diligenter expenderet, ac reputaret: qui ſi primas iniurias, fuco tantũ, atq; inanibus titulis honoratus, patienter toleraret, futurum, vt reipſa ab omnibus contemneretur, viamque ad conſilia magis periculoſa pateſaceret: ſin maturè opponeret ſeſe, priſtinam maieſtatem, amplitudinemque ab vniuerſis Pontifici Romano debitam, facilè conſeruaret. Verbis adiecit pollicitationes efficaciſsimas, ſed facta longè efficaciora; nam ei libras auri quadringentas, hoc eſt ducatorum, vt nunc loquuntur, quadraginta millia promptiſsime mutuò dedit; atque vnà cum eo cõmunibus, impenſis trecentos grauis armaturæ equites cõduxit, ſed ea lege, vt vbi iuberet Põtifex; ibi conſiſterent: quò tamen nouarum moleſtiarum neceſsitatem vitaret, Ferdinandum hortabatur, Virginio ſuaderet; Pontificem honeſta quapiam ratione mitigaret, innuens, ni faceret, ex hoc leui principio, ingentes exoriri motus poſſe. Longè verò etiam liberiùs, & vehemẽtius Petrum Medicem monuit, cogitaret, quàm opportunum ad pacem Italiæ retinendum, Laurentium patrẽ ipſius ſe tamquam medium, Ferdinandum inter, & ſe, amicumque communem geſsiſſe, domeſticum potius imitaretur exemplum, cũ præſertim à tanti nominis, ac virtutis viro ſumendũ eſſet potius, quàm nouis cõſiliis aurem præbendo, alijs occaſionem, ſiue neceſsitatem potius præbere, ea conſilia capere, quæ ſingulis tandem eſſent pernitioſa futura. In memoriam reduceret, quanta ex diuturna Sfortia, & Mediceæ familiæ amicitia, ſecuritas, authoritaſque vtrique acceſſiſſet: & contra, quantis iniurijs, tum patrem, tum maiores ſuos, tum Florentinorum Rempub. Aragonij affeciſſent, ac denique, quoties Alfonſus primũ, deinde Ferdinandus eius filius, iam inſidiis, iã armis tentaſſent, Hetruriæ imperium occupare. Verùm enimuerò, his monitis plus detrimenti, quàm emolumẽti cauſæ importabatur. Nam Ferdinandus indignum ratus, ſi Ludouico, Aſcanioque cederet, quorum ſtimulis Pontificis indignationem excitari ſibi ſentiebat; & prætereà ab Alfonſo filio cõcitatus, Virginio ſuaſit, nè caſtellorum poſſeſsionem emptionis iure capere vltra differret, pollicebaturque ſe, eum, à quocumq; ei moleſtiam inferẽte, defenſurum: cæterum, ſuas innatas artes ſecutus, Pontifici varios compoſitionis modos proponebat; Virginium nihilo ſecius monens, ne modum vllũ admitteret, eis exceptis, quibus Pontifici ſumma pecuniæ aliqua perſolutâ, caſtella ipſa ſibi retineret. Hac re cõfirmatus Virginius, poſt ſæpe cõditiones nonnullas recuſauit, ex ijs, quas Ferdinandus, ne Pontificem tantopere irritaret, vt acciperet ſedulò monebat. His in rebus cum Petrũ Medicem pertinaciter Regis authoritatem ſequi, omneq; ſtudium, vt is ab eo remoueretur, collocatum, irritum eſſe conſtaret. Ludouicus Sfortia ſecũ ipſe reputans, quãtum referret, ſuos ab ea ciuitate hoſtes pendere, cuius temperamentum ſecuritatis ſuæ præcipuum fundamentũ eſſe ſolebat: atq; ob id multa ſibi pericula imminuere exiſtimans, ſtatuit ſuæ ſaluti nouis remediis prouidere: præſertim cum ei minimè obſcurũ ardens deſiderium Aragoniorũ eſſet, vt ipſe à nepotis, & à principatus Mediolanenſis gubernatione ſummoueretur, quod quidẽ deſiderium, quãuis Ferdinãdus ſimulãdi, ac diſsimulandi in omni ſuâ actione artifex incredibilis eſſet; Alfonſus tamẽ homo naturâ inprimis apertus, numquam intermiſerat de iniuria genero factam palàm expoſtulare, ac maiore libertate, quã prudentiâ, contumelioſa, minorumq; plena verba iactare. Intelligebat prætereà Ludouicus, Iſabellã, Alfonſi filiam, Ioannis Galeacij vxorẽ virilis animi fœminã, nullam finẽ facere, patremque, auumq; ſtimulãdi; vt ſi mariti indigniſsimè oppreſsi (erat is nepos Ludouici, iã annos natus XXII. ac præterea de Iſabella pater; tamẽ ſub patrui tutelâ, qui nomine illius Mediolanẽſem ducatã adminiſtrabat, illum verò Papiæ, quaſi in cuſtodia tenebat) ſuaque infamia eos non mouebat ſaltẽ vitæ diſcrimen, cui vnà cum filiis erant expoſiti, permoueret. Verùm illud magis animũ angebat ipſius, cum reputabat, nomen ſuum cunctis Mediolanenſis imperii populis eſſe ſummopere inuiſum, tũ ob multas inuſitatas exactiones nummarias, quàm quod Ioãnis Galeacij legitimi Principis, calamitate nemo ferè nõ vehemẽter permoueretur. Et quamquã Aragonios affectati in Inſubria Principatus nomine ſuſpecto, reddere niteretur, quaſi veteri iure ex Philippi Mariæ Vicecomitis teſtamento à quo Alfonſus Ferdinãdi pater hæres fuerat inſtitutus, ad eos pertineret, quaſiq; hoc prætextu ab nepotis tutela remouere ſatagerẽt; tamẽ his artibus, odium in ſe conceptũ nihil mitigabat: nec efficere poterat, quin pleriq; omnes cogitarent, ad quæ ſcelera dominandi ſitis peſtifera mortales ſoleat impellere. Quamobrem, poſteà quamdiu rerum ſtatũ, impendentiaq; pericula animo volutaſſet, omnibus alijs curis poſtpoſitis, omnes ſuas cogitationes ad noua conquirenda præſidia, nouaque fœdera conuertit. Ad hoc cum magnam opportunitatẽ oſtenderet, tum Põtificis cum Ferdinando ſimultas, tum quod exiſtimaret, Venetum Senatum cupere fœdus diſſolui, cuius vi conſiliis ipſius obuiam itum iam multis annis erat, noui fœderis rationem, quæ eſſet è re communi, vtrique propoſuit: neque difficilè Põtifici, ex noua iniuria ab Aragoniis illatâ irritato, perſuaſit. Alfonſi natarũ vnam ex ijs, quas extra legitimum connubium ſuſceperat, vni filiorum vxorem conciliare ſatagebat, cui dotis nomine aliquis in regno Neapolitano principatus non ignobilis aſsignaretur. Ab hac re, & ſi Ferdinandus non abhorreret, Alfonſus tamen, vt aſſentiretur, nunquam adduci potuit. Placuit ſimulare & connubium quidem, non improbare, ſed in dotali fundo impedimenta inijcere. Alexander, donec à ſpe

cecidiſſet, aures potius, quàm animũ pactioni à Ludouico propoſitæ præbuerat; cum primum tamen verba ſibi ab Aragonijs dari, minimeq; & hic in re, & in alijs grauiſsimis ſibi ſatisfieri depræhẽdiſſet (cui ſi eſſet factum ſatis, forſitan pax Italiæ non tam repentè fuiſſet perturbata) indignatus ſtatim ſibi Ludouici cõſilia eſſe ſequenda cẽſuit; maximè impulſus timore, propterea quod Ferdinandi ſtipendia merebat, non modò Virginius Vrſinus, qui Summo Florentinorum Ferdinãdique fauore, nec non authoritate, qua in Guelforum factione pollebat, valdè tunc in tota Pontificia ditione erat potens, ſed & Proſper, Fabriciuſq; Columniæ familiæ principes, itemq; Iulianus Ruuereus, Sancti Petri in vincula Cardinalis, ſũmę exiſtimationis viri; qui ſeſe quod Pontificem vitæ ſuæ inſidias ſtruere ſuſpicaretur, in Oſtienſem arcem, quam tamquam eius vrbis Epiſcopus obtinebat, receperat, ex inimiciſsimo factus amiciſsimus Ferdinando, in quem olim prius Sixtum Patruum, deinde Innocentium Pontifices concitarat. Venetos, quamuis initio aliquantum renitentes, Ludouicus induſtriâ, ac diligentiâ, tum apud Senatum, tũ ſingulis Senatoribus prenſandis, omnibus impedimẽtis ſuperatis, tandem eo adduxit, vt nouum deniq; fœdus mẽſe Aprili, hoc anno 1493. in annos *XXV.* in Sancti Marci templo Romæ, ab Alexandro Pontifice, inter eundem Pontificem, Venetum Senatum, & Ioannem Galeacium, Mediolanenſium Ducem (eius enim nomine omnia illius imperij negotia à Ludouico expediebãtur) ad communem defenſionem, ac nominatim ad Ludouici dignitatis conſeruationem ictum, & poſt Miſſarum ſolennia publicatum ſit; ea tamen conditione, vt Veneti, & Mediolanenſes, ad Pontificiæ ditionis, ipſiuſque Pontificis ſecuritatem, omni remota cunctatione, ducentos ſinguli grauis armaturę equites Romam mitterent; hiſque, ac maioribus, ſi quidem opus eſſet, viribus, cũ ad caſtella ab Virginio occupata, recuperanda iuuarent. Perculit ea res Aragonios, qui ad ſuam perniciem, fructus his ſeminibus germanos naſcituros exiſtimabant. Itaque Alfonſus Dux Calabriæ cum Petro Mediceo, & Virginio Vrſino ſocijs tutius rebus ſuis fore, anteuertere, quàm anteuerti, cenſentes, magnâ animi propenſione, Proſperum, Fabriciumq; Columnios audiuerunt, qui ad illud ipſum ab Iuliano Cardinale clàm impulſi, Romam ſe equitum turmis, quas haberent ipſi, nec non Gibellinæ factionis auxilijs, capturos pollicebantur; eâ lege, vt Vrſinorum copiæ ſubſequerẽtur, & Dux ipſe eouſq; procederet, vndè triduò poſtquàm Romã eſſent ingreſsi, eis ſubſidio venire poſſet. Ferdinandus, quò res inclinabat, conſiderans, factus cautior, mitigare potius, quà irritare animum Pontificis, & corrigere, quod ad eam diem imprudẽter commiſerat cupiebat. Ergo reiectis prorſus eiuſmodi conſilijs, quæ non ſecuritatem, ſed grauiores moleſtias, ac pericula paritura iudicabat, ſibi omnibus neruis, non iam ſimulatè, ſed ſincerè enitendum ſtatuit, vt caſtellorum controuerſiam cõponeret: illud ratus, ſublata tanti diſsidij cauſa, exiguo labore, imò per ſe, propemodum, Italiam in priſtinum ſtatum eſſe reuerſuram. Verùm, nõ ſemper cauſsis ſublatis, ea, quæ ab illis ſunt orta, primùm remouẽtur. Nam, quod ſæpè accidit, vt conſilia timore ſuſcepta, periculo inferiora, ei qui timet videantur: haud exiſtimabat Ludouicus, ſe ſatis idoneũ ſuę ſecuritati remediũ inueniſſe; ſed veritus, quòd Pontifex, & Veneti à ſe diuerſa ſpectarent; vt fœdus cum ipſis initum, diuturnum foret; ideoq; res ſuas variis caſibus, poſſe in non paucas difficultates deuenire, omnem ſuã cogitationem; ad eum, qui ob oculos obuerſabatur, morbum radicitus extirpandum, his neglectis, quæ poſt exoriri poſſent, conuertit; quàm ſit perniciosũ, quàm aut morbi natura, aut ægroti vires ferre poſsint, fortiorem medicinam adhibere: quaſique illud eſſet vnicum præſentibus periculis remedium, maiora ſubire pericula, vt ſecuritatem ſuam externis communicet armis; quandoquidem nec in viribus proprijs, nec in Italorum amicitiis ſatis haberet ſpei, celatis, (vt Iuſtinian. *lib. 20. hiſt.* Venetæ memorat,) ea de re Alexãdro Pontifice, Venetoque Senatu, cum quibus fœdus paulò ante percuſſerat, omnia experiri ſtatuit, vt Carolum VIII. Galliæ Regem, ad Neapolitanum Regnum, quod veteri Andegauenſium iure ſibi vendicabat, inuadendum commoueret. Regnum Neapolitanum (vt paucis repetam) quod in priuilegiis, & Romanorum Pontificum diplomatibus, in quorũ dominio, & clientelâ vetuſtiſsimo eſt iure, à Manfredo, Friderici II. Imperatoris ex cõcubina nato, nullo iure fuit occupatũ, iure fiduciario, vnà cum Sicilia inſulâ, geminæ Siciliæ nomine, quarũ altera cis, vltra fretum altera diceretur, anno ſalutis M.CC.LXIIII. ab Vrbano IV. Põtifice Romano traditum fuit, Carolo prouinciæ Narbonenſis, & Andegauenſiũ Comiti, eius Ludouici Galliæ Regis fratri, qui clarus quidẽ potentiâ, ſed vitæ ſanctimonia clarior, in Diuorũ numerum poſt mortem relatus eſt. Hic cũ armorũ vi, re ipſa obtinuiſſet, id, quod ei verbo, & diplomate erat Põtificiâ authoritate attributum, Regnum Neapolitanũ Carolo filio, quẽ Itali vt à patre ſeiungãt, Carolum II. appellant, tradiderat; à quo ad eius nepotẽ, Robertum peruenit. Verùm cũ mortuo ſine prole maſculâ Roberto, Ioanna Caroli Calabriæ Ducis, qui iuuenis ante patrẽ ex hac vitâ migrarat, filia ſucceſsiſſet, citò non minus obſcenitate morum, quâ ſexus imbecillitate, nouæ Reginæ authoritas contemni cœpit. Quâ ex re, cum varia eſſent tum diſsidia, tũ bella progreſſu temporis, inter Caroli primi ex diuerſis Caroli ſecundi filiis exorta, Ioanna, alia ratione ſe tueri poſſe deſperans, Ludouicũ Andegauenſem, Caroli V. Galliæ Regis fratrẽ, eum, cui, ꝙ fortunæ periculum nõ ſemel feciſſet, ob multas eis victorias, nomen ſapiẽtis, Galli dederunt, adoptauit. Hic validiſsimo exercitu in Italiã ducto, Ioannâ iã prius interfectâ, regnoq; in Carolum, cui à Dyrrachio cognomẽ fuit, ex Caroli primi ſimiliter poſteris, translato, febri in Apulia iã ferè victoriâ compos deceſsit: ita vt ad Andegauenſes ex hac adoptione venerit aliud nihil, q̃ prouinciæ Narbonẽſis dominatus, cuiꝰ poſſeſsionẽ à Carolo primo, poſteri ſemper tenuiſſent. Ab ea tamẽ originẽ habuit prætextus, quò poſt, & Ludouicus Andegauenſis primi Ludouici filius, & alio tempore eiuſdem nominis nepos à Pontificibus, ſi quãdo ab ijſdem Regibus diſsiderẽt, impulſi, Regnum Neapolitanum ſæpe, etſi parum feliciter inuaſerunt. Carolo autem Dyrrachino, eius filius Ladiſlaus ſucceſſerat, qui cum anno Saluatoris MCCCCXIV. ſine liberis deceſsiſſet, regnum ad eius ſororem, alterã Ioannam, nomen non modò regno, verum etiam ipſi, alteriq; Ioannæ infauſtũ, quæ inter ſe nec imprudentia, nec morum obſcænitate differebant, peruenit. Etenim cum Ioanna regni gubernacula ijs traderet, quibus etiam corpus ſuũ impudicè cõmittebat, ſubitò in tot ſe moleſtias cõiecit, vt à Ludouico III. Martini V. Pontificis auxilio vexata, Alfonſum Aragoniæ, & Siciliæ Regem adoptare tandem cogeretur. Sed cũ paulò poſt inter eos ſimultas orta eſſet, eum adoptione reſciſſa, tanquam ingratum abdicauit, eundemque Ludouicum adoptauit; eiuſque præſidium, cuius armis ad priorem adoptationẽ fuerat compulſa, aduerſus Alfonſum implorauit: quo armis toto regno exacto, id pacatè viuens cõſeruauit, & ſine liberis moriens, hæredem, vt fama erat, Renatum Andegauenſium Ducẽ, & prouinciæ Narbonenſis Comitẽ, Ludouici, quem adoptarat, quiq; eodẽ anno erat mortuus, fratrem, teſtamẽto reliquerat. Sed cũ pleriſq; regni Principibus Renati ſucceſsio minùs probaretur, eſſetque fama, teſtamentũ illud à Neapolitanis falsò ſubiectũ eſſe, factum eſt, vt à quibuſdã Regni proceribꝰ, & populis, Alfonſus denuò accerſeretur. Hinc bella, inter Alfonſum, & Renatũ, quib. per multos annos nobiliſsimũ regnũ afflictũ eſt (q̃ bella magis regni ipſiꝰ, q̃ propriis ſunt geſta virib.) originẽ duxerunt. Hinc diſsidentibus inter ſe a-

*Põtifex, Veneti, & Dux Mediolanenſis fœdus ineunt.*

*Ludouicus Sfortia, Carolum Gallorum Regem in Italiam euocat.*

*Vnde Comitibus Andegauenſibus ius in regnũ Neapolitanũ obuenerit.*

nimis



nimis factione, ne hoc quidem temporis prorſus extincti, Aragoniorum, Andegauenſiumq; mutatis etiã ſucceſſu temporis cum nominibus, tum coloribus, quibus iura ſua prætexunt, extiterunt: propterea quod Põtifices, temporum neceſsitatem, atque æquitatem ſecuti, diuerſa quodammodo inter ſe regni diplomata cõceſſerint. Cum autẽ ex his cũ Renato bellis victor Alfonſus I. vt potè maiore & potentiâ, & virtute Princeps extitiſſet, ac ſine legitimis liberis è vita diſceſsiſſet, nulla facta Ioannis fratris, atque in regnis Siciliæ Aragoniæ ſucceſſoris mentione, teſtamento regnum Neapolitanum, quaſi à ſe partum, Ferdinando ex non iuſta vxore ſuſcepto legauit: quem, etſi ſtatim ferè patre mortuo, regni procerum ope fretus, Ioãnes Renati filius armis eſt aggreſſus, tamen felicitate, & virtute ſuâ non modò ſe defendit, ſed eũ etiam ita afflixit, vt numquã viuo Renato, qui diu filio ſuperſtes fuit, ei fuerit cum Andegauentibus quicquam, aut contendendum, aut metuẽdum. Mortuus eſt deniq; Renatus, nulla virilis ſexus prole relicta, hæredemq; omnium fortunarum ſuarũ, & iurium, Carolum fratris filium inſtituit; qui & ipſe paulò poſt abſque liberis moriens, ſua bona Ludouico XI. Galliæ Regi omnia teſtamento legauit: ad quẽ tanquam ſupremum Dominum, non modo Andegauẽſis Principatus, à quo, quod regni membrum ſit, fœminę excluduntur, deuolutus erat: ſed etiã (quamuis Lotharingiæ Dux, Renati filiæ proles, ſucceſsionẽ ad ſe pertinere affirmaret) in prouinciæ Narbonẽſis poſeſsionem venit. Eiuſdem quoq; teſtamẽti vi, iura Andegauenſium in regnum Neapolitanũ, vniuerſa ad ſe tranſlata eſſe affirmare poterat; quo mortuo, cũ ad Carolum VIII. eius filium deueniſſent, potentiſsimum aduerſarium Neapolitanus Rex Ferdinandus habere cœpit; magnaque opportunitas quibuſcumq; eum lædere cupientibus, oblata eſt. Nã regnum Galliæ hac tẽpeſtate, viris, armorũ gloriâ, potentia, opibus authoritate regnis omnibus forſitan, qui à Carolo Magno extitiſſent, anteibat: propterea, quòd nuper ad ſingulas illas tres partes, in quas vniuerſa Gallia apud veteres fuit diſtributa, magna erat acceſsio facta. Quadraginta enim ante hanc tempeſtatem annis, Carolo, qui ob multas non ſine grauiſsimis periculis victorias Felicis cognomentum obtinuit regnante, ad illud imperium Normãdia, Ghiennaque, quas prouincias anteà Angli obtinuerãt; poſtremis autem Ludouici XI. temporibus Prouinciæ Comitatus, Ducatuſq; Burgundiæ, vnà cum tota ferè Picardiâ acceſſerunt: poſt etiam Caroli VIII. potentiæ ex recenti Annę cõiugio Britanniæ in Armoricis Ducatus acceſsit. Nec Caroli regni Neapolitani, tamquã ad ſe iure ſpectantis armis acquirẽdi animus defuit iã inde à puero, naturali quodã inſtinctu ſuſceptus, poſt etiã familiarium quorundam hortationibus ſuſtentatus, qui inanibus eũ cogitationibus replentes, hãc eſſe occaſionem, qua maiorum ſuorum gloriam ſuperaret, proponebant; quod regno Neapolitano ſubacto, Turcarum imperia faciliè ſubigi poſſe videretur. Quæ res, cum eſſet iam nota multis, Ludouicũ Sfortiam in ſpẽ erexit, nullo negotio ſuum Regi deſiderium perſuaderi poſſe; haud parũ prætereà Sfortiani nominis in aula Regia notitia fretus; quoniã & ipſe ſemper, & priùs Galeacius eius frater, multis cũ ſignis, tum officijs à Franciſco Sfortia Patre inchoatã amicitiam conſeruaſſent; qui cũ à Ludouico XI., cuius ſemper animus ab rebus Italiæ alienus fuit, Sauonam vrbẽ beneficiariam, iuraque, quæ ſe in Genuam, cui pater eius imperauerat, habere exiſtimaret, accepiſſet, numq̃ ei in ſuis periculis, nec cõſilio, nec auxilio defuerat. Ergo, ſiue celatus, vt Nauclerus & Iuſtinianus affirmant: ſiue cõmunicatis cum Pontifice, vt Guiciardinus vult, conſilijs, ad hoc ipſum tota mente defixus, in Galliam (alijs tamen ſparſus eius legationis cauſis) Carolum Barbianum Belgioioſi Comitem palàm proficiſci iuſsit: qui vbi per dies aliquot, & cum Carolo Rege priuatim, & cũ præcipuis ſeorſim agens, eis expeditionẽ Neapolitanã eſſet perſuadere conatus, in Regium conſiliũ, vbi præter Regem, Regioſque miniſtros, Proceres plerique tum Sacri, tum profani, aulæque nobiles erant tandem, admiſſus, verba fecit, vt fertur, in hunc modum.

*Si cui fortè, quacumq; de cauſa, Chriſtianiſsime Rex ſuſpecta animi fideique integritas eſſet, quæ Ludouicus Sfortia pecuniarum etiam, & militum ſuorum auxilijs [illegible] te ad arma in regnum Neapolitanum mouenda [illegible] ab ſeſe, hanc malè fundatam ſuſpicionem remouebit, ſi memoria repetet, antiquam omnium temporum Ludouici, Galeacij, fratris, ac Franciſci patris ſui primum, in Ludouicum XI. patrẽ tuum, poſt etiam ſemper in tuum glorioſiſsimum nomen, obſeruantiam: ac multo etiam magis, ſi cogitabit ex hoc bello maxima in Ludouicum, cui tenui admodum emolumenti ſpe, detrimenta poſſe redundare: tibi autem omnia ſecus, cui ex victoria pulcherrimum regnum cum immortali gloria, & res maiores gerendi opportunitate, ipſi verò aliud ferè nihil, quàm contra inſidias, atque iniurias Aragoniorum iuſtiſsima vindicta obueniret. Quod ſi fortè ſuſceptæ expeditionis fructu fruſtrari contingeret, haud propterea tua, potentiſsime Rex, magnitudo minueretur: at Ludouicum quis neſcit, inuiſum multis, omnibus contemptum, ſuis periculis ob hoc ipſum fœdus nullum perfugium inuenturum? Qui poteſt igitur eius eſſe ſuſpectum conſilium, qui tu quauis fortuna, rebus tanta inæqualitate comparatis, & conditione tanto inferiore ſit vſurus? Quamquam rationes, quæ te ad tam glorioſam expeditionem inuitant, adeo perſpicuæ ſunt, per ſeque efficaces, vt nullam admittant dubitationem. Etenim ea in ſe continent, atque ampliſsimè complectuntur omnia, quæ in bellis ſuſcipiendis præcipue conſideranda ſunt, & quaſi deliberationis fundamenta ponenda; rei nimirum, quæ ſuſcipitur, æquitas, vincendi facilitas, & victoriæ fructus ampliſsimus. Principio, nemo eſt, qui neſciat, quàm efficacia ſint Andegauenſium, quorum tu legitimus heres, in regnum Neapolitanum iura, quàmque iuſta ſucceſsione à Carolo oriundi, ad id regnum aſpirent, qui primus à Regia Gallorum ſtirpe latus, & conſiſcum Romanorum authoritate & ſuorum inuictis armorum virtute, illud regnum adeptus eſt. Verùm haud minor acquirendi facilitas, quàm iuris æquitas eſt. Quis enim neſcit, quãto Rex Neapolitanus, maximo, atque potentiſsimo Chriſtianorum Regum omnium Rege, viribus, atque authoritate inferior ſit? quam magnum, quam formidabile cunctis mortalibus Gallicum nomen, quantoque terrori tua Rex arma, exteris nationibus ſint? numquam armis Regnum Neapolitanum parum potentes Andegauenſes duces inuaſerunt, quin id in extremum diſcrimen adduxerint. Recens eſt Ioãnis Renati filij memoria, cuius contra hũc ipſum Ferdinandum erat in manu victoria, niſi Pij Pontificis, ac multo magis Franciſci Sfortiæ opera, qui id egit (vt omnes norunt) quo Ludouico XI. patri tuo obſequeretur, è manibus eſſet erepta. Quid igitur nunc tanti Regis arma, atque autoritas facient? aucta præſertim opportunitate, impedimentiſque, quibus Renatus, ac Ioannes deſtinebantur, ſublatis; cum tecum earum Principes prouinciarum, à quibus illorum fuit impedita victoria, conſentientes habeas; quique ſumma facilitate, regno Neapolitano poſsint obeſſe? Pontifex, propter ſuæ ditionis propinquitatem terreſtribus copijs; Dux Mediolani maritimis, propter Genuenſis claſsis opportunitatem, ei regno infeſti eſſe poterunt. Nec erit in Italia, qui ſe opponat. Veneti enim ſe nec impenſis, ac periculis volent obijcere, nec amicitia, quam tamdiu cum Galliæ Regibus tenuerunt, priuari, quo Ferdinandum nomini Veneo, acerrimum hoſtem conſeruent. Florentinos vero credibile non eſt, ab ea obſeruantia, qua ſemper Reges Gallicæ, quaſi quodam naturæ inſtinctu coluerunt, receſſuros: qui ſi maximè velint, quid quæſo aduerſus tantam potentiam cõari poterunt? Quoties, vel tota renitente Italia, alpes gens iſta bellicoſiſsima ſuperauit, & cũ incredibili gloria, ac felicitate tot victorias, triumphoſque reportauit? quando autem huius regni felicitas, gloria, potentia, extitit maior? quando ei facilior pacis cum finitimis, conſtituendæ occaſio fuit? quæ ſi ante hac ſic obuia feciſſent, promptior forſitan ad hoc ipſum ſuſcipiendum bellum pater tuus extitiſſet. Sed nec minus aduerſarijs difficultates ſunt auctæ, quàm tibi ſint imminutæ, atq; opportunitates adiũctæ. Sũt enim in*

*Quomodo ad Galliæ Reges idem ius traiectum.*

*Gallia, regnũ hoc tempore auctum, & fines.*

X. *Oratoris Mediolanenſis ad Regem Galliæ, oratio.*

*Obtinẽdi regni Neapolitani opportunitates.*

ce

eo regno Andegauenſium partes, etiamnum potentia non contemnendæ; magna ſunt tot Principum virorum, ac nobilium vires, qui in exilium paucis ab hinc annis ire ſunt compulſi; adeò etiam acerbæ Ferdinandi in eius regni proceres, & populos, in eos etiam, qui Aragoniæ factionis eſſent, omnium temporum iniuriæ; tanta eſt perfidia, tam inſatiabilis auaritia, tam horrenda, atq; expreſſa crudelitatis exempla, non modò ipſius, verùm etiam Alfonſi filij natu maximi, vt toti ſint regno notiſſima. Horret animus recenſere, quot proceres, quotq; præclaros Duces interpoſita fide, & Sacramenti religione, in gratiam receptos, quod antea Gallicarum partium fuiſſent, violato iure non modò hoſpitij, ſed ipſius Regiæ menſæ, crudeliter enecarint: quorum porrò cadauera, tremendum viſu, ſiccata, & condita odoribus in eo habitu, quo viui fuerant, iiſdemque inſignibus exornata adſeruari, atque oſtentari ferunt, vt eo execrabili tyrannicæ immanitatis, atque perfidiæ exemplo paria timeant, qui ſeruire noluerint. Hi, qui diram, duramque ſeruitutem ſeruiunt, incredibili odio in tyrannos concitati, & recenti Galliæ Regum liberalitatis, integritatis, humanitatis, iuſtitiæ memoria inuitati, ad tui aduentus famam, infinita alacritate ad arma concurrent: ita vt ſola expeditionis fama, ad victoriam ſatis eſſe videatur. Nam ſimul ac tuæ Rex copiæ montes tranſierint, & claſſis in Genuæ portum conuenerit, Ferdinandus, eiuſque filij ſcelerum conſcientia perterrefacti, magis de fuga, quàm defenſione cogitabunt, ita ſumma cum felicitate regnum tuo generi comparaueris: quod etſi magnitudine cum hoc tuo Galliæ regno comparari non poteſt, eſt tamen amplitudine, & opibus non contemnendum, ac longè pluris æſtimandum, ex fructu & commodis infinitis, ad hoc regnum peruenturis; quæ omnia, niſi perſpicuum eſſet, Gallicæ virtuti fines maiores eſſe propoſitos, recenſerem: præſtantiores enim, altioreſque cogitationes ſunt, tam magnanimi, tamque glorioſi Regis, non propriam vtilitatem ſpectantis, ſed totius reipub. Chriſtianæ dignitatem. Ad hoc autem, quæ opportunitas maior? quæ occaſio amplior? qui locus commodior? atque ad bellum contra noſtræ religionis hoſtes gerendum aptior inueniri poſſet? Mare, quod inter Neapolitanum regnum, Græciamque intereſt, haud amplius alicubi, quàm paſſus ſeptuaginta millia patet; ex qua prouincia Turcica tyrannyde oppreſſa, & lacerata, quæ nihil ardentius, quã Chriſtianorum ſigna conſpicere cupit, quàm expeditus eſt in eius gentis viſcera tranſitus? quam facilè ſedem, & caput eius imperij Conſtantinopolim petere? Ad quem autem magis pertinet, quàm ad te, Rex potentiſſime, animum, & cogitationem ad hanc ſacram expeditionem conuertere? qui & potentia à Deo tibi conceſſa, admirabili polles, & Chriſtianiſſimi cognomento appellaris, & clariſſimis maiorum tuorum exemplis excitaris. Quoties armati ex hoc regno, nunc ad Eccleſiam Dei, à tyrannis oppreſſam, liberandam; nunc ad communes fidei noſtræ hoſtes inuadendos, & ſepulchrum Chriſti Sacratiſſimum recuperandum, profecti maiores illi tui, Galliæ Regum maieſtatem in cœlum vſque extulerunt? His conſilijs, his artibus, his factis, his propoſitis finibus, Magni cognomen, & Romanorum imperium adeptus eſt Carolus ille glorioſiſſimus, cuius, vt obtines nomen, ſic tibi occaſio tum gloriæ, tum cognominis parandi proponitur. Tibi hanc ſacri belli prouinciam, præclara, & conſtans fama hominum decernit, vt Conſtantinopolim, vbi maiores tui aliquamdiu regnauerunt, è manibus immanium barbarorum eripias, atque inde demum profectus, ſacroſanctum Chriſti ſepulchrum Chriſtiano nomini vindices. Id de te non vana auguria, reſponſa vatum, & antiqua carmina diuino ſacratorum hominum ingenio conſcripta prænunciant, iubentque, te explicare vela, vt quò fata vocant, in altum ad quærendos immortalis gloriæ titulos feliciore aura proueharis.

*Idem regnũ bello Turcis inferendo commodiſſimũ.*

XI. *Carolus Gallor. Rex ad regnum Neapolitanum recuperandum mouetur.*

Hæc, & alia à Barbiano, variè à varijs accepta ſunt. Carolus Rex poſtquam diu animo fluctuaſſet, tãdem imperandi, & gloriæ cupiditate inflammatus, & partim à proceribus largitionibus, & pollicitationibus Barbiani corruptis, partim ab Antonello Biſiniani, ac Bernardo Sanſeuerinate Salerni Principibus, alijſque è regno Neapolitano Magnatibus, qui complures in Gallia iã exulauerant annos, ſollicitatus, Italiæ infeliciſsimo vincente fato, pacatis conſilijs prorſus repudiatis, ad pacta cum Ludouico deſcendit, ac in Italiam exercitum contra Aragonios ducere propoſuit. Summa pactorum fuit, vt ſi Rex ipſe in Italiam veniret, aut exercitum Neapolim mitteret, Mediolanenſis Dux per ſuam ditionem iter expeditum concederet: cum Regijs copijs quingentos grauis armaturæ equites, ſuis ſtipendijs mitteret: Regi permitteret Genuæ claſſem, quãtam vellet, inſtruere: ducatorum ducẽta millia, priuſquam è Gallia diſcederet, ei mutuò daret. Rex Mediolanenſe imperium aduersùs omnes tueretur; & priuatim Ludouici authoritatem in eo principatu cõſeruaret; ducentos item cataphractos, Aſtæ Aureliani Ducis toto belli tempore haberet; qui præſto ad omnẽ eius principatus opportunitatem eſſent; vbi autem primum regno Neapolitano eſſet potitus, Tarenti principatum Ludouico concederet.

XII. *Italiæ Principes tentat, & ſibi addicere procurat.*

Secundùm hæc, Carolus, iam à Maximiliano Cæſare, Ferdinando Caſtellæ, & Henrico Angliæ Regibus nihil metuens, ad explorandos, tentandoſque Italorum Principum animos, Oratores miſit, Venetias quidem Philippum Comineum, cognomento Argentonem; Romam verò Eberardum Obignimum, Scotum; qui ex itinere Ducem Allobrogum, Marchionem Montisferrati, & Salutiarum, Ioannem Bentiuolum, Herculem Aceſtinum, Petrum Medicem, Pandulphumque Petrucium Senenſium principem conueniret. Veneti, neutros ſe futuros reſpõderunt. Allobrox, Marchio, Bentiuolius, & Aceſtinus Carolo opem addixerunt. Petrus, à fœderibus cum Neapolitano firmatis, diſcedere nefas duxit. Senenſes, ſe in arbitrio Caroli fore promiſerunt, quamprimùm is in Etruria cum exercitu conſpectus eſſet. Obigninus poſteà Romæ veteri legato Gallico adiunctus in Sacro Senatu, quo iure Carolus repetendum ſibi armis Neapolitanum regnum iudicaret, grauiter expoſuit; deinde Pontificem patreſque hortatus eſt, vt Carolo tabulas fiduciarij iuris in illud ipſum regnum decernerent, Regem illum Neapolitanum diplomatibus vulgatis renunciarent, breui affuturo diadema Regium imponerent, amicitiam que potius, quàm vim Gallorum experiri vellent, qui omni tempore Chriſtianæ Religionis ſupremos Antiſtites, ſumma cũ veneratione coluiſſent: adiecit, magni intereſſe ad augẽdam Summi Pontificis dignitatem exturbari Italiã, impios, & execrabiles tyrãnos, qui toties Pontificum, & Sacroſancti eius Ordinis tranquillitatem nefarijs armis vexauiſſent. Carolum, Carolum eſſe, non Ferdinandum hunc Aragonium, qui à Pio II. regnum Neapolitanum ſub XL. M. aureorum cenſu, & aliis conditionibus adeptus, numquam ad id temporis eam pecuniam Sedi Apoſtolicæ numerarit, & præterea per ſummam fraudem, ac iniquitatem eandem ſummam in aſturconem album inuerterit, omniaq; iureiurando Pontificibus Romanis promiſſa flocci fecerit. Carolũ omnibus pactis abundè ſatis facere nec non obediẽtiam, quã hactenus diſtulit præſtare velle; & non tantum pro Maieſtate Apoſtolicæ Sedis, verùm etiã pro defenſione reipublicæ Chriſtianæ, contra quoſuis hoſtes, omnes vires, & opes expendere. Quod ſi iſta Alexandrum non mouerent pro ea, quã cum Cæſare contraxiſſet amicitia Carolus, tãtum illi virium eſſe, vt & armis, & iure, indicto præſertim Concilio Generali oſtendere poſſit, illum non amplius futurum Pontificem, quem nonnulli iactarent, malis artibus creatum, vitæ ſordibus inquinatum, ac præterea fidei ſuſpectum.

XIII. *Varij Aragonijs alij Gallis addicti.*

Hæc cum magna animoſitate Eberardus dixiſſet, varia ferunt hominum ſtudia. Cardinales, proceresq; Romani, qui priuatæ libidini, & factionibus ſeruiebant, in diuerſas partes trahebantur. Ipſe Summus Põtifex ancipiti ſuſpenſus cura, quando in pari ſpe, & æquali metu conſilia malè explicantur, in incerto habebat, Galliſnè faueret, an Aragoniorum amicitiam ſequeretur. Timebat potentiam propinqui, præua lidique Regis, ſi magis hoſtis foret, qui non multo ante

castra,



caſtra, ad ipſa vſq; Romana mœnia promouiſſet. Perhorrebat ex aduerſo Gallica arma, quæ ſine confuſione rerum omnium in Italiã euocari non poterant. Neque etiã pro nihilo ducebat minas Obignini; maximè quando videret aliquos ex ſacro ſenatu non ſatis ſibi æquos, & ſententijs à ſe diſsidere, & ad res nouandas aſpicere. Quibus de cauſis vir eruditus neceſſe habuit, modo harũ modo illarũ partiũ Oratores, ſpebus diuerſis diſtinere; donec aliqua ratio vel inueniretur, vel ſuâ ſponte eueniret, rebus cõponendis. In his curis anxium, non deerant, qui partibus addicerent; & alij quidem Gallis, alij Aragoniis magis addictum iactarent. Qui Gallorum eſſe volebant, fœdus cum Mediolanenſi ictum, & conſilia in euocando Carolo ex ſuſpicione communia, nec non minas, & pollicitationes Eberardi, pro argumentis habebant. Qui Aragonijs fauentẽ faciebant, hi ſi quid propenſius, vel acrius in cauſa Gallorum diceret aut faceret, id eo ſimulante fieri arbitrabantur, vt anxijs, & dubitantibus Aragonijs, grauioribus impoſitis conditionibus dignitatẽ ſuam, & iura Apoſtolici Sedis vindicaret. Ferdinandus Neapolitanus Rex, aduerſa omnia metuens, quamquam metum palàm diſsimularet, & tum Pontificis in ſe propenſionem, tum ſuam potentiam amplificaret, moleſtiſsimis tamen intus curis torquebatur; cùm in animo fixam, tũ iniuriarum Calixto, Sixto, Innocentioque illatarum, tum moleſtiarum, quas aliquando à Gallis paſſus eſſet, memoriam haberet. Secum preſsiùs reputabat, ſibi cũ bellicoſiſsimis, ac potentiſsimis hoſtibus bellum futurum; equitatu, peditatu, claſsibus, bellicis, tormẽtis, pecuniâ, viris ad pericula pro Regis ſui gloriâ, & maieſtate adeunda ardentiſsimis, ſed longè ſuperioribus, ſibi autẽ contra, omnia ſuſpecta; odia in toto ferè regno in Aragoniorum nomen flagrantiſsima; in exules, ac perduelles, ſtudia non mediocria; reliquos bonam partem, nouorum Regum, vt ſemper, cupidos, in quibus plus fortuna, quàm fides virium eſſet habitura: opinionem, quàm virium neruos, eſſe maiorem; pecuniam repoſitam in ærario, ad belli ſumptus neceſſarios non eſſe ſatis: cumque bello defectionibus, tumultuq; omnia repleantur, momento tributa Regia omnia deficere; ſibi in Italia eſſe multos inimicos, amicitiam ſtabilem, ac fidelem nullam. Nam quis aliquando aut armis ipſius, aut artibus non fuerat læſus? Nec ab Hiſpania tum ſuperiorum temporum exemplo, tum eius regni conſuetudine doctus, alia ſuis periculis ſubſidia expectãda non putabat, quàm promiſſa largiſsima, & magni apparatus, oſtentationem: verum facta paruiſſima, atque tardiſsima. Timorem augebant Regi inauſpicatæ Vatum prædictiones, ſuæ domui dira minitantes, diuerſis temporibus ad eius notitiam perlatæ, partim veteribus litterarum monumentis exaratæ, receuſque repertæ, partim hominum ore prolatæ. His igitur curis diſcruciatus, ac timore ſpem longè ſuperãte, nullam tantis malis aliam medelam inueniri poſſe vidit, quàm aut Caroli animum ab illis conſilijs quãprimùm aliquâ interpoſitâ compoſitione remouere; aut ea fundamenta ſubducere, quibus ad bellum ſuſcipiendum incitabatur. Itaque Ferdinandum inprimis Caſtellæ Regem, qui apud Pontificem intercederet, & apud Carolum autoritatem ſuam interponeret, admonuit: cumque haberet in Gallia Oratores ſuos, vt de Carolotæ Federici filij ſecundo loco geniti filiæ cum Scotiæ Rege nuptijs agerent (quæ res, quod è Caroli ſorore puella eſſet nata, atque in Galliæ aulâ educata, à Carolo tractabatur) eius de imminentibus negotijs noua dedit mandata; ac præter eos, Camillum Pandonium, qui ibidem aliàs Regis nomine legatione functus erat, cõſtituit, vt eis, qui præcipuâ apud Regẽ authoritate pollerent, priuatim largiẽdo, & maiora pollicẽdo, delinitis; deinde Regi, ſiquidẽ alia ratione mitigari nequiret, tributi pactione, alijſque ſubiectionis officijs propoſitis, ab eo pacẽ impetrare contenderet. Quòd ſi augẽdi imperij cupiditate flagrantẽ animaduertiſſet, vt omnino aliquod ſibi Neapolitano in regno, quod Aragonijs multis iã Pontificum decretis eſſet adiudicatum, ius bello perſequendum eſſe arbitraretur, diceret, paratum Ferdinandum iure potiùs, quàm armis diſceptare, protinus reiecturum ad arbitrium Pontificis regnũ ipſum; vt ab eo tamquam æquiſsimo, maximeque prudenti iudice, ſine vlla perturbatione humani generis omnis controuerſia finiretur, ſe cum vel aduerſum dijudicatæ litis euentum æquo animo laturum eſſe, paternoque ſe imperio, continuò deceſſurum, ſi iure, ac legibus iuberetur. Ad hæc Ferdinandus, non ſolum omnem diligentiam, authoritatemque ſuam interpoſuit, vt controuerſia ex illa Virginij Vrſini oppidorum emptione nata componeretur (nã ex Virginij pertinacia, mala omnia orta eſſe querebatur) verùm etiam tractationem priùs cœptam, de affinitate cũ Pontificis filio contrahenda renouauit. Præcipuum tamen eius ſtudium, & ſedulitas conſumebatur, in mitigando, atque ad ſecuritatem adducendo, Ludouici Sfortiæ animo, totius mali authore, & ſuaſore: ratus eũ timore magis, quàm vlla alia ex cauſa, ad tam periculoſa conſilia compelli. Idcircò neptis commodis, & filii ex ea nati ſaluti, ſuam propriam præferens ſecuritatem, ei per diuerſos internuncios ſignificauit, ſe de Ioannis Galeacij rebus, deque Mediolanenſium Imperio, omnia ipſius voluntati permittere. Cùm autem Ludouicus à ſententiâ dimoueri nequaquam potuerit, ipſe Ferdinandus triremibus vltrò in Liguriam, atq; inde Mediolanum ad exorandum, placandumque eũ proficiſci cogitauerat, maturâſſetque eò, & fortaſsis alloquio, atque induſtriâ communes clades, quæ Italiæ fato deſtinabantur, auertiſſet; niſi amici, filiuſque Alfonſus ſenem ſeptuagenarium, tenuiſsima valetudine, & ſuper hæc grauibus affectum curis, hyberno mari minimè committendum eſſe cenſuiſſent. Ita Ludouicus, inſanis conſilijs, pertinaciùs inſtitit. Carolus etiam, Pandonium fruſtrà plures dies in aula verſatũ, atque exponendæ legationis poteſtatem ſibi fieri demiſſæ poſtulantem, inauditum dimiſit, omneſq; Neapolitani generis negotiatores intra certam diem decedere Galliæ finibus iuſsit. Inter hæc Alfonſus Calabriæ Dux, Ferdinandi filius, omnia à Pontifice, & fœderatis illius metuens, exercitum vſque ad extremos patrimonij Eccleſiaſtici limites produxit: Pontifex non minus ab Alfonſo ſibi, & ditioni Eccleſiaſticæ timẽs, copias à Ludouico, & Venetis ex pacto ſubmiſſas accepit, nec non quinquaginta equitum vexilla, pluresque pedites, ducibus Alexandro Peſauri Regulo, cui filiam in matrimonium locauerat, Fracaſſo Sanſeuerinate, Nicolao Vrſino Comite Petiliani, Mariano Sabello, Nicolao Caetano, & Iulio Vrſino conſcripſit. Oſtienſem arcem, Iulianus Cardinalis Ruuereus præſidio firmatam occupabat, ac per id temporis Fridericum Alfonſi fratrem, vndecim triremes in ſubſidium ducentem exceperat. Præter hæc Virginium Vrſinum, ac Proſperum, & Fabricium Columnios, multis armatis potẽtes, Alexandro infeſtos apud ſe fouebat. Quando iam ad conflictum omnia ſpectarent, Didacus Lopez Hari Comes, à Ferdinando Caſtellæ Rege Orator Romam venit; & poſtquam nomine Regio, obedientiam Alexandro Pontifici de more detuliſſet, de pace Italiæ & de reconciliatione Aragoniorum cum Pontifice ſeriò agere cæpit. Neapolitanus Rex homini ſuggeſsit, quæ Pontifici diceret: nimirum Ferdinando, & Iſabelię Regibus Catholicis, cordi eſſe res Pontificis, æquè, ac pacem vniuerſæ Italiæ, nec non ſalutem Regnorum ſuorum: nõ æquo animo accepiſſe, iacta eſſe ſemina diſſenſionum, inter Pontificem, ac Neapolitanum, quibus magis diſſociandis, aliqui Cardinales, & Proceres Romani adlaborarent. Illud etiam fœdus, cum Venetis, & Mediolanẽſi ictum, quòd ſeminarium eſſet diſsidiorum & calamitatum, non illis placere: maximè cum intelligerent, ad perniciem Aragoniorum [illegible] & 

*Aragonij in toto ferè regno odio habentur.*

*Caſtellæ Reges eandem pacem vrgent.*

ad eandem euertendos Carolum Galliæ Regẽ fuiſſe vocatum. Reges non poſſe, aut Aragonijs affinibus, ſi quod bellum inferretur iiſdem deeſſe, aut ius, quod in regnũ Neapolitanũ ipſi quoq; participarent in medio relinquere, aut illud ipſum, ſi armis Gallicis inuaderetur deſerere: aut Pontifici, ſi Gallis magis, quàm illis faueret, adhærere. Videret, ne præpoſtero conſilio, dignitati ſuæ notam inureret, aut Italiam in extremum diſcrimen adduceret: maximè iam certus, Cardinales, principes, ac nonnullos proceres Romanos alieno ab eo eſſe animo: quibus pro nihilo fuit, plurima contumelioſè in eum iam admiſiſſe; quando illi, in Comitio de creandis Cardinalibus deliberatione propoſita, voluntati Pontificiæ reſtitiſſent, & ex Comitio temerè diſceſsiſſent, hi autem copias in eum contrahere, tormenta explodere, arces occupare minimè dubitaſſent, vrbemque intercipere minitarent. Videret præterea, Alfonſum iam terreſtres copias, Fridericum maritimas, ferè ſub aſpectum vrbis admouiſſe: quibus, an ipſe par futurus, an Gallica auxilia tam citò, tam expedita habiturus, an inde Italia damnum acceptura, an Orbis Chriſtianus in poſterum ab hoſtibus fidei ſecurus, ſecum expenderet. Satiùs, ſi quid iniuriarum ab Aragoniis accepiſſet, paterna benignitate condonaret, illos in gratiam reciperet, de controuerſiis ex æquo componeret, fœdera cum eis iniret; Gallis, vt iure, non armis de regno Neapolitano certarent, ediceret, eoſq; aditu Italiæ prohiberet. Dixerat hæc, & alia Didacus: Alexander, quum ſæpè antea, Gallisne, an Aragonijs fauendum foret, ſecum deliberaſſet, Cardinales tunc conſuluit. Aſcanius Sfortia Ludouici frater, pro Gallis: contra pro Aragonijs Franciſcus Piccolhomineus, ſummis vtrinque ſtudijs contendebant. Poſt longam, & contentioſam deliberationem, publicis ſimul, ac priuatis rebus conſultiùs viſum, Aragoniis adhærere: quod ipſorum liberalitate, atque virtute, tueri Pontificij nominis, ipſiuſque Italiæ dignitatem, aduerſùs infenſiſsimos hoſtes, ac mediocres adhuc filiorum ſuorum fortunas, ad ampliorem ſtatum perducere, apud omnes honorificum, & ſibi vtile inprimis arbitrabatur Alexander. Compoſita interim poſt varia impedimenta, à Virginio potiùs, quàm à Pontifice profecta, oppidorum illa controuerſia fuit, Friderici Aragonii interuentu, quem pater ad hoc ipſum Romam delegarat. Conuentum eſt, vt Virginius oppida retineret, eâ tamen lege, vt Pontifici tantidem, quanti à Franciſco Cybo emerat, penderet: ſimulque ſponſalia inter Sãcem, Alfonſi extra coniugium filiam, & Gotthifredum Pontificis minimum, cum vterque per ætatem ad connubiales amplexus eſſet ineptus. Conditiones fuere, vt Gotthifredus intra paucos meſes Neapolim migraret; Principatum Scillaceum dotis nomine, è quo ducatorum decem millia quotannis caperet: ſtipendia ſub Ferdinando, cum centum cathaphractis mereret: Ioannes alter filius, in Hiſpaniam ad Ferdinandum Caſtellæ Regem traijceret, & Mariam Enriqueziam, Regis patruelem, cum Ducatu Gandiæ coniugem acciperet. Tentauit inſuper Ferdinandus cum Pontifice fœdus ad communem vtriuſq; defenſionem ſtabilire: ſed Pontifice varias difficultates interponente, aliud obtinuit nihil, quàm diplomatis occultiſsimi confectionem, quâ ſe ad regni Neapolitani tutelam aſtrinxit; ſiquidem Ferdinandus viciſsim repromitteret ſe idem in Pontificiæ ditionis periculis eſſe facturum. His in hunc peractis modum, equitum turmæ à Venetis Duceq; Mediolanenſi ad Pontificem miſſæ à Pontifice dimiſſæ, ex Pontificia ditione diſceſſerunt. Nec minore ſpe felicis ſucceſſus cum Ludouico Ferdinandus agere cæpit: qui ſubtiliſsimo artificio, nunc Regis Galliæ ad res Italicas propenſionem quaſi Italis omnibus periculoſam damnans; nunc Genuæ, quã Caroli Regis beneficio teneret, veteriſq; cum Galliæ Regibus fœde[illegible]ceſsitatem excuſans, quã illius

*Aragonii potius, quàm Gallis adhærendũ cenſet Alexander Pontifex.*

Regis (vt ipſe dicebat) poſtulata audire impulſus fuerat. iam Ferdinando, interdum Pontifici ſeparatim, Petroq; Medici pollicendo, ſe pro ſua virili Caroli ardorem reſtinguere conaturum: eos in hac ſpe conſopitos retinere nitebatur, ni priuſquam res in Gallia benè ſtabilitæ forent, aliquis in ipſum motus excitaretur. Atque hæc quidem ei facilius credebantur, propterea quod conſilium de Rege in Italiam adducendo, erat vel ipſimet Ludouico tantopere periculoſum, vt fieri haud poſſe videretur, quin tandem (periculo diligentius expenſo) ab incœpto pedem eſſet relaturus. Siquidem Franciſcus Sfortia eius pater, raræ prudentiæ, & virtutis princeps, quamuis ob grauiſsimas ab Alfonſo Ferdinandi patre acceptas iniurias, Aragoniis eſſet infenſus, veteri autem amicitia cum Andegauenſibus coniunctus; nihilominus tamen cum Ioannes Renati filius anno 1457. regnum Neapolitanum inuaſit, tanta alacritate Ferdinando aſſuit, vt ab eo præcipuè victoria agnoſceretur: id autem fecit, quod minimè tutum ſibi Mediolanenſium Duci arbitraretur, ſi Galli vſq; adcò vicini, tam opulento in Italia regno potirentur. quæ etiam res Philippum Mariam Vicecomitem induxerat primùm, vt relictis Andegauenſibus, quibus antea ſemper ſtuduiſſet, Alfonſum hoſtem ſuum à Genuenſibus in pugna nauali ad Caietam captum, & cùm ſuorum nobilitate Mediolanum adductum liberum abire permiſerit. Quod ergo periculum, & pater vir bellicoſiſsimus, & Philippus timuerant, credebant illi, Ludouicum quoque metuere debere: cum præſertim paucis annis antè Carolus aſſeueraſſet, ſe non paſſurũ à Ludouico, Ioannem Galeacium conſanguineum ſuum adcò indignè oppreſſum iri. At Ludouicus pericula omnia deuorauerat, & Pontifici, Ferdinãdo, Petro Mediceo verbis datis, Gallos ad bellum, in annum proximum conſtitutum excitabat: qui, vt hominum conſilia, cupiditateſq; gradatim aſcendunt, non iam id ſolum cogitans, vt ſe in ea nepotis tutela tutum conſeruaret; ſed altiora ſpectans in animo habebat, belli in Aragonios occaſione, Mediolanenſis imperij ius omne in ſe transferre, vtq; tantum ſcelus aliquo iuſtitiæ colore adornaret, ſuaſq; res maioribus firmamentis in omnes euentus ſtabiliret, Ioannis Galeacij ſororem Claram, ſeu Blancam Mariam, neptem ſuam, Maximiliano, qui mortuo patre ſuo Friderico, Romanorum Imperator nuper erat renunciatus, in matrimonium deſpondit: cui dotis nomine, ſe ducatorũ quadringẽta millia certis tẽporibus numeraturũ repromiſit: quibus addidit gẽmas, atq; alia ornamẽta pretioſa, ducatorum quadraginta millibus æſtimata: minimè conſiderãs, ea ratione à Caroli amicitia ſeſe ſeiungere, quòd ſe tanto eius æmulo, & tot de cauſis inimico coniunxerit, eiq; tàm grandẽ pecuniam ſubminiſtrauerit: tantùm, vt nepotem imperio exueret, illudq; diplomate Maximiliani in ſe transferret. Tanta porro eius erat ſagacitas, atq; dexteritas, vt eodem tempore, & Pontifici, & Ferdinando, atque Italis reliquis verba dare nollet, & Romanorum, Galliæq; Regum gratiam conſeruare.

*Ludouici Sfortiæ temeritas & aſtutia.*

XIV. Carolus inter hæc, vt difficultates, ac pericula, quibus impediri in Italia poſſet, auerteret, Peronem Baccicum, hominem rerum Italicarum nõ imperitum, in Italiam miſit: qui Pontifici, Venetis, ac Florentinis, Regis ſui de regno Neapolitano recuperando voluntate indicata, omnibus, vt ſe cum Carolo coniungerẽt, perſuadere conatus eſt. Verùm nec quicquam retulit, præter ſpes incertas: atq; ambigua reſponſa. Nam cum non prius, quàm in annum proximum eſſet bellum conſtitutum, recuſabant omnes tantò ante, qui animus ipſorum eſſet aperire. Pontifex, in fœdere cum Ferdinando percuſſo vacillabat: quod exiſtimaret, per Regem ſtare, quo minus Iulianus Oſtienſis Cardinalis, Romam ad præſtandam obedientiam veniret. Præter Oſtienſem arcem præſidio munitam, circa vrbem Romam, Roncilionem quoq;, & Grottam, ſiue Grittamferratam tenebat, & multas clientelas, plurimamque

*Aliquos Principes Italiæ cõiungere ſibi curat Galliarũ Rex.*





authoritatẽ in aula Pontificis habebat: eaq; propter abſentia ſua, ſuſpectum valdè Pontificem tenebat. Ferdinandus contrà validiſsimas afferebat rationes, quibus oſtenderet, à ſe Oſtiẽſem flecti nõ poſſe; propterea quod is in tantam ſuſpicionem adductus eſſet, vt & Collegij Cardinalium, & ipſius, & Venetorum fides interpoſita, & quæuis alia ſecuritas, ei periculo inferior eſſe videretur. Suam quoq; Aragonius infelicitatem accuſabat, quâ fieret, vt Põtifex ſemper ipſi ea adſcriberet, quæ ab alijs proficiſcerẽtur: eâ quoq; factum eſſe, vt crederet, Virginium ſuo impulſu, ſuaq; pecuniâ, caſtella coemiſſe, quãuis ſe incõſulto, ea emptio facta eſſet. ſe verò eum quidẽ fuiſſe, à quo Virginius perſuaſus compoſitionem admiſiſſet; cuius rei gratiâ, ei pecuniam commendaſſet, quę in compenſationem caſtellorum fuerat numerata, quas excuſationes, dum non admitti Pontifex, ſed potiùs acerbis, ac ferè minacibus verbis de Ferdinando queritur, nullum poni in eorum reconciliatione ſtabile fundamentum poſſe videbatur.

XV. Ferdinando, & Iſabellæ Caſtellanis, interim, Alexãder reſpondit: ſe inprimis, non ad offenſionẽ alicuius, ſed ad defenſionẽ rerum cõmuniũ, fœdus cum Venetis, & Mediolanenſi percuſsiſſe; nõ nouum id Pontificibus Romanis eſſe; quãdoquidem Gregorij, Alexandri, Innocentij veteres, & ſua memoriâ Eugenius IV. Calixtus III. Pius, Paulus, Sixtus, Innocentius, vt vel Sedis Apoſtolicæ, vel principum amicorum iura tuerentur, ad hæc fœderum præſidia cõfugiſſent. De quiete Italiæ turbanda, aut rebus alienis inuadendis, miſcendiſue, ſe nè per ſomnium quidẽ cogitaſſe; Aragonios eos eſſe, quibus aliena appetere, multaq; noua tentare, nec nõ Pontificum patientiã laceſſere, familiare eſſet. Carolum Galliæ Regem, ſe neq; legibus ad Annam Britannam ducendam ſoluiſſe, neq; in Italiã ad occupandum regnum inuitaſſe, neq; minùs, aut ius feudi, aut diadema eius regni illi promiſiſſe; quippe cuius Orator, ſuppreſsis Caroli, & Annæ perſonis, dignitatibuſque, & ementitis, ſeu ſuppoſitis alijs quarto gradu affinitatis propinquis, in foro Pænitentiariæ, quã vocant, diſpenſationem ſurripuerit: cuius virtute, cum Carolus poſteà in matrimoniũ Annam duxerit, ſibi non integrum ampliùs fuiſſe facta, aut reprobare, aut approbare; ne pari ratione, dignitas Eccleſiaſticæ poteſtatis violari videretur, atq; occaſio ſcãdali vniuerſis Chriſtianis præberetur. ſe eam copulam iam eo modo confectã tolerare quidem, & in conſcientia non improbare: cæterum, neq; diplomate Põtificio, neq; actione publica aut authoritate illam laudare, quamquã Maximilianus Imperator iuri ſuo ceſsiſſe videatur. De inaugurando Carolo aliquando quidẽ mentionẽ feciſſe: ſed ſub conditione aut diſiunctione. Cum enim Aragonij nouis ſemper iniurijs Sedem Apoſtolicam afficerent, & nec preces, nec monita, neq; minas curarent: ad retundẽdam eorum temeritatem oportuit inter comminationes interponere, aut Ferdinandum Caſtellæ, aut Carolum Galliæ in auxilium accire: ſi tamen Ferdinandus Caſtellæ, iuri ſuo in regnum Neapolitanum Carolo denunciaret: id ſe eo cõſilio feciſſe, vt controuerſia inter illos de Ruſcinonen. & Perpinianen. Prouincijs, tantò faciliùs cõponeretur, ſi vel Ferdinandus Carolo, vel Carolus Ferdinando iure ſuo decederet. ſe culpæ omnino exortem aut fore, aut eſſe, etiamſi Carolum ad id regnum capeſſendum euocaſſet; quandoquidem in fœdere, magna cæremonia, & iureiurando ab vtraq; parte, Carolo videlicet, & Ferdinando, ac Iſabella in templo publicè nuper ſancito expreſſum ſit: ne Ferdinandus, & Iſabella, directè, aut obliquè Aragonios iuuarent: affinitatem nouam cum eis, ne contraherent: nec vllo modo ad Neapolitani regni defenſionem Carolo, Perpinianum, & Ruſcinonem reſtituenti ſeſe opponerent. quod aliud non erat, quàm Aragonios deſerere, & ius quæſitũ, ſi quod habebant, Carolo concedere. Ad extremum dixit: ſe Aragonijs benignum eſſe velle: modò illi ex fide cum Apoſtolica Sede agerent, & Iuliano Cardinali, alijſq; rebellibus, nè auxilium præſtarent, quin potius eos ad officium reuocarẽt.

*Alexãdri PP. reſpõſum ad Caſtellæ Reges.*

*Guicciardinus lib. 1. Iouius lib. 1. Surita de rebus Ferdinandi Catholici lib. 1. c. 22. Infixura in notis. Iuſtinianus hiſt. Veneta lib. 10. Nauclerus generatione 50. Commineus de bello Neapolitano lib. 1. Bembus hiſt. Venetæ lib. 1.*

XVI. Cæterùm, vt Alexander oſtenderet neutri parti, ſed æquitati tantum ſe eſſe addictum; Senatum Apoſtolicũ ſupplere volens, Regibus diſsidentibus obnoxios homines, inter purpuratos adlegit, quorum conſilio, in dirimendis Regum controuerſijs vteretur: ne hi, ſi in diſceptationem res veniret, præiudicati animi iudices fuiſſe poſſent criminari. Ad XII. itaque Cal. Octobris Romæ, duodecim Cardinales creauit, quorum hęc nomina, officia, dignitates, ac tituli.

*Noui Cardinales creantur, & illorũ nomina, dignitates &c.*

1. Ioannes Anglicus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, Primas Angliæ, presb. Card. tt. S. Anaſtaſiæ.
2. Ioannes Antonius de S. Georgio, Mediolanenſis, Epiſcopus Alexandrinus, Auditor Rotæ, presb. Card. tt. SS. Nerei & Achillei.
3. Frater Ioannes Gallus, Monachus, & Abbas S. Dionyſij, Epiſcopus Lombarienſis, Orator Regis Galliæ, presb. Card. tt. S. Sabinæ.
4. Bernardinus Caruaial Placentinus, Hiſpanus, Epiſcopus Carthagin. Orator Regis Hiſpaniarũ, presb. Card. tt. SS. Marcellini & Petri, poſt tt. S. Crucis in Hieruſalẽ.
5. Raymundus Perauluſi Sanctonenſis Gallus, ex Epiſcopo Nouarienſi Viterbienſis, pòſt Curcenſis, deinde Sanctonenſis, presb. Card. tt. S. Vitalis, poſt SS. Ioannis & Pauli, tt. Pammachij.
6. Cæſar Borgia, Hiſpanus, filius nothus Papæ Alexandri, Ciuis, & electus Archiepiſcopus Valentinus, Diaconus Card. S. MARIAE Nouæ.
7. Hippolytus Eſtenſis, Ferrarienſis, electus Archiepiſcopus Strigonien. Diac. Card. S. Luciæ in Silice.
8. Fridericus, Caſimiri Regis Poloniæ filius, electus Epiſc. Cracouien. Diac. Card. S. Luciæ in Septiſolio.
9. Iulianus Cæſarinus, Romanus, electus Epiſc. Aſculanus Diac. Card. SS. Sergij, & Bacchi, pòſt S. Angeli.
10. Dominicus Grimanus, Venetus, Protonot. Apoſtolicus, Diac. Card. S. Nicolai inter imagines, poſt presb. tt. S. Marci.
11. Alexander Farneſius, Romanus, Protonoth. Apoſtolicus, Diac. Card. SS. Coſmæ, & Damiani.
12. Bernardinus de Lunate, Papienſis, Protonot. Apoſt. Diac. Card. S. Cyriaci in Thermis.

Hos ab Alexandro creatos Cardinales, numerat *Onuphrius Panuinius*: cum tamen *Franciſcus Vialardus in vita Innocentij VIII.* affirmet, Fridericum Polonum, & Hippolytum Iſtenſem, fuiſſe Cardinales renunciatos, ab Innocentio Octauo: qui anno 1491. miſſo in Vngariam, & Poloniam Cardinale Legato, Regino, iniungebat, vt in obeundis apud illos Reges negotijs, operâ vtriuſque Cardinalis vteretur. Non mirum, ſi Panuinius, & hunc ſecutus Ciaconus, inter Innocentianos purpuratos neutrius meminerint. Enimuerò non paucos alios, in album Cardinalium relatos recenſere neglexerunt, inter quos, Gotium Battagliam, Arimini ex vetuſta, & illuſtri familia natum, ex Epiſcopo Vaſionenſi, & Patriarcha Cõſtantinopolitano, Cardinalem tit. S. Priſcæ, propter inſignia merita, anno M. CCC. XXXVII. renunciatũ, ſumma cum hominis iniuria prætermiſerunt: quandoquidẽ is Apoſtolicæ Sedis in Siciliam ſuo tempore Legatus, pro iuribus Pontificijs, aduerſùs Petrum II. Aragoniæ Regem inuicto robore conſurgens, periurij damnatum perfidũ cenſurâ Eccleſiaſtica percuſsit, vniuerſæq; Siciliæ Sacris interdixit: atque in patriã reuerſus, in Cathedrali Ariminenſium Baſilica Sacellum S. Priſcę, alterum verò S. Stephano in ſua Diuæ Agnetis Parochiali, ſumptibus magnificis extruxit, ornauit, ditauit, dotauitque, monumenta æterna conſtantiſsimæ pro Eccleſia Dei fortitudinis, nec non illuſtriſsimæ in Cælites pietatis. Merebatur iuſtus, in memoria æterna apud homines eſſe, propter alia, & iſta facinora: quorum notitiam nobis, ex Cæſare Clementini, & Raffaele Adimario hiſtoricis Ariminenſibus, alijſque monumentis ſtirpis Battaglinæ

*Gotius Battaglia Cardinalis laudatiſſimus.*

ſuggeſsit, Franciſcus Gualdus Ariminenſis, Eques auratus S. Stephani, Leoni XI. Paulo V. Gregorio XV. & Vrbano VIII. Pontif. Maximis, propter elegantiam morum, & ſtudiorum, nec non generis nobilitatem à cubiculo intimus; Romanæ verò curioſitati, vel ad ſtuporem admirandus, à ſtudio præcipuè rei antiquariæ, quã ſumptu propè inæſtimabili, in ſuum Muſæum vndequaque congeſsit, oculoſque eruditos impleuit, numiſmatibus, ſtatuis, ſignis, imaginibus, inſtrumentis, alijsq; Romanæ canitiei reliquijs; vt in eius, anguſto licet penetrali, auguſtam olim Romani inter rudera iacentia ſepultam, quæſitamque reperire detur.

XVII. *Alexander Pontifex fœdus cum Turcis inire recuſat.*

Sed nos ad Alexandrum, qui hoc anno Baiaſitis Turcarum Imperatoris Oratorem audiuit. Detulerat is nouies centum millia aureorum, quæ Sedi Apoſtolicæ, & Rhodijs, nomine ſumptuum in Baiaſitis fratrem Zizimum, Rhodi, in Gallijs & Romæ, à Rhodianis, Innocentio, & Alexandro Pontificibus factorũ, debitorumque numeraret. Poſtulabat præterea Alexandrum, nè Zizimum, cuiquam Principum Chriſtianorum, ad bellum eius auſpicijs ciendum permitteret, ſed apud ſe detineret, fœduſque cum Baiaſite percuteret; ex quo ſibi pacem perpetuam poſſet polliceri; libertatem commerciorum Chriſtianis cum Turcis ſtabilire; captiuorum innumerabilium emancipationem exſpectare, nec non ſumptus anniuerſarios XL. millia nummûm aureorum in Zizimum pro numeratis computare. Et quidem Alexander pecuniam accepit; cæterùm fœdera cum hoſtibus fidei paciſci recuſauit. De Zizimo inter varias tractationes nihil decernere, aut voluit, aut potuit, doctus à temporis neceſsitate, neque fidere perfidiſsimo tyranno; neque illum, donec aut Italiam pacâſſet, aut Principes Chriſtianos ad ſacrum bellum congregâſſet, in tanta reipublicæ Chriſtianæ vbique terrarum perturbatione, amplius irritare. Prudentiſsimi eius conſilij imagines, in ſecretiore Pontificio cubiculo voluit appingere; quas poſtmodum impoſtores in calumniandi occaſionem verterũt: quaſi Alexander Turcis adſiduus, cum eis colloquia de prodenda Chriſtianâ republicâ agitaret, pacta feriret, & quod vel cogitatu execrandum, pecuniã illis (cùm tamen Pontifici Turcæ numerâſſent) in ſtipendia contrà Gallos polliceretur. *infixura ſupra.*

XVIII. *Caſtellæ Rex propoſitum ſuum de nouo orbe aperit Alexandro Papæ.*

Narratum eſt ſuperiùs, Chriſtophorum Columbum ſecundâ nauigatione vſum, plurimas incognitas noui Orbis prouincias reperiſſe. Is vbi primùm in Caſtellam ad Ferdinandum Regem reuertiſſet, Ferdinandus Alexandro Pontifici per Legatum expoſuit; ſe iamdiù ſtatuiſſe, Inſulas aliquot, & Continentis regiones procul diſſitas, & incognitas, nec antè à quoquam repertas quærere; quò præſertim earum incolas ad Chriſti cultum, vti Rex, à ſe recens pulſis Granatæ regno Mauris Catholicus, qua daretur, redigeret. Se ob hanc cauſam, cum claſſe, peritis nautis, militibuſque veteranis inſtructâ, Columbum, non ſine maximis difficultatibus, periculis, & expenſis per maria miſiſſe, quæ numquã quiſquam nauigâſſet. Illum, in Oceano aliquot numquam à noſtris viſas inſulas, & Continentis prouincias inueniſſe, quas pacis amantes quædam gentes incolerent eas, corpore toto nudas incedere, neq; veſci carnibus, ipſas, quantum accepiſſet, credere, vnum eſſe Deum, eumque cœlo contineri. Quæ res ſpem faceret, eos homines à recipiendis Chriſtianorum moribus, & inſtitutis, non alienos forè: quin etiam, ſi inſtituerentur, facilè apud eos Chriſti nomen, Catholicamq; religionem introductum iri. A Columbo firmam turrim, in vna ex ijs à ſe repertis Inſulis exſtructam eſſe, ſuorumque, præſidio firmatam. Itaque eas Inſulas, & terras auro, argento, & aromatibus pollere; imò, multis varij generis rebus alijs pretioſis excellere. Velle igitur, eas ſibi per ſuos ſubigi, imperioque ſuo, in eas fidem Chriſtianam inuecturo, adijci.

XIX. *Einſdem votis annuunt Pontifex, & Cardinales.*

Pontifex laudatis Regis conſilijs, ipſum ad ea exequendâ per Baptiſmi ſacra, Chriſtique viſcera cohortatus, quò expeditionem ardentiori animo ſuſciperet, ſuſceptamque non intermitteret; eidem Regi, & eius poſteris Caſtellæ, Legioniſque Regibus, ex Apoſtolica illa ſumma authoritate, Cardinalibus vniuerſis vltrò recognitã, vno ore adprobantibus, in perpetuum, plenèque conceſsit, donauit, & attribuit, omnes Inſulas, Continentiſque Prouincias repertas, & quæ in poſterum à ſuis reperirentur, Occidentem, & Meridiem verſùs, ducti ab Arctico, Borealiue polo, ad Antarcticum, hoc eſt, Auſtralem polum lineâ. Inſulas etiam illas, & Continentis regiones inuentas, & quæ inuenientur, Indiam, vel quamcumque partem verſùs, à quidem ductâ, vt ea centum milliaribus diſtaret ab duarum Inſularum qualibet, Occidentem, Meridiemque verſus, ab ea nempe inſulâ, quæ vulgò Hiſpanis Azores, à falconibus dicitur; & ab altera, quam nunc illi Viride caput, antiqui autem Heſperides, appellant. Quarum omnium Inſularum, & Continentis prouinciarum repertarum, & quærendarum, idem Pontifex eundem Regem, & perpetuos eius ſucceſſores etiam, legitimos dominos, cum liberâ, omnimodaque in iiſdem poteſtate cõſtituit. Si tamen quiſquam Chriſtianorum Principum, Regumque, aliquam ex ijs Inſulis, Continentiſque regionibus, antè Chriſti Natalem, Anni 1493. à quo tempore donationis huiuſce vires initium primum habent, poſſediſſet: ſalua ei ſua eſſet omnis auctoritas, nec vllum ei ab hac donatione damnum, aut præiudicium oriretur. Quò verò firmiùs ei Regi, poſteriſque donatæ hæ inſulæ, Prouinciæque cenſerentur; ſanxit Pontifex, nè quis abſque eius Regis, ſucceſſorumue permiſſu, ad eas ductã, quæ dicta eſt, lineã, comprehenſas, quicumque is tandem vel Rex, vel Princeps, aliuſue foret, negotiationis, & mercimoniorum, aliaue ex cauſa nauiget. Qui fecerit, ei tum primùm aquâ, & igni ſit interdictum; graui nimirum excommunicationis cenſurâ feriatur. Datæ huius Pontificiæ donationis litteræ, conceptæ ſunt iſtis verbis.

XX. *Pontificia donationis diplomata Regibus Caſtellæ datum.*

*Alexander Epiſcopus, ſeruus ſeruorũ Dei. Chariſsimo in Chriſto filio, Ferdinando Regi, & chariſsimæ in Chriſto filiæ Eliſabeth Reginæ, Caſtellæ, Legionis, Aragonum, Siciliæ & Granatæ illuſtribus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

*Inter cætera Diuinæ maieſtati beneplacita opera, & cordis noſtri deſiderabilia, illud profectò potiſsimum exiſtit, vt fides Catholica, & Chriſtiana religio dilatetur, animarumque ſalus procuretur, ac barbaricæ nationes deprimantur, & ad fidem ipſam reducantur. Vnde cum ad hanc Sacram Petri ſedem diuina fauente clementia (meritis licet imparibus) euecti fuerimus, cognoſcentes vos tamquam veros Catholicos Reges, & Principes, quales ſemper fuiſſe nouimus, & a vobis præclarè geſta, toti penè iam Orbi notiſsima demonſtrant, nedum id exoptare, ſed omni conatu, ſtudio, & diligentia, nullis laboribus, nullis impenſis, nulliſq; parcendo periculis, etiam proprium ſanguinem effundendo efficere, ac omnem animum veſtrum, omneſque conatus ad hoc iamdudum dedicaſſe, quemadmodum recuperatio regni Granatæ à tyrannide Saracenorum hodiernis temporibus per vos, cum tanta diuini nominis gloria, facta teſtatur, dignè ducimur, non immeritò, & debemus illa vobis gratias etiam ſponte, & fauorabiliter concedere, per quas huiuſmodi Sanctum, & laudabile, ab immortali Deo cœptum propoſitum indies feruentiore animo, ad ipſius Dei honorem, & Imperij Chriſtiani propagationem proſequi valeatis. Sanè accepimus, quod vos dudum animo propoſueratis, aliquas Inſulas, & terras firmas remotas, & incognitas, ac per alios hactenus non repertas quærere, & inuenire, vt illarum incolas, & habitatores ad colendum Redemptorem noſtrum, & fidem Catholicam profitendum reducerentis, hactenus in expugnatione, & recuperatione ipſius Regni Granatæ plurimum occupati, huiuſmodi Sanctum, & laudabile propoſitum veſtrum, ad optatum finem perducere nequiuiſtis; ſed tandem, ſicut Domino placuit, regno prædicto recuperato volentes deſiderium adimplere veſtrum; dilectum filium Chriſtophorum Columbum, virum vtique dignum & plurimum commendandum, ac tanto negotio aptum, cum nauigijs, & hominibus ad ſimilia inſtructis, non ſine maximis laboribus, & periculis, ac expenſis deſtinaſtis, vt terras firmas, & Inſulas remotas, & incognitas huiuſmodi per mare vbi hactenus nauigatum non fuerat, diligenter inquireret; qui tandem (diuino auxilio) facta extrema*





*diligentia, in mari Oceano nauigantes, certas Inſulas remotiſsimas, & etiam terras firmas, quæ per alios hactenus repertæ non fuerant, inuenerunt, in quibus quamplurimæ gentes pacificè viuentes, &, vt aſſeritur, nudi incedentes, nec carnibus veſcentes inhabitant, & vt præfati Nuntij veſtri poſſunt opinari, gentes ipſæ in Inſulis, & terris prædictis habitantes, credunt vnum Deum Creatorem in cœlis eſſe, ac ad fidem Catholicam amplexandum, & bonis moribus imbuendum ſatis apti videntur, ſpesq; habetur, quod ſi erudirentur, nomen Saluatoris Domini noſtri* IESV CHRISTI, *in terris, & Inſulis prædictis faterentur; ac præfatus Chriſtophorus in vna ex principalibus Inſulis prædictis, iam vnam turrim ſatis munitam, in qua certos Chriſtianos qui ſecum iuerant, in cuſtodiam, & vt alias Inſulas, ac terras firmas, remotas, ac incognitas inquirerent, poſuit, conſtrui, & ædificari fecit; in quibus quidem Inſulis, & terris iam repertis, aurum, aromata, & alia quamplurimæ res pretioſæ diuerſi generis, & diuerſæ qualitatis reperiuntur: vndè omnibus diligenter, & præſertim fidei Catholicæ exaltatione, & dilatatione (prout decet Catholicos Reges & Principes) conſideratis, more progenitorum veſtrorum claræ memoriæ Regum, terras firmas & Inſulas prædictas, illarumq; incolas, & habitatores vobis diuina fauente clementia ſubijcere, & ad fidem Catholicã reducere propoſuiſtis. Nos igitur huiuſmodi veſtrum Sanctum, & laudabile propoſitum plurimum in Domino commendantes, ac cupientes, vt illud ad debitum finem perducatur, & ipſum nomen Saluatoris noſtri in partibus illis inducatur, hortamur vos quamplurimum in Domino & per ſacri lauacri ſuſceptionem, quâ mandatis Apoſtolicis obligati eſtis, & viſcera miſericordiæ Domini noſtri* IESV CHRISTI *attentè requirimus, vt cum expeditionem huiuſmodi omnino proſequi, & aſſumere probâ mente, Orthodoxæ fidei zelo intendatis, populos in huiuſmodi Inſulis, & terris degentes, ad Chriſtianã Religionem ſuſcipiendam inducere velitis, & debeatis; nec pericula, nec labores vllo vmquam tempore vos deterreant, firmâ ſpe, fiduciaq; conceptis, quòd Deus Omnipotens conatus veſtros feliciter proſequetur. Et vt tanti negotij prouinciam, Apoſtolicæ gratiæ largitate donati, liberius, & audacius aſſumatis, Motu proprio, non ad veſtram, vel ad alterius pro vobis ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientiâ, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes Inſulas, & terras firmas, inuentas, & inueniendas, detectas, & detegendas, verſùs Occidentem, & Meridiem, fabricando, & conſtruendo vnam lineam, à polo Arctico, ſcilicet, Septentrione, ad polum Antarcticum, ſcilicet Meridiem, ſiue terræ firmæ, & Inſulæ inuentæ, & inueniendæ ſint, verſùs Indiam, aut verſùs aliam quamcumque partem, quæ linea diſtet à qualibet Inſularum, quæ vulgariter nuncupantur de los Azores, y Capo Verde, centum leucis verſùs Occidentem, & Meridiem, ita quòd omnes Inſulæ, & terræ firmæ, repertæ & reperiendæ, detectæ, & detegendæ, à præfata lineâ verſùs Occidentem, & Meridiem, per alium Regem, aut Principem Chriſtianum non fuerint actualiter poſſeſſæ vſq; ad diem Natiuitatis Domini noſtri* IESV CHRISTI *proximè præteritum, à quo incipit annus præſens 1493. quando fuerunt per Nuncios, & Capitaneos veſtros inuentæ aliquæ prædictarum Inſularum, auctoritate Omnipotentis Dei, nobis in Beato Petro conceſsâ, ac Vicariatus* IESV CHRISTI, *quâ fungimur in terris, cum omnibus illarum Dominijs, Ciuitatibus, Caſtris, Locis & Villis, iuribuſq;, ac Iuriſdictionibus ac pertinentijs vniuerſis, vobis, hæredibuſq;, & ſucceſſoribus veſtris, Caſtellæ, & Legionis Regibus, in perpetuum tenore præſentium donamus, concedimus & aſsignamus; voſq;, & hæredes, ac ſucceſſores præfatos, illarum Dominos, cum plena, libera, & omnimodâ poteſtate, auctoritate, & iuriſdictione facimus, conſtituimus, & deputamus. decernentes nihilominus per huiuſmodi donationem, conceſsionem, & aſsignationem noſtram, nulli Chriſtiano Principi, qui actualiter præfatas Inſulas, & terras firmas poſſederit, vſque ad dictum diem Natiuitatis Domini noſtri* IESV CHRISTI *ius quæſitum, ſublatum intelligi poſſe, aut auferri debere. & inſuper mandamus vobis in virtute Sanctæ Obedientiæ, vt ſicut pollicemini, & nos non dubitamus pro veſtra maximâ deuotione, & Regiâ magnanimitate, vos eſſe facturos, ad terras firmas, & Inſulas prædictas, viros probos, & Deum timentes, doctos, peritos, & expertos, ad inſtruendum incolas, & habitatores præfatos in fide Catholica, & bonis moribus imbuendum deſtinare debeatis, omnem debitam diligentiam in præmiſsis adhibentes. Ac quibuſcumque perſonis, cuiuſcumque dignitatis, etiam Imperialis, & Regalis ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnâ, quam eo ipſo ſi contra fecerint incurrant, diſtrictiùs inhibemus, nè ad Inſulas, & terras firmas inuentas, & inueniendas, detectas, & detegendas, verſus Occidentem, & Meridiem, fabricando, & conſtruendo lineam à polo Arctico, ad polum Antarcticum, ſiue terræ firmæ, & Inſulæ inuentæ, & inueniendæ ſint verſus Indiam, aut verſus aliam quamcumque partem, quæ linea diſtet à qualibet Inſularum, quæ vulgariter nuncupantur de los Azores, y Capo Verde, centum leucis verſus Occidentem, & Meridiem, vt præfertur, pro mercibus habendis, vel quauis aliâ de cauſa accedere præſumant, abſque veſtra, ac hæredum, & ſucceſſorum veſtrorum prædictorum licentiâ ſpeciali. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque. In illo à quo Imperia, & dominationes, ac bona cuncta procedunt, confidentes, quòd dirigente Domino actus veſtros, ſi huiuſmodi ſanctum, & laudabile propoſitum proſequamini, breui tempore cum felicitate, & gloriâ totius populi Chriſtiani, veſtri labores, & conatus exitum feliciſsimum conſequentur. Verum quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca, in quibus expediens fuerit, deferri, volumus, ac motu, & ſcientiâ ſimilibus decernimus, quòd illarum tranſumptis manu publici Notarij rogati ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ, ſeu Curiæ Eccleſiaſticæ munitis, ea prorſus fides in iudicio, & extra, ac alibi vbilibet adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ cõmendationis, hortationis, requiſitionis, donationis, conceſsionis, aſsignationis, conſtitutionis deputationis, decreti, mandati, inhibitionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M. CCCC. XCIII. Quarto Nonas Maij. Pontificatus noſtri, anno primo.* Ext. in Bullario.

*Caſtellæ Reges laudantur eiuſdemq; terræ inuentæ, & inueniendæ attribuuntur.*

*Eiſdem Regibus imponitur, vt Indos ad Chriſti fidem adduci procurent.*

XXI. *Supra poſito Pontificio diplomati occaſionẽ dedit Luſitaniæ Rex.*

Occaſionem huius edicti Ioannes Rex Luſitaniæ dederat. Narrauimus ſuperiùs, Chriſtophori Columbi in reregendo nouo orbe felicia auſpicia: quòd cùm is in Atlanticum Oceanum ingreſſus, Canarias primùm Inſulas petijſſet, inde continua dierum aliquot velificatione in occaſum prouectus, Inſulas aperuerit nouas, quas ab re, quòd primæ occurriſſent, Principes nominauit; & expoſito milite nactus aurifodinas, loco idoneo caſtra communijt, relictoq; ibi præſidio, incolas fermè duodecim, & alia inuentæ eius regionis argumenta ſecum in Hiſpaniam reuexit. Ea res, quò minùs erat in ſpe, eò maiorem Ferdinando Regi, & aulæ vniuerſæ attulit voluptatem: Ioannes contrà, dolorem non modicum ex eo percepit: vel quòd efflorefcenti tum maximè ad maritimæ rei gloriam nomini Luſitano, partum ab alijs in eodem genere decus officeret; vel quòd relicto ſibi à maioribus inclyto nauigationis iure, ſpoliari, & vaſti Oceani poſſeſsione pelli quodammodo videretur. Ergo ad exigendos è Principibus Inſulis Bæticos, eaſque in Luſitanam ditionem aſſerendas, de procerum ſententiâ, claſſem inſtruere quamprimùm aggreſſus eſt. Ea re cognitâ Ferdinandus, mirari magnoperè, cur ab Rege ſocio, & amico, ignoti maris inueſtigatione, præſertim, quam oblatam ille à Columbo reiecerit, arceatur, cumque ſuper ea re nuntij, & iuris interpretes vltrò citroque cum litteris commeaſſent; poſtremò Ferdinandus ad reuocandum ab ea mente Ioannem, viros primarios miſit duos; &, qua erat ſolertiâ, ſi minùs ab incepto abducere illum poſſent, certè per varias cauſas rem conſultò iuſſit extrahere, dum Columbus, quem in eadem loca maiore cum apparatu remittebat, de concepta ſpe auri, argentique, & opum aliarum, certiora, & exploratiora perferret. Non fefellit Ioannem aſtus, & dum legati ſedulò tempus terunt (vt erat egregiè facetus) legationem eam, neque caput, neque pedes habere dixit: cauillatus Oratores ipſos, quorum alter è crure claudicaret, alter ab inſito faſtu, leuior, & elatior

haberetur. Factum tamen, vt Ioannes omiſſo belli conſilio, non recuſauerit, quo minùs diſceptatore totius controuerſiæ, vterentur Alexandro Pontifice Romano. Is cognita Regum cauſâ; nè quando lis ad arma deduceretur; vltra Heſperidum inſulas ad trecenteſimam ferè leucam, & quadrageſimam, ducto à Septemtrionibus ad Auſtralem polum circulo, totum terrarum Orbem ex æquo bifariam ſecuit. Quæ pars vergebat in Orientem, hanc Ioannes, facta ſibi ob iuris antiquitatem optione, deſumpſit; occiduâ Ferdinando relictâ. Ex hoc tempore in perueſtigandis ignotis regionibus ab Luſitano, & Caſtellano mirâ vtrimque virtute certatum eſt; & Ferdinandi auſpicijs, idem Columbus, alijque deinceps immortalitate digniſſimi viri, ad occaſum meridiemque, immania terrarum ſpatia, cum incredibili prouentu auri, & argenti, ſubinde patefecêre; quo maximè ſubſidio Caſtella poſtmodum tantos, tamque aſsiduos terrâ, mariqùe ſumptus propè infinitâ pecuniarum erogatione ſuſtinuit. *Maffeus hiſtoriarum Indicarum lib. 1.*

XXII. *Religioſi varij in Indias deſtinantur.*

Propagandæ Chriſtianæ fidei, Columbus, aliquot Patres familiæ Franciſcanæ ſecum auexit, hoc anno 1493. *Platus de bono ſtatus Religioſi lib. 2. c. 30.* His quoque ſtudijs innutritos, aſſuetoſque Dominicanos, ſocios adhibere authoritate Pontificiâ voluit. *Fernandez. in Concertation. Prædicatorum.* quibus adiunxit Benedictinos, & Auguſtinianos nonnullos, eodem ardore, ignis diuinioris in terras, & inſulas incognitas mittendi, inflammatos; vt *earum Religionum hiſtoriographi* affirmant. Cum his, ac militibus, fabris, & commeatu omnis generis decem, & ſeptem nauibus vectus, miſſu Regum eodem, quò priùs inerat, rediens, cùm ſe ad læuam verſùs parumper flexiſſet, quamplures ad Inſulas delatus eſt: quarum partem homines incolebant feri, truceſque, qui puerorum, & virorum carnibus, quos alijs in Inſulis bello, aut latrocinijs cepiſſent, veſcebantur; à fœminis comedendis abſtinebant, Cannibales appellati. Vicos ſi habebant, vicenis, aut tricenis domibus ſingulos, domuſque omnes erant ligneæ, ac rotundâ forma, palmis, & ſtipulis contectæ, certarumque arborum, & arundinum folijs ad arcendos imbres. Aëre vtebantur adeò temperato, vt Decembri menſe auium aliæ nidos ponerent, aliæ pullos educarent ſuos. Cùm ad illam Inſulam, à qua reditum anno ſuperiore apparauerat, Hiſpaniolamque ipſam appellauerat, Columbus reuertiſſet, propter ſoli bonitatẽ magnitudinemq; Inſulæ oppidũ opportuno loco condere, terram colere, fidemq; Chriſtianam inſerere cepit. Inſulares duobus ſe è ſpecubus terrâ proditos atque natos dicebant. Deos penates, quos appellabant Zemes colebant: eos plebs habebat communes, ſuum verò ex Regibus quilibet. Eorum ſimulachra, lanâ contexta in bellum

*Indorum fides, & mores.*

profecturi capiti alligabant, iuuarique ſe ab ijs maiorem in modum putabant. Noctu vagari mortuos credebant, poſſeque omnia humana membra ſumere præter vmbilicum. Ab ſuis Zemibus, eiuſmodi reſponſa non multò ante Chriſtianorum aduentum annos accepiſſe illos conſtitit; venturam eò indutam veſtibus gentem, quæ regionem ſubigeret, ipſorum aboleret Deos, & nouam induceret Religionem. Hiſpaniolæ vicina Cuba, hominum genere, & auri copiâ præſtans, ijs aliæ proximæ, penè ſine numero, quarum gentes olim aſſuetæ auream ætatẽ agere, nulli agri modum noſcere; non iudicia, non leges habere; nõ literis, non mercaturâ vti; non in poſterum, ſed indies viuere. Ab his vlteriora tentantibus, terra obiecta eſt Hiſpanis continens, paulò minùs decies centena millia paſſuum ab Hiſpaniola protenſa meridiem verſùs, atque in ea populi ſub Rege bellum cum finitimis gerente occurrerunt, quorum fœminæ, virum paſſæ, nullam partem corporis, præter muliebria, virgines nè illam quidem tegebant. Regem ij ſuum honoris gratiâ ſublime in humeris ferebant. tum alij deinde populi capillo promiſſo, & liberali aſpectu, auro, atque gemmis culti. poſt hos item alij, qui certarum ſe herbarum coloribus pullo, & purpureo inficiebant, aſpectu eam ob rem in pugna tetriore, ac horribiliore. Demum gens inuenta agilis admodum, & item nuda, genitalibus tantummodò cucurbitula, vel marinâ teſta incluſis. Cadauera ibi Regum, & magnorum hominum deſiccata in domibus aſſeruabantur, eaque in honore magno habebant. Erant etiam, qui arida facta conterebant, eoque puluere in epulis, & poculis honoris cauſâ vtebantur. Poſtremò autem ad meridiem audaciùs indies iter flectentibus Hiſpanis, cùm vertex ſe ſubducere noſter cœpiſſet, tum è regione aliâ quædam magnoperè ſplendentium quatuor ſtellarum forma, atq; ſeries extitit, quam eſſe Auſtralis verticis faciem crediderunt. Viſi pòſt hæc homines noſtris longè proceriores, & magno ad obeundas pugnas animo, tum flumen refertum inſulis immani magnitudine. Patet enim ampliùs paſſuum millia centum. In ea terrarum parte homines impuberes in omni ætate ſunt propè vniuerſi, neque vllos habent pilos. ijdem magnoperè natandi artem callent, tum mares, tum fœminæ, eique rei à paruulis inſueſcunt. Filios ex ſororibus ſibi hæredes inſtituebant, quoniam indubiè ſuæ gentis eſſe exiſtimarent. Mulieres adoleſcentes parere, ſeruile ducebant eſſe. Itaque ſi prægnantes fierent, herba ad eam rem idoneâ, abortum faciebant. Cùm verò ætatis flos exaruiſſet, tum pariebant, ac proli ſtudebant. Quæ regio eſſent ſanguine, negare aliquid vlli viro, qui ex nobili foret genere, in turpibus rebus habebant. Ferè ſemper cum Rege mortuo vxor vna, & altera ſepeliri volebat, eo cum ornatu, quem viuens adamauiſſet: tum ſerui etiam, & cliẽtes. Ita enim ſe cum illis apud ſuperos toto tempore victuros putabant. Nonnullæ gentes Deorum imagines, filiorum ſuorum infantium ſpargebant ſanguine. Mitiores aliæ ſacerdotes ita habebant inſtitutos, vt barbam, ſi quam haberent, aut capillum, neque tonderent, neque pecterent totius vitæ tempore. Nonnulli Solem, & Lunam, vti virum, & vxorem colebant: promiſcuè omnes idolorũ inprimis, ac dæmonum inſanis mirificis, nefandiſſimiſque opinionibus, & cultibus mancipati. Auro autem ſic abundabant, vt parietes templorum, ac domorum Reges eo veſtirent, & vaſis ad vſum domeſticum propè omnibus, vti aheneis, aut teſtaceis, ſic illi aureis vterentur. gemmarum tanta copia, vt fœminæ, etiam ſuras, ad vſque talos ijs ornarent. Ad has gentes, Fidei radio illuſtrandas, miſſi ab Alexandro Pontifice prædicatores, magnos progreſſus fecerunt, in extirpandâ idolomaniâ, & Chriſtianâ fide propagandâ. *P. Bembus hiſt. Venet. lib. 6.*

XXIII. *Luſitani quoque nouas terras inueniunt.*

At ex Luſitana parte, Bartholomæus Diazius, egregiâ fortitudine, & conſtantiâ vir, ab Ioanne Portugalliæ Rege in Orientem miſſus, lõgiſsimâ, ac periculoſiſſimâ nauigatione, Cani, de quo antea narrauimus, columnas longo interuallo tranſgreſſus, inſanum terræ proiectum etiam ipſe patefecit, qui ab interiore Aethiopiâ per directam longitudinem leucas amplius ſexcentas in meridiem excurrit. neque tàm portentoſâ magnitudine, teterrimiſque inſuper tempeſtatibus deterritus eſt, quò minùs promontorium flecteret, ac totum terrarum orbem magnanimis, & experientibus viris peruium demonſtraret. Hoc tàm felici auſu peruenit ad Inſulam, quam Sanctæ Crucis, à columna ibidem poſitâ nominârunt, leucas vltra Cani limites omnino trecentas, & quinquaginta. Redux in Luſitaniam, cum Ioanni Regi totius itineris rationem exponeret, & promontorium illud ob atrociſsimas circa illud exortas tempeſtates, procelloſum caput iure meritò appellandum affirmaret; quinimò, *Bonæ ſpei caput* eſto; inquit Rex (quod illi deinde nomen ſtabile, firmumque permanſit) quippe cum tanta ab occeſu diſtantiâ, ac tàm enormi in Auſtrum procurſu, ad optatas Orientis opes, & Aſiatica emporia, Luſitanis digitum pœnè videretur intẽdere. Ibi enim trans Caneri tropicum, ad uſque Pagelungos Aequatori ſubiectos, regiones, lon-





gè alio atq; Africa terra ſitu, ac feracitate, plurimis riguis, & Sole, cæteriſque ſyderibus mirè fauentibus, in omnes mortalium vſus, deliciaſque pro ſua quæq; natura varias fruges, metalla, odoramenta, plantas, lapillos, medicamina propè ad certamẽ effundũt, quæ paulò ante Chriſtianorum illic aduentum, certis emporijs admodum vili coëmpta, Mahometani fermè, Iudæiue inſtitores, vel ſinu Perſico in Commagenem, & Syriam, vel Arabico ad vrbem Heroum Suezium, atque inde Camelis Alexandriam conuehebant; Aegyptio Sultano, qui tum ijs regionibus imperabat, pluribus locis perſoluto portorio; quæ res Memphiticum ærarium magnis quotannis pecuniæ acceſsibus augebat. Hanc adeò quæſtuoſam nauigationem Ioannes Rex, ducum ſuorum peritiâ, & felicitate inuitatus, omni ſpe ſibi enitendum exiſtimauit; vt, ſi qua poſſet continuato per Oceanum curſu, ab Aegypto, Syriaque in Luſitaniam auerteret; nõ ſolùm vt ingenti Luſitanicæ rei incremento, Chriſtiani nominis hoſtium vectigalia, quàm maximis afficeret detrimentis; ſed multò etiam magis, vt eadem operâ pluribus locis Apoſtolicam diſciplinam, vel voluptate iam obſoletam renouaret, vel ad id tempus incognitam, Deo adiuuante, per Prædicatores, & Religioſos idoneos inſtitueret. Conſtanti quippè didicerat famâ, non paucos in Oriente ſupereſſe populos, partim, qui ſimulachra ex vetere gentium errore adorarent; partim etiam, qui acceptum à Chriſti nuntijs Euangelium, & ſanctiſsima benè viuendi inſtituta, ſed tempore procedente multis deformata

*Abaſsinorum Regẽ ad obedientiam Romani Pontificis reducere conantur.*

vitijs, vtcumque retinerent. In ijs Aethiopum Orientalium, ſeu Abaſsinorũ, cuius nuper meminimus, Regem Chriſti cultorem quidem illum, veruntamen à Romani Pontificis autoritate diſiunctum, cum Eccleſia Catholica in gratiam reducere vehementer optabat: ſimul etiam ratus, quòd longè, lateque imperaret; fore, vt eiuſdem opibus, auxilioque aditus ſibi ad Regum Indorum amicitiam, & expetita ſiue commercia, ſiue fidei amplificandę negotia patefieret. Mira eidem, de Indorum diuitijs, ac indole retulerat Diazius. tantum ſcilicet auri alicubi reperiri, vt res omnes alias eò mercarentur, nullo id pondere, aut menſura, ſed tantùm fruſtis ex oculorum fide, atque arbitrio permutantes; vt qui acciperent, ſæpe lucrum centupli facerent: tanta autem indole, & caſtitate, vt natis ſtatim fœminis naturam conſuerent, quo ad lotij exitus non impediretur; eaſque cùm adoleuiſſent, ſic conſutas in matrimonium collocarent, vt ſponſi cura eſſet prima, conglutinatas, atque coalitas puellæ oras ferro interſcindere. tanto ſcilicet in honore apud homines barbaros erat, non ambigua ducendis vxoribus Virginitas. Ad has regiones perluſtrandas, Ioannes, duos Arabicæ linguæ benè peritos, Petrum Couillaniũ, & Alfonſum Paiuam iteratò miſit. Paiuam in Abaſsinos profectum, antequam Regiam attingeret letum extinxit. Couillanus Indijs exploratis, & tota commerciorum ratione in Commentarios relatâ, Ioannem opulentiæ Indicæ per literas admonuit, Commentarioſq; tranſmiſit. Inde in Aethiopiam retrò iter intendit, & Alexandrum Abaſsinis tunc imperantem, ad amicitiam cum Ioanne, alijſque Regibus Europæis, maximè verò cum Romano Pontifice ineundam facilè adduxit: ingenti futuro rei Catholicę incremento, niſi de repente Alexandrum mors oppreſsiſſet. Enimuerò ſuccedens illi frater Nahu, ingenio moribuſque diuerſis, non modò Luſitanum Regem reſponſo dignatus non eſt, Verùm etiam neque Couillianum ad ſuos redire permiſit. Ea propter Pontifex Alexander, & Ioannes Rex, ſpe proferendi Euangelij, atque Imperij Chriſtiani apud Aethiopes Heſperios hoc tempore fruſtrati ſunt. *Maphæus lib. 1. Bembus ſupra.*

XXIV. *Maximilianus Auſtriacus Imperator Romanus conſecratur.*

Hoc anno Maximilianus Auſtriacus, pòſt obitum Friderici parentis, conſenſu Electorum, & Ordinum Imperij, præſente Alexandri Pontificis Nuncio, & ſolennia ab eligendo, & paulò poſt electo, iuramenta, ac pro Apoſtolica Sede priuilegia recipiente, Imperator Romanus conſtituitur. Diadema, infulaſque ſolennes illas Cæſarum; Mediolani, ac Romæ neque vnquàm ſuſcepit, neque cum facilè poſſet, ſuſcipere admodum laborauit. *Auctor rerum memorabilium Saxoniæ vniuerſæ lib. 2.*

XXV. *Miraculum, quod olim eidẽ Maximiliano accidit.*

Huic aliquando iuueni mirum aliquid accidit, ab ſingulari prouidentia diuinâ, quæ illum ſacræ Euchariſtiæ præſentiâ, & Angelico ſubſidio, ex alto præcipitio eripuit, & ad ſupremos faſces ſeruauit. Dum per præruptas rupes Oenipontanas iuuenili ardore rupicapras, & ibices inſequeretur, eò loci euaſerat, vnde nec referre pedem, nec vlterius progredi poſſet, niſi in præcipitium. Stabat attonitus in abrupto loco infelix ille Princeps, (vt ſcribit Pighius ex communi eius regionis incolarum famâ & narratione) temeritatem ſuam culpans ipſe, famis diræ longa tabe, vel morte violentâ vitam ibi finiturus. Stupebat animus, horror, & tremor artus occupauerant; & obuerſabatur vbique triſtiſsima mortis imago, nec funes, altaque inſtrumenta, quibus extraheretur è periculo, ad ipſum altum ſe protendi poterant, nec ſemita quæpiam lapicidarum labore menſtruo parari. Stabant gregatim hinc inde comites, ac miniſtri, conſilij prorſus inopes, Dominumque ſuum miſerum à longè non ſine lacrymis proſpectabant, quem iuuare non poterant. Ipſe autem, cùm iam noctes, atque dies integros duos in tam afflicto ſtatu continuè permaneret, nec vlla ſalutis ſpes reſidua videretur eſſe, mortalis huius vitæ cupidinem prius princeps abijcere, & quâ ratione tutius beatioris vitæ cœleſtem in locum tranſire poſſet, cogitare cœpit. Itaque magna voce ſuos appellauit, iuſsitque, vt quam primùm Sacerdotes Sacroſanctam Dominici Corporis Euchariſtiam adferrent, & è viciniore loco, quo poſſent ſibi monſtrarent; vt quando corpus cibo reficere non daretur, ſaltem oculos à longè mentemque immmortali viatico, quantum concederetur, nonnihil muniret, Deumque Saluatorem ſuum præſentem adoratione poſtremâ reconciliare ſibi poſſet. Satisfactum tàm pio Principis deſiderio quàm diligentiſsimè. Sed luctus intereà magnus per vniuerſam prouinciam ſpargitur. Cùm iam ope humanâ deſtitutus Maximilianus in ſcopulo, curâ fragilis vitæ prorſus abiectâ, nulla aliâ re, quàm immortalitatis, Deique Saluatoris ſui contemplatione ſemet occuparet, audiuit non procul à ſe ſtrepitum, circumſpicienſque vidit, arreptare per rupis coſtas iuuenem quendam ignotum, habitu ruſticum, dimouere ingentia ſaxa, & callem parare. Qui cùm ad ipſum acceſsiſſet, porrecta dexterâ, Macte, *inquit*, animo, virtuteque tuâ, Princeps. Viuit, & adeſt, qui te ſeruare poteſt; depone metum inanem, & me ſequere, confeſtim te in tutiora loca traducam. Vti ſol per denſas nubes clarior emergit; ita mox anxij pectoris angore deterſo, ſerenior redijt animus, confidenterque ducem ſecutus, paulò poſt in patentiore via poſitus, ſemet ex mortis faucibus ereptum vidit. Poſtero die cum edito promulgato dux ille vbique terrarum quæreretur, quo præmio meritò poſſet honorari, nec diu quæſitus inueniretur, cognitum, & pariter vulgò creditum eſt, Angelum cuſtodem fuiſſe à Deo miſſum, vt adoleſcentem Principem ad maxima Reipublicæ Chriſtianæ commoda, & ad Auſtriacæ domus incrementum grande, ab immatura morte ſeruaret. Quam opinionem poſteà res ab ipſo præclarè geſtæ plurimùm confirmarunt. Ad rei memoriam pius Princeps ſemitam lapicidarum labore muniri, & in eodem periculi ſui loco Crucifixi Saluatoris noſtri imaginem conſpicuam è via poni curauit. *Stephanus Pighius in Hercule Prodicio.*

XXVI. *Poloniæ Regis fra-*

Hoc anno fatis functo in Polonia Sbigneo Oleſnicio, Archiepiſcopo Gneſnenſi, ei ſucceſſor Fridericus Epiſcopus Cracouiẽſis, Rege fratre poſtulante, ab Alex-

*ter Card. Epiſcopatu dupliei donatur.*

andro Pont. Maximo datus eſt; itâ vt idem Epiſcopatum Cracouienſem retineret, Cardinalitio quoque honore cumulatus. *Cromerus lib. 30.* Hippolytus Aceſtinus Strigonienſis Archiepiſcopus, inter Cardinales renunciatus, & Romam à Pontifice Maximo euocatus, vix octo mēſium tempus à Ladiſlao Rege impetrare potuit; quò ſibi liceret, Alexandrum, & Senatum Apoſtolicum conuenire. Metuebat fortè Rex, nè aliquid in gratiam Beatricis ſuæ affinis, Cardinalis, Romæ nouaret. *Bonſinius rerum Vngariæ.*

Eodem anno Regina Neapolitana Aquilam in Veſtinis, vt exuuias Sancti Bernardini veneraretur, profecta, ingenti honore ſacrum eius Confeſſoris corpus excoluit. *Bernardinus Cyrillus Annal. Aquil. lib. 9.*

XXVII. *Sacrilegus quidam diuinè punitur.*

Romæ illud, hoc anno, accidiſſe memoratur. Ex aduerſo Eccleſiæ S. Blaſij in regione S. Euſtachij, proſtabat imago Chriſti Cruci affixi. Eam aliquis aleator, furore, ob pecuniam in ludo amiſſam percitus, cum machera, quam geſtabat percuſsiſſet, amentia, & cæcitate diuinitùs percuſſus, viam, qua euaderet, inuenire non potuit, ſed circum circa imaginem tamdiù oberrauit, donec præfectus excubitorum, ſeu apparitorum illac pertranſiret; quem vt quædam mulier, quæ ſacrilegium patrari viderat, conſpexit, facinus, & hominem indicauit. Ille verò nefarium vinciri, & in carcerem duci imperauit; ac Pontifici Alexandro ſcelus aperuit. qui iudicio mox inſtituto, manus propllano, eò loci, quò flagitium perpetrauerat præcidi, & parieti clauis configi; deinde per varia tormenta excruciatum patibulo affigi iuſsit. *Infixura in notis diarijs.*

XXVIII. *Fur quidam diuinitus punitus.*

Non multum abſimile huic, eodem tempore contigit, apud Laudem Pompeiam, monumentum ijs præcipuè verēdum, qui per ſacrilegiū in templis oblata furari, & vſurpare audent. Extat ibi Eccleſia, vulgò dicta, *S. Maria della Fontana del Moggio*, ſub cura Patrum Seruitarum. Aliquis ex gratia ibidem recepta, pro voto ſoluendo medium frumenti in ſacco pòſt altare clam Patribus reliquerat. Fur interim quidam obſeruata clàm viri deuoti oblatione, cùm nullus adeſſet, ſaccum rapuerat, humeroque iniectum, auferre tentauerat. Cum pondere depreſſus in terram corruiſſet, & altera manu aſſurgere tentâſſet, Dei vindicta manus pauimento lapideo firmiter adhærens, latronem adeò implicatum, & confuſum retinuit, vt indè, neque ſurgere, neque ſarcinam deponere, neque manum auellere potuerit. Luget infelix, cōfunditur verecundiâ, iuſtitiam conſternatus timet, pudet, pęnitet, exclamat, veniam, & miſericordiam implorat; accurrunt Patres, Beatiſsimam Virginem pro eo impellant; liberatum tandem diuina ope, ac exſolutum aſpiciunt; quinque tamen digitorum extenſę manus veſtigijs, quæ adhuc ſuperſunt, con auatis eo in lapide in perpetuum rei monumentum relictis. *Archangelus Giauius, qui veſtigia vidit, Cent. 3. Annal. Ord. Seru. lib. 4.* vbi etiam narrat aliud quidem mirandum, pro cultu Diuæ Deiparentis, quod hoc anno apud oppidum Marradij occurrit.

XXIX. *Mirandū pro cultu B. Virginis apud Marradium.*

Eſt Marradium non ignobile oppidum Florentinæ Diœceſis, vltrà Apenninum ad initium Vallis Lamonis, Fauentinæ Diœceſis, à qua circa vigeſimum milliare diſtat. Ad ripam, præterlabentis fluuij Lamonis, in loco, qui hoc tempore dicebatur *Il Caſone*, erat quædam venerabilis imago B. V. lignea, quam author Bartholomæus de Aquipendio, ſub quodā tabernaculo effinxerat. Hanc nocte quadam Angelorum manibus ad alterā fluminis partem delatam, & inter vepres ſuper ſtruem ſaxorum abſconditam, & à tranſeuntibus fortuitò repertam ferunt. Cumque nonnulli, qui ex aduerſo fluminis habitabant, illam à prædonibus clam ſublatam arbitrarentur, ſeu potiùs ab æmulis alterius partis (diſsidebant id temporis inter ſeſe, & crebris armis decertabant Mareſcottorum, & Fabronūm duę potentes familiæ) ablatam ſuſpicarentur, eam rurſus ſuperato amne in priorem locum reſtituerāt, adhibitis etiam pro ſequenti nocte excubijs. Verùm cùm altera die iterum tranſacto fluuio illam ſuper eadem ſaxorum maceria inter ipſos ſentes latitantē comperiſſent, id diuino, non humano conſilio factum interpretantes, ibi potiùs quàm alibi glorioſam Dei Matrem venerari ſtatuerūt: quòd eo oraculo intellexiſſent, B. Virginem, præteritas contentiones inter ipſas familias conſultò ſedare voluiſſe. Diſsidijs compoſitis, Fabrones, locum, in quo maceries illa repurgantes, templum SS. Virgini Annunciatæ extruxerunt, & Patribus Seruitis attribuerunt, ingentibus apud illam imaginem miraculis ſequentibus. *Gianius ſupra c. 13.*

XXX. *Vſurarius quidam à Dæmonibus rapitur.*

Mirabilis etiā ſeſe obtulit caſus Florentiæ, circa hunc annum Domini 1493. Erat ibi vſurarius quidā magnus, & ad mortem infirmus, qui à nemine induci poterat, vt peccata cōmiſſa per Confeſsionem Sacramentalē dilueret. precibus tandem quorundam neceſſariorum attractus, Euangeliſtam à Cortonæo Minoritam, qui ſumma in excipiendis Confeſsionibus Sacramentalibus gratiâ donabatur, vocari iuſsit. Et ecce ex tempore pro foribus vſurarij duo adſtant viri habitibus Auguſtinianis induti, qui ſe infirmum conſolari, atq; eius confeſsionem excipere velle inſimulant: qui tandem ad eum intromiſsi, oſtium pòſt ſe claudunt, aduenientique Euangeliſtæ famuli in via occurrunt, ſibique, vt alijs intendat, quando quidem infirmo melius ſit, ſuadent. Quamobrem is relicto propoſito, ad alia ſe conuertit. Eo tamē poſtmodum reuerſo, vt malè habentem viſitaret, ſolareturque, pulſatur ad oſtiū decumbentis. cumq; nec Fratres, nec infirmus reſponderent, fores effractæ ſunt, nullusq; eorū cōparuit. Ex quo eos fuiſſe dęmones Monaſtico habitu indutos, qui impœnitentis illius vſurarij corpus ad tartara, vt ibidem ſepeliretur, aſportarunt, facillimè homines coniecerunt. *Franciſcus Gonzaga de Origine Seraphicæ Relig. 2. p. Conuentu 9.* Idem auctor addit aliud non minùs tremendum.

XXXI. *Caſus alius ſimilis refertur.*

Caietanus quidam fœnerator, cùm nulla penitùs facta bonorum reſtitutione diem clauſiſſet extremum, atque in Eccleſia Minoritarum quodā Sacello à P. Antonio Cato humari voluiſſet, circa medium ſubſequentis noctis, horribiles duo homines ad Fratris Sacriſtæ oſtiū pulſantes ſibi imperârunt, vt ſumptis calice & ſtolâ, ſe ſtatim ſequeretur. Quo tandem ſequente, omnes ſimul miſeri illius hominis ſepulchrum accedunt, atque ex tempore cadauer exanime exhumantes, eius occiput illorum alter pugno percutit, ſacramque Euchariſtiam in calicem, ad fœtidum os, per Sacriſtam admotum exilire compulit. ac ſtatim ambo ſimul tartarei illi homines miſerabile corpus, patefacta ſibi ex tempore in pariete feneſtrâ, quæ adhuc conſpicitur, ad tartara perpetuis ignibus puniendum per aëra detulerunt. *Idem 2. p. in Prouinc. Laboris Conuentu 7.*

XXXII. *Beatorum Ioannis, Iacobi, & Auguſtini, ex Ordine Prædicatorū vita & obitus.*

Hoc anno, ex Dominicano Ordine viri tres Illuſtres, cœlitum numerum adauxerunt. Vnus Ioannes Piſtorienſis, ex ſubulco, apud Vrbeuetanos Religionem profeſſus, & Lutetiam Pariſiorum gratiâ ſtudiorum miſſus, in ſanctitate & doctrina Summus euaſit; ea tenacitate memorię, vt vetus, & nouum Inſtrumentum tenuerit; eo zelo prædicandi verbi Dei & fructu, vt Italiam ferè vniuerſam in ſuum auditorium attraxerit; ea demiſsione & humilitate, vt omnes honoris titulos, quin & Epiſcopatum Aquilanum recuſauerit: ea apud Deum orationis efficaciâ, vt Dalmatiā, indictis ſupplicationibus triduanis, peſtilentiâ liberauerit. Lucæ in Etruria, plenus dierum, ac meritorum, mortē ſuam prædixit, ac biduò ante habitū Ordinis induens, horam tranſitus lætus expectauit, aſtantibus Fratribus dicens, Tempus ſui diſceſſus iam iam inſtare. Moribundi faciem viderunt multâ luce illuſtrem, & quaſi Cherubini aſpectum præferentem: donec in verbis illis, *In manus tuas Domine, &c.* expiraſſet. Aequalis huic Iacobus Seſtius, profeſsione in ſeculo Medicus, qui ante ſolennia matrimonij defuncta vxore, ſeculo valedicens, apud Papienſes Dominicanos, habitū eiuſdē Regularis obſeruantiæ induit, ac Mediolanū reuerſus, auſteritate, & puritate vitæ tantâ enituit, vt primus Cœnobij S. MARIAE gratiarum conditor eſſe meruerit. Carnibus perpetuò, niſi in infirmitate, id-





que Medicis iubentibus abſtinuit. Silentium eodem rigore ſeruauit. choro numquam abfuit. In cubiculo, præter imaginem crucifixi, & mortis, nihil omnino habuit. Cœnobio præfectus, in alios benignus, in ſeipſum ſeuerus, ac rigidus vixit. Cùm quidam gulones, Armeniaci arborem fructibus in contemptum ſpoliâſſent, arborem imprecatione deſiccauit, nè occaſio contumaciæ proſtaret. Infirmis nocte, dieque manibus proprijs miniſtrauit: agonizantibus quibuſcumque adſiſtere, eoſque modis omnibus iuuare voluit. Viduis, pupillis, Virginibus, afflictis, peregrinis, opem tulit. Venetorum Imperio aliqua, nōnullis ſanitatem, alijs prolem maſculam naſcituram prædixit. Medicis conſultantibus, alicui ex partu moriturae abortum procurandum, ille conſtanter reſtitit, & ouo benedicto periclitāti porrecto, illam iam iam morituram, partu, ſimul, & periculo ſoluit. Luciam, Galeazij Ducis Mediolani amicam, nullâ ratione, quamquam mortem Dux illi comminaretur, abſolutione Sacramentali impertiri ſuſtinuit: eò quòd cohabitare recuſaret impudica. Infirmus ad mortem decumbens, cùm ad illum inuiſendum Beatrix Sfortia adueniſſet, illam, iuſto obſeruantiæ zelo excandeſcens, aſpicere non ſuſtinuit, ac diſcedere imperauit. Septuagenario maior, cùm annos 40. in Religione ſanctiſsimam vitam vixiſſet, miraculis, etiam pòſt mortem clarus, cœlos impleuit. Tertius ex eis Auguſtinus Buggellanus, innocentiâ, abſtinentijs, vigilijs, orationibus, ieiunijs, patientiâ, & alijs virtutibus ornatus; cui familiare fuit oranti, à terra in aërem ſublimari, profluuio lacrymarum abundare, tentamenta, & terriculamenta dæmonum ſuperare, ſolâ oratione obſeſſos liberare, ſolo tactu infirmos ſanare; qui vaſculum vinarium cuidam puero confractum, redintegrauit precibus, vinoque per miraculum reſtituto repleuit; Soncini, infantem ſine baptiſmo defunctum, ad vitam reuocauit; Vigeuani, quinque dæmonia ex quadam eiecit; ac tandem ſanctitate præfulgens, Venetijs ad S. Dominicum mortalitatem, in illis verbis, *Laudetur Deus, ſit laus Deo altiſſimo* exuit, miraculis ſequentibus. *Michael Pius, de viris illuſtribus Ordinis Prædicatorum lib. 1.*

# ANNO CHRISTI 1494.

## ALEXANDRI PAPÆ VI. Anno 2. & 3.

### MAXIMILIANI ROM. IMP. Anno 9.

I. *Belli, & aliorum malorum in Italia origo.*

SEQVITVR annus huius ſeculi nonageſimus quartus, toti Italiæ perpetuò lugubris, atque ad omnem poſteritatem memorabilis, quo arma externa in Italiam ab illiuſmet Principibus introducta ſunt, eorumque bellorum initium factum, quæ miſeram prouinciam continentibus direptionibus, rapinis, incendijs, ciuitatum euerſionibus, cæteriſque omnibus, alia ſuper aliam cumulatis belli cladibus, ſexaginta plùs continuos annos lacerârunt, ac deformârunt, & tandem bonā illius partem exterorum Imperio ſubiecerunt. Caput, & origo horum malorum Ludouici Sfortiæ ambitio fuit; qui Aragonenſem, domeſticum inimicum euertere ſtudens, Carolum octauum Gallorum Regem in Italiam euocauit, quod prauum conſilium diuini numinis euidenti iudicio ipſe primus luit, auitâ ditione, omnium, quæ ſub cœlo ſunt, opulentiſsimâ, ac feraciſsimâ, ab eiſdem ipſis Gallis ſpoliatus, ipſeque captiuus in Galliam ductus, atque anguſto carcere incluſus, in quo diù maceratus, tandem clauſit diem vitæ extremum.

II. *Moritur Ferdinādus Rex Neapolitanus, & deſcribitur.*

Huius anni initio Carolus Galliæ Rex, à Ferdinandi Neapolitani concordiâ alieniſsimus ſui Oratoribus, tamquam Regis hoſtis nuncijs, Regno Galliæ protinùs excederent, edixit: ſummaque ope, Italicum bellum, terrâ, marique parare voluit. Quod vt Ferdinandus intellexit, curis magis, quàm ætate confectus, ex apoplexiâ repentè defunctus eſt. Rex fuit induſtriâ, prudentiaque inſigni, quibus ducibus ſecundâ comite fortuna, Regnum à patre partum, multis difficultatibus, quæ per regni initia extitère, ſuperatis, conſeruauit: eoque magnitudinis euexit, vt ſuperiorum Regum multis ante annis nullus fortè id regnum tanto ſplendore cumulatum poſſederit; Rex equidem bonus, ſi quibus artibus imperare cœperat, iiſdem perpetuò vſus eſſet. Verùm temporis progreſſu, ſiue nouis moribus admiſsis, dominandi impotentiam (qui mos eſt ferè omnium principum) frænare neſcius: ſiue, vt plerique omnes exiſtimârunt, naturâ ad priſtinos mores, quos antè magno artificio celauerat, recurrente, dubiæ fidei, tantæque crudelitatis fuit notatus, vt vel eius familiares, immanitatis potiùs, quàm crudelitatis nomine appellandam eſſe iudicarent. Ferdinandi mortem rebus communibus nocuiſſe, pro certo creditum eſt: nam, præterquam quòd is aliquid aptum ad Gallorum in Italiam tranſitum impediendum tentâſſet; illud nequaquam ambigitur, difficilius futurum, eò adducere Ludouicum Sfortiam, vt Alfonſi naturæ ſuperbæ atque immoderatæ fideret, quàm ei perſuadere, vt cum Ferdinando amicitiam reuocaret; cùm præſertim ſciret, eundem Ferdinandum ſuperioribus temporibus ſæpe nè vllam cum Mediolanenſi principatu controuerſiam haberet, fuiſſe paratum ſeſe ad eius flectere voluntatem. atque inter cætera illud eſt perſpicuum; cùm Iſabella Alfonſi filia, ad maritum eſſet adducta, Ludouicum eā conſpectā ſic exarſiſſe, vt eam ſibi coniugem à patre dari concupierit; atque in hunc finem magicis artibus (ſic enim in tota Italiā tunc creditū eſt) effeciſſe, vt Ioannes Galeacius per multos menſes impos fuerit ad coniugij arcana peragenda: & annuiſſet Ludouico Ferdinandus, niſi Alfonſus reſtitiſſet. Quare hac ſpe excluſus Ludouicus, Beatricem Aceſtini filiam vxorem duxit; ex qua cùm liberos ſuſcepiſſet, omnes ſuas cogitationes eò conuertit, vt in eos Mediolanenſis Imperij, iura transferret.

III. *Alexander PP. & Alfonſus Rex fœdus ineunt.*

At Alfonſus, illicò defuncto patre, Virginium Vrſinum, Pandouium, & alios duos Oratores ad Alexandrum ſummum Pontificem miſit; qui, quanquàm offenſionum cauſas grauiſsimas haberet, facilem ſe nihilominùs ad condonandas iniurias, & ad concordiam ineundam præbuit, conditionibus ampliſsimis ductus, quas ei Alfonſus nè quid ſibi ab eo metuendum foret, vtque eum ad ſuam defenſionem obligaret, propoſuit. Fœdus igitur inter eos in hæc capita palàm ſancitum eſt. Vt 1. Societas inter eos ad vtriuſque ditionis tutelam, certo militum numero eſſet. 2. concederet Pontifex Alfonſo regni Neapolitani iura cum cenſûs diminutione iam Ferdinando ab alijs Pontificibus, quamdiù viueret, conceſſa, atque ad coronam ei imponendam Legatum Neapolim mitteret. 3. Ludouicum, Henrici Alfonſi fratris minimè legitimi filium, qui poſt Cardinalis ab Aragonia dictus eſt, in Cardinalium Collegium cooptaret. 4. Rex illicò Pontifici ducatorum triginta millia numeraret. 5. Gandiano Duci in regno Neapolitano aſsignaret principatum, è quo ducatorum duodecim millia quotannis acciperet, atque vnā prima quaque occaſione è ſeptem vnum ex præcipuis regni officijs eidem attribueret. 6. Eundem ſuis ſtipendijs, quamdiu viueret Pontifex, trecentis grauis armaturæ equitibus præficeret, quibus vtrique pariter operam dare teneretur. 7. Gothifredus verò obſes paternæ fidei apud Socerum maneret. 8. concederet præter ea, quæ in priore pactione promiſerat, Protonotarij dignitatem, vnum pariter è Regni ſeptem officijs. 9. Alia item in regno Sacerdotia Cæſari Borgiæ, Pontificis filio paulò ante in Cardinalium Collegium à patre cooptato attribueret. Ad hęc Virginius Vrſinus, qui cum Regio mandato huic interfuit pactioni, promiſit, Regem ad arcem Oſtienſem recipiendam, ſi fortè Iulianus Cardinalis S. Petri in Vincula, Romam venire recuſaret, auxilio futurum: quod quidem promiſſum ſine ſuo conſenſu Rex factum fuiſſe aſſeuerabat. Cumque exiſtimaret tempore vſque adeò periculoſo alienum eſſe, magnâ potentiâ in Genuenſium rebus

*Fœderis conditionis.*

prædictum Cardinalem ab ſeſe alienare, quas ab ipſo impulſus tentare cogitabat; & quoniam in tam graui agitatione, de Concilio forſitan Generali, ſiue de rebus ad Sacroſanctam ſedem ſpectantibus agendum eſſet, magnam, vt eum Pontifici reconciliaret, curam adhibuit: cui cùm nullâ re, niſi Romam Cardinalis ipſe rediret, fieri ſatis poſſet: Cardinalis verò pertinaciſſimè negaret, ſe vitam ſuam fidei, (his verbis vtebatur ipſe) Catelanorum vnquàm commiſſurum, Alfonſi labor omnis, ac deſiderium irritum fuit. Nam Cardinalis, vbi in ferè certam ſpem concordiæ Regis animum ſimulatè erexiſſet, nocte intempeſtâ, bireme inſtructâ, repentè Oſtiâ (arce tamen priùs idoneo præſidio munitâ) diſceſſit; ac paucis diebus Sauonæ, deinde Auinione, cui præfectus erat, moratus, tandem Lugdunum ſe recepit, quò paulò ante Carolus Rex, vt commodiùs, maioreque cum dignitate belli apparatum, ad quod ſeipſum iam venturum denuntiabat, procuraret, aduenerat: à quo ingenti lætitia acceptus, ſeſe alijs, à quibus Italiæ motus procurabantur, adiunxit, Carolumque ad bellum Italicum amplius concitauit. Miſſus eſt inter hæc Neapolim magno comitatu Ioannes Borgia, Cardinalis Montis Regalis, qui celebri pompa, & ſacratis de more peractis Alfonſum diademate Regio inſigniuit, reclamantibus fruſtrà Gallorum Legatis, qui Pontificiâ conceſſione præiudicari ſibi in iuris controuerſiâ querebantur, & ad Concilium Generale prouocationem contrà Pontificem geminabant: maximè quando Carolus Rex ad illud conuocandum pronus, iam omnes prælatos Romæ reſidentes, qui aliquod in Gallijs beneficium obtinuiſſent, in Galliam euocabat. Interim etiam Alexander, atque Alfonſus, vt Caroli conſilia diſturbarent, Gallorumque impetum, qui iam omnes ab inſita eorum animis belli cupiditate, ad ſuperandas Alpes incitabantur, aliquâ ex parte retardarent, idoneos homines in Galliam miſerunt, per quos ſecretò primores Regiæ aulæ, ſingulis præmia pollicendo, ad impediendam, aut differendam expeditionem inducebant: Briſſonetoque inprimis roſei galeri dignitatem affectanti, ſi operam ſuam præſtaret, ſyngraphâ, cum breui epiſtolâ in fidem tranſmiſſâ, eius inſignis ſacerdotij honor promiſſus eſt. Alfonſus præcipuè, cui timor bonus fuerat Magiſter, eadem cum Ludouico Sfortiâ, quæ à patre Ferdinando fuerant inchoata, vrgebat, eique eaſdem conditiones offerebat. Verùm Ludouicus à ſuo more nihil diſcedens, varijs ſpebus animos paſcere ſtudebat, oſtendebatque magnâ dexteritate, ac prudentiâ ſibi agendũ; nè bellum in alios ſuſceptum, in ſe primùm conuerteret, intereà tamen in Gallia belli apparatum accelerare nõ ceſſabat; atque vt id efficacitate maiore ageret, firmiuſq; quæ conſtituenda erant, ſingula ſtabiliret: neuè earum rerum, quæ eſſent conſtitutæ confectio tardaretur, Galleatium San-Seuerinatem, filiæ ſuæ ſpuriæ maritum, hominẽ apud ipſum fide, & gratiâ ſumma pollentem, in Galliam tamquam ab Rege accitum miſit. ac Ludouici conſilijs factum eſt, vt Carolus Rex, quatuor Oratores ad Pontificem legaret, ijſque mandaret, vt Florentiâ iter facientes, operam darent, vt ea Reſpublica, ſeſe, quarum partium eſſet, declararet; Romæ verò Pontifici exponerent, Carolum in Italiam tranſire decreuiſſe, haud quidem, quò aliena inuaderet, ſed quòd ad ſe iure ſpectaret regnum Neapolitanum, tanquam Andegauenſis domus hæres obtineret; quamquam non tam regni Neapolitani poſſeſſionẽ haberet propoſitam, quàm vt inde poſt arma in Turcas ad Chriſtiani nominis propagationem, & gloriam poſſet conuertere. Et quidem Florentiæ, expoſuerunt quantum ei ciuitati fideret Rex, quam Carolus Magnus dirutam inſtauraſſet; progenitores eius Reges ſua beneuolentia eſſent complexi; & quàm recenti memoriâ pater eius Ludouicus, contra Sixti Pontificis, Ferdinandi proximè defuncti, atque Alfonſi præſentis arma tutatus eſſet; in memoriam reuocarent commoda, quæ ad Florentinorum nationem, ex Galliæ regni commertio & negotiatione maximâ peruenirent; vbi non ſecus, ac ſi na-

*Ruuereus Carolum Regem ad bellum Italicum concitat.*

*Florentinos ad ſe trahere Galli conantur.*

tura Galli eſſent, Florentini humaniter acciperentur: hoc exemplo doceri eadem beneficia, & commoda ab eis ex regno Neapolitano ſperari poſſe, ſi quandò in eius fuerit poteſtate: cùm contra ab Aragonijs nihil vnquam aliud, quàm detrimenta iniuriaſque accepiſſent: ſe igitur petere, vt ſigno aliquo ſe cum eo in ea expeditione coniunctos eſſe teſtarentur. Quod ſi quâ fortè iuſta causâ hoc facere eo tempore impedirentur, tranſitum ſaltem per ſuos fines, & commeatum Gallici exercitus impenſis concederent. Hæc cùm Repub. egerunt, a Petro Medici priuatim multa beneficia, honoreſque in eum, patremque ſuum, ac reliquos maiores à Ludouico XI. collata cõmemorarant: qui difficillimis temporibus multa pro eorum amplitudine conſeruanda feciſſent; eorum inſignia, domus Franciæ inſignibus, vt Galliæ Regum in Mediceam familiam beneuolentiæ extarent argumenta, decoraſſe: contra verò, Ferdinandum omnia feciſſe; qui cùm eos armis eſſet apertè perſecutus, eo non contentus ciuilibus ſeſe coniurationibus immiſcuiſſet, in quibus & eius patruus Iulianus eſſet interfectus, & pater grauiter vulneratus. Hæc, atque huiuſmodi illi cum Petro egerunt; nec tamen vllum certum ad ſuas petitiones reſpõſum ab ea ciuitate extorquere potuerunt. Romam profecti, Pontifici antiqua Galliæ Regum in Sacroſanctam ſedem merita, perpetuamque obſeruantiam in memoriam reuocârunt, quibus cùm vetera, tum recentia monumenta referta eſſent: ex aduerſo Aragoniorum contumaciam, frequenteſque iniurias; quibus expoſitis, Caroli nomine, regni Neapolitani diploma, tamquam iure debitum poſtularunt; ſimulque Pontificem multa ſpe, multiſque promiſſis implere conati ſunt, ſiquidem huic expeditioni, ſe propitium exhiberet. Ad eam petitionem reſpondit Pontifex; cùm eius regni poſſeſſio à tot Pontificibus ante ſe fuiſſet tributa Aragonijs Regibus ordine data (nam in Ferdinandi diplomate, Alfonſus nominatim erat cõprehenſus) minimè æquum eſſe, vt Carolo eam traderet, donec diſceptatione declaratum eſſet, eum eſſe iure potiore; cui Alfonſo traditum diploma nihil derogaret; propterea quòd in eum finem expreſſum fuiſſet in ipſo diplomate, eâ lege concedi, vt nè cuiuſquam iuri derogari intelligatur. Commemorauit, regnum Neapolitanum directò ad ſedem Apoſtolicam pertinere; cuius authoritatem, Regem Carolum, contra morem, inſtitutaque maiorum ſuorum, qui ſemper eius præcipui defenſores extitiſſent, velle violare, ſibi perſuadere non poſſe: quod quidem faceret, ſi vi armatâ regnum adoriretur. rem facturum magis è ſua dignitate, ac bonitate, ſi quid iuris habeat, id diſceptationi, iudicioque permittat; quod quidem ei tamquam fundi Dominus, ac ſolus eius cauſæ iudex ſe daturum pollicebatur. alienum eſſe à Chriſtianiſſimo Rege, aliud à Romano Pontifice poſtulare, cuius ſit munus prohibere, nõ vim inferre, aut inter Chriſtianos Principes, bella fouere: quod ſi maximè ſecus vellet facere, difficultates, & pericula, tum ab Alfonſi, cum Florentinis vicinitate, quorum concordiam omnis Hetruria ſequebatur, tum tot Regulorum à Rege ipſo dependentium cauſa, quorum ditiones vſque ad Romanæ vrbis portas pertinerent, demonſtrabat. Addebat præter hæc eiuſdẽ Alfonſi cum Turcarum Imperatore neceſſitudinem; quem nè ille deſperatione adductus in auxilium vocaret, differebat; Atque hæc ille ita dicebat, vt eis tamen non omnem penitus ſpem præcidere videretur: quamquam ſecum nè à fœdere, quod cum Alfonſo haberet, vllo modo diſcedere conſtituiſſet.

IV. *Florentini fluctuantes adhærent Aragonijs operâ Petri Medicei.*

Magna erat Florentinorum in Reges Galliæ propenſio, tum ob ciuium ſuorũ in illo regno cõmertia, tum ob inueteratam quamuis vel falſam, vel ſaltẽ incertam opinionem, Florentiam, à Totila Gotthorum Rege dirutam, à Carolo Magno inſtauratam fuiſſe; tum propter coniunctionem arctiſſimam, diutiſſimè à maioribus ſuis, tamquam Guelfis, habitam cum Carolo I. Neapolitanorum Rege, compluribuſq; ab eodem ortis Guelfæ factionis in Italia patronis: tum bellorum memoriâ





quæ ſenior Alfonſus primũ, deinde Ferdinandus anno 1478. miſſo ad id Alfonſo cũ illa geſſerat ciuitate; quibus de cauſis populus Carolo tranſitum concedi cupiebat. Sed non minùs id prudentiſſimi quique ciues, & qui maiore in repub. pollebant autoritate, cupiebant; qui extremæ dementiæ eſſe ducebãt, tanti periculi bellum, ob aliorum diſsidia, in ditionem, domumq; ſuam pertrahere; dum ſeſe potentiſſimo exercitui, atq; adeò ipſimet Galliæ Regi conantur opponere, qui Mediolanenſium fauore, ac ſi minùs conſentiente, ſaltem cõniuente Veneto Senatu, in Italiam intraret. Hi ſententiam ſuam Coſmi Medicis, omnium Italorum ſuæ ætatis facilè ſapientiſſimi habiti, autoritate cõfirmabant: qui bello, quod inter Ioannem Andegauenſem, & Ferdinandum geſtum eſt, etſi cum Ferdinando Pontifex, & Mediolanenſium Dux facerent, ſemper tamen conſuluerat, nè ea ciuitas Ioanni ſeſe opponeret. Laurentij etiam exemplum Petri genitoris cõmemorabant; cuius in omni Andegauenſium reditus famâ, eadem fuiſſet ſemper ſententia: verba, quibus ſæpe Gallorum potentiâ territus vſus fuerat, poſtquã hic idem Rex Britanniâ potitus eſſet, proferebãt, cùm diceret; Italiæ ingentia impendere mala, ſi Rex Galliæ ſuas noſſet vires. Verùm Petrus Medices res magis voluntate, quàm prudentiâ metiri ſolitus, ſibique nimiùm tribuens, & exiſtimans hunc motũ magis in vanos rumores, quàm in res ipſas abiturum, ad hoc ipſum à ſuo quodam familiari Alfonſi donis, vt fama fuit, corrupto, pertinaciſſimè decreuit, in Aragonij amicitia perſiſtere; cuius ſententiæ propter viri potentiam, reliquos ciues aſſentiri denique omnes neceſſe fuit. Autores habeo minimè contemnendos, Petrum autoritate quam pater in repub. obtinuerat, non contentum, quæ tamen talis erat, vt ad eius nutum Magiſtratus crearentur, à quibus nulla res paulò grauior ſine eius voluntate decernebatur, ad maiorem poteſtatem, atque ad Principis abſoluti appellationem aſpiraſſe: quâ in re parùm prudenter ciuitatis conditiones admetiebatur, quæ cum eâ tempeſtate potentiâ, atque opibus floreret, eſſetq; tot iam ſeculis in reipublicæ quadam ſpecie nutrita; honeſtiores præterea ciues ſocijs magis ſimiles, quàm ſubiectis reipublicę adminiſtrationis participes eſſe conſueuiſſent; haud videbatur, niſi vi adhibitâ maiore, tantam, tamq; repentinam cõmutationem latura. Quoniam verò Petrus ad hanc ſuam cupiditatem ſuſtentandam, externis adminiculis opus eſſe videbat, ſeſe, vt ad noui principatus conſeruationem ſibi firmamentum adiungeret, cum Aragonijs arctiùs, quàm par eſſet, conſtrinxerat, decreueratq; vnà cum ipſis eandem fortunam experiri. Accidit aũt, vt ante paulò quã Galli Oratores Florentiam appellerent, quędam Laurentij, & Ioannis Medicis ditiſſimorũ iuuenum, ac Petro ſanguinis cognatione cõiunctiſſimorum, conſilia in lucem proferrentur; qui ab eo leuibus de cauſis abalienati, Coſmi Rucellai, Petri patruelis operâ, cum Ludouico Sfortiâ, atq; eiuſdem ductu, cum Galliæ Rege egerant de Petri potentia minuendâ: quamobrem à Magiſtratibus detenti, leuiſſimâ affecti pœnâ, in ſuas fuerant villas relegati. Nã ciuium moderatio Petrum, etſi non ſine magna difficultate induxit ad conſentiendum, nè in eius propinquos ſeueritate legum vterentur: qui cũ hoc facto certò cognouiſſet, Ludouicum Sfortiã, exitium ſibi machinari, eò magis ſibi cum Aragonijs, vt cœperat, perſeuerandum eſſe exiſtimauit. Oratoribus igitur ornatiſſimis, honorificentiſſimiſq; verbis reſponſum, non tamen, quale ipſi cupiebant, datum; hinc naturalẽ Florentinorum in Galliæ Reges obſeruantiã, immenſumque tam glorioſo Regi gratificandi deſiderium, illinc impedimenta demonſtrantes; Nihil eſſe Principe, aut Repub. indignius, quàm fidem datam non ſeruare: quã niſi turpiter fœdare vellent, eorum poſtulatis aſſentiri nullo modo poſſent. neq; enim dum eſſe ad finem perductum fœdus, quod Regis Ludouici patris ſui autoritate cum Ferdinando ictum fuerat, eâ lege, vt ab eius morte ad Alfonſum pertineret: hoc etiam expreſsè adiecto, vt non modò regni Neapolitani defenſionem ſuſciperе, verùm etiam tranſitu per illorũ fines prohibere, ſi qui ad illud inuadendum accederent, tenerentur: ſe, quod aliter decernere nõ poſſent, ſumma affici moleſtiâ; verùm ſperare, ſapientiſſimum, ac iuſtiſſimum Regem, eorum optimâ voluntate perſpectâ, quod non promitterent, id iuſtiſſimis eorum impedimentis attributurum. Hoc reſponſo indignatus Rex, vt Legati Florentinorũ totâ excederent Galliâ, actutum imperauit: Lugduno aũt, non reliquos mercatores, ſed Ludouici Sforțiæ cõſilium ſecutus, ſolos Petri Medicis menſarios miniſtros expulit. quod quidem eò factum eſt, vt Florentini, Regem hanc iniuriam Petro tantùm, non Florentinorum communi, acceptam ferre interpretarentur.

Veneti neutram partẽ ſecuti, Carolo reſponderũt, pericula à Turcis excuſantes; imminere ipſis Imperatorem Turcarum, cui neque cupiditas, neq; opportunitas eos infeſtandi deeſſent: hanc ob cauſam neceſſitate compelli, tot inſulas, tot loca maritima eius imperio finitima, maximis impendijs munita tenere: eâ re fieri, quò minùs alienis bellis, ſeſe poſſent immiſcere.

V. *Florentini, ac Veneti excuſant ſe cum Rege Galliarũ.*

Ad hunc modum Florentini, & Veneti cùm reſponſa dediſſent, Carolus nihilominùs terreſtres, maritimoſq; apparatus faciebat. & quidẽ Petrum Orpheum, Genuam præmiſerat, quam vrbẽ Dux Mediolanenſis, Adurniæ factionis, Ioanniſq; Fliſci ope tenebat, vt ibi claſſem nauibus onerarijs, & triremibus ornatiſſimã, ac validiſſimam compararet; alias præterea naues ipſe in Villafranchæ, Maſſiliæq; portu armari curabat: ex quo in eius aulâ ferebatur, Regem in regnum Neapolitanum mari inuadere, vt contra Ferdinandum, Ioannes Renati filius fecerat, cõſtituiſſe. In ipſa quoq; Gallia, etſi plerique Regẽ tum animi imbecillitate (nunc Molinum, nunc Lugdunum adiens, pulcherrimarum mulierum amore tenebatur, conuiuijs etiam eas adhibens, certaq; loca deſignans, quibus cõuenirent; nactus etiam non ignobiles emiſſarios, architectoſq; libidinũ, per quos fiebat, vt diei breuitatem cõuiuijs, noctis longitudinem voluptatibus contereret) tum eorum, à quibus ad eam expeditionem impellebatur humili conditione, tum pecuniæ inopiâ adducti exiſtimarent, hoſce apparatus denique inanes futuros; nihilominùs tantus erat Regis ardor, qui quorundam ſuorum, quorum cõſilia maximè ſequebatur, ſuaſione, Regis Hieroſolymæ, atq; vtriuſq; Siciliæ (ea enim erat id temporis Neapolitani Regis appellatio) nomẽ recenter aſſumpſerat, vt in id bellum opportuna magno feruore omnia cõpararentur: pecunia cogenda, delectibus habendis, cõſilijs cum Galeacio SanSeuerino, in cuius pectore omnia arcana, omnia conſilia, actioneſque Ludouici Sfortiæ concludebantur, conſtringendis.

VI. *Alfonſus Rex Ludouico Sfortiæ palàm infenſus.*

Cæterùm Alfonſus, qui nullã rem ad bellũ opportunã terrâ, mariq; prætermiſerat, ratus Ludouici verbis nullã ampliùs fidẽ habendã eſſe; magiſq; profuturum, ſi eum terreret, atq; infeſtaret, quàm ſi blandiendo mitigare conaretur; Legato Mediolanenſi Neapoli abſcederet, imperauit; ſuũ Mediolani agentẽ reuocauit, Barijque poſſeſſionẽ, totiuſq; eius ditionis vectigalia, à Ludouico per multos annos Ferdinãdi dono poſſeſſa, occupauit. Nec hic cõtentus ſignis potiùs animi offenſi, quàm offenſionibus, totis in id viribus incubuit, vt Genuenſiũ ciuitatẽ à Ludouico Sfortiâ abalienaret; rẽ illis in motib[9] maximi momẽti. eius namq; ſtatûs mutatione, facultas haud ſanè parua Mediolanenſis ſtatûs contra Ludouicũ perturbandi, præbebatur; & Galliæ Rex, regni Neapolitani infeſtãdi magnâ opportunitate priuabatur. Cum Paulo igitur Fregoſio Cardinale, qui Genuenſiũ Dux anteà fuerat, quẽ non pauci eiuſdẽ familiæ ſequebantur, & cũ Obiecto Fliſco, ambob[9] magnis in ea ciuitate, eiuſdemq; littoribus, clientelis pollentibus; ac præterea cum alijs quibuſdam Adurnijs omnibus diuerſis de cauſis Genuâ exulantibus, re deliberatâ; decreuit valida eſſe tentare, an eos poſſet in

patriam reducere; illud dictitare ſolitus; Anteuertendo, ac diuertendo, victoriam ex bellis reportari ſolere. Conſtituit pariter cum firmo exercitu ipſemet in flaminiam, Aemiliamque proficiſci, vt inde repentè in Parmenſem agrum duceret, vbi Ioannis Galeacij nomine proclamato, eiuſque vexillis oſtentatis, Mediolanēſis imperij populos tumultum in Ludouicum excitaturos ſperabat. quòd ſi maximè aliqua difficultas obſtaret, commodiſsimum tum exiſtimabat, procul ab ſuo regno bellum inchoari, ratus ad rei ſummam pluri mum intereſſe, Gallos in Longobardia, ad Hybernam vſque tempeſtatem diſtineri, vtpotè qui bellis tantùm Italicis aſſuetus, in quibus milites pabuli equorum maturitate expectatâ, ante extremum Aprilem in caſtra prodire non cōſueuerant, exiſtimabat eos, vt eius tempeſtatis aſperitatem vitarent, in amica regione, neceſſariò hyematuros: ſperabatque intereà temporis, occaſionem aliquam ſuæ ſalutis facilè exoriri poſſe. ac nè quid relinqueret intentatum, Legatos Conſtantinopolim ad Bayaſettum Otthomanum, Turcarum principem miſit, Pandonium Camillum, qui doceret, quales, quantique Gallorum apparatus; qui eius gentis animi, quæ decreta Caroli Regis ad inuadendam Macedoniam eſſent: hortareturq; Regem Barbarum ad tranſmittenda auxilia, quando vna ratione, & tum, & in poſterum Macedoniam, ac Epirum omni periculo eſſet, liberaturus. Quòd ſi Calabriæ, & Apuliæ oram, quę procul dubio Græcię, & Conſtantinopolitani Imperij munimenta forent, occupari à validiſsimo communi hoſte pateretur, ipſum ſerò aduersùs Victores Gallos, qui continuò in Gręciam eſſent traiecturi, conſilia, atque opes ſuas oppoſiturum. Poſtulabat Alfonſus ſena millia peditum, & equitum, quæ ipſe, dum hoſtis in Italia foret, liberali ſtipendio eſſet aliturus. Erat enim præcipuus Turcarum virtutis militaris admirator, vt qui paucis ante annis Hydruntino bello, & mox ad Velitras iuſtâ in acie eorum diſciplinæ, ac fortitudinis periculum feciſſet. Sciebat præstereà, commune periculum à Bayaſetto minimè contemptum iri. Nam ex præteritorū memoriâ bellorum, quæ à Gallica natione cōtra Chriſtianæ religionis hoſtes in Aſia erant geſta, Gallorum illi arma non parùm formidabant.

VII. *Oſtiam recuperat Alexander Pōtifex.*

Hæc dum parte in omni procurantur, Pontifex ſuas copias ductore Nicolao Vrſino, Pitiliani Comite, Oſtiam miſit, terrâ, marique Alfonſo auxilia ſubmittente: cumque oppidum haud difficulter in ſuam poteſtatem redegiſſent, cæpiſſentque tormentis arcem percutere, præfectus arcis, Fabricio Columnâ intercedente, & Ioanne Rouereo Vrbis Præfecto, paucis pōſt diebus deditionem fecit, eá conditione, nè Pontifex Cardinalem Iulianum, Præfectumue ſacris interdiceret, neuè armis perſequeretur, niſi nouis delictis ipſi occaſio præbita eſſet. Fabricio Columnæ in cuius poteſtate Grittaferratam reliquerat Cardinalis, conceſſum fuit, vt ducatorum decē millibus Pontifici perſolutis, eam eodem iure poſsideret. At Ludouicus Sfortia, cui Iulianus Cardinalis Sauonâ iter faciens, quę ſuo conſilio, & operâ cum exulibus Alfonſus clàm ageret, patefecerat; quantis impedimentis eius cōſilia turbarentur cùm Carolo demonſtraſſet, eum induxit, vt Heluetiorum duo millia, qui Genuam in officio continerent, decerneret; vtque ſine omni cunctatione, trecentos grauis armaturæ equites, in Italiam tranſire iuberet, vt ſub Obignei Imperio, qui tum Româ reuerſus, Caroli iuſſu Mediolani conſederat, Longobardiam tutari, atque vlterius, ſi neceſsitas poſceret, occaſione, progredi poſſent: his adiungerentur quingenti Itali equites, eodem tempore Regijs conducti ſtipendijs, quibus Ioannes Franciſcus Sanſeuerinas Caiaci, Galeotus Picus Mirandulę Comes, Rodulfus Gonzaga præficerentur; alij item quingenti, quos Ludouicus ex pacto conducere, ſuo ære debebat: qui tamen nihil de conſuetis artibus prætermittens, de ſua ad Italię quietem, ac ſecuritatem propenſione Pontificem, Petrumque Medicem confirmare non ceſſabat; nunc hoc, nunc illud ad illorum alendas ſpes comminiſcens, cuius rei breui, aiebat, argumenta minimè obſcura appa ritura. Fieri vix poteſt, quin, quod efficaciter aſſeueratur, ambiguos reddat animos, etiam eorum, qui ſecus credere cōſtitutum habent. Itaque etſi Ludouici verbis iam nulla fides haberetur illud tamen aſſequebatur, vt eius promiſsis, decreti apparatus tardarētur.

*Ruerei conſilium Galliarū Regi datum.*

Pontifici enim, Petroq; Medici res Genuenſium mouere vehementer placuiſſet: quoniam verò eâ re ſtatus Mediolanenſium directò offendebatur, Pontifex ab Alfonſo de triremibus, deque ſecum ſuis copijs in Flaminia coniungendis appellatus, vt pro communi defenſione in Flaminia coniungerentur, annuebat; at vt vlteriùs procederent, nō concedebat: maximè quòd Ioannes Bentiuolius, Bononiā gubernans, nè Carolum illac tranſire permitteret, etiā oblatâ eius filio, purpureâ dignitate interpellatus, nec quicquam tunc Pontifici auſcultare voluit, Ludouico, & Gallis amicior. De triremibus, difficultates opponebat, aſſerēs nondùm tempus eſſe, Ludouicum in tantam deſperationē adducere. quin & Florentini, vt Regiam claſſem intra Liburni portum reficiendi gratiâ admitterent, requiſiti, eadē de cauſa hærebant ſuſpenſi, & quoniam ad Regis Galliæ petitiones, fœdus, quod cum Ferdinando haberent, excuſauerant, haud facilè, vt vltra quàm fęderis neceſsitas cogeret, aliquid facerent, moueri poterant. Cùm autem rei procraſtinationem iam ferre non poſſent, tandem Regia claſsis Friderico maris præfecto duce, Neapoli ſoluit; Alfonſus autem ipſe omnes ſuas copias in Aprutiū, vt in Flaminiam trāſiret cogit. Sed priuſquam vlteriùs procederet viſum eſt cum Pontifice idem cupiente in colloquium venire, quod de ſummâ rerum, deq; ijs, quæ ad communem ſalutem pertinerent, ſemel ſtatueretur.

*Collocuturi Pontifex, & Alfonſus Rex ad vicum Varronis conueniunt.*

Idcircò 10 die Iulij conuenēre, ad Vicum Varonis, quē *Vicouarum* hodiè vulgò appellant. Eſt is locus in Valeria Anieni fluuio incubās, vt non etiam ineptè quis interpretetur, ſi quis à via nobiliſsimâ, Valerium vicum olim dictum exiſtimet, Vrſinorum vetuſta ſedes, ac ditionis princeps olim locus: quò tū Clerus frequens, & in his vndecim ſupremi Ordinis Antiſtites coiuēre, Pontificem ſecuti; Oratores præstereà Regum, liberorumque populorum plerique Aderat & Virginius Vrſinus loci dominus, ac Regiarum copiarum Imperator. Hic Alfonſus, vbi de ſumma belli, cuius rei causâ cō venerant, cæptum eſt referri, in hanc ſententiam verba feciſſe dicitur:

VIII. *Alfonſi ad Pontificem oratio.*

*Vellem ego, Alexander Pontifex Maximè, Patres & viri præſtantiſsimi, vt quemadmodum in hoc modico conuentu, qui pro maieſtate ſedentiū ampliſsimi quiddam habet inſtar Concilij, de re non paruâ ſum hodie dicturus, ità ex ſpecula aliquâ eminentiſsimâ, vnde à tota Italiâ & conſpici poſſem, & audiri, altâ liberet voce teſtari, quid de hoc Gallico tumultu ſentiam, qui Italiæ imminet. Certè ſi nihil ſuadendo proficerem, relinquerem tamen apud omnes teſtatum, & prædixiſſe me iam anteà mala, quæ hinc euentura ſunt, & vt illis iretur obuiam, conſilio, & opibus me auctorem præbuiſſe. Nunc etſi planè video auctoritatem meam leuiorem videri, ob vulgati belli famam, quæ de induſtria eſt à Gallis diſsipata, vt dicant ſe Alfonſum Regem, eiuſq; regnum, non Italiam petere, dicam tamen, quod ſentio, illudq; omniū primùm, & vt verè, ità liberè dicam fuiſſe me, euentum belli huius minus ſolicitè expectaturum, ſi compertum haberem in me tantùm, & meos, qui Italiâ incolumi cadere non poſſumus, hoc bellum comparari: ſed aut Gallorum ingenia parùm mihi nota ſunt, aut tota Italia bellum habitura eſt. Nec quia Neapolitanum regnum hæreditario, vt ipſi aiunt, iure à me repoſcunt ſi (quod nolim) eius rei compotes fiant ſunt propterea cætera Italiæ parſuri. Iam ſatis, ſuperq; nota eſt Gallorum auaritia, nota inexplebilis auri ſitis, libido alienæ terræ occupandæ, diripiendæq; notum odium in omne Italicū nomen. Etenim, quam, per Deum, aliam eorū maiores habuēre cauſam inuadendæ Italiæ, vt nè natura quidem rerum omnium potentiſsima, aſperrimarum obiectu Alpium illorum rabiem coercere potuerit, niſi, vt armis domitam, opibus, & fortunis ſpoliarent, ſpoliatam vectigalem facerent? Quid Cenomani, Inſubres, Boy, Senones, aliud ſecuti ſunt? quibus non ſat fuit occupâſſe quicquid ſoli inter Apenninum iacet, & Alpes, quin etiam Apennini iuga tranſgreſsi, in ipſa Italiæ viſcera penetrârunt, Romam Italiæ caput ceperunt, captā diripuerunt, direptam igni, ferroq; delere conati ſunt; deleuiſſentq; haud dubiè, niſi Capitolium cum arce defenſum, dij am gentem propoſito auertiſſent; tanta fuit his omni tempore perdendæ Italiæ cupiditas, tanta delendi nominis libido. Quid, quod nè vnâ quidem victoriâ contenti eſſe queunt? Nam quid aliud eſt Neapolim cum Apuliâ, & Calabriâ occupare, extremumq; Italiæ angulum obtinere, quàm ſe velut in naſſam quandam, atq; in arcta vincula conijcere, vbi ferro, & fame ferarum ritu conficiantur, niſi tota illis Italia ad libitum pareat? Habebunt, dicet aliquis, Mediolanenſes ad obſequiū paratos, habebunt Genuenſes. At non ſemper illi vt hodiè Gallorum rebus conſultum volent. Quarè niſi ſtulti ſunt Galli, non magis hodiè de Apulia, & Calabriâ ſubigendâ cogitant, quàm de reliqua Italiâ. Iam & in Turcos bellum tranſlaturi dicūtur, quòd, niſi Italiam ad obſequium habeāt paratam, quâ ſpe, quâ fiduciâ id bellum inchoari poſsit, haud ſatis intelligo. Quod quum ita ſit, video equidem Alexander Pontifex optime, video Patres prudentiſsimi, ac tam perſpicuè, quàm quæ oculis videri ſolent, niſi communi Italiæ conſenſu, præſenti incendio maturè occurratur, fore, omnia ſint breui pariter deflagratura. Enimuerò Gallici motus eò ſemper terribiliores viſi, quò magis ſubiti, & præcipites, quàm aliarum gentium. Adde ferit atē gentis, quæ tanta eſt, vt de vitâ cum his dimicare oporteat. Non bellorum induciæ, non captiuorum permutatio; non lingua, non morum commercia vlla; de vita prima, & vltima dimicatio eſt. quò fit, vt quantò magis ab hoc mitiore bellandi more, quo vtitur Italia, abhorrent, eò ſint illorum arma magis formidanda, longeq; ab Italiæ finibus arcenda. Quod quum nō mihi magis, & meis, quàm Italis omnibus periculum ab ea gente immineat; nec de fortunis modò, ſed de vitâ ſit futurū certamen, tuum eſt Beatiſsime Pater, eſt & omnium Principum Italiæ, populorumq;, pro communi ſalute, communi nomine bellum hoc ſuſcipere, ſocia arma iungere, imminentem peſtem ab ipſo Italiæ limite propulſare: ac ſi qui pro Gallis ſentire creduntur, ſummâ ope adniti, vt nobiſcum ſentiant, Italiæ libertatem cum ſuis defendant.*

*Bella Italica Gallis ſemper noxia.*

*Vetuſtiſsimo illo conſenſu opus eſt, quo vetus Italia in Gallicis motibus ſemper vſa eſt: in qua re conficiendâ, tua inprimis operâ nobis opus eſt Alexander Pontifex optime, qui quò plus authoritate polles eò magis tuo motu, hortatione, imperio niti debes vt cæteri in Italia tuendâ tecum ſentiant. Quòd ſi, vt ſpero, tua Beatitudo tenebit, vt omne Italicum nomen in vnum conſpiret, haud dubiè vicimus, auertentur ſuo conatu hoſtes metu noſtrarum virium: aut ſi quid vltra tentabunt, vt in intima Italiæ loca irrumpant, nihilo meliore euentu bellabunt, quàm eorum maiores in hac terrâ ſæpius bellaſſe dicuntur, quippe, qui haud vnū Italiæ locum ſuâ clade nobilitârunt. Conſenſu opus eſt, vt aixi, celeritas intereà adhibenda. Interim Ferdinādus filius, cum magna equitatus noſtri parte, tuiſq; Pater Beatiſsime, & Florentinorum auxilijs, opportuna intra Padum, & Apenninum loca inſidebit, vt primis hoſtium motibus occurratur. quòd ſi minùs contingat, vt Gallis, quia aliorum fauore deſtituti ſimus, obſiſti nō poſsit, tum alij viderint, quâ via ſibi, & ſuis conſultum velint. Ego, quod ad me attinet, totius regni viribus connixus, priuſquā Galli fines noſtros irrumpant, acie cum his confligere conſtitui, vt vel vno prælio, ſi res proſperè cedat, res meas cum tota Italiâ defendam, aut ſi (quod nolim) victus fuero; pulchrâ morte vitam cum regno finiam.*

IX. *Laudatur Alfonſus Rex, eiq; ſubſidia promittuntur.*

Laudatus eſt Alfonſus ab omnibus, & inprimis à Pontifice, iuſſuſque eſt benè ſperare, fortiq; animo eſſe; futurum, vt neque Eccleſiæ opes, neque ſuam operam in tanto bello deſideraret, neque in veteribus ſocijs in fide cōtinendis, neq; in nouis comparandis ſuum ſtudium defuturum; quod vt re etiā præſtaret, Oratores, qui aderant, vehementer hortatus eſt, vt ad ſuos Principes ſcriberent, & ipſe ſe miſſurum pollicitus eſt, qui totam Italiam in Gallos concitarent, bellumque communi nomine in eam gentem ſuſcipiendum ſuaderent. Conſtitutum præstereà, nè Rex ipſe vltrà progrederetur, ſed partem exercitus, qui à Rege centum ferè turmas equitum, vt vicenos equites ſingulis turmis aſsignes, atque vna hippotoxotarum, qui baleſtarij equites hodiè dicuntur; leuis armaturæ equitum pluſquā tria millia cōtinere ferebatur, ſecum in Apruſiorum, ſiue, vt antiqui Præcutinorum finibus, quò tutam præſtaret Pontificis ſuamque ditionem, retineret: Virginius verò in agro Romano, vt Columnij in officio continerentur, maneret; atque eandem ob cauſam duceni caraphracti Pontificij, Regis item turmæ aliquot leuis armaturæ, Romæ conſtiterant. In Aemiliam verò cum turmis ſeptuaginta, cum reliquis leuis armaturæ equitibus, cumq; maiore parte Pontificis copiarum, quæ & defenſionis tantùm gratiâ erant attributæ, Ferdinandus Calabriæ Dux (ea omnium erat Regum Neapolitanorum maximi natu filij appellatio) altæ ſpei adoleſcens tranſiret; iſque ſecum tamquam iuuentutis ſuæ moderatores haberet Ioannem, Iacobum Triultium, Regiarum copiarū ducem, ac Nicolaum Petiliani Comitem, qui à Pontificijs ſtipendijs, ad Regem tranſierat, peritiſsimos belli duces, & famâ celeberrimos. Plurimùm autem referre videbatur, cùm in Longobardiā ducendum eſſet, Ferdinandum adeſſe, propterea quòd cum Ioanne Galeacio, Iſabellæ ſororis ſuæ marito, atque eodem Galeacij Hyppolytæ, quæ Ferdinandi mater fuerat, fratris filio, arctò, duplicique cognationis vinculo coniunctus eſſet.

X. *Statuitur, quomodò Columnenſes in officio contineri debeant.*

Verùm ex rebus grauiſsimis, quæ inter Pontificem, & Alfonſum agerentur, de Columnenſiū rebus vnum fuit, propterea, quòd nō obſcuris ſignis aduertebatur, eos noua conſilia ſpectare. Nam cum Proſper, & Fabritius, ſtipendia defuncti Regis meruiſſent, ab eoq; prouincias & honores obtinuiſſent, eo mortuo non modò Proſper poſt multa promiſſa Alfonſo de eius ſequendis ſtipendijs facta, ſeſe Aſcanij Cardinalis operâ cum Pontifice, Mediolanenſique Duce coniunxerat, nec ſe vni Pontifici id ab eo petenti adijcere voluerat: verùm etiam Fabricius, qui in Alfonſi ſtipendijs perſeuerauerat, Pontificis, ac Regis in Proſperum odio perſpecto, ægrè adduci, vt cùm Duce Calabriæ in Aemiliam proficiſceretur, poterat, niſi priùs Proſperi totiusque Columniæ gentis res in tuto ponerentur. Hic prætextus difficultatū erat: ſed reuera vterq; ab Aſcanij Cardinalis amicitia, qui paulò ante inſidias veritus Pōtificis ſeſe Româ ſubduxerat, atq; in eorum ditionem receperat, trahebatur: nec non maiorum ſpe præmiorū; multoq; magis dolore, quòd primum locum apud Alfonſum, ampliore que ipſius felicitatis partes Virginius Vrſinus, aduerſæ factionis princeps obtineret, ſeſe Regis Galliæ ſtipendijs addixerant, quod vt occultum tenerent, donec citrà periculum ſe eius mereri ſtipendia profiteri poſſent deſiderium præſeferentes cum Pontifice, Alfonſoque, qui omnia tenebât, vt Proſper eadem cōditione ab ipſis acceptâ, quòd aliter ab eo ſecuri eſſe nequirent, Mediolanenſium Ducis ſtipendia relinqueret conueniendi, continenter cum ipſis agebant: Sed nè res ad exitum perduceretur, nunc hoc, nunc illud in ijs, quæ proponebantur conditionibus, mouebant. Quâ in re diuerſa erant Pontificis, Regisque conſilia. Alexandro enim eos caſtellis, quæ in agro Romano tenerent, ſpoliare cupienti grata erat occaſio, eos inuadendi: Alfonſus verò, qui nihil aliud, quàm vt ſe tutum præſtaret, ſpectabat, in bellum, niſi extremâ adductus neceſsitate, minimè propendebat, ſed Pontificis voluntati ſe opponere non audebat. Itaque vno conſenſu, eos armis eſſe cogendos ſtatuērunt. Illud etiam inter eos deliberatū, quibus viribus, quove ordine id eſſet aggrediendum, verùm priùs re tentatâ, ſi paucis diebus res eorum componi tandem poſſent.

XI. *Italici belli primordia à Genuenſibus Alfonſus Rex auſpicatur.*

Hæc, atque alia multa ab omni parte agebantur; verùm Italiæ bellis tandem primordia Friderici Aragonij, in Genuenſes, profectio dedit, maiore proculdubio claſſe, atque inſtructiore, quàm multis ante annis vlla Tyrrhenum mare percurriſſet. quinque enim, ac tri

ginta triremes habuit, onerarias naues decem, & octo aliaſque minora nauigia non pauca; & in his complura tormenta, peditumque, quæ in terram exponerentur, tria millia. Eâ claſſe confiſus, quodque ſecum Genuâ exules haberet, Neapoli magnâ victoriæ ſpe ſoluerat: verùm profectionis tarditas, ex difficultatibus, quas plerumque magni motus ſecum trahunt, ex parte quoque aliquâ à Ludouici Sfortiæ artificioſis, quibus ſpes aleret dolis orta, nec nõ quod in Senenſium portubus, donec militum 5000. numerum expleret, conſederat, difficile factu reddidit, id, quod menſem ante vnũ tentatum, facillimum extitiſſet. Nam cùm hoſtes ſatis tẽporis ad res ſuas confirmandas habuiſſent, iam Diouinenſis præfectus, cum Heluetiorum duobus millibus Regio ſtipendio cõductis, Genuã erat ingreſſus: iamq; naues triremesq; cõplures, in eo portu diſpoſitæ armabantur; pars item nauium Maſsiliæ inſtructarũ appulerat: nec Ludouicus vllis parcebat impenſis, qui Gaſparum San Seuerinatem cognomento Fracaſſam, fratremq; eius Antonium Mariam, cum peditum cohortibus aliquot eò miſerat: vtq; non minùs Genuenſium beneuolentiâ, quàm externis viribus vteretur, partim donis, partim ſtipendijs, varijsq; præmijs, Ioannis Ludouici Fliſci, Obiecti fratris, Adurniorũ quoq;, aliorumq; nobilium, & popularium non paucorũ animos, quorum operâ, ſtudia eius ciuitatis erga ſe retineret, confirmauerat. Ad hæc Genua, alijſq; eius littoris oppidis exulum clientes Mediolanum euocauit. His per ſe validis apparatibus plurimùm exiſtimationis, & firmitudinis Ludouici Aurelianẽſis Ducis præſentia adiunxit: qui iiſdem, quibus Aragonia claſsis in Genuenſium mari cõſpecta fuerat, diebus, in eam vrbem Regis Galliæ iuſſu erat ingreſſus, cum priùs Alexandriæ cum Ludouico Sfortiâ de re communi egiſſet: qui vt tenebrarũ plenæ ſunt mortaliũ res, cùm lætanter, & magno cum honore, verùm vt parem, acceperat, neſcius, quàm breui tum principatûs, tum vita ipſius eius in poteſtatẽ eſſet ventura. His rebus permoti Aragonij, qui priùs ſeſe in Genuæ portu cum claſſe cõſpiciendos præbere, ſperantes ab exulum clientibus, & amicis motum aliquem excitatum iri, conſtituerant, mutato conſilio Liguſticam oram infeſtam habere decreuerunt: ac pòſt aliquam ſententiarum varietatem, Orientaliſne, an occidua eſſet priùs inuadenda, Obiecti ſententiam ſecuti, qui plurimùm ſibi de oræ Orientalis incolis pollicebatur, claſſem ad portum Veneris direxere: cuius oppidũ quod ab Genuâ pedites quadringenti præſidij cauſâ venerant, oppidanorumq; animi ab Ioanne Ludouico Fliſco, qui Spediam venerat, cõfirmati erant, multis horis fruſtrà oppugnârunt. Sed expugnandi ſpe amiſſâ, ſeſe in Ligurni portum, quò & cõmeatum renouarent, & augerent militum numerũ receperunt. Nam cum intelligerẽt littoris oppida præſidijs benè munita eſſe, maioribus opus eſſe viribus iudicârunt. Itaq; Fridericus, vbi Gallicam claſſem ſuâ, triremibus inferiorem, ſed nauibus ſuperiorẽ, ſeſe è Genuæ portu emitteret, comparare percepiſſet, quò triremium celeritate vſus, ſi fortè in ſe totâ claſſe Gallus impetum faceret, ſummouere ſe expeditiùs periculo poſſet, naues ſuas Neapolim remiſit: eâ tamen ſpe, vt ſi aut caſu, aut voluntate contingeret, hoſtium triremes à nauibus ſeiungi, eis ſeſe opponeret.

*Oram Liguſticam infeſtat.*

XII. *Dux Calabriæ in Aemiliã contendit.*

Eodem tempore Aemiliam versùs Dux Calabriæ, eo animo, vt prima conſilia ſecutus, pòſt in Longobardiam tranſiret, contendebat. Verùm quò ſibi liberum aditum pararet, nec impedimentum vllum à tergo relinqueret, Bononiam ſibi, atque Immolam, & Forum Liuij adiungere, neceſſe erat. Nam Cæſena Pontificij iuris ciuitas, & Fauentia Aſtorri Manfredo puero ſubiecta, qui in ſtipendio, & tutelâ Florentinorum erat, ad omnia Aragoniorum cõmoda paratę erant. Forum Liuii, atq; Immolã, Eccleſiæ Vicarii nomine, Octauianus Hieronymi Riarii filius, ſub tutela tamen Catharinæ Sfortiæ matris ſuæ, obtinebat: cum qua Pontifex, & Alfonſus iam menſes aliquot de Octauiano cõmunibus ſtipendiis conducendo, egerant, eâ conditione, vt ditionis ipſius defenſionem ſuſciperent. Verùm ea res ad exitum perduci nõ potuit; partim impedimentis ab ea, quò moliore conditione vteretur, interpoſitis; partim quòd Florentini prima decreta ſecuti, quibus ſe aduersùm Regẽ Galliæ nihil amplius facturos eſſe, quàm ex fœdere, quod cum Alfonſo haberent, tenerentur, conſtituerant, ei pactioni, ad quam eorum conſenſus requirebatur, non aſſentienbantur. Pontifex enim, & Rex, eum ſumptum ſoli ſuſcipere recuſabant: atq; id eò magis, quòd Catharina eam vrbem periculo ſe expoſituram, ni vnà cum cæteris Florentini ad filij ſui res tuẽdas obſtringerentur, prorſus negabat. Hæc impedimẽta Ferdinandi, & Petri Medicis colloquium in Burgo San ſepulchro, dum Ferdinandus Ariminenſi viâ, quæ nunc Marchia dicitur, in Aemiliam ducit exercitũ, habitum remouit. Nam primo ſtatim congreſſu, ei patris ſui Alfonſi nomine, ſe, ſuaſq; copias obtulit, quò eis ad libitum ſuum in Florentinorum, Senenſium, & Fauentinorum rebus vteretur: quâ re primus in Petro ardor accenſus eſt. Itaq; Florentiam reuerſus, prudentioribus etiã ciuibus diſſuadentibus, ei pactioni ſubſcriberetur, quod id ſummopere eſſet à Ferdinãdo rogatus, voluit: quâ cõmunibus Pontificis, Ferdinandi, & Florentinorum impenſis cõſectâ, in ſuas nõ multò poſt partes Bononiã ſuis ſtipendijs eodẽ modo Ioanne Bentiuolio cõducto, cuius autoritate, atq; arbitrio tum ea ciuitas gubernabatur, traxerunt: cui promiſit Regis, & Petri Medicis fide interpoſitâ Pontifex, ſe filiũ ipſius Antonium Galeacium, tunc Protonotarium (vt vocant) Apoſtolicum, in Cardinalium collegium cooptaturum. Magnã horum acceſsio exiſtimationem Ferdinandi copijs cõciliauit; multò maiorem conciliatura, ſi his ſucceſsibus in Aemiliã maturiùs ingreſſus eſſet. Verùm tum profectionis è Regno tarditas, tum Ludouici Sfortiæ vigilantia perfecerat, vt non priùs Cæſenã peruenerit Ferdinandus, quàm Obigneus, & Sfortianarum ductor copiarum Gaiazzus cum exercitus in Aragonios deſtinati parte, itinere per agrum Bononienſem citrà vllum impedimentum peracto, in Imolenſem agrum ſeſe effudiſſent. Quamobrem primis Ferdinandi conſilijs de ducendo in Longobardiã exercitu, perturbatis, bellum in Aemilia gerendum neceſſariò fuit: vbi cæteris vrbibus Aragonenſiũ partes ſequentibus, Rauenna, & Cernia neutri parti adhærebant: parua autem illa Eridano flumini adiacens ora, quã Ferrarienſium Dux tenebat, Gallorum, ac Sfortianorum copijs nulla commoda denegabat. Verùm enimuerò, neque difficultatibus, quibus à Genuenſium expeditione reiecti fuerant, neque impedimẽtis in Aemiliâ obiectis, Petri Medicis temeritas frangebatur; qui clàm, & inconſulta Repub. cum ſe, cum Pontifice, & Alfonſo coniunxiſſet, obſtrinxiſſetque, ſe palàm Regi Galliæ oppoſiturum, non modò, vt claſsis Neapolitana receptum, & commeatum in Liburni portu, facultatẽ præterea militem ex omni Florentinorum ditione euocandi haberet, permiſerat: ſed cùm nullis iam terminis contineri poſſet, perfecit, vt Annibal Bentiuolus Ioannis filius, qui Florentinis militabat, cum ſuis, & Aſtorris Manfredi copijs, ſeſe cum Ferdinandi exercitu ſimul, ac is ForoLiuienſiũ agrum attigit, coniungerentur: ad quẽ etiam, vt mille pedites, atq; tormenta aliquot à Florẽtinis mitterentur, effecit.

*Florentini, & Bononienſes Regi Alfonſo, & Petro ſeſe adhærẽt.*

XIII. *Pontifex à bello Italiæ deterret Carolum Gallorum Regem.*

Similis in Pontifice animus continenter apparebat; qui ſuprà armorũ apparatum, Carolum à tranſitu Alpium epiſtolâ (Nauclerus eam ſe legiſſe affirmat) deterruiſſe, monuiſſeque, diſceptatione, nõ armis ageret, minimè contentus, ei pòſt altera epiſtolâ, eadem ſub pœna ſacroſanctæ cenſuræ imperauit; per Epiſcopum item Calaguritanum, ſuum apud Venetos nuntium, vbi eandem ob cauſam Alfonſi, ac, tametſi poſtulatis haud ità apertis, Florentinorum agebant Oratores, Venetum Senatum magnoperè extimulauit, vt ad communem vtilitatem, armis ſeſe Galliæ Regi opponerent; aut ſaltem





tem Ludouico Sfortiæ ſerio denuntiarent, ſibi hanc rerum nouarum agitationem moleſtam eſſe. Verùm Senatus per ſuum Ducem dato reſponſo, haud quaquam prudentis officium Principis eſſe, bellum, vt à domo aliena remoueat, in propriam, & ſuam pertrahere, nullo modo adduci potuit, vt aut verbis, aut factis quicquam ſuſciperet, quod partibus diſplicere poſſe videretur. Ad hæc, quoniam Hiſpaniæ Rex à Pontifice, & Alfonſo requiſitus, claſſem milite inſtructã ſe in Siciliam, vt Regno Neapolitano, ſi opus eſſet, ſuccurreret, ſed tardiùs fortè propter rei nummariæ difficultatem, miſſurum ſpondebat: Pontifex ipſe ſupra certam ſummam ab Alfonſo ad eum miſſam, conceſsit, vt in hunc vſum pecuniam omnem Sedis Apoſtolicæ autoritate in Hiſpania belli ſacri, quod Cruciatam vocant, nomine coactam, poſſet conuertere: quam pecuniam in alios vſus, quàm contra religionis Chriſtianæ hoſtes, nefas erat inſumere. Alfonſus præter hæc, denuò Camillum Pandonium, ad Baiaſetem reuerti iuſsit: quò, cùm etiam clam Pontifice profectus eſſet Georgius Buciardus Genuenſis, (quem aliàs Innocentius Pontifex ad Turcam miſerat) à maleuolis ſparſum, vulgoque creditum eſt, ab Alexandro ad reprimendos Gallos miſſum fuiſſe. Hi à Baiaſetto, maximo honore affecti, atque illico ferè dimiſsi, auxiliorum magnifica promiſſa retulerunt: quæ, etſi non multò poſt per Legatum Neapolim à Baiaſetto miſſum confirmata eſſent; tamen ſiue locorum interuallo, ſiue quòd non ſatis Turca fideret Chriſtianis, nullum effectum habuerunt.

XIV. *Alfonſus Rex, & Petrus Mediceus decipere tentant Ludouicum Sfortiam.*

Eodem tempore Alfonſus, & Petrus Medices, cùm parum proſperos terrâ mariq́ue ſucceſſus haberent, Ludouicum Sfortiam ſuis artibus decipere, ſed haud feliciore induſtriæ euentu, quàm viribus, tentârunt. Opinio multorum fuit, Ludouico ex proprij periculi conſideratione, moleſtum fuiſſe, Regem Galliæ regno Neapolitano potiri; verùm propoſitum eius fuiſſe, vbi ſe Mediolani ducem feciſſet, Gallorumq́ue exercitus in Hetruriam penetrâſſet, ſeſe ad aliquam compoſitionem interponere, per quam ſe Alfonſus Regis Galliæ ſtipendiarium agnoſceret; deque pactorum obſeruantiâ & fide Regi cautione datâ, ac forſitan ab Florentinis oppidis, quæ in Lunigiana tenerent ereptis, Rex in Galliam reuerteretur. Sic Florentinis concuſsis, Regno Neapolitano viribus, atque autoritate diminuto, ipſe Dux Mediolanenſium appellatus, tantum eſſet conſecutus, quantum ſatis eſſe ad ipſius ex periculis, quæ ei ex Gallorum victoriâ imminere videbantur, ſecuritatem videretur. Sperâſſe Carolum hyeme præſertim aduentante, in aliquam difficultatem venturum, quâ ei victoriæ curſus impediretur: Regemq́ue à pecunijs imparatum; multorum item ſuorum voluntate ab hac expeditione alienâ, facilè fieri poſſe ſperabat, vt modus aliquis compoſitionis inueniretur. Quicquid horum ſit verum, illud tamen eſt certum, Ludouicum quamuis initio, quo Petrum Medicem ab Aragonijs diiungeret, multum laborâſſe, cœpiſſe pòſt eum occultiſsimè vt in ſuâ ſententiâ perſiſteret hortari, eidemq́ue polliceri, ſe daturum operam, vt aut nè Rex Galliæ tranſiret; aut ſi id non poſſet, breui & quidem priuſquàm quicquam cis alpes tentaret, in Galliam reuerteretur: nec per Legatum ſuũ Florentiæ manentem, idipſum agere intermittebat, ſiue ea eius eſſet mens, ſiue iam in Petri exitium totus incumbens, eum eò vſque in Regem ferri cuperet, vt ei ad reconciliationem nullus aditus pateret. Petrus igitur cùm de Alfonſi conſenſu eiuſmodi Ludouici conſilia Regi Galliæ patefacere decreuiſſet, Ludouici Oratorem domum ſuam, quaſi ipſe parùm integrâ valetudine vteretur, accerſiuit; priùs tamen Regis Legato, qui Florentiæ agebat, vnde facilè eorum inter ſe ſermones exaudire poſſet, occultato; ibi Petrus claris verbis, omnibus Ludouici ſuaſionibus, ac promiſsis repetitis; atque vt eius autoritate ductus, pertinaciter obſtiterat, quo minùs Caroli poſtulatis, aſſenſus præberetur, grauiter expoſtulare cœpit, quòd is tam ſolicitè eius in Italiam tranſitum procuraret: ac, quando facta verbis minùs reſpon derent, ſibi aliquam rationem ineundam, nè ſe tanto periculo obſtringeret. Reſpondebat Mediolanenſis, de Ludouici fide Petro ſi non ob aliud, ob id ſaltem, quòd ei æquè pernicioſum eſſet, Carolum Neapoli potiri, nihil eſſe dubitandum; vtque in eadem ſententiâ perſeueraret, hortabatur: à qua ſi diſcederet, ſe, Italiamq́ue vniuerſam in ſeruitutem pertracturum. His auditis Gallus Orator ſtatim Regi ſuo omnia patefecit, aſſerens, cum à Ludouico prodi: hæc tamen techna eum exitum nequaquam habuit, quem Alfonſus, & Petrus ſperauerant; quin potiùs id à Gallis Ludouico patefactum, iram, atque odium priùs in Petrum conceptum, ſolicitudinem præterea Regis, nè vltrà tempus cunctando inutiliter tereret, ſtimulando inflammauit.

*Mediceus prodit Regi Galliarum Ludouicũ Sfortiam.*

XV. *Futuras Italiæ calamitates, aſtra prænuntiant.*

Iam verò non modò apparatus terrâ, mariq́ue comparati, verùm etiam aſtrorum, hominumq́ue conſenſus futuras calamitates denunciabant Italiæ. In Apulia tres Soles noctu, in medio, ſed nubilo per circuitum cœlo, cum fulgetris ac tonitruis horribilibus viſi. In agro Aretino innumerabiles armati viri, equis ingentibus inſidentes, terribili cum ſtrepitu, ſonituque tympanorum, ac tubarum per medium aërem tranſire conſpecti. Cõpluribus in Italia locis ſacras imagines, & ſtatuas ſudâſſe: hominum, aliorumq́ue animantium monſtra complura paſsim nata: alia item non pauca præter naturæ ordinem diuerſis in partibus accidiſſe ferebantur; quæ omnia incredibili terrore mortales implebant, iam primùm ad primam Gallorum potentiæ famam, eiuſque nationis ferocitatem perterrefactos, qui (vt ex multis ſcriptoribus cognoſcebatur) olim vniuerſam ferè Italiam percurrerant, prædatiq́ue fuerant; vrbem Romam ingenti abducta prædâ, ferro, flammiſq́ue vaſtauerant, non paucas in Aſia prouincias ſuo Imperio ſubiunxerant; ac vix eſse vllam terrarum partem, quæ ipſorum armis tentata non eſset. Verùm enimuerò cœleſtibus ſignis, prædictionibus, ac prodigijs maiorem indies fidem appropinquantes exercitus cõciliabant. Carolum enim ſuum propoſitum ſecutus, Viennam Delphinatus vrbem venerat; quem neque totius regni preces, nec pecuniæ difficultas, quæ tanta erat, vt præſentibus negotijs, niſi quibuſdam gemmis, quas tum à Sabaudiæ Duce, tum à Montis-ferrati dominâ, quam Marcheſiam, ſiue Marcheſanam vocabant, tum ab alijs aulæ Principibus mutuò acceperat, oppigneratis, magnam pecuniæ ſummam contraxiſset, proſpicere non poſset, quin ipſemet in Italiam tranſiret, poterant remouere: quamque ab Ludouico Sfortia mutuò acceperat, partim in maritimos apparatus, in quibus magnam victoriæ ſpem ab initio Galli repoſuerant, inſumpſerat; partim antequam Lugduno diſcederet, in varios homines, libidinum adminiſtros temerè effuderat. Cumq́ue eo tempore Principum in extorquendis pecunijs, vt poſt Dei, hominumq́ue pudore conculcato, auaritia, immoderataq́ue cupiditas docuit, non eſset prompta ſolertia, haud facilè erat nouam pecuniam cogere: vſque adeò tenues erant apparatus, ac tanti belli fundamenta, quòd Rex temeritate magis, atque impetu, quàm prudentia, & conſilio moueretur. Verùm vt ſæpenumerò euenire ſolet, vt quum ad rerum nouarum, magnarum, ac difficilium ventum eſt expeditionem, quamquam omnibus iam conſtitutis, hominum tamen mentibus, quæ in contrarium excogitari poſsunt, obuerſentur; cùm iam Rex profectionem adornaret, quin potiùs iam equitatus Alpes verſus procederet, graue in tota aula extitit murmur, dum alij cõmunes tanti belli difficultates, ad calculos reuocarent: alij ab Italorum, ac Ludouici præſertim fraude pericula; à Florentia quoque de eius dolis nuncium commemorantes; quam ſuſpicionem illud etiam augebat, quòd tum fortè certa pecunia, quam is mittere debebat, non expediebatur. quibus rebus fiebat, vt non modò audacter contradicerent (quemadmodum, vbi conſilia rerum euentis confirmantur, fieri ſolet) qui ſemper eam expeditionem repudiauerant; verùm etiam ex ijs non-

*Italicum bellum, Galli quidam repudiant.*

nulli, qui eis præcipui hortatores extiterant; atque inter cæteros Macloüienſis Epiſcopus, vehementer nutare cœperunt. ac tandem cùm ad Regis aures is rumor perueniſſet, talem in tota aulâ, atque adeò in ipſius Regis animo commotionem excitauit, tantamque ad belli ſtudium remittendum propenſionem, vt illicò ſiſteret miles gradum imperârit. quamobrem procerum non pauci, qui iam in itinere erant, cùm nè quis in Italiam tranſiret, edictum eſſe audirent, in aulam reuerterunt. quæ quidem mutatio rerum facilè, vt credebatur, proceſsiſſet, niſi Iulianus Cardinalis, & vt priùs, ſic etiam tunc, poſtquam Italiæ calamitatum fatale inſtrumentum, ſuâ tum authoritate, tum vehementiâ conflato Pontifici, & Alfonſo, apud omnes, per varias calumnias, odio, atque inuidia, Regis ſpiritus, qui iam ferè congelârant, accendiſſet, animumque ad priora conſilia reuocâſſet, ei non modò rationibus, quibus ad tam glorioſam expeditionem fuerat excitatus, in memoriam reuocatis, ſed & ob oculos infamiâ, quâ apud cunctos mortales, ob læui tàm magnifici conſilij mutatione notaretur, grauiſsimis ſtimulis propoſitis. *Quam igitur ob rem Arteſij oppidis reſtitutis, ſui regni fines eâ ex parte debilitâſſet? Quid tantâ cum moleſtia non modò nobilitatis, verùm etiam populorum, Regi Hiſpaniæ Perpiniano, & Ruſcinone traditis, aditum in Galliam patefeciſſe? Cæteros Reges aut quò ſe imminentibus periculis eximant, aut vt maxima ex eo commoda conſequantur, talia aſſentiri ſolere. Verùm quæ neceſsitas, quæ pericula mouiſſe? quod præmium exſpectare? qui ad eum fructus redundare, niſi ingenti pretio, ignominiam multò maiorem ſibi comparare? Qui caſus exorti? quæ difficultates nato? quæ pericula poſt expeditionem apud omnes mortales promulgatam in lucem prolata? quin potiùs victoriæ ſpem fundamentis, in quibus hoſtes omnem defenſionis ſpem poſuerant, eluſis, indies fieri maiorem. Nam Aragoniorum claſſem, poſt vanam portus Veneris oppugnationem, in Liburni portum non ſine ignominiâ refugiſſe; nec eam contrà Genuam, à tantis copijs, atque à firmiore claſſe defenſam, aliquid iam poſſe: terreſtres verò copias in Aemilia paucorum Gallorum occurſu vltrà progredi non audere. quid agerent, ſi Regem cum tanto exercitu iam Alpes ſuperâſſe, famâ per totam Italiam diſsiparetur? qui tumultus paſsim excitarentur? In quantum Pontifex terrorem, vt ex Vaticano ſuo, Columniorum arma in ipſis Vrbis Romæ portis cerneret, conijceretur? Petri verò Medicis pauor, quantus? cùm ſuoſmet conſanguineos ſibi infenſos, patriam ſuam Gallico nomini addictiſsimam, cupidiſsimamq; libertatis ab ipſo oppreſſæ, recuperandæ, videret? Regis impetum nulla re impediri ad Regni Neapolitani fines vſque poſſe: quò vbi primùm acceſſerit, eoſdem tumultus, terroreſq; fore; nec aliud quicquam omni ex parte, quàm aut defectionem, aut fugam. Vereri forſitan pecuniam ſibi defuturam? quæ auditâ ſuorum armorum ſtrepitu, tormentorumq; fulminantium horribilibus tonitruis, ab vniuerſa Italiâ certatim ad eum ſit afferenda. Quòd ſi quis tamen ei ſeſe vellet opponere, ſpolia, prædæ, opes de victis relatæ ad exercitum alendum ſatis, ſuperq; futura; propterea quòd in Italia, complures iam annos magis ad belli imaginem, quàm ad vera bella aſſueta, nerui non eſſent ad Gallicum impetum ſuſtinendum. itaque qui metus? quæ perturbatio? quæ ſomnia? quæ vmbræ inanes Regis pectus occupâſſe? quo tàm repentè illam eius animi altitudinem abiiſſe? quò ferocitas, quâ quatriduò ante ſe cunctam ſimul coniunctam Italiam vincere poſſe iactabat? Cogitaret ſibi nequaquam eſſe integrum, ſua mutare conſilia: res nimium longè proceſsiſſe, propter oppidorum abalienationem; propter auditos, miſſos, eiectoſq; Legatos; propter tam immanes, quos iam feciſſet ſumptus, tantoſq; apparatus; propter famam paſsim diſsipatam; quod ipſemet iam penè Alpium iuga conſcendere cœpiſſet: ac tametſi ea expeditio plena periculi foret, neceſsitate ad eam perſequendam impelli; propterea, quod inter gloriam, atque infamiam, inter dedecus, & triumphos, nullum eſſet reliquum medium: alterutrum prorſus eſſe neceſſarium, vt aut omnium Regum maximus, aut contemptiſsimus habeatur. Quid igitur victoriam tàm certam, triumphum tam illuſtrem rem crari?*

*Ad Italicam expeditionem Cardin. Ruuereus Gallorum Regem excitat, & accendit.*

XVI. *Gallorum Rex Italiam ingreditur.*

Hæc in ſumma à Cardinali, naturâ ipſius magis ac ſententiâ, & geſtibus violentâ, accenſaque, quam verborum ornatu prolata, Regis animum vſque adeò permouerunt, vt ijs modò auditis, qui ipſum ad id bellum cohortabantur, eo ipſe die Viennâ, omnibus regni Galliæ Regulis, ac Ducibus, Petro Borbonio, cui totius regni procurationem commiſit, & Ammirallio, nec non paucis alijs, quibus prouinciarum, quas maximè periculis opportunas eſſe rebatur, cuſtodiam demandauit, exceptis comitatus diſceſſerit, ac nonâ die Septembris huius anni 1494. Aſtam vrbem peruenerit. quæ res ſecum calamitatum innumerabilium, horribiliumque euentuum, atque omnium penè mutationum ſeminarium in Italiam importauit. Nam ab eius aduentu non modò ſtatim mutationes, euerſiones regnorum, regionum vaſtationes, vrbium excidia, cædes crudeliſsimæ, verùm etiam inuſitata noua veſtimentorum genera, mores inauditi, noui, & cruenti belligerandi modi, morbi ad eam diem incogniti, originem duxerunt: quietiſque, & concordiæ in Italia inſtrumenta adeò turbata ſunt, vt quod in ordinem iterum reſtitui non poſſent, externæ gentes, barbarorumque acies eam conculcandi, vaſtandique habuerint facultatem: atque vt Italorum eſſet infelicitas maior, neùe victoris virtute eorundem dedecora minuerentur, Carolus, cuius aduentu tot mala inuecta ſunt, quamuis magnis fortunæ donis eſſet cumulatus, idem tamen omnibus ferè naturæ, animique dotibus vacuus erat. Certum enim fuit, Carolum à puero, conſtitutione admodum infirmâ, corporeque malè affecto fuiſſe: ſtaturâ breui vultu verò excepto vigore, atque oculorum dignitate, turpiſsimo; reliquis autem corporis partibus ità compoſitis, vt monſtro ſimilior, quàm homini videretur. Neq; ſolùm notitia bonarum artium prorſus caruit, verùm etiam communium literarum notas ignorauit. Imperandi quidem cupidiſsimus fuit, ſed ad quiduis potiùs, quàm ad imperandum aptus; propterea quòd à ſuis perpetuò circumactus cum ijs, neque maieſtatem, neque authoritatem vllam retinebat: à laboribus, & negotijs omnibus alienus; inque ijs, quibus operam accommodabat, omni prudentiâ, iudicioque deſtitutus. Quòd ſi fortè, quid in eo laude dignum apparebat, ſi quis penitiùs introſpiceret, à virtute, quàm à vitio id remotius eſſe comperiſſet. Erat in eo quædam ad gloriam propenſio, verùm impetu magis, quàm conſilio: liberalitas quoque, ad inconſulta, & ſine modo, ac delectu: immutabilis interdum in deliberationibus, verùm ita vt pertinacem potiùs, quàm cōſtantem dicerent; ac quam alij bonitatem appellant, ea veriùs ſtupor, atq; animi remiſsio quædā erat appellanda. Quo die Carolus Aſtam venit, eodem illi fortunæ benignitas cœpit ſe oſtendere. Nam Genuâ optatiſsimi nuncij affuerūt, nunciantes, Fridericum Arogoniū, re apud Rapallum malè geſtâ, multiſq; ſuorum amiſsis, fugâ ſalutē quæſiuiſſe: adfuit præterea Ludouicus Sfortia cum vxore ſua Beatrice, ingenti pompâ, atq; ſplendidiſsimo nobilium, & formâ præſtantiſsimarum ex tota Inſubria mulierum comitatu, qui & materiā voluptatū ſubminiſtrauit, & pecuniā, nè Carolus hybernaret, mutuò dedit. Aderat & Hercules Ferrarienſium Dux, quo cum de cōmunibus negotijs cōſtitutum. quo etiam tempore, dum morbo, quē variolas, ſeu papulas appellant, afflictus circiter vnum menſem Aſtæ diſtineretur, Aſcanius Card. Columnij, etſi Alfonſus eorum iniqua poſtulata admiſiſſet, nihil iā diſsimulantes, ſe Galliæ Regis partes ſequi, Oſtienſem arcē, quorundā Hiſpan. qui in præſidio arcis erant, opera & fraudibus, ſeu proditione occuparunt.

*Carolus Gallorum Rex deſcribitur.*

XVII. *Pontifex ad bellum ſe præparat.*

Coëgit hoc factum Pontificem, vt apud omnes Principes, præſertim verò Hiſpaniæ Regem, Venetumq; Senatum, de iniuria à Gallis illata expoſtularet, à quo etiā, etſi fruſtrà, auxilia ex fœdere ſuperioris anni poſtulauit. Quare animo cōſtanti ad belli apparatum conuerſus, ac Proſpero, Fabricioq; Columnijs citatis, cùm nō parerēt, ædes, quas Romæ haberent demoliri iuſsit, copijsq; ſuis cum parte earum, quæ Alfonſo, Virginio duce militabant, ad flumē Teueronem probè Tibur coactis, in Columnenſium fines, qui ducentos tantùm grauis armaturæ equites, & mille pedites habebāt, iuſsit inuadere. Sed





poſteà veritus Pontifex, nè Gallica claſsis, quam, fama erat, Genuâ vt Oſtiæ opem ferret proficiſci, ad Neptunium, Columnēſium portum receptū haberet, Alfonſus copijs omnibus, quas Pontifex, ipſeq; in eis locis haberent, Terracinę collectis, ibi caſtra, eius expugnationem haud difficilē ratus, poſuit. Verùm Columnijs ſtrenuè propgunantibus, nihil effici potuit: præſertim quādo illis in ſubſidium copiæ fratrum Camilli Vitelli, qui recēs in Gallicas partes tranſierāt, aduenisſent, propter quorum aduentum, Pontifex ſuarum partem copiarum, quę cum Ferdinando in Aemilia erant, Romam reuocauit: cuius res non eo felicitatis curſu procedebant, qui initio ſeſe oſtentare videbatur. Nam vix conſpectâ parte Gallici equitatûs, pugnæ aleam detrectauit, ſeque intra Fauentiæ ſuburbana recipere, ac munire, ſatis exiſtimauit: datâ Carolo cōmoditate exercitum promouendi, Aſtâ Papiam, inde Placentiā, ac declinatâ Aemiliâ, per viam Lunenſem, Lucam, ac Piſas vſque. Aſtâ diſcedens, reliquit ibi Ludouicum Aurelianenſem, ad ſpem occupandi vniuerſum principatum Mediolanenſem, cui imminebat: maximè, quando à nonnullis acceperat, Ludouicum Sfortiam tædere cœpiſſe conſilij ſuſcepti, Gallos in Italiam interiorem propellendi, narrabant quod cum eo Alfonſus Silua per literas egiſſet, vt rupto Gallico fœdere, ad Aragonias partes, fœduſque tranſiret; cui prætium operæ eſſet, & Regia affinitas, ſi eius natu maior filius, Ferdinandi Regis filiam in matrimonium acciperet; & commoditas euitandi cōmune incendium, ſi ſuas vires Pontificijs, & Aragonijs adiungeret, hoſtemq; à totius Italiæ dominio, quod iam ſpe deuorauerat, auerteret. Ab his conditionibus, cùm Sfortiam nutantem videret Carolus, Aſtam occupatam, præſidio tam valido, in omnem euentum cōmuniuit. Papiæ, & Placentię cùm eſſet, habuit occaſiones de Sfortia, alia quàm vellet, cogitandi. Grauiſsimo oppreſſus morbo in Papiæ arce decumbebat Ioannes Galeacius, Mediolanenſium Dux Regis cōſobrinus (ambo enim ex duabus ſororibus Ludouici II. Sabaudiæ Ducis filiabus erant nati) quem Rex Papiâ iter faciens, inq; eadem arce receptus, humaniſsimè adijt. Sermo quidem nihil habuit peculiare, propter Ludouici præſentiam. tantùm ſe ex eius aduerſa valetudine moleſtiam capere demonſtrauit, eumque eſt ad ſanitatē bonâ ſpe procurandā hortatus. Verùm tum Regis, tum eorum, qui cum illo erant, animus miſeratione non parùm commouebatur; cùm nemo eſſet, qui non certò ſibi perſuaderet, miſeri iuuenis vitam patrui inſidijs breuiſſimam fore. Augebat etiam dolorem Iſabellæ vxoris eius præſentis conſpectus, qui non ſolum de mariti, paruulique, quē ex eo ſuſceperat, filij ſalute ſolicita, verùm etiā ex patris, aliorumq; ſuorum periculo mœſtiſsima, ſeſe in omnium cōſpectu ad Regis pedes admodum miſerabiliter abiecit, eiq; cum lachrymarum flumine, patrem, ſuamque Aragoniam domum commendauit. cui Rex, ætate, eximiaque mulieris pulchritudine, ad miſericordiam minimè diſsimulandam motus, etſi reſpōdiſſet, res eouſque adductas eſſe, vt expeditionem vrgere cogeretur; præ ſe tamen oſtendit Ludouici conatus, in eius viro opprimendo minimè placere. Indè profectus Placentiam venit: vbi cùm conſtitiſſet, nuncij de Ioannis Galeacij morte ſuperuenerunt, quamobrem Ludouicus, qui Regem erat ſecutus, magnâ celeritate Mediolanū reuerſus eſt: vbi à Senatus principibus ab ipſo ad id ſubornatis, relatū ad cōſilium fuit, vt cùm propter Imperij Mediolanenſis magnitudinem, tum etiam temporum, quæ Italiæ imminerent, difficultatē, rem foro perniciosiſsimā, ſi Franciſcus Ioannis Galeacij filius quinq; annorum puer ſuccederet patri; Principem hic requiri, prudentia, atque autoritate magnum. Idcircò publicæ ſalutis, ac neceſsitatis cauſa, à lege, quod & ipſa iura permittunt, paululum deflectendum, Ludouicumque; vt huius Imperij dignitatem, nomenq;, onus hiſce temporibus grauiſsimum, communis boni cauſa velit ſuſcipere, cogendum eſſet, quo prætextu, honeſtate ambitioni cedente, etſi nonnihil per ſimulationem reluctaretur, manè in ſequentis diei, nomen, atque inſignia Mediolanenſis Imperij ſuſcepit; priùs ſeorſum conteſtatus, ſe ea tamquam ad ſe ex Maximiliani Regis Romanorum diplomate, iure ſpectantia ſuſcipere. Rumor à nonnullis fuit diſsipatus, Ioannis Galeacij interitum, ex Veneris vſu immoderato proueniſſe: creditum tamen in tota fuit paſsim Italia, eum non naturali morbo, non aliqua intemperantiâ, ſed veneno eius mortem procuratam fuiſſe. quin & Theodorus Papienſis, qui vnus è Regijs medicis fuit, quiq; aderat, cū à Carolo viſitaretur, ſe maniſeſtiſsima veneni ſigna depræhendiſſe affirmauit: nec quiſquā fuit, qui ambigeret, ſi venenum fuit, quin patrui operâ ei datū fuiſſet: qui abſoluta Gubernatoris in Mediolanenſium imperio poteſtate non contentus, ac pro communi magnorum hominum cupiditate, inſignibus, atque honoribus fieri cupiens illuſtrior, multoque magis, quòd ad ſuam ipſius ſecuritatem, filiorumque ſucceſsionem, legitimi Principis mortem neceſſariam eſſe exiſtimaret, in ſe transferre, ac ſtabilire Ducis tum poteſtatem, tum nomen voluiſſe: quâ cupiditate, ad tātum ſcelus patrandum eius alioqui manſueta, atque à ſanguine abhorrens natura fuerit impulſa: fuitque ab omnibus ferè creditum, hac eum mente iam tum fuiſſe, cum primùm de Gallis in Italiā adducendis agere cępit: opportuniſsimam occaſionē ratus, dirum propoſitum perficiendi, eo tempore, quo, quòd Rex Galliæ in Inſubria tanto cum exercitu eſſet, animum vnicuiq; defuturum, ad tantum ſcelus vlciſcendum, exiſtimaret. Fuerunt, qui recens hoc conſilium crederent, ex metu Regis exortum: veritus, vt ſunt repentina Gallorum conſilia, nè Rex ad Ioannem Galeazium è tantâ ſeruitute liberandum temerè procederet: ſiue ſanguinis propinquitate, atque ætatis miſericordia commotus; ſiue quòd ad ſecuritatem ſuam magis facere arbitraretur, Inſubriæ Imperium in conſobrini, vel ſi ille impos ſceptri foret, in ſua poteſtate eſſe, quàm Ludouici; cuius fidē, qui apud Regem ſuſpectam reddere conarentur, minimè deerant. Verùm enimuerò, quòd Ludouicus ſuperiore anno diploma à Maximiliano Rom. Rege procurâſſet, pauloque ante nepotis obitum monumenta, tàm ſollicitè expediri poſtulâſſet, id arguit potiùs rem præmeditatam, ac voluntariam, quàm ſubitam, præſentiſque periculi metu conſtitutam. Subſtitit aliquot dies Placentiæ Carolus; non ſine animi propenſione vltrà montes redeundi; tum quòd à pecuniâ ſatis eſſet imparatus, tum quòd in Italia nihil noui ſua cauſa exiſtere animaduerteret, tum quòd fama erat, Ludouicum, tametſi à Rege diſcedens, ſe rediturum promiſiſſet, minimè rediturum. Hæ res illius animum de ſucceſſu ancipitem reddebant, & nomen Ludouici, non modò propter ſuſpectam fidem, verùm etiam propter parricidium perpetratum, illi, vniuerſoque commitatui horribile faciebant; cùm etiam ſe graui affectum iniuriâ exiſtimaret, Ludouicum, quò facinus tàm deteſtandum citra periculum perficere poſſet, ſuum in Italiam aduentum procurâſſe. Conſtituit tandem nihilominùs procedere, quemadmodū à Ludouico continenter vrgebatur, qui & Regi ſe intra paucos dies rediturum ſubindè confirmabat: quippe & in togata Galliâ ditiùs hærere, & trans Alpes domum temerè redire, ab eius conſilijs prorſus erat alienum.

*Ludouicus Sfortia, Dux Mediolanenſis creatur.*

*Gallorum Rex in Gallias redire cogitat.*

XVIII. *Laurentius, & Ioannes Medicei Carolum Gallorum Regem, vt Florētiam vadat, inſtant.*

Quo die Rex Placentiâ mouit, ad eum Laurentius, & Ioannes Medicei venerunt, qui è ſuis villis clàm fugâ elapſi, Regi inſtabant, vt Florentiam accederet, magnifica de præſtanti Florentinorum erga Reges Galliæ pollicentes; neque minora de ipſorum in Petrum Medicem odio, in quem ex nouis offenſionibus non parùm aucta erat Regis ira. Nam cùm Rex ex Aſta vrbe legatos, Florentiam miſiſſet, qui, ſi Regi liberum tranſitum permitterent, atque in poſterum ab Alfonſi defenſione deſtiterent, multa pollicerentur: ſin perſtare in priſtina ſententia mallent, graues adderent minas; eiſque mandaſſet, in acturùm aſſentirentur, diſcederent: Florentini dilationis prætextum quærentes, reſponderant; quoniam Optimates, vt erat eo anni tempore conſuetum,

in ſuis eſſent villis, certum ſe tam repente reſponſum dare non poſſe: verùm breui Oratorem miſſuros, qui de ipſorum mente Regem certiorem facerent. Erat in Regio conſilio decretum conſtanter, meliùs eſſe illud iter tenere, quod per Hetruriam, & Latium rectà Neapolim ducit, quàm quod per Aemiliam, Picenumque, Truento amne tranſmiſſo in Aprutium exit; haud equidem quòd ſe copias Aragoniorum, quæ vix Ob igneo reſiſterent, pellere poſſe diffiderent; ſed quòd tanti Regis magnitudine, ſuorumque armorum gloria indignum videretur, cum ſe Pontifex, Florentinique hoſtes eſſent profeſsi, occaſionem hominibus præbere exiſtimandi, idcircò Regem, iter illud vitare, quaſi inuitis hoſtibus ſe poſſe perrumpere deſperaret; atque id eò magis, quòd bellum in regno Neapolitano, Hetruria, Pontificiſque ditione à tergo relictis, gerere, periculoſum cenſeretur. Itaque Hetruriæ iter ingreſsi, Apenninum, Parmæ iugis ſuperatis tranſierunt, & Pontremolum, Mediolanenſis ditionis oppidum occuparunt. Inde Fiuizanum, Florentinorum caſtellum vi ceperunt, ac diripuerunt; cunctiſque militibus externis qui ibi erant, atque vnà oppidanorum non paucis trucidatis, terrorem omnibus Italis incuſſerunt. Sereſanam inde copias promouerunt: vbi cùm deliberarent, an oppidum oppugnarent, an verò illo, & arce, à tergo relictis, vel Piſas inuaderent, vel per Lucenſium fines, qui Ludouici operâ Regem recipere occultato conſilio decreuerant, in aliam Florentini Imperij partem ingrederentur, ſubitum remedium, quod in altioris poteſtatis decreto fuerat, ſuperuenit: propterea quòd in Petro Medice, neque animus maior, neque conſtantia in rebus aduerſis, quàm aut moderatio, aut prudentia in proſperis fuit. Creuerat indies dolor, quem ab initio Florentina ciuitas, ex eò quod ſeſe Regi opponerent, conceperat, non tam quòd vniuerſi Florentini mercatores denuò totâ Gallia excluſi eſſent, quàm quòd Gallorum potentiam metuerent: qui metus, vbi Regias copias, Apenninum ſuperare intellectum eſt, deinde etiã ex ea crudelitate, qua in expugnatione Fiuiſani vſi Galli fuerant, auctus in immenſum fuerat. Quamobrem, omnibus inuiſa palàm Petri Medicis temeritas erat, qui nulla adductus neceſsitate, magiſque ſibi, & quorundam miniſtrorum temerarijs conſilijs, in pace arrogantium, in periculis timidorum, atque inutilium, quàm ciuibus paternis amicis ſana conſultantibus credens, tantâ temeritate potentiſsimi Galliæ Regis arma, Mediolanenſiũ Ducis auxilijs aucta, prouocaſſet: præſertim rei militaris imperitus, neque vrbe, neque cæteris Florentini imperij locis ſatis munitis; à militibus, atque alijs, quibus tantum impetum ſuſtinere poſſent, nudis: cùm neque ab Aragonijs, quorum causâ ſe tanto periculo expoſuiſſent, aliud nihil ſe oſtenderet, præter Calabriæ Ducem, in Aemilia vnà cum ſuo milite vnius tantùm Gallici exercitus particulæ occurſu impeditum: Idcircò patriam eorum ab omnibus deſtitutam, ingenti odio, & prædæ manifeſtæ eorum, qui tanto ſtudio, nè eis nocere cogerentur, procurabant, exponi. Hæc totius ferè ciuitatis ſtudia, à pleriſque nobilibus, quibus tum is, qui tunc erat Reipubl. ſtatus, ſummopere; tum quòd vna familia vniuerſæ ciuitatis poteſtatem iuraque ſibi arroganter ſumpſiſſet, diſplicebat; hi & timore augendo eorum, qui ſuâ ſponte timebant, & audaciâ eorum, qui res nouas deſiderarent accendenda, ita vulgi animos commouerant, vt iam nè quis in ciuitate tumultus exiſteret, omnes metuerẽt. ad quod quidem magis Petri ſuperbia, naturæque impotentia incitabat; qui multis in rebus à ciuitatibus moribus, atque à ſuorum manſuetudine maiorum diſcedens, iam ferè à puero ſemper ciuium multitudini fuerat inuiſus. Et quidem conſtabat inter omnes patrem eius Laurentium, filij naturâ perſpectâ, ſæpenumerò inter intimos ſuos de eius imprudentia, atque arrogantiâ quæſtum eſſe, quam dicebat ſuæ domus ruinam aliquando parituram. Periculo igitur Petrus, quòd anteà temerè conſpexerat, conſternatus, cum ſe Pontificis, atque Alfonſi ſubſidijs, quæ promiſerant, tunc ob amiſſam Oſtiam, & Neptunij oppugnationem, claſsiſque Gallicæ metum, irretitis, deſtitutum agnoſceret, animo præcipitante decreuit, eam ſalutem ab hoſtibus petere, quam ſe ab amicis accipere poſſe deſperabat: in eo patris exemplum ſecutus, qui cum anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo nono, ob bellum à Sixto Pontifice, Ferdinandoque Neapolitanorum Rege, Florentinis illatum, in grauiſsimo periculo verſaretur, Neapolim ipſe ad Ferdinandum profectus, & publicam pacem, & priuatam ſecuritatem, Florentiam reportauit. Verùm eſt omninò periculoſum, actiones exemplis moderari; niſi eædem rationes non in vniuerſum, ſed ſingulatim omnes recurrant, deinde niſi eadem prudentiâ gubernentur. Hoc conſilio Florentiâ profectus, cùm haud multum proceſsiſſet, Pauli Vrſini equites, cum peditibus trecentis à Florentinis Sereſanam præſidij cauſa miſſos, ab aliquot Gallis, qui vltra Macram flumen excurrerant, maiorem partem, aut cæſos, aut captos fuiſſe accepit. Progreſſus tamen Petram-Sanctam, ibi publicam Regis fidem, quam poſtulauerat, expectauit: quò, vt eum tutò deducerent, Macloui-enſis Epiſcopus vnà cum aliquot alijs aulæ principibus venit. His comitatus ad Regem, iam Sereſanellam arcem oppugnantem accedens, Regiâ comitate, fronte, tamen magis, quàm animo acceptus, haud parum eius iram, omnibus eius poſtulatis, quæ magna, atque immoderata fuêre, aſſentiendo mitigauit; nimirum vt Petræ Sanctæ Sereſanæque arces, nec non Sereſanellum ipſum, quæ ab ea parte Florentini Imperij tamquam clauſtra erant, itemque Piſa, portuſque Ligurni eiuſque Imperij firmiſsima munimenta, in Regis poteſtatem traderentur, eâ conditione, vt Rex ſuo chirographo promitteret, ſe quamprimùm regno Neapolitano potitus eſſet, eam omnia reſtituturum; procuraret item Petrus, vt Florentini ducatorum ducenta millia Regi commodarent; viciſsimq; eos Rex, in fœdus, fidemque reciperet: quarum rerum puris tantùm verbis promiſſorum monumenta Florentiæ, per quam vrbem Rex iter facere conſtituerat, conficerentur: arces oppida, vrbs, portus, ſine mora traderentur. Factum ſtatim, à ſubita deditione munitionũ cunctis valdè admirantibus Gallis, Petrum tam facilè de rebus vſque adeò magnis aſſenſum fuiſſe; qui ſcirent, Regem conditionibus longè inferioribus fuiſſe conuenturum. Hoc autem loco illud mihi nequaquam ſilentio prætereundum videtur, quòd Petro Medici Ludouicus Sfortia, qui poſtridiè ad exercitum peruenerat, argutè reſpondit. Nam cùm Petrus excuſans, quòd cum ei obuiam honoris causâ proceſsiſſet, quoniam Ludouicus de via aberraſſet, factum eſſe, vt fruſtrà id itineris ſuſcepiſſet: Ludouicus promptè reſpondit; *Ita quidem eſt, procul dubio alter noſtrum aberrauit de via: ſed vereor, nè tu ipſe potius aberrraueris*: quaſi exprobrans, quòd ſuis conſilijs minus obſecutus eſſet; idcircò eum in tantas anguſtias, periculaque incidiſſe, quamquam, quæ poſt conſecuta ſunt, vtrumque à rectò itinere deflexiſſe demonſtrarunt; verùm maiore infamiâ calamitateque illius, qui in loco ſublimiore collocatus, ſe omnium aliorum ducem ſua prudentiâ profitebatur. Petri factum, Regem non modò ab Hetruriæ rebus reddidit ſecurum, verùm etiam cunctis Aemiliæ impedimenta, vbi iam vehementer res Aragoniorum inclinabant, prorſus remouit. Cùm enim Ferdinandus ſecurus in munitis Fauentini ſuburbani campis ſederet, Galli Bubanum, Imolenſis agri caſtellum oppugnarunt; Mordanum, editâ in omnem ætatem, ſexumque crudelitate vi expugnarunt, ac Aemiliam, Flaminiamque vniuerſam maximo terrore compleuerant. Catharina Sfortia, omni præſidij ſpe deſtituta, cum Gallis compoſuit; Ferdinandus exercitum Romam verſus, Fredericus claſſem, Neapolim reduxit: Alfonſus à Neptunij oppugnatione deſiſtens, copias, Terracinam retraxit; quando etiam Gallica claſsis ſeſe

*In periculo conſtitutus idem Petrus ſalutem ab hoſtibus petit.*

*Petri Medicei temeritas Florentinis diſplicet.*

*Petrus Mediceus, & Ludouicus Sfortia mutuo ſibi exprobrant.*





ſupra Oſtiam oſtendiſſet, ac ſubuectiones ex mari vnde plurimùm Roma alitur prohibuiſſet. Magna inde anguſtia annonæ, magnaq; trepidatio, ac ſi iam hoſtis pro portis eſſet, Romæ fuit. Vulgo item perſuaſum, Pontifici decretum eſſe, cum Gallo paciſci, aut ſi minùs id contingeret, vrbe deſerta migrare aliò: quæ res noua turbarum populo extitit occaſio. Propterea Pontifex ad pellendum eum metum, ſedandumque tumultum, in Conuentu publico Cardinalibus, & nobilitati obteſtari neceſſe habuit; ſibi ſtare ſententiam, in ea controuerſia cauſæ æquitatem, nulla perſonarum ratione habita, ſectari. quòd ſi Gallus in vrbem irrumperet, omnibus viribus obſiſteret; ac verò ſi res ferrent, ſanguinem pro officio, vitamque profunderet. Simul ad Carolum auertendum, Franciſcum Cardinalem Senenſem, hominem ob vitæ integritatem, ingenijque præſtantiam, inter primi ordinis Antiſtites authoritate principem deſtinauit. qui cùm Lucam vſque proceſsiſſet, comperiſſetque Regem, ſe non vt Apoſtolicæ ſedis Legatum, ſed Senenſem Antiſtitem auditurum, homo præſenti conſilio, & quem Pij II. Pontificis per neceſſarium agnoſceres, & alumnum; *Quando*, inquit, *vt Legatus non recipior, vt tamquam Senenſis Antiſtes accedam, non expedit*. infectâ re Romam reuertit. Pactione porrò etiam, quam Petrus Medices cum Carolo maxima cum Florentini Imperij diminutione, tamque graui, atque infami Reipubl. vulnere Florentiam nuntiatâ, feruentiſsimi motus in tota ciuitate extiterunt. Nam præter Reipub. tantam iacturam, illud vehementer commouebat, Petrum nouo, atque maioribus ſuis inuſitato exemplo, nobiliſsimam Florentini Imperij partem, ſine ciuium conſilio, ſine Magiſtratuum decreto, alienare auſum fuiſſe. Idcircò acerbiſsimæ erant in eum querelæ, paſsimque ciuium voces, ſe viciſsim ad libertatem recuperandam excitantium exaudiebantur; nec quiſquam ex ijs, qui Petro ſtudebant, verbis, aut factis, ſe tantæ tempeſtati obijcere audebat. Verùm cum neque ad Piſas, neque ad Ligurnum defendendum ſatis haberent virium, etſi Regem, ſe ab earum arcium cupiditate poſſe remouere minimè confiderent; nihilominus, vt à conſilijs Reipub. Petri conſilia ſeiungerent, vtq; ſaltem priuato non ferretur acceptum, quòd ad Rempub. pertineret, illico quinque legatos ex ijs quibus grauis Mediceorum erat potentia, inter quos Frater Hieronymus Sauonarola Dominicanus eminebat, ad Regem miſerunt. Quid hactenus pro concionibus populo, quidue pro legatione monere Carolo, Sauonarolà dixerit, is ipſe in Compendio reuelationum enarrabat iſtis verbis.

*Pontifex tumultũ populi Romani ſedat.*

*Florentini in Petrum Mediceũ irati Legatos deſtinant ad Carolum Gallorum Regem.*

XIX.

*Quæ pro concionibus, populo Florentino prædixerit Sauonarola.*

*Notum eſt, inquit, aſsiduis auditoribus meis Scripturæ à me expoſitæ quàm aptè ſemper conditioni præſentium temporum conuenerint. Et inter alia vnum illud ſummo ingenio, & doctrina viros in admirationem adduxit: videlicet, quòd cùm ab anno 1491. vſq; ad 1494. per omnes Saluatoris Aduentus, & Quadrageſimas, vnâ duntaxat excepta Bononiæ conceſſa, ſuper Geneſim prædicationes continuas Florentiæ ſuſcepiſſem, ſemper à relicto puncto vltimo lectionis, ſiue Aduentus ſiue Quadrageſimæ præcedentis inchoando procedens, numquam attingere potui Capitulum diluuij, niſi poſtquam tribulationes hæ initium habuerunt. Itaque paucis diebus exiſtimanti mihi myſterium fabricationis arcæ Noe me expediturum, fui, & tanta circa eiuſmodi fabricam ſe quotidiè intulerunt, vt totum aduentum & Quadrageſimam nonageſimi quarti anni in eo myſterio & fabricatione conſumpſerim. Et volente ducenteq; Deo deſinens vbi legitur, Cœnacula & Triſtega facies in ea, rurſus Septembri proximo in feſto S. Matthæi Apoſtoli, ſequentem textum. Ecce ego adducam aquas diluuij ſuper terram, profecutus ſum. Cumque iam omnibus conſtaret, Regem Galliarum cum copijs ſuis Italiam ingreſſum eſſe, propoſitis initio ſermonis eiuſmodi verbis, Ecce ego adducam aquas diluuij ſuper terram, ſubitò plerique attoniti facti ſunt, hanc Geneſis partitionẽ occulto Dei inſtinctu, ſucceſsiuè pro temporum opportunitate ſubadminiſtratam fuiſſe: inter quos aderat, Comes Ioannes Mirandulanus, vir temporibus noſtris ingenio, & multiplici doctrina ſingularis, qui ad ea verba inhorruiſſe & darigeſe ſibi comes poſteà mihi retulit.*

*Appropinquante inſuper Rege Francorum, & reuelatione Florentini ſtatus imminente, licet ſuper ciuitate Florentiæ enſis mihi apparuiſſet, & multa in ipſa ciuitate cruoris effuſio, tamen mecum reuoluens, quòd Deus eam potiſsimum, in qua hæc prænunciarentur elegiſſet, cœpi vehementer ſperare, prophetiam hanc ſine conditione non eſſe: quò ſique ſi pænitentia populus duceretur, indulgentiſsimus Deus ſaltem eius partem deliniret. Calendis igitur Nouembris, id eſt Sanctorum omnium ſolennitate, & duobus proximis diebus voci & lateri non peperci, & (vt omni populo notum eſt) tantum ex pulpito declamaui, quod infirmior corpore factus, penè langui. Tunc ſoluenda tantum pane & aqua ieiunia, & frequentes ad Deum orationes vniuerſo populo indixi: ſæpe altius exclamans, verba ab eodem fonte hauſta, ex quo alia deriuarunt: ſcilicet: O Italia, propter peccata tua tibi venient aduerſa. O Florentia propter peccata tua venient tibi aduerſa. O Clerica, propter te orta eſt hæc tempeſtas. Illud ſæpè, repetens, quòd Italia euerteretur, & Roma præſertim: exclamans pariter, & dicens, hæc ab eodem ſpiritu reuelata mihi Verba. O Nobiles, ô ſapientes, ô plebeij; manus Domini valida ſuper vos, cui nec potentia, nec ſapientia, nec fuga reſiſtere poterit. Propterea expectauit vos Dominus, vt miſereatur veſtri. Conuertimini ergo ad Dominum Deum veſtrum, in toto corde veſtro, quia benignus, & miſericors eſt. Quod ſi nolueritis, auertet oculos ſuos à vobis in perpetuum.*

*Poſt hæc aduentante Chriſtianiſsimo Francorum Rege, rogatus fui à Magnificis Dominis Florentinis, vt ad illius Maieſtatem cum nonnullis eorum ciuibus legationem ſuſcipere vellem; in qua Patres Ordinis noſtri; & alios ciues maturè conſulens, ab omnibus vnanimiter ad profectionem hanc adhortatus fui. Ad quod onus ſubeundum, non tantùm eorum omnium perſuaſiones, quantùm charitatis iura me coegerunt. Profectus igitur cum delectis Legatis Piſas, coram Regiâ maieſtate, quæ DEVS ante prænunciat, in hunc modum expoſui vernacula linguâ.*

*Omnipotens Deus, in cuius manu omnis poteſtas, & regnum eſt (Chriſtianiſsime Rex, & Magne miniſter diuinæ iuſtitiæ) infinitam ſuam bonitatem ſuis creaturis impartitur, & communicat duobus modis, ſcilicet per miſericordiam, & iuſtitiam. Per miſericordiam quidem, ad ſuum amorem, creaturam attrahendo, & conuertendo: per iuſtitiam verò, creaturam ipſam ſæpè pro demeritis à ſe repellendo. Hi duo modi ita connexi ſunt: vt in omnibus operibus, & creaturis eius, ſemper ſimul gradiantur, ſicut ſcriptum eſt; vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas. In damnatos quidem iuſtitiam exercet, dum ijs peccatorum pœnam infligit; Miſericordiam quoque ijs adhibet, quoniam citrà condignum plectit, & mitius quàm puniendi ſunt, punit. Beatis verò miſericordiam præſtat, quibus abundantiorem donat gloriam, quàm eorum opera mereantur, & labores. Iuſtitiam pariter ſeruat in communicanda eis gloriâ, iuxta maiora, vel minora actæ vitæ merita. Et quia medium ſapit naturam extremorum; quod de beatis, & damnatis diximus, ex alijs pariter creaturis conijcere facilè licet, id eſt, miſericordiam, & iuſtitiam, ſeſe vſquequaque concomitari; quamuis diuerſas conditiones, & diuerſos ſortiantur effectus. Ad miſericordiam enim pertinet, tolerare peccata patienter; longanimiter peccatores, ad pœnitentiam expectare; eos ſuauiter aduocare, & dulciter allectos, ad ſe trahere, tractos verò complecti, clementer indulgere, benignè iuſtificare, largè in gratia magnificare, & copiosè theſauris infinitis cœleſtis gloriæ cumulare. Ad iuſtitiam attinet, poſtquam peccatorem patienter pertulerit, longanimiter expectauerit, & ſuauiter, ſæpiuſq; vocauerit, vbi penitus hæc ille contempſerit, eundem gratiâ priuare virtutibus deſtituere, lucem ſubtrahere, intellectum obtenebrare & ſinere illum, in quoduis præcipitium peccatorum ruere, vtq; in malum illi omnia cooperentur permittere, denique, æternùm ipſum ſupplicio apud inferos punire. Cùm igitur immenſa Dei bonitas, hominum amatrix, gratiâ Italiæ peccata patientiſsimè tolerauerit, & longanimiter iam tot annos ad pœnitentiã ex*

*Eiuſdem ad Carolum pro Florentini Legati oratio.*

*pectauerit, ſuauiterq́; & ſæpiſsimè per plures ſeruos vocauerit; illa è conuerſo, nec aures adhibere, nec paſtoris ſui vocem agnoſcere, nec peccatorum ſuorum pœnitentiâ duci voluerit; quin potiùs patientiâ Dei, in ſuperbiam abuſa ſit, & ſcelera quotidiè multiplicauerit, atque aggrauauerit, minimè agnoſcendo, vel penſando Dei beneficia, imo ſacrum baptiſma, & Chriſti ſanguinem contemnendo, meretriciam inſuper faciem, & adamantinam frontem præferendo; ſtatuit Summus atque Omnipotens Deus, iuſtitiæ curſu procedens in illam iudicium exercere. Verùm quia (vt prædiximus) miſericordia, & iuſtitia in operibus diuinis omnibus ſemper vnà incedunt: adeò immenſa fuit Dei bonitas, vt ad faciendam populo ſuo cum iuſtitia miſericordiam, vni ſuo inutili, inter alios, ſeruo hoc aperuerit Sacramentum, ſcilicet, quemadmodũ intendebat Eccleſiam ſuam mediante graui flagello in melius reformare. Quod Sacramentum hic inutilis ſeruus, inſpiratione, & iuſſu diuino, iam quartus agitur annus, in ciuitate Florentiæ cœpit prædicare, ex quo numquam in hunc vſque diem deſtitit, altis præconijs populum ad pœnitentiam excitare. Teſtis eſt vniuerſa ciuitas; teſtes ſunt nobiles, & ignobiles, & vtriuſque ſexus tàm iuniores, quàm ſeniores, ciues, & agricolæ quoque ex quorum numero pauci credebant, aliqui minimè, aliqui etiam irridebant. Sed Deus, qui mentiri nequit, quæcumque hactenus eo iubente prænunciata ſunt, vſque in præſentem horam ſuccedere ad vnguem fecit vt mortales non ambigant cætera, quæ ex prædictis adimplenda reſtant, pari euentu proculdubio ſecutura. Quòd autem ita euenerint, ſupraſcripti auditores etiam teſtes ſunt. Et licèt idem ſeruus inutilis numquam tuæ coronæ nomen protulerit, voluntate Dei nondum id ſibi permittente; ea tamen erat, quam ipſe prædicando circumſcribebat, ac latenter indicabat, cuiuſque aduentus demum expectabatur. Itaque tandem aduenisti ô Rex; aduenisti Miniſter Dei, aduenisti Miniſter iuſtitiæ, & felix vſquequaque ſuccedat aduentus tuus. Nos te iucundo corde, & hilari fronte ſuſcipimus. Aduentus iſte tuus corda noſtra lætiora reddidit, mentes exhilarauit, omnesq́; ſeruos Chriſti, & iuſtitiæ cultores, ac ſanctæ vitæ zelatores gaudio affecit. Sperant enim, quòd te miniſtro, ſuperbos Deus deprimet, humiles extollet, vitia proſternet, virtutes magnificabit, obliqua diriget, vetuſta renouabit, & quicquid informe eſt, reformabit. Accedo ergo lætus, ſecurus, & triumphans; quandoquidem is te mittit, qui ſuper ligno Crucis pro noſtra ſalute triumphauit. Nihilominus Rex Chriſtianiſsime attentis auribus accipe verba mea, & ea cordi applica. Seruus inutilis, cui hoc reuelatum fuit Sacramentum, ex parte Dei, id eſt Sanctiſsimæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & Saluatoris noſtri* IESV CHRISTI, *veri Dei, filij Dei, & veri hominis, Regis Regum, & Domini Dominantium, atque etiam ex parte totius Regiæ cœleſtis, te ab eo miſſum exhortatur, & admonet, vt ad ipſius imitationem vbique miſericordiam impendas, maximè autem in ſua ciuitate Florentiâ; quæ licèt graui laboret peccatorum mole, habet tamen multos vtriuſque ſexus Dei ſeruos, tam ſeculares, quàm Religioſos, quorum gratiâ, debes ciuitatem ipſam conſeruare; vt æquiore animo, Deum tibi propitium, & fautorem in hac expeditione tua valeant exorare. Idem ſeruus inutilis ex parte Dei te exhortatur, & admonet, vt omni diligentia adhibitâ, tuearis, & defendas innocentes, & viduas, ac pupillos, & omnes miſeratione dignos; potiſsimum pudicitiam maximè ſponſarum Chriſti in Monaſterijs, ne tuâ cauſa exaggerentur peccata: quæ ſi tua culpâ multiplicarentur, conceſſum tibi ex alto validum potentiæ tuæ robur infirmum redderetur. Item ex parte Dei te hortatur, & admonet, ad offenſas libenti animo relaxandas; hoc eſt ſi à populo Florentino, aut ab alijs in te quicquam erratum eſt, clementer indulgeas: ignorantiâ enim id factum eſt, quia te à Deo miſſum neſcierunt. Memento itaque tui Saluatoris, qui in cruce pendens, crucifixoribus ſuis clementer indulſit. Quæ Rex ſi ſeruaueris, regnum tuum temporaneum Deus augebit, victoriam vbique locorum tibi præſtabit, poſtremò regnum immortale tibi conferet ipſe, qui ſolus beatus eſt, & potens, Rex Regum, & Dominus Dominantium; qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſsibilem, quam nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt, cui eſt honor, & Imperium per infinita ſecula ſeculorum, Amen. His dictis, mandat a populi Florentini abſolui, quæ hic non eſt opus inſerere.* Iſta à ſeditâ, factaque Sauonarola memorabat.

*Admonitio Regi Carolo à Sauonarola data.*

XX. *Ludouicus Sfortia Gallorum Regi indignatur.*

Ea cum Petrus Medices Reipubl. commutandæ principium eſſe cognoſceret, quò rebus ſuis priuſquam maiores exiſterent motus conſuleret, à Rege diſceſsit, hoc prætextu, quòd ea, quæ promiſerat, vellet ad exitum perducere. Ludouicus etiam Sfortia, certo auri numero perſoluto, cum à Carolo, Genuenſis Imperij iura, quæ paucis ante annis Ioanni Galeacio, eiuſque poſteris conceſſerat, vt in ſe, poſteroſque ſuos transferrentur, impetraſſet, Mediolanum reuerſus eſt; verùm animo in Regem indignabundo, quòd ei Petram Sanctam, Sereſanamque, quas, vt is aiebat, eius cuſtodiæ traditurum promiſerat, tradere renuiſſet. ea enim oppida, quò ſuæ ardentiſsimæ cupiditati gradum ad Piſas obtinendas faceret, quaſi iniuſtè paucisſimis annis ante à Genuenſibus ablata, à Florentinis repetebat. At Petrus Medices Florentiam reuerſus, Magiſtratuum maiorem partem ab ſe alienatam, amicorum vero præcipuorum animos, quod omnia contra ipſorum conſilia imprudenter gubernaſſet, ſuſpenſos reperit: populum item tanto furore percitum, vt cum poſtero die, qui fuit Nouembris nonus, in curiam, vbi Reipubl. Summi Magiſtratus reſidere ſolebant, ingredi vellet, à certis Magiſtratibus, qui armati aditum cuſtodiebant, in quibus præcipuâ autoritate erat Iacobus Nerlius, iuuenis nobilitate, atque opibus pollens, prohiberetur. quod vbi in vulgum dimanauit, populus maiore impetu concitatus, quòd Paulus Vrſinus cum ſuis equitibus à Petro accitus appropinquabat, ad arma præcipiti furore cucurrit, quo tumultu audito, Petrus, qui domum iam ſe receperat conſternatus, cùm accepiſſet, ſe perduellem à Magiſtratu iudicatum, Florentiâ ſe maximâ celeritate, Ioanne Cardinale (Minoritani ſacerdotis cuiuſdam cucullam is induerat) Iulianoque fratribus ſuis ſequentibus ſubduxit, Bononiamque recepit: vbi à Ioanne Bentiuolo, in alijs eam animi conſtantiam, quam ipſe poſteà in ſuis non præſtitit malis, requirente, acriter primo ſtatim congreſſu reprehenſus fuit; qui non modò in ſuam ipſius perniciem, verùm etiam omnium eorum, qui patriæ ſuæ libertatem opprimerent, pernicioſo exemplo, vſque adeò timidè, ne vnius quidem hominis cœde conſpectâ, tantum deſeruerit dominatum. In hunc modum vnius iuuenis temeritate, Medicea domus ab ea tunc cecidit potentiâ, quam nomine, & ſpecie ciuilis adminiſtrationis, per annos ſexaginta, continuatâ ſucceſſione Florentiæ obtinuerat: quæ cum in Coſmo huius proauo cœpiſſet, ſingularis prudentiæ, immenſiſque opibus ciue, atque ob eas res in omnibus Europæ locis celebratiſsimo; multoque magis, quòd magnificentiâ planè admirabili, animoque verè Regio, nominis ſui magis æternitatem ſpectans, quàm nepotum vtilitatem, aureorum vltra quadringenta millia in templorum, ſacrorumque collegiorum, aliorum præterea Regiâ magnificentiâ ædificiorum ſtructuris non modò in patria, verùm in alijs quoque orbis terræ partibus inſumpſit, ad Laurentium eius nepotem peruenit; qui nec magnitudine ingenij, conſilijque præſtantiâ, nec animi altitudine proauo inferior, in republ. verò adminiſtrandâ, etſi non tantis opibus fultus, vitaque breuiore, autoritate tamen maiore, magnæ in tota Italia, nec non apud pleroſque exteros principes dignitatis fuit; quæ ab ipſius morte longè extitit clarior, quòd vnà cum eius vitâ, concordia, & fœlicitas Italiæ interiſſe videretur.

*Petrus Medices fugit ex Vrbe Florentinâ.*

XXI. *Mediceis exilio mulctati, Florentinis ſummopere exoſi.*

Exilio multatis Mediceis, ædes etiam diripuerunt, gemmas, aurum, argentum, veſtem pretioſam, immenſas opes, multos congeſtas per annos, publicarunt, tanta auiditate, atque ſæuitiâ, vt valuas, & cardines euellerent, domus dilapidatæ; ac præterea pilas puniceas Mediceæ gentis inſignia, omnibus vrbis locis abraderent. vſque verò adeò Mediceum nomen cunctis inuidioſum eſſe cœpit, vt Laurentius, atque Ioannes, qui apud Carolum tamquam exules

fuerant,



fuerant, patriâ expulſi gentiles, atque conſanguinei, vt libertatis tuendæ ſtudium oſtenderent, marmoreis, antiquæ domus inſignibus pilas deterſerint, ſubſtitutaque candida cruce, vti in aliam familiam tranſeuntibus mos eſt, Populani, abdicato veteri nomine, appellari maluerint. Tantum porrò odium populi erga Mediceos exarſerat, vt nè neceſſarijs ſuis parcerent, ſi quem ſtudio Mediceorum teneri intelligerent. vnde ſibi periculum metuentes Dominicani ad S. Marcum quamquam templum illorum à Mediceis ſit conditum Ioannẽ Cardinalem, qui exuta purpurea cineream cucullam ad Franciſcani Sacerdotis effigiem indutus, inter tumultum occupatæ, & diſcurrentis turbæ fugiebat, dum ad eorum cœnobium, vt ibi ſe tantiſper conderet, accurriſſet, admittere non potuerunt.

XXII. *Piſani à Gallorum Rege libertatem impetrãt.*

Eodem verò die, quo Florentinæ Reipub. forma eſt immutata, dum Carolus eſſet Piſis, ad eum Piſani turmatim libertatẽ poſcentes, grauiterq́; de iniurijs in ſe Florentinorum conquerentes, concurſum fecerunt. cumq́; ex Caroli familiaribus quidam tum præſentes, æquam eſſe Piſanorum petitionem, quòd acerbiùs eis Florentini dominarentur, affirmarent, Rex, quid ea petitio ſecum traheret, parùm expendens, neque cogitans eam, ijs, quę Sereſanæ acta erant, repugnare, Piſanos, liberos eſſe iuſſit. qua voce audita, populus ad arma cucurrit, atque ex locis publicis Florentinorum inſignibus in pręfluentem Arnum deiectis, ſeſe incredibili cupiditate in libertatem vindicauit. nihilominùs tñ Rex ſibi ipſi contrarius, nec quid cõceſsiſſet, attendens, vt in vrbe Magiſtratus Florentinorum manerent, ſolitaq́; obirent munera voluit; Piſanus aũt vetere arce, quã *Citta dellam* vocant, tradita, nouam, quæ longè erat firmior, ſibi reſeruauit. In his Piſanorum, Florentinorumq́; motibus, id, quod communi ſermone iactatur, elucere potuit; homines nimirum, corum appropinquantibus malis prudentiam inprimis, cuius ope imminentes vitare calamitates potuiſſent, amittere. Nam & Florentini omni tempore de Piſanorum fide maximè ancipites, bellumq́; tàm periculoſum in foribus habentes, Piſanorum præcipuos, quemadmodum ad ſuam ſecuritatem in quouis leuiſsimo motu, eorum numerum haud exiguum ſolebant, Florentiam nõ euocarunt: nec Petrus Medices, tot imminentibus periculis, externo milite forum, curiamq́; muniuit, vt in multò leuiore ſuſpicione, ſæpenumerò al[illegible]às fuit factũ; quæ prouiſio, magna iniecisſet hiſce mutationibus impedimenta. Quod aũt ad Piſanas res attinet, illud conſtabat, Piſanis, Florentino nomini naturâ infenſiſsimis, Ludouici Sfortiæ autoritatem ſtimulos addidiſſe; qui cùm priùs clam cum quibuſdã Piſanis ciuibus, ob priuata maleficia exulibus, eâ de re egiſſet, eodẽ die Galeacius Sanſeuerinas, qui ab eo apud Regẽ relictus erat, populũ ad tumultuandum concitauit; quâ ex re Ludouicus Dominatum Piſanum breui ad ſe peruenturum ſibi perſuadebat: ignarus, eam ipſam rem non multò poſt omnium ipſius calamitatum cauſam futuram. Sed & illud perſpicuum erat, cùm priore nocte Piſani quidam, quod animo agitabãt, cum Oſtienſe Cardinale communicâſſent, eum, qui ad eam diem numquam pacati conſilij autor extitiſſet, graui oratione eos diligentiùs, non modò ſpeciem, primordiaque rerum, ſed interiùs quid temporis proceſſu parere poſſent, expenderent, hortatum fuiſſe. Libertatẽ rem eſſe deſiderabilẽ, ac pretioſam, talemque, quæ digna ſit, vt nullum periculũ defugiamus, ſi qua ſpes affulgeat minimè friuola nos eam poſſe aliquâ ſaltem ex parte tueri: ſed Piſanam vrbem viris, opibuſque ſpoliatam, vires nõ habere, quas Florentinorum potentiæ poſsit opponere: ſpem quoque illam eſſe fallacẽ, quâ ſe Galliæ Regis autoritate tutos eſſe, ſibi pollicerẽtur: propterea, quòd tametſi apud eum nõ plus Florentinorum pecunia poſſet, ijs præſertim, quæ Sereſanæ tractata fuerant, ad calculũ reuocatis, Gallos in Italia non eſſe perpetuò manſuros: ex præteritis.n. facilè futura poſſe prouideri; ſtultumque admodum eſſe, ſi quis ſe perpetuo exponat periculo, adiumentis minimè perpetuis obnixus, ſpeq́; incertiſsima, cum hoſte infinitò potentiore, certum bellum ſuſcipere, in quo de aliorũ auxilijs ſibi certò nihil, quod ex aliena voluntate, & q̃ eſt maius, ex euentorum magnâ varietate penderent, poſſent polliceri. quæ quamuis obtinerẽt, nõ idcircò effugerẽt, ſed multò atrociores, vno, eodemque tempore, & ab hoſtium militibus vexari, & amicorũ grauatè rem ferentibus, belli calamitates efficerent. quæ eò eſſent amicis acerbiores, quòd ſcirent ſe, nõ propriam libertatẽ defẽdere, ſed pro alieno imperio, ſeruitutis tãtùm nomine, nõ ſeruitute ipsâ commutatâ, decertare. nullum eſſe principẽ, qui moleſtias, ſumptuſq́; alicuius belli vellet ſuſcipere, niſi vt eis dominaretur: q̃ quidem bellũ, propter opes vicinitatemq́; Florentinorũ qui dũ vitalẽ auram traherent, numquam ab eis vexandis ceſſaturi, ſuſtinere, niſi ſummâ cum difficultate, non poſſet.

XXIII. *Carolus Rex Florentiam proficiſcitur.*

In ea rerum omnium perturbatione Piſis, itinere Florentiam verſùs ſuſcepto diſceſsit Carolus, incertus omnino, quem modum Piſanorum rebus vellet imponere; ac Signiã venit, qui locus Florentiâ diſtat milliaribus 7. ibiq́; ſe cõtinuit, vt antequã vrbẽ ingrederetur, Florentini populi tumultus aliquantũ conquieſceret, qui arma eo die, quo Petrus Medices vrbe fuerat exactus, ſumpta, nondum poſuerat: nec non, vt Obigneo ſpatiũ veniendi daret, quem, vt maiorem Florentinis terrorem in ipſo vrbis ingreſſu incuteret, eâ lege acciuerat, vt bellica tormenta Caſtrocari relinqueret, quingentoſq́; Italos equites, quos ſecum in Aemilia habebat, ſimul Sfortianas copias exautoraret. vnde nõ paucis, neq́; leuibus ſignis aduertebatur, Regis animum fuiſſe, armorum terrore, eò Florentinos impellere, vt ſibi liberum, atq́; abſolutũ ciuitatis cederẽt Imperium: quod nè diſsimulare quidem cum eorum Oratoribus potuit, qui ſæpiùs Signiam, vt cum eo de eius in vrbem introitus formâ, deque fœdere, quo de agebatur, certius aliquid conſtituerent, ventitabant. Non erat aũt dubiũ, quia Rex, propterea quod ſeſe ei oppoſuiſſẽt, Florentino nomini eſſet vehementer infenſus, maximumq́; odium concepiſſet; & quamquam liquidò conſtaret, eam rem à Reipublicæ voluntate nõ eſſe profectã; & ciuitas eâ de re ſe apud eũ accuratè purgâſſet, tñ ex eius animo ea offenſio deleri minimè poterat. In eam.n. opinionem, vt creditur, à pleriſq́; ſuorum erat inductus, qui occaſionem eius vrbis dominatum occupandi, nequaquam prætereundam eſſe dicebant, ſiue auaritiâ moti, opportunitatẽ tàm opulentæ vrbis diripiendæ amittere nolebant. eaq́; vox per totum exercitum erat peruagata; eam vrbem, vt cæteris eſſet exemplo, puniendam eſſe; quod prima Italicarum ciuitatum Gallorum potentiæ obuiàm ire auſa eſſet. Nec ex cõſilij Regij principibus deerant, qui vt Petrum Medicem in priſtinum gradũ reſtitueret, hortarentur, atq́; inprimis Philippus Breſcius, Sabaudiæ Ducis frater, cum priuatis amicitijs, tum promiſsis ad id inductus, quò factum eſt, ſiue horum ſententijs obtinẽtibus (etſi Maclouienſis Epiſcopus contrarium ſuaderet) ſiue hoc terrore iniecto, faciliùs ſe Florentinos ad ſuam voluntatem flectere poſſe ſperarent, ſiue vt in ipſo facto, id, quod magis arrideret, minore negotio arripiendi occaſionẽ haberent, Rex ad Petrum ſcripſit, atq́; vt Breſcius ſcriberet, effecit, quibus literis eum, vt ad Florẽtiam accederet, hortabantur; ſe tum eius amicitiæ, quæ inter patres ipſorum extiterat memoriâ, tum propter præſtantem in ſe animum, quẽ in arcium deditione demonſtrâſſet, velle eum in priſtinam autoritatẽ reſtituere. Sed hæ literæ Petrum non iam Bononiæ, vt crediderat Rex, inuenerunt; propterea quòd is Ioannis Bentiuoli verborum aſperitate permotus; veritusq́; nè à Mediolanenſium Duce, ac fortaſſe à Rege ipſo ſibi inſidiæ ſtruerentur, Venetias ſuo aduerſo facto profectus erat, quò tamen ei à Cardinale fratre ſuo qui Bononiæ ſubſtiterat, miſſæ fuerũt. Florentini de Regis voluntate admodũ ambigebant; verũ cum nõ viderẽt, quibus viribus, quaue ſpe ei poſſent reſiſtere, eum in vrbẽ minùs periculoſo cõſilio admittere conſtituerãt, ſe aliquo modo placare poſſe ſperantes: & tñ vt in oẽm eſſent euentũ parati, fecerant, vt pleriq́; ciues ſuas domos clam

*Petrum Mediceũ in priſtinum gradum reſtituere intendit Carolus Gallorum Rex.*

viris è Florentinâ ditione implerent; atque vt duces, qui Reipub. ſtipendijs militabant, cum multis è ſuis militibus, diſsimulata cauſâ, ſeſe in vrbem reciperent; vtque tam in vrbe, quàm in vicinis locis, quiſque ad maioris campanæ pulſum, arma ſumere paratus eſſet. Rex igitur cum exercitu, magnâ cum pompa atque apparatu, ſummo ſtudio, & magnificentiâ, tam aulæ ſuæ, quã ciuitatis diſpoſito, atque vt victoris modo ingredi videretur, armatus ipſe, equuſque ipſius, haſtam erectam femorique innixam geſtans, in vrbem inuectus eſt, quo eodem die Picus Mirandula in ea deceſsit è vita, quatuor & triginta natus annos rarum ingenij, atque eruditionis lumẽ, Phœnicis ex eo cognomen conſecutus. Voluit Dominicanæ familiæ veſtimentis terræ mandari: quod Sauonarola probante pridem decreuerat, eidem familiæ nomen dare. Hic verò Florentiam Rege ingreſſo ſtatim de compoſitione cœptum eſt agi; verùm multis difficultatibus interuenientibus. Nam præter quorundam è Regijs familiaribus, in Petrum Medicem ſtudia immoderata, poſtulataque intolerabilia pecuniarum, Carolus palàm Florentiæ dominatum poſtulabat: affirmans, ex eo, quod armatus eſſet in vrbem ingreſſus, militaribus regni Galliæ inſtitutis ſibi deberi. à quã petitione, etſi denique diſceſsit certos tamen veſte longiore vtentes (Sic enim Galli Doctores, ſiue togatos homines vocant) ſuos Legatos relinquere volebat, eâ autoritate, vt Galliæ inſtitutis, ei haud exigua in eâ ciuitate poteſtas in perpetuum attributa videri poſſet. Contrà verò, Florentini pertinaciſsimi erant, nullum periculum adire recuſantes, vt ſuam libertatem ſartam, tectam conſeruarent. Quarè cum inter ſe tàm diuerſis agerent ſententijs, animi partiũ magis, magiſq; accendebantur: nihilominus tamen neutra pars ad diſsidia armis terminanda parata erat. Nam populus Florentinus mercaturæ longâ conſuetudine potiùs, quàm rei militaris exercitationibus deditus, cùm intra vrbis ſuæ muros Regem potentiſsimum tanto cum exercitu, ex ignotis, ac ferocibus nationibus conflato cerneret, vehementer formidabat: Gallis autem non mediocrem inijciebat metum Florentini populi ingens multitudo; qui quo tempore ſtatus Reipub. fuerat mutatus, argumenta audaciæ maiora, quàm quiſquam crediditſet, oſtenderat. Is quoque rumor peruulgatus non parùm eos terrebat, nimirum ad campani æris, quod in turribus ſuſpendi ſolet, ingentem ſonitum, infinitam armatorum vim, ex toto Florentinorum agro concurſum facturam. In hoc communi metu, ad inanes ſæpè rumores, vtraque pars magno tumultu repentè ad arma concurrebat: verùm neutra alteram inuadebat, aut prouocabat. Irritum fuit de Petro Medice Regis conſilium; propterea quòd Petrus inter ſpem, quæ facta fuerat, & metum, nè aduerſarijs prædæ dederetur, ſuſpenſus, conſilium ſuper Regijs petiuit à Veneto Senatu. Nihil profectò magis neceſſarium in rebus arduis: nihil rurſum perículoſius, quàm ex alterius pendere conſilio: nec cuiquam eſt dubium, alieno conſilio minus egere prudentes, quàm imprudentes: & tamen fructum maiorem ex conſilio capiendo ſapientes percipiunt. Quis enim tanta præditus eſt ſapientiâ, qui per ſe omnia perſpiciat, & cognoſcat, atque in contrarijs ſententijs, quæ ſit potior, dijudicare valeat? Verùm quis alium conſulens certò ſcit, ſe, fidele conſilium auditurum? Nam qui dat conſilium, ni valde ſit fidelis, aut benè erga eum, qui petat, affectus, non modò inſigni vtilitate impulſus, verùm exiguo quouis propoſito commodo, quamuis leui cupiditate, ſæpè conſilium in eum dirigit finem, qui maximè ſibi accommodatus eſſe videatur: cumque hi fines non rarò ab eo, qui conſilium capit, ignorentur, conſilij infidelitatem, niſi prudens ſit, non animaduertit. Hoc ipſum Petro Medici accidit: quippè Veneti, exiſtimantes Petri in patriam reditum, Carolo omnia, quæ à Florentinis optabat faciliora effecturum, id quod tamquam rebus ipſorum aduerſum, ipſis moleſtiſsimum fuiſſet, idcircò ſibi magis, quàm Petro conſulentes, nè ſe Regis poteſtati, qui ſe ab eo iniuriâ affectum duceret, committeret, grauiſsimis verbis monuerunt. vtque maiorem ei ſui conſilij ſequendi anſam præberent, ſe eius res complexuros, omneque ſtudium, & operam, ſi quando tempus id poſceret, poſituros, vt in patriam reſtitueretur, promiſerunt. Nec hoc contenti, cè is tunc fortè Venerijs diſcederet, ei (ſi quod poſt fuit peruulgatum, à verò non aberrat) occultiſsimam cuſtodiam appoſuerunt.

*Picus Mirandulanus ordinis Prædicatorum ... habitu ſepelitur.*

*Galliarũ Regis de Petro Mediceo conſilium irritum.*

XXIV. *Petrus Caponius, Florentinos à Gallorum exactionibus liberat.*

Intereà Florentiæ erant ab omni parte exulcerati animi, ac propemodum ad manifeſtam contentionem deuoluti, dum neque Rex à ſuis poſtremis poſtulatis nuſquàm vult diſcedere, neque Florentini ad intolerabilem pecuniæ ſummam, ſe obſtringi patiuntur, neque vt iuris aliquid, aut poteſtatis in Florentina Repub. Rex habeat, vllo modo volunt aſſentiri: quas controuerſias, exceptis armis inextricabiles, Petri Caponij virtus explicauit. Fuit Petrus, vnus ex quatuor ſelectis ciuibus, ad res cum Rege tractandas, vir ingenio, atque animo magno, eaſque ob res, magnæ apud ſuos autoritatis: tum etiam quòd ex familia eſſet honeſtiſsimâ, atque ab ijs ortus, qui plurimùm in ciuitate potuiſſent. Itaque, cùm is, eiuſque collegæ aliquando coram Rege eſſent, atque à Regio Scribâ compoſitionis capita iniquiſsima, ab Rege tamquam poſtremò propoſita recitarentur, Caponius rei indignitate vehementer commotus libellos è manu Scribæ abreptos, Rege ſpectante diſcerpſit, voceque concitatâ ſubiunxit: *Quandoquidem tam iniqua poſtulantur, veſtras vos inflabitis tubas, nos campanas pulſabimus noſtras*: illud haud obſcurè innuens, eas controuerſias armis eſſe decidendas: eodemque motu, collegis ipſum ſequentibus, è Regio cubiculo diſceſsit. Certum eſt, huius ciuis iam priùs Carolo, totique aulæ noti, quòd paucis ante menſibus Legatus Florentinorum in Gallia extitiſſet, verbis magnum terrorem Gallis iniectum fuiſſe; ſecum præſertim reputantibus, tantam in homine confidentiam, nequaquam ſine causâ eſſe. Quamobrem eò reuocato, poſtulatiſque, quibus aſſentiri Florentini recuſabant, reiectis, Rex, & Florentini in hanc ſententiam fœdus pepigêre; vt præteritis obliteratis iniurijs, ciuitas Florentinorum amica, fœderata, atque in perpetua Galliæ Regum tutelâ eſſet: vt Piſana vrbs, Liburnumque cum ſuis arcibus in Regis eſſent poteſtate; quas Rex ſine vllo prorſus ſumptu Florentinis reſtituere ſtatim bello Neapolitano confecto teneretur. Confectum autem intelligi debere, vbi Neapolim vrbem occupâſſet, aut rebus pace compoſitis, aut quacumque ex cauſa Rex ipſe Italiâ diſcederet. Vtque Regij præfecti præſentes iurarent, ſe eis conditionibus reſtituturos. Interea verò temporis, dominatus, iuriſdictio, adminiſtratio, oppidorum vectigalia, vt conſueuerant, Florentinorum eſſent. vt ijſdem conditionibus Petra Sancta, Sereſana, Sereſanelumque comprehenderentur. Verùm, quoniam Genuenſes in hæc, ſe ius habere exiſtimarent, Regi eorum controuerſias vel pactione, vel iure definiret, permitti, quas niſi intra ſupraſcriptum tempus compoſuiſſet, eas Florentinis reſtitueret. vt Rex duos Florentiæ legatos relinquere poſſet, ſine quorum interuentu, dum id bellum geritur, nihil, quod eò pertineat, tractare liceret: nec eodem tempore, niſi re cum eiſdem communicatâ ſuarum copiarum Imperatorem deligere. Illicò omnia alia Florentini Imperij oppida, quæ aut defeciſſent, aut vi capta eſſent, reſtituerentur. eadem armis recuperare, ſiquidem Florentinos recipere recuſarent, licitum eſſet. Regi in belli Neapolitani ſubſidium, aureorum nummûm intra dies quindecim, quinquaginta millia; quadraginta millia per totum menſem Martium, triginta millia per totum Iunium proximè ſequentes, donarent. Piſanis perduellionis crimen, aliaque pòſt commiſſa delicta condonarent. exilij pœnâ Petrus Medices, eiuſque fratres abſoluerentur: bonorum publicatio aboleretur; eâ tamen lege, nè Petrus ad Florentinorum ditionem propiùs, quàm paſſuum centum millia (id quod fiebat, vt Romæ habitandi facultate priuaretur) eius verò fratres,

*Florentini cum Gallis quibus ſub conditionibus fœdus ineunt.*





totidem ab vrbe Florentiâ accederent. Hæc fuerunt præcipua Florentini cum Carolo fœderis capita, vtrinque iureiurando, manibus aræ maximæ admotis confirmata.

XXV. *Carolus Gallorũ Rex Senas, inde Romam pergit.*

His in hunc modum actis, Carolus Senas profectus, præſidium vrbi ad maieſtatem Rom. Imp. ſemper reſpicienti impoſuit. inde Romam verſùs, iter ſuſcepit, indies inſolentior, rerum ſucceſſu multo maiore, quàm ſpes vmquam extitiſſet, factus; tempeſtateſque benigniores, & clariùs, quàm anni ferret tempus cœlum nactus, hoc vti beneficio ſine vlla intermiſsione decreuit, formidabilis non modò apertis inimicis, verùm etiam ijs, qui aut ab eo aliquando ſteterant, aut à quibus nullâ in re fuerat prouocatus. Quamobrem tum Senatus Venetus, tum Mediolanenſium Dux, tanto rerum ſucceſſu perterriti, veritiq; præſertim, quòd & arces Florentinorum in ſuam redigiſſet poteſtatem, & Senis præſidium impoſuiſſet, vt eius cogitationes, nequaquam in vno regno Neapolitano conquieſcerent; vt communi periculo occurrerent, de nouo inter ſe fœdere percutiendo agere cœperunt; citiuſq; rem ad exitũ perduxiſſent, ſi res Romanæ contra Carolum firmiores, quod plerique ſperârant extitiſſent. Nam Calabriæ Ducis, cui ſe Pontificis copiæ propè Romam, Virginiuſq; Vrſinus cum reliquo Aragonenſium exercitu adiunxerat, conſilium fuit, vt Carolo iter intercluderent, Viterbij cõſiſtere: ad quod præter alia multa, loci opportunitas, quòd is circumquaque Pontificis ditione ſeptus eſſet, Vrſinorumque caſtellis propinquus, inuitabat. Sed toto iam Latio propter Columnioru vltra Tiberim excurſiones, tumultuante: & propter impedimẽta, quæ ab Oſtia, nè cõmeatus Romam, vt ſolitum erat, mari importaretur, exhibebantur, ibi non eſt auſus conſiſtere. dubitabat præterea Ferdinandus, de Pontificis mente, qui audita Petri Medicis mutatione, iam tum Gallorũ poſtulatis aures præbere cœperat: de quibus tum Romam Aſcanius Cardinalis, vt cum eo ageret (cùm primùm Cardinalis Valentinus fidei obſes, Marinũ Columnenſium oppidum iuiſſet) venerat. Ac quanquã Aſcanius ſine certo reſpõſo diſceſsiſſet, quòd in Alexandri pectore illa pugnabant, primùm quòd Caroli fidẽ eius mẽtis inſcius ſuſpectum haberet; deinde quod proprijs viribus diffideret: nihilominus vbi Carolum Florẽtiâ profectum audiuit, Pontifex ad eum Concordienſem, ac Terniẽſem Epiſcopos, Magiſtrum item Gratianum, qui audiendæ Pontificis confeſsionis munere fungebatur, vt ſuas Regiſque Alfonſi res cõponere ſatagerent, legauit. At Caroli erat alia ſententia, vt qui cum Pontifice ſolo rem cõſtituiſſet cõponere. Idcircò Tramolliã Regulum, & Gannaium Regij Senatus præſidẽ ad eum miſit: quã etiã de cauſa Aſcanius Cardinalis, Proſperq; Columna eò venerunt: qui ſimul, ac Romã attigerunt, Alexãder (quâ de cauſa, neſcitur) mutata ſententiâ Ferdinãdum Calabriæ Ducem cum toto exercitu illicò in vrbẽ immiſit: captiſq; Aſcanio, & Proſpero, eos in Adriani mole cuſtodiri mandauit, ab eiſq;, vt ſibi Oſtia reſtitueretur, poſtulauit, quo in tumultu Galli quoque Oratores ab Aragonijs capti fuerunt. Sed hos ex templò dimitti iuſsit: nec multò poſt Aſcanium etiam, & Proſperum, ſed hos eâ conditione, vt è veſtigio, Româ diſcederent. Ad Regẽ poſteà, qui omnia Pontificiæ ditionis Hetruſca oppida, Viterbiumque occupauerat, præſidijſque impoſitis muniuerat, cum Nepete conſtituiſſet, Fridericum San Seueritatem Cardinalem miſit, cœpitq; de ſuis rãtùm rebus agere, animo tñ valdè ambiguo. Nam iam Romã tueri, ac propugnare conſtituebat. Itaq; Ferdinando, & reliquis ducibus permittebat, vt debiliora vrbis loca munirent. iam verò eam tueri, tum ꝙ commeatu maritimo ab ijs, qui Oſtię erant prohiberetur, tum quòd vrbs peregrinis hominibus, quorum variæ ſolent eſſe voluntates, eſſet referta: tum diuerſas Romanorum factiones metuens, difficile exiſtimans, Româ diſcedere cogitabat. Idcirco in Collegio à ſingulis purpuratis chirographum exegit, quo ſe obſtringerent, ſeſe Pontifici comites fore. Nunc etiam difficultatibus, & periculis ſuis omnibus conſilijs imminentibus perterrefactus, ad concordiam animum conuertebat.

*Eundem conciliare ſatagit Alexander Pontifex.*

XXVI. *Carolus Rex Romam occupat.*

Dum his cogitationibus ſuſpenſus fluctuat, Galli Tranſtiberinam regionem vniuerſam, iam hoc, iam illud oppidum occupantes percurrebant. nemo enim erat, qui reſiſteret, nemo, qui illorum furori non cederet, etiam ijs aliorum exemplum ſequentibus, qui maximè reſiſtere debuiſſent. Vel ipſe Virginius Vrſinus, tot, tantiſque vinculis Aragonijs obligatus, nimirùm Regij exercitus Imperator, Equitum totius regni Magiſter, qui vulgò Coneſtabilis appellatur, Alfonſo arctiſſimâ affinitate deuinctus, quòd eius filio, Ioãni Iordano, Ferdinandi Regis demortui filia, extra legitimũ torum ſuſcepta, nupſiſſet: à quibus etiam caſtella in regno, honoreſque acceperat; horum omniũ oblitus, nec minùs etiam, quòd ab ipſius commodis omnes Aragoniorum calamitates originem traxiſſent, ita res ſuas, Gallis, Italorum militũ ſubtilibus eiuſcemodi ſectionibus parum aſſuetis, ac mirantibus, compoſuit, vt ipſe quidem Regis Neapolitani ſtipendia faceret; eius verò filij, Galli ſigna ſequerentur: quin etiam, ſe Gallis, in ſuis, quæ in Pontificis ditione locis haberet, receptum, tranſitum, cõmeatum daturum; Campanianum item, nonnullaque alia loca depoſiti nomine Gurcenſi Cardinali traditurum; qui repromitteret, ſe ea ſimul, atque Regius exercitus, Latij, agrique Romani fines exceſsiſſet, reſtiturum. Eodem modo ſimul Pitiliani Comes, Vrſinæque gentis cæteri conuenêre.

XXVII. *Virginius Vrſinus copiarum Alfonſi Regis Dux, Gallis minimè reſiſtit.*

His in hunc compoſitis modum, Carolus Nepete, Braccianum præcipuum Virginij, oppidum venit: Oſtiam verò Ludouicum Ligninum, & Iuum Alegrium, cum cathaphractis quingentis, duobuſque Heluetiorũ millibus ire iuſsit: quò traiecto Tiberi, & Columnijs iam omnia percurrentibus coniuncti, Romam occupare conarentur: qui Romanorum quorundam ſuæ factionis operâ, ſe voti compotes futuros, etſi tempeſtatibus commutatis, impedimenta aucta fuiſſent, omninò ſperabant. Et iam ciuitas vetus, Cornetum, ac denique totum ferè Latium, in Gallorum venerat poteſtatẽ; iam tota Pontificis Curia, iam Romanus populus vehemẽter conſternatus, concordiam ardentibus votis expetebant. Quamobrem Pontifex ad maximas redactus anguſtias, ſentiens paulatim defenſionis fundamenta deficere, à Carolo verò ſibi infenſo magnoperè metuens, vehementes curas coquebat. Terrorem augebat, quòd apud Carolum haud exiguo in honore eſſe Oſtienſem, Aſcanium item, quem paulò ante cuſtodiæ tradiderat, Columnam item, & Sabellum, illum propter Proſperum fratrem in cuſtodia ab Alexandro habitum, iſtum propter neceſsitudinem cum Aſcanio, multoſque alios Cardinales eorum ſequaces ſibi pariter infenſos deque indicendo Concilio, vt ipſe ſacro rerum faſtigio deijceretur agitantes, videret: quibus, pronum erat, Regi perſuadere, Alexandrum, cum infamia Pontificatum adeptum, moribus, atque artibus nequaquam à tam fœdis initijs abhorrentibus, perpetuò adminiſtrare. Ergo metuebat, nè Rex ſiniſtris ſuaſionibus permotus, ac Chriſtianiſsimi Regis Galliæ appellatione, iamque tot ſeculis inueterata eius gentis religionis opinione, nec non expectatione, quæ ſemper eorum, qui nomine tantum noti ſunt, maior eſſe conſueuit, incitatus, animam ad res in Eccleſia nouandas, moreſque corruptos Eccleſiaſticorum corrigendos conuerteret. Hanc Pontificis hæſitationem Regis ſedulitas, promiſſaque efficaciſsima ſuſtulerunt: qui profectionẽ ſuam in regnum Neapolitanũ accelerare ſummoperè cupiens, nec quicquam prętermittẽs, quò Pontificis impedimenta poſſet amouere, ad eum denuò legatos miſit Belcariũ Siniſcialũ, Mariſciallumq; Gienſem (illũ prætorẽ, hunc Tribunũ militũ poſſumus dicere) & quẽ anteà miſerat Gannaium præſidem, qui ei perſuadere ſatagentes, non eſſe Regis mentẽ, vt ſe eis reb⁹ immiſceret, quæ ad Põtificiã

autoritatem pertinerent,nec aliud ab eo petere,quàm quantum ad tranſeundi ſecuritatem opportunitatem videretur, in id incubuerunt, vt Regem ſponte, voleníque in vrbem admitteret: affirmantes hoc ab eo maximè expeti, non quia non in eius poteſtate eſſet, armis ſibi aditum patefacere, ſed ne quicquam de ea obſeruantiâ detraderet,quâ ſui maiores Pontifices coluiſſent:quodque ſimul ac Rex in vrbe pedem poſuiſſet,quæ inter ipſos fuiſſent controuerſiæ,hæ ſtatim in ſinceram beneuolentiam,coniunctionemque conuerterentur. Repetebat Pontifex,ne Carolus,ſacroſanctã vrbem ſacrorum domicilium, Pontificum, optimorumque Antiſtitum ſedem, cui aliquando etiam barbarus Atila pepercíſſet,turbandam,violandamq; multitudini externorum militum præbere vellet. Quod ſi vt Chriſtianum,atque eius cognominis Regem decere,auguſtę vrbis religione teneretur,ingreſſuque abſtineret,ſe ei omni officio ſatisfacturum, cõmeatuſq; militibus idoneis in locis præbiturum. At illi reponebant, Carolum priuſquam Galliæ fines exiret, voto pro ſalute, felicitateque ſuſcepto decreuiſſe Romana templa inuiſere, ſanctiſsimas Petri, Paulique aras venerari,ipſumque Pontificem,qui pietatis, religioniſq; faſtigium obtineret, ſuppliciter adorare. Aragoniorũ tantum copias ipſe vrbe emitteret, mediam perſonã, vti par eſſet,ipſe auguſtus,& Sanctus induceret, commeatus expediret;Carolum amicè, pacatoque agmine vrbem ingreſſurum. Duræ Pontifici partes videbantur, ſe, primum omnium amicorum auxilijs nudare; ſeque in hoſtis poteſtatem,eo in vrbem priuſquàm res ſuas cum eo cõpoſuiſſet, recepto,tradere. Verùm tandem,omnium periculorum hoc minimum ratus,Regijs poſtulatis annuere decreuit. Ergo Ferdinandum Calabriæ Ducem ex vrbe, publicâ tamen fide priùs à Carolo impetrata, quò ſecurè per Pontificis ditionem iter habere poſſet,emiſit. Ferdinandus eã re magno animo ſpretâ,per portam Latinam;quàm hodiè S.Sebaſtiani vocant, die poſtremo huius anni 1494. eadem prorſus horâ ſub ſignis egreſſus eſt, quã per portam Flumentanam, nunc *S. Mariæ* populi nomen habenté, cum omnibus copijs Carolus Rex armatus haſtam femori innixam gerens, quo modo Florentiam quoque ingreſſus erat, in vrbem intrabat: quo etiam tempore Pontifex incredibili timore plenus,æſtuanſque ſe in arcem Angelicam, duobus tantum Cardinalibus comitatus, Baptiſtâ videlicet Vrſino, Oliuerioque Caraffa Neapolitano recepit. Regi Carolo aderãt Oſtienſis, Aſcanius,Columna, atque Sabellus Cardinales; obuiam eidem proceſſerunt, Proſper & Fabricius Columnij, item Senatores magno numero: hoſpitium eidem attributum in S. Marci palatio,eâ vrbis parte, quam Columnenſes inhabitant. Ingentes vbiq; populi plauſus,fauſtæ voces, & certantia multitudinis vota,Cardinalibus partiarijs eius aduentum haud obſcuris lætitiæ ſignis concelebrantibus. *Guicciardinus lib. 1. Iouius lib. 1. & 2. Sabellicus Ennead. 10. lib. 9. Io. Mariana lib. 26 Ferronius in Carolo 8. Commineus de bello Neapol. lib. 2 Iacobus Nardus hiſt. Florent. lib. 1. Platina in Alexandro 6. Stephanus Infixura, & poſt eum Sebaſtianus Branca in Notis Diarijs.*

*Alexander Pontifex timet à Carolo Galliarum Rege.*

XXVIII. *Cardinalis Ruuereus Generale Conciliũ inculcat Gallorum Regi.*

Dictum ſuperius, de Iuliano Cardinali, perpetuo hoſte Alexãdri. Is, quòd apud Carolum Regem ſummo in honore eſſet, ac ſumma cum authoritate omnibus eius conſilijs intereſſet, prauo, & execrando exemplo,Concilij Generalis mentionem, ſeu indictionem Carolo inculcabat. Libenter factioſi ad hæc arma conuolant,contra Summos Pontifices. Cum enim ſimultates, factioneſque inter ſe Cardinales aliquando exercuiſſent,liuore poſtmodum,ac quadam nouarum rerum libidine ducti, Pontificem, quem ipſi ſuis ſtudijs,atque ſuffragijs extulerant, repentè aut faſtidire, aut odio proſequi non verentur: paucique admodum inuitis etiam pluribus indicendi, condendique Concilij poteſtatem cõtra Pontifices, habere videri volũt. Id verum Concilij nomen,ſupra cæteros infelices humanarum rerum caſus, maximo terrori, Pontificibus eſſe exiſtimant:quaſi in his conuentibus, dum de Repub. Chriſtianâ Antiſtites referunt, placita Religionis interpretantur,& ad caſtigandam Sacerdotum luxuriam,cenſorias leges condunt,liceat Summos Pontifices,Põtificio iure circumuenire, & in ordinem redigere. Peſsimo iſto auſu armati Reges, contra omne ius,& fas,cõſueuerunt Pontifices terrere;quando omni tempore ex diſsidio Cardinalium facilem ad cogẽda huiuſmodi Conciliabula occaſionem inueniant. *Iouius lib. 2.* Quod Iulianus in Alexandrum machinabatur,id poſteà ipſe Pontifex factus,ab alijs tulit: quãdo nonnulli Cardinales, Ludouici Galliarum Regis potentiâ freti Piſanũ Conciliabulum, aduersùs illũ coegerunt: vt verum ſit illud ſolenne; Quod tu alteri,hoc alter tibi. Tanta porrò fuit Iuliani,eiuſque neceſſariorum in Alexandrum rabies,vt his ipſis diebus, Ioannes illius frater Senogalliam obtinens,Baiazetis Turcarum Imperatoris legatum,qui Ancona naui expoſitus Romam proficiſcebatur, Alexandro penſionem annuam librarum auri quadringentarum Zizimi cauſa dependi ſolitam afferens,interceperit, ablataq; pecuniâ violarit. *P. Bembus hiſt. Veneta lib. 2.*

XXIX. *Aſtrologus à Duce Mediolanenſiũ punitur.*

Narrauimus pariter, hoc anno in viuis eſſe deſiſſe Ioannem Galeacium, Ducem Mediolanenſem. Memorabile eſt quoddam ipſius factum. Aliquis Aſtrologorum mortem illi præmaturam prædicebat, ſibi verò quàm longiſsimam vitam pollicebatur. Huius ſtoliditatem,vt princeps oſtenderet, ſtatim eum ſtrãgulari iuſsit;certiſsimo documento,Aſtrologos nugarum venditores eſſe. Sufficere poterat ad inſtruendos Sfortiadas hoc exemplum:tamen Ludouicus, de quo egimus,Galeacij patruus,impegit in periculum,à falſis prædictionibus Aſtrologorum. Cardanus memorauit illum verſutum potius,quàm prudẽtem, & perfidum,quàm æqui, bonique amantem principem,impendioſum quendam Aſtrologum aluiſſe, in quem pluſquam centum auri magna talenta profuderit. Aſtrologus pro tanta mercede tempus vnicuique negotio inchoando præſcribebat,adeò ridiculè, vt Princeps cogeretur tempeſtatibus maximis equum conſcendere, & cum aulico comitatu,ac ſtipatoribus aliò migrare per medios imbres, per cænum, & ſalebras, non ſecus, ac ſi hoſtium manus effugeret; tam felici euentu, vt regno tandem à Ludouico Gallorum Rege ſpoliatus,captus,in carcerem compactus, colapho cæſus,in clathrata ferreâ mortuus fuerit; verùm vti iuſque fortunæ ludibrium. *Cardanus in Ptolomæum de Aſtror. iudic. lib. 1 text. 14.*

XXX. *Sauonarola futurorum præſcius.*

Non ex huiuſmodi vatibus Hieronymus Sauonarola,cuius mentionem fecimus ſuperius. Prædixerat Caroli in Italiam aduentum; calamitates futuras Italiæ,& Romæ ab eius exercitu; victorias, diademata, regna;tribulationes deinde plurimas,& fugam ex Italia illi ipſi propter flagitia, ab eodem Carolo commiſſa,& permiſſa: quæ omnia ſuis deſignatis temporibus euenerunt,vt ſcripſimus,& ſcribemus. Cum à Florentinis Optimatibus miſſus Orator, vna cum alijs obuiam Carolo iret, vt eum ciuibus propitium redderet; nemo ſociorum erat,qui non affirmaret, vſq; Lucam oportere illos ire,ibidemq; à Rege audiendos fore. Sauonarola, Piſam prædixit:idq; prout prænunciauerat,euenit:quandoquidem in vrbe Piſana legatione perſuncti ſunt. In eo itinere, Profanis futuras clades prædixit, ſanctimonialeſq; ad S. Nicolai, vt vitam emendarent admonuit. Si differrent fore tempus, vt à militaribus viris raperentur: quod poſteà euenit, vt prænunciauit. In itinere is eo ipſo,apud Carolum Pittium Libræfactæ Præfectum cùm diuertiſſet, & is pro veteri amicitia, Sauonarolæ, ac Comitibus (triginta numerabantur) conuiuiolum exhibere voluiſſet, nec tamen quicquam piſcium domi habuiſſet, nec piſcatores vehementi tempeſtate impediente, piſcari poſ-





ſent;Sauonarola famulum quendam cum retiaculo ad flumen præterfluens miſit,& aquis,quamquam ingẽtibus ventis iactatis immergi iuſsit, futurum dicens, vt non fruſtranea piſcatio eſſet. Vix retiaculum famulus iniecit, cum illicò ducentas octuaginta libras piſcium electorum prehendit;quibus extrahendis, oportuit aliquot vicinos euocare.

Florentinis præcipuè longè antea prædixit, plurima à Rege Carolo periculo, & tribulationes; quibus concuſsi,quaſi mentes,& ebrij, ſed non à vino circũagerentur; ſi tamen pænitentiâ flagitiorum permoti, diuinam implorarent clementiam, & ad meliorem vitam aſpirarent,ab omnibus emergerent. Euenit, vt prædixit. Carolus enim Florentiæ exiſtens,abſolutũque eius orbis dominium exambiens,iam exercitui in prædam omnia vrbana conceſſerat; & nè quis conſilijs decretiſque ſuis intercederet, eo die, quo ferale edictum miles exequi debebat, aditum ad ſe omnibus præcluſerat. Tũc verò Sauonarola ieiunio,& orationibus Fratrum ſuorum armatus, populoque iam vehementi timore conſternato, ad diuinam flagitandã miſericordiam feruentiſsimis exhortationibus excitato,ad Regis hoſpitium proceſsit;repulſam ab excubitoribus paſſus,iterum redijt, & à voce quadam interiore,quæ reuerti iubebat, diuinitus animatus, per omnia excubitorum cubicula ſecurus; ad Regem vſque penetrauit: vbi Cruci affixi imaguncula, quam geſtabat,expoſita,Carolum,nè Florentiam opprimeret,neue quippiam contra libertatem ciuium moliretur,interpellauit:tanto cum fructu, vt decreta feralia Rex reuocauerit,& paucis poſt diebus Florentiâ diſceſſerit à Sauonarolæ perſuaſionibus reſtitutâ libertate Florentinis; quam in reformanda Reipublicæ forma,non ſecus quàm ille prædixerat, habuerunt. Quo tempore Florentini vaſtitatem vrbis,ſtupra, rapinas,cædes,flammas,ſeruitutem,& extremas contumelias ab irato Rege,& à milite efferato metuebant, audita eſt vox quædam cælitùs emiſſa, quæ moneret, Ad Sauonarolam irent,& ab eo ſubſidia, conſiliaque expectarent. Iuerunt:ieiunijs intentum, & pro ſalute vrbis preces vnà cum Sodalibus fundentẽ repererunt Oratorem iterum ad Regem miſerunt, & in conſtituenda Republica monitorem ſecuti ſunt. *Mſ. vita Sauonarolæ.*

*Florentinis impẽdentia mala auertit.*

XXXI. *Idem verbis Sauonarolæ narratur.*

Eam rem ipſe narrabat iſtis verbis. Cùm ego, ait, dilectiſsimi Ciues, veſtræ ciuitatis ſtatum, & regimen mutationi propinquum cernerem, conſiderans,quòd non ſine graui diſcrimine, & ſanguinis effuſione tanta mutatio fieri poterat, niſi diuina pietas propter bonorum pœnitentiam ieiunia, & orationes opitulata fuiſſet, inſtitui Deo inſpirante aſsiduis declamationibus, ad pænitentiam populum exhortari, ob impetrandam ab ipſo Deo miſericordiam, quod die S. Matthæi Apoſtoli 21. Septembris anno 1494. totis viribus aggreſſus,ad confeſsionem,ieiunia,& orationes populum excitaui. quibus libenter ab eodem peractis,Dei bonitas iuſtitiam vertit in miſericordiã. Et nono die Nouembris ſtatus, & regimen ciuitatis, ſine cruore,alioue ſcandalo,diuino miraculo mutatũ eſt. Cum autem,ô popule Florentine, nouam regendi formam ſumpturus eſſes,te in templo Maiori, non adhibitis mulieribus, coram Magnificis Dominis & vniuerſis Magiſtratibus conuocaui. vbi poſtquam plurima de recto vrbium regimine, iuxta traditiones Philoſophorum,& ſacrorum Theologorum diſſerui, tum declaraui,quod eſſet naturale regimen ipſius populi Florentini. Hinc ſequentibus diebus à prædicationibus non deſiſtens, quatuor facienda propoſui. Primum,diuinum timorem obſeruandum. Secundò, Reipublicæ commune bonum, priuatis, & proprijs rebus præferendum. Tertium,communem,& integrã pacem ineundam cum ijs,qui paulo ante gubernacula ciuitatis adminiſtrauerant. addens appellationem à ſex fabis Dominorum, nè quiſpiam in futurum hoc medio Principatum in ciuitate ſibi vendicare poſſet. Quartum,vt conſilium amplum,& generale more Veneto conſtitueretur;vt ciuitatis beneficia, vniuerſo populo non priuato cuiquam accepta referrentur, nè ea viâ elatior quis fieri poſſet. Quæ quatuor monita eſſe voluntatis Dei,vt adimplerentur,aſſerui; qui cõſtituerat,vt ſub hac regendi formâ populus Florentinus in poſterum gubernaretur. Et addidi, neminem huic eius voluntati impedimento futurum,quia fabas albas,Deus conuerſurus eſſet in nigras; ideſt,eum mutaturum eſſe corda contradicentium,& effecturum,vt qui firmiter decreuerant contradicendo in conſilio ſuum negare ſuffragium, idem conſentiendo præberent. Atque ita prorſus euenit,vt omnibus in vrbe veſtrâ palam eſt;multis ex ijs, qui in principio contradixerant,talem mutationem ſe expertos fuiſſe, publicè confitentibus. Non ſolùm aut autoritate diuinæ voluntatis iſta quatuor prædicta populo ſuaſi, ſed ea etiã validis argumentis comprobaui,& demonſtraui,nullam aliam adminiſtrationis formam,tibi popule Florentine profuturã quam ſi ſuſciperes,tum tibi ex parte Dei pollicebar,ciuitatem tuam glorioſiorem ſolitò tàm ſpirituali,quàm temporali regimine,ac ſtatu, potentioremque, & opulentiorem futuram. Hæc ipſe *Sauonarola* de hactenus factis, in reformando Reipublicæ ſtatu, Guiciardinus,iſta,quæ adſcribo,enarrabat de hac ipſa reformatione.

Florentini,*aut*,non leuioribus anguſtijs, moleſtijſque,ab inteſtinis rebus cõflictabantur:qui vt Reipub. ſtatum ordinarent, ſimul ac Rex, Florentiâ diſceſſerat,in Comitijs,quæ veteri more populo vniuerſo in Curiæ campum cõuocato,apertis ſuffragijs,de ijs, quæ per Summum Magiſtratum propoſita erant, peragebantur,quando Reipub.formam conſtituerant, quæ popularis ſtatus nomine, multis partibus ad paucorũ potentiam magis, quàm multitudinis propendebat: quæ res cum plerique,qui maiorem animo licentiam conceperant,moleſta eſſet, atque ad idipſum priuata alicuius ciuis ambitio accederet,de reipub. formâ denuò agendum fuerat. de qua cùm certo die Principes Magiſtratus,ciueſque primarij deliberarent, Paulus Antonius Soderinus, ciuis,& ſapiens & grauis, verba vti fertur in hunc modum fecit.

XXXII. *De Reformatione Florentinorum iudicium P. Antonij Soderini.*

*Et ſi ab ijs,qui de Repub. ſcripſerunt,præſtantiſſimi ciues popularis ſtatus minus laudatur, quàm is, in quo aut ad vnum Principem,aut ad Optimates omnia referuntur: tamen quoniam deſiderium libertatis in hac ciuitate antiquum eſt, ac penè cum ipſis ciuibus natum,ſintque ciuium noſtrorum rationes ad æqualitatem, popularis Reipub.fundamentum maximè neceſſarium, accommodatæ; multitudinis imperium omnibus reliquis à nobis anteponendum eſſe,facilè demonſtrari poſſet. Verùm enimuerò eâ de re prolixius diſſerere, ſuperuacaneum arbitror, quandoquidem in omnibus ſuperiorum dierum conſultationibus, ſemper omnium conſenſu decretum eſt, vt Reſpub. populi nomine atque autoritate gubernetur. Sententiarum autem varietas hinc nata eſt, quod plerique in Comitijs,ad eas Reipub.rationes libenter acceſſerunt, quibus ciuitas, antequàm eius libertas à Medicea familia opprimeretur,regebatur (quorum de numero me vnum eſſe fateor) exiſtimantes,ſtatum hoc recenti modo conſtitutum, multis in rebus nomine potiùs,quàm re popularem eſt,caſibuſq;, qui ab huiuſmodi imperijs ſæpe numero exiſtunt,perterriti, perfectiorem aliquam formam,per quam ciuium concordia,& ſecuritas conſeruetur,requirunt. quæ quidem res, nec rationibus, nec documentis ſuperiorum temporum in hac ciuitate ſperari poteſt,niſi in ea Reipub.forma quæ tota à populi poteſtate,ſed ordine,& modo conſtituta pendeat: quæ quidem duobus firmiſſimis fundamentis nititur. Primum, vt omnes tam huius ciuitatis, quàm reliquæ ditionis Magiſtratus, & munera ſuis temporibus,communi conſilio eorum, qui noſtris legibus,ad Reipub.gubernacula aditum habent,decernantur: ſine cuius conſilij autoritate nouæ leges ferri non poſſint: ita vt in priuatorum ciuium poteſtate non ſit, neque cuiuſq; priuatæ conſpirationis,factionis, dignitates imperiaue diſtribue-*

*Duo ad Reip. Florentinæ gubernationem neceſſaria.*

*e nemo aliorum cupiditate excludetur: ſed ex virtute & meritis hominum diſtribuentur. itaq; vnumquemque virtute, bonis moribus, publicè & priuatim bene merendo, ſibi viam ad honores patefacere oportebit: abſtinere præterea à vitijs, ab inferenda alteri iniuriâ, ac denique ab omnibus ijs, quæ in benè inſtitutis ciuitatibus, odioſa moleſtaq; eſſe videantur. Neque in vnius paucorumue poteſtate erit, ſiue nouis legibus, ſiue vnius Magiſtratus autoritate, aliam Reipub. formam introducere: quoniam niſi ſemel recepta, Comitiorũ ſuffragijs mutari non poterit. Alterum eſt, vt grauiores deliberationes, cuiuſmodi ſunt de bello, & pace, de nouis legibus ponderandis, atque explorandis, ac generatim omnia ad huius ciuitatis, atq; imperij adminiſtrationem opportuna, à Magiſtratibus ei muneri deſtinatis, atq; ab conſilio ex ciuibus peritiſsimis, ac prudentiſsimis populi ſuffragijs ſelecto, & conſilio, tractentur. Nã quoniam horum cognitio negotiorum, in quemuis minimè cadit, ab ijs gerantur oportet, qui earũ rerum ſunt capaces. quæ res cùm non raro celeritatem, taciturnitatemq; requirant, de his cum populo agi non poteſt. Sed nec ad libertatis conſeruationem neceſſarium eſt, vt hæ res in magno admodum numero hominum tractentur. Secura etenim libertas erit, dummodò Magiſtratuum diſtributio, legumq; nouarum deliberatio, à conſenſu multitudinis pendeat. His duobus ritè conſtitutis, ſtatus verè popularis conſtabit, iactis libertatis fundamẽta, Reipub. forma laudabilis, ac diuturna ſtabilita erit. Nam complura alia, quæ ad formam quã de agitur, omnibus numeris abſoluendam ſpectant, præſtat in aliud tempus differre, nè ſtatim initio homines tyrannidis præteritæ recordatione ſuſpenſæ, quiq; liberæ ciuitatis conſilijs parum aſſueti, quæ ad libertatis tutelam, neceſſaria ſunt, ſatis peruidere non poſſunt, perturbentur. quamquam ea eiuſmodi ſunt, vt citrà periculum, in commodius tempus, opportunitatemq; maiorem differri poſſe videantur. Hanc autem Reipub. deſcriptionem, indies magis ciues amabunt, & complectentur, vſuq; facti veritatis capaces, expoliri quotidie eum ſtatum, donec ad ſuam perfectam formam redigatur; optabunt. Interea eis, quæ iecimus fundamentis, ſuſtinebimur: quæ quantâ felicitate poni, conſtituiq; poſsint quantamq; vtilitatem ſint allatura, non modò rationibus oſtendi poteſt, verùm etiam exemplis. Nam Venetorum Reſpub. quamuis è ſola conſtet nobilitate, non ſunt tamen in ea ciuitate nobiles aliud, quàm priuati ciues, numeroq; tot, ac tã diuerſis conditionibus, & generibus, vt quin ad popularem ſtatum plurimum accedat, & quin eam nos multis in rebus imitari poſsimus, negari non poſsit. At ea Reſpub. hiſce duobus fundamentis maximè nixa eſt, quibus per tot ſecula libertate ſimul & ciuili concordiâ conſeruatâ, ad tantam gloriam & magnitudinem conſcendit, quæ res, non, vt multi credunt, ab vrbis ſitu profecta eſt: propterea quod in eo ſitu, & loco potuerunt eſſe, ac reuera interdum diſcordiæ, & ſeditiones extiterunt, verùm ab Reipub. forma ſic temperata, tantaq; proportione conſtitutâ, vt ab ea effectus tàm præſtantes, atq; admirabiles neceſſariò proficiſcantur. Nec minus mouere nos noſtræ debent exempla, quàm aliena, verùm contrario modo conſiderata. Nam quoniam in noſtram ciuitatem numquam huic ſimilis forma introducta eſt, ea fuit cauſa, quamobrem res noſtræ tam crebris mutationibus fuerint obnoxiæ: ac modò à violenta tyrannide conculcatæ, modo à paucorum ambitioſa, auaraq; diſſenſione laceratæ: tunc ab effrenata multitudinis licentia quaſſatæ. Ità cùm propter quietem, ac felicitatẽ incolarũ ciuitates initio fuerint ædificatæ, noſtræ Reipub. fructus, noſtræ felicitates, noſtra ocia, fuerunt publicationes bonorũ, exilia, miſerorũ ciuium cædes. Nõ eſt in Comitijs forma ab ijs diuerſa propoſita, quæ alijs temporibus in hac ciuitate extitere, quæ diſsidiorum, & calamitatum plena fuerũt, quæq; poſt infinita tum publica, tum priuata mala, tyrannos denique nobis pepererunt. Vnde enim niſi ab his cauſis factum eſt, vt apud maiores noſtros Dux Athenarum, libertatem opprimeret: poſt etiam ſequentibus temporibus Coſmus Medices eam oppreſſam retineret? quod quidem minimè eſt mirandum. Nam vbi Magiſtratuum deſcriptio, legumque latio, non de cõmuni ciuiũ quotidiano conſenſu, ſed paucorum arbitrio peraguntur, tunc ciuibus non iam in publicũ bonũ, ſed in ſuas cupiditates, fineſq; priuatos intentis, factiones & partes, quibus adiunctæ ſunt totius ciuitatis ſeditiones, peſtes, atq; interitus certiſsimi rerumpub. imperiorumq; omnium exiſtunt. Quantò igitur maiore prudentia videbimur præditi, ſi eas reipub. adminiſtrandæ rationes fugerimus, quas & ratione, & domeſticis exemplis, pernicioſas eſſe poſſumus cognoſcere? ad eaſq; acceſſerimus, è quibus ſalus, ac felicitas ciuitatis prouenire, & rationibus & documentis aliorum perſpicitur? Quippe veritate impulſus, illud dicam: In hac noſtra ciuitate eum gubernandi modum, in quo pauci autoritate immoderatâ rem gerant, paucorum ſemper tyrannorum rempub. fore: qui eò erunt vno tyranno pernicioſiores, quò pernicies omnis capitalior, ac nocentior eſt multiplicata, quàm ſola. Quod ſi nihil aliud inſit mali, in eo ſaltem propter opinionum diuerſitatem, ambitionem, variaſq; hominum cupiditates, diuturna concordia in eo ſperari non poteſt: diſcordia verò omni tempore pernicioſiſsima, in hoc eſſet pernicioſior, in quo ciuem tanta potentiâ ſuffultum, proſcripſiſtis: quo tam præſtanti veſtri imperij parte mutilati eſtis. in quo Italia externo milite fœta, tota in grauiſsimis periculis cernitur. Raro equidem, ac fortaſsis numquam antea in ciuitatis poteſtate penitus fuit, ſeipſam ſuo arbitratu componere: quæ poteſtas, quoniam vobis Dei benignitate conceſſa eſt, nolite per Deum, vobiſmetipſi nocendo, Florentinorumque prudentiæ famam cum ignominia ſempiterna obſcurando, occaſionem amittere liberi ſtatus in ciuitate conſtituendi, qui nõ modò beatos vos faciat, ſed cuius perpetuitatem vobis polliceri poſsitis, atq; ita noſtris liberis, ac nepotibus eum theſaurum, eamq; felicitatem relinquere, quam nec vos, nec maiores veſtri aut poſſederunt vmquam, aut cognouerunt.*

*Cur eadẽ Reſpub. ſæpius turbata fuerit.*

*XXXIII Ad illud oratio Guid. Antonij Veſpucij circa iudicium ſupra poſitum, Soderini.*

Hæc Pauli Antonij verba fuerunt; verùm enimuerò, Guid. Antonius Veſpucius, clariſsimus Iuriſconſultus, vir ingenio, ac dexteritate ſingulari, ad ea huiuſmodi orationem habuit.

*Si Reſpub. eo modo, qui à Paulo Antonio Soderino propoſitus eſt, præſtantiſsimi ciues, optatos fructus tanta facilitate ederet quantâ deſcribuntur, palato admodum corrupto is eſſet, qui alium in patria noſtra reipub. ſtatũ deſideraret: pernicioſus ciuis eſſet, qui eam reipub. deſcriptionem nõ adamaret, in qua virtutes, merita, hominum dignitas, præter cætera omnia præmijs, & honoribus aſſicerentur; verùm equidem videre nequeo, qui fieri queat, vt ea reſpub. quæ in multitudinis poteſtate penitus ſit poſita, tot, tantiſq; bonis circũfluere redundareq; poſſit. Nam ſatis conſtat, quod & ratio docet, & vſus demonſtrat & ſapientum autoritas confirmat in tanta multitudine tantam prudentiam, talem vſum, talem ordinem minimè inueniri, quibus nobis polliceri valeamus, ſapientes ignaris, bonos malis, rerum vſu peritos, ijs, qui negotia numquam tractarunt, antepoſitum iri: quippe vt ab iudice rudi, & imperito, recta iudicia expectari nequeunt, ſic à multitudine confuſa, & imperita, conſilium, ſententiaue prudentia, & ratione munita, niſi fortè caſu, ſperari nullo modo poteſt. & nos, quod à viris ſapientibus, nulliſq; alijs negotijs intentis, vix diiudicari, atq; explicari poteſt, id ab ignara atque imperita turba, ex tanta ingeniorum, generum, morum varietate conflata, ſuiſque priuatis tantum negotijs intenta, diſtingui, & cognoſci poſſe credemus? Accedit his immoderata de ſe cuiuſcumque opinio, quâ nemo non ad honorum cupiditatem excitabitur; nec honeſtis libertatis fructibus in populari adminiſtratione erũt contẽti, ſed ad primos honorũ gradus omnes aſpirabunt, volentque in rerum grauiorum, ac difficilium deliberationibus locum habere: cuius rei ea eſt cauſa, quod minus apud nos, quã in vlla alia ciuitate, illa animi moderatio, qua prudentiori, ac præſtantiori ceditur, locum habet. Itaque perſuaſi, iure omnes in omnibus æquales eſſe debere, honorum gradus, qui virtuti, ac meritis debentur, cum in multitudinis erunt poteſtate confundentur: Iſtaque in maiorem partem cupiditas diffuſa, eos armabit potentia, qui aut ſapient minus, aut minus erunt digni. Nam cùm numero vincant; plus etiam in ea repub. in qua ſententiæ numerantur, non appenduntur, poterunt. Quamobrem quis hoc præſtabit, vt contenti ea forma quam vos hoc tempore introducetis, nouis inuentis, legibuſque nulla prudentia conſtitutis, quibus homines ſapientes reſiſtere nequibunt, modos reipub. gubernandæ ſapienter excogitatos, non ſint breui perturbaturi: quæ res cum ſemper in huiuſmodi repub. ſunt periculoſæ, tum verò maximè hoc ipſo tempore: cum ea ſit hominum natura, ab vno extremo, in quo nolentes detenti fuerunt, declinato, in*





*aliud extremum, medio prætereuecto, ſine cunctatione volentes decurrant. Sic qui è tyrannide ſunt elapſi, ſeſe, niſi retineantur, in effrenatam licentiã præcipitant; quæ quidem & ipſa iure tyrannis poteſt appellari. Nam & populus, cũ indignis dat quod adimit dignis; cum gradus, & merita ciuium confundit, tyrãno eſt ſimilis: cuius tyrannis eò fortè pernicioſior eſt, quò periculoſior ignorantia, quæ nec pondus, nec menſuram, nec legem habet, quàm malitia; quæ tamen ipſa aliqua regula, aliquo fræno, aliquo termino gubernatur. Neq; vos Venetorum exẽplum moueat, apud quos, & ſitus momẽti aliquid habet, & reipub. inſtitutio inueterata plurimùm valet, eſtq; ita cõpoſita, vt rerum grauium deliberationes, penes paucos ſint potiùs, quã multos. Adde illorum ingenia, quæ cùm non ſint fortè eo acumine prædita, quo ſunt noſtra, multò ſunt pacatiora, ac faciliora. Nec illis duobus tantum quæ propoſita ſunt, fundamentis Veneti nituntur, verùm ad perfectionẽ, & ſtabilitatẽ eorũ plurimum refert, eos perpetuũ Ducẽ aliaque inſtituta cõplura habere: quæ ſi quis in hanc ciuitatem vellet inducere, innumeros, qui repugnarẽt, inueniret: propterea quòd non nũc primum exoritur ciuitas noſtra, neque modò priſtinam inſtitutionem capit. idcircò inueterata conſuetudine, ſæpenumero cõmuni vtilitate repugnante, nec non hominibus, nè conſeruãdæ libertatis prætextu noua tyrannis quæratur, ſuſpicãtibus, haud ſanè multum prodeſſe ſana conſilia poſſunt; vt corpori malè affecto, & noxijs humoribus redundanti, medicinæ non tantũ proſunt quantum euacuato, ac purgato. Quibus de cauſis atq; etiam ob rerum humanarum conditionem, in peius ſemper fore vrgentium, magis timendum eſt, nè quod in hoc principio, minus perfectè erit conſtitutum, temporis, progreſſu penitus perturbetur, ac diſſoluatur, quã ſperandũ, vt aut tempore, aut occaſione perficiatur. Quid? An non domeſticis exemplis abundamus ſic vt minimè aliundè ſint petenda? quando enim Reipub. gubernacula penes populum penitus fuerunt, quin ciuitas illico plena diſcordijs tota ſit conuulſa, & ſtatus mutatio conſecuta? Quod ſi etiam aliorũ exempla intueri libet, cur non in memoriam reuocamus, populi illam abſolutam poteſtatem, tot, tantoſque in vrbe Roma motus excitaſſe, vt niſi ſcientia, & virtus militaris obſtitiſſet, illius reipub. vita breuis eſſet futura? Cur item non recordamur, Athenas florentiſsimam, ac potentiſsimã ciuitatem, nullâ alia de cauſa imperium amiſiſſe, inque ſuorum ciuium, atque externorum ſeruitutem incidiſſe, quàm quòd res magnæ, & grauis multitudinis arbitrio decernerentur? Illud autem videre nequeo, qua ratione dici queat, in ea reipub. forma, quæ in publico ciuium concilio propoſita eſt, libertatem integram minimè reperiri, propterea quod omnia ad Magiſtratuum autoritatẽ referantur, qui quidem perpetui nõ ſunt ſed temporibus commutantur: nec paucorum ſuffragijs creati, ſed à multis comprobati, ſortis arbitrio, ex veteri ciuitatis cõſuetudine, relinquuntur. Itaque qui poſſunt, aut factione, aut ciuium propria libidine diſtribui? Illud quidem certius nobis perſuadere poterimus, res grauiores, à prudentioribus, peritioribus, & grauioribus expenſum, ac tractatum iri, qui eas alio modo, alia taciturnitate, ac grauitate gubernabunt, quam populus harũ rerũ planè rudis, & imperitus, atque vbi minus eſt opus ſæpenumero profuſus: vbi autem res ipſa largitatẽ poſsit, vſque adeo tenax, vt dum minimis parcere vult, in maximos ſumptus, grauiſsimaque pericula incurrat. Grauiſsimus eſt, vt Paulus Antonius dixit, Italiæ morbus, ac neceſſaria potiſsimũ patriæ quamobrẽ, quæ eſſet imprudentia, cũ medici doctiores, ac peritiores requirantur, ijs ſe committere, qui minore eius artis ſcientia, vſuque ſunt præditi? Poſtremò illud eſt tenendũ vos, populum longè pacatiorem, facilioremq; ad ſalutaria ſibi conſilia, atq; ad commune bonum amplectendum habituros, ſi ei in repub. moderatum locum, autoritatemq; attribueritis. Nam ſi eius arbitrio, & poteſtati omnia ſubieceritis, verendũ erit, ne inſolentior, ac difficilior, atque ad veſtrorum ſapientum, bonorumque ciuium conſilia contumacior fiat.* Hæc Veſputius diſſerebat.

*Venetorũ exemplũ Florentinis parum proficuũ, & cur.*

*XXXIV. Sauonarolæ apud Florentinos magna authoritas.*

In hoc Comitio, in quo nõ ita magnus ciuiũ erat numerus ea ſententia, quæ Reip. deſcriptionem non tam popularem, & laxã probabat, obtinuiſſet, ſi hominum deliberationibus, diuina autoritas Hieronymi Sauonarolæ Ferrarienſis, ex ea Sodalitate, quæ Prædicatorum appellatur, ore non interueniſſet. Hic cum iam annos complures Florentiæ rerum diuinarum interpres extitiſſet, atq; ad ſingularem doctrinam, ſanctimoniæ famã celeberrimam adiunxiſſet, ſibi apud maiorem populi partem, vatis nomen, atque autoritatẽ vendicarat. Nã quo tempore in Italia nullum niſi ſummæ tranquillitatis ſignũ apparebat, pro concione ſæpenumerò prædixerat, externos exercitus in Italiam tanto cum mortalium terrore, venturos, vt nulli muri, nullæ armatorũ copiæ eorum furori pares eſſent futuræ; aſſerebatq; ſe hæc, atque alia multa quæ prædicabat, neque humana coniecturâ, neque ex cuiuſquam ſcriptoris ſcientia, ſed Dei ſolius inſtinctu, atque afflatu prænũciare. quin etiam de Reipub. Florentinæ commutatione aliquid innuerat: atque hoc eodem tempore eam libertatis rationẽ in comitijs ciuitatis exagitationem, palam deteſtabatur, affirmans, Dei eſſe voluntatem, vt talis forma reip. conſtitueretur, quæ prorſus, & abſolutè eſſet popularis; ne vmquam in paucorum ciuiũ poteſtate eſſet, vel ſecuritatem aliorum, vel libertatem labefactare. Itaq; cum ad multorum deſiderium, tanti nominis autoritas acceſsiſſet, qui ſecus ſentiebant, tãtæ animorum inclinationi reluctari nequiuerunt. Idcircò ea re multum, diuq; deliberata, & agitata, tandem in eam ſententiam itum eſt, vt ex omnibus ciuibus, non quidem (vt in multis Italiæ locis fuit diuulgatum) ex plebis fęce, ſed ex ijs tantum, quibus antiquis ciuitatis legibus aditus ad rempub. conceditur, cõſilium cõſtitueretur. cuius conſilij ea modò poteſtas eſſet, ciuitatis, atque imperij Florẽtini Magiſtratus omnes creare; pecuniæ cogendæ decreta, legeſq; à Magiſtratibus, & ſelectiorib. conſilijs conſtituta confirmare. Vt autẽ ciuilium diſſẽſionum cauſæ tollerentur, omniſque metus ex ciuium animis eximeretur, publico decreto, Athenienſium videlicet exemplo ſancitum eſt, vt ea delicta, quæ in Reipub. ſtatum ad eum vſq; diem commiſſa fuerant, perpetua obliuione in poſterum abolerẽtur. His iactis fundamentis, Reſpub. forſitã benè cõpoſita, & ſtabilis fuiſſet cõſtituta, ſi eodẽ tẽpore omnia introducta fuiſſẽt, quæ ad eam diem in hominum prudentium conſultationem venerant. Verùm cum de ijs ſtatuere ſine multorum, qui propter rerum præteritarum memoriam, ſuſpicionum erant pleni, non liceret, decretum fuit, vt magnum illud conſilium tamquam recentis libertatis fundamentum tunc conſtitueretur; quæ deeſſent, in tẽporum opportunitates, & quum publica vtilitas vſu, atque experientia, ab ijs cognoſceretur. qui eam rationum inductione cognoſcere non poterant, reſeruarentur. *Hæc Guicciardinus*, ad verificationẽ prædictionũ Sauonarolæ *l. 1.* Pergit tãdẽ de ſe narrare ipſe Sauonarola.

*XXXV. Quædam de eodem Sauonarolâ, eiuſdemmet verbis narrantur.*

Intereà, immutatus eſt, *ait*, ſtatus Florẽtinus. Ego itaque in vrbem reuerſus cæpi iterùm prædicare, vt orationibus, & iugi pœnitentiæ ab omnibus intenderetur, per quam apertiſsimè conſtat diuinã miſericordiã à maximis periculis populum Florentinum liberaſſe. Vlterius in prædicando verbo ſalutari perſiſtens dixi, quod adhuc tranſeunda plura periculoſa vada Florentinis eſſent, quodq; alijs tribulationibus quaterentur, & tota Italia, præcipuè Roma euerteretur; nõ aperiendo tamen vnquam, à quibus, & quando, & quomodo, nullumque remedium Præſulibus Eccleſiæ, & principibus Italiæ præter ſolam pœnitentiam relictum eſſe: quibus non pecuniarum acerui, non militum acies, nõ munitiſsima loca, & arces, profuturæ eſſent. Quamuis enim theſaurum infinitum, innumerumque, & validiſſimum exercitum, muros ferreos, & adamantinos arces poſſiderent, non modò non ſufficient, ſed vilium more fœminarum in fugam conuertentur: quoniã à Deo excæcabuntur, & robore ſimul, atque conſilio priuabuntur, ſicut in Iob ſcriptum eſt; Adducit conſiliarios in ſtultum finem, & iudices in ſtuporem. Baltheum Regum diſſoluit, & præcingit fune renes eorum. Subiunxi quoque (quia vnicus tonſor ad corradendam vniuerſam Italiam non ſufficeret) quod & alij ſuperuenirent; & ita proculdubio erit. Plura demum in eandem ſen-

tentiam, licet interdũ diuerſis verbis prænuntiaui: hoc inſuper addito, quòd Turci, & Mauri temporibus noſtris ad Chriſtianum cultum conuertentur, dicens; ſunt multi de hic ſtantibus, qui hæc videbũt. Cuius rei illuminatio multum ante id tẽporis ad me peruenit. Cũ.n. anno 1492. ꝑ Quadrageſimã prædicarem in templo S. Laurentij Florentiæ, vidi in nocte diei Veneris S. Cruces duas. Prima quidem erat nigra in medio Romæ tãgens vertice cœlum, & ꝑ vniuerſam terram brachia tẽdens, cui inſcripta erant verba hæc: Crux iræ Dei. quâ viſa ſtatim conſpexi rapidis nubibus turbatum aëra caligari, ventiſque, fulguribus, ſagittis, grandinibus, ignibus, & enſibus omnia miſceri; & innumerã hominum multitudinẽ perire, ita vt reliquiæ eorum in terris modicæ ſupereſſent. Poſtmodum vidi ſerenum, & limpidũ tempus ſuccedere, Crucemque auream in medio Hieruſalem ad proceritatem prioris adeo fulgidam, vt totum orbem illuſtraret, & nouis floribus, ac lætitia cõpleret, inſcriptumq; ſic habebat, Crux miſericordiæ Dei. Nec mora: omnes terrarũ nationes vtriuſq; ſexus ad eam adorandam & amplectendam vndiq; confluebant. In huiuſmodi propoſitum plures alias viſiones multò clariores ſuſcepi; ſicut etiam in alijs rebus à me prænunciatis, præſertim circa Eccleſiæ renouationem & flagellum, multis viſionibus, & certiſsimis illuſtrationibus per diuerſa tempora confirmatus ſum.

XXXVI. *In eiſdem narrandis proſequitur.* Præterea Ciuitatem Florentiam in melius eſſe reformandam; & hanc eſſe Dei voluntatem: & ciues Florentinos neceſſariò ità facturos eſſe prædixi, ex quo ciuitatem, ipſam glorioſiorem, potentiorem, & opulentiorem, quàm hactenus fuerit, futurã eſſe ex parte Dei, pariter prędixi. Idq; propoſitum diuinæ volũtatis fuiſſe res ipſa probauit. Quoniam eiuſmodi reformatio cũ maximam haberet contradictionem, eò quòd mori, & conſuetudini ciuitatis penitus aliena cuilibet videretur ſortita eſt effectum, quod humano iudicio impoſsibile credebatur. Hæc autem contradictio, & mẽs mala multorum retardandæ publicę, & cõmunis pacis cauſa fuit, & gratias nobis diuinitus promiſſas ſuſpẽdi fecit. cuius rei cauſâ populũ ad orationes, & ieiunia excitaui: quibus mente promptiſsima, atque deuota multiplicatis tandem pax ipſa impetrata fuit; & appellatio à ſex ſabis Dominorum ad Conſiliũ generale, quã ego pro firmiori ſecuritate ciuium, & ſtabilitate vniuerſæ ciuitatis perſuaſerã, recto ordine, & validis ſtatutis ſancita fuit. Inde meliori ſpe ſuccedente, inſtãtiſsimis Deum orationibus reconciliandum procuraui, vt reſtituerentur gratiæ Florentinis olim promiſſæ. *Hæc Sauonorola in Compendio reuelationum* enarrabat.

XXXVII. *Prædicta à Sauonarola eueniunt.* Succeſsiuè, omnia vt ille prædixerat, euenerunt. Florentini, vt dicetur, multa paſsi; Italia non ſemel vaſtata paucis annis; Roma anno conſequente, & pòſt aliquot annos ſub Clemente VII. vix non funditus euerſa; Alexander, & Clemens in mole Adriani obſeſsi, ac tandẽ fugati, cædes innumerabiles ferè vbique factæ; calamitates vbiq; in Italia intolerabiles; Reges, principes veluti amentes facti, capti, imperijs, & vita exuti. Clerus malè mulctatus, & planè conculcatus; ſchiſma Piſanum contra duos Pontifices: renouatio diſciplinæ Eccleſiaſticæ in cõcilio Lateranẽſi inchoata, in Tridẽtino cõtinuata, à SS. Põtificibus Paulo III. & IV. & Pio IV. & V. & alijs ſuccedentibus conſummata; Mauri non pauci, in regnis Valẽtiæ, Granatæ, Longi, & alijs conuerſi: Infideles Indi, Chriſtiano imperio, & cultui addicti: Iudæi quoque ex Hiſpania aliâ migrare iuſsi, multi ne patria carerent, Chriſto dedere nomina ſynceris animis; quãquam alij ſimulata pietate, tempori ſeruientes breui ad ingenium, fraudes, & mendacia redierunt. De Turcis, diuina decreta expectantur: prophetarum vocibus non in momento, ac dixerunt, ſemper adimpletis.

XXXVIII. *Item à B. Ioanne Capiſtrano.* Etiam B. Ioannes Capiſtranus Minoritarum familiæ eximium decus, cùm ante quadraginta hos annos Cracouiæ in regno Poloniæ concionaretur, propheticè dixerat; *Veniet huc Turcus, & equos ſuos in circulo Cracouienſi locabit, ſi correctio morum, & vitæ in vobis non aderit.* Et quidem hoc anno 1494. die 3. Iulij venit Cracouiã legatus Turcicus, duodecim camelos onuſtos ſecum ducens, quos in circulo prædicto collocauit; tamen nullã cladem Polonis aut intulit, aut denunciauit ſenioribus qui concionis Capiſtrani memoriam tenebant, verba prophetica viri Sancti leniter interpretantibus, his, qui curioſiùs in illa inquirebant. *Miechouius lib. 4. c. 74.*

XXXIX. *Iudæi ad varia loca pergunt, & alicubi pœnas dãt.* De Iudæis aliquid ex Ioanne Mariana dictum. Ante biennium Ferdinandus, & Iſabella Reges, Caſtellę, dixerant, vti omnes, niſi mutarent, ex omni ditione diſcederent. Edictum iſtud nouâ Thomæ Turrecremata Dominicani, Inquiſitoris fidei Generalis amplius aſtrictum erat, menſe Aprili, pijs omnibus vetantis cum ea gente commercium, grauiq; ſupplicio ſancientis, ſi quis decurſo præfixo tempore, victu, aut alia re quapiã eos homines iuuaret. Sic innumera Iudæorum multitudo mari ex Hiſpania ſoluentes, tum Africam, Italiam, & Orientis ſolis oras tenuerunt. *Mariana l. 26. c. 1.* Ex hac gente aliqui Tyrnauiæ in Vngaria, cùm ſe diro, atque immani quodam ſcelere, hoc anno *1494.* obſtrinxiſſent, meritum ſanè ſuppliciũ inuenerunt. Duodecim viri, cum duabus mulieribus, ingenuum adoleſcentem Chriſtianum occultè captum, atque in proximas ædes abductum, obſtructis repentè faucibus, miſerè ſtrãgularant, & apertis venis eius ſanguinem, dum animã ſẽſim, & ſingultim efflaret, partim abſorbuerũt, partim alijs aſſeruarunt; corpus autem in partes diſſectum, mẽbratim humi defoderunt. Cùm adoleſcens diu à parẽtibus quæſitus, nuſquam appareret, ſatiſq; conſtaret, eũ pridiè in vico Iudæorum verſatum, haud poſteà fuiſſe conſpectum, legitima in Iudæos quæſtio cõſtituta fuit. Lictores in eorum ædes immiſsi, deprehenſis recentibus cruoris notis, dominum cum tota familia comprehenderunt. Mulieres in quæſtionẽ abreptæ, metu tormentorum adactæ, totam indigniſsimi facinoris ſeriẽ confeſſæ ſunt. Earum teſtimonio conuicti reliqui, Palatini iuſſu, qui præfectus vrbis erat, omnes magno ad id excitato in foro incendio conflagrarunt: alij, qui minùs videbãtur obnoxij, magno pecuniæ numero multati ſunt. Cum autem è ſenibus cauſas tanti patrandi facinoris, per tormentorum cruciatum eruerent, quatuor eas eſſe didicerunt, quibus Tyrnauiæ tum, & aliàs ſæpe in alijs regionibus, eo ſe Iudæi flagitio aſtrinxiſſent. Vnam, quòd ita maiorum autoritate perſuaſum haberent, Chriſtiani hominis ſanguinem, præputijs in circumciſione appoſitum, ſiſtendo ſanguini opportunum eſſe remedium. Alteram, quòd eundem ad conciliandum inter ſe amorem plurimum valere, in cibo datum, exiſtimarent. Tertiam, quòd cum viri, ac mulieres æquè apud eos fluxu menſtrui laborarent, ſanguinem Chriſtiani hominis epotum, idoneã ad id morbi medicinam experti erant. Quartam, vt vetus apud ſe, ſed reconditum decretum exequerentur, quo quotidianis ſacrificijs in aliqua regione, Chriſtianum Deo ſanguinem libare coguntur. quò factum eſſe dictitabant, vt in eum annum ea ſors Iudæis Tyrnauienſibus obtigiſſet. *Bonfin. decad. 5. l. 4.*

XL. *Luſitaniæ Regi petita denegat Pontifex, & Scotiæ Regem cõſolatur.* Hocanno Alexander Pontifex, à Ioanne Luſitaniæ Rege interpellatus, vt Georgio eius filio extra matrimonium nato, Regni Luſitaniæ ſucceſsionem decerneret: grauiſsimis de cauſis denegauit. *Surita de reb. Ferd. Cathol. l. 1. c. 29.* Cumque non obſcuro multorũ ſermone intellexiſſet, Regem Scotiæ Iacobum, incredibili quodam dolore penè cõfectum extabeſcere, quod eorum factioni, qui manus patri iniecerant ſeſe aliquãdo adiunxiſſet, Formanum primum ſuum amanuenſem (quem Protonotarium vocant) ad eum miſit, qui illum ſuo nomine bono eſſe animo iuberet, hortareturque, vt in virtutis, pietatiſq; ſtudijs conſectandis, quâ cœpiſſet viâ, alacriter pergeret. *Leſlæus l. 8.*

XLI. *Monaſteria Minorum Cõuentualiũ in Hiſpania cõceduntur Minoritis obſeruantibus.* Eodem anno Pontifex, precibus Iſabellæ Reginæ Caſtellæ conceſsit, vt monaſteria Minorum Conuentualium in ſuis ditionibus poſſet Minoritanis Obſeruantibus attribuere. Floruit ex iſtis in Italia hoc tẽpore B. Bernardinus Feltrius, religioni à B. Iacobo Picente adſcriptus, & ad ſummam perfectionis à Sixto Mediolanenſi educatus. Tyroni conſuetudo fuerat, ante Matutinas preces, noctu ſurgere, & in Eccleſia orare. Aliquãdo ergo tẽtator in perſona Sixti eidẽ apparẽs, iuuenẽ ante tempus excitauit, & in Eccleſiam ducere ſe finxit. Sed in limine tamen templi diſparuit, magnumq; motum & terrorem excitauit; de quo certior factus Sixtus, iuueni, nè amplius antè matutinum ad Eccleſiam accederet, interdixit. Mantuæ, cùm aliquandò eſſet, Præfectus Monaſterij, vt in feſto S. Bernardini concionem ad populum haberet iniunxerat. Temporis breuitatem ad parandum excuſanti, Sixtus, genua in terram ponere, & linguam exerere iuſsit. quam cũ pollice dextro benedixiſſet, & vt ſuggeſtum conſcenderet, fidemque in Deo haberet, monuiſſet; tantam ſermonis gratiam Deus illi contulit; vt omnes in ſtuporem dicendo cõuerterit. Concionandi munere, aſſumpto, ſalutem animarum vnicam ſpectabat, vitia deteſtabatur, virtutes inſerebat. Vſurarum præcipuus inſectator, in fœneratores multis inuehebatur. Iudæi eius artis Magiſtri, vt vrbibus pellerentur, ac Montes pietatis erigerentur, procurabat. Sequebatur interim maxima morum in populis mutatio; diſcordię ſublatę; pompę, luxus, vanitates ſeculi calcatæ, alea, ludi, cantilenæ obſcenæ, proſcriptæ eorumq; inſtrumenta combuſta; Sacramentorum frequentia, ac pietatis exercitia, vbi concionabatur, introducta. Sanctus Bernardinus Senẽſis, ante quadraginta circiter annos, Peruſiæ; & Florentiæ pro concione prędixerat, hũc alterum ſe, ad illos aliquando venturum, & ingentẽ fructum animarum facturum. Euenit in populis dicto audientibus, non in Optimatibus: quorum aliqui Florentiæ, in vſuras, & alia flagitia detonantem; alij Peruſiæ, in factioſos, quorum conniuentia exules in vrbem reuerſi diſsidijſq; omnia repleta fuerant, declamantẽ, vrbe ſua quiſque hoc tempore eiecerunt. Accidit ei Florentiæ in monaſterio S. Saluatoris, vrbem ex feneſtra oculis contemplari. Ibi ei tantum lacrymarũ erupit, vt ſocius, qui aderat, non potuerit cõtineri, quin cauſam fletus exquireret: Tunc ille: *Fleo ſuper hanc ciuitatem, quam video circumdatam eſſe ab immenſo dracone; vnde conijcio, illi venturas intolerandas calamitates, & maxima pericula.* Ibidem pro concione, valdè Florentinis imminere calamitates prædixit. Cum inde eijceretur, viſus eſt radius igneus ab orę illius exire, Lucæ concionantem, viderunt auditores radijs circumdatum; alia vice roſam pulcherrimam ore tẽnentem: Aquilæ, Angelum ante conſpectum prædicãtis librũ apertũ tenentẽ. Viuens, & vitâ functus multis miraculis claruit, Papiæ hoc anno 1494. ad cœlos delatus.

XLII. *Moritur Euangeliſta Ballionus eiuſdem ordinis.* Aequalis huic Euangeliſta Peruſius, è Ballionum nobili familia Minoritanũ Ordinem profeſſus, & hoc anno die V. Auguſti Raguſæ extinctus, cuius cadauer, quandò in tumulũ inferebatur, Angelis, vt fertur, thuribulis arreptis ſuffumigarant. *Chron. Franciſc. parte 3. l. 7. c. 25.*

XLIII. *Roſarij virtute mulier peſte infecta liberatur.* Hoc eodem anno cum Vlyſsipone grauis & damnoſa peſtis graſſaretur, mulier quædam eâdem infecta, iã iam moritura videbatur. Igitur in tali, ac tantâ neceſsitate conſtitutam ſe ſentiens, Deiparæ Virgini SS. Roſarij Patronæ (cuius tunc imaginem ſuis brachijs deuotè amplectabatur) ſeſe commendauit, & ecce, poſt pauxillum tẽporis ſanitati reſtituta fuit. P. Archangel. in l. de Roſ.

XLIV. *Alia à morte.* In eadem Ciuitate eodemq; ferè tempore, alia quædã Matrona extremum trahebat ſpiritum. Quam cũ ipſius maritus, Patronę SS. Roſarij commendaſſet, ac ſimul oleo lampadis SS. Roſarij inunxiſſet. protinùs ſanitati reſtituta eſt. Idem Archangelis.

XLV. *Alia à ſuſpendio.* In præfata Luſitaniæ Ciuitate, eodém anno Mulier quædam à marito de adulterij crimine accuſata, ac falſis teſtibus conuicta, ſcandaloſè patibulo adiudicata fuit. Hæc erga Virginem Matrem erat deuotiſsima, & ſingulis diebus Roſarium ei offerebat. Quâdam autem feria ſexta, ſeptimo Idus Maij, ad ſupplicij locum perducta, pia Roſarij myſteria ſecum peruoluebat, omnemq; ſpẽ, ac fiduciam in Virgine collocabat, in tantis anguſtijs opem eius expectans. Sicq; ad patibulum pergens, ſuſpẽſa eſt. Paucis elapſis horis illam lictor deponens, tanto cũ impetu in terram deiecit, vt fortiſsimus quiſq; hoc caſu perimi potuiſſet. Ità deiectam in ſacellum quoddam vicinum deportarunt, vt ſepulturę traderent. Et cùm iam terræ mandaretur, ſigna viuentis exhibuit. Roſarij Reginam inuocando. Hic magna cuncti perturbatione cõmoti hęrebant: quidam verò Cœnobium S. P. Dominici adeuntes, nonnullos de fratribus aduocarunt, vt ſtupendo huic intereſſent miraculo. Porrò illam in Sacellum Deiparæ, vt par erat, deferri curârunt, vbi accedentes, PP. Prædicatores, propter nimiã accurrentiũ turbã, vix templum ingredi potuerunt. Tandem propiùs peruenientes cum lachrymis, omnes miſericordiam Altiſſimi, & opem Parthenice Virginis prædicabant. Cumq; illam ante faciem imaginis Deiparæ poſuerent; ipſa paululum eleuans caput, oculoſq; in ſanctam imaginem defixos habens, eam apprehendit, & vires paulatim recuperans in omnium coronâ patefecit, quodã cũ ſuſpẽdio mulctaretur, adfuerit clemẽtiſsima Dei mater, dulci pręſentia ſua illam corroborans, dicenſq; quòd propter piã Roſarij lectionem, à morte tam infami liberari meruiſſet. Superuixit hæc poſtmodum duorum annorũ ſpatio ac reliquo tempore obſequioſiſsime SS. Roſarij Sacello inſeruiuit, lætumq; finem obijt. Miraculum hoc duplici decreto Ciuitatis Vlyſsiponenſis approbatum eſt. Idem *P. Archang. in l. de Roſar. c. 18. mirac. 22.*

XLVI. *Alia ab ignibus.* Eodẽ anno, in quadã Hiſpanię Villâ, ſub ditione Ducis Cataloniæ, fœmina quædam addictiſsima Roſarij lectioni, iniuſtè ad Iudicem delata eſt, tanquam rea criminis, nonniſi ignibus expiãdi. Eò res deducta fuit, vt torturæ tãdiu ſubijceretur, donec ſcelus proderet, & ſe reã proclamaret. Datâ iam ſententia, precatorios globulos voluit, & reuoluit, ac opẽ Virginis implorauit, vt in hoc tàm horrendo ſine culpa ſupplicio, ſibi aliquod ſolatiũ conferre dignaretur. Ad locum ſupplicij protracta, Roſarium, nec ibi dimittebat. Cumque illam à terra eleuare putarent, veſtis prorſus cõfracta, ac varias fuit in partes diſſecta. Alteram eamq; nouam acceperunt, quæ vt prior fracta eſt. Tertiam iniecerunt, quæ ſimiliter rupta eſt, & quaſi abſciſſa. Quod Iudex admirans, atque mœrore turbatus, mulierem aggreſſus ait. *Ab ſcelerata, an incantationibus funes omnes deſtruis?* Reſpõdit ipſa: *Incantatio mea eſt pia Mariani Roſarij lectio, qua me ex totis viſceribus Virgini commendo.* Miraculum agnouerunt, & liberam abſoluerunt. Ipſa verò Conuentum FF. Prædicatorum accedens, cuncta ordine enarauit, & D. Virgini protectrici ſuæ gratias egit. *P. Archang. in lib. de Roſar. c. 19. mirac. 23.*

XLVII. *Imago Deiparæ lacrymas fundere conſpicitur.* Eodem anno in Epiſcopatu Spoletano, propè oppidũ Triuij, magnum prodigium, & malorum Italiæ imminentium prognoſticon apparuit. Erat propè oppidum ſacellum quoddã in Triuio, ſiue in compitis, vt multis in locis fieri conſueuit, vbi Beatiſsimæ Virginis imago in pariete depicta, lacrymas fundere viſa eſt; quod miraculum multi cõſpexerunt. Spargitur exinde rumor apud oppidanos, poſteà ad propinquas ciuitates, tandemque Romam vſque attingit: fit propterea populorũ magnus concurſus, conferuntur eleemoſynæ, templumq; notabilis magnitudinis, & miræ pulchritudinis ad Dei, & B. Virginis honorẽ erigitur, S. MARIAE de lachrymis etiam nunc vocatum, & Canonicis Regularibus attributum. *Gabriel Pennotus Nouarienſis Canonicus Regularis lib. 3. hiſt. ſui Ordinis c. 34.*

XLVIII. *Spectra videntur in loco, vbi quidam ſuſpenſus fuit.* Eodẽ ipſo anno, in Germania iſtud mirũ mirandũ accidit. Rubeaci in vetuſtiſsimo Alſatiæ oppido, cũ Epiſcopi Argentinẽſis (qui ſuo iure ex Dagoberti Francorum Chriſtianiſsimi Regis liberalitate hoc oppidum vt adiacentem regionẽ, quã inde Munus datum nuncupãt, obtinet) Epiſcopos, vel diſpẽſator, ob rationes malè redditas in ius capitale traheretur, ac ipſum iudicij tẽpus iã inſtaret, ab amicis, atq; cognatis apud Epiſcopũ ita ſupplicatum eſt, vt liberè dimittẽdum hominẽ ſit ab eo impetratum. Verùm cum hæc ſentẽtia litteris ad Senatum

Rubeaquenſem tardius, quàm conueniebat, eſſet declarata, eodem, quo nuncius venit die, iam ſuſpẽſus erat. Verum cum id contra Epiſcopi ſententiam ignotam tum temporis iudici factum eſſet, ſenatus iuſſu, à carnifice iterum de patibulo depoſitus, ac ſacrâ proceſsione Monachorum Franciſcanorum à loco ſupplicij in vrbem magno cum ciuium etiam luctu, ac lacrymis deportatus, in eorundemq; cæmeterio honeſtiſsimè ſepultus eſt. Viſa ſunt tum temporis ad octiduum à vicinioribus, ac ijs potiſsimum, qui Phaffenheimum pagum inhabitant, nocturno tempore varia circa locum ſupplicij ſpectra, ac ad ſummam, infimamque patibuli partem non tantũ ſine authoribus lumina, ſed flammæ etiam è terra erumpentes, ac alia permulta, quæ Conradus Rellicanus Franciſcanus recitabat. *Autor lib. de prodigijs, & oſtentis.*

# ANNO CHRISTI 1495.

## ALEXANDRI PAPÆ VI.

### Anno 3. & 4.

### Maximiliani I. Anno 10.

*I. Alexãder PP. in periculis ad Deiparæ auxilium confugit.*

Alexander Pontifex ingenti rerum perturbatione exterritus, cũ imminentia ſibi pericula, nec vllo modo euitanda, à præcipiti Caroli Regis aduentu in vrbem videret; ad humanam prudentiam, & virium potẽtiam, quib. ſe in arce S. Angeli cõmunierat, diuinũ quoq; refugium adhibuit, & ad Beatæ Dei Matris præſidiũ cõfugiens, votis conceptis, ſuam ſtatuam in templo Diuæ Annunciatæ Florentiæ, ante imaginem glorioſæ virginis ſuſpendi iuſsit. Ea ſummo artificio ad viuum Alexandri exemplar elaborata, & ſolenni pompâ, præcinentib. tubarum clangoribus excepta, & conſpicuo in loco expoſita, ad hæc vſque tempora, quando hæc ſcribebamus, viſitur; monumentum perpetuum fiduciæ, quam Alexander grauiſsimis periculis circũdatus, in ſacra virgine poſuerat. *Archangelus Gianius Cẽt. 3. Annal. Ord Seru. li. 4. c. 15.*

*II. Idem Alexander timet nè prodatur à Romanis.*

Cæterum, quibus periculis ad id deuotionis adactus fuerit, iſthic operę pretiũ eſt enarrare. Romani Optimates, videbantur ab Alexandro, ad Carolũ deſciuiſſe; quãdo Hieronymũ Portiũ, Coronatũ Plancã, Chriſtophorũ Bubalum, Ludouicum Matthæũ, Mariũ Mellinũ, & Iacobũ Sinibaldum Oratores miſerant, qui Regi Gallo vrbẽ ipſam, priuatas domos, & magnã copiã cõmeatus omnis generis ꝑ forũ expoſitã offerrent, venientemq; introducerent. Pontificis nomine, ea ſe offerre, Regẽq; inuitare præſeferebant; cum tamẽ aliã Pontificis mentẽ cernẽtes, poterant, & debuerant pro Põtifice, à Gallis ſibi metuente, ſtetiſſe, & aditu vrbis Carolũ prohibuiſſe. Quamobrem ingens hinc metus Alexandro, nè Carolo proderetur à Romanis. Et quidẽ Rex iureiurãdo cõcepto ſeſe aſtrinxerat, Romã pacato agmine ſe ingreſſurũ, nec aliquid maleficij Alexandro, aut populo illaturũ, vel toleraturum. Verumtamẽ quando ordine militari ingentes copias ſecũ duxit, nõ potuit non terrorẽ Pontifici incutere, aut ꝑ domos diſperſum militẽ à maleficio cohibere. Armatis, diſtinctiſq; peditũ, & equitum ordinibus, Flumentanâ porta pridiè huius anni inuectus eſt, quaſi pugnaturus. Præceſſerant lõga Heluetiorũ, Germanorumq; agmina iuſtis paſsibus ad tympanorũ pulſum, dignitate quadã militari, atq; incredibili ordine ſub ſignis incedẽtia. Veſte oẽs variâ, ac breui, & ſingulos artus exprimẽte vtebãtur. Fortiſsimus quiſq; plumeis criſtis pileo ſurgẽtib. inſignis ſuper cæteros eminebat. Arma eorũ erãt breues gladij, atq; haſtæ fraxineæ demũ pedũ, anguſto præfixæ ferro. Quarta fermè eorum pars ingẽtib. ſecurib. quarũ è ſummo quadrata cuſpis prominebat, erat inſtructa, has cæſim, punctimq; feriendo ambabus manib. regebat, Alabardæq; eorum linguâ vocabãtur. Singula aut peditũ millia ſclopetariorũ centuriã habebãt, q̃ paruis tormẽtis plũbeas glandes in hoſtes emitterẽt. Hos quinq; Vaſconum millia ſequebãtur, baliſtarij ferè oẽs, qui ſcorpionib. arcu ferreis, puncto tẽporis tẽdẽdo, ſagittãdoq; peritè admodũ vtebantur: ꝙ genus hominũ cultu, aſpectuq; admodum deforme, Heluetiorum cõparatione videbatur; quũ illi capitũ ornatu, & armis ſplendidis, ipſaq; ꝓceritate plurimũ eminerẽt. Peditũ veſtigijs equitatus inſtitit, ex omni totius Galliç nobilitate cõſcriptus. Is ſagulis ſericis, criſtis, torquibuſq; aureis ornatus lõgo turmarum, alarumq; ordine ꝓcedebat. Erãt cataphracti 2000. & 50. & bis totidẽ leuis armaturę equites. Illi craſsiore, ſtriataq; haſtâ, ſolido mucrone, clauâq; ferrea vtebantur. Equi eorum robore, ac magnitudine præſtãtes iubis, auribuſq; deſectis, ꝙ ita decere Galli exiſtimarẽt, ferociores apparebãt. Singuli cataphracti ternos habebãt equos, puerũ armigerũ, & miniſtros duos, quos ſubſidiarios laterones appellabant. Leuis eques, ingẽti ligneo arcu, Britannorum more, maiores ſagittas emittebat, thorace, galeaque contentus. Quadringenti hyppotoxotæ, in quib. centum erant è Scotorum gẽte, virtute fideq; præſtãtes, Regis latera ſtipabãt. Sed ante hos ducenti equites Galli, à ſpectata virtute, nobilitateq; delecti, claues ferreas magnis ſecurib. pares in humeris geſtantes, cultu inſigni circà Regẽ, triũphatoris in morẽ equitantẽ verſabantur. Iuxta eum primo in loco comites aderant, Iulianus ipſe, & Aſcanius ſecundùm eos Columna, atque Sabellus Cardinales. Præterea, Proſper, atq; Fabricius, cæteriq; Itali Duces, Gallorũ procerum turbæ immixti.

*Carolus Gallorum Rex, eiuſque exercitus, Romam ingreditur.*

Parata fuit ad Regẽ hoſpitio excipiendum, Diui Marci tẽplo cõiuncta domus, Pauli Secundi Põtificis ſumptu ex Amphitheatri lapidibus cõſtructa. Ciuium ædes Traiani foro proximæ procerib. patuerunt, ad quas multa iã nocte luminib. accenſis peruentũ eſt. Armatorũ numerus variè traditur. qui medium ſequũtur, 40000. hominum eſſe aiũt. Horum agmina, nõ põpæ modò ad ſpeciẽ, decoremq; oſtentandum exornata, ſed inſtructa bellico more inceſſerũt, tamquã in ipſa vrbe foret dimicandum. Noctu ingredi placuit, vt formidoloſior eſſet ciuitati ſuus acceſſus. Enimuerò illud metum ſtupentib. addebat, ꝙ viri, equi, vexilla, arma, tot paſsim funalib. inæquali ſplendore incertã præbentib. lucẽ, ampliora, ac maiora verò videbãtur. Plurimũ aut pauoris omnib. intulerunt tormẽta curulia ſupra 36 q̃ equorũ iugis per ęqua pariter, atque iniqua loca incredibili celeritate ducebãtur; maxima eorum lõgitudine octonũ pedum, põdere verò 6000. librarum æris, Canones appellabantur, quæ æquali tubo humani capitis magnitudine pilã emitterẽt. Secundũ canones erãt colubrinæ ſex qui alterâ lõgiores, anguſtiore tamẽ fiſtula, pilaq; minoris. Sequebãtur falcones adeo certâ ꝓportione maiores, ac minores, vt minimis tormentis pilæ Mediæ malo perſimiles emitterentur. Deducto Rege, deſignatiſq; ꝑ priuatas domos hoſpitijs, Galli trivia, omniumq; regionũ aditus, qui ad Marcianas ædes pertinebãt tormẽtis, & certis equitũ, ac peditum præſidijs cõſepſere, binaq; millia equitũ, q̃ ſingulis ſenis horis ꝑ vices ſtationẽ agerẽt, in cãpo Floræ collocata. Tumultuatũ eſt haud ſemel totã vrbe, quum Romana plebs ſuopte ingenio turbulẽta, & procax, inſolẽtium militum minaces, accentuq; ſuperbas voces, & feros vultus ferre nõ poſſet: ipſiq; externi milites in popinis, & luſtris à multo vino truciores facti, rixas paſsim cum obuijs miſcerẽt; indeq; temulẽtia calẽtes, & incauti, noctu maximè ꝑ infrequẽtia vrbis loca, à ſicarijs, atq; lenonib. cederentur. Expugnata eſt magno Heluetiorum, Vaſconumq; impetu Bãcarum domus, ac in ea quidam è plebe Galli militis percuſſores trucidati, cõfoſſo ibidem Marco Matthæio Patritij ordinis. Inde fama inualuit, in tãto ſtrepitu, ac diſſono clamore celeriter peruagata; vrbem capi, ac diripi opulentas domos à barbaris. quo tumultu cepit arma Romanus populus, vt dignitatẽ, fortunas, vxores, ac liberos tueretur. Vix tumultũ ſedare potuerunt, aliqui proceres Galli, à Rege ad populum deſtinati.

*III. Cardinales quidã Carolum Regem in Alexandrum PP. ſollicitãt.*

Atrociora in Alexãdrum, qui metu anxius, atq; incertus cõſilij, in Hadriani molẽ confugerat, parabantur. Oſtienſis, Aſcanius, Colũna, atq; Sabellus Cardinales, ac pleriq; alij, nullum finẽ faciebãt, Põtificẽ apud Regẽ criminãdi, obteſtandiq; vt illo tot, tantiſq;, & tã fœdis, quã illi numerabant; vitijs cooperto, cunctiſque mortalibus inuiſo, à Sancta Sede ſubmoto, alius in eius locum ſurrogaretur: oſtendentes non minùs ipſi fore glorioſum, rempub. Chriſtianam tàm ſcelerati Pontificis tyrannide liberare, quàm Pipino, Caroloque Magno, ſuis





maioribus fuiſſet, ſanctos Pontifices ab eorum iniurijs, à quibus iniuſtè opprimebantur vindicare. hanc rem non minùs eſſe ad ipſius ſecuritatem neceſſariam, quàm optabilem ad gloriam. Nam qui poſſet, (affirmabant, & ingerebant, odio imbuti) Alexandri promiſsis fidem habere, hominis ex fraude, doliſque conflati, in cupiditatibus inſatiabilis, proiectæ in cunctis actionibus impudentiæ, atque vt res ipſa doceret, odio in Gallicum, nomen ardentiſsimi, quique Regi non ſpontè, neque ingenuè; ſed neceſsitate metuque coactus reconciliari velle videretur? Horum hortatibus, & præterea quòd Pontifex ex Regis poſtulatis Angelicam arcem tamquam obſidem tradere recuſaret, bis è Marcianis ædibus, in quibus Rex ipſe erat, tormenta bellica ad arcem verberandam, Pontificemque in ordinẽ cogendum, fuerunt educta. Coactus eſt tandẽ Põtifex, Oratores ad Carolum de pace mittere, Senatorij Ordinis Antiſtites longè clariſsimos, Antoniũ Pallauicinum, Oliueriũ Caraffam, Ioannẽ Alexandrinũ, Bernardinum Caruaialium, & Raphaëlẽ Riarium Cardinales; qui longo verborum circuitu orſi à Carolo Magno, cæteriſq; Gallorum Regibus, qui inſigni pietate rẽ Põtificiam aduersùs tyrannorum iniurias generosè defendiſſent, monendo, agendoq; pacẽ impetrarunt. his tñ legibus, quibus eam victis victores dare conſueuerunt; ſic vt innumerabiles, qui & Pontificis ingenium nouerant, & rerum actarum perturbationem aſpiciebant, eam pacem tamquam vi illatâ confectã, expreſſamq; haud multùm duraturam iudicarent, quòd Galli arrogantiùs Pontifici præſcripſiſſent. Promittebat Rex Gallus ſe bello, & pace amicum, ſociumq; futurum Pontifici, veneraturumque eum maiorum more, vti verũm Chriſtianæ Religionis Principẽ, neq; vmquã his in rebus, quæ Religionẽ, placitaq; Pontificum reſpicerẽt, ab eius authoritate diſceſſurũ. Poſtulabat è contra, Carolus, vt portum ciuitatis Veteris, cum arce apud Centumcellas, ad claſſem Gallicã, quę Tyrrheni maris oram legebat, excipiendam; ac præterea Terracinę, & Spoleti arces Põtifex ſibi dederet, quas Galli tenerent, donec ille Neapolitano regno potiretur: vt regni Neapolitani diploma, poſſeſsionemq; idem tribueret. vt Imp. Cõſtantinopolitanum illum renunciaret, acquirendoq; illi Imperio Zizimum Baiaſetis fratrem, qui Romæ in libera cuſtodiã ſeruabatur, comitẽ, & auſpicẽ belli in Turcas ſibi adiungeret. Vt Cęſarẽ Borgiã filium, Cardinalẽ obſidẽ daret, qui ſuſceptâ legatione ad honoris, ac amicitiæ ſpeciẽ, 4. menſes Gallica caſtra ſequerentur. Vt omnia Pontificis loca Gallis amicè paterent. vt Oſtienſis arx Iuliano Cardinali redderetur, quum in Italiã debellatum eſſet, nec fraudi eſſet huic, & alijs Cardinalibus, quòd cum Gallis ſenſiſſent, ac ijdẽ in vrbẽ reſtituerentur. Vt Columnẽſibus, & Sabellis oẽm remitteret offenſam. Vt Põtifex, & Cardinales oẽs, pacẽ inter ſe colerẽt. vt abſentes etiã Cardinales fructum, & emolumẽta ſui ordinis perciperẽt. Vt omnib. qui partes Regis eſſent ſecuti, oẽs offenſiones, iniurias remitteret Põtifex. Circa Idus Ianuarias, fœderis tabulæ cõſcriptæ, in quib. omnia, præter diploma regni Neapolitani, Carolo cõceſſa, promiſſaq;: quãquã arx Spoletana ei tradita poſteà non fuit, Cardinalib. & Regulis Põtificium Imperium agnoſcẽtibus. Secundùm hęc Pontifex, in Vaticanum, vbi eſt Pontificia domus, reuerſus eſt; deinde eâ pompâ, & cerimonijs, quibus magni Reges accipi cõſueuerunt, in D. Petri Baſilicâ Regem accepit: qui cum veteri conſuetudine Pontificis pedes proiectus in terram oſculatus eſſet, pòſt etiam ad vultum oſculandum admiſſus, alio die ipſo Põtifice ſacra peragente, interfuit. locus ei ad ſedendum, ſecundùm primum Epiſcopum Cardinalem eſt datus: qui etiam antiquo ritu Põtifici Sacra procuranti, aquam lauandis manibus effudit, & Sacram Euchariſtiam è manu ſacrificantis accipiens, ſacris communicauit: quas cœrimonias Pontifex, quò poſterorum memoriæ mandarentur, in Angelicæ arcis quodam porticu, nobili picturâ exprimi voluit. Illis peractis Pontifex, Carolo id poſcente, Epiſcopos Maclouienſem, & ex Lucemburgenſium familia Cardinales pronunciauit; nec quicquam omiſit, quo ſe animo ſincero, &

*Poſtulata Caroli Gallorum Regis ab Alexandro Pontifice.*

candido Regi reconciliatum eſſe demonſtraret. Zizimũ præterea, tabulis publicis ſuper ea re confectis tradidit. qui Regiam manum, ac humerum oſculo petiuit, precatuſq; eſt graui oratione Pontificem, vt ſe tanto Regi, qui Orientis Imperium animo cõcepiſſet, enixe commendaret; futurum promittens, vt neq; Pontificẽ cõceſſæ libertatis, neq; Regem adſciti comitis, quũ in Græciã traieciſſet, ſi cõſilio ſuo vteretur, vllo tempore pœniteret. Erat Zizimus aſpectu planè Regio, & graui, ingenio item Arabicis literis vehementer exculto, promptoq; ad ſerenda falſæ vrbanitatis dicteria, vtiq; demum corporis, & animi magnitudine, ſuâ ſtirpe minimè indignus. & quidem Baiaſites miſſo ad Alexandrum Oratore, ſcriptiſq; Græcis literis, multa arte Pontifici ſuadebat, vt Zizimum fratrem, tamquam alienæ religionis hominem, veneno tollendum curaret, quem vnum de Imperio ſollicitus, ob ingẽtes viri virtutes, ſi quâ fortè cuſtodia euaderet, metuebat. Id ſi præſtaret Pontifex, ducenta millia aureorũ nummũ, integra fide ſe perſoluturũ promittebat, Chriſtiq; inconſutilem tunicam, ſicuti paucis ante annis Longinianæ lanceæ cuſpidem tranſmiſiſſet, dono daturum: neq; vnquã dum vita maneret, moturum vltrà arma, aduersùs Chriſtianos ſecus, ac Mahometes pater, & auus Amurathes, qui infeſtiſsimi Chriſtiano nomini, cõtinenter bella gerendo, nunquã ab inferenda iniuriâ ceſſauiſſent. Verumtñ Pontifex eo ſcelere cõtaminare ſeſe recuſauit, ac ſpretis omnib. pollicitationib. auroq; Turcico, Zizimum Carolo dedidit; vt mihi, falſi omnino ſint illi, qui Alexandro tam execrãdum flagitiũ imponunt, quaſi eius pharmaco Zizimus obierit; nõ minùs, quã cùm mẽtiuntur, quaſi Põtifex Baiaſitẽ in Chriſtianos, & in Carolum excitaret, aut barbaro ſtipendia numerare decerneret. Si. n. (ꝙ etiã ipſi fatentur) Baiaſites pecuniã annuã XL. M. nummum aureorũ, ratione victus Zizimi, quotannis dependebat, & CC. M. alia pollicebatur: quomodo Alexãder pecuniã illi deſpõdebat? Si præterea, (vt illi ipſi affirmant) quęſtus erat Põtifici. XL. M. annua à Turca accipere; quomodo veriſimile eſt, vt is ipſe veneno Zizimum extinguere, ſeq; tanto auro priuare voluerit? Si deinde ipſe Zizimum in Baiaſitẽ armabat; quomodo Baiaſitẽ in Chriſtianos excitabat? Figmenta ſunt maleuolentiũ Põtifici, quorum multa id temporis ſeges: quandoquidẽ ex vniuerſo cætu primorũ Antiſtitũ, ſolus vnꝰ Baptiſta Vrſinus, in ea temporum nouitate, Pontificis lateri adhæſit, nec vt cæteri Regẽ adijt officij cauſa, ſæpiùs teſtatꝰ poſſe ſibi vitã adimi, at vi extorqueri non poſſe. vt eum amicè ſalutaret, qui vt hoſtis Romanũ Pontificẽ adijſſet, & per vim ad plurima eum coëgiſſet. Cęteri primi ordinis Antiſtites frequentes circa Regẽ fuére. Egit Carolus Romæ menſẽ ferè integrũ, terroribus omnia cõplens, cũ aliquot in locis patibula etiã erexiſſet. Tandẽ ad 5. Cal. Febr. diſcedens, bipartito agmine Neapolim iter mouit, quẽ ſecuti Columnij, Antonius Sabellus, Ioan. Rouereus, Ioannes Paulus Cantelmus, Ioan. Galioſius, & alij, oẽm eam Prætutinorum regionẽ, quæ Aprutij nomine nuncupatur, & ſuperum mare, Apuliã, atq; Campaniã per Apenninũ lato ambitu cõtingit, Aquilã, omnia oppida circa Fucinũ lacũ, ſolo belli terrore ad deditionẽ Carolo faciendã cõpulerunt. Taliacotium ſubinde, & Albam clariora Marſorũ oppida; quæ tum Virginij Vrſini ditionis erãt, Fabricius Columna intercepit. Cantelmus, Soranis ſaltibus occupatis, circumiectos populos ab Aragonijs ſeiunxit; Carolus Montemfortinum Põtificij iuris oppidũ Iacobo Comiri eripuit, & Proſpero Columnæ attribuit. Reliqua in regno ad defectionẽ prona. Nam ſimul, ac Ferdinandus Romã deſeruit, illicò populorũ in Alfonſũ odia ſeſe ꝓferre cęperunt, quæ multarũ Ferdinãdi patris ſui acerbitatũ memoria acuebat. Ob eas cauſas de ſuperiorũ tẽporum iniurijs, atq; Alfonſi crudelitate, ac ſuperbiâ ardẽtiſſimè cõquerentes, Gallorũ deſideriũ palã oſtendebãt, ita vt Andegauenſis factionis reliquiæ, tametſi cũ memoriã, & multitudine tot Regulorum, quos diuerſis tẽporibus regno expulerat, atq; alios in vincula cõiecerat) ꝙ quidẽ per ſe magnũ, validumq; ad ſtatus mutationẽ inſtrumẽtum erat) cõiunctæ, parui eſſent hoc tempore momenti,

*Mendacia in Alexandrũ PP. confecta.*

cum alijs cauſis cõparatæ. adeò ſine his ſtimulis, totius regni voluntates erant contra Alfonſum inflãmatæ, qui cognito Ferdinandi filij ab Româ diſceſſu, in tantum eſt terrorẽ cõiectus, vt famæ, & gloriæ priſtinæ, quã longo vſu, in multis Italiæ bellis ſibi non paruam pepererat, oblitus; neq; vllo modo ſperans, ſe huic fatali tempeſtati poſſe reſiſtere, ſe regno abdicare cõſtituerit, nomenq; Regium, atque maieſtatem in Ferdinandum transferre, fore ſperans, vnà ſecum odio tam acerbo remoto, ſummæque expectationis iuuene, à quo nemo fuerat læſus, quiq; per ſe gratiâ apud omnes polleret, ad Regiã dignitatẽ euecto, deſideriũ Gallorũ in ſuis fortè imminutum iri. quod quidẽ cõſilium anteà vſurpatum, forſitan aliquid profuiſſet, in hæc tempora dilatum, in quibus res erant nõ ſolũ vehementer agitatæ, verùm etiã præcipites ruere incipiebãt, nõ ſatis erat ad tantã ſiſtendã ruinã. Fama etiã eſt (quandoquidẽ hęc ſpernere fas nõ eſt) Ferdinandi ſpectrum ter diuerſis noctib. Iacobo Regiæ domus chirurgo apparuiſſe; & primò leniorib⁹ verbis, pòſt admodum minacibus mãdâſſe, diceret hæc ſuo nomine Alfonſo, nè ſperaret, ſe Regi Galliæ poſſe reſiſtere; quod in fatis eſſet, eius progeniem infinitis caſibus vexatã, ac demùm tàm præclaro regno ſpoliatam, extinctum iri: eius rei cauſam eſſe, cùm multa ab ipſis patrata ſcelera, tùm verò illud maximè, quòd ipſius ſuaſu Puteolis rediens, in D. Leonardi tẽplo, quod in via eſt, quæ *Ghiaia*, hoc eſt Glarea dicitur, propè Neapolim, cõmiſſum eſt. cuius quidẽ ſceleris nomen cùm ille nõ expreſsiſſet, exiſtimârũt homines, Alfonſum eò loci, Ferdinando perſuaſiſſe, vt nõ paucos Regulos, quos diu in carcere detinuiſſet, clam necari iuberet. Erat Ferdinãdus ſenior ingenio valdè truculento, & incõſtanti. Inter epulas in cõuiuijs, cum lętitiã, ac hilaritatẽ prę ſe ferret, iubebat homines cõprehendi, & mactari, nullâ humanitate, nullâ cõmiſeratione. In populum vehementer fuit iniquus; & nullum mercaturæ genus non exercebat; adeò ſordidus, & illiberalis, vt etiã porcos diſtribueret ſaginandos alieno ſumptu, quò eſſent vendibiliores: quos ſi contigiſſet perire, tum eos, qui ſuſcepiſſent alendos, damnũ ei præſtare oportebat. Per Apuliã, quanti veller, emebat quicquid erat olei, & frumentum alijs in locis, antequã maturuiſſet, & quanti omnino poterat, diuendebat. Quod ſi fortè propter earum rerum copiã remitteretur pretium, cogebãtur tñ homines ad ipſius arbitrium, atq; præſcriptum emere; & quamdiù ſuppeteret ipſi, quod venum daret, nõ licebat alijs quicquã diſtrahere. Ex nobilitate, qui rem familiarẽ curabãt, & paulò erãt lautiores, ab ijs pecuniã, & quicquid eius animo adlibuiſſet, mutuabatur, aut etiã inuitis eripiebat; & paſsim habebat equorum greges, quos alij cogebãtur ei propagare, & enutrire. Patris ingenium referebat Alfonſus, vterq; crudelis, & libidinoſus, & impius. Nam & fœminis cõpluribus vim fecerunt, & Eccleſiæ nullum deferebant honorem, imo præfecturas Eccleſiarum vendebãt; & Ferdinandus, Epiſcopatum Tarentinum Iudæo cuidã vendidit 13. aureorum millibus, qui illum ſuo filio, quẽ Chriſtianæ religionis eſſe diceret, cõparabat. Abbatias aũt, & id genus alia, ſeruulis ſuis, & familiaribus pro mercede dabat; nõnumquã etiã ſub cõditione, vt accipitres ad certum tempus ſibi curarent, ac manſuefacerent, aut ſimile aliquid. Alfonſus præterea, ſolennè illud, & ab Eccleſia ſancitũ, 40. dierum ieiunium, cõtemptim habebat, neq; peccatorum expiationẽ quærebat, neq; Euchariſtiã ad ſe quicquã pertinere putabat. Vnde certũ erat, illum ſuæ conſcientiæ ſtimulis tandẽ ad extrema agitatum, cùm neq; dies, neq; noctes animo quietem inueniret, in ſomnoq; eorum nobilium, quos occiderat, vmbræ obuerſarẽtur, populus item pœnas ab eo repoſcens turbulentiſsimè concitaretur, re tantùm cum Regina ſua nouerca cõmunicata, cuius precibus, nè fratri quidem, aut filio ſuum conſilium aperire diu voluit; nec duos, treſue dies, quò ſui regni annum vertentem terminaret, ſuperſedere, 4. triremibus precioſâ ſuppellectile oneratis, Neapoli diſceſſit: tantum in ipſo diceſſu pauorem præſeferens, vt ſi iam à Gallis eſſet circumuentus: quaſi in ſe cœlum, atque elementa cõſpiraſſe ſuſpicaretur, ad omnem ſtrepitum pauidè reſpectans, Mazarim oppidum ipſi à Ferdinando Hiſpaniæ Rege donatũ, in Siciliam fugâ ſe recepit. Tam aũt erat exanimatus, ac fugæ cupiens, vt ſocrui ſuæ diceret, quòd niſi è veſtigio diſcederet, ſe relicturũ ipſam. & cum illa ſolùm tridui moram peteret, quæ illi ad explendum regnandi annum deficiebat, ille reſpondit, niſi pateretur, ſe diſcedere, eiecturum ſeſe per feneſtram. &, Nonne auditis, *inquit*, nomẽ Gallicum, omnes homines inclamantes? Ita Regio ſolio excidit, eo die, quo Ferdinandus pater, anno anteà, è vita diſceſſerat. Inter fugæ tñ cœlata conſilia, ad 10. Cal. Febr. tabulas abdicationis, & tranſlationis regni dictante Ioniano Pontano, in cõſeſſu procerum, regnum in Ferdinandum tranſtulit: litterasque ad Principes, ac nominatim ad Ferdinandum Hiſpaniæ Regẽ, quibus facti ſui rationẽ explicabat, dedit: compulſum ſe imbecillâ valetudine vitam principalem abdicâſſe, ac verò voti religione ſe quondã id facturum implicâſſe, quâ conſcientiam exoluere æquum erat, ac prorſùs neceſſariũ. Obijt Alfonſus nõ toto circumacto anno, ex quo regni procuratione depoſitâ vixit inter Monachos Oliuetanos, veſte in Sacerdotis formã mutatâ, magnã prę ſe ferens ſanctimoniã, & in pauperes beneficentiã: propter quæ ſperare licet, ob anteactæ vitæ pœnitentiam, Deum illi, ſuam infinitam gratiam, atque miſericordiam communicâſſe. Corpus Meſſanæ ad dextram aræ in templo eius vrbis primario poſitum eſt, cum inſcriptione ſubiectâ, tùm eleganti, tùm acutâ:

*Deſcribitur Rex Neapolitanus Ferdinãdus, eiuſq; filius Alfonſus.*

*Fugit Alfonſus Rex & breui poſt moritur.*

*Alfonſum Libitina diu fugis arma gerentem.*
*Nunc poſitis (quænam gloria?) fraude necas.*

*Alexandri PP. de Gallis dicteriũ, & diuinatio.*

Fugæ Alfonſi nuntium, Carolus Rex, eadẽ horâ quâ Româ proficiſcebatur, accepit: in abeuntẽ Carolũ, Pontifex, nõ inuenuſtè dixit, *Gallos in Italiã veniſſe cum ligneis calcaribus, & cretam ſolùm præ ſe tuliſſe manibus, vt inſcriptione factâ hoſpitijs idoneũ locũ ſibi deligerent.* De *calcaribus ligneis* eò dicebat, vt Gallos Neapolim euntes, ocioſis illis per vrbes animi gratiâ obequitantibus ſimiles exprimeret, quorum calceis ſeruuli ipſorum ſolerent imponere cuſpidem aliquã ligneam, quæ eſſet calcarium loco: quandoquidem in ea profectione Galli non admodum frequenter geſtaſſent arma, & ab Aſta, Neapolim vſq; non niſi 4. mẽſes, ac dies vnde 20. cõſumpſiſſent. De *hoſpitijs* diuinabat: cum ex tam veloci circumlatione ſignorũ, nõ illos domicilia quæſituros, neq; pedẽ Neapoli fixuros, tam verè, quàm certò euentu augurabatur: vt non dubium illi eſſe videretur, Carolũ, quâ facilitate Neapolitanum regnũ occuparet, eadẽ etiã prorſùs relinqueret: Gallicã gẽte ad acquirẽdũ audaci, ad retinẽdũ imporẽte.

IV.

*Caſtellæ Rex ſatagit Gallitarũ Regem ab attentatis in Põtificem, & in Regem Neapolitanũ reuocare.*

Eodẽ ipſo die, quo Româ diſceſſerat Carolus, Ferdinandi Hiſpaniæ Regis Legati ad eum venerunt. Is enim cognitis rebus, quæ in Italiã gerebantur, quòd Carolus aduerſùs Aragonios Neapolim feſtinaret, & pro eo ſtudio, Pontificis maieſtatẽ contemptui habuiſſet, Gallicis conatibus obſiſtere palàm conſtituit; atque in eam rem Antonium Fonſecam, & Ioannem Albionem in Italiam Legatos extruſit, qui Carolo eius verbis obteſtarentur, nè Pontifici grauis exiſteret, neue eius ditioni bellum inferret; alioqui, vti in ſuperiori fœdere exceptum erat, Eccleſiæ incolumitatem ſibi curę fore. Videret, nè præpoſteris actionibus ſuperûm iram, hominum inuidiam commoueret. Impios conatus, triſti ſæpè exitu terminari. Simul Triuſenſem Comitem eius claſsis ducẽ deſignauit, quam ad Illicis litus paratam, inſtructamque habebat. Gonſaluum item Fernandum à Corduba, virum ſtrenuum, quingentis equitibus præfecit, quos Neapolitano Regi auxiliares mittere deſtinabat, non minori Siliciæ cura. Et quidẽ, vt diximus, Legati ipſo die, quo Gallus Roma diſceſsit, ad eam vrbem peruenerunt, neque mora, cum Pontifice conſilia communicarunt. Iam etiam Pontifex ingenti liberatus metu, noua conſilia expedire, quæ diu antè, vel præſente etiã Rege æſtuando, & iuſtũ dolorẽ cõprimendo cõcoxerat, cępit. ſiquidẽ vti planè vir magni animi, quiq; ſuæ anguſtæ dignitatis erat memor, ꝙ Carol⁹ in ea fœda pace ſibi adeò inſolẽter pręſcripſiſſet, ferre nõ poterat, Oſtiẽſe pręſer-





tim, Centumcellanaq; arcibus ereptis. Iniectas procul dubio ſibi, atq; vrbi compedes exiſtimabat, ratus ſuperbum Regem, qui ante victoriam, dubijs etiã tum rebus, tam ſęuos gereret ſpiritus, ſi Neapolitano regno potiretur, tum demùm inflatum victoriâ, cunctis, quas vellet belli, vel pacis leges impoſiturum; ipſamq; Rom. Pont. autoritatẽ deſpectui maiori habiturum. Ergo cum Fõſeca, & Albione aliquantum collocutus, illos, Carolum ſubſequi quantociùs, proque Sede Apoſtolica, & Italiæ quiete, verba facere imperauit. Illi feſtinato itinere Regem cõſequuti, in agro litteras dederunt, ſuæ legationis teſtes. Monuerunt ſubinde, nè vlteriùs progrederetur, priuſq; Eccleſiæ Romanæ, ac Pontifici ſatisfaceret. Ea legatione, eaq; denunciatione, & audacia turbatus Carolus reſpondit tamen, Velitris, quò eo die perueniendum erat, dicẽdi, quæ vellent, fore poteſtatem. In eo oppido dato procerum Senatu, Fonſeca, graui oratione habita queſtus eſt, quod *Carolus, qui aduerſus Turcã bellũ ſuſcepiſſe eximiâ pietate videri vellet, Rom. Pontif. vim intuliſſet; quum Centumcellæ, ipſaq; Oſtia Gallicis præſidijs tenerentur; Zizimumq; Turcam extortum minis ſecum abduceret, ipſumq; Põtificem, & Cardinales armorum ſtrepitu ſubegiſſet, Cæſarq; interim Cardinalis captiuo, quàm obſidi ſimilior, caſtra ſequi cogeretur. Non idcircò Ferdinandum cum eo fœdus Perpiniano recepto percuſſiſſe, ac fidẽ dediſſe, numquã ſe à Pyrenæis hoſtilia moliturũ, & dum Galli Italiam peterẽt, omnino quieturum, vt totâ paſſim Italiâ nobiliſsimarũ ciuitatum ſtatus conturbari Gallicâ libidine pateretur, ac ſineret, Sacroſanctũ Pontificẽ, ad iniqua fœdera ſanciẽda, ſummiq; periculi metu, armiſq; ac ipſis propemodum admotis bellicis tormentis cogi: Ludouico Sfortiæ inprimis Aſtam ereptam, Mediolanẽſi dominio frenum iniectũ, Genuam ferè ſubactam; Lucenſes pecuniâ multatos; Florentinis Piſas, Ligurnum, & alias arces ademptas; pecuniaſq; imperatas; Senenſes libertate ſpoliatos; Pontificiam ditionem tantũ non vaſtatam, certè Pontifici detractam; Romã propè euerſam, Pontificem in arce vix non oppugnatũ; de illo abdicando conſilia agitata; in omnẽ ſexum, ac ætatẽ ferè vbiq; ſæuitum. Sperauiſſe Ferdinandum, qui iuſtitiam omni tempore coluiſſet, quantũ ad Neapolitanam rem pertineret, Gallos priùs ex æquò, iure, quã bello, ac armis diſceptaturos fuiſſe, quum Pontifex eius controuerſiæ æquiſsimus iudex, atq; arbiter haberetur, & Alfonſus iudicio Põtificis, ſe ſtaturum ſpopondiſſet; idq; ſyncera fide præſtiturum, Pontifex præſentibus Gallorum legatis recepiſſet. Proinde Ferdinandum, poſt quàm nullo humani iuris, & ſcriptarum legum reſpectu, regnum perpetuâ, ſexaginta ampliùs annorum poſſeſſione, & plurium Pontificum decretis Aragonijs Regibus attributum armis peteretur, ſe Alfonſi Regis, qui & neceſſitudine gentis & ſanguinis, atq; familiæ coniunctione ſibi eſſet deuinctus, iniurias minimè neglecturum.*

*Antonij Fonſecæ ad Carolum Regẽ oratio.*

V.

*Euſdem Fonſecæ audax facinus, & in Gallos cõtumelia.*

Dicentẽ adhuc Fonſecam ſuborto fremitu Galli proceres interpellârunt, elatiſq; animis reſponderunt neq; iura ſibi defuiſſe vnquã, nec defutura arma, quibus Carolus regna antiquæ ſuæ ditionis recuperaret, hoſtiumq; ſuorum ſuperbos ſpiritus cõtunderet. ſi Ferdinandus ſe Aragonijs minimè defuturum denunciaret, recentiſq; fœderis obliuiſceretur, parum ea re Gallos permoueri. quum vellet, vires experiretur. Intellecturum .n. protinùs, quid Rex Gallus laceſsitus iniurijs animis, atq; opibus poſſet: Hiſpanos verò equites, ſi in aciẽ prodirẽt, continuò ſenſuros, quantum cataphracti Galli Mauros iaculatores, quibus ipſi Bæthicis bellis inſueuiſſent, cõſtantia, atq; metu in ipſis cõgreſsibus anteirent. Diſceptatum eſt ſubindè acrioribus verbis, quum vtrimq; plures ſimul de ea re vehementiſsimè loquerentur, adeoq; inter ſe cõtendendo animis incaluerũt, vt Fonſeca alioqui vir ſedati animi, feruidè proruperit: Quando, *inquit*, ô Rex æquiſsimis poſtulatis obtemperare detrectas, & vim admouere, ac metum paras, armis, & viribus ferox, Deus innocentiæ vindex omnis inſolẽtiæ inimicus, huius cõtrouerſię Iudex eſto: eius arbitrio, atq; patrocinio rem totam permittimus. Rex enimuerò noſter hac denunciatione, ſin minùs cæteris, ſuæ certè cõſcientiæ ſatisfecit, vt deinde liberata fide, ſuis viribus, & copijs in eam partẽ ſe det, quã æquiorẽ iudicabit. Hæc dixit, ac ſimul coram Rege, & proceribus, qui in conuentu aderãt, initi anteà fœderis tabulas vtriuſq; Regis manu ſubſcriptas, & ſignis ſignatas, lacerauit: mox Ioãni Petitto Cerbellioni, & Carolo Arelliano Hiſpanis, qui apud Gallũ ordines ducebant, denunciauit, eos apud Ferdinandum reos maieſtatis futuros, niſi triduò Gallorum caſtris exceſsiſſent. Audax facinus inprimis, neq; ferenda Gallis cõtumelia viſa eſt: nè tñ violaretur, ius gentium valuit. Romam dimitti placuit. Hæc legatio, quamuis re nullâ impetratâ, pro qua erat ſuſcepta, vana prorſus non extitit. Pontifex .n. confirmato, erectoq; exinde ad meliorẽ ſpem animo, dignitatis memor, decreuit icti nuper cum Gallis fęderis conditionibus, vtporè per vim expreſsis, & aliquibus iniquis haudquaquã ſtare. Mouebat Alexãdrum authoritas octo Cardinalium, qui cõpoſitionem hanc grauiter ferentes, oẽs Roma diſceſſerant. Aſcanius quoq; Sfortia Cardinalis, viſa Gallorũ ſæuitiâ, iam cum Pontifice cõueniebat. Cæſar Borgia Cardinalis, proxima nocte minùs intenſis in eius cuſtodiã Gallis, diſsimulato habitu, Velitris egreſſus, nõ priùs conſtitit, quã Spoletum venit, firmam Pontificiæ ditionis in Vmbria vrbem. Romam conſultò vitauit, nè voluntate Pontificis aufugiſſe videlicet è caſtris videretur.

VI.

*Ferdinãdus Rex ſalutatus Gallis accedẽtis inuigilat.*

Ferdinandus inter hæc nouus Rex, cùm primùm regnum arripuiſſet, per plateas Neapolis circumductus, gratum populo ſpectaculum præbuit. Quacumq; incedebat, pompa, multa veſtis precioſa viſebatur, multa odoramenta ſpirabant, fauſtæ perſonabant voces, felix, diuturnumq; imperium cõprecantium. Leui momento populi gratia circumagitur: tantundẽ intra paucos dies pro hoſte fecêre. Ferdinandus ſanè delatum regnum, à grato initio auſpicari cupiens, vinctis magno numero è plebe, atq; è nobilitate dedit cõtinuò libertatẽ. Eius benignitatis expertes tãtùm fuerũt Marini Martiani filius, Ioannes Baptiſta Roſani Princeps, Sueſſæq; Dux, & populi Comes in cuſtodia, quãuis diu ſeruati, ex quò procerum bellum profligatum fuit; quippè Aragoniæ genti ad inſaniam infenſi. Celebritate peracta, ex vrbe Rex ad Diui Germani oppidum abijt, totius prouinciæ clauſtra occupatum, & montium coeuntium fauces in Caſsinati agro, quà Gallis tranſitus erat: vbi Neapolitanæ copiæ tendebant arcendis Gallis intentæ; quoniã id oppidum ad cõfines Neapolitanos, & Pontificæ ditionis eſt poſitum. Verùm cognito captâ Aquilâ, Gallos in Campaniã deflectere: nè à tergo, & à fronte circumuenirentur, neceſſario è Caſsinate Saltu, Capuam ſe recepêre, vrbem operibus, & militari præſidio firmatã. Cũ copijs Gallus ad S. Germanum applicuit, vim afferre, niſi vltrò deditionẽ facerẽt, paratus. Sic ciues deditione deſperatâ portas aperuerũt. Promotis Gallicis inde caſtris, maiori quãuis difficultate, Capua in poteſtatẽ venit. Triultius, Mediolanẽſis patriâ, Dux ſtrenuus, Neapolitanis deſertis, ad Gallicas partes, vndè melior ſpes affulgere videbatur, modica fidei curâ traductus, præcipuus deditionis auctor extitit. Abſceſſerat Ferdinandus Rex à Friderico patruo, quẽ rebus præfecerat, Neapolim ad ciuium tumultum pacandum, turbulenta cõſilia de ea vrbe dedenda agitantium euocatus. Virginius Vrſinus, & Petilianus eximij copiarũ duces amiſſa Capuâ, intrà Nolam, quò ſe ex fugâ receperant, capti ſunt. Earum Vrbium amiſſarũ fama cùm peruaſiſſet, omnia repentè ad Gallos inclinârũt. Ipſa etiam vrbs Neapolis regni caput, nemine obſiſtere auſo, ac vero incredibili populi plauſu victorẽ intra portas admiſit ad octauum Calen. Martij. Alium crederes populum, alium Senatum. tantâ leuitate vniuerſi circumacti ſunt, nullo iudicio, ſed ſuſcepto more, quẽcumq; Principem adulandi clamore, ſtudioq; inani. In eam vrbem ingreſſo Carolo, aut vt alij malunt Capuæ dum morabatur, Zizimus deceſsit. A maleuolis ſparſo rumore aliqui ſcribunt, Pontificio veneno extinctum eſſe. Leonclauius, hoc eum flagitio liberare videtur, dum in hiſtoria Muſulmanicâ Turcicâ narrat, Baiaſitem, vt ab omni metu fraterni à Zizimo belli, & inſidiarum ſe liberaret, miſiſſe in Italiam, Muſtapham Begum, Capitzilarorum Baſſam, ſiue Ianitorum principem, qui ſub prætextu perferendi expenſas, annuas, à

*Gallos admittũt Neapolitani.*

Baiazite pro Zizimo Sultano promiſſas, cum veneno tolleret; vti ſanè feliciter conatus hic operâ Muſtaphæ Baiaſiti ceſsit. *Hæc Leonclauius lib.16.*

VII. *Alexander PP. falsò à quibuſdã traducitur.*

De conſenſu ad Zizimum tollendum, ab Alexandro præſtito, Leonclauius minimè aſſirmat, ſed proditum, ſeu vulgatum eſſe memorat; quaſi is etiam cadaueris auehendi poteſtatem feciſſet; quæ tamen narratio, maleuolentibus Pontifici, nullam ſolidam coniecturã ſubminiſtrat, ad Alexandrum crimine onerandum; quandoquidem non certò aſſirmet, ſed ex famæ incerto rumore proditum memoret de conſenſu; & certò ſuperiùs aſſirmet, de veneno à Muſtapha propinato; & nõ deſint autores, qui vel facinus in Venetos detorqueant, vel febre, aut diſſenteriâ Zizimum extinctum eſſe dicant. Ferdinandus nouus Rex, vix primâ dominandi dulcedine delibatâ, vrbe deſertâ, conſilij inops, à pleriſq; deſertus, ad arcis nouæ præſidium confugit, vbi Ioanna Regina, cum filia eiuſdem nominis erat. Fridericus patruus, alijq; proceres conuenêre haud paruo numero, fidem, & officiũ victoris gratiâ, potiora arbitrati: quòd in ea rerum colluuione pro miraculo erat. Ex ea arce in alteram ſe contulit, ab Ouo dictam, rupi impoſitam, mari omni ex parte circumfluo, eoq; firmiſsimam, triremibus, quas paratas habebat, in Aenariam inſulam traijcere, & ſi res ferrent, in Siciliam diſcedere feſtinãs, breui ſperans rerum conuerſionẽ fore; quòd rerum humanarum inconſtantia, & vtriuſq; gentis ingenia, non lingua magis, quàm moribus diſcrepantium ſuadebant. tametſi res Caroli abſq; vlla offenſione proſperũ curſum haſtenùs tenuerint, atq; ità vt intra nõ totos quindecim dies vniuerſi regni vrbes, & arces, quàm latè ditionis Neapolitanæ fines patent, victoris fortunam ſecutæ fuerint.

*Regnum Neapolitanum occupatur à Gallis.*

Ipſas etiam Neapolitanas arces Germani duces cuſtodiæ præfecti, pretio prodiderunt, ad turpia, ſeu honeſta iuxta leues. Caietanam arcem vi Galli admotâ cæperunt, in paucis quamuis firmiſsimã; inerantque milites & prouiſi anteà cõmeatus. Pauca tantùm in Brutijs oppida in fide priſtina perſtiterunt, quæ indies quoq; carpebantur, nulla ſpe à ſuo Rege, nullis auxilijs. Is ſe ad Aenariam tenebat, rebus perditis non præſidiũ, ſed magis acceptæ ignominiæ deformis, tum ſpectator, tum teſtis, quanto animi cum motu dicere non eſt neceſſe. Rhegium denique victoribus ceſsit ex aduerſum quamuis Meſſanæ poſita in oculis claſsis Hiſpanicæ, nulla à ſuo Rege allata agẽdi facultate, prorſus inutilis in periculo. Ex diſtãtibus locis præcepta ſæpe, & cõſilia poſt res afferuntur. Sic nobiliſsimũ regnum puncto temporis Gallicæ ditionis factum eſt, vix vt credam adeò celebrem, & facilem rerum conuerſionem in vlla gente ab omni memoria contigiſſe.

*Ingens Turcarũ metus propter Gallos.*

Vt verò in maritimis Calabrorum, Salentinorumq; vrbibus Gallica arma cõſpecta ſunt, tantus repentè Turcis omnibus, qui circa Epiri, & Macedoniæ oram in præſidijs erant, terror illatus eſt, vt plures oppida deſererent, & Græci in ſpem recuperandę libertatis erigerentur, ac tum apertè arma, equos, commeatusq; expedirent, deq; recipiendis Gallis, & Turcis vno edicto trucidandis, conſilia inirent. & antè alios montani Epirotæ, qui Chimærã in Acroceraunijs incolunt, quod antea dum rupibus conſiſi ſuis libertatem obſtinatè tuerentur, à Mahomete, & Baiaſite non vnam cladem accepiſſent. Factumque eſt demum ad eam Gallorum famam, vt totâ Aetoliâ, & Peloponneſo Græci omnes intempeſtiuo libertatis deſiderio, dum fruſtrà Gallos expectant, in concionibus, & conſilijs à Baiaſite deſciuerint, Caroloque per amicos nunciarint, nihil ſibi reliquum ad defectionem exequendam, præter occaſionem deeſſe. & quidem Carolus ſatis habuit, ad eos mittere Archiepiſcopũ Dyrrachinũ; qui quantumuis ibi repererit multos rerum nouarum cupidos, & in his quamplurimos illuſtri loco natos, nepotes etiam, & propinquos Conſtantini Marchionis Monſerratenſis, per quos facilè erat, aliquid contra Turcas tentare; iſtique omnes arma Gallica inuocarent: Carolus tamẽ quid in expeditione Italicâ deſtinatum habuiſſet, factis non oſtrauit. Exercitu verò Neapoli intentus conuiuijs, equeſtribusque ſpectaculis, ornatiſsimæ eius vrbis delitijs fruebatur. Non deerant enim totius ferè regni proceres, ipſas quondam Andegauenſium ſecuti partes; qui nouo Regi, eiusque Ducibus nullo profuſæ hoſpitalitatis, vel adulationis officio prætermiſſo, victoriam effusè gratularentur. Ipſi quoque Galli, atque Germani in ſumma rerum omnium copioſæ vrbis affluentiâ, vini præſertim nobilitate allecti, magnam partem militaris ferociæ exuerant: multorumque mollijuerant animos, & corpora, illuſtres fœminæ, luxu, comitate, eruditisque mundities, quum certatim gentis more etiam ludicra haſtatorum certamina ſpectandi ſtudio frequentarent. Eaque tum erat verni cœli clementia, & peramæna tempora, vt non modò Rex iuuenis, & Proceres, qui reputando quàm facilè victores euaſiſſent, ob idque Italię opes ludibrio habendo, in ea licentiâ, ſolutiori vitæ indulgerent; verùm & ipſa quoque agreſtis militum turba, Regiorum hortorum, & felicis littoris amœnitate capta, in luxuriam ſeſe effuderit.

*Illecebræ, & voluptates Gallorum vigorem extingũt.*

Hæ Neapolitanæ illecebræ, & voluptates vrbis cumprimis amœnæ Gallicum vigorem extinxerunt, & memoriam, vel ſpeciem belli Turcici, ex eorum animis, & ſermonibus excuſſerunt; quando vulgati præterea morbi plures extinguerent. Corporum libidinoſo contactu vis mali ſerpebat maximè, nullis idoneis remedijs, vt in tabi recenti, vſque dum excogitatis; vnde crebræ in vulgus mortes, Morbum Gallicum dixêre Itali; Galli Neapolitanum, Alij Hiſpanicum nulla certâ origine mali. Itaque in ea vitæ licentiâ, & Rex ipſe, & Duces ſpecioſorũ paulò ante conſiliorum obliti, omnes penitùs tranſmarini belli cogitationes ità abiecerant, vt manifeſtè appareret, Gallos idcircò eius ſuſcipiendę expeditionis famam præbuiſſe, vt maioribus viribus niterentur, ſi conſilijs ſuis cauſam religionis adiungerent.

VIII. *Alia Gallorum ruina.*

Non minùs graue eſt iſtud ad eorum ruinam, quod narrabo. Delitijs Neapolitanis deliniti illi, atque eneruati, caſuque magis, quàm prudentiâ recti, vt Aragonios ex paucis locis, quæ adhuc ipſorum nomine tenebantur exigerent (quod quidem fortunę aſpirantis flatum ſequentibus, facillimum extitiſſet) minimè inſtiterunt. Quibus de cauſis factum eſt, vt in regno Neapolitano eorum exiſtimatio, ac multò magis etiam gratia paulatim elangueſceret. Nam etſi Rex populis, ac ciuitatibus ſe facilem, ac benignum priuilegijs, atque immunitatibus per totum regnum concedendis, ex quibus quotannis aureorum nummum vltra ducenta millia percipere poterat, præbuiſſet; reliqua tamen regni negotia, eo ordine, ac prudentiâ, quam poſcebant, nequaquàm regebantur. Rex enim à laboribus, atque à querelis, & poſtulatis hominum audiendis alienus, negotiorum pondus omne in ſuos prorſus reiecerat: qui partim ignorantiâ, partim auaritiâ, omnia corruperũt. Nobilitas nec humanitate, nec premijs delinita. aditus ad Regem, atq; ad eius familiares, difficilis; hominũ, perſonarumve nulla diſtinctio; nulla meritorũ, niſi caſu, gratia. animi eorum, qui ab Aragonijs erãt naturâ alieni, minimè cõfirmati. In reſtituendis in ſuũ ſtatum regni proceribus, multæ difficultates, ac dilationes interpoſitæ. Andegauenſis factionis, atque aliorũ primę nobilitatis hominum, quos ſenior Ferdinandus eiecerat, bona ijs, qui ea donis, alijſque inuſitatis artibus ambirent, condonata: in alios temerè, in alios ſine cauſa, multa profuſa. omnia ferè totius regni munera Magiſtratusve, & multorum fortunæ Gallis attributa. oppida, & ciuitates, quæ nullum præter Reges Dominum agnoſcere cõſueuerant, magno cum ciuiũ ſuorũ dolore maiorẽ partẽ Gallis Dominis parere iuſſæ. quæ omnia eò moleſtiora erant omnibus, quò prudentioribus rectioribusq; inſtitutis, per Aragonios Reges erãt aſſueti; quantoq; maiora omnia à nouo Rege ſibi pollicebãtur. His accedebat innatus præfectis Gallicæ gentis plenus arrogãtiæ ſpiritus, victoriæ felicitate inflatior, atq; turgidior.



gidior. nam tantam de ſe opinionem conceperant, vt omnes Italos præ ſe cõtemnerent, nihiliq; facerent. Adde in capiendis hoſpitijs impetum, atq; inſolentiã, tàm Neapoli, quàm in alijs regni partibus, in quas milites erãt diſtributi, qui omnibus in locis, ſuos hoſpites malè mulctabãt. Vnde fiebat, vt illud, quo flagrauerãt, Gallorum deſiderium, iam in ardentiſsimum odium commutatũ eſſet; viciſsimq; in odij, quod contra Aragonios conceperant, locum, Ferdinandi miſericordia: eiuſdem virtutis expectatio, quæ paſsim in animis ferè omnium ſemper fuerat; eius deniq; diei, quo tantâ cum manſuetudine, & conſtantia, quâ Neapolitanos antè ſuum diſceſſum erat allocutus, memoria irrepſerat: ex quo & vrbs ipſa, & totum ferè regnum haud minore deſiderio Aragonios reuocandi occaſionem præſtolabantur, quã paucis diebus antè, eorum euerſionem concupierant. quin etiam Alfonſi nomen tantoperè inuiſum, iam gratis auribus accipebatur, iuſtam ſeueritatem appellantibus, eam, quam, dum rem domeſticam regni viuo patre procuraret, crudelitatem ſolebant appellare: & quam per multos annos ſuperbiam, atq; elationem vocârant, eam animi veridici ſinceritatem vocabant. Ea eſt vulgi natura, ad plus, quàm par ſit, ſperandum, minusque quàm neceſſe ſit patiendum, propenſa; rerum verò præſentium ſemper pertæſa. quod quidem regni Neapolitani dicitur eſſe maximè proprium, qui inter omnes Italiæ populos inconſtantiæ, nouarumque rerum cupiditatis notantur.

IX. *Aliæ quoque grauiores.*

Grauiora ſunt iſta, quæ adiungo. De Romano ſceptro, Alexãdrum, Carolus interpellaſſe dicebatur; quippe qui vniuerſæ Italiæ Imperium ſibi deſpondebat. Iam præſidio Aſtam firmauerat, Ludouicumq;, Aurelianẽſium Ducem, in Inſubria reliquerat, dominio Mediolanenſi occupando. Iam idem ipſe Aurelianenſis, Ludouico Sfortię Nouariam interceperat, dubitationemque auxerat, nè de ſumma Imperij decideret, quando is ad reliquã ditionem haud obſcurè properaret. Iam etiã ille ipſe Carolus claſſe ſuâ, Genuam occupare, & Sfortiæ eripere ferebatur. Præter hæc principatum Tarentinũ, quemadmodũ ex pactis tenebatur, dare Ludouico Sfortiæ recuſabat: & Ioannẽ Iacobum Triuultiũ, centũ cataphractos ducentem, quòd Guelforum factionis Mediolani princeps eſſet, animumque à Sfortia alieniſſimum gereret, honorifico ſtipendio conduxerat; multiſq; prætereà promiſsis, Fulgoſium Cardinalem, Obiectumq; Fliſcum, quos quaſi idonea, validaq; ad Genuenſium res commouendas inſtrumenta exiſtimauerat, in ſuas partes pellexerat. Iam nec Florentinis, nec Pontifici arces receptas, vel potiùs ereptas reſtituere volebat, & de Piſa reſtituendâ eam ſpeciẽ præſe tulerat, vt Cardinalem, qui traderet; reuera aũt vt pecuniam ab eis emungeret, miſerit; cùm nec Piſanis libertatem, nec Piſanos Florentinis reddiderit, ſed potiùs nouis præſidijs arces munierit. Iam deindè, Senis præſidia impoſita minimè deduxerat; ac Virginium, & Nicolaũ Vrſinos, præcipuos Italorum duces, quos in fidem receperat, Neapolim ductos, in vinculis detinebat. Iam denique auctore, & impulſore principe Salernitano, è numero Neapolitanorum exulum maximè infenſo nomini, & genti Aragonię, de Sicilia, ad quam Ferdinandus etiã nouus Rex confugerat, inuadendâ cogitabat; neq; obſcura argumenta edebat, præter regnũ Neapolitanum, aliud animo agitare. Cupiditas prætereà dominandi vltrò incitabat, cunctis affectibus flagrantior, tetrũ malum, neq; vllis finibus cõtentum: Conſpecto ergo immanis felicitatis curſu, quod Carolus fulminis in modum nemine reſiſtente vniuerſam peruaſiſſet Italiam, ac Mediolanenſi, Genuenſibus, Florẽtinis, Senenſibus iugum impoſuiſſet, Pontificis conatus non modò eluſiſſet, verùm oppreſsiſſet, Neapolitanumque regnum non totis xv. diebus occupaſſet, & omnia alia præter expeditionem in Turcas moliretur, cæteri Principes, tùm Itali, tùm externi, aliena detrimenta, propria pericula ducere, atq; inter ipſos communicare cæperunt, quàm graue eſſet eius gentis Imperium futurum, ſi diu in Italia inueteraſceret.

*Ferdinandus Caſtellæ Rex cum alijs Principibus in Regem Gallorum conſpirãt.*

Ferdinandus Rex Hiſpanus proximior periculo, nè Carolus confecto Neapolitano bello Siciliam inuaderet, alios Principes de iungendis contra Gallũ viribus vltro appellauit, vt cui pares ſinguli nõ erant, communicatis opibus ſuperiores euaderent. In mutua ſocietate, certiſsimum rebus fore præſidium. Eò Laurentium Suarium Figueroam ad Venetos legauit: recens autem Ioannem Bezam, ad Ludouicum Mediolanenſem dimiſit, alliciendum non ſpe modò Regię affinitatis, de qua iam actum erat, ſed etiam regni totius Galliæ Ciſalpinæ: quæ voces iniuria à Carolo affecti hominis auribus gratiſsimæ accidebãt. In id fędus facilè Maximilianum Cæſarem, & Anglum acceſſuros ſperabat, quos ſibi affinitate deuincire cogitabat, ac inprimis Ioannem Principem, & Ioannam filios permutatis nuptijs, Philippo Archiduci, & Margaritæ ſorori coniuges dare. quæ coniugia ante agitata, Franciſci Rogij opera ad Belgas, ideò profecti tandẽ pacta ſunt. & quidem Maximiliano ipſi omnis erat ad Gallorum opes, atque potentiam, inuiſa, moleſtaq; acceſsio, quem etiam recens accepta inſignis iniuria contrà Carolum ſtimulabat, Margarita filia ſua, cum dote ante aliquot annos ei tradita, cui tamen Carolus propter ætatem puellæ, nondum ſe adiunxerat, repudiatâ; Annaque Armoricarum gentium Reginâ, quã Franciſcus pater Maximiliano ſpoponderat, ſibi præreptâ, & vxore ductâ. Ludouicus Sfortia facilè ad fœdus ineundum inclinauit, Maximiliani, qui fratris eius filiam vxorem duxerat, autoritate permotus, & periculo à Gallis perterritus. Veneti, Caroli ſucceſsibus non parum commoti, ac futurorum ſolliciti, cùm Gallorum arma formidarent, fœderi acceſſerunt. Alexander Pontifex ad idem fœdus ſanciendum nuncios ſuos deſtinârat, quibus etiã palàm edixerat, ſi infectis rebus Veneti eos redire facerẽt, ſe Venetias, nè eos iterũ videat, profecturum. Ita vulneri, quod Chriſtianæ religioni à iuuene Rege, duce furore, atque licentiâ illatum erat, medela in ea ciuitate reperta eſt, quæ à ſenum prudentiâ, ratione, modeſtia, æqua poteſtate, atque optimis conſilijs regebatur.

*Pactionis prædictorũ Principum capita.*

Venetijs, quò Legati Principum cõuenerant, die Dominica Oliuarũ, inter Pontificem, Cęſarem, Regem Hiſpanię, Venetos, & Mediolanenſes armorum ſocietas eſt conſtituta, quã *Sanctiſsimam dixêre*. Pactionis ſumma capita erãt. Vt 25. annorum ſpatio cõmuni impenſa, pro facultate cuiuſq; ſociorum, & copiis, collatis viribus, triginta quatuor millia pedites, equites viginti octo millia ſub ſignis omnes haberent, ac prætereà claſſes mari ſupero, & infero inſtruerent. Ingens numerus, & apparatus, opinione atque ſpe maior, contra Turcas vires coniungendi, ſpecies prætexebatur: cæterùm Pontificiæ, & Romanæ Eccleſiæ libertatis, dignitatiſq; tuendæ, qua Reipubl. Chriſtianæ firmamentum continetur, cauſa erat, atq; à ſingulorum finibus iniuriam prohibendi: quanquàm vulgus exiſtimaret, percuſſum fœdus animo Gallos vniuerſa Italia deturbandi, ſi modò par votis ſucceſſus contingeret. Petrus Nardinus Collineus, vir doctiſsimus, pro fœderis initi congratulatione, ad Pontificẽ in publico conſiſtorio breuem habuit orationem, quam in hac hiſtoriæ parte exſcriptam locare placuit, fidei, pietatisque Venetæ ergà Romanam Sedem argumentum. *Deo Ter Opt. Max. humani generis præſidi, ac Tutelari gratias inprimis agendas puto, Beatiſsime Pater, qui hodiernũ diem ſanctum, feliceműq; futurum non ſolum Italiæ, ſed vniuerſæ Chriſtianæ Reipub. pollicetur, qui tecum tres maximos Principes orbis terrarũ conſpirare voluit, induxitq;, vt in cõmune bonũ de percutiendo ſalutari fœdere cogitarẽt. Nã quũ Italia Sedis tuæ munimentum inter ſuperum, atq; inferũ mare poſita ſit, hoc Hiſpanâ, illud Venetâ claſſe cuſtodiente, nihil eſt, quod à maritimis quibuſcumq; hoſtibus timeas. Hoc vſi conſilio Romani maiores noſtri, nullas mortalium amicitias pluris feciſſe videntur, quã Regũ Hiſpaniæ, Societates; tum quia illos ergà ſe fide ſingulari præcellere, tũ quia in bello plurimũ poſſe cognouerãt. Sed adiuncto Veneto Senatu, iſta glorioſa fœderis*

*conſpiratio, multò tibi quàm Romanis auctior fiet. Scis enim Venetos Principes, omnibus Pontificibus egregiam obedientiam præſtitiſſe. Non ignoras, illos per quinquaginta, & amplius annos, Turcarum rabiem, atque furorem, terrâ, mariq; ſuſtinuiſſe; qui ſoli armati, & multo ſanguine ſuorum effuſo, cæteris propugnatoribus oſcitantibus, Chriſtianam libertatem ab imminenti ſeruitute vindicârunt. Cæterùm Italia ingrata defenſori ſuo inuidere cœpit, quem amare, complectiq; debuerat, non ob aliud credo, quàm quòd tantæ magnitudinis aſpectum, tantæq; virtutis eius fulgorem æquis oculis tolerare non potuit.*

X. *Fœdus illud Carolo Regi permoleſtum.*

Aſsignatus fuerat certus dierum numerus Carolo Regi ad deliberandum, velletnè fœderi ſupraſcripto adſcribi. Cęterùm ille ad eius famam frendẽs, gemenſque dixiſſe fertur, *initurum ſe breuè rationem, quâ catenam iſtam ſolueret, etſi adamantinam homines prædicarent.* In hoc fœdere conficiendo, cùm tot adeſſent legati, tot ciuibus tractandæ rei adhibitis, toto demum vocato ſæpius, & conſulto Senatu; tanta tamen fuit iuſſu Decemuirum in Patribus, reliquiſque omnibus cõtinendæ vocis cura, vt Philippus Comineus prudentia & vſu rerum præſtans, Venetijs pro Carolo Rege legatus eo tempore, cùm in Curiam quotidiè ventitaret, atque à reliquis legatis appellaretur, nihil eius tamẽ cognoſcere potuit. Itaq; cum poſtridiè eius diei, quo die ſcripta lex eſt, in Curiam vocatus à principe, fœdus eſſe percuſſum intellexiſſet, & nomina fœderatorum cognouiſſet, mens penè hominẽ reliquit: tametſi Princeps ei dixerat; *ea, quæ feciſſent, non propterea eſſe facta, vti bellum cuiquam inferrent, ſed vt, ſi inferretur, propulſarent.* Demum is reuocato ad ſe pauliſper animo; *Quid*, inquit, *meus Rex in Galliam reuerti non poterit?* Tum Princeps; *ille verò*, inquit, *poterit, ſi redire animus volet, noſq; illum rebus omnibus iuuabimus.*

XI. *Omnium odia in ſe Galli concitant.*

Secundùm hæc, cùm frequentibus contumelijs, morumque inſolentiâ, & linguæ procacitate grauiſsimum odium in animis omnium commotum, Galli augere non intermitterent, Senatus Venetus ſtatim percuſſo fœdere, M. leuis armaturæ equites, ac bis totidem milites, Romam, Alexandro Pontifici mittere decreuit, vtq; Ludouicus totidem mitteret procurauit. Ludouicus ſubinde à Cæſareis Oratoribus ad id miſsis, Mediolanenſis Ducatus acceptis inſignijs, naues longas duodecim, quæ Caroli iuſſu Genuæ armabantur, retinere iuſsit, ac nè vllæ naues Regis nomine inſtruerentur, edixit, nè Rex Aenariæ inſulæ expugnationem maiore apparatu tentaret. Quod vbi accepit Carolus animo vehementer commotus, cum ſuis, quid in tanto caſu agendum eſſet, omnibus præſertim veriſsimè affirmantibus, multis retrò ſeculis inter Chriſtianos nullam vſque adeò potentem ſocietatem eſſe confectam, deliberabat; quorum fuit ſententia, primo quoque tempore, illinc eſſe diſcedendum; quòd vererentur, nè quò diutiùs ibi moram traherent, eò maiora fierent impedimenta: fœderatis enim ad maiores apparatus expediendos, tempus præberetur. & iam fama erat, eorum accitu, magnas Germanorum copias in Italiam venturas, iamque de ipſo Cæſare rumores incaleſcebant. In eodem conſilio decretum fuit, omni adhibito ſtudio, ampliſsimiſque promiſsis enitendum eſſe, Pontificem ab illa ſocietate abſtrahere, atque ad regni Neapolitani poſſeſsionem ſuo diplomate confirmandam inducere; quam, etſi Romæ ſe citra tergiuerſationem conceſſurum promiſiſſet, ad eam diem eius confectionem, vel cum eâ adiunctione, nè quid eâ cõceſsione de aliorum iure detractum intelligeretur, recuſarat. Optimum etiam factu dictum, ſi Carolus, Pontificem adhuc imparatum, ſubito aduentu à cœptis conſilijs deterreret, & Romam inopinato veniens, omnia, quæ vellet, ab eo extorqueret.

*Romam ire cogitat Carolus Gallorum Rex.*

Ergo profectione cõſtituta, cùm vrbibus, ac prouincijs præfectos & præſidia reliquiſſet, Romam, ante ſe, Andreã Lugdunenſem Antiſtitẽ præmiſit, qui Alexandro Pontifici nunciaret, ſe, Romam petere, vt pacatè per vrbem, & cæteram Italiam rediret in Galliam; venturum ſe cum eo in colloquium, vt de ſumma rei maturè inter ſe conſultarent. futurum, vt congreſſus ille vehementer vtrique conduceret. Alexander, ſiue recentes veritus offenſas, quæ haud obſcurè poſt Regis diſceſſum interceſſerant; ſiue reſiduo metu, quem ab initio perceperat animo, quoniam ſuorum inimicorum conſilijs Carolus palàm acquieſceret; ſiue vt ſocijs, & fœderatis Principibus gratificaretur, qui veriti, nè qua eo cõgreſſu fieret in Pontifice mutatio (nam ſubita illa Regis ex Neapoli profectio, cùm adhuc interim à nullo laceſſeretur, erat vulgò omnibus ſuſpecta) auctores illi fuerunt Caroli congreſſum euitandi; in animum ſuum inducere numquam potuit, vt vel à ſocijs ſeſe ſeiungeret, vel diploma regni ei traderet, vel ad colloquium inuitaret. Ad eam petitionem, quâ Rex regni Neapolitani iura in ſe transferri volebat, etſi ea conditione iam cõtentus erat, vt ſaluis aliorum iuribus id faceret, reſpondit; velle ſe priùs legitimâ diſceptatione, ad quem ſpectaret, cognoſcere. De colloquio dixit; poſſe Regem per vnum aliquem ſuorum, vel litteris, ſi libeat, ſecum agere, ſi quid eſſet, quod ſibi occultè cõmunicatum vellet, vel ſi qua res foret, quæ neq; litteris, neq; nuncijs tutò credi poſſet, cuperetque ob eam rem, Romam venire, ſine exercitu ad ſe proficiſceretur, vt pacatus Põtifex, pacatum Regem acciperet. Quòd ſi armis ſeptus, vt hoſtis, non vt hoſpes expectari vellet, futurum, vt venienti illi vrbem relinqueret; petiturum ſe, aliquem Italiæ receſſum. Quò ſi Rex ire perſeueraſſet, fore, vt eò nauigaret, vbi Pontificia maieſtas ab omni externa iniuriâ eſſet tuta.

XII. *Inauguratur idẽ Carolus in Regem Neapolitanum.*

Neapoli Rex vigeſimâ die Maij diſceſsit: verùm quoniam primùm ſolito ritu nomen, & Regia inſignia nondum ceperat, paucos antequàm proficiſceretur dies, ſolenniter, maximoque apparatu, ac celebritate in primario vrbis templo, de more ſuperiorum Regũ, ea cum honoribus, & iureiurando nouis Regibus pręſtari ſolitis, accepit. Nomine totius ciuitatis verba fecit Ioannes Iouianus Pontanus, cuius nomini propter excellentẽ hominis doctrinam, ciuiles actiones, moreſque clariſsimo, haud paruam, hæc actio notã inuſſit; quippè cum Aragoniæ Regum diu ſcriba princeps, atque à ſecretis fuiſſet, magnæque apud eoſdem autoritatis, & gratiæ, Alfonſi etiam in litteris præceptor, viſus eſt, ſiue vt munus Oratoris expleret, ſiue quo Gallorum gratiam magis ſibi conciliaret, ſe nimium in illorum Regum vituperatione dilatare, à quibus tantis fuerat honoribus affectus. vſque adeò difficile interdum eſt eam moderationem, eaque præcepta tenere, & conſeruare, quæ alijs ipſæ præſcripſeris. Etenim Pontanus magnitudine ingenij, orationiſque facultate omne doctrinæ genus complexus, ſcriptis etiam de moribus libris, cunctos mortales erudiuerat, atque ad ſui admirationem conuerterat. Carolus porrò Romam ipſis Calendis inijt, ſed Pontificem minimè inuenit.

*Alexander PP. Româ relictâ, Oruietum proficiſcitur.*

Biduò anteà, purpuratorum collegio, frequenti Clero, ducentiſque grauis armaturæ, & mille expeditis equitibus, peditum verò tribus millibus ſtipatus, idoneoq; in Angelica arce præſidio relicto Oruietũ diſceſſerat; ac Romæ ad Carolum cum honore, & pompâ accipiendum, Diuæ Anaſtaſiæ Cardinalem ſuo nomine eſſe iuſſerat. Rex, vt Angelicam arcem vitaret, per Tranſtiberinam regionem ingreſſus, ibi caſtra poſuit; nec in Vaticanũ ipſe, quod ei nomine Pontificis deferebatur, diuertere voluit. Quid Romæ totum triduũ, non ſine aliquo tumultu. Sæuitum eſt à Gallis, in Hiſpani generis homines, ſi qui in vrbe reperti ſunt, eorumque bona direpta. Mittit deinde Rex Oruietum, quò Alexander contenderat, qui illi nunciarẽt, multum ſe cupere, cum ipſo in colloquium venire; vtriſque vehementer intereſſe, vt vnum in locum conuenirent ambo, de re ſeriâ acturi. Hic Pontifex veritus, nè apertè negando ſubito acceſſu à Gallis intercluderetur, factâ illi ſpe, ac dimiſsis, qui ad hoc ipſũ





venerant, rapto agmine Peruſiam contendit; eo cõſilio, vt ſi Gallus è veſtigio ſecutus eſſet, per Vmbros, & Picenos Anconem peteret, primis inde tempeſtatibus Venetias tranſmiſſurus; quò ſcripſerat ſe venturum, ſi per hoſtes alibi tutus eſſe non poſſet.

XIII. *Philippi Cominei de Sauonarola teſtimonium.*

Rex tametſi iratus, Centumcellanam tamen, & Terracinenſem arcem Pontifici reſtituit: Oſtiam retinuit, quam diſcedẽs, in Iuliani Cardinalis poteſtate reliquit. inde Româ diſcedens, iter per Pontificiam ditionem pacatè habuit. Tuſcanellâ, quòd primum copiarum agmen accipere recuſaret, vi capta, non ſine multorum cæde, prædæ militibus fuit: parem propemodùm Phaliſæ, & Laurentiani experti ſunt cladem. Senis, ſex dies in varijs oblectamentis contriuit; neque tamen inde mouens, præſidium eduxit, aut Florentinis arces reſtituit: ſed ad eos pollicitationibus ludificandos, tantùm vt pecuniam extorqueret, Philippum Comineum miſit. Is ipſe Comineus verbis, quæ adſcribo, de Hieronymo Sauonarola iſta narrabat. Erat, *inquit*, Florentiæ Dominicanus quidam, Hieronymus, vir integerrimæ vitæ, vt plerique omnes prædicabant. Is multò ante prædixerat, Galliæ Regem eſſe venturum cum exercitu, & excitatum à Deo, vt Italiæ tyrannos mulctaret; ideoque fieri non poſſe, vt ei reſiſteretur. Piſas quoque venturum dixerat; & fore, vt Florentinæ Reipubl. ſtatus immutaretur. quod accidit, profligato Petro Medices; de cuius etiam patris Laurentij morte, locutus antè fuerat. Ad hæc diuinitùs ſibi patefactum eſſe dicebat, oportere ſtatũ Eccleſiaſticũ per vim armorũ emendari. Nondum quidẽ iſtud accidit, ſed tunc temporis propè erat, vt fieret. Et quòd ad eum modum loqueretur, pleriq; vituperabãt, & alij fidẽ habebãt. Senatus aũt plurimũ ei tribuebat, & ipſius permoti cõcionibus, nihil ſibi contra Regem ſuſcipiendum putabãt. Atq; ea fuit cauſa, cur ipſum inuiſerem, dum eſſem Florentiæ, comitatus Ioanne Franciſco, viro prudente, & bono. Cùm ad colloquium veniſſem, rogabam, an putaret, Regẽ poſſe incolumem tranſire, quandoquidem Veneti tàm numeroſum, & inſtructum exercitum haberent. Ille, & de Venetis, & inito fœdere, deque re totâ multò plura, quàm ego, qui recens illinc veneram ſciebat: & Regem quidem, non abſque labore, & difficultate, ſed tamen euaſurum eſſe dicebat, etiamſi minimum haberet comitatum. eſſe Deum, qui illum duxerit ad hoc tempus, & domum quoq; ſit reducturus: ſed quòd officium ſuum non feciſſet, quòd Eccleſiæ ſtatũ non emendaſſet, quòd ſuos ab iniuriâ, & maleficio non prohibuiſſet, fore, & breui quidem, vt incommodi aliquid accipiat. Quòd ſi autem ad ſanitatem redeat, & in ſuos pro magnitudine facinoris animaduertat, & miſerorum hominum ſalutem, ac commoditates procuret, Deum miſericordiâ in ipſum vſurum. Monebat etiam, vt iſta Regi dicerem, & cum in colloquium ipſe veniſſet, nihil horum ad eum diſsimulabat, & vt Florentinis, quæ bona fide ab eis accepiſſet oppida, reſtitueret, hortabatur. Hæc Commineus de Sauonarola.

*Aliud Guicciardini de eodem Sauonarolâ teſtimoniũ.*

qui (addo, quæ de eodem Guicciardinus ſcribit) Piſas Carolo, per Florentinam ditionem, Florentiâ ad dextram relictâ, contendenti, in oppido Poggibonzio obuiam factus, vt conſueuerat, autoritate, nomineque diuino interpoſitis, eum verbis efficaciſsimis, vt ſua Florentinis reſtitueret, hortabatur, grauiſſimè quoque interminatus, in quæ tantâ ceremoniâ & religione, manibus etiam Euangelij codice contacto, & tamquam in Dei conſpectu iureiurando promiſerat, ſeruaret, breui Deo vindici grauiſsimas pœnas daturũ. Variè & hic, & die ſequenti in Caſtello Florentino, pro ſua inconſtantiâ Carolus Hieronymo reſpondit; nunc ſe, vbi Piſas veniſſet, reſtituturum promittens, nunc fidem datam in contrarium retorquens; nimirũ, ſe, priuſquam Florentiâ exiſſet, Piſanis promiſiſſe ſuam ipſis libertatem cõſeruaturum, nihilominus tamen Florentinorum Oratoribus, reſtitutionis ſpem faciebat, vbi primùm Piſas perueniſſet. Piſis cùm diſcederet, nouũ præſidium vrbi, & arcibus impoſuit, & Florentinis, vbi Aſtam veniſſet, ſatisfacturum ſe dixit. mox Iuliano Cardinale incentore, Genuam, & totius Liguriæ imperium Mediolanenſi, ſed fruſtrà, detrahere tentauit. Inde Parmam fugienti ſimilis properans, vbi confœderatorum copias adeſſe conſpexit, ſeque tantùm non à ſuis deſertum videret, in maximo periculo, ea conſilia, quæ metu ſuadente in rebus difficilibus in hominum mentes venire ſolent, adhibuit, & ad diuina præſidia conuerſus, Sanctis Dionyſio, & Martino, Gallici regni tutelaribus habitis vouit, ſi ſe cũ exercitu incolumẽ in Taurinos educerẽt, ſimul, ac trans Alpes rediſſet, ſe ad eorum templa, quorum alterum Lutetiæ Pariſiorum, apud Turones alterum, cum maximis donis venturũ, ad hæc anniuerſarijs magnâ cum ſolennitate, ac ceremoniâ, ſacris, tanti ab eis accepti beneficij memoriam celebraturum.

*Carolus Rex vota concipit erga SS. Dionyſiũ & Martinum.*

Confœderati inter hæc, minimè rebus ſuis deerant. Veneti, præter ingentes copias, cum Sfortiâ coniunctas, à Pontifice etiam impetrârant, vt is Fecialem vnum ex ijs, qui clauam argenteam præferunt, ad Carolum mitteret, qui ei præciperet, intrà decimum diem ipſe cum eis copijs, quas ſecum haberet, Italia diſcederet: aliud item breue temporis ſpatium præſtituit, quo ſuos omnes è Neapolitano regno deduceret. alioqui pœnis illis, quas Eccleſia minari ſolet, propoſitis, ſeſe, Romam coram ipſo ſiſteret; quo remedio Pontifices olim veteres vſi ſunt. Nam, vt legitur, haud alijs armis Adrianus eius nominis primus, Deſiderium Longobardorum Regem, qui cum ingentibus copijs Romam turbatum ibat, vt Ternio, quò iam proceſſerat, Papiam rediret, coëgit. Verùm eâ veneratione, ac maieſtate, quæ ex vitæ Sanctimoniâ Pontificum, in hominum pectoribus, ſiue à ſuggeſtione impoſtorum, ſiue etiam à contrarijs fortè moribus extincta, difficilè erat, eoſdem effectus ſperare.

*Eiuſdem Caroli Regis inſolens reſponſum.*

Itaq; Carolus Pontificium irridens mandatum, reſpondit; ſe Neapoli redeuntem, quò ei pedes reuerenter oſcularetur, Romam veniſſe, ſed Pontificem ibi expectare noluiſſe: ſe mirari, eum nunc tantoperè, vt Romam veniat, vrgere. verùmtamen, vt ei pareat, in id incumbere, vt ſibi viam, quæ Romam ducit, aperiat. rogare, nè fruſtrà hoc incommodi ſuſcipiat, ſe expectare in vrbe nè grauetur. Puniuit Deus, tàm inſolens Caroli Regis reſponſum. Is enim non ſemel vitæ periculis aditis, ſub Octobris menſis finem huius anni 1495. in Galliam victo, quàm victori ſimilior diſceſsit; Senis, Aſtâ, Nouarrâ amiſsis, Florentinis deceptis; Ludouico tantum Sfortiâ ſolito mutante, & ad fœdera noua percutienda redacto. Cupiebat quidem Carolus, Venetos quoque ad hæc fœdera allicere. Quamobrem Commineum remiſerat, vt cognoſceret, an Veneti ratam vellent habere nuper factam pacem, & ijs, quæ poſtularet, ſatisfacere. quorum primum erat, vt Monopolim Appuliæ oppidum, quod iam Gallis ademerant redderent; alterum vt Marchionem Mantuæ, & reliquas copias, Ferdinando Neapolitano Regi, ſubſidio miſſas, reuocarent; poſtremò, vt profiterentur, Ferdinandum non eſſe eius fœderis, quod nuper cum Pontifice Romano, cæteriſque feciſſent. De ijs mandatis vbi Reipubl. Dux cognouit, dixit, ſe communicatâ re cum Senatu, breui reſponſurum. Mox decreta fuit trium dierum ſupplicatio, & in pauperes diſtributæ facultates, & habitæ conciones ad populum, & ad Deum effuſæ preces, vt quod commodum eſſet, atque felix Reipubl. conſilium ſuggereret.

*Conſuetudo Venetorum, dum graui de re conſulũt.*

Ea eſt Venetorum conſuetudo, quoties de re graui deliberatur. Religionem enim admodum diligenter procurant, & templa ſumptuosè exornant, in eoque pares ſunt cum Romanis, & ſanctimoniam pro cauſa habent, quòd Rempublicam habent adeò florentem, & amplam, digni certè tantâ proſperitate. Tandem reſponderunt, ſe nihil eorum, quæ Rex peteret, poſſe præſtare: neque vllum ipſis eſſe bellum cum illo; & quicquid feciſſent, hoc totum pertinere ad defenſionem Mediolani Ducis, ſocij, & confœderati, quem Rex profligare vellet. Cum ea publicè Dux pronunciaſſet, iuſſu à Se-

natu, ſolus, ac ſeparatim cum Cominæo in colloquium venit, ac eiuſmodi conditiones deferebat: vt Ferdinandus præſtitâ fide, ac iureiurando, regnũ Neapolitanum Carolo acceptũ ferret, & aureorũ quinquaginta millia annua, & iam ſtatim mediocrem aliquam pecuniæ ſummam dependeret, & oppida quædã aut partem aliquam Appuliæ Regi permitteret, qui Tarentum alioqui poſſideret. ſe curaturos, vt in ea regni parte vnum, & alterum oppidum illi prætereà daretur. id Gallis ad bellum Turcicum valdè fore opportunum: quòd Rex antequàm in Italiam veniſſet, eius belli multam mentionem feciſſet, ac Neapolitanam expeditionem, ideò à ſe ſuſceptã eſſe affirmâſſet. Hoc prætereà addebat, quòd ſi bellum Carolus Rex aduersùs Turcam ſuſciperet, illam Apuliæ partem ſatis ei futuram: deinde, Italiam omnem in eius belli ſocietatem eſſe venturam, & Maximilianum quoque Cæſarem, ipſosq; & Carolum autoritate ſua facilè poſſe omnibus per Italiam perſuadere. Quantum ad ipſos pertineat, velle ſe Regi ſubminiſtrare in eo bello centum naues inſtructas rebus omnibus, ſuoque ſumptu alere equitum millia quinque. Pecuniã verò, quam eſſet daturus Ferdinandus, eam ſe mutuò illi daturos. Hæc Veneti, iuuenis Caroli cõſilia, & impetus hoc modo ridentes: cùm & ipſi in claſſem Ferdinando auxiliariam miſiſſent, & Ferdinandus Regio cum arce, alijsq; finitimis in Brutijs oppidis recuperatis, eo ipſo die, quo à Carolo ad Tarrum pugnatum eſt, pridiè Nonas Iulij, Neapolim ex Sicilia inuectus, magna cõmutatione fortunæ, incredibili gaudio à Neapolitanis ſuſceptus, vexilla ſua explicaſſet. Eo die ciues armati in Gallos impetum dederunt; plenæ cædibus viæ, cruenta fora, templaque, refractæ, direptæque ædes; qui reſiſteret, trucidatus. Neapolis exemplum Capua ſecuta, item Salernum, & Appuli, innumeraſque adeò ciuitates, pulſo Gallico præſidio, Ferdinandi vexilla prætulerunt, Columnij Proceres, Proſper, & Fabricius eatenùs Gallicas partes ſecuti, ſe ad Neapolitanas tranſtulêre. Arces Neapolitanæ, in quibus Gallorum Prorex poterat, dies noctesque oppugnatæ. Dedit inter hæc Alexander Pontifex ad Venetorum Ducem literas, officij plenas, ex quibus facilè patet, quãta tuendæ Eccleſiæ Romanæ cura in Veneta gente fuit. Ita habent.

*Ferdinãdus Rex magno cũ gaudio à Neapolitanis recipitur.*

XIV. *Litteræ Alexandri PP. ad Venetorũ Ducem.*

*Alexander Papa VI. Dilecto filio, Auguſtino Barbatico, Duci Venetiarum.*

*Licèt Omnipotens Dominus multorum Chriſtiani Orbis fidelium Principum, quos ſacroſancta mater Eccleſia, cui Domino diſponente præſidemus, per ſacrum baptiſmi lauacrũ ſibi regenerauit in filios, ipſam ſponſam ſuam magnificâ prole exornauerit, atq; munierit, vt in afflictionibus eius promptam illi opem ferre non differant; tibi nihilominùs generoſoq; Senatui tuo, inter cæteros Principes ſæpenumerò magnâ cum fiduciâ, & maternâ quadam familiaritate in tribulationum anguſtijs conſtituta, vulnerum ſuorum communicauit incendia; nec deſiderio ſuo fruſtrata ſalutaribus conſolationum veſtrarum fomentis illicò obtinuit recreari. Nos verò quamprimùm fuimus ad ſummi Apoſtolatûs apicem ſublimati, ad tutandum contra peruerſorum hominum machinamenta, Beati Petri Apoſtolorum Principis patrimonium, robuſtiſſimum in tuo religioſiſſimo potentatu præſidium collocauimus. nec nos noſtra fefellit opinio, quam tu ſemper pio corde in noſtris, & huius ſanctæ Sedis neceſſitatibus opportuno aſtiteris fauore. Conturbarunt deinde Italicæ pacis amœnitatem Gallici tumultus, & irrumpente maximo, & validiſſimo cum exercitu in Italiam, & ad intima noſtrarum S.R.E. terrarum, cum ingenti omnium calamitate, penetrante ipſo Gallorum Rege, ac Regnum noſtrum Siciliæ citrà Pharum, violenter occupante; ex iniuncto nobis diuinitùs officio paſtorali, poſtquàm vidimus, eundem Regem exhortationibus, & monitis noſtris paternis non moueri, clamauimus inceſſanter, & aliorum noſtrorum & Eccleſiæ filiorum, tuamq; inprimis opem implorauimus; eorundemq; Regni, & patrimonij, ac totius Italiæ ab externis nationibus liberationem procurauimus. Tu autem dilectiſſime fili, clamores, & mœrores noſtros nequaquam ſurdâ aure, ſub diſſimulatione pertranſiſti; ſed ſuaſionibus, hortamentiſq; noſtris obtemperans, quamprimùm nos terrore Gallico cuncta proſternente perculſos almam Vrbem deſeruiſſe, Galloſq;, vt reliquas ſtrages prætermittamus, ciuitatem noſtram Thuſcanenſem hoſtili impetu inuaſam, cædi & occiſioni crudeliſſimè expoſitam penè deſolatam reliquiſſe, intellexiſti: immenſis è veſtigio potentiæ tuæ viribus exurgẽs, pro noſtra & eiuſdẽ Eccleſiæ defenſione, deuotionis tuæ ſolitæ vexillum explicuiſti. Coacto ſiquidem maximo, robuſtiſſimoq; equitum, peditumq; exercitu, parataq; validiſſimâ claſſe, pro noſtra, & illius, quæ nobilitatem tuam Chriſto genuit, matris Eccleſiæ inprimis, & conſequenter Italicæ patriæ, ac ſociorũ defenſione, terra, mariq;, nullis ſumptibus, nullis laboribus, nulliſq; periculis parcendo, audentiſſimè decertare, ſicut erat licitum, iuſtum, glorioſumq; putaſti. Pulſi ſunt, quamuis non incruenta victoriâ, incomparabili tuâ, tuorumq; virtute inuaſores Eccleſiæ, & occupatores Italiæ: ereptaq; iſt eorum manibus, claſſis tuæ armis Apulia: maioraq; indies pro reformanda, ſtabiliendaq; ſacroſancta Romana Eccleſiæ, ac totius Italiæ libertate, & tranquillitate, abs te, tuiſq; impigerrimè, & conſtantiſſimè geri, indubitata certitudine ſperamus. Maxima hæc ſunt, dilectiſſime fili, glorioſiſſimaq; ardentiſſimæ tuæ erga nos, & hanc Sãctam Sedem deuotionis documẽta: quæ ſicut claritate, & magnitudine ſuâ omnium corruptibilium monumentorum memoriam exuperant, ità profectò immortali laude, ſempiternaque memoria digna ſunt. Quamuis igitur hæc multoties cum dilecto filio Hieronymo Georgio, Equeſtris Ordinis viro probatiſſimo, apud nos Oratore tuo fideliſſimo, ſicut merebantur, extulerimus; ipſiq; iniunxerimus, vt dignas tibi, Senatuiq; tuo, noſtro nomine gratias ageret, exiſtimamuſq; ipſum hac in re, ſicuti in cæteris ei commiſſis ſolitus eſt, ſapienter, & integerrimè ſe habuiſſe; nobis tamen non putauimus ſatisfactum eſſe, niſi perpetuo quoq; litterarum noſtrarum, breuiuſculæ laudationis teſtimonio tam præclaras à te, Senatuq; tuo res geſtas æternitati commendaremus: conteſtantes, immenſas nos vobis pro tot, tantiſq; meritis, & obſequijs gratias debere, quas, ſi vnquam dabitur occaſio, non vobis rependere beneuolentiſſimo animo non tardabimus. Verùm quia perſeuerantia eſt illa, quæ in bonis operibus ſola coronatur à Domino; nobilitatem tuam toto cordis affectu exhortamur, & obſecramus in Chriſto, vt cunctis viribus, omniq; conatu, ad propulſandas turbationis Italicæ reliquias ſedulò velis intendere, vt illam in priſtinæ dignitatis, & quietis decorem, amœnitatemq; diebus noſtris ſicut vehementer optamus, tuâ præſertim opera reſtitutam videamus; quòd & ſi ſponte tuâ, te facturũ ſciamus, noluimus tamen cõmittere, vt glorioſo operi exhortatio noſtra deeſſet, quod te, Senatumq; tuum apud Altiſſimũ cœleſti triumpho decorabit, & in terris immortali famâ laudatiſſimis reddet. Datũ Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris die XXI. Auguſti. M.CCCC.XCV. Pontific noſtri anno III.*

*Laudantur Veneti.*

XV. *Ferdinandus Caſtellæ Rex, Luſitaniæ, & Angliæ Reges allicere ad fœdus non ceſſat.*

Non ceſſabat intereà Ferdinandus Rex Hiſpanus, Regem Luſitanum, & Anglum, & cõmune Principum aliorum fœdus allicere per legatos, ac præſidia vndiq; conquirere, ſtrenuum Principem, & rebus maximis natum. Excuſauit Luſitanus amicitiam cum Gallo à multis annis ſtabilem, nõ videri temerè violandam, & erat Pontifici ſubiratus, à quo impetrare non poterat, vti Georgium ex impari, ſed nobili matre filium iure legitimo donaret. Nullo enim reſpondente in ſucceſſione regni, mutare aliquid non eſt viſum. Luſitano quidẽ deliberatum erat, eum hæredem ſcribere ex aſſe, ſi minùs veniâ Pontificis, certè Maximiliani Cæſaris amitini iure ſucceſſionis, illi debito, ſic interpretabãtur, eius voluntate in Georgium tranſlato. quod quidem nihil aliud erat, quàm pulcherrimè ſtantem Reipubl. pacem præpoſtera ambitione, & cupiditate turbare, ac nouorum motuum quærere materiam. Ab Anglo non fœderis ſocietas tantum petebatur, ſed etiam nouæ affinitatis vinculum, Arturo Angli hærede, & filiâ Ferdinandi Hiſpani Regis, iunctis connubio vtrumque factum, quanquam non eodem momento. Ferdinandus Neapolitanus, tantum Hiſpani erga ſe ſtudium videns, vt eum ſibi amplius deuinciret, filiam eiuſdem in connubium expetebat. Non abnuebat conditionem Hiſpanus ſed belli ancipitis exitũ expectare malebat, ex euentu





ſumpturus conſilium. Moræ impatientiâ Neapolitanus, & Ioannæ Reginæ viduæ ſuaſu, eius filiã eodem nomine duxit, ſolutâ lege propinquitatis à Põtifice, quoniam amita eius erat. In ipſa nuptiarum lætitiâ, res bellicæ curæ erat. *Philippus Cominæus. lib. 3. & 4. P. Bembus lib. 2. & 3. Guiciardinus lib. 2. Iouius lib. 2. Mariana lib. 26. Iuſtinianus hiſt. Venet. lib. 10. Surita de rebus Ferd. Cathol. lib. 1. & 2. Sabellicus Ennead. 10. lib. 9. Ferronius in Carolo 8. Sebaſtianus Branca in notis diarijs Romanis.*

XVI. *Alexander Pontifex ad Sedem Apoſtolicã defendẽdam Maximilianum Imp. inuitat.*

Vocabat inter hæc Alexander Pontifex crebris litteris Maximilianum Cæſarẽ, vt in Italiam tuendæ Sedis Apoſtolicæ cauſa deſcenderet, atq; diadema Imperij in vrbe acciperet: ſimul Gallos, qui Italiã turbabãt, patrimoniumq; D. Petri diripiebãt, ac multa ſine iuſtis titulis occupabant, eijceret. His monitis excitatus Cæſar, cùm profectionẽ adornandam deliberâſſet, Wormatiæ Conuentum Principum Imperij magno numero habuit. In his Comitijs primò decretum, pacem ante omnia firmandam eſſe inter Imperij membra, ciuitates, ac Principes: qua ſtabilitâ; omnia deniq; facilia fore, ſiue quæ tutelam Apoſtolicæ Sedis, ſiue quæ dignitatem Imperatoris, & amplificationem Imperij, ſiue quæ Turcicum bellum reſpicerent. Cõmunicatis poſteà inter principes cõſilijs, ac pace vtcumq; inter diſſidentes cõſtitutâ, inſtitutum eſt, quo ordine in eam expeditionem ſumptus neceſſarij ex vtroq; ordine cleri, & populi colligerẽtur, de certa in aliquot annos prouentuũ quotâ exporrigendâ. De re monetariâ quoq;, quæ plurimũ inter omnes habebat momenti, tum in certam formam eſt cõuentum. Renouatæ ad vltimum, pro emergentibus neceſſitatibus, crebriores Principum Imperij conuentiones, vt Friburgum, Auguſtam, Nurembergam, Eueti, frequentes venirẽ (ſi, & quando Imperatore abſente, cauſæ emergerent) de rebus, vel ad Eccleſiã Romanã, vel ad Imperium, vel ad Chriſtianorum incolumitatem ſpectantibus deliberaturi: quandoquidem & Turca quotidiè incurſionibus Chriſtianos vexabat miſerrimis, & crudeliſſimis modis; & Galli non intermittebant Pontificem, Italoſq; principes premere varijs tentamentis. *Mutius lib. 30. Kranzius Saxoniæ lib. 13. c. 21.*

XVII. *Multa mendacia in PP. Alexandrũ ſparſa.*

Quẽ Imperatoris Maximiliani, Ferdinãdi Hiſpaniæ Henrici Angliæ Regũ, Principũ, & vrbiũ Imperij, Venetorũ, Mediolanenſiũ, ac Genuenſiũ, pro tuendo Pontifice Alexandro cõſenſum, ſi quis ſecũ diligentiùs expenderit, mirũ ei videbitur, quomodò veroſimile ſit, Alexandrum, tantis flagitijs, quanta ei maleuolentes, (Gallorum partiarij) imponebant opertum fuiſſe; ſcilicet, Pontificatum turpiſſimis artibus, illum obtinuiſſe, nunquam poſt hominum memoriã deterioribus modis eandẽ dignitatẽ adminiſtratã eſſe, illũq; ipſum demeruiſſe, qui aut tormentis exploſis violaretur, aut captus aliò abduceretur, & vel gradu de facto moueretur, vel iudicio Concilij deijceretur, aliusq; in eius Sedem ſubrogaretur: hæc inquam conſideranti, mirum videbitur, quomodò Imperator, tot Reges, tot Principes, tot vrbes, tot Duces, tot populi, tot gentes Orbis Chriſtiani, hominem, tantoperè, ex relatione Iuliani Cardinalis Roborei inquinatum, defendendum ſuſceperint, & ad iudicium Cõſiliare nõ traxerint. niſi fortè perſpectũ habuerint, omnia ab Iuliano vulgata, inueterati odij figmenta, ob præoccupatã ante eum ab Alexandro Pontificiam dignitatem præcipuè diſperſa, à Carolo, & Gallis auidè audita, & diuulgata fuiſſe; Regno Neapolitano, vel ab eodem Pontifice per terrorem extorquẽdo, vel ab alio, ſiue Romæ, ſiue aliubi per impreſſionẽ intruſo, operæ premium obtinendo. Solus Iulianus, in aſſequendo Pontificatu, Alexandro poſtpoſitus, Alexandrum Simonis mercimonio inquinatum vidit: ſoluſque Carolus, ab eiuſdẽ Iuliani dictis, quòd neque diploma, neq; diadema regni Neapolitani ab Alexandro aſſequi potuerit, Alexandrũ malis artibus Pontificẽ factũ peſſimis adminiſtrantẽ ſcire potuit; Italia, Germania, Hiſpania, Anglia, Clero, & populo, etiam Gallicano, ad enormia flagitia conniuentibus. Ità quondam factum Eugenio IV. in eadem Regni Neapolitani cauſa. Ex eo regno, cum reliquias Gallorum Ferdinandus Rex eijcere tentaret, & Fragnellum non ignobile oppidũ oppugnaret, Diua Virgo Deipara, quantum curæ de imaginibus ſuis ſacratis haberet, indicio euidenti oſtendit. Eius enim oppidi exuſto ſacello, ligneũ eiuſdẽ Virginis ſimulachrum inuentũ eſt, ab igne minimè corruptum, quod ſumma veneratione, ac diligenti cuſtodia Neapolim tranſmiſſum eſt, & ſupplicatio in vnum diẽ populo indicta. *Ioann. Albinus Lucanus Comment. de bello Gallico.*

*Miraculũ in ſtatua B. Virginis patratur.*

XVIII. *SS. Euchariſtiæ cultus in periculis proficuus.*

Quãtum etiã in periculis valeat, diuiniſſimi Euchariſtiæ Sacramẽti cultus, eo tẽpore oſtẽſum eſt, qñ Gallis Caietã irrũpentibus, Aragonius miles, cõcurſu totius populi ad templũ maximũ facto, ꝗ tũ fortè ſupplicationes publicæ, ſolenni pompâ circumlato Chriſti corpore ducebantur, penè iam illos victores in arcem cõpulerit. Iſtud quoq; nõ indignũ memoriâ, narrare ſolitos Caietanos, eos milites, qui manus ſacris donariis polluiſſent, in extremas miſerias diuina ira fuiſſe præcipitatos. Nauim .n. onerariã, huiuſmodi, & aliis ſpoliis onuſtã, quæ cõfecto bello in Galliã iter habebat, apud Circeos naufragio periiſſe. Iã & Regis Caroli apparatus, vaſa aurea, atq; argentea, pretioſa veſtis, Regale tabernaculũ, aulæa omnis generis, ipſæq; demũ Neapolitanorũ Regũ opes, quæ in Galliã ad exornandũ triumphum aſportabãtur, ꝙ gẽmata quoq; ſacrorũ inſtrumenta vndequaq; rapta ſecum coniuncta haberent, ceſſêre ignobilium militum auaritiæ, qñ Galli ſecundùm Tarrum exuti ſunt omnibus impedimentis. Irritauit Diuinã in ſe vindictã Carolus, nõ minimis flagitiis, ſed præcipuè libidinatione. Ex Italia .n. fugiens, dum modò in Aſtenſi agro, modò Taurim in maximis æſtatis caloribus ſtatiua haberet, amoreq; Annæ Soleriæ, nobilis matronæ captus eſſe diceretur, vſq; adeò molliter animum ætate ad voluptates facilè pronũ remiſerat, vt à totiꝰ belli cogitatione planè diſcederet. Cheriũ quoq; nõ minimũ à caſtris diſtãs oppidũ ſingulis noctib. per diſpoſitos equos cõuolabat, vt amorib. cuiuſdã fœminæ indulgeret, turpi famæ neglectu, & omnium, quos trahebat periculo, *Iouius lib. 2. & 3.*

XIX. *Maritur Caroli Regis filius iuxta Sauonarolæ prædictionẽ.*

Præter eam turpẽ fugã, & multa ammiſſa, aliã quoq; luit pœnã. Vix Lugdunum peruenerat, cum nunciũ de filii morte accepit, magnumq; dolorẽ cepit: quamquam multò maiorem Regina Anna, quæ humi proſtrata, miſerè deflebat extinctum filiolum, vt neq; modus, neque intermiſſio lacrymarum, neque vlla admodum leuatio ad futura videretur. Afflictã, mœrentemq; exquiſitis vndiq; oblectamentis Rex cõſolatus eſt, nihilq; prætermiſit, ꝙ ad eam recreandã pertineret. Eius pueruli ferociã patri exoſam ſunt, qui ſcribãt. Ex quo omnib. fortẽ magnatum intuentibus, videri neceſſe eſt miſerrimã, ſic diſtrahuntur in cõtrarias voluntates eorum cupiditates, à liberis vt, eiſque infantibus, ſibi metuant. *Ferronius lib. 1.* Sauonarola Dominicanus, hanc mortem filioli trimuli, Carolo prædixit; ſimulq; addidit, fore, vt extincto puero, ipſe quoque Carolus nõ diũ ſupereſſet. quas illius ad Carolum litteras ipſe legit, qui hæc ſcripſit, *Philip. Comminæus de bello Neapolitano lib. 5.* Nempè, iſta ſunt diuinæ vindictæ flagella, quibus ſcelerum vltor, Reges caſtigare ſolet, propter flagitia vel admiſſa, vel permiſſa.

XX. *Conſtitutio Maximiliani Imp. contrà blaſphemos, & temerè iurantes.*

Ea flagra, vt Maximilianus Cæſar effugeret, inprimis ſacro matrimonii morſu, libidinẽ exilientẽ coercere in ſe voluit, ductâ in vxorẽ Clarâ Maria Sfortiâ, Ludouici Ducis propinquâ. deinde cùm ſciret, blaſphemiæ, & periurii crimina, grauiſſima eſſe, & diuinum furorẽ in populos, & principes prouocare, hoc anno, Wormatiæ in Comitiis conſtitutionẽ edidit, contra blaſphemos, & temerè iurantes. Digna eſt, quæ hic inſeratur. Ita habet.

*Maximilianus, diuinâ fauente clementiâ, Romanorũ Rex ſemper Auguſtus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, ac Rex; Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, &c. Omnibus, & ſingulis noſtris, & Sacri Romani Imperij ſubditis, vniuerſis deniq; Chriſti fidelib. cuiuſcumq; dignitatis, ſtatûs, aut conditionis exiſtant, præſentes literas, aut earum copiam viſuris, vel audituris, gratiam noſtram, & omne bonum.*

*1. Deus Omnipotens, creator noſter, in Decalogo, cuius obſeruatio tàm minuſta homini Chriſtiano eſſe debet, quã eſt animæ ſuæ ſalus, deinde etiam in ordinatione Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ, præcepit omnibus hominibus, abſtinere à ſumendo nomen ſuum in vanum. Quo mandato motus Iuſtinianus Auguſtus, noſter in Imperio præceſſor, præclaræ memoriæ, ad gloriam Dei, & hominum ſalutem, & eiuſdem diuini præcepti intemeratam obſeruationem, omnibus Imperij, & Chriſti fidelibus diſtrictè, ac ſeuerè iniunxit, abſtinere à blaſphemis verbis, & non iurare per nomẽ Dei, aut ſanctiſſima eius membra, nec Sacramenta à Deo, & his ſimilia verba iurare. Sin aũt pòſt huiuſmodi admonitionem inueniantur aliqui in talibus permanentes delictis, quòd tales perpetratores, quia indignos ſemetipſos fecerint Dei miſericordiâ, debeant à Magiſtratu comprehendi, & vltimis ſubdi ſupplicijs. Si etiam aliqui prædicta impia, & blaſpema verba audientes, non contradixerint, nec tales culpauerint, ſed ſubtercelauerint, nec ad Magiſtratum detulerint; item ſi Iudices reſcierint, aut inuenerint quoſdam, tale aliquid delinquentes, & vindictam in eos non intulerint, ſecundùm leges quòd hi omnes præter, quòd obligati erunt Dei iudicio, indignationem quoq; ſuſtineant imperialem, ſicut in præfati noſtri prædeceſſoris conſtitutione clariùs habetur.*

*2. Quoniam autẽ, & ipſius Dei præceptum, & dicti prædeceſſoris noſtri conſtitutio, admonitio, ſanctio, & pœna apud pleroſq; (proh dolor) in obliuionem, & contemptum venit, & multifariã tranſgreditur, ideò nos pro Imperiali noſtro officio, cum noſtris, & Imperij Electoribus, Principibus, ſtatibus, & vniuerſo ordine, in iſtis publicis Imperij Comitijs Vuormatiæ cõgregatis, prædicta dolenti animo perpendentes, & ob oculos ponentes, quàm grauiter illis offendatur Deus, & creator noſter, hominumq; animæ propter huiuſmodi blaſphema verba indignæ efficiantur, miſericordiâ Dei, in æternum ſpoliandæ: & quòd ante hac propter talia delicta, fames, & terræ motus, & peſtilentiæ, aliaq; plagæ in orbe terrarum factæ ſint: & adhuc noſtris temporibus (vt manifeſtum eſt) tum tales, tum aliæ multæ variæq; plagæ, ac pœnæ fiant, præſertim nouus ille, & grauiſſimus hominum morbus, noſtris diebus exortus, quem vulgò malum Franci cum vocant, poſt hominum memoriam inauditus, ſæuè graſſetur; quæ nos iuſtiſſimæ Dei iræ meritò debent admonere: hac, inquam perpendentes, quia omne nobis eſt ſtudium, & oratio, vt Dei inueniamus placationẽ, ad maieſtatis eius gloriam, & hominũ ſalutem, præhabitâ maturâ deliberatione omnes, & ſingulos noſtros, & Imperij ſubiectos, vniuerſoſq; Chriſtifideles, hortamur, ac iubemus, quatenus huiuſmodi blaſphema, & impia delicta abſtinendo fugiatis, & Dei timorem in ſenſibus accipiatis, & eius mandatis deuotè obediatis, quò miſericordiam Dei ſuſtineatis, nec prædictas pœnas incidatis.*

*3. Igitur ſtatuimus, ordinamus & volumus diſtrictè præcipiendo: Si quis, cuiuſcunq; dignitatis, ſtatûs, aut conditionis ſit, ſanctiſſimum Dei nomen inaniter adhibuerit, aut blaſphema verba, & ſacramenta de Deo iurauerit, aut per ſanctiſſimam Chriſti paſſionem, vulnera, membra, & his proxima verba iurauerit, aut per Dei genitricem* MARIAM *ſemper Virginem, Deiq; Sanctos, vt huius blaſphemiæ rei ſequentibus pœnis ſine omni gratia ſubijciantur.*

CAPIT. I.

De pœnâ eorum, qui per calorem iræ iurant.

*NEmpe ſi ex præcipitantiâ, & per calorem iræ, aut ex ebrietate, aut ſimul aliquo caſu, incogitanter fiat, tale delictum vna marcâ auri puri, cuius dimidia pars noſtræ, & Imperij Cameræ, altera dimidia Domino, in cuius iuriſdictione perpetratum ſuit, irremiſſibiliter luant. Qui autem prædictam mulctam non ſunt ſoluendo, ex arbitrio Iudicis, in cuius iuriſdictione deprehenſi ſunt, puniantur.*

CAPIT. II.

De nobilibus temerè iurantibus.

*SI verò conſtet, huiuſmodi blaſphemias, & delicta temerariè facta eſſe, ſi patratores ſunt homines nobiles, vel priùs ob huiuſmodi impia verba deprehenſi, aut condemnati fuerint, vt fiant ipſo facto infames, neq; ad vlla ampliùs Nobilium placita, vel officia admitti debeant: ſi verò contingat, eos iteratò in tale crimen impingere, vt ſecundùm qualitatem delicti, in corpore irremiſſibiliter puniantur.*

CAPIT. III.

De Plebeijs temerè iurantibus.

*QVòd ſi patratores ſunt inferioris conditionis, vt ab Iudicibus, in quorum iuriſdictione, & imperio commiſerunt, ſecundùm qualitatẽ delicti, in corpore irremiſſibiliter puniantur.*

CAPIT. IV.

De auditoribus ſubtercelantibus.

*POſtremò vt omnes, qui ſuperiùs memorata delicta à patratoribus committi audiuerint, nec illis cõtradixerint, aut eos culpauerint, ſed ſubtercelẽt, & Iudicibus, in quorum iuriſdictione huiuſmodi facta ſunt, aut eorum vices gerentibus nõ deferant: ſimiliter omnes Iudices, & magiſtratus, qui huiuſmodi delinquentes in ſua iuriſdictione ſcienter retentant, ac tolerãt; vt earundem pœnarum, quas diximus, cum tranſgreſſoribus rei, & culpabiles animaduerſionem ſuſtineant.*

CONCLVSIO.

*QVapropter omnibus, & ſingulis præcipiẽdo mandamus per gratiam viuentis Dei, & per vniuſcuiuſq; fidem, quâ tenemini nobis, & Imperio, quatenus huic noſtræ admonitioni, cõſtitutioni, & ordinationi obediatis, eamq; exequamini; & paſſim per noſtras, & veſtras ditiones publicari faciatis: & tàm veſtros ſubditos, quàm peregrinos eidem parere diſtrictè iubeatis, faciatis: delinquentes aũt. & tranſgreſſores prædictis pœnis rigidè coerceatis, nullius hominis habito reſpectu; ſi & irã Dei, & à nobis ſancitam pœnam vultis euitare. Quæ igitur noſtræ placuerunt Maieſtati, ad effectum perducere enitimini, vt & ſententiæ noſtræ executio, & nobis fiat beneplacitum.*

*Datum, & Regij noſtri ſigilli appenſione obſignatum, Vuormatiæ, 7 die menſis Auguſti, Anno à Natiuitate Chriſti,* 1495. *Regnorũ noſtrorũ, Romani* 10 *& Hungarici* 6. *ex li. Conſt. Imp.*

XXI. *Tenariſſe, ſubijcitur Caſtellæ Regibus.*

Hoc anno Tenariſſe, poſtrema è Fortunatis inſulis, claſſe ad id miſſâ, domita, atque ad Regum Caſtellæ ditionem ſubiuncta tandem eſt. Inſulæ eius Rex nauibus in Hiſpaniam delatus, inde à Ferdinando, & Iſabellæ Regibus Venetias tranſmiſſus, donum ijs ciuibus ab inſolenti habitu, & ſpectaculo non ingratum. Fœdus nuper conſtitutum eâ beneuolentiæ ſignificatione aſtringere certabat Hiſpanus. *Mariana lib. 36. c. 1.*

XXII. *Bohemi hæretici, Epiſcopũ ex ſua ſectà præſtituendum ſatagunt.*

Hoc eodẽ tempore, Pragã Boëmiæ Metropolim ſolitis motibus hæretici cõcionatores ſuis cõcionibus cõmouebant, donec eò conatum ſuum perducerent, vt haberẽt, Epiſcopum de ſua ſectà. Is erat præuaricator, Auguſtinus nomine, ex eo numero Epiſcoporum, qui titulares vocantur, quia titulum ſine ditione præferunt, ſenex, auarus, & delirus, vt qui in hac voce animã exalauerit; *Si non poſſũ ſalutẽ aſſequi, vt malus Chriſtianus, ſaltem ſaluari queam, vt bonus Marranus.* quaſi bonus Marranus vſquã locorum inueniatur. *Dubrauius lib. 31.* Hæc omnia cùm Ladiſlaus Rex, Alexandro Pontifici perſcripſiſſet, Pragenſes egerunt ei quàm ampliſsimis verbis gratias, quòd cauſam eorum Pontifici Romano, maximo ſtudio cõmendâſſet, oſtenderuntq; ſe ad officium, rituſq; Romanos libenter redituros, ſi iiſdẽ cõditionibus, quas Sigiſmundo Imperatore poſtulâſſent, in gratiã Pontificis, & Senatûs Apoſtolici poſſent redire. Demum ſupplicarunt, vt regnum ſuum inuiſeret; ſeq; ſuis ſumptibus vniuerſam aulam alituros, & omnia Eccleſiarum bona, à ſe antè adempta vltrò reſtituturos, & in ſacros vſus collaturos receperunt. *Bonfinius decad. 5. lib. 5.*

XXIII. *Moritur Alfonſus Rex Neapolit.*

Hoc anno Alfonſus Rex Neapolitanus, ſubminiſtratis Ferdinando filio iam Regi ſucceſſori in bellum contrà Gallos gerẽdum pecunijs, cùm in lugubri veſte, humanis omnib. curis, ipſiſq; pariter voluptatibus, quibus anteà luxurioſè ſtuduerat, renũciatis, animo ad diuinarũ rerũ cõtemplationem abſtracto, annum ferè, Mazaræ in Sicilia religioſè vixiſſet, viuere deſijt. *Iouius lib. 3.*

XXIV. *Item Ioannes Rex Luſitaniæ, illiuſq; vitæ breuis ſumma.*

Secutus eſt eundẽ, 8. Calend. Nouemb. Ioannes Luſitaniæ Rex, qui magnum Euangelio oſtium, in remotis regnis, & Prouincijs feliciter aperuit; dignus, cuius vitæ, & actionum anacephaleoſis iſthic inſeratur. Is eo nomine II. ob incomparabilẽ rerum ſplendorẽ, & gloriã, ingentiaq; tum animi, tùm corporis ornamẽta, Maximi agnomine meritiſsimo condecoratus, anno Salutis humanæ 1455. genitus eſt Olyſipone, 4. Nonas Maias. A prima pueritiâ principalibus diſciplinis, vt Regem potentiſsimum decebat, liberaliter inſtructus eſt; puerq; animi cœpit argumenta prodere iam maturi, cùm grauiſsimis de Republica conſilijs admiſſus à patre, non ſine totius Senatus admiratione intereſſet. Vnde cõſiderato tanti Principis ingenio, atq; indole, affirmare non verebantur, eum naturam pulcherrimo Regum omnium exemplo non ſecùs peperiſſe, ac Tullius Oratorem numeris omnibus abſolutum fingit, imitandumque proponit.

*Corporis, animiq; illius dotes.*

Annum agens 15. Eleonorã duxit Principis Ferdinãdi, & Beatricis filiam, cognatione patruelem: ex qua vnicam prolem ſuſcepit Alfonſum, qui cùm Iſabellam Catholicis natam è Regibus in matrimonio haberet, à nuptijs paucos intra menſes, Scalabi, concitato ex equo prolapſus, expirauit. Patre vitâ functo, pridiè Calen. Septembr. anno 1481. mẽſes 4. annos 26. natus, Regio poſitus eſt in faſtigio. Fuit prudentiâ propè ſingulari: apertâ mentis acie: præſentiſſimo, acerrimoque ingenio; memoriâ præſtanti, corporis animiq; bonis omnibus apprimè cumulatus; modeſtus in ſermone, ac nonnihil cunctabundus, ponderis, veritatiſq; cultor eximius, virtute præditus inſigni, animo forti, & alto, cogitationibus ampliſsimis, iiſque in diuino cultu, & regno propagando ſemper occupatis. Suaptè naturâ robuſtiſsimus, & lacertoſus adeò, vt in diſco, & iaculo contorquendo emineret, ac ſæpe vno ictu tres ſimul, quatuorue prægrandes cereos, cæſim diſtricto enſe medios ſecaret, vnicè paratus ad omnes artes, Saltator egregius, equitandi quolibet ephippio peritiſsimus: aucupio, venationeq; mirificè recreabatur: luctæ, & hoc genus virium exercitationibus deditos amabat plurimũ: ſæpe ſpectator aderat. Vnde Luſitanorũ hac tempeſtate ad has artes mira fuit alacritas.

*Fortitudinis eiuſdem exempla.*

Semel intempeſtâ nocte Ferdinando Martino Maſcarenâ, Regis cuſtodiæ præfecto, iterum viro primario comite egreſſus, cum armatorũ in globum incidiſſet, adeò ſtrenuè dimicauit, vt propè maiorẽ graſſatorum partem vulnerauerit. Hos, factâ mox per chirurgos inquiſitione, curari Regijs impenſis iuſſit, ac deinde reſtitutis viribus, ob exploratam fortitudinem in familiam aſciuit. Alcocheti in ludo, cùm arenam ad ſpectaculum pertranſiret, aduerſùs taurũ è cauea fortuito elapſum, cæteris diffugientibus, vnus ipſe plicato ad ſiniſtram pallio, gladioque euaginato, perſtitit intrepidus, & Reginam longo cum ancillarum comitatu à tergo ſitam, aliorſum belluã viſam ferri aciem declinante, propugnauit. In Arzillæ irruptione, itemque Taurenſi prælio egregiam poſuit operam, multaque fortiter, ac præclarè fecit. Vnde gloriabundus dicere ſolebat: Idcircò tractandis armis ſibimet placuiſſe, quò milites deinceps tractare pro meritis ſciret. Pati nõ poterat, edictoq; vetuit, nè quis antè robuſtam ætatem puer gladio accingeretur: eo argumento, quòd cum ijs, quibus impares erant, congreſſi, ac malè multati, fracto ſemel animo, fierent in poſterum timidiores.

*Euſdem Pietas.*

Hanc fortitudinem habuit pari cum pietate fœderatã. mira quippè fuit in res diuinas propenſione, & in ſuperos omnes, ac Beatam præcipuè Dei Matrem obſeruantiã, vtpotè quam per ſingulos dies, horis, & id genus precibus alijs pijſsimè demereretur. E Chriſti Domini tormentis, plagas quinque ſingulari quadam religione proſequutus, quam nuncupato etiam voto annuendi, quicquid ijs interpoſitis obſecraretur, ſtabiliuit. Rem diù ſecretã data prope mortem occaſione, patefecit. Adſtabat morienti è primaria nobilitate quidam. Is extremas rei familiaris anguſtias profeſſus, Regẽ enixè deprecatus eſt ob Chriſti vulnera, vt ſuam egeſtatem aliquo ante obitum auxilio releuaret. Tum verò Ioannes inſitâ miſericordia, præter annuos redditus nõ mediocres, homini, quâ vtebatur, argenteam ſuppellectilem vniuerſam dono dedit. In Paſsionis Domini exequialibus ferijs, quò maximè totius anni tempore, anniuerſario ritu, Chriſto Seruatori Orbis parentat Chriſtianus, cùm templa de more percurreret, eum facta obuiam fœmina per illius diei Religioſam memoriam, & Chriſti mortẽ, ac plagas rogauit impẽsè, vt marito capitis damnato, veniam, vitamq; donaret. At Ioannes: Amplio ra vellem, *inquit*, hoc à me nomine poſtulares: certè, quod petis, libentiſsimè concedo: è veſtigioque hominem abſoluit. Per eos continenter dies atratus coram auguſtiſsimo Euchariſtiæ Sacramento perſeuerabat.

*Orationi addictus fuit.*

Quocumq; ſe reciperet, priuatum, clauſumque habebat Sacellum, vbi per ſingulas noctes, lachrymis, precibuſque fuſis, vltrà horarium ſpatium, vt qui cum Deo de negotijs familiariſsimè communicaret, pijs commentationibus inſumebat. Nullo non die diuinis rebus ſingulari quadam cũ pietate, & affectu interfuit. qua in re duo præcipuè ſunt, illius digna memoratu facta. Semel enim recitanti Canonicas horas ſocio Regij Sacelli Decano, (is erat Iacobus Sola, poſteà Braccarenſis Archiepiſcopus) crepida excidit: quàm cùm Decanus arreptam de genu conaretur inducere, acriter obnixus, indignatuſq; Ioannes; Tunè, *inquit*, quâ manu ſacra facis, ea pedes meos tractare, vel crepidam parabas? Et abire iuſſo, ac domi eſſe, donec aliter ipſe decerneret, integrum menſem diſsimulauit. Eandem ſecundò pietatem exhibuit in baptiſmo Magiſtri Antonij, qui Regius erat chirurgus, natione Iudæus, in quo & communis lætitiæ cauſa magnificè multa edidit, & ſponſor fuit adeò diligẽs, vt deſiderata, neſcio qua è lino faſciâ, ipſe ſibi ſubuculæ manicã abſciderit, nè quid in parãdo moræ, ad rem adeò ſacram, vt aiebat, interponeretur. Cætera ad Religionẽ, ad diuinum cultum pertinentia diligentiſsimè procurauit. Autor fuit, vt ſingulis quibuſq; diebus in Regio Sacello (quod hodieq; fit) res diuinæ ſummo cum apparatu, & ſolenni quodam Cantorum, ac Sacerdotum choragio celebrarentur. Pòſt obitum, in Scrinio, cuius ipſe clauem numquam alteri viuus permiſerat, cõfeſsionis inſtructio, verbera, ciliciumq; inuenta ſunt, omnia vſu aſsiduo detrita.

*Et Pœnitentiæ operibus.*

odio alieniſsimus, ijs, quorum conſuetudinem moleſtè ferebat, id verò apertè ſignificabat, & procerum quilibet, quis erga ſe Regis eſſet animus, compertum habebat. Idẽtidemq; illud vſurpabat, ſimultates timidi ſpiritus eſſe, ac demiſsi. Perrarò excanduit, & iracundiã, ſi quibus rumperet verbis, maturâ pœnitudine temperabat, adeò vt Iacob. Ortizius Antiſtes, qui à confeſsionibus illi erat, Ioannem, ſi peccator eſſet, æquè peccatorum pœnitere dictitaret. Rodericus Soſa vir erat æquè generoſus, ac longæuus, magnoq; pro meritis apud Regem in numero. Is Eboræ, cùm iure decidendum, neſcio quid, ab Ioanne precaretur, eo abnuente, prælicenter iram euomuit; quòd Rex iniquiſsimo animo tulit, & Rodericum mox abſcedere ſubirato, ac minaci vultu iuſsit. Vix terga dederat, ecce tibi ad ſe rediens Ioannes cum aliquot ex aulicis, qui aderant, ad Rodericum ſe confert, & beneuolè poſtulato ad meridiandũ lectulo, conquieſcit. Euocat deinde Ioannem Soſam Roderici filium, eoq; præſente ad patrem cõuerſus; Quæ nuper, *inquit*, Roderice, coràm me iactaſti, malè idcircò non potui, non mulctare, quia vt Regem me, non vt priuatum offenderant: è contra ſi forent, æquo te, ac Ioannes, qui adeſt (Roderici filium digito monſtrabat) animo tolerarem. tamen nihilominus, ac Ioannis huius loco eſſem apud te, precor, vt mihi ignoſcas nuperam magnoperè dolenti aſperitatem. Ad extremum pomeridiano tempore, cùm reliqui ad Regem proceres confluxiſſent, ipſe propalàm honoris ergò, inter Rodericum, ac Ioannem eius filium, medius in aulam redijt. Is erat Ioannes, hæc illius ciuilitas, quam præcipuè in famulorum colloquijs oſtendebat, cùm de familia, rebuſq; familiaribus vnumquemque rogitaret, ac patrem potiùs, quàm Imperatorẽ agere videbatur. Inde factum, vt Iſabella Caſtellæ Regina ſuo rem hanc teſtimonio confirmaret. Hortabantur virilis animi fœminam proceres, vt Luſitano bellum inferret; rogantiq; ſuorum, ac Ioãnis militum numerum, cùm ſibi duodeuiginti, Regi verò ad octo millia reſponderent: At nos, *inquit*, milites; Ioannes filios numerat.

*Paterni affectum vnà cum maieſtate egit.*

Nec ea tamen re Imperatorium faſtigium demittebat, & cùm ſumma eſſet apud omnes in reuerentiâ, ſolo intuitu plures ipſe in turba, quàm faſcibus oſtiarij, vel prætores viâ decedere compellebat. Neutiquam patiebatur, ſi quis eum priuata etiam familiaritate coniunctiſsimus, pro Regi dignitate non tractaret. Ad literis de more ſubſcribendis interum Crati Prior, magnâ authoritate vir, & Regi chariſsimus, aperto ſemel capite vtpotè à tergo acceſſerat.

quē cùm Ioannes cōſpicatus eſſet; Abſcede, *inquit*, Prior; Regi auerſum nihil eſt. Conſiliarios libentiſsimè cùm audiret, ac de maioribus etiam negotijs conſuleret, id verò ſummoperè cauebat, nè quis eorum Regem à ſe regi, aut in alienam ſententiam diſtrahi putaret. Tolerabiliora eſſe dicebat, priuata Imperatoris peccata, vel grauiſſima; quàm ſi alterius arbitrio Rempub. contra popularium commoda, Imperatoriamq́; maieſtatem gubernaret. Ioannis hunc ſtomachum Anglicæ Reginę frater, & Scalarum dynaſta ſententioſè admodum prædicabat. Reuerſus quippe in patriam ex Hiſpania, & rogatus à Leuiro, quid præſtantiſsimum vidiſſet; Virum Luſitanum ſibi ante omnia placuiſſe reſpondit, cui, vt obtemperabant omnes, & nemo imperabat, pulcherrimo elogio, id de vno Ioanne affirmans, quòd Pyrrhi quondam legatus de Romana ciuitate vniuersâ. Nec defuêre, qui hanc eius intuenda dignitate conſtantiā muſsitabundi alieno vocabulo riualitatem appellarēt: perindè ac ſi, quibus præditus erat magnitudo animi, prudentia, virtus, & rectè factorum tranquilla conſcientia, quamlibet diffidentiā, à qua longiſsimè aberat, ſuperare non poſſent.

*Aequitas eiuſdem.*

Peractâ ſemel confeſsione, rogare (qui mos ille erat) Sacerdotem ita cępit; Hæc mihi, pater, meorum ſcelerum anquirenti occurrêre: ſi quid præteritum eſt, quod ipſe nôris, per Deum obteſtor, vt indices. Tum verò ille; Literas, *ait*, conceſsiſti Algarbienſi homini, quarum authoritate factum eſt, vt quidam alius quingentorum aureorum latâ ſententiâ mulctaretur. Ad hoc Ioannes. Ità planè, *inquit*, factum: ego tamen id falsâ relatione deceptus commiſi. cæterùm veritate poſtmodum compertâ, nè literas nouo diplomate reuocarem, homini clàm accerſito damnum reſarcij, & imperaui, nè diſſeminaret. Hac nempe erat animi confidentiâ, & in omnes æquitate; cuius etiam vulgò ſeruantiſsimus, nec immeritò habebatur. Etenim iure dicundo, ſine litigantium reſpectu, id, quod æquiſsimum erat, nō tetricè, aut pro ſumma poteſtate, ſed incorruptè pronunciabat.

*Et clemētia in perſonas præſertim aliquâ laude conſpicuas.*

Nec minor in clementia, quoties in capitalium cauſarum tribunali aderat, Senatoribus identidem mandabat, vt reos ſummâ cum parſimoniâ condemnarent: quippe quod vir quilibet difficulter, ac nonniſi magnis ſumptibus educaretur: Inſulas ſibi eſſe multas, quas colere, & habitare maius operæ prætium foret; Ibi exulare poſſe. Vndè ſi qui capite plectendi, eximijs viribus, aut quauis aliâ laude conſpicerentur, incolumitate, ac veniâ libentiſsimè donabat. Eam humanitatem duos in fratres germanos oſtendit, qui ad oppidum *Portel* proſcripti graſſabantur. Ad hos capiendos, ligandosq́ue miſſus Prætor, & Satellitum non exigua manus; quibus impreſsione factâ graſſatores, adeò ſtrenuè repugnârunt, vt capi, niſi iam defeſsi, & grauiter vulnerati non potuerint: tandem in ſuſpendium adacti ſunt. Quod vbi Ioannes accepit, indignè prætoris ſententiam verbis aſperè punijt, illud maximè incuſans, quòd magis è Repub. Deique obſequio videretur futurum, ſi tam ſtrenui milites, non in crucem, ſed in Africæ præſidia mitterentur. Hoc genus exempla multa edidit, quæ nimis longum eſſet percurrere.

*Exemplis declaratur.*

Et verò cùm artes alat honos, hac tempeſtate Luſitani bellicâ virtute inſignes eſſe, viderique affectabant, vtpotè quos ad id decoris tanta Regis beneuolentia non mediocriter excitabat. Accipe non extrarium, aut vulgare Chriſtianæ pietatis argumentum. Aderat Eboræ in Capitalium rerū Senatu, cùm aduersùs homicidam laquei ſententia pronūciaretur. Is audito iudicio, Regisq́; ad genua prouolutus; Quartus decimus, *inquit*, Domine, agitur annus, ex quo in carcerem coniectus ſumidum mihi, quibus iudices poſſem corrumpere ſuppetebant, capitis diſcrimen euaſi: nunc, vbi res familiaris tota largiendo exhauſta eſt, ad necem non tàm ipſe, quàm coniunx, liberique mei, quibus ad vitā alendam nihil ſupereſt, rapiuntur. hoc ſi maturiùs fieret, quāuis ego morerer, certè viuerent illi. Tum verò Ioannes audita ſupplicis querimoniā, ingemuit ex intimo ſenſu, Senatoresq́ue reſpiciens; In vos, *inquit*, hæc pœna æquiori iure conſtitueretur; neque impunè dimitto, & in palatij ædificia emancipato denarium per ſingulos dies in mercedem rependi iuſsit. En Ioannis integritatem, clementiamq́ue; quarum altera, non minùs in ſequentibus elucet.

*Editas à ſe leges, Ioannes exactè ſeruat.*

Doctus prætorem quendam ità eſſe affectum, vt litigatores ægrè ad cauſam, munera verò impudentiſsimè admitteret, euocato ad ſe, cum alio, qui vix eſſet reipub. peropportunus, acriter tantùm comminatus; Heus, *inquit*, Prætor in poſterum caue; & manus ad munera præcludito, litigātibus oſtium aperito. Sed hæc nimirum in res alienas Ioanni cum alijs ferè communia fuerint; illud fortaſsis peculiare, quòd in proprijs, ac domeſticis eandem retineret æquitatem: adeò, vt non rarò liberaliter eos acceperit, qui contrà ipſum pro iure, ſententiam tulerant. Planum fiet vno, vel altero exemplo. In lite magni ponderis, & momenti, quæ ad Regem pertinebat, nonnulli è Senatoribus Iudices fuêre honorarij, qui & contrariæ parti rem intrepidè adiudicârunt. Id vbi Ioannes accepit, non ſolùm boni conſuluit, ſed eum etiam Senatorem, qui prior ita fuerat arbitratus, vberi congiario affecit. Digna profectò res hæc ingenti admiratione, ſed propior miraculum eſt, quæ ſubſequitur. Etenim ac ſi Regi morigerarentur, iidem Senatores, cùm litem præfecto Minæ (Guineæ vrbs eſt, quam S. Georgij vocant, à mineralibus nomen mutuata) Regni, ſeu Coronæ procurator intendiſſet, pro præfecto conſtantiſsimè deciderunt. Vix erat ſententia declarata, cùm ex arbitrarijs vnus impigrè Ioannem adit, & in morem fauſta nunciantis Euangelia poſtulat, quæ ni retulit, certè adeò humaniter exceptus eſt, vt Regis aſpectus ipſe pro mercede ſupponi videretur. Cæterum, quia cauſa integrum annum durauerat, inſtrumentum accuratè inſpici, & exquiri iuſsit, an præter ea actorum diſpendia, vel quid aliud præfecto reſarcire teneretur. Ità nempè Ioannes immoderatis etiam tum affectibus imperabat, cum integritate, zeloq́ue prætexebantur, quo multi nomine libidines effuſiſsimas diſsimulant.

*Vitia inſequitur bonos & eruditos honorat.*

Attinebatur in cōmuni carcere Olyſsiponenſi aduena quidam, damnatus ad necem. Is mortuum ex compoſito mentitus, elatusq́ue, è feretro, nactus occaſionem, auolauit. Nec mora, fugit, & carceris præfectus, vt qui culpæ affinis eſſet: eo tamen diligenter inueſtigato, ac deprehenſo, Ioannes Senatoribus de re deliberaturis adfuit. ad cuius arbitrium cum paribus vtrimque ſuffragijs extremam ſententiam iudices retuliſſent, ancipiti cogitatione pauliſper defixus hæſit, moxq́ue; Ego, *inquit*, hunc hominem ob ſceleris atrocitatem capitis damnare ſummoperè cupiebam; cęterùm cùm mortis, ac vitę paria ſuffragia ſint, Regis non eſt ad inclementiam propendere. Quapropter vitam concedo cùm mortē vehementiùs exoptarem. Hæc ille, qui & exercitam in alios iuſtitiam, velut vnus è plebe ſeruabat inprimis; & conditis à ſe legibus, perindè ac teneretur, obtemperabat. Id verò ſæpè, multisq́ue in rebus palàm fecit. Edicto prohibuit ſericas veſtes & aureas: quibus & inpoſterum abſtinuit. Interdicto mularum equeſtris vſu, mulam deinceps, valetudinarius alioqui, non inſcendit. Talorum, & aleæ, cæteriſq́ue ludis à ſe vetitis deinde temperauit; quorum ſtudioſos, & vanè deierantes crudeliter inſectatus, adeò eſt, vt Olyſsiponenſe alearorium Iacobi Pirij ad forum Palearium in meridiana luce incendi iuſſerit, cum publico infamiæ præconio. Quo facto iacentem ciuitatis diſciplinam non mediocriter erexit. Vitia verò vt perſequebatur hoſtiliter, ita virtute, literis, cæteriſq́ue bonis artibus eruditos, & præcellentes omne genus opifices in pretio habebat. Matronas præſertim viduas, honorificè accepit, quibus & faciles, ſed in templis, & omnium conſpectu præbebat aures. Item equites, quorum operâ in bello vtebatur. Horum laudes prope quotidiano ſermone prædicabat, quòd in Taurenſi prælio à ſuo nunquam latere diſceſsiſſent, Galeculisq́; (vulgò Sardinias appellā) ſimiles eſſe dicebat; multos, iucundi ſaporis, & paratu faciles.

*Veracibus plurimùm fauet.*

Super omnes tamen ijs plurimùm fauit, quos veraces eſſe comperERAT. Defuncto aulæ Oeconomo, cùm multi è nobilioribus ad vacuum locum, vtpotè grauiſsimum, aſpirarent, vim detulit Ioanni Meneſio, qui Principis





domum, ditionemq́; ante rexerat, & Taroquæ poſtea Comes, Cratenſiſq; Prior fuit. Aulicis verò eam rem, vt malè ordinatam, & à communi opinione alienam, quaſi obijcientibus in colloquio; Ideò, *inquit*, Ioannem ad hoc muneris cooptaui, quia mihi vera potiùs, quàm dictu ſpecioſa ſemper inculcat. In ordinando Reipub. ſtatu, deligendiſq; ad officia miniſtris non ſolùm prudentia prope diuinâ præditus erat, & omnium mores, ingeniaq; penitiſsimè diſpiciebat; ſed etiam, vt nè quid in cooptando aberraret, priuatos habebat codices duos quorum in altero, ſuâ ipſe manu ſubditorum merita, & beneficia, quibus eodem remunerari poſſet, exararat; alter Optimatum, & Equitum nomina, ingenitaſque dotes continebat; ſingulos præterea munerum titulos ad quæ vnumquemque idoneum iudicabat, aſcripſerat: alijs artium præfecturas, & legationes, alijs magiſtratus, vel imperia deſignans. Vnde oriebatur, vt neque homines ad officia deſideraret, neque in deligendo, & conſtituendo, temporis multùm inſumeret. Inde etiam multa nec petentibus, aut opinantibus beneficia conferebat; alijs verò petentibus, multo ceu iam ijs collata, quibus animo & codice præſtituerat, denegabat. Hanc verò animi ſui prouidentiam non minus in abſentes propagauit. Cōmoranti enim Hieroſolymis Aluaro Caſtrio, Regiarum facultatum œconomiā deſtinauit. Moderamen domus, quam Luſitani vocant ſupplicationis, Algarbiorum Epiſcopo decreuit, cùm is tempore in vrbe non eſſet. Equitem de ſuis mandatis negotia procurantem in Africa, delegit in ſenatus Olyſsiponenſis ſcribam. Quo, re confectâ reuerſo, & Regem de more adeunte; Saluam, *inquit*, Ioannes, familiam reperiſti, nam & mihi curæ fuit, idipſum ſæpenumero cognoſcere. Ergo abi; & officij litteras confice tibi à me ideo reſeruati, quia præter dignitatem quæſtuoſum eſt. Aegerrimè ferebat, ſi quis è miniſtris aliquid ab eo per alios impetrare niteretur. Vnde Ferdinando Caprali, ornatiſsimo viro demortuo, cùm ſuperſtes filius Vaſcus Fernandius præſtantiſsimi Dynaſtæ cuiuſdam autoritate paterni cenſus nonnihil à Rege flagitaret, ad pręſens conſtantiſsimè abnuit; obuiam deinde factum in palatio adoleſcentem, cùm ſatis agnoſceret, diſsimulanter, quo patre natus eſſet interrogauit: mox audito patris nomine, quaſi reſipiſceret: *Cur ergo*, inquit, *petere à Rege neſcis, cui deſeruire noſti?* Penè immenſum laborem ſubirem, ſi huiuſcemodi omnia proderem, quæ in excellentiſsimo Rege paſsim reperiebantur: Ioannes enim eo in ſuos erat animo, vt non ſolùm cuiuſque merita æqua lance penſitaret, ſed præſtantes etiam viros, fauendo, laudandoque alijs redderet amabiles, & acceptos. Fidem facit Rodericus Soſa, inter proceres hoc tempore non obſcuri nominis. Regem hic Olyſipone grauiſsima neceſsitate oppreſſus adijt, cui ſubleuandæ quinque, ſexue aureorum millia ſibi opus eſſe cùm affirmaret, à Ioanne precatus eſt, vt ſe in platea noua honorificè aliquo modo tractaret, quo ab intuentibus mercatoribus faciliori negotio mutuaretur. Annuit poſtulatis Ioannes, & mox inſcenſis equis, per eandem cum Roderico plateam familiariſsimè vnum vel alterum ſpatium fecit, ſubindeq; Sat in hoc, *inquit*, Roderice? Ad id Soſa, Regem ritè ad quem veneratus eſt, gratiaſque egit: nec fruſtrà: poſtero enim die optatè cecidit. vt Roderico, quam ipſe deſiderabat, ſumma offerretur.

*Suorum decus reparat.*

Nec tantū fortunas, decus etiam, dignitatemque ciuium exhibito fauore reparabat. Semel inter epulas, cum ei à poculis eſſet Petrus Mellius, eximiæ fortitudinis eques, vrceus tremebundi pollicitatoris è manu fortè cecidit. adrident aulici, ſed vultus inſita maieſtate Ioannes; Quorſum riſus iſte? *inquit*. Mellio, ſi vrceus tūc, at numquā telum excidit è manib. quæ nōniſi potum porrigendo tremuerunt. Eo dicto conuerſum in melius eſt, omē: ad eū propè modū, quo Cæſar exſcēdēs è naui, caſuq; prolapſus in terrā: Teneo te, *inquit*, Africa.

*Bellicam virtutem amat.*

Bellicæ virtutis amorem, & in equeſtri ordine magni æſtimabat, & cæterorum omnium pectoribus inſerere cupiebat. De negotio agens cum Martino Albicaſtrio, Regiarum facultatum præfecto, in aulam exteriorē omnium ordinum corona frequentiſsima plenā deuenit, ibiq; ſermone de repentè mutato, & voce conſultò intenta, quaſi deliberans aliquomus alium repulſa notaret, Nullum, *inquit*, in hoc hominis beneficium collocabo, quippe qui haſtam manu, vel gladium tractare prorſus ignoret. Id, quod ideo iactauit, quia circumſtātibus documenta dare, & ſtrenuus audire cupiebat. An verò eſſet ſatis, Carolus Galliarum Rex dicto declarauit: qui cū ferè oēs totius Chriſtiani orbis Principes in ſe coniuratos audijſſet; Nihil curo, *inquit*, ego enim, ſociuſque Ioannes Luſitanorum Rex, huic profligando bello, quin & orbi terrarum debellando pares ſumus.

*Miſeris, & afflictis ſubuenit.*

Cæterùm Ioannes pietatis ad omnes titulos munificentiſsimus, orbas puellas in matrimonium collocabat: vindicabat ex ſeruitute captiuos, viduarum egeſtati opitulabatur, & in hæc, aut alia piè miſericorditer que facta grandem pecuniæ ſummam erogabat. Eboræ rei diuinæ interfuturus cùm Virginis ad Spinetum adiret, flagrantiſsimo in æſtu in Cœnobium inſigne illud, iuſſo abire comitatu, ſe recepit: poſteà verò cùm egreſſus quatuor equites pro foribus offenderet, ijque Regem pone ſequuti, ventilato ad inceſſum puluere conſpergerent: Quarè cum cæteris, *inquit*, non diſceſſiſtis ad prandium, vt mandaui? Næ mihi nunc ſparſo puluere moleſti non eſſetis. Tum ex ijs vnus; Quibus, *ait*, Domine, prandium domi erat, eò ſe proripuerunt: nos manſimus, vtpotè quibus deeſt. At ille; Rectè, *inquit*, ego dabo: eodem die hominem perpetuo Commendæ cenſu locupletauit.

Eius in Flandria procurator, Maximiliano Romanorum Regi, xxx. aureorum M. in auxilium ſummæ neceſsitatis erogârat. Is poſtmodò, cùm facti pœniteret, celeriter emiſſo nuntio, non tàm Ioannem de anteacta re certiorem reddidit, quàm veniam deprecatus eſt, quòd eo inconſulto feciſſet. At Ioannes gemina benignitate non ſolùm procuratorem non increpuit, ſed collaudato etiam gratificatus, mille aureos liberaliſsimè donauit, illud ſubinde monens, vt ſi opus eſſet totam pecuniam ſimiles expenderet in occaſiones. Exteris in Regnis, prouincijſque variè multos habuit, qui ab eo munificè accepti, ſalutaribus Reip. monitis beneficia referebant. Multa prætereà memoratu digna geſsit: quippe in Congi regno ſuis primùm armis tentato, templa condidit, in quibus ſalutari aqua Rex ipſe, liberique, præter aliam Ethnicorum turbam luſtrati ſunt. Inſtructiſsimis nauibus inclytum Bonæ ſpei promontorium, Conquiſitionis Indicæ ianuam patefecit. Orientalem deindè plagam cùm Aethiopiam vſque, terreſtri quoque, ac periculoſo itinere exploraſſet, ingenti apparata claſſe, Stephanoque Gama, & Vaſco eius filio, ducibus in expeditionem deſignatis, Indiam cogitabat, quam latum interueniens ſucceſſori Emanueli reliquit. Ad veteres Regum titulos Guineæ dominationem addidit. Regium ſtemma, in eam, quâ nunc eſt, formam redegit: Auiſiana Cruce adempta, nummis ad ſingula ſcuta appictis quinque: ſeptemque rubricato in margine caſtellis: cum anteà incerto numero notaretur ad cuiuſque arbitrium, & nummis tricenis vnumquodque cælaretur ſcutum. In Africam, & ipſe proficiſci volutabat animo: ſed rerum perturbationibus impeditus, eodem quinque circiter claſſes feliciter expediuit. Eæ Maurorum ingenti edita ſtrage, aliquot oppida manu ceperunt. Vrbem Tingimi, & alias Mauris ex aduerſo finitimas ſepſit munimentis. Azamorum recepit in fidem, alofarum decem mille imperato in ſingulos annos ſtipendio: dumque vixit, exacto. In Diui Thomæ Inſula, Coloniâ deducta, Iudæorum filios collocauit in ſeruitutem redactos, quod ad præfixum tempus non emigrauerant: ea quippe conditione ipſorum parentes in Luſitaniam ex Caſtella conuenerant. Olyſipponenſe noſocomium ad omnes ſanctos magnificum Chriſtianæ pietatis opus anno 1492. Idib. Maijs, nūmis aureis liberaliter in

primum fundamenti lapidem ſparſis, inchoauit. In eborenſi agro multorum fontium ſcaturigines coemit, vtaquæ ductum ab illius morte conditum, extrueret. Multa præterea toto regno, ſũmæ pietatis & magnificentię necnõ ſempiternæ memoriæ reliquit monumenta. Inuidia, vltimus ſemper hoſtis ei fuit, & ſuperatu difficillimus, vndè magnatum odio laborauit inprimis.

*Aliquorũ impudentem licentiam reprimit.*

Nam cùm initia inter principatus comitijs inſtitutis, multorum impudentem licentiam reprimere conaretur, potentiorum animos exagitauit in ſtatuenda priuatæ, ac liberioris cuſtodiæ diſciplinâ quæ hodieq; retinetur; ad id verò temporis incerta erat, incertiſq; definita liminibus. Pati præterea Dinaſtæ non poterant, vt Regis prætores de ſuis Auditoribus quærerent; & cognoſcerent, cùm id populus ad eorum inſolentiam, comprimendam, tollendoſque errores conſtantiſsime poſtularet. Inde ergo factũ non ſemel, vt Brigantinus Dux, & alij tamquam deliberabundi clanculum eâ de re colloquerentur, ægrè ferente Ioanne, qui deprehenſis aliàs manifeſtæ perfidiæ veſtigijs, ratus id ſatis ad res componendas fore, Ducem officij ſui commonere conſtituit. Igitur Miſſæ peracto ſacrificio, & argumento à loci, ac temporis religione, arctiſsimaq; inter ſe neceſsitudine deſumpto, remotis arbitris cum eo beneuolè expoſtulauit. Cæterũ paucis pòſt dieb. cum autographas eiuſdem litteras accepiſſet, in quib. clandeſtina de rebus ad maieſtatem pertinentibus conſilia cũ Caſtellanis conferebãtur, omnia publicâ fide, & autoritate comprobauit. Domo deinde ſua in cuſtodiam data, homines vtriuſque iuris conſultiſsimos Eboram toto è regno conuocauit; ex quibus cùm patronos deligendi poteſtatem Duci feciſſet, reliquos de re pro regni legibus, imperijſq; decidenda iudices conſtituit. Id verò non clanculum, ſed palàm: cum maximè Rex ipſe, Duxq; ſingulis iudicijs intereſſent. Et quãuis non pauci, & potẽtiſsimi Dynaſtæ intercederent, ad eorumque preces Ioannes inclinaret animum, ſtatuit nihilominus, vt ſententia proferretur. Quæ, cũ eſſet capitalis, non ſine magno funeris apparatu, & Chriſtianæ pietatis argumentis in foro maximo ritè cæſus eſt. Etenim priuſquam ſecuri percuteretur, inuicta animi ſublimitate, quin crimen faceretur, aut inficias iret, non antè exoratam à Rege veniam, iugulum ferro patefecit. Extincto Duce, mox illius opes confiſcatæ, & priuatæ ditionis oppida in Regiam poteſtatem, ſine vi, aut armis redacta ſunt. Eâ cæde velut deterriti multi Brigantinæ familiæ proceres, ac neceſſarij in Caſtellam trãſfugerunt. In quibus Mõtis maioris Marchio, extincti Ducis frater, cuius in Ioanne ſuggillãdo libertas, & linguæ intemperantia cum huic, tum alijs, hoc genus viam fecit ærumnis, quarum ingenti dolore confectus, miſerabiliter animam exhalauit. Certo enim audierat ſe (ſimulachro ad viuum effícto, ſanguinis etiam imitato profluuio) ereptis per ſummum dedecus, & ignominiam Comitis Stabilis, ac Marchionis inſignibus, propalam Abrantzij, non ſine perfidioſi elogio fuiſſe decollatum. Paucis deinde poſt annis occulta contra Regem coniuratio detecta eſt, cuius author & caput, Ioannes Viſenſis Dux Ducis enecti leuir, ac Reginæ frater extitit. Hunc Ioannes poſt compertam liquidò, & ritè conteſtatam rei veritatem, ſuo ipſe pugione Cetobricæ confodit; Emmanueliq; eiuſdem germano, omnia illius bona, quæ ad fiſcum pertinebant, liberaliſsimè donauit; quem etiam teſtamento regni hæredem reliquit, omiſſo Georgio filio ſuperſtite præter matrimonium, ex Anna Mendozia primariæ nobilitatis fæmina ſuſcepto.

*Grauiter decumbẽs, Eccleſiaſticis Sacramentis munitur.*

Ad extremum non ſine veneni ſuſpicione valetudinarius, Alboriumque delatus ad balnea, morbo ingraueſcente, domeſticos rogauit, vt ſibi vera, & certa de ſuæ vitæ ſtatu renunciarent. & quoniam teſtamentum ante condiderat, impendentis fati certus, peracta cõfeſsione, & Chriſti corpore accepto, ſacra etiam delibutus vnctione, magnam interea vim lacrymarum effudit. Mox veniam ab vxore, ſocru, Georgio à Coſta Cardinali, Eccleſiaſtico, & Equeſtri ordine, ac populo, infimis precibus; nec ſine aliquot errorum conſcientia petijt. Multos deinde officiorum, remiſsionis, perpetuique alimenti, aut alijs beneficiis, diplomata, ſua ipſe manu ſubſcribens, pro meritis cumulauit. Aderat moribundo Ioannes Camelus, qui Algarbienſis Epiſcopus, dignitati exemplo non faciebat ſatis. Hunc ergo Rex intuitus, Præſul tuis ego perperam factis, *inquit*, grauiter obſtrictus, & oneratus excedo. In poſterum propter me, te quæſo, vitam rectiùs inſtitue, atque ita futurum data mihi dextera, fideque pollicere, datam deinde accepit.

*Feliciter obdormit in Domino.*

Neque illud ſilentio prætereundum fuit, quod eodem tẽporis contigit articulo. Nã litteras ſubſcripturus perennis Annæ Mendozæ, de qua nunc memini, cenſus; lacrymis vbertim manantibus, & calamo per neglectum remiſſo ſuſpirans; *Ah quam nocens*, inquit, *animal fui, cum non didicerim.* Vltimo iam in ſpiritu guſtus amaritudinẽ quærenti, Conimbricenſis Epiſcopus ſuggeſsit, vt Chriſti in cruce ſitientis fel, & acetum recoleret. Tum Ioannes; Quantas, *inquit*, Antiſtes poſſum tibi gratias habeo. id mihi, totam Chriſti Domini paſsionem repetenti, exciderat è memoria. Epiſcopis deinde Pſalmorum preces fundentibus, ipſe verba præeuntium ſequebatur, donec euaneſcente anima, VIII. Calend. Nouembr. anno ætatis XL. menſe VI. Principatus XIIII. menſe II. Alborij in Algarbienſi regno ſæpiſsimè inuocatis IESV, & MARIAE nominibus, in illis tandem verbis: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere mei*, féliciter expirauit.

*De eius morte Luſitania tota, & aliæ nationes quoq; dolent.*

Tanti Principis in occaſu ſupra fidem tota Luſitania miſerabiliter indoluit; quippe quem ſingulari beneuolẽtia proſequeretur, & ſuas delicias, amoremque velut orbis totius Titum Roma quondam, potiori iure poſſet appellare. Nec immeritò: Ioannes enim, cum ſuam erga ciues charitatem, multis conteſtatam beneficentiæ monumentis reliquiſſet, eam tunc omnino comprobauit, cum (addito lemmate, *Pro LEGE, & GREGE*) pulcherrimum Pelicani ſymbolum pectora laniantis, & ſanguinem in pullorum propinantis alimenta, certiſsimum pientiſsimi animi legit argumentum. Communem ergo cladem publico teſtata luctu Regni caput Olyſippo, ſequentibus mox alijs ciuitatibus, ſenatusconſulto vetuit, nè quis ad ſemeſtre vſque ſpatium tonſor operam locaret. Sed Luſitaniæ finibus contineri dolor immenſus haud poterat; peruaſit orbem, & remotiſsimas etiam nationes, quò Ioannis glorioſum nomen; & fama penetrauerat, affecit. Iſabella Caſtellæ Regina, cùm Ioannem fato functum accepiſſet, Obijt, *inquit*, homo; illum eo nomine per antonomaſiam ſignificans. Georgius item Cardinalis, de quo ſupra, vir omni laude cumulatiſsimus, qui, cùm patris ipſius beneficio ad ampliſsima quæque perueniſſet, in Ioannem tamen inimico erat animo, extinctum audiens, corã præſtantiſsimis Dynaſtis, Optimũ Regẽ, optimi hominis filiũ appellauit.

*Signis claret.*

Quarto poſt obitum anno, à Sylueſi templo maximo, Bataliam (oppidum eſt à commiſſo ibi prælio nomen habens) ad antiqua Luſitanorum Regum mauſolea pompaticè transferendus, integro adhuc corpore, barbâ, & capillamento inuentus eſt in conditorio, nec ſine iucundiſsimi odoris fragrantia incorruptus; cum tamen eodem temporis ſpatio tabulæ, tapetum, & linteum, ex nimio viuæ calcis iniectu ſemeſa conſpicerentur. Perſeuerauit ad noſtrã vſque ætatem, eo modo, cum Sebaſtianus Rex, iuſſo aperiri mauſoleo, incorruptam Ioannis dexteram deoſculatus eſt. Et ſanè ad illius virtutes, & ſanctimoniam pro meritis æſtimandam, facere videntur multorum grauiter laborantium teſtimonia, qui ad contactum feretri, quo deportatus eſt (totâ quippè Luſitania eius ramenta ſacras in reliquias abierant) priſtinam valetudinem cæleſti beneficio recuperãrunt. *Antonius Vaſconcellus in anacephaleos. Nonius de vera Regum Luſitaniæ origine, & religione.*

*Ioanni Regi ſufficitur Emmanuel.*

Mortuo Ioanne, Regium Luſitaniæ inſigne publico omnium conſenſu, ad Emanuelem, vti opus erat, delatũ eſt. Salaciæ eo tempore agentem, Regiaque vexilla, eius nomine ingeminato more gentis ſublata, explicataque ſunt. Regno adepto, mox Legatum Romam miſit, qui ALEXANDRO Pontifici maximo, nomine illius fidem obligaret, totumque Luſitaniæ regnum, vt Chri-



vt Chriſtianum Principem facere oportebat, voluntati ipſius Pontificis addiceret. Quod vt cum maiore dignitate fieret, Georgium Coſtam, Cardinalem Luſitanũ, hominem autoritate ſumma præditum per litteras rogauit, vt nomine illius hoc officium exequeretur. Cardinalis igitur, Emmanuelis nomine fidẽ Romæ publicè dedit, Emmanuelem ſemper in Pontificis obſequio futurum, & fidem per omne vitæ ſpatium erga Sanctam Romanam Eccleſiã ſummo ſtudio retenturum, & pro illius ſanctitate, quoties ità opus fuiſſet, pugnaturum. Fuit hæc fidei teſtificatio Pontifici valdè grata, literaſq; Regi ſatis amanter ſcriptas dedit, eique de regni ſucceſſione gratulatus eſt. *Mariana lib. 26. c. 2 Oſorius lib. 1.*

*Moritur Cardinalis Mendozius, Archiepiſcopus Toletanus.*

Eodem anno, Petrus Gonzalus Mendozius, ex Segũtino Epiſcopo, primùm Hiſpalenſis, deinde Toletanus Archiepiſcopus Cardinalis, poſtquam in ſumma apud Reges Catholicos gratia, & autoritate vixiſſet, in humanis eſſe deſijt. Submotis ante mortis horam arbitris, cum eum Ferdinandus, & Iſabella Reges de multis reipub. neceſſarijs rebus conſuluiſſent, inter alia de ſuo ſucceſſore delegendo pronunciauit, vti mediocris conditionis hominem, modò is integritatis, prudentiæ, grauitatis, & doctrinæ dotibus præditus eſſet, in Pontificatum Toletanum ſufficerẽ: eam eſſe, inquiens, eius ſedis amplitudinem, & potentiam, vt haud tutò committeretur, cui & natalium ſplendor, & numeroſæ familiæ patrocinium eſſet. Afferebat autem in exemplum, quantũ moleſtiarum Alfonſus Carrilius illis exhibuiſſet, Regi Caſtellæ adhærens. Habere eos virum omnibus numeris ad eam dignitatem obtinendam abſolutum, Franciſcũ Ximenium, Franciſcanorum ſodalium prouincialem, quem ſibi demortuo ſucceſſorem darent.

*Franciſcũ Ximenium, ſucceſſorem habere ſatagit.*

Natus eſt is nobili, & vetuſta Ximeniorum familia, patre Alfonſo, matre Mariâ; & ingenuis artibus eruditus, Romæ cauſis actitandis adoleſcens operam, viuente adhuc patre dedit. In Hiſpaniam reuertens cùm Pontificio de expectatiuis diplomate, Archipresbyteratum Vzedanum obtinuiſſet, multas propterea à Carillo Archiepiſcopo calamitates, in vinculis, & carceribus paſſus, indidem in carcere Vzedaniæ arcis nonnihil conſolationis habuit, à quodam Sacerdote concaptiuo, qui diuinare viſus ei dixit, Depone mœrorem, quo angeris, vir optime. Nam in hoc ipſo, quo teneris vinctus cubiculo, Ioãnes Zerezuella, grauioribus vinculis conſtrictus, acerbiorem cuſtodiam paſſus eſt; cui ad Pontificatum Toletanum aſſumpto, rerum præteritarum & iniquæ ſortis memoria iucunda fuit. Quin poſtquam tuæ frontis probitatem, totiuſq; corporis dignitatem ſum contemplatus, talem ſibi commutationem futuram animus mihi iamdudum diuinat. Emiſſus è vinculis Ximenius, beneficium à Sede Apoſtolicâ obtentum, cum Seguntino tenuiore cõmutauit; vbi Hebraicæ, Chaldaicæq; linguæ operam dedit, totumq; ſeſe ad diuinarum litterarum ſtudium conuertit: mox Petri Gonzali aliquando Seguntini Epiſcopi, Vicariam Epiſcopatus functionem citra omnem labem adminiſtrauit: Inde perfectionis, & quietis ſpiritualis auidus, omnibus, quæ poſſederat, renunciatis, Diui Franciſci inſtituto ſe mancipauit, iam tum Gonzalo dicente, magnum virum Ximenium eſſe, & augurari ſe, ab illo cænobio ad præclariſsimam aliquam dignitatem abducendum. quod ſi eueniret, in magnum ceſſurum totius Reipub. Chriſtianæ emolumentum. Toleti monachus factus, tanta continuo, tamque præclara veræ pietatis documenta dare cœpit, vt breui de ſe Sanctiſsimi, viri opinionem excitarit. Sed offendebat hominem tranquillitatis percupidum, celebritas loci, quò frequens, & virorum, & fœminarum turba varijs de rebus interpellantium quotidie confluebat. Ergo vt ad ſolitudinẽ quandã mitteretur, magnis precibus obtinuit. Quare in anguſtam quandam perpaucorum Sodaliũ domũculã, nõ lõgè à circũfuſa frequentiũ caſtaneorũ ſylua Caſtanetũ vocãt, amãdatus eſt. Hic ille iã voti compos factus cæleſtẽ quandã vitã cępit meditari: ſatagebat corpus inedia, vigilijs, & labore attenuatum, animi imperio ſubigere: mentem precatione, lectione, & contẽplatione exercitam in ſublime attollere. Inuitabat ad hoc preter loci ſilentiũ ac ſolitudinẽ, lucus quidã vicinus tã proceris, & denſis arborib. vt vix internitentis ſolis dubiũ lumẽ per meridiẽ admitteret. Hic ſeſe ille penitiſsimè recondebat, vno duntaxat diuinarum ſcripturarum codice comitatus: vbi pòſt mentẽ ſacrâ lectione refectã, precationibus intentus, nunc poſitis genib. nunc herbido ſolo recumbẽs, totus à ſenſibus propemodũ abſtractus, in ſupernã regionem ferebatur. Multò poſt tẽpore humanis negotijs redditus, hãc ſolitudinẽ ſolebat requirere; & ſub aureis laquearibus, poſitus, tuguriolũ quod ad vitãdas cæli iniurias hoc loco conſtruxerat, ſæpenumero ſuſpirabat. Illinc nonnumquã à ſui Ordinis Magiſtris Toletũ euocabatur, quò ille inuitus, ſed tamẽ veniebat. Mirum aliquid accidiſſe fertur, dũ aliquãdo hoc iter faceret. Erat illi comes Sanctiacus ſui Ordinis frater, vir integritate vitæ, ac ſimplicitate Chriſtiana inſignis. Cũ multa nocte Aiotrinũ nõ lõgè à Toleto oppidũ perueniſſẽt, in frugibus ad triturationẽ paratis recũbentes indormierunt. Euigilauit Petrus, & Ximeniũ inclamãs; Te nunc, *inquit*, ô pater Archiepiſcopũ Toletanũ venerabar, galero etiã rubro inſignitũ. Deum precor, vt inſomnium à ſe, vt credo miſſum verũ efficiat. Ximenius nihilo ob id cõmotior; dormi, *ait*, obſecro; nã hęc ſunt mera sõnia. A Caſtaneto miſſus Salzedã (à proximo ſalicto nomẽ habet) nec amęnitate, nec ſolitudine priore caruit. Ibi multo incultiorem, & horridiorem vitam agebat. nã & vino abſtinuit, & nonniſi herbis elixis vſus eſt. Ibi Guardianus factus, exemplo potiùs quã imperio monachos in officio continebat. Nã & infima quæq; miniſteria ſibi vltro aſſumebat, & nonnumquã aliorum operã præſtabat. Id tẽporis, Granatẽſibus Mauris ſub imperium miſsis, Iſabella Regina Fernandum Talabricẽſem Hieronymianum eximia ſanctitate virum, quo à ſacris cõfeſsionibus vtebatur, ex Abulẽſi Epiſcopo Granatenſẽ factum Archiepiſcopum, diutius in aula retinere minimè potuerat. Ergo à Petro Cardinale, alium huic muneri idoneum quęrebat; qui mox Ximenium oſtendit, ſe tamen vereri affirmauit, nè homo priſcæ ſeueritatis, & ſanctimonię ſuã illã contemplationẽ quietã, & vitæ modum quãtumuis incultum, vellet conditione aliã mutare. Per aliã ſpeciẽ hominẽ euocari placuit: vbi cum Reginæ, quantus, qualiſue eſſet, ad omnia prudenter reſpondens demonſtraſſet, de munere Cõfeſſarij interpellatus, *iſtud onus ea ſe*, dixit, *conditione ſubiturum, ſi Regium comitatũ ſectari nõ cogeretur; ſe quoties ſuã operã Regina indigeret, venturũ eius iuſſu: mox tamen rediturum in ſuum cænobium*: nec aliud multis precibus à Ximenio obtineri potuit. Magna tunc erat Ximenij fama apud omnes Hiſpanos, ob eius ſanctimoniã atq; integritatẽ. Petrus Martyr Regum Catholicorum hiſtoricus, qui ſtyli ruditatẽ rerum à ſe traditarum fide egregiè compenſauit, in epiſtolis ſcribit eum ex abditis ſyluis extractum, vultus pallore, & ob vitæ aſperitatem totius corporis obducta macie, Paulum; qui Hilarionem eremi incolas, pòſt tot ſecula in lucẽ retuliſſe, magnãq; ſui admirationẽ apud Regios comites cõcitaſſe. Nec dubitabat Petrus Martyr ipſum Auguſtini acumine, Hieronymi abſtinentiâ, Ambroſij ſeueritate exornare. Addit præterea, ab eius ſodalib. iactatum fuiſſe, mentis plerumq; veluti exceſſu, aut cum cælitib. ipſis collocutum, aut certè rebus ipſorum contẽplandis occupatum, ſenſuum quendam ſtuporem, & alienationem ſubire ſolitum.

*Abalienationem ſenſuum patitur.*

Illud etiã à viris doctis memoratur; cùm de itinere laſſus eſſet, cõſediſſe propè aquæ riuulum: cuius comes inediã minus ferẽs (nam vterq; erat impranſus) modò nõ animam videbatur agere. Qui dum Ximenius, vt vires colligat, hortatur, & vt in memoriam Dei prouidentiã, & curã, quam habet de vilib. etiã paſſeribus, reuocet, vidiſſe fertur puriſsimum panẽ petræ, quæ riuulo imminebat, impoſitũ; quẽ inter ſe partiti, & aquâ ſũpta quod itineris ſuperabat, cõficere potuerũt. Factus paulò poſtiuę prouincię Prouincialis, eũ Magiſtratũ nõ inuitus ſuſcepit, quòd aſsiduis occupationib. religionis impeditus, haud ita frequen-

quenter ad Reginam, & aulam venire cogi poſſet. Sed nihilo rarius ob hoc ab illa accerſebatur: in cuius ſinũ non ſolùm occultas, animi noxas, quas in Deum commiſerat, ſed quicquid publica, aut priuata negotia moleſtiæ, aut ſolicitudinis incuſſerãt, familiariter, & confidenter effundebat; quæ cum ſemper maximis de cauſis in magna fortuna oriãtur, neceſſe eſt, vt mole ſua eos etiam quibus cum communicantur, obruant, aut ſaltem ingenti cura, & tumultu animos eorum impleant. In adminiſtrãda porrò prouincia, Frãciſco Ruizio comite vſus, (quẽ poſtea Mirobrigæ, deinde Abulenſem Epiſcopũ faciẽdũ curauit) eo, quo priuatus ſolebat apparatu, ſingula prouinciæ cõtubernia luſtrabat: hoc eſt, vnico dũtaxat Sodale viæ Comite, & aſello, quo & ſarcinæ nõnullæ portarẽtur, & defeſſus nonnũquã Sodalis veheretur. Ipſe.n. religionis ſuæ tenax, niſi ægritudo aliqua cogeret, ſemper iter pedibus conficiebat. Oſtiatim ab vtroque petebatur cibus, niſi illum nonnũquam ex itinere malè habentem, Frãciſcus Ruizius, vt quieſceret, moneret, ſibique eas partes concederet, orabat. Nã Ximenius ad hanc rem planè ineptus, plerũq; domũ vacuus redibat, & oleribus tantum veſcebatur.

*Prædicationis, & martyrij cauſa ad infideles proficiſci deſiderat.*

Aliquando dum Bœticã ex officij ratione perluſtraret, ad fretum Herculeum, vbi Calpe mõs eſt, quẽ nunc Gibraltarum ex corrupta Arabicâ nomenclatione appellant, appulit. Hic & Africæ terræ conſpectu inuitatus, & quòd iamdiu deſiderio teneretur, eò traijciendi, quòd & S. Franciſcum feciſſe didicerat, cœpit de nauigatione cogitare. Ardebat Ximenius, miro quodã deſiderio tranſmarinis hominib. Chriſtũ annũtiãdi, paratus ſupplicia, & mortẽ ſubire. At quoniã per viros religioſos certior factus fuerat, fœminam Ordinis ſui cultricem (ex his, quas vulgo Beatas vocant) bidẽ eſſe vitæ, & morum ſanctitate claram, & quæ Diuorũ præſentiâ ſępenumero frui crederetur; captato extẽplò fœminæ colloquio, ad eã rem, quã animo conceperat, eius ſẽtentiam prius requiſiuit. Deterruit hominẽ vates mulier, & vt à propoſito deſiſteret, effecit: Seruari.n. eũ ad res maximas perficiendas dicebat, in quibus grauiora certamina ſuſtinenda forent, quàm ſi inter Punicas nationes verſaretur. Retardatus Beatę dictis ſententiam mutauit; & è Bætica rurſus ad Reginã, quæ illũ p litteras, vt maturè ad ſe veniret, rogabat, in Caſtellã rediјt.

Accidit per id tẽpus ad Reginæ votũ de Ximenio apud ſe diutiùs retinẽdo, peropportuna occaſio. Cœperat.n. ille ſummo ſtudio cum Regina agere, vt quod iã à Regibus Caſtellanis tentatũ erat, atq; minima ex parte confectum, per delectos quoſdam Cenſores perficiẽdum curaret: qui corrigẽdis, atq; ad veterem diſciplinam reuocandis omnibus omnium Ordinũ per totam Regiam ditionem, tum virorũ, tum fœminarum monaſterijs, animum intenderent. Obſoleuiſſe cẽm alicubi priſci inſtituti ſinceritatem ingemiſcebat: maximè verò apud ſuos Minoritanos, quibus vt naſcentibus arctior quondam & ſanctior diſciplina fuerat, ita collapſis, & degenerantibus altior caſus, atque turpior contigerat. Nam præter vitæ licentiam, quæ ſanè labes communis propemodum eſſe videbatur, religioſis domib. pleraq; illorum ſodalitia aduerſus cõmendatam illã à D. Franciſco paupertatẽ, prædia vbiq; cum ruſtica, tũ vrbana, vectigaliaq; & cenſus obtinebant. Huius inſtituti, qui erant, Conuentuales fratres, & clauſtrales paſſim dicebãtur. Hi pleraq; omnia magnifica, frequẽtiſſimaq; incolebãt Hiſpaniæ monaſteria; illi verò, quos propter accuratiorem Ordinis ſui obſeruationẽ fratres Obſeruantes appellabant, pauca quædam, eaq; exigua cœnobia obtinebant. Per ſpeciem autem huius cenſurę quam illi viſitationem vocabant, hoc Prouincialis Ximenius agebat, vt Conuentualium Fratrũ Domus, vel prece, vel pretio, vel quacumque demum arte, atque aſtutia in Obſeruantium poteſtatem traducerentur. Ei negotio, quoniam cum opulentis, & potentibus aduerſarijs contendendum erat, cum ſe imparem eſſe videret R[egi]næ fauore decreuit vti, atque longius ſolito, apud ipſam morari: quæ ea de cauſa Ximenio longè beneuolentior, & æquior erat; & ipſe competitoribus terribilior, & formidoloſior. Quod ſanè conſilium pietatis quidem pleniſsimũ, grauiſsimarum tamen diſſenſionũ atq; turbarum fuiſſe cauſam conſtabat. Nam & ſtatim in Archiepiſcopum Toletanũ aſſumptus, nondum ea de cauſa, Prouinciali præfecturâ abdicatâ, cũ adhuc acrius poteſtate auctus de clauſtralibus illis reformandis inſtaret, exortus eſt quidam Laurentius Vacca, Sãcti Spiritus Monaſterij Segobienſis Cõmendatarius, qui prætextu Pontificiæ conceſsionis, ſibi facultatem eſſe aſſeuerabat, quoſcumq; vellet Conuentuales in Sancti Spiritus libertatem aſſerendi; hoc eſt arctam Minoritarũ diſciplinam, in ſuam quandam laxiorem commutandi. Is ſanctiſsimos Ximenij conatus diplomatibus Pontificijs eludebat. Nemo erat licentię paulò amantior, qui non apud illum rationẽ inueniret: quã ſemel ſuſceptã religionẽ abijceret, ſeq; ab excõmunicationis vinculo exolueret. Itaq; fiebat, vt quantum vigilantiſsimus cẽſor, ad priſcam ſanctimoniam Sodales ſuos diligẽti ſtudio reuocare niteretur, tantũ ille cõmentitijs priuilegijs ad petulantiã, & immodeſtiam deflecteret. Quã de cauſa ab optimis, & religioſiſsimis Principibus Ximenius obtinuit, vt is ſalua ſummi Pontificis autoritate, quâ præter fas & ius abutebatur, per Regios lictores in vincula conijceretur, ibiq; tantiſper pœnas læſę religionis daret, donec ſuſceptum negotium Ximenius conficeret, remq; omnem è Reip. Chriſtianæ vtilitate ſuiq; Ordinis, integritate cõponeret. Laurentius tamẽ è vinculis aufugiens, Romã ad Aſcaniũ Sfortiã Cardinalem contendit, quem patronũ quondã habuerat; vt eius prę ſidio, cum ſeueriſsimi hominis indignationẽ vitaret, tum in Regum Catholicorũ gratiã rediret; qui Ximenij ſtudia tantopere iuuantes, nonniſi p magnos interceſſores placari poſſe exiſtimabat. Suſcepit illum benignè Aſcanius; deque eius innocentia, facilè ſine aduerſario perſuaſus, litteras fauoris plenas ad Reges dedit: & Petrum Martyrem Mediolanenſem, virum doctum & in rebus gerendis ſtrenuũ per epiſtolam rogauit, vt ſuo nomine Ximenium adiret, daretq; operã, vt ſi patriâ tandẽ Laurentius propter Summi Pontificis rectè adminiſtratam conceſsionem carere deberet, ſaltem ablata per ſummam iniuriã ſuppellex, & intercepti ex facultatibus ſuis fructus illi reſtituerẽtur. Inuitus id Petrus Martyr fecit, qui probè rem omnem, vt erat, cognouerat. nè quid tamen in officio ceſſaret, Ximenium adiuit, eiq; mandata Aſcanij expoſuit: ſed ab eo obducta fronte reſpondente, Aſcanio poſtmodum ſcripſit, fruſtrà illũ in tuendo Laurẽtio operã collocaſſe: quippe perſpecta apud Reges Ximenij integritate, atq; zelo.

*Ximenij conatibus obſtat Laurentius Vacca eiuſdẽ Ordinis.*

*Ordinis ſui cœnobia reformati in melius procurat.*

Ad Archiepiſcopatum porrò, hoc modo aſcendit. Petro Mendozio defuncto, cura continuo Reges inceſſerat, Archiepiſcopũ Toletanũ ſufficiendi. Illorũ animis ſententia moribundi Cardinalis de Ximenio inſederat quidẽ: tamen eius Eccleſiæ magnitudo eos in deliberationem adducebat. Tanta .n. ſemper apud Hiſpanos Toletani Archiepiſcopi autoritas fuit, vt ſi quãdo de negotijs ad Rẽpub. pertinentibus ageretur, is ſtatim põſt Regem ſententiam diceret, nihilq; vmquã illo inconſulto, aut rogatum, aut decretum ſit. Vnde & maximus regni Cancellarius, & Pontificum Hiſpanorum Primas, ingẽti potẽtia, & dignitate iã olim creatus, adhuc his titulis ſuo iure nominatur. Nam quãuis antiquus ille ſplendor, quẽ quondã tenuit, nõ omnino perierit, tamen multum ex prima quam obtinebat poteſtate, amiſit, & longè infra illam maieſtatẽ eſt, quâ illum ſuperiores Hiſpani exornãrãt. Idcircò Toletanæ Eccleſię Sacerdotes, quamdiu ius eligendi apud ipſos fuit, anxiè & ſollicitè deſpiciebant, qualem virum ad eam dignitatem deſignarent. Itaque homines, aut virtute præſtantiſsimi, aut maiorum natalibus clari, ad ampliſsimam Sedem aſſumebantur. De Gotthorum temporibus, poſt Cladem illam, quam ab Arabibus Hiſpania ſuſtinuit, & quâ omnia fermè re-

*Quomodo Ximenius ad Archiepiſcopatum euectus fuerit refertur.*

rum



[re]rum Hiſpanicarum antiqua monumenta perierunt, nihil eſt, quod certum tradi poſsit: quamquam ex Toletanis Concilijs conſtat, ſæpenumero viros ex Gotthico ſanguine illuſtres, Toletanæ Sedi præfuiſſe, quibus & prouincialia Concilia cogendi, deq; rebus ſacris tractandi frequentem vſum fuiſſe, accepimus. Poſtea tamẽ Gotthico nomine, & Chriſtianâ gente per Africanos Arabes ex Hiſpania ſublatâ, præter paucos, qui in mõtibus Aſturum, & Cantabrorũ, diuino beneficio ad patriam recuperandam, religionemq; reducendã ſunt ſeruati: Alfõſus VI. Hiſpaniæ Rex, anno M. C. LXXVII. XV. Calendas Ianuarij, ſexto poſt menſẽ ab expugnata Toleto, cõuocatis regni Principibus, Epiſcopis, & Abbatibus, permultiſq; alijs pijs, & religioſis viris, Bernardum hominem Gallum, pietate, morũ innocentiâ, animi magnitudine, & prudentia commendatum, quẽ nõ ita pridem Alfonſus ex Gallia, vt Sanctorum Facundi & Primitiui Monaſterio præeſſet, accerſiuerat, Toletanum Archiepiſcopum creauit, & vrbi clariſsimæ, ac totius Hiſpaniæ Principi Pontificatus in Hiſpania primatum reſtituit; Vrbano II. Pontifice Maximo ad Regis efflagitationem libenter concedente. Poſteà verò Rex idem oppidis multis, arcibus, villis, opulentiſque prædijs Pontificiã dignitatem locupletauit. Igitur tãta illicò Toletani Antiſtitis autoritas fuit, vt Bernardus ex Hieroſolymitana, quã inſtituerat, expeditione Toletum Romã rediens, viros quos ex diuerſis Galliarũ partibus litteris & moribus exornatos ſecum adduxerat; fermè vniuerſis Hiſpaniæ Eccleſijs præficiẽdos Epiſcopos curauerit. Ex his Raimundũ, quem Vranienſi Eccleſiæ præpoſuerat, ſucceſſorem in Toletana habuit; cui Alfonſus Rex Oretano tractu expugnato, eorũ locorum Eccleſias Toletano Pontificatui adiecit, parte quoque vectigalium, quæ ad Regem pertinebant, religioſè & liberaliter conceſsâ. Tres, aut quatuor huic ſucceſſerunt, quorum plerique Bernardi comites fuerunt, vt ex cognominibus colligere licet, neque enim alia monumenta ſuperſunt: quos ſolâ morum probitate, & doctrinæ opinione ad eam dignitatẽ euectos eſſe credibile eſt. Nã paulò poſt viris ex primaria Hiſpanorum nobilitate Pontificatum ampliſsimum ambientibus, nõ niſi Regum filiis, aut cognatis cedebat. Siquidẽ duos Sanctios, alterum Caſtellæ, alterũ Aragoniæ Regum filios, non longè ab ipſis principijs, ad id ſacerdotium electos eſſe legimus. Quod cũ ſerie quaſi perpetuâ, vſque ad Franciſcum Ximenium obſeruatum ſit, in eam amplitudinem Põtificatus Toletanus creuit, vt Regibus non ita grata iam eſſet tanta Archiepiſcoporũ potentia. Ergo mortuo Mendozio deliberabant, quẽnam ſubrogarent. Rex Ferdinandus pro filio Alfonſo Aragonio, Cæſarauguſtano Antiſtite vehementer laborabat. Regina, Ioannẽ Belalcazarem ex Aſtuniga familia, qui non ità pridem Belalcazario principatu relicto, Franciſcano Ordini ſeſe addixerat, deſignare primùm volebat. Didacus Mẽdozius Archiepiſcopus Hiſpalenſis totius nobilitatis ſtudijs ſuccedere ante alios cõtendebat. In Oropezam poſteà quendam Iuriſconſultum, Regium Senatorem, virum præſtanti integrigate, Regina inclinauerat, & iam eius inaugurationem apud Pontificem Alexandrum vrgebat: donec illo oblatam dignitatẽ, abnuente, Ximeniũ deſignauit, eiuſq; deſignationis ſancitã autoritatẽ, & litteris Apoſtolicis præſcriptã, ab Alexandro mitti quantocius poſtulauit.

*Eidem Archiepiſcopatui, illuſtres viri, vt plurimũ expoſuerunt.*

Erat iam dũ hæc confecta ſunt, ad ſolemne Quadrageſimæ ieiunium anni huius M.CCCCXCV. deuolutum tempus. quare neceſſariò Madritum, vbi Regina aderat, Ximenius venit, qui illi à cõfeſsionibus erat. & poſtquã muneri ſuo ſatis feciſſet, in Spei cœnobiũ, quod Ocaniæ eſt, diſcedere parabat; quò ſacris intereſſe poſſet, quæ ſolenni Chriſtianorum ritu, in memoriam Dominici funeris celebrantur. Iam Franciſcum Ruizium admonuerat, vt aſellum, quo vti ſolebat, ſterneret, ſimulque aliquid herbarum condiret, nè impranſi viam ingrederentur, ſed inſperatò, dum hæc moliuntur, Caſtellus, vnus ex cubicularijs Reginæ ad Ximenium venit, & priuſquam diſcedat ad Reginã maturare iuſsit. Doluit ille eo nuntio accepto, veritus, nè quid, tempore præſertim tam ſacro, impedimenti accideret. Cõtinuo ergo Reginam adijt, ſeſe quantocius explicaturus. Regina Alexandri Pontificis litteras tunc allatas poſt ſermones alijs de rebus conſultò primũ iniectos, in manus tradidit, & videro, *inquit*, quęſo, quidnam hiſce litteris Sũmus Pontifex ſibi velit. Ximenius ad primam ſtatim inſcriptionem, quæ ſic à tergo erat (Venerabili Fratri noſtro Franciſco Ximenio, electo Toletano) vehementer commotus, depoſitis cõtinuo in Reginæ gremio obſignatis litteris, & nihil ad ſe pertinere inquiens, de ſcabello ſurrexit, atque nulla, vt ſolebat, expectata miſsione, vultu admodum cõturbato, ad Sodalem abijt. At Regina, quâ erat grauitate, diſsimulãdum interim rata, dum ſcilicet interiecta temporis morula animum hominis rei nouitate perculſum redderet ſedatiorẽ, abire in præſens facile permiſit, petita tamen priuſquam cubiculo egrederetur ab eo facultate quicquid litterarum illud erat reſignandi. Paulò poſt Henricum Auricium Villadæ Dominum, Regiſq; auunculum, ac eius familiæ præfectum, & Aluarũ Portugallium, Regij ſenatus, Præſidem, ſumma viros dignitate, ad Prouincialẽ miſit, qui monerent, ne vel Reginæ, quæ illum tanti faciebat, vel Pontificis Maximi, cuius in ipſum Imperij ius eſſet, autoritatem contẽneret: quin vtriuſque voluntati, imò diuinę potiùs vocationi facilem ſe, dictoq; audientem præberet, ſimulque alia in eandem ſententiam adderent, mandauit, quæ ad hominis animum flectendum facere viderentur. Illi ſuſcepto negotio ad monaſteriũ venientes, cum cõperiſſent, Prouincialem iamdudum inde profectum, Pintum verſus cõtendere, citatis equis, eam viam ingreſsi, hominem cum duobus ſui Ordinis ſocijs, ad tertium ab oppido lapidem conſequuntur pedibus iter facientem, reductumque pauliſper è viâ, poſt multũ ſermonem, vltro citroque habitum, huc tandem perpulere, vt relicto itinere quod inſtituerat, Madritum reuerteretur. Igitur cum & Reginæ, & Procerum omnium hortatu, precibuſq; rogaretur, vt delatam dignitatem capeſſeret, fortem omnino animum, atq; inuictum pręſtabat, propoſiti ſui ſẽper tenax: adeò vt Gutterius Cardenas è Reginæ intimis, Ximenium aliquando de ea re cõpellans dixerit. Non eſt pater, cur nos ſuſpenſos teneas. Nam ſi annuis, Archiepiſcopi Toletani ratione; ſiue renuis, magnitudinis tuæ, & religionis cauſa, manus tuæ ſunt à nobis deoſculandæ. Reges, paulo poſt Burgos deuenerunt, quò allatæ ſunt Alexandri Põtificis litteræ ad Ximenium Prouincialem, quibus illum nõ modò hortabatur, ſed pro ſuo in eum iure imperabat, vti Põtificatum Toletanũ, cui ritè præfectus eſſet, omni poſthabita mora ſuſciperet. Hic ille nihil amplius repugnare potens, animo dolenti, & inuito ſe ceruicem ſubmittere grauiſſimo iugo, poſt ſex ferè menſes, quibus hac de re controuerſum fuerat, profeſſus eſt: nihil tamẽ addubitabat, quin Deus Opt. qui ineundi tanti muneris autor fuiſſet, obeundi quoque adiutor eſſet futurus, illud ſemper excipiens, ſi nullis conditionibus, nullãue penſione prægrauatam eam dignitatem darent. Nã ſiniſtris quibuſdã rumoribus ſparſum erat, eius mediocritati quemuis ſumptum ſufficientem fore; quocircà prouentibus modicis, qui tamẽ idonei eſſent, contentũ, Regibus, qui magna & religioſa meditabãtur, reliquis, qui ſuperfuiſſent libẽter ceſſurũ. Non ideo indignati, aut offenſi ſunt Reges: quinimmo incredibile dictu fuit, quanta illorum, procerumque omnium animos lætitia peruaſerit, quòd ab eo tandem impetratum fuerit, vt Archiepiſcopus Toletanus, hoc eſt inter Regni primarios, autoritate & opibus primus eſſe nõ recuſauerit. Cõuenit poſt Turiaſone Reges, vbi V. Idus Oct. ſolenni ritu inunctus, cum ſacris peractis illorum manus deoſculandas peteret; Non tam, *inquit*, quòd beneficio veſtro Archiepiſcopus factus ſum, veſtras exoſ-

*Archiepiſcopatui Toletano prouiderè de idonea perſona, Caſtellæ Reges maturè deliberãt.*

*Onus illud Archiepiſcopale recuſat.*

culari

culari manus velim,quàm quod eas mihi vos contīnuā porrecturos eſſe officij mei adiutrices;vt tandem mihi liceat,in cœlo Archiepiſcopi locum mereri.Reges cōtrà,quòd ille per ſpeciem Regij cultus fecerat, re ipsâ religionis ergo facientes, & pòſt vniuerſi,qui aderant proceres,eius manum venerabundi ſunt deoſculati.

*Bona ſuæ Eccleſiæ vindicat.*

Creatus Archiepiſcopus animi excelſi magnitudinem,in bonis Eccleſiæ ſuæ vindicandis mox oſtendit. Erat illi prouidendum de perampla cum dignitatis, tum opulentiæ plena, Caſtorlæ præfectura, quam Petrus Furtadus,Petri Gonzalui Cardinalis frater,eo viuente ſemper obtinuerat.Quocircà cùm proceres quidam ex Mēdoziâ familia ad Ximenium veniſſent, Reginæ nomine,vt aiebant,rogantes,vt Petrus rurſus per eum præficeretur,nè cogeretur priuati habitu ab adminiſtratione prouinciæ diſcedere:futurum enim perquā iniquum , neque ingratitudine inſigni cariturum, ſi Gonzalui quondam patroni immemor, cuius nempe autoritate,& teſtimonio in tam ſublime faſtigium cōſcendiſſet,fratrem modo dignitate deturbaret , quâ Gonzaluus illum ornauerat.Solent Reges dum rogant cogere,nec tàm id precibus,quàm imperio ag videbatur.At Ximenius excelſi animi, quem diu inter ſyluas obſcuras preſſerat,aperta iam documenta exhibens,renunciare Reginæ iuſsit,ſe quod peteretur, nequaquam facturum.*Potero*,inquit,*rurſum ad priuatā vitā & humilem cucullum,vnde inuitus abſtractus ſum,redire:neque enim vnquam dignitatem hanc ambiui:cæterum Pontificatum Toletanum mutilum,aut glebâ vna imminutum nunquā profectò ſuſcipiam.* Non multo poſt,non iam precibus, aut autoritate Regiâ adactus,ſed ſua ſpōte permotus, Furtado eam profecturam contulit.Simul diœceſiſuæ cōſtituendæ vehementer intentus,conſiliarios,ſeu aſſeſſores iuri dicundo,tùm morum Cenſores,quos Viſitatores appellant,viros cum doctrinâ,tum vitæ integritate præſtantes,vndique conquiſitos ſibi aſciuit. Quod ad rem priuatam attinet,nullam ſanè , aut ſumptuoſi, aut magnifici apparatus rationem per id tempus habere,vnquamve habiturus videbatur;non frequentis familiæ,non pretioſæ ſuppellectilis; quin priſcam illam Sanctorum Pōtificum frugalitatem, cum Franciſci ſui humilitate coniungere viſus eſt.Nam aſello, quo ſolebat,vehebatur monachis ſui Ordinis aſſectantibus,aut ibat pedibus. Non argento menſam,non aulæis parietes ornabat. Totum porrò annuum cenſum ſtatuerat ita partiri,vt ex parte dimidia præſentibus egenorum neceſsitatibus ſubueniretur; reliquâ verò deductis cū familiæ,tum Pontificatus neceſſarijs ſumptibus, in opera publica,quæ religionis cultui prouehendo, iuuādiſque litterarum fratrum ſtudijs neceſſaria eſſent,impenderetur. Totum ergo ſemiſſem pauperum vſibus deſtinatum,Ioanni Cardenæ Burgenſi,viro Theologo, & antiqui moris homini , quem pijs præfecerat largitionibus,vnicâ ſyngraphâ decreuit , nullâ expenſi ratione deferendâ,in egenos diſtribuendum. Verùm deinde ſuccedentibus maximorum ſumptuum occaſionibus,inprimis verò graui ære alieno,ex effuſa in Granatenſes nouos Chriſtianos liberalitate contracto , ſemiſsis illius largitionem,ad arbitrariam diſtributionē redigere conatus eſt Quod ſanè conſilium indies magis neceſſarium animaduertebat cùm impoſitam ſibi tum moderatoris,tum pacificatoris publici perſonam, dubijs,turbulentiſque Reipub.temporibus, cerneret, ſine magna pecuniæ vi ſuſtineri non poſſe. Ad familiæ quoque frequentiam, domeſticumque cultum atque ornatum Pontificis Max.hortatu pertractus eſt:acceptis litteris ab Alexandro,hoc tenore.

*Conſiliarios bonos ac viſitatores doctrinâ & vitâ præſtātes conquirit.*

*Dilecto filio,Franciſco,electo Toletano Alexander Papa Sextus.Dilecte fili, ſalutem, & apoſtolicam benedictionem Sanctæ & vniuerſalis Eccleſia,ſicut te ignorare non putamus ad inſtar cæleſtis Hieruſalem,multis,ac diuerſis decoratur ornatibus,in quibus ſicut in exceſſu præuaricando peccatur,ita in defectu nimium declinando erratur,Grata eſt Deo,& Laudabilis [illegible] condecens obſeruantia:& proptereà quicunque præſertim Prælati Eccleſiæ,ſicuti in moribus,ita in habitu,& inceſſu ſtudere debent,ne nimio faſtu ſuperbi , neue nimiâ abiectione ſuperſtitioſi eſſe videamur,cum vtroque autoritas Eccleſiaſticæ diſciplinæ vileſcat.Eam ob rem hortamur te, vt poſtquam te ſancta ſedes Apoſtolica de inferiori ſtatu ad Archiepiſcopalem dignitatem euexit, quemadmodum te in interiori conſcientia ſecundum Deum viuere intelligimus, de quo plurimum gaudemus : ità extrinſecus iuxta conditionem ſtatus tui,habitu ſcilicet,familiâ & cæteris ad dignitatis decorem conuenientibus te habere,& obſeruare coneris. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris,die XV. Decembris. M. CCCCXCV. Pontificatus noſtri anno IIII.*

*Paupertati tenaxiā cōtiſtit ad maiorem cultum in dictum*

His ille litteris ab autoritate Apoſtolicâ compulſus, cùm minus Pontifici audientem religio erat, vix tunc ſibi imperare potuit,vt familiam modicè augeret, domum vtcumque ornaret,& lautiore denique vitæ cultu vteretur. Procedente deinde tempore , animaduertens,quantum ſplendor hic vitæ apud vulgus momenti habeat,ad vindicandam à contemptu publicæ perſonæ dignitatem,quā in pretio haberi permagni ad quietem publicam refert;non modò ad iuſtam familiæ frequentiā,menſarum magnificentiam,& elegantiā,ad omnis quoq; apparatus gloriam amplitudinemq; peruenit, ſed cultum etiam ſibi accerſiuit non incurioſum. Nam & holoſericâ veſte ſuperinduebatur , & prætioſis pellibus,ſed præcipuè leucophæis, quod veſti Franciſcanæ concolores eſſent vtebatur. Lectos item ſericis, & purpureis ſtragulis ornatos:cùm tamen ille Franciſcanæ regulæ ad vltimum vſque ſpiritum obſeruantiſsimus fuerit,& ſindoneas lineas ſemper reſpuerit; & ſæpe à miniſtris deprehenſus ſit mollibus culcitris,& pretioſis pannis è lecto ablatis,in nudis tabulis , aut humi ſomnū capere. At in familiaribus,tàm primo hoc tempore,quàm deinceps recipiendis , maximum morū delectum habuit. Nam & inculpatā vitam , omniſq; turpitudinis non modò labe , ſed & ſuſpicione vacantem exigebat.Pueros ingenuos ferculorum ad menſam miniſtros,ſeueriſsimâ diſciplinâ continebat , pædagogo admoto,qui illorum ingenia bonarum litterarum rudimentis excoleret;à quibus & ipſe nonnumquam diurni ſtudij operā exigebat. Familiæ porrò vniuerſæ; Pontificatus eius rudimento,non exigua pars ex Franciſcanis ſodalibus cōſtabat. Decem quippè ex illis ſpectatâ probitate viros,cōtubernales ſibi delegerat,quorum ſocietate religioſæ vitæ memoriam, & quoad eius fieri poſſet,formam quoque tueri,perq; eos ſacra officij ſui munera exequi deſtinarat.Quò fiebat,vt penes huius Ordinis viros futurā iam inde partē maximam Pōtificatuum,honorum,Magiſtratuumq; ſacrorum omnes arbitrarentur, tanta erat Archiepiſcopi in illos, tanta Reginæ in Archiepiſcopum amoris , & beneuolentiæ ſignificatio. Vnde nō vulgares ſpes ſibi propoſuerant,non ij modo, qui familiari illo Archiepiſcopi vſu,atque conuictu fruebantur,ſed alij etiā eiuſdē Ordinis viri,inſigni aliquâ religionis,atq; doctrinæ opinione clari.qui ſi apud aulæ primates,& authoritate,& gratiâ pollerent,porrigente vtcūq; manum Archiepiſcopo,facilè emerſuri credebantur.ſed vtroſq; ſanè ſua ſpes fefellit. Omninò enim Ximenius ſeu quod religioſos homines longè ab humani ambitus ſcopulis retrahendos eſſe iudicaret,ſeu certo quodam alio cōſilio, nihil ſanè ſuis illis contubernalibus publicorum negotiorum,vel communicabat ipſe , vel ab alijs ſinebat communicari.Interuentores verò,quales permulti rerum alienarum curioſi,& fumos vendere ſoliti,in aula Regia eſſe conſueuerunt , ad eos ingredi haud temerè patiebatur:ſed neque pedem in palatium inferre , aut inter proceres aulicos verſari permittebat:adeo vt anguſtius in Archiepiſcopi ædibus agere,quā in ſuis cœnobijs viderentur. Cum viris Ordinis ſui primariis, quoties familiares ſermones conferre contigerat, nihil aliud,quā de tuenda religionis diſciplina, de continēdis in officio Sodalibus , de precationis , lectioniſque frequentia , alijſque id genus exercendis





pietatis ſtudijs , non ſine ſumma oris grauitate diſſerebat.Qua ex re non vulgari inuidia apud Monachos laborare cæpit,quaſi Ordinis ſui ornandi parùm ſtudioſus:nec verebātur nonnulli,ſiniſtros ſermones,de nimia hominis ſeueritate in vulgus ſpargere.

*Eundē fratres iidem diſſamant apud Miniſtrum Generalem Ordinis.*

Accidit per id tēpus,vt Franciſcani Ordinis ſupremus Magiſter,quem illi Miniſtrū Generalem vocant, Roma,in Hiſpaniam muneris ſui exercendi cauſa venerit.Apud hunc, homines ſui Ordinis,Ximenium grauiſſimis criminationibus onerare non prætermiſerunt.Criminabantur in eo liuorem, & maleuolentiam,qui cùm Monachos doctrinæ, & religionis laudepræſtantes facilè poſſet in ampliſſimis dignitatibus collocare.maximo deinde vſui , atq; ornamento vniuerſo Ordini futuros , non modò ipſorum incrementis non faueret,ſed & Reginæ animum ſua ſpōte Ordini deuotiſſimum,aliorsùm deflectere, atq; abalienare conaretur.Sed neq; in fratrem ſuum vterinū, Franciſcano quoq; Ordini initiatum,quem ſecū haberet,vlla amoris ſignificatione propēſum eſſe. Multa prætereà in eius ingeniū,moreſq; indignè iaciētes, quæcumq; nimirum exulceratis animis odium, ob ſpes fruſtratas ſuggerebat At ille homo quidem externus,rerumq; Hiſpanicarum ignarus,& ſuapte Ximenio magnoperè infenſus(erat enim Conuētualis) vita,& ſtudio,facilè tot calumnijs irritatus,in Ximenij perniciem cæpit incumbere;palàm , & impotenter iactitans,minimè conquieturum, donec eum è faſtigio,quò indignè conſcendiſſet,deturbatum , ad ſordes priſtinas reuocaret.Reginam ergo adijt , & pòſt paruam temporis à prima ſalutatione moram,eius attentione,tamquam de re magna dicturus , efflagitata,mirari ſe *dixit*, quonam conſilio Franciſcum Ximenium , ad tantum honoris , & potentiæ culmen prouexiſſet:cùm nec natalium ſplendore moueri potuerit,nec doctrinæ opinione, quandoquidem omnium iuxtà bonarum diſciplinarum ignorans,haberetur.Nam Iuriſperitiam,in qua ſe exercuiſſe diceba. tur,à limine tantùm,quod aiunt,ſalutauerat. Iā verò eximiam quampiam prudentiam, rerumue gerēdarū vſum,quo potuiſſet ex ſolis Seguntienſium Sacerdotum iudicijs quibus breui alioqui tempore præfuiſſet, tam vberem,tamq; Regijs negotijs tractandis accommodatam ſibi comparaſſe. Quòd ſi vulgata illa , ac proindè fallax ſummæ ſanctitatis opinio, qua ſupremos ipſos cælites proximè dicebatur accedere,ad eū augendum ipſam impuliſſet,caueret haſce fictas ſanctitudines,quæ nec horum temporum , aut morum eſsēt:ſatiſque præclarè nobiſcum agi putaret,ſi vitam vtcūq; innocentem præſtaremus.Quòd ſi mentis caliginē remoueret,ſatis magnum habere poterat argumētum animi leuis,& inconſtantis,quod nō ita pridē in totius domus,& familiæ ratione deſignauerat. Nam ab auſteriori norma,quæ Monachum decebat, ad hybariticum luxum traduxerat,non ſine magna omnium reprehēſione.Quòd ſi vellet commemorare ingenij acerbitatem,rigidos,agreſteſq; mores,orationē aſperam,& inſuauem nulloq; lepore conditam;ad hæc pallorem accerſitum,triſtitiam, & ſupercilium, tùm demùm intellecturam quantum à propoſito aberraſſet.Hæc enim omnia animi tumidi, & arrogātis propria eſſe,non autē vera ſanctitatis indicia , vt Regina exiſtimabat. Nam ſyncera ſanctitas ſuauis eſt,mitis, placida, hilaris, & tractabilis. Quare non eſſe,cur dubitaret , fucum ſuæ ſimplicitati planè factum fuiſſe. Nam quòd delatū honorem tam longa ille cunctatione diſtuliſſet, vulpini hoc ingenij potiùs quàm ſancti indicium fuiſſe. Siquidem probi,nec diſſimulatores viri , vt non ambiunt honores , atque magiſtratus , ita rite, atque incorruptè delatos modeſtè accipiunt , non tam præeſſe , quàm prodeſſe cupientes. Quare oportere quidem ertare , atque etiam circumſpicere , quanam tandem ratione,tanto huic Toletanæ Eccleſiæ vulneri mederi poſſet,niſi ſuæ exiſtimationis, atque adeò etiam animæ ſalutis obliuiſci potiùs vellet. Nam nihili hominem,ad ea ſe dignitate alligandum,adigere, cui par gerendæ eſſe nequeat, nil negotij eſſe his addidit permulta conuitiorum,& fæditatis plena.Ægrè iam ſe Regina continebat,quin procacem hominem, & inuerecundum,è conſpectu ſuo rapi,atq; exportari,iuberet.verùm quid ſuam maieſtatem deceret memor,ſeſe continuit.Ergo nihil aliud,quàm ſatiſne ſanus eſſet, ad verboſam eius orationem ſubiecit : & an qui cum loqueretur intelligeret ? Hic ille acerbiùs irritatus ; ſatis,*inquit*, ſanus ſum, neque qui cum loquar ignoro , nempè cum Iſabella Regina, quæ pauculus puluis eſt , vt ego. & ſimul conſurgens foras furenti ſimilis abijt. Multum Archiepiſcopi cauſam iuuit Generalis Miniſtri tàm effuſa petulantia, quæ Reginæ quidem iram, & indignationem meruit potiùs, quàm gratiam , aut aſſenſum.Facilè ſapientiſſima fæmina intellexit, morbo illum animi ſtimulatum potiùs,quàm certo vllo iudicio ductum, in tam illotum ſermonem prorupiſſe.Interim Ximenius quamquā maturè ſatis quid in ipſius caput Miniſter ille moliretur,amicorum indicio intellexerat, recti conſcientia fretus, tantū abfuit, vt vel Reginæ aures ( id quod illi facillimum factu fuiſſet ) duceret præoccupandas:aut certè pòſt intentam calumniam de apologia cogitaret, vt nec verbum vllum ea de re cuipiam facere ſuſtinuerit;nec Miniſtro quidem vllam offenſi animi ſpeciem præbuerit:quin ſingulari illum ſtudio,mirificaque pietate colere, venerarique perſiſtebat. Itaque omnia Ximenio moderatè diſſimulanterque ferente,facilè totus ille ſæuientis inuidiæ feruor contepuit & paulò pòſt in fumum euanuit.Porrò quamquam nihil aduersùs Sodales illos ſuos,quos ſibi domeſticos elegerat, querelarum habere præſeferebat, quos neque conſcios quidem illius in ſe coniurationis exiſtimabat;tamen vel æmulorum aliorum tædio,vel quòd arctam viuendi normam iſtis diſplicere ſentiebat , quæſitis occaſionibus alium aliò in cænobium quemque ſuum amandauit, tribus modò retentis,Franciſco Ruizio , Didaco Camachio,& Didaco Villalano , qui Ximenio ab arcanis confeſſionibus,& à priuatis ſacrificijs eſſent;quibus leges pendenti in tabula præſcriptas dediſſe fertur,varias quidèm illas , ſed quæ huc tandem omnes tenderent,vt intrà ſuum angulum abditi , ab omni negotiorum ſtrepitu,& ab omni profanorum hominum commercio abſtinerent. Hæc tamen tàm rigida illis impoſita viuendi conditio in cauſa fuit,vt ad honores emergerent, fauente nonnihil Ximenio. De Franciſco Ruizio diximus : Villalanus cum validis lateribus ad populum concionaretur , & aptus eſſet affectibus promouendis, Regius concionator effectus,& in Abderitanum deindè Epiſcopum aſſumptus.

*Idem Miniſter in Ximenij perniciem incumbit.*

*Regina Miniſtrū Generalem ſpernit.*

*Ximenius retētis tribus ſui Ordinis religioſis alios à ſe amandat.*

Quartus his annumerandus eſt Bernardinus, Archiepiſcopi Germanus , eiuſdē quidem inſtituti Frāciſcani profeſſus,ſed nec morum æquabilitate , nec iudicio ſatis ſano præditus : eaque propter nemini ex tribus , quos Ximenius domi habebat conferēdus; ac proinde fortunam infelicem ſortitus, verum eſſe ſatis declarauit,ſuam moribus fortunam vnūquemq; fingere.Ingratitudine in Archiepiſcopum , ac penè parricidio promeritus,vt domo Antiſtitis pelleretur, ac expulſus miſeram, & calamitoſam vitam duceret. Erat quidē is in monachatu haud vulgariter pius , & religioſus;quamobrèm fratri erat charior. Sub hæc etiam ipſa Pontificatus tempora,non modò conſiliorum particeps,ſed & totius Pōtificiæ familiæ primus, vt par erat,habebatur. Aiunt tamen in eo Ximenium deſideraſſe animi conſtantiam,circumſpectionem,& in rebus tractādis prudentiam. Nonnumq; enim na-

*Bernardinus Ximenij frater inſultus, & ingratus.*

turali quadam temeritate, non ſanæ mentis dabat indicia: Sed quicquid id erat, fraterna beneuolentia diſſimulabatur. At cùm ægrè animi vitia contineantur, præſertim vbi paulatim licentia accedit, Bernardinus inſolentior factus, cùm neminem ſibi apud fratrem præferri pateretur, non ſolùm Archiepiſcopi amicis, & miniſtris, ſed ipſi etiam, dum omnia pro libidine tractare cupit, cæpit eſſe grauis. Nam quicumq; eum, leui aut facto, aut dicto offendiſſet, domo Pontificia, fratre inconſulto ſtatim pellebatur. Quòd ſi quid illum Ximenius obiurgaret, eodem erga eum libertate vti; grauibus verbis inuehi, eius æconomiam impudenter culpare, protinùſque locum aliquo in propinquius cænobium mutare, aliquotq; dies cõceptam indignationem abſentiæ mora teſtificabatur. Mãſueto animo ea omnia Ximenius tolerabat, & ſimul atq; fratri ira deferbuerat, rursùs ad ſe admittebat, nullũque ampliùs rei anteactæ verbum faciebat. Accidit tamen, vt aliquandò iratior quàm ſolebat Bernardinus Compluto Guadalfaiaram ſeſe receperit; vbi bilis impetu vehementer agitatus, nulla fratris Archiepiſcopi ratione habita, libellum quendam ſcripſit, quadraginta & amplius rerum capita continẽtem, quibus non modò Archiepiſcopi mores, ſed familiæ, luxum, & intemperantiam, & totius Põtificiæ ditionis ſub Antiſtite fratre licentiam, falsò, & immeritò taxabat. Ea cum Ioanne Viana probo homine, & ſibi amico, cęterùm fideli fratris miniſtro communicauit, dictitans quamprimùm occaſio daretur, ſe libellum in manus Reginæ traditurum. Nihil iniquiùs Ximenius (animo alioqui excelſo) ferebat, quàm ſi aliquid ſiniſtrum apud Reginam de ſe iactaretur. Id Viana cum Ximenio ſtatim notum feciſſet, illicò per ſedulos miniſtros egit, vt captus Bernardinus deferretur, & ſimul quæ ſcripſiſſe ferebatur. Ergo vniuerſis thecis, & armarijs eius recluſis, tandem libellus inuentus eſt: ipſeque acerbæ cuſtodiæ traditus, atque paulò pòſt Guadalfaiaram deportatus; vbi indignabundus & animi impos biennio integro decumbens, contumaciæ quidem morbum concoquere potuit, ni etiam inſaniæ vitio miſer laboraſſet. Sanior tamen pòſt illa factus, fratris læſi clementia implorata, rurſus humaniſſimè receptus fuit. Sed vt vulgò dici ſolet, qui ſemel bonam mentem amiſit, haud facilè curari poteſt. Aegrotabat Compluti Ximenius, & aderat Bernardinus frater. accidit verò, vt tunc cauſa quædam apud Archiepiſcopi Iudices ageretur; Bernardinus verò in alteram partem adeò inclinauerat, vt litem ſuam feciſſe videretur: Iudices enim ex ſuo arbitrio ſententiam quamuis iniquam vt proferrent, impulit. Id Ximenius è veſtigio reſciuit; altera parte nimiùm proclamante; & Iudicum ſuorum ſententiam reſcidit, morbo interim ob indignationem adaucto. Hic inſanè Bernardinus fremere; & ſpecie viſendi fratris, ad illum ingreſſus, multa primùm conqueri cæpit, & quòd ipſe in nullo pretio apud eũ eſſet; multa deindè Iudicũ nomine, quos graui infamia, eo pacto notaſſet, prorſuſq; deſpicatiſſimos feciſſet. Inualidus ob morbum Ximenij animus ſolitum in eo tolerando rigorem retinere non valens, acri illum oratione increpat; & vt taceat, pro imperio iubet, alioqui ſtatim in vincula conijciendum minatur. Bernardinus puluinari, quo caput Ximenij fulciebatur arrepto, os obturauit, & tanta vi guttur vtraque manu furibundus compreſſit, vt omni facultate miniſtros inclamandi adempta, qui in proximo cubiculo excubabant, modò non animam efflauerit. Bernardinus, ſiue quòd eum iam mortuum credidit, ſeu rei atrocitate deterritus, nec animi præſentia nefario ſceleri abſoluendo neceſſaria præditus, de cubiculo diſſimulanter exiens, miniſtris, nè ſtrepitu dormientem excitarent, admonitis, in obſcuram latebrã ſe proiecit, vnde rei euentum aucuparetur. Aderat inter miniſtros adoleſcens quidam Auellaneda, qui paulò quàm cæteri attentior, vultum Bernardini immutatum conſpicatus, vocem etiam titubantem, greſſus inconcinnos, & fermè vacillantes ſubnotauit. Ergo ſiniſtri quippiam accidiſſe ſuſpicatus, præſertim quòd Ximenium, & Bernardinum viciſſim iurgantes audierat, ſuſpenſis paſſibus ad Archiepiſcopi lectum accedens, ex vultus pallore, & ex frequẽti ſuſpirio animo illum defeciſſe credidit, ſocios aduocauit, & ad medicos accerſendos, aduolauit: qui id vi morbi accidiſſe exiſtimantes, quod medicæ artis erat, ſedulò faciebant, ſed vt in re ſubita, & ambigua velut ceſpitantes, donec ille ad ſe reuerſus, nihil celans, aut diſſimulans, fratrem palàm incuſare cæpit, ſceleſtum, ſacrilegum, parricidam appellauit, remque vt acta fuerat, expoſuit. Indè neceſſe habuit, feralem hominem, conſpectu ſuo omnino priuare, & in ſordidum quoddam Monaſterium detrudere, Auellanedam autem pro officio remunerare. *Gomecius de rebus geſtis Franciſci Ximenij lib.* 1.

*Liberatus, Ximenium quaſi occidit.*

*Sauonarola multa patitur.*

Paſſus eſt ſupraſcripta Ximenius, agonizans pro iuſtitia, diſciplina, & moribus antiquis, quos in vſum quotidianũ hominum, ac Regularium reuocabat: Sed non minora etiam Hieronymus Sauonarola, de quo iã mentionem fecimus, Florentiæ tulit, apud Summũ Pontificem, Cardinales aliquos, ſuprẽmum Ordinis ſui Magiſtrum, & nonnullos ſui & aliorum inſtituti Sodales inuidia onuſtus. Eius ſuaſu immutata fuit, forma Reipublicæ Florentinæ. Ea nondum plenè ſtabilita, vt fit in auſpicijs rerum maximi momenti, ciues opinionibus variabant: & aliqui nouiter introductum adminiſtrandi modũ ſummis laudibus euchebant, nonnulli veterem deſiderabant; eaque propter & Petrum Mediceum vrbe eiectum ſuſpirabant, & Sauonarolam ſuggillabant, quaſi per illum ſtaret, quò minùs Petrus in patriã, & adminiſtrationẽ Reip. reuocaretur. Alfonſina Virginij Vrſini filia, Petri vxor, fiducia ſumpta, quòd Carolus Rex Florentia tranſiens, in domo Medicea receptus fuiſſet, dexteramque ſalutarem Petro porrexiſſet, nec non ipſum illum patriæ, & dominationi reſtituere cogitaſſet, tàm apud Regem per proceres, & litteras, quam apud Ciues excíſæ domus calamitatem, & immeritam infantis filij fortunam deplorans quotidiè, & pro marito querimonijs omnia complens, ſummum Sauonarolæ odium apud quos poterat, conflabat. Medicei quoque ipſi à ſua ſpe minimè deiecti, numquã intermittebant, per fidos ſibi, idoneoſque homines occultis artibus maximè ſollicitare in vrbe Florentia veteres amicos, atq; affines, nouos item parare, ingentiaq; demùm præmia, vel infimis hominibus polliceri, vt per eos creatis ex amicorum numero Magiſtratibus, aliqua conditione reducerentur. Iam enim pleroſque nobiles, & opulentos ciues, eius Reipub. tædium cæperat: quum in Senatum pleriq; audaces, ſemiplebei, egenteſq; homines irrupiſſent, qui patritijs deſpectis, nequaquam ſententiarum põdere, ſed ſuffragiorum numero, de maximis pacis, ac belli muneribus decernebant, adeòq; patefactus erat in Curiam aditus, vt ſæpè ab officinis ſellulariis, deſumpta ad tempus toga in conſilium iretur.

Erat tũ maximè popularis, vt Iouius memorat, Sauonarola, litteris, & admirabili præſertim eloquentia inſignis, qui in ſacris concionibus, & in priuatis colloquijs ità multitudinis animos opinione virtutis cęperat, vt illum rerum omnium quæ imminebant, verùm Vatem, diuinumq; deprauatis moribus cenſorem, cęlo miſſum crederẽt: creueratq; ei tanto aſſenſu autoritas, perpetuò omnis generis hominũ, ſexuſq;, & ætatis ſtudio collecta, vt nihil in priuatis domibus, nihil in Senatũ, ſine eius viri cõſilio rectè geri poſſe videretur. Is quòd Petro maximè videretur eſſe infeſtus, oppugnaretque eum Reipub. ſtatum, quem pau-

*Sauonarola probatà habetur; & omnia eius conſilio Florentiæ geruntur.*

corum



corũ potentium vis; & libido regere poſſet, à nonnullis reprehendebatur, quaſi à religione, diuinarumq; rerum contẽplatione, ambitioſiùs, q̃ ſacratũ virũ deceret, ad munia regendæ Reip. tranſiuiſſet. Criminabantur & prædictiones & prædicationes illius: q̃ quã plurimas ex illis iàm reipſa cõpletas, & iſtas nonniſi bono publico, reſtituẽdæq; Chriſtianæ diſciplinæ dictas eſſe animaduertiſſent. In tantũ verò odij prorupiſſe dicebantur, vt inſidias illius vitæ ſtruxerint: non ſine ſenſu, & conſenſu Regulariũ aliquorũ. Enimuerò & hos non minimùm offenderat, ex hac cauſa.

*Inſidiæ Sauonarolæ ſtruuntur etiam à religioſis, & quã ob cauſam.*

Peſtilẽtia ante annos aliquot graſſante in Etruria, exhauſta fuerant Religioſis Cænobia quàmplurima: & inter hæc S. Marci Florentinum, & S. Dominici Feſſulanum. Cùm pauci remanſiſſent ſuperſtites, qui ea incolerent, vtrumq; ex mutuo conſenſu, ſeſe Congregationi Lombardiæ, vt pote non tantũ numeroſæ, verùm etiam religioſæ adiunxerat, habendis ab ea viris Religioſis, qui cultui diuino vacarent, & populos verbo Dei, & Sacramentis ſaginarent. Horum ſtudio, quàmplurimi, nobilitate, eruditione, & integritate vitę pręſtantes, Religioni Dominicanæ in vtroq; cænobio adſcripti, cùm arctioris obſeruantiæ deſiderio tenerentur, Ioachino Turriano Ordinis Supremo Magiſtro, & Alexandro Pontifici Maximo ſupplices facti, pòſt multas difficultates deuoratas, tandem interpellante, & quaſi per vim Annulum Signatorium Pontifici à digito detrahente, Oliuerio Caraffa Card. Ordinis Protectore, (qui litteras pro eis Pontificias eodem ſignauit) obtinuerunt, vt à Congregatione Lombardiæ ſeiungerentur, & ſub titulo Congregationis S. Marci, vniti, ſeueriorem vitam inſtituerent. Alexander Rinuccinus, & Dominicus à Peſcia Dominicani, non iàm ab Sauonarola, ſed ab vniuerſitate Fratrum, ſanctioris vitæ cupidorum ad Alexandrum Pontificem miſſi, rem procurabant; quibus ex aduerſo reſiſtebant, Ptolomeus Brixianus, Congregationis Lombardiæ Vicarius, Marcus Perecremius Prior Cremonen, Ludouicus Prior Venetus, & nonnulli alij, freti fauore Venetorum, Genuenſium, Ludouici Sfortiæ Ducis Mediolani, Ducum Ferrarię, & Calabriæ, Bentiuolij & inprimis Alfonſi, Regis Neapolitani, qui Petro Mediceo, vt negotium omne Sauonarolæ, & ſequacium ſodalium perturbaret, commiſerat, & diadema Regium ſe priùs deponere velle, quàm vt illi progreſſus in ſtrictiore vita facerent, teſtabatur. Contrà hos ſuperiores illi, ferè per miraculum facti, non poterant non offendiſſe nonnullos Sodales, ex Congregatione Lombardiæ, non adeò ad profectum vitæ ſeuerioris inflammatos: quin Petro, & partiarijs oleum camino, affunderẽt, contrà Sauonarolam, eius perfectionis præduce: qui felicibus auſpicijs, intrà breue tẽpus, repugnãtibus amplius nonnullis ſodalibus ac ſuperioribus, Piſas, Feſulas, Pratum, & alia in cænobia colonias numeroſas quaſi Angelorum tranſmiſerat, Fratrum ad ſummam perfectionis aſpirantium. Aduerſarij itaq; non ignari, quantã apud quoſdam Florentinos inuidia, Sauonarola flagraret, conatus ſuos illis commodauerunt, & tantũ apud Pontificẽ, cõciones, & p̃dictiones Sauonarolæ eleuantes profecerũt, vt is Superiorũ Ordinis interpellatione interueniente, per litteras Ap.cas Sauonarolæ interdixerit, nè huius anni Quadrageſimali tempore, verba ad populum Florentiæ haberet, quinimò Florentiã quantocius diſcederet, & alibi locorũ operã pro Cõcionibus collocaret. Hoc initiũ fuit Sauonarolæ dolorum ꝓ populi Florẽtini libertate aduersùs potentiores, & pro reſtitutione vitæ arctioris, aduerſùs eos, quos Cõuentuales vocabant, laborãtis. Voluerat Sauonarola dicto Põtificis obedire, iãq; itinere ſeſe accinxerat, teſtarũ multis faciens, ſe ſatis officio ſuo, & monitionibus diuinis, in his, quæ ad innouandũ ſtatũ, vel ſecularẽ, vel Regularem ſpectabant, feciſſe. Cæterùm nè eiecto, aut fugienti ſimilis, Florentia diſcedere videretur, vnà dierum pro Cõcione auditoribus multa ſaluberrima præſcripſit, multaq; ieiunia, orationes, & alia pietatis exercitia, auertẽdis futuris calamitatibus opportuna, Ciuibus, indixit: quibus exactè expendẽtibꝰ, illum neq; vlla hactenꝰ falſa dixiſſe, aut p̃dixiſſe, neq; niſi ad pacẽ cõmunem inter Ciues cõciliãda, ac vitia inſectanda, virtuteſq; inſerendas, ſermonẽ inſtituiſſe: & tã multa ex prænũciatis eueniſſe, quàm inſignem morum mutationẽ Florentiæ ſecutã eſſe, Decem-Viris impulſores fuerunt, qui Alexandro Pontifici ſcriberent, ſuppliceſq; fierent, nè tanto viro Florẽtiam priuaret, litteras Breues retractaret, & Cõcionandi munere hoc anno, tempore Quadrageſimalis ieiunij fungi permitteret. Annuit Pontifex, & his, quæ Superiores Ordinis impetrauerãt, litteris retractatis, Sauonarolæ, vt Florentinis omninò concionaretur, ac nè Florentia pedem, niſi Octauis Dominicæ Reſurrectionis pro Concione abſolutis efferret, authoritate Apoſtolica pręcepit. Eo Apoſtolico mandato, ac precibus Florentini Senatus, populique aſtrictus Sauonarola, in Metropolitana Baſilica, Quadrageſimæ diebus, frequẽtiſſimo auditorio præſente Conciones habuit. *Iouius in vita Leonis l.* 1. *Nardus lib.* 2 *Mſ. vitæ Sauonarolæ:* & feſto die Annunciationis ſolenniſſimo, rationem reddere voluit, tàm prædicationum, quàm prædictionum, quas maleuoli ſuggillabant. Eum ſermonem, ſicuti ipſe dixit, ità deſcripſimus, videlicet in hunc modum.

*Princeps viri conatibus Sauonarolæ diuerſi.*

*Florentini impetrant ab Alexãdro PP. vt Sauonarola iterum cõcionetur.*

*Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti. Pater miſericordiarũ, & Deus totius cõſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra: vt poſſimus & ipſi cõſolari eos, qui in omni preſſura ſũt, per exhortationẽ, qua exhortamur & ipſi à Deo.*

*Fides viua cum iugi oratione, & longanimi patientia, dilectiſſimi in Chriſto Ieſu, tanti eſt apud Deũ meriti, vt nihil ſit tã magnum, quin ab ipſo per eam impetretur. Quòd non ſolùm probat autoritas noui, & veteris teſtamenti: necnon antiquorum Patrum noſtrorum experientia, ſed nos quoq;, his periculoſis temporibus, & comprobauimus, & manu ſæpè (vt ità loquar) attrectauimus. Vbi his tribus annis, non ſine miraculo, è maximis periculis Ciuitati noſtræ Florentinæ à populo vniuerſo imminentibus ſæpè liberati ſumus: cùm etiam ipſius ciuitatis reformationẽ, & pacem, & plura alia præter humanæ ſapientiæ opinionem, & communem ferè omnium exiſtimationem, in ſumma contradictione obtinuerimus. Nec immeritò quidem tres hæ virtutes ſimul iunctæ dignæ ſunt, vt à Deo in rebus magnis & excedentibus communem aliorum operum ipſius curſum exaudiantur. Primò quia fides eſt virtus in res altiſſimas, quæ ratione naturali probari non poſſunt, extendens, & firmans intellectum; eademq; inter alias virtutes peculiariter innititur Omnipotentiæ diuinæ, quam Omnipotentiam ipſa fides non dubitat omnia poſſe: propter quam fidem, non tantũ ſenſum, & imaginationem vir fidelis, ſed etiam rationem naturalem omittens, & ſimplici corde Deo credens res eximias ſupra curſum naturalem, omnemque potentiam creatam, & quemuis ſenſum, & imaginationem, & ſapientiam humanam excedentes impetrare meretur. Secundò, quia cùm Deus ſit primus rerum ſpiritualium, & corporalium motor, omnis noſtra cogitatio, & bona voluntas, ab ipſo priùs, quàm à nobis mouetur, dicente Apoſtolo; non ſumus ſufficientes aliquid cogitare à nobis, tamquam ex nobis. Cùm ergo quæuis cauſa naturalis, & quilibet motor intendat ad finem præordinatum, & propter quem mouet perducere effectum, multò magis cauſa cauſarum Deus, ſummè bonus, mouens animos iuſtorum ad deſiderandum, ſperandum, & petendum à ſe res magnas, præſertim communi ſaluti Eccleſiæ conferentes, iuxtà illud Apoſtoli:* Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *huiuſmodi deſiderium ſpem, ſimul & petitionem, ad portum perduceret optatum. Non ergo mirandum eſt, ſi per continuam orationem ingẽtia fides impetrat: cũ maximè per ſacra eloquia toties, & tàm immobiliter petitiones noſtras Deus exaudire pollicitus, etiam importunè nos orare docuerit. Præterea cùm mentis triſtitia in Tribulationibus plura mala operetur, velut iram, odium, Indignationem,*



*& alia*

*& alia opera iniuſta: è contrario Patientia ipſam triſtitiam repellens, aut ſaltem Chriſti intuitu deliniens ſuum poſſeſſorē multis retrahit à peccatis, & in virtutibus confirmat: vnde ſcriptum eſt,* patientia perfectum opus habet. *Homo itaq; huius ſeculi aduerſa propter diuinum amorem æquo animo ferens, & cōſolari, & voti compos, fieri ab ipſo Deo promeretur. Vnde ait Apoſtolus,* Tribulatio patientiam operatur; Patientia autē probationem Probatio verò ſpem. Spes autem non confundit: quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum: qui datus eſt nobis. *Poſtquam ergo tot Tribulationes patienter tulimus aſſiduis precibus cum efficaci fide inſiſtentes, nemo admiretur, ſi ab eo, qui non ex accidenti dono, ſed per eſſentiam bonus eſt, res arduas, & communem noſtri temporis curſum excedentes, conſecuti ſumus: Quas diſtinctè, & ordinatè narrabimus charitatibus veſtris: prius rogantes, vt eliminata penitùs humana ſapientia in ſimplicitate puræ fidei, purgatas nobis aures adhibeatis.*

*Florentinæ vrbis ſtatus miraculosè mutatur.*

*Cùm ego, Dilectiſſimi Ciues, veſtræ Ciuitatis ſtatum & regimen mutationi propinquum cernerem: conſiderans, quod non ſine graui diſcrimine, & ſanguinis effuſione tanta mutatio fieri poterat, niſi diuina pietas propter bonorum pænitentiam: ieiunia, & orationes opitulata fuiſſet: inſtitui Deo inſpirante aſſiduis declamationibus ad pænitentiam populum exhortari ob impetrandam ab ipſo Deo miſericordiam. Quod die Sancti Mathei Apoſtoli vigeſimo primo Septembris, anno MCCCCLXXXXIIII. totis viribus aggreſſus ad confeſſionem, ieiunia, & orationes populum excitaui: Quibus libenter ab eodem peractis Dei bonitas, iuſtitiā vertit in miſericordiam. Et nono die Nouembris ſtatus, & regimen ciuitatis ſine cruore, alioue ſcandalo, diuino miraculo mutatum eſt. Cùm autem ô Popule Florentine nouam regendi formā ſumpturus eſſes: te in templo maiori, non adhibitis mulieribus, corā Magnificis Dominis, & vniuerſis Magiſtratibus cōuocaui: Vbi poſt quā plurima de recto Vrbiū regimine iuxta traditiones Philoſophorū, & ſacrorum Theologorū diſſerui, tū declarāui, quod eſſet naturale regimen ipſius populi Florentini. Hinc ſequentibus diebus à Prædicatione non deſiſtens, quatuor facienda propoſui: Primum, diuinum timorem obſeruandum: Secundum, Reipublicæ commune bonum, priuatis, & proprijs rebus præferendum: Tertium, communem, & Integram Pacem incundam cum ijs, qui paulò antè gubernacula Ciuitatis adminiſtrauerant: Addens Appellationem à ſex fabis Dominorum, nè quiſpiam in futurum hoc medio principatum in Ciuitate ſibi vendicare poſſet. Quartum, vt conſilium amplum, & generale, more Veneto conſtitueretur, vt ciuitatis beneficia vniuerſo populo, non priuato cuiquam accepta referrentur: ne ea via elatior quis fieri poſſet. Quæ quatuor monita eſſe voluntatis Dei, vt adimplerentur aſſerui: Qui conſtituerat, vt ſub hac regendi forma, populus Florentinus in poſterum gubernaretur. Et addidi neminem, huic eius voluntati impedimento futurum, quia fabas albas Deus conuerſurus eſſet in nigras: id eſt, eum mutaturum eſſe, corda contradicentium, & effecturum, vt qui firmiter decreuerant, contra dicendo in conſilio ſuum negare ſuffragium: idem conſentiendo præberent: Atque ita prorsùs euenit, vt omnibus in Vrbe veſtra palàm eſt, multis ex ex iis, qui in principio contradixerant tali mutationi, ſe expertos fuiſſe publicè confitentibus. Non ſolùm autem auctoritate diuinæ voluntatis iſta quatuor prædicta populo ſuaſi: ſed ea validis etiam argumentis comprobaui: & demonſtraui, nullam aliam adminiſtrationis formam, tibi popule Florentine profuturam: Quam ſi ſuſciperes: tum tibi ex parte Dei pollicebar Ciuitatem tuam glorioſiorem ſolitò, tàm ſpirituali, quā temporali regimine, ac ſtatu, potentioremq; & opulentiorem futuram. Verùm propter incrudelitatem, ſtultitiam, & malitiam multorum: qui iam creato cōſilio generali, ſe Paci, & Appellationi prædictis oppoſuerunt, diuinis monitis contemptis ad iracundiam Deus prouocatus eſt: qui ſuam ità dexteram ſubtraxit, vt ego promiſſiones ab eo gratis tibi Florentia factas, hac de cauſa reuocatas, atque irritas fore vererer. Nihilominus immenſa Dei bonitate conſiderata ſuperadditis orationibus, & Ieiunijs: pòſt aliquod temporis interuallum non ſine ingenti omnium admiratione, (vt prædiximus) & Pax, & Appellatio ſuperiùs commemoratæ locum obtinuerunt. Quod mecum reuoluens, cogitaui promiſſiones diuinas culpa potiùs noſtra, ad tempus ſubtractas fuiſſe, quam amiſſas. Quamòbrem inſtauratis orationibus veſtris ad eaſdem met gratias recuperandas, me veſtro nomine apud ſummum Deum legationem ſumpturum obtuli. Demùm pòſt continuas orationes, & ieiunia, non præſumens, adhuc immediatè ad ſublimen infinitæ Maieſtatis thronum accedere, ſub qua* curuantur, qui portant Orbem: *glorioſam Virginem Dei Matrem in eius Annunciationis die, qui vobis eſt anni principium, adiui: obſecrans, vt propter huiuſmodi ſolennitatis exultationem, dignaretur apud ſanctiſſimam Trinitatem Aduocationis pro nobis munus ſuſcipere. Ipſa verò humaniſſimè id ſuſcepit, lætumque hoc nuntium eodem die tibi popule mi in Sancto Marco noſtro prædicans attuli. Inſuper per dies octauæ feſti eiuſdē perſiſtentibus nobis in orationibus nuntiaui vobis, me accepiſſe, quod in vltimo die octauæ ipſius celebritatis grata reſponſa darentur, exhortando, vt cœptam orationem, & rectam vitæ inſtitutionem perficere ſtuderetis: quò promiſſiones illæ omni gratia vſquequaque redundarent.*

*Philoſophia & Rhetorica reſpuūtur à Sauonarola.*

*Nocte igitur præueniente diem ſupremum octauæ profecturus ad reſponſum optatum accipiendum, cogitaui mihi idoneis comitibus, & congruis veſtibus opus eſſe. Conſideranti autem mihi, quas, & quales comites eligerem, plures ſe mulieres obtulerunt: inter quas prima operam ſuam Philoſophia pollicebatur, iactans grandem ſapientiam tantæ Legationi in tàm excelſo loco conuenire. Rhetorica quoque ſe ingerens, ſummam eloquentiam in hac re commendabat: Quibus ego, & reliquis humanæ ſapientiæ filiabus reſpondi: quod earum cognitio cum à ſenſibus incipiat, non ſupergreditur res ſenſibiles: Per quas ſi in aliqualem Dei notitiam deueniunt: adeò exigua eſt: vt nulla ferè exiſtimanda ſit: Tribus enim velis obducitur, ſcilicet velo accidentium; ex quibus in ſubſtantiæ corporeæ notitiam ipſæ inducuntur: Subſtantia verò corporea ſecundùm affert velum, per quam imperfectè ab Intellectu noſtro deprehenſam in conſiderationem animæ, & ſpiritalium rerum ſuccedimus: Tertium velum eſt, ipſius animæ ſubſtantia, & ſpiritalium rerum, per quas multò imperfectiùs rebus corporeis cognitas intellectus noſter in cognitionem Dei cætera omnia in infinitum excedentis aſcendere nititur. Propterea ex naturali diſcurſu, Dei cognitio valdè debilis acquiritur. Beatorum verò cognitio facie ad faciem Deum intuentium, per quem ordine oppoſito Philoſophiæ creaturas omnes ſpeculantur, perfectior incomparabiliter, & maior eſt naturali. Verùm inter has geminas cognitiones media verſatur Fides, præſtantior Philoſophiæ cognitione, & inferior, quam ſit notitia Beatorum. Quoniam autem quemadmodùm res cognoſcimus: ità, & illas nominamus, nimiùm deſpecta, & pueriles Philoſophia, & Rhetorica ex lumine rationis naturalis pendentes apud diuinam maieſtatem, & apud Beatos haberentur. Quarè, & Philoſophiam, & Rhetoricam, & reliquas ſapientias humanas tanquàm huic legationi minùs idoneas explodi: elegique Fidei, & ſapientiæ, & eloquentiæ diuinarum ſcripturarum ſimplicitatem: intùs, exteriuſque totis me viribus, omnibuſque modis induens eam ſcilicet in credendo, intelligendo, loquendo, eundo, conſpiciendo & veſtiendo, & omnia demùm ſimpliciter faciendo. Ruminabam enim diligenter illud Salomonis dicentis.* Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter. Et cum ſimplicibus ſermocinatio eius. *Aſſumpta igitur ſimplicitate Comite, adhibitis pariter Fide, Oratione, & Patientia, ad Paradiſi limina iter direximus. Domina verò Simplicitas, pulcherrimum, & pretioſum munus opertum geſtabat Maieſtati ſupernæ offerendum: cuius myſterium inferiùs declarabimus.*

*Diabolus in ſpecie Eremitæ obuiā fit Sauonarolæ.*

*Ingreſſis igitur nobis viam, eccè humani generis callidus Tentator mentiens grauem annis, & prolixa barba heremitam, obuiam factus mihi propior acceſſit: & habita ſalutatione ſic ait. Fili mi multum iam temporis vicinam hanc heremum, qua tranſis, pænitentiæ gratia colui: Modò autem reuelante ſpiritu Sancto intellexi, tuarum prædicationum fructum, rectamque tuam erga Deum, & ſalutem animarum Intentionem. Simul tamen reuelatum fuit, te ſimplicitate quadam in errorem duci. Nam ob populum à vitijs ad virtutes*





*tutes reuocandum, multas Tribulationes prædixiſti, & multa quoque bona ſimulanter pollicitus es: Quod minimè licet. Deus enim cùm ſit veritas, vult ſuos Prædicatores eſſe omnium veritate repletos. Cui ego Reſpondi. Non parum verba iſta pater admiror. Spiritus enim Sanctus, non niſi vera reuelat. Quod autem mihi obijcis, falſum eſt. Tali ſiquidem ſimulatione numquàm vſus ſum. Nec adeò ſum ignarus: vt neſciam Deum, qui eſt ſimpliciſſimæ naturæ, ſimplicitatem ipſam ſummè diligere, & odiſſe duplicitatem: quoniam ea quoquo modo ſiue in verbo, ſiue in opere mendacium eſt: Vnde ſcriptum eſt,* Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Nec ſunt facienda mala, vt veniant bona. *Sentientibus maximè doctoribus ſacris, omne mendacium à prædicatore de induſtria, in pulpito prolatum, mortale peccatum eſſe. Neque conuenire in vnum poteſt, vt per mendacia, fructum prædicando pepererim. Fructus enim ipſe, me ſimulatione caruiſſe oſtendit. Immò, vt ſæpè coram omni populo teſtatus ſum, nunc quoque teſtor, & in animam meam iuro: quod ſi vnquam ſimulationem prædicationibus meis inſerui, me Deus deleat de libro vitæ. Hæc itaq; inſpiratio tua à Spiritu Sancto procedere non potuit.*

*Tentator autem tunc ſubiunxit. Si ergo non ſimulas: cum inſueta, ac inaudita prænunties, pleriſque videtur, te à Melancolico ſpiritu ad hæc excogitanda, & proferenda moueri: vel ex ſomnijs, aut vehementi imaginatione hæc tibi imprimi. Cui ego minimè inquam pater, talem in corde meo ſpiritum ſentio: Sed ſummam lætitiam, & lumen quoddam non naturale, & phantaſmatum non naturalium repræſentationem. Cùm enim multùm temporis philoſophiæ ſtudijs impenderim: Satis intelligo, quantum naturale lumen rationis, & vis phantaſiæ ſe extendat. Et ſcio, quod ipſa non attingit ea, quæ ad me perueniunt, maximè futura contingentia: tum propter cognitionem, & omnimodam conſonantiam in interpretandis Sacris ſcripturis, ad præſentis temporis propoſitum ſine vlla earum deprauatione, aut violenta extorſione, ſeu diſſonantia, vt Auditoribus meis liquidò conſtat: Quæ quilibet mediocris ingenij ſcit, non poſſe à Spiritu melancolico, aut à ſomnijs, vel ab imaginatione vehementi prouenire.*

*Rurſus ille. Ergo aliqua conſtellatio in horoſcopo natalis tui, & cuiuſpiā planetæ, vel ſtellæ, quæ influxus ad meditanda, proferenda, & præſagienda huiuſmodi futura te inclinat: Cui ego. Pater extremæ dementiæ eſt, credere, quod cæleſtis influxus faciat præſcire futura: dicente Philoſopho. De futuris contingentibus, non eſt determinata veritas: Et quòd de talibus non eſt ſcientia, neque ars. Nullus etiam præcipuus Philoſophus Græcus aut Latinus, antiquus, aut modernus reperitur, qui Aſtronomiam hanc diuinatoriam ſectatus ſit, licèt nonnulli quædam ſcripta ab alijs edita* Alberto Magno *falsò attribuant: vt ſuis erroribus auctoritatem adhibeant. Quòd ſi diligenter ars hæc conſideretur (ſi tamen artem appellare fas eſt) nullius fundamenti, nulliuſque probationis in aſſertionibus ſuis cognoſcetur. Ego verò ſi iſtis operam darem, fatuas, & aniles fabulas me ſectari pòtius, quàm rem alicuius ponderis, vel ſcientiæ putarem. Ea enim facilitate, qua irrationabiliter affirmantur, negari ab omnibus poſſunt, & niſi nos temporis anguſtia coerceret; oſtenderem, ſuperſtitionem hanc inſipidorum, & ſtolidorum, non acutorum, & ingenioſorum hominum eſſe. Sed nobis Chriſtianum dogma profitentibus, in præſentia ſufficere debet, quod in multis Sacræ ſcripturæ locis ipſa reprobatur; inter quæ Eſaiæ capitulo quadrageſimo ſeptimo Spiritus Sanctus contrà Babyloniam loquens ſic ait.* Sapientia tua, & ſcientia tua hæc decepit te: *& infra.* Stent, & ſaluent te Augures Cæli: qui contemplabantur ſydera, & ſupputabant menſes, vt ex eis annuntiarent ventura tibi. Eccè facti ſunt quaſi ſtipula: ignis combuſſit eos, non liberabunt animam tuam de manu flammæ. *Et Hieremiæ capitulo* 10. Iuxtà vias gentium nolite diſcere, & à ſignis Cæli nolite metuere, quæ gentes timent, quia leges populorum vanæ ſunt. *Et breuiter Sacri Codices indicant, cognitionem futurorum contingentium, proprietatis tantùm eſſe diuinæ. Solus igitur Deus hæc nouit: & illi, quibus ipſe reuelare dignatur. Vnde quadrageſimo primo capitulo Eſaias ait.* Annuntiate, quæ ventura ſunt in futurum: & ſciemus, quia Dij eſtis vos. *Ideò harum ſuperſtitionum diuinatoriarum obſeruatores, quoniam quod diuinitatis eſt proprium, ſibi falsò vſurpant, grauiter peccant. Hinc eſt quòd Doctores Sancti omnes, & Sacri Canones huiuſmodi artem deteſtantur. Quapropter quicunque Aſtronomiam hanc diuinatoriam proſequuntur, non ſolùm ſtulti, & hebetis ingenij, nulliuſque Iudicij homines: ſed etiam improbi Chriſtiani ſunt. Præterea Cælum non niſi mediantibus cauſis inferioribus pro diſpoſitione materiæ operatur. Non enim exempli gratia illius iuris eſt, ex ſemine oliuæ producere vitem. Quamuis ergo Cælum in partem hominis ſenſibilem influat: non tamen eam ad alia phantaſmata, quam quæ talis patiatur natura diſponere poteſt. Ego verò pater iam diù naturam meam ſciens, multò præſtantiora phantaſmata ijs, quæ natura præſtare poteſt, in ipſa mea ſenſibili parte cognoſco. Inſuper cælum immediatè in intellectum operari nequit: quia corporeum non agit in incorporeum. Non ergo cælum poteſt influere lumen, quod ego in me præter naturale ſentio. Præterea Cælum, & natura non fabricant Artis opus, neque enim veſtes, aut domos, aut ſimilia conſtituunt. Quia ergo voces ſignificatiuæ, & verborum, ſententiarumque ſeries ad artem, & rationem pertinent: cùm ego eas ſæpè interius, exteriuſque tàm latino, quàm familiari ſermone acceperim: non poſſunt ea, quæ hoc modo audiui, & prædicaui à cælo, vel à natura prouenire.*

*Futura cōtingentia præſcire Deo propriū eſt.*

*Tentator tunc ait. Ergo hoc dæmonis opera, & potentia fieri poſſet. Potens enim eſt dæmon ea, quæ ſunt Artis, effingere, & aliquid ſupra naturam corpoream efficere: Ideò diabolica fraude certè circumueniris. Reſpondi. Sacras ego Scripturas Pater, & ſanctorum hactenus vitas, eorumque doctrinas ab initio ad finem percurri: Quibus ſufficienter intellexi conditiones omnes diabolicarum, nec non diuinarum apparitionum Nec ſolùm doctrina, ſed experientia teneo, quantum inuicem differant, longoque tempore comprobaui, has noſtras viſiones non poſſe vllo modo à Dæmone prouenire, eo maximè, quia res à me intellectæ, & prænuntiatæ multo certiores apud me ſunt, quam prima ſcientiarum principia apud Philoſophos habeantur. Vnde manifeſtum eſt, tantæ certitudinis lumen à Diabolo nullatenùs deriuari poſſe. Præterea non poteſt ipſe Diabolus ſcire futura contingentia. Quæ autem à me iam multos annos cognita, & prædicta ſunt ventura, ita vidi, & video continuè ſuccedere, vt nè vnum quidem iota præterierat: nec vnquam in minimo fuerim defraudatus. Inſuper virtutum inimicus Diabolus eſt. Atque ideo non eſt credendum, cùm ex prædicationibus meis tantum germinare fructum videat, quin ſe ſubtraxiſſet: aut ſaltem apertè me decepiſſet, vt de cætero mihi nulla fides adhiberetur: Imo, quæ de me, & de alijs Prædicatoribus concepta eſt, penitùs aboleretur. Item in Ciuitate Florentia, in qua multum temporis prædicationibus elaboraui omnes, vel fere omnes, recte, ac piè viuentes, hanc noſtram doctrinam ſequuntur. Qui vero iniqui manifeſte ſciuntur, nec Chriſtianam normam ſeruant, ipſi infeſti eam perſecuntur: ſtudueruntque varijs modis, & multis argutijs, ſinceros homines auertere & me infamem reddere: quin etiam vita priuare. Nihilominùs ſemper doctrina habuit incrementum: ſemperque vberiores fructus protulit: ità vt aſſiduè augeri diſcipulorum noſtrorum numerus, aduerſariorū vero minui conſpicitur: ſimulq; opera noſtra inualeſcere, aduerſariorum autē debiliora fieri, & penitùs corruere: Itaque pater nequaquam hæc dæmonis doctrina, aut opus eſt: Sed Chriſti: qui in ſummis aduerſitatibus ſemper doctrinam, & opera ſua voluit augeri.*

*Chriſtus poſt aſcenſionem in cælum pluribus apparuit.*

*Tentator rursùs ait. Vt libet fili mi, loquere: mihi tamen nunquàm perſuaſum erit, quod mortalium quemquā Chriſtus poſt ſuam in Cælum aſcenſionem allocutus fuerit. Reſpondi. Valdè aberras pater contrà diuinæ ſcripturæ teſtimonium. Nam in multis locis legitur illum pòſt aſcenſionem ſuam pluribus apparuiſſe, & inter alios Paulo Apoſtolo, vt in prima Epiſtola ad Corinthios Paulus idem affirmat. Hoc etenim pacto Sanctorum hiſtoriæ mentirentur. & Sanctus Franciſcus, ſe regulam à Chriſto accepiſſe profeſſus, decepiſſet mundum: Sic, & plures alij Sancti, qui colloquium cum Chriſto habuiſſe affirmarunt. Præterea ſi pro Peccatoribus Crucifixus eſt Chriſtus; Quid mirandum eſt, ſi ipſemet, aut Angeli eius ob Eccleſiæ Sanctæ vtilitatem,*

peccatorem alloquantur? Adhuc ſi quotidiè Chriſtus innumerabilium Sacerdotum prauorum miniſteria, & tractationem in altaris Sacramento non refugit, cur indignum cenſes, quòd peccatores alloquatur? Sed tantis tenebris homines modò cæcutiunt: vt quod in conſpectu Dei facillimum eſt, impoſsibile eis videatur: nec maiora admirantur, ſed rariora. Maius quippè eſt iuſtificare peccatorem, & ipſum per gratiam inhabitare, quam eundem alloqui: illud tamen non admirantur & credunt. hoc verò in allocutionem credere non poſſunt.

Tentator inquit, Fateor, priſcis temporibus, Chriſtum multos allocutum. Hac autem tempeſtate. cùm ingens ſcripturarum, & doctorum copia abundè ſupperat, non eſt hoc neceſſarium ad ſalutem. Reſpondi. Sacra ſcriptura, & doctores per ſe maximè ſufficiunt ad erudiendos homines in viam ſalutis inſtructione exteriori. Nihilominùs niſi quis internum gratiæ lumen habuerit, parum vtilitatis ex Catholica doctrina conſequetur. Ideò neceſſe eſt, interiùs à Deo lumine gratiæ perfundi: quod lumen commune eſt omnibus orthodoxè viuere volentibus. Sed præter id ſæpe neceſſarium eſt, ſpecificum magis, & particulare lumen iis præſertim: qui alios illuminare debent: maximè propter ſingularia, & circumſtantias infinitas, ex diuerſitate temporum, & conditione hominum, & varietate ſtatuum: propter quas ſæpiſsimè ambigitur: quid in præſenti, vel in futuro faciendum, vel determinandum ſit. Et niſi quis ſpecialiter diuinitùs illuſtretur, non poteſt ex ſcripturis, & doctoribus, quid magis tùm conducat, certior fieri. Non enim poſsibile eſt particularia quæque voluminibus contineri: quia tot libris capiendis vix mundus ſufficeret. Ideò iubebat Plato deſcendentem vſque ad particularia quieſcere. Quoniam verò mutatio vniuerſalis Eccleſiæ nunquàm ſine graui, & ſpirituali, & corporali Tribulatione fieri conſueuit: neceſſe eſt, Dei electos præparari, & firmiores in benè viuendo reddi: ne improuiſi offendantur. ſemperque ſi diligenter vetus, & nouum teſtamentum conſiderauerimus, omnipotens Deus, huiuſmodi mutationem præueniens, quid agendum ſit, per os ſeruorum ſuorum, eos præmonet, confortat, conſolatur, & illuſtrat. Ideò ait Amos Propheta tertio Capitulo. Si erit malũ in ciuitate: quod Dominus non fecerit: quia non faciet Dominus Deus verbũ, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos Prophetas. Cum ergo ad fecem Eccleſiam præſens peruenerit eámque Deus per multas Tribulationes renouare intendat: oportuit his temporibus, Deum per ſeruos ſuos, electis ſuis hæc flagella prænuntiare: vt præparentur, nè eis incautis, ex improuiſo ea mala ſuperueniant.

Exẽplis illud declarat Sauonarola.

Tentator. Quomodo ſcire potes, tempus renouandæ Eccleſiæ, cùm ſcriptum ſit: Nõ eſt veſtrum, noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Reſpondi. aduerte diligentiùs verba pater, Ait enim. Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta. non omnia, ſed tantùm ea, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate; vt puta diem Iudicij: in quo regnum Iſrael Chriſtus reſtituet. De quo Regno loquebantur Apoſtoli: licèt non dum qualis ea foret reſtitutio intelligerent. Certum quippe eſt, quod Diluuij tempus Noe determinatum fuit. Hieremiæ quoque ſeptuaginta annorum præſcriptio captiuitatis populi Iſrael, & Danieli ſeptuaginta duæ hebdomadæ aduentus Chriſti. Sic multis Prophetis deſignata tempora fuere, & ab eiſdem determinatè prænuntiata.

Iudicia Dei abyſſus multa.

Tentator. Cur te potius adhoc elegit Deus, quã alium: cùm multi in Eccleſia, te ſint meliores? Reſpondi, velim, & ego à te hoc ſcire pater: Cur Deus Petrum, qui iter Chriſtum negauit: & Paulum qui ipſum perſecutus eſt, elegit in Principes Apoſtolorum potiùs, quàm nonnullos alios, ipſis eo tempore meliores: Cur etiàm Lucam, & Marcum euangeliſtas faciens, præpoſuit eos hoc miniſterio multis aliis, qui eis ſanctitate præſtantiores, vel ſaltem æquales erant: Cur demum elegerit Balaam, idololatram, & iniquum hominem, potiùs, quàm multos alios eo iuſtiores, vel minùs malos: cui, & reuelaret magna Eccleſiæ, Chriſtique Sacramenta, & Angelicas viſiones, & allocutiones exhiberet: nulla horum ratio aſsignari poteſt: ſed ſolum diuina voluntas: vt Apoſtolus tractans de chariſmatibus Spiritus Sancti ad Corinthios ait. Hæc omnia operatur vnus, atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult. Idem ad Romanos de prædeſtinatione ſcribens dicit. Cuius vult, miſeretur: & quem vult, indurat. Dicis itaque mihi, quid adhuc quæritur? voluntati enim eius quis reſiſtet? O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit; Quid me feciſti ſic? Annon habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa, facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam.

Prophetia eſt gratia gratisdata.

Tentator. Ergo. Tu cæteris ſanctior es? Reſpondi. Gratia hæc Prophetica, non hominem ſanctificat. imò ſæpè peccatoribus conceſſa eſt: vt in libro Numerorum de Balaam legitur, qui licèt Prophetauerit, iniquus tamen fuit. Et Dominus noſter in Euangelio ſic ait. Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine nonnè in nomine tuo Prophetauimus? Et in nomine tuo dæmonia eiecimus? Et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos. Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Hæ ſcilicet gratiæ gratis datæ, ad alienam potiùs vtilitatem, quam ad propriam conceduntur. Præſtantius enim multò eſt, minimum Charitatis gradum, quàm omnes gratias gratis datas poſsidere; teſtante Apoſtolo. Si linguis hominum loquar, & Angelorum: Charitatem autẽ non habeam; factus ſum velut æs ſonans, aut Cymbalum tinniens &c.

Mulieres rariſsimè alloquitur Sauonarola.

Tentator. Audiui, te ſequi quarundam muliercularum viſiones tibi ea, quæ prædicas, dictantium. Reſpondi hoc neque verum eſſe, neque veriſimile. Nam, vt publicè in Ciuitate conſtat, mulieres rariſsimè alloquor, tuncque etiam breuibus eas expedio: noruntque confratres mei, quã difficilis, & inuitus ad eas accedam: nec alicuius earum vnquam audio confeſsionem peccatorum. inſuper cum illæ ſua natura mobiles, arcanum nullum celare valeant: credibile eſt, quot tot annos res hæc latere non potuiſſet. Præterea noui earum teſtimonium ſcripturis raro inſertum: licèt nonnullæ Propheteſſæ legantur. Quod ea cauſa à Deo factum puto; ne illarum teſtimonio, multum innitamur: quamuis id quoque non ſit penitus aſpernandum: ſicuti ſcriptum eſt. Prophetias nolite ſpernere. Ratio autem eſt, quod cum Mulieres ſint imperitæ, & & ſua natura habetis iudicij, & volubiles, ac valdè fragiles, ad vanam gloriam quoque procliues, Dæmonum Aſtu circumueniri ſe facilè ſinunt. quibus mihi compertis, nè credas, quod illarum Prophetiis fidens, coràm tanto populo, eas conſtantiſsimè aſſeuerarem. Quotiens enim prænuntiata non euenirent, magnum Fidei diſcrimen, & in Deum contemptus, in me verò ignominia, & grauiſsimum detrimentum redundaret.

Tentator: Aliqui affirmant, Te Principum amicitia vti: quorum ſecretis cognitis, quæ facere intendunt, ipſe prædicas. Reſpondi. Scio quanta inſtabilitate humanæ mentes, & maximè Principum corda voluantur, dum ſæpiùs pro varietate temporum immutantur. Itaque & mihi, & cuilibet ſtultitiæ imputandum eſſet; ſi quando etiam eorum ſecretis habitis, ſuper ipſorum diſpoſitione, mea verba firmarem: cum maximè pro mortali conditione, poſsint quauis hora vitam finire, propter alia impedimenta, aut aliorum obſtantium Principum, aut infirmitatum, aut humanarum varietatum ſingulis diebus, & temporibus contingentia. Idcircò quæ eis, vel per eos ventura ſunt, adeò ſunt incerta, vt ad ea omnia infallibiliter cognoſcenda, & prænuntianda, non Angelicus intellectus, nedum humanus ſufficere poſsit. Scire enim oporteret, circumſtantias omnes, & impedimenta: quæ accidere poſſent, & de eorum euentu in vtramque partem certiſsimum eſſe. Hæc autem ſolus Deus nouit: qui vocat ea, quæ non ſunt tanquam ea, quæ ſunt, Cuiuſque oculis omnia ſunt præſentia. Extremæ igitur eſſet dementiæ, futura tàm inani aſtruere fundamento.

Nec ex cognitione ſecretorum, Rerum publicarum.

Tentator. Alij dicunt, quod plerique Ciues tibi Secreta Regiminis Florentini pandunt: & ſic multa arcana, & diſpoſitiones aliorum Principum cognoſcis. quibus pariter collatis, ex acumine ingenij, & ſagaci ratiocinatione, futura coniectas. Reſpondi. Hoc reſponſione pater, indignum eſt. Quoniàm hominum eſt rudis, & parui Iudicij, qui non capiunt, nec agnoſcunt, non poſſe talia per ſimilem inquiſitionem certa diffinitione affirmari: Quibus tamen proxima obiectioni facta Reſponſio ſufficiet.





Prædicta, à Sauonarola eueniunt.

Tentator. Aliqui ſentiunt, quod ſumma Aſtutia, & peritia. Regiminum Rerum publicarum, ac principum iſta confixiſti: & ea tali ſermonis verſutia protuliſti, vt ipſis non euenientibus, excuſationis latibula tibi deeſſe non poſsint. Reſpondi. Qui ità loquuntur, iam quintus agitur annus, ex quo cæpi bellum, & ea, quæ partim iam impleta ſunt particularia multa prædicere, multò aliter dicebant: Tunc enim me ſimplicem hominem, & ab ipſa mea ſimplicitate deceptum aſſerebant: Nunc quia rerum prænuntiatarum partem impletam eſſe; partem verò, quæ reſtat futurorum per manifeſta ſigna, & certa inditia, implendam eſſe contuentur, tanquam verſipelles ad ſuam confuſionem palliandam, me aſtutum nunc prædicant, qui verba ità cautè componam, vt captionem omnem euadere poſsim. Hi tamen ſciunt, me prædixiſſe, venturum quendam, qui tranſcenderet montes, & planities, qui propugnacula, Arces & Vrbes mollium pomulorum iactu, vt vulgò dicitur, hoc eſt magna facilitate ſubigeret: quodq; Florentini contrarium ſuæ ſaluti conſilium inirent. & velut ebrij prudentia, & conſilio omni fruſtrarentur, & ſimilia multa, quæ ſuperiùs narrata ſunt, audierunt. Rurſus modò plura particularia deſuper mihi reuelanda eſſe ſpero: quæ vniuerſo populo, tàm apertè, tamque ſimpliciter prædicabo, quòd diuerſas expoſitiones nullo pacto recipient. Et quemadmodum ſi præcedentia defeciſſent, nulla poteram Interpretatione defendi ita pariter ſi futura non ſucceſſerint, confuſionem ſubterfugere non valebo.

Alias Dæmon ſtruit inſidias, quæ à Sauonarola diſſipantur.

Tentator. Intellexi apud te, reuelationes ſanctæ Brigidæ, & Abbatis Ioachim, & compluriùm aliorum haberi: quibus hæc futura diuinando prædicis. Reſpondi. Teſtor pater, quòd nunquàm cuiuſmodi lectionibus delectatus ſum, nec vnquam reuelationes ſanctæ Brigidæ, raraſque admodùm, aut nullas Abbatis Ioachim perlegi. Aliarum quoque prophetiarum huiuſmodi lectio hactenùs me nunquã delectauit: nullaque illarum apud me eſt, vt confratribus, ac familiaribus meis conſtat: qui teſtes ſunt, quemadmodùm lectio veteris, & noui teſtamenti, adeò me delectat, quòd ferè multos annos nullo alio libro, nullaue lectione alia prorſus vtor: cæterorum lectiones, vt ità loquar faſtidiens, non quia alias ſcripturas contemnam, aliorumque doctorum libri diſpliceant; Sed quòd in comparationem ipſius ſacræ ſcripturæ, dulcia quæque amara videntur. Si tamen hoc non credis: Cogita ſaltem, me non eſſe adeò leuis Iudicij, quòd tàm firmiter, quæ prædixi, certa eſſe aſſeuerarem; & ſæpe confirmando repeteram, niſi aliud fundamentum, quã iſtud à te prædictum mihi ſuppeteret. Cùm enim prophetiæ illæ inter ſacros Canones non annumerentur, non poſſum ad eas credendas, & pronunciandas, animum penitùs obfirmare. Præterea ad ea particularia prædicando perueni, vt patuit iam ſuperiùs, & adhuc inferiùs patebit: quod illorum propheticis ſcriptis minimè reor contineri. ſed quod validius eſt. Si ea pro fundamẽto me habere concederem: hoc ipſum ad habendam mihi fidem ſufficere deberet, vt peccatorum ſuorum pænitentiam homines agerent. Obiectio enim iſta, nil aliud infert q; quam hoc: Tu non es propheta: Sed aliorum prædicas prophetias. Ad quod reſpondeo. Quo quomodo vera prænuntiem: mihi ſatis eſt, dum tamen homines ad bonum conuertantur. Non enim cupio haberi propheta, cùm hoc nomen graue ſit, & periculoſum, vehementerque reddat hominem inquietum, & multas in eum ſuſcitet perſecutiones; tametſi amore Chriſti libenter feruntur. Nihilominùs propter hoc non aſſentio, me aliorum prophetias proptèr canonicas vnquã ſecutum fuiſſe: imò (vt prædixi) eas non legi: & ſi quas amici cuiuſpiam inſtigatione percurri, ſemel vix lectas reſtitui, non ſpernendo, nec approbando, ſed Dei Iudicio relinquendo: Quia omnia ſunt nuda, & aperta oculis eius.

Alienas et iam prophetias prædicaue, bonũ eſt.

Tentator. Fili iſta quæ te à Deo haberi aſſeris, in ſecreto ſeruanda eſſent: Sic enim ſanctorum Patrum documenta monent. Reſpondi ſi ita ſe veritas haberet: ſequeretur quòd Moyſes, Eſaias, Hieremias, & cæteri Prophetæ tàm veteris, quã noui teſtamenti, non rectè feciſſent, prædicando ſuas reuelationes populis, paritérq; ſcriptas relinquendo. Multi præterea Eremitæ ſimiliter non rectè feciſſent. Ità quoq; Beatus Benedictus: Beatus Vincentius ordinis Prædicatorum: Beata Catherina Senenſis: Beata Brigida, & alij ſancti innumerabiles: Quorum prophetias, & diuinas reuelationes in diuerſis legimus libris: omnes pariter erraſſent ipſas manifeſtando. Fatendum eſt ergo talia propalari non debere, niſi aut ab ipſo Deo aliter imperetur: aut proximorum charitas, Deo pariter monente nos vrgeat. Proptereà nouit vniuerſus populus Florentinus, quòd non niſi publicè de huiuſmodi loquor, nec vltrà quã mihi conceſſum eſt aut imperatum. Priuatim verò nunquam, vel raro talia confero, præterquam ſub ſigillo fidei alicui familiarium meorum. Demùm crede mihi, quod multa particularia pectori meo recondita teneo, quæ nunquam protuli, nec prolaturus ſum: niſi aliter mihi Deus inſpirauerit.

Prophetæ non ſolent prædicta à ſeipſis miraculis confirmare.

Tentator. quiſquis futura prophetat, vt credantur, debet ea miraculis confirmare: alioquin hæretici idem ſibi vſurpare poſſent. Vnde contrà te adducitur capitulum: cùm ex iniuncto extra de hæreticis. quod velle videtur, vt talia prædicans, aliquo ſigno, aut miraculo ea debeat comprobare: quod quia ipſe non ſeruas, more hæretico, ab aliquibus procedere argueris: & ab ijs hæreticus iudicaris. Reſpondi. Eiuſmodi homines, aut ignorantes ſunt, aut maligni: quia vel non intelligunt, nec diligenter examinant ſacros Canones, vel malignè peruertunt. Nullo enim loco, quod dicunt, ſcriptum reperitur: imo pauci Prophetarum leguntur miraculis claruiſſe. Vnde cum Ananias Hieremiæ contradiceret (vt patet Capitulo vigeſimo tertio ipſius Hieremiæ) non miraculis Propheta ſermonem ſuum probauit: ſed ait: Audi verbum hoc, quod ego loquor in auribus tuis, & in auribus vniuerſi Populi. Prophetæ, qui fuerunt antè me, & antè te ab initio, & prophetauerunt ſuper terras multas, & ſuper regna magna de prælio, & de afflictione, & de fame: propheta, qui vaticinatus eſt pacem: cùm venerit verbum eius: tunc ſcietur Propheta: quem miſit Dominus in veritate. Sic Ionas Propheta prædicans Niniue ſubuerſionem, nulla Populo miracula exhibuit. Demum ex iis, qui prophetarunt temporibus Regum Iſrael admodum pauci leguntur Prophetias ſuas miraculis probauiſſe. Sed quid de alijs quæritur? quando Propheta prophetarum SANCTVS IOANNES Baptiſta, miraculis prorſus caruit. ſicut ſcriptum eſt Iohannis Euangeliſtæ decimo Capitulo: Multi venerunt ad Ieſum, & dicebant, quia Ioannes quidem ſignum fecit nullum. Omnia autem quæcunq; dixit Iohannes, de hoc, vera erant, & multi crediderunt in eum. Textus aut decretalis, adductus ſuperius, contrà me, ad rem non facit: Contra illos namq; loquitur: qui ſine Prælatorum conceſſione, vel mandato prædicationis officium ſibi arrogarent, dicentes illud ipſis à Deo inuiſibiliter iniunctum: Ideò dicit prædictus textus, quod oporteret eos hoc probare, vel ſignis, vt Moyſes: vel ſcripturæ ſacræ teſtimonio, vt Sanctus Ioannes Baptiſta: qui ait, Ego vox clamantis in deſerto, ſicut dixit Eſaias Propheta. Secundum autem illorum intellectum, textus prædictus ſcripturæ ſacræ, vt demonſtrauimus, repugnaret. Ideo eos Ignorantes, aut malignos, & Canonum peruerſores iure appellauimus. Non enim opus eſt, me ſignis, aut ſcripturis probare miſsionem meam: Conſtat ſiquidem omnibus, hoc prædicationis officium mihi à ſuperioribus meis demandatum eſſe: nec me à Deo tantùm, & non etiam ab ipſis miſſum aſſero. Neque iuſtè hæreticum dicere me poſſunt. hic enim hæreticus eſt; qui pertinaciter dogma aliquid contrarium ſacræ ſcripturæ, aut diſciplinæ ſacræ Romanæ Eccleſiæ ſequi conſtituit. Ego autem neſcio, me dixiſſe, aut ſcripſiſſe quippiam, doctrinæ Chriſti, & Eccleſiæ diſſonum. Et nihilominùs quicquid ex dictis ſcriptiſue meis hactenus extat; & extabit in futurum, ſemper correctioni ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubiectum eſſe volo, paratus non ſolùm eius, ſed cuiuſcunque hominis, ſi alicubi errem, libenter ſuſcipere caſtigationem.

Mala de proximis relata cum difficultate Bona verò facilè credenda

Tentator. In ſumma. Nolo tàm citò credere. ſcriptum eſt enim. Qui citò credit, leuis eſt corde. Reſpondi. Rursùs ſcriptum eſt. Charitas omnia credit. Cùm ergo Spiritus Sanctus, harum duarum prolator Sententiarum, ſibi minimè repugnet, notandum eſt quædam difficiliter eſſe credenda: vt ſunt detractiones, ſuſurrationes

& maledicta in proximum. Quædam facilè credenda ſunt: vt ea, quæ credita ad rectam benè viuendi inſtitutionem faciunt. Quarè etiam ſi illa, quæ fides noſtra prædicat, non eſſent vera: quòd impoßibile eſt: credere tamen ea conarer: Quoniam hæc credita inducunt in tam probatam vitam: vt ea, melior nulla inueniri, aut excogitari poßit. Quædam alia indifferenter credi, vel non credi abſque peccato poſſunt: Quemadmodùm gentilium hiſtoriæ, & eius generis, pleraque. Cùm ergo, quæ à me prædicta ſunt, nec fidei, nèc bonis moribus, nec rationi naturali aduerſentur, & veri ſimilia ſint, vt multis argumentis diuerſis temporibus oſtendi: quin etiam homines ad piè viuendum inducant, ſicut experientia compertum eſt: ſequitur, vt leuitatis crimine argui non poßit, quiſquis ea faciliter crediderit. Propterea antiqui patres noſtri, vt ſancti Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius, & plerique alij in omni ſcientia peritiſſimi, in rebus quoque humanis prudentiſſimi, facilè talia credebant, etiam idiotis: modò ſiue mares, ſiuè fœminæ probatæ vita, & famæ haberentur. Nec tantùm ipſi pura fide ſuſceperunt: ſed ad vtilitatem pariter aliorum ea deſcribentes, æterna fecerunt: vt in Vitis Sanctorum Patrum: quas deſcripſit Sanctus Hieronimus, & in Dialogo S. Gregorij, & in aliquot opuſculis S. Auguſtini. & in multis diuerſorum Sanctorum ſcriptis apparet. Nos profectò nec Sanctiores, nec ſapientores antiquis noſtris patribus ſumus: qui tàm in veteri, quam in nouo teſtamento, & in alijs libris approbatis, & receptis in ſanctam Eccleſiam eiuſmodi innumerabilia pro noſtro beneficio conſcripſerunt. Tentator. Si viſiones omnes nobis relatas credamus, certè deceptos nos ſæpiùs experiemur. Ideò ſcriptum eſt. Probate ſpiritus, vtrum ex Deo ſint. Reſpondi. In hac re latet ſecretum, quod non omnes capere poſſunt: Tamen ex ſimilitudine rerum naturalium, id cunctis aperire conabor. Videmus inquam in ipſis rebus naturalibus, quòd quæcumque eandem formam habent: eandem quoque inclinationem, & operationem ipſi formæ reſpondentem conſecuntur: Sic grauia ad centrum terræ: leuia ſursùm mouentur. Par ratio in ſupernaturalibus eſt: Vt vnius ſupernaturalis formæ res, eandem ſimiliter inclinationem, & operationem ab ea forma procedentem conſequantur. Cùm Igitur lumen fidei, ſit forma ſupernaturalis vnius ſpeciei, in omnibus ſub ea fide contentis, licèt alij alijs intenſiorem eam habeant, cùmque id lumen, naturalem habeat inclinationem ad veritatem, tanquã ad proprium obiectum: non poteſt quiſque hoc lumine informatus, alicui falſitati Fidei, contrariæ, abſque corruptione, aut amiſſione dicti luminis firmitèr adhærere. ſed quotieſcunque vir ſincerus, & fidelis ſuprà ſui Intellectus captum quicquam audit, ſi ſecundùm formam prædicti luminis operatur: nunquam parti falſæ firmiter adhæret: ſed ſemper Deo, & Doctrinæ Eccleſiæ cuncta remittit. Hic notandum eſt, quod quicunque benè viuunt, & rectè ad Deum ambulant, præter commune lumen Fidei, ſpeciali lumine illuſtrantur, propter coniunctionem Charitatis cum Fide, & mentis rectitudinem, ac ſimplicitatem. Sicut ſcriptum eſt: Exortum eſt in tenebris lumen rectis corde. Ex quo lumine abſque errore inclinantur, ad diſcernendas reuelationes, & operationes diuinas. Et quemadmodùm Deus dirigit naturam, nè erret: dicente philoſopho, quòd opus naturæ, eſt opus intelligentiæ non errantis: Ità iuſtos fideles, & ſimplices dirigit in cognitionem ſuorum in ipſius Dei operum, & reuelationum ſine vllo errore. Qui itaque non vult his decipi in ſimplicitate cordis piè viuat: & à Deo in ipſam veritatem ſine errore dirigetur. Hoc modo patres noſtri ſuperiùs memorati, talia credendo, vel ſcribendo, non errabant. At nonnulli ſuperbi ſoli falluntur. Qui tunc præcipuè putant, ſe ſapientes haberi: quandò talibus rebus contradicunt, eaſque derident: qui non ſolùm numquàm, niſi fortè labijs, orant: ſed nec ſciunt de oratione, quid nominis, quid ſcilicet nomen ſignificat orationis.

Pij, ex recti addiſcernẽdas reuelationes inclinantur per Fidem.

Tentator. Video tamen, quòd ſapientiſſimi, plerique magno, & ſagaci Ingenio, & graui prudentia, omniumque humanarum rerum periti ludibrio viſiones iſtas habent: quorum auctoritate non poſſum non moueri. Reſpondi. Non nè dixi: quod ad hæc intelligenda tantummodo opus eſt benè viuere & rectè incedere in conſpectu Dei: Quoniàm his rebus humana ſapientia longè impar eſt. Immò propter eius ſuperbiam, Deus illam in tenebris, tanquàm lumine tàm pretioſo indignam deſerit: ſicut ſcriptum eſt: Abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus: & reuelaſti ea paruulis. Apoſtolus verò ait. Vbi ſapiens? vbi ſcriba? Vbi Inquiſitor huius ſeculi? Nonnè ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi? Nã quia in Dei ſapientia, non cognouit mundus per ſapientiam Deum: placuit Deo, per ſtultitiam prædicationis, ſaluos facere credentes. Et Eſaias. Vbi eſt litteratus? Vbi Doctor legis verba ponderans? vbi eſt Doctor paruulorum? Populum imprudentem non videbis: populum alti ſermonis, ità vt non poſſis intelligere diſertitudinem linguę eius, in quo nulla eſt ſapientia: ſed reſpondeant hi ſapientes vtrùm quæ ego prænuntiaui, diuinæ potentiæ, & ſapientiæ poßibilia ſint, vel non: Quòd ſi ſapiunt: non ſolùm Deo poßibilia; verùm facillima fatebuntur; & quoniam non eſt ſapientis inaniter, ac ſine ratione loqui, ſcire vellem, qua ratione, & fundamento adhæc irridenda mouentur. Nam ſi diligenter conſiderauerimus, nullam dictis noſtris rationum opponere poſſunt. Non certè demonſtratiuam: Quia materia talis hoc non patitur, prænuntiantibus nobis res futuras, & contingentes: Demonſtratio ſiquidem eſt neceſſariorum. Non etiam Dyalecticam, aut probabilem. Similes enim rationes, opinionem inducunt: quæ licèt Intellectum penitùs non confirment, quemadmodùm demonſtratiuæ faciunt rationes: tamen in alterutram partem magis inclinant; ſed quæ ego prænuntio, quantum ex cauſis naturalibus liquet, ſunt indifferentia, vt æquè ſequi, & non ſequi poßint, & quantùm ad diuinam voluntatem pertinet, pro libito Deus illa facere, vel non facere poteſt: ſine cuius reuelatione ſcire nemo poteſt, in quam partem eius inclinatio, & determinatio pendeat. Ideò per rationes Phyſicas, deficiente fundamento naturali, hæc nec probari, nec improbari poſſunt. Præterea ex ſignis adhuc reprobari nequeunt: Quia inter alia, duo potiſſimùm impugnationis vim habere videntur, quorum tamen neutrum efficax eſt. Vnum eſt, quando apparet euidenter in mundo diſpoſitio contraria ijs, quæ prænuntiata. Et hoc nihil obſtat, immò probat oppoſitum: Quia cùm Deus intendit gloriam ſuam manifeſtare, magna inſperato tempore producit, eaque ante multum temporis, nulla earum rerum apparente diſpoſitione produci facit, vt ex prophetis veteris, & nouæ legis apparet. Sic & ego cum peccata omnia viderentur, futurum de proximo bellum prænuntiaui. Nunc verò quando orbis terrarum in turbine eſt, ſummam tranquillitatem, & pacem in vniuerſo ſubſecuturam prædicto. Et cum ſe ſumme felices Florentini exiſtimarent, mala eis vaticinabat. Nunc autem cum in magnis ſunt anguſtijs, ſummã felicitatem citò ipſis affuturam denuntio. Itaque hoc primum ſignum ad improbandum non valet. Alterum ſignum fortè efficax videri poſſet, hoc eſt prophetantis vita reprehenſibili: & hoc ſimiliter non probat. Nam (vt dictum eſt) nõ nulli iniqui vaticinati ſunt, ex virtute prophetici luminis Hæc enim eſt gratia gratis data, quæ & ſtante peccato mortali haberi poteſt. Demum non apparet, quibus fundamentis hæc ſapientum irriſio præterquam eorum ſuperbiæ nitatur. Qua illi meritò confundentur. Animaduertere ſiquidem deberent, quòd cum hæc non impoſſibilia, ſed veriſimilia, & conſona ſint, vt ſuprà declarauimus non paruum confuſionis periculum ſubeunt & amittendæ gloriæ diſcrimen, pro qua omnia facientes tantum laborant: vbi ea, quæ prædiximus, euenerint. Verumtamen de eorum incredulitate minimè mirandum eſt: cum dixerit Chriſtus. In Iudicium ego in hunc mundum veni: vt qui non vident videant, & qui vident, cæci fiant.

Dilẽma Sauonarolæ contra ſapientes huius ſæculi.

Tentator. Rari admodum ſunt, qui tibi credant in comparatione eorum, qui talia habent in deriſum. Ideò durum videtur tã paucorum ſequi iudicium. Reſpondi argumentum hoc ſatis friuolum eſt. Videmus enim rectum Iudicium, perpaucorum eſſe hominũ, & per paucos eſſe ſapientes, præ multitudine inſipientiũ, quemadmodùm ſcriptum eſt: Stultorum infinitus eſt numerus. Sicut etiam pauci benè viuunt, reſpectu eorum, qui male viuunt: quia multi ſunt vocati: pauci verò electi, & in vtroque teſtamento paucos numero legimus fuiſſe illos, qui Prophetas, Chriſtum, & Apoſtolos ſequebantur, in comparatione illorum, qui eos perſequebantur. Vlterius multum intereſt inter eos, qui ex ore proprio auctoris hæc audiunt, & eos, qui ex auditorum, vel aliorum relatione inſtruuntur.

Paucorum iudicium aliquando rectius, quã multorum.

[illegible] diſcer[illegible] huma[illegible] ſapiẽ[illegible] poteſt

Quòd



Quod ſi de Auditoribus noſtris dixeris: incomparabilis eſt numerus Credentium, ad numerum eorum, qui non credunt: imò ferè nullus Auditorum noſtrorum eſt, qui non credat. Sed ſi de alijs diſputas, qui me non audierunt, fateor quidem longè maiorem eſſe non credentium numerum, quã credentium. Aliud eſt enim audire hæc intùs pleno ſpiritu ſentientem, & eius viuæ vocis impetum, rationes ſimul, & ordinem, vim verborum, & ſcripturarum conſonantiam, quam audire eum, qui recitat hæc in ſe minimè ipſa ſentientem, vel eo ſpiritu carentem; & vocem languidam, rationes mancas, & nullam ſeriem, verba arida, & incompoſita ſine ſpiritu, & quaſi exalato vigore mortua. Et ideò rectè inquit ſanctus Hieronymus. Habet, neſcio, quid latentis energiæ viua vox, & in aures diſcipuli de auctoris ore transfuſa fortiùs ſonat. Vnde ſcriptum eſt. Dabo vobis os, & ſapientiam: cui non potuerunt reſiſtere, & contradicere omnes Aduerſarij veſtri. Et de ſancto Prothomartyre Stephano legitur, quod cum aduerſus eum conſpiraſſent tot ſapientes diſputantes cum eo, non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur. Non itaque mirum eſt, ſi auctorem non audientes, increduli ſunt, cùm maximè doctrina Chriſti ab origine mundi, vſque ad præſens tempus, ſemper contradictionem perpeſſa ſit. Propter quod plerique detractores, varijs locis ſimplicium mentes facilè corrumpunt; non audito ſiquidem auctore, ſimplices ipſi leuiter ſeducuntur.

Tentator. Multi aſſerunt plura, quæ non euenerunt, te pronuntiaſſe: proptereà nec reliquis à te prædictis credũt. Reſpondi. Quicquid de rebus futuris à me publicè prædicatum eſt, aut iam ſucceſſit, aut omninò ſuccedet. nec vnum iota peribit. Sed notãdum eſt, quod ſeorſum, & priuatè loquenti, quoniam homo ſum, & tunc loquor vt homo aliqua fortè excidere, mihi minùs vera potuerunt: tamen nulla me huius rei conſcientia, vel recordatio arguit. ſemper enim veritatem eloqui ſtudeo. Si tamen hoc quandoque contigerit, aut ex lapſu linguæ: aut de futuris more humano, vt fieri ſolet, non ex ſpiritu coniectando potuit euenire. Proptereà ſæpè in Pulpito monui, nè priuatè confabulanti mihi alia fides, quã cæteris hominibus adhibeatur. Exceptis tamen his, quæ de futuris particularibus ſuperno lumine cognitis, præſertim adimpletis, partim proculdubio adimplendis, quibuſdam familiaribus meis contuli. Inſuper non ignorandum eſt, quod Spiritus propheticus, non ſemper præſto, adeſt ipſis Prophetis: ſed abit, & redit pro Sancti Spiritus voluntate, nec cum præſens eſt, omnia reuelat ſed plura, vel pauciora: prout vult. Sic Natham Propheta ædificationem templi Dauid ex proprio ſpiritu ſuaſit, dicens ei. Omne quod eſt in corde tuo, vade, fac, quia Dominus tecum eſt. Poſteà iubente Spiritu Sancto, dictum ſuum reuocauit: Sed quidam ſtolidè me allocuti, iactarunt, quod dum mecum colloquerentur, eorum cordium arcana non nouerim, ac ſi inferre vellent, quod quilibet Propheta, par Deo ſit, & omnia nouerit: Erratis neſcientes ſcientias, neque virtutem Dei. Magnus Propheta Heliſeus, quando ipſum audiuit Sunamitis: cuius obierat filius, ait. Anima eius in amaritudine eſt, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi. Multi quòque ad me tentandum acceſſerunt, quoniam inter prædicandum, dicentẽ audiuerant, quod aſtutia ſua fallere me non poſſent: nec intelligebant, illis meis verbis, hoc me voluiſſe ſignificare, quod ſcilicet ad prædicandum inconuenientia ſuis Artibus me inducere non poſſent. Quicquid enim in Pulpito pronuntio, priùs in trutina orationum, & ſcientiarum, rationumque naturalium, aut experientiæ, aut fideliſſimorum teſtium librare conſueui. Non autem ità proptereà dixeram, quin mihi ſecreta ſuorum cordium celare non poſſent: quorum ſolus Deus ſcrutator eſt: Et licèt multi in rebus alicuius momenti, vel ponderis, me decepiſſe arbitrati ſint: fraudes tamen eorum ſæpè, antequàm eos audirem, ſæpè verò poſt non me latuerunt. Cuius rei teſtes eſſe poſſunt, non tantum aliqui ex domeſticis meis: quibus hæc ſecretò commiſi: Sed ipſimet fraudulenti; qui ſuas machinationes diſſolutas, & dolos detectos fuiſſe cognouerunt. Hanc tamen obiectionem partim à nonnullis religioſis, licèt paucis, emanaſſe reor: Quos ex charitate admonens, de latentibus aliquibus ipſorum culpis reprehendi: Quorum aliqui incorrigibiles ſemper eas negauerunt: Quæ tamen ex manifeſtis ſignis, & inditiis, proceſſu temporis palàm facta ſunt: quã quã illi nihilominùs adhuc pertinaciter in ſua proteruia perſiſtunt: Alii verò nonnullis neceſſariorum ſuorum confeßi ſunt: me vera eis prodidiſſe. Licèt coràm quibuſdam aliis, rurſùs id ipſum erubeſcentes negauerint. Hic etiam error ex Calumniatoribus proceßit, mendacia multa fingentibus, verbis noſtris ſubtrahendo, vel addendo pro arbitrio ſuo: Et ſic ſuorum errorum me actorem faciunt. Poteſt etiam hoc ab iis, qui me prædicantem audiuerunt, deriuaſſe, qui verba noſtra non acceperunt eo ſenſu quo prolata fuerunt. Quare neceſſe mihi fuit, ſæpiùs eadem repetere: Et hac de cauſa, ſcribere inſtitui, quicquid de futuris publicè prædixi: vt omnes, quæ prænuntiauerim, intelligere valeant, & mihi de cætero non aſcribantur, quæ nè cogitaui quidem: & demum vt ſic defendatur à tot calumniis doctrina Chriſti.

Prædicta à Sauonarola euenĩũt.

Tentator. exiſtimo, quod tibi iam plurimum conduceret ſilere; factus es enim populi Florentini, imò totius Italiæ fabula. Reſpondi. ſtudium meum eſt, Deo, non hominibus placere: quia, vt inquit Apoſtolus, ſi adhuc hominibus placerem; Chriſti ſeruus non eſſem. Nec ſum adeò parui Iudicij, vt neſciam, omnes, qui talia prædicant, à ſapientibus huius ſeculi ſtultos haberi: Quibus cum Apoſtolo dicam. Nos ſtulti propter Chriſtum: Vos autem ſapientes. Sed illo tempore, quo iuſti ſtabunt in magna conſtantia, aduerſus eos, qui ſe anguſtiarunt, ſpero, me auditurum, voces horum ſapientium, qui ſic dicent. Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabimus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Eccè quomodò computati ſunt inter filios Dei: & inter ſanctos ſors illorum eſt.

Placere Deo non hominibus ſtud. Sauonarolæ.

Tentator. Si tantummodo ridiculus fieres, parui pendendum eſſet. Sed inſuper odio haberis, & in ſummo vitæ diſcrimine verſaris. Melius itaque tibi conſuleres: ſi amodo deſineres. Reſpondi. ſicut prædixi. Non adeo inſanio: quin ſciam, quod omnes increpare, & nulli hominum conditioni parcere, eſt odia contra ſe grauiſſima concitare. Sed tanto magis corroboror, quanto doctrinam, cepta, & opera noſtra ſimiliora video doctrinæ, atque operibus Chriſti, Apoſtolorumque, & Sanctorum Prophetarum: qui propter veritatem ludibrio, & odio habiti, & immanes perſecutiones perpeßi ſunt quod prædeſtinationis diuinæ ſignum eſt, dicente Chriſto, Beati eritis, cùm vos oderint homines & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſus vos mentiẽtes propter mè. Gaudete, & exultate: quoniàm merces veſtra copioſa eſt in Cælis. Sic enim perſecuti ſunt Prophetas: qui fuerunt ante vos.

Odio haberi ab hominibus prædeſtinationis ſignum eſt.

Tentator. Satis iàm noui, quod neque ex ignorantia, neque ex fatua ſimplicitate peccas: Quoniàm taliter obiecta noſtra ſoluiſti: vt oſtendas, te non leuiter ad dicendum hæc futura moueri. Quamuis autem, alia multa opponi poſſent, tamen cum pluribus, atque difficilioribus reſponderis, facillimè cætera confutares. Si igitur iſta ſic ex ignorãtia nõ prædicas: cum ea multis erronea videantur; ſequitur ſecundum aliquorum opinionẽ: vt dolosè ad conquirendam gloriam, dignitatem, & opes, talia confingas: Quod fili deteſtabile eſſet. Reſpondi, & dixi. Licèt me ore proprio iuſtificare non liceat: tamen ne Chriſti Doctrina calumniam patiatur qua potero modeſtia, reſpondebo. Superius dixi, quod propheticum lumẽ nequaquã iuſtum facit hominem: & me quidem fateor peccatorẽ, & diuina miſericordia indigentem. Sed notandum eſt hoc verbum Dei ad Samuelẽ Prophetam, Homo videt, quæ patent foris, Deus autẽ intuetur cor. Ideò qualiſcunque vita mea ſit, bona, vel mala, ſolus Deus, (non alius) iudicare habet. Omnes enim nos oportet pręſentari ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti: vt referat vnuſquiſque, quæ geſſit in corpore. Qui igitur de me ita ſentiunt, mero iudicio, ſine fundamento ducuntur: quia pectoris mei arcanum, & finalẽ prædicationis meæ intentionẽ rimari non poſſunt, præterquã ex ſignis exterioribus: ex quibus quantum capit hominis Iudicium, in eo, quod de me malè præſumũt, nullũ poſſunt educere fundamentũ. Nam (vt ſi aiunt) finis meus bonus non eſt, cum omne agens agat propter finẽ, neceſſe ſit, vt poſthabito Deo, finis prædicationis meæ, ſit aliquod tẽporale bonũ. Temporalia autẽ bona triplicia sũt: Quia aut sũt extra hominẽ, vt ſunt diuitiæ, honores, gloria, poteſtates, & dignitates: Aut intrà hominem, & in parte ſenſibili: Vt robur, ſanitas, forma, & voluptas: aut intra ipſum hominem, & in intellectuali parte, ſicut ſcientia, & eloquentia, & aliæ gratiæ gratis datæ.

Opor-

Oportet ergo ad proferendum de me tale iudicium, cum eiuſmodi hominibus ea, quæ latent in corde meo, intueri non liceat: ipſos aliquod ſignum extrinſecum ac manifeſtum in argumentum adducere: ex quo horum aliquid aut omnia ſimul appetere comprobarent: Sed nullum vt reor, verum afferre poterunt: Nam dicere non poſſunt, quod diuitias quæram, notiſſimum eſt enim me, & confratres meos ad parcitatem, & tenuitatem ſimplicis victus iuxtà rectam normam ordinis noſtri eſſe redactos ità vt Ciues Vrbis huius teſtificari poſſint, nos in nullo præter ſobriæ vitæ neceſſaria ſibi eſſe moleſtos. Neque potentũ, & diuitũ amicitiã, aut familiaritate vtor: imò in prædicationibus meis ſemper illorum effrenatis deſiderijs reſtiti. Et ſi ſequamur Iudicium carnis & ſanguinis, multũ queri de me poſſent, quamuis ſecundum ſpiritũ, gratias agere Deo deberent de operibus, quæ per me ipſe in eorũ fecit vtilitatem. Rurſus obijci mihi non poteſt, quod honoris, & gloriæ ſim appetens. Nàm vt prædiximus, & experti ſumus, in annuntiandis futuris, irriſio potiùs, quàm honor acquiritur, maximè apud magnates: apud quos, animales homines, & mundani ſapientes, exiſtimationem, & gloriam adipiſci conantur. Si quis enim in gloriæ, & honore finem conſtituat: ipſum, hæc quærere apud inopem, & infimam plebẽ, vndè nihil emolumẽti ſperari poteſt, & à potentibus, ludibrio, & odio haberi, ſuprema dementia eſſet. Nec me ad dignitates Eccleſiaſticas aſpirare dici rationabiliter poteſt. Nã ſcitur, quâ viâ noſtris temporibus ad eas perueniatur. Ego autem eius oppoſitum in prædicationibus meis ſeruaui. ſemper tamen generaliter, ac de ijs, quæ publicè patent locutus ſum: nec quenquã particulariter aut nominatim, vel per tales circumſtantias, quæ vnũ aliquẽ poſſent taxare, notaui. Et nihilominus odium potius, quam beneuolẽtiam eorum, ad quos eiuſmodi dignitatum collatio ſpectat; aduerſus me concitaui. Non tamen idcircò ad illos reconciliandos, & blandiendos adductus ſum: quod tamen obſeruãt, qui dignitates procurant. Adhuc in bonis corporeis fundamentũ ſuæ opinionis habere non poſſunt. Non enim vacare poſſem voluptatibus, quãdo id palam fieret, maximè confratribus meis, qui quotidianæ vitæ meæ arbitri, meos labores mẽtis, & corporis optimè nouerunt. Quod ſi quis noſſet, quam laborioſum ſit, vt cætera omittam ſolum prædicandi onus, tot annos in eadem Ciuitate, continuum, præſertim cũ intentione fructum afferendi, & deſiderio ſalutis animarum: longè aliter ſentiret. Et quamuis fortè minùs licere videatur, cuiquam de ſe, & de vitæ ſuæ moribus loqui: tamen hoc mihi in præſentia concedatur, & pro reſponſione ſufficiat: quod nihil in me deprehendi poteſt, propter quod prædicationes meas ad finem bonorum corporis, me ordinare iudicari liceat: & ideò inaniter loquuntur.

Cæterùm in parte intellectiuâ fundari nequeunt, afferentes finem prædicationum mearum, eſſe oſtentationem ſapientiæ, aut eloquentiæ. omnibus enim liquidò conſtat, quã ſimpliciter prædicem, quodque ſapientiæ, & eloquentiæ fucos prorſus deuitem. Neq; ego iſta laudis meæ gratia dixi. Quia in conſpectu Dei propter hoc non ſum iuſtificatus: Sed vt oſtendam calumniatoribus doctrinæ noſtræ, imò Chriſti, eos ſine fundamento moueri, & Iudicium cordis, quod ſolius Dei proprium eſt, ſine euidentibus ſignis ſibi arrogare, quòd ſi tamen in laudes meas incidiſſe videbor, cum Apoſtolo reſpondebo, In Inſipientia, dixi, & vt inſipiens factus ſum, vos me coegiſtis.

*Separatio quorumdam aliquorum Conuentuũ à Congregatione Lombardiæ, licitè facta à Sauonarola.*

Tentator. miror, quod malitiæ tuæ ſigna exteriora, & manifeſta, neges apparere, quandoquidem omnibus innotuit, te, à Congregatione Obſeruantiæ fratrum Lombardiæ ſeparatum. inſuper ſegregaſti conuentum Sancti Marci Florentiæ, & Sancti Dom. Feſularum, & alia loca eis annexa, nè obedientiæ ſubeſſes: ac veluti Dominus durante vita, Prioratum tibi vendicaſti. & hoc modo, pulchrum ſtatum ad gaudendum comparãſti. Reſpondi. ſeparationem hanc ſolus ego facere nequiuiſſem, abſque conſenſu fratrum conuentuum prædictorum, qui plureſque centum, licet non vno tempore conuentu Sancti Marci, præueniente, conſenſerunt in vnũ. vt ex publico patet Inſtrumẽto. Iique omnes non exiſtimandi ſunt tàm ſtulti, aut mali, quin diſcernerent, vtrùm hæc ſegregatio laudabilis, vel damnabilis foret: cum maximè plus ſex menſibus hac de cauſã, deuotas ad Deum preces, quater, & quinquies in die congregati celebrarent. Et ex effectu manifeſtè apparet, ſeparationem hanc, non ad relaxationem, ſed ad reſtrictionem intendiſſe. Non enim propterea à profeſſionis noſtræ obedientia declinamus: cuius forma eſt, quod promittimus obedientiam Deo, Virgini MARIAE & ſancto Dominico, & Magiſtro Generali totius Ordinis ſeu Priori, aut alicui præſidenti, gerenti locum Generalis: Ita quod profeſſio noſtra, alligat nos obedientia Generalis: non autem congregationis Lombardiæ: Et nos ita ſeparati, obedientiæ ipſius Generalis ſubiecti ſumus. Prouincia verò Thuſciæ iuxta noſtras conſtitutiones diuiſa eſt à Prouincia Lombardiæ. Et vna naturaliter, non præeſt alteri: ſed olim cum propter grauem peſtem conuentus ſancti Marci legitimo patrum numero deſtitutus, ſibi non ſufficeret: Regimini congregationis Lombardiæ ſponte ſe commiſit. Nunc diuina gratia ſuppetente, copioſo patrum numero ita ſibimet gubernandis abunde ſufficiant: non eſt inconueniens, quod ad conſuetum ſtatum, conuentus idem legitime redierit: quia ceſſante cauſa ceſſare debet effectus: præſertim cum mores Lombardorum, & Thuſcorum inter ſe ſatis differant. Quod autem me Priorem perpetuum ſtatuerim, alienum eſt à vero. Immò Pontificium breue, ſegregationis, mea opera ita impetratum eſt: vt ſcilicet Prior, expleto anno à die electionis ſuæ caſſus, & abſolutus remaneat & in arbitrio fratrũ ſit, eligere, quẽ ipſi maluerint. Quod annuatim obſeruatur. Hoc inſuper anno inſtitutus eſt per biennium Vicarius, Caput totius congregationis noſtræ, ita vt exacto biennio cedat alij, & ſubditus ſit more cæterorum fratrum ſaltem per integrum ſequẽs biennium, & tali ordine res ſine dominandi facultate ſuccedunt. Nempe qui dominationis ambitu obedientiam deſerit, non ſe arctioribus regulis alligat: ſed liberiorẽ vitã quærit, luxuique, eſus, potus & indumentorum dat operam, ac lætam vitam ducit. Quæ in noſtra Congregatione minimè conſpiciuntur: Sed reuerà, maxima concordia, & charitas, quæ cum ambitione non conueniunt. Quia ſcriptum eſt. Inter ſuperbos ſemper Iurgia ſunt: ſed quia prolixum nimis eſſet, omnes afferre cauſas: quæ me ad ſeparationem hanc induxerunt: ſola hæc, dummodo credatur, ad præſens ſufficiat: Verumtamen ſiue credatur, ſiue non credatur, eam minimè prætermittam, ſciens, quod coram Deo veritatem dico, & non mentior. Nulla me ad hanc ſeparationem ambitio, nec voluptatis, aut quietis corporalis ſtudium impulit. ſciunt enim confratres Lombardi, quod neque honoris, neque quietis copia mihi in Lombardia deerat. Sed diuina fuit voluntatis, vt ita facerem: Et eodem lumine, quo cætera futura prædixi, hanc quoque ſeparationem aggreſſus ſum. Sic Deus voluit, Sic inſpirauit, Sic impulit, ſtatuens, multa per nos in partibus, Ethruſcis operari, præcipue Florentiæ: Quorum aliqua iam facta perſpeximus. Reliqua breui perſpiciemus: Quæ non niſi præcedente ſeparatione prædicta fieri potuiſſent.

*Eadem ſeparatio, Deo inſpirante, & volente facta.*

*Probat ab effectu.*

Tentator. Si hoc diuinæ voluntatis eſſe ſciebas, quid opus erat: vt mendicatis ſecularium, & humanæ potentiæ ſuffragijs, Pontificium Breue ob ſeparationem iſtam procurares: Reſpondi. Cum Deus aliquid monet faciendum: nihilominus vult: vt pro conditione temporum, expedientia media tententur. Sic ergo præſentis temporis ratio poſtulabat. voluit quoque Deus, difficultatem contradicentium maximam nobis opponi: vt ſe huius rei auctorem, non homines, eſſe indicaret. Teſteſque habeo confratres meos, quemadmodum in illa ſumma diſceptatione ipſos exhortando ſæpe ita confirmabam quod ſcilicet, ſi totus orbis nobis obſiſteret, de victoria tamen ſecuri eſſemus: aſſeuerans, hanc eſſe Dei voluntatem, ſicuti denique demonſtrauit effectus.

*Regimini Florentinorum diuinitus conſulit Sauonarola.*

Tentator. Hoc vnum tuas inficit reſponſiones, quoniam te ſtatui, & Regimini Ciuitatis Florentiæ implicas, & videris appetere principatum: quo tibi libet populum trahendo. Reſpondi. Quicunque me nouerunt, ſciunt, quod ante hac ſemper huiuſmodi negocijs publicis abſtinui, hac vice duntaxat excepta. In nouo enim Florentinæ ciuitatis ſtatu, & in ſummo eius periculo videbatur officij mei eſſe, conſulere, quod quomodo ea gubernanda foret. Nec tamen ſine diuina inſpiratione publicæ ſaluti vtilia, & neceſſaria ciuibus ſueſi, non autem eos coegi. Poſtquam verò bona regendi forma ſuſcepta eſt, nouerunt omnes, me poſtremo docuiſſe, vt ante omnia, Dei timorem ſemper

ſibi



ſibi proponant; & in cunctis rebus grauibus tractandis, priuſquam aggrediantur, orationes fieri procurarent: nec ad me vlterius veniant. Cupio enim ocium tranquillitatis meæ ſequi: niſi interdum Deus aliter inſpirauerit, vel me charitas ipſa coegerit. Neque enim ab officio conſulendi requiſitus, deſiſtam. Nullus autem iuſtè, quod hactenus egi, carpere poteſt, dicendo forſitan. Nemo militans Deo, implicat ſe negocijs ſecularibus, vt ei placeat, cui ſe probauit. In rebus enim tanti ponderis, atque etiam minoris, plures ſcilicet viri, & potentatuum & Dominorum, Populorumque curam piè ſuſceperũt: vt notum eſt ſacrarum hiſtoriarum lectoribus. Vnde etiam Sancta Chaterina Senenſis, non obſtante muliebri ſexu, ſæpè propter commune bonum, ſe publicis rebus interpoſuit, in tantum vt pro Florentinis ad Summum Pontificem Gregorium XI. Auinionem vſque, nec multo pòſt, pro Pontifice ipſo ad Florentinos, legationem ſuſceperit. Hoc pacto Reſpublicas tractare pòſt pacem vniuerſalem, & propter homines ad Iuſtitiam, & bonos mores inducendos, ac denique propter communem animarum ſalutem, non eſt, ſe rebus ſecularibus implicare: nec ſic illa Apoſtoli verba ſunt interpretanda. Sed eſt Spiritales, ac diuinas res populi procurare, vnumquodque enim ſecundum Philoſophum, denominari à fine iuſtum eſt.

*Publicis rebus propter commune bonũ ſe immiſcere, pium eſt.*

*Regimen à Sauonarola propoſitum, Florentinis perutile.*

Tentator. Iſta excuſatio admitteretur: Si populum Florentinum, ad bonum aliquid regimen exhortatus eſſes. Sed quod ſuaſiſti regimen, videtur prudentibus, & rerum peritiam, atque vſum habentibus, periculoſum: Committere enim rem tanti momenti moderamini plebis, & è manibus eripere potentum, ſine graui periculo ſtare non poteſt. Reſpondi. Si regimen hoc rectè conſideretur: bonum, & naturale eſt populo Florentino. Nam omnis bona gubernatio in tres ſpecies à Philoſophis diuiditur. Prima, quando multitudo ab vno ſolo, plena poteſtate regitur. Qui ſi iuſtus extiterit, ea optima eſt. Secunda eſt Paucorũ potentũ, & ſapientũ adminiſtratio: quæ Ariſtocratia, id eſt, optimatum potentatus nũcupatur. Tertia verò eſt, quando Ciuitas, ſiue Prouincia, multitudine populi gubernatur: & hæc Politia vocatur: Quæ quidem antiquo ritu, Florentinis competit, & hanc ipſi populare regimen appellant, vt vetus conſuetudo ex eorum magiſtratibus, oſtendit: quorum ſingulorum, præſertim illorum, ad quos propria gubernatio Reipublicæ ſpectat; quarta portio artificum eſt. Non itaque plebis tantum, ſed totius populi regimen eſt, videlicet omnium, qui ad ineunda officia habiles ſunt; id eſt, qui præfinito quodam tempore ciuilitatis munus obtinuerunt. Et quoniam facile potentes, quo voluerint, plebem impellunt: modum Ciuitati dedimus, Politici regiminis, vel popularis: Quo ſeruato, nemo poſthac potens, aut inopum, aut amicitiarum poterit, Tyrannidem conſequi: nec niſi virtute præditi extollentur: Securi quoque in ſua Ciuitate, Ciues degent: nec alicui quemquam iniuſte licebit opprimere. Dabitque modus hic maximè vnionis, & pacis cauſam. Quare tria tantum hominum genera (vt ſæpè palam feci, & experientia compertum eſt) ſuper hac re conqueruntur. Ambitioſi ſcilicet, vitioſi, & ſtulti, quia niſi emendentur, iam non valebunt ita facile, quem indignè appetunt, gradum obtinere. Nec vero conſonat, vt id regimen ſit periculoſum: Nullo enim modo plebi, ſed, nec abſolute Populo, vel optimatibus creditum eſt. ſed quilibet poteſtatem, vel auctoritatem ſuam à generali conſilio obtinebit, & maturè, quidquid deliberandum erit, ponderabitur. Nam eidem conſilio nobiles, & prudentes rebus gerendis aſſueti interueniunt, & in tanto hominum conuentu, rarus error committi poterit; maxime quando modus hic regendi vſu iam validior, & elimatior effectus fuerit. Nihil enim repentè perfectum. Et quando demum omnes Ciues habiles, non tertia pars tantum, vt modo, in conſilium conuenient: ſicut ipſi conſtituere intendunt: Quod nondum executioni mandatum eſt, propter defectum loci publici, tam numeroſi conuentus, capacis. Semper igitur integra rei poteſtas penes hoc Conſilium ſeruabitur: nec facile ab aſpirantibus ad Tyrannidem, corrumpi, aut vitiari poterit tanta in vnum conueniens hominum multitudo: corrumpere ſiquidem tam multos difficile, & quodammodo impoſſibile foret: maxime quia ſemper ante eius Conſilij examen, acceſſiti à Dominis Collegæ ipſorum cõſulentur. Deinde etiã Conſiliũ rogatorũ: qui octoginta viri ſemper ferè ex primoribus Vrbis examini rerũ occurrentiũ addicti ſunt: vt in noua reformatione huius regiminis continetur. Quibus adhibebunt in rebus arduis iudicium, & examen aliorum prudentium, & probatorum Ciuium. Hoc itaque regimen quanto magis procedit, tantò magis à malorum, & ſtultorum infectione Ciuitas purgabitur: omneſque ciues, honeſtam vitam, & virtutem ſequi cogentur, vt per id Generale Conſilium, adminiſtrationes ſuæ conditioni competentes ſortiantur: Admiſſiſque ad eas ſolis ſenſatis, & dignis Ciuitatis, & in temporalibus, & in ſpiritualibus optimè, feliciterque gubernabitur. Nec aſſiduè diuerſis ciuium diſſenſionibus laborabit: quæ quàm ſint Reipublicæ pernitioſæ, neminem latet. & domi Ciues ſecuri quieſcent. facientque ciuitatem ipſam, virtutum, & diuitiarum copia florere: demum ad Iniuſtitiam fouendam nemo cogetur: ſed cuncti vitam, qualis bonos, & perfectos Chriſtianos decet, amplecti valebunt.

*Quibus ingratum regimen à Sauonarola inſtitutum.*

*Attentata à Sauonarola ex bono animo proceſſiſſe oſtẽditur.*

Tentator. Ad Summam tuæ iſtæ excuſationes multorũ animis non quadrant; quia Hypochryſis conceptus ſuos cautè tegere didicit. Reſpõdi. Scio, quod cunctis hominibus ſatisfacere impoſſibile ſit: quia non eſt ſeruus maior domino ſuo. Nam cum Chriſtus errare non poſſet: Nihilominùs Scribæ, & Phariſæi ipſum, non eſſe ſeductorẽ, credere non poterant. Mihi ſufficit oſtendiſſe, quod Iudicium, & murmur eorum, qui de cordis mei Intẽtione iudicare præſumũt, omni exterioris ſigni fundamento prorſus careat: quodque ipſorum verba, ex non bonæ radice procedant. At ego quidem tametſi, me peccatorem accuſo, poſſem bonis rationibus, & fundamentis oſtendere res noſtras à malitia non prouenire, vt illi calumniantur; cùm iam oſtenderimus, eas ex ignorantia non emanare. Primò quidem, quia Deus conſentire nequitiæ, & illam adiuuare non poteſt, ſed eam reprobãdo ſemper infirmiorem efficit. Ex prædicationibus verò noſtris, duo apertè cernuntur. quæ non niſi à ſolo Deo fieri poſſunt: qui ex eis probat hanc noſtram doctrinam, ab ipſo. non ab humanæ malitia proceſſiſſe: vnum ſcilicet eſt, quod magna pars eorum, quæ pronuntiaui, ad vnguem, vſque ad minimum iota, iàm verificata, & adimpleta eſt. Alterum verò mutatio Florentini Populi: qui taliter à vitijs ad virtutes; & ad bonã viuendi rationem ſe tranſtulit, vt quilibet apertè fateatur, nunquam recenti memoria hominum, parem eius in vtroque ſexu mutationem, atque Simetriam, & numero, & merito apparuiſſe. Inſuper reformatio ciuitatis, quæ apud omnes impoſſibilis exiſtimabatur, noſtrarum prædicationum monitis effecta eſt. Poſſem hoc loco, plurima commemorare, miraculo digna in ipſa ciuitate, per nos, Dei gratia, ſubſecuta: quæ cauſa breuitatis omitto. Præterea veriſimile, & verum eſt, quòd Deus iuſtus, & optimus parẽs omnium, bonos potiùs vero lumine, quod malos illuſtret: & malos potiùs, quã bonos in errorem labi permittat. Cùm ergo doctrinam hanc omnes boni vrbis Florentinæ ſequantur: qui verò culpabilem, aut indignam Chriſtiano vitam ducunt, vel ſaltem non bonum teſtimonium habent, ipſam impugnent: conſentaneum eſt, hanc doctrinam non ab errore, vel aſtutia, ſed ab ipſo Deo originem traxiſſe. Non eſt quoque veriſimile, quin hæc verſuta malignitas, tot annis, quot Florentiæ duxi, detecta fuiſſet. Maximè cum Florentini, ſuper omnes homines callidiſſimi, & vitæ alienæ ſcrutatores, curioſiſſimi ſint: præſertim cum mihi ab iniquis multæ inſidiæ, & calũniæ inſtructæ fuerint, tàm per religioſos, & presbyteros, quàm per Laicos; & cuiuſcunque ordinis homines, conflictis, etiam excommunicationum, criminationũq; litteris. Quod ſi error, aut dolus in noſtris prædicationibus latuiſſet: certè, certè inquã in hũc vſq; diẽ, celari nõ potuiſſet. Sed veritas in difficultatibus ſemper creſcẽs, & in pugna valẽtior inſurgens; eo qđ tunc magis eluceſcit, cũcta ſuperauit. Et ſucceſſiuè magis adaucta, maiori nũc robore viget, quam anteà vnquam.

*Et à Deo traxiſſe originem.*

Tentator, tandem (vt vera loquar) mihi videretur, vt circa vtilia, & virtutes, more aliorum prædicatorum inſiſteres, communemque eorum ſtilum ſequereris: nec te ſingularem exhiberes. Nam hæc futurorum diuinatio, nullum animabus fructum parit, & oſtentationis potiùs, quàm veritatis, aut probitatis ſpeciem præfert. Reſpondi. Ab effectibus cauſæ cognoſcuntur. Cùm ergo maxima vtilitas ad ſalutem animarum ex hac materia, & ex hoc prædicandi genere, vt omnibus notum eſt, redundauerit: patet hanc noſtram prædicandi formam, & hæ futurorum prænuntiationes, haud eſſe, ſicut

tia dicas

tu dicis inutiles: imò vel maximè vtiles, ac fructuoſas. homines enim ad pænitentiam inducunt, & Dei electos præparant ad futuras tribulationes æquanimiter ferrendas; quia tela præuiſa minus feriunt. Et licèt omnes ad Deum non conuertantur: tamen electi, quorum gratia hæc prænuntiata ſunt, multum inde proficient: ſicut ſcriptum eſt: Oſtendiſti Populo tuo dura: Potaſti nos vino compunctionis: Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus: vt liberentur dilecti tui. Quod ſi alii non crediderint: certè electi credent: in quorum vtilitatem hæc nobis donata fuerunt: ſicut ſcriptum eſt. Crediderunt omnes, quotquot præordinati erant ad vitam æternam. Cùm iam multum temporis in huiuſmodi diſputatione cum tentatore conſumpſiſſem, reſpiciens demùm ſocios noſtras, vidi eas confabulari, & de me ſubridere: conuerſuſque ad illas, dixi. Qui ſunt ſermones; quos confertis ad inuicem, & eſtis lætæ? Reſponderunt. Quia videris, neſcire, quis iſte ſit, qui tecum loquitur. Tunc ad Dominam Orationem propiùs accedens, rogaui, vt mihi indicaret, quiſnam is eſſet. At illa. Tu te implicuiſti in diſputationem humanæ ſapientiæ: quæ ſtultitia eſt apud Deum. Et ideò iſtum, qui hactenus tecum diſputauit, non agnouiſti: verùm Dominæ ſimplicitati te iunge: quoniam omnes inimici aſtutias ea optimè nouit. & ideò quod cupis, ipſa docebit. Dominæ igitur huic adherenti mihi ſtatim oculi aperti fuere: cognouique illum, non heremi Monachum, ſed humani generis eſſe Tentatorem. Tum me colligens cum quatuor Sodalibus noſtris dixi. Impiè Sathan nil tibi aſtus, & artes tuæ proderunt: quibus ſimplicium corda peruertere, & à Fide abducere contendis. Nobiſcum enim erit manus Dei valida: Qui opus ſuum creſcere faciet. Tu verò cum angelis tuis tandem confunderis. Quibus dictis repentè diſparuit, maximis aera ſtridoribus implens. Hic pacificè ceptum iter proſequentes, ad portas Paradyſi peruenimus. Quem murus eminentiſſimus pretioſorum lapidum circumdabat: videbaturque ambire vniuerſum mundum: ſuper quo cuſtodes angeli in circuitu reſidebant, dulciſſimè cantantes hæc Eſaiæ XXVI. capitulo ſcripta. Vrbs fortitudinis noſtræ Syon: Saluator ponetur in ea, murus, & antemurale. Nec mora ianuam pulſauimus. Tum illi ſubdiderunt. Aperite portas, & ingredietur gens iuſta, cuſtodiens veritatem. Noſtræ autem Comites eleuatis in cælum oculis reſponderunt: Vetus error abijt, ſeruabit pacem: pacem quia in te ſperauimus. Et Angeli melliflua voce retulerunt. Speraſtis in domino in ſeculis æternis in Domino Deo forti in perpetuum. Itaque timor procul ſit à vobis: Deſideria enim veſtra implebuntur: & humana ſuperbia confundetur. Quia incuruabit Deus habitantes in excelſo, Ciuitatem ſublimem humiliabit: humiliabit eam, vſque ad terram: detrahet eam, vſque ad puluerem: conculcabit eam pes, pedes pauperis: greſſus egenorum. Et inter hæc verba ſenſibus reſerari valuas, intuſque cantari; Semita iuſti recta eſt: rectus callis iuſti ad ambulandum. Nos autem ad Deum conuerſi reſpondimus. In Semita Iudiciorum tuorum domine ſuſtinuimus te: nomen tuum, & memoriale tuum in deſiderio animæ. Quibus ego auditis, in feruorem vehementer excitatus, vocem extuli dicens. Anima mea deſiderauit te in nocte: ſed, & ſpiritu meo in præcordijs meis de mane vigilabo ad te. Cùm feceris Iudicia tua in terra, Iuſtitiam diſcent habitatores Orbis.

*Cognoſcit Sauonarola humani generis tentatorem, eiuſq; artes.*

Poſt hæc verba mox patefacta fuit Ianua, & immenſo illuſtrati ſplendore, inenarrabilia vidimus: Quorum partem in progreſſu noſtri ſermonis enarrabimus.

*Obuius fit illis Ioſeph B. Virginis ſponſus.*

Antequàm Ingrederemur, factus eſt nobis obuiam Sanctus Ioſeph ſponſus, & cuſtos immaculatæ Virginitatis illius: ad quam pro noſtræ legationis reſponſo tendebamus: qui priuſquam nos introduceret, ait: Dominus vobiſcum. Nos contrà. Benedicat tibi Dominus: ſubdidimusque. Pater Sancte, quia ſponſa tua Virgo, & Mater Dei, in die Solennitatis ſuæ Annunciationis pro Florentinis, Aduocationis munus ſuſcepit, ob recuperanda promiſſa propter eorum peccata ſubtracta: & intra octauã ſignificatum nobis fuit, quod in die octauæ bona nobis reſponſa darentur: In hac nocte reuerſi ſumus, vt nobis rerũ particularium ignaris aperiantur, quæ læta noua populo Florentino, craſtino mane nuntiare poſſimus. Nobiſcum idcirco pulchrũ hoc munus detulimus: ſimulque eligentiſſimam coronam, quam Domina geſtabat ſimplicitas, deteximus: Cuius forma talis erat.

*Coronam adferunt; eiuſque forma deſcribitur.*

Tres circuli, ſiue tres Coronæ ſimul colligatæ magnitudine impares, ita gradatim ſcandebãt, quod ſuperior minor erat inferiori. Primæ Infimæ Coronæ circulus amplior, duodecim gemmis pretioſis virore Iaſpidis, in morem cordium humanorum exciſis connectebatur. Amplior vero pars cordium inferius, & acutior ſuperius, quemadmodum Coronarum pinnulæ collocata erat: & in ima margine cordium Canticum Zachariæ, Benedictus Dominus Deus Iſraël, & cætera, duodecim diſtinctum verſiculis, veluti faſciola quædam, ſiue redimiculum, illa pari numero corda claudebat. Deinde per vtraque latera cordium à baſi, per ſummum cuſpidis, ad ipſam baſim reflectendo inſcriptum erat, Aue Maria: & in medio ſingulorum cordium nomen IESVS fulgidiſſimum radiabat. In cuſpidibus quoque cordium, ſingulæ Margaritæ ſupereminebant. ſuper quibus duodecim vexillula viridia erigebantur: & in eis duodecim priuilegia Virginis, deprecatorijs verbis continebantur inſcripta. Videlicet duo relata ad Patrem æternum. Primum enim Sponſa vera Dei Patris: Quia Deus Pater, & ipſa eundem habent Filium: Secundum ſponſa Dei Patris admiranda: quia ſicut ab æterno Pater, filium in Cælo ſine matre, ita eundem ipſa in terris ſine patre genuit. Duo alia ad Filium referuntur. Primum. Mater Dei, Secundum. Mater ſui Patris. Nam Dominus Ieſus Chriſtus, filius eius eſt. Idemque Deus, & Creator omnium ipſam creauit. Duo per relationem ad Spiritum ſanctum, Sacrarium ipſius Spiritus ſancti ſingulare, quoniam ab ipſo ſingulariter, gratijs omnibus impleta fuit. Item Sacrarium ineffabile Spiritus ſancti: Quia Idoneam eam reddidit, vt eſſet Mater Creatoris vniuerſi. Duo illius Virginitati competunt. Primum. Virgo Virginum; Nullæ ſiquidem Virgo huic comparanda eſt, quæ nec mortalis, nec venialis peccati maculam habuit. Secundum: Virgo fæcunda. Sola enim, & Virgo, & Mater eſt. Duo in comparationem triumphantis Eccleſiæ & vniuerſi orbis. Primum eſt, Regina ſola mundi; cùm vera ſponſa, mater, & Sacrarium Regis totius machinæ exiſtat, qui Deus eſt Trinus, & vnus. Secundum. Regina ſuper omnes creaturas honoranda. Deo namq; ſoli debetur honor Latriæ, tanquam primo principio, & gubernatori rerum omnium. Beatis vero cultus tantum Duliæ tribuitur, conueniens iis, qui diuinæ beatitudinis ſunt participes, aut qui propter aliquam aliam dignitatem ipſius Dei vices gerunt. ſed quia præter hæc, Glorioſa Virgo Mater Dei eſt, & honore cæteris ſanctis longè excellit. Hyperdulia veneratur. Duo vltima priuilegia, Eccleſiam militantem reſpiciunt: Primum eſt, Dulcedo cordis iuſtorum, quia per eam gratiarum copiam à Deo impetrant, ipſiuſque amor ſauo, & mel e ſuauior eſt animas, & corpora caſta mirabiliter efficiens. Secundam ſpes peccatorum, atque miſerorum: ob illius namque praces, & merita impetrare ſperant à Deo miſericordiam. Hæc igitur duodecim priuilegia, totidem vexillulis, vt dictum eſt, inſcripta ſic erant, Sponſa Dei Patris vera, ora pro nobis. Sponſa Dei Patris admiranda, intercede pro nobis. Itaque in hunc modum ſimiliter cætera. Super hac prima Corona ſecunda contractiori Orbe decem corda ex margaritis candidiſſimis more inferiorum diſpoſita continebat. Quibus inſcriptum erat, in imo canticum Virginis Magnificat, in decem verſiculos pro cordium numero diſtributum, & quodlibet eorum circumſcriptum habebat vnum ex decem legis præceptis. In medio quoque ſingulorum Rubinus conſitus erat. In humilitate verò Calcedonius: ſuper quo vexillulum niueum cordi cuilibet inſidebat. Decem igitur hæc vexillula, inſcriptionem, decẽ petitionum noſtrarum & ciuitatis Florentiæ continebant. Prima petitio talis erat. In omnibus fiat ſemper Dei voluntas. Secunda. Ante omnia honorem, & gloriam Dei deſideramus, Tertia Renouationem Eccleſiæ petimus. Quarta. Salutem omnium fidelium optamus. Quinta. Pro ſalute animarum noſtrarum ſpecialiter deprecamur. Sexta. Remiſſionem Peccatorũ populi Florẽtini. quæ promiſſione olim diuinitus factas ſuſpenderunt, expoſcimus. Septima. Precamur, vt flagella, quæ populus meretur, auertantur.

*Duodecim priuilegia B. Virginis in vexillis inſcripta.*

*Quæ Petitiones in vexillis conſcripta.*





tantur. Octaua, vt copia gratiarum, & ampla dona Spiritus S. eidem ciuitati tribuantur. Nona Petimus abundantiam Diuitiarum, & propagationem Imperij, vt hæ gratiæ in alios quoque populos diffundantur: Decima, & ſuprema, vt quicquid boni hactenus promiſit Deus, in integrum Florentinis reſtituatur. Huic ſecundæ Coronæ tertia minor ſuppoſita, eminebat ex quatuor cordibus flammantium Carbunculorum. In imo quorum cordium ſcriptum erat canticum Simeonis videlicet. Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, in quatuor verſus ſimiliter diſtributum: Circumque illa quatuor euangeliſtarum nomina ſingula ſingulis referebantur. In medio verò vnumquodq; eorum coruſcantem crucem, & in vertice topazion præferebat, ſuppoſitis totidem Flameſcentibus vexillulis: Quorum in primo legebatur. Cuſtodiam Angelorum vrbi Florentinæ poſtulamus. In ſecundo Perfectorum Præſulum, & Prælatorũ adminiſtrationẽ flagitamus. In tertio. Sanctorum Prædicatorum doctrinam poſcimus. In quarto. Numeroſam Cleri feruidi, Presbyterorumque, & religioſorum ſanctorum copiam petimus. Denique ſuper hac coronula cor vnum ex multis paruulis cordibus ſimul iunctis mirificè conglobatum, & variis diſtinctum coloribus eminebat: cui illud Domini verbum circundatum erat. Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. In hoc cognoſcent omnes, quod mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. In vertice autem cordis huius pulcherrima Smaragdus rutilabat, talibus inſignita verbis. Eſt eis cor vnũ, & anima vna in domino. Eidẽ Smaragdo paruus Crucifixus præfixus erat, cum vexillulo ſic inſcripto, fiat pax in virtute tua, & abũdantia in turribus tuis. Propter Fratres meos, & proximos meos, loquebar pacem de te. Propter domum Domini Dei noſtri quæſiui bona tibi. Radij autem auri puriſſimi circũluſtrantes has tres coronas, & omnia ſimul decentiſſimè connectebant. Hoc itaque munus eſt, quod æterni Regis maieſtati per manus glorioſæ Virginis matris decreuimus offerre pro impetrãda diuina miſericordia, & pro redintegranda promiſſarum nobis gratiarum reſtitutione.

Interrogauit nos Ioſeph, quid ſignificaret huius coronæ myſterium. At ego Reſpondi. Scio mi pater id à te non ignorari. Sed quoniàm ad maiorem noſtri cõſolationem declarari, exigis: breuibus abſoluam Coronam hanc, populus Florentinus Virgini Matri Dei. ſponſæ tuæ conſecrauit pro recuperandis gratiis olim ſibi promiſſis, primò Canticum Zachariæ, vel ſi qui ipſam ignorarẽt: pro eo Symbolum Fidei, videlicet Credo in Deum Patrem, Deindè duodecies Aue Maria, Et ipſius ſponſæ tuæ dilectæ Canticum. Magnificat anima mea Dominum, & vltimo loco canticum Simeonis. Nunc dimittis ſeruum tuum Domine. quotidiè deuotiſſimè perorantes. Nec ipſam Coronã lingua tantùm, ſed corde, & opere perfecerunt. Primus ergo virentium cordium circulus, incipientes ſignificat, qui nouiſſe pænitentiam cum viriditate Fidei, agere cæperunt: vniones verò ſupereminẽtes, conſcientiæ eorum purgationẽ oſtendunt: hi ſiquidẽ deſiderantes in ſpiritalibus proficere, Deo corda offerunt pro ſe, & pro tota ciuitate, rogantes: quemadmodum in vexillulorũ titulis ſignificatur. Secundus candidiſſimarũ Margaritarũ orbis, proficientes, deſignat, qui non tantum à conſcientiæ reatu mundi, ſed etiã à terrenis affectibus liberi, diligentiſſimè diuina præcepta obſeruant. Rubinus medijs cordibus affixus, eorum Charitatem oſtendit. Calcedonius in ſummitate locatus, operationes amore flagrantes indicat, & bona, quæ præbent proximis exempla virtutum, quibus multi peccatores compuncti, ad pænitentiam ità ducuntur, ſicut per Calcedonium Solis repercuſſione, aut confricatione feruefactum paleæ attrahuntur. Ideò digni ſunt: vt de petitionibus in vexillulis expoſitis exaudiantur.

*Interrogationi S. Ioſephi reſpõdet Sauonarola. Coronarum myſteriũ explicans.*

Tertia Corona cordium ex carbunculis in morem Flammæ, noctem illuſtrantibus, Perfectorũ eſt, qui quamq; perpauci ſint; oẽs tamen diuino ſuccenſi amore, vehementer ardent, non ſolùm præcepta, ſed etiam conſilia euangelica obſeruantes, & in medio peccatorum, rubram crucem geſtant, deſiderio martyrij: quod pro Chriſti nomine exoptant. Topacius Cordibus ſuppoſitus, qui colorem auri puriſſimi, & cœleſtem claritatem obtinet, dumque radijs ſolaribus opponitur, gemmarum omniũ ſplendorẽ exuperat, operationem, & doctrinam perfectorum à Chriſto Ieſu, ſole Iuſtitiæ irradiatam ſignificat: Propterea ij, non niſi res eximias, & ſpiritales depoſcunt. Cor ex multis compoſitum in ſupremo coronæ vertice eminens, concordiam, & charitatem iuſtorum omnium repræſentat, ſimulque publicam pacem inter ciues nouiſſimè ſancitam. Quam cũ prius facere neglexiſſent: Iratus Deus, illis deſtinatas gratias ſubtraxerat. Nunc autem poſtquam ipſi Deo gratam ſcilicet pacem pepigerunt, in integrum ea beneficia reſtitui deprecantur. Ex ſmaragdo, ſupremo cordi, ſuperlocata innuitur, Spes conſequendi à Deo viriditatem vitæ æternæ, & in hoc ſeculo gratias promiſſas. Radiorum autem aureorum contextus, & ordo, conſenſum, & ordinem Incohantium, Proficientium, & Perfectorum in operibus, & orationibus eorum atteſtatur: Tunc ſanctiſſimus ſenex Ioſeph hilari vultu, apprehenſa dextera mea nos introduxit, & occluſa Ianua dixit. Fœlix ſit iter veſtrum. Eſtote læti. Nam ſicut dictum fuit vobis, grata noua accipietis. Eleuatis autem oculis, conſpeximus ampliſſimum pratum, amœnis Paradiſi floribus refertum: in quo vndique viui, & criſtallini fontes placido murmure ſcaturiebant. Illic innumera manſueti gregis multitudo, ſicut agni niuei, & armillini, cuniculi quoque & eius generis candidiora niue animalia innoxia inter varios flores, & virentes herbas, mira voluptate iuxta fluentes aquas colludebant. Hinc frondoſæ diuerſi generis arbores. floribus, & fructibus ornatæ: in quarum ramis auium diuerſi coloris ingens copia, huc, & illuc miro ordine volitantium, dulci modulamine concinebat. In media igitur regione, vidi excelſum thronum: qualis tertio libro Regum thronus Salomonis deſcribitur in hunc modum.

*Introducũtur ſodales cum Sauonarola in paradiſum*

Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem: & veſtiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat ſex gradus, & ſummitas throni rotunda erat in parte poſteriori, & duæ manus hinc, atque inde tenentes Sedile: & duo Leones ſtabant iuxta manus ſingulas: & duodecim Leunculi, ſtantes ſuper ſex gradus hinc, atque inde. Non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis. ſuper quo throno ſpecioſiſſima, & gratiſſima domina reſidens infantem ſole ſplendidiorem gremio fouebat: & ſuper vtriuſque verticem admirabile lumen irradiabat, fere medium inter cælum, & terram ex tribus faciebus emanans, & vniuerſum orbem illuſtrans. Videbaturque trina illa facies ipſius admirabilis Dominæ intuitu ſummopere delectari, & eaſi pluſquam omnia, quæ in meo conſpectu erant ſuo lumine perfundere, eidemque pariter, ac Filio ſumma iucunditate, & feſtiuitate geſtiens arridebat, ita vt mortali linguæ exprimere impoſſibile ſit. omnis enim lætitia, & iubilatio earum facierum in Filium, & Matrem prorſus intendere videbatur. infinita miniſtrorum multitudo, res viſu ſtupenda, circa thronum ordine aſtabat: cuius admirando conſpectu attonitus & tantam Lucem pro humana imbecillitate ferre non valens: ſtatim cecidi in faciem meam. Sed ab Angelo cuſtode meo, & à Duce noſtro Ioſeph refocillatus, & erectus in pedes, Rogaui Ducem ipſum, vt tanti Sacramenti myſteria mihi aperire dignaretur. qui grauiſſimè ita reſpondit. Hoc eſt myſterium renouationis Eccleſiæ in vniuerſo mundo: quam iam multos annos mortalibus prænuntiaſti, Muri pretioſis lapidibus conſtructi, deſignant Doctores, Prædicatores, & Prælatos omni virtute præditos: qui tunc temporis Eccleſiam tutabuntur. Angeli ſuper mœnia diſpoſiti, indicant Prælatorum cum Spiritibus Angelicis familiaritatem futuram, quorum cuſtodia ipſi prælati muniti illuminabuntur. Porta veteris, & noui teſtamenti, ſacram ſcripturam ſignificat: per cuius fidem quilibet fidelis Chriſtianus intrat Eccleſiam. Flores per campum varij virtutes, quibus replebitur mundus, figurant. Riuuli aquarum ſunt diuinæ gratiæ, quæ tunc affluent: ſicut ſcriptum eſt. omnes ſitientes venite ad aquas. Et item Qui ſitit, veniat ad me, & bibat. Et iterum Qui vult, accipiat aquam vitæ gratis; & qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum: Sed aqua, quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Animalia innoxia deſignant Chriſtianos in operibus actiuæ vitæ conſtitutos: Qui tunc vitam adeo ſimplicem ducent quod opes, & temporales facultates parui facient & inter virtutes, & Chriſti chariſmata exultabunt. Aues Chriſtianos ſignificant, & Religioſos contemplationi deditos: qui ſuper arborum ramis, id eſt, in culmine virtutum, diui-

*Excelſum thronum conſpiciunt in eoque Deiparam cum ſuo Filio.*

*Illius myſteria Sauonarolæ à S. Ioſepho declarantur.*

*nas concinent Laudes, & pennis intellectus, per Eccleſiæ, & ſcientiarũ Sacramenta aſſiduè diuina contemplabuntur. Mirabilis ille Thronus cum aſtantium miniſtrorum ordine, triũphantem prætendit Eccleſiam, quæ hac renouatione tantum lætabitur: quod inſpecta Chriſtianorum in Carne Angelica vita: dignabitur inclinare ſe, & conuerſari cum eis, non inuiſibiliter ſolùm, ſed etiam per corporei viſus ſpeciem: vt de priſca Eccleſia legitur. Lumen ex tribus faciebus emicans, ſanctiſſimæ Trinitatis imago eſt: quo vniuerſum orbem radijs ſuis Illuſtrat, ſpecialiter tamen amplioribus donis, & ſingularibus prærogatiuis humanitatem Chriſti cumulauit. De hic Matrem ipſius glorioſã: quam in throno ſedere conſpicis, Chriſti incarnationem repræſentantem: quam ipſa Annuntiationis ſolemnitas repræſentat. Thronus ipſe demonſtrat ſingulare virtutum ornamentum, Matri ab Vnigenito ſuo dilecto collatum. Ebur enim candidum, puriſſimam eius virginitatem refert, cum, propter elephanti caſtitatem, tum propter oſſis eius candorem. Propterea ſcriptum eſt.* Fecit Rex Salamon thronum de ebore grandem. *Salomon interpretatur pacificus, quod Saluatori noſtro conuenit: qui veram pacem detulit in terras. Ex copia auri throno circumpoſiti, ipſius Virginis charitas immenſa demonſtratur. Ideo in textu ſequitur.* Et veſtiuit eum, auro fuluo nimis. Sũmitas throni rotunda, *contemplationem indicat: quam ipſa Virgo de Diuinitate habebat, initio, & fine carente. Subdi*turque in parte poſteriori: *quia Mater hæc, dum in carne mortali vitam ageret, Deum facie ad faciem non intuebatur, ſed per ſimilitudines creaturarũ, ipſum contemplabatur. Quẽadmodum dixit Deus Moyſi,* Videbis poſteriora mea: faciẽ autẽ meam videre non poteris: *Licèt Credendum, quòd quandoque adhuc in vita mortali, diuinam eſſentiam viderit: ſed iuxta communiorẽ eius vitæ mortalis conſuetudinẽ nunc loquimur.* Sedile, *Throni humilitatem ſignificat: quæ omnium virtutum eſt fundamentum.* Duæ manus, ſedile tenentes, *geminæ ſunt cognitiones, ſcilicet Dei, & ſui ipſius quibus tanquàm manibus humilitas immobiliter retinetur.* Duo leunculi *iuxta manus, in proſperis, & aduerſis fortitudinẽ figurant: quæ per humilitatem mortalibus conceditur.* Gradus, *quibus thronus ſcanditur, indicant merita diuerſa Sanctorum, quæ Virgo glorioſa longè ſupergreſſa eſt.* Duodecim leunculi, hinc, atque inde, *ſuper ſex gradibus, Sanctos veteris, & noui teſtamenti inſinuant, illam vnanimiter laudantes, & magnificantes: quos iuxtà ſingulorum ordines, tibi in progreſſu noſtro per partes declarabo. Videbiſque* non eſſe factum *ſimile* opus in vniuerſis regnis.

*Ingentem Infantium multitudinem conſpicit Sauonarola.*

*Hos igitur inter Sermones ad thronum propiùs accedens, ecce vidi aduenientem innumerabilem multitudinem infantiũ in albis cum candidis, & odoriferis Floſculis in manibus, & circum tempora adeò minutis, atque placidis vt margaritæ, & gemmæ potiùs, quàm flores viderentur, qui ſumma cum iucunditate canebant.* Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini. Sit nomen Domini benedictum, &c. *Et Interrogatus à me Ioſeph, Quinam eſſent: reſpondit. Nonne in Zacharia legiſti? Plateæ Ciuitatis Hieruſalem complebuntur infantibus & puellis ludentibus in plateis. Hi ſunt infantes: qui per parentum fidem, vel ſacrificia in lege naturæ: aut per circumciſionem in lege ſcriptæ, ab Abrahæ circumciſione incipiendo, aut por virtutem baptiſmatis in lege gratiæ ſaluati ſunt.*

*Illi autem honorabiliores cicatricibus fulgidi, & rubentibus Floſculis ornati, ſunt Innocentes propter Chriſtum ab Herode trucidati. Propinquantes igitur illos ſalutaui, & dixi.* Adijciat Dominus ſuper vos, *ò Pueri ſancti, ſcilicet corporum gloriam veſtrorum* ſuper vos & ſuper fratres veſtros. *Qui reſponderunt.* Benedicti vos à Domino, qui fecit cælum, & terram: *dixeruntque, Cur vos mortales, ad nos immortales veniſtis? Reſpondi, me oratorem eſſe Florentinorum, rem ſimul omnem, & quid mihi cauſa eſſet aperiens. Rurſus ipſi.* Niſi conuerſi fueritis & efficiamini, ſicut paruuli non intrabitis in regnum Cœlorum. *At ego,* Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt. *Pro nobis itaque orate: vt ita ſiat. Tunc plenis manibus Floſculos candidos Coronæ noſtræ ſuper ſparſerunt, dicentes. Hæ ſunt orationes noſtræ, quæ ad optatas vobis gratias impetrandas adiumento erunt: precabimurque, vt in Ciuitate Florentiæ Deo duce, pueri bene inſtituantur in Religione Chriſtiana, & in amore Ieſu Chriſti: qui noſtri gratia ob ineffabilem bonitatem ſuam, & ipſe infantiam ſubire dignatus eſt. Sicque aliquot eorum nobis relictis, cæteri à nobis digreſſi, vultibus in Sanctam Trinitatem intentis, curuatiſque genibus ſupplicabant.*

*Nos vero procedentes, ad gradus Throni peruenimus: vidimuſque ante primum gradum, ingentem multitudinem virorum, & mulierum, vaccinijs tenuiſſimis inſtar gemmarum redimitam, in gyrum circa thronum inter virentes herbas, & amœnos flores reſidere. Interrogantique mihi:* Qui ſunt hi domine mi? *Dixit Ioſeph. ſunt vtriuſque ſexus coniungati: qui piè, & caſtè in matrimonio vixerunt: & Ideò vaccinijs ornati ſunt. Licet enim in adminiſtratione terrenarum rerum fuerint, quibus præpediti, ſe mortales tantum attollere humo nequeunt; quantum, qui vitam cælibem ducunt: tamen affectu ſuo ab ipſis terrenis remoto, ſummã virtutum fragantiã inorbe reddiderunt inſtar huiuſmodi redolentis violæ: quæ quamuis non in altum concreſcat: grata tamen, & odorifera exiſtit. Quos ergo à dextra, leuaque iuxta primum gradum ſedere conſpicis, in cauſa tua potiſſimos Aduocatos habebis, teque aliorum omnium nomine alloquentur. A dextera quidem Beati Ioachim, & Anna glorioſæ Virginis Mariæ parentes primi conſpiciuntur. A leua ſunt beati Zacharias, & Heliſabeth, ſcilicet Ioanni Baptiſtæ parentes: Quos vt vidi, ſumma veneratione ſalutaui dicens.* Adijciat Dominus ſuper vos, ſuper vos, & ſuper filios veſtros. *At illi reſponderunt.* Benedicti vos à Domino, qui fecit Cælum, & Terram. *Expoſitaque eis profectionis meæ cauſa, & coronæ myſterio, poſt ſuaues ſermones, quæſiui ſuarum orationum ſuffragia. A quibus mox pulcherrima duo ſerta perexigua vaccinijs contexta, baſibus duorum cordium primorum applicata fuere; dixeruntque, hæc ſunt orationum noſtrarum monumenta, quæ vos adiuuabunt. Rogabimus quoque, vt concedat Deus ciuitati Florentinæ tantum gratiæ, quod ibidem coniugia caſta, & immaculata ſeruentur, pro reuerentia tanti Sacramenti: per quod Chriſti, & Eccleſiæ vnio ſignificatur. Dehinc ex toto agmine quatuor illi nos ſecuti ſunt: vt ſuo nos fauore proſequerentur. reliqui autem eorum comites, precibus ſe deuotiſſimè dederunt.*

*Chorum quoque coniugatorum conſpicit, illorũq; ſuffragia obtinet.*

*Aſcenſuri igitur primum gradum conſpeximus vtriuſque ſexus multitudinem eminentiorem prima, albis ornatam violis paruulis, & in morem gemmarum rutilantibus: quas à Garofilorum fragrantia, plerique eodem vocant: ſciſcitantique mihi,* qui ſunt hi, Domine mi? *Sanctus Comes, & Pater Ioſeph ait. Hi ſunt viri, & mulieres: qui amiſſo virginitates flore, aut viduitatis, aut caſtitatis ſancta iura inuiolabiliter ſeruarunt: Ideoque violis prædictis albis, non lilijs decorantur. Primarum ab vtraque manu, altera eſt ſancta Anna vidua Phanuelis filia. Altera Maria Magdalena, præcipua Aduocata veſtra, à ſuo cœtu, in veſtrum ſubſidium delecta.*

*Itẽ à Choro Viduarum.*

*Quibus Salutatis earumque ſimul orationibus impetratis, re tamen prius expoſita, oblata ab eis fuere nobis duo ex prædictis violis niueis ſertula, & duobus cordibus proximis coronæ applicita: dixeruntque. Hæ ſunt orationes noſtræ: quibus Deum precamur, vt viduis vtriuſque ſexus, & omnibus, qui quouis modo virginitatis lilium amiſerunt in Ciuitate Florentia, caſtitatis munus infundat. Relictiſque in oratione Comitibus ſancta Anna & ſancta Maria Magdalena, nos ſecutæ ſunt.*

*Et Choro Virginum.*

*In Secundo gradu, eminentior ordo virorum, & mulierum candidiſſimis lilijs redolens circum thronum videbatur. & conuerſus ad Ioſeph, dixi* Qui ſunt iſti, Domine mi, *Reſpondit. Hi ſunt virgines vtriuſque Sexus. A dextris Sancta Catharina martyr, à ſiniſtris Beata Catharina Senenſis peculiares Aduocatæ veſtræ reſidẽt. Quæ more prædicto à nobis ſalutatæ, & in fauorem noſtrum exoratæ, duo ſerta liliorum tenuiſſimorum, ſed mirè olentium appenderunt, pollicentes, ſe ſummum Deum precaturas, vt Virgines Florentiæ illibatam, perfectè ſeruarent, & dedicarent Chriſto Virginitatem: Orantibuſque alijs nos ambæ Catharinæ comitatæ ſunt.*

*Et Doctorũ Eccleſiæ.*

*Tertium gradum Sanctus Zenobius, & Beatus Antoninus præſules, & paſtores Florentiæ primi poſſidebant: Qui gradus ſacris Eccleſiæ Doctoribus dicatus erat: atque omnes floribus hyacintinis, qui vulgo flores aliſu dicuntur, cæleſtem Contemplationem ſuo colore ſignificantibus, coronabantur: qui poſt dulcia colloquia, exigentibus nobis eorum preces, pariter duo ex eiuſmodi floribus ſerta, duobus coronæ, cordibus addiderunt ſupplicantes, vt Sancti Paſtores, & illuſtrati deſuper doctores, ac feruidi prædicatores Florentiæ concederentur.*





*Sanctorum quoq; Martyrum preces eſflagitant, & impetrant.*

*Quarto gradu noſtro aſpectui oblatus eſt ingens numerus præferens occiſorum ſpeciem, qui tamen viuebant ſplendidiſſimis, & in morem ſtellarum micantibus vulneribus inſigniti: erantque rubentibus, & pulcherrimis roſis circumſpecti. Hunc ergo SS. Victorioſiſſimũ exercitũ admirans, interrogaui ſanctũ Ioſeph.* Qui ſunt hi, Domine mi? *Reſpondit.* Hi ſunt, Qui venerunt ex magna Tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni. *Primi à dextera ſanctus Stephanus protomartyr, à leua ſanctus Sebaſtianus reſidebant. Ab illis igitur more ſolito ſalutatis, & rogans, duo rubentium ſerta roſarum ſequentibus coronæ Cordibus appenſa fuere: Dixeruntque. Hæ noſtri Chori orationes ſignificant ſupplicabimusque pariter omnes, vt promiſſæ vobis gratiæ reſtituantur, & à diuino Amore Florentinorum, animi ſuccendantur, vt martyrium pro Chriſti nomine ſubire non recuſent.*

*Item SS. Apoſtolorũ & Euangeliſtarum.*

*Quinto gradu rari admodum: Sed ea gloria, atque dignitate vt ſua virtute cæteris præſtare viderentur. Quærentique mihi:* qui ſunt hi Domine mi? *Reſpondit Ioſeph.* Iſti ſunt viri Sancti: quos elegit Deus in charitate non ficta: & dedit illis gloriam ſempiternam: Quorũ doctrina fulget Eccleſia, vt Sole, Luna: candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Saphiro pulchriores: *videlicet Sancti Apoſtoli, & Euangeliſtæ: Quorum à dextera Sanctus Ioannes, dilectus domini Ieſu diſcipulus: à ſiniſtra ſanctus Marcus, domus fratrum tuorum patronus, cauſæ veſtræ præcipui fautores adſunt: omnes autem rotis carnei coloris delicatiſſimis ornati erant: Candorem enim Innocentiæ, ſimulque diuini Amoris ruborem, & ſuauem virtutum omnium odorem illæ indicabant. Ipſi ergo audita ſalutatione, & obſecratione noſtra, duo ſerta ex eiſdem roſis more aliorum, coronæ addiderunt, orantes, tantum gratiæ ciuibus Florentinis ab ipſo Deo concedi: vt per eos Apoſtolica vita, & primeua Eccleſiæ perfectio renouaretur. Et hoc ordine duodecim corda illa virentia, totidem diuerſorum colorum ſertis ornata fuere. Nemo exiſtimet, ſertorum illorum Floſculos magnitudini, & corpulentiæ horum inferiorum coæquari: imo quia orationes valde ſpiritales ſignificabant: ita tenues, & graciles erant Floſculi prædicti, & ſerta ex eis tã miro artificio contexta dependebãt, vt impoſito Diademate, capiti, nullã Frontis partẽ nõ modo occupaſſent, verũ prolymitæ faſceola coronæ margini apertiſſimè applicata ornatũ auxiſſẽt.*

*Patriarcharum quoque, & Prophetarum.*

*Sextum denique gradum conſcendentes, vidimus venerandam hominum multitudinem palmis ornatam, & more ſolito Interrogantes, Quinam eſſent: Patriarchas, & Prophetas veteris teſtamenti eos eſſe accepimus. Quorum à dextris præcurſor domini, Ioannes Baptiſta, præcipuus Ciuitatis Florẽtinæ patronus præſidebat. A ſiniſtris vero Dauid Propheta, cythara pſallens,* confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius, Dicat nunc Iſrael, quoniam bonus, *& cætera: qui poſt conſuetam ſalutationẽ, noſtros duos nobiliſſimos palmarũ ramuſculos ſmaragdinum imitantes nitorem, dactylis onuſtos tenuiſſimis inſtar lapillorum precioſorum hic, atque inde coronæ affixerunt dicentes. Deo pro vobis ſupplicabimus: vt quemadmodum paruam radicem palma defigit in terra, in Cælum autẽ denſam & amplam Comam attollit: ita Deus Florentinorum Ciuium animos inſpiret, vt rebus tantummodo cæleſtibus anhelent, nec niſi iuxta neceſſitatem terrenis incumbant.*

*Sauonarolæ occurrũt, Angeli animarum cuſtodes.*

*Iam omnes gradus conſcenderamus, & ecce nobis ſpecioſiſſimus Iuuenum Chorus occurrit, geſtantium in manibus coronulas circumuolutas, breuibus Chirographis, filo aureo alligatis: ex quibus coronulis vndique flammulæ ſcintillare videbantur: quos ego videns, conuerſus ad Ioſeph dixi.* Qui ſunt iſti Domine mi? *Reſpondit. Hi ſunt Angeli cuſtodes animarum virorum, & mulierum Florentiæ commorantium, quorum legationem geritis: quique orationibus hac de cauſa habitis coronam XII.* Aue MARIA *perfecerunt. Et Ideo quilibet Angelus Creditæ ſibi animæ coronulam Deo offerendam defert. Per Chirographa ſingulorũ, verba & vota ſignificantur. ex filo vero aureis charitas, & ex flãmis ſcintillantibus orationũ feruor deſignatur. Inter illos angelos vnus ſe mihi magis familiarem cæteris oſtendens, propiuſq; accedens, & ſubridens ait ad Sanctũ Senem Ioſeph. Quid comercii eſt nobiſcum huic mortali homini & peccatori? Cumq; Ioſeph, me læta fronte intueretur, ſumpſi animum, & dixi.* Quis eſt iſte Domine mi? *At ille reſpondit. Nunquid neſcis, quis eſt iſte? Cui ego, Neſcio Domine mi. Tũ ſubridens ait. Propter eius verba mente confuſus es. hac de cauſa non ipſum agnoſcis. Tunc animum reſumens illum intuendo, recognoui angelum meum eſſe Cuſtodem aſſiduum, & Gubernatorem, Dixitque mihi. Quomodo tantum audes: vt inter hos cæleſtes, & immaculatos choros peccator incedas? Cui reſpondi. Nõ ego tantum auderem, niſi Dominus veſter, & noſter pro nobis crucifixus fuiſſet. Vos Angeli gloriari non poteſtis, quod Deus factus ſit angelus, ſicùt nos gloriari poſſumus, quod Deus factus ſit homo. Quemadmodum ſcriptum eſt.* Nuſquam angelos apprehendit: ſed ſemen Abrahæ apprehendit. *Inter hæc iucunda colloquia propinquare Throno deſiderabam, ad ſalutandam glorioſam Virginem Matrem: Verùm cum mortalem me, & vilem peccatorem conſiderarem: curuatis priùs in terram genibus, cum comitibus meis, hanc ad Deum orationem habui pro miſericordia, & remiſſione peccatorum meorum impetranda.* Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri, vt cognoſcamus in terra viam tuã in omnibus gentibus ſalutare tuum. *Tunc omnes illi Angeli & qui nos comitati fuerant ſancti, cum cæteris Throno aſtantibus, vſque ad ipſos beatos infantes flexis genibus dulciſſimo concentu, & deuotiſſimo affectu pſallebant.* Confiteantur tibi Populis Deus, confiteantur tibi Populi omnes: terra dedit fructum ſuum. *Tunc ego cum meis comitibus ſubdidi.* Benedicat nos Deus, Deus noſter: Benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ. *Illi quoque cum gaudio concluſerunt:* Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. *Nos verò.* Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum Amen. *Hac abſoluta oratione, vidi Virginis thronum eleuari, & in altum adeò tolli, quòd oculis meis repẽtè diſparuit. Ego aũt (neſcio, quo pacto) cum innumera illa beatorũ Societate in medio prato prorsùs attonitus, & Semianimis remanſi: putans, hoc errore meo, aut delicto aliquo factum: Quod perpendens Ioſeph dexteram meam apprehendit: & bono me animo eſſe iuſſit: & ait. Noli expaueſcere.*

*Mirabilia Sauonarolæ oſtẽdũtur.*

*Altiùs enim tibi aſcendendum eſt: quò te deinceps cuſtos tuus Angelus ducet. Et eius cura tùm me reliquit: dicens excelſiore loco reſponſa dari oportere. Orationi igitur iugiter intentus, cælumque ſuſpiciens ardenti deſiderio videndi Beatam illam: in cuius aduocatione omnis ſpes noſtra repoſita erat, ſubitò apertum eſt cælum, & mirabilia oculis meis apparuerunt: quæ explicare penitùs impoſſibile foret. Credant homines, multùm diſtare inter cognitionem alicuius rei ex eius viſione, & eiuſdem rei cognitionem ex aliorum relatione, vel ſcriptis acceptam: vt puta, ſi quis Florentiam oculis perluſtrauerit, alius verò ex deſcriptione, aut narratione alicuius, eam tantùm conceperit: Nonnè inter vtriuſque notitiam, Intereſſe plurimum Iudicabis? multò magis in apparitione rerum cæleſtium id cenſendum eſt: vbi innumeræ circumſtantiæ particulares intuentium oculis occurrũt: quas calamo, vel lingua enarrare, aut deſcribere ſupra vires hominis eſt. Quamuis autem hæc ſpiritualia ſint, nobis tamen per corporeas ſpecies myſterijs plenas indicantur: Quorum partem (quia omnia, vt prædiximus, ſignificare impoſſibile foret) percurremus, quantum ſuſcepto operi ſufficere videbitur.*

*Nouẽ Angelorum choros aſpicit.*

*Suſpiciens igitur in Cælum, vidi nouem Angelorum choros in orbes totidem diſtinctos, gradatim ſe pulchritudine, & magnitudine excedentes: Nam licèt infimus chorus mundum, quem colimus, magnitudine ſua ambiret, tamẽ ei proximus pulchrior, ac maior erat: & ſic deinceps vſque ad ſupremũ: quemadmodũ etiã in corporibus naturalibus, vt in elementis, & ſphæris cæleſtib⁹, ſuperiora, inferiorib amplitudine, & perfectione præſtant. Primus ergo nobis vicinior chorus amictu viridi denſo, ſeu ſubobſcuro, & Smaragdis ornatus erat. Secundus rubro colore, & carbunculis decoratus. Tertius cæleſtino indumento, & Saphy-*

*ris. Quartus plucido candore inſtar aquæ radijs ſolaribus repercuſſæ, & Beryllis. Quintus Byſſo candidiſſima, & onicibus. Sextus in texto auro, & Chryſolitis. Septimus viridi claro, & Iaſpidibus. Octauus claritate cæleſti reſperſa, auro puriſſimo, & Topazijs. Nonus, & ſupremus colore rubro pulcherrimo flãmante, & Sardijs. Et licet gemmæ omnes illæ veſtium colorem imitarentur: tamen earum, & à veſtibus, & ab inuicem diſtinctio apertiſſimè diſcernebatur, tum ex ipſarum viuaciori, & rutilantiori ſplendore: tum etiam propter ligaturæ, nobiliſſimi atque admirabilis artificij, & ordinis diſcretionem. Cuius quidem artificii, decor per ſublimiores ordines gradatim magis excellebat. Hoc autem myſterium Ezechielis prophetæ 28. capitulo continetur: vbi à Superioribus choris incipiens dicit.* Omnis lapis precioſus operimentum tuum. Sardius, Topazius, & Iaſpis, Chryſolitus & Onix, & Berillus, Saphyrus, Carbũculus, & Smaragdus. *Super hos omnes choros vidi Virginem Matrem in throno ſedentem, ſole indutã, & à vertice ad plantas eiuſmodi lapidibus pretioſis ornatam: quæ, vt prædiximus, in commemorationem incarnati Verbi, infantulum* IESVM *ſole ſplendidiorem innumeris omnium generum gemmis mortalibus incognitis præditum, gremio geſtabat. Super omnia demum lux illa admirabilis trium facierum, tanto lumine Virginis Thronum perfundebat: vt niſi quis ſupereminentem lucem vidiſſet, ipſam Virginem, Deum proculdubio exiſtimaſſet. Inde radij tanquam riuuli viuentium aquarum omni Chriſtallo in meridie à ſole repercuſſa, nitidiores per choros beatorum diffundebatur: Sic enim deficiente vocabulo, radios illos riuulis comparare licet: A quibus nouem ordines illuſtrati, & vt ità dixerim, mirificè recreati, & ſuauitate amoris calefacti, tanta iubilatione, & alacritate tanquàm vehementi affixione in trinam illam faciem intendebant, vt humana lingua referre non valeat. Nec laudibus diuinis ſatiari poterant, cum ineffabili ſuauiſſimarum vocum harmonia concinentes.* Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituu; Benedictus, qui venit in nomine Domini, ô ſanna in excelſis. *De hinc ad Virginem ſe conuertentes, dicebant.* Tu gloria Hieruſalem. Tu lætitia Iſrael. Tu honorificẽtia populi noſtri, *quia feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum.* Ideo, & manus domini confortauit te, & eris benedicta in æternum.

*Et B.V. Dei paramm in throno ſedentem, & ſole indutã.*

*Ergo tam ſuauiſſima harmonia, & admirabilis lucis exuberantia deficiens, rursùs cecidi in faciem meam. Sed Angelus meus me confortatum erexit. Illum igitur Interrogaui dicens. Quænam ſunt hæc mirabilia domine mi? At ipſe Reſpondit. Hi ſunt cæleſtium hyerarchiarum ordines: quibus mundi gubernationem Deus commendauit. Prima itaque hyerarchia, Deo propinquior ipſius Gubernationis ordinem in ipſo Deo intuetur. Secunda eundẽ ordinẽ in cauſis, & rationibus vniuerſalibus cognoſcit. Tertia verò in particularibus. Et ideò prima finẽ totius regiminis conſiderat: ſecunda diſponit, quid faciendũ, tertia exequitur. In conſideratione tria ſunt neceſſaria. Primò inſpicere, & corã antè omnia illũ sẽper habere, & hoc ad Thronos pertinet: qui nomẽ throni, vel ſedis idcirò habent, quia puritate, & ſublimitate ſua, idonei ſunt, & aperti ad ſuſcipiendũ Regẽ æternũ, eiuſque illuminationes. Propterea claro viridi ſuperinduũtur, tanquam fæcunda æternorum paſcuorum viriditate pleni: Iaſpidibus etiam pretioſis ornantur, qui tincti velut floribus apparent, eorum puritatem in hoc ſignificantes. Secundo neceſſe eſt, finem perfectè cognoſcere, quod ad Cherubinos pertinet: qui à plenitudine ſcientiæ ità nominati ſunt: Hi enim lumine pleni perſpicaci, ac viuaciſſima oculorum acie Deitatis penetrant lucem. & ideo claritate cæleſti, auro conſperſa propter contemplationem, & ſapientiam veſtiti ſunt: eiuſdemque coloris, Topazios propter variarum rerum cognitionẽ gerunt. Tertiò neceſſe eſt, finẽ perfectè diligere: quod Seraphinis aſcribitur, qui interpretantur incendium; amoris enim incendio ardent: Hinc tanquã flãmis igneis induuntur, & rubentibus Sardiis decorantur. Et ſic primæ hyerarchiæ myſterium habes. Secunda hyerarchia, quid agendum ſit in vniuerſo orbe diſponit. In hac autem diſpoſitione primũ oportet res ordinare: quod dominationum eſt officiũ: Dicuntur autem dominationes, quia ab omni ſeruitute liberæ exiſtunt: nec amore, aut odio, à iuſtitia declinant: ſicut Domini temporales ab ea declinant, ſuarum paſſionum ſerui. Quapropter aureo intexto fulgent, & chryſolitis, qui aureum fulgorem habent, & ardentes ſcintillas emittere videntur. Sicut enim aurum inter omnia metalla pretioſius micat: ita iuſtitia principum, inter alias virtutes præclarior, Scyntillas bonorum operum in ſubditos emittit: quæ illos amore ſuccendunt. Secundo poſt rerum ordinationem, oportet excludere mala: quæ impedimento eſſe poſſent: & hoc virtutes procurant taliter nuncupatæ, quia intrepidè maxima quæque audent: Propterea tenuiſſima, & candidiſſima byſſo operiuntur: quoniam vis earum ex magna puritate, & à rebus corporeis eleuatione, atque diſtantia procedit: ſicut videmus in naturalibus: quod quanto puriora, & ſubtiliora ſunt corpora, maiorem quoque virtutem obtinent: Inſuper Onychinas gemmas geſtant humani vnguis colorem imitantes, quia ab hoc ordine incipiunt angeli qui* in miniſterium mittuntur propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. *Nam ſuperiores quatuor ordines propter ipſorum dignitatem ad inferiora non deſcendunt: Sed tantum quæ prædiximus, exercent. vnde, & Aſſiſtentes dicuntur, ſicut ſcriptum eſt in* Daniele *Propheta:* Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei. *Tertio poſt vniuerſalem diſpoſitionem rerum, & poſt impedimenta remota, opus eſt eas inferiori hyerarchiæ committere, & particulariter ordinare, quod poteſtatibus competit, quia* omnis poteſtas à Domino Deo eſt, & quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt: *Et ideo veſtimenta eorum, colorem habent chryſtalli, vel aquæ, cum verberatur à Sole, Beryllis, qui ſunt eiuſdem coloris ornatæ: Ad eas enim ſpectat, claram habere notitiam ordinandarum rerum: quam ab illuſtratione ſolis æterni conſequuntur. Et hic eſt ſecundæ hierarchiæ terminus. Tertia hyerarchia, executrix eſt eorum, quæ à ſecunda ordinata ſunt. in executione verò aliqui ſpiritus, ſunt Duces, & Principes Prouinciarum, & Ciuitatum, qui indè vocantur Principatus, veſtibus cœleſtis coloris, & Saphyris adornati. Nam ſicut Cælum cum ſuis ſyderibus, eſt vniuerſalis cauſa inferiorum: ità hi ſunt duces, hoc eſt, primi in eorum, qui imperantur, executione. Aliqui ſingulorum hominum ſinguli curam exercent: & hi ſunt infimi, quibus animarum hominum particularis cuſtodia tradita eſt. Quælibet enim anima ſpecialem Angelum cuſtodem, & gubernatorem habet. Hi itaque veſtimentorum, & ſmaragdorum; quæ circumſtantem aerem virere faciunt, viriditate refulgent: quia mittuntur ad illuminandos aeris incolas viriditate ſuperna: qua eos ita abundare oportet, vt humanos intellectus illuminare poſſint. Aliqui inter Principatus, & Angelos medij ſunt. Quibus committuntur quicunque publicæ vtilitatis curam gerunt, vt ſunt Prælati, Prædicatores, Doctores Eccleſiæ, & huiuſmodi: & hi appellantur Archangeli, ſecretiora, quam Angeli, reuelantes: Rubro igitur colore, & prælucentibus Carbunculis, ſuo ſplendore tenebras illuſtrantibus coruſcant: quia charitate ſuccenſi, mouentur ad caliginem mortalium propellendam, & ad ſecretiora myſteria reuelanda. Nunc igitur omnium hierarchiarum ordines, miniſteria, & officia cognouiſti.*

*Notandum eſt autem quod ex varijs indumentis hæc miniſteria, & officia, ex lapidibus vero pretioſis diuerſitas operum ſapientiæ, & contemplationis Angelorum deſignatur. Scire quoque debes, quod in hac innumera multitudine ſinguli, ſingula officia, & aliquas proprietates inuicem diſtinctas habent: quæ quoniam mens humana non capit, omittam. illud tamen non ignores, quod quaſcunque perfectiones, & virtutes inferiores Angeli habent, ſuperiores eaſdem, ſed multo excellentius poſſident. Qui propter exuberantiſſimam charitatem, quæ in cæleſti patria viget, quicquid à Deo recipiunt, inferioribus iuxta capacitatem ſuſcipientium impartiuntur. His ordinibus ſublimior virgo glorioſa cum vnigenito ſuo virtutibus omnibus illis, & gemmis pretioſis cumulata præſtantius adeo refulget: vt nulla vis mortalis ingenij concipere queat. Lux trium facierum deſuper vniuerſa irradians, Sanctiſſimæ Trinitatis maieſtatem repræſentat: quæ omnia excedit in infinitum, & radijs, dulcoreque ſuo ſereniſſimam, & iubilantiſſimam reddit patriam illam cæleſtem ſine ſatietate, & intermiſſione laudantem, & magnificantem, & glorificantem Deum in ſecula ſeculorum Amen. Hac declaratione habita Angelus conticuit. Nemo vero miretur, ſi in declarãdis proprietatibus, & coloribus lapidum*

*Angelus omnibus ſublimior eſt B. Virgo Maria.*





*pretioſorum, aliquid ab vſu moderno fortaſſe declinaſſe videatur.*

*Quorundam enim lapidum nomen forſitan immutatum eſt: Angeli autem hominibus loquuntur ſecundùm cuiuſcunque qualitatem. Sciens itaque Angelus meus, me Sacris Scripturis iuxtà antiquorum Doctorum expoſitionem, operam dediſſe: qui modo prædicto de eiuſmodi lapidibus ſcribunt: ita eorum qualitates expoſuit.*

*His ineffabilibus rebus auditis, & viſis penitùs attonitus eram, non tantùm ex admiratione magnitudinis, pulchritudinis, mirìue ordinis: Sed multò magis, ex immenſa beatorum Angelorum in nos charitate: conſiderata præſertim eorum excellentia, & humillima noſtra conditione: quam minimè dedignantur: imo nihil aliud, quàm noſtram ſalutem procurare videntur ac ſi omne ſtudium, & delitias putent eſſe cum filijs hominum. Nihilominùs ſcripturas recolendo, minùs poſteà miratus ſum: cum de illorum Domino ſcriptum ſit.* Delitiæ meæ, eſſe cum filijs hominum. *Dùm ergo talia contemplarer. Omnes Sancti, qui in Prato circà thronum apparuerant, me vidente inter ordines Angelorum, ſumma reuerentia, & agilitate iuxtà ſingulorum dignitatem ſe receperunt. Soli beati, qui nos primò comitati fuerant, & Angeli coronulas prædictas geſtantes, apud nos remanſerunt. Ego itaque thronum Virginis in tanta ſublimitate ſuſpiciens, ad Sanctam illam Societatem conuerſus, dixi: vos ſine adminiculo thronum conſcendere poteſtis: Sed ego miſer, quid faciam, quia corpus,* quod corrumpitur, aggrauat animam. *Et inter hæc verba apparuit ſcala à throno in terram mirificè per angelicas manus præparata: atque Angelus meus. Ecce ſcalam, per quam non tantum corporea mole aſcenſurus es, ſed etiam mente per gradus virtutum: ſicut ſcriptum eſt.* Ibunt de virtute, in virtutem, videbitur DEVS DEORVM in Sion. *Cepi ergo ſolus aſcendere per ſcalam: ſine alicuius ope, ſanctiſſima illa Societas, me circumſtans, pariter mecum ſcandebat. Vtque ad primum Angelorum chorum peruenimus: ſic eos ſalutauimus.* Laudate pueri Dominum. Laudate nomen Domini. *At illi reſponderunt.* Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc, & vſque in ſeculum. *Nos contrà.* A Solis ortu, vſque ad occaſum, laudabile nomen DOMINI. *Illi rursùs.* Excelſus ſuper omnes gentes DOMINVS; & ſuper cælos gloria eius. *Et nos.* Quis ſicut DOMINVS DEVS noſter? qui in altis habitat, & humilia reſpicit in Cælo, & in Terra, Suſcitans à terra inopem, & & de ſtercore erigens pauperem: vt collocet eum cum principibus populi ſui. *Illi quoque.* Qui habitare facit ſterilem in domo matrem filiorum lætantem. *Nos demum.* Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. *Illi verò.* Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen. *Hoc decantato Pſalmo, Interrogauerunt, quæ me illic cauſa perduceret. Quibus reſpondi. Me Florentini populi Legatum, ad Thronum Reginæ cælorum proficiſci: vt ſcirem, quæ bona noua eidem populo ſuo referre poſſem: cuius ipſa ſpecialis Aduocata eſt. Oſtendique eis coronam. dicens, illam, orationes totius populi continere, ornatam inſuper eſſe, & corroboratam ab omnibus Sanctis paradiſi, rogans, vt, & ipſi addere dignarentur orationum ſuarum ſuffragia. Tunc illi ſuſcitati ſunt, quid ſpecialiter ab eis vellemus. Reſpondi. Vt vos cum his ſocijs veſtris, qui nos comitantur, rogetis Deum, vt commiſſæ vobis animæ in Ciuitate Florentina, iuuante miniſterio veſtro, in corporibus Sanctam, & Angelicam vitam imitentur. Quo dicto duodecim Angeli à duodecim ſui chori partibus è regione duodecim cordium primi circuli noſtræ coronæ digreſſi, ad nos acceſſerunt, geſtantes ſinguli, ſingulas Smaragdos: quas ipſis duodecim cordibus primi circuli, imò eorum tàm aptè affixerunt, vt nihil priori ornamento detractum, ſed magis fulgor, & pulchrior ordo ſit auctus. Quod orationum ſuarum, quas popoſceramus, pignus eſſe dixerunt, ſuauiſſimè canentes, primum verſiculum decimi noni Pſalmi* Exaudiat te DOMINVS in die tribulationis, protegat te, nomen Dei Iacob.

*Tranſiuimus inde ad ſecundum chorum, quo ſalutato more priorum. & iterato Pſalmo,* Laudate pueri Dominum, *& cauſis item itineris expoſitis: rogauimus, vt intercederet ad Deum: quod patres familias atque Eccleſiarum Rectores, & prælati, cæterique eiuſmodi Gubernatores Florentiæ, quorum ipſi curam gerunt, boni, & Sancti eſſent, rectèque ſibi ſubditos gubernarent. Duodecim igitur ex duodecim ſui chori partibus, ſicut de prioribus diximus, aduolarunt: ac totidem pretioſos carbunculos medus cordibus dictis ſigillatim affixerunt, per quorum diaphanitatem nomen* IESV *medus cordibus, vt prædiximus, inſculptum mirificè tranſparebat. Dixeruntque. Hæc ſigna ſunt orationum noſtrarum: proſequentes ſecundum verſiculum pſalmi.* Mittat tibi auxilium de ſancto, & de Syon tueatur te.

*Ad Tertium Principatuum chorum inde peruenimus, quos eodem more ſeruato precati ſumus; vt orationibus ſuis impetrarent, quòd Florentiæ Vicarios Prætores, Præfectos cæteroſque officia publica gerentes, eo ſpiritu Deus repleret, quò iuſtè religiosè, & integrè, commiſſos ſibi populos, regerent votis itaque noſtris annuentes, duodecim Saphiros pulcherrimas, ſummitati cordium prædictorum duodecim ex ipſis, eo modo, & ordine, quo & alij prædicti coaptarunt, canentes tertium verſiculum pſalmi.* Memor ſit omnis ſacrificij tui, & holocauſtum tuum pingue fiat.

*Quartum ordinem ſimiliter venerati ſumus, rogantes, vt conformes ſibi Magiſtratus à* DEO *nobis obtineret, qui omnia pertinentia ad virtutes, & ad bonos mores bene diſponerent; quod gratiſſime pollicitus, decem ex ſuis iuxtà numerum cordium ſecundæ coronæ cum decem Beryllis deſtinauit, qui in extremo cuiuslibet cordis Beryllum vnum pulchrè inſeruerunt, ſubiuncto verſiculo quarto.* Tribuat tibi ſecundum cor tuum, & omne conſilium tuum confirmet.

*Ad quintum chorum dehinc tranſeuntes, virtutes reuerenter eo modo ſalutatas ſupplicauimus: vt Magiſtratus Florentiæ conſtituti,* SPIRITV SANCTO *replerentur, quo intrepide, & zelanter coercentes, & punientes reos. iuſtitiam exequerentur, vt Innocentes tute viuere poſſent, petitionemque hanc libentiſſime ſuſcipientes, decem electos Onyces, per decem ex ipſis medis cordibus addiderunt, cantantes verſiculum quintum.* Lætabimur in ſalutari tuo, & in nomine Dei noſtri magnificabimur.

*Vlteriùs progredientes, ſextum chorum dominationum reuerenter eadem repetentes adiuimus, rogauimusque tales per eorum, preces fieri Ciues Florentinos vt ex eis in ſupremum vrbis magiſtratum deligi poſſint viri ſapientes & iuſti, qui præcipue diuino honori, & ſaluti animarum intendant. deindè bonum publicum ciuitatis, totiuſque ditionis circà temporalia procurent. Decem igitur ex eis pro confirmatione petitionis noſtræ, decem Chryſolitos ſummitati eorundem cordium ſecundæ Coronæ inſeruerunt, dicentes ſextum verſiculum.* Impleat Dominus omnes petitiones tuas, nunc cognoui, quoniàm ſaluum fecit Dominus Chriſtum ſuum.

*Pari modo Salutatum ſeptimum chorum exorauimus, vt ipſo intercedente,* DEVS *religioſorum puritatem, & ſimplicitatem in vtroque ſexu Florentiæ renouaret, ex quo quatuor ad nos hilari fronte venientes, totidem pretioſiſſimos Iaſpides in infima parte quatuor cordium ſupremi circuli, decentiſſimè collocarunt, ſeptimum verſiculum decantantes.* exaudiet illum de Cælo ſancto ſuo, in potentatibus ſalus dexteræ eius.

*Ad octauum chorum eleuati, ſalutatione, & veneratione ſolita illum proſecuti ſumus, Poſtulantes, vt multi ſancti Florentiæ concederentur, pleni lumine ſacrarum ſcripturarum, & vera ſapientia, qui optimè in rebus arduis, populo Florentino conſulere poſſent: quibus annuentibus*

quatuor ex eis in medio quatuor cordium totidem Topazios, limpidiſſimos collocarunt, octauum verſiculum pſallentes in hunc modum videlicet. Hi in curribus, & hi in equis, vos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabitis.

Tandem ad nonum, ac ſupremum chorum Seraphin amore diuino penitus flagrantium peruenimus, à quibus poſt conſuetam ſalutationem, & pſalmodiam implorauimus, vt Florentiæ, & vniuerſæ Eccleſiæ Præfecti, Prælati, Paſtores, & Prædicatores repleti charitate, & igne Spiritus Sancti donarentur, ad populos Chriſti amore inflammandos. Igitur admiſſis precibus noſtris, quatuor ex ipſis totidem Sardios rubentiſſimos ſummitatibus cordium ſupremi circuli decentiſſime coaptauerunt, nonum verſiculum ità concinentes. Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt, vos autem ſurrexiſtis, & erecti eſtis.

Cumque adhuc longo interuallo diſtaremus à throno Virginis, exaltatæ ſuper omnes Angelorum choros, magna tamen fiducia, tot orationum, & meritorum ſuffragiis confortati ad illam ferebamur. Quos, vt venientes proſpexit, vni ex Seraphinis ad ſe vocato, coronulam nobiliſſimam, variis gemmis pretioſiſſimis, & miro artificio contextam dedit, ac dixit ei, & hanc impone illi cordi eminentiori coronæ ex multis conglobato, & dic, hoc eſſe ſignum, ac munus orationum mearum: quas pro ciuitate Florentia fudi. Dehinc ad Deum conuerſa, vltimum verſiculum pſalmi clauſit. Domine ſaluum fac regem, & exaudi nos in die, qua inuocauerimus te.

Noſter verò Saluator Ieſus, qualis olim erat infantulus, ex materno gremio, primum Seraphin ad ſe vocauit, cui gemmam vnam rubicundiſſimam, omniumque pretioſiſſimam, & ſole fulgentiorem tradens ait. Hoc meæ munus eſt Paſſionis, quod coæterno Patri meo pro miſericordia, & gratia, populo Florentino conferenda obtuli. Hanc igitur defer, & ſuperpone Crucifixo, quem in ſupremo corde illius coronæ ſtare vides dicens: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto: ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Nunquàm opus tàm admirabile, aut tàm elegans viſum fuit munus. Tot itaque conſolidatus meritorum ſuffragiis, non temerarium putaui, totam tranſcendente ſcalam, & ad pedes Reginæ vniuerſi in ſummo throno reſidentis accedere. Quo perductus, & humillima, ac deuotiſſima reuerentia, pauimento proſtratus, adoraui primo ſanctiſſimam Trinitatem, & redemptorem noſtrum Dominum IESVM Chriſtum; deindè Matrem eius, cuius dulcem, humilem, lætam, & ſuauiſſimam præſentiam intuens, totis præcordijs, & magno Iubilo exultare cæpi. Præ ſtupore enim tantæ pulchritudinis, in exceſſum mentis, raptus, amoris igne totus ardebam, iamque mortalitatis meæ immemor, ab ea luce abſorptus, & illi inæſtimabili pulchritudini, atque claritati vehementer intentus, & extrà me poſitus, in hæc verba prorupi.

B. Virginē ſic alloqui quæ in raptu Sauonarola.

Tu MARIA ſignaculum ſimilitudinis plena ſapientia, perfecta decore in delitijs paradyſi Dei es, & eris in perpetuum, omnis lapis prætioſus operimentum tuum, Sardius, Topazius, & Iaſpis, Chryſolitus, & Onix, & Berillus, Saphirus, Carbunculus, & Smaragdus, Aurum opus decoris tui, & Tabernacula tua in die, qua condita es, præparata ſunt. Tu Mater, & Virgo, velut Cherub extentus, & protegens: quem poſuit Deus in monte ſancto ſuo, in medio lapidum ignitorum ambulaſti perfecta in vijs tuis, à die conditionis tuæ. Tu gloria Hieruſalem, Tu lætitia Iſrael. Tu honorificentia populi noſtri, quia feciſti viriliter; & confortatum eſt cor tuum, ideò, & manus domini confortauit te, & eris benedicta in æternum. Salue ergo regina, mater miſericordiæ, vita, dulcedo, & ſpes noſtra ſalue. Ad te clamamus exules filii Euæ. Ad te ſuſpiramus, gementes & flentes, in illa lachrymarum valle. Eia ergo aduocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos, ad nos conuerte, & mala quæ pro peccatis noſtris meremur auerte, & promiſſa nobis reſtitue. Et Ieſum Benedictum, fructum ventris tui: nobis poſt hoc exilium oſtende. O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria. Quibus verbis finitis, protinus factus eſt cordium omnium concentus mirabilis in corona illa, quam domina geſtabat Simplicitas comes noſtra: & in hunc modum dulciter reſonarunt. Recordare Virgo Mater, dùm ſteteris in conſpectu Dei, vt loquaris pro nobis bona, & vt auertas indignationem ſuam à nobis. Expleta que oratione hac, qua potuimus reuerentia, coronam ipſam Virgini obtulimus. At illa perbenignè, humaniſſimè, grauiſſimèque ſuſceptam, capiti ſuo impoſuit: Hic natum ſuum in vlnis accipiens, ex throno ſe erexit: & humillimè ad ſanctiſſimam Trinitatem genibus flexis, cum deuotiſſima Filij ſui oblatione, taliter ſupplicauit: Reſpice quæſumus Domine, ſuper hanc familiam tuam: pro qua Filius meus, Dominus IESVS Chriſtus, non dubitauit manibus tradi nocentum, & crucis ſubire tormentum. Tunc ſtatim ex cordibus coronæ vniformis, & pia vox ſuauiter emanauit, dicens. Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri, quia multũ repleti ſumus deſpectione, quia multùm repleta eſt anima noſtra, opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis. omnes pariter Angeli, & ſancti, cum ipſa Virgine ſupplices rogabant, vt tot precantium vota exaudirentur. Eccè igitur ex tribus illis faciebus, ſanctam Trinitatem referentibus, ad Virginem vox egreſſa eſt dicens. Fiat ſicut vis. Et hoc accepto reſponſo, mitiſſima Virgo in throno ſuo reſedit. Angeli autem, & Sancti omnes, noſque ſimul in vnam illam toto ſtudio intenti, & immenſo pleni gaudio, diximus. Nunc in tuo arbitrio eſt MARIA, & in te ſola ſalus omnis noſtra ſita eſt. Ipſa autem hilari fronte, ſe reſponſioni parauit. Et poſt imperatum ſilentium, pendentibus nobis ab ipſius ore ſanctiſſimo, clara, & alta voce in totius cæleſtis curiæ aures hæc verba formaliter expreſſit.

Florentia, Deo Domino IESV Chriſto Filio meo, & mihi dilecta: Tene fidem: Inſta orationibus: roborare patientia. His enim, & ſempiternam ſalutem apud DEVM, & apud homines gloriam conſequeris. Nec plura locuta, in me oculos defixit. Ego vero fidenter dixi: iſta Virgo Mater ſunt generalia verba: opus eſt, vt largiori manu benignitatem tuam effundas. Tum familiari, & vernaculo ſermone adeo accommodate, & eleganter me allocuta eſt, vt obſtupeſcerem: nec eadem verba ex ordine referre mihi poſſibile eſſet: Sed integrum ſenſum, tàntum narrabo. Sic itaque exorſa eſt. ibis, & hæc reſponſa populo meo dilecto referes. Certum quippè eſt, illum eſſe peccatorem, & ex iniquitatibus ſuis, omnia mala mereri, maximè propter multorum infidelitatem, credere nolentium, quæ eis iàm aliquod annos prænuntiaſti: cum Vnigenitus meus, tot ſigna eiſdem oſtenderit, quod amplius nullam incredulitatis ſuæ excuſationem afferre poſſunt. Et licèt fides ſis domum Dei: nihilominus niſi iniquæ & peruerſæ mentis extitiſſent: ſed coràm Deo rectè ambulaſſent, tali lumine à Filio meo fuiſſent illuſtrati, quòd faciliter ea omnia credidiſſent. Argue igitur eos: vt duritiam cordis iam deponant: nè de cætero ipſis iraſcatur Deus, qui non obſtantibus eorum demeritis, propter crebras orationes Beatorum in Cælo, & iuſtorum in terra, omnem mihi contulit poteſtatem. Nunc itaque, in priſtinas gratias diuinitùs olim eis promiſſas, reſtituuntur. Ciuitas enim Florentia fiet glorioſior, potentior, & opulentior, quàm anteà fuerit vnquã, extendetque latiùs alas, quã vllo tempore fecerit: & longè magis, quàm multi opinentur. omnia ſibi adempta, & ſi qua adhuc auferentur, integrè recuperabit: & ex ijs acquiret, quæ in ſuã ditionẽ hactenus nunquã peruenerunt. Veh autem ſubditis ab ea rebellantibus, grauiter enim ob hoc punientur. Et iam quartus agitur annus. cum in hoc ipſo lumine, quo cætera Deo iubente prædicis, prænunciatum fuit Piſanis: quemadmodum in Tribulatione tum futura, quæ modò præſens eſt, ſibi libertatem quærerent. Idque ruinæ illorum foret cauſa, quod vtique erit. Tum ego rurſus dixi. Ne imputetur quæſo Domina mea, temeritas, ſi ad intelligentiam clariorem, aliqua interrogauero, vt abundantius ſatisfacere poſſim ijs, qui me delegarunt. Scire enim vellem, ſi ciuitas noſtra tribulationibus affligetur ante has conſolationes. At illa reſpondit. Fili, tot annos renouationem Eccleſiæ prædicaſti, quæ futura omnino eſt, & quidem cito: Prædixiſti quoque illuminante Spiritu ſancto, conuerſionem





infidelium ſcilicet Turcorum, Maurorum, & aliorum celeritèr ſecuturam, ità vt multi modò viuentium eam viſuri ſint: Hæc inquam renouatio, & ampliatio Eccleſiæ ſine multis afflictionibus, & ſine gladio, vti prænuntiaſti, fieri non poterit, in Italia præſertim: quæ propter ſuorum principum, & capitum faſtum, ſuperbiam, & innumera, ac deteſtanda peccata horum malorum omnium cauſa eſt. Itaque non graue tibi videri debet, ſi ciuitas tua Florentia, & Filij tui, aliquibus vexationibus laborabunt: minùs enim cæteris ciuitatibus lædentur. Et inter hæc verba, dextram extendens, Spheram magnam Angelo meo porrexit, in qua tota Italia continebatur: quam idem Angelus ſuſceptam aperuit, ſtatimque inſpexi Italiam perturbatam & plures in ea ciuitates amplas immenſis tribulationibus agitatas: quas nominare mihi vetitum eſt: Nam aliqui externis agitationibus, ſeù bellis carentes, inteſtinis fluctuationibus quatiebantur. Vidi quoque Ciuitatem Florentiam turbatam, Sed multò minùs alijs. Rursùs Virgo beata Spheram minorem mihi tradidit: cui primum illud, & breue reſponſum latinis verbis circumſcriptum erat. Reſerata autem ſphera ipſa, vidi Florentiam totam florere lilijs: quæ perminas, & pinnulas extrà mœnia vndique latè diffundebantur: & angeli cuſtodes ſuper mœnia circumquaque eam cuſtodiebant. Quapropter lætus dixi. Rectè quidem domina conuenire videntur lilia parua, cum ijs proceribus, quæ nondum ramos extendere cœperunt. Ad quod ipſa nihil reſpondens ità ſubiunxit. Fili mi, ſi vicini populi Florentini, qui modò illius malis, ac tribulationibus gaudent, mala ſuper ſe ventura intelligerent: alieno incommodo non lætarentur, ſed ſua pericula deflerent: Affligentur enim maioribus anguſtijs, quàm Florentia. Ego verò ſubdidi, ô glorioſa Domina, licèt ſim puluis, & cinis, adhuc pauca loquar. Si populus meus quæſierit: vtrùm hæc promiſſa abſoluta ſint, & omnino futura, an conditionata, in quòd iuxtà illius operationem bonam, aut malam futura, vel non futura ſint, quid dicam? Reſpondit. Scito fili, quòd hæc abſolutè, & certè conceſſa ſunt. Et omninò ità fiet: DEVS enim abſque dubio, media omnia procurabit, atque producet: quibus hæ gratiæ promiſſæ finem ſuum conſequentur. Et ait, dicito incredulis, non niſi ſubiecta oculis & quæ palpant credere volentibus, quòd vnus apèx, aut vnum Iota non præteribit, quin iſta omnia fiant. Faciant igitur improbi Ciues, & iniqui homines Florentini, quicquid mali ſciunt, & poſſunt, quòd tantum bonum nequaquàm impedient: cuius tamen, ipſi non erunt participes, ſed niſi (conuerſi fuerint) grauiter punientur. Bonis verò, & iuſtis dicito, quoniàm benè, quoniàm fructum adinuentionum ſuarum comedent: & quod tantò magis, aut minùs affligentur, quantò magis, aut minùs leges ſanctas obſeruari facient, ac punient, ſceleſtos, impios, blaſphemos, aleatores, ſiue luſores, & eos præſertim, qui libidinoſum, atque abominabile flagitium contrà naturam committunt: & quantò magis, aut minùs tantorum ſentinam ſcelerum euacuabunt, quæ ſuæ preſſuræ cauſa eſt, & quantò magis, aut minùs chriſtianè viuent, & excluſis vitijs virtutes extollent. Rurſus ego. Nè quæſo importunitati imputes, ſi adhuc tibi ô humilis, & manſueta Regina, ſemel loquar. Si interrogatus fuero. Quando hæc erunt? Quid dicam? illa reſpondens ait. Citò, & velociter. Sed dicito, quòd quemadmodùm ab initio, quando flagella Italiæ, prænunciare cœpiſti, iam eſt quinquennium, licèt plus decennio alibi inchoaueris, cum citò, & velociter minabaris, ſubiungebas. non dico hoc anno, nec his duobus, nec quatuor nec octo, & ſic dicens, nunquid decennium excedebas: nihilominùs celeriùs, quàm credebatur, ipſa flagella venerunt: Ità nunc dic, ego dico citò, & velociter: non tamen determino, præſentem menſem Aprilis non Iulij, Auguſti, aut Septembris, neque vnum annum, nec duos, nec ſex, nec aliud præfinitum tempus: ſed tantùm citò, & velociter: Ideò citiùs fortè, quam putetur, erunt. His dictis dimiſſus fui.

Prædicatorum verum à Sauonarola tēpus indeterminatum.

Ego tanto eram ſuæ cenſus amore, & adeò extrà me poſitus ex pulcherrima, & incomparabili ſupernarum rerum viſione: vt me eſſe mortalem penitùs oblitus, illinc diſcedere neſcirem. Me tamen dimitti audiens dixi. Tibi ô glorioſa Virgo tot aſtant miniſtri: ex iſtis vnum obſecro delegare digneris ad hæc reſponſa Populo Florentino renuntianda. Iam enim ex multis laboribus plures annos illius gratia ſuſceptis, nimiùm defeſſus, aliquantulùm requieſcere cupio. Quæ quidem verba riſum vniuerſæ illi cæleſti curiæ ob ſimplicitatem meam permouerunt. Ipſa quoque Regina ſubridens tùnc me conſolata eſt dicens. Adhuc tibi grandis reſtat via, ſed conſortare in domino, & eſto robuſtus: quia Dominus tecum eſt, & ſi perſeueraueris vſque in finem, ſaluus eris: Nos pariter omnes, te iuuabimus. Aduerſarios ergo tuos nè formides: ſed magis in aduerſis lætare. Citò enim in noſtrum conſortium aſſumeris: Vbi pòſt multos labores, accipies coronam vitæ: quam promiſit DEVS, diligentibus ſe. Tunc ſurrexi: & quanta potui humilitate, & deuotione, gratias agens induiduæ Trinitati, & Saluatori noſtro IESV Chriſto, eius Miſericordiæ, me, & ciuitatem, confratres meos commendaui: Gratias quoque egi glorioſiſſimæ Virgini Matri, & cor meum in eius manibus reliqui, rogans, vt perpetua Aduocata noſtra, & dulce refrigerium in noſtris calamitatibus exiſtat. Gratias item egi, toti cæleſti Curiæ, quæ nobis in impetrandis tot beneficijs ſuffragata fuerat. Demùm pòſt debitam venerationem, cepi vnà cum comitibus noſtris deſcendere ſcala. Vtque primùm ad ſeraphicum chorum perueni, ex intima, & immenſa animi Iubilatione, cepi alta voce decantare. Confitemini domino, quoniàm bonus: quoniàm in ſeculum miſericordia eius. Et ſic alternis verſibus per deſcenſum cantauimus pſalmum hunc centeſimum decimum ſeptimum, vſque ad verſiculum, Aperite mihi portas iuſtitiæ, reſumentibus Angelis, tantum pòſt ſingulos verſus meos.

Sauonarola conſolatur à Deipara.

Quoniàm bonus, quoniàm in ſeculum miſericordia eius.

Cùmque appropinquaſſem portæ, cecini verſiculum illum, Aperite mihi portas iuſtitiæ, & cætera. Et pòſt mutuos amplexus: Gratiarum actiones, & commendationes prædictas, iterùm æternam maieſtatem adorauimus, & egreſſi ſumus limen, proſequendo pſalmum cum ſodalibus noſtris, ſcilicèt, confitebor tibi, quoniam exaudiſti me, & cætera. Quo finito omnia diſparuerunt.

Pòſt hunc ſermonem in proceſſu aliarum prædicationum mearum, publicè dixi, & ſæpiùs confirmaui, quemadmodùm Rex Franciæ, à Deo electus fuit in miniſtrum diuinæ iuſtitiæ, Et quod ſi totus mundus illi obſiſtat: victoriam tamen, & proſperitatem obtinebit, veruntamèn ſicut illi ſeorſum dixi, ſcripſique, in multas incidet tribulationes, tùm vt humilis eſſe diſcat, tùm propter mala, quæ ab eius ſubditis, ipſo non prohibente, committuntur: & maximè ſi ciuitatem Florentiæ non benè tractauerit. Deus enim ad defectionem, & rebellionem, populos eius inducet, multoſque illi aduerſarios, & graues difficultates ingeret. Ipſum ſi quidem Deus vult amicum, & fautorem eſſe ciuitati Florentiæ: quem initium reformationis Italiæ, & Eccleſiæ elegit. Quod ſi ſponte amicus Florentinus eſſe noluerit: vi cogente erit. Quoniam tamen, (vt diximus) Dei iuſtitiæ Miniſter deſtinatus eſt, ſi ſe humiliauerit, & ſuam electionem cognouerit, à Tribulationibus non ſubmergetur: immo poſtquam humilior, & purgatior redditus fuerit, victorioſior inſurget, cumque apud homines extinctus putabitur: tum victor euadet, & obſeruando, quæ Deus ei nuntiari fecit, regnum ingens aſſequetur: aliter autem faciens, & viam, quæ Deo non placet, ſequens poſſet in ea tantum progredi, quod ſicut Saul Rex primus Iſraël ipſe reprobaretur, & alius huic miniſterio in eius locum ſubrogaretur, ſicùt in locum Saul, fuit Dauid electus: Nam hæ promiſſiones, & gratiæ conceſſæ, ipſi Regi Franciæ, ſunt conditionatæ, & non abſolutæ, quemadmodùm Prophetia reformationis Eccleſiæ, & gratiarum Florentinis promiſſarum, abſoluta eſt. Vt autem quilibet intelligat, quid Prophetia conditionata, & quid abſoluta ſignificet: notandum eſt, quòd Deus duobus modis futura cognoſcit, vno modo ſicùt ſemper ſuæ æternitati præſentia

Rex Franciæ Carolus diuinæ iuſtitiæ miniſter electus.

ſunt ; Aliò modo ſicut ipſa procedunt , ex ordine ſuarum cauſarum : & licèt Devs ſemper his duobus modis ſimul illa cognoſcat , nihilominùs quia effectus non recipit totam ſuæ cauſæ virtutem , præſertim quandò cauſa eſt valdè excellens : ſicùt Devs ; non ſemper futurorum cognitionem his duobus modis ſimul à Deo prophetiæ recipiunt : ſed interdum primo modo , & tunc illa cognitio prophetia præſcientiæ, ſeù prædeſtinationis nuncupatur. Interdum altero modo ; & tunc talis cognitio prophetia conditionata, comminationis, aut promiſſionis vocatur , tales enim res prænuntiatas , futuras eſſe intelligere oportet , ſi cauſarum ordo, à quibus ordinatæ dependent, non immutetur. Et hoc modo Ionas dixit. Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur : quæ quidem verba falſa non erant : intelligebantur enim ſic , quòd peccata Niniue merebantur : vt poſt quadringenta dies, eadem deſtrueretur. Similiter Eſaias Ezechiæ Regi Hieruſalem dixit: Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues: quæ verba ſic intelligebantur : quòd ipſius corporis diſpoſitio talis erat , quòd ad mortem ipſum præordinabat , & via naturali euadere non poterat. Propheta ergo qui , à Deo inſtruitur , & ſimpliciter Deo debet obedire : debet etiam eo modo , quo ſibi à Deo præcipitur , futura prænuntiare , aliter incurreret peccatum: ſicut Ionas : qui propter inobedientiam ſuam punitus fuit , vt in eius prophetia ſcriptum eſt. Ex inſpiratione itaque Dei dico , quòd ſi Rex Franciæ, quem prædiximus, obſeruauerit proculdubio victoria potietur , & maximum regnum acquiret. ſi autem non obſeruauerit , res ſua , magnum diſcrimen ſubibit : & niſi iuſtorum orationibus adiuuetur, ab ipſo Deo ſicùt prædiximus , reprobabitur. Adhuc ſæpiùs publicè aſſerui , quòd quicunque infeſti Florentinis erunt, Devm vltorem experientur. cuius rei rationem aliquam propter diuini luminis auctoritatem attuli : quoniam mutato regimine , ac dominio , & forma priſtina , hæc noua ciuitas , & populus , qui libertatem nuperrimè aſſumpſit , neminem adhuc leſit , aut iniuſtè prouocauit. Qui itaque eos laceſſit , & offendit , inique agit , & diuinæ vindictæ reus eſt. Item palàm prædicaui , rursùſque affirmo , ex diuina inſpiratione , quòd quiſquis ciuis Florentinus , domi , foriſue , procurabit , principatum, ſibi in ea ciuitate vſurparet , aut nouiſſimum regimen violare , cum vniuerſa domo ſua , cunctiſque ſecum conſpirantibus , eum Devs grauiter puniet , ac demùm lachrymabili exitu faciet interire. Eodem inſupèr lumine coràm omni populo apertè protuli & crebrò repetere non deſtiti: quod bona Florentiæ , cælitus promiſſa , & per me prænuntiata, etſi totus orbis aduerſetur , omninò ſortientur effectum.

Quòd ſi populus ipſe ceptam benè viuendi normam augendo, proſecutus fuerit , Primò multum diminuet de Tribulationibus ſuis antè proſperitatem futuris : Secundò promiſſarum gratiarum munus accelerabit : Tertiò earum perceptione , ipſe , & nati gaudebunt : licèt plus nati , quàm parentes. Nam quamuis hæc abſolutè, & irreuocabiliter vniuerſæ ciuitati promiſſa ſit : non tamen cuiquam ſingulariter. Itaque peruerſi ciues, niſi reſipuerint , horum bonorum participes non erunt. Idcircò populo dixi , vt in alicuius libri altera facie notent incredulos , & contradictores , In altera verò Credentes : & hanc doctrinam ſequentes Et ex octo partibus harum Tribulationum ſeptem ſuper ipſos non credentes , & contradicentes euenire breui videbunt. Hortor igitur omnes ad credendum , & ad fidem bonis operibus demonſtrandam : Hoc enim nemini nocere , ſed plurimum omnibus prodeſſe poterit. Ad laudem & gloriam Saluatoris noſtri Iesv Chriſti. Qui cum Patre, & Spiritu ſancto, eſt Deus benedictus in ſecula ſeculorum Amen.

Prædictam Sauonarolæ viſionem irridebunt homines animales.

Scio quòd multi homines animales , & huiuſmodi cognitionis experientiam non habentes , me irridebunt , & hæc humanæ adinuentionis commenta , & figmenta poetica potiùs , quàm viſiones , & prophetias dicent. legant iſti prophetas , maximè Ezechielem, Danielem , & Zachariam , & inuenient ſimilia in illis à Spiritu ſancto formata, & per eos velatis myſterijs deſcripta. Quibus interpretandis poſteà ſacri Doctores exercerentur : ſciantque eiuſmodi homines multò plura , quàm ſcripta ſint , cum innumeris circunſtantijs apparuiſſe prophetis. Ego verò ad conſolationem electorum , & ad infringendas aduerſariorum calumnias , ſolam hanc viſionem cum eius declaratione ſcribere volui : Tametſi mentis meæ erat , eam potius ſupprimere : verùm, vt dixi , ad hoc me neceſſitas impulit. Et verum eſt , quicquid ſcripſi , & ex eo , iotha vnum non præteribit , donec omnia fiant. Et licèt omnia apertè deſcribere conatus ſum , credo tamen, quòd multi varias dubitationes incurrent, ſicut in Euangelijs , quæ tàm clara videntur , frequenter contingit , & multò magis in prophetis , in quibus multæ contradictiones apparent, quæ à ſacris Doctoribus ſumma difficultate concordantur. Heretici verò , & praui homines in ijs inuoluuntur, & excæcantur, vnde Apoſtolus ad Corinthios ait , ſi etiam opertum eſt Euangelium noſtrum: in iis , qui pereunt, eſt opertum : in quibus Deus huius ſeculi, excecauit mentes infidelium, vt non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei : Et ideò ſicuti hoc noſtrum opuſculum dubitationem parturiet , non mirandum eſt. Spero tamen, quod qui recto corde illud legerit , facilè cuiuſcunque dubitationis ſolutionem inueniet. Quam tamen ſi quis ex ſeipſo inuenire neſciuerit , viuente adhuc auctore , ipſum adeat: Eo verò defuncto , ipſius diſcipulos, & familiares. A quibus plenè illi ſatisfiet . Quòd ſi aliter fecerit , indicabit ſe non eſſe veritatis amatorem: Sed fratris ſui calumniatorem, & contrà ſe Iudicem æternum prouocabit, qui contrà illum dicet. os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduersùs fratrem tuum loquebaris, & aduersùs filium matris tuæ, ponebas ſcandalum: Hæc feciſti , & tacui. Exiſtimaſti inique , quòd ero tui ſimilis ; Arguam te , & ſtatuam contra faciem tuam. Si homines credunt Mercatorum libris , publiciſuè Notariorum tabulis, & inſtrumentis antiquiſſimis, & hominibus , de quibus ſcriptum eſt : omnis homo mendax. nec non fallacibus aſtrologis , & ipſis Dæmonibus , mendacibus , mendaciorumque patribus, & Magiſtris. Quos ſæpè magnates conſulunt : quantò magis ſincera fide ſuſcipere noſtra deberent; quorum partem non modicam iam eueniſſe viderunt: nec me vnquã in aliquo mendacio deprehenderunt , præſertim cum ex multis argumentis , & ſignis Deus oſtenderit. hæc à ſe non ab humana inuentione proficiſci. Rogo autem electos Dei, nè in tanta contradictione turbentur. Sed tantò magis fide confirmentur, quanto ſimiliora fieri noſtra conſpiciunt doctrinæ Chriſti , Prophetarumque , & Apoſtolorum , atque aliorum ſanctorũ tàm in ſucceſſu veritatis, & modo: quã in perſecutionibus, vt qui ſacras ſcripturas ſæpè declarauit. Gratias agant Deo: qui tantum luminis illis conceſſit, vt veritatem ab eo ſolo manantem diſcernant , Neque mirentur, ſi multi increduli ſunt, & multi nos perſecuntur. Chriſtus ſiquidem longè aliã , quam nos efficacia populo Hebræo prædicabat , & miraculis magnis, ac ſtupendis doctrinam ſuam confirmabat. Pauci tamen in eum crediderunt, & multi perſecuti ſunt , ita vt in paſſione, omnes eum dereliquerint , & integra fides tantum apud Virginem Matrem permanſerit. Nemo quoque dubitare debet , quod Dei electi pereant. Quia (vt inquit Apoſtolus ) firmum fundamentum Dei ſtat , habens ſignaculum hoc. Cognouit Dominus, quæ ſunt eius. Et diſcedat ab Iniquitate omnis , qui inuocat nomen Domini, In magna autem domo non ſolùm ſunt vaſa aurea , & argentea, ſed, & lignea , & fictilia , & quædam quidem in honorem , quædam autem contumeliam. Si quis ergo emundauerit ſe ab iſtis, erit vas in honore , Sanctificatum , & vtile domino ad omne opus bonum paratum. Itaque Regi ſeculorum, immortali, inuiſibili ſoli Deo honor, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

Hæc Sauonarola de ſuis concionibus, actis & vaticinijs diſſerebat, eoque veluti clypeo ſe defendebat, ab illorum criminationibus qui vel prophetias in





Eccleſia defeciſſe, vel ſuis fidem adhibendam nõ eſſe contendebant. Neſcio, an illius reſpectu, Thomas de Vio Caiëtanus, S.R.E. Cardinalis, & S. Thomæ Aquinatis interpres illa verba Doctoris Angelici, in 2.2, qu.184.art.6 in reſp.ad 3. Singulis temporibus non defuerunt aliqui Prophetiæ ſpiritum habentes, non quidèm ad nouam doctrinam fidei depromendam, ſed ad humanorum actuum directionem: expendens, mouebat hoc quæſitum: An tales crediti prophetæ audiendi ſint in his, quæ dicunt ſe ex prophetiæ ſpiritu habere.

An illis, qui futura prænuntiant, fides ſit adhibenda.

Pro parte affirmante, proponebat: 1. quia aliter in vanum daretur ſpiritus prophetiæ, quæ ad vtilitatẽ Eccleſiæ tamq̃ finem ordinatur, & fieret cõtrà illud Apoſtoli 1. ad Theſſal.5. Prophetias nolite ſpernere. 2. Iſaac obediuit præcepto Abrahæ, circa mortem ſuiipſius, quæ erat contra omne ius. 3. Mulier fornicaria, quæ genuit ex Oſea propheta, excuſata eſt à fornicatione.

Pro parte negante, opponebat: eò quòd daretur per hoc via inobedientijs, & impudicitijs, & alijs ſingularibus exceſſibus hominum illorum , qui dicerent, ſe hæc patrare iuſſu huiuſmodi prophetarum.

Pro euidentia, & definitione, diſtinguebat, & reſpondebat, ꝙ cùm duplices ſint actus humani: Quidã ſpectantes ad publica officia, & præſertim Eccleſiaſtica, vt prædicare, celebrare, ſententias ferre in iudicio, & ſimilia. & circà hæc nõ verſatur præſens quæſtio: quoniã clara huius quæſtionis ſolutio habetur, extrà de hæreticis c. Cum ex iniuncto: vbi dicenti ſe inuiſibili miſſione à Deo miſſum, publica fides negatur, niſi miraculo , vel ſpeciali ſcripturæ teſtimonio id cõfirmet. Hinc enim patet , ꝙ quacũq; perſona ꝓphetãte de nouo, nõ ſunt publici actus dirigendi ſecundũ illi⁹ prophetiã: quoniã Eccleſia fidẽ eis publicam negat, niſi aliꝙ dictorum teſtimoniorum efficaciter adeſſet. Alij verò actus humani priuatarum ſunt perſonarum, & in his diſtinguẽdum eſt: quoniàm quidam diriguntur ab huiuſmodi propheris cõformiter ad vniuerſales Eccleſiæ regulas: & in his, quia nullum periculum eſt, quilibet poteſt in ſuo ſenſu abundare, vt dirigat ſuos actus ſecundum arbitrium huiuſmodi prophetarum. Quidam verò diriguntur difformiter ad Eccleſiaſt. mores, ſiue cõmunes totius Eccleſię, ſiue peculiares alicui⁹ Religionis, & huiuſmodi. & hoc ſiue in veritate ſit iſta difformitas , ſiue habeãt ſpeciẽ difformitatis: & in iſtis huiuſmodi Prophetæ, nec audiẽdi, nec fouẽdi ſunt, aliquo modo, niſi, vt dictũ eſt, fides publica ab Eccleſia eis deberetur. Manifeſtatur autẽ hoc ratione, & authoritate. ratione quidẽ: quoniam recta ratio exigit, vt in directione actuum noſtrorum, certum ꝓponatur dubio quo ad bonitatem, vel malitiam. Cõſtat autem quòd regulare actus noſtros conformiter ad diuinas Eccleſiaſticaſq; leges & mores, bonum proculdubio eſt: & declinare ab illis, malum ſimiliter proculdubio eſt. An autem Deus in veritate illuminauerit huiuſmodi prophetas , & poteſtatẽ dederit ꝑcipiẽdi oppoſitum, aut diſpẽſandi in huiuſmodi, nulla euidenti certitudine conſtat nobis, quãuis ipſi hoc dicerent, & iurarent. Et ſic hoc tamq̃ incertum, & ambiguum, poſtponendum eſt certæ, & infallibili regulæ diuinæ, ſeu humanæ, qua irreprehenſibiliter hactenùs actus noſtros regulauimus. Authoritate verò: Nam S. Paulus Apoſtolus vbi ſupra, cum dixiſſet, prophetias nolite ſpernere, ſtatim ſubiunxit tria documenta ad hoc dicens. Omnia autem probate : quod bonum eſt tenete: ab omni ſpecie mala abſtinete vos Vbi ſic venerari Prophetias docet, vt primò probemus omnia, q̃ dicunt: & in hac diſcuſſione includitur aſſignata ratio, vt ſcilicet certa præponantur incertis, vbi periculum imminet: deinde ad electionẽ bonitatis cogit: & demùm non ſolùm abſtinentiã mali, ſed etiam ab his, q̃ habent mali ſpeciem cauendum ꝑcipit: ac ſi apertè diceret: Nolite ſpernere prophetias, qui de nouo apparent; verum tñ eſtote prudentes, & cauti, nec ad ſpeciẽ mali ꝓpter eos declinetis, ſed bonũ tantũmodò amplectamini. Conſtat enim bonũ, & malũ in actibus humanis, ſecundũ conformitatẽ & deformitatẽ ad diuinas, humanaſq;, præcipuè Eccleſiaſticas leges attendi. Quocirca non excuſantur, qui ex iuſſu, vel licentia huiuſmodi Prophetarum, credentes, eos ſpiritu afflatos diuino, aliquid ex ſuo genere malum cõmittunt, vel aliquid habens ſpeciem mali: vt faciunt hi, qui amplexibus, ſeu impudicitijs propterea operam dant, delitias, pompaſq; aſſumunt, nouitates ſingulares, quas neſcierunt patres eorum, ſub ſpecie ſanctitatis introducunt. Non ſunt enim hæc niſi carnis opera, & aliena à fructibus ſpiritus , vt patet ad Galat 5. & propterea ſi actus fiant peccati mortalis ex ſuo genere, peccant proculdubio mortaliter, tales actus facientes , vtpote non excuſati: quoniam iuris diuini, quale eſt hoc, ignorantia non excuſat.

Ad primum in oppoſitum reſpondebat Caietanus, quòd Prophetia dicitur ad vtilitatem , iuxta tñ conditionem Prophetæ. Nam Prophetia Prophetarum receptorum ab Eccleſia, datur ad vtilitatem , vt quid neceſſariò amplectendum: Prophetia vero Prophetarum non receptorum , ab Eccleſia, datur ad vtilitatem, tamquam aliquid priùs probandum, & diſcutiendum, antequam cum periculo aliquo amplectat̃. Neq; hoc eſt ſpernere Prophetias , ſed probare.

Ad ſecundum dicebat dupliciter. Primò , ꝙ Iſaac non cooperabatur morti ſuæ , ſed patienter tolerabat illam: ſicut Martyres potentes euadere, & tamen ſpontè ſuſcipientes Martyrium: & propterea ipſe certitudine adhæſionis tantum, tenens patrem ſuum inſpiratum à Deo , nullum actum fecit ex ſuo genere mortalẽ. Secundò dicebat, quòd Abrahã iam erat ꝓpheta receptus in Eccleſia , ex quo iam circumciſionem acceperant à Deo, ipſo mediante. & propterea ſicut nos, credentes doctrinæ prophetarum receptorum in Eccleſia , licitè talem cultum reprobamus, & talem amplecti tenemur: ità Iſaac tenebatur credere reuelationi factæ patri ſuo. Nõ eſt autem ſimile de iſtis prophetis, de quibus loquimur , qui diuerſis apparent tẽporibus: quoniã eis nõ tenemur credere.

Ad vltimum de muliere fornicante Oſeæ dicebat, quòd ſi, vt multi putant , verè concubitus fornicarius ex ſuo genere ille fuit, cùm mulier illa peccatrix eſſet, non oportet laborare ad excuſandum ipſam à peccato. Conſtat enim, quòd ſi aliud non interfuit, nos latens, excuſata non fuit à peccato mortali: ſicuti nec hodiè excuſaretur quæcumq; mulier, permittens ſe cognoſci à quocumq; ſanctiſſimo homine, & propheta reputato, qui non eſſet ſuus maritus.

XXV. Sauonarolæ vaticinia fidem merebantur, & cur.

Iſta Caiëtanus pronunciat, ſi, & quando, huiuſmodi nouis prophetis fides ſit adhibenda : quæ eo cõſilio adſcribere volui, vt æquus Lector, ad hanc amuſſim expendens vaticinia Sauonarolæ, in ſalebra non hæreat, an fidem meruerint , necne. Sanè is homo, vel aduerſarijs ipſis non inficiantibus nonniſi de reformatione Cleri vtriuſq; , & populi ſermonem præcipuè inſtituebat: neq; quicquam Regulis diuinis, aut Eccleſiaſticis, contrarium, dum Eccleſiam ſiue deſideraret , ſiue diuinaretur , fore ſine macula, ac ſine ruga, nec habens aliquid huiuſmodi, docebat, aut defendebat. De Cænobiorum aliquot ſui Ordinis reformatione, ꝓduces habebat, eiuſdem inſtituti Magiſtros Generales, qui nihil amplius, vel in Comitijs Generalibus, vel in viſitationib⁹ prouinciarum, legibus editis, & cenſura adhibita curabant , optabantq; q̃ ſtrictiſſimum viuendi morem, à Sancto Cõditore, & ſuccedentibus Patribus ꝑſcriptum, inſtaurare. Præduces deinde habuit Patres Prouinciæ vtriuſq; Lõbardiæ, q anteactis tẽporib. diſiũgi à nõnullis voluerũt, animo ſeruãdę ſeuerioris diſciplinę: à quo etiã ſtudio, ꝓnomẽ Obſeruãtiũ ſibi vẽdicarũt. Horũ veſtigijs inſiſtẽs, Sauonarola, de eadẽ rigidiore viuẽdi nor-

ma, multa ante prædixit: & communicatis conſilijs, cum his, qui ad anteriora ſanctitatis, ab exemplo & conſilio Paulino ſeſe extendebant, non præceps, à communitate, vel obedientia abrupit, ſed ad Superiores, quibꝰ in vniuerſũ Ordinẽ poteſtas eſt ſupplex cũ Sodalibus quàmplurimis cõfugiens, rationeſq; ꝓpoſiti ſui, & aliorũ exponens, obtinuit: vt ſibi, & voluntarijs, liceret, in Cænobijs deſignatis, vitã arctiorẽ ducere. Quod quemadmodũ euenerit, quęue miranda tunc acciderint, autor vitæ Sauonarolæ recẽſebat.

XXVI. *Vita, & exercitia Sauonarolæ, eiuſque Sodalium.*

Quo tẽpore Sauonarola, Cænobio S. Marci Florentiæ præfuerat, pluſq̃ ducentos Sodales numerabat, qui à doctrina, & exemplo illius excitati, cæleſtem in terris vitam agebant, in cultu diuino, diurno pariter, ac nocturno frequentes ac feruentes, in vſu, & miniſterio myſteriorum Dei, puri, innocentes, atq; perpetui: in domeſtica cõuerſatione, in carne quidẽ, ſed extra carnem militantes: mortificationem nẽpè IESV Chriſti in ſuo corpore circumferẽtes: in exẽplis virtutum, ſine querela, & macula, vtpotè bono odore ſanctimoniæ cunctos recreantes, in his deniq; exercitijs, quæ alij ad aliquantam remiſſionẽ ſpiritus aſſumerẽt, ſcilicet in recreationibus ordinarijs, Angelicũ officium præoccupantes: quãdò Sauonarola illos in aliquem ſolitarium extrà vrbem, locũ eductos, vel ad laudes diuinas prouocaret, vel ſaluberrimis diſſertationibus imbueret, vel animos eorum ad cæleſtia inflammaret. Antequam Monaſterio exirent, Sacerdotes quidem primò rem diuinã faciebant, alij magna cũ deuotione intererant: mox diuinũ officiũ recitabant. Vrbe egreſſi, nõniſi de rebus ſpiritualibus ſermones inter ſe miſcebãt. Aliquantulũ viæ ꝓgreſſi, captato diuerticulo ſubſidebãt; quibus Sauonarola, aliquid è ſacris Scripturis, ad ꝑfectũ animæ accõmodatũ explicabat. Inde ſurgentes, & gradũ ꝓmouẽtes, aut quid è cæleſti doctrina didiciſſent ſingulatim interrogabat, aut hymnũ eis aliquẽ, in laudẽ Saluatoris, vel SS. Deiparę, ſermone patrio præcinebat, quẽ oẽs vocibus ſuauiſſimis ꝑſonabant. Paulò poſt, nè laſſarẽtur, recumbere eos iubebat: ſed inter ſedendũ, aliq̃ exẽplum ex vitis Sanctorum, vnus illo iubẽte denarrabat: cæteri auditores, quid inde vtilitatis ꝑcepiſſent, referebant, ac in orbẽ choro ducto, in laudes illiꝰ Sancti prorũpebant. Inde ſurgentes, vlteriꝰ ꝓcedebãt, & facto aliquali ſpatio, iterũ recũbebant, quęrenti Sauonarolæ, aliquẽ locũ S. Scripturę, iuxta quatuor ſenſus exponebant, ac vltimo illũ exponentem audiebãt. Aliquãdo ſingulis, vel è cera, vel ex medulla alicuius arboris, formatã, vel colũbam, vel ouiculã, vel aliquid tale q̃ myſteriũ aliq̃ ſalutis reſpiceret, diſtribueret, vtq; myſticos ſenſus inde eruerent, ꝓferrentq; admonebat. Ipſe deinde, vt ſinguli duo quæſita, alterum de paradiſi gaudijs, alterũ de inferni cruciatibus corã ꝓponerent, animabat, atq; ad omnia tã copioſè, tam profunde tãtoq; cum feruore reſpõdebat, vt ſe exiſtimarẽt, & illis intereſſe, & hæc oculis intueri. Peſſimus alicubi inter quoſdam Cænobitas mos inoleuerat, Tragicomedias, Comedias, & Dialogos prophanos, publicè etiam repręſentandi. Ita in orcheſtra, vel in ſcæna, religioſi, irreligioſi, diſcebant & docebant flagitia, etiam quæ cogitare ſacrilegum. Pro eo propudioſo, Sauonarola, in Cænobio S. Marci ſubſtituit laudabilem, qui nec oculos offenderet, nec animum ad inconceſſa ſollicitaret, nec quicquã prophanum præſeferret, quin potiùs mentem ad cæleſtia eleuaret, & gaudio ineffabili perfunderet. Aliquẽ è tyronibus in ſpeciem, vel *Ieſuli*, vel *Mariæ* conformatũ, in medio Sodalium collocabat. Huic circũſidentes Sodales, vel laudes canebant, vel vota pangebant, vel cor offerebant, vel eiaculatorias voces, *Ieſu dulciſſime*, vel *Ieſu ſpecioſiſſime*, vel *Maria mater gratiæ*, vel ſimile quid accinebant, vel choros in iubilo ſpirituali ducebant: vel legationem pro quapiam re ſpirituali ſubornabant, vel aliud, quod in amorẽ Redemptoris, vel Reginæ cælorum inflammaret, repræſentabant.

XXVII. *Congregationem titulo S. Marci erigendã procurat.*

Inter has Angelicę vitæ delicias decreuerat Sauonarola, nouũ extra Vrbem cænobiũ, ad ſancti Patris Dominici mentẽ extruere: cuius ſcilicet clauſtrũ humile, paululùm à terra aſſurgeret, nõ marmoreis, ſed aut ligneis, aut terreis colũnis niteretur: cellę dormitoriæ anguſtiores, aſſeribus, vel ſtoreis diſtinctæ eſſẽt, ac nihil è ferro, aut ære, nõ anſas, nõ vectes, non ſeras haberent: non lectos exquiſitos, non lectiſternia lanea, aut plumacea, ſed ſaccos paleis, aut ſtramine infarctõs: non ſuppellectilem curioſam, aut pretioſam. templum quoque ad ſimplicitatẽ, & paupertatèm veterem extructum; in quo nullæ prophanæ, aut vanæ imagines, ſed tantũ pietatem, & ſimplicitatem redolentes extarent: res veſtiaria ex lana vel lino: calices modicè pretioſi: campana vnica, eaque mediocris: Cænobitæ ſanctitatem, & deuotionẽ ſpirantes; ex quibus aliqui animarum ſalutem procurarẽt, alij ſtudijs Theologiæ, Philoſophiæque pro temporum ratione incumberent: Cõuerſi verò, manuale aliquid ad cõmunem omnium vtilitatem elaborarẽt: omnes verò pro virili, ad ſummam perfectionis eniterentur. Iam huic domicilio extruendo, locum ſupra Mõtem, quem Canum dicunt, acceperat, ſumptus in ædificia parauerat, ſyluulam quãdam caſtaneam propinq̃ exciderat, manũq; operi ferè admouebat, quandò nõnulli laxiori vitæ aſſueti, multa contra opponentes, & ergaſtulum illud futurum cænobium enecandis Sodalibus excogitatum prætexentes, hominẽ à propoſito, magis cõminationibus quàm precibus retraxerunt. Nõ tamen deterrere illũ potuerunt, quin ad erigendã nouam titulo S. Marci Cõgregationem omnẽ diligentiam adhiberet. Ergo cõmunicatis cõſilijs, cũ ijs, quos melior ſpiritus afflauerat, primò Ioachimũ Turrianum Generalem, ac Oliuerium Caraffam Cardinalem Protectorem Ordinis, deinde Alexandrum ſummum Pontificem interpellauit: vt Cænobia duo vel tria, ſcilicet Florentinum S. Marci, Feſſulanũ S. Dominici, Piſanũ, vel Pratanũ à Prouincia Lõbardiæ ſepararent, inq; nouã Cõgregationẽ erigerent; in quibus ſanctioris vitæ cupidi, à tepidioribus ſegregati, ſublatis omnibus impedimẽtis, cõſueſcerent. Aduerſarios, quos ſuperiùs memoraui, habuit Sauonarola tam potentes, vt Cænobitæ Mineruitani ꝓ re deplorata haberẽt, conatus illius. At ille fiduciæ plenus, animum minimè abiecit, quinimò maiore cõſtantia in negotium incubuit, ac Sodalibus citã victoriã ꝓnunciauit: dicẽs, cõſtitutum eſſe diuinæ voluntati, eos Cõuẽtus ſeparare, Cõgregationẽq; Marcianã inſtituere. Dixit: Deus potẽtum cõſilia diſſipauit, & animum Põtificis ad ſanciendã regularẽ diſciplinã, edictumq; de ea ſeparatione, atq; erectione ſignãdum inclinauit: vt quãq; ea die, qua Oliueriꝰ petitionẽ vrgebat, omnib. Cardinalibꝰ ad Comitiũ euocatis, edixiſſet, ſe nulli diplomati ſignatoriũ annulũ impreſſurũ: tñ ad cõtinuatas Oliuerij preces, adiurationibus mixtas, ꝓpoſitũ mutauit, & annulum ſibi detrahi ab Oliuerio tolerauit, quo is diploma ꝓ noua Cõgregatione cõceptum ſubſignauit, Marcianiſq; Sodalibus repſentauit: quãdò paulò poſt, Vicariꝰ Lõbardiæ, turba potẽtium ſtipatus, Cõſiſtorium ingreſſus, Põtificẽ nè quid nouaret, interpellauit. Cumq; ab Alexãdro audiuiſſet: ſi antè octauum horæ dodrãtẽ interceſſiſſet, fortè quippiã in rẽ ſuã obtinuiſſet; mox è palatio diſcedens, litteras ꝑ diſpoſitos tabellarios Feſſulano Priori deſtinauit, cui iniungebat, vt executionem diplomatis Apoſtolici quouis modo ꝑuerteret, & nonnullos Fratres, ſeparationis autores, in penitiorem Lõbardiam Florentia ablegaret. Fortè fortuna Feſſulanus Prior, domo aberat: literas à Vicario deſtinatas Supprior accepit, & minimè reſignatas, in menſa cubiculi Prioris repoſuit: vt cũ is domũ rediſſet, videret,





quid Vicarius iniungeret. Reuerſus ille, per incuriam, litteras in menſa repoſitas minimè aſpexit, nec niſi pòſt octiduum, animum ad eas aduertit: cum interim diploma Pontificium Marcianis allatum eſſet: cuius rei ignarus Feſſulanus, cum mandata Vicarij Sauonarolæ, & cæteris exponeret, quemadmodum par erat, riſu exceptus eſt, quod tardè nimis veniſſet.

XXVIII. *Congregationis eiuſdem amplificationẽ prænũtiat.*

Erecta ad hunc modum ab autoritate Apoſtolica, Congregatione, nutare aliqui cæperant, & ſubdubitare: Num ætatem illa ferre poſſet, atq; progreſſus aliquot facere in re ſpirituali. His Sauonarola, ſpe ſubnixus, magna virtute occurrit, ꝓdixitq;, tantam eius Congregationis amplificationem futuram, vt Fratribus conuolantibus, & tyronibus accurrentibus, duo, vel tres illi Conuẽtus recipiendis minimè ſufficerent: deq; ea aliquãdò aptaretur illud ꝓpheticum, *Auguſtus eſt mihi locus: fac mihi ſpatium, vt inhabitem*; quandò innumerabiles deſiderio ſanctioris vitæ inflammati, eò ſeſe reciperent, vt vniuerſa Etruriæ cænobia implerent, & vſque ad extremos Garamantas propagines ſuas extenderent, Fidei Orthodoxæ depangendæ, & veteribus inſtitutis inferendis, aut inſtaurandis. Quaſi in momento euenit, quod prænunciauit. Enimuerò Franciſcus Saluiatus, & Philippꝰ Rondinellus, Cænobij Feſſulani primores Sodales, Marcianæ Congregationi vix enatæ, illud Cænobium adiunxerunt, Turrianus Generalis, ferè eodem temporis momento, Senenſe S. Spiritus Cænobium, Sauonarolæ ad reformãdum cõmiſit: cui decreto, quod P. Antonius Pomerantius reſtitiſſet, ac tumultu in vrbe excitato, Ciues honeſtiſſimos, Lucium Bellantem, & Nicolaum Burgheſium Equitem, ad impediendum ſanctum opus euocaſſet, ac Sauonarolam, vrbe rebus tunc infectis, diſcedere cõpuliſſet: ipſe quidem paulò poſt Romæ, infectus peſte in ſordidiſſimo ſtabulo occubuit: Bellantes Senenſis reipub. perduęllis, exul proſcriptus, Florentiæ in foro veteri in fruſta cõciſus: Burgheſius autem à Petrucio genero pariter confoſſus, diſſectuſq; pœnas diuinitus immiſſas luit: quod linum fumigans, extinguere ſunt conati. Euenit tandẽ q̃ Sauonarola, P. Deſiderio Florentino Dominicano, Senis à Magiſtratu pulſus, puluereꝫq; è calceamentis excutiens, prædixit, non multum temporis interceſſurum, quandò Cænobium S. Spiritus Senenſe, diſciplinam Marcianæ Congregationis amplecteretur. Eodẽ pariter tẽpore, Piſanum Monaſterium, miſſis eò XXIIII. Fratribus recepit; item Saxi aliud erexit: Pratum, XXII. Sodales deſtinauit: Sanctimoniales S. Luciæ, Florentiæ reformauit: & alia multa inſtaurandæ Regulari diſciplinæ procurauit.

XXIX. *Aliquorum SS. Colloquio fruitur, & propheticè ſpiritu claret.*

Hoc eodem tẽpore, Sanctos, Auguſtinum, Aquinatẽ, & Catherinam Senenſem ſecundum quietem aſpexit, & ab illorum reuelatione didicit, ex XXVIII. Fratribus, qui intra aliquot dies apud S. Marcum diſceſſerant, duos rectà cęlum petijſſe, vnum ad purgatorij loca detruſum fuiſſe, reliquos ad inferna deſcendiſſe, ex quibus aliqui rebus huius ſeculi plus nimio addicti, alij lucello, & cõmodis vitæ attenti, alii parentum nimio amore flagrantes, nonnulli maiorum voluntati refractarij vixiſſent. Quam rem cum is ſuis ſodalibus, Alexander verò Rancius ad S. MARIAE Nouellæ Conuentualibus retuliſſent: hi quidem ad ſermonem inſtitutum, aliquanto obſurduerunt: illi autem quaſi fulmine icti, ſi quæ retinuiſſent ſuperflua, ad pedes Sauonarolæ proiecerunt, ac de ſalute ſuarum animarum impenſius cogitare cæperunt. Secreta etiam cordium, & perſpiciebat, & ad ꝑfectum ſpiritualẽ renunciabat, Sauonarola. Viuebat in Cænobio S. Marci, nobilitate familiæ præluſtris, F. Petrus Lotti: ſed plus ad ſenſum, quàm ad ſpiritum propendebat. Eum Sauonarola ſermonibus adortꝰ, ita immutauit, vt in poſterũ triduanis in hebdomada ieiunijs, pane ſolo, & aqua, ac herba aliqua cruda contentus, dignum ſe cæleſtibus conſolationibus reddiderit, atq; ſancto fine quieuerit. Aequalis huic F. Nicolaus Maracellius: qui cùm Sauonarolam audiſſet exprobrantẽ, quòd eius cor non erat rectũ cum Deo, repentè in alium virũ mutatus, dignus fuit Angelos duos ſacratam Euchariſtiam manibus ſuſtinentes, alia verò vice ipſam hoſtiã in IESVM paruulum, in præſepio recumbentem transformatam aſpicere. F. Vincentius Linaiolius poſtulabat ab eius congregatione miſſionem. Huic Sauonarola prædixit, illum breui, à ſemimortuo quodam occiſurum. Iam XVIII. anni ab ea prædictione effluxerant: quãdò Vincentius, Romæ, audiendis Monialium S. Catherinæ Senen. Cõfeſſionibus pręfectus, duobus ex Marcianis Fratribus obuiàm factus, Hieronymi ꝓdictionẽ cæpit irridere, hominiq; iàm extincto illudere. Vnus ex eis hominem admonuit, nè mortuo cõuiciaretur, ſed aliquantiſper toleraret: fortè nondum prçterijſſe tempus, quo dictis res ipſa ſuccederet. Succeſſit non multò poſt. Cõuenerant per occaſionem Capitulo Generalis, in quo Thomas Caiẽtanus, in Generalem Magiſtrum eligebatur, innumeri Fratres Dominicani, Romam ad Cænobium Mineruæ. Cùm extraneos locus non caperet, oportuit domeſticos aliorſum in hoſpitia religioſa diuertere. Inter hos aliquis ex Neapolitanis Conuerſus, ſed valetudinarius, ad Vincentij domunculam miſſus fuit, vt ibi commodiùs curaretur, & ſanitatem citiùs recuperaret. Hunc frequentiùs Moniales ad loquentẽ, cùm Vincentius ꝓ officio, ſemel, ac iterũ admonuiſſet, maleſanũ adeò irritauit, vt is cultro educto, cor illi cõfixerit, mortuumq; reddiderit. Ità ſerò q̃dẽ ſed ſerò tãdẽ euenit, q̃ Sauonarola ꝓdixerat, illũ à ſemimortuo moriturum.

XXX. *Exemplis cõfirmatur.*

Alius F. nomine ſolo Benedictus, Montelupius, auſus fuit Hieronymo conuitiari, ac dicere, ſe illius dictis fidem minimè adhibere. Corripuit væſanum ille, & mala morte interiturũ ꝓdixit. Dixit: & Frater illo anno 1522. peſte interijt. Alter F. Chriſtopherus à Lilio, Sauonarolæ propter correctionem paternam infenſus, multa indigna in mortuũ effutiebat, ac pro Cõcione, illũ exagitare decernebat. Hunc Deus in reprobũ ſenſum tradidit, vt multis libidinationibꝰ ſeſe poſteà indignum Dominicana religione reddiderit: atq; ad Camaldulenſes tranſitu facto, pòſt multas calamitates ex peſtilentia obierit. Fratribus quoq;, Antonio Pomarancio, de quo diximus, Bartholomæo Claudo, & Nicolao Lucẽſi, q̃ ꝓfeſſioni Religioſæ nõ reſponderent, eiectionem ab Ordine, ſiue diſceſſionẽ longè ante prænunciauit. Suis Sodalibus itẽ, futuras calamitates, vaticinatus eſt: quòd multi ex eis veritatem agnitam impugnaturi eſſent, quando ſatanas eos cribraret, ſicut triticum. Præter hæc Vincentio Bandello, qui poſteà vniuerſo Prædicatorum Ordini præfuit, prædixit, futurum, vt is Congregationem Marcianam poſſet, nec tamen vellet iuuare. quod euenit, quandò Bandelus, Magiſter Ordinis factus, in illum eius Congregationis Conditorem, iam extinctum inuectus, Marcianis Fratribus, edicto graui vetuerit, nè Sauonarolam, aut Sanctum, aut Martyrem, aut Prophetam dicerent: neuè miracula ab eo patrata, aut aliquid diuinum ab eodem geſtum, aut viſum aſſererẽt. Eodem gladio Vincentius cor ſibi ſuum fodere videbatur, quandò ſub iiſdem pœnis edixerat, nè interdicti huius mentionem alicui extra Ordinem facerent, aut quoquomodò factum, reuelarent.

XXXI. *Conatibus Sauonarolæ Diabolus maximè aduerſatur.*

Non defuit inter hæc ſuo officio, totius boni Spiritualis oſor, quin perſecutionem in Sauonarolam, & in eius ſequaces cõcitaret. Dolebat illi iactura, quam faciebat animarum, quas è faucibus illius, & ex profundo vitiorum Sauonarola eripiebat. Vnde vel orantibus, vel quieſcentibus Marcianis, in monſtroſas formas, vel belluas transformatus apparebat, & vel opus Sanctum impedire non deſinebat, vel flagellis

ſenſibilibus repugnantes excipiebat, vel alijs diuerſis modis exagitabat. Aliquandò æthiopem fingebat, terroremque atro illo colore incutiebat. Nonnunquam in aëre verba obſcena, quæ tentationem carnis prouocarent, efformabat: ſemel in Salamandras innumerabiles mutatus, totum S. Marci cænobium in timorem coniecerat. Hæc ſatanæ terriculamenta, vt Sauonarola depelleret noctu cellas dormitorij circumibat, & tàm orationibus, quàm ſigno ſalutis, & aqua luſtrali Cænobium expiabat. Aliquis Nouitiorum, quòd genitorem ſuum venientem alloqui recuſaſſet, in periculum vitæ à dæmone incidit. Noctu enim tyronem arreptum, foribus interiùs adeò affixit, efflixitque, vt nullus ex his, qui caſum audierant, ingredi poſſet, aut quoquo modo iuuare: niſi pòſt longas à Priore fuſas preces: pòſt quas cellulam ingreſſi, nouitium ſemi mortuum repererunt. Sex, & viginti integros menſes eam perſecutionem à Satana paſſi, cùm ſe iam liberatos propemodum exiſtimaſſent, duobus poſt exactis menſibus, ſecundùm quod Sauonarola prædixerat, tentator reuerſus, non tantum Fratribus infeſtior eſſe voluit, verùm etiam S. Luciæ Sanctimoniales nuper reformatas inuaſit, earumq; nonnullas occupauit: quin& domos aliquorum Ciuium, qui ſancto propoſito fauebant, infeſtauit, vt oportuerit, exorciſtas ad depellenda ſpectra ſubmittere. Dominico Peſciano, Sauonarola frequentiùs vtebatur, propter gratiam illi diuinitùs gratis datã, ad ſpiritus reprimẽdos. Is vel ſola benedictione, ſatanã eijciebat, vel quieſcere à vexatione faciebat. Mirũ huic viro aliquãdo vnâ nocte accidit. Habuerat in cubiculo imaginem Chriſti à dæmonio tentati. Ergo ſancto Zelo commotus, ſcopa arrepta, imaginem tẽtatoris flagellauit. Cęterum nocte ſubſequente Satanas par pari reſtituit, hominemq; multis flagris vix non enecauit. Siquando verò Sauonarola energumenos conuenire, aut aliquem eò mittere non poſſet, Codicem Sacrorum Bibliorum ſubmittebat, vt illum cum imperio capiti ægrotantis imponeret, ſatanamque abſcedere iuberet, aliquis ex domeſticis ægroti, ſæpe ſæpius dæmon, librũ in itinere nondum adhuc portatum præcognoſcebat, & in Sauonarolã multa cõuitia iaciebat, pro Hieronymo, ſeu *Girolaino, giral, homini*, ſeu ſeductorem hominum, & giroſanũ, illum appellans, & multas calamitates illi, & ſequacibus pręedicens, vt F. Robertus Stozzius religioſiſſimus memorabat. *Mſ. vita Sauonarolæ Cænobii S. Marti.*

XXXII.
*Boni concionatoris officiũ Sauonarola exequitur.*

Dolebat, inquam, Satanæ, iactura animarum, quam faciebat à concionibus Sauonarolæ. Enimuerò is, ab illa, quali quali perſecutione, à maleuolis, nè Florentiæ hoc anno ad populum verba faceret concitata, magis animoſior in flagitioſos factus, cum videret, hanc eſſe technam dæmonis, curantis, nè canes latrarent, nè ſagittæ potentis acutæ, neue carbones deſolatorij iacerentur: memor prædicatoribus dictum, vt ſint ſal terræ non meliscanes, ſed non muti; carbones, ſed vrentes & purgantes, mallei; ſed ferrei, ferreas obduratorum conſuetudines, ac conſcientias frangentes, contenenteſque & non vllius, aut potentis, aut ſapientis peccata diſſimulantes: ciuitates munitæ, munitiones armatæ: turres clypeatæ, & in ſumma annunciatiores ſcelerum, eradicatores flagitij, plantatores virtutum, & agricultores attenti ad faciendos fructus bonos: in hoc ſeriò omnem operam adhibuit, vt omnes intelligerent, ſe non palponem, ſed verum prædicatorem Euangelicum eſſe, nulliuſq; perſonam aſpicientem. Ergò ad diem Februarij XVII. (in quem Quadrageſimalis ieiunij auſpicium inciderat) auſpicio Concionum facto, cùm verba illa Pſalmi 38. *Dixi cuſtodiam vias meas &c.* exponeret, primò voluit Auditoribus ſcrupulum eximere, qui exiſtimabant illum timore humano perculſum, Concionem munus aliquanto tempore intermiſiſſe: quaſi Alexander Pontifex, cenſura excommunicationis propoſita illi vetuiſſet, nè Florentiæ cõcionaretur. Repoſuit, nihil tale à Summo Pont. editũ fuiſſe: neminẽ qui edictũ legiſſet extare; etſi edictũ aut vulgatum fuiſſet anathema ſe eo modo illo teneri, quomodò ſi filiusfamilias, alicui vineæ à patre præfectus, eiuſdemq; curæ, dies nocteſq; intentus, ab his, qui illam demoliri cuperẽt, falsò accuſat⁹, quandò videret propter ſuã abſẽtiam illis dari tempus demoliendæ vineæ, paterno mandato quo euocaretur, minimè id temporis obtemperaret: ſed patrem de omnibus certiorem faceret: non eos illius cõmoda, & emolumenta ſpectare: ſed per indignationem paternam, & abſentiam ad rem paternam, ſolliciti, ſua ex latrocinio ſpectare. Addebat, & duo alia exempla: alterum de famulo, rationibus alicuius mercatoris diuitis peregrè profecto, qui rẽ huius non ſuam diligenter curaret: alterum de duce exercitus, ab aliquo Rege, vel Principe aduersùs hoſtes miſſo, qui victoriam propè in manibus haberet; vterq; autẽ falsò accuſatus, & à ſuis Optimatibus reuocatus, ſi rẽ domini ſui in apertum diſcrimen, p ſuum diſceſſum adduci certò certiùs cognoſceret, dictoq; illorum minimè per id temporis obſequeretur, non modò non præuaricari contra mandata Superiorum, quin potius in rem illorum facientes, totiuſque negotij illos admonentes, gratiã illorũ meritò pmereri. Aequalẽ ſuã, & illorum cauſam eſſe inſinuabat: nec tñ, nõ obediendum eſſe Summo Põtifici docebat: quin potius ſuggerebat: ſi ipſe Summus Põtifex, q vineæ Dominicæ cum ſuprema poteſtate cultor: quiq; militiæ Chriſtianæ anteſignanus, & myſteriorum Euangelici theſauri adminiſter primarius, qui eſſent, quidue ſuaderent, aut curarent, cognoſceret, non improbaret modò, verùm pbaſſet, ſi quid epichia, humilitati, & prõptitudini obſequendi adiuncta faciendum ſuggeſſiſſet. Multa alia tam in hac, tum in alijs cõcionibus in eam rẽ dicebat: clariſſimumq; auditorio frequentiſſimo faciebat, ſe minimè refractarium Summo Põtifici aut eſſe, aut fore, aut poſſe eſſe, ſi vitia hominum inſectaretur; monitioniq; illi diuinæ, quæ iubebat. *Aſcende in montem, tu qui Euangelizas Sion: aſcende, clama, neceſſes: exalta in fortitudine vocem tuam: nè timeas à facie eorum, quia ego tecum ſum,* ſatisfaceret; præſertim ſi falſi, ſi pſeudo Chriſtiani, ſi rem ſuam nõ Chriſti quærentes, ſi ambitioſi, luxuriæ immerſi, libertati populari aduerſi, diuerſiſq; flagitijs obruti eſſent, qui per falſimonias, & calumnias ſolicitarent Pontificem. Eo ſcrupulo è mentibus ſimplicium exempto, cæpit flagitia, quæ Clerum, & populum tam Florentinum, quàm Romanum ferè obruerant exagitare, arguendo, obſecrãdo, increpãdo: nec voci, nec lateribus parcẽs, nec quicq̃, aut laboris, aut ſtudiorũ, aut cõtentionis intermittẽs, vt vtrumq; ſtatum efficeret, gentem ſanctam, populum acquiſitionis, ſectatorem bonorum operum. Quamobrèm nullam Concionem hoc anno intermiſit, in qua in peſtes humanæ ſalutis non inueheretur: quaſi illi dictum eſſet, quod olim Hieremiæ dictum: *Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes. Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum ſum, vt eruã te dicit Dñs. ex varijs Concionibus Quadrageſimalibus huius anni, Sauonarolæ, à Laurentio Viuolo deſcriptis, & Florentiæ typis ditis.*

XXXIII.
*Maximum Auditorũ frequentiã habet Sauonarola.*

Narrat Iacobus Nardus, concionante in Baſilica cathedrali Florentina, Sauonarola, frequentiſſimum auditoriũ fuiſſe, q̃ plurimis aduerſariorũ illius, iam odio depoſito confluentibus, & dictis vaticinijs fidem adhibẽtibus: maximè quãdo prę̨ter alias prophetiã de Caroli in Italiã aduẽtu, ac victorijs, alterã verò de immutatione ſtatus Florẽtini, & pace vrbis ſecura, (q̃ is maximè curabat) adimpleras eſſe vidiſſet. Nõ deerãt tñ aliq ex Regularib⁹, Clero, & primorib⁹, qui cõciones, & actiones illius ſuggillarent: præſertim quando is ciuitatem, ad nouum fœdus cum Pontifice, Hiſpano, Venetis, & Sfortia ſanciendum propè iam propẽſam in fide, & amicitia Caroli Regis, eo fine, nè Regẽ victorem, in ſe vnos irritarent, neue bellum ab aliorum ceruicibus in ſe conuerterent, confirmauit: & ad Carolum Pongibonzios à Magiſtratu miſſus, nè Mediceos in vrbem reduceret, neue reformationem Eccleſiæ intermitteret, adlaborauit. Vndè varijs calumnijs illum apud Pontificem obruere cupientes, effecerunt, vt Pontifex iterum illi diem, ſub pæna excommunicationis Romæ dixerit. Magiſtratuiq; Florentino eandem cenſuram, vrbi verò priuationem ſacrorum interminatus fuerit, ſi Sauonarolam ad obſequendum mandatis Apoſtolicis, minimè adducerent. Secuta eſt inde Florentiæ ingens tribulatio: nec minima Romæ, inter etiam Purpuratos opinionum diſſenſio: affirmantibus alijs, etiam in Conſiſtorio, perturbationem, ſectas, contemptũ Apoſtolicæ Sedis naſci à Concionibus Sauonarolæ: alijs verò impoſturas eas aduerſariorum in innocentem, à maleuolentię & ambitionis ſtudio ſparſas eſſe, omni conatu oſtendentibus. Oppoſitos quidem ille articulos, ope quorundã Cardinalium, Magiſtratus, & ciuium, nec nõ aliquorum exterorum, refutauit, ſeq; omnino culpæ exortem, teſtimonijs, & argumẽtis inuincibilibus oſtendit: propter quæ Pontifex poteſtatem concionãdi illi iterum reſtituit, ac libertati conſcientiæ illius, vellet, nec nè verba ad populum facere permiſit: qua tamen poteſtate, quamquam pro illius innocentia, multi Florentinorum, Romanorum, extraneorumque apologias irrefragabiles ſcripſiſſent, ac Pontifici ophtalmũ abſterſiſſent, vti noluit, & à concionandi munere aliquanto tempore abſtinuit; nolens tenerum adhuc Reipub. Florẽtinæ ſtatum, in aliquod diſcrimen adducere. Dominicus Peſcia, ætate grauis, & opinione ſanctitatis conſpicuus, pro illo ex ſuggeſtu ad populum pręedicabat Paulò poſt perſuadente Magiſtratu, munus intermiſſum reaſſumpſit: tanta dicẽdi felicitate, vt è lõginquis vrbibus Illuſtriſſimi & frequentiſſimi ad eum audiendum conuolarent, opus vt fuerit tunc, in ampliſſima quantumuis Baſilica, gradus circumcirca parietes in formam amphiteatri altiſſimos erigere, ad excipiendos auditores. Secuta eſt tanta morum Florentiæ mutatio, vt dies ſolennes Aduentus Dominici, tanto cum rigore omnes ieiunarent, quanto alíubi Quadrageſimale ieiunium minimè ieiunatur: extirpata inde publica, publicis edictis, flagitia: exercitia pietatis varia introducta, cultus B. Virginis, circumlata non ſemel ingenti cum pompa in publicis ſupplicationibus eius imagine, quam ab Impruneto vocabant, inſtauratus: frequentia Sacramentorum innouata: & ferè in ſanctitatis formam Florentia, ab illius concionibus, & ſtudijs feruentiſſimis immutata. *Nardus lib. 2. hiſt. Florentinæ.*

*Maxima turbatio cauſatur ab hoſtibus Sauonarolæ.*

# ANNO CHRISTI 1496.

## ALEXANDRI PAPÆ VI.

Anno 4. & 5.

MAXIMILIANI I. Anno 11.

I.
*Carolus rex in Gallias reuertitur.*

CAroli Regis trans Alpes reditus parùm decorus, & ſi ab imprudentia potiùs, prauiſq; conſilijs, quàm virium imbecillitate, timoreue ſuſceptus, in hominum animis ſpem haud mediocrem reliquit, Italiam tàm graui vulnere affectam, citò à Gallorum imperio ac dominatu prorsùs liberam fore. Factum hoc anno, quando neq; Rex ex Italia diſcedens, decretum relictis in regno Neapolitano ſuis ſubſidium miſit: neq; claſſis apparatus à Ludouico Sfortia promiſſus, nec Florentinorum auxilia præſtò fuerunt: prohibente quidem Genuenſibus, & cum ſacroſanctæ cenſuræ denunciatione, mandante Alexandro Summo Pontifice, nè Regem Galliæ vllum nauigij genus Genua vllo modo deducere permitterent: Ludouico autem Sfortia agente, vt Piſani, ad ſpeciem libertatis aſpirantes, quauis ratione aliorsùm reſpicerent, Florentinorumq; dominium detrectarent, ne his à Florentinis ſubiugatis, vires Gallorum in Italia augerentur, vel augeri viderentur. Miſit præbereà Alexander Pontifex, Ferdinando ſuppetias, ad regni Neapolitani omnimodam recuperationem, Ioannem Borgiam Cardinalem, Epiſcopum Amalfitanum è ſua ſorore natum, Apoſtolicæ ſedis, Legatum: item Ducem Gandiæ, Pontificiæ manus ductorem, & Mantuanum principem, vniuerſi Pontificij exercitus Imperatorem. Horum, & Ferdinandi Regis, & Magni Conſalui conſilijs, & viribus eò res adducta eſt, vt Galli, quamquam potentiſſimi, varia fortuna, varijs in locis iura Regis ſui, & poſſeſſionem innumeris victorijs partam defendentes, tãdem ad neceſſarias cõditiones pacis deſcenderint, hiſq; legibus regnũ Neapolitanũ Aragonijs reliquerint: ſi intra trigeſimum diem, idonea auxilia non mitterentur ex Gallia, copię Gallorum ex vniuerſa Italia decederent: cum bona venia, impedimenta, equos, arma ſecum aſportandi. Arces, & oppida Regi reſtituerent vniuerſa ditione, Caieta modò, Venuſia, & Tarento retẽtis: præbereà quicquid Obegnini & Montij Ducis armis occupatum eſſet. Diſcedentibus Rex mari naues, terraq; iter tutum præſtaret. Vrſinus, vti in Galijs, manere liceret. Menſe Iulio hæ conditiones ſunt iureiurando, & datis obſidibus confirmatę. Galli poſteà ex arcibus profecti, exiguo numero, tamen in patriam peruenerunt: morbis, & caſibus varijs ferunt alij vel veneno, conſumpta multò maior pars: ipſe etiam Mompenſerius afflicta, ad Veſęuam valetudine, an ex moleſtia, veneno ue perijt. Obegninus etiam paulò poſt, deditis ex pacto reliquis arcibus, relictaq; Caieta, in Galliã cum ſuo exercitu redijt: quandò Ferdinando Regi mortuo, Fridericus patruus in regnum ſucceſſiſſet. Ille enim in ſummo glorię faſtigio collocatus, magnaq; ſpe, ſe maiorum ſuorum magnitudini parem futurũ, apud omnes excitata, hoc anno, die VII. Octobris ex humanis diſceſſit: ſiue militiæ laboribus attritus: ſiue quòd intemperantiùs nouę nuptæ, quę Ferdinandi aui filia erat, complexibus indulgens, corporis temperamento, venereis offenſionibus diſſoluto, morbum immedicabilem contraxiſſet: ſiue peſtilens autumnus morbi magnitudinem adauxiſſet: ſuæ gloriæ, ac virtutis, tum ob recentem victoriam, tum ob animi generoſi indolem, tùm ob multas Regias virtutes, quę in eo haud mediocriter elucebant, non modò in toto ſuo regno verùm etiam per totã Italiam maximam opinionem relinquens. Sunt, qui dicant, fatũ illi mortem acceleraſſe, propter violatum Teani Antiſtitem. Cùm enim in Veſuuio ex inteſtinis laborare cepiſſet, ſuis imperauerat, vti Epiſcopum illum, quem habebat in cuſtodia, ſecuri percuterent: addubitanſq;, eius rei miniſtros ſibi obſequentes non fuiſſe, Epiſcopi caput in cubiculum ad ſe afferri iuſſerat: quo inſpecto, quieuerat quidem tantiſper, ſed mortem effugere nõ potuit, vi morbi vrgente, quem Deus, immiſerat, ad vindicias ſumendas de violatore ſacratioris perſonæ. Neminem Regum maioribus omnis generis hominum, aut certè verioribus lacrymis tumulatũ ferunt, quòd ille in medio ætatis flore, ipſoq; partæ victoriæ, ac recuperati regni limine, quum maximè primùm laboris fructum capere deberet, fatorum lege fuiſſet extinctus. Mirum mirãdum, neq; fortè alicubi exemplum inueniendum, quinque Reges, trium annorum ſpatio, in regno Neapolitano numeratos fuiſſe: quorum prior, Ferdinandus ſenior, Alphonſum, hic Ferdinandum filium, & Carolum Gallum, ille Fridericum patruum ſucceſſo-

*Regnũ Neapolitanum quibus ſub conditionibus Aragonijs Galli reliquerint.*

*Quinq; reges ſpatio triennij in Regno Neapolitano regnans.*

rem accepit, poſtquam ſine liberis diſceſſiſſet.

II. *Alexāder Pontifex à calumnia defenditur.*

Sed antequàm ad vlteriora accedamus, operæ pretium hic eſt, grauiſſimam ab Alexandro Pontifice calumniā depellere: quaſi is, vt ſcriptores aliqui comminiſcuntur, immoderatus, & perſonæ, quā gerebat, penitùs oblitus, nihil aliud agitaſſet, quàm quibuſnā modis ingentes opes filijs pararet: & quia id niſi cum multo ſcelere, multorumq; Regulorum nece fieri nō poterat, quaſi is Vrſinæ, & Columniæ factiones inſignes viros, viribus, authoritateq; pollentes, æquè, atque innocentes, nè conſilijs ſuis alicundè obuiā iretur, aut pellere, aut interficere ſtatuiſſet, Ferdinandūque eò impuliſſet, vt Virginium Vrſinum, eiuſque filium, in cuſtodiam Caſtelli Oui compactos coniecerit, in quo ille diem ſuum obierit: vnde poſteà ipſe Pōtifex initio anni ſubſequentis bellum in Vrſinos decreuerit. Verbis illorum ipſorum ſcriptorum, & aliorum recenſebo, quid Virginius Vrſinus hoc anno tētarit, egeritq; ex quibus non obſcurum cuiq; fuerit, an Alexander Pontifex iuſtas indignationis cauſas contrà Vrſinos habuerit: propter quas, neq; tabulis à Ioanne Cardinale Legato, & reliquis ſocijs ſubſcriptis, cōſenſum, quoad Virginium, & reliquos Vrſinos præſtare voluerit, neq, arma contrà eoſdē ſumere nō potuerit. Factum, nō meis, ſed illorum ipſorum, qui impotentis dominatus Alexandrum accuſant, verbis adſcribam: Iudicium penes te, Lector, eſto.

III. *Cur Pontifex in Virginiū Vrſinum infeſtus.*

Quo tempore, ad Atellā, Galli cum Aragonijs paciſcebantur, permiſſum erat Virginio, in Gallias vnà cum ſuis concedere. Ipſe Virginius vnà cum Monpenſerio optauerant, promiſerantq; cum omnibus copijs in Gallias ſe profecturos. Ioannes Borgia Cardinalis pro Pontifice, Conſaluus pro Ferdinando Hiſpaniarū Rege, Paulus Capellius pro Veneto Senatu; Franciſcus Caſatus pro Ludouico Sfortia, Regem Neapolitanū cuncta, quæ ille promiſiſſet, Gallis integra fide pſtaturū affirmarunt. *Iouius l. 4.* Anteq̃ verò, iſta fierent, Virginius Vrſinus, (quē, & Nicolaū Pitilianum Carolus Rex captiuos in Galliam ducebat) in Tarenſi pugna, è Gallorum cuſtodia elapſus, Bracianumq; reuerſus, Pontifici, & fæderatis cum eo ſentientibus nomen dederat, idq; quod ab eis cōſtitutum, vt Petrus Medices opa illius Florētiam reduceretur, ac proptereà, vt Florentini Piſana recuperatione excluſi, Gallico fæderi renunciarent, fuit, ſeſe facturum promiſerat, acceptiſq; decem millibus ducatorum à Petro Mediceo, iam veteranos ſuos milites cōgregarat. Spem ingentem in ea expeditione Pontifex ponebat, conſtituto, vt Ioannes Bentiuolus Venetorum, & Ludouici Sfortiæ ſtipendia merens, è Bononienſium finibus in Forentinorum fines inuaderet: vtq; Catarina Sfortia, cuius liberi Mediolanenſium Ducis ſtipendia faciebant, ab Imola, Foroq; Liuij, ciuitatibus Florentino Imperio finitimis, moleſtiam aliquam eiſdem inferrent. Confidebat prætereà non inaniter, Senenſes inueterato Florentinorum odio accenſos, atque ex eo, quòd Montempolitianum retinere cupiebant, in ſua vota propenſos futuros, atq; in illos bellū pro ſua parte moturos. Hic verò Virginius, ſperantem Pontificem, & tantas res molientem eluſit: quando ad Balneum Rapolanum agri Cluſini, quę ciuitas Senēſibus paret, ad Gallicas partes ſuo trahēte fato tranſiuit. Venerant ad eū Camillus Vitellius, ac Gemellius, à Rege Carolo miſſi, vt illū in partes Regias traherent, inq; regnū Neapolitanum perducerēt, vbi Rex Columnorū defectione cognita, eius opera vti cupiebat. Duodecim millia aureorum nummū in ſtipendiū illi attulerant, ſummamq; belli penès illum futuram, nec nō reſtitutionē amiſſorū in regno pollicebantur. Alexander Pōtifex, Veneti, & Sfortia per idoneos homines illū Ferdinando cōciliare conari fuerant: ac tū maxima obteſtabātur, nè cōtra totius Italię cōſenſū, atq; iudiciū publicis hoſtibus adhærere vellet. Fore enim, vt à Ferdinādo, qui iā honeſtiſſimas obtuliſſet cōditiones, in antiquā amiſſorū oppidorū poſſeſſionē, priſtināq; militiæ dignitatē reſtitueretur, ſi vti erat humaniter inuitat⁹, vetera erga Aragonios beneficia, nouis fidei, ac virtutis meritis cumularet. Enimuerò Ferdinādus Tallacotium in Marſis, & alia oppida Virginij ditionis, Fabricio Colūnę attribuerat, quę ab eo ſub Caroli aduētū fuerant capta: ipſeq; Fabricius Magiſter Equitū erat creatus: quē honorē militiæ lōgè ampliſſimū, ſub Ferdinando ſeniore, Alfōſoq; Virginius anteà geſſerat. Ea vnâ re animus eius, nequaq̃ ſuperiorē, vel parē dignitate ferre ſolitus, vehemēter offendebatur: quum videret aduerſæ factionis principes, Proſperū, atq; Fabriciū, veteres ſuos hoſtes, primū honoris, & gratiæ locū occupaſſe. Liuianus inter alios amicos ſæpiùs tū eſt deprecat⁹, nè ſeſe, totq; cliētes ſuos, ac vniuerſam familiā in ſummum diſcrimen adduceret, ſed ſe, ſi ad Aragoniorum obſequia redire recuſaret, potiùs Pontifici, ac fæderatis, à quibus magnoperè inuitabatur, adiūgeret: quoniā aduerſùs ſūmā tantorū Principum, eā cōtra Ferdinandū belli expeditionem, Deo, atq; hominibus infeſtis ſuſceptur⁹ eſſe videretur. Sed Virginium, vel innata elato eius animo contra æquum, & bonū contumacia: vel ſpes, faciliùs Albenſem, ac Tallacotienſem poſſeſſiones recuperandi, adq; honores priſtinos emergendi ſub Carolo: vel occulta vis fati, quæ ſæpenumerò prudentes ad inſaniam vertit, cōtactu Gallicæ pecuniæ corruptum, aliò rapiebāt. Itaq; Petrum Medicem, quē pecunijs nuper exhauſerat, magnificis ſolatum verbis dimiſit, abeuntemque orauit, vt neque de ſua erga ipſum voluntate, neque de fortuna deſperare velit. fore enim, vt Neapolitanæ victoriæ, quam ipſe cōcepiſſet, fructum maturè ſentiret, quādo ipſe non priùs, quàm Mediceā familiam armis Florentiā reduxiſſet, corpore, vel animo eſſet cōquieturus. Eo dimiſſo, Carolum filium pro obſide in Galliam tranſmiſit: ipſe verò, poſtquàm in agro Cluſino, tū expugnādis, ac incendendis villis, vt earum præda, milites alerentur, qui tenui cum ſtipendio eius nomen ſecuti, permagna præmia, eo bello ſibi animis deſtinarant, aliquārum ignobiliter heſiſſet, p Tudertinū, Sabinumq; agrum, Aquilā profectus eſt. Eius aduētu timore adduct⁹ Cantelmus Populo Comes, cum Aragonio præſidio vrbe exceſſit, ſimulq; Interamna in Præcutinis partē Gallorum ſecuta eſt, Mōteleonumq; oppidum à Vitellianis ex itinere captum, & cum multa oppidanorum cæde crudeliter direptum: ac paucis dieb⁹ Lācianum, celeberrimum Apuliæ emporium Aragonijs ereptum: ac propè ad extremum victoris Ferdinādi res, vnà cum Pōtificijs p Ferdinando, & regno Neapolitano ſumptibus, conatibuſq, à ſeceſſione ad Gallos Virginij, adductæ. Nā eius acceſſione Galli freti, in tantam ſuperbiā elati fuerant, vt ad Fogiæ mœnia pmotis caſtris, Ferdinandum ad pugnā ſingularem puocare non dubitauerint, certiſſimam ſibi de Pontificijs, & Regijs ab vno certamine pollicētes victoriam. Non erat Pōtifici ferenda Virginij proteruia. Quamobrèm, cùm ſtipēdia ſua, Ferdinandi, Venetorum Sfortiæq; ſpernētē, grauiſſimo edicto ſub pœna excōmunicationis: perduellionis, & pſcriptionis omnium bonorum, nè Gallis militaret, néue in ditionē Eccleſiaſticam, ac regnum Neapolitanum, copias hoſtiles duceret fruſtrà monuiſſet, ac in eum, alioſque refractarios, in purpuratorum Senatu, ſētentiam pronunciaſſet, perduelleſq;, ac reos Pōtificiæ maieſtatis declaraſſet, necnon bona eorum fiſco addixiſſet: ipſe verò nihilominus pCarolo pugnaret, & Pōtificia edicta nihili dūceret: adeoq; contemptor Pontificiæ maieſtatis, & turbator Italicæ quietis, faxque beli Neapolitani videretur: Pontifex indignum venia iudicauit, Ferdinandoque perſcripſit, non potuiſſe Cardinalem Legatum, ſe inſcio, ac inuito, tam graue crimen

quam



quam erat prioris Sacramenti militaris religionē violaſſe, inſanabili peruicacia bellum inflammaſſe, Pontificia edicta contempſiſſe, bona Sedis Apoſtolicæ oppugnaſſe ac tantum non in ipſum Chriſti Vicarium arma ſumpſiſſe, Virginio & Socijs indulgere: aut Tabulis fæderis, tamquam gratiam promeritos adſcribere: adeoque fidem à Legato, vel à confæderatorum Oratoribus, Virginio, & Socijs datam minimè ligare: cum de re aliena, de qua commiſſionem nullā obtinuiſſent, ſpondere, aut paciſci minimè potuerint, aut debuerint. Se pro vindicanda, læſa, à Virginio, & Socijs, Pontificia dignitate, non poſſe his tabulis teneri & ea propter Ferdinandum fide data, quæ nulla cenſeretur, autoritate ſuprema exſoluere; iubereque, vt Virginium, Ioannem Iordanē eius Filium, & Paulum Vrſinos, item Bartholomeum Albianum, Camillūq;, & Paulum Vitellios in vincula conijceret, neuè in Gallias ire permitteret: quin potius ad euertendos ipſos, eorumque bona occupanda, ſocia cum ipſo arma coniungeret. Ita Virginius vnà cum ſocijs, à Ferdinando Rege, Alexandro iubente, in Caſtellum Oui compactus eſt; in qua cuſtodia, ex febre, an ex veneno incertum, obiit. Vrſinorum quoque copiæ, quum pacatum eis iter, vt in Romanum agrum rediret, Regio diplomate Ferdinandus præſtitiſſet, in Pelignis Alexandri iuſſu, à Guidone Vrbinatiū Regulo armis, & equis exutæ ſunt: captiq; Liuianus, & Iordanes. Ille cum liberius cuſtodiretur, per feneſtram noctu euaſit: iſte, Neapolim miſſus eſt. *Iouius lib. 4. & in Leone X. Guicciardinus l. 3. Surita de rebus Ferdinādi Catholici l. 2. c. 30.*

IV. *M. Antonius Filomarinus Aragoniorū res promouet.*

In eo bello à Gallis contra Ferdinandum geſto, Principatus Tarentinus, Tarentum metropolis, & ciuitas Gallipolis, in poteſtate Ferdinandi permanſere; à virtute, dexteritate, & armis Marci Antonij, Brutiorum pro Ferdinando Regis. Erat is ex vetuſta, æquè, ac nobili apud Neapolitanos familia, cognomento FILOMARINA: cuius maiores, ante, & poſt M. Lxxx Chriſti annum in Regno Neapolitano, non minus Ioualibus quàm Martijs factis, titulisq; illuſtres, ſupremas poſt Summos Pontifices, & Neapolitanos Reges, Eccleſiaſticas, & polyticas dignitates æterna cum laude ſuſtinuerunt; Archiepiſcopi, Matthæus ex Prothonotario, & Magno Cancellario Regni, Neapolitanus; Stephanus Tarentinus, ProReges Prouinciarum, Bartholomeus, Gotthifredus, Gregorius, Præfectus Prætorio, Magiſter Equitum, & totius exercitus Imperator Thomas, à quo noſtra tempeſtate Thomas, Comes, ac Princeps Rocchæ: & quem penè prætermiſeram, Matthæus conditor Eccleſię S. Georgij apud Neapolitanos, qui temporibus Alexij, & Ioannis Conſtantinopolitanorum Imperatorum, ad annum Domini 1080. eam Baſilicam magis latifundijs ditauit: à quo per longam ſucceſſionem duxit originem Filomarinus, Gratimulæ matris Bonifacii IX. Pont. Max. pater; tanta integritate morum, prudentia, & rebus Eccleſiaſticis colendis, tuendiſque conſtantia, quantam à domeſtica inſtitutione in Bonifacio iam Pontifice, matre adhuc (rara felicitas Gratimulæ) ſuperſtite, Orbis melior miratus eſt. Ab his, Marcus Antonius Filomarinus, Eques auratus, velut aureus ramus, Ferdinando I. & Friderico Regibus ſuis longè chariſſimus, ſeruatarum vrbium, & Prouinciarum tulit non contemnendum, quia & in poſteros iure perpetuo deriuatum præmium, prouentus annuos locupletes, & ditiones (inter quas Rutilianum conditum à Rutulis) ampliſſimas: tanta ad conſequentes Neapolitanos Reges tranſmiſſa ex iſtimatione, vt Ferdinādus, & Iſabella Catholici, ProRegis ſui Neapolitani conſilia, quin & faſces, Marci Antonii arbitrio ſubmittere voluerint: ne eo, aut inſcio, aut inuito quippiam in regnis florentiſſimis ſanciretur. Ab hoc, noſtro iſto tempore pronepotes, Ianuarius, Epiſcopus Cauenſis; Aſcanius, Vrbano VIII. P.M. ab intimiore Cubiculo, & Franciſci Card. Barberini Præf. C. viri multi varia eruditione & vſu rerū præſtantiſſimi: non minus quam ſcipio frater, alarum aliquot militariū apud Reges Catholicos in Belgio p annos XX. ppetuos ductor: qui martiales ſuos conatus, in expeditione Pragana, ſanguine, vel ſuo fuſo, vel hæreticorū, & rebelliū hauſto, feliciſſimè purpurauit.

*Idem M. Antonius à Caſtella Regibus honoratur.*

*Pronepotes M. Antonij præfati laudantur.*

Quaterdenais ſtipendia in Belgio, quatuor in Germania, finitimiſque prouinciis meruit in Auſtriacis caſtris. tribus peditum turmis in Bohemia, ſex in Vngaria præfuit. Alberſtadienſis cladem, & Mansfeldii fugam aſpexit, fratrem prope Poſoniam, patruum Alecherchis pro Maieſtate Catholica dimicantes amiſit: ipſe vulnera aduerſo corpore in acie contra hoſtes pietatis depugnans fortiter excepit, ac nouiſſime Mediolani ſtatoris (quem Itali vocant Sergentem maiorem) officio defungens præclara conatur, natus; & doctus in ea domo cuius armatæ auorum imagines, poſteris fortia facinora loquuntur.

V. *Virginium Vrſinum in Gallias ire, nec in Italia manere expedit.*

Non poterat præterea Pontifex permittere, vt Virginio liberum eſſet, vel in Italia remanere, vel in Galliam tranſire. Poſtquam enim inſano Gallicarum partium ſtudio inflammatus, nihil aliud animo volueret, quam vt illorum ope dignitates, opeſq; amiſſas, poſſet recuperare, eoſque in Italiā denuo reuocare: primus eſſe futurus credebatur, ſi in Italia remanſiſſet, ad nouos motus, vel ciendos, vel augendos: maximè cum iam Cardinalis Fulgoſius, ſuos Genuēſes ad res pro Gallis nouandas, continuo incitaret, & Florentini dubia ſententia, à Caroli tamen fædere diſcedere recuſarent. In Galliam porro ſi permitteretur ire, hoc erat oleum camino affundere, & Carolum Regē in Italiam reuocare: quem iam Florentinorum Oratores, Iulianus Cardinalis Oſtienſis, Triuultius, Carolus Vrſinus, Vitellocius, nec non Montorii Comes ob hanc cauſam à Regulis, qui in regno Neapolitano partes Caroli ſequebantur, miſſus, extimulabant, vrgebantque ac præter hos haud minima procerum Galliæ pars, antea à rebus Italis abhorrens, propter ignominiam Gallico nomini inuſtam, Carolum impellebat, vt in Italiā rediret. Carolus Vrſinus pcipuè incumbebat, vt Rex, per ſocordiam aliquorum amiſſa in Italia, recuperare maturaret. His ergo, ſi Virginius adiunctus fuiſſet, haud dubio magnoperè Regem ad maturandam profectionem excitaſſet. Italiæque funeſtum bellum redaccendiſſet: quod tamen in præſens, diuina in rebus humanis ludente prouidentia, præuerſum eſt, Carolo aliis intento, ac diſtracto. Non eſt abs re iſtud cognoſcere.

VI. *Redire in Italiā vult Gallorum Rex, & neceſſaria ad expeditionem viget.*

Procerum omnium, & Regulorum, qui tum in aula Caroli erāt coacto Concilio, decretum fuit, vt quāta maxima celeritate, poſſet, Aſtam Triuultius cum ProRegis appellatione, atq; honore, cum cathaphractis octingentis, Heluetiorum duobus millibus, & totidē Vaſconum, reuerteretur; Ludouicus Aurelianus item paulo poſt, cum aliis copiis alpes ſuperaret: ac deniq; cum reliquis omnibus ad bellum opportunis, Carolus ipſe, cuius nutu, ſiquidem potente deſcenderet, nō ambigebatur, Sabaudum, Salucium & Mōferratenſem, ad bellum Inſubribus faciendū admodū opportunos eſſe ſecuturos: credebaturq; omnes Heluetiorū pagos, Berna excepta, quæ Ludouico Sfortiæ fidem dederat ſe nihil contra ipſum moturam, Regis ſtipendia ſumma alacritate facturos. Hæc eo maiore conſenſu decreta ſunt, quod Carolus eius rei deſiderio ardere videbatur, qui priuſquam in conſilium veniret, Borbonium vehementer orauerat, vt magna verborum vi, bellum illud omnibus Regni viribus neceſſario eſſe faciendum demonſtraret: poſt etiam in conſilio, eodem feruore verborum Ammiralio refutato, qui paucis conſentientibus, non tam directo contradicendo, quàm multis obiectis difficultatibus aliorum animos ab ea expeditione obliqua oratione

auertere conatus erat, Rex palàm eſt conteſtatus, in ſua nõ eſſe poteſtate, aliud ſtatuere, quòd Dei voluntate atq; inſtinctu in Italiã ipſemet redire cogeretur. Fuit quoq; in eodẽ cõcilio decretum, vti naues triginta, in quibus vna maxima erat, Normana appellata, itemq; altera & ipſa magna Rhodiorum Equitum, ab Oceani occidentalis littore in Prouinciæ portũs trãſirent; vbi triginta partim triremes, partim quos vocant Galeones armarentur; quò tam magna claſſe in regnum Neapolitanum, militum, cõmeatus, pecuniæ, aliarumq; rerum validiſſimum ſubſidium importaretur. Miſſus præterea Mediolanum Rigaultus Regiæ domus Magiſter, qui Ludouicum Sfortiam pactorum admoneret, & in fide Caroli cõfirmaret. Cæterùm, nec Regis voluntas quamuis ardentiſſima, nec ꝙ eius exiſtimatio, & regni Neapolitani pericula celeritatem maximam poſcerent, ſatis poterant, ad ea, quæ in cõſilio erant cõſtituta, perficienda: propterea ꝙ Maclouienſis Cardinalis, in cuius manu nõ modò rei nummariæ explicandę, verùm etiã totius regni ſumma adminiſtratio poſita erat, & ſi palàm nihil repugnaret, nihilominùs ſolutionibus neceſſarijs prolatandis, expeditiones in tm̃ retardabat, vt nulla ꝓuiſio ad exitũ perduceretur: ꝙ quidẽ facere putabatur, ſiue quòd ea ratio ad ſuã autoritatẽ perpetuandã potior videretur, ſi nullum ſumptum faceret, qui aut ad præſentem vtilitatem, aut ad Regis voluptates nõ pertineret: ſiue nè quotidiè nouas rerum difficultates, reiq; nummariæ anguſtias ꝓponere videretur: ſiue, vt non pauci dubitabant, largitionibus, & promiſſis corruptus arcana cõſilia cum Põtifice, aut Mediolani Duce haberet. Neq; huic ceſſationi Regis cohortationes, præceptaque, interdũ iracundiæ, verborumq; cõtumelioſorũ plena medebantur. Nã cũ eius naturã cõpertã haberet, ei promiſſis factis prorſus aduerſis ſatisfaciebat. Hunc in modum rerum cõſtitutarũ effectione retardata, omnia ferè cõſilia caſu quodã inopinato conciderunt. Nam Rex poſtquã Lugduni aliquot menſes in luxu, & voluptatibus tranſegiſſet, cum oẽs expectarent, vt in Italiã moueret, circa finẽ menſis Maij Lutetiam ꝓficiſci decreuit: cuius ꝓfectionis eas cauſas afferebat: primùm, ꝙ veterũ Regum more antequam è Gallia diſcederet, Diuum Dionyſiũ Pariſijs, Turonis verò Diuum Martinũ ſolita cum cerimonia ſalutare vellet: deindè cum in Italiã tranſire pecunia exuberãtiſſimus decreuiſſet, nè in eas rei nummariæ difficultates incideret, quibus anno ſuperiore erat cõflictatus, opꝰ eſſe, vt & alias Galliæ ciuitates, Lutetiæ exemplo, à qua niſi ipſemet adeſſet, extorqueri nihil poſſet, ad pecuniam expediendã induceret: quòdq; quò magis ipſe in interiora Galliæ procederet, eò magis equites, qui è Normania, & Picardia mouebantur, vt iter accelerarent, vrgeret: affirmabatq; ante ſuum Lugduno diſceſſum, Aurelianũ ſe expediturũ, ſeq; intra mẽſem Lugduni futurum. Verùm enimuerò, verior, ac potior eius profectionis cauſa credita eſt, quod amore cuiuſdam è Reginæ cubiculo puellæ teneretur; quæ, Regina paulò antè Turonos cum omnibus ſuis erat ꝓfecta. Ab hoc propoſito, nec ſuorum cõſilia, nec ardẽtes, ac lugubres Italorum preces, eum auertere potuerunt: q ei, quàm damnoſum eſſet, tempus bello opportunum amittere, in tatis ꝑſertim ſuorum in regno Neapolitano anguſtijs demõſtrabant: quamq; pernicioſa fama ꝑ Italiã diſſipata, eũ tunc remiſſiorẽ factum, cùm Italiæ appropinquare maximè deberet: paruis momentis leui ſępe rumore, rerum agendarum exiſtimationem cõmutari; q̃, vbi ſemel cœpit inclinare, q̃uis pòſt multo gererentur maiora ijs, q̃ priùs homines ſibi de ipſis promiſiſſent, erigere, ac recuperare difficillimum eſſet. Hæc monita cùm ille contemneret, ſe ad illud ipſum iter accinxit, Aureliano minimè expedito, ſed Triuultio tantùm cũ paucis Aſtam, nõ tàm ad belli apparatum, quàm vt Philippum Sabaudum in amicitia cõfirmaret, Lugduni Aurelianus, & Maclouienſis, totumque cõſilium remanſit, cum mandatis, vti bellicũ apparatũ accelerarẽt: quas res, ſi Cardinalis Maclouienſis Rege pſente lentè ꝓcurauit, multò etiã eo abſente lentiùs adminiſtrauit. Galli inter hęc regno Neapolitano exuti: q̃ ignominia, & cõfuſio, nec animũ, nec apparatũ Caroli cõmouerunt, qui voluptatibus irretitus, ſuũ Lugdunum aduentum quatuor menſes diſtulit: & quamq̃ intereà ſæpè ſuis, qui Lugduni reſtiterant, inſtaret, vt maritimi, terreſtreſq; apparatus accelerarẽtur, Duxq; Aurelianus ad ꝓfectionem eſſet accinctus: nihilominus ijſdem Maclouienſis artibus, & miles ſerò ſtipendijs repræſentatis, Italiam versùs lentè procedebat: & claſſis q̃ Maſſiliam cõuenire debuit, tanta tarditate inſtruebatur, vt ſocijs ſpatium datum ſit, Villafranſam primum, portum propè Nicæam ampliſſimum, pòſt ad Pomicas Maſſilienſes, vſq; claſſem, quam Genuæ communibus impenſis coniunxerant mittendi, quò, nè qua nauis Neapolim è Gallijs mitteretur, impedirent. Ad hanc tantam moram Maclouienſis operã iniectam, aliq̃ occultiorem cauſam, in Caroli pectore multa, & diligentia, & arte nutritam, ab ijs, qui varijs de cauſis adnixi fuerant, Regis animum à rebus Italiæ remouere, accedere, homines non inſulſi opinabantur. Itaq; ſuſpicabantur, Regem, Aureliani felicitati nõnihil inuidiſſe, ad quem ex victoria Inſubrię imperium perueniret. Erant prætereà qui Regi pſuaderent, ni prius cum Hiſpaniæ Regibus (bellum monente Põtifice intulerant) aliquo modo controuerſias componeret, è Gallia non eſſe vllo modo diſcedendum. Alij vt Reginæ partum ꝓpinquum expectaret, hortabantur, eius prudentiæ non eſſe, neque amoris, quo ſuos populos complecti deberet, vitam ſuam tot periculis exponere, niſi prius filium tãquam regni hæredem ſuſciperet, q̃ ratio Reginę partu roborata eſt: quippe breui mortuus eſt ex ea natus filius. Sic partim negligentia, debiliq; Regis cõſilio: partim difficultatibus magno quorundam artificio interpoſitis, in tantũ delati ſunt apparatus, vt ſuorum, qui in Italia erant, extremum exitium, cum totius regni Neapolitani amiſſione ſecutum ſit.

*Expeditio illa prolatatur, & quibus de cauſis.*

VII.

*Vnus è Florentinorũ Legatis Ludouici Sfortiæ mandato in via intercipitur.*

Dum autẽ ſuperiora de reditu Caroli in Italiam cõſilia agitarentur, accidit, vt Guido Antonius Veſpuciꝰ è Florentinorum legatis vnus, cum neceſſarijs monumentis domum rediret. Hic per Mediolanenſium fines, iter faciens, Ludouici Sfortiæ mandato interceptus fuit, atq; cunctis litterarum monumentis ablatis, Mediolanum abductus. Ex eis cognita fuit tota compoſitio cum Carolo, vniuerſaque Florentinorum Regi promiſſa: quibus ſtantibus, oportebat inprimis Piſanos ante omnes alios perire. Neq; iſtud ignorabant Piſani: qui ſtatim periculorum admoniti, legatos ad principes opis poſtulandę gratia miſerãt: ad Alexandrum Pontificem, Auguſtinum Dunitium, ad Venetos Bernardinum Agnellum, Sfortiam, Genuenſes, Senenſes, Lucenſes, Rom. Regem & alios quoſdam. Piſani mouebantur, nè Florentinis iterum ſeruire cogerentur: Pontifex & confœderati, nè inde à Florentinis, ſi Piſas & alia oppida recepiſſent, pecuniæ Carolo ſuppeditarẽtur, ijdemq; exinde potentiores facti, Italiæ ſaluti multis modis obeſſent. Ergo Pontifice, & aliorum Confęderatorum Oratoribus conſentiẽtibus cogendæ copiæ erãt, q̃ & Carolo tranſitũ in Italiã ꝓhiberent, & Florentinorũ conatus in recuperandis Piſis reprimerent. Veneti cũ Mediodiolanenſi acriùs mouebant, ꝙ illorũ patrocinium Piſani implorarent: hi verò varijs quiſque modis eorum Vrbem ſuo dominio deſtinarent, ac ꝑ hos ad imperium Italiæ aſpirarent. Pontifex, nihil aliud, quàm Italiæ quietem, quæ Florentinorum acceſſione, vel ſeceſſione ſtabat, vel lababat, animo volutabat: neque tamen quicquã ſine ſocijs, nec ſocij ſine





externis auxilijs, contra Gallicum, qui tunc vulgabatur, apparatum, efficere poterant. Omnibus itaq; placuit, vt Gallorum, & Florentinorum, cõſilijs obuiam iretur, Maximilianum Cæſarem in Italiam euocare. Erat magna eius viri bellicæ virtutis fama, & publico, priuatoq; odio Gallorũ hoſtis eſſe videbatur. Florentini quoq; Cæſaris nomen horrebant, quòd infenſum ſibi, atque terribile ſuperioribus ſeculis extitiſſet: & is tum iure ſuo auguſtæ maieſtatis, Piſas ſuæ ditionis eſſe prædicaret, pecuniamq; ingentem tributi nomine repeteret, quã Florentini veteres Cæſarum ſtipendiarij, à multis annis pendere neglexiſſent. Sperabãt enim ipſo Cæſaris aduẽtu, Florentinos veluti impares ei bello, ꝙ tantis auſpicijs gereretur, à Piſanorum oppugnandorũ cõſilio, Gallorumque ſocietate diſceſſuros: nè ſi pertinaciùs Piſanos bello perſequi perſeuerarent; aliquo fortè aduerſo prælio contuſis viribus vicinas vrbes amitterent: & quòd ſummæ rerum graue momentum ſecum trahere poſſe videbatur, nouus nõ planè cõfirmata Republica, ciuitatis ſtatus periculum adiret, Mediceæ pręſertim factionis vigentibus, ſtudijs. In hęc quamq̃ fœderati omnes cõſentirent, quiſq; tamen diſſimulãter, vt dixi priuatis cõmodis ſtudebat. Sfortia enim ex aliqua tandẽ turbatarũ rerum cõpoſitione, Piſas in ditionem ſibi cõceſſuras, & Gallico metu ſe liberatum iri exiſtimabat: contrà Veneti, ꝙ magnis opibus, & ſpecioſo quidem prætextu Piſanorum libertatẽ tuerentur, & ciuium ꝓpenſione, & defatigatione hoſtium, eã vrbem imperio ſe adiecturos cõfidebant. Ipſe verò Maximilianus Rex Romanorum, & tenuitate Germanici regni, & profuſiore ſuã liberalitate, pecuniarum maximè inops: ſi Italiæ fines ingrederetur, adeundis liberis vrbibus, appellandiſq; Regulis, præter ipſa ſtipendia (quadringentas, atq; octuaginta libras, Senatus Venetus, Ludouicus totidem, Alexander Põtifex partem dimidiam, in tres menſes ſoluere promiſerant) magnum auri põdus ſe coacturum ſperabat: rebaturq;, ſibi oblatam iri Auguſti Imperij coronã, quã mox ex ipſo rerum ꝓſperè geſtarum ſucceſſu, ad Vrbem Romam euocatus à Summo Põtifice, more maiorum ornaretur. Itaq; Ludouicus cum vxore, inſigniq; comitatu per Larium lacum, & Volturenam vallem, Burmiũ extremum Italiæ oppidum, ad Abduæ fontes profectus, cum Maximiliano, qui Malſium pagum vſq; ꝓceſſerat, coràm tranſegit, vt accepta pecunia, cõſcriptiſq; militibus in Italiam ijſdem tramitibus deſcendere maturaret. His biduò cõſtitutis, in Germaniã Maximilianus rediit, vt quod inter eos erat cõuentum, ꝑficeret. Verùm enimuerò cum intereà apparatus Gallici rumores deferueſcerent, ſic vt Cæſarem in Italiã ea de cauſa educere iã opus eſſe minimè videretur: Ludouicus tamen ad ambitionẽ eo vti decreuit, ꝙ ad ꝓpriã ſecuritatem ꝓcurauerat. Idcircò eum vrgere, vt in Italiam deſcenderet nõ ceſſabat. Cùmq; Veneti eò adduci nõ poſſent, vt ei, vltra pecuniã decretam, alia triginta millia aureorum nummum, quæ Cæſar petebat, cõpromitterent, Ludouicus ea ſe appenſurum repromiſit: in huncq; modum tandẽ in Italiam, paulò quàm Ferdinandus moreretur priùs, obuiam prodeunte Ludouico, & Bernardino Caruaialo S. Crucis Cardinale Põtificio Legato venit. Cognita Ferdinandi morte, in animo habuit pro ſua virili conari, vt regnum Neapolitanum ad Ioannem vnicum Regis Hiſpaniæ generi ſui filium perueniret: ſed cum ei à Ludouico oſtenderetur, id toti Italiæ moleſtũ fore, ſic vt ſocij ab ſe inuicẽ diſiungerentur: atq; ob id Galliæ Regis cõſilia promouerentur, nõ ſolùm abſtinuit, ſed etiam Friderici ſucceſſionem collaudauit. In Italiã ſecum perexiguum militum numerum duxit: breui tamen reliquos, quos ex pacto ducere deberet, ſecuturos, erat rumor. Vigeuani primùm conſtitit nec vrbes Comum, aut Mediolanum, quæ in eius honorem domus, portas, templaque ſingulari ſtudio exornarant, ingredi voluit, quod ob tenuem comitatum, frequẽtiam populorum deuitaret. Ibi coràm Ludouico, & S. Crucis Cardinali Põtificis Legato, alijſq; ſociorum Oratoribus dictum fuit, rem videri omnibus cõmodam, ſi in Taurinos duceret, & vt Aſtam vrbem occuparet, & Sabaudiæ Ducem, Marchionemq; Mõferratenſem, à Galliæ Rege quaſi imperij membra diuelleret, atque alienaret: à quibus poſtulauit, vt aliquo in Taurinis ad ſe colloquij cauſa venirent. Verùm cùm eius vires contemnendæ viderentur: nec res ipſæ tantæ Maieſtati, & nomini reſpõderent, neuter ad eũ venire voluit: nec erat ſpes, Aſtenſem expeditionẽ proſperè ceſſuram. Multum quoq; inſtitit, vt Ferrariæ Dux ad ſe veniret, qui tamq̃ beneficiarius Imperij, Mutinam, Regiumq; poſſidebat: vtq; tutius id faceret, ei Ludouici generi eius fidem proponebat. Cæterùm & hic venire recuſauit: afferebatq; ſuę integritatis ſalua exiſtimatio. ne fieri nõ poſſe, quod depoſiti nomine Caſtelletum Genuenſe retineret. Itaq; Ludouicus, inueterata cupiditate ſtimulatus, veritusq; ne Piſana ciuitas abs ſe tantoperè concupita, cum totius Italiæ periculo in Venetorum poteſtatem veniret, hoc ipſum impedire ſummoperè ſtudens, Cæſarem, vt ad eam vrbem proficiſceretur, eſt hortatus, ſibi inaniter perſuadẽs, Florentinos Cæſaris, & ſociorum viribus impares, à Regis Galliæ amicitia, neceſſariò diſceſſuros, nec auſuros Cæſaris arbitrium recuſare: qui ſi compoſitione nõ poſſet, diſceptatione ſaltem ipſorum cum Piſanis cõtrouerſias definiret: atq; ad hoc ipſum Piſæ vnà cum tota eius ditione in Cæſaris manum deponerentur: quibus cõditionibus, vt Piſani aſſentirẽtur, ſua autoritate facturum ſperabat. Venetos autẽ reliquis præſertim fœderatis cõſentientibus, nequaq̃ ſe rei, q̃ præ ſe tantã cõmunis boni ſpeciẽ ferret, ſuaq; natura æquiſſimæ, oppoſituros. Nã cum Piſana ciuitas in veteri imperij iure eſſet, videri nullum ꝓter Cæſarẽ ipſum, eius vrbis cõtrouerſiarum cognitorẽ legitimum dari poſſe. Piſis autem in Cæſaris manum depoſitis, ſperabat Ludouicꝰ tum pecunia, tum qua apud Cæſarẽ pollebat autoritate, ſe facilè ab eo eius vrbis dominatum impetraturum. Hæc ſentẽtia ad cõſilium eo colore relata, vt quãdoquidẽ Gallici belli metus ceſſaret, Cæſaris aduentu ad id vtẽdum eſſe, vt Florẽtini aduersùs Galliæ Regẽ, cum reliquis fœderatis conſpirare cogerentur. Cæſari placebat: q moleſtè ferret, ſuum in Italiã aduẽtum, nihil tanto nomine dignum parere. Ad hæc cùm vaſtiſſimus eiꝰ animus infinita conciperet, ſemperq; pecunia ꝓpter immoderatum quoddam vitæ genus, q̃ infinitis profuſionibus egeret, Piſanã ciuitatẽ inſtrumẽtum fore, quo aut à Florẽtinis, aut ab alijs ingẽtem pecuniarum numerum cogere poſſet, ſperabat. In eã ſentẽtiam pariter oẽs fœderati, tamq̃ multum ad Italiæ ſecuritatem faceret, Veneto quoq; Oratore minimè cõtradicente, deſcenderunt. Nam etſi Venetus Senatus videret, quorſum Ludouici conſilia ſpectarent, ſperabat nihilominus ſe ea impedire facilè poſſe, confidebatque Cæſaris præſentia, Liburni portum Piſanis acquiri facilius poſſe, qui Piſis adiunctus, Florentinos omni ſpe eius vrbis recuperandæ priuare videbatur. Fœderati anteà ſæpe Florentinos in fœdus ſecum pertrahere conati erant, & eo tempore, quo Gallorum aduentum maximè formidarent, ſe ita effecturos, vt Piſani ſub illorum imperium redirent, ſpem fecerant. Sed quum Venetorum, & Ludouici cupiditas (nam & Veneti eam ſibi ciuitatẽ deſtinabãt, vtpote, qui diſſoluta cæterorum Italiæ potentum veteri concordia, vnaque parte eorum, qui ſe ipſis opponere conſueuerant, debilitata, cogitatione iam & ſpe Italiæ totius imperium complexi, oculos incipiebant conuertere: ad quam quidem rẽ Piſanæ vrbis poſſeſſio peropportuna eſſe videbatur; vt nimirum portus commoditate, quem non poſſe diu Florentinos Piſis excluſos retinere exiſtimabant, in mare inferum ſeſe extenderẽt, vrbiſq; opportunitate pedẽ alterum haud parui momenti in Etruria ponerent) Florentinis eſſet ſuſpecta

*Ludouicus Rex cũ Maximiliano Cæſare trãſigit.*

*Idem Ludouicus Piſanã vrbem ſibi acquirere procurat.*

*Eiuſdem vrbis deſiderio tenentur Veneti.*

nec ſe leuiter à Galliæ Rege alienare vellent, hæc haud magna ꝓpenſione audierãt. Mouebantur ꝓtereà Petræ ſãctæ, & Sereſanæ Caroli Regis aduẽtu recuperãdę ſpe, ꝙ q̃ dẽ à ſocijs minimè ſperare poterant: multòq; magis merita ſua, & ea, q̃ Caroli cauſa patiebantur, q̃ illius naturã, cõſuetudinẽq; metientes, ſibi ex eius victoria, nõ modò Piſas, ſed reliq̃ Etruriã quoq; ferè omnẽ pollicebantur: hanc in ſpẽ Hieronymi Sauonarolæ ſermonibus inducti, qui multas res proſperas, & Imperij incremẽtum, poſt multas calamitates ei Reipub. deſtinatas, aſſiduè in cõcionibus, ingẽtia verò mala Romanæ Curiæ, reliquiſq; Italię principibus omnibus denũciabat: cuius orationi, & ſi, qui cõtradicerent, nõ deeſſent, tñ maxima pars populi magnã fidẽ adhibebat, & multi è ciuitatis primoribus, aut bono ſtudio, aut ambitione, aut metu ducti ei adhærebãt. Itaq; cũ Florentini in Galliæ Regis amicitia perſeuerare ſtatuiſſent, haud à ratione alienũ videbatur, vt fæderati, eos vi ad id, à quo animo erant alieni, cõpellere conarentur: idq; negotium minimè difficile cenſebatur, quòd eſſent omnibus vicinis inuiſi, & à Rege Galliæ opẽ ſperare nõ poterant, qui cùm ſalutẽ ſuam deſeruiſſet, eum aliorum quoq; obliuioni traditurũ credibile erat. grauiſſimis prætereà ſũptibus iã ꝑ triennium cũ vectigalium imminutione factis, ita erant exhauſti, vt belli moleſtias diù ferre poſſe minimè crederentur: & hoc ipſo anno cõtinenter cum Piſanis bellum, vario euentu geſſerant: atq; à Senenſibus, infeſtis armis petebantur. Ergo decreta in conſilio Cæſari Piſana ꝓfectione, Cæſar duos Legatos Florentiam præmiſerat, qui ipſum ad expeditionem, quam magnis viribus contra Chriſtianæ religionis hoſtes facere in animo habebat, neceſſariò ſibi in Italiã ad eam pacandam, atq; in ſecurum ſtatum reponendã, veniſſe ſignificarent: eamq; ob cauſam à Florentinis, vt ſe ad Italiæ defenſionem, cum reliquis ſocijs declararent, peteret, quòd ſi tñ aliud in animo haberent, mentẽ ſuam aperirent: velle ſe eandẽ ob cauſam, & quia id ad Cæſaream autoritatem pertineret, illorum cum Piſanis controuerſias cognoſcere: ideòq; cupere, vt donec ipſe omnium rationes audiuiſſet, ab iniurijs abſtinerẽt, quẽadmodũ Piſanos facturos certò ſciret, quibus idẽ mandaſſet: ſeq; ad ius omnibus æquè reddendum paratum eſſe lenibus verbis affirmabat. Huic orationi, honorificis verbis Cęſaris voluntate cõmendata, quantamq; eius æquitati fidẽ haberent demonſtrantes, ſe ꝑ legatos, quos ſtatim miſſuri eſſent, animum ſuum penitùs ei aperituros reſponderunt. Magno tunc in metu Florentini verſabantur, cùm non ignorarent, Venetos Piſanis, militem, pecunias, cõmeatus, tormentariumq; apparatum ſubminiſtrare: ſe ſolos, & annonæ anguſtia premi, & contra tot principum, potentiam vix poſſe reſiſtere. Nã & in Italia nemo erat, qui eis opẽ ferret, & Oratorũ quos in Gallia habebant literis, à Rege, quem vehementiſſimè, vt ipſos in tantis periculis poſitos aliqua ſaltem pecuniæ ſum̃a iuuaret, rogarãt, nullã opem ſperari poſſe certiores facti fuerint. Sola Petri Medicis moleſtia carebãt, ꝙ ſociorum conſilium fuit, hoc in motu eius nomine, gratiaue nõ vti: quia Florentinos hoc metu, ad ꝓpriæ libertatis cõſeruationem magis coniũgi, reipſa compererant. Nec deſinebat Ludouicus Sfortia, ſalutis ipſorum ſtudij ſpecie, & Venetorum potentiæ odio, illos vehementer, vt ſe Cæſaris iudicio ſubijcerẽt hortari, ac multa pericula, & terrores oſtendere: nullãq; ꝓtereà Venetos, Piſis eijciendi rationẽ eſſe ꝓponebat: ex quo ſtatim ipſorum in integrum reſtitutio, res ad Italiæ quietẽ valdè neceſſaria, eamq; ob cauſam ab Hiſpaniæ Regibus, cæteriſq; omnibus fæderatis expetita. ſed tñ Florentini, neq; his inſidioſis verbis, blandaque lenitate moti, neq; tot difficultatibꝰ, atq; periculis territi, vllam cum Cæſare animi declarationem facere, neque ſua iura eius arbitrio cõmittere, niſi Piſis anteà ipſis reſtitutis quoniã eius, neq; voluntati, neq; autoritati fidebant. ſtatuerunt. Notum enim erat, illum, quòd ꝑ ſe, nec vires, nec pecunias haberet, ex Mediolanenſium Ducis voluntate pendere. neq; in Venetis Piſas deſerendi voluntas, aut neceſſitas cernebat̃: qui forti animo Ligurno muniendo, atq; inſtruẽdo, & copijs ſuis omnibus in agro Piſano colligendis operã dabant. nihilominus nè ſe à concordia alienos oſtenderent, & vt Cæſaris animum, ſi quo modo fieri poſſet mitigarent, cùm ipſe iã Genuã ꝑueniſſet, legatos ad eum miſerunt, qui ad ea, q̃ eius Oratores Florentię expoſuerant, reſpõderent. Horum mandata fuerunt, vt ei nulla declaratione opus eſſe ꝑſuaderent, ꝙ ea obſeruantia, qua eius nomen ꝓſequebãtur, ſibi à Florẽtina Repub. quæcumque optaret polliceri poſſet: monerent illum, nihil ad eius ſãctiſſimum Italię pacãdę ꝓpoſitum magis opportunum fore, q̃ vt Piſæ ſtatim Florentinis reſtituerentur. ex hoc enim fonte omnes deliberationes ipſi, & fæderatis moleſtas manare: quoniam verò Piſana res erat in cauſa, vt quiſpiam alius ad Italiæ Imperium aſpiraret: ideò vt eam in cõtinuis moleſtijs retinerent, ꝓcurare: (quibus verbis, quãuis non exprimeretur, Venetos denotabant) neq; iuſtitię ipſius eſſe, vt qui per vim ſpoliatus fuerat, cõtrà Cæſarearum legum ſententiam, anteq̃ poſſeſſionem ſuam reciperet, iura ſua arbitrio diiudicanda ꝑmittere cogeretur. Illud tandẽ concludentes, Rẽpub. Florẽtinã ſi hoc primùm ab illo impetraret, cùm nulla ꝓterea cauſa aliquid præter cõmunem pacẽ expetendi ſupereſſet, oẽm declarationem, q̃ illi æqua videret̃ facturã, eiuſq; æquitate ꝑ oĩa fretã, iurium ſuorum cognitionem ipſi promptè ꝑmiſſurã. Hoc reſpõſum Cæſari, ex ſententia fæderatorum, qui nè Piſæ Florentinis reſtituerentur, vrgebãt, pendenti cum minimè ſatisfaceret, Florẽtini aliud pòſt lõgã deliberationẽ nullũ ab ipſo acceperunt: niſi ꝙ in Genuẽſis portus mole, cùm iam mari ſe cõmitteret, ipſos à Sũmi Põtificis Legato, qui Genuæ erat, mentem ſuam intellecturos. Ab hoc ad Sfortiam, qui Dertona, quò Cæſarem erat comitatus, Mediolanum redierat, reiecti, eò contenderunt: cumq; iam ab eo audiri poſtulaſſent, mandatum Florentia, vbi legationis ipſorum ꝓgreſſus cognitus fuerat vt nullo alio reſponſo quæſito in patriam redirent, acceperunt. Quamobrem cùm conſtituta hora ad Ducem veniſſẽt, reſponſi petitionem in id conuerterunt: vt ſe, cum Florentiam eſſent reuerſuri, itineri, quo enim anteq̃ imperij ipſius fines egrederentur, quemadmodum Reipub. ipſorum cum illo amicitia poſtularet, reuerenter ſalutarent, parcere noluiſſe ſignificarent. Sfortia illos reſpõſum petituros ratus, vt quemadmodum ſæpè ſolebat, eloquentiam, arteſq; ſuas oſtentaret, & ex aliorum calamitatibus voluptatẽ caperet omnes ſociorum Oratores, omnẽq; ſuum Senatum cõuocauerat. Sed hac oratione in admirationẽ, ꝑturbationẽq; cõiectus, cùm dolorẽ ſuũ celare nõ poſſet, quodnã reſpõſum à Cæſare accepiſſent, interrogauit. cui cùm illi, ſe Reipub. legibus, mãdata ſua alteri Principi, q̃ illi, ad quẽ legati eſsẽt deſtinati, cõmunicare nõ poſſe reſpondiſsẽt, totus turbatus dixit: Ergo ſi nos reſpõſum, cuius cauſa vos à Cęſare, ad nos reiectos fuiſſe ſcimus, vobis dederimꝰ, vos id non audietis? Cui illi, ipſis quo minùs audirẽt, nõ interdici, neq; alios, quin loquerẽt̃, prohiberi poſſe reſpõderunt. At ille: Placet nobis illud vobis exponere: ſed hoc niſi vos ea nobis enarretis, q̃ illi dixiſtis, fieri non poteſt. Cũq; Oratores ſibi id eaſdẽ ob cauſas nõ licere, idq; ſuperuacaneum eſſet, ꝙ ipſorum petitionem à Cæſare ijs, quibus reſpõſum ſuo nomine reddendum cõmiſiſſet, expoſitã fuiſſe neceſſe erat, reſpondiſſent: ipſe, qui iã indignationẽ nec verbis, nec geſtibus tegere poterat, eius ludibrij, quo alios accipere volebat, parte in ſe accepta, & Oratores, & reliquos omnes, quos conuocauerat dimiſit. Cæſar intereà Piſas venit: vbi ſumma lætitia, à decurionibus vrbis, legatiſque Venetis in domum Mediceam deductus, leuitatis popularis argumẽtum vidit. Scutum enim marmoreum cum liliorum aureorum inſigni, ꝙ in honorẽ Ca-





roli Regis deiecto prius Leone Florẽtino, medio in põte poſuerant, illicò concurſu facto confregerunt, itaq; Arnum proiecerunt: ac loco illiꝰ arma Cęſarea collocarunt. Deliberatione facta Piſis, de Ligurno oppugnando: oĩa infeſta, infauſtaq; Cæſar eò profectus, expertus eſt, ꝙ cęlum ipſum conatibus ipſius, & cõfęderatorum repugnare videret̃. Adfuit enim feliciter ſpirantibꝰ vẽtis, Carolus Vrſinus cum Vitellocio, claſsẽ ex Gallijs nõ contemnendã, militibus, & commeatu à Rege Galliæ refertam, in auxiliorum Florentinorum ducens, quæ horũ animos vehementer confirmauit; cũ cenſerẽt, tã opportunũ aduentum indicio eſſe, vbi ipſos humanæ vires deficerent, diuinũ auxilium affuturum; vt his ipſis diebus in maximo aliorum terrore, ſæpè in concionibus publicis Sauonarola aſſeuerauerat. Ijdem venti Florẽtinis propitij, Maximiliano fuere aduerſi. Graui namq; tẽpeſtate orta, claſſis in eius auxilia parata ita concuſſa fuit, vt Grimalda nauis Genuẽſis, qua Cæſar ipſe vectus fuerat, diu ventis agitata, è regione nouæ Ligurni arcis cum omnibus, qui in ea erãt viris, & tormentis ſit ſubmerſa; idem & duæ Venetæ triremes, ad Iacobi promontorium paſſæ ſunt; reliquæ verò naues in varia loca diſſipatæ tãtum damni acceperunt, vt ad hanc expeditionem omnino inutiles fuerint: quo caſu oppidani longã nauem, q̃ antea in hoſtium poteſtatem venerãt, recuperarunt. Ob claſsis naufragiũ Cæſar Piſas redijt; vbi poſt multam deliberationẽ, omnibus Ligurnum iã expugnare poſſe diffidentibus, vt exercitus inde abduceretur, & bello in aliã partẽ transferretur, decretum fuit. Ideò Cæſar Vicopiſanum cõtendit, & ponte ad Arnum inter Caſcinã, & Vicum, altero ad Cilecchium fieri iuſſo, cùm tranſmiſſurus crederetur, repentè vaſis collectis, nullo alio progreſſu in Etruria facto, niſi ꝙ quadringenti ipſius equites, Bulgherium ignobile in Piſarum maritima ora caſtellum diripuerunt, Mediolanum verſùs terreſtri itinere redijt, ſæpe dictitans, ſe Cælitibus, atq; hominib. infenſis, bellum non eſſe geſturum, ac iurans, ſe non venatoris habitu, vt tum ſociorum auxilijs confiſus incautè feciſſet, ſed armati Cæſaris more totis imperij viribus inſtructum in Italiam aliquando rediturum. Repentinum diſceſſum eò excuſabat præcipuè, ꝙ ſubinde difficultates augerentur, nec crebris eius nouæ pecuniæ petitionibus ſatisfieret; cùm nec Veneti de eius fide dubitãtes, maiorem exercitus partẽ amplius Piſis egredi paterẽtur, necdum pecuniã ex pacto promiſsã integrè ſoluiſſent. Papiæ, quò ipſe tranſtulit, noua conſultatio habita fuit: & quamuis ſe in Germaniã redire velle diuulgaſſet, tñ ſe ꝑ totã hyemẽ, cũ mille equitibus, & duobꝰ peditum millibus, ſi modò ei ſingulis menſibus, XXII. Rhenenſium aureorũ nummũ millia numerarent̃, manſurũ aſſentiebat; cuius rei dũ reſponſũ à Venetis expectatur, in Laumellinã eſt profectus: erat .n. illi, vt eius progreſſus ſequentibus tẽporibus meliùs declararunt, fatale, vt in eã vrbẽ nõ veniret. Ex Laumellina mutato cõſilio, Cuſagũ, ad ſextum ab vrbe lapidẽ redijt, vnde inopinato Sfortia, atq; Oratoribꝰ, qui aderãt, inſcijs Comum eſt profectus, vbi cùm in prandio ſedẽs, Põtificium Legatum, cum nè ſe ſequeretur, per nuncios ſignificauerat, veniſſe cognouiſſet, menſa relicta, tanta celeritate nauẽ cõſcendit, vt Legatus ei vix pauca verba ad nauim dicere potuerit: cui, ſibi in Germaniã neceſſario proficiſcendum, ſed ſtatim reuerſurum reſpõdit: & nihilominus, vbi Comenſi lacu Bellaſium peruenit, Venetos ijs, quæ Papiæ agitata fuerant, aſſentiri certior factus, denuò Mediolanum redeundi ſpem fecit. ſed poſt paucos admodum dies, equitum, ac peditum ſuorum parte relicta, & virium ſuarum tenuitate, parua cum Cæſarei nominis dignitate, Italiæ, quæ iam diu armatos Cæſares non viderat, oſtenſa in Germaniam contendit. *Guicciardinus libro tertio, Iouius libro quarto.*

IX. Hos Maximiliani irritos conatꝰ lõge ante Sauonarola prędixit & ꝓnunciauit. Cũ .n. populus magno in metu verſaretur iãq; de fide verborum Sauonarolæ inciperet dubitare: alij vero illi vaticinãti detrahere, dicereq;, Nõne ſatis clarum habemus, nos eſſe ab impoſtore deceptos: Sauonarola familiaribus qbuſdã primo renunciauit, Maximilianum eadem, qua venerat via, in Germaniam rebus infectis reuerſurum, neq; Florentiam viſurũ, neq; aliquod damnũ Florentinis illaturum. Mox ſuggeſtum in Baſilica Cathedrali conſcendens, poſtq̃ ijſdem pollicitationibus populos recreaſſet, manu verſus Piſas, vbi Maximilianus hærebat, ingenti cum ardore ſpiritus extenſa, Cæſarem ex parte Dei adiurauit, ne quopiam incommodo Florentinam Rempublicam afficeret, ſed quo itinere Piſas venit, eodem in patriam rediret. Dominico quoq; à Peſcia, Priori Feſſulano, & is Patri Malareſtano dixit, Cæſarem Ligurno potitum, & inde quarto die non valdè decore, (pila tormento excuſſa hominem vix non oppreſſit, ac manicam veſtis exterioris illi detraxit), citra detrimẽtum aliquod Florentinorum, in Germaniã diſceſſurũ. Ad extremum deinde, ea ipſa nocte, qua Maximiliani claſſis afflicta, diſiectaque eſt, cum abſolutis precibus matutinis Malateſtanus cum illo expoſtularet, diceretq;, res Florẽtinorum apud Ligurnum ad extremum adductas eſſe, ꝙ Iacobus Saluiatus veſpere ꝓterita inde veniẽs, diceret, Ligurni, ne lignum quidẽ ad pinſẽdum panẽ reliquum eſſe, & oppidanos vltima neceſſitate, ferè deditionem decreuiſſe; Sauonarola indubitata fide dixit; hac ipſa hora Cæſar victoriam amiſit, nec aliud, q̃ diſceſſionẽ in Germaniam adornat; quemadmodum hodie primũ ex nuncijs Magiſtratus, & populus accipiet. Euenit, ꝙ prædixit; paucis enim poſt horis nuncius Florentiam aduolauit, qui Maximilianum, obſidionem Ligurni ſoluiſſe, indeque fugienti ſimilem diſceſſiſſe, ſignificauit. Vnde populus ingenti lætitia perfuſus, concionantem Sauonarolã audire voluit, is vero verbis aduerſariorum *Nonne ſatis clarum habemus* reaſſumptis, Micheæ quãdam ſentẽtiã pro concione expoſuit, quibus incrudelitatem hoſtibus exprobrauit, ſequacibus autẽ ſuis maiorẽ fiduciam ingenerauit, in his, quæ cõmuniter ad vtilitatẽ communem ediceret. Huic concioni, quæ eſt vigeſima Sexta in Micheam prophetã, impoſitus titulus ab omnibus fuit, *Sei tu Chiaro?* ſeu *Nonne tibi clarum?* quod hæc verba ad cõfuſionẽ incredulorum, in eadẽ ſæpius repetijſſet, iã pridẽ ab ijſdẽ vſurpata. Iſtud quoq; minime eſt reticẽdum. Quo die, claſſis in auxilium Florentinorum ex Gallijs miſſa, portum Ligurni intrare debuit, Sauonarola, iuſſu Magiſtratus, populi vehementer, & annonæ penuria, & metu fæderatorum afflicti, verbis concione factis, omnes ad deuotionẽ, & pænitẽtiæ opera hortatus, vt ſupplicationibus cum imagine Sacroſanctæ Virginis, quã ab Impruneto vocãt, humiliter intereſsẽt, diſpoſuit ꝙ cũ fieret, nihil tale omnibus aut ſperãtibus, aut expectantibus euenit, nuncius oleæ ramũ præferẽs aduolauit, qui naues Gallicas, viris, & annona onuſtas, in ſubſidium Florentinorum veniſſe ſignificauit.

*Irriti Maximiliani conatus lõge ante à Sauonarola præuiſi.*

*Incredulitatem hoſtibus ſuis Sauonarola exprobrat.*

X. Duas alias ſupplicationes publicas, Sauonarola, ad pietatẽ Florentinorũ excitandam hoc anno adornauit: ingenti cum fructu animarũ. Prima fuit die Dominico, qui à palmis nomẽ habet. Summo mane, innumerabilis populi, vtriuſque ſexus multitudo, in Sancti Marci tẽplo Sacrum Euchariſtiæ Sacramentum, & ramũ palmæ, vel oliuæ è manu Sauonarolæ accepit. Itum inde in Baſilicam Cathedralem concioni audiendæ. Ibi tãta multitudo puerorũ confluxit, vt omnes gradus circumcirca parietes in formam amphiteatri extructos occuparint. A concione & prandijs, è templo Annunciatæ, pueri maſculi (ad octo millia numerabãtur) albis induti, ad S. Marci proceſſerũt, vbi cruce paruula rubicunda accepta, ad S. Ioannis, via maiore, bini, & bini, inceſſerunt, tanto ordine, tanta modeſtia, & deuotione, vt Angeli viderentur. Interferebatur ſub vmbella, imago Chriſti aſello inſidentis, cui plurimi

*Supplicationem ad pietatẽ Florentinorum excitandã Sauonarola inſtituit.*

ſubſternerẽt veſtimẽta in via, alij ramos cederẽt, pueri vero præirent, & ſequerẽtur cantantes, *Oſanna filio Dauid*, Paulò poſt deferebať alia imago Sacroſanctæ Deiparentis, capiti cuius diadema impoſitũ Angeli ſuſtollerent. Subſequebantur alij pueri, Angelicos ſpiritus repræſentantes, & diuinas laudes concinentes. Succedebant omnium Cænobiorum Regulares: mox Clerus vniuerſus, tam vrbanus, quã ſuburbanus. Clerum ſequebatur infinita virorum multitudo, ſinguli crucem rubeam, & ramum oliuæ præferentes. Penultimo loco incedebant Virgines albis indutæ, ſertum in capite geſtantes. Agmen claudebant, matronæ, & reliquæ fæminæ; omnes nonniſi pietatem ſpirantes. Tantus porro erat ordo, feruor, & ſilentium incedentium, vt nonniſi cum puerorum vocibus reſpondendum eſſet audirentur, hæc verba ingeminare. *Viuat Ieſus Chriſtus, Rex noſter.* vel hymnum ab Hieronymo Beniuenio ad rem præſentem artificio inſigni, lingua Etruſca compoſitũ intonare. Manabant vniuerſis vberrimæ lacrymæ, cunctique gaudio ſpirituali perfuſi; exiſtimabant ſe, choris Angelorum intereſſe, quãdo Viri, nobilitate, & dignitatibus præſtantes, minimè erubeſcerent, veſtem albam induere, & ad imitationem Dauidis ante tabernacula, in quibus imagines deferebantur; præſultare. Itum per omnes ferè vrbis vicos, & plateas; poſteà ad Cathedralem Baſilicam ventum: vbi ſinguli corda, & animos ſuos Deo deuouerunt, Salutemque vrbis, & Reipublicæ Florentinæ commendantes, largiſsimas, quas pueri collegerant pecunias, annulos, torques aureos, monilia pretioſiſsima, veſtes, aurum, & argentum non factum, & alias eleemoſynas, in quattuor Montes, quos vocant pietatis, pro pauperum neceſſitatibus erogarunt. Inde ad Sancti Marci reuertentes, à Cænobitis, albis tantum veſtibus indutis excepti, plateam ampliſſimam, quæ ante templum iacet, pſallentes, & choros ducentes, circumierunt, facti ſpectaculũ Deo, Angelis, atque hominibus. Ex ea, quã pueri fecerant, Collecta, in montes pietatis diſtributa, occaſio data eſt Magiſtratui, Iudæos fæneratores vrbe expellendi. *Mſ. vita Hieronymi Sauonarolæ ex his, quæ author vidit.*

*Vindicta exemplum in SS. Euchariſtiæ violatorẽ.*

Alteram ſupplicationem, Iacobus Nardus, vſque ad minutias, ſed non contemnendas, memorabat: poſtquam recenſuiſſet miraculoſam vindictam, ſumptam à Deo, de violatore Sanctiſsimæ Euchariſtiæ. Tremoletum vicum Germani milites expugnauerant, diripuerantque. Ibi aliquis miles templum ingreſſus, pixidem argenteam, in qua diuiniſsimum Euchariſtiæ Sacramentum ſeruabatur, in terram proiecto abripuit. Egredi è templo feſtinans, in cuſpidem ferream lanceæ alterius militis, templum ad Sacrilegium patrandum ingredi properantis, oculo impegit; totoque ferro caput transfigente, miſer in terram mortuus cecidit. Eo ſpectaculo perculſi commilitones, Sacerdotem, quẽ vinctum ducebant, exoluerunt, & Sacratam ſupellectilẽ templo reſtituerunt.

*Altera ſupplicatio ab eodem Sauonarola inſtituta.*

Supplicatio verò, ad feſtiuitatem Natiuitatis Dominicæ, hoc anno 1496. indicta, ſequentem in modum peracta fuit. Diluculo incipiente, mille plus & trecenti pueri, ab anno XVIII. ætatis infrà, ij qui iudicio, vel conſilio Confeſſorum idonei erant Sacræ Synaxi percipiendæ, in maiorem Baſilicam conuenerunt. Ibi eadem hora cantato à Sacerdotibus ſolenni Sacro, poſtquã vniuerſus eius Baſilicæ Clerus ſacram Euchariſtiam ſuo ordine accepiſſet, pueri quoq; eundem panem cæleſtem, miniſtrantibus duobus Canonicis deguſtarunt; tanta populorum admiratione; vt lacrymas omnibus copioſiſsimas excuſſerint, cũ viderẽt ætatẽ, in malũ ab vtero pronam, ad pietatem, & deuotionẽ præcoci curſu anteire. Iuerunt poſtmodum vicos, & plateas vrbicas, hymnos nato paruulo decantantes, vt homines exiſtimarent nouos Angelorum choros in terras deſcendiſſe, qui iterũ *Gloria in excelſis Deo* præcinerent. *Iacobus Nardus l. 2. hiſt. Florentinæ.* Accreuit indè Sauonarolæ apud ſequaces exiſtimatio, quando viderent, & ingentem in populis morum emendationem, & euentus ſingulares rerum quas longe ante prædicabat. *Dominicus Beniuenius presbyter Florẽtinus, in Apologetico pro doctrina, & vaticinijs Sauonarolæ,* narrabat vnicum, & ſingulare, quod ex apparitione ſpeciali, Sauonarola, pro cõcione ad diem X. Aprilis, in quem Octaua Paſchatis inciderat, edixit. Vltima die Martij præcedentis 1496. nocte antecedente feriam Sextam magnam perſiſtens Sauonarola pernox in orationibus, viſus eſt, ſibi videre vniuerſum mundum, ſpecie planiciei cubicularis. In eius medio aſſurgebat collis, odoriferis floribus poſitus, in cuius ſummo faſtigio eminebat Crucifixi imago, ſanguine lucido, & limpido aſperſa. Ab eius quinque vulneribus emanabat tanta copia ſanguinis, vſque ad radices collis promanãtis, vt tramitem, ſeu eluuium quendam exuberantem efficeret, qui per media collis delabens, planiciem vniuerſam, vſque ad extremos fines inundaret. A parte dextera Crucifixi apparebat Hieruſalem, & multitudo infidelium innumerabilis: à parte ſiniſtra Chriſtianorum grex, vna cum multis vrbibus Chriſtianitatis, inter quas Roma, & Florentia primitus eminebant. Sanguis, qui è plagis Redemptoris profluebat, radios ſimul illuſtres ſecum ferebat, qui vniuerſorum hominum frontes ferientes, crucem rubeam lucidam, & ſplendidam, ad inſtar pyroporum in iiſdem frontibus effigiabãt, voce ab imagine Crucifixi conſequente, quæ diceret: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Infideles à parte dextera, ea cruce rubricari, audita hac voce, ad fluuium ſanguineum concurrebant, & veſtimentis depoſitis, ſeſe in eodem immergentes, lauanteſque, etiam ſitim ardentiſſimam magna cum voluptate extinguebant: qua extincta, alacres, iucundi, & in Angelos demutati exiliebant. Chriſtianorum nonnulli ea cruce ſignati, ad fluuium accurrebant, alij innumerabiles crucem fronti impreſſam, vel pileis, vel manibus, vel imaginibus vultuum feralium, vel immundorum animalium, leonis vrſi, lupi, vulpis, & ſimilium, quaſi ipſos Chriſti crucis puderet operiebant, occultabantque. Accurrebant Angeli, & verbi Dei precones, qui laruas & alia detrahere, ab eorum frontibus nitebantur. Cæterũ hi renitẽtes, paucis exceptis, etiã veſtimẽta ab infidelibus relicta induebãt. quibus ab aſpectu fugiẽtibus, ſecutæ ſunt aẽris mutationes, venti, fulgura, corruſcationes, fulmina, ignes, grãdo, nix, ſpiritus procellarũ, gladii, pluuiæ, quæ euerterent plurimas vrbes, maximè verò vrbem Romanam, & plurimas gentes clade extrema afficerẽt. In ea rerum perturbatione, videbant, infideles, & non pauci Chriſtianorum, ſub quandam vmbram à colle Crucifixi protuberantẽ accurrere, & ſaluari. Qui ad arces, & munimenta refugiebant, omnes introibant. Subſecuta poſtmodũ aẽris ſerenitas, & omnia inſtaurata. Eam viſionem Sauonarola, eo die, quo dixit enarrauit, atque explicuit ſcilicet planiciem orbicularem, mundum eſſe: collem, qui aſſurgeret, cliuum perfectionis vitæ ſpiritualis, quo homines ſeſe ad cognitionem, amorem, & fruitionem crucifixi attollerent. flores collem veſtientes, ſacras ſcripturas, & internas, ſiue illuminationes, ſiue conſolationes, ad profectũ virtutũ incitãtes Fluuiũ ſanguineũ, ſacramẽta, & præcipuè baptiſmi, & pænitẽtiæ: Hieroſolyma cũ infidelibus à parte dextera, quod tam Iudæorum in Hiſpaniis: quam gentilium in Indiis, per id temporis multitudo ad Chriſti fidem accedere deberet. Sanguis radios vibrans, & cruce ſignans, dixit, ſignificabat, prædicationem Euangelicam, quæ eodem tempore, in vniuerſum mundum perſonabat. Crux in fronte, confeſſio fidei, ne homines erubeſcerent, contumeliam crucis per quam redempti, & ſaluati. Accurſus infidelium ad fluuium, conuerſio infidelium hoc tempore, inchoata in Indijs. Qui operirent crucem, Chriſtiani, vel humana ſapientia tumentes, vel de operibus præſu-

*Viſio Sauonarolæ refertur.*

*Eodem viſio declaratur.*





mentes, vel diuerſis flagitijs, ſuperbia, auaritia, luxuria, Chriſtianam profeſſionem contaminantes, quibus verbi Dei precones ſana doctrina, Angeli vero inſpirationibus & illuminationibus internis; conarentur vultus profanos detrahere, atque perſuadere, ne amplius veterem hominem, quem gentiles exuiſſent, induerent, ſed nouum, qui in Chriſto eſt, aſſumerent. Horum multitudine renitẽte, ſecuta intẽperies aẽris, ſignificabat bella & flagella; à quibus ſub vmbram protectionis Chriſti confugerent, hi quos pænitentia facinorum tetigiſſet: reliqui humanis præſidiis innixi, ad internecionem vſque delerentur, vrbibus etiam euerſis: inter quas etiam Romana (quod factum poſtea Pontificio Clementis VII.) fere corruerit. Poſt hæc ſubſecuta ſerenitas, id eſt, Italiæ tranquillitas, qua florente, reformata Reſpub. Chriſtiana, à vigilantia, & ſtudio Pontificum; quod incepit in Lateranenſi, & confectum in Tridentino Concilio. *Beniuenius in apologet. c. 10.*

XI. *Fridericus Neapolitanus Rex, toti Regno gratiſſimus.*

Diximus ſuperius, Ferdinandum Regem Neapolitanum in ſummo gloriæ faſtigio diem clauſiſſe extremũ. Huic, quia deceſſit ſine liberis, Fridericus patruus, voluntate Alexandri Pontificis, ſolennia ab eodem iuramenta, & diplomata ſuſcipientis, ſucceſſit tanta omnium procerum, etiam Andegauenſis factionis alacritate, vt hi primum, præeũtibus Salernitano, Biſiniano, & Capacio, nomen eius Neapoli proclamarint, eumque è naui deſcendentem, obuiam progreſſi, Regem ſalutarint, eo multo contenti magis quam mortuo, propter animi ipſius manſuetudinem; quodque haud exigua ſuſpicio exorta eſſet, Ferdinandum vt primum res ſuas confirmaſſet, eos, qui quouis modo, ſe Gallico nomine ſtudere oſtendiſſent, omnes acerbiſsime perſequi in animo habuiſſe: at Federicus, quo eos ſibi integra fide conciliaret, omnibus ſuas arces magna cum laude liberaliter reſtituit. Regina quoque eius nouerca, eundem ſingulari ſtudio, ad ſceptra Neapolitana admiſit; arcemq; nouam, etſi permulti dubitarent, eam Regis Hiſpaniæ Ferdinandi fratris ſui nomine retenturam, tradidit: à cuius exemplo, populi Neapolitani voluntas egregia in Fridericũ multis argumẽtis ſeſe oſtẽdit. *Guiciard. l. 3.*

XII. *Ferdinandum Caſtellæ Regẽ quidã excitãt ad Regnũ Neapolit. capeſſendum.*

Non deerant aliqui, tam Romæ, quam Neapoli, ad nouas ſpes, nouaſque molitiones excitati, qui ad Ferdinandum Regem Hiſpaniæ res Neapolitanas recidiſſe, prolatis de ſcripto vetuſtis iuribus, & tabulis cõfirmabant. Eæ voces Pontifici, & alijs Italiæ pincipibus accidebant ingratæ, ijs etiam, qui vera dici iudicabant. Sua cuique tuendi præcipua cura erat, graue, Hiſpanorum Regis potentiã, noui & magni principatus acceſsione augeri, Regem vicinũ, nec adeo potentem habere potius volebant. Ergo cum accepiſſent, Ferdinandum, inducias cum Carolo Rege Galliarum, eius belli, quod de Ruſcinonẽſi agro gerebãt feciſſe, & ex his ſpem haud dubiam pacis perpetuæ inter illos ſanciendæ quamplurimos concepiſſe, dubitantes, nè ex eis inducijs Rex Hiſpanus, communi cauſa & fædere deſerto priuatim ſibi conſuleret, in Fridericum tanto citius inclinarunt: maximè cum perſpectum haberent, eandem ſuſpicionem Maximilianum quoque ad deſerendã Italiam impuliſſe; adeo vt neque Bernardinus Caruaialus à Pontifice Legatus, vt principum fæduspromoueret, ei perſuadere, quamquam accommodata oratione potuerit; vti dilata tantiſper profectione, rebus Genuenſibus, quas Iulianus S. Petri Cardinalis pro Carolo tentabat, opẽ ferret; quandoquidem in periculũ veniebãt propter Caroli conatus eã vrbẽ ſuæ ditionis facere cupientis. Alexãder Pontifex, vt Ferdinãdũ ad ſeruandã amicitiã, ac fœdera ampliùs excitaret, Catholici cognomen ei confirmauit, ſeu conceſſit, in poſteros cum regno iã transfuſum ſtabili poſſeſsione. Honorum titulos Principibus diuidere, Romanis Pontificibus datur. Erat in more, vt in literis Apoſtolicis adſcriberetur, Regi Caſtellæ Illuſtri. Ergo deinde noua indulgentia adſcribi placuit, Regi Hiſpaniarum Catholico, non ſine obtrectatione, & inuidia Regis Luſitani, quãdo Ferdinãdus imperio vniuerſã Hiſpaniã nõ obtineret, eius tũ nõ exigua parte, penès alios Reges. Contentio ab eo tẽpore excitata, ad noſtrã vſq; ætatẽ tenuit. Maiori motu exarſiſſe Gallũ veriſimile eſt, ſi q Cominæus ait, Pontifici erat deſtinatũ, Chriſtianiſſimi appellationẽ, qua Reges Gallos ante aliquot annos ſimili exẽplo in Ludouico XI. Pius II. Pont. Max. honeſtauit, in Ferdinãdũ trãsferre, rerũ geſtarũ amplitudini gratiã conſentaneã. *Mariana l. 26. c. 12. 13.*

XIII. *Luſitaniæ Rex Legatũ ad Alexãdrum PP. deſtinat.*

Fortè ſuperioris cognominis cauſa, Emanuel Luſitaniæ Rex, ad Alexandrũ Pont. miſit, Petrũ Corræam, hominem prudẽtiæ opinione præſtantem, qui apud illum hæc, & alia quædam ad regni ſtatum pertinentia procuraret, & ſimul Georgium Cardinalẽ, in Portugalliã reduceret: Erat autẽ is Georgius humili quidem genere natus, ſed ingenio præclaro, & magno animo præditus. Valuit autẽ multum apud Caterinã Edouardi Regis filiam ſumma virtute fæminam, quæ nemini vmquam nubere voluit. Fuit autẽ caſu in eiuſdem Caterinæ familiam aſcitus, q̃ capta hominis probitate, & ſapientia cum Sacerdotijs valdè opulẽtis augendum curauit, in quibus omnibus, ille egregiũ ſpecimen virtutis exhibuit. Pontifex deinde creatus eſt, & gradibus deinde ad alios honores aſcendit, donec tandem à Pontifice Maximo, ſummo Cardinalium cõſenſu, in eorũ collegium cooptatus fuit. Eam dignitatem ſingulari ſapientia tuebatur, plurimumq; apud Põt. Max. autoritate, & gratia poterat. Fuit illi in regni principio Ioannes infeſtus, propter aliquot ipſius acta, quæ ſuis rationibus aduerſari ſuſpicabatur: nihilominùs tamen Georgius, inuito etiã Rege, dignitatẽ ſumma cũ auctoritate retinuit. Ioanne autẽ mortuo, petijt ab illo Rex Emanuẽl p litteras, vt in Luſitaniã remigraret. Sibi namq; valdè opus eſſe ad regnum feliciter adminiſtrandum illius conſilio, quẽ ſapientia pſtantẽ iudicabat, q Georgius oſtẽdit, ſe facturum. At poſtq̃ Correa vrbem attigit, mutauit conſiliũ, & ætatem, & imbecillitatẽ excuſauit, dixitq; ꝓtereà, ſibi itineris illius faciendi à Põt. Max. minimè poteſtatẽ fieri. Alia Regis negotia Petrus ſũma diligentia, atq; fide apud Pont. Max. confecit: inter quæ fuit Ordinum militariũ, de quibus narrabo.

XIV. *Nobiles quidã pro Chriſtiana Religione ſe dimicaturos vouent.*

Eo tempore, quo Hiſpania, maxima ex parte erat ſub Arabum poteſtate, & imperio conſtituta, cũ eſſet perpetuũ inter illos, & Chriſtianos bellum, ſine vllo firmo & ſtabili induciarũ fædere cõcitatũ, fuere quidam viri nobiles, non magis virtute, q̃ religione præcellentes, qui vouebant, ſe pro Chriſti gloria, quã diu vires ſuppeterent, ſumma contentione pugnaturos: Quod vt multò alacriùs facerent, & vt commodiùs ad cælum viã munirent, à nuptijs abſtinebant. Horũ vita partim in religionis ſtudio, partim in armorum exercitatione cõſumebatur: tãtuſq; erat in illis ardor animorũ, vt eos beatiſſimos iudicarent, qui in bellis pro defenſione Reip. & Chriſti ſanctiſsima religione ſuſceptis occumberent. Horum exemplũ cùm multi ſequerentur, fuerunt varij militariũ Religionũ Ordines inſtituti à Regibus, multis beneficijs ornati, & à Pontificibus Maximis approbati; ex quib9 multi viri prodiere, quorũ virtute Mauri ſæpiſsimè cũ magna Chriſtiani nominis gloria fuſi, fugatiq; ſunt. Erãt aũt oẽs imagine Crucis ex panno partim rubro, partim viridi facta, & veſtibus aſſuta, ſecundũ pectus inſigniti. Florebat etiã in Hiſpania Ordo Templariorum, & Hoſpitalenſium, qui Hieroſolymis eadem fundamenta, poſt captam à Chriſtianis ciuitatem illam habuerant. Quamuis autem autem varia eſſent horũ Ordinũ inſtituta, & inſignia, quibus diſtingui alij, ab alijs poſſent, in hoc tñ cõueniebant, quòd omnes

votis ſolemni ritu emiſſis, fidẽ Chriſto publicè dabãt, fore vt nullā [illegible] ſe cõmacularent, nec Magiſtri militi[illegible] imperiũ [illegible], nec ſe vllis auaritię ſordibus illini paterentur. In Portugallia verò, præter reliquos multũ religioſorũ Ordines, alius à Dionyſio Rege conſtitutus eſt, poſtq̃ conatu Philippi, Francorũ Regis, qui pulcher appellatus eſt, Tẽplariorũ Ordo euerſus fuit. Initit enim Dionyſius rationẽ, quẽadmodũ Templarij [illegible] (ex omnib⁹ enim Chriſtianæ Reip. partibus aditus fortibus & ſpectatis hominibus ad illũ Ordinẽ patebat) neq; bona, neq; dignitatem amitterent. Itaq; ſtatuit, vt vectigalia, quę erant in Portugallia Tẽplariorũ Ordini dicata, ijdẽ ipſi Tẽplarij, qui eadẽ poſſederant, nouæ cuiuſdã militiæ nomine retinerent. Hãc autẽ Chriſti militiã appellauit, & huius Religionis milites, ſtatuit, vt imaginẽ Crucis colore candido, incluſã in aliã Crucis imaginẽ, colore rubrã geſtarent, vt à reliquis Religioſis militibus internoſci poſſent. Poſtulauit deinde à Põtifice Maximo, vt eam authoritate ſua cõfirmaret. Creuit hic Ordo, multiſq; bonis auctus, & amplificatus eſt. Emanuel autẽ cum videret, quòd diſcrimen impẽderet tã militibus huius Ordinis, q̃ reliquorũ omniũ (ſi n. cõtra fidẽ Chriſto obligatã, libidinẽ minimè refrenarẽt, neceſſe erat, vt ſcelera alia ſuſciperẽt, & ſimul nè illis, qui ex Religioſis militib⁹ naſcerẽt, eſſet illa macula generis inuſta, quæ nothis omnibus, quamuis ſint nobiliſſimis parẽtibus procreati, ſubeunda eſt) poſtulauit ab Alexandro Pontifice Max. vt ſolueret ea perpetuæ caſtitatis religione, omnes Equites Luſitanos, qui deinceps alicuius religioſæ militiæ ſacramẽto tenerẽtur. Illi nãq; q iã erant ſolennis voti religione cõſtricti, fieri non poterat, vt ſalua ipſius religionis fide eandẽ licentiã impetrarent. Cõceſſit id Regi Põtifex, vt deinceps liceret omnibus, qui in aliq̃ religioſã militiã adſcriberẽtur, vxores ducere: exceptis ſolùm Hoſpitalenſis Ordinis Equitibus, qui, in quibuſcumq; partib⁹ ſint, eadẽ perpetuę caſtitatis religione cõſtringuntur. Hęc autẽ Regis prouidẽtia, quã, vt videbatur, ſceleribus occurrebat, & ſuos magno incõtinẽtiæ periculo liberabat, à multis laudari ſolet. Ego verò (cẽſebat Hieronymus Oſorius Epiſcopus Siluenſis, qui ſcripſit) ſtatuere nõ poſſum, vtrùm ſic multò maiorẽ peccandi materiam ſuis attulerit, illa ipſa, q̃ ſummo ſtudio ſubtrahere cõcupiuit: Primùm, enim, numq̃ vllius diſciplinæ laxamentum potuit eſſe ſalutare. Quocircà ea, q̃ fluunt, ſeuerè deuincienda ſunt, & eò, vnde deciderãt, reducenda, ſi volumus, vt quæ laudabiliter inſtituta ſunt, eundẽ ſemp fructũ, & vtilitatẽ retineãt. Deinde, ꝑpter nuptiarum curas, cernimus, illum antiquũ ardorẽ qui erat in religioſis militibus ad dimicandum, eſſe iã magna ex parte reſtinctum. Minùs enim expedit: & minùs alacres ſunt; & cũ breue aliquot tẽpus bellicis in rebus inſumpſerint, citiùs, & libentiùs q̃ decet otium amplectuntur. Deinde tunc, cùm erat illis matrimonium interdictum, credibile eſt, multos fuiſſe, qui nõ tã vtilitatis, & emolumenti cupiditate, q̃ pietatis ſtudio religionẽ aliq̃ ſuſciperent. Nunc verò poſtq̃ de religione detractum eſt, ꝙ minus aſperum multis eſſe videbatur: ſuſpicari nõ abſq; ratione poſſumus, omnes, qui, vt in aliquam eiuſmodi militiã aſcribantur, elaborãt, cupiditate rẽ, & ambitione ad ſtudium militiæ illius impelli. Poſtremò hoc cupiditatis introitu multò latius, quam anteà patefacto, paulatim eò deuentum eſt, vt quæ erant optimè fundata, laberentur, & ruerent. Cernimus enim fidẽ datã Chriſto cõtẽni: res ſacroſanctas violari; ſacra vectigalia ab hominib⁹ audacibus, & flagitioſis occupari: eos, qui numquam hoſtis vultum aſpexerunt, opibus ad ſanctos vſus deſtinatis affluere, illiſq; ad luxum, & vitæ laſciuiam intẽperanter abuti: Sed hæc q̃ curare nõ poſſumus, lamentari deſinamus. Alia Emanuelis, hoc tempore geſta poſſumus nõ omninò extra lineã ꝑferre. Primum

*Equites Luſitanos à cõtinentiæ voto liberat Alexander PP.*

eſt iſtud. Adductus ad eum fuit Georgius, Ioãnis Regis ꝑmortui filius, cuius paulò antè mentionẽ fecimus q tunc decimũ, & quartum annum agebat. In eius comitatu, facilè reliquis, & militari gloria, & vrbanitate, Iacobus Almeida, qui in Portugalia ꝓ Magiſtro Hoſpitalenſis, Ordinis eidem religioni præerat, excellebat, multumque apud Ioannem gratia, & authoritate potuerat. Eum verò Ioannes moribus eiuſdem filij regendis præfecerat, vt is ſub tali prædagogo artes illo loco dignas ꝑdiſceret. Hic cum Georgio, quẽ dextera tenebat, flexis de more genibus, cum eſſet vterq; habitu lugubri deformat⁹, hãc orationẽ habuit.

*Iacobi Almeidæ pro Georgio Ioannis Regis filio, Oratio ad Emanuelẽ Regẽ.*

*Rex Ioannes, qui tibi patruelis frater natura fuit, amore autẽ germanus, mihi ſignificauit moriens, ſe cũ animo æquiſſimo è vita diſcederet, vnà tantũ cura ſolicitari, ꝙ hunc filiũ in ſolitudine, & orbitate relinqueret. Eã tamẽ ſolitudinẽ eo ſolatio, quo vtebatur, alleuari, ꝙ veniret illi in mentẽ, quã ſingularis eſſet benignitas tua, quã gratus animus, & quã ad oẽs Regiæ virtutis laudes ſtudio, & voluntate ꝓpenſus. Præcepit deinde mihi, vt ſuo nomine te rogarẽ, & obſecrarẽ, ſi is te in filii loco dilexiſſet, ſi muneribus omnibus, quibus potuit affeciſſet, ſi nullũ ornandi tui locũ ꝓtermiſiſſet, vt tã egregiæ in te voluntatis memoriã retineres, & parẽ voluntatem huic ſuo vnico filio, quẽ omni reliquæ vitæ præſidio deſtitutũ relinquebat, redderes: & cogitares, quid ille, ſi tibi nati fuiſſent filii, eis facturus fuiſſet, ſi ità accidiſſet, vt tu antè illius obitũ è vita migrares. Prætereà hoc etiã mihi in mandatis dedit, vt hunc illius filiũ frequenter admonerẽ, vt te ſemper vnicè coleret, & obſeruaret, tibiq; in omnibus rebus obtemperaret; in eoq; pugnaret, vt à nemine, fide amore, ſtudio ergà te ſuperari poſſet; Quò enim te propiùs ſanguine attingebat, eò magis conuenire, vt pietate, & obſeruantia erga te omnibus antecelleret, nec in vllo in amplitudinem tuæ dignitatis officio ſe vinci pateretur. Hac quidem ille mihi, vt facerem, imperauit. Ego, vt officio meo fungar, illius filium in hac tàm tenera, vt vides, ætate, tali parẽte orbatũ, tibi nomine illius trado, natura; & genere propinquum, caſus acerbitate pupillum, voluntate ſupplicem, cõditione famulũ, vt eũ in tuã fidem recipias, ornes, & augeas; vt ſic tãdem ab omnibus cognoſci poſſit Regius iſte animus, in referenda gratia, & beneficiorum memoria conſeruanda diligentiſſimus. Quod ſi vt cõfidimus feceris, ab omnib. laudẽ admodũ grati, atq; magnifici Principis conſequeris; multoq; arctiùs tibi tuorũ omnium voluntates hac tã inſigni probitatis ſignificatione deuincies.*

XV.

*Emanuel Rex ea oratione multum cõmotus Georgio multa pollicetur.*

Hac Almeidæ oratione adeò fuit Emanuelis mæror excitatus, vt cum dare reſpõſum vellet lachrymis, & ſingultu ſpiritus illius impediretur. Itaq; breuiſſima oratione declarauit, ſe Georgium in loco filij habiturum, tãtiſq; illum beneficijs ornaturum, vt intelligi poſſet, quantum Ioannis nomen, & memoriã cõſeruari, atque propagari cuperet. Hac Regis oratione, omnes proceres, qui aderant, non mediocriter lætati, ad illum adeuntes, gratias egerunt, illiuſque manus oſculati ſunt. Hæc autem non indigna cõmemoratione arbitrati ſumus, vt poſſet & Ioãnis ꝓbitas cognoſci, q̃ tãta fuit, vt neq; Imperij magnitudine potuerit hæres illius adduci, vt facilè deſiderium illi⁹ leniret: & ſimul Emanuelis natura ꝓſpiceretur, quæ iã excellens extitit, vt neq; tantis opibus improuisò oblatis efferri, aut humanitatis obliuiſci potuerit. Facit enim inſita in pleriſq; cupiditas, vt etiã in minimè dubia hęreditatis poſſeſſione, quã mortuis parẽtibus aſſequuntur, animi lætitiã, mærore ad tempus ſimulato tegere vix poſſint. Quod eò intemperantiùs in regni hæreditate fit, quo Regiæ opes maiores, & ampliores ſunt, & ad animũ de ſtatu mẽtis deijciẽdum, ſi virtutis præſidiũ nõ adſit, magis efficaces. Cũ verò Regiæ dignitatis amplitudo prẹter opinionẽ alicui defertur, tãta vi plerũq; iactat animus, vt à mẽte, & ratione deferatur. At Emanuel ſe regni hęredẽ fore minimè ſuſpicari poterat, cũ & fratres illius viuerẽt, qui eũ ætate antecedebãt: & ipſe Ioãnes filios p ætatẽ gignere poſſet, qui erat nõniſi quadraginta ãnos natus, cũ mortuus eſt, & Alfonſus eius filius in vita maneret; qui tñ omnes diuino conſilio, vt multi iudicabant, morte





ſublati ſunt, vt Emanuel regnaret, & plurima virtutum exempla ederet: ex quibus hoc ſecundum.

*Alia virtutis [illegible] Regis exempla.*

Donationes omniũ rerum, quas Ioannes moriens multis donauerat, benignè confirmauit, quãuis multi ex illis, qui tũc ab illo fuerãt affecti beneficijs, magis digni ſupplicio, quã beneficio viderẽtur. Satis enim apparet, eos, qui dũ Princeps extremũ ſpiritum edit, ab eo ſummo ſtudio cõtendunt, vt ſibi aliquid largiatur, ꝙ dũ ille ſanus, atque valens erat, impetrare nõ poterant, numquam ſe quidq̃ de fide Principi debita, ſed de ſua ipſorũ vtilitate cogitaſſe. Nihil pręterea tàm inſidioſum, q̃ eo tẽpore, quo propter mortis acerbitatẽ mens Principis oppreſſa eſt, captare tũc illius imbecillitatis occaſionẽ, vt ab eo, à quo iã fuerant multis cumulati beneficijs id extorqueant, quod non eſt auaritiæ, ſed fidelitati debitũ. Neq; aliquid tã inhumanũ, quam in ipſius Regis morientis aſpectu, nec ipſius iuſtiſſimi doloris ſenſu, nec vlla humanitatis ratione, ab immanis cupiditatis ſtudio reuocari. Accedit prætereà, ꝙ eo tẽpore Rex, qui hominũ poſtulata quamuis iniuſta ſint, minime repudiat, nõ de ſuo quidquã, ſed de alieno videtur elargiri. Ea nãque donat, quibus iam vti non poteſt. Reddit deinde ſucceſſori, multò difficiliorem adminiſtrandi Regij muneris rationẽ. Regiam enim gazam, quæ eſt fons Regiæ benignitatis, exhaurit. Ea poſtremò concedit, cũ neq; hominũ merita, neq; vllam iuris vſitati rationẽ expendere poteſt. Nam ferè nemo eſt, qui in oculorũ tetra caligine, in crebro anhelitu, atq; in ſingultu, in totius corporis ſudore, intercluſi ſpirit⁹ anguſtijs poſſit cuiuſq; dignitatem exactè perpendere. Illi igitur, qui eo tẽpore, quo Principis animus eſt oratione cõfirmandus, ei tam grauẽ moleſtiã exhibẽt, & inſtãt, & vrgent, & quodammodo vim adhibent, vt interruptis, atq; moriẽtibus vocibus regni opes effundat, odio certè digni ſunt, & non eiuſmodi beneficijs. Emanuel tñ, nè videretur optimi Principis acta reſcindere, non modò reliqua Ioannis beneficia, quæ fuerunt iudicio tributa, ſed etiam fraudulenter erepta, confirmauit. Totum deinde animum ad ius adminiſtrandum applicuit. In eos Magiſtratus, qui corrupti pecunia perperam iudicabant, acriter animaduertit. Ijs, qui leuioribus criminibus erant alligati, leuiores etiam pænas impoſuit. Illos, qui benè & incorruptè iudicia faciebant, pro dignitate cuiuſq; remunerauit. Iudicum deinde numerum auxit, vt oẽs cõtrouerſiæ facilè dijudicari poſſent; ipſoſq; maioribus ſtipendijs affecit, nẽ inopia cogerentur, ab æquitate diſcedere. Tum in oẽs regni partes, viros iuſtitiæ opinione præſtantes cum ſumma autoritate miſit, qui ſcelera vindicarent, & flagitiorum omnium, quoad fieri poſſet, ſtirpes euellerẽt. Vectigalium deinde rationẽ diligẽter habuit. Videbat enim, vbi regni opes miniſtrorũ negligentia dilabuntur, aut quæſtorum auaritia diripiuntur, aut ſumptibus minimè neceſſarijs exhauriuntur, ibi regni ſtatum conſtitui non poſſe. Nec enim bellum geri, neque pacẽ conſtitui, neq; ius adminiſtrari cõmodè licet, vbi Regis pecunia, q̃ debet eſſe publicæ ſalutis inſtrumentum, aut à priuatis auertitur, aut ab ipſo Rege, ſine vllo fructu conſumitur.

Tertium iſtud inſigne. Brigantino Duce: qui in cędẽ Ioannis Regis cõſpirauerat, cæſo, Aluarus Ducis occiſi frater, vnà cum eiuſdẽ Ducis filijs, in Caſtellum ꝓfugi, durum exilium tolerabant. Ferdinandus Rex Caſtellæ enixè contendebat, vt patria extorres, in patriam, paternaſq; opes, & priſtinum dignitatis locum reponerentur. Sorores Emmanuelis, Eleonora Regina, Ioannis relicta, & Iſabella, Brigantino anteà nupta, flagitabant, innoxios, nihilque mali promeritos, eriperet ſupplicio: ardentiùs Iſabella, q̃ eæ calamitates propiùs attingebant, eodẽ momento orbata viro, filijſq;, familiæ vniuerſæ mirabili luctu. Ante omnes Beatrix Viſei Dux precibus Regẽ filium fatigabat, eique pro materno iure mandabat, vti ſanguine, & omni neceſsitudine coniunctos ſubleuaret. *Non tibi, inquit, ſolùm regnum cælitus datum, ſed matri ſororibus, & propinquis; omnibus denique, qui in te ſpem emergendi iure collocarunt, partem imperij aliquam communicandam, & felicitatis cogitare debes. Fructum ex noſtro fundo, noſtraque ex arbore decerpere, quis vetabit? Quæ ſi nos ſpes fefellerit animis noſtris concepta, quò ibimus? ad quem confugiemus? an importuna ſeueritate committes; vnde cunctos nos pigeat te ad culmen dignitatis, & gloria peruenisse? Cum eras priuatus, noſtram ſortem, & miſeriam deplorabamus: nunc ad eam acerbitatem, iniuriam importuna ſeueritate factam adiũgere erit neceſſe. Quare ſi vlla tibi æquitatis, ſi vlla pietatis cura eſt, ſi labores eius, quæ te peperit, ſi amorem, quo te ſum perpetuo proſecuta memoria retines, matri filiam reſtitue, ſorori filios, auiæ nepotes; memet deniq; totam mihi redde, meaque membra disiuncta locis, & lacera, & disiecta in vnum quaſi corpus ſalutari iſta manu compinge. Atq; eum acceptæ poteſtatis præcipuum fructum cogitato, hoc quaſi initio accepti principatus ſpecimen dare cæteris ad bene ſperandum, hoc quaſi ſalutari ſigno ſublato.*

Cupiebat Rex iuſtiſſimis matris, & ſororum votis ſatisfacere. Verum ne repente defuncti Regis cenſura mutata in leuitatis ſpeciem incurreret, verebatur: ac ſimul prouidendum erat, ne eorum animos irritaret, qui bonorum exulibus ablatorum ſe attactu, & longa poſſeſſione contaminauerant. Vicere tamen omnes difficultates pietatis reſpectus, matris, & propinquorum poſtulata. Quibus bona, & honores exulum ſunt ablata, eos alijs pro præſenti copia datis muneribus pacauit: nullus, vt Regiam clementiam accuſaret, contra laudarent multi, & perpetuo præconio celebrarent, qui nollent etiam factum probantibus.

*Emanuelis Regis humanitas, & iudiciũ in omnes.*

Vt autem humanitas illius, & iudicium in omnes conſtaret, Iudæos primo in libertatem reſtituit, deinde modum beneficentiæ, ex noua cauſa impoſuit. Narrauimus ſuperius, quemadmodum Ferdinandus, & Iſabella Caſtellæ Reges, cum exploratum habuiſſent, per Iudæos, qui in illorum ditionibus erant, ſcelera nefaria contra religionis noſtræ ſanctitatem conflari, omnes illos in exilium eiecerant. Cum alij in alias partes diſiecti fuiſſent, maxima eorum pars, à Ioanne Rege, ſub certis conditionibus impetrauerat, vt in Portugalia tempore aliquo definito conſiſteret. Conditiones potiſſimæ fuerant, vt octonos aureos ſinguli Regi perſoluerent, & intra certum tempus è Portugaliæ finibus emigrarent: quod ſi poſt tempus illud aſſignatum viſi in Portugalia fuiſſent, libertatẽ amitterent, Rex autem tutam nauigadi facultatẽ volẽtibus abire præberet. Hac ratione Ioannes grandẽ ſibi pecuniam cõparauerat, quam aſſeruari diligentiſſimè faciebat, vt poſſet in Africam tranſire. Cupiebat enim bellum acerrimum Mauris inferre, non tam gloriæ ſtudio, quàm vt Chriſti religionem, & cultum propagaret: quod ne faceret, primùm quidem caſus acerbi, quibus diu conflictatus eſt, impedimento fuere: poſtremo autem mors omnes illius huiuſmodi conatus cõpreſſit. Quamdiu tamẽ vixit, ſedulò curauit, vt Iudæis fidẽ præſtaret, quã dederat. Itaq; eis, qui in portubus operam illi nauabant imperauit, vt agerent cum nauiculariis, vt tolerabili quadam vectura Iudæos in regiones, quas ſibi vellent, tranſportarent. Sanxit prætereà, ne quiſquam iniuriam illis inferret: Quod lõgè ſecus factum eſt. Mercatores enim, & nauicularij, qui Iudæos in naues ſuas recipiebant, eos in mari multis iniuriis admodũ acerbè diu exagitabant. Vecturæ enim pretio, quo depacti fuerãt, minimè cõtẽti, quacumq; ratione poterant, multò maiorẽ pecuniam ab inuitis exprimebant; & de induſtria, diutius, quàm opus erat, vagabantur, multiſque erroribus homines miſeros ludificabant, vt conſumpto omni commeatu, cogerentur ab eis victum emere. Pretium verò, quod rebus ſuis conſtituebant, erat eiuſmodi,

vt eo perſoluto, Iudæi nudi, & inanes relinquerentur. Accedebat, quod nuptis mulieribus, atq; virginibus vitium per vim inferebant, & viros intolerandis contumelijs afficiebant, Chriſtianique nominis, quod vſurpabant, obliti, in omni genere immanitatis, atque perfidiæ verſabantur. Iudæi, qui in Portugalia remanſerant, partim tam atrocis iniuriæ metu perturbati, (nec enim id tam obſcurum eſſe poterat, vt non aliqua ex parte fama tantarum cladium ad aures eorum perueniret) partim quod inopiâ impediti, minimè potuiſſent ea, quæ erant ad nauigandum neceſſaria intra tempus illud emere: cùm tempus interim illis conſtitutum elaberetur, libertatem amiſere. Qui igitur ſeruum Iudæum habere cupiebat eum à Rege poſtulabat. Rex autem illorum precibus cedebat, quos animaduertebat, eſſe, miti, clemétiq; natura preditos, nè Iudęi, duriore, quã par eſſet, dominatu premerentur. Hoc autẽ accidit paulò ante Ioannis mortem. Ea tñ apud omnes, qui ſenſus illius nouerant, ſuſpicio conſiſtebat, vt crederetur, ſi ille diutius vixiſſet, oẽs eos fuiſſe benignitate illius, ſub aliqua códitione liberãdos. Hæc erãt Iudæorũ, qui in Portugalia morabantur conditio, cùm Emanuel regnare cepit, qui videns illos non ſponte ſua contrà fædus in Portugalia, pòſt tempus à Ioanne præfixum remanſiſſe, omnes liberos eſſe iuſſit. Hoc illi beneficio permoti, ei magnum argenti pondus obtulere; quod accipere noluit. Statuerat enim gentẽ illam beneficijs paulatim ad ſtudium Chriſtianæ pietatis allicere.

XVI. *Varia argumẽta pro expellendis, vel retinendis in Luſitania Iudæis.*

Inter hæc Reges Caſtellæ illum per literas admonebant, nè gentem ſceleratam, & Deo, ac hominibus inuiſam, conſiſtere in Portugalia ſineret. Emanuel, rem maxima conſideratione dignã eſſe ſtatuit. Fuere, qui dicerent, in conſilio, non eſſe gentem illã eijciendam, quam Pont. Max. in Romanæ Eccleſiæ ciuitatibus habitare permitteret. Quo exemplo etiam dicebant à multis Italiæ ciuitatibus, ac multis præterea Chriſtianis Principibus, non ſolùm in Italia, ſed in Germania, & Pannonijs, & quibuſdam alijs Europæ regionibus eſſe Iudæis habitandi, & negotiandi facultatem tributam. Præterea illis expulſis, non continuò perfidiam ex eorum animis expelli. Vbicumque enim impia gens pedem poneret, eadem ſceleris veſtigia relinqui. Non eſſe autem hominis ſapientis, magis ſcelere in vno loco, quàm in alio conflato permoueri. Deinde, ſi Iudæi in Africam (quod futurum nemo dubitabat, ſi fuiſſent è Portugalia eiecti) traijcerent; omnem ſpem, quæ de eorum ſalute haberi potuiſſet, incidi. Inter Chriſtianos enim, multi ex illis Chriſtianorum familiaritate, & exemplo atque diſciplina illecti, ſeſe ad Chriſti nomen adiungebant; quod inter homines Mahumetana ſuperſtitione contaminatos fieri haudquaquam poterat. Non eſſe præterea vtile Reipub. vt hæc gens pecuniam, qua multi ex illis abundabant, ad Mauros aſ-aſportaret, & artibus, quas à Chriſtianis acceperat, hoſtes Chriſtianorũ inſtrueret, quibus poſſent Chriſtianis, non mediocre damnum inferre. Alij contrà differebant, non ſine cauſa fuiſſe, gentem illam expulſam è Gallia, & e multis Germaniæ locis, & ex Aragoniæ, & Caſtellæ regnis: ſed quia fuiſſet à Principibus, qui non pluris vectigalium amplificationem, quàm religionis amplificationem faciebant, exploratè cognitum, tentari ab ea ſimplicium hominum fidem, Chriſtique nomen ſanctiſſimum indigniſſimo conuitio maculari, multorumq; animos ex eorũ cõſuetudine, peſtiferis erroribus contaminari, luemque ad ruſticanorum hominum perniciem ſerpere. Præterea, non eſſe ſapientis quidquam illis credere, qui hoſtes Chriſtiani nominis ſunt, nullaq; religione impediri queũt, quò minùs omnia arcana, quæ inueſtigari poſſent, hoſtibus alijs indicent, ſaluteq; Chriſtianorũ pecunia prodant. Quòd ſi de cõmodis agendũ eſſet, multò certè cõmodius eſſe, gentẽ ad fraudẽ natã antequã manus vectigalium viſceribus afferret, cum illis tantum bonis quæ habebat, expelli, quam poſtquam omnes regni opes in poteſtatem ſuam redigeret, tanta præda locupletatam dimitti. Tunc enim ea tantum aſportaturos, quæ aliundè conuexerant. At ſi diutius in regno manerent, fore, vt multos mortales bonis omnibus, fraudibus, & dolis, quibus multum valebant, euerterent. Hanc ſententiam ſecutus Emanuel, ſtatuit, vt omnes Iudæi, atque Mauri qui Chriſti religionem profiteri nollent, è regni finibus excederent, diemque dixit, intra quem omnes, qui in illius regno fuiſſent inuenti, libertatem amitterent.

XVII. *Emanuel Rex in Mauros bellum mouet, & de illis triumphat.*

Nec minus laude dignum iſtud, quod ad propagationem nominis Chriſtiani, ſiue continuauit, ſiue decreuit; quando ſuperiorum Regum veſtigijs ingreſſus, eodem animo belli Mauritanici curam ſuſcepit. Nam vrbes Mauritaniæ, quæ erant Luſitanorum præſidijs munitæ, maioribus opibus firmauit, firmioribusq; præſidijs cinxit, ac maximum commeatum, & plurima inſtrumenta bellica in eas importari præcepit. Auxit præterea militibus ſtipendium, & duces item muneribus amplioribus ornauit, vt his beneficijs excitati, confidentius, & acrius dimicarent. Quia verò cernebat, caput belli feliciter adminiſtrandi in vera religione conſiſtere (Deus enim eſt, qui robur, & mentem, qua victoria paratur, donat; & qui mentem, & vires eripit illis, quos peruertere ſtatuit) præter alia præmia, quibus Sacerdotes, qui ſacra militibus in Africa miniſtrabant, affecerat, ſtatuit, vt decumam omnium tributorum, quæ Mauri vectigales ei ex fædere perſoluebant, quotannis acciperent: quò tempore Ioannes Meneſius, pridem ab Ioanne Rege miſſus, victoriam de Mauris refractariis reportauit, vt multi ſuſpicarentur, eam magis Emanuelis religione, quàm militum viribus partam fuiſſe. Meneſius enim numero vincebatur: tamen commiſſa pugna, victi, fugatiq; ſunt Mauri, virtuti ceſſit multitudo, pietati impietas. *Oſorius lib. 1. Mariana lib. 26.*

XVIII. *Ximenius Archiepiſcopus, Eccleſiaſticos reformat.*

Dum ad hunc modum Emanuel in Luſitania, & in Africa res Chriſtianæ religionis procuraret, Franciſcus Ximenius Archiepiſcopus Toletanus, monitu Pontificis Maximi, & Regum Caſtellæ deſiderio, res Eccleſiaſticas non infeliciter reformabat. Miſerat ad eum in Aragoniam, vbi inauguratus hæſerat, Eccleſia Toletana legatos, Franciſcum Aluarum Toletanum, & Ioannem Quintanapalliam Canonicos, illum Iuriſconſultum, hunc Theologum, qui illi totius Eccleſiæ nomine gratularentur. Cum his longo ſermone præmiſſo, multa ſe dixit cupere denuò inſtituere, multa corrigere, & in antiquum ſtatum reſtituere, quæ in rem communem eſſent ceſſura. Sed illud inprimis, vt Canonici, & eorum ſocij, qui portionarii dicebantur, ad vitæ communitatem, quoad eius fieri poſſet, redirent, qui iam diu ad vitam ſecularem, & vagam deſciuerant. vt ſaltem altaris miniſtri, qui per hebdomadarum vices ſacra faciunt, illis diebus intra clauſtra templi continerentur, quò religioſius munere fungerentur ſuo: ſe verò, vt bona domicilia conſtruerentur, curaturum, quibus commodè vti poſſent. Legatis proinde mandauit, vt id ad Capitulum referrent, & primo quoque tempore ea de re decretum faciendum curarent. Legatis ea referentibus, Canonici mirum in modum fuerunt cõmoti: non tã quidem, quod intolerandum videretur, tres illos ſacrorum miniſtros pauculis diebus intra ædem ſacram contineri, quã quod vererentur, ne homo ſeuerus, & reſtituendæ veteris diſciplinæ cupidiſſimus, qui tunc ſumma cõtentione agitabat. vt omnes omnium religioſorum virorum, fæminarumque per vniuerſam Hiſpaniam Societates, ad priſca viuendi inſtituta re-

uocaren-



uocarentur, idem quoq; de Canonicis ſuis cogitaret. Auxit illorum ſuſpicionem Ximenij ad prælectum fabricæ mandatum, vt ſuper interiori templi porticu, quæ impluuium viridario conſitum cingebat, domicilia conſtrueret, in quibus multò plures, quàm illi tres Sacerdotes laxè habitare poſſent. Quare inito ſtatim ſecreto conſilio, Alphonſum Albornozium Canonicum, Romam ad Pontificem Max. negotiorum cauſis prætextis mittunt, qui præſentem Eccleſiæ Toletanæ ſtatum Capituli nomine tueretur, & Archiepiſcopum, ſi opus eſſet, in ius vocaret, vt res nouas moliri deſineret. Id Ximenius quandò reſciuit, autoritate Regia fretus in portum, qui Albornozium cõprehenderent, miſit. cumque is vela iam feciſſet, Romam expeditiſsimam triremem emiſit, quâ aliqui viri ſtrenui cum mandatis Regijs vehebantur, qui Ioanni Garſiæ Laſſo, tunc apud Pontificem Oratori edicerent, vt quamprimum Albornozius appuliſſet, ablatâ in vrbem veniendi facultate, vinctum in Hiſpaniam remitteret. Eius aduentum Laſſus, apud Oſtiã expectans, præuertit, vinctumque Ximenio remiſit; quem ille duodeviginti menſes in cuſtodia retinuit, ac poſteà dimiſit: Canonicis facta præſcriptione, vt ad Auguſtini Regulam ſeſe componerent, & viuerent, quam multis adhuc cærimonijs referrent. *Gomecius l. 1. de rebus geſtis Ximenij.*

XIX. *In locum Minoritarũ Conuentualium, introducit Obſeruãtes.*

Pari ardore Ximenius, iuſſu Pontificio, Minoritas Conuentuales, ad regularis vitæ ſtrictiam obſeruationem reuocare conatus, cùm plurimos dicto inobedientes reperiſſet, eos Cænobijs eiecit, inque eorum locum, quos Obſeruantes vocant, introduxit. Ita prouincias Conceptionis, Caſtellæ, Andaluziæ, & S. Iacobi, acceptis, ea de re literis Alexandri Pontificis reformauit. Et quidem feliciter alijs in locis idem conatus ſucceſsiſſet, ſi Obſeruantes, tot Patres habuiſſent, quot nouis colonijs deducendis ſufficerent. *Vlyſsiponen. hiſt. Seraphicæ. p. 3 li. 7. c. 27.*

XX. *Cur ſanctorum canonizatio ad Romanũ Pontificem ſpectet.*

Hoc tempore, Henricus VII. Rex Angliæ, fæderi quod Pontifex cum Principibus Chriſtianis ſanxerat, acceſsit, ſubſcripſitque. Cumq; inſigni pietate in principem integerrimum Henricum Regem VI. duceretur, eum inter ſanctos referri, ab Alexandro Pontifice poſtulauit. Pontifex, vt hoc negotium ex Canonum præſcripto tractaret, inprimis Regi reſpondens, quinque rationibus oſtendit, ad ſolum Romanum Pontificem ſpectare, aliquos in Sanctum numerum referre. 1. Quia cum Sanctis adiungi Deo, maximum eſt hominis Chriſtiani beneficium, maximaque cauſa, quæ inter mortales poſſet proponi: grauiores autem cauſæ ad Romanum Pontificem referantur; hanc eius præcipuam eſſe debere. 2. quia ſancti miraculis declarantur; miracula autem à fide proueniunt: de qua omnes cõtrouerſiæ à Papa deciduntur. 3. Solius Papæ eſt declarare dubia Scripturarum: multo igitur magis dubia ſanctitatis. 4. ne ſi id cuilibet Epiſcopo permittatur, & pleriq; Epiſcoporum indocti ſunt & ſimplices, credulus populus decipiatur. 5. nè numerus Sanctorum in infinitum creſcat, eâque ratione frigeat deuotio, & ſanctitas vilipendatur. Oportet ergo ad Pontificem illud deferre, qui cognoſcat, quis ſit dignus albo Sanctorum, & modum rebus præfigat. Cæterùm duo ait eſſe requiſita neceſſariò, ad canonizationem ſanctorũ: Vitę ſanctitatem, atque miracula; nam nec vitã integrum, niſi edat miracula, nec miraculis clarum ſine vitâ pura canonizandum eſſe cenſebat. Itaque vtrumque horum teſtibus probandum, antequam quis in Sanctorum album recenſeatur, pronunciauit; ſimulque Ioanni Mortono Cantuarienſi Archiepiſcopo, & Richardo Foxio, Epiſcopo Dunelmẽſi commiſit, qui in vtramque rem inquirerent. Præter hæc permiſit Regi, vt corpus Henrici VI. quod Richardus tyrannus, contrà religionem, & humati honorem, à Chertſeienſi Cænobio ad arcẽ Windoſorinam tranſtulerat, exhumaret, & more ſolenni, ac Regio ad Weſtmonaſterij cænobium transferret, locoque honorifico reconderet. Incidit autem hoc eodem tempore inter Archiepiſcopum, & Londinenſem Epiſcopũ grauis quædam de iuriſdictione controuerſia. Richardus quidam Bladiuel Londinenſis Epiſcopi Commiſſarius, executores teſtamentorũ Richardi Simghon, & Ioannis Erick ciuium Londinenſium, ad exhibenda eadem teſtamenta, & actis coram ſe inſinuanda citauit. Eoſdem rurſus Archiepiſcopus, quia teſtamentorũ bona pluribus diœceſibus diuiſa erant, à Londinenſis Epiſcopi iuriſdictione vendicauit, & ad ſuum tribunal vocauit. Itaque hi executores ab eo Commiſſario excommunicati, & ab Archiepiſcopo abſoluti ſunt. Londinenſis Epiſcopus ad ſummum Pontificem prouocauit, & lis Romæ de hac prærogatiua Cantuarienſis Sedis inſtituta eſt. Commiſſa fuit ab Alexandro Papa hæc cauſa, Petro de Acoltis, Iuris vtriuſque Doctori in Romana Curia cauſarum auditori. Magna huius iudicij per totam prouinciam Cantuarienſem expectatio, ſuffraganeorum animos, qui Londinenſi Epiſcopo adhæſerant, diu tenuit ſuſpenſos. Sed Archiepiſcopus non modò primęua Cantuarienſis ſedis prærogatiua, ſed ipſa etiam conſuetudine, & temporis diuturnitate, ex proprijs Archiuijs, atque tabularijs cauſam euicit. Poſteà Alexander Papa, tam hanc de teſtamentis inſinuandis, bonaque inteſtatorum adminiſtrandi commiſsionibus prærogatiuam, quàm vacantibus Epiſcopalibus Eccleſijs iuriſdictionem, Archiepiſcopo, necnon Eccleſiæ Metropolitanæ Cantuarienſi, ad æternam concordiam, omneſq; de iuriſdictione lites, & altercationes in perpetuum tollendas quatuor bullis confirmauit. Cumque eo tẽpore, quo controuerſia Romæ agitabatur, multi Prouinciales ab inferioribus prælatis, quia ſuam iuriſdictionem in incerto verſari diſcrimine cernebant, incitati, varias in Archiepiſcopum calumnias ſparſiſſent, contra eos Alexander Papa, bullam excõmunicationis euulgauit. Quo modo, Eccleſiæ Cantuarienſis iura ſæpe in dubium, atque controuerſiam vocata, tandem ſub hoc Archiepiſcopo firmata, & ſtabilita ſunt. Hoc tempore Alexander Pontifex Ioannem Eiglifium, & Robertum Caſtellenſem, Protonotarios Apoſtolicos, Collectores in Angliam miſit, qui pecunias, in ſacrum bellum aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes colligerent, & beneficijs ſpiritualibus homines ad largiendum inuitarent. *Autor. antiquit. Eccleſ. Britannicæ in Mortono.*

XXI. *Indulgentias quoq; largitur Baſilicæ S. Crucis.*

Hoc anno Alexander Pontifex viſitantibus Eccleſiam S. Crucis in Hieruſalem Romæ nuncupatam, indulgentias largitus eſt, teſtimoniumque titulo Crucis ante quatuor annos reperto perhibuit, iſto diplomate.

*Alexander Epiſcopus ſeruus ſeruorũ Dei. Vniuerſis Chriſti fidelib. præſentes litteras inſpecturis ſalutẽ, & Apoſtolicã benedictionem. Admirabile Sacramentum viuificæ Crucis, cuius ſignum erit in cœlo, dum Dominus ad iudicandum venerit, intra noſtræ mentis arcana reuoluentes, & pia conſideratione penſantes, quod in ligno euſdem S. Crucis Dominus noſter IESVS Chriſtus pro humani generis ſalute, mortẽ ſubire nõ abnuit vt nos de morte, ad vitã reuocaret. dignũ imo potius debitum reputamus, Eccleſias, & loca ſub ipſius Sãctiſsimæ Crucis nomine dedicata, & præſertim in vrbe conſiſtentia, gratiis indulgentiarum, & remiſsionum munerib. decorare, vt per hoc, & tanti Sacramenti iugis memoria in mentib. Chriſti fidelium permaneat, & ipſi Chriſti fideles ipſius Domini gratia eos præueniente, felicitatis præmia conſequi mereãtur æterna. Cum itaq; nuper, videlicet anno à Natiuitate euſdẽ Domini noſtri IESV Chriſti 1492. vltima Dominica menſis Ianuarij dum bo. me. Petrus tit. S. Crucis in Hieruſalem Cardinalis, qui tunc in humanis agebat, eandẽ Eccleſiã digno ornatu reparari faceret, in altiori parte teſtudinis dictæ Eccleſiæ repertus fuerit titulus, Hebraicis, Græcis, & latinis litteris conſcriptus, & qui ſupra caput ipſius D. N. Ieſu Chriſti, dum in ligno euſdem S. Crucis pendebat, appoſitus extitit, & ipſe Titulus nunc in eadem Eccleſia, debita cum veneratione obſeruetur, & cuſtodiatur.*

*Nos in Cruce huiuſmodi ſancta, cum Apoſtolo glorıantes & ſatagentes alios ad glorificationem ipſius inuitare, vt vitalis ligni precio, vitæ æternæ ſuffragia conſequantur, ac cupientes, vt Eccleſia prædicta (quæ nunc titulus dilecti filij noſtri, Bernardini eiuſdem Eccleſiæ S. Crucis in Hieruſalē preſbyteri Cardinalis exiſtit) congruis frequentetur honorib. & ipſi Chriſti fideles eò libentius deuotionis cauſa ad eandē Eccleſiam confluant, quo ex hoc ibidem, dono cœleſtis gratiæ vberius conſpexerint ſe refectos. De omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorū eius auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis Chriſti fidelib. vtriuſque ſexus verè pœnitentib. & confeſſis, qui Eccleſiā ipſam in vltima Dominica menſis Ianuarij cuiuſlibet anni à primis veſperis vſq; ad occaſum ſolis ipſius Dominicæ, deuotè viſitauerint, annuatim omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & elargimur, præſentib. perpetuis futuris temporibus, valituris. Volumus autem, quòd ſi aliàs viſitantibus dictam Eccleſiam, aliqua alia indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, eadem die per nos conceſſa fuerit præſentes litteræ nullius ſint roboris, vel momenti. Dat. Rom. apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ, 1496. 4. Kal. Auguſti. Pontificatus noſtri anno quarto.*

XXII. *Lues atrox S. Virginis Lauretanæ interuentu ſedatur.*

Eadem tempeſtate atrox Recineti in Piceno graſſabatur lues, quæ contagione vulgatā ciuium pluribus abſumptis, grauiorem indies minabatur ciuitati cladem. Igitur à Magiſtratib. de primorum conſilio, indicitur ad Lauretanā SS. Deiparentis ædem ſupplicatio, votum publicè nuncupatur. Nec ſpes, preceſue in irritum cecidere. Extemplò votiua ſupplicatione, veluti diuina manu, peſtilentia abſterſa; Ciuitas periculo exempta. Ergo Recinetenſes voti rei pro domeſticis quiſq; copijs, magnam pecuniæ vim in votiuum conferunt munus, Decretâq; ſupplicatione, coronam auream gemmis diſtinctā clariſsimis Lauretanæ Virgini donum ferunt hoc anno 1496. Corona B. Virgini impoſita, ſimul à Robureo Cardinale impetratū eſt, vt ea numquam remoueretur, Cardinaliſq; beneficium Iulij ſecundi, & aliorum deinde Pontificum authoritate firmatum. Et valuit apud finitimos populos gratæ pietatis exemplū Hinc Mos increbuit, qui hodieq; viget, vt Piceni vrbes, & oppida quotannis inſigni ſupplicatione, ac pompâ coronam afferant Lauretanæ Virgini. Haud ità multò poſt Hieronymus Robureus Cardinalis, ſanctiſsimæ cellæ pauimentū, quâ ſupplicantium genibus attritum, quâ auellentiū manibus effoſſum (quippè auulſa inde ſaxa, ſericoque inuoluta pro reliquijs auferebantur) quadrato marmore diſcolori pulcherrimè ſtrauit. Opus ſcutularū eſt egregium, & vel in tanta, quantâ nunc Lauretanum ſacellum eſt, magnificentia viſendum. Porrò circà veſtibulum templi magnificentiſsimas ædes à Bramante architecto hac tempeſtate inclyto, Robureus moliri cæpit, annuente Pontifice. Ciſternam quoq; ingenti amplitudine in medio templi atrio extruxit, ornauit, quę, ne quando oppidanis, aduenisue aqua deeſſet. Cęterum incolarum, & peregrinorum cōmodis conſulēti, veteres Laurerani templi curatores inſtaurandi fuerunt. Cæli grauitas, quæ tum erat Laureti ex circūiectis nemoribus, lacuniſque Carmelitanorum Patrum complures abſumpſerat. Itaque Petri Taruiſini Vicarij Generalis iuſſu, relicta Lauretanæ Baſilicæ procuratione, nono anno, quàm venerant, ad ſalubriora migrarunt loca. Horum in locum pij aliquot Sacerdotes, ſed mercenarij à Cardinale Patrono ſubſtituti, qui ad Leonis X. Pontificatum durarunt; qua tempeſtate res tandem ad Canonicos venit. *Turſellinus hiſt. Lauret. lib. 2. c. 8.*

XXIII. *Mira maleſici cuiuſdam confeſsio.*

In hunc annum incidit mira cuiuſdam malefici captiui confeſsio. Erat, *inquit Bruiſthemius hiſtoricus*, maleficus quidam latro in hoſpitali pauperum Leodij receptus, habebat quandam ſtanneam imaginem, quam inſtar ceræ mollis inter digitos voluebat. Quod cernens mulier, denunciauit apparitoribus iuſtitiæ ſecularis. Quem tortor Traiectenſis ad hoc euocatus, dum vinctum vidiſſet; Eia, *inquit*, frater iam te canere faciam memor vilipendij, quod dudum mihi intuliſti: Ad hæc ille; Ego, *ait*, tibi non cantabo. nam cuncta facinora mea abſque tortura patefacio. Sum etenim ſortilegus, & latro, ſicut & vxor mea, quæ me in his vinculis pridiè viſitauit. Nam filium noſtrum paruulum dudum occidimus, ſuggerente diabolo ob maleficia conficienda. Quomodo, *inquit*, huc ad te clauſum potuit ingredi? Petreken *ait*, vbique poteſt intrare, nàm ante aliquot annos in hac ciuitate, me trinâ vice tulit ex Brabantia, vt hanc ciuitatem incenderemus. Sed cùm in turri B. Ioannis eſſemus, dixit Petreken, quod ob multitudinem Eccleſiarum huius ciuitatis nihil efficere poſſemus. Hic homo ſupra modum deformis pœnitere noluit, poſitus in rota in monte publico, ſiue Sancti Aegidij. *Suffridus Petri tomo 3. in Ioanne Horneo, Epiſcopo Leodien.*

# ANNO CHRISTI 1497.

## ALEXANDRI PAPÆ VI. Anno 5. & 6.

### MAXIMILIANI ROM. REGIS Anno 12.

I. *Carolus Galliarum Rex [illegible] Italiam [illegible] ſummoperè cupit.*

CAROLVS Galliarum Rex, etiam hoc anno in Italiam tranſeūdi cupiditate flagrabat. Habebat maiores, quàm vnquam antea occaſiones: quod cum Hiſpaniæ Regibus, de agro Ruſcinonenſi inducias feciſſet cum Heluetijs fœdera confirmaſſet; multas fœderatorum Italiæ principū diſcordias accepiſſet, & à quāplurimis Italis Gallico nomine addictis euocaretur, vel pollicitationibus emiſsis alliceretur. De inducijs cum Hiſpaniæ Regibus iam dictum; de Heluericis fœderibus, non ad noſtrum inſtitutum pertinet. De fœderatorū diſcordijs, vel ſimultatib. opus eſt narrare. Inprimis nonnihil inter Alexandrum Pontificem, & Ferdinandum Hiſpaniæ Regem, quòd diſſociaret intercęſſit. Vitâ functo Ferdinando, Neapolitano Rege, cùm Pontifex regnum ad Sedem Apoſtolicam deuolutum Friderico Aragonio, defuncti patruo, ex cauſis quas memorauimus, deſtinaret, Ferdinandus Hiſpanus, Ioanni Garzilaſio, ſuo apud Alexandrum Oratori iniūxerat, vt Pontifici renunciaret, ſe velle, ius ſuū ad regnum Neapolitanum, legibus, & armis perſequi, neq; vlla ratione velle pati, qui alius ſibi eodem in regno præferretur. Proinde diplomata ad ineundam eiuſdē regni poſſeſsionem confirmationemque iuris beneficiarij vrgebat; quandoquidem Calixtus Pontifex, Alfonſo, eius nominis primo, eiuſque heredibus, & legitimis ſucceſſoribus ius fiduciarum illo in regno contuliſſet; cui quidem Pius ſecundus minimè derogare potuit; qui viuente Ioanne Rege, Aragoniæ, legitimo Alfonſi ſucceſſore illud in Ferdinandum Alfonſi nothū tranſtulit. Excuſabat Pontifex tū anteceſſoris factum, tum ſuū propoſitum: verùmtamen Ferdinandus Hiſpanus non tantū minas iaciebat, ſed etiā factis ſe alieni à Pōtifice, & cæteris fœderatis animi eſſe demōſtrabat, quando, neq; Pōtifice, neq; Maximiliano Cæſare, neq; alijs principibus flagitantib. vt qua ē exercitum in Narbonenſem prouinciam circumuicinaſq; mitteret auſcultare voluit; quinimò cum Carolo Rege inducias fecit, eoque facto metum ingentem fœderatis Italiæ incuſsit qui dubitabant, nè conſpiratione cum Carolo facta, Italiam ſibi diuiderent. Augebat metum Pontifici, quòd Calabriam ferè vniuerſam, quæ potior regni Neapolitani portio eſt, Conſaluus Fernandez de hoſtibus captam, Friderico Regi deſignato reſtituere cunctaretur, ſed pro Ferdinādo retineret. Ventū inde ad verba, quæ iraſcentiſsimos





etiam irritarent. Cum enim Conſaluus recuperata Oſtiā, de qua paulò pōſt dicemus, Pontificem adijſſet, ſermoneq; longiùs producto, Reges Ferdinandum, & Iſabellam *in cuius ære eſſe* dixiſſet; Pontifexq; repoſuiſſet *illos, neq; in officio reſpondere tamē, vt erat opus, & collata beneficia poſtulabant, ingenuum eorum nemini æquè, ac ſibi eſſe notum*; Conſaluus militari inſolentia ad contumeliam verborum prolapſus; *Credo equidem*, ſubdidit, *tibi eſſe notos, quorum in ditione es natus. Quod verò addis, nulla eorum in te officia extare; nimirum oblitus es, eorum Regum ope, & autoritate ſtare tibi Pontificatum, in tanta quamuis licentia, actionum, aulæq; vniuerſæ morum peruerſitate.* Neque hic ſubſtitit Conſaluus, ſed animo præfracto, hortamenta & minas ſubiecit: *Ergo quæ collapſa ſunt, ſeueriori cenſura in priſtinum ſtatum reſtituas moneo, priuſquam meus Rex, religione prohibeatur ei fauere, qui ſuis moribus vniuerſum orbem Chriſtianum fœdare, prauoq; vitæ exemplo multis exitio eſſe videatur.*

II. *Conſaluus & alij Pontificē admonēt, vt deprauatos mores corrigat.*

Adiecit alia, quæ ira dedit, recenſuitque ſigillatim beneficia collata à ſuis Regibus multa, & magna: ad quæ Pontifex ſiue conſcientiâ victus, ſiue audaciâ hominis militaris perterritus, cui loquendi fiduciam miſera temporum, & morum conditio dabat, cùm mutire vltrà auſus non eſſet, Ferdinando animos addidit, vt is cum Emmanuele Luſitano communicatis conſilijs, vnà cum ipſo repetitis legationibus, Conſalui exemplo tantundem à Pontifice poſtularent. Nam etiam Emmanuel miſsis Romam Oratoribus admonebat, *vt rebus Eccleſiæ proſpiceret. quandoquidem fama vulgaret, mores eſſe profligatos, pietatis ſtudium reſtinctum, flagitiorum licentiam ſolutam, res ſanctiſsimas pretio indigniſsimo addici. In vrbe, quæ fuerat pietatis & ſanctimoniæ domicilium officinam impudentiæ, atq; ſceleris inſtitui, Eccleſiamque Romanam inſigni infamia flagrare, remq; eſſe in extremum penè diſcrimen adductam. Proinde ſe illum orare & obſecrare, & per Chriſti ſanguinem obteſtari, vt iret obuiam ſceleri, reſecaret libidinem, coerceret auaritiam, moreſq; laxos, diſciplina ſeueriore deuinciret, tantumq; munus pro dignitate tueretur, & Rempublicam Chriſtianam quæ tantis vitiorum exemplis erat à ſtudio pietatis auerſa, pietatis exemplis ad officium reduceret.* Legati fuēre, Rodericus Caſtrenſis, Henricus, & Fernandus Couſinij, viri claris natalibus orti, & prudentia non vulgari præditi, quibus Emanuel Rex mandauit, vt hanc legationem cum Ferdinandi Regis legato communicarent, quem Ferdinandus, vt cum Emanuele apud Cæſarauguſtam conſtituerat, ea de cauſa Romam mittebat. Auxit iram Ferdinando Alexander. Enimuerò cùm in Cardinalium cętu, de regno Neapolitano, Friderico confirmando actum eſſet, & ad inaugurationem ipſius Cæſarē Cardinalem Valentinum, Legatum de latere renunciaret; ſimulq; de Beneuento Pontificiæ ditionis vrbe, Gandiæ Duci tradenda ſerio agitaret; ac præterea deſtinatum haberet, Friderico, & ſucceſſoribus Neapolitanis Regibus, tributi, quod annuatim Eccleſiæ Romanæ pendere iure fundi conſueuerant, gratiam facere, mutareque principatu, quem eidem Gandiæ Duci dari volebat in ditione, centum millia aureorum valorem exæquantem. Id verò Ferdinandus ſtatim, atque intellexit moleſtè accepit. Nam reſtitit coram Garſias Laſſus effræni cupiditati augendi ſuos, ac diſertis verbis denunciauit ſuo id Regi curæ fore, neque paſſurū, vt Beneuentum in cuiuſquam gratiam Eccleſiæ detraheretur, quocumque tandem prætextu, rationeve. Hæ & aliæ cauſæ fuerunt ſimultatum inter Alexandrum, & Ferdinandum occaſione regni Neapolitani excitatæ, quod Ferdinandus fruſtrà ambiebat cùm Pontifex Federico diploma eiuſdem regni dediſſet, ac ſolenni ritu inaugurari iuſsiſſet hoc ipſo anno 1497.

III. *Simultates inter Ferdinandum & fœderatos Italiæ Principes ortæ.*

Cæterum ex inducijs, à Ferdinando cum Carolo factis, ortę ſunt periter ſimultates inter illum, & principes Italiæ fœderatos; eò quòd illis inducijs nulli Italorum principum, aut ciuitatum fuerunt comprehenſi. Eas quidem Ferdinandus factas eſſe illis ſignificauit, ſed rationem facti ſui, cur illos non inſcripſiſſet attulit; nimirum, tàm ſibi licuiſſe id eis non appellatis facere, quàm Ludouico Sfortiæ ſine ipſorum conſenſu, pacem Vercellenſem componere: & cùm icto cum eis fœdere bellum in Galliam mouiſſet; idque multos menſes geſsiſſet, nec tamen ſibi pecunia à ſocijs promiſſa perſoluta; etſi iuſtam cauſam haberet eos deſerendi, à quibus deſertus fuiſſet, ſæpenumero tamen eis demonſtraſſe, ſi mille & quingenta pondo auri, quę ſibi ex peractis bellis debebantur, perſoluere vellent, ſe eam ſummam in bello futurō accepturum eſſe, eo animo, vt in Galliam cum validiſsimis copijs ingrederetur. Sed cum ſocij ſuper his nec ſuæ fidei, nec cōmuni vtilitati ſatisfeciſſent, viderentque quòd fœdus pro Italiæ libertate percuſſum, ad eam vſurpandam, & opprimendam verteretur, cùm Veneti tot portub. in regno Neapolitano occupatis minimè contenti, Piſanam quoque ciuitatem ſine iure tenerent, ſibi æquū eſſe viſum, quandoquidem alij rem communem diſſoluerent, ac perturbarent, ſuis rebus induciarum beneficio proſpicere; ſed eo temperamento, vt admonitio potius, quā à fœdere diſcedendi voluntas dici poſſet; proptereà quòd in eius eſſet poteſtate eas renunciādo diſſoluere: quod quidem eſſet facturus, ſi in Italia principibus alia ad communem vtilitatem conſilia aliosque apparatus cerneret. Hæc Ferdinandus Italiæ principibus cùm renunciaret, exprobrabat illorum mutuas inter ipſos ſimultates, & frigida ſtudia, ad rem communem tuendam. Pontifex enim, eo tempore, quo Genua ab Iuliano Card. Robureo in diſcrimen adducta, à Friderico, Rege, Ludouico Sfortia, & Venetis defendebatur, magis conſilijs, atque oſtentatione, quàm factis fœderati nomen retinens, nullius nec terrā, nec mari ſumptus in hiſce periculis particeps eſſe voluit. Veneti Piſas retinere cupientes, non omninò Sfortiæ fidebant, qui eiuſdem ciuitatis deſiderio tenebatur. Ità ſinguli ex hoc fœdere, ſua tantum non communia cogitantes animis diſtrahebantur, vt non difficile fuiſſet Carolo in Italiam reuerti, quemadmodum flagrabat. Duo caſus præterea Alexandrum hoc anno afflixerunt, ex quibus non admodum potuiſſet, Carolo redeunti reſiſtere. Miſerat Carolum Vrſinum, & Vitellium in Italiam cum copijs non contemnendis, vt res Gallicas contra fœderatos redintegrarent. Alexander Pontifex inter fœderatos primus, quòd Pontificiam ditionem infeſtam redderent, hoſtibuſq; adhærerent, perduelles in purpuratorum Senatu declarauit, & bona illorum fiſco addixit, ditionemique illorum inuaſit, & vt Columnij pluribus ex partibus, vbi fines cum Vrſinis communes habent, idem facerent, mandauit. Fuit hæc expeditio ab Aſcanio Cardinale ob veterem eius cum Columnijs amicitiam, & cum Vrſinis diſſenſionem, Mediolanenſium conſentiente Duce valde commendata; ſed Venetis, qui eius familiæ beneuolentiam promereri cupiebant, moleſta. ſed tamen quom nulla ratione, quo minùs Pontifex ius ſuum perſequeretur, impedire poſſent, nec illum eo tempore ab ſe abalienar vtile eſſet, vt Vrbinatium Dux, qui & Pontifici, & ipſis militabat, ſe Pontificijs copijs, quibus Gandiæ Dux imperabat, & quarum Legatus erat Bernardinus Lunate, Cardinalis patriâ Papienſis, qui prorſus ab Aſcanij autoritate pendebat, coniungeret, annuerunt; & Fridericus Rex, ei Fabricium Columnam auxilio miſit. In ea expeditione, octauo ab vrbe lapide, quadringentos equites, qui tormenta ad Pontificium exercitum ducebant, amiſit: parumque abfuit, quin Valentinum Cardinalem, ad venationem egreſſum, Bartholomæus Aluianus; qui illos CCCC. fuderat, interciperet: fugâ is ſaluti ſuæ conſuluit. A Braciano, deinde, eiuſdem Pontificijs quamuis iam ſigna in muris fixiſſent, reiectæ ſunt, & tandem inter Sorianum, & Baſſanum, tormentis inflictu amiſsis profligatæ; partim captis, partim verò cæſis pluſquam quingentis inter quos capti fuēre

Vrbinatium Dux, Ioannes Petrus Gonzaga, Nogarolæ comes, & multi alij magni viri: Gandiæ Dux leui in facie vulnere accepto, vnà cum Pontificio Legato, & Fabricio Columna, Roncilionem fuga petierunt: Vrebat iſte caſus, Alexandrum, volebatque militibus denuo conſcriptis iniuriam vindicare: niſi Ferdinandus Rex Hiſpaniæ cum Oratoribus Venetis interceſſiſſet, pacemque inter compugnantes compoſuiſſet. Pacis capita hæc fuerunt: vt Vrſinis in Caroli Regis ſtipendio ad pacti temporis finem vſque perſeuerare liceret, eâ tamen lege, ne contrà Pontificum imperium arma capere cogerentur. omnia oppida hoc bello capta eis reſtituerentur; ſed quinquaginta, aureorum nummum millia Pontifici numerarent; ex quibus triginta millia, quamprimum à Friderico Ioannes Iordanus, & Paulus Vrſini liberarentur (Virginius enim ante paucos dies, vel febre, vel vt aliqui exiſtimârunt veneno, in Ouiarce ex hac vitâ migrârat) reliqua viginti millia intra octo menſes repræſentarentur: ſed Anguillaria, & Cereuittus, intereà pignoris nomine, in Aſcanij, & Sanſeuerinatis Cardinalium manus deponerentur. Qui in Soriano prælio capti erant, dimitterentur, prẹter Vrbinatium Ducem; pro quo liberando & ſi ſociorum Oratores laborarint, Pontifex, quia Vrſinos pecuniæ quæ ab eis petebatur ſoluendæ, niſi ex eius Ducis mulcta facultatem non habere ſciebat, id non vrſit. eius autem mulcta paulò poſt quadraginta millia aureorum nummum fuit conſtituta; & inſuper additũ, vt non antè dimitteretur, quàm Paulus Vitellius, qui in Atellæ deditione à Mantuano Marchione captus fuerat, abſque vllo pretio libertatem eſſet conſecutus. Pontifex parua cum dignitate, Vrſinorum bello liberatus, ſtipendio militibus, quos Conſaluus ducebat, perſoluto, ſuiſque adiunctis, hoc interim conſolationis habuit, quòd arcem Oſtienſem, quã etiam tum Cardinalis Iulianus obtinebat, & ex qua Monaldus Guerra præfectus, omnia Romæ infeſta faciebat, ſolâ oſtentatione tormentorum recuperauit, Monaldumque in ſpecie triumphi Romam adductum aſpexit, breui lætitia. Enimuerò domeſticam calamitatem, quæ domũ eius tragicis exemplis, & libidine, atque crudelitate, vel in quauis barbarâ regione horrenda perturbauit, effugere non potuit. Nam cùm ab initio vſque ſui Põtificatus, omnes opes, & temporalẽ potentiam in Gandianum Ducem, ſuum maximum natu filium conferre ſtatuiſſet, Valentinus Cardinalis, natu minor, qui animo prorſus à Sacerdotio alieno, ad rem militarem aſpirabat, quum ſibi hunc locum à fratre occupari ferre non poſſet, ac præterea etiam illum à quadam nobili muliere, quæ ab vtroque amabatur, ſibi anteferri ægrè ferens, libidine, & ambitione ad quęduis magnum ſcelus perpetrandũ potentibus miniſtris concitatus, noctu cùm ſolus per vrbem equitaret, clàm eum necari, atq; in Tiberim proijci curauit. Gandiani mors Alexandrũ in filiorum amore, ſi quiſquam alius, ardentiſsimum, nec fortunæ ictibus ſentiendis aſſuetum vehementiſsimè afflixit. certum enim eſt, eum à teneris ad eam vſque ætatem, ſecundiſsimo fortunæ curſu vſum fuiſſe. Quare eo caſu tantopere fuit commotus, vt in Senatu, quod *Conſiſtorium* vocant, poſtquam maximâ animi commotione, & lacrymis ſuam miſeriam grauiter deploraſſet, multaſque ſuas actiones, & vitæ modum, quem ad eum vſq; diem tenuiſſet, ipſe damnaſſet, grauiſsimis verbis ſe aliam rationem vitæ, & morum in poſterum inſtituturum aſſeuerauit; ſimulque è Purpuratorum numero certos delegit, quorum conſilio, atque opera in moribus, atque ordinibus Curiæ corrigendis vteretur. Huic rei cum per aliquot dies operam dediſſet; autorq; necis filij ſui, quæ initio Aſcanij Cardinalis, atq; Vrſinorum operâ procurata putabatur, pateſcere inciperet, laudabili prius propoſito deinde etiam lacrymis depoſitis, ad eas cogitationes, eaque opera, in quibus ad id vſque tempus ætatem contriuerat, impotentiore quàm vnquam anteà animi impetu reuerſus eſt. Cumque Cęſarem Cardinalem propter parricidium in Gandianum perpetratum minimè caſtigaſſet, quinimò abdicationem purpuræ facientem audiuiſſet, inque locum, & opes, & potentiam occiſi admiſiſſet, ingentem ſibi apud omnes inuidiam concitauit: vt non difficile foret Carolo, in Italiam mouere, quemadmodum ipſe deſiderabat. Artibus bonæ partis eorum, qui circa eum erant Carolus impediebatur. Alij varias ei proponebant voluptates; alij ad eam quidem expeditionem hortabantur, verũ tanto terrâ marique apparatu, tantaque rei nummarię confectione, vt ad ea perficienda longo admodum tẽpore opus eſſe videretur. Alij quauis difficultate, occaſioneque, vti negotium protelarent, abutebantur. Maclouienſis etiam à Sfortia corruptus, ſolita ſua in expeditione nummaria tarditate moras interponebat. Fama etiam erat, eundem Sfortiam Ducem, qui ſuis populis graues exactiones imperabat, multa Borbonio Duci, atque alijs, qui apud Regem autoritatẽ pollebant largiri. Præterea Ludouicus Aurelianenſium Dux, quantumuis omnia, quæ ad Italicam expeditionem neceſſaria erant comparaſſet, vtque Aſtam præiret à Carolo ſollicitaretur, ex Galliæ regno diſcedere cunctabatur, videns Regem ęgro ſemper corpore, qui ſi abſque liberis decederet, regnum ad eum ſpectaret. Sic, non modò in Italiam tranſeundi tempus magis, quàm antea incertum erat, verùm etiam quæ penè ad faſtigium erant perducta, concidere permittebantur. Nam Florentini, cũ eo ità conuenerant, vt ſimul, atq; ipſe bellum cœpiſſet, ipſi ab altera parte arma mouerẽt atque vt in hoc Obigninus cum centum 50. cataphractis, quorum Rex centum ſtipẽdia ſolueret, ipſi quinquaginta, mari in Etruriam, vt ipſorum exercitus Imperator eſſet, tranſiret. Mantuanus quoque à Venetorum ſtipendijs, cum victor è Neapolitano regno redijt, quod eum cum Rege Galliæ de ſe conducendo agere ſuſpicarentur, importunè remotus, nunc reuera eâ de re cum Rege agebat: Et Sabaudiæ nouus Dux in Regis amicitia erat confirmatus. Bentiuolus quoque vbi Rex Italiam attigiſſet, ſe ipſius, Pontificiſque autoritatem ſecuturum promittebat: an cum eo facere, vt continenter cum ipſo agebatur, deberet ambiguus, ſaltem ſe Regi non oppoſiturum promiſerat. At Regis conſueta tarditas, ac negligentia, omnẽ ardorem reſtinguebat. Nam, nec in Italiam, vt Aſtę congregarentur copiæ, vt ab eo promiſſũ erat tranſibant, nec Obigninus mittebatur: nec pecunia, quâ Vrſinis, ac Vitellijs ſtipendia perſoluerentur, explicabatur; res, ſiquidem bellum erat gerendum, magni momenti. Idcircò cùm Vitellij Venetorum facturi ſtipendia viderentur, Florentini Regem ea de re certiorem faciendi tempus non haberẽt, communibus ſuis, & Regis ſtipendijs eos in annum conduxerunt; quę res poſt cognita, ab eo fuit laudata, verùm nec confirmata, nec in eam pecunia miſſa; quin miſſo ad eos Gemellio, vt ſibi auri pondo mille, & quingenta in eam expeditionem commodarent, poſtulauit. Deinde aliorum voluntate ex ſua, vt ſæpenumero ſolebat, æſtimatâ, Lugduno repentè ferè diſcedens, Turones, inde Ambotiam, ſe breui rediturum, vt ſolebat, promittens, profectus eſt. quas ob res omnium, qui in Italia partes ipſius ſequebantur, ſpe fruſtratâ, Baptiſtinus Fregoſius, ad Mediolani Ducẽ, reconciliatâ cum eo gratia ſe contulit, qui animo ex his rebus recepto, indies magis ſuam in Venetos ob Piſanorum res indignationem conceptam aperiebat, Pontificemque, & Hiſpaniæ Regem inſtigabat, vt denuò, ſed ardore maiore de Piſis Florentinorum Reip. reſtituendis, poſtulata, ſermoneſq; renouarent. Hercules etiam Dux Ferrariæ, qui iam biennium arcem Gennenſem depoſiti nomine tenuerat, eandem Ludouico Sfortiæ genero ſuo reſtituit, prius tamen à Rege Galliæ poſtulauit, vt ſibi impenſarum, quas in eius arcis cuſtodiam feciſſet, medium repoſſeret. Id Rex, ſe perſoluturum affirmabat, ſi modò ſibi Dux





Caſtelletum traderet: quod quidem facere ipſum debere Rex dicebat, quòd Mediolani Dux pacta non ſeruaſſet. Reſpondebat ille, hoc ipſum nondũ eſſe demonſtratum, atque vt Ludouicus contumaciæ reus fieret, interpellationem intercedere debuiſſe. Se eam ſummam Rex depoſiturum pollicebatur, vt antè ſolutionem, an ſibi arcem tradere deberet, cognoſceretur. Verùm apud Herculem potiora fuerunt Venetorum generique ſui poſtulata; mouebatur enim non ſolùm precibus, ac delinimentis Ludouici, qui paucis diebus antè, Archiepiſcopatum Mediolanenſem in Hippolytum Cardinalem, filium ſuum contulerat; ſed multò magis quòd periculoſum exiſtimaret, odium vicinorum præpotentium, in tempore pręſertim, quo indies Gallorum aduentus ſpes magis, ac magis imminuebatur, prouocare. Itaque ex Gallica aula Ferrando filio ſuo reuocato, Caſtelletum Sfortię tradidit. Ludouicus porrò Sfortia, cum Piſanam prædam, quam ipſe tanto labore, totque artibus excitaſſet, perſecutuſque eſſet, Venetis, vt manifeſtè futurum apparebat relinqui, ferre non poſſet; id, quod viribus adipiſci non poterat, conſilio aſſequi cupiens, cum Pontifice, & Hiſpani Regis, quibus tanta Venetorũ potentia moleſta erat, Oratoribus egit, proponerent ad Gallos omnibus adiumentis in Italia priuandos, atque eam totam ad concordiam reducendam neceſſe eſſe Piſarũ reſtitutione Florentinos, poſtquam id alia ratione fieri non poterat, in commune fœdus aſſciſcere; quod dum ab alijs erant ſeiuncti, Galliæ Regem; vt in Italiam veniret, cohortari non deſiſterent: qui ſi veniſſet, poſſe illos pecunijs, & copijs ſuis, cum præſertim mediâ in Italia ſint collocati, res non paruas efficere. Sed huic ſententiæ quaſi communi ſaluti valdè pernicioſæ, à Veneto Oratore repugnatum eſt. Afferębat enim, eam eſſe Florentinorum in Galliæ Regem propenſionem, vt vel hoc beneficio in eos collato nequaquam, niſi promiſſorum ſeruandorum idoneam cautionem dediſſent, illis eſſet fidendum. In tanti autem momenti rebus, nullam niſi Ligurnum in fęderatorum manus deponerent cautionem idoneam eſſe. Quod ille artificiosè, vt, cum illos nunquam locum tanti ad imperium ipſorum momenti depoſituros ſciret, maiorem contradicendi facultatem haberet, proponebat: quo, vt cogitauerat, facto, tantâ vehementia ſeſe oppoſuit, vt cum Pontifex, & Mediolanenſium Ducis Orator, nè illos à fœdere ſuo alienarent, repugnare non auderent, id colloquium omiſſum ſit. Et noua à Pontifice, & Venetis ad Florentinos vi à Gallica ſocietate diuellendos ratio introducta quia ijs, qui de eis lædendis cogitabant, peruerſus eius ciuitatis ſtatus, animum augebat. Erat enim inter ciues non parua diſſenſio, ex Reipub. forma orta. Nam cum primò popularis ſtatus eſt conſtitutus, ea temperamenta adhibita non fuerant, quæ & libertatẽ idoneis modis firmarent, & ne Reſpub. multitudinis imperitiâ, atque licentia perturbaretur prohiberent. Ideo cũ amplioris cenſus ciues minoris, quàm equum videretur, fierent, & viciſsim illorum ambitio populo eſſet ſuſpecta, multique ſæpè grauibus deliberationibus intereſſent, qui ea non ſatis intelligerent, & altero quoque menſe ſupremus Magiſtratus; ad quem difficillimarum quarumcumque rerum ſumma referebatur, mutaretur, Reſpub. admodum perturbatè adminiſtrabatur. His accedebat magna Hieronymi Sauonarolæ autoritas, cuius auditores ferè tacitè conſpirauerant. cumque multi inter eos honeſti ciues eſſent, & contrariam factionem numero etiam ſuperarent, Magiſtratus, & honores multò magis in eos, qui illum ſequebantur, quàm in alios diſtribui videbantur. eamque ob cauſam cum ciuitas manifeſtè eſſet diuiſa, altera pars, alteram in publicis conſeſsibus impugnabat: neque vllam publici boni rationem, vt in diuiſis ciuium ſtudijs accidit, quo aduerſariorum exiſtimationem euerterent, habebant; Harum perturbationum periculum augebat, quòd præter longas moleſtias, & graues ſumptus ab ea ciuitate factos, ſumma eo anno erat annonæ penuria: ex quo exiſtimari poterat, plebem fame oppreſſam, res nouas exoptaturam: quæ omnia Petro Medici Romæ id temporis hærenti, præter has occaſiones à nonnullis ciuibus excitato, ad exoptatum finẽ facile perueniendi ſpem fecerunt. Quare conſilijs ſuis cum Sanſeuerinati Cardinale ſibi veteris amicitię iure coniuncto, & cum Aluiano communicatis, clam etiam à Venetis, qui Piſanas res, Florentinorum moleſtijs firmari exiſtimabant, incitatus, vt per inſidias Florentiam ingrederetur, conari ſtatuit: præſertim verò certior factus, vbi Bernardum Nerũ grauem, & magna autoritate virum, veterem, & parentis, & ſuum amicum, Vexilliferum, quæ ſumma erat in Repub. dignitas, creatum; & nonnullos alios, quibus ob veteres clientelas potentiam ſuam gratam fore cẽſebat, ad eundem Magiſtratum euectos. Huic conſilio, & Alexander Pontifex, qui poſtquam Florentinos à Galliæ Rege beneficijs diſiungere non potuerat, iniurijs facere cupiebat, aſſenſus eſt: neq; Dux Mediolani, quòd ſe ob præſentis ſtatus perturbationem, firmum aliquod fundamentũ, ſocietatem ve cum ea ciuitate habere nõ poſſe cenſeret, quamuis nec Petri cùm ob iniurias ei illatas, tum quia ne nimiùm ex Venetorum autoritate penderet, metuebat, reditus ei placeret, repugnauit. Coacto igitur exercitu, iubente, & ſuppeditante ſumptibus Pontifice Petrus Florentiam iter arripuit, ea ſpe, vt cum repente in ipſo diluculo eo perueniſſet, ſe facilè vel caſu quopiam, vel tumultu, quem ipſo ſe exoriturum, ſperabat, ingreſſurum exiſtimaret. quod Cõſilium fortaſſe vanum non extitiſſet, niſi fortuna eius aduerſarios adiuuaſſet. Nam cùm prima noctis vigilia, ad Tabernulas, quæ ſunt nonnullæ domus in Regia à Senis viâ poſitæ, eo conſilio, vt maximam partem noctis ambularet, caſtra poſuiſſet, magna pluuia ſuperuenit, quæ tantum ei impedimenti attulit, vt niſi multas horas poſt ſolis ortum Florentiam peruenire non potuerit. quæ mora, ijs qui ſe eius peculiares hoſtes profitebantur (plebs enim, & ferè omnes reliqui ciues otioſi, rei exitum expectabant) cum amicis, & clientibus arma capiendi, & vt Magiſtratus ſuſpectos ciues in prætorium vocarent, ibique eos detinerent, curandi, & ad portam, quã Senas itur, globum militum faciendi ſpatium conceſsit, adeò vt cum nullus in ciuitate motus oriretur, nec, Petrus portam, cui ad arcus iactum appropinquarat, vi perrumpere poſſet, vbi quattuor horas ibi hæſiſſet, irrito conatu Senas redijt.

*Petri Medici conſilio aſſentitur Pontifex.*

IV. *De eodem Mediceo Sauonarolæ prædictio adimpletur.*

Hieronymus Benitienius ciuis Florentinus, teſtatur, in litteris ad Clementem VII. anno Domini, 1530. Calend. Nouemb. ſcriptis, quando is iam octuagenarius erat, & Clemens VII. nonnulla aduerſùs Sauonarolam ſublatum decernere parabat; ſe à Philippo Ariguccio, vno ex Decem viris hoc anno 1497. miſſum, qui Sauonarolam totius periculi à Petro Mediceo hoc ipſo ferè momento imminentis admoneret; Petrum, equeſtres, & pedeſtres copias collegiſſe, Florentiam properare, iam S. Caſsiani oppidum ſuperaſſe, Magiſtratum ſupremum non benè inter ſe conuenire, Bernardum Nerium, hoſti libertatis fauere, omniaque in ſupremo diſcrimine eſſe; his autem Sauonarolam, ſubridentem reſpondiſſe; *Modicæ fidei, quare dubitaſti?* adiunxiſſeque; *Nè trepidarent: quandoquidem Deum præſentem adiutorem haberent. Iret, & Magiſtratui renunciaret, Petrum quidem portæ Romanæ appropinquaturum, ſed Florentiam, neq; ea die, neque vllo vnquam tempore intraturum, aut aliquid in Repub. Florentina amplius nouaturum: quando ſibi ſtatutum eſſet, pro eius Reipub. incolumitate Deum precibus fatigare.* Euenit, quod prædixit: Petrus, rebus infectis, retrò receſsit: paulò poſt quorundam ſtudia in eum patefacta. quamobrem non pauci nobiles ciues capti, alij fugâ elapſi, poſt autem coniuraſſe conuicti, rei capitalis condemnati fuerunt, non ſolùm Nicolaus Ridulfus, Laurentius Tornabonus, Ioan-

norius Puccius,& Ioannes Cambius,qui Petrum,vt ad vrbem veniret,ſollicitauerant,& Laurentius,qui ei ad hoc pecuniam cōmodauerat,verùm etiā Bernard. Nerius ob eam præcipuè cauſam, quòd cum de coniuratione intellexiſſet,eam non patefeciſſet. quòd peccatum alioqui legibus Florentinorum, & iuriſperitorum ſententiâ capitale, eò grauius fuit, quòd cum Petrus Florentiam venit,ipſe Reipubl. Vexillifer eſſet; quaſi in eo Magiſtratu magis publicæ perſonæ munus,quàm priuatæ obire teneretur. Reorum exilio,in iudicij ſeueritate plurimi contenti fore videbantur; niſi Franciſcus Valerius, aduerſariorum Petri facilè princeps, Magiſtratum à mitioris pœnæ decreto,totaque ciuili lenitate deieciſſet. Erat is Bernardo Nereo maximè infenſus ex vetere priuata ſimultate. Hunc quum omnino oppreſſum cuperet,vllâ pietate adduci non poterat, vt cæteris parceretur, vti in eadem causâ, pari periculo implicitis, quamquam his, & antè alios Ridolfo,& Tornabo, amicitiâ,& familiaritate maximè eſſet coniunctus. Damnatorum propinqui, cùm illos ſupplicio addictos ſupremo accepiſſent, populi Comitia,legis cuiuſdam vi, quando populi poteſtas fuerat conſtituta, latæ appellârunt. Valorius,& alij condemnationis eius authores,veriti, nè ætatis,ac nobilitatis miſericordiâ, propinquorumque multitudine, in populi animis iudicij ſeueritas mitigaretur, obtinuerunt, vt in minore ciuium numero conſultaretur, eſſetnè appellationis perſecutio admittenda, an prohibenda. Horum authoritate, & numero, qui rem periculoſam,atque ad ſeditionem excitandam pronam eſſe dicerent,vincente;afferrentque legibus iiſdem concedi, vt tumultus vitandi causâ in eiuſmodi re leges ſilerent, quidam ex ijs, qui in ſupremo dignitatis gradu ſedebant, ſiue rationibus, ſiue impetu quodam, & propemodum vi, & minis fortè iuſtis aſſentiri, vt eadem nocte interficerentur compulſi fuerunt. Hinc verò Sauonarolæ maxima inuidia conflata;quaſi in ipſius arbitrio fuiſſet,ſui ſtudioſos deterrere ab ea lege appellationum violandâ, quam ipſemet paucos antè annos, quaſi admodum ſalutarem, atque ad libertatem conſeruandam neceſſariam, rogâſſet: cùm tamen is ipſe Sauonarola, non tantùm legibus ſeruandis, aut temperandis, aut Reipub. in ſingularibus caſibus, factiſue,non ſe intermiſceret, verùm etiam & à concionandi munere ſæpe ſæpiùs abſtineret;nè ſalcem in alienam meſſem mittere videretur:& pacem,concordiamque ciuium,quam inculcabat,aliqua re vel minimâ perturbaret. Valorium quamquam inter diſcipulos habuit,non potuit tamen eius ſiue odium, erga Nerium olim conceptum, ſiue iuſtam erga coniuratos,vindictam mitigare: præſertim ſi hi libertati ciuitatis per Petrum Mediceum, quem introducere cupiebant,inhiarent. Tantundem enim erat illum Florentiam introducere, quantum ſtatum ciuitatis popularem euertere: quandoquidem non alio conſilio illum euocabant,niſi vt ille abſolutum eius vrbis dominium occuparet. *Guiciardinus lib. 3. Iouius lib. 4. & in Leone decimo, Nerius li. 2. Mariana lib. 26. Oſorius lib. 1. Proceſſus Sauonarolæ, Ioannes Bruchardus Argentinenſis Prothonotarius,& Clericus Apoſtolicus in notis diarijs huius anni.*

**V.** *Sauonarola infirmos liberat,& dæmones terret,& ſpiritu Prophetico claret.*

Hoc ipſo tempore Sauonarola, Carolum Pittium ciuem Florentinum, cuius ſupra, meminimus ſanitate donauit. Is dum Florentinorum exercitum ex officio iniuncto recenſeret, decidens è teatro corruente crus fregerat. quo cùm diu acriter ità torqueretur, vt vix rependi,nedum ambulandi munus impleret, ad cellam Hieronymi ſe deferri poſtulauit. In ea cum poſitus fuiſſet, multis cum eo agere cœpit, vt opem ſibi ferret. Ille diutiùs,rei,quam petebat,aduerſatus, vbi ægrum nunquàm diſceſſurum audiuit, niſi voti compotem,ſeceſsit aliquantulum,& poſitis genibus, fuſiſque ad Deum precibus reuerſus, proteſtatuſque, non ſuis meritis, ſed clementiæ diuinæ,quod futurum erat,adſcribi debere, digitis dexteræ, quibus hoſtia ſalutaris teneri ſolet, Caroli fæmur Crucis ſigno delineauit,illud Pſalmi repetens, *Super aſpidem, & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem*, actutumque robur,& vigor acceſsit, vt ſuis pedibus domum repetere potuerit. quod Thomas Caianus,& Bonauentura Dominicani, ab ore ipſius Pittij retulêre. Tanta etiam Hieronymo id temporis poteſtas in dæmones fuit, vt ſolo Bibliorum Sacrorum volumine tranſmiſſo, ſi quem ex Sodalibus mittere non poſſet,rabiem illorum frenauerit. Per id quoque temporis Hieronymus Thomam Soderinum, annos XVIII natum,Pauli Antonij F. ab incurabili infirmitate, & penè iam à morte liberauit. Iacebat miſer à Medicis derelictus,pater,quia vnicum illum habebat, grauiter afflictus,ad Sauonarolam opis petendæ gratiâ aduolauit. Quò cùm is orationi incubuiſſet, Hieronymus Dominico Piſcienſi, Priori Feſulano,qui tunc ad S.Marci venerat, in virtute S. Obedientiæ iniunxit, iret ad domum Pauli, & ægrotum ſurgere è lecto ſanum iuberet. Difficilis res viſa Dominico. iuit tamen, & Thomæ proximus iam ferè animam agentem reperit. Viſum illi inprimis, moribundum de gaudijs paradiſi,ad quę properabat,admonere. Eâ diſſertatione tantum moriendi deſiderium adoleſcenti iniectum,vt mille anni viderentur aliquot momenta,quibus mortem expectabat. Inde interrogauit, An cuperet ſanari? Quo abnuente,& amaritudinem animi toruo vultu exprimente,nec aliquid aliud,quàm paradiſi gaudia cupiente; Dominicus manu illius apprehensâ,infirmitatem depulit, ac ſanum è lecto eduxit. Iuliano Ottonio Medico teſtimonium perhibente, miraculosā fuiſſe ſanationē,meritis obedientię attributā.

**VI.** *Sauonarola impetitur à Ludouico Sfortia, & à diuerſorū Ordinum Regularibus.*

Hoc ipſo tempore Florentiæ medicinam exercebat Bernardus Banducceus. qui filiam ſuam virginem, Rauennæ habebat inter Sanctimoniales profeſſam. Huic Hieronymus perſuaſit, vt illam traduceret Florentiam, & in aliquo Virginum cœnobio collocaret: non multò pòſt futurum,vt illam Rauennæ nollet videre. Annis conſequentibus, Rauenna à Gallico exercitu vaſtatâ, Monaſterium quoque illud furorem militarem cum minimè effugiſſet,Banduccio fidem poſteà fecit,Hieronymum ſpiritu Prophetico claruiſſe.

Intermiſerat inter hæc Sauonarola,vt dixi, munus concionandi,ne animos aduerſariorum irritaret. Ludouicus Sfortia,autor omnium contrà Rempub. Florentinam technarum,cui Sauonarola tàm irritos futuros eius conatus,quàm extremam calamitatem, hoc inuolucro, *Venient gallinæ, & deuorabunt vulpes* prædixerat,minimè tolerans,tantam in Repub. viri autoritatem, præter hoc,quod Alexandrum Pontificem in illum inflammare per Cardinalem Aſcanium fratrem non deſiſtebat,etiam quendam Minoritā ex his, quos Obſeruantes dicunt,Florentiam ſubmiſerat, qui hominis conciones,& inſtituta exagitaret, & ſi qua poſſet contumeliā, illum afficeret. Multi alij aliorum ordinum regulares ſiue inuidiâ moti,ſiue ab aduerſarijs incitati,eadem tentarunt. Angelus quidam Monachus Vallis vmbroſæ, epiſtola ſcripta idem conabatur; & quidam alius Monachus Florentiam veniens eadem veſtigia premebat,in Sauonarola perſequēdo. Verùm tamen irritus omnium tuis conatus; nemine potente reſiſtere doctrinæ,& ſapientiæ Hieronymi. Nouiſsimè Philippus Corbius Vexillifer ſupremus, ſed parū Hieronymo addictus, adniſus eſt hominem multitudine,& autoritate virorum illuſtrium opprimere. Itaque omnes Abbates, Priores, & Præſidentes omnium quotquot numerabantur Florentiæ cœnobiorum,tam Obſeruantiū,quàm Conuentualiū, Doctores Theologiæ,& iuris vtriuſq; duos Canonicos Cathedralis Eccleſiæ,totidē S. Laurentij plurimos ciues ſcientia & vſu rerum præſtantes, in Concilium euocauit,qui præsēte Marſilio Ficino Canonico,ſed magis Platonico,quàm Chriſtiano,in aula Palatij cōgregati, Sauonarolam conuincerēt, coarguerentque. Primus ex eis Ioannes Carolus Florentinus, Cōuentualis





ex Cœnobio S. *Mariæ* Nouellę Dominicanus,homo in opinione populi eruditus,illum aggreſſus, verbis illis Paulinis, *Nemo militans Deo,implicat ſe negotiis ſecularib.* modum concionandi illius, quaſi inſolitum., & ſtudiū in formanda Repub. reprehendere inſtituit: Huic Sauonarola,cōciones ſuas,ad modū Apoſtolicū,& veteru patrū elaboratas,pronunciataſq; rebus,& exēplis demōſtrauit. deinde ſtudiū in formāda Repub. nō ſeculare eſſe rationib. inuictiſsimis oſtēdit; quādoquidē illud, quod ſalutem animarum, extirpationem vitiorum,profectum virtutum,amplificationem cultûs, & religionis, veteris diſciplinæ in populo Chriſtiano inſtaurationem reſpicit, ſpirituale ſit, non ſeculare. Mirari ſe deinde dixit, quâ fronte auſus fuerit,vnus ſui eiuſdem inſtituti, primus in aciem prodire, ad ſe oppugnandum: vt & ipſe quoque ex verò vſurpare illud poſsit; *Filij matris meæ, pugnauerunt contrà me.* Secuti ſunt alij hominem impugnare ex ordine. Cæterùm ille armis Sanctæ Scripturæ, & Sanctorum Patrum,omnia illorum argumenta, mirâ manſuetudine, ac pari doctrinâ refutauit: vt diceret, *Sæpe expugnauerunt me; & enim non potuerunt mihi.* Ad extremum,cùm non poſſent reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui qui loquebatur, vnus ex eis interrogauit;diceret: An ea,quæ prædicaret,& quæ prædiceret,haberet à Deo, an non. Cui ille reſpondens Chriſti verbis; *Ego palam locutus ſum mundo, & in occulto locutus ſum nihil*,obſtruxit os ſcrutantium iniqua. *Mſ. vitæ Sauonarolæ c. 39.*

**VII.** *Marſilius Ficinus, & alij ad meliorem vitæ frugem conuertuntur à Sauonarola.*

Sanè Marſilius Ficinus, audito Sauonarolâ, dixit, ſe hactenùs neminem tàm profundâ doctrinâ vidiſſe, aut audiuiſſe. Quamobrem ab eius ſermonibus conuerſus,reliquum vitæ Sanctitati dedicauit, & pro Sauonarolâ apologeticum doctiſsimum ſcripſit. Oliuerius,Canonicus pariter maioris Baſilicæ Florentinæ, Magnus in Piſana vniuerſitate Philoſophus, atque Theologus, poſtquàm Sauonarolam diſſerentem audiſſet, diſcipulis, & ſectatoribus ſuis dicere non dubitauit. *Eamus, & librum ac palmam doctrinæ homini feramus, quam nos minùs dignè vſurpamus.* Nicolaus Schombergius Saxo, ſtudioſus hoc tempore iuris, Sauonarolæ, & conuerſionem ad meliorem frugem, & habitum Ordinis Prædicatorum, quem è manibus ipſius, eo ferè momento, quo laurea Doctorali erat inſigniendus, ingenti cum ardore ſpiritus accepit, debet: in quo tantos virtutum profectus fecit, vt aliquot poſtea annis, primum à Leone decimo, Archiepiſcopus Capuanus, deinde à Paulo tertio, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis ſit renunciatus. Ioannes Picus Comes Mirandulæ, atque Concordiæ, hac eadem tempeſtate Phœnix Doctorum, tantum ab auditione Sauonarolæ profecit, vt & ipſe quoque Dominicanum inſtitutum amplecti decreuerit. Alfonſus Regio Aragonum ſanguine ortus, vnà cum multis Sodalibus Hiſpanis, Prædicatorum Ordinem Profeſsis, auditâ famâ Sauonarolæ Florentiam aduolauit,& Cōgregationi Marcianæ nomen dedit. Simon Petra Sanctanus, Theologus eximius; Clemēs Hebræus, Pici præceptor, Hæbraicè, Chaldaicè, Syriacè, doctiſsimus. Zanobius Aciaiol[9]; Latinè & Grecè erudit[9], Bibliothecæ Apoſtolicæ poſtea præfectus; Gregorius Veſputius præceptor Aciacioli Thomas Seraticus in politiori literaturâ nemini ſecundus: Hieronymus Beniuenius humanioribus ſtudijs excultus; Bartholomæus Fontius profeſſor Theologiæ publicus: Apollinaris Viterbienſis Philoſoph. Medicus, & empyricus inſignis;nec nō alij complures nobilitate, moribus,& eruditione præcellentes, ab eloquio Sauonarolæ ſpiritu meliore concepto, S. Dominici Sodalitiū impleuerunt. quin & innumerabiles aliorum Ordinum viri, à Cōcionibus eiuſdem ad amorem perfectionis incalefacti,nouā vitam inſtituerunt;adeò vt Cœnobitæ Camaldulenſes,Florentiæ ad Angelos tunc demorantes,& Minoritæ plerique Feſſulani Monaſterij, habitum, & inſtitutum ſuum cum Dominicano permutauiſſent,niſi Sauonarola prohibuiſſet. Inter Minoritas Georgius Benignus Theologus publicus Piſanus, vir inſignis, factus poſteà Epiſcopus, cùm Sauonarolam diſputantem audiuiſſet,manus ei dedit,& inſuper pro eo accuratā apologiā contrà aduerſarios ſcripſit. Sanctimoniales pariter diuerſorum Ordinum, quamquā ipſum Sauonarolam minimè vidiſſent, aut audiuiſſent; ex ſola aliorum de eius dictis, & factis relatione, vel Concionum lectione, ad ſeueriorem diſciplinam, quamquam repugnantibus tepidis ſuperioribus, aſſurgebant. Quando verò is verba ad populum aliquando faciebat, Baſilica quantumuis ampliſsima auditores non capiebat: confluentibus promiſcuè omnis ætatis,ordinis, & ſexûs hominibus, qui clauſis eouſque, quoad Concionaretur, tabernis, & apothecis, ab omnibus feriati, ad illum veluti ad aliquod oraculum accurrebant. Solebat inuehi, inprimis in vanitatem aſtrologiæ diuinatoriæ,in poetarum laſciuiam,in ſortilegos,& Magos,alioſque curioſæ ſcrutationis authores: reprehendere præterea non deſinebat omne genus, non tantùm flagitiorū, verùm etiam his affinium ludorum,oblectationum ſenſus,& quę ad ſcelus excitare poſſent. Commendabat ad ſummum omnes virtutes, nihilque magis frequens in ore habebat, quàm normam perfectionis Chriſtianæ, ad quam componere omnes ſatagebat. Præcipuè illos arguebat, qui ſolo nomine Chriſtiani,res fidei Chriſtianæ irridebant;& omnia præter exteriores ceremonias flocci faciebant; nec nō aſſertores dogmatum,& myſteriorum impugnare non verebantur: quibus viuis,& efficacibus argumentis veritatem doctrinæ Catholicę demonſtrans,eorum cęcam proteruiam confundebat. Horum,& aliorum conſceleratorum plurimos ad ſanam vitam reuocauit: qui quòd exitus lacrymarum ab oculis, ad ablutionem criminum ſuorum deducerent,dies,noctesque *Plangentes* ab inſolentibus aliquibus dicebantur. Inde introductâ frequentiâ Sacramētorum Pœnitentiæ,& Euchariſtiæ,vt præ innumerabili numero,ad ea ſingulis ferè diebus in Sancti Marci templo confluentium, ſinguli ferè dies Paſchatis inſtar eſſe viderentur. Inde ferè Regularis vita inter ſeculares innumerabiles Sauonarolæ auditores introducta, quando ij, ad matutinas preces de nocte domi ſurgerent; preces Regularium ordinarias, recitarent; diuiniſsimo Euchariſtiæ Sacramento percepto, viginti, triginta, quadraginta, & ampliùs ſimul congregati, vel domi,vel foras in aliquem ſecretū locum prodeuntes, diuinas laudes perſonarent; res malè quæſitas, abundè reſtituerent; peregrè venientium ad audiendas Conciones Sauonarolæ multitudinē, 20 30. & 40. ſinguli domi,ſuæ cibo,potuq; recrearent,ac rigorē, ſimplicitatē, innocentiā, liberalitatē Priſcorū Chriſtianorum repręſentantes; vitam Angelicā in terris tranſigerēt: orationibus attenti, abſtinentiâ & ieiunijs extenuati; cilicis,& diſciplinis aſſueti, mortificationem Ieſu Chriſti in corpore ſuo circumferentes. Tanta fuit eorum abſtinentia, vt oportuerit lanionibus vectigal carnium imminuere Florentiæ, à quibus hi plerique abſtinentes, ioſis, vel lacticinijs, vel Quadrageſimalibus cibis vitam tolerabant. Matresfamilias, pueros vix balbutientes diuinis officijs recitandis aſſuefaciebant, cumque illis, & domi, & per viam incedentes recitabant. Reiectis domo vel exuſtis vanis, prophaniſque libris, aut vitas Sanctorum, aut aliqua ſpiritualia opuſcula,manu diurnâ, nocturnaque verſabant. Matrimonia ſi quandò iungebantur, nonniſi parentes, & amici DEVM timentes vocabantur, ad frugale conuiuiolum; vbi Sacerdos aliquis præſens Tobiæ hiſtoriam exponeret. Ab eius ſermone, Prophanum putabant, eo die commiſceri; ſed totum in exercitijs ſpiritualibus conſummabant, menſarum analecta, & facultatum ſuperflua in eleemoſynas diſtribuebant: aliqui votum continentiæ, aut virginitatis perpetuæ concipiebant. mulieres ad præſcriptum Paulinum & viuebant,& ſe ornabant. Recreationum ſpi-

ritualium conſuetudine abdicatis omnino ſenſualibus introducta, hunc tenorem perpetuò obſeruabant. Audito ſacro, diuino, pane refecti, ſiue domi, ſiue in ſuburbano aliquo, *Ieſuli*, vel Crucifixi, vel Reginæ cælorum imaginem vel in altariolo locabant, vel in proceſsione deferebant, hymnos myſticos, non ſine multa lacrymarum profuſione concinentes. Die Sancti Ioanni Baptiſtæ ſacro, quo Florentinorum multitudo ludis varijs intenta, per multa flagitia nomen Chriſtianum infamabat, ad S. Marci concurrebant; vbi Sauonarola in ſecundo cœnobij clauſtro piam aliquam imaginem in altari exponebat, & pro concione populum non ſolum ad deuotionem, ſed etiam ad pietatis, & virtutis ſtudium inflammabat. Idem pro feſto Aſſumptæ in cœlum Virginis faciebat: cuius imaginem varijs floribus, & frondibus, in epiſtola Sacrificij occurrentis enumeratis ornabat, additâ ſententiâ ſacræ Scripturæ in ſcripto ſingulis ſtirpibus attributâ; vt cedro, *Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano.* oliuæ, *Quaſi oliua ſpecioſa in campis.* palmæ, *Quaſi palma exaltata ſum in Cades.* & alijs, alia propria themata; quæ inter concionandum laudibus Triumphatricis amplificando applicabat. *vbi ſuprà c.40.*

VIII. *Magnos idem fructus facit in refrenanda iuuentute Florentina.*

Sed non facilè æſtimari poſſunt fructus, quos Sauonarola fecit, in refrenanda, formandaque iuuentute Florentina: Diſſolutis moribus ea priùs viuebat; nec monitis parentum, nec vllis legum frænis coërcita. Pueri, adoleſcentuliqúe, priùs vanitates, luxum, laſciuiam, moreſque omnes turpes addidicerant, quàm pietatem, ſimplicitatem, puritatemque Chriſtianam. Hinc nullus Dei metus, nulla ſacrorum reuerentia, nulla ſalutis cura, nulla parentum, aut maiorum, aut legũ æſtimatio: alea, ludi, proſcænia, proſtibula, popinæ, pro tenera ætate: impudentia, contumacia, & contemptus ſalutarium apud iuuenes, puerosque, in quibus nihil ſanctum, nihil ſanum in moribus apparebat. Doluit ea res Sauonarolæ; quamobrem in id præcipuè incubuit, cumque Magiſtratu, & ciuibus communicato conſilio, tàm concionibus, quàm perſuaſionibus priuatis feliciter effecit, vt illa ætas frænum libentiſſimè acceperit, nouamque ſanctimoniæ viam alacriter fuerit ingreſſa. Iſtud cõſilij ad alliciendos excogitauit. Sodalitatem Iuuentutis, certis ſub legibus inſtituit, & ad eam ineundam, primò non paucos pueros, & adoleſcentulos, propoſitis quibuſdam honorum premijs perſuaſit; quandò Præfectum generalem, Vicarium, Conſules, Eleemoſynarios, Theſaurarios, Propræfectos Regionarios, Luſtratores, inquiſitores, correctores, & alios adminiſtros rei illorum publicæ deſignauit, ærariumque commune conſtituit. His titulis ſpecioſis iuuentus inuitata, gregatim nomina Sodalitati dabat. Nemo verò adſcribebatur albo Sodalitatis, niſi priùs profiteretur; ſe fore filium IESV CHRISTI, ac Reginæ cœlorum, ſe mandata Diuina, & præcepta Sacræ Romanæ Eccleſiæ inuiolabiliter, atque omni diligentiâ ſeruaturum. Sacramenta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ frequentaturum. Feſtos dies in rerum diuinarum contemplatione, & actione tranſacturum. Concionibus, & rei diuinæ omnino aſſuturum. Orationibus, & pijs exercitijs vacaturum. A publicis ſpectaculis, teatris, choreis, comœdijs, ludicris omnibus fugiturum. Libros laſciuos, & profanos, nec lecturum, nec auditurum, nec retenturum. Societatem prauorum vitaturum. Nec gladiatoriam, nec tripudiatoriam, nec luctatoriam artem; neque teſtitudinum, tibiarum, aut eius generis muſicorum inſtrumentorum, quæ vanitati, aut laſciuiæ ſeruiunt, ſcientiam diſciturum. Cincinos capitis deciſurum. Veſtem ſtatui ſuo decentem, induiturum; ſuperfluitates, & ornatus potiùs meretricios, quàm maſculinos, cultui corporis numquam adhibiturum. Chriſtianæ profeſsioni, quam quiſque in baptiſmo feciſſet, ex præſcripto veteris diſciplinę, & ex inſtitutione P. Sauonarolæ reſponſurum. Scholas, in quibus non gentiles Poetæ, aut Oratores, ſed Chriſtiani profeſſores Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, prælegerentur, aditurum. His, & alijs legibus, ad virtutem manuducentibus, pueri ad eam Sodalitatem admittebantur, tantâ frequentiâ, vt breui tempore ad VIII. M. numerarentur: tanto cum profectu, vt à pietatis, & moderationis ſtudio Angelis ſimiles viderentur: tanto cum ciuitatis animarum fructu, vt eorum exemplo, & conatu, multi abuſus, & præſertim Bacchanalium tempore fuerint omninò ſublati. Mos erat diſſolutis, omnes exitus viarum vrbicarum trabe tranſuersâ his diebus concludere, neque vllum permittere tranſire, qui priùs aliquid non ſoluiſſet. Puellæ innubiles, & recens nuptæ, magnam ibi iacturam pudoris pati cogebantur. Pecuniam porrò inde collectam, in commeſſationes, ebrietates, impudicitias illi expendebant. Hunc barbarum morem Sodalitas puerorum eliminauit; quandò protegente Magiſtratu ad ſingulos angulos viarum, altariolo erecto, imagineque aliquâ piâ ſuperimpoſitâ, hymnos ſpirituales decantabant, & eleemoſynas in pauperes erogandas flagitabant. Magis barbara fuit alia conſuetudo, quando homines in turmas diuiſi, ſaxis ſeſe appetebant, vulnerabant, quin & occidebant. Et hanc quoque Sodalitas puerorum ſuſtulit, inſtitutis per vicos, & plateas vrbicas ſupplicationibus deuotis. Alia præter hæc fuit conſuetudo ijſdem diebus. Carniſpriuium, in formam idoli conformabant, & in capite viarum ſtipitibus altiſsimis vel trabibus erectis imponebant: mox omne lignum, liquamenque flammis concipiendis, in aggerem componebant; atque pridiè Quadrageſimalis ieiunij exurebant; ſed non ſine cæde plurimorum; qui partim ſaxis, partim gladijs, partim alijs armis circum ſtipitem feralem in modum confligebant. Eas quoque gentilitatis reliquias pueri extirpàrunt, deque omni vanitate incredili quodam, felici tamen auſu triumphàrunt.

IX. *Ipſi pueri Legationẽ ad Magiſtratum inſtituũt.*

Ad imitationem Commiſſorum, ipſi quoq; infantes in vnum conuenientes, Legationem ad ſupremum vrbis Magiſtratum adornarunt. Eius ſumma erat. *Rex, Regum, & Dominus Dominantium Ieſus Chriſtus, pro ſua ineffabili clementia, dignatus eſt Rempub. Florentinam, à tyrannide, in libertatem vindicare, ſuique peculij illam ideo facere, vt omnes abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria ſobriè, iuſtè, & piè viuerent, ac veteri abiecto exuuio, nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt, induerent. Eius rei deſiderio, inflammatos omnes teneriori ætate Sodales, nomina Congregationi, quam ſanctiſsimam, & piiſsimam exiſtimarent, inſcripſiſſe, certiſq; inſtitutis ſeſe aſtrinxiſſe; vt ab adoleſcentia conſueſcerent, iugum Domini ſuauiſsimum portare. Cæterum cùm ad ſe quoque pertinere puteret ſalutem aliorum, vt ex ore infantium, & lactantium Deus perficiat laudem ſuam, ac deſtruat inimicum, & vltorem humiliter flagitare; vt ad vtilitatem publicã, diuino lumine præluc ente excogitata, poſsint exercere: quandoquidẽ & ipſi pro ſuo poſſe cuperent, cooperari S. Prophetis, quos ad inſtaurationẽ vitæ Chriſtianæ, Deus, hoc tempore delegerit.* Lachrymas excuſſerũt, vniuerſo Magiſtratui, verba Oratoris. Quamobrem collaudato eorum ſtudio, comprobatiſque inſtitutis, non modò exercitium rerum ſpiritualium permiſerunt, verùm etiam edictis, & excubitoribus publicis eos munierũt, nè quis impedimento eis foret, ad ea, quæ decreuerant pro pietate faciendâ. Itaque oſtiatim domos adeuntes, cum omni manſuetudine, & humilitate, anathemata, ſeu res diuinâ, vel humanâ lege, aut conſuetudine Chriſtiana interdictas, turpes, indecoras, luxus, & laſciuiæ fomenta, ſibi tradi poſtulabant; ac his, qui domi habuiſſent, nec tradere voluiſſent, anathemata à Deo, ex præſcriptâ formulâ imprecabantur, ſi quam etiam cælibem, vel nuptam, ineptè, & ad oculos ſeculares comptã animaduertiſsẽt, his verbis modeſtiſsimè compellabant; Rex noſtræ vrbis Florẽtinæ, & Regina noſtra, virgo Deipara tibi per nos imperãt, ornatum ſeculi, & omnem vanitatẽ deponere. Quòd ſi detractaueris, calamitas, aliqua vel ægritudo





te ad ſaniorem mentem reuocabunt. Mirum valdè mirandum. Fœminæ vanitatibus innutritæ, capillos impoſititios, ſtibium, ceruſſam, purpuriſſum, colorandæ cuti, & capillitio medicamina, philtra, ſpecula, lunulas, torques, monilia, armillas, torques, ornamenta calceamentorum, diſcriminalia, periſcelidas, murenulas, olfactoria, inaures, gemmas in fronte pendentes, acus, vittas, teriſtra, & alia Veneri dicata inſtrumenta extradebãt; vt tunc etiam verum efficeretur, ſpectareturque illud Iſaiæ vaticinium; *Et erit pro ſuaui odore fœtor, & pro zonâ funiculus, & pro criſpanti crine caluitium, & pro faſciâ pectorali, cilicium.* Promiſcuè deindè, libri Muſici, Poëtici, & alij ex laſciuiæ ſcholâ, turpes imagines pictæ, fictæ, ſculptæ, cælatæ, vel quouis modo effigiatæ; varia inſtrumenta muſica minimè cultui diuino apta, tibiæ, citharæ, teſtudines, ſiſtra, monochordi, ſambucæ, & alia; chartæ luſoriæ, taxilli, latrunculi, & alia aliæ inuentamenta; libri Magiæ, chiromantiæ, ſortilegiorum, ludorum, ludicrorum, præſtigiorum, diuinationum, alchimiæ; & ad ſummum omnia, quæ Chriſtianam puritatem, ſiue inficerent, ſiue dedecerent, è domibus eijciebantur; quaſi ex illis eiecto iam dæmonio, ipſæ quoque domus ſcopis Euangelicis verrerentur, atque mundarentur. Ab horum feruore multitudo ingens excitata, mirum in modum ad benè viuendum animata eſt. Fœminæ, quas partes corporis minimè opertas oſtendebant, velare didicerunt, caſtiſque actionibus operam dare, ac illecebras, & fomenta malitiæ depellere. Reliqui non pauci ciues, ab honorum ambitu abhorrere, malè poſſeſſa reſtituere, in pios vſus facultates erogare, ſanctos, honeſtoſque mores præſeferre, antiquam Chriſtianitatis ſeueritatem reſumere: maximè quando viderent pueros, animoſo corde, facinus hactenùs Florentiæ non viſum tentare. Bacchanalium extremis diebus, hoc anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo, venientibus, in platea, ſeu areâ vrbis primariâ, ſumptibus publicis fecerunt erigere columnam octagonam, altitudine in formam pyramidis ſeſe paulatim attollente. Huius baſis, centum & viginti cubitos latitudinis occupabat. Singulis lateribus quindecim gradus adſtructi erant, aſſurgentes in modum theatri alicuius. Octo latera columnæ principalis, ſingula, ſingulis quindecim gradibus conſtabant. Inferiorem gradum ſternebant periſtromata pretioſiſsima, ſed laſciuis imaginibus conſpicua. Secundum gradum implebant, imagines & ſtatuæ, venuſtiſsimarum Florentinarum, & aliarum, artificioſiſsimâ manu depictæ, vel ſculptæ. Tertius gradus continebat, alucos, taxillos, latrunculos luſorios, aleas, chartas, tabulas; Quartus, libros, & inſtrumenta muſicalia, ad laſciuiam facta. Quintus, vanitates mulíebres, ad ornatum ſuperfluum ſpectantes. Sextus, libros prophanos Petrarchę, Boccacij, Morgantis, Battagliæ, & aliorum. Septimus, barbas, perſonas impoſitias, veſtes, & alia ludicra Bacchanalium licentiæ accommoda. Reliqui, reliqua, omnis impudicitiæ, vanitatis, & gentilitatis, aut incitamenta, aut ornamenta, ab auro, ebore, alabaſtro, & alia materiâ, pretioſâ, pro quibus aliquis Venetorum propola, viginti millia aureorum numerare volebat. Tulit deſiderij ſui præmium, quando ipſius, veluti omnium vanitatum emptoris effigiem ad viuum formatam, penès aliam Carniſpriuij, ſeu Satanæ monſtruoſam in faſtigio pyramidis collocàrunt, & circumcirca materiam quamplurimam excitando igni idoneam appoſuerunt. Ergo die Dominicâ vltima Carniſpriuij, cum tàm ſodales pueri, quàm innumerabiles ciues Florentini rei diuinæ de Angelis, in Baſilica cathedrali ſolenniter peractæ interfuiſſent, atque ſacro edulio, ſe in Diui Marci refeciſſent, ſupplicationem à prandijs, vſque ad locum columnæ pyramidalis inſtituerunt. In ea quatuor infantes Angelis aſsimiles, in baſi quadam, auream *Ieſuli* pulcherrimam, radiatamque imaginem, quæ manu ſiniſtrâ paſsionis ſuæ inſtrumenta, clauos, crucem flagra, diadema, columnam complecteretur, dexterâ autem populis benediceret. Vmbellam alij duodecim, non minùs elegantes deferebant; alij non pauci choros Angelorum laudantium, & benedicentium Deum, vocis ſuauiſsimæ concentu æmulabantur: reliqua illorum multitudo, bini, ac bini incedebant, vel canentium hymnos excipientes, vel orationum vota ingeminantes. Sequebantur Cuſtodes, Eleemoſynarij ſtipem colligentes, & alij ſodalitatis adminiſtri. Poſt eos viri rubeas cruces ferentes; vltimum agmen claudebant virgines, & nuptæ, vſque ad Baſilicam Principem, in qua, laudibus Deo, & Reginæ cœlorum decantatis, ſtipeque, quã collegerant, hominibus bonis, quos Sancti Martini dicunt pro neceſsitatibus pauperum relictâ, in forum publicum proceſſerũt. Ibi in Bacchanalium turpitudinem, ſatis ingenioſa cantilena decantata, quatuor cuſtodes ad columnam arſuram acceſſerunt, & facibus accenſis ignem admouerunt, tantâ vniuerſæ vrbis lætitia, vt publicum æs campanum palatij ſonuerit, omneque muſicum Magiſtratus publici inſtrumentum clanguerit: grates ingentes referentibus, Deo, pietatis cultoribus, qui tam ſanctam opus, ad extirpandam omnem Bacchanalium ſpurcitiam, & barbariem, per manus infantium perfeciſſet. *Vbi ſupra c.45.46.47.*

IX. *Maleuoli facta ſeditione Sauonarolæ necẽ intentãt.*

Inflammauit hæc flamma, potentias tenebrarum harum, contrà Sauonarolam, nouæ iſtius vitæ authorem, qui nihil aliud videre deſiderabant, quàm perditum illum. Dolebat alijs iactura tàm pretioſæ, tamque ſpecioſæ ſuppellectilis, quam vænum potuiſſe exponi, & pretium dari pauperibus murmurabant: parùm attenti ad Philoſophorum gentilium, & conditorum rerum publicarum in ethnicîſmo, maximè ad Platonis polytica dogmata; quibus eas illecebras, vel potiùs morum corruptelas proſcribebant, quas poſteà ſeueriùs Chriſtiana diſciplina prohibuit. Alij virgæ directionis, & correptionis impatientes: ſed dicam priùs qui, & vnde illorum origo, & tanta ſeges. Superiore anno, menſibus Martio, & Aprili, Franciſcus Valorius, vnanimi Collegarum, qui hucuſque concordes, conſenſu, lege latâ ſtatuerat, vt ciuium filij, qui quartum, & vigeſimum annum expleuiſſent, ad publicũ admitterentur Comitium. Exiſtimabat, eam rationem eſſe aptiſsimam, ad popularem ſtatum retinendum, confirmandumque, quando tanta multitudo non facilè poſſet ab Optimatibus corrumpi, neque in partes trahi. Euenit contrà quàm putarat. Enimuerò effreni iuuentute in Comitio multiplicatâ, dum cenſuram morum ſub integerrimis viris refugerent, in ferendis ſuffragijs ad partem Rabidorum, quos vocabant, propendebant. Duæ factiones Florentiam tunc temporis diſtrahebant. Altera dicebatur Alborum, altera Leucophæorum, ſeu griſeorum. Illa popularis, à candore, & libertatis amore, hæc Medicea, ab incerto animorum. Abrogatis hiſce vocabulis, illi Plangentes, hi Rabidi audiebant. Illi conſilijs Sauonarolæ nitebantur, proque libertate, & ſtatu præſenti Reipublicæ decertabant: iſti, quantumuis ſalubria reijciebant, & Mediceos ſuſpirabant. Rabioſis coniuncti ganeones, fornicatores, adulteri, Pentapolitæ, fæneratores, publicani, blaſphemi, periuri, aleatores, commeſſatores, temulenti, prurientes auribus philoſophi nonnulli, de diuinis rebus parùm, aut nihil credentes, & in omne ſcelus effuſi, dum corripientem in porta Sauonarolam tolerare non poſſent, multis illum tum contumelijs, tum calumnijs, tum varijs machinationibus obruere, ac ſi poſſent extinguere, anniſi ſunt. Opportunè, per menſtruam mutationem Magiſtratuum accidit, vt huius anni menſe Maio, Euerardus Medices, capitalis Sauonarolæ hoſtis, officio Vexilliferi fungeretur. Is Sauonarolæ interdixit, nè pro ſolennitate Aſcenſionis Dominicæ concionaretur. Repugnârunt plurimi ex Magiſtratu, ac Sauonarolam ad concionandum adegerunt.

Diſſenſione eâ in vulgus denunciata; ex Rabidis non minùs quinquaginta peſtilentes, in illum conſpiratione factâ, decreuerunt omnia Baſilicæ maioris ſubſellia, gradus, ſedilia, & ſuggeſtum inflammare. Non conuenientes paulò poſt in facinore aggrediendo, aliqui aſinum antè duos dies mortuum decoriari, & exenterari fecerunt, inque Baſilicam per quoſdam ſibi ſimiles æditus Sacerdotes, noćte Aſcenſionis diem antecedente admiſsi, ſuggeſtum vniuerſum intus, & extrà, supernè & infernè, ſordibus illis fœtulentiſsimis illeuerunt, deturpâruntque; Crucifixi in ſuggeſtu imminentis pedes, quos Sauonarola ad populum verba faciens ſæpiùs tangebat, & oſculabatur, veneno imbuerunt; deque capite illius titulum, IESVS CHRISTVS REX ciuitatis Florentinæ detraxerunt. Suggeſtum ipſum pelle illa aſininâ, in modum tapetis alicuius, veperiſtromatis penduli operuerunt: ſcabellũ, & ſolium, in quo concionans conſiſtebat, clauis acutiſsimis confixerunt, nec non omni genere excrementorum putentium impleuerunt; ac præterea circum circà extrinſecùs ſuggeſtum turpiſsimis imaginibus conſpurcârunt, adeò vt ſi Turca, vel aliquis immanior Chriſtianorum hoſtis templum profanâſſet, non potuiſſet execrabiliorem abominationem relinquere, aut perpetrare. Summo diluculo aperta iam Baſilicâ, cùm innumerabiles ex more ad audiendum illum præuenirent, fœtorem intolerabilem ſentientes, cùm ex Canonicorum ſepulturâ, quæ vnica, & & ſola in templo erat, tantam mephition, non poſſe axhalare animaduertiſſet, oculis in ſuggeſtum coniectis, omnibusque perluſtratis, viderunt nefas, quale nè barbari quidem, in opprobrium Chriſtianorum dogmatum cogitâſſent. Summotis ſpurcitijs, & clauis, ablutiſque omnibus, exceptis pedibus Crucifixi, (de quibus, an veneno tincti eſſent, nec ſuſpicione tangebantur,) fœtorem ſuffitibus depulerunt; hi, qui Sauonarolam libenter audiebant. Iſtud conſilij cum Rabioſis non ſucceſsiſſet, hominem in ſuggeſtu trucidare decreuerunt. Coniuratione patefactâ, cùm Sauonarola amicorum præſidio munitus ſuggeſtum conſcendiſſet, in ipſo feruore concionis, duo quidam nefarij, excitando tumultui, per quem ille occideretur delecti, arcam eleemoſynarum, quæ in medio Baſilicæ proſtabat, altiùs eleuantes, in terram prolabi ſuſtinuerunt, & ſtrepitu vehementiſsimo de repentè facto, ipſi per medium auditorium fugientes, hac ratione timorem, & trepidationem omnibus incuſſerunt, vt Sauonarola concionem proſequi minimè potuerit, vociferatione, & commotione auditorum impeditus. Conuenerat inter eoſdem Rabidos, vt ſtatim atque tumultus in Baſilica fuiſſet excitatus, æs campanum, vt in caſibus emergentibus ſolet pulſaretur. Cæterùm is, cui iniunxerant, viſâ ingenti confuſione, atque periculo ciuitatis, non eſt auſus manum admouere. Exiſtimabant, vt fugiente populo ſolus Sauonarola in Baſilica remaneret, quem tunc promptum eſſet occidere. Sed neque eo conatu procedente; quinimò viris, & mulieribus, (quæ ſubuerentes aliquod futurum Sauonarolæ periculum, arma occultò ſecum detulerant) armatis non ſe loco mouentibus, & *viuat* IESVS CHRISTVS REX *noſter*, alta voce conclamantibus, ac ſubindè arma pro defenſione concionatoris exerentibus, vnus ex Octo viralis Magiſtratu Sauonarolæ hoſtis, ad oſtium ſuggeſtûs vſque cucurrit; & proculdubio illum confodiſſet, niſi Corbitius Caſtrolarus alapâ paricidæ inflictâ, ſacrilegum auertiſſet. Ibi Sauonarala prolatâ ex ſinu Crucifixi, quam perpetuò deferebat, imagine, antè eam proſtratus martyrium expectabat: populus verò prolatis quoque ex ſinu Crucibus rubeis, & armis exertis, *Viuat* IESVS CHRISTVS REX *noſter*, ſucclamabat. Erexit ſe poſtcà ille in pedes, & tumultu conquieſcente, omnes genua ponere in terram iuſsit, pronunciatiſque cum auditorio vniuerſo aliquot pijs orationibus, impertitaq; benedictione, ad S. Marci ab armata amicâ multitudine reductus eſt. Eam Baſilicæ Sacroſanctæ, & rebus Sacratis, nec non Sauonarolæ, qui bona quàm plurima Florentinis contulit, operatuſque eſt, illatam ignominiam, Magiſtratus, qui caſtigare debuit, omninò neglexit; eaque ratione viam priſtinis flagitijs aperuit; adeò vt meretricium enorme vitium, commenſationes, ebrietates, impudicitiæ, contentiones, æmulationes, rixæ, diſſenſiones, cædes vſura, artes vetitæ, & alia ſcelera poſtliminio Florentiam redierint; quandò ſub Rabidorum vmbrâ, filij iniquitatis, repleti omni malitiâ, fornicatione, auaritiâ, nequitiâ, inuidiâ, homicidijs, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſi, ſuperbi, elati, inuentores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſiti, ſine affectione, abſque fœdere, ſine Deo, ſine conſcientiâ, in omne ſcelus diſcincti, dicerent; *Eamus, & in contemptum Sauonarolæ, in quodui execrandum facinus ruamus.*

X. *Variis calumnijs apud Summum Pontif. & inuidiam ipſi conflare nituntur.*

Seditio hæc in inſontem illum excitata, attulit optatam occaſionem aduerſarijs illius, ciuibus, extraneis, Regularibuſque diuerſorum Ordinum, varijs calumnijs eum apud Summum Pontificem obruendi. Petrus Medices ſuo non deerat genio. Cæſorum illorum ciuium, qui Petrum Florentiam euocauerant affines, & amici, omnia ex aduerſo fingentes, Pontificem ſuburatum ex cauſis, quas diximus, Florentini irritabant, totiuſque diſcordiæ ciuilis authorem Sauonarolam faciebant. Marianus Genazanus Eremita Auguſtinianus à Florentino Magiſtratu, quòd Petro ducendo in vrbem ciuium partiariorum coniurationem feciſſet proſcriptus, eaque propter Sauonarolæ infeſtus, pro Mediceis & Rabidis valdè diſertus, in Conſiſtorio Sacratiore pro concione in Sauonarolam inuectus, ſæpæ ſæpiùs quemadmodum ſermonem inceperat, proclamabat; *Abſcinde, abſcinde hoc monſtrum ab Eccleſia Dei Beatiſsime Pater*, nec niſi minas, & cædem ſpirabat. Samuël quidam Caſsinenſis ex Ordine Minorum, etiam libello peculiari, contrà librum Sauonarolæ cui titulus eſt, *Reuelationum compendium*, edito, eiuſdem dicta, prædictiones, actiones oppugnare volens, aliquod operæ pretium feciſſe ſibi viſus eſt, niſi Ioannes Franciſcus Picus, Comes Mirandulanus, vix in publicum datum, confutâſſet, defenſione inſcriptâ Hieronymo Tornielo, Ordinis Minorum Præfecto. Aliquis etiã ſui Sodalitij Marciani Petrus cognomento Clerichinus, cum ab eius congregatione, Romam conceſsiſſet, & à prehenſatione virorum illuſtrium lauream Magiſterij primò adeptus, in gratiam quoque Alexandri Pontificis ſeſe inſinuâſſet magnam illi inuidiam caninâ eloquentia conflâuit, modumque redigendi in ordinem, tàm illum, quàm Etruſiam, ſeu Marcianam congregationem Pontifici propoſuit; ſi videlicet is authoritate Apoſtolicâ, illi ipſi Congregationi, duodecim Cœnobia Conuentualium Romanæ prouinciæ, prætextu reformationis adiungeret: fore, vt ſi Sauonarola aſſentiretur, Cõgregatio illa puſilla à tanta multitudine abſorberetur: ſi diſſentiret, in cenſuram Apoſtolicam incideret, pœnaſque rebellibus propoſitas mereretur. Audiuit Alexander Clerichinum vaferrimum, & laxioris vitæ fratribus, in ea, quæ Romana dicebatur, Congregatione degentibus, miſcere eos volebat, qui ſub Sauonarolæ ſacris auſpicijs, & diſciplinâ militabant. Huic cùm Sauonarola, malis bonos inquinari renuens, (præterquàm quòd ad ſe vnum res illa minimè pertinebat) ſciensque non Religionis augmentum perquiri, verùm diſcipulorum populationem ſub iugo prauorum Præſidum, qui ſe à reprehendendis, corrigendiſque criminibus, & iuſsis, & minis, & carceribus arcerent,) minimè parendum, in ea cauſa duntaxat, eſſe exiſtimâſſet, rationesque facti ſui, & alieni, tum in litteris ſummo Pontifici ſcriptis, tum in ſuis ad populum diſſertationibus reddidiſſet, ac nè eiuſmodi iuſsionibus grauaretur, obſecraſſet; iram tamen Alexandri à Clerichino irritatam effugere haud potuit. Accendit eam magis, ſingularis quædam Sauonarolæ in luxum, & licentiam Cleri, & præſertim Romani, de verbo ad verbum, à malignantibus excepta, & Alexandro tranſmiſſa Concio; in qua Sauonarola, quæ ab Oratoribus Regũ & principũ partim Alexandro coràm, priuatim & publicè dicta, partim Regibus & Principibus perſcripta, partim in vulgus iactata; & à nõnullis, imo ferè ab omnibus Romæ viſa, & contrectata Cleri flagitia, pro zelo Chriſtianæ, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſatis modeſtè & opportunè, non minùs quàm feruenter exagitauerat. Hanc Concionem ſtatim, atque legit Alexander in hominem exarſit, euocatoque quodam ex inſtituto S. Dominici Epiſcopo, viro doctiſsimo, vt reſponderet, indixit. & quidem Antiſtes laborem non recuſauit; ſed armis alijs ad expugnandum Sauonarolam opus eſſe dixit. Percontanti verò illi. *Quibus?* Simonem eijciendum; concubinas, & cynædos expellendos, caſtigandoſque, auaritiam è manibus excutiendam; carnem, & ſanguinem non tanti faciendum: & reliquos aulæ, & Eccleſiæ næuos excindendos, vel potiùs eradicandos. Intellexit Alexander, ea, quæ illi inſinuabat: &, *Quid ergo in eo caſu faciendum?* Repoſuit Epiſcopus; *Beneuolentiâ, non minis, non cenſuris, non pœnis vincendum, vinciendumq́; ſibi videri Sauonarolam: purpuram illi obijciendam, ſi modò dicta, & vaticinia retractare voluerit.* Placuit Alexandro conſilium; quo cum Oliuerio Cardinale, Prædicatorum Protectore communicato, Ludouicum Ferrarienſem, Palatij Apoſtolici Magiſtrum, Florentiam ire iuſsit; qui ſi diſceptando Sauonarolam vincere nequiret, ſacram ei purpuram deſerret. Iuit ille, diſſeruit, diſputauit, triduanoque labore, fruſtrà conſumpto, tandem Cardineum galerum homini obiecit. cui Sauonarola; *Auertat Deus à me hoc ſcelus, vt legationem, quâ pro Chriſto functus ſum, aut retractem, aut contradicam. Galerum flameum alium non opto, non quæro, niſi, quem proprio ſanguine rubricauero, faxit Deus, in martyrio.* Retulit ea omnia Ludouicus Alexandro; qui zelum, & conſtantiam Sauonarolæ admiratus, non poſſe illum non magnum Dei ſeruum pronunciauit, ac omnibus, nè quicquam ſiue boni, ſiue male de illo ſibi referrent, aut mentionem eius aliquam facerent, interdixit.

XI. *Alexander PP. excitatus à Ludouico Sfortia anathema in Sauonarolã mittit.*

Quieſcentem hanc Pontificis iram, Ludouicus Sortia ad extremum excitauit. Erat is Sauonarolæ acerrimus hoſtis, quòd per illum ſtare exiſtimaret, quo minùs Piſarum vrbe potiretur, neque Florentinos à fœdere Gallico poſſet auertere, neque Reipublicæ illorum formam popularem inuertere, nec Petrum Mediceum, Florentiam reducere, nec Ioannem Petri Franciſci Medicem, Principem Florentinis imponere, quemadmodum cum Pontifice deſtinârat. Aegrè deinde ferebat, quòd Sauonarola illi prædixerat, *eum in vincula iturum, & in ergaſtulo duriſsimo moriturum.* Iſtud oraculum, non multò poſt à Gallis in prælio captus, & in Galliam ductus, verum eſſe agnoſcens, Florentinis mercatoribus, qui compactum in carcere viſitabant, ſæpe ſæpiùs affirmauit; Sauonarolam calumnijs fuiſſe oppreſſum: quippe qui etiam ſibi vera prædixiſſet. Hæc in extrema calamitate Sfortia faſſus; hoc tempore vati ſuo exterminium præparabat. Accidit enim, vt Sauonarola pari zelo, ac Reges Chriſtiani de reformanda Eccleſiâ ſolliciti, litteras ad Maximilianum Cæſarem, ad Carolum Galliæ, Ferdinandum, & Iſabellam Hiſpaniæ, Henricum Angliæ, Emanuelem Luſitaniæ Reges ſcripſerit; ex notoriorum, quæ Romæ fieri dicebantur, famâ vbique locorum diuulgata. occaſionem ſumens, eos exhortandi, deprecandique, vt Eccleſiæ labanti ſuccurrerent, eamque abominationem deſolationis, quæ in loco Sancto dicebatur proſtare, vel etiam Concilij Oecumenici inſtrumento euellerent: quandoquidem paſsim ab omnibus de corpore myſtico vulgaretur; *A planta pedis, vſque ad verticem capitis*, nullam in eo eſſe, aut videri *Sanctitatem.* Vrgebat Concilij remedia, præcipuè ad capitis ſanitatem; ſi vera eſſent, quæ iactarentur, per Simonis oſtium ſeſe extuliſſe; de fide Chriſtianâ ſuſpectum eſſe: vitam omni turpitudine dedecorare, omnia venalia apud eum eſſe: tyrannidem, & auaritiam regnare, & reliqua nedum Pontifice, verùm ètiam Chriſtiano homine indigna, eo conniuente, volitare paſsim. Vnam ex his litteris per exploratores interceptam, Sfortia, Aſcanio fratri Cardinali Romam miſit; qui eam Alexandro non ſine indignatione & quadam exprobratione repræſentauit, *dicens:* Nos quidem capiti tuo tyaram Pontificiam impoſuimus, vt defenderes Eccleſiam Dei: cæterum venient dies, quando remedia fruſtrà tentabis, & diadema Regni amittes; noſque vnà tecum noſtros galeros. His auditis Alexander, quaſi è graui ſomno euigilans totus perterritus, turbatuſque, ecquid iſtud mali nuncij eſſet inquiſiuit. cui Aſcanius Epiſtolam à Sauonarolâ ſcriptam in manus dedit: quâ is perlectâ, acerbiſsimo, & implacabili odio permotus, ad perdendum Sauonarolam, omnes machinas adhibuit. & inprimis Hieronymo concionandi munus abrogauit: deinde eum Romam ad dicendam cauſam euocauit: cumque metum mortis, nè in itinere ab aduerſarijs occideretur, excuſaret, Congregationem illius Etruſcam, in qua multi nobiles, & probi, & eruditione præſtantes religioſi viuebant diſſoluere, ac S. Marci, & Feſſulanum cœnobia, Congregationi Lombardiæ reunire voluit, ipſiuſque cauſam Vicario eiuſdem Congregationis ad cognoſcendum commiſit; eâ intentione, vt diſſoluta Societate Etruſcâ, Sauonarolam aliò diſcedere compelleret, Florentiaque eijceret, quo eiecto poſſet facilius Petrum reducere, libertatem, & ſtatum vrbis inuertere, & à fœdere Gallico Florentinos auertere. Cùm iſta minimè ſuccederent, Florentinis anathemata, priuationem ſacrorum, & omnia hoſtilia, per litteras Edictales comminatus eſt, niſi Sauonarolam vinctum ſibi tranſmitterent, & ab eius Concionibus audiendis abſtinerent; ex aduerſo omnia amica illis ſpondens, ſi obtemperarent. Cumque nec iſtud potuiſſet obtinere, anathema Romæ in Sauonarolam pronunciauit, & Ioannem Camertem, Sauonarolæ hoſtem, qui publicaret, Florentiam miſit: cauſis tribus in edicto, expreſsis, 1. quia vocatus Romam venire contempſerit. 2. hæreticam, & peruerſam doctrinam prædicauerit. 3. Vnioni Cœnobiorum, S. Marci & Feſſulani, cum alijs Etruriæ Monaſterijs conſentire noluerit. Ioannes Camers Senis ſubſiſtens, Florentiam, prætextu nè à ſequacibus Sauonarolæ violaretur, non acceſsit, ſed edictales tantum litteras, quæ tum in publicis locis affigerentur, tùm in Baſilica principe vulgarentur, miſit. & quidem in quatuor Regionum principalibus templis, in S. Saluatoris Abbatia, in monte S. Miniati Minoritarum Obſeruantium, fuerunt ad valuas conſpicuas affixæ; nec non in Cathedrali Eccleſiâ, Clero eiuſdem templi, Minoritis Conuentualibus S. Crucis, Dominicanis S. Mariæ Nouellæ Conuentualibus, Eremitanis Sancti Spiritus, Seruitis, & Benedictinis quibuſdam præſentibus lectæ, & quatuor funalibus ad ſonum campanulæ extinctis publicatæ: quibus quidem nè Sauonarola teneretur, Cardinalis Senenſis, Franciſcus Piccolhomineus homini operam offerebat, ſi modò is illi quinque millia nummũm aureorum numeraret. Miratus ille Cardinalem, nec aurum, nec argentum ſibi eſſe, neque ſe meruiſſe anathemata reſpondit; cùm neque citationem accepiſſet, aut vidiſſet, neque quicquam contrà fidem, aut bonos mores dixiſſet, quinimò pro fide Orthodoxâ, & pro moribus Chriſtianis ſcripſiſſet, prædicaſſet, certaſſetque; neque in ipſo ſtaret, ſed in multitudinis Fratrum genere nobilium, doctrinâ clarorum, regularis vitæ Obſeruantium cõſenſu, vnio

*Cauſa Anathematis.*

cœnobiorum cum alij., aut diſſolutio congregationis. Quibus ſic ſtantibus, exiſtimare ſe cenſuram Pontificiam minimè incurriſſe; eaque propter non ſibi opus eſſe, abſolutionem tanti, quanti Cardinalis offerebat, redimere. His ad eum modum ſuccedentibus, à Maio huius anni, vſque ad Epiphaniæ feſtum ſequens, à munere concionandi abſtinuit; quamquam non ignoraret, à reliquis omnibus Eccleſiaſticis minimè, ac tantùm à ſolis Miniatenſibus Obſeruantibus Minoritanis, literas edictales excommunicationis in ſe publicatas, acceptatas fuiſſe. Hinc nata in vrbe grauior diſſenſio inter ciues, quando Magiſtratus inter ſe non conueniret. His inter ſe diſcordibus, renata in populo maior licentia, dicendi, faciendi, tentandi inconceſſa. Hinc à Rabioſis in Cœnobitas S. Marci atrox perſecutio, vt neque noctu inter matutinas preces liberi eſſent ab inſolentia populari, his ſaxa per feneſtras in templum iacientibus, alijs probra, & contumelias vociferantibus, alijs libellos famoſos in Sauonarolam, & reliquos affingentibus vel picturas turpiſsimas pingentibus, vel poëmata ſcurrilia, cantilenasq; obſcœnas canentibus. Vnde Minoritæ, Auguſtiniani, Seruitæ, & reliqui Regulares, metuentes, nè occaſione ſupplicationis ſolennis, cui pro feſtiuitate SS. Sacramenti interuenire tenebantur, aliquid turbarum accideret, Magiſtratui authores fuerunt, qui Cœnobitis S. Marci interdiceret, nè eâ die proceſsioni intereſſent. Ab hac Magiſtratûs indulgentiâ, negligentia, ſeu potiùs væcordiâ, & cæcitate, quaſi portis patefactis, omnia flagitia Florentiam redierunt; gementibus alijs ſucceſſoribus, & calamitatem publicam, cum Sauonarolæ caſu coniunctam Pontifici per litteras publicas exponentibus. *Vbi ſupra. c.40.41.47. Nardi lib.2. Picus in vita.c.13.* Ex harum, & Sauonarolæ, nec non Alexandri literarum exemplis, faciliùs erit ſtatum huius rei cognoſcere. Dabo aliqua ad notitiam poſterorum.

I.

Ex libro litterarum exiſtente in Archiuo Reformationum ciuitatis Florentiæ, cuius talis eſt titulus, videlicet, Liber litterarum Dominorum ad exteros, & Principes, inceptus die duodecimo Iulij.1497. & finitus die decimo octauo Maij, 1500. pag.31.

XII. *Aliorum de Sauonarola teſtimonium Alexandro datum.*

*Sanctiſsime, ac Beatiſsime Pater. Vt primùm de litteris Veſtræ Sanctitatis nuncium accepit Hieronymus Sauonarola, qui in his, filius iniquitatis appellatur, ab Eccleſiâ Maiori, vbi populum religionem, & bonos mores docebat, in Monaſterium ſuum rediit, tantiſperq; falſis detrahentium calumnijs cedere decreuit, donec deferueſceret ira Sanctitatis Veſtræ, & certiore nuncio intelligeret, non eſſe vera hæc, in quibus accuſatur: in periculum animarum Chriſti fidelium, pernitioſos grauesq; errores diſſeminare, & in plurimorum ſcandalum, prædicationes ſuas afferre. Nos enim teſtari poſſumus, hunc optimum in Vinea Domini foſſorem, eos fructus ex ea colligere, quos nulli hactenus noſtra ætate collegerunt. Et vt repetamus altius; Si vera ſunt, quæ dicuntur, Annunciate, quæ futura ſunt nobis, & dicemus, quòd Dij eſtis vos: hunc certè ſupra hominem exiſtimare nos oportet, qui octo iam annis multa prædixit, quæ euentura nobis erant. Interim nunquam ceſſans ad meliorem religionis cultum nos emendare, facileq; dicendo, ſcribendo, prædicandoq; efficit, vt deleto omni malo habitu, ſi quis erat in nobis, ad ſanctiorem vitam proficeremus; idque continuò peragens Zelo domus Dei, facilè multorum inimicitias in ſe contraxit, qui magis oderunt lucem, quàm tenebras; quorum falſis calumniarum ſuggeſtionibus permota Sanctitas Veſtra, noxium hunc Chriſtianæ religioni credidit. cuius tamen in ea fructus hi ſunt: Docere omnes iuſtitiam, hortari ciues noſtros, æquali quadam iure, & poſtulare vti: inſidias omnium in Rempublicam noſtram detegere; nec pati, contrà ius ciuitatis noſtræ plura, aliquem ſibi occupare: docere parentes, optimam filiorum educationem, & eruditionem, vt digni Chriſtiano nomine euadant perſuadere mulieribus. depoſito omni ornatu, ſequi Chriſtum; pueros nihil magis noſſe, quàm geſta Chriſti, & Sanctorum; & omnes indignos Chriſtiano nomine, è Societate, & cœtu noſtro expellere. pro quibus facilè malorum ciuium, & aliorum offenſionem ſubiens, accuſatus eſt, demoliri muros Hieruſalem; non tàm quia nos pereamus de vita iſta, amiſſo religionis Duce, quàm quia ciuilium diſcordiarum hanc cauſam habeamus, quæ vnica illis relicta eſt via, ad ambitionem ſuam, & nocendum nobis. Dolemus autem, non poſſe, nos mandatis S. Veſtræ facilè parere, nè rem indignam ciuitate noſtra videamur feciſſe, & tamquam ingrati in hominem de nobis optimè meritum, arguamur. Accedit, hoc non poſſe ſine populari diſcordiâ, & multorum periculo tentari. Tot tantorumq; animos, ſuâ integritate ſibi conciliauit, à qua re ſcimus, Veſtram Sanctitatem abhorrere; nec paſſuram vnquam, noſtro tàm ingenti periculo mandatis ſuis parere. Graue etiam nobis eſt Sanctitatem veſtram à voluntate ſuâ in nos deſtitiſſe ob hæc. Siquidem paucis diebus antè, accepimus ex litteris Oratoris noſtri, quàm parato animo ea eſſet, ad inſtaurationem Reipublicæ noſtræ. nunc verò, vt aiunt, momento temporis, ea nobis mandari audimus, quæ ſine dedecore, & periculo noſtro præſtare non poſſumus. Quod reliquum eſt, Beatiſsime Pater oramus Sanctitatem Veſtram, nè derelinquat nos, ſed cauſam noſtram eo fauore proſequatur, quo hactenus proſequuta eſt. Nec velit his mandatis ciuitatem noſtram miſcere, & in aliorum vtilitatem ruinas noſtras augere. Nos in his eam rationem ſeruabimus, vt quales in Eccleſiam ſemper fuimus, & fidem Catholicam, tales etiam nunc reperiamur. Id tamen ſignificantes, magis cordi nobis eſt Rempublicam noſtram, quàm aliorum commoda: quo animo deſideramus eſſe etiam Sanctitatē Veſtram. Sic enim ſecuriùs illi, & vtiliùs toti Italiæ fuerit. Commendamus nos, Vrbem, populumq; noſtrum Clementiæ Sanctitatis Veſtræ: ex Palatio noſtro die quarto Maij, milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo.*

II.

Ex autographo Hieronymi Sauonarolæ, quod eſt in manibus F. Philippi del Buono, profeſſoris Ordinis Prædicatorum in Conuentu S. Marci Florentiæ, exemplato à Franciſco Mariâ Cinellio Piſcienſi, Notario Florentiæ publico, cuius authoritati teſtimonium in forma probandū, perhibet Petrus Nicolinus, I.C. Archidiaconus Eccleſiæ Metropolitanæ Florentiæ, atque Protonotarius Apoſtolicus, Alexandri Martij Medicis, Archiepiſcopi Florentini Vicarius, & Locumtenens. die vigeſimo Auguſti, milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto.

*Sanctiſsimo Domino noſtro, Alexandro Papæ VI.*

XIII. *Epiſtola Sauonarolæ, in qua è obiecta in ſe criminibus ſe purgat.*

*Beatiſsime Pater. Quam ob cauſam Dominus meus iraſcitur ſeruo ſuo? aut quod eſt malum in manu meâ? Si filij iniquitatis iniuſtè detrahunt mihi, cur non Dominus meus ſeruum ſuum priùs interrogat, aut audit, quàm credat? Difficile eſt enim, iam inclinatum in aduerſam partem animum diſſuadere. Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obſedit me, & dicunt mihi. Euge, euge, non eſt ſalus illi in Deo eius. Nam vice Dei, Sanctitas Veſtra fungitur in terris, cui me crimine læſæ Maieſtatis accuſant, communiſcentes, quòd illam maledictis carpere, & laceſſere nō deſinam, & verba mea multipliciter detorquent, & ſacrilegè peruertunt. Idem ſuperiori biennio factitatum eſt. Sed extant multa millia auditorum, in teſtimonium innocentiæ meæ. Extant & de ore mei pronunciantis verba, fideliter, vt reor, excepta, partimq; librariorum, & impreſſorum operâ vbique vulgata. Proferantur, legantur, examinentur; ſi quicquam eſt, quod Sanctitatem Veſtram, in eis offendat, quod totiens illi falsò detulerunt. An aliud publicè dictum à me, an aliud ſcriptum vetum? vt aperiſsimæ contradictionis conuincar? Quod conſilium, quæ vtilitas? quæ tàm vaſana mens moliatur? Miror quomodò Sanctitas Veſtra, illorum rabiem, & nequitiam non deprehendat. Quâ fronte, quâ conſcientiâ Concionator iſte egregius,* * *& ſublimatus, crimen, cuius ipſe maximè reus eſt, inſonti mihi obiecit? Iam enim illius dicta aperire neceſsitas cogit. Adſunt, inquam, teſtes locupletiſsimi, qui illum aliàs ex pulpito, contrà Sanctitatem Veſtram apertiſsimè debacchantem audierunt. Et nè mentiri credar, ſi opportuerit, Notarij fidem in productione meritorum teſtium adhibebo. Atque eius inſolentiam tàm coarguiſſe & damnâſſe memini, cùm nō liceat in quempiam, vel minimum, tantò magis in Principem,*

* *Marſilij Gennazanum inſinuat.*





*& Paſtorem omnium inuelli. Quis enim animo demens hæc neſciat? Non ſum animo, Deo dante, tàm excors, vt mei ſim oblitus. Caſtigationi me ſemper ſubieci, & quotiès oporteat iterum atq; iterum ſubijcio. Quid enim ego Peccator pœnitentiā peccatorum, & emendationem morum, ex fide Domini noſtri IESV CHRISTI totis viribus exclamo? dum pœnè extinctā fidem Chriſtianam in cordibus hominum reuocare contendo; ac propediem Deo dante, opus de Triumpho CHRISTI in aſſertionem Fidei edere decerno. ex quo manifeſtè apparebit. An ego hæreſum, quod abſit; an Catholicæ fidei ſim diſſeminator. Non ergò velit Beatitudo Veſtra, inuidis, & maleuolis, niſi facto priùs periculo fidem adhibere; cum plurimorum hactenus mendaciorum palàm coargui poſſint. Quòd ſi mihi humana defuerint auxilia, impiorum iniquitate præualente, ſperabo in Deo adiutore meo, atque vniuerſo Orbi conſtare faciam illorum nequitiam; ità quòd ſuſcepti propoſiti quandoque forſan eos pœnitebit. Me Beatitudini Veſtræ humilliuè commendo. Ex Conuentu S. Marci Florentiæ xx. Maij, milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo. Beatitudinis Veſtræ humilis filius, & ſeruus, Frater Hieronymus de Ferraria Ordinis Prædicatorum.*

III.

XIV.

Ex libro litterarum exiſtente in Archiuo Reformationum Ciuitatis Florentiæ, cuius talis eſt titulus, videlicet, Liber litterarum Dominorum ad exteros, & Principes, inceptus die XII. Iulij, milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo. & finitus die decimo octauo Maij, 1500. pag. quinta.

*Epiſtola Florentinorum ad Alexandrum Papam, quâ innocentem probant.*

*Alexandro VI. Summo Pontifici.*

*Sanctiſsime, & Beatiſsime Pater. Nihil vnquam dubitare potuimus de clementiſsimo animo, & beneficentiſsimo Sanctitatis Veſtræ in nos. Tot, tantiq; in rebus Pontificiam clementiam ſemper fuimus experti, vt nihil potuerit accidere noſtræ ciuitati, quod turbare nos poſſet, quod idem non ſit Sanctitati, clementiæq; Veſtræ moleſtum futurum. quâ de re ſcribimus etiam modò ad Sanctitatem Veſtram, maiore cum ſpe impetrandi, quæ ſupplicaturi ſumus. Eſt autem inter ea, quæ hoc tempore noſtræ Reipublicæ, aliter quàm nos voluerimus, acciderunt non poſtrema, quod modò euenit; quòd Frater Hieronymus Ferrarienſis indignationem Sanctitatis Veſtræ, quòd cenſurâ ſignificatum eſt, incurrerit. Duæ nos cauſæ potiſsimùm mouent. altera eſt, quod non parum id nobis, & populo fermè omni noſtro permoleſtum fuit, vt puta, qui Eccleſiaſticas cenſuras, propter Apoſtolicæ Sedis reuerentiam conſuetudine vetuſtiſsimâ noſtræ Ciuitatis, inter primas Italiæ gentes, ſemper fuimus abominati. altera cauſa eſt, quòd moleſtè tulimus, ferimusq; inſectatam eſſe boni Viri, quantum nos cognoſcimus virtutem, & delatæ fuiſſe ad Sanctitatem Veſtram ea, nullâ de cauſa, quæ meritò excitare Pontificales in Fratrem Hieronymum cenſuras, ſi ea vera extitiſſent, debuiſſent. Nos Sanctiſsime Pater multò aliter cenſemus. Bonum nos hunc virum, bonumq; religioſum, peritumq; rerum Chriſtianarum exiſtimamus. Diuerſatus eſt in vrbe noſtrâ aliquot annos, prædicationibus intentus, plebique ad meliores mores inſtruendæ. neque notari potuit, (modò careat affectibus delatio) quicquam, in quo vel exemplo vitæ, vel excellenti doctrinâ aberrauerit. Sed vt nouit Veſtra Beatitudo, vix inueniri poteſt, vbi præclara virtus careat inuidiâ. Sunt, & in noſtra Vrbe, tanquàm in magno populo, qui etiam virtutem in inuertant, ſeu naturæ leuitate, ſeu alio quouis morbo; & tunc ſibi plùs placeant, doctiq; eſſe magis viri videantur, cùm quid in doctos, bonosq; viros liberiùs audent: quibus magis venia danda, quàm grauiore aliquo periculo id vindicandum erroris. Supplicamus ergo Sanctitati, Clementiæque Veſtræ, pro ea, quæ omnibus in rebus ſemper fuit in nos veſtra paterna, & diuina charitas, vt totum hoc negotium ad benignitatem, ſapientiamq; Veſtræ Sanctitatis referatur, ſolutamque fore animorum diſplicentia Ciuitati, atque iſta Cenſurarum Pontificalium grauitas, nè pluſ poſſe videatur pa vi ... plurimis ciuitas, quàm bona ſtudia, bonaq; mores hominum religioſorum. Nihil eſt Sanctiſsime, & Beatiſsime Pater, quod poſſit fieri hoc tempore à clementiſsimo Pontifice, Chriſtiq; Vicario in nos, atque vrbem noſtram gratius, ſi iſtæ Pontificales cenſuræ fuerint, benignitate, donoq; Sanctitatis Veſtræ ſublatæ: neque illæ ſolùm, quæ ſeorſum Fratrem ipſum Hieronymum taxauerunt, ſed & quæcumque aliæ, quæ ob eandem cauſam alios quoque complexæ fuiſſent. Nihil maiore ſtudio, magiſq; pijs affectibus ſupplicare Sanctitati Clementiæq; Veſtræ poſſumus; & quia rem, vt videtur nobis, piam ſupplicamus, dubitare vix poſſumus, Sanctitatem veſtram benignè eſſe largiturum: nè quid animabus periculi, hoc præſertim peſtilentiæ tempore poſſit contingere. Munus, vt videtur nobis petimus dignum Sanctitate Veſtrâ, & clementiâ, ad quàm potiſsimùm pertinet, Chriſtianæ ſalutis cura, vt, quantum eſt in Veſtra Sanctitate, nulla ouis pereat. Id tandem veri Paſtoris, Chriſtiq; Vicarij videtur officium, ad Redemptoris noſtri IESV CHRISTI imitationem, qui ſeſe morti ſpontaneus obtulit, vt nos eius redempti ſanguine viueremus, neque nos hac in re tantùm volumus oratam eſſe Sanctitatem Veſtram, vt nobis indulgeat hanc gratiam, ſed vt cæteris quoque in rebus omnibus, vt ſemper ab ea factum eſt, meminerit Veſtra Sanctitas huius deuotiſsimæ Ciuitatis, & populi Sedis Apoſtolicæ, & Sanctitatis, Clementiæq; Veſtræ, cui nos, & Rempublicam iſtam humillimè commendamus. Ex Palatio noſtro die octauâ Iulij, milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo.*

XV. *Pietas Sauonarolæ in Fratres ſuos tempore peſtis.*

Peſtilentiæ meminerunt in ſuis litteris, quæ hoc tempore graſſabatur Florentiæ. Eâ contagione, nè Fratres ſui inficerentur, centum ex eis, & quadraginta timidiores Sauonarola in diuerſa amicorum ſuburbana hoc ordine miſit. Non pauciores quindecim, cum Præfecto, & Lectore, vno in loco eſſe voluit; qui non minùs, quàm in cœnobio rem diuinam die, noctuque recitarent & facerent, ſilentium, & reliqua diſciplinæ regularis obſeruarent, & prælectiones quotidianas audirent. Ipſe cum reliquis in S. Marci ſubſtitit & clauſis Baſilicæ ianuis, diuina omnia procurauit: Threnoſque Hieremiæ, Ionam Prophetam, & Samſonis hiſtoriam ad conſolationem Fratrum, quibus infirmis ipſe ſanus miniſtrabat, expoſuit; alios verò abſentes, ad benè moriendum litteris hortatus eſt. Mirum eſt. Si, qui ex peſte moriebantur apud S. Marcum, tàm alacres, & feſtiui è corpore migrabant, quaſi ad ſolennia nuptiarum exirent. Frater Ioannes Baptiſta Faucinius, cùm ab orationibus Fratrum diutiùs detineretur, ità vt non poſſet animam efflare, feruentiſsimè flagitauit, nè ſe ampliùs morari in corpore facerent, qui *cuperet diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Die ſolenni Aſſumptionis glorioſæ Virginis, quo peculiari cultu Sauonarola Reginam Cælorum ſolebat venerari, peſtis Florentiæ ceſſauit: *Mſ. vitæ pag. 68.* Sed aduerſarij Sauonarolæ aduerſari non ceſsârunt, & hanc, quam adſcribo ab Alexandro Pontifice extorſerunt.

IV.

XVI. *Bulla Alexandri Pontificis aduerſus Sauonarolam.*

*Alexander Papa VI. Dilectis filijs, Priori, & Conuentui Monaſterij S. Marci Ordinis Prædicatorum, in ciuitate Florentiæ.*

*Dilecti filij, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

*Quia diuini conſilij inſcrutabilis altitudo, vniuerſali adminiſtrandæ Eccleſiæ, nos Petri ſucceſſorem, licèt immeritum hoc tempore præeſſe diſpoſuit, iugi, quantùm nobis diuino munere datur diligentiæ ſtudio procurandis ijs rebus intendimus, quibus religio, ſalus, & pax Chriſtiano populo conſeruetur, floreat, & amplificetur; dogmatum verò nouitas, fictæ ſimplicitatis adumbrata velamine, quâ in populo frequenter & Clero ſchiſmata, hæreſes, & morum ſubuerſio oriuntur, de Eccleſia nitimur emendationis flagello pellatur: nè quietum corporis Eccleſiæ ſtatum ſolicitare in præſentia poſſit, neque cæteris delinquendo exemplo iſto malo poteſtas fiat in poſterum. Sanè Hieronymum quendam Sauonarolam, de Ferrariâ Ordinis Prædicatorum, nouitate praui dogmatis delectatum accepimus, & in eam mentis inſaniam, Italicarum rerum commutatione deductum, vt ſe miſſum à Deo, & cum Deo loqui ſine vllâ Canonicâ atteſtatione iactet in populo, contrà Canonicas Sanctiones. Non ſufficit cuiquam vndè tantùm aſſerere, quòd ipſe miſſus ſit à Deo; cùm hoc quilibet*

hæreticus aſſereret; ſed oportet, quòd oſtendat illam immediatam miſſionem, per operationem miraculi, vel Scripturæ teſtimonium ſpeciale. Chriſtum prætereà IESVM Crucifixum, & Deum mentiri, ſi ipſe mentiatur, horrendum certè & execrabile adiurationis genus, extrà ſtatum ſalutis quemquam fieri, vanis illius aſſertionibus non credentem. Alia deinceps illum non minùs inepta facere, dicere, & ſcribere, quæ ſi prætereantur impunè, nihil eſt, quòd non auſura falſorum religioſorum temeritas ſit, & in corpus Eccleſiæ (quod verendum eſt) vitia ſub virtutum ſpecie ſubintrarent. Cogitauimus longa cunctatione, & diuturnâ patientiâ noſtrâ efficere, vt fatuam illam Propheticam ſuam profeſſionem recognoſceret, ad ſolida veritatis viam deflecteret, ex quo turbationis cauſa in Eccleſia fuerant illius verba temerè, & iniquè prolata, conſultè & fideliter reuocaret. Credebamus poſt aliquod tempus iam aduenisse diem, quo de ipſo meliora concipere deberemus, ac dolorem, quem nunc vſque ex effrani arrogantiâ, & ſcandaloſâ ſeparatione à Patribus ſuis Lombardiæ perpeſſi fueramus, quæ ſubdolâ calliditate, ſicut poſt cognouimus, peruerſorum quorundam Fratrum impetrata eſt, à modo ex ſua humili adhærentiâ in lætitiam commutaremus. Nam licèt per litteras noſtras ipſum in virtute Sanctæ obedientiæ monuerimus, vt ad nos veniret; veritatem ab eo, & ab ore ſuo intellecturos; tamen non ſolùm venire, & nobis obedire recuſauit, verùm etiam ipſe acerbiorem indies magis doloris nobis cauſam, ſubminiſtrauit, impudenter fidelium oculis legenda ingerens, quæ ſolo aliàs auditu temerè profuderat, inhibenda. Ea propter quãdo nos reddendæ vniuerſæ Italiæ pacis, grandi, ac laborioſo opere detineamur, hanc ipſam cauſam, Fratri Sebaſtiano de Madijs, de Brixiâ, Congregationis Lombardiæ, Ordinis Prædicatorum Generali Vicario decernendam, iudicandam, puniendamq́; ſecundùm Ordinis veſtri ſtatuta commiſimus; per litteras noſtras in forma Breuis Hieronymo Sauonarolæ prædicto, in virtute Sanctæ obedientiæ ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnâ ſtrictè præcipiendo mandantes, vt Vicarium prædictum ad cognoſcendam huiuſmodi cauſam à nobis Iudicem deputatum, promptâ, & ſincerâ obedientiâ recognoſcat, illius mandatis vbilibet gentium, ſe citauerit, omni euocatione, & appellatione poſtpoſitâ, pariturus. Intereà verò, dum hæc cauſa coràm præfato Vicario diſcutitur, ab omni declamandi in populo, & publicè legendi officio per præſentes litteras prædictum Hieronymum ſuſpenſum eſſe decernimus. Cæterùm nè alteri cuiquam ex Fratribus veſtris malo exemplo eiuſdem Hieronymi libertate propriâ delectati, errandi, & decipiendi tribuatur facultas, locum iſtum Sancti Marci de Florentiâ, & Sancti Dominici apud Feſſulas Ordinis Prædicatorum, à modo præfatæ Congregationi Lombardiæ reunimus, incorporamus, annectimus, omnibus Fratribus prædictorum locorum, ſancti Marci, & Sancti Dominici ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnâ mandantes, vt Vicario præfatæ Congregationis Lombardiæ, velut ſuo legitimo paſtori pareant, & intendant. reuocantes ex nunc, & reuocatum eſſe decernentes, quicquid authoritatis, facultatis, ſiue poteſtatis cuiquam alteri, etiam Apoſtolicâ authoritate eſſet indultum. Iniungentes quoque ſub eiuſdem excommunicationis latæ ſententiæ pœnâ, Fratri Dominico de Piſciâ, & Fratri Thomæ Buſino, & Fratri Syluestro de Florentiâ, vt infrà ſpatium nouem dierum, quorum tres aſſignamus pro primo termino, tres pro ſecundo, & tres pro tertio, à notitiâ præſentium, Bononiam proficiſcantur, authoritate prædicti Vicarij Lombardiæ, in vno quopiam Conuentuum Congregationis, præterquã in dominio Florentinorum collocandi. In contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ, &c. Ex Diario Ioannis Burchardi Prothonotarij, & Cleri Apoſtolici.

XVII. Litteræ Alexandri PP. ad Sauonarolam quibus iubetur à prædicatione deſiſtere.

## V.

*Alexander Papa VI. Dilecto filio, Fratri Hieronymo Sauonarolæ de Ferraria, Ordinis Prædicatorum.*

*Dilecte fili, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

Licèt vberiùs per alias litteras noſtras in forma Breuis explicauerimus, quantum nobis diſplicuerint turbationes, præſertim iſtius populi Florentini, & eò magis, quòd habuerint ortum à prædicationibus tuis: quia conabaris, omiſſis vitiorum extirpationibus, laudibuſq́; virtutum, publicis in ſermonibus futura prædicere, affirmareq́; te illa habuiſſe à lumine æternitatis, ac inſpirante Spiritu ſancto: propter quæ, & ſimilia, ſimplices homines deuiare poſſent à via ſalutis, & obedientiâ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. debuiſſes enim potiùs procurare in tuis prædicationibus vnionem, & pacem, quàm ſimiles, quas vulgus vocat, prophetias tuas, diuinationeſq́; prædicare. Debuiſſes etiam conſiderare, quòd conditiones temporum vehementer repugnant tali doctrinæ, quàm in medium affers, quæ ſufficeret ponere diſcordiam, etiam vbi eſſet ſumma pax; quanto magis vbi vigent tales ſimultates, & factiones. Periculum itaque multarum animarum, & deſiderium noſtrum quietis iſtius populi, & vt ſatiſfaceremus officio noſtro Paſtorali adduxêre nos, vt ad te ſcriberemus, nec ſine maturo conſilio decerneremus omninò te vocare ad nos, vt te purgares à tibi impoſitis, quæ profectò ſi vera eſſent, non deberent impunè tranſire. Cùm autem nuper intellexerimus *ab aliquibus Fratribus noſtris Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & per literas tuas, & nuncios, quòd paratus es in omnibus per te dictis, vel factis, ſubijcere te correctioni Sacræ Romanæ Eccleſiæ, & Religioſi hominis, plurimùm læti ſumus, incepimuſq́; perſuadere nobis, ea te non prædicaſſe malo animo, ſed potiùs ſimplicitate quadam, & zelo proficiendi in vinea Domini; licèt certè contrarium experientia doceat. Verùm nè videamur talia penitùs negligere, quæ nullo pacto ſunt negligenda, decreuimus, iterùm ad te ſcribere, & reſpondentes litteris tuis mandamus tibi in virtute Sanctæ obedientiæ, quòd ampliùs abſtineas omninò ab omni prædicatione, tam publicè, quàm ſecretè, ita quòd non poſſit tibi imponi, quòd ceſſans à publicis ſermonibus, reuertaris ad conuenticula: quem modum omninò teneas, donec ſecurè, commodò, & cum ea honeſtate, quâ decet religioſum, non ſtipatus, vt intelligimus, militibus, poſſis ad præſentiam noſtram te conferre. Videbimus enim te hilari, & paterno animo, vel donec maturiùs deliberemus, quem modum debeas in futurum tenere; vel, ſi nobis videbitur, aliquem idoneum, & probum virum deſtinabimus. Quod ſi feceris, vt ſperamus ex nunc ſuſpendimus Breuia, & contenta in illis, quæ adſcripſimus, & quaſcumque clauſulas in eis contentas, vt quiete poſſis conſcientia tuæ vacare. Datum Romæ apud S. Petrum die decimo ſexto Octobris, milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo. Ex Diario Burchardi.

## VI.

*Alexandro VI. Pontifici Maximo. Frater Hieronymus Sauonarola Ferrarienſis Ordinis Prædicatorum.*

XVIII. Reſponſio Sauonarolæ ad omnia in ſe conficta crimina.

*Beatiſſime Pater. Poſt beatorum pedum oſcula.*

Exhibitæ fuerunt pridiè litteræ Sanctitatis Veſtræ Conuentui noſtro in forma Breuis quibus Conuentum hunc, & Conuentum Sancti Dominici ad Feſulas Congregationi Lombardiæ reuniſſe intimabat, & Fratrem Dominicum de Piſciâ, ac Fratrem Thomam Buſinum, & Fratrem Syluestrum de Florentia Bononiam proficiſci Sanctitas Veſtra præcipiebat; idque ideò factum fore, quod ego ipſe Hieronymus multa fatua, atque ſcandalum in Eccleſia Dei facilè paritura, contrà Canonicas Sanctiones dixerim, & publicè populo prædicauerim; cauſamq́; meam cognitioni, & punitioni Generalis Vicarij dictæ Congregationis per alias ſuas litteras ſubmittebat. quas litteras bono animo, & eâ quâ decuit, reuerentiâ ſuſcepimus, dum Sanctitatem Veſtram de ſtatu ſanctæ Eccleſiæ, & de ſalute animarum noſtrarum ſolicitam oſtendunt: ſed doluimus vehementer, ac dolemus, quòd eò vſque proceſſerit hominum malitia, vt ſint qui etiam ſummo Pontifici, ac Chriſti in terra Vicario, res tam falſas, tamque peruerſè interpretatas ſuggerere non formidauerint. Et quia ex prædictarum litterarum ſerie conſtat, totius huius rei effectum à me aſſertæ culpæ cauſâ proficiſci, parcat mihi benigna Sanctitas veſtra, ſi ego tanquam is, à quo dicitur oriri hæc tempeſtas, meam geſtorum veritatem, atque ſinceritatem, boni ſequuti, & qui ſequi ſperantur effectus, à falſis interpretationibus, aſſertionibus, & ſuggeſtionibus defendam. Neque hoc erit difficile: quia ego palàm locutus ſum mundo, & ſemper docui in Eccleſia, & in templo, quo omnes Chriſtiani conueniunt, & in occulto lo-





cutus ſum nihil. Hinc ſimplicitatis meæ, & probatæ doctrinæ tot millia teſtium habeo, vt nullo pacto, me apud Sanctitatem veſtram dubitem, cauſam meam ſine vlla prorſus difficultate defenſurum. Vt enim ait Philoſophus, verum vero conſonat, falſo autem diſſonat. Suggeſſerunt itaque inprimis Veſtræ Sanctitati, vt in eius litteris patet, me nouitate praui dogmatis delectatum; quod falſum eſſe clarum eſt. Publicè enim ſcitur, me nullum prauum dogma ſequi, nec prædicare; ſed Sanctas Scripturas duntaxat, & Sanctos Doctores; & in publica prædicatione ſæpe dixiſſe, & in ſcriptis reliquiſſe, me, & omnia mea Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubmittere: & hoc idem, ni fallor, Beatitudini Veſtræ ſcripſi in quibuſdam meis litteris; de quibus etiam ipſa fecit mentionem in Breui quodam Sanctitatis ſuæ ad me miſſo. Si quis autem dicat, quod prædicare futura nouum eſt dogma; falſum eſt: quia hoc ſemper fuit in Eccleſia Domini Dei, vt patet diſcurrenti Scripturas Eccleſiaſticas. Nihil enim obeſt Religioni Chriſtianæ, prædicare futura, dummodò non ſint contra fidem, vel bonos mores, aut rationem naturalem. Nec vnquam hoc fuit aliqua lege prohibitum, nec prohiberi poteſt. hoc eſſet Deo imponere legem, qui dicit Amos tertio. Non faciet Dominus Deus verbum, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos Prophetas.

Secundò in prædictis litteris dicitur; & in eam mentis inſaniam Italicarum rerum commutatione deductum, &c. Hoc etiam manifeſtè falſum eſt, vt ab omnibus ſcitur: quia præterierunt quinque anni, quibus hæc prædixi, vel plures etiam, quàm decem anni ſunt. Non ergo deductus ſum ad hoc propter commutationem Italicarum rerum.

Tertiò dicitur, & ſe miſſum à Deo, &c. Hoc quoque falſum eſt. Sciunt omnes, qui me audierunt, quia numquam dixi; immò in ſcripturis noſtris, quæ ab omnibus legi poſſunt, ſcripſi, quia eram miſſus à Prælatis meis, ſicut & ferè omnes alij Prædicatores; ſed numquam dixi, à ſolo Deo me miſſum, vt teſtes ſunt multa millia hominum.

Quartò dicitur, & cum Deo loqui, &c. Hoc etiam numquam expreſſè dixi, nec vnquam vtor tali modò loquendi, vt teſtis eſt vniuerſus populus Florentinus: quod etiamſi dixiſſem, nullam propter hoc incurrerem pœnam. non enim inuenitur in aliquo loco ſcriptum, nec in toto corpore iuris Canonici, nec Ciuilis, nec in aliquo authentico libro, quòd qui dixit, ſe cum Deo loqui, puniatur. Stultum etiam eſſet, & impium facere talem legem, cùm nullus poſſit imponere legem Deo. Poteſt enim ipſe loqui, cum quibus vult, & eis præcipere, vt dicant, Hæc dicit Dominus Deus, &c. Sicut Prophetæ faciebant.

Item ſuggeſſerunt, me dixiſſe, ipſum Deum Crucifixum mentiri, ſi ego mentirer, cùm neque hoc abſolutè dixerim, quaſi Deo me voluerim æquiparare: ſed in caſu tamen: verbi gratiâ, Si quis diceret, Erunt ſigna in Sole, & Lunâ, & Stellis, &c. & deinde dicat; Si ego mentior, CHRISTVS quoque mentitur; nunquid hoc execrabilis adiurationis genus? Ità ego aliquam veritatem, quam locutus eſt CHRISTVS aliquando cùm dixiſſem, ſubiunxi, ſi ego mentior, & CHRISTVS, &c.

Item in eodem Breui ſubſequitur, extra ſtatum ſalutis quemque fieri, vanis illius aſſertionibus non credentem. Hoc ego numquàm dixi, prædixi eſſe à Deo; qui obſtinato animo eis non vult credere, ſed benè hoc modo locutus ſum. quòd cùm ſciam multa, quæ ſed omninò ſtatuit contradicere; ſignum eſt, quòd is extrà gratiam ſit. quoniam, vt dixi, gratia, & lumen fidei ſemper inclinat ad veritatem. Ideò qui eſt in gratia, non poteſt contra veritatem, quæ à Deo eſt firmata. Verùm; qui noſtris aſſertionibus non credunt, nec tamen obſtinato animo contradicunt, dixi, & publicè ſcripſi, quòd poterunt eſſe in gratia, & ſaluari. Contradicentes, ergo non dixi, quod peccarent, ſed quòd modo, quo ſupra, illorum contradictio ſignum erat priuationis gratiæ in eis.

Prætereà ibidem dicitur, alia deinceps illum non minùs inepta facere, & dicere, ac ſcribere. quæ, &c. Totus ſiquidem populus iſte teſtis eſt, me nec dicere, nec facere inepta, nec ſcandaloſa, ſed quæ magnæ ſunt virtutis, & neceſſitatis in fructus multos, & ſalutem animarum, & ad pacem in ciuitate Florentinâ, & ad reformationem ſpectantia. Et cùm ſcriptum ſit, In ore duorum, vel trium teſtium ſtabit omne verbum, ego non ſolùm duos, vel tres, ſed duo, & tria, vel etiam decem millia teſtium in medium adducam, cum quibus & ipſa opera, non à me, ſed à Deo per me facta clamabunt, probabuntq́; me numquam talia dixiſſe, aut, &c. Similia, quæ aduerſum me reprobi homines compoſuerunt.

Prætereà in ipſo Breui ſequitur, quòd cogitamus longa cunctatione, & diuturnâ patientiâ noſtrâ efficere, fatuam illam Propheticam profeſſionem, &c. Ego arbitror, quòd nullus homo mundi prorſus poſſit inuenire, qui audiuerit vnquam ab ore meo tàm arrogans verbum, vt dixerim, me eſſe Prophetam: verùm è contrario multa etiam millia poſſunt teſtari, me ſæpè dixiſſe, non eſſe me Prophetam, neque filium Prophetæ, quòd etiamſi dixiſſem, non video, quare eſſem puniendus. Nulla enim facta eſt lex, aut fieri poteſt, quæ damnet hominem quemquam, qui ſe dicat ex ſpiritu diuino futura prædicare, niſi ſub hoc velamine populum ſolicitet ad malum, vel hæreſes, aut aliud quidquam præter hæc faciat, vt ſcribitur Deuteronomij decimo quarto, quod de me nullus dicere poteſt, vt notiſſimum eſt. Aliàs nullus ſurgere poſſet Propheta in Eccleſia Dei, & ſic hoc donum Prophetæ de Eccleſia tolleretur; quod eſt contrà illud Amos III. ſuperiùs allegatum, Non faciet Dominus Deus verbum, &c. & illud Prouerbiorum decimo nono. cum Propheta defecerit, diſſipabitur populus. Quòd ſi dicatur Deuteronomij decimo quarto, ſcriptum eſt, quòd Propheta qui arrogantiâ deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, vt diceret, aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur. quòd ſi euenerit, quod locutus eſt, bonus Propheta fuit: ſin autem, falſus, quòd non eſt intelligendum ſic, videlicet niſi ſtatim, quod prædixi, eueniat, interficiatur: alioquin fuerat interficiendus Eſaias, & Hieremias, & alij multi Prophetæ, & ipſe Chriſtus Dominus; quia multos annos vixerunt antè ea, quæ ab eis fuerunt prædicta; immò, & multa, quæ nec in eorum vita euenerunt. Et ideò intelligere oportet, quòd ſi aliquis dixit, ſe ex ſpiritu Dei futura prædicare, & ea, quæ prædicit, quæ non ſunt contrà fidem, nec contrà Canonicas Scripturas, nec contrà Catholicæ Eccleſiæ doctrinam, expectandus eſt patienter euentus eorum, nec ſpernendus eſt; maximè vbi vita bona coines fuerit. quia Deus multos ſeruos habet occultos. Ideò ait Apoſtolus; Prophetias nolite ſpernere. Si autem tempore à Propheta præfixo, non euenerint, quæ prædixit, tunc deberet acriter argui, & ſic lex ipſa intelligitur; quamquam id non ſemper. Nam Ionas quadraginta dierum ſpatium euertendæ Niniuæ prædixit: in quo tamen vrbs, neque euerſa fuit, neque ipſe correptus. Cùm ergo iam multa, quæ prædiximus, euenerint, adhuc non ſum arguendus, nec puniendus, quià illa futura prænunciauerim. Si autem cætera ſuo tempore non euenerint, meritò arguendus ero. Certus ſum autem, quòd euenient, nec ex eis vnus apex præteribit. Certè, Beatiſſime Pater, notiſſimum eſt non ſolùm Florentiæ, ſed etiam in diuerſis Italiæ partibus, quòd ex meis verbis ſecuta eſt pax in ciuitate Florentiæ: quæ ſi non fuiſſet ſecuta, tota Italia fuiſſet perturbata. Quòd ſi verbis meis adhibita fuiſſet fides, Italia hodiè hoc modo non pateretur. Nam eius præuidens afflictiones, licèt à multis ſemper fuerim deriſus, pronunciaui gladium venturum: ac pacis remedium oſtendi, ſolam eſſe pœnitentiam. Vnde Italia vniuerſa gratias pro me Deo agere deberet. Docui enim eam, remedium tranquillitatis: quod quidem Florentia ſeruans iam habet, quod non haberet: & ſimiliter ſi tota hæc faceret Italia, gladius nequaquam per eam tranſiret. Quid enim nocere poteſt pœnitentiæ? Nullus itaque verè teſtari poteſt, me ſcandala in Eccleſia ſeminaſſe: ſed ego innumeros habeo teſtes, quòd bona ſeminâ ſeminaui. Verùm inimicus homo, Zizaniam ſuperſeminauit, & incidit in foueam quam fecit.

Subiungitur prætereà in hoc eodem Breui, ſubdola calliditate, peruerſorum quorundam Fratrum, &c. Primum quidem peruerſos Fratres eos vocandos eſſe, quos

*nulla notat prorſus infamia, imò qui in toto hoc populo ſint optimæ famæ, non potuerunt ſuggerere Sanctitati Veſtræ, niſi improbi homines. Mittat enim eadem Sanctitas Veſtra aliquem ex ſuis fidelibus, qui ciues, & populum interroget, de famâ Fratrum Sancti Marci, & Sancti Dominici de Feſſulis, & probabit, & clariùs cognoſcet, quàm apertum fuerit hoc eorum mendacium. Secundò falſum eſt, quòd hæc ſeparatio fuerit impetrata à quibuſdam ſolummodò, & non ab omnibus, vt publico liquet inſtrumento. Tertiò, quia fuit impetrata; non vt laxiùs in libertate viueremus, ſed ſtrictiùs, vt effectus ipſe demonſtrat. Præterea nec ſubdolè fuit impetrata, cùm cauſa hæc longo tempore fuerit diſcuſſa, & maturè examinata, vt teſtis eſt Reuerendiſsimus Dominus Protector noſter Neapolitanus, qui hanc ſeparationem ſuâ prudentiâ impetrauit. Nam iuxtà ſeriem noſtrarum Conſtitutionum, hæc Prouincia eſt à prouincia Lombardiæ diſtincta, & vna alteri praeſſe non debet, propter peſtem quandam diminutis Fratribus, in hac prouinciâ Conuentus Sancti Marci de Florentia fuit per litteras eiuſdem Generalis Magiſtri vnitus, ſeu commendatus Prouinciæ Lombardiæ. Deindè Prior quidam non vocatis Fratribus alijs, Breue impetrauit, vt prædicti Conuentus Sancti Marci, & Sancti Dominici de Feſſulis & Sancti Dominici de ſancto Geminiano, etiam authoritate Apoſtolicâ vnirentur. quod quidem Breue nullius dubitatur fuiſſe valoris, cùm eſſet ſubreptitium. Quarè ſi augmentatis Fratribus, & multiplicatis, authoritate Sanctitatis Veſtræ ad ſtatum naturalem reuerſi ſunt, hoc dici non poteſt, id eſſe fraudulenter factum, imò eſt ſecundùm tenorem noſtrarum conſtitutionum.*

*Præterea ibidem ſequitur, Nam licèt, &c. vt infrà, tamen falſum eſt. Quamuis enim mihi præceperit Sanctitas Veſtra, quòd eam adirem; litteras noſtras tamen ad eam tranſmiſi, rationabiles cauſas adducens, quibus adire non poſſem, iuxtà illud Cap. Si quando. de reſcriptis. Prima fuit, quia infirmus, & valetudinarius eram, & periculo mortis me expoſuiſſem. Secundò, quia aduerſarios habeo capitales, & tales, quòd iudicio omnium, qui hoc ſciunt, Ciuium, Romam non potuiſſem peruenire, & hoc eſt quaſi publicum in ciuitate. Vnde nec poſſum ſine debita cuſtodiâ domum egredi. Tertia fuit propter ciuitatis periculum, cuius regimen adhuc erat debile, & noſtris monitis adeò ſuſtentatur, & perficitur. In calce autem litterarum rogaui Sanctitatem Veſtram, vt hac vice mihi parceret; quia aliàs maiori cum ſatisfactione venire poteram. Miror autem, quòd Sanctitas Veſtra litteras meas non habuerit, quarum copiam propter hoc in litteris Conuentus noſtri heri ad Sanctitatem Veſtram miſſis alligauimus, vt & ipſa videat, quod falsò locuti ſunt, qui dixerunt, me obedientiam recuſâſſe. Præterea cùm Beatitudo Veſtra ſit maximis rebus occupata, non poteſt de ijs, quæ particulariter fiunt, exactam habere notitiam. Quod intelligentes peruerſi homines; ſuggeſſerunt, vt hanc cauſam meam determinandam, iudicandam, & puniendam committeret Vicario Generali Conuentuum Reformatorum Lombardiæ Ordinis Prædicatorum; qui Iudex nobis ſummoperè iure ſuſpectus. Notorium eſt enim, quòd inter Congregationem Lombardiæ, & noſtram, propter ſeparationem prædictam, ortæ ſunt controuerſiæ maximæ; & quòd idem Vicarius vnà cum Fratribus, non ceſſat quotidiè nos infeſtare. Conſtitutum igitur aduerſarium alicuius, Iudicem eiuſdem, nouit Sanctitas Veſtra, quàm contrà omnia ſit iura, & diuina, & humana. Præterea, quando quis inimicos habet capitales, omnia iura illi concedunt, vt perſonaliter non teneatur comparere, vbi vita ſibi imminet periculum: quia hic timor eſt cadens in conſtantem virum. Quis enim auderet, vel quâ ratione aliquis tenetur Conſiſtorij talis ſubire iudicium, ſe in hoſtium ſinum ponere, & ad mortem per violentam iniuriam, non per iuſtitiam inferendam vltionem ſe offerre? vt Clem. Paſtoralis. de re iudi. Scribitur, ſubdendo in eodem textu rationem, quatenùs quidem hæc de iure timentur, hæc de morte vitantur. hoc refugit ratio, hoc abhorret natura. adiungens: deſiperet ergo, qui huiuſmodi citationem ſaperet arctare citatum. Quo iure, cum alijs pleriſq; tum in dicta Clem. tum in dicto cap. Si quando. per Doctores, & præcipuè eximium Sanctitatis Veſtræ Auditorem D. Fœlinum, & tuti ſumus, & impunè non paremus Sanctitati Veſtræ, iuſtas cauſas plures aſsignando. Ego enim inimicos habeo capitales, vt Sanctitati Veſtræ ſcripſi, & tot, & tales, vt non poſsim hinc recedere, nec ſine maxima cautione propter multiplices inſidias egredi. Quomodò igitur dicitur in prædicto Breui, quòd debeam parere huic Vicario Lombardiæ, vbilibet gentium, me citauerit; præſertim cùm multa ſint Italiæ loca, ad quæ nullo pacto ſine vitæ indubitato periculo me poſsim transferre? Vnde ergo hæc? niſi quia Sanctitati Veſtræ peruerſi homines ſubdolè, ea, quæ falſa ſunt, ſuggeſſerunt, & litteras noſtras ei non reddiderunt. Inimicos autem habeo tales, propter veritatem à me prædicatam, veritas enim odium parit. Plerique enim praui ciues, qui vnam factionem, non tam propter Reipub. ſtudium, quàm propter explendam ambitionem ſuam expulerant, Primatum affectantes, alias nouas, & plures hinc factiones, & ſimultates ſuſcitabant; & velut de hydra dicitur, vno truncato capite, plura naſcebantur: ex quo ſequebatur, vt diſſidente ciuitate, & tumultuante populi licentiâ, diſcordiæ, rixæ, vindictæ, ſeditiones, cædes, & vniuerſæ vrbis exitium impenderet. maximè aſsiſtente potentiſsimo Rege, apud quem odij fomites non deerant, ipſum de euerſione huius patriæ ſolicitantes. Sic ipſa ciuitas, tàm inteſtinis, quàm externis agitata odijs, facilè (niſi Deus ſubueniſſet) tum peritura, maius vniuerſæ Italiæ incendium ſubminiſtrâſſet. Ego quantum potui, Regis indignationem, & gladium auerti, præſentiam Ciuitatis periculo proſpiciens, eumq; ad clementiam, pietatem, & religionem hortatus ſum; monens, non ſolùm hic, ſed vbique locorum, ſuos à direptione, & ab atrocitate continere, & Dei timorem ſemper præ oculis habere. Deinde hæc ciuitas Dei munere incolumis, ex medio incendio ſeruata eſt, & in ea ciuium concordia, publica pax, ac Dei timor inductus eſt. Quid ego aliud potui diu, noctuq; vtilitati, ac tranquillitati hominum, & Diuino præcipuè honori totis viribus inſeruiens? aut quid magis neceſſarium eo tempore facere debui? Hanc denique laborum meorum mercedem ab ingratis reporto? quorum adhuc non me pœnitet, dummodò merces noſtra copioſa ſit in cœlis. Mendaces enim, & vani ſunt filij hominum, & vana eſt ſpes eorum. Et quamuis eos non timeam, qui ſcio ſcriptum eſſe, Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum; nolo tamen, Deum tentare: cùm & contrà ſcriptum ſit; ſi perſecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. & Dominus IESVS ſcit, quòd ter hoc nobis exemplum præbuit: & Apoſtolus Paulus humanis defenſionibus ſæpè vſus eſt. Præterea ius diuinum, & omnes Canones, & Doctores volunt, quòd religioſus quilibet poſsit tranſire à laxiori regulâ ad ſtrictiorem: & hoc maximè facere debet in eadem religione, quia tenetur ſeruare, quod Deo promiſit, & ad perfectionem tendere vt dicit ſanctus Thomas. non autem poteſt è conuerſo, è ſtrictiori, ad laxiorem tranſire, niſi fortè infirmitatis gratiâ, non poſſet in ſtrictiori viuere. Si ergo Sanctitas Veſtra ſciret, Fratres congregationis noſtræ ſtrictiùs viuere, quàm Fratres Lombardiæ: certè, cùm ipſa cupiat, religioſos ad perfectionem tendere, non præcepiſſet, vt congregationi Lombardiæ reuniremur. non enim eiuſdem reuniri poſſumus, niſi eiſdem conformemur, Quod autem ſtrictiùs viuamus, quàm Fratres Lombardiæ, nos qui vtriuſq; Congregationis ſecreta nouimus, certi ſumus: & hoc extrinſecus apparet ex multis ſignis. Scriptum eſt enim; A fructibus eorum cognoſcetis eos. Primum quidem, quia poſſeſsiones nec in communi habemus; nec habere volumus. Hoc autem ipſi non ſeruant. Item, quia in victu, & veſtitu parciores ſumus, vt ad oculum experientiâ patet: tum quia in ſilentijs, & orationibus frequentiores, vt qui fuerunt inter nos teſtantur. Teſtis eſt tota ciuitas, quod magna eſt differentia inter vitam Fratrum noſtrorum his temporibus, & eorum vitam, quando erant vniti Congregationi Lombardiæ: Omnes enim fatentur: Fratres noſtros ad ſtrictiorem vitam tranſiſſe: & hæc patent in oculis eorum. Huius rei etiam ſignum eſt: quod cum Congregatio Lombar-*





*diæ obtinuerit excommunicationem ſpecialem, contra eos, qui ſine licentia ab ea recedunt: ſi noſtra Congregatio ſit libera, quod ita qui volunt recedere, liberè poſsint, tamen vix poteſt Congregatio Lombardiæ retinere bonos ſuos Fratres, vt ad nos non tranſeant; & iam aliquot ex eis probati viri ad nos tranſierunt. de noſtris verò qui ſunt liberi, nullus ad eos probatus adhuc tranſiuit, nec tranſire vult: quod & ex hoc patet, quia audientes huius prædicti Breuis tenorem, valdè turbati ſunt omnes, & ſtatuerunt omnes ſe defendere coràm Sanctitate Veſtra, dicentes vnanimiter, ſe velle ſeruare Deo, quod promiſerunt, nec vllo pacto volunt vitam relaxare, ſed in Deo confiſi magis reſtringere. Præterea ſcimus non eſſe de intentione Sanctitatis Veſtræ, exoſos Paſtores præficere ouibus. Non enim paſcerent oues, ſed raperent, & occiderẽt. Sciat igitur Sanctitas Veſtra, quòd propter moleſtias, quas noſtris Fratribus intulerant Fratres Lombardiæ, qui ſæpè pacem noſtram perturbauerunt, hæc reunio non poteſt eſſe, niſi valdè moleſta Fratribus, & odioſa, ex qua ſequentur perturbationes ouium, & ſcandala potiùs, quàm vtilitas animarum. Quod etiam patet ex hoc, quòd quandò temporibus retroactis erant Fratribus Lombardiæ vniti, numquam veram pacem habuerunt, cum eiſdem: quia non ſunt conformes in moribus. Vndè etiam Conſtitutiones noſtræ non ſine cauſâ, has duas Prouincias ab inuicem diuiſerunt. Præterà, ſi Sanctitas Veſtra reuniat Conuentus noſtros Conuentibus Lombardiæ, ità ſine cauſa, Conſtitutiones noſtræ offenderentur. Præterea, cùm Sanctitas Veſtra in litteris ſuis dicat, ſe hos Conuentus, & Fratres reunire Congregationi Lombardiæ, nè propterea libertate delectati, ſequantur errores meos, & tribus Fratrum noſtrorum præcipiat, vt in termino nouem dierum Bononiam proficiſcantur, & cùm notum ſit, me in nullo eorum errâſſe, quæ mihi ab aduerſarijs imponuntur, confidenter dicere poſſumus, hoc non eſſe de intentione Sanctitatis Veſtræ. Ceſſante enim cauſâ, ceſſare quoque debet effectus. Cùm igitur Beatiſsime Pater conſtet, omnia, quæ Sanctitati Veſtræ ſuggeſta ſunt, eſſe falſa, & à peruerſis hominibus, qui quærunt animam meam, eſſe, & fuiſſe falsò conficta qui me ex hac vrbe aſtutijs ſuis cupiunt educere, non vt veniam ad pedes Sanctitatis Veſtræ, coràm quâ ſciunt, me omnia noſtra facilè defenſurum, ſed vt me interficiant in itinere, ambitione ſuâ tyrannidem affectantes. Non indignabitur eadem Sanctitas Veſtra, defenſiones noſtras piè admittere, & nos potiùs, vt arbitror, prudentes, quàm inobedientes appellare. Dum interim ſuperſedemus, vt intelligamus Patris, & Domini noſtri benignam reſponſionem, & ab huiuſmodi grauaminibus liberam abſolutionem. Nam doctrinam hanc à prædeceſſoribus Sanctitatis Veſtræ, & Doctoribus Sanctis, videlicet Theologis, & Canoniſtis didicimus, vndè inter alia multa allegari poſſent, ſpecialiter hoc patet, ſicut plenè nouit Sanctitas Veſtra, vt in præallegato Cap. Scribentes, & maximè per Dominum Felynum Ferrarienſem eiuſdem Sanctitatis veſtræ benè meritum Auditorem, cui niſi ea notiſsima eſſent, in litteris præſentibus ea ſubſcriberemus. Quod autem omnia quæ ſuperius ſcripſimus, vera ſint, vbi oporteat, non erit difficilè nobis probare. Mittat Sanctitas Veſtra vnum de ſuis fideliſsimis virum iuſtum, & non ſuſpectum, & clarè ab vniuerſo ferè populo, poterit certificari, & ego paratus ſum in omnibus emendare meipſum, vbicumque ero, & publicè coràm populo vniuerſo omnia errata mea reuocare. Dignetur Sanctitatis Veſtra mihi ſignificare, quid ex omnibus, quæ ſcripſi, vel dixi ſit reuocandum, & ego id libentiſsimè faciam. Nam & hac vice, & ſemper, ſicut ſæpiùs dixi, ac etiam ſcripſi, meipſum & omnia mea dicta, & ſcripta ſubijcio correctioni Sanctæ Romanæ Eccleſiæ & Sanctitatis Veſtræ, cui ſemper meipſum, & Fratres meos eiuſdem pedibus proſtratus plurimùm commendo. Florentiæ ex Conuentu Sancti Marci, die vigeſima nona Septembris, milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo. Beatitudinis Veſtræ filius, & ſeruus, Frater Hieronymus. ex diario Mſ. Ioannis Burchardi.*

XIX. *Varia opera à Sauonarola compoſita.*

Prouocabat Sauonarola, ad libros à ſe elucubratos. Multa namque varij generis Latinâ linguâ compoſuit, proſâ, oratione; nonnulla quoque italico Idiomate, tàm proſa, quàm verſu. Ex his, ad oſtendendam, fidem, quam profitebatur, & ad obſtruendum os loquentium iniqua, qui calumniabantur ipſum hæreſes, & ſchiſmata docere. Triumpum Crucis, quatuor libris diſtinctum ſcripſit: opus ſanè Catholicum, & florentiſsimum, ad probanda Fidei dogmata, omni genere argmentorum refertum. Calumniabantur præterea in eo ſpiritum Propheticum: ad quam calumniam diluendam, ſcripſit Commentarium de Propheticâ veritate, ſeu reuelatione. Tertiò mores quos formabat criminabantur. Contrà hos de ſimplicitate vitæ Chriſtianæ librum fecit, in quo comprehendere voluit omnia, quæ ad benè, beateque viuendum homini Chriſtiano videntur vtilia. Quartò, formam Reipublicæ Florentinæ ab eo introductam carpebant. Et hanc quoque rationi conſonam eſſe oſtendit, ſcripto libro, de Regimine Reipublicæ Florentinæ. Librum quoque in defenſionem Fratrum Sodalium, qui ſub Etruſcâ congregatione degebant, compoſuit, ob Summi Pontificis moleſtiam, qui eos nunc Congregationi Romanæ, nunc Lombardiæ miſcere volebat. Scripſit præterea librum, cui titulum fecit, *Solatium itineris mei.* Epithomata in naturalem, moralemque Philoſophiam. Decem libellos de Dialectica. Opus de Poetis, ad retundendam quorundam in Poetis gentium colendis nimiam curam. Commentationes plurimas in Sacra eloquia. In mundi Geneſim à Moyſe narratam, in eandemque Geneſim ſparſim. Complura in partem libri Leuitici. In Pſalterium Dauidis vniuerſum curſim, & paucis; in nonnullos Pſalmorum ampliter, in eum præſertim, cuius initium, *Qui Regis Iſrael, intende.* In Salomonis Cantica Commentarios breuiſsimos, & ſtylo quaſi Laconico exaratos. In Hieremiæ etiam threnos, quæ Lamentationes à nobis dicuntur. Sed & quadruplicem Dominicæ Orationis expoſitionem perfecit, & quid fieri commodè poſsit, ſimul edocuit, vt ex lectione ad orationem, ex eaque ad meditationem, & contemplationem homines aſcendant. Iob quoque librum interpretari aggreſſus, in quintum & decimum caput eiuſdem varijs diſtentus occupationibus deſijt: quæ impedimento etiam fuêre, nè cœptam Euangeliorum interpretationem abſoluerit. Addidit Concluſiones perbreues Pontificiorum decretorum, quas expreſsit. Opuſculum item edidit, quo illi erudirentur; qui & audiendis peccatis, & impertiendo Pœnitentiæ Sacramento præſunt, quod *Manuale Confeſsionum* vocauit, ex communibus ſententijs maximè confectum. ac expoſitionem exactam in Gradus Beati Bonauenturæ Ordinis Minorum, quibus ad perfectionem vitæ ſpiritualis aſcenditur, Agamemnonis Bononienſis edidit rogatu. Ampliùs quæſtiones plurimas tum Philoſophicas, tum Theologicas terminatas reliquit vario argumento: nec non benè viuendi regulas complures, ſimul, & epiſtolas varijs de cauſis. Linguâ vernaculâ edidit, de CHRISTI amore, de Oratione, de humilitate, de mentali oratione, de Sacro Miſſæ, & myſterijs; in decem præcepta; de viduali vitâ; aduersùs diuinatricem Aſtrologiam. Ad Sacerdotes item, & Clericos, themate ex Leuitico ſumpto, monitorium opus, quod pro eorum vitâ norma haberi poteſt. Regulas ad religioſos viros. Exhortatorias epiſtolas ad benè viuendum, quarum præcipua eſt, quam Franciſci Pici rogatu, ad Magdalenam eius ſororem, Cœnobium Virginum ſub Sanctæ Claræ Regulam iam iam ingreſſuram conſcripſit. Scripſit & expoſitionem Angelicæ Salutationis ad Virginem Dei Matrem. Spiritale antidotum aduersùs peſtilentiam corpo-

ralem. Hymnos item, & rythmos ſpirituales, quos populi decantarent. Extant & ſermonum eorum, quos habebat ad populum, nonnulla volumina typis excuſſa; quæ Notarij, pronunciante illo ex ſuggeſtu, exceperunt, & in publicam vtilitatem emiſerunt. *Picus in vita Sauonarolæ c. xiij.* Ab exceptorum manu aliqua in pauculas Conciones irrepſerunt, Romana correctione non indigna. Earum concionum exempla, donec corrigantur, fuerunt in Romano indice ſignata: fruſtrà adnitente Iacobo Lainez Societate IESV Præpoſito Generali, vt omnia Sauonarolæ opera igni cremarentur, & inter damnatæ memoriæ authorum libros recenſerentur. Rem adſcribam ex Tabulario, ſeu proceſſu Canonizationis Sancti Philippi Nerij Florentini, Congregationis Oratorij Romæ Conditoris. Hic (vt refert Franciſcus Zazara, eiuſdem Oratorij Presbyter) fuit Sauonarolæ deuotus, eiuſque imaginem, caput radiatum habentem, in cubiculi ſui ſacrariolo retinebat, & venerabatur. Accidit ad annum Domini milleſimū quingenteſimū quinquageſimū ſextum, vt Iacobus Lainez, ab aduerſarijs Sauonarolæ excitatus, apud Paulum Quartum Pontificem Maximum, pro damnatione operum Sauonarolæ inſtaret. Indignum id viſum inprimis, Angelo Diaceti, Priori Conuentus ad Mineruam Romæ, (qui non multò poſt Eccleſiæ Feſulanæ præfuit Epiſcopus;) & Paulino Bernardini Lucenſi, vitæ Regularis in Aprutio ſui Ordinis Prædicatorum inſtauratoris, qui multis viuens, & vitâ functus miraculis claruit; nec non alijs Dominicanis, viris doctrinâ, & morum integritate præluſtribus, qui inſolentem audaciam aduerſariorum admirati, nè opera Sauonarolæ rogo imponerentur, ſatagebant; & quâ apologijs conſcriptis, quà precibus ad Deum porrectis, pro iuſtitia decertabant. Huic rei, orationem Quadraginta horarum priuatim in Cœnobij Mineruitani quadam aulâ inſtituerant, & ad implorandam diuinâm panopliam, inter alios amicos deuotos, quos aliquid apud Omnipotentem poſſe exiſtimabant, S. Philippum Nerium, Franciſcum Mariam Tarugium eius ſocium, (qui poſteà Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Eccleſiam Sanctis exemplis illuſtrauit) & Antonium Barbaroſſam Medicum illius inuitauerant, qui preces, precibus ad Deum pro Sauonarolâ adiungerent. Eo ipſo mane, de ſumma rei coràm Paulo Pontifice diſceptatio erat inſtituta; & aduerſarij, nullum alium, quàm atrum calculum expectabant: dum inter orandum, Sanctus Philippus Nerius in extaſim raptus, & ad viciniorem cellulam, è conſpectu diuiniſsimi Sacramenti tranſlatus, paulò poſt ad ſe reuerſus, voce, quæ audiri poterat, alacriter dixit; *Gratias agamus, Domino Deo noſtro. vicimus, vicimus, Patres. Deus exaudiuit noſtras ſupplicationes, Patres, Grates referamus Deo, patres.* quæ cùm Patres præſentes, adhuc trepidi, interque ſpem, & metum poſiti ſecum expenderent, ecce pòſt aliquantum temporis, Paulinus è Palatio Apoſtolico reuertens, id quod S. Philippus ex diuina reuelatione agnouerat, calculum pro Sauonarola ipſo momento quo Sanctus Philippus orans in extaſim raptus fuerat, latum renunciauit; quandò Paulus Pontifex, ex ſententia S.R.E. Cardinalium, friuolas oppoſitiones aduerſariorum Sauonarolæ cognouit, & pro Sauonarola pronunciauit. *ex proceſſu Canonizationis S. Philippi pag. 94. 95. 103. 505. Romæ in archiuo Oratorij S. Mariæ Vallicellanæ aſſeruato.*

XX. *Vindicta diuina in aduerſarios Sauonarolæ.*

Neſcio, an ſpecies vindictæ diuinæ fuerit in aduerſarios Sauonarolæ, hoc anno 1497. exercitæ, quandò Piſaurienſium Regulus, Lucretiam filiam Alexandri Pontificis ſibi deſponſam, & tranſmiſſam, ob ſuſpicionem probri recipere noluerit, omninoque recuſauerit; nec non Marianum Genazanum, Eremitarum Generalem, à Pontifice conciliatorem, quæ ſubortæ ſunt, diſſenſionum ſubmiſſum, in itinere dilapidare, ſpoliareque, ſuis excubitoribus præceperit. *Nardus hiſt. Florentinæ. lib. 2. pag. 64. editionis Florentinæ.*

Plures aliæ, & grauiores calamitates Alexandro enatæ ſunt, occaſione eiuſdem Lucretiæ, & Cæſaris Cardinalis Valentini. Repetam priùs, quid de regno Neapolitano ille ipſe ſtatuerit, quidue Proceres eius regni fecerint, aut tentauerint, nec non quid Reges Romanorum, Hiſpaniæ, & Galliæ fuerint moliti.

XXI. *Friderici Regis Neapolitanorum creati largitas.*

Regnum Neapolitanum ſuo diplomate conceſſerat, Friderico, Ferdinandi demortui patruo: cùm ille, vt id aſſequeretur, multa Borgijs ſe largiturum pollicitus fuiſſet. Non multò poſt Cæſar Cardinalis, miſſus Neapolim, iurato in Pontificis verba, veluti beneficiario, coronam capiti impoſuerat. Adfuit vniuerſæ cœrimoniæ Archiepiſcopus Coſentinus. Populus nō ſecus, ac ſi pacata prouincia eſſet, promptâ adulatione, gratia haud diuturna, eius diei lætitiam ludis, conuiuijs, & exquiſito apparatu, ac ſumptu celebrauit. Rex etiam ſe in eos munificum exhibuit, quorum præclara opera extiterat. Itaque peractis ſacris, voce præconis, Proſperum Columnam, Traiecti Ducem, Fundanum Comitem eſſe voluit; Fabricium Columnam, Talliacotij Ducem, Gargani Magnum Conſaluum, Piſcarij Marchionis extincti fratrem Enecum Daualum, Vaſti Marchionem denunciauit. Plura alia multis è nobilitate largitus eſt. his debita dimiſit, alijs dedit immunitates, nullâ in poſterum cura regnū lacerare. Omnium voluntates ea beneficentia promereri erat propoſitum, qua popularium animi maximè capiuntur. Munificentiam celebrabat vulgus, quidā etiam pecunijs mercabantur. Sapientes irrita iudicabant, quæ neque dari, neque accipi poterant, incolumi Imperij maieſtate. Antonellus San-Seuerinus, Salerni Princeps, celebritati non interfuit; vocata quamuis per edictum nobilitate venire renuit; quin potiùs arces denuò armis, & commeatu comparato communiuit, *Mariana li. 26. c. 16.* ſiue Gallicis ſtudijs inueteratus, & Aragonis maximè infenſus, *Iouius lib. 4.* ſcribit, ſiue ſuſpicione, nè veteres iniurias Rex vlciſceretur, vt Guiciardinus ab hoc caſu inſinuat. Nam cùm quadam nocte Biſiniani Princeps, in caſtelli noui Neapolitani egreſſu, à quodam Græco grauiter eſſet vulneratus, tantus Principem Salernitanum, nè hoc Regis iuſſu ad præteritas iniurias vlciſcendas factum eſſet, terror inuaſit, vt ſtatim ſuſpicionis causâ minimè diſſimulata, Neapoli Salernum ſe contulerit: & quamuis Græcum à quo ob iniuriam, vt conſtabat, ab eo multos antè annos in vxoris corpore acceptam, fuerat vulneratus, captum Rex, in eius poteſtatem miſiſſet; nihilominus vt in veteribus, grauibuſque odijs firmam pacem conſtituere, quod ea vel ſuſpicione, vel vltionis cupiditate impediatur, difficile eſt, numquā ampliùs Princeps, vt Regi fideret, flecti potuit. *Guiciard. lib. 3.* Alienatæ voluntatis argumento, Fridericus Rex irritatus, vim, & arma Salernitano intulit, ac intra Dianum, præcipuam arcem è multis, quas firmiſsimas, ditione is poſsidebat, obſedit. *Mariana lib. 27. c. 1.* Ille Caroli opem implorauit, ac ſimul Alexandrum Pontificem, per Cardinalem San-Seuerinatem de affinitate tentauit, ſi Pontifex filiam Lucretiam, à Piſaurenſi Regulo repudiatam, Roberto filio in matrimonium vellet collocare. Non abnuit Alexander; & nihil ferè æſtimata, Friderici Regis, quam cum eo contraxerat neceſsitudine, Lucretiam Roberto ſpopondit; oblato San-Seuerinati trecentorum hominum autoramento, ſi Romam veniret, & vniuerſis Eccleſię copijs præeſſe vellet. Quæ verò deſtinauerat, omninò confeciſſet, niſi Dux Mediolani interceſsiſſet, prædicens id, non tantum familiæ, atque Eccleſiæ, verùm etiam vniuerſæ Italiæ fore exitio. Ea res non potuit latere Fridericum Regem: vndè ſuſpiciones primùm de hinc diſſentiones natæ, ad Alexandri contumeliam, qui perduelli Antonello fauere viſus eſt contrà Regem. *Surita lib. 3. c. 8. de rebus Ferdinandi Catholici.*





XXII. *Cædes Ducis Gādiæ.*

Grauiora ſunt, quæ à cæde Ducis Gandiæ acciderunt. Fuit ea repentina, non minùs quàm ſæua. Id qua ratione contigerit, explicandum exiſtimo. Nocte quadam ad 18. Calend. Iulias, ex hortis vbi cænati erant Dux, & duo Cardinales, Valentinus, & Borgia, ſe domum referebant. Diuertit de via Dux cum vnico à pedibus famulo; quem etiam à ſe dimiſit, arma quæſitum. Fecit ille, vt erat imperatum; verùm in reditu, horum non inuenit, neque verò die proximo omninò intelligere potuit, vbi eſſet. Mula tantùm quâ vehebatur, ad Flaminiam portam vrbis eſt inuenta, indicium aduerſi alicuius caſus. Maiori diligentia & inquiſitione quæſitum, cognitum è nauiculario eſt de media nocte, è cymba, in qua pernoctabat; vidiſſe hominem è mula, quâ portabatur, ab alio in clunibus inſidente, & duobus ab vtroque latere, ad extremum pontem, vbi ventum eſſet, in ſubiectum flumen præcipitem darum. Rogaſſe qui in mula ſedebat, an mergeretur; ac duobus affirmantibus, diſceſsiſſe omnes. Loco à nauicolario deſignato, vrinantes, ad imum vſque flumen, quæſitum diligenter corpus inuênere nouem fædatum vulneribus, cum veſtibus, & reliquo omni ornatu. Autor cædis quis eſſet, explorari nō potuit. Multi ſuſpicionibus exagitati. Quidam ab Vrſinis occiſum putarunt, iram in patrem conceptam, in filium expromentibus ſcilicet. Alij Aſcanium Sfortiam Cardinalem ſugillare, haud minori odio incenſum in Borgias. Cæſaris Valentini Cardinalis fraus ſuſpecta erat alijs, & paulatim in plures cæpit manare ſuſpicio. Quæ fama præualuit, quaſi inuidiâ ſtimulatus, quòd in Gandiæ principatu minor ætate frater, ipſi eſſet anteà prælatus, dolorem eâ cæde vindicaſſet. Odium in Pontificem conceptum efficiebat, vt procliui in deterius perſuaſione populus ſiniſtra interpretatione cuncta acciperet. Nempè inſenſum ſemel principem, alienæ ſæpè culpæ grauant. Et ſanè ipſe Pontifex, Cæſarem autorem cædis agnouiſſe viſus eſt, quando in conſiſtorio calamitatē Ducis occiſi deplorauit, & Pontificatu abire, aut vitam in melius ſe velle commutare, dixit: & ad reformationem cleri ſex purpuratos Patres deputauit. *Mariana li. 26. c. 15. ex Diario Bruchardi.* Sed ploraſſe, & voluiſſe, ſatis viſum Alexandro: qui non ad caſtigandum, ſed ad euchendum Cæſarem paterna propenſione incitatus, etiam Italico fæderi renunciare, & Caroli Regis Galliarum amicitiā ambire properauit, ſi modò is Cæſari, qui purpuram exuere deſtinabat, aliquam affinem ſuam matrimonio copularet, & dynaſtiam, ſeu Ducatum aliquem vtrique conferret. *Surita l. 3. c. 13.*

*Inuidia in Alexādrum ob amicitiā Gallicam.*

Id verò maximam Alexandro inuidiam, & ſubinde moleſtiam conflauit, quòd amicum, & à ſe datum Neapolitanis Regem deſerere videretur; maximè quando Hiſpaniæ, & Galliæ Reges inducijs pactis, de pace inter ſe agentes, regnum Neapolitanum ad ſe trahebant. Fridericum Regem Neapolitanum Galli propter paternos natales vitioſos, iniuriâ id regnum occupare priores accuſarant. Eo excluſo ius regnandi ad Gallum neceſſariò, aut Hiſpanum pertinere. Præſtare poſitis armis illud inter ſe per conditiones partiri. Non diſplicebat ea conditio Ferdinādo Catholico, neque dubitabat, totam controuerſiam, Maximiliani Cæſaris arbitrio permittere. Recuſabat Gallus ius ſuum minimè dubium, vt ipſi videbatur ad iudicum examen vocare. Ferdinando tamen, ſi regnum id ſibi cederet, æquam compenſationem offerre aut in pecunia, aut alia quapiam ratione: vſque eò vt Vaſconum regnum, ſe daturum polliceretur, quorū Reges habere Ferdinandus ſuſpectos habere cæperat, Labretis, & Fuxenſibus, vti natura cogebat, ad Gallos nimium propenſis. Ad Medinam Campeſtrem, quò Galli Oratores venerant, de re tanta diſceptatio erat inſtituta. Studio ij prouecti ſui Regis nomine, Brutios, & Magnam Græciam in extrema Italia pacis pretium promittebant, ea tamen exceptione, vt ſi reliquo regno ſubdito victor Gallus eam etiā prouinciam ſuæ ditionis facere vellet, Vaſconū regno mutare liceret: additis tamen 30. aureorum millibus annuis exæquarentur, cùm eius prouinciæ, minora Vaſconum regni vectigalia. Gallicis pollicitis ita mouebatur Ferdinandus, vt belli potius odio mallet, Friderico regnum confirmari, tantum pecuniæ datum Gallis, quantum delecti arbitri pro factis in ſuperiori bello ſumptibus iudicaſſent, annuo quin etiam tributo adiecto, quod in omne tempus penderetur. Et quò fædus eſſet ſtabile, Ferdinandus Dux Calabriæ Friderici filius natu maior, Borbonij Ducis filiam ex Regis Galli ſorore natam duceret, dotis nomine veniam, & pacem in eam Regiam illaturam. *Mariana li. 26. c. 16.* In ea de regno Neapolitano tractatione, cùm indiciæ vtrimque pactæ fuiſſent, Ferdinandus earundem conditionibus, & priuilegijs cōprehendebat Pōtificem, Cæſarem, Philippum Archiducem, Anglum, Luſitanum, Neapolitanum, Vaſconem, Scotum Reges, Sfortiam, Venetos, Genuenſes, & Piſanos: Carolus plures nominabat, Pontificem, Iulianum S. Petri Cardinalem, Cæſarem, Vngariæ, Bohemiæ, Poloniæ, Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Luſitaniæ, & Nauarræ Reges: Archiducem, Sabaudum, Lotharingum, Ferrarienſem Duces, Monferratenſem, Salutium, Florentinos, & quoſdam alios non paucos. Ex qua re cum omnibus liqueret, intentionem Regum paciſcentiū fuiſſe, Pontifice veluti arbitro, & conciliatore medio vti (quandoquidem vterque induciarum pactis eum cōprehendere voluerat;) non potuit Pontifex effugere, quin homines diuulgarent, quòd ille, Caroli fœdera anteponebat, & in gratiam huius S. Petri Cardinali, omnium aduerſariorum infeſtiſsimo, omnes iniurias remittebat; ſiue is vellet Senogalliæ aut alibi tātiſper reſidere, ſiue Romam venire. Hinc maximi dolores Alexandro, quos calamitates ſiue priuatę, ſiue publicæ paulò poſt expreſſerunt: accedente etiam in partē ſiue artib. Ferdinādi, ſiue à priuatis oſſēſis publiciſque Maximiliano Cęſare, cui Cardinalis S.a Crucius Alexandri Legatus, quaſi edixerat, nè Romā hoc turbulento tempore pro ſuſcipiendo diademate accederet. Nam & is, non multum æquo ferebat animo, quæ in Pontificia agebantur; ac in grauem ſuſpicionem ducebatur, quando intellexiſſet, Sancta Cruciū Cardinalem Legatum in Galliam mitti, ſpecie, pacis vniuerſalis conciliandæ, inter Reges Europæos, nè is aliud, quàm pacem communem tractaret. *Surita lib. 2. c. 43. 44. l. 3. c. 4.*

XXXII. *Edictum Pontificis contra non ſoluentes cenſum Cameræ Apoſtolicæ.*

Dederat cauſam Pontifici Fridericus Rex, non ſolutis vectigalibus ex eo regno Sedi Apoſtolicæ debitis. Vnde præter ea, quæ ſuperius memorauimus, habuit etiam hoc anno edictum publicare, contrà non ſoluentes cenſus Eccleſiæ Romanæ. Ita habet.

*Alexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilectis filijs vniuerſis, Vicarijs, Feudatarijs, Gubernatoribus, cenſuarijs, ficiuarijs, emphyteutis, ſiue adminiſtratoribus Ciuitatum, Terrarum, Caſtrorum, & bonorum S.R.E. quacunq; dignitate fungentibus, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

C*VM ex relatione dilecti filij Mariani de Ciuinis, Fiſci noſtri, & Cameræ Apoſtolicæ Procuratoris in-*

*Contra non ſoluentes cenſus & alia iura Cameræ Apoſtolicæ*

*tellexerimus, quamplures ex vobis in ſolutione iurium, regalium, cenſuum, feudorum, Canonum, emphiteuticorum, taliarum, perpetuarumq; reſponſionum per vos eiſdem Eccleſiæ, & Cameræ debitorum, quàmpluribus annis contrà iuramenta, per vos in inueſtituris veſtris præſtita, ac formas, & tenores ipſarum inueſtiturarum, & conceſsionum, iuriſq; diſpoſitionum, ſpecialeſq; monitiones per alias litteras noſtras, per nos vobis factas, in terminis ſtatutis, & conſuetis ceſſaſſe, & ceſſare, in graue dictæ Cameræ præiudicium, & detrimentum, ſub prætextu etiam aliquando, quòd nonnulli ex vobis prætendunt, ſe creditores dictæ Cameræ, & compenſationes, licet contra iuris diſpoſitionem facere nituntur.*

*§. 1. Nos, qui aliena iura tuemur, nolentes iura dictæ Eccleſiæ, & Cameræ negligere, omnemq; diſceptationis materiam ſubmouere intendentes, vt in terminis ſolutionum debitorum huiuſmodi nullus veſtrum dilationem, aut compenſationem, vel excuſationem allegare præſumat, vos, & quemlibet veſtrûm cuiuſcumque dignitatis, ſtatûs, gradûs, & præeminentiæ exiſtat, tenore præſentium ſub excommunicationis, ac omnis iuris, Vicariatus, Gubernij, & feudorum ſiue cenſuum, & emphiteuticorum bonorum, huiuſmodi à dicta Sede, ſiue Cameræ Apoſtolicâ quomodolibet conceſſorum priuationis pœnis, quas ex nunc prout ex tunc, & ex tunc, prout ex nunc in vos & quemlibet veſtrum, niſi monitionibus, & mandatis huiuſmodi cum effectu parueritis, ferimus in his ſcriptis, illaſq; vos incurrere volumus ipſo facto (alijſq; pœnis tàm à iure communi, quàm in litteris inueſtiturarum veſtrarum contra vos promulgatis, nihilominùs in ſuo robore permanſuris) monemus, & requirimus, quatenùs de omnibus, & ſingulis iuribus, regalibus, cenſibus, talijs, & feudorum, cenſuum, Canonum, emphiteuticorumq;, & bonorum quorumlibet à dicta Eccleſia obtentorum, per vos, & quemlibet veſtrum hactenùs dictæ Cameræ debitis, infra vnius menſis ſpatium à die publicationis præſentium computandi, dictæ Cameræ perſoluiſſe, de debendis verò in futurum in vigilia, aut die feſtiuitatis Beatorum PETRI, & PAVLI Apoſtolorum ſucceſsiuè ſingulis annis, vt moris eſt, alijs ſuis terminis iuxtà Apoſtolica, & dictæ Cameræ inſtituta, eidem Cameræ depoſitario pro tempore exiſtenti, vbicumque Cameram adeſſe contigerit, ſatisfeciſſe debeatis, & vnuſquiſque, prout debitor exiſtit, debeat.*

*§. 2. Alioquin aduenientibus Feſtiuitate, & termino ſolutionis huiuſmodi, contrà omnes, & ſingulos ſoluere ceſſantes ad declarationem incurſus pœnarum, & cenſurarum, ac priuationis prædictarum, illarumq; debitam executionem per dilectum filium noſtrum, Raphaelem. ſancti Georgij ad velum aureum Diaconum Cardinalem, Camerarium noſtrum, ſiue etiam in dicta Camerâ Locum tenentem, ac dilectos filios præſidentes Clericos dictæ Cameræ procedatur iuſtitiâ mediante, quibus ex tunc tenore præſentium committimus, & mandamus, vt aduenientibus feſtiuitatibus, & terminis ſolutionum huiuſmodi, vobis, & quemlibet veſtrum ſoluere ceſſantibus, abſque aliquâ aliâ monitione, requiſitione, citatione, ſeu dilatione, contrà vos, & quemlibet veſtrum, qui in ſolutionem huiuſmodi cenſuum, feudorum, taliarum, Canonum, & reſponſionum ceſſauerint, ad declarationem incurſus dictarum pœnarum, & cenſurarum Eccleſiaſticarum, illarumq; aggrauationem, reaggrauationem, & interdictum Eccleſiaſticum, & brachij ſecularis inuocationem, ac repeſalias, priuationeſq; iuris, Vicariatûs, Gubernij, feudorum, & bonorum prædictorum vobis, & cuicumque veſtrum quomodolibet competentis, ac aliàs iuris remedia opportuna, declarationemque deuolutionum Ciuitatum, Caſtrorum, Terrarum, & bonorum huiuſmodi ad dictam Eccleſiam, vſque ad debitam executionem inſtante dicto Procuratore, procedere debeant.*

*§. 3. Decernentes quoque circà præmiſſa, nullam compenſationem etiam non ſolutorum ſtipendiorum, aut aliam præterquàm ſolutionis exceptionem admitti, nec ſoluere ceſſantes, quouis modo excuſari, vel releuari, nec cenſuum, feudorum, taliarum ſeu aliorum iurium Cameræ prædictæ per vos debitorum, vel debendorum ſolutionem, & exactionem retardari debere.*

*§. 4. Volumus autem has Originales noſtras litteras in Valuis Baſilicæ Beatorum Apoſtolorum de Vrbe Cancellariæ Apoſtolicæ, Audientiæ cauſarum Palatij Apoſtolici, & Campo Floræ affigi, & in audientia publicâ litterarum contradictarum trinâ vice, diuerſis diebus legi ità, vt omnibus tanquàm publicum edictum pateant, ac in ipſa Camerâ huiuſmodi publicationis debitam relationem per duos noſtros, & Romanæ Curiæ Curſores fieri decernentes, vos præmiſſorum Cameræ debitores præſentes, & futuros, qui citra montes pòſt duos menſes, qui verò vltra montes fuerint, poſt quatuor menſes à die publicationis computandos, vigore earundem litterarum, modo præmiſſo publicatarum, arctari, atque ligari, ac ſi huiuſmodi Originales litteræ vobis, & veſtrûm cuilibet in veſtris proprijs perſonis lectæ, & præſentatæ fuiſſent cùm non ſit veriſimile, apud vos ſic citatos, emanere incognitum, quod tàm patenter extitit publicatum, niſi forſan dictas Originales literas vobis omnibus ſupradictis, aut alteri veſtrum præfati Præſidentes, & Clerici forſan aliquâ conſideratione, aut benignitate ducti præſentari mandauerint, quoniam tunc & eo caſu copiæ ipſarum literarum manu vnius, ex Clericis, & Notarijs dictæ Cameræ ſubſcriptæ, per quemcumque Nuncium Tabellarium, aut Notarium publicum vobis, aut alteri veſtrum præſentatæ, & dimiſſæ Originalibus literis huiuſmodi eidem Nuncio reſtitutis, eiuſq; Nuncij relationi fidem plenariam adhiberi volumus, & mandamus.*

*§. 5. Non obſtantibus conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac conſuetudinibus de non ſoluendo vſque ad ſex menſes, vel aliud tempus à die Feſtiuitatis prædicta computandos, capitulis quoque, ſeu pactis per vos, vel aliquem veſtrum ad ſtipendia dictæ Eccleſiæ, ſiue Cameræ conductum cum eadem Camerâ, ſeu pro tempore exiſtente Romano Pontifice aut noſtris, & Sedis Apoſtolicæ Officialibus pro tempore factis, vel faciendis, de retinendo ſupradictis per vos ipſi Cameræ præmiſſa occaſione debitâ pro veſtris ſtipendijs, aut aliàs ab eadem Camerâ quauis occaſione vobis debitis, priuilegijs quoque, & indultis vobis, aut alicui veſtrum hactenùs etiam per nos, aut prædeceſſores noſtros, Romanos Pontifices forſan conceſsis, vel in futurum concedendis, ſub quibuſuis verborum formis, & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatorijs, fortioribus, efficacioribus, & inſolitis, etiamſi illis caueretur expreſſè, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut Vicariatibus, feudis, Gubernijs, vel adminiſtrationibus prædictis priuari non poſsitis, quibus illorum tenores, ac ſi de verbo, ad verbum præſentibus infererentur, pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris quoad hoc ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.*

*Datum Romæ, apud Sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo. decimo quinto Calend. Ianuarij. Pontif. noſtri, anno ſexto.*

XXIV. *Facinus Coſentini Archiepiſcopi punitum.*

Iſtud edictum fuit publicatum, occaſione Friderici Regis, quem tamen Ferdinandus, & Iſabella Hiſpaniæ Reges, fortè in odium Pontificis in regni poſſeſsione fouebant. Accidit enim inter hæc, vt Bartholomæus Floridus, Conſentinus Archiepiſcopus Secretis Pontificijs præfectus, ſiue à Gallis corruptus, ſiue alio quopiam ſtudio inductus, nonnullas offenſionum plenas epiſtolas, nomine Pontificio, inſcio tamen Alexandro, ijs Regibus ſcripſerit: quibus hi irritati viciſsim repoſuerunt, & Alexandro ægrum erga ipſum animum aperuerunt, Vndè factum, vt vtrimque enatis ſimultatibus, Reges Pontifici, Pontifex Regibus Hiſpaniæ, & ex conſequenti Neapolitano, non omninò beneuolebat. Detectum tamen fuit facinus Coſentini; qui non tantum hæc diſſenſionum ſemina ſuperſeruerat, verùm etiam ad tria millia diplomatum, ementito Pontificis nomine conſcripſerat, dederatque, exemptionum à iuriſdictione Ordinariorum, mutationis beneficiorũ ex allegatione expectatiuarum; diſpenſationum in incompatilibus beneficijs, & alijs, in quibus præcipuæ fuerant, vt quidam Subdiaconus matrimonium poſſet contrahere; & vt quædam Sanctimonialis Regni Luſitaniæ vera hæres, voto virginitatis eiurato, & habitu religionis, quam profeſſa fuerat dimiſſo, Georgio Ioannis Regis filio, extra matrimonium nato, nubere valeret, votis non obſtantibus iam emiſsis. Luit ſcelus Coſentinus, decreto Pontificio gradu motus, & præmiſsis in degradatione ſolennibus, carceribus perpetuis addictus; *Brucardus in notis Diarijs Alexandri VI.* Vrebat tamen, nondum explorata à falſitate, facinus Reges Hiſpaniæ, qui Emmanueli Luſitano, alteram ex filiabus illorum vxorem ambienti, ſpes in futurum porrigebant, fortè Portugalliæ aliquando poſsidendæ. Sollicitabat ſcilicet Emanuelem cura coniugij, & prolis in ſpem regni ſuſcipiendæ; Aetas matura erat, quippe ſex, & viginti annorum. Nulla conditio Caſtellæ Regum affinitate potior erat; neque id gens Luſitaniæ ignorabat Ferdinando, & Iſabellæ Regibus de eo coniugio appellatis, placebat Emanuelem generum adoptare: cæterum vt Iſabellam maiorem filiam coniugem darent, primùm non adducebantur. Proxima Ioanna in Belgas abierat, Philippo Archiduci nupta. Catharina etiam Arcturo Anglo pacta erat. Mariam omnium minimam, coniugem Luſitano libenter deſtinabant. Abnuit Luſitanus, neque alium Principem ſibi præferri in coniugio Iſabellæ maioris filiæ ferebat, pro gentis ingenio nulli de dignitate concedens. Adamabat præterea Iſabellam, & formâ, & indole oblectatus, ex quo fuerat in Luſitania Alfonſo Principi nupta. Pòſt multas tamen, & graues difficultates, non ſtipulatum modò, ſed & tandem coniunctum eſt. Nouis affinitatibus tantos Principes habere deuinctos, & ad Auſtriacos adiungere magnum glorioſumque Regi Hiſpano, rebus intus, foriſque præcipuum ab alterna ope præſidium: quando etiam Margarita Archiducis ſoror, Ioanni Principi Hiſpano iuncta fuerat, permutatione alterna inter Fratres, ſororeſque facta. Ioannis, & Margaritæ nuptiæ, Burgis initio menſis Aprilis celebratæ, apparatu, & lætitiâ pòſt hominum memoriam ſingulari. Nuptialia ſacra Toletanus Antiſtes peregit, auſpices adhibiti Fridericus maris Præfectus, & mater Maria Velaſca. Vt in aula Margaritæ miniſteria mutarentur, Rex non permiſit; ac dedit potiùs, vt ſuo arbitratu retineret eos aulicos, qui gratiſsimi ob communem originem, linguam, moreſque eſſent. Quo tempore in Hiſpaniam claſſe vehebatur, dum in conſpectu Angliæ, ſubitâ, ac periculoſiſsimâ tempeſtate, haud procul naufragio abfuiſſet, naturali hilaritate minimè deſtituta, iuxta nautarum in eo periculo morem, manus ſibi, ac in eis aliquot aureos obligari iuſsit; vt autem erat Gallicâ linguâ proſâ, ac rythmo facunda, hoc ſibi ipſi Epitaphium luſit, atque chartæ ceræ incluſum, alteri manui cum aureis alligari voluit, vt poſteà ab vndis ad littus eiecta, cognitaque, honeſtè terræ mandaretur, Ita ſonat in Latino;

*Margaris hoc tegitur tumulo clariſsima; quæ bis*
*Nupta quidem manſit, ſed ſine labe pudor.*

Catharinæ ſponſalia in Anglia aſſumptæ in cœlum Virginis memoria ſacro die, in palatio Vodeſtochio acta ſunt, Ioanne Puebla, quo agente connubiales conditiones conſtituerant, pro ſponſa abſente Vicario ritu, & more inter Principes ſolenni. Affuerunt cæremoniæ Rex, & Regina, ſplendiduſque procerum cætus. Luſitano, Reges Caſtellani ſponſam adduxerunt, Valentiam vſque Alcantaræ oppidum; vbi triduum Reges, moratos, vniuerſamque nuptialem lætitiam conturbauit nuntius de Ioannis Principis graui valetudine intempeſtiuè ſcilicet allatus. Tertio die poſtquàm Salmanticam cum vxore venerat, in febrim incidiſſe; quâ diebus tredecim eſt extinctus. Accurrit Valentiâ citato itinere Rex pater, Salmanticamque peruenit, ægroto agente animam, ſed integris ſenſibus. Ità agnito patre, obijt tamen ad quartum Nonas Octobris, magno atque miſerabili non parentum modò ſed & totius gentis luctu. Multas ſpes, multaque gaudia dies vnus abſtulit Hiſpaniæ. Ferebat vxor Margarita vterum, mœroris concepti exiguum ſolamen, & improuiſæ calamitatis, præſertim immaturo partu intrà paucos dies. Extincti corpus Abulæ tumulo eſt compoſitum in Dominicano celeberrimo cœnobio, Diui Thomę nomine in ea vrbe conſtituto, patris Regis impenſa. Triſtis nuncius Valentiam peruenit nuptiarum lætitiâ nondum peracta, quæ poſt diſceſſum porro Ferdinandi Regis celebratæ ſunt. Rogauit ſocrum Emanuel Rex mœrorem tantiſper diſsimulato, atque vultum ad lętitiam compoſito, monitiſque aulicis, vt tantundem facerent, ne quid ad nouam nuptam iam Luſitaniæ Reginam manaret. Erat difficile in tanto luctu publico, priuatoque diſsimulare diu. Ita quamprimùm in Luſitaniam abducta, Eboræ tandem fratris obitu nunciato, ingentem animo moleſtiam accepit, eo intempeſtiuè ſublato, quem diligebat vnicè. Hiſpaniam vniuerſam tanto Principe orbatam, in qua acquieſcebat ſpe, dolebat ſcilicet impensè. Parentes ſingulari conſtantiâ, patientiaque eam plagam tulerunt: in quo excelſi, atque inuicti animi præbuerunt argumenta, non minùs illuſtria, quàm victorijs multis, & clariſsimis eatenus, & in poſterum partis, ex quanto motum animi tenere, quàm hoſtes ſubiugare eſt præſtantius. Et eſt naturâ fixum, vt caduca pereant, & fragilia, quæ facta ſunt, conterantur: æquiſsimum, vt Deo noſtrarum rerum, aut ſuarum verius arbitrium mortali conditione homines permittamus. *Mariana libro vigeſimoſexto capite decimotertio, decimo ſexto, & libro vigeſimo ſeptimo, capite primo. Beuter de rebus Maximiliani lib. 5.*

*Ioannes Princeps moritur.*

XXV. *Ferdinãdi Regis cum Frãciſco Ximenio in corrigendis ſubditorum moribus ſtudium.*

Agebantur hæc, & tolerabantur; ſimul Ferdinando mores gentis collapſos acriori cenſura aſtringere curæ erat, ac præcipuè Eccleſiaſticos, quorum perturbatione temporum vita laxior, & ſeueris iudicibus parum probata, ad ſeueriorem diſciplinam & veteris moris normam reuocare ſatagebat. Iuuit conatus Regios vel maximè Franciſcus Ximenius, Archiepiſcopus Toletanus, qui Compluti hoc anno, primum ſuorum Sacerdotum Conuentum celebrauit. Eo in Conuentu multa è Reipublicæ Eccleſiaſticæ vtilitate decreta ſunt, quæ poſteà in Secundo Conuentu Talabricæ habito, retractata, & confirmata vulgauit. Eorum publicæ tabulæ, quoniam ætatis iniuriâ interciderunt, atque ab inſequentib. Archiepiſcopis multa diſsimulato nomine in ipſorum acta translata ſunt, nonnulla referre, potiſsimè quæ viri pietatem, & prudentiam declarant, non abs re eſſe exiſtimaui.

1. Sacerdotibus presbyteris facultatem eligendi Sacerdotem dedit, ad quem occulta peccata deferrent, vicariâ huic poteſtate data de quibuſlibet commiſsis abſoluendis, quorum ad ſe duntaxat ex legibus ſacris cognitio pertineret; ne fortè rem diuinam peragere volentes, huius rei obice retardarentur.

2. Primarijs Sacerdotibus, (quos Curas vulgò vocant) præcepit, vt ſingulis Dominicis diebus poſt horas Veſpertinas, (quas Completorium vocant) campanæ ſonitu, vicorum ſibi ſubiectorum pueros, ad Deiparæ Virginis ſalutationem conuocarent; ibique eos per ſe, aut per ædituum Chriſtianæ religionis ſymbola docerent; quod ab eo tempore, non ſin

magno puerorum in Chriſtiana pietate profectu, hucuſque perſeuerat.

3. Quoniam ſacræ aquæ vſus, quæ pro foribus templorum eſt, negligentiâ paſsim interciderat, leuibus peccatis luſtrandis more maiorum inſtituta, & conſtituta, vt cuncti Eccleſias ingredientes, eâ ſe diligenter aſpergerent, mulctâ etiam propoſita cauit.

4. Iam quoniam ſacra patina circumferri ſoleret deoſculanda, & peruerſa quadam ciuilitate inductæ erant mutuæ rogationes; quibus prætermiſsis, graues inimicitiæ, & offenſiones inter ciues exoriebantur. Cauerat Alfonſus Carillus, vt miniſter, qui patinam geſtabat, ſtatim, ac quiſquam proximum rogare cæpiſſet, ad altare patinam reduceret. Ximenius quidem noluit, cæteros oſculo patinæ immerentes priuari, propter vnius ineptam ciuilitatem, ſed ſubitò ad alium tranſire, nulla illius ratione habita; & vt ſic fieret graui mulctâ contrà miniſtrum & Parochum indicta cauit.

5. Forenſium cauſarum diuturnitatem, ex varijs Aduocatorum allegationibus proficiſci certò ſciens, quas in fraudem publicæ vtilitatis, ob priuatum ipſorum emolumentum introduxerant, maximo Sanctę ſynodi applauſu ſic ad certam breuitatem reduxit: nè quis in ditione ſua iudex, ſiue is Eccleſiaſticus, ſiue laicus eſſet, in leuioris momenti cauſis libellum vllum admitteret; ſed de plano (vt aiunt) illas dirimeret, & iudicaret. In reliquis verò, vt maiorum decreta ſeruarentur, & poſt vnum & alterum libellum, quibus cauſæ fundamenta ab vtraque parte concluduntur, poſitionum, & interrogationum libelli, ſecundùm quos, & ipſi litigantes iurati reſpondeant, & teſtes etiam, qui producuntur, quid ſentiant, declarare teneantur, & tandem vltimus libellus offerretur, qui & contrariorum dictis refutandis, & ſuorum confirmãdis ſit ſatis: vltra quem ſi vel denuo teſtes darentur, vel libellus porrigeretur, omnia eſſent reijcienda, vt inepta. Quòd ſi altera pars forum mutaret, exceptionem vè aliam de nullitate (vt aiunt) opponeret, id intra octò tantùm dies cognoſceretur, & ſexto poſt die ſententia, quam interlocutoriam vocant, proferretur, & definitiua continuò poſt vigeſimum.

6. Decreuerant ſuperioribus temporibus Archiepiſcopi, vt Sacerdos, qui continuis quatuor menſibus Sacerdotio abeſſet, eo ſtatim priuaretur citrà vllam allegationem. Huiuſmodi priuationem Ximenius abrogauit, & ad ius commune reduxit; facilè enim prece, aut munere, aut gratia, hæ pœnæ eludebantur; & Sacerdos teſte conſcientiâ, fructus perceptos ſuos facere non poterat.

7. Duas prætereà res cumprimis vtiles, & neceſſarias Ximenius primus tunc excogitauit: alteram, vt Parochi librum in ſuis Eccleſijs habeant, in quo nomina eorum, qui luſtrali aqua per baptiſmum expiantur, deſcripta ſint; additis inſuper patrum, & compatrum (quos vocant) nominibus, anno etiam, die & menſe prænotatis. Quo ſanè prouidenti decreto, ſceleratis multorum diuortijs occurſum fuit; quos ſi quando legitimæ vxoris faſtidium ceperat, falſis teſtibus ſubornatis, compatratus prætextu, matrimonijs illicitis copulabantur. Quin & ad tutelarum curationes, ad ſacros ordines ſuſcipiendos, ad hæreditates, & ſacerdotia ineunda, ad milleque alios vſus poſteri ſe iuuari ſentiunt.

8. Alteram, vt Parochi, Quadrageſimali ieiunio ineunte, eorum nomina conſcribant, qui Chriſtiano ritu confeſsiones arcanas, quibus tenentur Sacerdotibus, fecerint; eaque ad Antiſtitem ipſum, aut ad Toletanum, Complutenſemue Vicarios, vt ratio territorij expoſcit, intrà dies quadraginta teneantur deferre. Sic enim Antiſtites certi eſſe poſſunt, diuinis, & Pontificijs præceptis eſſe ſatisfactum.

9. Iubentur etiam, vt ab ipſis certiores fiant, ſi quid publici, aut noui reatus exortum ſit, quod ipſorum corrigi debeat poteſtate, quæ res duæ magno cum Eccleſiaſticæ diſciplinæ fructu, hucuſque in Toletana diæceſi obſeruantur, & inde ad alias deriuatæ ſunt: numquam vero ſine ingenti iactura immutabuntur, aut intermittentur.

10. Quædam verò circa pietatem Diuis debitam religioſè ſanxit, ſecutus in pleriſque Sixti IV. Pont. Max. inſtituta. Diem enim Præſentationis Dei Genitricis Mariæ, 11. Calendas Decembris, ſolenni pompâ, & feſto apparatu coli iuſsit. XIIII. verò Calendas Aprilis, eadem ſolennitate, Diuum Ioſephum Virginis Matris ſponſum, vt coleretur, non ſolum ſanxit, ſed in Calendarium Toletanum, in quo deſiderabatur, referri iuſsit. Diui Franciſci diem feſtum eſſe voluit; & ſic in honore eſt dies eius habitus, vſque ad Taueram Archiepiſcopum Toletanum, qui in ordinem redegit. Iulianum Pomerium, Archiepiſcopum Toletanum, ob vitæ ſanctimoniam, & eruditionem ſacrarum literarum olim inter Diuos relatum, ſed temporum negligentiâ minùs cultum, quàm vitâ inculpata, & ſcriptis meruerat, Calendario etiam Toletanò, vt adſcriberetur, curauit, & eius diem pridie Nonas Martij ſua in Eccleſia celebrari.

11. His abſolutis, ad publici vſus opera, quibus inſtituendis naturâ propenſiſsimus erat, ſe conuertit. Nam religioſas virorum, fæminarumque domos, virginum maritandarum gynecæa, ſtudioſorum Collegia conſtruere in animum induxerat. Cumprimis verò liberalium artium, & diuinarum litterarum ſtudijs, quarum ille ſemper amore flagrauit prouehendis, Academiæ Complutenſis cæptum ædificium vrgendum eſſe putabat, cuius quidem augendæ, ornandæq; ad vſque vitæ exitum, curam, & cogitationem numquam remiſit.

12. Dum autem hæc per Ximenium in Diœceſi ſua gererentur, Monaſticorum S. Franciſci Ordinum correctio, quam voluntate Regum ſummoperè vt fieret, curabat, grauiſsimis vbique motibus, ac ſeditionibus agitabatur. Siquidem Fratribus Conuentualibus, vbique tumultuantibus, non pauci inſigni nobilitate, atque authoritate viri fauebant, cum alijs quidem de cauſis, tum hac potiſsimum, quòd antiqua maiorum ſuorum ſepulchra, ſacellaque ſumptuoſo opere ædificata, atque annuis cenſibus aucta, ſacrorum ibidem perpetuò celebrandorum causâ, in horum cœnobijs erant: quæ facile peritura exiſtimabant, ſi Fratres Obſeruantes, quibus cenſuum huiuſmodi, immobiliumq; bonorum poſſeſſio interdicta eſt, Cõuentualium loco ſubſtituerentur. Neceſſe enim videbant, vt bona ipſa, atque cenſus aliorſum dilaberentur. Illa enim partim fæminarum cœnobijs, partim Fratrum Obſeruantium litterarijs Collegijs (idem per diuerſa, ſcilicet vt Obſeruantes, Conuentualium bonis titulo ſtudiorum, occuparit (vt alicubi, prætextu lampadis quæ ad Ducentos, & Trecentos in vno mendicabulo Fratres lautè alat) Conuentuales eſſent) inſtituendis applicanda eſſe vulgo ferebantur. Hiſce difficultatibus in Hiſpania; Regia autoritate per Ximenium ſuccurrebatur. Romæ autem, vbi præcipuus cauſæ vniuerſæ cardo vertebatur; longe maiora impedimenta, atque incommoda peruincenda erant. Proferebantur pacta quædam conuenta, olim inter Conuentuales Minoritanos, & FF. Obſeruantes, Pauli Secundi, & Sixti IV. Romanorum Pontificum autoritate firmata, quibus inter alia cauebatur, nè Fratres Obſeruantes, Conuentualium Fratrum cœnobia, Domoſve, aut alias poſſeſſiones; etiam Sedis Apoſtolicæ permiſſu reciperent. Aduerſus illam conuentionem; in hac Monaſteriorum reformatione fuerant nonnullæ Conuentualium Domus XIMENII operâ, dum Reginæ

à con-



à confeſsionibus eſſet, ab Obſeruantibus receptæ, & Regulari obſeruantiæ, veteribus etiam colonis conſentientibus vindicatæ; qui precibus, & præmijs illecti domus ſuas, Obſeruantibus reliquerãt: idq; nihil ſuperiorum Pontificum prohibitione obſtante, Alexandri Sexti Pont. Max. autoritate probatum fuerat, & Obſeruantib. vbi domos, & Monaſteria Conuentualium, de habitantium fratrum conſenſu recipere, ac liberè retinere poſſent, permiſſum. Quâ ratione fiebat vt ex Conuentualium cænobijs, nonnulla, ad Obſeruantium Ordinem transferrentur. Id incommodum, nè latiùs ſerperet, Miniſter Generalis, qui Cõuentualis erat, & perpetuo Magiſtratu fungebatur (nam nũc per ſexennium tantum retinetur) ab eodem Alexandro ſumma contentione impetrauit, vt in ea Monaſteriorum correctione minimè liceret, eam curam gerentibus, ſine certis quibuſdam adiunctis ſocijs Conuentualis inſtituti Fratribus, ab ipſo Miniſtro Generali deputatis, officio ſuo fungi. Hos Romã miſſos, cũ à Regijs correctoribus (quos reformatores vocabant) contemptui haberi: nec vllã ipſis in eo miniſterio authoritatem deferri intellexiſſet, Pontificem Maximũ varijs modis ad iracundiam prouocauit, tamquam illius autoritati, potiſsimum illuderetur; corrogatoque Cardinalium quorundam fauore, qui Conuentualium partibus ſtudebant, edictum à Pont. Maximo, de ampliſsimi etiam Senatus ſententia promulgatũ eſt, quo vniuerſo cenſuræ huius, atque emendationis Monaſticæ negotio ſuperſederi iubebatur: datis de ea re ad Catholicos Reges, quorum auctoritate res gerebatur, anno ſuperiore Breuibus litteris, quas Regina ad ſe ſtatim allatas, ad Ximenium mittendas curauit. erant autem hoc exemplo.

*Littera Alexãdri P. ad Catholicos Reges quibus vlterior correctio Monachorum ob cauſas prohibetur.*

*Chariſsimis in Chriſto filijs noſtris, Ferdinando Regi, & Eliſabeth Reginæ Hiſpaniarum Catholicis, Alexand. Papa VI.*

*Chariſsimi in Chriſto filij noſtri, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

*Vt imponatur finis diſſenſionibus, & querelis, quæ continuo aſſeruntur, à Fratribus præſertim Ordinis Minorum S. Franciſci, propter commiſſam in iſtis regnis, & dominijs veſtris reformationem; pro qua aliqui à Generali ſui Ordinis iſtuc tranſmiſsi, vt ſimul cum Prælatis per nos ad id deputatis, huic negotio intenderent, officio ſuo minimè fungi permittuntur, & varijs iniurijs (vt aſſerunt) ſe affectos conqueruntur; decretum fuit in Conſiſtorio, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium vnanimi conſilio, vt tam ipſis tranſmiſsis Fratribus, quàm per nos deputatis huic reformationi Commiſſarijs inhiberetur, vt in huiuſmodi reformatione, & eius executione non procederent, ſed ſuperſederent: donec veritate per nos intellecta prouideretur, & aliud mandaremus. Quemadmodum Maieſtates veſtræ ex his Venerabilis Fratris noſtri, Georgij Epiſcopi Portuenſis, Cardinalis Vlixbonenſis, euſdem Ordinis Vice Protectoris, & dilecti filij Garſiæ Laſi Oratoris veſtri, ad quos nos remittimus, plenius intelligetis. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die nonâ Nouembris. M.CCCCXCVI. Pontificatus noſtri anno VI.*

Eo nuntio Ximenius maiorem in modũ commotus eſt. Facilè enim vir prudens animaduertebat, hoc Põtificis interdicto quamquam in ſpeciem temporario, illud potiſsimum agi, vt cauſa tota in præſens ſopitâ; perpetua deinde diſsimulatione extingueretur. Hac enim via ſolet plerumq; perplexis negotijs exitus inueniri. Sed vt erat ingenio acri, & animo magno, maximis ſemper difficultatibus ſeſe opponebat. Quare obice ardentior factus Reginam adijt, eamq; à tam moleſto negotio propemodum abhorrentem, confirmauit, ſolitæq; ſuæ conſtantiæ, atque animi præſtantis, vt eſſet memor admonuit, & ſummo ſtudio obſtitatus eſt, nè tàm piam cauſam deſereret. Moleſtiſsimã haud dubiè rem eſſe, odij, tædij, laboriſq; pleniſsimam; ſed tantò perſeuerantiùs in eam incumbendum. Fieri enim non poſſe, quin tandem Deus tàm ſancta conſilia eſſet nomine ſuo fortunaturus. His verbis Regina animum collegit, & Ximenio quicquid gratiæ, & fauore ſuo apud Pont. Maximum effici poſſet, benignè promiſit, dummodo negotij pondus ipſe ſubiret, donec ad optatum finem perduceretur. Hoc cumulatiſsimè Ximenio de ſe pollicenti, denuò rem vrgendam cenſuit; & ſimul quid ſibi præſenti occaſione conſtituendum videretur, quid Romę, quid alibi prouidendum expoſuit. Ximenij igitur operâ, labore, & induſtria effectum eſt, vt ſummus Pontifex interdicto illo ſublato, totam eam cenſuram, & reformationem non modò exequendam decerneret, ſed Ximenio ipſi, vnà cum Catanenſi Pontificis internuncio, ac Giennenſi Epiſcopis ſtatim committeret exercendam: ſed tam arcto mandato, quòd aduerſariorum improbitati datum fuiſſe videbatur, vt non liceret vlli ex tribus Pontificibus Vicarium pro ſe conſtituere, ſed per ſe ipſos mandatum exequi tenerentur. Hoc decretum cum prorſus inane eſſe animaduerteret, (nec enim fieri poterat, vt ipſe, eiuſue Collegæ tot prouincias obirent, & tot adirent Monaſteria) non conquieuit, donec Vicarios pro arbitrio ſubſtituendi facultatem impetraret. Ità negotium procedere de integro cæpit, & diuina tandem ope compoſitis, aut ſublatis maximis, quæ indies exoriebantur, difficultatibus, tranſactum omninò eſt, atque confectum; monaſteriaque omnia (paucis quibuſdam exceptis) ad obſeruantiæ, atque religionis ſtatum reducta ſunt; tanta quidem Ximenij laude, vt inter egregia eius, præclaraque facinora vnum hoc cenſendum ſanè ſit maximum, atque clariſsimum; vel ob rei difficultatem, vel ob publicam vtilitatem, maximo ex hac religionis reformatione fructu percepto. Nam quicquid hactenus in Monaſterijs Minoritarum modeſtiæ, religionis, continentiæ, ſanctitatiſque eſt, Ximenio, Pontificis, & Regum adminiſtro referri debet acceptum.

13. His difficultatibus incredibili quadam conſtantiâ euictis, ſentiens Ximenius, ſibi cum huiuſmodi hominibus non ſemel, atque iterum eſſe colluctandum; qui ei prætentu Pontificalium litterarum, aut diplomatum, atque etiam Apoſtolici palatij officiorum, aut Præfecturarum, quotidiè graues, & moleſti futuri eſſent, ſeſe ab eius foro eximentes, atque ad Pontificem Maximum, cauſas ſuas pertinere proclamantes; nè qua hinc viuendi licentia in diœceſi ſua emergeret, quam omnium virtutum generibus exornatam, & illuſtratam cupiebat, ab Alexandro Pont. aduerſus iſtorum immunitates, ſumma Pontif. conſenſione, qui Sanctis Ximenij conatibus prorſus eſſe annuendum iudicauit, Breues litteras huiuſmodi obtinuit.

*Sanctis Ximenij conatibus Pontifex dictis litteris annuit.*

*Venerabili Fratri, Franciſco Ximenio, Archiepiſcopo Toletano, Alexander Papa VI.*

*Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

*Cum ſicut nobis nuper exponi feciſti, in tuis Ciuitate, & diœceſi Toletana, complures perſonæ Eccleſiaſticæ fore noſcantur, quæ pro eo, quod noſtri, & Apoſtolicæ Sedis officiales exiſtant, tuam ordinariam iuriſdictionem eludunt; & videntes, ſe non poſſe à te corrigi, multa enormia committere non verentur; quæ nullatenus auderent, ſi à ſua iuriſdictione, ſe exemptos eſſe non cognoſcerent: Nos volentes deſuper prouidere, Fraternitati tuæ, de qua in his & in alijs ſpecialem in Domino fiduciam habemus, contra tales perſonas, ſub prætextu huiuſmodi exemptionum, iuriſdictionem tuam ordinariam effugere volentes, authoritate noſtra procedendi, & illis iuris remedijs compeſcendi, omniaque alia, & ſingula in præmiſſis, & circa ea neceſſaria quomodolibet, & opportuna, faciendi, gerendi, & exequendi, quæ facere poſſes, ſi Officiales noſtri, & dictæ Sedis non eſſent, plenam, & liberam tenore præſentium concedimus facultatem: non obſtantibus præmiſſis, atque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris, die vigeſimo tertio Iunij, anno Domini M.CCCCXCVII.*

Has

Has cum ille gratas ſuſcepiſſet, partim earum autoritate, partim Regij fauoris auxilio, quod ſibi benignè quoties opus erat, dabatur, ita in omni diſciplina, & ſanctitate diæceſim ſuam continebat, vt homines denuò renati viderentur, & bellum omnibus vitijs indictum, priſcamque illam ſeueritatem redijſſe; quæ probum vindicem adepta, animos hominum ad virtutem natos, & ſi arduo, & difficili negotio, tandem veluti poſtliminij iure in ſuam repoſuerit poſſeſsionem.

14. Erat porrò id temporis Ximenius animatus, vt in Palatina verſari aula, Regiumve comitatum ſectari, è re ſua eſſe non arbitraretur: niſi maximum, atque euidentiſsimum operæpretium ſperari poſſet. Quare ſiquando ad Reges ibat, protinus omnes id non ſine magna Reipublicæ vtilitate fieri dicebant. Certè nihilo minorem publicæ adminiſtrationis curam gerebat, quàm muneris Pontificij. Omnia enim diligentiſsimè circumſpiciebat, ac perluſtrabat: & quicquid in aulicis officijs, ciuilibus muneribus, iuriſdicundi præfecturis, publicæ pecuniæ exactionibus, in vniuerſa denique Reipublicæ tractatione dignum emendatione videbatur, ad Reginam extemplo referebat.

*Vniuerſa pecuniæ ſumma, ex graui vectigalium ſolutione cõquiſita, Oppidis, Ciuitatibus diſtribuitur.*

15. Inter multa verò, quæ ab ipſo vtiliter, atq; è Reipub. commodo, curata hoc tempore, atque confecta ſunt, vnum Ioannes Vergara commemorat, quod vt populis perpetuam peperit felicitatē, ità perpetua laude tribuendum illi eſt magnum virtutis teſtimoniū. Vexabantur miſeri populares toto Caſtellę, Legioniſque regno, id eſt per vniuerſam Reginæ Catholicæ ditionem, duriſsimâ vectigalis exactione, quod *alcabalam* Hiſpani vocant, ea eſt decima rerum omnium, quę venduntur, aut permutantur. Quod tributi genus pro auorum memoria ad tẽpus, & veluti precario impoſitum, vt eſſet, vnde Rex contrà Mauros, tunc bellum gerere poſſet, poſteriorum temporum patientiâ perpetuauit. Hoc vectigal multò fiebat grauius, & iniquius, magna publicanorū acerbitate, atq; auaritia, & immuneris præterea litibus, & calumnijs ob merces omnino non profeſſas, vel minoris profeſſas, quàm diſtractæ eſſent: adeò vt populis omnibus, non vno alioqui onere preſsis, tam impudens expilatio intolerabilis prorſus videretur. Iam verò quibus aliquid pecuniæ ex vectigali, vel perpetuâ, vel temporaria aſſignatione, vel ſtipendijs ſalarijue nomine, aut alia de cauſa, autoritate Regia attributum erat, vix id multo poſt tempore, & ſumma, quæ debebatur acciſa, recipiebant. vſque adeò nihil à publicanis, decumaniſque, ſine quæſtu, & munere priuatim annumerabatur. Horum autem rapacitati, cùm varijs promulgatis legibus occurri tentatum eſſet, reprimi quidem in præſens, numquam tamen omnino comprimi poſſe videbatur. quin ex ipſis nonnumquam legibus, atque ſanctionib. grauiora (vt fieri ſolet) ſuboriebantur incommoda. Nam cùm ad vitandas quotidianas lites, de mercium pretijs diſceptantium, lata lex eſſet, vt iuratis venditoribus crederetur; tanta paulo poſt deprehenſa eſt periuriorum, quæ verbis conceptis apud iudices dabantur frequentia, vt nihil iam vulgo vilius eſſet, quàm iuriſiurandi religio, nihilue magis vſurpatum quàm ipſius violatio. Fouebat verò publicanorū auaritiam ingens potiſsimum potentium, generoſiſsimorumque aulicorum numerus: qui partim vectigalibus illis locandis, atque exercendis, partim illorum rationibus, ſubducendis, conferendis, conficiendiſque luculentiſsimo ſalario præpoſiti, damno publico ditabantur. Tanti igitur mali à Repub. auertendi curam ſuſcipiens Ximenius, adhibito in conſilium Ioanne Lupo Cantabro, argentariæ coactionis callentiſsimo, rationem excogitauit, per quam eiuſmodi vectigalia, ſine vlla diminutione ad fiſcum deuenirent: & quæ ex eis conceſſa eſſet pecunia, in priuatorum hominum vſus cum fide, & in tempore perſolueretur. Igitur Regia autoritate ſancitum eſt, vt vniuerſa annuæ pecuniæ ſumma (quanta videlicet hoc tempore ex decumanorum redemptione in fiſcum recipiebatur) ciuitatibus, municipijs, oppidis, pro cuiuſque frequentiæ, opulentiæ, & negotiationis modo diſtributa imperaretur: quæ per ſuos cuiuſque populi coactores à ſingulis negotiatoribus, opificibus, venalitijs, propolis cogeretur, & Regijs quæſtoribus, aut ex horum aſsignationibus priuatis hominibus promptè numeraretur. Extraordinarijs aut decimis, quæ vel externarum mercium nomine, vel ex venditionibus ciuium, qui mercaturam non exercerent, fiſco deberentur, redemptioni ciuium relictę ſunt. Ità ingenti populorum conſenſu, atque plauſu, publicam temporum felicitatem gratulantium, totâ illâ decumanorum, redemptorū, mancupum pulſa colluuie, quies publica, & veluti libertas parta eſt; & vniuerſorum illud periuriorum, vexationum, deceptionumque ſeminarium, è Reipub. viſceribus ſtirpitus euulſum eſt, atque deletum. *Gomecius de rebus geſtis Franciſci Ximenij lib 2.*

XXVII. *Mauri & Hebrei è Luſitania pelluntur.*

Eorum quoque Hiſpaniæ Regum curâ, non ſine Alexandri Pontificis aſſenſu, circa Maurorum & Hebræorum, vel ſalutem, vel exitium, in Luſitania aliquid effectum. Iſabella Regina, de filiæ Iſabellæ matrimonio, ab Emmanuele Luſitano interpellata, inter alias difficultates obiecerat Mauros, & Hebræos, ex Caſtellæ, & Legionis regionibus eiectos, in Luſitania receptum inueniſſe. Eos, etiam Pontificijs mandatis impetratis, Luſitani regni finibus deturbari (inter cõiugales leges propoſuerat) iubebat, voti peruicax; qui perfidam gentem tueretur à Chriſtianis inſtitutis abhorrentem, ei vt filia toro iungeretur adduci non poſſe. *Mariana l. 26. c. 13.* Et quidem Emanuel Rex, ad Iſabellæ gratiam promerendam, ægrè quidem, ſed tamen edixerat, vt Hebræi, & Mauri qui Chriſtiana ſacra ſuſcipere nollent, intrà certum tempus, Luſitaniæ finibus abſcederent. Inſtabat tempus, quo erant in exilium ituri, qui Hebræa inſtituta retinerent. Omnes, ſe ad nauigandum ſumma ope comparabant; cum Emanuel indignè ferens, tot hominum millia in ſempiternum exitium detrudi, vt ſaltem filiorum ſaluti proſpiceret, rem excogitauit, facto quidem iniquam, & iniuſtam, animo tamen, & propoſito fine laudabilem. Iuſsit enim, vt Iudæorum filij, qui nondum decimum, & quartum annum ætatis excederent, à parentibus abſtracti, & ab illorum conſpectu remoti, in religionis Chriſtianæ diſciplinam traderentur: quod non ſine magnis animorum motibus fieri potuit. Erat enim res viſu mirabilis, à complexu matrum, filios auelli; patres liberis affixos, raptari, & fuſtibus etiam contundi; clamores ingentes, vbique tolli, omniaque mulierum plangore, & eiulatu compleri. Fuere, qui rei indignitate perturbati, filios in puteos abijcerent; multi etiã eò progreſsi ſunt amentiæ, vt ſibi mortem propria manu conſciſcerent. Accedebat ad grauiorem gentis miſeræ calamitatem, quod illis, qui tantis iniurijs affecti in Africam tranſmittere cupiebant, facultas minimè præbebatur. Emanuel enim adeò flagrabat cupiditate gentis illius ad Chriſti religionem perducendæ, vt partim præmijs alliciendam, partim malo cogendam eſſe iudicaret. Quamuis igitur nauigandi poteſtas eſſet Iudæis ex pactione faciendæ; id tamen de die in diem differebat, vt mutandi conſilij ſpatium intercederet. Itaque cum in principio fuiſſent illis tres in Portugallia portus aſsignati, vndè conſcenderent; interdixit, nè quiſquam ex illis aliunde, quàm ex Olyſsiponenſi portu ſolueret. Quo factum eſt, vt innumerabilis Iudæorum multitudo, Olyſsiponem conflueret. Interim verò dies dicta præterfluxit, ità, vt eſſet illis neceſſe, qui nondum emigrare potuerunt, libertate ſpoliari. His tandem malis plerique victi, Chriſtianam religionem, aut ex animo profiteri, aut ſaltem callidè ſimulare maluerunt, quàm vitam in tanta acerbitate traducere. Cùm fidei igitur Chriſtianæ confeſsione, fontibus ſacris abluti, & filios, & libertatem recuperarũt, multiſque





tiſque à Rege præmijs clementer inuitati, in Portugalliæ regnis ſatis cõmodè vitã exegerunt. Fuitque quidẽ hoc (vt & Mariana, ex Oſorio cenſet) nec ex lege nec ex religione factum. Quid enim! Tu rebelles animos, nullaq; ad id ſuſcepta religione conſtrictos, adigas ad credendum ea, quę ſumma contentione aſpernantur, & reſpuunt? Idque tibi aſſumas, vt libertatem voluntatis impedias, & vincula mentibus effrænatis inijcias! At id neque fieri poteſt, neque Chriſti ſanctiſſimum numen approbat. Voluntarium enim ſacrificium, non vi mala coactum ab hominibus expetit: neque vim mentibus inferri, ſed voluntates ad ſtudium veræ religionis allici, & inuitari iubet. Porrò autem, quis ſibi id arrogare poteſt, quod ſolus diuinus Spiritus efficit in eorum animis, qui non ad extremum vitæ ſpiritum illius benignitati repugnare contendant? Ille namque ſolus eſt, qui mentes illuſtrat, & allicit, & inuitat; & eos, qui tantum munus non animo pertinaci, & ingrato repudiant, ad Chriſti confeſſionem, & ſocietatem perducit. Poſtremò, quis non videt, quàm indignum ſit, hominibus in religionis ſtudio diuerſis, tot myſteria, tot res ſacroſanctas, tantam rerum diuinarum rationem committere, & ſceleris occaſionem ijs, qui Chriſti diſciplinam ludibrio habent, inconſideratè præbere? & ità religionem per religionis ſimulationem indigniſſimè violari? Emanuëlis tamen animus multis meritò laudandus eſſe videbatur, quod id religionis ſtudio, vt ea ratione gentis Hebrææ ſalus conſtitui aliquandò poſſet, efficeret: maximè cùm viri religionis, & doctrinæ opinione præſtantes, id licere dicerent, & fuiſſe iam à Principibus Chriſtianis olim factitatum. Numquam enim defuere, nec vnquam deerunt, qui ad Principum gratiam aucupandam, orationes accommodent. Fructus tamen eximij ex hac Regis actione, quamuis parùm iuſta, viſi ſunt, ac hucuſque videntur. Eorum enim filij, qui, vt ſuſpicio erat multis iniecta, fidem nefariè ſimulabant, vſu, conſuetudine, & diſciplina, paternique ſceleris obliuione, Chriſti religionem ſanctè colunt, & vitam ad illius diſciplinam ſanctè inſtituunt. Hac ratione Iudæi partim in exilium migrarunt, partim Iudæorum nomen amiſerunt. Mauri omnes, qui noluerunt à Mahumetis peſtifera ſecta diſcedere, in Africam ſe contulerunt. Neque fuit eis aliquod incommodum illatum, quemadmodum Iudæis: nè Chriſtiani, qui in Africa, vel Aſia ſub Saracenorum ditione viuebant, aliquod ob eam cauſam damnum paterentur. *Hieronymus Oſorius lib. 1.*

XXVII. *Emanuel quatuor naues in Orientalẽ Indiã mittit*

Eodem tempore Emanuël Rex, imperij ad remotiſſimas gentes proferendi Euangelijq; lucis ad poſtremos Orbis terrarum fines accendendæ deſiderio inflammatus, quatuor naues, milite, nauta, commeatibus, tormentis inſtructas, ad explorandas Orientales Indias miſerat. Prætoriæ inditum erat nomen à Sancto Gabriële, non ſine cauſa: vt quæ ex orbe noſtro, ad antipodas viam Euangelio muniebat, ſub tutela, præſidioque lateret Archangeli potiſſimùm eius, qui primus è cælo terris olim attulit Euangelium. huiuſce nauis curſum regebat, Petrus Alãquerius qui aperiendo Bonæ ſpei promontorio paulò antè interfuerat. Secundã Archangelo Raphaeli, viatorũ duci ac tutori dicarant. Paulus Gãma præerat. nauclerũ habebat Ioannẽ Conimbricenſẽ. Tertiã Nicolao Coelio Nauarcho, Petro Scholaſtico gubernatore, incertũ vnde, Berrium appellabant. Quarta, ſine milite, ac ſine nomine, vehendis duntaxat in ſupplementum cibarijs, à Conſaluo Nonnio Gammæ domeſtico ducebatur. Propugnatores in vniuerſum, & nautæ, centum, & ſexaginta non ampliùs explebant numerum: quibus ab Emanuele ſumma cum poteſtate præfectus, Vaſcus Gamma Pauli frater, vexillum Crucis à Rege acceperat, & Oliſſipone in B. Mariæ Virginis æde, ſacris omnibus ad propitiandum cæleſte numen ritè procuratis, præeunte cum hymnis, & canticis agmine Sacerdotum, nauarchis verò & cętera turba cum ardentibus cereis, nudi pedibus, & ſupplicantium ordine procedentibus, naues conſcendit, hoc anno 1497. ad VII. Idus Iulias: anni tempore (vt poſteà compertum eſt) minimè idoneo. Verumtamen regente curſum Deo, paucis menſibus ipſum Bonæ ſpei promontorium prætervecti, ad aquationem, quæ dicitur S. Blaſij peruenerunt. Inde ſoluentes ad oram Zanguebaris appulere, ipſo Chriſti die natali: ex quo littus id natale appellatum. *Maphæus hiſt. Indicarum lib. 1.*

XXVIII. *Vita & Obitus B. Dominici Leoneſſæ Minoritæ.*

Hoc anno, die xx. Aprilis, Vrbini in Italia ad cælos ſemigrauit, B. Dominicus Leoneſſa, Minoritarum Ordinem profeſſus. Orationibus, vigilijs, ieiunijs, mortificationi corporis deditus, ad ſummam perfectionis euaſit. Peſtilentiam Fabrianenſibus bienniò antè prædixit: eaq; graſſante ibidem, multis infectis omnem corporalem, & ſpiritualem operam impendit. Nouitio cuidam ad ſeculum redire cupienti, iſtud ſalutare dixit. Tentationes, in primo limine facilè fugari: vlteriùs progreſſas, difficile: intima peruadentes, & quaſi radicitùs infixas, vel impoſſibile, vel non ſine ſupremo labore. Non ergò illas admitteret: ſed ad primum appulſum profligaret: ſic feliciter de Satana triumpharet. Alteri ad perfectionem aſpiranti, & modum, quo conſequeretur, perquirenti præſcripſit: Maioribus ſimpliciter obediret: orationi, & ſtudijs litterarum incumberet. propter primum, duo reliqua, ſi opus eſſet; propter ſecundum verò, tertium quandoq; relinqueret. Morituro illi Beata Virgo apparuit, & à caterua dæmonum eripuit. Viuens, & vita functus, multis miraculis reſplenduit. *Vlyſſiponen. 3. p. Chron. lib. 7. c. 30. 31.*

XXIX. *Lana pingui rore permixta è nubibus cadit.*

Hoc anno, apud Tornacum in Belgio, magna lanæ, pingui rore permixtæ copia è nubibus decidit, pari miraculo quemadmodum olim apud Atrebates deciderat anno 403. Ioannes Molanus de illa Atrebatẽ ſi memorabat. Cùm ditio ea foret planè arida, & veluti maledicta, anno 403 ſummam accepit fertilitatem, quam hactenus conſeruat. Quia autem Deo hãc fertilitatem donante, apud Atrebates, vt ſcribit Paulus Oroſius, vera lana de nubibus pluuiæ mixta defluebat, hinc in tanti beneficij memoriam, Lana illa, quæ vulgò Manna dicitur, cum ſacris Reliquijs aſſeruatur, & annua fit gratiarum actio, de adepta agrorum fertilitate. Commonſtraturq; etiam ſtatuto tempore, nempè in maxima aëris, terræq; ſiccitate, ac ſideratione, ac eliciendam implorandamq; è Superis pluuiam. Contulit autem Calixtus III. Pontifex indulgentias per feſti Octauas anno 1455. *Molanus in Natali SS. 6. Febr. Ferreolus Locrius in Chron. Belgico.*

XXX. *Melilla Africæ oppidũ à Chriſtianis occupatur.*

Huius anni autumno, à Ioanne Aſſidoniæ Duce, claſſis in Africam miſſa eſt Melillam occupatum, Almeriæ obiectum oppidum, à Mauris quibuſdam de cauſis deſertum. Facti in ea expeditione ſumptus cõpenſati ſunt, Chriſtiana fide ibidem introducta, eoque oppido Regis Ferdinandi beneficio, Duci, & ſucceſſoribus perpetuo iure contradito. Gerbis item, ſeu Meningis inſulæ Regulis (Xequem incolæ vocant) quo Hiſpanorum, viribus eum Principatum tueretur, à Tunetani Regis imperio detractum, in fidem Ioannis Nucæi Proregis Siculi, & clientelam conceſſit, incolumi religione maiorum, & arrepta libertate, Regis adeò Catholici factus ſtipendiarius. Cum præſidio ergo Hiſpanico Margaritus dux curare ibi iuſſus eſt inſulæ imperium, à Maurorum iniuria tuendo, & aduerſùs eius Regis arma. Hoc initium magna rerum moles annis ſequentibus eſt ſubſecuta. *Mariana li. 27. c. 1. Surita lib. 3. c. 16.*

Die Iouis 4. Iunij huius anni B. Franciſca de Cumis,

XXXI. *B. Franciſca de Comitis Ord. Seruitarū moritur.*

inter Sacras Virgines Monaſterij, Seruitarum Mantuę profeſſa vitæ ſanctiſſimæ extremum perſoluit. Accidit, vt ſequenti anno dum Eccleſia & locus in ampliorem formam redigeretur, oporteret Monialium oſſa, ex priore in alteram foueam intra ſepta Monaſterij interioris Eccleſiæ transferre. Quarè corpus B. Franciſcæ, quaſi tunc fuiſſet tumulatum, recẽs, & odorem ſuauem ſpirans repertum eſt, ac inſuper (quod fuit mirandum) manu tenens lilium virens, ac ſi è terra nunc vernans fuiſſet collectum. Epiſcopo aſſentiente, fuit ſeorſum ſub altari Eccleſiæ in arca lignea reconditum, vſque ad annum 1557. quandò B. Valentinus de Valentis Mantuanus, grauiter ægrotans, & huius Beatæ meritis conualeſcens, maxima cum deuotione curauit, illud corpus in arca marmorea honorificentiùs recondi. Alia complura edidit miracula vt perhibet *Archangelus Gianius Cent. 3. Annal. Ord. Seruorum lib. 5. c. 2.*

XXXII. *Terribile exitium auari cuiuſdam.*

Hoc anno in Haſſelt oppido Brabantiæ vir quidam ſaluti animæ ſuæ parùm proſpiciens, auri cupidiſſimus fuit. Hic infelix animam ſuam dæmoni homagio reddidit, ſi diuitiæ ſibi ab eo concederentur, & octennio illis frui daretur. Nec mora, ditatur homo opibus multis, negotiatur vbiq; proſpere. Verùm in his blandienti fortunæ verſatus, dum non diiudicat tempora, quodam galli conticinio noctis euocatur à ſocio, cauſa Antuerpiam pariter pergendi. Sed in itinere diluculò reperta ſunt membra ipſius à corpore euulſa, ac horribiliter dilaniata. *Bruiſthemius apud Suffridum Petri tomo 3. de Epiſcopis Leodien.*

# ANNO CHRISTI 1498.

## ALEXANDRI PAPÆ VI. Anno 6. & 7.

### MAXIMILIANI ROM. REGIS Anno 15.

I. *Ferdinandus & Iſabella Reges ratione fructuū Eccleſiaſticorū Alexandro PP contradicunt.*

HIc annus, varijs modis exercuit Alexandrum Pontificem. Prima contradictio fuit, à Ferdinando, & Iſabella Regibus Hiſpaniæ, occaſione inprimis fructuum Eccleſiaſticorum, qui Sedibus Pontificijs in Hiſpania, & regno Aragonum vacantibus proueniebant. Eos Alexander Pontifex Sedi Apoſtolicæ vindicare volebat: quandoquidèm & Innocentius anteceſſor, miſſo ad ea regna Bernardino Caruaialo, Nuncio illos colligebat. Ergo eiuſdem Nuncij, & Collectores Apoſtolici contrà renitentes diſtringebant. Reges contrà repugnabant, & controuerſia nõ ex ſententia procedente, diuerſis rationibus Põtifici extorquere conabantur, diploma aliquod, quo ſe, & Sedem Apoſtolicam his emolumentis, ac prærogatiua exueret. Fruſtrà omnia tentarunt, Alexandro conſtantiſſimè reſiſtente. *Surita lib. 3. c. 15.*

II. *Contentio Florentinorum & Venetorum de Piſis poſſidendis.*

Altera occaſio fuit ab ijſdem Regibus contradictionis, ſed maioris, qua Põtificem exercuerunt. Inducias belli cõpoſuerant illi cum Carolo Galliarum Rege, pro ſe, ſubiectis, atq; clientibus ſuis, & pro ijs quoque, quos quiuis eorum nominaret. Earum pactione Ferdinandus, & Iſabella grauiter offenderant Pontificem, cupientem, Gallis omnem aditum in Italiam præcludere: quem quidem, & illi Reges ex pactione induciarum aperire videbantur, & Carolus vehementer ambiebat. Ab hoc principio ortum habuit, nè Piſana vrbs Florentinis reſtitueretur; cõtradicente Garſia Laſſo, Regum Oratore, cum Venetis, qui eam vrbem occupabant. Id verò maiorem in modum Põtificem conturbauit: præſertim cùm Ludouicus Sfortia Dux Mediolani. Florentinos Alexandro diu refractarios, cò iam adduxerat, vt Romam Oratorem ſuum miſerint: cui vt ità rem tractaret, mandarunt, vt & Põtifex, & alij poſſent cognoſcere, ſi Piſana ciuitas ipſis reſtitueretur, ipſos cum reliquis ad Italiæ defenſionem cõtrà Gallos cõſpiraturos: & nihilominùs Rex Galliæ, ſi res minùs procederet, aliquid de ipſis ſuſpicandi cauſam non haberet. Et quidem Venetus Orator, reponebat, de Piſarum reſtitutione tractationem nequaquam communis boni cauſa excitatam eſſe, ſed ex alicuius fœderatorum aduerſùs eos maleuolentia: proptereà quòd, cùm Florentini animo eſſent cum Gallis coniunctiſſimi, ſibiq; per illorum in Italiam reditum bonam Hetruriæ partem occupaturos perſuaſum haberent, ſine dubio reſtitutionem Piſanam nõ ſatis eſſe ad illorum in Gallicum nomen ſtudia remouenda, quin potiùs rem eſſe periculi plenam ſi ea ipſis reſtituatur: quoniam quò eſſent potentiores, eò magis Italiæ ſecuritati nocerent. In hac reſtitutione, omnium exiſtimationem, & fidem agi, & præcipuè Reipub. Venetæ. quia cùm omnes ſocij cõcordes Piſanis ſe illorum libertatem propugnaturos cõpromiſiſſent, poſt cùm reliqui omnes in publicũ bonum ſumptus inuiti conferrent, onere ipſis ſolis relicto, qui ad hoc nullum ſumptum, aut moleſtiam recuſarunt, turpe admodum fore, ſi ea deſerant, dataq; fidẽ infringant, quã ſi cæteri nõ magnifacerent, ipſi eã ſẽper ſeruare ſoliti, violare nullo modo vellẽt eſſe moleſtiſſimũ Veneto Senatui, quod ſine vllo reſpectu ab alijs carperentur, ea de re, quam de communi omnium conſenſu incepiſſent, & communis vtilitatis cauſa in incepto perſeuerauiſſent, ac tanta cum ingrati animi ſignificatione benefaciendo, malè multarentur. hanc mercedem immanes, quos in eam rem, totque alias ſumptus feciſſent, tot prætereà moleſtias, & pericula, quę poſt ictum cum illis fœdus ſuſtinuiſſent, minimè mereri: quæ res eiuſmodi fuerant, vt audacter poſſent dicere, ipſorum opera fuiſſe Italiam liberatam: quod nec ad Tarum alijs erat pugnatum armis; nec alijs armis Neapolitanum regnum recuperatum, quam ſuis: & quinam exercitus Nouariam ad deditionem compuliſſet? quis Galliæ Regẽ trans Alpes abire coegiſſet? cuius vires, quotiès redire tentauerat, in Taurinis obuiam iuiſſent? Negari verò non poſſe, quin hæ actiones ex ſalutis Italiæ deſiderio potiſſimũ profectæ ſint. Nam nec priori vnquam ipſi periculis expoſiti fuerant: nec ipſorum cauſa errores extiterãt, quos ipſi corrigere tenerentur: quod nec Galliæ Regem ipſi in Italiam euocaſſent: nec cum eis montes eductum, comitatos eſſe: nec vt ſuo parcerent ærario, res cõmunes in diſcrimen venire permiſiſſe: quin etiam ſæpenumerò neceſſarium fuiſſe, Senatum Venetum eis malis adhibere remedia, aliorum culpa, ad omniũ perniciẽ exorta: q opera ſi nimiùs eſſet cognita, aut tã citò obliuioni tradita, nolle ſe, ob id aliorũ parum laudabili exẽplo, neq; fidẽ, neq; ſuæ Reipub. dignitatẽ fœdare: eam præſertim ob cauſam, quòd cum Piſanorum libertatis incolumitate, Italiæ vniuerſæ ſecuritas; bonumq; coniunctum eſſe videatur. Hæc Orator Venetus, cupiditatem, qua Senatus flagrabat, retinendi Piſas, varijs coloribus infuſcans. *Guicciardinus lib. 3.* Garſias Laſſus paulò acriùs prouectus, Reges de inducijs cum Carolo factis excuſabat: & Piſas quidẽ Florentinis, ſed cùm conditionibus, factu, aut ſucceſſu impoſsibilibus, reſtituendis, differebat; cæterùm Pontificẽ ſuggillabat, quaſi is aliena concupiſcens, Vrſinos, & Columnios inter ſe committeret, vt vtriſq; mutuò attritis, ipſe deinde poſſeſſiones illorum occuparet: hanc eſſe Italicæ perturbationis cauſam, dũ aliena appeteret. Sufficere illi, ſi vniuerſi Chriſtiani in ſpiritualibus, Eccleſiæ verò Romanæ ſubditi, etiam in temporalibus obtemperarent; ſicq; Fridericus Neapolitanus Rex vectigal appenderet, ac meritos illi honores deferret. Reſtituenda illi oppida, quouis modo detenta: nec ad illum regno exuendum conſilia agitanda. *Surita lib. 3. cap. 22.* Dixerat ea, & alia Orator, à calumnia in Põtificem vulgata. Cùm enim is à Friderico Rege petijſſet, vt filiam, Valentino Cardinali





prima occaſione ſe abdicare parato, in matrimoniũ, & dotis nomine Tarentinum principatum traderet, rumor diſperſus fuerat, quaſi per filium ingenio, & animo magno, ſi tanto eius regni membro potiretur, & Regiam filiam in matrimonio haberet, Pontificijs viribus, & autoritate adiutum, Fridericum parum potentem, ac pecunia exhauſtum, & à quo multorum regni procerum animi alienati erant, facilè regno ſpoliare poſſet. cùm tamen Pontifex, nonniſi affinitatem cum Friderico, firmandis contrà Carolum viribus deſideraret; & ea etiam propter Lucretiam filiam, à Ioanne Sfortia, Piſauri Domino repudiatam, Alfonſo Aragonio, Duci Vigiliarum, Principi Salernitano, Alfonſi ſecundi notho deſponderat. Quamquam autem Mediolanenſium Dux, miſſo Neapolim Oratore validis rationibus primum, deinde aſperis verbis oſtenderet, Friderico, quanto cum ipſius periculo Pontifex eiuſmodi deſiderio deiectus, in Galliæ Regis amicitiam præceps ruiturus eſſet, & quàm imprudentis, abiectique animi eſſet, vbi de totius ſalute agitur, indignitatis rationem habere, nec ſeipſum ad imperij conſeruationem propriæ voluntati anteponendam cogere poſſe: Fridericus tamen Pontificis alienatione, regnum ſuum in diſcrimen conijci faſſus, quòd etiam ſe, ſi filiam cum Tarentino Principatu Valentino nuptui traderet, eodem in periculo verſari exiſtimaret, ſemper obſtinatè negauit: ſeque ex duobus periculis, id potius, cui maior honor coniunctus eſſet, quodque ex nulla ſua actione manaret, ſubire velle dixit: ſ el maximè incitante Laſſo, qui rationes Ferdinandi Regis ſui circumſpiciens, nè Friderico ſine liberis maioribus defuncto, regnum Neapolitanum vel ad Borgias, vel ad Eccleſiam Romanam deuolueretur, ſed Ferdinando, ac ſucceſſoribus Aragonijs integrum maneret, cauebat, adeoque tàm ſtrictam affinitatem Pontificis cum Friderico impediebat. *Guiciardinus, & Surita ſup. Bruchardus in notis diariis.*

III. *Carolus Rex de reditu in Italiã cogitat.*

Inter hæc Carolus Rex, cum ſibi longam ætatem polliceretur, de reditu in Italiam cogitabat: & erratum à ſe bello Superiori fatebatur ipſe; & quid peccaſſet, familiariter commemorabat: & ſi quando amiſſum regnum recuperaret, multo ſe prudentius adminiſtraturum omnia dicebat; & equites cataphractos ad mille, & quingentos per Italiam deligere, eiſque præficere Marchionem Mantuæ, & Vrſinos, & Vitellios, & Romæ Præfectũ conſtituerat. Eius ſumptus dimidiam partem erant depenſuri Florentini in ſex menſes, atque his copijs decreuerat) inuadere Neapolim. *Philippus Commineus li. vltimo de rebus Caroli VIII.* Simul vt Pontificem, vel inuitum ad ſuas partes traheret, Gallis omnibus edixerat, nè quis, aut iret Romã; aut Romæ, ſi beneficia Eccleſiaſtica in regno Galliæ obtinuiſſet, reſideret: quod Schiſmatis proximum fuerat indicium *Surita lib. 3. c. 22.* In has anguſtias, præcipiti Garſiæ temeritate coniectus Alexander: cum & Ferdinandum, Carolo quidem quaſi iunctum, ſibi vero aduerſum & Fridericum affinitate ſtrictiore repudiata, omnino à ſe alienatum, & Venetos, ob Piſarum retinendarum cupiditatem à fœdere communi declinare, adeoque ſocietatem Italicam contrà Gallos confœderatam diſſolui, ſeque vnum cum Ludouico Sfortia, ad omnia pericula à Ferdinando, Friderico, & Venetis relinqui conſpiceret, prudenti conſilio vſus, ad Carolum Galliarum Regem ipſe quoque inclinauit, ac pacem, & amicitiam illius valdè ſolicitauit, miſſo quodã nuncio, qui Carolum occultè per Commineum adibat. Faciebat id magis coactus, quod Veneti non detrectarent coniurare cum Carolo aduerſus Mediolani Ducẽ; & Maximilianus Cæſar cuperet eidem Carolo eſſe, quàm amiciſsimus, atq; cõiunctis viribus Italiæ bellum facere, odio præcipue Venetorum, qui & Auſtriacæ familiæ, & imperij quoque Romani poſſeſſiones nonnullas occupaſſe dicebantur. Itaque vt amicitia coniunctus Carolo, faciliùs illum poſſet demereri, ac vbi opus fuiſſet, cupiditates illius refrenare, pacem cum eo exambiuit. Sed nouus caſus repentè ſuperueniens, omnes cogitationes vel interuertit, vel ſuſpendit. Nam nocte, quæ octauum diem Aprilis antecedit, apoplexia Carolus Rex, Amboſiæ repentè mortuus eſt. Agebat in eo oppido ad Ligerim flumen ſito, propoſito illud, & arcem pulcherrimis ædificijs ornandi, per architectos, ſculptores, pictores, & id genus alios artifices valdè præſtantes, quos Neapoli ſecum adduxerat. Ibidem animo deſtinabat, emendare iuriſdictionem miniſtrorum, & Ordinem Eccleſiaſticum, & remittere plurimum de tributis, neque aliud amplius, quàm proceres regni decreuiſſent, extra ordinem impetrare; cuius pecuniæ ſumma, erant circiter ſexcenta aureorum millia annua, eamque pecuniam deſignabat commodis, ac neceſſitatibus Reipublicæ: ipſe autem conſueto Franciæ Regum patrimonio, quod erat aureorum millia quingenta futurus erat contentus: qua ſanè re populum valdè recreaſſet, qui hoc tempore admodum grauabatur, & ſuprà duodecies centena aureorum millia dependebat. Monachorum quoque Ordines aliquot, ad ſeueriorem diſciplinam adducere cogitabat, & ex ipſis, qui vitæ ſanctimonia præſtare videbantur, ſibi habebat familiares. De Epiſcopis ità ſentiebat, oportere ipſos vno eſſe contentos Sacerdotio, & ſuis præeſſe Eccleſijs. Cardinalibus verò putabat aliquanto plus indulgeri poſſe. In homines egenos valdè erat munificus, & liberalis; certis diebus cognoſcebat de quærimonijs, & cauſis omnium, qui quaque de re aliquid ad ipſum deferrent: quod pauperum, & miſerorum hominum cauſa inprimis faciebat, & licèt non multa conficeret, tamen eo pertinebat inſtitutum hoc, vt præfecti in officio, atque metu conniterẽtur. Sed ecce, cùm Amboſæ, eos, qui pila exercebantur, in arce ſpectaret vnà cum vxore, varijs de rebus ſermone inſtituto, inter verba, quæ Epiſcopo Andegauorum dixit: ſperare ſe nihil facturum eſſe deinceps, quo Deum offenderet, è veſtigio concidit, amiſſa loquẽdi facultate, hora diei poſt meridiem ſecunda, iacuitque ad horam noctis vndecimam, quam cum redire ad ſe viſus eſſet, extrema hæc vox terriò audita eſt, Deum, Sacram Virginem, Sanctos Claudium, & Blaſium inuocantis. Vbi primum corruit, in vicinum ambulacro cubiculum, quo nullũ toto caſtro ſordidus erat perductus; vbi caſu non culcitra, non torus linteo ornatus, ſed palearium tantum aderat linteis ſordidis ſubſtratũ. Ibi is, cui tot caſtra ornatiſsima, tot vrbes florentiſſimæ parebant, animã egit, annum agens XXVII cum annos XIV. regnaſſet. *Commineus ſupra. Ferronius in Carolo VIII.* addit, Hieronymũ Ferrarienſem, Sodalem Dominicanum, cuius reſponſa Florentini pro oraculis habebant, Carolo, & in Italiam aduentum, & proſperum reditum, mortemque prædixiſſe. Itali ſcriptores iſtud peculiare de eodem narrant; In reditu ex Italia direpta vrbe virginem, in qua erat forma, & ſpecies liberalis, vim militum fugientem, ſtratam ad illius pedes, exarſiſſe mox eum in eam, ſeductamque mox lectulo collocatam, in eam cum inſiliret, aſpecta imagine, vbi Diua Virgo puellum geſtabat, oratum Regem à virgine, Per intactam, illibatamque Diuinam matrem, integra redderetur ſponſo, Regem vim lacrymarum profudiſſe, cõpreſſiſſe, & conſtrinxiſſe libidinem, quæ ſe iam profundebat, & eliciebat; intactam Virginem ſponſo quoque captiuo liberato reddidiſſe, dote numerata de ſuo quingentorum nummum aureorum, libertatis vnà ſponſæ omnibus affinibus, & proximis. Robertus Guaguinus, quod viderat funus, deſcripſit, quod adſcribere viſum propter olores antiqui ritus. Pridiè vero, (ſcribit) Calendas

*Carolus Rex moritur & deſcribitur.*

*Virgo à libidine eiuſdem à B. V. ſeruatur.*

Maij funus ad Sanctum Dionyſium per Pariſios accuratiſſima pompa efferre ſequenti ordine conſpexi.

*Mortuus & exequiæ Caroli referuntur.*

Apud Baſiam, in Diui Florentini templo, per Ioannem Peraudi Cardinalem expletis exequijs, comitantibus inde ſuo ordine in veſte lugubri Principibus, atq; primoribus aulicis, miniſtriſq; ſuprà millia ſeptem, & prælucentibus continenter quadringentis facibus, quas totidem pauperes, pullis, tunicis, & caputio induti præferebant, poſtquam ad Beatæ Mariæ templum, quod de Campis in ſuburbio Pariſino nuncupatur, primo & vigeſimo die ab Ambaſiæ exitu peruentum eſt, defuncti feretrum in eodem templo, ea, quę ſecuta eſt, nocte reponitur: pernoctantibus ibi permultis ſuo nomine ad hoc deſignatis Curialibus. Ad eam tàm numeroſam pompam, toto itinere, nonaginta millibus paſſuum deducendam, ex inſtituto Petri de Ruſe, aurati Equitis, primi (ſecundùm vulgi appellationem) Regis ſcutiferi præfecti erant honorarii ductores, qui multitudinem, ſemota famulantium, & ſeruorum colluuione moderarentur, & ad quemque locum, vbi diuerſandum eſſet, præcedebat cum domeſticis aulæ Regię miniſtris Caſtellaudius eius temporis Magiſter domus, qui alimenta non ſecùs, ac viuente Carolo multitudini pararet. Anteibāt præterea omnem pompam longo interuallo Cantores, & miniſtri Regalis Capellæ, vt per Eccleſias, vbi ſtatio futura eſſet, aras ornarent, & lichnos. Et nè præter prædeſtinatum ordine à quoquā erraretur, Guiotus Mazacus, Petrus Loiſius, & Rigaudus, ſeruandis ordinibus erant præpoſiti. Erant item, qui commeatū & diuerſoria pararent. Igitur Pariſijs accepto nuncio de funeris aduentu, altera die, ſecundùm cuiuſq; ordinis conditionem, ad eum, vbi cadauer repoſitum erat, locum procedentes, ſequenti modo funus ſunt comitati. Ibat antè omnes commiſſarius vnus Caſtelleti, cui aſſignati aſſiſtebant bono numero ſeruientes (quos clientes vocant) cum ſingulis tunicis nigris, baculos eius coloris manibus ferentes, ad dimouēdum plebē nè progredienti pompæ foret moleſta. Hos ſequebantur dextrorſum, ſiniſtrorſumq; pauperes portandis facibus deputati. A ſingulis tædis pendebant ſcuta duo inſignibus lilijs picta. Veniebant inde quatuor & viginti cum ſingulis campanulis poliſtores, (quos Clamatores Pariſij dicunt) à pectore, & ſcapulis inſignia Regis geſtantes, qui nec punctum quidem temporis à pulſandis tintinnabulis ceſſabant. Dextro latere viri religioſi cum ſua quiſque cruce, primùm Mendicantes, pòſt cæteri diuerſorum Ordinum (ſicut antiquitas ferebat) incedebant. His ſubibat præfectus vigilum cum ſuis ſeruientibus. Inde quatuor, & viginti ſalis baiuli, qui Hannonij vocitantur. hi nempè venerant, quod priuilegij iure funeris feretrum ferre contendebant: ſed priuilegio derogatum eſt. Retro hos tabellarij equites, qui ferendis Regijs litteris deſignantur: mox Regij corporis cuſtodes. Inde Sutenſes cum ſingulis geſis (quas hallebardas appellant) ingrediebantur, quibus præerat Claudius, præfecti cuſtodum Vicarius. Poſt ibant qui illuſtri genere orti, honoris vocantur infantes. Inde Regiæ domus Magiſtri, quibus pro more ſinguli baculi in manu erant. Talis erat dextri lateris inſtitutio. Siniſtrum tenebat magno numero ſtudij Pariſienſis vniuerſitas, incipiens ab extremis clamatoribus, & inde ſecundùm ſingulatim facultatum Collegia ſurſum ad Rectorem vſque verſùs Epiſcopos. Rectori præibant bidelli cum ſuis baculis, & maſſis argenteis, nec aderant Scholaſtici omnes, nè per illorum multitudinem via arctaretur. Inter hos, hincinde procedentes pompæ ordines, pòſt faciferos ibat Caſtellaudius mula inſidens, ſequentibus comminiſtris peditibus his ſuberant tubicines inuerſis tubis, & caduceatores. Inde Claudius ſignum militare Regi peculiare gerebat, equo vectus non ignobili. Ducebatur hinc ſex equis carpentum, in quo Regis corpus ad Diuam vſque Mariam de Campis fuerat aduectum, veluto tectum nigro; & aureo deſuper pallio inſtratum, cuius limbi per quadrum ex veluto colore cœleſti pendebant aureis lilijs, arminiſque intexti. Super hæc diſtenſa erat lata crux candida. equi cum ſuis iugis, & loris pari veluto, ſuperaddita cruce regebantur. Adequitabant hinc atque hinc, equis vecti, Emarus Ronus, & Canuquonus illuſtres ſcutiferi. Carpento poſt ibat Blandinus quotidianæ Regis impenſæ ſcutifer: atque inde ſex generoſi adoleſcentes (Pagios vocant) totidem inſignibus equis vehebantur, ſimili apparatu, quem de carpento diximus. Ducebatur poſt hos non inferiori ornamento equus cæteris dexterior: quem gladij latorem aulici dicunt. Hunc ſequebantur equis inſidentes ſplendido ſanguine nati Suffacus, & Sanctammenius. Poſt huiuſmodi medium ordinem dextrorſum procedebant Sacerdotes, & Clerus parochialium Eccleſiarum. Inde ij, qui Sacello Palatino, & qui maiori Eccleſiæ inſeruiunt. Succedebant Monaſteriorum Abbates Sancti Victoris, Maglorij, Diuæ Genoueſæ, & de Fecano. Accedebant ſubinde Pontifices, Sarlatenſis, Valentinus, Andegauus, Altiſſiodorēſis, Pariſienſis, inde Cardinales duo, Gurcius, & Luxemburgus: ille natione Pictauus, in Germania Præſulatum obtinebat, hic ex Picardia nobili ſtirpe genitus, Cænomanis præerat Antiſtes. Siniſtroſum præter Scholaſticos nemo incedebat, eratque Rector è regione Prælatorum ſuo ordine poſtremus. Inter hos, & Pontifices, medij ibant viatores Regij, virgas ſuas (quæ maſſæ nominantur) inuerſis capitellis geſtantes. Inde caduceatores duo, qui Reges armorum nuncupantur, Monoius, & Clarenoius. Poſt quos alter equus (curſorium vocant) toto, præter oculos, corpore veluto amictus, ſine aſſeſſore ducebatur: cui Petrus de Ruſe primarius (vt ante dixi) ſcutifer paruula mula vectus accedebat, Regio enſe accinctus. Pone hunc trium paſſuum interuallo ibat pedes Iacobus de Storeuilla Pariſinus Prætor, virgam manu præferens. Inde ex Regis maximè domeſticis clariſſimi homines, qui lecticam, vbi Caroli funus conditum erat, comportabant: cui ſuperextabat, tamquam in lecto iacens Caroli ſimulachrum, ſimillimum, quoad fieri poterat, viuenti. Erat lectulus linteo ex ſubtili tela Holandina in terram profluente inſtratus, cui ſuperpoſitum erat grande veluteum pallium, vlnis quinquaginta conſtans. Deſuper intextum ex auro pallium quinque, & viginti vlnis extendebatur, ſimilibus limbis, quos in carpento ſuprà deſcripſi, præter arminas. Addita erant puluinaria aurea duo: altero ſimulachri caput, altero pedes nitebantur. Aurea corona caput decorabat: tibias induebant ſericei cothurni blauio, vt ita dicam, colore: Superaſſutis aureis lilijs. Veſtis prima ex purpureo tafeto, id eſt tenui ſerico: & fimbriæ eius aureæ erant. Erat & altera tunica ſuperior ex ſatino cæleſtis coloris aureis lilijs intexta, quibus ſuperextabat chlamijs arminis duplicata, dextrorſum aperta ex veluto pari colore liliis ſuper inductis. Ad extremam chlamydis fiſſuram, armum verſus, fibula erat multis gemmis, & Florentino auro pretioſa. Chirotecatis autem manibus, cum ſtatua eſſet, dextera ſceptrum, ſiniſtra gerebat manum, quam iuſtitiæ Franci vocant. Ea eſt huiuſmodi. Indicem digitum, & medium erectos habet, reliquos cum pollice ad volam implicitos deflectit.





Dextera manus paulò altiùs, quàm ſiniſtra pectori eminebat: vt, qui in digito aureus annulus erat, videri poſſet. Aurei pallij angulos quatuor parlamenti Senatus præſides ſinguli ſingulos tenebant, veſtibus ornati, quibus in curia ſolennia iudicia exercent. Ad lecticæ latera incedebant cæteri Senatores, rubris tunicis veſtiti: quos oſtiarij lugubri toga præcedebant. Suprà lecticam aureum velum quadratum, decem baculis ſuſtinebatur, quos mercatorum præpoſitus, & Scabini deferebant. eius veli ſingula latera veluteа erant, ad eundem modum, quo carpentum ornatum fuiſſe ſcripſimus: quo etiam tegumento baculi tegebantur. Ad lecticæ ſiniſtrum latus, militare ſignum (quod panonem appellant) Ludouicus Daucus geſtabat. Dextrorsū peculiare Regis ſignū geſtabat Iuo Dalegre. Retrò prodibat cū integro vexillo Carolus Tremolus: quem comitabatur Chaumōtus, Regij Dom⁹ primarius Magiſter. Veniebāt inde Principes Mompēſerius, de Guiſa, de Dunois, & Dux Albaniæ, talaribus, chlamydibus, pullis, caputiiſq; amicti. Inde Cambelarij, & ijs, quos Regij Ordinis torquibus Carolus donauerat. Quatuor inde & xx. arcitenentes, quib. viuentis Caroli præcipua cuſtodia fuerat. Mox ſequebantur ſelecti nobiles ducenti, terſas, & ſplendidas haſtas manu geſtantes. Siniſtrum latus ſuo ordine decorabant Regiarum rationum computores: vectigalium quoq; id eſt, (vt aiunt) iuſtitiæ Generales: Regij item theſaurarij, & ex Caſtellero frequentes Iudices, atq; miniſtri honoratorum quoq; ciuium ingens, multitudo. Poſtremi omnium ibant Vrbis Pariſiorum ſagitarij, bini procedentes. Hoc apparatu, & luctuoſa pompa, funus à Diuæ Mariæ Pontificale templum deductum eſt: ſpectāte ex feneſtris tectiſq; vicatim innùmera plebe ciuitatis. Maioris templi ſingula ornamenta, ſubſelliorum ordines, vela, tapetes, qui parietes veſtiebant, ſcribere operoſum, & longū eſſet. Lichnorum aūt per templi muros ſurſùm deorſùmq;, tanto fulgore Eccleſia, & micabat, & calebat, vt illò venientes, paulòq; morari æſtuaret. Poſtridiè ſolennibus exequijs facta re diuina, pari (quo dictū eſt ſuprà) inceſſu, cùm ad Dionyſianam portā ventū eſt, ordo deducentiū funus, tranſito ſuburbio, & Rectore cum ſuis Scholaſticis domū repetente, talis fuit, qualem ab Ambaſia ad Beatam vſq; Mariam de Campis ſeruatum fuiſſe diximus. Indè ad crucem, quæ ad Sanctū Dionyſiū in via militari eſt, ac pēdēs nuncupatur, pōpa proceſſit: quò Religioſi cænobitæ Eccleſiaſtico ornamento cōuenere, funeri per ſacras cerimonias obuiātes. Præerat illi Abbas de Fecano; nā loci Abbas, ſuprà aliquot annos Cardinalis factus, Romæ agebat. Vbi ad oppidi portam pompa ſucceſſit, quatuor parlamenti Præſides, & cæteri Senatores ſuum iterum ordinem receperunt, obambulantes funus: cui tamdiù aſtiterunt, donec funebribus officijs abſolutis, ad ſepulchri locum deduxiſſent. Fecit rem diuinam Cardinalis Luxemburgus: funebram orationem Ioannes Andegauus præſul, qui Regius confeſſor fuerat, habuit lamentationis plenam. Dum in foſſam cadauer deponi cæptū eſt, adſcitis per Caduceatores Regiæ domus Magiſtris, ſinguli ſingulos baculos, quibus miniſtrando Regi vſi fuerant, in foſſam demiſerunt. Inde caduceatores ipſi, & armorum ſeruientes, ſericeas veſtes Regijs inſignibus pictas exuentes, eas cum maſſis ſuis depoſuerunt. Qui vexillum (cui Guidon nomen eſt) geſtabat, demiſſam magna religione lanceam ad tumulum proſtrauit. Eadem obſeruatione fecit is, qui Regium ſignum ferebat, cùm pars adhuc feretri extra foſſam extaret. Eo in foſſā inſtrato, accedens, qui Panonem gerebat, humi ſignum depoſuit. Simile fecit ſignifer maioris vexilli. Magnus inde Scutifer Petrus de Ruſe, Regium gladium (quem terræ commiſerat) in altum exerens, poſtquam exaltata voce VIVAT REX pronunciauit, caduceatores ſuas tunicas receperunt. mox ex Cambellarijs primus vexillum manus erexit, quod poſteà eminenti loco poſitum eſt. His ad præmiſſum modum religioſo ritu conſummatis, epulatum eſt in Regia Domo; non ſecùs, ac Regibus mos eſt. Mortuo, Guaguinus, epitaphium iſtud ſcripſit.

*Epitaphiū eiuſdem.*

*Nunc tandem agnoſco ſtultus mendacia mundi,*
*Et ſpes exiguas dùm punctum viuimus æui.*
*Congeries nos fallit opum, nos fallit & ætas,*
*Nec fida vllis eſt quæſita potentia regnis.*
*Deſerit elatos ſublimis gloria Reges,*
*Calcat & excelſum mors protinùs atra tribunal.*
*Inde fidem ſi vis, repetito funera Carli,*
*Latè cuius erat omnis poſſeſſio Francus.*
*Cui tremefacta caput ſubmiſerat Appula tellus,*
*Britoq; depoſitis parebat ſubditus armis:*
*Quem Ligur, & Veneti conſulto Marte petitum,*
*Terribilem ſenſere manu, fortemque duello,*
*Fornouij multa maduit dum ſanguine campus,*
*Ille pila dum fortè videt colludere ſeruos,*
*Confeſtim abripitur, & vox occluſa fatiſcit.*
*Vix quater aſpirans ſeptena volumina ſolis,*
*Emoritur. ſine prole ſacrum diadema relinquens.*
*I, iam rumpe alpes, multorum effunde cruorem,*
*Dilata imperium, promitte palatia cælo:*
*Cuique domus terra eſt longo ſeruanda ſopore.*
*R. Guaguinus lib. xi.*

IV.
*Ludouicus Aureliæ Dux Rex Galliæ creatur.*

Mortuo, ac terræ dato Carolo, quòd is nullam prolem reliquiſſet, ad Ludouicum Aureliæ Ducem, à ſtirpe maſcula proximum, ſceptra Gallica delata ſunt, conuenientibus ad eum omnibus Regi proceribus, & Regem ſuum ritu ſolenni apud Remos inaugurantibus. Is nouus Rex in regni ſui initio, Ciſalpinis bellis implicari velle minimè credebatur: eaque propter Italiam, periculorum, ex Gallorum potentia imminentium metu liberaſſe. At eorum qui futura perpendebant animi, cùm Regem annis maturum, multis bellis exercitatum, in ſumptibus temperatum, & proculdubio magis, quàm ſuperior Rex ex ſeſe aptum, pendentemq;, ad tātum imperium perueniſſe cernerent: & ad quem non modò, vtpotè Galliæ Regem, eadem Regni Neapolitani iura ſpectarent, verùm etiam ob Valentinæ auiæ ſucceſſionem, ſibi peculiari iure Inſubriæ imperium arrogaret, nè dilatum malum temporis ſucceſſu maius, grauiuſq; redderetur ſuſpicione non ſunt liberati: Quoniam cùm Valentinam, Io. Galeacius Vicecomes pater, antequam ex Cæſareo Vicario Mediolanenſium Ducis appellationē eſſe adeptus, Ludouico Aurelianēſiū Duci, Caroli VI. Galliæ Regis fratri deſponderet, doti, qua Aſta cū eius agro, & ingēs vis pecuniæ continebatur, vt quocumq; tempore maſcula proles deficeret, Valentina, vel illa defuncta ordine proximi, in Mediolanenſis regni iura ſuccederent, expreſſis verbis cauerat. Quam pactionem per ſe leuem (ſi quod Galli aſſerunt verum eſt) vtpotè in imperij interregno, quo tempore imperij, adminiſtrationem ſibi Romani Pontifices vindicant, Pontificia autoritas confirmauit. Quarè cum poſteà Philippi Mariæ Vicecomitis interitu, Ioannis Galeacij virilis proles eſſet extincta, Carolus Valentinæ filius Aurelianenſium Dux, eius regni ſucceſſionem depoſcere ſibi cæpit, quam ſibi eodem tempore (vt Principum ambitio facilè quemuis prætextum arripit) & Fridericus Cæſar, quaſi progenie, quæ in Ioanne Galeacio, à Venceſlao Romanorum Rege conceſſo priuilegio, nominata erat, extincta, iterùm ad Imperium deuolutum: & Alfonſus Aragoniæ, & Neapolis Rex, Philippi teſtamento hæres inſtitutus, arrogabant. Sed cùm Franciſci Sforriæ, qui, vt arma aliquo colore muniret, Blancam coniugem ſuam, Philippi vnicam, ſed notham filiam debere ſuccedere aiebat, arma, felicitas

arteſq; plùs valuiſſent, Carolus Aurelianenſis, qui in bellis inter Gallos, & Anglos, Dongicortino prælio captus viginti quinque annos in Anglia captiuus fuerat, ob inopiam, & aduerſam fortunam, nec per ſe id bellum moliri, nec à Ludouico XI. Galliæ Rege, quamuis cognatione coniunctiſſimo, aliquod auxilium vmquam impetrare potuit. Quia cum illi in regni ſui initio Galliæ proceres, qui publici boni ſpecie, priuatis de cauſis, atq; odijs in eum coniurarant, infeſti fuiſſent, ſemper Rex ille potentiorum depreſſione, ſecuritatem, magnitudinemq; ſuam confirmari dixit. Quamobrèm Ludouicus Aurelianenſis Caroli filius, quamuis eius gener eſſet, nullam ab illo opem aſſequi potuit: & ſocero defuncto, cùm in Caroli Octaui tunc pupilli tutela, Annam Borboniorum Ducem, Regis ſororem ſibi anteponi ferre non poſſet, rebus nouis exigua fortuna in Gallia excitatis, minore felicitate in Britanniam citeriorem tranſijt. Nã ijs, qui Carolũ Annæ, quæ Franciſco patre ſine liberis maribus defuncto, eius Ducatùs hæres erat, matrimonio Britannia citeriori potiri nolebant coniunctus, imò eidem matrimonio occultè inhiãs, in pugna, quę inter Gallos, & Britannos propè Sant Albinum in citeriore Britannia cõmiſſa fuit, captus, & in Galliam perductus, ibiq; biennium in carcere cuſtoditus. Itaque prius facultate, deinde Regio beneficio liberatus, Caroli ope deſtitutus id negotium non tentauit: niſi cum Regis iuſſu Aſtæ moratus, tenui ſucceſſu Nouariam eſt ingreſſus. Rex autem Galliæ factus, nullo vehementiùs, quàm Mediolanenſis Ducatus, velut hæreditario iure ad ſe ſpectaret, occupandi deſiderio flagrauit: in quo à puerìtià educatus, rebus ad Nouariam geſtis, atque Ludouici Sfortiæ in ſe inſolentia, cum Aſtæ eſſet, declarata, non mediocri in Ludouicum Sfortiam ſuſcepto odio, multo magis accenſus fuerat. Ideò paucos dies pòſt Caroli Regis obitum, ea re conſilij ſui autoritate firmata, non modò Galliæ, & regni Neapolitani ratione, Hieroſolymæ, & vtriuſq; Siciliæ Rex, verùm etiam Mediolanenſium Dux appellari voluit: atq; vt ſuam ad res Italicas propenſionem omnibus declararet, ſtatim pèr epiſtolas Põtificem, Venetos, ac Florentinos ſuæ ob regnum adeptum lætitiæ participes fecit: & proprios homines, qui nouarum rerum ſpem facerent, apertè ſibi Mediolanenſe Imperium in ſuam poteſtatem redigere in animo eſſe oſtendens, miſit. Senatus Venetus ſtatim vnum ex ſuis Scribis, quem apud Sabaudiæ Ducem habebant, ad eum miſit: & vt his initijs eius amicitiæ, quam communes res indies poſcerent, cum eo firmandæ fundamenta iacerent, tres Oratores, qui illi regni ſucceſſionem gratularentur, & ea, quæ aduerſùs Carolum geſſerant: non alia de cauſa, quàm quòd cum multis indicijs illum regno Neapolitano minimè contentum animaduertiſſent, nè ad totius Italiæ imperium occupandum, conſilia ſua direxiſſet, metuerent, geſta excuſarent, decreti fuere. Nec Florentini ob antiquum eius vrbis cum Galliæ regno inſtitutum, & vt merita ſua, obligationeſq; defuncti Regis confirmarent, à Legatis ad eum mittendis abſtinuerunt, à Mediolanenſium Duce, ad hoc ipſum impulſi, vt per ipſos, Venetorum (cum ab vtraq; Repub. de Piſanis rebus eſſet agendum) negotijs difficultas interponeretur: & ſi fortè fidem, vel aliquid autoritatis ſibi comparaſſent, aliqua occaſione ad gratiam inter ipſum, & Galliæ Regem reconciliandum, quam ipſe ſummoperè exoptabat, vti poſſent. Hos Ludouicus Rex hilari fronte accepit, & cum ſingulis negotia tractare ſtatim cæpit, antequàm cum finitimis Regibus fœdera firmaſſet. Inde Regum Hiſpaniæ Legatos Bleſis audiuit, cumq; Regibus pacem inijt: qui rerum Italicarum conſilijs depoſitis, non modò omnes Legatos, quos in Italia habebant, præter eum, qui apud Põtificẽ verſabatur, reuocarunt, ſed omnibus Calabriæ locis, quæ retinuerant, Friderico Regi conceſſis, Conſaluum cum omnibus copijs in Hiſpaniam redire iuſſerunt. Cum Philippo quoq; Archiduce, Arteſiæ Comitatùs oppidis reſtitutis, nouam pacem ſtabiliuit: quæ res vt ad filij commodum perficeretur, Maximilianus Cæſar nulla Ducis Mediolanẽ. (qui in pecuniæ præſtatione minimè ſatisfaciens, indignationem incurrerat) facta mentione, inducias in multos menſes cũ eo pactus eſt. Anglus fœdera cũ Carolo pridẽ inita, cũ Ludouico innouauit. Luſitanus, ſpontè, veteres cum Regibus Galliæ pactiones cõfirmauit: quandò Ludouico deliberatũ fuerit, comitate, & benignitate cũ omnibus agere, nihil denegare cuiquã, dũ regnũ, quod nouitate nutabat, vt oẽs Principatus, tẽpore cõfirmaret. Simul prouidebatur, nè diuortio, quod cum vxore adornabat, aliquis impedimentum afferret, coniugiumue diſturbaret, quod mire cum Regina vidua parabat. Vidit hæc omnia Pontifex Alexander: & tàm Friderici, qui Carlotam filiam Cæſari Borgiæ negabat, quàm Ferdinandi, qui id fieri iubebat, affinitate excluſus, inq; tanta omnium ad Ludouicum Regem inclinatione, ſolus quaſi derelictus: ipſe quoque rerũ & Sedis, & familiæ, à quibuſuis emergentibus periculis tuendarum, ſeruandarumq; cauſa, quò omnes Reges, & Principes fœderati, declinauerant, ad eundem Ludouicum reſpexit: maximè quando ſciebat, Regẽ, Ioannã cõiugẽ ſterilẽ, & monſtroſam, quã ab Ludouico XI. penè coactus duxerat, repudiare vehementer cupere: nec minore Annæ, quæ Caroli Regis morte vidua erat relicta, non tàm ob priſtinæ beneuolentiæ iàm antè Sant Albini prælium inter ipſos cõtractæ reliquias, quàm vt hoc matrimonio Britannia citeriore, magno, & Galliæ regno admodum opportuno imperio potiretur, in matrimonium ducendæ deſiderio flagrare: quæ abſq; Pontificia autoritate obtineri nõ poterant. De hoc ergo negotio, cùm Ludouici Oratores audiſſet, ad Gallicas ſpes conuerſus, Ludouico Regi diuortij cum vxore ſua, autoritate faciendi facultatẽ promiſit, iudiceſq; ſimul dedit, Philippum Lucemburgium Cardinalem, Ludouicum Albigiorum Pontificem, & Ferrandũ Septenſem Epiſcopum. Simul Rex vt ſibi Põtificẽ obnoxium redderet, ſpem de Carlota, Friderici filia, quam in ſua aula Regia alebat, & cuius locandæ poteſtatem penes ſe videri volebat, Cæſari Valentino Cardinali in matrimonium cum aliquo in Gallia principatu dotali iungẽda, Alexãdro fecit: ac præterea, quãprimùm Mediolanenſe imperium occupaſſet, ſe eum ad Ciuitates ab Aemiliæ, Flaminięq; Vicarijs poſſeſſas, Põtificio Imperio ſubijciẽdas iuuaturũ: & trecẽtas auri libras maioris ad cuſtodiã ſuã præſidij ſui alendi ſpecie, in præſentia numeratorum ſuſcepit, iàq; numerare cæpit. Diuortij cauſas Rex afferebat. A Rege ſocero de ſacro fonte ſe ſuſceptum: neq; venia Pontificis, ſacræ ex eo propinquitatis legẽ vmquam ſublatam. Deinde non ſpontè, ſed terroribus propoſitis priorẽ vxorem duxiſſe: numquam eam à ſe habitam loco vxoris fuiſſe: eiuſq; rei cauſa conteſtationes multas interpoſuiſſe. His de cauſis Iudices lata ſententia matrimonium Ludouici cum Ioanna diſſoluerunt: in quam ne Rex ingratus videretur, vltrò ei Biturigum principatum iure fraternæ ſucceſſionis debitum, detulit. Ioanna porro, quã erat eximia pudicitia & integritate, cæleſtis vitæ ob morum ſanctitatem quædã veluti exempla viuens nuſquàm non præbens, tantum abfuit vt repudium ægre ferret, vt ſe plerumq; magno onere leuatã prędicaret, humanaſq; cogitationes ſpeſq; auerſata, ad diuina animum trãſtulerit. Secundùm hæc Cæſar Borgia Cardinalis mane quodam Sacrum Senatum ingreſſus, Patribus expoſuit, Diaconum ſe nõ ſpontè, neq; libera voluntate factum, metu, ſeu reſpectu reuerẽtiali eã dignitatẽ ſubijſſe: numquàm animum ad Sacerdotia procliuẽ habuiſſe: ſibi, in Ducatu Gandiæ, & in ſecularibus munerib. fratrẽ antelatum, ægro ſemper animo tuliſſe; contrà volũ-

*Alexander PP. Ludouico Regi diuortij faciũdi poteſtatẽ cum vxore ſua cõcedit.*





tatẽ paternã, qui Diaconũ Cardinalẽ inuitũ creauerat non ſemel proteſtaſſe. Cõtinẽtiæ ergo legis gratiam ſibi facerent, atque purpuræ, & Sacerdotij abdicandi poteſtatem; quò ſua fata ſequi poſſet. Erãt multi è Patrum numero, qui non expectandum exiſtimabant, dum homo impotens ſacros honores abdicaret, quod honorificum ipſi erat, ſed iudicio potiùs ſpoliandum: ſiue quòd malis rationibus eos honores, ac præſertim purpurã eſſet conſecutus; ſiue propter morum prauitatem, & libidinis licentiam, vix etiam in profano homine tolerabilem, vti Legatus Hiſpanus dicere erat ſolitus. Cæterùm maior pars Collegij ea poſtulata rata habuit, vt plerique dicebant, contrà fas, contrà auſpicia, contrà omnia æquitatis iura. Pallio, & ſago pro toga ſumptis, in Galliam maturauit, ex Cardinali, & Valẽtino, Archiepiſcopo, miles iam, & Dux Valentinus: quoniam Ludouicus Rex illum centum cataphractis, cum viginti milliũ Francicorum ſtipendio præfecerat, & Valentiam Delphinatis vrbem, quæ vrbs Auenioni vicina, & aliquando Pontificiæ ditionis ad Regum Galliæ manus annis ſuperioribus tranſierat, cum totidem Francicorũ millibus annuis, & Ducis appellatione conceſſerat. Magni honores aduenæ habiti: coniugij tamen cũ Carlota animo ſpes concepta euanuit, Regia Virgine eã fœditatem conſtanter auerſante; tanta ex eo indignatione Ducis, vt & de Gallia deſerenda cogitarit, & ſe diploma diuortij ſecum attuliſſe primùm negauerit. Cum verò à Septenſi Epiſcopo, clàm Regi veritas eſſet patefacta, ipſe coràm Deo, diploma confectum eſſe ſufficere ratus, eo non ampliùs petito, nouam vxorem apertè ſibi matrimonio iũxit: quod in cauſa fuit, vt Dux Valentinus, cum diploma amplius retinere non poſſet, reſciuiſſetque à Septenſi Epiſcopo, eam rem fuiſſe patefactã, alio tempore pòſt veneno illum clàm ſuſtulerit. Ludouici factum, maligni variè inceſſebant: *Quaſi*, aiebãt, *verò id eſſe ſimile potuerit, cùm Regi Carolo tres eſſent liberi; cùm mœrens vxor captiui vitam à fratre multis lacrymis impetraſſet, mutam ſi quis ab initio adhibitus ſit, numquam purgatum? Nullum mariti officium in tam benè meritam de ſe vxorem ab eo collatum: cubantem vnà, ex illius complexu æquè diſceſſiſſe, atque aliam mulierem amplexantem pari amplexu non acceptam? deſiderij eius expectationem non expletam? non pellectum animum, non mitigatum tot lacrymis quas profuderat vxoris oculi pro marito liberando.* Alexandri molitionibus, eaque fœditate in diſpenſationibus admiſſa, offendebatur vniuerſus Orbis; cum præſertim memoria recenti meminiſſent homines, Aleriæ Cardinali, facultatem ab Innocentio Pontifice denegatam, purpura eiurata Monachum induendi: nunc eo honore abdicato Cardinali, & Diacono turpe non videri, continentiæ lege ſoluto, vxoris porrò ducendæ facere poteſtatem. Inde iactatum, Romæ, imò, & intrà Pontificis Regiam, eam turpitudinẽ morum vigere, vt cuicumque peruerſitati locus eſſe videretur. Inde occaſio plurimis data, palam Pontificia inſtituta, mores, & tempora accuſandi. Garſias Laſſus Vega pro Rege Catholico Romæ Legatus, Alexandrum coràm libera voce increpuit: ex ſui Regis litteris obteſtatus, niſi mutaret, ſi homines ceſſarent, grauia cælitùs imminere pericula, propter grauem offenſionem totius Orbis Chriſtiani, quam latè factorum illius, & Romanæ prauitatis fama manaret.

*Cæſar Borgia Card. purpura re[illegible] ... Ponti[illegible] ...*

*Totus mundus ob nimiã fœditatẽ Alexandri PP. diſpenſationem offenditur.*

V. Ea increpatione cõmotus Pontifex vehementer in verba contumelioſa, minaſq; prorupit. Hieron. Sauonarola, Ferrariẽ. ex Dominicano Ordine celebris Cõcionator, qui Florentiæ rebus gerendis multũ annis ſuperioribus autoritate potuerat, quod è ſuggeſtu magna dicendi libertate ſæpè in Põtificẽ, inq; corruptos Rõ. Curiæ mores, præcipuè ex occaſione Cardinalis Valẽtini, qui flagitiorũ, vitiorumque omniũ princeps habebatur, eſſet inuectus, eius iuſſu cũ duobus ſocijs, in foro eius vrbis, publicè fuit combuſtus. *Guicciardinus l. 3. & 4. Mariana lib. vigeſimo ſeptimo, ca. 2. Ferronius in Ludouico XII.* Paulus Iouius idipsũ de Hieronymo memorat quod cum is ab excellenti doctrina, ac vitæ continentia, & honeſtate facundiaque incredibili in admiratione hominum fuiſſet, necnon ſingularis ſanctimoniæ, virtutiſque nomine animis Florentinorum imperitaret, & in numerum Diuorum, vt viuẽs referretur, publico conſenſu meruiſſet, commutatione populi ex diſſidijs facta, ſubito concurſu multitudinis, Senatuſque decreto, omnibus contumelijs, & cruciatibus affectus, ac tandem damnatus, & in area curiæ fœdiſſimo ſupplicio cõcrematus, miſerabile, & fortaſſe indignum tanta virtute, incerto, leuique populum ſpectaculum præbuit. Oppugnarat enim liberiore cenſura è ſuggeſtu Alexandri Pontificis actiones, quum ante etiam eius diras, in ſe prolatas, non omnino metuendas eſſe pronunciaſſet. *Iouius in Leone X. lib. 1.* Arnoldus Ferronius, Hieronymum quod eſſet Gallorum ſtudioſior, quam alij vellent, à Florentinis adnitente Pontifice, quaſi violatæ maieſtatis reum, damnatum; alij quaſi impoſturis plebem falleret, & auguris diuini nomen aucuparetur, iure cæſum volunt: certè *ad temperantiæ, & Sobrietatis laudem, doctrina & ingenij gloriam adieciſſe eum* nemo diffitetur. *in Ludouico XII.*

*Hieronymus Sauonarola cum ſocijs Pontificis iuſſu comburitur.*

Philippus Commineus ex his, quæ vidit vel tractauit, multo plura de Sauonarola recenſuit.

*Cauſa quare combuſtus ſit refertur.*

Supra *ait*, dixi de Hieronymo, qui Florentinis in cæteralia multa prænunciauerat, etiam de Regis aduentu, quem excitatum eſſe dicebat à Deo, vt per vim, & arma ſtatum Eccleſiæ emendaret, ac ſimul Italiæ tyrannos mulctaret; & quoniam diuinitus ea ſibi demonſtrata eſſe dicebat, in plurimorum incurrit reprehenſionem; Pontifex, etiam Romanus, & Florentiæ complures, cæperunt eum grauiter odiſſe. Moribus erat inculpatis, quantum quidem perſpici poterat, & docendo multos ad ſanitatem, vitæque emendationem perduxit. Fore etiã dixerat, vt Rex in Italia reuerteretur, & negocium ſibi commiſſum à Deo perficeret: niſi faciat impendere illi grauiſſimas pœnas. Hæ illius conciones typis excuſæ proſtant, & Regem etiam ſcriptis literis de eo commouit. Sed quo tempore è vita Rex deceſſit, Florentini grauiter inter ſe diſſidebant. Regem alij expectabant, permoti concionibus illius & ingentes idcirco faciebant ſumptus, inque ſpem venerant recuperandi Piſas, & reliqua omnia, quæ noſtræ fidei permiſerant: alij vero magna contentione reſiſtebant, & in fœdus reliquorum accedendum eſſe ſuadebant: Fruſtra enim Regis aduentum expectari, & ſibi eſſe dolum, & Hieronymum, qui ſit hæreticus, & homo ſceleratus in flumen eſſe præcipitandum. Hæc quidem illi tumultuosè: verum tanta erat ipſius ad vulgus authoritas, vt nemo quicquam aduerſus eum moliretur. Pontifex autem Romanus, & Mediolani Dux crebris literis inſtabant, & hortabantur Florentinos, vt à Regis amicitia diſcederent, & de Hieronymo ſupplicium ſumerent: ſi facerent, pollicebantur curaturos, vt quæ in aliena eſſent poteſtate ipſorum oppida redderentur. Et ad iſtud fere tempus creabatur Florentiæ nouus Magiſtratus, quod bimeſtri tempore geri ſolet. In ijs multi oderant Hieronymum: & ſubmiſſus fuit, vt multi docebant, monachus Franciſcanus, qui cum illo cœpit rixari, & facto conuitio, hæreticum vocabat, ac impoſtorem, qui cum Deo fingeret, ſibi eſſe colloquium. Ea contentio ſic exarſit, vt diceret, velle ſe demonſtrare, eſſe hominem nefarium, & hæreticum, niſi faciat, non recuſare flammas, & capitis pœnam; atque hæc omnia coràm Magiſtratu dicebantur. Cùm autem HIERONYMVS flammam, atq; ſupplicium refugeret, quidam eius familiaris paratum ſe eſſe dicebat, ipſius cauſa periculum ſubire, & ex Franciſca-

nis Iuuentus eſt, qui idem profiteretur. Ad conſtitutum diem cum ambo veniſſent, comitati ſui ordinis monachis, Dominicanus præferebat manibus SS. Corpus Dominicum; Franciſcani autem, & magiſtratus vrgebant, vt à ſe deponeret; quod cum ille pertinaciter recuſaret, domum vtrique reuerterunt. Ibi vero populus incitatus ab aduerſarijs, facto concurſu, & conniuente nouo magiſtratu, Hieronymum & cum eo duos præterea comprehendunt, grauiſſimiſque ſubijciunt tormentis, & ipſius præcipuum amicum magnæ virtutis virum Franciſcum Valorium interficiunt. Quod vbi Pontifex reſciuit, miſſo Legato permiſit illis vt de cauſa cognoſcerent. Eo facto, crematus tandem fuit cum ſocijs. Supplicij cauſa erat, quod motum & diſſenſiones in Repub. excitaſſet, & quicquid de reb. futuris prænunciaſſet, à Senatoribus, ſuis amicis, cognouiſſe dicebatur. Non mihi ſumo partes illum, aut accuſandi, aut purgandi, neque Iudicare poſſum, rectè, an perperam ſit damnatus: hoc vnum tamen aſſirmare poſſum, multa illum vere prędixiſſe, de quibus nemo mortalium potuiſſet eum admonere. Nam, & Regi prædixit, fore, vt extincto filio, ipſe quoque non diu ſupereſſet, atque has illius ad regem literas, ipſe legi. *Philippus Commineus in Carolo VIII.*

VII. *Plurima prædixit Hieronymus.*

Ioannes Franciſcus Picus Mirandulæ Dominus, & Concordiæ Comes, hæc de rebus Gallicis memorabat. Antequam Rex Carolus de bello cogitaret Italico, eum in Italiam paulo poſt venturum ab Hieronymo cognoui. Ab ipſomet noueram, Carolo ſufficiendum Regem, qui quod ipſe negligeret exequeretur. Scriptis quoque, ait, mandauerat, Carolum ipſum electum à Deo ad id officij, vt Tyrannos deijceret: vt ad inimicos Chriſtiani nominis edomandos, ſubijciendoſque traijceret: vt tandem eius miniſterio reformaretur Eccleſia; eſſe tamen cum conditionibus quibuſdam non autem ſimpliciter, abſolutèque delectum, quæ etiam de ſua voluntate, arbitrioque penderent. Inter quas illæ erant, potiſſimæ; ſi delegatum officium non parui penderet, atq; id exequi non moraretur. Eundem diutius cunctantem, & poſt adeptum, amiſſumque (quod futurum etiam ipſe Hieronymus ob illius delicta prædixerat) Neapolitanum Regnum in Gallijs delicientem, ſæpius præmonuerat, vt diuina dona, mandataque non negligeret: alioquin noſſet, ſe quantocius migraturum è vita, Regemque alium, ad id, quod neglexiſſet officij ſubrogandum. Tum illud addebat, citò adeo hæc ipſa futura, vt eorum finem, qui videre non poſſet, nemo, etiam ſenectutis extremæ inueniretur. Cum autem hæc de Rege potentiſſimo prædiceret, eique ipſi, cui quadraginta annos viuere licuiſſet, vtpote vix terminos adoleſcentiæ egreſſo, tam breue ſpatium præfiniret, præſcriberetque, id, quod ad lineam ab eius obitu totum impleretur, non potuere qui hæc primum audiuerunt, non arbitrari, Hieronymum de huiuſmodi rebus diuinitus edoctum, quandoquidem nec Dæmon ipſe præſcire poteſt per ſe, niſi quæ iam in ipſa rerum natura quoquo modo exiſtãt quod (vt alios omittam) apud Athanaſium magnus ille Antonius AEgyptius monet. Quin etiam nec ea quidem omnia nouit, ſi Ignatio SS. martyrũ credimus, in epiſtola ad Philippenſes. Notam autem fuiſſe dæmonibus Caroli mortem iniuria affirmaretur, non ſolum (vt ante dictum) conditionibus ab eius voluntate pendentibus, fretã: ſed quoniam ſubitario, atque de improuiſo accidit, & impediri quoque mille modis potuit, etiamſi à dæmonibus præuiſa mortis cauſa, de ipſa corporeorum humorũ intemperie fuiſſet. Accedit, ꝙ ſuffectus in regnũ eſt Carolo Ludouicus Aurelianẽſiũ Dux, qui coronã adeptus Regiã, ſtatim quaſi citãte claſſico ad obeũda quæ Carolus poſthabuerat, intrepide ſe atque alacriter accinxit, & Ludouico Sfortiæ intulit bellum, qui principatu Inſubriæ deiectus, & apud Germanos exul, dum paulò poſt repetita Italia ad Nouariam vrbem habet ſtatiua, capitur, & vitæ reliquum finit in carcere. Dederat autem litteras Hieronymus ad Ludouicum Sfortiam, in quibus prædixit, res eius malè ceſſuras: quarum quidem litterarum fui & inſpector, & teſtis, antequam quidquàm ſiniſtri Ludouico, vnde dominio priuaretur, emergeret. Ad Galeotum quoque Picum, patrem meum eodem ferè tempore ſcripſit, prædixitque parùm eius vitæ ſupereſſe: ipſi quidem certum impendere mortem, ſed eius domui grauem impendere calamitatem, curare eum debere, quæ ad aliam vitam pertinerent, ſi ſecundam mortem vellet euadere. Agebat tunc Galeottus pater, quintum annum ſupra quinquageſimum, temperatura corporis ea, vt ad octuageſimum pertingere facilè debuiſſet. nihil minùs biennium circiter ſuperuixit. Quo mortuo, inter filios eius bella, pluſquam ciuilia, aduerſantibus mihi Fratribus meis natu minoribus, & vim inferentibus. vnde & in me exilia, captiuitateſque & in ſubiectos populos cædes multæ, noſtrorumq; præterea vaſtationes agrorũ, domorumq; ruinæ: Iamq; trigeſimus & ſecundus præterijt annus & nondum finis. Quo temporis interuallo ter ereptam mihi ditionem, ter reſtituit Deus; & quater oppugnatam, quater defendit. Intra quod ſpatium, & alter fratrum inopia, ac ſubita morte deceſſit: nec multò pòſt Blanca Mater grauiſſimo defuncta morbo, & alter frater pila per æneum tormẽtum acta, dùm Veneti Padum claſſe inuecti, Ferrarienſem agrum retentare vellent, vitam actutum amiſit. Nec propterea ceſſauere diſcordiæ. Nam & ciuium furor fremere, & fratris vxor primùm, demum filius aduerſari. Nec ſatis fuit Iulium ſecundum Pontificem Maximum, triplici me exercitu in patriam reduxiſſe, quandoquidem iterum exulaui Gallorum impetu, iterumque factus redux, multa deinde bella ſuſtinui, bellorum etiam ſuſpicionibus & impendijs, longè, lateque vexatus, quæ non preſſit ſilentio Hieronymus, ſic vt mihi aliquod ſingulare de rebus meis non dederit indicium, quò & confirmatior ſim ad ea credenda, & expectanda, quæ poſteà nomine ipſius mihi relata fuere. Sed quę ſupra narraui, dicta propterea velim, vt calamitatem paternæ domus lector aduertat, non in caſſum ab Hieronymo prædictam, dum maximè florerent omnia, & pax læta cunctis nobis arrideret. Idẽ Hieronymus dum adhuc ego intrà terminos adoleſcẽtiæ continerer, Ioãni Pico patruo meo, & prædixit, & minatus eſt, affore flagellum, ſi negligenter differret, quem propoſuerat exequi de ineunda Sodalitate Dominicana, diuinæ voluntatis inſtinctũ; quod quidem flagellum mors immatura vehementius, quàm Propheta voluiſſet, biennio pòſt attulit. Id in eius patrui vita ſcripſimus, ipſeque met Hieronymus aliquãdo in ſuis ſermonibus ea de re mentionem fecit. Illud quoque inter cætera prædixit, tempus fore, quo in ſe Dei irã Florentini concitarent, quoniã & accuſarent innocentiſſimos, & fateri, quæ non commiſiſſent, cõpellerent, atq; pœna afficerent ꝙ non multò pòſt ſucceſſit, Clemente VII. Petri Sedẽ tenente, ſub quo, & Roma capta, plurimũq;, & ſępe direpta, & Florẽtia pecunijs exhauſta, vexataq; plurimũ, & peſtilentia labefacta, mox exercitu Caroli Cæſaris aduerſi primũ, deindè fauentis Clementis per multos mẽſes obſidione cincta, adeo, vt intrà decimũ milliariũ ad centũ viginti millia hominũ perijſſe, peſte, ferro, ac inedia, & innumerabiles dom⁹; atq; palatia ſęuitia belli ꝓſtrata referãtur, vt ab eo fuerat antea ꝑdictũ. *Iſta Picus de Hierõ. c. 26.* Frãciſcus Guiciardinus, iſtà copioſius de Hieron.

VIII. *Cauſæ odij Pontificis in Hieronymũ.*

Poſtridiè eius diei, quo Carolus Rex viuere deſijt, qui Chriſtiano ritu palmarũ celebritati ſacer eſt, Hieronymi Sauonarolæ autoritas Florentiæ cõcidit: qui prius apud Pontificẽ in crimen vocatus, ꝙ non ſine offẽſione in Sacerdotũ Curiæq; Rom. mores pro cõ-

cione



cione inueheretur; quòd Florẽtiæ diſcordias aleret; ꝙ eius doctrina nequaq̃ per omnia ſana eſſet; quas ob res cùm Romam breuibus Pontificis litteris eſſet accitus, nec tamen vnquàm eò ſe conferre, certis vt ipſe aſſerebat cauſis, voluiſſet, tãdem ſuperiore anno Pontificis cenſura ei fuerat concionandi munere interdictum. Huius rei cauſa, cũ à concionibus aliquot menſes abſtinuiſſet, facilè, ſi abſtinere perſeueraſſet, abſolutionem obtinuiſſet. Nam Pontifex ſuapte hominem parui faciens, vt in eum fulmina ſua vibraret, id magis eius aduerſariorũ ſtimulis, quã alia de cauſa mouebatur. Verùm, cùm is exiſtimans, ſi conciones diutiùs omitteret, ſuam authoritatem imminutum; aut eũ finem, propter quẽ mouebatur, quæ potiſſimum concionandi vi augebantur, interruptũ iri, Pontificis præceptis neglectis, denuò ad idẽ concionandi munus redijt; aſſerens diras in ſe à Põtifice cõtortas, diuinæ voluntati repugnare, ac tanquã bono publico pernicioſas, iniquas eſſe, nulliuſq; momenti quæ dũ pro concione detonaret, Pontificẽ, totamq; eius Curiã vehementiſſimis verbis caſtigabat. Qua ex re cùm magnus motus eſſet excitatus, quod eius aduerſarij; quorum autoritas in populo indies magis creſcebat, itã eius contumaciã deteſtabantur, improbabantque, ꝙ eius temeritate Pontificis animus turbaretur, eo præſertim tẽpore, quo de Piſana reſtitutione cũ cæteris ſocijs agebatur: quo tẽpore nihil nõ erat faciendum, vt eum in propenſione confirmaret. Contrà hos, eius fautores eũ tuebantur, dicebantq;, hominum gratia, haud eſſe diuina opera turbanda, nec aſſentiendũ, vt huiuſmodi prætextu Pontifex in Florentinæ Reipub. negotiis immiſceretur. Qua in cõtentione, cùm permulti dies conſumpti fuiſſent, indignante mirũ in modũ Pontifice, & nouis epiſtolis fulminante, dirarũ item denunciatione ciuitatẽ vniuerſam terrente, ei tandem per Magiſtratum interdictum concionibus fuit: quibus & ſi ipſe paruiſſet, cõplures tamen è Sodalibus ipſius diuerſis in tẽplis idẽ facere non ceſſabant. Cumque haud minùs feruerẽt ſtudia Sacerdotum, quàm aliorum; reliquorum Sodalitatũ Monachi aduersùs eũ vehementiſſimè concionari minimè deſiſtebant, ac deniq; in tantum furorem prorupère, vt vnus è Sauonarolę Sodalibus eius partis ſtudioſus, & ex altera parte vnus ex ijs Sodalibus, qui Minores appellantur, conuenerint, vt ambo in flãmas populo vniuerſo ſpectante ingrederentur, vt, aut incolumia, vt flammis abſumpto Sauonarolæ Sodali, ex euentu, eſſet ne is verus Dei vates, an falſus, & impoſtor, oẽs liquidò cognoſcerẽt. Id aũt idcircò aſſerebatur, quòd is ſępius pro concione aſſeueraſſet, ſe in ſuæ doctrinæ teſtimoniũ à Deo impetraturum, vt, incolumis per medias flãmas tranſiret. Nihilominus, quòd ſe inconſulto eius experimenti facta eſſet mẽtio, moleſtè ferens, id impedire magna dexteritate tentauit. Sed cum res iã multum proceſſiſſet, atque à multis ciuibus ciuitatẽ tantis moleſtijs liberari cupiẽtibus, vrgeretur, vlterius omninò ꝓgredi neceſſe fuit. Quam obrẽ, cum ad dictam diem duo Monachi cunctis Sodalibus ſuis comitantibus, in Prætorianum forum campumve conueniſſent, quò non modò Florentinus populus vniuerſus, verum etiã è vicinis vrbibus complures conuenerãt, ad Minorum Sodalium aures peruenit, Sauonarolam vt eius Sodalis in flammas ingrediens, Sacrã Euchariſtiã Dominici corporis manu geſtaret, mandaſſe; cui rei cum illi reclamare inciperent, dicerentq; hac ratione Chriſtianæ fidei veritatem in diſcrimen vocari, quæ, ſi Sacrata hoſtia igni abſumeretur, in imperitorum animis multum imminueretur: Sauonarola vero, qui aderat, in ſua ſententia perſeuerãte, atq; ita inter eos diſſenſione exorta, in id experimẽtum res adducta non eſt. Quamobrèm apud vulgus tantum de autoritate eius detractum eſt, vt in ſequenti die, cùm caſu tumultus quidam eſſet exortus, eius aduerſarij ſumptis armis, adiuncta ſummi Magiſtratus autoritate, Diui Marci domum, vbi cum ſuis Sodalibus habitabat, expugnauerint, eumque cum duobus eius Sodalibus captum, in publicum carcerem duxerint. quo in tumultu, propinqui eorum, qui anno ſuperiore ſecuri fuerant propter Petrum Medicem percuſſi, Franciſcum Valorium ciuem primarium, Sauonarolæ diſcipulum, quòd is qua ſupra cæteros autoritate pollebat, in cauſa fuerat, vt proſequendæ appellationis ad populũ facultate priuarentur, occiderant. Fuit de Sauonarola, ipſis diebus ſanctæ hebdomadis habita quæſtio, etſi minimè grauis, atq; ipſius vt ferebatur confeſſio edita: quæ reiectis per eum omnibus calumnijs, quibus grauabatur, ſiue auaritiæ, ſiue flagitiorum, ac libidinis, ſiue quòd clandeſtina haberet cum principibus conſilia, illud continebat, Sauonarolam, quæ prædixiſſet, non inſtinctu, inflatuq; diuino, ſed ſua opinione, ſacrarum litterarum doctrina, obſeruationeq; nixa, prædixiſſe: nec aliquid in eo ſe improbum ſpectaſſe, nec vt ea via ſacrum aliquem honoris gradum aſſequeretur: verùm ſe illud ſummoperè expetiuiſſe, vt ipſius opera totius Chriſtianæ Reipub. Cõcilium conuocaretur, in quo Sacerdotum corrupti mores corrigerentur, Eccleſiæque Dei ſtatus, qui tantoperè à maiorum inſtitutis receſſiſſet, quàm maximè fieri poſſet, ad eius temporis formam, quæ Apoſtolorum temporibus proximè accederet, reuocarẽtur. Hoc opus tàm præclarum, tamque ſalutare, ſi ad exitum perducere potuiſſet, ſibi longè glorioſius, atq; diuinius duxiſſe, quàm ſi Summum Pontificatum eſſet conſecutus: propterea quod illud, niſi excellentis doctrinæ, virtutiſque admiratione, reuerentiaq; mortalium omnium ſingulari, aſſequi non potuiſſet; ſed Pontificatum ſæpius aut malis artibus, aut fortunæ beneficio homines adipiſci. Super hac cõfeſſione ab ipſomet coràm multis ſacratis, etiam ſuæ Sodalitatis viris, ſed verbis (ſi verum eſt, quod eius ſtudioſi vulgarunt) conciſis, quæque varias, & multiplices interpretationes poſſent recipere, de Sodalitatis Dominicanæ Summi Præfecti, quem Generalem vocant, Romoliniq; Antiſtitis, qui poſteà Surrentinus Cardinalis fuit; ſententia: qui huius cauſæ ab Alexandro Pontifice cognitores erant dati, cæremonijs ab Eccleſia conſtitutis, ſeſe Sacerdotio, vnà cum duobus ſuis Sodalibus abdicare conatus eſt. quo facto, in Magiſtratus poteſtate relictis à quibus rerum capitalium iudicibus traditi, ſuſpenſi, combuſtique fuerunt. Ad abdicationis, & ſupplicij ſpectaculum, haud minor mortalium concurſus factus eſt, quàm eo die, qui ad Sauonarolæ doctrinam igni explorandam, tantique ab eo promiſſi miraculi expectationem, in eundem locum concurriſſent. Hoc mortis genus ab eo conſtanter perpeſſum, nulla tum alia vel delicti, vel innocentiæ ſignificatione data, iudiciorum varietatem, hominumq; ſtudia minimè ſuſpendit. Nam à multis fallax, ab alijs verus, & pius fuit iudicatus; qui confeſſionem editam & diuulgatam, aut falſo conſcriptam, & commentitiam, aut in eius conſtitutione corporis admodum molli, ac delicata, plus tormentorum vim, quam veritatem potuiſſe; eamque imbecillitatem Principis Apoſtolorum exemplo accuſabant: qui nec cuſtodiæ traditus, nec acerbitate quæſtionis, aut alia externa vi compulſus, ſed ad ancillarum, aut ſeruorum ſimplicem ſermonem, eius ſe Magiſtri dicipulum eſſe, à quo tot ſalutaria præcepta audierat, diuinaque viderat patrari miracula, non ſemel negauit. *Guiciardinus. lib. 3.*

Diffuſiùs iſtam Sauonarolæ hiſtoriam producere viſum, ex Brucardi Protonotarij Apoſtolici notis Dia-

rijs, x

rijs, ex Iacobi Nardi hiſtorijs Florentinis, ex Ioanne Franciſco Pico Mirandulano Comite, qui vitam Sauonarolæ ex his, quæ vidit, & audiuit, ſcripſit, ex diuerſis apologijs typis datis, ex proceſſu qui circũfertur & ex M. Scripto codice vitæ Sauonarolæ, quam autor ex viſis, & auditis, magna cum diligentia, idiomate Etruſco compoſuit: eo conſilio, vt Lector diiudicet & antecedentibus, actis & ſubſecutis, num iure cæſus fuerit Hieronymus Sauonarola Ferrarienſis, Pontifici Alexandro, Ludouico Sfortię, & quibuſdam Florentinis primoribus odioſus.

IX. *Vlteriores cauſæ aduerſariorũ odij in eundem Sauonarolam reſeruatio.*

Nardus recenſet, quæ anteceſſerunt. Superiore anno, à partiarijs Mediceorum conſpiratum fuit, de Petro Mediceo non ſolùm Florentiam occultè reuocando, verùm etiam Vrbi cum abſoluta poteſtate præficiendo. Nox feſtiuitatis Aſſumptæ Deiparæ deſtinata conatibus: quo tempore maior pars ciuium, ruſticatum in villas ſuburbanas diuertentium, abeſſe ſolebat Florentia. Iam huius rei amicos, & clientes admonuerant, militem opportunis locis abdiderant, panes, & pecunias populo famelico diſtribuerant, necnon ædes opulentiorum quorundam aduerſariorum in prædam multitudini aſſignarant: vt leui rumore ex condicto excitato, Petrum admitterent, & Curia occupata, Principẽ Florentiæ cõclamarẽt. Strozziorũ Nerliorũ, Valoriorũ, Giugniorum, & aliorum quorundam ædes, furori populari expoſitæ, vſq; ad fundamenta erant diruendæ. Pontifex, & reliqui fæderati, vt Florentinos à ſocietate Gallica auerterent, peiora minabãtur, & iã variè potẽtiã oſtẽtabãt: maximè, quandò Ateſtinus Ferrariæ Dux, à Gallis ſeceſſione facta fæderatis Italiæ acceſſerat. Derecta conuentione, cùm Florentini omnia ſuſpecta habentes, Piſarum reſtitutionem à fæderatis fruſtrà expectaſſent, ludibrioq; ſe haberi, aut verò in diſcrimen vocari exiſtimarent, de fædere Italico interpellati, cautè ſibi agendum putarant. Hinc autem aduerſarij acriùs incitati, animos ad maiora intenderunt, & Pontificem, vt ſacris omnibus, Hieronymo, & ſocijs ad S. Marcum Florentiæ, & ad S. Dominicum Feſſulis interdiceret, nec non Florentinam vrbem grauioribus cenſuris percelleret, ac bona Florentinorum Mercatorum Romæ, in alijs vrbibus Italiæ, & Regnis ac prouincijs Europæis publicaret, impellere conati ſunt: non tam vt Hieronymum caſtigatum viderent, quàm vt ſtatum Reipublicæ Florentinæ nuper reformatum euerterent. Hic verò Hieronymus, vt ipſe affirmabat, diuinitùs inſpiratus, non amplius ſibi tacendum ratus, die ſacro Natiuitatis Domini diuinam rem ritu ſolenni facere voluit, & omnia tria ſacra eodem die abſoluit, diſtributo ad auroram pane Euchariſtico omnibus ſuis Sodalibus, multis ſecularibus, & inter alios ducentis iuuenibus, qui ſupplicationem deuotiſſimam ad S. Marci inſtituerant. Sacris decantatis, ipſe quoq; cum omnibus Sodalibus, & innumeris ſecularibus, intrà clauſtrum, & per aream cœnobij proceſſionem ſupplicem, ac deuotam obiuit: eodemq; tempore apologiam pro ſua ipſius innocentia, & doctrina, præcipuè vt à cenſura Apoſtolica ſe immunem eſſe denunciaret, ac ſimul librum de Catholicis dogmatibus cui titulus eſt, *Triumphus Crucis*, euulgauit.

Nec ipſe tantum pro ſua innocentia, verùm etiam vniuerſi Fratres Cõgregationis S. Marci, qui ad CCL. numerabantur, pro ſe contra ſubreptitia Pontificis edicta, in cauſa ſua apologiam typis publicarunt. Huic Sauonarola epiſtolam, quam adſcribo, præſcripſit.

X. *Epiſtola eiuſdem qua ſibi obiecta diluit.*

*Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique: ſed quia vbi in diuinum contemptum, & detrimentum animarũ, ceu nunc & falſa miniſterij noſtri vituperatione res cedit, ſilere profanum, & impium eſt, compellor aduerſariorum calumnias palàm refellere: quandoquidem illorum malignitas eò peruenit, vt non ſolum, Summum Pontificem aduerſum nos concitare conentur, ſed in plateis, & compitis vbique garriant, & ſimplicium animas ſubuertant. Quamquam ipſum Summum Pontificem pro Apoſtolicæ Sedis dignitate, & iuſtitia, ſpero, comperta demum veritate res noſtras amplexurum: Nam ad declarandam ei innocentiam noſtram, quæ Deo, & vniuerſæ huic ciuitati conſtat, nihil relictum eſt. Interim verò perſtrepentibus, & inſultantibus illis obuiare neceſſitas cogit: ne ſi per nimiam tolerantiam ſcandalum vniuerſo mundo fieri patiar, neglectæ veritatis & publicæ iacturæ in die iudicij reus accuſer. Itaque Deum: Beatoſque teſtes inuocans, veritatem vſquequaque loqui non ceſſabo; propter quam nemo ſuccenſere mihi poterit, niſi qui ſe illius hoſtem plane profiteri voluerit. Tria ſiquidem nobis capita à detractoribus noſtris obijciuntur. Primum, quod peruerſum dogma docuerim. Secundum, quod Romam ad me purgandum de obiectis citatus adire recuſauerim. Tertium, quod Summi Pontificis præcepto, in vnione Congregationis noſtræ cum noua Thuſciæ Congregatione reformanda non paruerim. Quorum duo ad me vnum ſpectantia totiens à nobis purgata, & omnibus adeo nota ſunt, vt his amplius inſiſtere non oporteat. Tertium vero, vt inferius patebit; ad me parum pertinet. Nam primum, quod peruerſum dogma docuerim, quam falſum ſit, editiones noſtræ, ac ex ore meo declamantis celeri, & fideli calamo excerpta teſtantur: cum in tot à nobis hactenus deductis, quæ ſemper Sanctæ Romanæ Eccleſiæ correctioni ſubiecimus, nullus adhuc error in medium allatus ſit; quod etiam noſter de Triumpho Crucis liber, iamiam librariorum opera prodíturus in lucem, clarius indicabit. abſitque ab Ordine noſtro omnis praui dogmatis nota, qui ſemper hæreſum, & errorum acerrimus expugnator, extirpatorque, ac Catholicæ Fidei præcipuus defenſor fuit. De citatione autem ad me purgandum, aliter eſſe, ex ipſis Apoſtolicis litteris oſtendi poteſt; quibus non ad purgandum, ſed ad gratum alloquium à Summo Pontifice benigne vocatus ſum. Quo nihil profecto mihi iucundius fuiſſet, aut foret, ſi modo permiſſum eſſet. Sed quam ſalua, & ſuperſtite vita propter inimicorum, & potentum conſpirationes quibus odioſa eſt veritas, id fieri potuerit, aut poſſit, palam eſt, cũ vix intra domeſticos parietes, & ipſas aras templi ab eorum inſidijs tutus eſſe nequeam. Nemo autem tam rudis & imperitus Scholaſticus eſt, qui neſciat me illuc accedere non teneri, quò ſine manifeſto capitis diſcrimine peruenire non detur. At nunc circa tertium tota vertitur quæſtio, quod ideo ad me parum pertinere dixi, quia nõ in meo, ſed ducentorũ circiter, & quinquaginta Fratrũ arbitrio eſt, quorũ pleriq; patritij, ac religione prudẽtia, doctrinaq; venerabiles ſunt, me inter eos alienigena nõ imperante, ſed humili charitatis affectu ſeruiente. Hi igitur per litteras ſuas ad Pontificem reclamarunt vnanimiter, atteſtantes ſe potius extrema quæque paſſuros, quam huic vnioni profeſſionis ſuæ voto repugnanti aſſenſum ire, quod profectò honeſtum adeò, & ſanctum propoſitum, nec diſſuadere ſciam, nec poſſim. Rationes, quas ipſi attulerunt hic ſubiungemus: quamquam ſcio nonnullis religioſis id moleſtius futurum. Sed ſibi ipſi hoc imputent, qui nos inuitos ad id pertrahunt, quod in hunc vſque diem quãtum potuimus, diſſimulauimuſque, teximuſque. Nunc autem ipſis pertinaciter inſiſtentibus in præiudicium veritatis, tacere non licet. Nam ſi illi, vt pacem noſtram perturbent, Deo & religioni non parcunt; tanto minus nos qui pro diuino cultu, & pro iuſtitia certamus, in hoc eos tolerare, & perpeti decet.*

Hæc Sauonarola pro ſe & pro ſuis. Pro eodem Ioannes Franciſcus Picus Mirandulanus, quattuor apologias ſcripſit, ex quibus vna eſt, titulo. *De ſententia excommunicationis iniuſta, pro Hieronymi Sauonarolæ, viri Prophetæ innocentia, libri duo.*

Præter hoc opuſculum, Picus duas epiſtolas pro Sauonarola ſcripſit: pro quo etiam Dominicus Beniuenius Canonicus Florentinus, Commentarium, Dialogum, & epiſtolam: Hieronymus Beniuenius eius frater, quam poſteà miſit ad Clementem VII. epiſtolam prolixiſſimam. Georgius Benignus Minoritanus Archiepiſcopus Nazarenus, titulo Propheticæ ſolutiones: Ioannes Neſius Florentinus, titulo de Nouo ſeculo. Bartholomeus Reditus I. V. D. titulo de veritate Doctrinæ Hieronymi, Marſilius Ficinus Canonicus Florentinus, Thomas de Vio Caietanus: Gaſpar Venetus Contarenus ad

*Alii eiuſdẽ innocentiã Apologiis defendunt.*





Paulum Venetum. Camaldulen. & alii hoc tempore apologias prælo ſubiecerunt: quas hic adſcribere omittimus.

XI. *Idem Hieronymus proceſſiones deuotiſſimas, inſtituit.*

Euulgatis apologijs Hieronymus, totus orationibus ad Deum fundendis incubuit ſupplicationeſque ebdomadas in qualibet hebdomada, cum Fratribus ſuę Congregationis hoc ordine celebrauit. Procedebant bini, & bini candelas accenſas vna manu, altera verò cruces rubeas præferentes necnon pſalmos, & hymnos decantantes. Clauſtrum, hortum, dormitorium commune, atq; alias officinas honeſtiores cænobii circuibant, & aliquando ad auroram vſque ſupplicabant. Quandoque hymnum *Te Deum laudamus*, ſed ſingulis verſibus, illud ex Pſalmo, *Ecce quam bonum &c.* intercinentes, concinebant; multiſque, ac variis modis ad laudes diuinas ſeſe prouocabant. Præferebat aliquando Hieronymus diuiniſſimum Sacramentum, & prima ſtatione in loco Capitulari, altera ante domum infirmorum, tertia ante domum Nouitiorum peracta, cum Sodales ad deuotionem feruenti aliqua exhortatione inflammaſſet, corã Sanctiſſima Trinitate teſtabatur, ſe à Deo miſſum eſſe, qui Florentinis renouationem Eccleſiæ, infideliũ cõuerſionẽ, & multa alia prædiceret. Ipſo peruigilio Epiphaniarum huius anni, ſupplicationẽ hoc ordine inſtituit. Ibant Sodales ſacram pompã induti: acolythi, ſubdiaconi, & Diaconi, ſuis veſtibus inſignes ſuccedebant: agmen vltimũ claudebant pretioſis pallijs fulgentes, Sauonarola Congregationis Vicarius, Franciſcus Saluiatus Prior Sancti Marci, & Dominicus Piſcienſis, Prior S. Dominici Feſſularum. Præibat omnibus Iacobus Guccius acolythus ſtellam fulgentẽ in haſtili prægeſtans: tres Superiores, Magos tres Euangelicos repræſentabant, cantantes: *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius in Oriente*, quibus multitudo Sodalium, & ſecularium reſpondebat: *In Bethleem Iudæ. ſicut ſcriptum eſt &c.* Poſtquam vniuerſum cænobium circuiſſent, templum ingreſſi, *Ieſulum* bellè effigiatum in tuguriolo quodam inuenerunt; quem infantes aliqui in forma Angelorum apparentes inde ſuſtulerunt, & ſuper aram maiorem detulerunt, iubilantes. *Ecce Dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis*: reliquis accinentibus, *Deus meus, Deus meus, Deus meus es tu.* Sodales porro ab vna parte Eccleſiæ ſtabant: ab altera parte virì, & reliqua muliebris ſexus. Tulit deinde ex altari vnus ex magis *Ieſulum*, & præcinens, *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus*: reſpondentibus omnibus, *Deus meus &c.* pedem illius oſculandum omnibus præbebat. Inde ſecũdus, cum decantaſſet, *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*, ad oſculum manus *Ieſuli* inuitabat. Tertius deinde præmiſſo, *Oſculetur me oſculo oris ſui*, ad oſculum oris *Ieſuli* venientes admittebat: cãtantibus omnibus, *Deus meus, Deus meus, Deus meus es tu.* Manabant inter hæc omnibus lacrymæ, ſingultus, ſuſpiriaque ex imo corde ducta audiebantur: tantumque diuini amoris incendium excitatum videbatur, vt præ ſtupore multi deficerent.

XII. *Varia aduerſarij in S. molium. tur.*

Subſequente poſt Epiphaniarum ſolennitatem, in Baſilica maiore concionem ad populum habuit: Magiſtratu id temporis iubente, qui Sauonarolam elegerat, & ſubſellia omnia ab aduerſariis anno ſuperiore deſtructa reparari mandauerat, capiendæ multitudini auditorum. Hinc vero deuoti exultare: Rabidi, & inſolentes omnia tentare: ex Clero ſeculari, & regulari, præſertim Concionatores plerique homini detrahere, Leonardus Mediceus, pro Reginaldo Vrſino Archiepiſcopo Florentino Vicarius, Clero vniuerſo, ne Conciones Hieronymi audirent, interdicere, Curatis autem Sacerdotibus præcipere, vt populis denunciarent: Qui Hieronymum Concionantem audirent, ne ad Sacram Confeſſionem, aut Synaxim accederent, neue Eccleſiaſticam ſepulturam expectarent. Fiebant omnia ab aduerſariis, tumultui in vrbe excitando, & Sauonarolæ perdendo. Cæterum Magiſtratus temporaneus, pro Hieronymo conſtantiſſimè ſtetit, & Leonardo Vicario, niſi intrà duas horas Magiſtratu ſeſe abdicaret, pænã perduellionis propoſuit. Ceſſit tamẽ furori Hieronymus, & his feſtiuitatibus, quæ ad ſecundã vſque Februarij interueniunt, in S. Marci, viris tantum concionari ſuſtinuit. Ibi verò vnà dierum ſacris ſolenniter operatus, pallium induit Eccleſiaſticũ, & diuiniſſimũ Euchariſtiæ Sacramentũ in ferculo argẽteo manu geſtans, Sodalibus in ſupplicatione præeũtibus, verſus aream, in qua ſuggeſtu parari iuſſerat, proceſſit; quo cõſcenſo, populis innumerabilibus, qui confluxerãt, orationẽ publicitus indixit: qua poſt dimidium horæ abſoluta voce contenta coràm Sacra hoſtia conteſtatus eſt; Si aliquid ex his, quæ vobis ô Ciues aut annunciaui, aut prænunciaui, falſum, aut non à Deo eſt, Si Pontificia cenſura aduerſum me prolata coram Deo me ſtringit; Si ego aliquem hominum, ſciens, volenſque decepi, aut errare feci; oro Deum vindicem omnium ſcelerum, vt ignis de cælo deſcendat, & me corã vobis exurat; quemadmodum & ego ſupplex oro Trinum Deum, & vnum ac IESVM Chriſtum iudicem vniuerſorum, cuius Sacratiſſimum corpus adoro in hoc Sacramento; qui me morte ſubitanea hoc in loco interimat, ſi non annunciaui veritatem. Non ſemel, ſed multoties verba iſta repetijt; & poſt ſpatium dimidiæ horæ è ſuggeſtu deſcendens; exultantibus, & *Te Deum* pſallentibus populis, in Eccleſiam reuerſus eſt; Rabidis, & inſolẽtiſſimis frementibus. Scripſit inter hęc Pontifici, & ſui Ordinis Generali, ſe Minoritanis aduerſarijs propoſuiſſe, vt hi, qui illum falſitatis criminarentur, Sepulturam, vnà ſecum alicuius defuncti ingrederentur. Si quis vita functum ad vitam reuocaſſet, is verò innocens à crimine eſſet, vel impoſtor, ſi calumnia oppreſſus; vel impoſturæ, ſi aliquem calumnia onerauit. Ioannes Picus, Comes Mirandolanus, ab aliquot annis Florentiæ fato functus apud S. Marci decumbebat. Hunc verò Ioannes Franciſcus nepos reſuſcitatum cupiens, vtriſque ad experimentum proponebat. Cæterùm Minoritani perbellè irridebant, & non tam vt ne Deum tentarent, quàm vt nè riſum excitarent, miraculorum teſtimonium detrectabant. Cum autem aduerſarij nequicquam proficerent, iuſſu Magiſtratus, qui Concionatorem elegerant, Conciones ad populum, die ſecunda Februarij, in Baſilica principe repetijt, tanta frequentia auditorii, vt nec plateæ omnes à S. Marci, vſque ad eam Baſilicam, comitantem Hieronymum multitudinem, quinimò, neque parietes Baſilicæ, auditores illius caperent. In his concionibus, mores Eccleſiaſticorum corruptos ardentius, quàm vnquam exagitauit, nec non cauſas cenſuræ in ſe prolatæ examinauit, ac refutare conatus eſt: Rabidis & inſolentibus ad tantum populi concurſum, nihil mouere palàm potentibus ſtuporem præterea illis excitabat Sodalitas Innocentium, pridem ab Hieronymo inſtituta; quæ huius anni Dominica Carniſpriuij ſupplicationem ſolemnem per vniuerſas vrbis plateas more recepto obiuit: eaque abſoluta in ampliſſima ciuitatis area, theatro extructo, anathemata omnia ſiue ſuppellectilem libidini, & vanitati dicata, quàm pueri oſtiatim collegerant, ignibus exuſſit, ingenti exultatione, & applauſu deuotorum. Fremebant inter hæc aduerſarij, & nullum non lapidem mouebant, vt Pontificem Maximum, ad extrema remedia impellerent. Crimen fingebant; quaſi Hieronymus Prælatorum, Cleri, Regularium mores, ac vitam, citrà omnem moderationem reprehenderet; ac Principes Chriſtianos, ad Oecumenicam Synodum cogendam, pro reformatione

Cleri ac populi Chriſtiani excitaret: neq; quicq̃ monita maiorum, qui ne in cælum os poneret, præſcribebant, cẽſeret: iactaretur magis obediendũ eſſe Deo, quàm hominibus, qui odio haberent corripientẽ in porta. His verò ad Alexandrum Pontificem, & Clerũ Romanum delatis, maiore quàm anteà iracundia in Hieronymum exarſerunt: maximè Alexander: qui, vt Dominicus Bonſius Florentinorũ apud Pontificem Orator, ciuibus ſcribebat. cùm iam Florentinos cenſuris propter Hieronymum prolatis ſoluere decreuiſſet, audita mentione Concilij, Repreſſaliorum iura, ſeu pænas in mercatores Florentinos Romæ agentes exercere. & per vniuerſum Orbẽ publicare bona illorũ volebat; niſi Cardinales & Ciues aliqui interceſſiſſent. Ex eorundem conſilio, Magiſtratui Florentino, edictum comminatorium, propoſitis grauiſſimis pænis, & cenſuris ſcripſit, vt Hieronymum, quẽ filium perditionis, & idolũ Florentinũ dicebat, interciperẽt, Romamq; tranſmitterent. Nihil eo dicto efficere tũc potuit Alexander Octo Viris & reliquis Magiſtratibus, ferè nihili mandata, & minas cenſentibus; donec Calendis Martijs, nouus Magiſtratus, Rabidis, & inſolentibus numero præualentibus; ex aduerſariis Hieronymi lectus eſſet. Petrus Populeſcus, vexillo præerat iuſtitiæ: alii, Hieronymo male addicti, alia ſubſellia occuparant. Hinc non tantũ Florentiæ, verùm etiam Romæ, inimicis illius animi creuere, vt & domi maiora tentarẽt, & Pontificem, atq; Cardinales in illũ acriùs inflammarent. Perculit ea res ſequaces Hieronymi, vt ferè ſtupefacti remanſerint. Hieronymus ipſe furori hoſtili cedendum iudicauit, & die 2. Martii, Concione in Baſilica principe abſoluta dandum eſſe locum iræ, auditoribus renunciauit, eoſq; ad S. Marci inuitauit. Ibi Exodũ Moyſi pro cõcionibus interpretatus, flagitia cleri, & populi, acriore cẽſura caſtigauit; tanto concurſu multitudinis, vt Eccleſia auditores nõ caperet. Quanquam verò multi ex Clero ſeculari, ac Regulari, ac præſertim Curati ferè vniuerſi, ſiue conſcientiæ remorſu, ſiue inuidia, aut odio, ſiue timore amittẽdi beneficia Eccleſiaſtica, ſiue aliquo reſpectu humano, recuſarent Cõfeſſiones excipere, Sacramẽta miniſtrare, & ad Eccleſiaſticã ſepulturã admittere eos qui Hieronymũ audijſſent, aut fidem eius dictis adhibuiſſent; tanta tñ, & tàm innumerabilis fuit multitudo, ad audiendũ hominẽ confluentiũ, vt minimè potuerit recenſeri: accurrentibus præter hæc quampluribus, non tantũ ex populo, ſed ex nobilitate, qui Religionis Prædicatorũ habitũ ex manu illius inducerẽt. Dominica, & duobus cõſequẽtibus diebus Baccahanaliũ, quibus homines Cereri, Baccho, & Veneri litare plerumque ſolent, Florentiæ hoc tempore cõcionante, & ſacris operante Hieronymo, innumerabiles permoti, diuiniſſimo Sacramento refici, cæleſtiumq; rerum meditationi, & actionibus incumbere prælegerunt; vt hi dies non mundo, non carni; non Satanæ, ſed Chriſto, & cælitibus conſecrati viderẽtur. Aeſtuabat inter hæc Alexander, à Prælatis, & Concionatoribus, potiſſimùm verò Mariano Genazano, Auguſtinianorum Generali, hoſte Florentinorũ, à quibus vrbe eiectus, acerrimo, & Petri Medicis Partiario inflãmatus. Nihil ad ſchiſma, ex actionibus, & cõcionibus Hieronymi, conflandum, præterquàm aliquem dignitate Eccleſiaſtica præſtantẽ deeſſe, ſuggerebat; Põtificẽque ad mentionẽ Oecumenici Concilij horrentẽ, ad virũ opprimendũ impellebat. Vnde Alexãder iterũ edictalibus litteris, multas pænas Florẽtinis, niſi Hieronymũ traderent, quin & bellũ apertè denũciauit; ac prætereà quendam deſtinauit, qui minacia decreta publicaret, ſi quomodo Florentinorum multitudinẽ in Hieronymum concitaret. Lectis in Senatu octuaginta virum, & aliorum Magiſtratuum, inque præſentia XXV. virorum ex ſingulis regionibus Vrbicis electorum, Pontificiis mandatis, poſt longam ſex horarum deliberationem nihil decerni potuit, an Alexandro obtemperandum eſſet, ciuibus in diuerſa diſtractis: donec die 17 Martij, Præſes Magiſtratus pro tempore Ioannes Berlingherius homo audax, Petro Populeſco Vexillifero iuſtitiæ coniunctus, aduerſariorum Hieronymi numero fretus, repugnantibus alijs ciuibus ad Reipublicæ clauum admotis, Hieronymo munus concionandi, adhibitis comminationibus interdixit. Ceſſit feroci edicto Hieronymus, concioneque ad diem 18. Martij in Baſilica principe abſoluta, ad S. Marci redijt. In ea, quod crimina Eccleſiaſticorum eleuaſſet, & pro parte vltoris Dei, flagella grauiſſima Romæ, & Florentiæ imminentia prædixiſſet; deſperaſſetque, non ad alium amplius, (poſtquam omnes declinaſſent, ſimul inutiles facti eſſent, nec eſſet, qui faceret bonum nõ eſſet vſq; ad vnum) quam ad Chriſtum, ſupremum Sanctificationis, & inſtaurationis Eccleſiæ caput, & cauſam vniuerſalem, in hac morum corruptela recurſum patere, occaſionem ex varia verborum interpretatione aduerſarij arripuerunt, hominem apud Alexandrum & vniuerſam Romanam Curiam, tanto vehementius calumniandi: affirmantibus, non amplius eſſe tempus tacendi, ſed vindicias faciendi; quaſi is aliud caput Eccleſiæ, præter Alexandrum Pontificem ſtatueret. Dolore oppreſſus Sauonarola, illa verba edixerat; quemadmodum & hæc infraſcripta, Alexandro, iam nullis rationibus, nullïſue ſupplicationibus, aurem danti perſcripſerat.

*Acris eiuſdẽ Hieronymi ad Pontificẽ epiſtola.*

*Beatiſſime Pater, Officij mei partes eſſe putabam, ad honorem Dei, & ad exaltationem ſacroſanctæ fidei, tum veritatem doctrinæ Catholicæ defendere, tum mores hominum corruptos corrigere, arguere, & ad diſciplinam Chriſtianã reuocare: poſtquàm vidiſſem, aliquos Eccleſiæ paſtores, prauis exemplis, nec non malè ſana doctrina, oues ſuæ curæ ſubiectas, in errorem mittere, & per multa flagitia ad infernum praire. Id verò dum ſatio, & per flagellorum peccatoribus imminentium annunciationem, populos in ſemitam arctam traducere ſatago, tribulatio, & anguſtia inuenerunt me, in qua non eſt, qui conſoletur, aut adiuuet me: & quidem ſperabam, Sanctitatem Veſtram in meum auxilium exſurrecturam, & pro me contrà hoſtes fidei pugnaturam: cæterùm cõtrarium euenîſſe mihi aſpicio: quandò ſanctitas Veſtra, tot defenſiones innocentiæ meæ, totq; rationes à me propoſitas, non ad excuſandas excuſationes in peccatis, ſed ad demonſtrationem integritatis doctrinæ, quam prædico, & ad oſtenſionem humilitatis meæ qua Sanctitatem Veſtram, & S. R. Eccleſiam veneror, reieciſſe, atque aures aduerſariis meis tam addixiſſe videtur: ita vt in poſterum fruſtra expectandum mihi exiſtimem aliquod adiutorium, à Sanctitate Veſtra & tamquam Chriſtiano & tamquam Summo Paſtore, deſiderabam. Ita lupus feralibus, data eſt poteſtas ſæuiendi in me. Cæterum in eo, qui infirma mundi elegit, vt fortia quæque confundat, ſpero, daturos pænas omnes hos, qui me perſequuntur, quique opus Dei, quod operari conatus ſum impediunt: quandoquidem & ego gloriam meam, exemplo Chriſti numquam quæſiui, neque quæro, & Summo cum deſiderio mortem expecto. Sanctitas Veſtra non differat ſuæ propriæ ſaluti conſulere. Datum Florentiæ III. Idus Martij. 1498. Seruus inutilis Ieſu Chriſti. Frater Hieronymus Sauonarola Ferrarienſis manu propria.*

XIII.
*Crudele cuiuſdam Minoritæ de igne intrãdo ad Hieronymum perdendum inuentum*

His litteris nequicquam Hieronymus profecit, Alexandro ab aduerſarijs præoccupato: qui præter Concilii indictionem, ſchiſmatiſque periculum Hieronymo imponebant, quaſi is Romanam vrbem Babylonis vocabulo inſigniret. Fremente Alexandro, non defuit aliquis Florentiæ Concionator, qui rem inſolentem ad Hieronymum perdendum excogitauerit. Erat is ex Minoritis Obſeruantibus, natione Apulus, Franciſcus, cognomento Focus. Is anno ſuperiore, apud Pratum Oppidum, diebus Quadrageſimalibus verba ad populum faciens, Dominicum Piſcienſem ibidem in S. Dominici templo concionantem, ex æmulatione non ſecundum ſcientiam, ad experimentum ignis prouocauerat, tertiumque Paſ-





chalem feſtiuitatem ingreſſui mutuo deſignabat: ac interim multis cõuiciis Hieronymum abſentem exagitabat. Dominicus, cùm monitionibus varijs, ex ſacris canonibus petitis, hominem, nè hoc experimento Deum tentaret, auertere non poſſet, & ipſe tandẽ aſſenſus erat, rogum pro integritate doctrinæ, ac morum Hieronymi intrare. Poſtridiè temporis deſignati, Franciſcus cauillatus, quaſi à Superioribus pro rebus arduis reuocaretur, Prato diſceſſerat, & turpem ſeceſſionem variè excuſabat: numquam tamẽ ab Hieronymo, & Dominico carpendis deſiſtebat. Cùm verò Dominicus hominis vanitatem ſuggillaret, hic ſiue ab Alexandro, ſiue etiam ab aduerſarijs impulſus, hoc anno 1498. in S. Crucis Florentiæ apud ſuos Minoritanos tempore Quadrageſimali pro cõcione declamans, voluit Pratenſem technam innouare. Itaq; vna dierum ſummo affectu inuectus, dixit: ſe nõ credere his, quæ Dominicani affirmarent, ab inſpiratione diuina, & in verbo Domini ſe dicere: cenſuram Apoſtolicam in Hieronymum prolatam, non nullam eſſe: ſe, etiamſi ſe crederet arſurum pro cõfirmatione dictorum, ignem intraturum: ſi modò Dominicus Piſcienſis, qui pro Hieronymo tantopere depugnabat, flammas ſecum ingredi non detrectaret. Concionabatur eodem tempore Dominicus, in S. Laurẽtiæ Florentiæ. Hic omnia quæ Apulus iactauerat, Cænobitis S. Marci renunciauit. Monitum fecerunt per amicos cõmunes ij Minoritam, nè rem minimè neceſſariam, quinimò ſacris canonibus contrariam, attentaret, & a prouocationibus periculoſis tẽperaret: quandoquidèm ea prouocatio, vulgari probationi prohibitæ alioqui ſimilis appareret. Cõtrà Frãciſcus diſputabat, lõgo ab hac probatione illam interuallo diſtare: quin obſeruatum hunc veritatis manifeſtandę modum in Eccleſia olim fuiſſe. Helenus ſiquidem Heliopoleos Antiſtes, ad abolendam hęreſim imperterritus inſiliuit in ignem, atq; incolumis exiuit. Copres Monachus, ad confutandã Manichæorum hæreſim, nõ ſolùm ardentiſſimum ignem tranſiuit, ſed in eo dimidia hora illæſus omninò perſtitit. Ioannes Gualbertus in ipſa ciuitate Florentiæ, ad pellendum ſede ſua Florentinum quendam Epiſcopum, qui labe Simoniaca pollutus fuerat, contradiceretur q; ex aduerſo, & negaretur illo crimine Antiſtitem inquinatum, in veritatis teſtimonium ipſe fecit, vt vnus ex ſuis Monachis ingentem ignis rogum illæſis paſſibus pertranſiret. Maioris momenti eſſe, quæ à Hieronymo dicerẽtur: quandoquidẽ nõ ad vnius vrbis ſolũ, ſed ad vniuerſi Orbis pacem, felicitatemq; pertinerent: nec ob vnũ duntaxat crimẽ, quo Epiſcopus ſolũ Florẽtinus infectus erat: ſed ob vniuerſa, quæ & Põtificem Maximum, & reliquos ferè omnes cùm Præſides Eccleſiæ, tùm ſeculi Principes infecerant crimina, atque ex eis maxima populis vniuerſis immineret pernicies. Hæc, & alia complura Appulus diſſerebat, & pollicitationibus quorundam animatus, calumnijs Piſcienſem, & Sauonarolam impetens, prauorum etiam ciuium impulſu, ad id experimentum Dominicum inuitabat: nõ eo quidem cõſilio, vt ſe immunem à conflagratione ſperaret fore (quemadmodum idẽtidem, iactabat) verùm vt alterius partis defenſore pariter quemadmodum ſperabat, concremato, res Hieronymi vana probaretur. Non ampliùs diſſimulandum ſibi cenſuit Dominicus: quò minùs prouocationi locum daret. Itaq; exemplis illorum Sanctorum, quos Apulus memorauit, nec nõ S. Bonifacij martyris, qui illęſus per ignem tranſiuit, & S. Franciſci, qui coràm Rege Aegypti ad ignis periculum ſe obtulit: & S. Dominici, qui libello dogmatico ignibus iniecto, fidei veritatem, quam prædicabat aſſeruit: ipſe quoq; fiducia in Deum concepta, pro his infraſcriptis propoſitionibus, quas Hieronymus affirmabat, experimento ignis ſeſe ſubiecit. Erant verò his verbis conceptæ.

*Propoſitiones Hieronymi.*

*Eccleſia Dei indiget reformatione, & renouatione.*
*Eccleſia Dei flagellabitur, & pòſt flagella reformabitur, & renouabitur, & proſperabitur.*
*Infideles ad Chriſtum, & fidem eius conuertentur.*
*Florentia flagellabitur, & pòſt flagella renouabitur, & proſperabitur.*
*Hæc omnia erunt diebus noſtris.*
*Excõmunicatio facta de patre noſtro Fratre Hieronymo nõ tenet.*
*Non ſeruantes eam, non peccant.*

XIV.
*Dominicus Piſciẽſis & Appulus ille Prædicatorũ hic Franciſcanorũ Ordinis, ad Magiſtratũ citãtur.*

Non ignorabat iſta omnia temporaneus Magiſtratus: qui, ſiue vt Hieronymo detraheret vel augeret autoritatem, ſiue finem diſſenſionibus tantis imponeret, Apulum, & Piſcienſem audiendos eſſe cenſuit: & experimentum ignis, quo omnes cõtrouerſiæ definirentur, concedendum fore, ex eruditorum ſuorum ſententia pronunciauit. Vocati ambo in Curiã, Piſcienſis primò, Appulum de præſtandis oblatis promiſſis poſtulare, ac vrgere cæpit: Appulus tergiuerſari, ac verba inuoluere voluit, honeſtũmq; ſubterfugiendi viam ratus, nõ cum Dominico ſe, ſed cum Hieronymo tantæ molis autore cõgredi velle profitebatur: hoc ſe perfugio tutum exiſtimans, dum Hieronymum minimè ſibi datũ iri cõfideret, qui Eccleſiæ primores, quos rebus à ſe prædictis repugnare nouerat, in certamen ciebat, ipſumq; Appulũ: modò is & Põtificis Maximi, & inimicorũ omniũ ſentẽtia, delegari ſibi inprimis experimentũ obtineret: præſenteſq; certamini intereſſent, Legatus Põtificius, & omniũ Chriſtianorũ Principum Oratores. Ad hũc modũ Hieron. reſpõdebat.

*Temporis anguſtia conſtrictus breuiter reſpõdebo, his, quæ mihi de ignis experimento proponuntur. Inprimis non illud acceptaui, delatum mihi à Concionatore S. Crucis, Minoritano Obſeruante: eo quòd nulla mihi ſit cum eo differentia. Enimuerò cùm is ipſe in ſe receperit huiuſmodi experimentum, etiamſi credat, ſe indubitatò arſurum, vt eo tentamento, ſeu periculo probet cenſuram in me latam, me ligare, & ferire; ego eiuſmodi experimento minimè indigeo, qui rationes demonſtratiuas pro inualiditate excommunicationis in me prolatæ, quas neque iſthic Florentiæ, neque Romæ in Curia aliquis hactenus friuolas oſtendere potuit, tàm modeſtè, quàm cum vero, Summo Pontifici, & quibus intereſt repræſentaui. Accedit, quod maius eſt opus, quòd pro ſalute animarum Florentiæ hic operor, quàm tentamentum ignis mihi delatũ: præſertim cum aduerſarius, corpus ſuum flammis obijciens, id quidem faciat, non vt indè præſidio veritatis, ſe euaſurum confidat (ab hac enim ſpe ſe longiſſimè abeſſe palàm pronuntiat) ſed vt ipſe quidẽ conflagret, meq; ad incendiũ ex vanitate ſubeundũ rapiat. Cæterum ſi opus fuerit, etiam ego meipſum ad tale experimentum ignis offero, quandocumque hoſtes mei, & doctrinæ, quã annunciabã, aduerſarij, præſertim ij, qui Romæ, eorũque ſequaces committent iſtud ipſum experimentũ Franciſco Appulo Minoritano Concionatori; confidens in adiutorio Iesv Chriſti, cui non erit difficile confirmare veritatem à me prædicatam, qui me non ſecùs, ac Sidrachum, Miſaachum, & Abdenagum in flammis voracibus illæſum ſeruabit. Non quidem meis meritis, ſed ad oſtenſionem ſuæ veritatis, & gloriæ, quam totis viribus propagaui, & propugnaui.* Huiuſmodi reſponſione non obſtante, Appulus, chirographum Magiſtratui Florentino his verbis exhibuit.

*Chirographa Minoritari Obſeruantiũ.*

*Ego Frater Franciſcus Ordinis Minorum licèt indignus, ſum paratus, ad inſtantiam, & requiſitionem Dominorum Florentinorum, pro veritate, & ſalute populi ſeruanda diſputare, & experientiam facere cum Fratre Hieronymo de prædictis Concluſionibus, quarum quædam probatione ſupernaturali indigẽt: cum Fratre Dominico verò; quo cum nulla eſt mihi difficultas alius Ordinis noſtri Frater ignem ſubire paratiſſimus eſt, vacato Iudice non ſuſpecto, ac omnibus Religioſis.* Quæſitus aliquis ex Minoritis, qui paratus eſſet, experimentum ſubire, adfuit Frater Nicolaus Pillius Florentinus: ſed is pænitudine correptus, ſtatim retrocedens, locum Iuliano Laurentij Rondinelli Minoritano libens conceſſit qui in hunc modum ſubſcripſit.

*Ego Frater Iulianus Laurentij Rondinelli ſpondeo, & promitto me cum ſupranominato Fratre ingreſſurum in ignem, & in fi-*

*dem horum duos iſtos verſus manu mea propria ſcripſi: quamquam credam, me arſurum ſed hoc libens facio pro ſalute animarum hodie 30. Martij M.CCCC.XCVIII.*

Subſcripſere & Dominicani hoc Ordine & tenore.

*Item Dominicanorũ.*

*Ego F. Dominicus Piſcienſis, Ordinis Prædicatorum, manu propria ſubſcribo, & ſpondeo, me defenſurum ſupradictas Concluſiones, non tantum rationibus, ſed etiam experimento ignis, ad quod, confiſus in adiutorio altiſſimi, me exhibeo, & offero: promittens me ingreſſurum ignem, cum concionatore S. Crucis, Fratre Minoritano Obſeruante, ac ſperans in diuina virtute, quæ me illæſum ſeruabit ad gloriam ſanctiſſimi nominis ſui, ad confirmationem veritatis & ad ſalutem animarum. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui cum Patre, & Spiritu ſancto, viuit, & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.*

*Ego F. Marianus Vglius Florentinus, Ordinis Prædicatorum, ſpondeo, confidens in adiutorio gratiæ diuinæ, probare Concluſiones propoſitas à Reuerendo P. F. Dominico Piſcien. circa reformationẽ Eccleſiæ, & nullitate excõmunicationis in Reuerendũ P. F. Hieronymũ Sauonarolã prolatæ: ſecundum quod continetur in ſubſcriptione eiuſdem P. F. Dominici, ad faciendũ experimentum ignis, ex quo me illæſum ſpero exiturum: dato, ſi aliquis Minorita ingredietur, iuxta quod pollicitus eſt Concionator S. Crucis. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cui ſemper gloria, & imperium in ſæcula ſeculorum. Amen.*

Præter hos Duos, omnes Sodales Cænobiorum, S. Marci Florentiæ, S. Dominici Feſſularum, S. Dominici apud Pratum pro defenſione Hieronymi, experimento eidem ſeſe deuouere, nominaq; propria ſubſcripſere: quibus omnibus Hieronymus ſubſcribens, iſtud Chirographum edidit.

*Ego F. Hieronymus Ferrarienſis, Vicarius indignus Congregationis S. Marci, Ord. Fratrũ Prædicatorum, accepto ſupraſcriptas ſponſiones, & oblationes omniũ Fratrũ, S. Marci, & S. Dominici Feſſularũ, atque Prati, & promitto me daturũ, vnũ alterum, tres, quatuor decem. & quotquot neceſſe fuerit, ad probandam, quam prædico veritatem, per experimentum ignis, confidens in Saluatore Ieſu Chriſto, & in virtute veritatis Euangelicæ, vnumquemque ex his, quos ego exhibuero, illæſum ex igne, & ſine vllo nocumento euaſurum. In quorum fidem, præſentes ſcripſi, & ſubſcripſi, ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, ad ſalutem animarum, & ad confirmationem veritatis Ieſu Chriſti, qui ſolus facit magna, mirabilia, & inſcrutabilia abſque numero, cui eſt honor, & imperium ſempiternum, Amen.*

*Trecenti ex Ordine Prædicatorum ignem ingredi ſpondent.*

Trecenti circiter Fratres Dominicani eius congregationis, porrectis codicillis, pro Hieronymo ſpondebãt, quos Hieronymus Magiſtratui Florẽtino offerebat, non vtique arſuros, ſed futuros incolumes, quibus tanta erat alacritas, tam certa victoriæ fiducia, vt eam quaſi frontibus inſcriptam præſeferrent. Præter hos innumera multitudo ſexus, ætatis, & conditionis, Regulares aliorum Ordinum, presbyteri & clerici, Sanctimoniales omnes curæ Hieronymi ſubiectæ & multæ aliæ diuerſarum Religionum, plurimi ex nobilitate viri, ac matronæ, atque ex populo multa milia, die 1. Aprilis ſub Concione Sauonarolæ, & Piſcienſis, voce contenta exclamarunt; *Ecce ego, ecce ego: ibo in ignem propter gloriam tuam Domine:* magno ardore periculum ignis depoſcentes, quodque magis mirandum, innumerabiles, infantes pueri, & puellæ nomina ſua ad rogum pro Hieronymo dare voluerunt: cum patres, matres, & propinquos ſuos longo agmine ad Sancti marci properare viderent, vt chirographo oblato ſponſionem confirmarent. Non hos Appulus, ſed Hieronymum ipſum poſcebat: qui cum rationibus efficaciſſimis, ſe non debere, Deum tentare oſtendiſſet, pro eodem duo grauiores ſuæ Congregationis Patres diuinitus inſpirati ſeſe obtulerunt, ac ſyngraphas ſcripſerunt iſtis verbis.

*Ego F. Malateſta Sacramorius Ariminenſis, Ordinis Fratrum Prædicatorum Congregationis S. Marci Florentiæ, pro comprobatione veritatis Concluſionum, à Reuerendo P. F. Hieronymo Sauonarola, Ferrarienſi, Vicario Generali noſtræ Congregationis multo tempore prædicatarum, & pro iuſtificatione innocentiæ ipſius, me offero, & obligo ignẽ ingredi, cum quouis ex Fratribus Ordinis Minorum, qui ſe obtulit, vel offeret ad idẽ experimentũ contra eaſdem Concluſiones: confidens ſine vlla hæſitatione, me ex igne illæſum euaſurũ, non meis quidẽ meritis, ſed virtute, & gratia omnipotentis Dei, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, pro cuius gloria, & honore, ac etiam Beatiſſimæ Virginis, & totius Curiæ Cæleſtis, nec non pro ſalute fidelium, non verò ex aliqua præſumptione, iactantia, aut vana oſtentatione, animo promptiſſimo; permiſſu Superioris mei ſupranominati F. Hieronymi, omnia antedicta promitto, & in fidẽ horum præſentes ſcripſi, hac die 2. Aprilis. MCCCCXC.VIII.*

*Iesvs Maria. In nomine D. N. Ieſu Chriſti. Ego F. Robertus Bernardi Saluiati Florentinus Ordinis Prædicatorũ, per præſentes me offero, obligo, & promitto ad experimentũ ignis, pro cõprobandis Concluſionibus publicè propoſitis, & prædicatis ab Hieronymo Ferrarien. noſtræ Congregationis Vicario: certus, me ſine vllo impedimento, & læſione ex igne exiturum, non meis meritis, ſed ſumma gratia & virtute Omnipotentis Dei, ad laudem, & gloriam ipſius, & totius Curiæ triumphantis. & dico verum, quia non exurar, neque conflagrabo: in virtute D. N. Ieſu Chriſti Scripſi die 2. Aprilis, M CCCC.XCVIII.*

*Dominicus Piſcienſis & Iulianus Rondinellus coram ſenatu iterũ ſe obligant.*

Neque iſtos duos Patres, admittere ſecum voluit, ſed Hieronymum ipſum poſtulauit Minorita; qui cũ & ipſe recuſaret Iulianũ Rondinellũ pro ſe expoſuit, quemadmodũ & Piſcienſis pro Hieronymo ſeſe exhibuit. Ne aũt vter iſtorũ vacillaret, aut cauillationes aliquas inpoſterũ interponeret, placuit Magiſtratui Florentino ambos in Curiã vocare, & quid promitterent, in Tabularium publicũ referre. Conuenerunt ad eos audiendos, Vexillifer iuſtitiæ, Priores populi Florentini, Reginaldus Vrſinus Archiep. Florentinus, & Petrus martyr Peruſinus, Theologus, coràm quibus Dominicus Piſcienſis, & Iulianus Rondinellus, poſtquàm per litteras parentes oſtenderunt, ſe infraſcripta facturos, de certa ſcientia, & voluntate Prælatorũ ſuorũ; de mutuo conſenſu, etiã ſcriptis chirographis confirmato, ſeſe obtulerunt ad experimentum ignis, à Magiſtratu in area vrbis publica præparãdi: ità vt ambo in ignem præparatum, quàm longæ eſſent cataſtæ ardentes ab vtroq; latere ingrederentur, & eodẽ calle intra cataſtas flammantes ad locum, quẽ introirẽt reuerterentur: præſentibus, Hieronymo Sauonarola & Franciſco Foco. Quòd ſi Dominicus Piſcienſis illæſus exiret, penes eũ victoria pro Hieronymo maneret. *Retulit hæc omnia in acta publica, Franciſcus Traiani Aretinus, Notarius publicus Florentinus, & Officialis Reformationum Conſilij Florentini, de his conuentionibus & pollicitationibus pro more rogatus. Auditis omnibus, & expenſis ſupraſcriptis, latum fuit decretum huiuſmodi.*

*Vexillifer iuſtitiæ, & Priores Populi Florentini, viſis, & intellectis inſcriptionibus, & oblationibus per Fratres Prædicatores, & Minores, vt ſuprà apparet factis, cùm res ipſa totum populũ commouerent, decreuerunt de conſenſu Conſilij. experientiæ locũ dare, & ſtatuerunt in platea magna principali ante palatium ipſorum Dominorum, pro die Sabbati proximè futura, VII. præſentis menſis Aprilis, fieri debere duo magna pulpita, ſiue ſuggeſta, alterum pro ipſis Dominis, & principalibus Ciuitatis, alterum verò pro diſputaturis, & experientiam facturis & propè ſuggeſtum huiuſmodi, copioſum ignem, & quod præmiſſa fratribus vtriuſque Ordinis intimarentur, & quod per horam Tertiarum diei prædicti, in loco ſupranominato adeſſent, oblationibus ſuis ſatisfacturi.*

XV.
*Negante etiam, Pontifice locus experimenti faciendi paratur.*

De decreto pronunciato, viſum Magiſtratui, Alexandrum Pontificem Max. de omnibus admonere, ſimulque, vt autoritatem ſuam Apoſtolicam experimento propoſito interponeret, atque illud confirmaret, flagitare. Re ad ſanctiorem Senatum relata, nulli ex Cardinalibus viſum, feralem actionem permittere; multo minus probare. Itaque ex ſententia Sacri Conſiſtorij, Alexander, Florentinis reſcripſit, ne ſpectaculum pararent, aut vllo

modo



modo tolerarent: non deeſſe Canonica inſtrumenta, atque documenta, fidei probandæ, veritatis oſtendendæ, & falſitatis ac erroris conuincendi. Meruiſſe, atque ideo adhibuiſſe illum plurimi exiſtimabant; nè ſi Piſcienſis immunis euaderet, ipſe maiore inuidia conflagraret. Interim quattuor cubitis à Magiſtratu, definiendis emergentibus differentijs, modoque experimenti præſcribendo, Decem viri deputati parari fecerunt, longitudine cubitorum quadraginta, latitudine quinque eminens quattuor cubitis à terra ſuggeſtum, lateribus bene ſuffultum, nè citò conflagraret. Ab vtroque latere in longitudinem, duæ perpetuæ ſtrues lignorum aſſurgebant, materia fouendo, augendoque igni infarcta. in medio ſemita duorum cubitorum patebat, per quam inter medios ignes ambo tranſirent.

XVI.
*Triduanis munitus ieiunijs & SS. Euchariſtia ad locum experimenti ſolemniter procedit.*

Hieronymus inter hæc, diebus omnibus experimentum antecedentibus: vna cum ſuis Sodalibus, orationibus, & ieiunijs inſtabat: quandoquidem ſingulis permiſiſſet, vt triduo in pane, & aqua ieiunarẽt. Die VII. Aprilis illuceſcente, ipſe coram populi multitudine ſacris ſolenniter operatus, poſtquàm innumerabiles myſtico pane refeciſſet, poſt multam orationẽ, ſuggeſtum conſcendit: ex quo breui ſed feruido, ſermone populum ad amorem Iesv Chriſti, & ad cõſtantiã fidei hortatus, ſibi renunciatum diuinitus eſſe renunciauit: ſi ad experimentum ignis res vſque procederet, penes ſuos victoriam futuram. cæterùm, an ingreſſuri eſſent ignem, ſibi minimè reuelatum eſſe faſſus eſt. Si porro ingrederentur, ſuos Sodales admonuit, vt toto tempore, quo ſpectaculum exhiberetur, orationibus incumberent, nihil per ſuperbiam reſponderent, humilitatem, & manſuetudinem in omnibus oſtenderent; victoriam in manibus Dei eſſe. Benedictione omnibus è loco ſuperiore impartita, vocatus hora appetente à Magiſtratu, hoc ordine proceſſit. Præcedebant duo acolythi ſacris albis induti cereos præferentes. Sequebantur totius Congregationis Marcianæ Sodales, bini, & bini, cruces rubeas ſinguli geſtantes. Poſt eos, inter Diaconum, & Subdiaconum ſacris veſtibus amictus, incedebat Dominicus Piſcienſ. Sacerdotali amictu rubens, crucifixi imaginem portans. Agmẽ claudebat Hieronymus, inter Saluiatum, & Sacramorum Patres pallijs ſolennioribus indutos, & ipſe quoque pallio pretioſo amictus, Sacratam hoſtiam in argenteo ferculo gerẽs. Comitabatur procedentes infinita nobilitatis, & populi vtriuſq; ſexus multitudo, faces ardẽtes, & cruces rubeas ſinguli ferentes, & admiranda quãdã alacritatẽ, ex deuotione, vultu, & geſtu oſtendẽtes. Cantores præcinebant illum verſiculum Pſalmi; *Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum à facie eius.* Chorus fratrum, alternatim adiungebat conſequentes eiuſdẽ Pſalmi verſiculos: populo interpolatim concinente, *Exurgat Deus* &c. Multa millia hominum pompam faciebant, illum verſum repetentes, adeo vt terra tremuiſſe videretur ſub pedibus incedentium, & canentium, quando etiam aduerſarij ad ſtuporem ex tanta promptitudine, & alacritate commouerentur, eorum, qui Hieronymo fauebant. Acerbiores hoſtes ad omnem occaſionem intenti, quingentos armatos iuuenes ex ſuis Rabidis, & inſolentibus ſelectos, ſub tecto, quod Piſanorum dicunt, collocauerant; quæ Doffo Spini ad nutum obtemperarent. Prætextus erat, ne quid turbarum in vrbe naſceretur, intentio revera, vt Hieronymũ quouis modo opprimerẽt. Cõtra horũ molitiones Marcus Saluiatus, trecẽtos milites adduxerat, Ioachimus autẽ Vecchius Aretinus, iuſſu Magiſtratus, quingentos pro ſalute publica ductabat. Ciuitatis portæ, clauſæ erant. Venit prior ad locũ deſignatum Hieronymus cũ Piſcienſe, & omnibus ſuis: ac diuiniſſima hoſtia in altari, propè extructo collocata, dum Minoritas expectat orationibus cum Sodalibus vacabat. Piſcienſis ex quo genua antè altare poſuerat, perpetuò orabat. Manabant omnibus veritatis amatoribus lacrymæ, præ dulcedine quadam miranda ad aſpectum Hieronymi, atque Sodalium. Venerũt poſteà Minoritæ, ſed ſine vllo cultu, & ſine Appulo, ac Rondinello, qui nullibi, viſi. Magiſtratui viſum, duos præſtantiſſimos ciues pro vna, & totidem pro altera parte deſignare, qui altercationes, ſi quæ orirẽtur, dirimerent, & tumultum præuerterent. Marcianis intererat Franciſcus Gualterotius, & Ioannes Baptiſta Ridolfius, Minoritis, Petrus Danielis Albertinus, & Thomas Antinorius. Animaduerſum ab omnibus, Marcianos non ſe loco mouiſſe, non orationes intermiſiſſe: Minoritas per ſuggeſtum diſcurrere, & in Curiam frequentius ire, ac redire, cauillationibus opponendis, & tempori extrahendo. Siquidem Dominico ſe ad ingrediendum in ignem paranti obiecerũt, exuere eũ, qua indutus erat tunica, oportere, ob id, quod incantatam iactarent, & Magica fortaſsè ſuperſtitione, munitam ne poſſet exuri. offerebãt præterea vnam ex Minoritanis veſtibus, vt Minorita, non Dominicanus, experimentũ ſubijſſe, victoriamq; reportaſſe videretur. Verum Piſcienſis Minoritanã chlamydem iure merito recuſauit; atque aliam ſui Ordinis, ab aliquo Sodali præſente mutuam poſtulauit. quod cũ Petro Albertino placuiſſet, duo Minoritæ ex Dominicanis vnum, Alexandrum Petri Strozæ nobiliſſimi Ciuis Florentini filium rapuerunt, qui veſtes ſuas religioſas exueret, & Piſcienſi commodaret. Mira alacritas in adoleſcente viſa. Cum enim à Minoritanis veſtes poſceretur, exiſtimans, ſe ad rogũ poſtulari, ad pedes Hieronymi accurrit, & benedictionem (identidẽ repetens, *Te Deum laudamus*) flagitauit, beatum ſe reputans, ſi pro iuſtitia, & veritate in agonem deſcenderet. Mira deinde, & abominanda petulantia in Minoritanis viſa, qui Dominicum Piſcienſem, antequam Strozæ veſtes indueret, nudum ab omnibus partibus, etiam verendis videre voluerunt: cauillis de magico aliquo amuleto propoſitis. Indutum vero mutuatas veſtes, duo Minoritæ intrà ſe receperunt, & tanta circumſpectione ſeruauerunt, vt nè vel Hieronymum, vel quemquam ex ſuis poſſet ampliùs contingere, calumnia maleficij ſanctæ ſodalitati impoſita. Iam ingredi paratus erat Dominicus; cum nouam cauillationem intulerunt Minoritæ, obſtrepentes, ne Crucifixi imaginem ſecum ferret. Reſtitit Hieronymus, & ſe, ſuoſque Iesv Chriſti Crucifixi militiam profeſſos, non ſine Crucifixi ſigno debere incedere, profeſſus: vt Dominicus etiam diuiniſſimum Sacramentum ferret ſecum, magnis rationibus, & exemplis Sanctorum in medium adductis, efficere conatus eſt. Iſthic verò maior à Minoritanis contradictio, affirmantibus, id non licere, quod & facilè poſſet Sacramentum comburi, & tutelam geſtanti præſtare, nè incendio periret. Vanam obiectionem cenſendam eſſe reſpondebat Hieronymus: cum ſola, quæ remanerent panis accidentia, flammis, & cuicunque corruptioni eſſent obnoxia, corpus autem Chriſti non poſſet ab igne pati. Addebat, perfidum hominem ob ſolam eius Sacramenti præſentiam minimè poſſe euadere illæſum, vbi res iuſtè, & iudicioſè ageretur. quibus ſubiungebat, ſe reum mortis fore, idemq; omnes ſuos ſectatores in ſe recipere, ſi vel pilos panni eius ex ſerico vellere, quo ſacra hoſtia tegebatur, flamma ignis ad experimentũ propoſiti exureret. Mouebatur Hieronymus præter alia, reuelatione facta, Sylueſtro Florẽtino ex eius ſodalitate Sacerdoti, qui Angelico affatu edoctus pronunciauerat, nullo pacto debere Dominicum, ſe flãmis committere, niſi ſacratam manibus hoſtiam geſtaret: nè Magicæ ſuperſtitioni, (cui myſterium iſtud maximè obſiſtit) miraculũ adhiberetur. neue in dæmonem, cui ſublunaria mouere non difficile trans-

*Varia prætendunt Minoritæ.*

ferretur, id quidquid diuina virtute in Dominico patrari cõtigiſſet. Nihil his monebantur Minoritæ: quibus in cęna pridiana, in palatio Pittiorum ab hoſtibus Hieronymi acerrimis præſcriptum, nè ignem ipſi intrarent: ſed tantũ de Marcianis in forum adducendis ſpectaculum facerent: ſufficere, ſi ſolus Piſcienſis rogum ingrederetur: vel ſolus Sauonarola per occaſionẽ tumultus trucidaretur. In ea cõtradictione Minoritarum, Petrus Albertinus inter Cõmiſſarios, quamuis pro illis præcipuus, iubente inprimis Magiſtratu, & tandè cõſcientia vrgente, Hieronymo renunciauit illum, & ſuos ab experimento ignis propoſito liberos eſſe: neq; per eum, aut ſuos, ſed per aduerſarios Minoritas ſteriſſe, quo minùs id fieret. Interim à malignantibus proiectæ ſunt quàmplurimæ ſchædæ, ex feneſtris Curiæ in multitudinem ſubſiſtentem ſparſę,

*Infecto negotio diſceditur.*

quibus aduerſarij inſcripſerant, Hieronymum, & Piſcienſem ignis experimentum refugiſſe, cauſaq; adeò cecidiſſe Proiectum, & ſignum, Doffo Spini, ex conuentione ab iiſdẽ de trucidando Hieronymo datum: quo ille viſo, iam ad rem tentandam proceſſerat: & aliquid proculdubio perpetraſſet, niſi Marcus Saluiatus, qui pro Hieronymi & ciuitatis ſalute ſtabat, obuiam patricidæ factus, gladio exerto, limitem, quem Doffus nõ prætergrederetur, facto ſigno in terra circumſcripſiſſet: & extrema omnia, audaci homini cõminatus fuiſſet. Inter hæc ferè per miraculum ſubitaneũ pluuia ingens omnia inundauit: diuinæ voluntatis certiſſimus index, qui oſtenderet clariſſimè, tàm ferale ſpectaculum altiſſimo nõ placere. Sole præterea occumbente, populus expectatione ſua fruſtratus, & in diuerſa magis, quàm ante ſtudia diſtractus: alij Minoritas, alij Hieronymum ſuggillantes, ex area reuertebantur: aduerſarijs ad tumultum excitandum, & ad cædem Hieronymi patrandam intentis. His à facinore prohibendis, dati à Magiſtratu, qui Hieronymo vt ad cęnobiũ reuerteretur, edixerat, ſeruatores; Marcus Saluiatus, & Ioachimus Aretinus, illum inter medios armatos receptum, ad S. Marci deduxerunt. Quãquam autem tanta militia illum deduceret, nõ defuerunt, tamen, qui cõclamarẽt: *Depone alicubi diuiniſsimum Sacramentum:* quaſi voluiſſent dicere, illos nõ timore militum, qui Hieronymum deducebant, ſed veneratione Sacratæ hoſtiæ abſtinere, quo minùs illum trucidarent. Inter eas alas, & inter aduerſariorum cõtumelias in ſe proiectas, ad S. Marci ille reductus, ſuggeſtum conſcendit, ac populo expectanti, rem, vt acciderat, exponẽs, impoſturas aduerſariorum, qui illum, certamen refugiſſe, ſparſerant, refutauit: ſimulque ad Chriſtianè viuendum, & ad orationum præſidia omnes adhortatus: data benedictione Cõcionem dimiſit. Quanquàm autẽ omnibus manifeſtum eſſet, ex quo Appulus, & Rondinellus die certaminis nuſpiàm cõparuiſſent, & Piſcienſis ſubire experimentum voluiſſet, Minoritas vnam cædem Hieronymi, Dominicanos verò ſolam veritatis lucem deſiderare: nõ defuerunt tamen, qui duorum illorum ſeceſſionẽ coloribus varijs excuſarent, & Piſcienſis deſiderium malignè interpretarentur, promiſcuè iactantes. Hieronymum nõ ſtudio oſtendendæ innocentiæ, ſed cupiditate ſacrilegij perpetrandi, Piſcienſem ſacrata hoſtia armaſſe, vt illa inter medias flammas cõflagraret. Hęc vero techna ab hoſtibus in vulgus diſperſa, plurimos in Hieronymum acriùs inflammauit: nihil vt magis deinceps cuperent, quàm victum, & mactatum illum. Effuſus eſt furor illorum ipſorum, etiã in Cõciues, diſcipulos, atq; ſectatores Hieronymi, quibus iam periculum fuerat in publico comparere, aut ad S. Marci ire; quandò maligni, hypocritas, excommunicatos, plangentes, deceptores Dei, & hominum, ac deniq; hæreticos appellarent, eoq; nomine contrà illos perſecutionem excitarent. Die conſequenti, quàm Dominicam à palmis, & Oliuis indigetant, Hieronymus, ſuæ calamitatis extremæ præſcius, ſuggeſtũ conſcenſo breuem quidem, ſed feruentem, & lacrymis redũdantem habuit ſermonem, in cuius epilogo dixit, ſeſe paratum mori, & victimam dare pro veritate, innocentia, atq; ſuorum incolumitate. Data poſtmodum populis benedictione, atq; ramis palmarum diſtributis, in cænobium mæſtus, & futurorum præſagiens, ſe recepit. A prandijs eodem die, in Baſilica Cathedrali concionante F. Mariano Vghi, vno ex ſuis ſodalibus: tantus tumultus à Rabidis & diſcolis, qui nihil aliud, quàm per ſeditionem, primùm Reipublicæ formam euertere, deinde necare Hieronymum quęrebant, excitatus fuit, vt & Marianus coactus fuerit è ſuggeſtu, deſcendere, & vniuerſi auditores fugam arripere. Auditorio diſperſo, atq; Magiſtratu conniuente, Rabidi per omnes plateas, & vicos vrbis ad arma populum concitantes, facta multitudine flagitioſorum, ad Sancti Marci properarunt: ad ſingulos viarum exitus, armatis ſuæ factionis collatis, nè amici Sauonarolæ, ad hominem, & Cænobiũ defendendum accurrerent. Aliqui audito tumultu, cùm domo exiuiſſent, vt Hieronymo ſuccurrerẽt, à factioſis vulnerati, aliqui verò cæſi occubuerunt. Penetratum tandem in Eccleſiam S. Marci, vbi veſpertinis precibus quàmplurimi intererant.

*Tumultus ingẽs ab hoſtibus Hieronymi excitatur.*

Saxis in deuotos, ac religioſos orationi publicæ vacantes proiectis, à lapidatione parricidium inchoarunt. Nox interim ſuperuenit; opportuna facinori. Vix potuerunt claudi portæ Eccleſiæ. Excluſi templo ſacrilegi, portam Cænobij effregerunt, & tumultuatim irruentes Hieronymum ad cædem quæſierunt. His ille ſacrum pallium indutus, diuinamque hoſtiam manu geſtans, obuiam fuit, & vt à furore ſibi temperarent, hortatus eſt. Prohibuit pariter ciuibus amicis, qui intra cænobium remanſerant, nè arma in defenſionem ſui caperent: eſſe alia, in quibus confideret; corporalia, ſeculi propugnatoribus relinquenda. Occiſi inter hæc ad primum impetum aliqui Hieronymo deuoti ciues. Occubuit & germanus illius. Ipſe inter tumultuantes illæſus, tandem in Eccleſiam cum diuiniſſimo Sacramento, & Sodalibus penetrauit quo in ara ſuprema venerationi expoſito; aliquot horas proſtratus antè in terrã orauit: cantãtibus Cænobitis; *Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ.* Ignis interim valuis Eccleſiæ à confluente vndique oppugnatorum multitudine admotus, patefecit ingreſſum. Inuadunt hoſtes, nullaq; ſacri loci habita ratione, obuia quæq; diripiunt, deprædanturq;. Tentarunt deindè chori aditum, à parte, quæ ad clauſtrũ vergit. quod animaduertentes Religioſi aliqui tyrones, in Deo confiſi fores aperuerunt, accenſiſq; cereis obuiàm prodierunt: quorum aſpectus ſacrilegos illos adeò perterruit, vt non ſecùs, ac fulmine percuſſi, amiſſis etiam armis, in terram ruerent, atq; pudore ſuffuſi regrederentur. Certatum intereà & in templo, & in clauſtro ab oppugnatoribus, in ciues propugnatores. multi vtrimq; vulnerati, multi confoſſi. Saxa in chorum, vbi Hieronymus cũ ducẽtis fratribus clauſus, ad Deum pro amicis, & inimicis preces fundebat, proiecta: bombardæ exornatæ, ſagittæ excuſſæ: ſed nullus ex Fratribus, (miraculum) læſus: tormenta etiam maiora, euertendo funditùs cænobio, circumcirca in area anteriore collocata. Pugnatum inter ciues ad horas circiter ſeptem; vbi cum in momenta maior concurſus fieret, iamq; omnibus tam Eccleſię, quàm cænobij portis, vel effractis, vel exuſtis, vltimum periculum grauioris alicuius tumultus immineret, Octo Viri, qui primores vrbis imperabant, ſemel ac iterum qui precones, edictum, pœna capitali propoſita promulgarunt, vt omnes Hieronymi ſiue defenſores, ſiue impugnatores, Sancti Marci templo, ac Monaſterio exirent, ſeſeque domum reciperent. Eodem edicto, prænunciarunt, nè Hieronymus intra ditionis Florentiæ terminos, præterquàm paucas horas, ſeſe con-





tineret. Et quidẽ is libẽter mãdatis paruiſſet, niſi plerumq; amicorũ, q̃ eũ tutabãtur, honeſta quadã violẽtia euaſiſſẽt. Enimuerò non ſibi perſuadere poterãt, ea Mãdata ab Octo viris emanaſſe: inter quos vnus quidam Hieronymo impenſiſſimè addictus emineret, ſine cuius conſenſu nihil omninò ab eo Magiſtratu fieret: & qui proculdubio nihil tale in amicum ſtatui permitteret. Eius rei, & autoritatis ſuæ fiducia fretus Franciſcus Valorius, Paſtor populi Florentini, olim voce publica conclamatus, quanquàm Ioannes Baptiſta Rudolfius, Franciſcus Dauanzatus, & alij, amici diſſuaderent, Cænobio S. Marci egredi, & Magiſtratum pro Cænobij, & Hieronymi tutela adire voluit. Fortè aliquid præſens obtinuiſſet, & ingẽs fatum magna virtute oppreſſiſſet: cæterùm cum priùs domũ ex itinere diuertiſſet, iamq; ad eum magna amicorum & populi deuoti turba concurreret, aduerſarij magnoperè ſibi ab eo metuentes, horam illi apud Magiſtratũ, titulo tumultus dixerunt, magnaque alacritate in Curiã properantem, in ipſa via publica, inter cõtumelias verborum, & factorum, inflictis vulneribus trucidarunt. Occiderunt pariter illius vxorem, quę ad primũ in ædes, ad quas euertendas Rabioſi reuerterant, impetũ è feneſtra proſpexerat: nec non infantem Frãciſcum in cunis iacentem ſuffocarunt, nulla humanitatis memoria, nullo miſericordiæ affectu. Hunc in modum cùm in patrem patriæ, virũ Dei timentem, qui eo ipſo die ſacram palmam, & diuinam hoſtiam è manibus Hieronymi ſuſceperat ſæuijſſent, domũ eius diripuerunt, atq; diruerunt. Aliqui ex Rudolfijs, & Tornabonis, Franciſcum Senem interemerunt. Itum indè ad ædes Andreæ Cambini, & cuiuſdam artificis Hieronymo deuoti; quas dilapidauerũt: q̃ etiã Ioanni Baptiſtæ Ridolphio, Paulo Soderino, & alijs ex pręcipua nobilitate feciſſent: niſi Octo viri, præconib. & Cõmiſſarijs eò miſſis, ruinã auertiſſent. Euertiſſent, & Cænobiũ S. Marci: paucis iam iiſq; inermibus defenſoribus (nam plurimi metu edictalium pœnarum diſceſſerant) quamq; ſtrenuè, & quaſi per miraculum reſiſtentibus: verùm Magiſtratus, Cõmiſſarijs eò deſtinatis, per tractationes amicas, fide publica vtrimq; interpoſita, finem tumultui impoſuit: quando inter eos mutuò conuenit, vt Hieronymus Cænobio excederet, & in Curiam vnà cum Dominico Piſcienſi, & Syluestro Maruffo ad Magiſtratũ, publica itẽ fide incolumitatis, & reditus inſcriptis data, accitus, ſeſe cõferret. Octaua iã noctis hora voluebat, cũ Hieronymus ſuaſu amicorũ, & defẽſorũ, qui cũ miſſis à Magiſtratu tranſegerant, ad Magiſtratũ iturus, Fratribus in Bibliotheca penitiore, q̃ Græcam dicunt, congregatis, vale ſupremũ dare voluit. Itaq; Latino ſermone eos allocutus, ad perſeuerantiam, fidem, patientiam, omnes animauit: ſæpiùs repetens, oportere per multas tribulationes ad regnum cæleſte contendere. Addidit, nè præſentium malorũ timore, à recto viæ curſu diſtraherentur: neue Florentinorum ingratitudine, aut inconſtantia ſcandalizarentur: quibus ab antiquo ferè ſolenne eſſet, benefacta, à Dominicano ordine in eos collocata, malefactis compenſare. Itá S. Petro martyri multa beneficia, apud eos non ſine miraculorũ operatione relicta, dato ſanguinis illius, ſacrilegis, qui occiderent, pretio remunerarunt. Itá S. Catharinæ Senenſi, ſalutem, & quietem illorum, multis curis exantlatis, & peregrinatione Auinionem ſuſcepta, curanti, mortem, rependere decreuerãt. Ita S. Antoninum, ciuem optimum, & vigilantiſſimum Paſtorem ſuæ vrbis, per feneſtram è Curia deijcere moliebantur: & comminabantur: ſcilicet, in premium meritorum. nihil mirum, ſi etiam ſuos ſudores, conatus, labores, ſtudia, officia, & quęcumq; beneficia in eorũ ſpiritualia, ac temporalia cõmoda perpetuò collata, eodẽ ære exſoluerent. ſibi animo fixum manere, id, quicquid accideret, prompto, & alacri deſiderio, ob IESV Chriſti amorem ſubire; quandoquidem Chriſtianæ perfectionis ſumma eſſet, bona bene agere, & mala fortitèr tolerare, & ad ſæculares, qui præſtolabantur, egreſſus: Dicam id, quod olim Prophetæ Eliſeus, *Dominus celauit à me, & non indicauit mihi.* & quidem non me latebant, ea, quæ ventura erant mihi: verùm tamen non tàm citò futura exiſtimàbam: quia de hora eorum, Dominus nihil reuelauit mihi. & ad Sodales iterùm ſermone conuerſo, ad religioſam vitæ conſtãtiam, eos hortatus, benè de diuino adiutorio ſperare iuſſit: ac ſi eò tempore occumberet, de quo tamen tẽpore nihil certi ſciret, augurabatur id hoſtibus nõ impunè, imò magis grauiùs fore. Dixit: coràm Dominico Piſcienſi genu poſito, exomologeſiq; peracta, ſacram hoſtiam de manu eius recepit: ac viciſſim Dominico idem officium exhibuit. Inde clauem cænobii cõmunem à cingulo pendentem, religauit, & Fratribus gementibus, atq; eiulantibus vltrò dedit: vltimò omnes oſculatus, & benè ſingulis imprecatus, inter eorum ploratus, & ſingultus, ad oſtium Bibliothecæ Cęnobii, vbi primores Cõmiſſariorum armati expectabant, proceſſit: eiſq; ſuos Sodales, & ciues cõmendatos fecit, mox ad Fratres reſpiciens, nè quicquam dubitarent de ſe, admonuit: Deum velle in ſe voluntatẽ ſuam perficere, opuſq; perfectum facere: in quo ſi fortè vitam profunderet, ampliùs eis mortuum, quàm viuentem profuturum, & à morte ad eos conſolandos, ſe reuerſurum. Ea verba tàm acriter Sodales inflammarunt, vt aliqui ex eis cum eo ad mortem ſeſe tradere voluerint: quos ille neceſſe habuit, monitis, & præceptis cohibere. Nona audita raptus à conſpectu ſuorum, ducebatur vinctus ad Curiam, inter clamores tumultuantium: quorum tanta rabies exarſerat ad perdendum illum, vt niſi Cõmiſſarii, & apparitores, lanceis, & gladijs implexis velut tectorium ſuper caput vincti feciſſet, proculdubio inter eundũ interfeciſſent. Qui ſequebantur, & poterant penetrare, calcibus à tergo inſultabant, improperantes: *Prophetiza nunc nunc, quis eſt, qui te percuſſit.* Alij impudentiſſimo ore, prophetiam illius in poſtico deliteſcere, cõiiciabantur: plurimi multò ſpurciora iactabant, neq; à clamoribus inconditis ſibi temperabant: agitati manifeſtè à principibus tenebrarum, qui ea nocte à vexandis ſanctimonialibus S. Luciæ feriati, die conſequenti vociferantes teſtati ſunt, ſe ferali interfuiſſe tumultui; excitandiſq; hominibus flagitioſis aduersùs Monachos operam impendiſſe. Tanta porrò immanitas fuit Rabidorum, vt aliquis aureum diadema imagini Sacroſanctæ Deiparæ in Eccleſia S. Marci detrahere, atq; meretricis cuiuſdam capiti ad eam delatũ imponere minimè erubuerit: Alexander Pontifex, ſummo mane die Iouis ſancta, facinus Florentinis perpetratum, ſumma animi voluptate intellexit; ac Oratore Florentino interpellante, eodem die, litteras abſolutionis ab excommunicatione, in quam propter Eccleſiam, monaſterium & Cænobitas S. Marci violatos, & propter cædem plurimorum, (etiam Sacerdotũ ibidem perpetratam Florentini inciderant, miſit: quæ intrà horas xx. Florentiam perlatæ ſunt. Vicario Archiepiſcopi. & Canonicis Baſilicæ maioris, eam abſoluendi, & in irregularitate, etiam ex præsbytericitio contracta diſpenſandi autoritatem conceſsit, Indulgentiamq; plenariam omnibus, qui abſoluti forent, vſq; ad vigeſimam ſecundã Aprilis diem impertiuit: ac præterea Magiſtratui, quòd hominem intercepiſſent, & in vincula conieciſſent, maximas gratias habuit: Octo viris præſcribens, vt inquiſitione quam rigoroſiſſima peracta, & teſtimoniis neceſſarijs receptis, illũ viuũ, Romam ſub cuſtodia mitterent. Metuebat nè fauore alicuius ex Magiſtratu potentis innocens pronũciaretur, vel alioquin à defenſorum multitudine eriperetur: nèue aut opera, aut reſpectu illius, ſi liber euaderet, Reges, ac Principes Chriſtiani, tantò

mullis, à Magiſtratu ſanguinario accepiſſet, partim iracundia percitus, partim ſtimulatus conſcientia, cuidã honeſto ciui rem vt perpetrauerat; is verò quòd ex amicis Hieronymi eſſet, Bernardo Nerio, & Cypriano Cancellio Dominicanis, enarrauit. Is ipſe Franciſcus Scriba; Lucretiæ Mediceæ vxori Iacobi Saluiati, Leonis X Pont. Sorori, flagitium ſuum; & Magiſtratuum, in comminiſcendo falſo proceſſu admiſſũ reuelauit, teſtimoniumq; Hieronymo, ſed iã extincto dedit; illũ fuiſſe virum Sanctum, nullius erroris, aut criminis reum: cui tñ necando oportuerit, multa peccata imponere, nè quamplurimi Florẽtinorum à populo, ſi perſpectam illius innocentiam habuiſſet, trucidarentur. Addidit & iſtud eidem Lucretiæ reuelare: per ipſum ſtetiſſe, quo minus populus ſeditionẽ excitaret, multoſque Hieronymi oppreſſorum lapidaret, atque domos eorumdẽ à fundamẽtis euerteret: ꝙ certè certiùs feciſſet, ſi expertem omnis criminis Hieronymũ didiciſſet. Ergo ſe habuiſſe neceſſe (dicebat) nonnulla affingere, alia inuertere, quędam oblitterare, atq; e ſilẽtio inuoluere, nè innocens ille appareret. Retulit & iſtud, ſe falſum proceſſum à ſe cõfictũ Hieronymo detuliſſe; ſed à deſcribendo per falſam commiſerationẽ auertiſſe, atque ad ſubſcribẽdum impuliſſe: Hieronymumq; ſi Tabulas euulgaſſet, illi non plus quàm ſex menſiũ vitam diuinitus præſcripſiſſe. Hoc ipſum de cita morte, vxori indicauit, atque vt ſibi illa viduales veſtes præpararet, tres aureos illi numerauit. Aliqui præterea ex iudicibus deputatis, nõ potuerunt nõ palàm facere amicis, à quibus hæc diuulgata, Hieronymũ innocentẽ illorum conſilia confudiſſe, quãdò nihil omninò contra ipſum potuerint, ſecundum rei veritatẽ vel ab ipſo, vel à teſtibus tormento ſuppoſitis extorquere. Præfectus quoque apparitorum, & lictorum Petrus Antonius, iſtud manifeſtauit. Quadã die Hieronymus varijs tormentis excruciatus; cum planè exanimatus fuiſſet, dixerat illi ipſi; Videsnè, quemadmodum me, mei aduerſarij; excipiunt? Quid tu eo in caſu faceres, ſi vt ego immunis eſſes à crimine: Cumq; Petrus Antonius reſpondiſſet; Aliquod leue enunciaſſet mendacium, fugiendis, vel finiẽdis cruciatibus: Franciſcum Sanctum inſuper in exemplum adduxiſſet, qui nè furẽ illac fugientẽ manifeſtaret, manicã tunicæ Satellitibus opertã oſtenderit, eaq; minimè profugiſſe affirmarit: Hieronymus, Deum amatorẽ, nè vel leuiſſimũ mendaciũ ediceret, inuocauit, omniaq; ſibi extrema accidere, prius quã vel tenuiſſimo mẽdacio veritatẽ offenderet, imprecatus, malè ſuadentẽ increpuit: ac ſimul percõtanti, quandò finis eius calamitatibus imponeretur; ſe antè ſolẽnitatẽ Aſcenſionis Dominicæ extra carcerẽ, & à tribulationibus omnib. futurum reſpondit: nec non vxori ipſius ex vehemẽtiſſimo capitis dolore diutius laborãti, ſanitatẽ vinctus impetrauit. ex quib. cauſis ille Carnificinę officio ſubſeruire deinceps recuſauit: maximè carnificio permotus, quo Hieronymus cũ Sodalibus dilaniabatur. Nã & Dominicus Piſcienſis, feria 3. magna, cum iam tertia vice tormentis ſubactus, duas alias poſtularet, vt in memoriã quinq; Chriſti vulnerũ quintò quoque torqueretur; non tñ obtinuit, ꝙ ardenter flagitauit, verum etiã alijs lancinationibus diſcruciatus fuit: vt fateretur. Hieronymũ, falſum prophetã, & populi ſeductorẽ fuiſſe: ſeq; illi operã, ad opinionẽ ſanctitatis eidem conciliandam collocaſſe. Nihil ab eo, neq; à Sylueſtro Marruffi, ijſdem cruciatibus diuexato, potuit extorqueri; vtroq; conſtanter aſſeuerante, Hieronymum, quæ prædixiſſet, à Deo accepiſſe, virumque ſanctum, & Prophetam eſſe: vt quamplurimi incorruptis eorum teſtimonijs affirmarunt. De vtroque Thomas Capponius Petro Corſino ad Vrbinatem à Rep. miſſo. Iudex ſubſtitutus pronunciauit, illos innocentes fuiſſe occiſos. De Hieronymo Franciſcus Nerlius faſſus eſt coram multis, ſuos gentiles, Quatuor millia aureorum pro obtinẽda in illum excommunicatione expendiſſe, ac pollubrum pretioſum eã ob cauſam, Romam miſiſſe. Alfonſus Strozius, idẽ de ſe aliquando imprudens enunciauit; ſe aliquot centena aureorum, pro cenſuris in Hieronymum ferendis perdidiſſe. In his tamen cenſuris tametſi, per ſubreptionem, & obreptionem extortis: non minus quam in proceſſu à Franciſco Barone confecto, quamquam impoſturis, & verſuris infarcto, Commiſſarij Pontificij baſim cauſæ eſſe voluerunt: vtque ſe immunes à ſanguine illius præſeferrent, ſex à Sancto Marco Sodales, coram quibus acta in Tabulas relata legerentur aduocarunt, Franciſcum Saluiatum Priorem Cænobij. Ioannem Simbaldum Tyronibus præfectum, Coſmã Tornabonum, Malateſtam Sacramorum, Georgium Antonium Veſpucium, & Petrum Paulum Vrbinatẽ. Hos ipſos prius, ad diem 19. Aprilis, quæ fuit feria V. Paſchatis, Octo viri, & Iudices deputati in Curiam acciuerant: & præſentibus coràm eis tribus captiuis, Tabulas à Franciſco confectas, confictaſque recitari præceperant, vt iuſti, atque innocentes viderentur. Ibi poſtquam Scriba Franciſcus omnia falſimonijs inſperſa perlegiſſet, ac veterator, Num omnia, quæ legiſſet illis coram, vera eſſent, interrogaſſet, Hieronymus, nõ ad lecta, ſed ad ſubſcriptionem ſuam quæ nihil illum prorſus afficiebat, ſiue etiam ad ea omnia, quæ vnquã in re Theologica vel Ethica ſcripſiſſet: vel etiam ad ea, quæ in carcere extra tormenta de rebus ſuis pro ſe exaraſſet, reſpiciens, reſpondit; vera eſſe illa quæ ſcripſit Franciſco repoſcente, Num omnia: & num de verbo ad verbum vera eſſent, quæ ſcripſit; omnia de verbo ad verbum ſcripta, vera eſſe reſpondit: à qua ambigua locutione, quidam non bonę mentis in vulgus ſparſerunt, illum, quas prius affirmauerat, rerum prædictiones, reſponſis ad Tabellionem factis, negauiſſe, fidemque dictorum imminuiſſe: cum tamen ipſe non ad ea, quæ à Franciſco contra ius, & fas, tum extorta, tum adulterata fuerant, ſed ad illa quæ ipſe vel de rebus futuris aut moralibus ſcripſerat, vel ad ſyllabas materiales, quas proceſſui ſubſcripſerat, aſpexiſſet: vſu Prophetarum veteris teſtamẽti recepto, qui à perfidis interrogati, aliquãdo obliquè adeo, ambigueque reſpondebant, vt quæ affirmauerant, viderentur negauiſſe: contra, quæ negauerant, viderentur affirmauiſſe. Sic Michæas Achabo Regi de Aſſyrijs expugnãdis reſpondit. 3. Reg. 22. Sic Amos, nec Prophetam ſe, nec filium Prophetæ dixit. Sic Ioannes Baptiſta, dũ de Prophetię munere rogaretur, loquutus fuit. Sic & ipſe Chriſtus, an Rex eſſet, interrogatus, Regẽ ſe eſſe affirmauit & negauit: nec non importuno iudici, de multis alijs nõ ex recto, nec ex æquo inquirenti nullo reſpõſo, aut ambiguo dato plurima ſilentio inuoluit, alia myſterijs occultauit. ex quo Doctores, legis diuinæ periti exiſtimant, nõ obligari quemquam in iudicio, veritatem ei aperire, qui non ſecundum ordinem legibus præſcriptum percunctatur: quemadmodũ Hieronymo euenerat, cuius iudicibus nihil curæ erat, iure ac iniuria procederent, modo ipſum vexarẽt & rebus humanis eximerent. Sed neque vlla malitiæ indicia præceſſerant, quibus opus eſt ſano iudici, ſi cruciatibus vti velit, ad veritatem extorquẽdam. Adde, quod in quæſtionum libello à Franciſco concinnato, multa erant contradictoria, pugnantiaque, quorum etiam pars magna, conſonabat his, quæ ille à vinculis ſolutus ac liber pronũciauerat: quibus omnibus promiſcue, ſi vi, vel metu tormẽtorũ adactus, etiam ſubſcripſiſſet. vel etiam in tormentis contraria faſſus eſſet, ex duplici cauſa non afficerent Hieronymum: altera quod vtrumque contradictorium ſimul non poteſt eſſe verũ neq; validum ad aliquẽ dãnãdũ; altera, quòd ille animo abalienabatur, quãdo torquebatur: ac poterat aliqua vel cõtraria, vel ambigua dixiſſe, quę in contrariũ ſenſũ detorta cõtraria viderẽtur: à quibus ne ſibi præiu-

dicium



dicium crearetur, præmonuerat, & obteſtatus fuerat, nè fidem haberent, etiam ſibi ipſi, ſi tormentorum immanitate fractus, contraria eis loqueretur, quæ ſemel, vel diuino iuſſu de pulpito euulgaſſet, vel alio qui in carcere, liber à tormentis, ſibique redditus, vel ſcripſiſſet, vel dixiſſet. Addiderat in vltima quæſtione ea, quæ adſcribo Spoliatus ad torturam, genibus in terra flexis, dixit; *Eia audite me. O Deus, tu me prendidiſti. Confiteor, quæ prius in tormentis negaueram. Protuli mendacium Florentini. Negaui metu tormentorum, Florentini. Teſtimonium perhibitis mihi Florentini, Si patiar pro veritate patiar. Quæ olim dixi, & prædixi, omnia habui à Deo. Deus tu me iuſtè punis, & caſtigas, quia te negaui. Demereor pœnam, quia te abnegaui: abnegaui metu tormentorum.* & oſtendens brachium ſiniſtrum luxatum, conuulſumque. *Ieſu adiuua me. hac vice tu me prendidiſti. Florentini, adhibete illis fidem, quæ olim liber ex pulpito annunciaui; non vero iſtis, quæ per tormenta extorta ſunt.* Hæc vero cum non ſemel, ſed multoties diſertè dixiſſet; ad ſubſcriptionem tamen illam ambiguam plurimi reſpicientes, variè afficiebantur. Quos inculpata Hieronymi vita, & præclariſſima doctrina, & rerum prænunciatarum euentus, & prædicatorum conſentanea ratio, & viſa miracula in fide ſtabiliuerant, verbis, quæ ſubſcripſerat, quæue protulerat, acrius intendentes, nihil ex illa ſubſcriptione poſſe cõtra eum, ſtatui pronunciabant. Alij, qui prædictionibus ad illam horam firmiſſimè crediderant, mutato gradu vacillarãt. Alij negationis expreſſæ auidi, prorſus deciderant. Sacramorus Malateſta, cum illum interrogaſſet, An omnia quæ ſubſcripſiſſet, vera eſſent; & ille nihil omninò reſpondiſſet; ſimulque carnificio fractus & tædio viuendi penè emortuus ſignis indicaſſet, nè amplius ea de re interpellaretur, in arcum prauum conuerſus protupit; Ex ore tuo credidi: & ex ore tuo diſcredo: indeq; diſcedens, apud aliquot Sodales in S. Marci fidẽ Hieronymo detrahere conatus eſt: maximè à nouiſſimis illius verbis, quę ſex fratribus vltimum vale dicẽs protulerat. Cum enim Nouitios, vt in diuino timore, & ſimplicitate vitæ Regularis inſtituerentur, illis commendaſſet, ac orationes omniũ Sodalium flagitaret, adiũxerat; quia me, ſpiritus; penè deſeruit, ſeu defecit: Sacramorus de ſpiritu diuino ſeu Prophetico verba detorquens, multam illi inuidiã conflare anniſus eſt. Subſcripſerãt nihilominus illi ſex Sodales Tabulis à Franciſco cõfictis, ſed tñ ambiguè; cũ ſcriberẽt; *Fateor vera eſſe omnia ꝗ ſcripta ſunt: ego F. N. &c.*

*Malta ſe negaſſe & damnaſſe Hieronymus vi tormentorum fatetur.*

His tabulis vt populum deciperent, ac Hieronymo infamiam conciliarent, Comitio indicto, promiſcuã etiam multitudinem ingredi permiſerant: coram qua innumerabili cum Franciſcus proceſſum falſum perlegiſſet, ſubiunxiſſetque ſe non omnia, nè ſecreta ciuitatis propalarentur, recenſuiſſe, quamplurimos, in innocentem illum inflammauerat, & Magiſtratibus animos addiderat, nè vinctum Hieronymum, de quo verebatur, ſi Romam iuiſſet, ibi præſens ſuam cauſam rationibus, & teſtimonijs, defenderet, euinceretque, Pontifici mitterent; ſed illi ipſi ſuffragijs Florentiæ perderent. Diuerſæ tum fuerant aduerſariorum de genere ſupplicij ſententię. Angelus Nicolinus ſuadebat, hominem alicui cuſtodiæ tradere, eique copiam, quam maximã librorum facere, ex quorum lectione, doctior, libros pro fidei Catholicæ defenſione, & amplificatione, pro gloria, & honore diuinæ, proque reformatione morum ad publicam nobilitatem ſcriberet. Piaculũ videri, viru tam excellẽti doctrina cui pacẽ poſteriora ſecula vix proferre poſſẽt. quiq; vnus ſolus ſi Theologiæ, & Philoſophiæ vniuerſæ, toto in orbe [illegible] dogmata perirẽt ipſe omnia, & fidei, & ſciẽtiarum [illegible] ſufficeret conſcribere, & ab interitu vindicare, ad necem damnare: maximè quod cum ipſius vita, & eruditio Florentinæ ciuitati ingentem ſplendorem attuliſſet. Mors ſanguinolenta eiuſdem, ignominiam, & labem ineluibilem, ipſis allatura eſſet.

*De genere ſupplicij illius aduerſarij variant.*

Contrà, alij decernebant: poſſe accidere, vt is ab aliquo ſubſequenti Magiſtratu libertati reſtitutus, grauius periculum ciuitati crearet: præſtare, vt moriatur vnus, *nè tota gens pereat.* homo mortuus, non ampliùs bellum mouet. Ciuibus, ob eius cauſam in carceres compactis, omninò ignoſcendum. ſanguine ſeductorum ab eo, non maculandæ, manus. ſufficere ad tranquillitatem eorum, ſi ille ſolus tollatur. Pręualuit iſtorum ferale conſilium. Conſtitutum, nè Romam mitteretur, ſed Florentiæ plecteretur. Hoc facto cõſtituto, præſente multitudine, vinctum Hieronymũ, & ſocios, vt in Tabulas relata audirent, produxerãt: ac tandem probris, contumelijs, populi væſanientis exſaturatos, in ergaſtula retruſerant, vbi interim, dum Commiſſarij Apoſtolici venirent, intolerandis à cuſtodibus, carcerum diuexarentur iniurijs. Nullæ feneſtræ erant, quæ lumen admitterent, lucernæ beneficium negauerant. Nulla lectiſternia, nullæ paleæ, nullum ſtramen, cui, tenebris perpetuis damnati incumberent. Nuda humus vinctos, lancinatoſq; excipiebat. Miniſtri crudeles, verbis, & verberibus inſultabant; aliquandò ad miracula Hieronymum ludibrio prouocantes, aliquando alapas infligentes, quãdoque verecũdiora, quod Hieronymo intolerandũ, impudentiſsimè contrectantes, quandoque mutum quendam familiæ Albertinæ, vt illi nunc loquelam reſtitueret exprobrãtes, aut quippiam eiuſmodi obſtrepentes. Nihil eos mouebat, aut commiſeratio, aut diuino oſtenta, quæ in carcere ſuper Hieronymũ apparuerant. Sæpiùs compedes, & manicæ ferreæ, à pedibus, & manibus illius, diuinitùs deciderãt. Multotiès oſtia carcerum per miraculum patuerant. Vna vice viſus eſt cubito altiùs à terra in ſublime elatus, vultum ſplendidum in tenebris exercere, & caliginẽ diſsipare: à quo prodigio cuſtos carceris, qui viderat, ad frugem meliorem conuerſus, ſanctiſsimam in poſterum vitam duxit, ac teſtimoniũ vincto perhibuit; non minus certum, quàm alius Commentarienſis, qui ferramenta, quæ à manibus Hieronymi deciderant, populis oſtendens, miraculum euulgarat.

XXI. *Quidem Sylueſtri meritis à podagra, item obſeſſa per Dom. Piſcienſem liberatur.*

Non mihi etiã hic omittendũ videtur miraculum, Sylueſtri meritis in patrem patratũ. Is per viginti annos podagræ dolorib. adeò laborauerat, vt pedibus iam vlceribus corroſis, contractiſque deambulandi munere fruſtraretur. Huic Sylueſter filius morti proximus purpureũ pannũ, quẽ carceribus truſus ad ſtomachi tutelã geſtauerat, trãſmiſit, cõſolatus eũ multis, multiſq; adhortatus, vt à fide rerũ à Hieronymo prædicatarum minimè diſcederet: Iuſsit poſtremò, bono etiam animo fore, quoniam in ſupernã patriã commigraturum ſe quàm citiſsimè confideret. Accepit ille dolorum plenus, filij munus, atq; poſt eius obitum pedibus tabo plenis, ac penè exeſis, admouit, ſimul Dei omnipotentiæ ſiſus filii interpellauit, impetraret ſibi greſſus officium, & optatã diu, neq; vnq̃ habitã ſanitatẽ. Nec mora, ab admoto panniculo, & obductas vlceribus cicatrices retulit, & neruorũ obloquitatem directam, & ambulandi poteſtatem, & perfectam totius corporis ſanitatem.

Et iſtud non tacendũ, à Dominico Piſcienſi oſtenſũ: Alicuius ciuis filiã, Satan occuparat. huius furorẽ, Piſcienſis aliquando refrenarat, vt tres interdũ, & quatuor mẽſes miſerã non vexaret. Coniecto illo in carcerẽ, hoſtis ſæuire cæpit, eoq; infelicẽ adduxit, ſeptem vt totos dies nec cibum, nec potũ ſumere permiſerit. Euocati exorciſtæ quã plurimi, admotæ diuerſæ ſanctorum reliquiæ; ſed fruſtrà. Accurrit poſt hæc pater ad Dominicum iam carceri mancipatum, & calamitatem filiæ expoſuit: cui ille, edictũ in dæmonem ſcriptũ, dedit, alligandũ collo patiẽtis: quo præcipiebat inimico, vt tãtiſper à vexatione abſtineret, quoad illa Syngraphã geſtaret. Obedinit Satanas mandatis adiurãtis, & cibũ, ac potũ libere ſumere illã permiſit.

Iſtud

Iſtud ad ipſum pertinet Hieronymum.Petrus Corſinus iudicẽ, vnus,illi inter quæſtiones exprobrabat: Vbinam Piſa, quam nos recuperaturos prædicabas? Recuperabimus,an non? Huic Hieronymus: Recuperabitis: ſed tu illã non videbis.Euenit, vt prædixit. Paulò pòſt cædem Hieronymi, Petrus exercitui Florentino præfectus,cùm omnia recuperandæ vrbi tentaſſet,nonnemoq; exiſtimaret,Hieronymi prædictionem vanam fore,Florentiam irrito conatu reuertens, doloris ex re infeliciter tentata impatiens,in phrenesim incidit,in qua iſtud ſæpè ſæpiùs repetijt:*Tandem ille frater nobis præualuit.Tandem ego morior,neque Piſam videbo.*Conabantur propinqui modis varijs hominem ſanare:nunc Piſam captam nunciantes; nunc veredarios,qui nunciarent,ſubornantes, & aliquando æs campanum in omnibus turribus Eccleſiaſticis perſonantes, ac ignibus incenſis, tubarumque clangore publicam de capta vrbe lætitiam inſinuantes, quod cùm vix perſuaſiſſent,ipſe tñ nulla ſalutis cura tactus interijt cum tñ prius aliquibus,audiente etiam vxore narraſſet, teſtatus Hieronymum innocentem fuiſſe: nec aliquam mortis cauſam in illo repertã eſſe.

XXII. *Minoritæ mortem illorũ accelerare conantur.*

Inter hæc Minoritæ,iàm citrà omnem diuinitatis, & humanitatis reſpectum Gaudentes miſeris,nõ tantùm infamiam procurabant,ſed & periculum vitæ accelerabant:per diſpoſitos homines,noctu,præſertim, vulgum concitantes,qui Hieronymum impoſtorem, falſum vatem,populi ſeductorem vociferantes,omnium mortalium odium in eum inflammarent. Ab eorum importunis ſtudijs,Sodales Marciani,multos dies in Monaſterio ſub cuſtodia publica concluſi, ſuæ eleemoſynas quidem quotidianas ad vitam tolerandam, ab amicis recipere potuerunt.Ab eorundem quibus deſiderijs,campana maior,Sancti Marci templo publico Magiſtratus inimici decreto detractæ illis attributa fuit Ab eorum ipſorum conatibus omnia in Hieronymum, & ſocios acta,conficta, tentata:cùm pretium operæ à Magiſtratu obtinuiſſent, ſexaginta libras Florentinas, ad plurimos annos conſequentes,anniuerſarias,in ferculum, quod ipſi pictantiam vocant attributas:vt ſcilicet,de Hieronymo proſtrato Gaudentes haberent,quod in triumpho ederent tam præclaro. Occaſionem commodè rapuerant ex morte Caroli Regis,qui ferè eodem die, quo captus fuit Hieronymus, apoplexia interierat. Vnde aduerſarij omnia ad perniciem viri vertentes, illius prædictiones eleuabant;quod enunciaſſet, Carolum in Italiam reuerſurum, & mores Cleri corruptos reformaturum.quaſi verò omnia, quæ prophetæ prænunciabant, euenerint, aut propterea falſi iudicati fuerint,aut ſtãte Dei arbitrio(in cuius manu eſt mutare ſententiam) Carolus neglectui habens diuinam vocationem, non potuerit, eam ob omiſſionem, in pænam extingui: quemadmodùm æquiores euentuum Iudices coniectabant. Ad hunc modum Magiſtratu, & populo, in Hieronymum ab hoſtibus irritato, Roma aduenientes Commiſſarij,Romulinus, & Turrianus,quid facturi eſſent;aliquibus Hieronymi aduerſariis communicarunt. Romulinus priuſquàm ex equo deſcendiſſet,illis dicentibus,*Moriatur.* moriendum illi eſſe omninò reſpondit,ex præiudicata,emptaque per quoſdam Florentinos Romæ ſententia,etiamſi tàm innocens,quàm S. Ioannes Baptiſta foret. In hoſpitium deinde exſcenſione facta *Nos Pulcherrimum ignem accendemus*,dixit à decreto præiudicato,quòd in pectore geſtaret. Nè tamen priùs damnaſſe,quàm inquiſiuiſſe videretur,coràm Octo viris, & quibuſdam alijs, Hieronymum interrogauerunt: qui omnia, quæ in tormentis faſſus fuerat,falſa eſſe pronunciauit:contrà,omnia vera, quæ vel ex ſuggeſtu annunciauit, vel in ſcriptis liber reliquit.Subiecit illa alia,grauitate tormentorum expreſſa fuiſſe: quibus ſi denuò ſubderetur,& æqualia illis proferret,totiès, quotiès id feciſſet,vel facturus eſſet; pro non dictis,proq; non veris habere vellet.Perculit ea proteſtatio Iudices, & præcipuè Romulinum: qui & ſi illud Euangelicum ità vt audiri poterat dixiſſet, *Ego nullam cauſam mortis inuenio in homine iſto*, inflammatus tamen ab aduerſarijs,minacibus,& contumelioſis verbis in Hieronymum inuectus, torqueri aliquotiès imperauit,vnde verè iam exanimatus pro carnis imbecillitate,contraria his,quæ liber,vel dixerat, vel ſcripſerit,edixit:quandò cupienti mori, quò diutiùs torqueretur,negaretur occidi.In his ſupremis verbis per cruciatus extortis,& in Franciſci Commentarijs confictis,quaſi in certiſſimis documẽtis innixi,Verio Mediceo,Vexillifero Iuſtitiæ,Octo viris,& reliquo Magiſtratui præſidente,ſententiam mortis Romæ prælatam,emptam,& extortam,in Hieronymũ,Dominicũ, & Syluestrum pronunciarunt.Erant nõnulli,qui Dominicum,quaſi deceptũ,ac ſimplicitate delinquentẽ, morti eximere voluerãt.Cæterùm Philippus Guigni, cùm illum noxiam herbam,adeòq; radicitus extirpãdã dixiſſet,Romulinũ,vt in ſententia perſiſteret, impulit.Namq; pronunciauit;*Vno fraterculo plus,vno minùs nihil refert:moriatur.*Non diù moratus eſt Deus vlciſci Philippũ.Eo ipſo die,cum Iacobo Pandolfino cænatus,in ægritudinẽ lethalẽ incidens,numquam è lecto ſurrexit,paulò pòſt ad ſepulturam elatus.Faber ferrarius,qui cathenas vinciendis ad cõburendũ illis ſumma cum exultatione procuderat,quiq; in contumeliã vinctorum:facem ardẽte hac nocte per vicos, & plateas circumferens,ſubſannauerat,dixeratq;:*Hoc eſt verum lumen*,in foueam quandam præceps corruit,&fractis ceruicibus expirauit.Die XXII. Maij mortem illis in craſtinũ indixerunt: quòd nuncium illi intrepido, imperterritoq; animo exceperunt,ſtatimq; Sacerdotem ſibi dari petierunt, cui peccata quãquàm minuta,Chriſtiano ritu cõfiterentur.Honeſto voto per aduerſarios ſatisfactũ quidẽ eſt,ſed tñ obliquè,&pręter fas:quandoquidẽ nõ ex Ordine Prædicatorio, vt par erat,ſed de Florẽtino,ſub Regula Sãcti Benedicti Monaſterio tres acceſſerant Sacerdotes,vt Hieronymo, Dominico,Syluestro morituris pænitentię Sacramẽtũ impertirẽt.Nox ea,quę ſuppliciũ pceſſit,huic muneri deſtinata fuit.Peracta cõfeſſione,Hieronym⁹,tametſi ſemimortuus,in Pſalmũ,*Miſerere mei Deus*, paraphraſim feruẽtiſſimis verbis,ac ſentẽtijs cõceptã ſcripſit:cũ alias olim ſex alios Pænitentiales Pſalmos expoſuiſſet,pdixiſſetq;,ſe ſuo tẽpore Septimũ quoq; interpretaturũ. Aggreſſus deinde Pſal. *In te Domine ſperaui*,cõmẽtari,aliquot tãtũmodò verſiculos explanauit:reliquũ perficere nõ potuit,calamo p aduerſarios erepto.Enimuerò hi,q ad cõfortãdos vinctos,ex Sodalitate mortis,q̃ vocant,miſſi à Magiſtratu aduenerãt,oẽs ex hoſtibus cõſtabant.Iacobus Nicolinus inter hos numerabatur,in cuius ſinu cũ Hieronym⁹ capite aliquantũ reclinato obdormiuiſſet,viſus eſt, aliquid ore pferre,& ſubtidere:vndè is animo imutato impelli ſe ſẽtiebat,ad credendũ illi,& ad illum amandũ:maximè quãdò ille ab eodẽ interrogatus,An vera eſſent q̃ prædixiſſet:& quãdò calamitates Florentiæ euenirent;iam ferè in agone poſitus, conſtanter affirmauit:omnia,à Deo reuelata accepiſſe:& tribulationes Florentinæ vrbi ſuperuenturas fore, temporibus Pontificis, quem Clementẽ appellarent.Signaret iſta verba,& memoriæ,vel etiam poſteritati cõmendaret. Et quidẽ Iacobus,quę audierat ab Hieronymo deſcripſit,ſignauit,& cuidã Sãctimoniali ſanguine cõiunctę in Cænobio Muratarũ,vt ſeruaret dedit:vtq; cõſequẽtib⁹ annis,ſi aliquis Põtificũ Clemẽs vocaret,obſeruaret,tũq; tẽporis ſchædã aperiret,& cui op⁹ eſſet,ppalaret,admonuit.q̃ curioſitate victa,nõ expectato tẽpore literas aperuit,cum legauit: de quibus certior facta Clarix Philippi Strozæ coniunx, præſens poſteà Romæ,quando Clemens eligebatur, electum Pon-

*Acerbitate doloris victus dicta ſua falſa Sauonarola fatetur.*

tificem



[illegible] præmonuit,ne Clementis nomen aſſumeret, Sauonarolã pdixiſſe,multas calamitates Florẽtinæ vrbi ſuperuẽturas,Põtificiò illius,qui Clemens diceret. Cõtẽpſit,& irriſit is,ea q̃ à Clarice renũciabãtur:ſed q̃ proſpero Florẽtinis euentu,nemo eſt,qui ignorat.Petrus Soderinus Florentinorũ Dux,eã ſcheda vidit:Sauonarolã verò exitus rei,non falsũ fuiſſe Vatẽ oſtẽdit.

XXIII. *Morti adiudicati SS. Chriſti Corpore ſe reficiunt.*

Orto inde Sole in peruigilio Aſcenſionis Dominicæ,cũ auidi ſumendæ Sacroſanctæ Euchariſtiæ mortem expectarent,in triclinium Curiæ producti,Sacrificio interfuerunt.Eo peracto, Hieronymus, priuſquàm ſacram hoſtiam inſumeret,dari eam ſibi in manibus poſtulauit.Hanc cùm accepiſſet,mira perfuſus lætitia in eiuſmodi verba prorupit: Scire ſe ibi eſſe Deum illum Max.Opt.qui cælum terramq;, & vniuerſam deniq; naturam cõdidiſſet.Scire perfectã eſſe Trinitatẽ indiuiſibilẽ,& inſeparabilẽ, quæ Pater eſt, Filius,& Spiritus Sanctus:Filiũq; ipſum æterni Patris Verbum è cælis, ad terras in Mariæ Virginis vterum deſcẽdiſſe,in ligno crucis pepẽdiſſe,proq; miſeris nobis,à peccato & à morte æterna liberandis,pretioſiſſimũ ſanguinem fudiſſe;rogare eum,obſecrareq;,vt ſãguis ipſe,nõ fruſtrà, ſed in peccatorum ſuorũ abolitionẽ effuſus ſit;eorũ demũ quæcumq; à die, qua ſacris vndis ablutus,ad illã vſq; horã perpetrauit,veniã ſuppliciter petere:& orationes fidelium,nè in vltimo vitę inimicus humani generis aduerſum ſe pręualeat, flagitare. Adiũxit,illũ & verſiculum recitare:*Ipſa te cogat pietas,vt mala noſtra ſuperes,parcendo,& voti compotes,nos tuo vultu ſaties.* Poſteà diuinã hoſtiã ſũpſit, ac recitare vſq; ad ſeptimum verſiculum,illũ hymnum,*Gloria, laus & honor,ſit tibi Chriſte Redemptor*,perſeuerauit ſocijs pari deuotione Sacramentũ ſumentibus.Hos ille vltimo admonuit,nè quæ corde gerebant,foras exprimerẽt,cũ eſſent morituri.Cogitauerant enim ad populum verba facere, alteq; ſe innocentem mori dicere propoſuerat,alter,qui ſenior erat Dominicus, etiam ſe viuũ flãmis dari nõ recuſare,certiores fieri cupiebat ſpectatores,tãtũ abeſſe,vt mortẽ perhorreſceret. Prohibuit iſtud Hieronym⁹,Chriſti Saluatoris exẽplo,q tametſi ſupra q̃ dici poteſt iñocentiſſimus eſſet,noluit tamen huiuſmodi quidq̃ pferre: ſed tamq̃ agnus ad *victimã ductus eſt,& coram tondente non aperuit os ſuũ*.Agnouerunt illi pferuidũ errorẽ,& abſtinuere.Agnouit & Iacobus peculiare munus Hieronymo collatũ, vt arcana cordis humani perſpiceret: quod verbis ipſius narrauit Iacobus Nardus Vincentio Scæuolæ, Epiſcopo Hieropolis,qui Ioanni Franciſco Pico prior id negotij patefecit. Vidit idẽ ille Iacobus Nicolinus, nocte antecedẽte omniũ triũ vinctorũ,iãq; morti adiudicatorũ vultus,ſplẽdorẽ quendã inſolitũ emittere,& nocturnas in cubiculo tenebras diſſipare.Appropinquãte demũ hora ſupplicij,cũ ab apparitorib⁹ ad locũ deſtinatũ,ſinguli inter duos Cõfortatores,pcedẽre cũ vnoquoq;,Monacho Benedictino:ſed tñ nõ vincti,neque laqueis colla innexi ducerẽtur,Sebaſtianus Bonſepius,Prior ad Sãctæ Mariæ Nouellæ,iuſſu Turriani Generalis habitũ Religionis,ſcapulare dictũ,ab Hieronymo poſtulauit:q cũ is aliquotiès deoſculat⁹,flẽs obteſtaret,illũ ſe deſideraſſe cupide; & immaculatũ cuſtodiuiſſe,tãdẽ inuit⁹ reſtituit.Satellites,q ducebãt, exiſtimãtes p habitũ,etiã veſtes exteriores intelligi,reliquis inſup illos ſpoliarunt, & tantùmodò in ſubuculis laneis reliquerũt.Ducti primò in eminẽs ſuggeſtum,vbi altari poſito duo Commiſſarij Romani Benedictus Pagagnotus Epiſcopus Vaſionenſis, quatuor Canonici, & nonnulli ex Clero Baſilicæ Maioris expectabant,obuiũ habuerunt quendã Sacerdotẽ Nerottũ nomine,qui cupid⁹ Hieronymi fortitudinis cõſtantiæq; explorãdę,ipſum interrogauit: Aequonè animo mortẽ imminentem, Chriſti amore tolerares? Cũ ille & voce, & vultu mitũ ſupplicijs deſiderium præferens reſpondit:Nõne propter eum emoriar libentiſſimè,qui eo quod mè hominem peccatis infectum amore cõplectebatur, voluit innocẽtiſſimè mori? Nõnè ego animã hanc eius gratia libenter effundã, qui nec milleſimam eorũ,quæ p me fecit, & pertulit partẽ,referre vnquã poſſim?& in ipſis verbis vultu renidenti,Crucifixi ſignum q deferebat,oſculatus eſt. Interpellauit paulò pòſt Nerottus;An ſuo in diſceſſu quidquam Sectatoribus relinqueret.Reſpondit, aliquãdiu tñ cunctatus:magna eos viſuros eſſe. Cui iterũ illi:Qualianam Pater? Veſtris,*inquit*,animabus conſuletur.Hunc ipſum Nerottum,& Dominicus quoq; ad ſe vocauit,iure amicitiæ,quam pridem inter eos litterarũ ſtudia cõciliauerant, eumq; in hunc modum eſt allocutus: Scias velim Nerotte innocentem me moriturũ:& p certo habeas,futurũ eſſe id, q à Hieronymo prædictũ eſt:quibus verbis Nerottus offenſus,cũ interpoſuiſſet:Caue,*inquit*,nè falſis promiſſis decipiaris:Dominicus,futura omninò,etiã atq; etiã affirmauit,quæ Hieronymus præcinuiſſet. Tũ Syluester, qui futuræ mortis horrore tremebundus,omniũ ad id vſque temporis timidiſſimus fuerat,diuino quodã quaſi æſtro percitus,inflammatuſq; adeò faciẽ,vt quodãmodò radios emittere videretur,ad Hieronymũ cõuerſus, Adueniſſe tempus,dixit,quo bono eſſe animo deberent,modò fortes permanerent,& eã,q̃ mox erãt ſubituri mortẽ,alacriter,animoſèq; perferrẽt.Ad quẽ Hieronymus,ſic faciendũ cẽſuit:eũmq; & Dominicũ ſimiliter adhortatus,eadẽ in ſententia perſeuerarent, pauorẽ omnẽ ex animo procul abigerent, curas vniuerſas pellerẽt;proq; certiſſimo haberẽt,cælũ ſe quã citiùs adepturos,vbi illud Dauidicũ canerẽt;*Ecce quàm bonũ,& quã iucundũ habitare fratres in vnũ.*His inter ſe dictis,tãdẽ eò peruenerũt,vbi Pagagnotus cũ reliquis Collegis ſedebat,vt morituros exauthoraret. Ritus is apud Eccleſiaſticos degradatio nuncupat⁹.Ibi iuſſu Romulini,aliquis eius familiaris gradũ altiorẽ conſcendens proclamauit:eos,q falſi prophetæ, ſchiſmatici, & hæretici eſſent Ordine Sacerdotali,& Clericali depellẽdos.Inde Sacerdotalib⁹ illos veſtibus induerũt, mox ſpoliarunt,& cætera peregerunt, q̃ fieri cũ ipſo ritu cõſueuerunt.At cũ ad illud eſſet deuentũ,vt eos è manu mitteret,apprehenſa Hieronymi dextera,dimiſſaq; Antiſtes dixerat,*Separo te ab Eccleſia Triũphante:* Cui Hieron.*Militãte nõ triũphante:neq; enim id potes.*Põtifex Alexander Pagagnoto, pænã priuationis Epiſcopatus ppoſuerat,niſi Hieronymũ ex autoraret.Lecta deinde à Cõmiſſarijs in eos ſentẽtia: q̃ nihil aliud in ſubſtãtia cõtinebat,q̃ quòd ppter hęreſim dãnati,brachio ſeculari traderent.De alijs falsò impoſitis criminibus,nulla facta eſt mentio in decreto.Aderant,qui morituros ad perferedã libenti animo necem hortarẽtur,ijdẽq; etiã cibo, potuq; defeſſos eorũ corporis ſpiritus excitare ſatagebant:ex quibus cuipiã bellaria pcuranti Hieronymus ait:Quid opus eſt iſtis,de præſenti vita iam iam emigranti? Alteri item, qui inter confertam adhortantium multitudinem,vocem in eius laudes extulerat,reſpondit, humanis laudibus, & gloria peccatorem non egere. Antequàm verò ab eo tribunali ducerentur, Romulinus ad eos conuerſus renunciauit:Alexandrum Pontificem illis plenariam Indulgentiam impartiri,eiſque baptiſmali Innocentiæ reſtituendis pænas purgatorij remittere: quam illi gratiam capitis inclinatione gratam ſibi oſtendere. Hinc ad aliud Tribunal à Præfecto ſatellitum adducti,Octo virum, & Iudicum deputatorum ſententiam in eos prolatam audierunt, his verbis conceptam.

*Ducendi ad ſupplicium ſcapulari priuantur.*

*Per Epiſcopũ Pagagnotũ exautorantur.*

*Vexillifer iuſtitiæ,& Octo viri Reipublicæ Florẽtinæ,oẽs,excepto vno Frãciſco Cyno,in Curia cõgregati,viſis pceſſibus,& cõfeſſionibus Hieronymi de Ferraria,Syluestri Florẽtini,Dominici Piſcienſis,Fratrũ Ordinis Prædicatorũ Cœnobij S.Marci Florentiæ: diligenterq; examinatis,& perpenſis flagitijs nefandis in eiſdem contentis.Viſa etiam,& conſiderata illorum degradatione.facta*

ab Epiſcopo,

*ab Epiſcopo, in præſentia vniuerſi populi, ac Magiſtri, Generalis Ordinis Prædicatorum, nec non Commiſſarij Apoſtolici, ab Alexandro Pontifice miſſi. Viſa prætereà ab iiſdem Commiſſariis lata in eos ſententia, & vigore reſcripti Pontificij conſignatione eorumdem in manus brachii ſecularis ad effectum illos puniendi, & iuſtitiæ adminiſtrandæ; nè remaneant peccata ſine pæna, neque illi impuniti, ſententiamus, & pronunciamus, vt vnuſquiſque eorum in patibulo ſuſpendatur, & corpora eorum ibidem publicè in platea Magnificorum Dominorum comburantur, vt animæ à corporibus omninò ſeparentur. Lata iſta ſententia in ſuggeſtu publico Dominorum, præſentibus teſtibus Franciſco de Baronis, Dominico de Morello, ciuibus & Notariis Florentinis. Ego Ludouicus Minchis Notarius de Octorum officio fui rogatus, &c. die XXIII Maij. MCCCCXCVIII in vigilia Aſcenſionis Dominicæ.*

Eam ſentẽtiam, cùm illi alacres audijſſent, tamquã ad ſolenne aliquod epulũ inuitati, præ lætitia geſtiebant. Aduerſarijs, id quicquid interceſſerat temporis, pro mille annis computabatur: tantumq; deſiderium fuit illos enecatos, exuſtoſque vidẽdi, vt quatuor homines ſupranumerarios carnifici addiderint, qui neceſſaria ad ſupplicium præpararent. Compulerant & amicos, & ſectatores Hieronymi, ad ligna ferenda, & crucem erigendam, aliaque comportanda. Erectum fuit in medio foro, altitudine æquali cum eo, ꝗ Octo viri inſederant, ſuggeſtum; in quo ſtrues lignorum ſarmentis, ſtramentiſque inſtrata, puluere tormentario aſperſa, ac ſebo, adipe, oleo, piceque perfuſa aſſurgebat. ex eius medio eminebat trabs viginti cubitos altior, tranſuerſali ligno in modum crucis ſummo in faſtigio deformata. pendebant hinc inde, & in medio ſinguli capiſtri, totidemque catenæ, & collaria ferrea mactandis illis præparata. Cum illi à carnificibus ducerentur, Monachus is, à quo Hieronymus Sacramẽtum pænitentiæ ſuſceperat, voluit percontari; Nũ cuperet aliquid extremo in diſceſſu proloqui, aut admonere: Cui nihil ſibi reliqui eſſe ait, hoc excepto, vt Deũ pro morituro rogaret, & ſuæ doctrinæ auditores præmoneret, ne propter mortem, quam tunc eſſet ſubiturus, offendiculum aliquod ſibi ipſis generarent: tum verò vt miniſtri carnificis, ſubuculam circumfluentẽ pedibus illius circumligarent, ne pendulus verecundiora oſtenderet. Dominicus verò hymnum, *Te Deum laudamus*, ad pedẽ crucis etiã concinere voluit, ſed prohibit⁹ à Sodalibus Mortis fuit, dicẽtibus, id ſi faceret, plurimi in fruſtra conciderentur, à ſeditione imminẽte. Tandem voce ſubmiſsiore, verſiculum alterum illis recitantibus illum ipſum hymnum conrecitauit, id enixè flagitans, nè falleret. F. Sylueſter primas ſcalas conſcendit, cui verſiculum *In manus tuas*, altiore voce recitanti carnifex laqueũ collo impoſuit, & ad alterũ crucis brachium ſuſpendit, collari ferreo mox indito. Secutus Dominicus, ex altero crucis brachio pependit: vltimò Hieronymus, iam in ſupremo ſcalæ faſtigio, oculis in ſubiectã populi multitudinẽ conuerſis, quaſi ingratitudinem populi Florentini deteſtabũdus, in medio crucis appenſus fuit, poſtquam Symbolũ Apoſtolorũ recitaſſet. Properabat carnifex collare illi induere, vt anteꝗ expiraret, flammas, quas excitare quãtociùs volebat, perſentiret. Cæterùm illud à cruce in cataſtã decidit; ꝙ antequã truculentus inuenire poſſet, ſpatium expirandi Hieronymo fecit. Tãta fuit vulgi mutabilis eo momẽto immanitas, nemo, vt cõſueto more IESV nomẽ moriẽtib. cõclamarit. Exortus indè vehemẽs vẽtus, ſiue procella, flãmas exurgentes ferè diſsiparat, ita vt aliquãto tẽporis interuallo cataſta incendiũ minimè cõceperit: adeoq; populi obſtupefacti miraculũ proclamarint; alij perterriti fugã arripuerint; donec intẽperie abeũte, ſubijciẽtibus funalia accẽſa alijs, rogus flammã conceperit, eorũq; cadauera vſtularit. Viſa eſt inter flãmas ardẽtes dextera Hieronymi eleuatis duobus digitis ad eũ modũ diſpoſita, quaſi Florentino populo benedictionẽ impartiret. Eam manũ, cum pueri quidã inſolentes ſaxis in ſemicrematos proiectis detruncaſſent, aliquis puer, nõ inſcius, matrẽ ſuã, Hieronymũ viuẽtem impenſius coluiſſe, eidẽ detulit, atq; illa pro magno theſauro domi repoſuit: donec maritus Hieronymo aduerſarius re intellecta illam corripuit, & in cloacã furijs correptus proiecit: quam tamen eadem pia mulier cõmunicato cum quadam vicina ſecreto perquiſiuit, & repertam, data aliqua parte conquirenti, diligentius aſſeruauit. Alter puerorum, reliquũ eiuſdem brachij decuſſum matri ſuæ ægrotãti deportauit, ſubſecuto paulo poſt miraculo. Aliquis ex nobilitate, parte cranij itidem ab inſolentibus decuſſam, aliud quas agens è terra ſuſtulit, & religioſo pro cymelio domi retinuit. Nõnullæ matronæ, habitu famularum diſſimulato, ad locũ ſupplicij accurrentes, cinerum nonnullam partem prætextu, quaſi oſſium, in præterfluentem Arnum proijcerentur. Dum carrucca veherẽtur, aliquis puer vnũ ex oſſibus ſurripuit, quod poſtea miraculis illuſtratum fuit. Quidam etiam ex aduerſarijs alterũ inde ſuſtulit, & per ludibrium in officinam cuiuſdam ex Hieronymi deuotis iniecit, dicens, & ſubſannans. *Ecce vnum os ex veſtris Marcianis.* quod ille tamen magna veneratione collegit, & ſerico inuolutũ inter pretioſiora quæque repoſuit. Biduò pòſt ſupplicium, dum molendino in Arni ripa ſito puer quidam inſiſteret, ferri per fluuium perſpexit pilam quandam quaſi orbicularem punicem vſtulatam, actutumq; ab ijs, qui aderant, magna ſubſannatione acclamatum eſt, Hieronymi cor illud eſſe. His puer, à patre perſecutiones timente præmonitus, conſentiebat verbis, mente aduerſabatur; & hac diſſimulatione quaſi clypeo tutus, cor de Arnifluentis clam ſublatum ſinu repoſuit, & ad genetricem detulit; quod poſtea Hieronymi cor eſſe, quemadmodũ impij illi neſcientes acclamauerãt, miraculis multis proditum eſt. Huius cordis (verba ſunt Ioannis Franciſci Pici de ſeipſo) diuino dono, & amicorum charitate, ac diligentia, ab eadem muliere obtinuimus partem chariorem vtiq; nobis, & gẽmis, & auro, propter viri amicitiam coniunctiſſimi, eiuſdemque Prophetæ, & Martyris memoriam. Sed habuimus longè chariſſimam, gratiſſimamque, poſtquam ad eius præſentiam depulſos morbos, & torta diuinitus, fugataq; dæmonia cognouimus. Partẽ alteram eiuſdem cordis rapuit Philippus Latini, alterã Hieronymus Beniuenius; nonnihil Frater Zenobius à Sancto Caſſiano; reliquum miſſum fuit Ferrariam. Subuculam laneam vnam Antonius quidam ciuis retinuit; alteram ſanctimoniales S. Catharinæ; pallium Franciſcus Dauanzati: cingulum aliquis cuſtos Carcerum, quod poſtea inter amicos in quatuor partes diuiſum, parturientibus adiumento fuit. Vnum ex ſcapularibus Dominicus Beniuenius: à cuius contactu miracula perpetrata: collare Franciſcus Cæſaris Petrucij funes quibus ad torquendum ligabantur, Hieronymus Beniuenius: alij alia pro reliquijs ſeruata imaginem ad viuum effigiatã fere innumeri.

XXV. *Diuerſi de nece Hieronymi contendentiũ rumores.*

Defuncto ad eũ modũ Hieronymo cũ nocte inſequente plurimi ciues multã Romulino pecuniã, & in his vnus mille aureos, quibus poſteà galerum emiſſe dicit, detuliſſet. varius rumor in populo ſublatus eſt. Alij falſum eum, alij verum Prophetã aſſerebãt, multi ex amicis inimici facti, & ex inimicis, amici. Quæ mouebant inimicos præter calũnias criminũ vulgatas, quibus nemo ſanæ mẽtis vtebatur, hæc fortè habebantur: falſũ vi tormentorũ, plebẽ confictis vaticinijs ludificaſſe: veros aũt, & cælitùs miſſos Prophetas, multa quãuis tormenta perpeſſos, tandẽ prędicandi tenorẽ ad extremũ vſque ſeruaſſe ſpiritũ: debuiſſe irẽ eũ imminente ſupplicio, vbi iã cruciatus ceſſarẽt, vera iterũ proferre, quæ de futuris diuinitus didiciſſet. Ad hæc iubẽte Pont. Max. cui minimè obediſſet, neci adiudicatũ, nũcijs ad id officij deſtinatis, q in eũ velut in hæreticũ, & deſertorẽ animaduertendũ cõſtituiſſent.





Reponebant alij à multiplici ratione, & varijs experimentis de prædictionibus multò ante præceptis abundè edocti, illũ verum ꝓphetam fuiſſe. Cõſtabat enim, ipſum aliquãdo retuliſſe his, qui præmonebãt, cauendũ ſibi ab inſidijs, quæ Bononiæ parabantur, dũ ibi cõcionaretur, retuliſſe inquam, ſcire ſe Bononiæ minimè moriturum. Ac poſteà dùm eſſet Florentiæ, ſignificataq; ipſi fuiſſent nomina ciuiũ in eius cædem cõſpirantium, vti magna ſibi cura ꝓſpiceret, atq; diſcederet, reſpõſum dediſſe huiuſmodi; Pridem ſe pro veritate, quam prædicat, Florẽtiæ interficiendum nõ ignoraſſe: nõ tamen aut à quibus, aut quo tempore reſciuiſſe; quare ſe non eſſe diſceſſurum, ſed paratum mortẽ ſubire, cùm tempus aduenisſet. eſſe autem has cõſtantiũ, & verorum Prophetarum partes, pro Deo proq; veritate libenter oppetere, nõ recuſare mortẽ: ꝗ maximè formidant illi, qui mundanis illecebris, & voluptatibus abutuntur. Ad hæc eum affirmauiſſe, etiam inter cruciatus poſitum, miſſum ſe diuino iuſſu ad proximam Chriſtiano orbi cladem prænunciandã: neq; falſum eum vnꝗ, aut Chriſtianum populũ, aut Florentinã plebẽ feſelliſſe. fidem hac de re teſtes ipſos ampliſſimam facere, qui libellis ipſis quæſtionum ſubſcripſiſſent, cùm inter ipſos non conſtaret, quænam verba Tabellioni percontanti reſpõdiſſet: quandoquidem eorum nonnulli contenderent, eius reſponſa in dictarum à ſe rerum cõfirmationem, potiùs quàm negationem debere intelligi. Addebãt, ſi ꝓ vero haberetur, ꝙ palàm ſpectatum, & à Monacho eo poſteà relatum, cui de more Chriſtiano confeſſus eſt, mortuum eum tam ſanctè, & Chriſtianè, vt ſãctiùs, Chriſtianiuſq; nihil poſſit excogitari: fieri nõ potuiſſe, vt publicè non retractaſſet, ſi aut ꝓpheriæ lumen, aut Angelica colloquia ſibi falsò adſcripſiſſet, quib⁹ tot populi, tot ꝓbati viri tãdiù fuiſſẽt ludificati, ſi ludificati. ſi quidẽ oportuiſſe inprimis tãdira abolere piacula, eoq; ab homicida magis, quò diuti⁹ cõmuniuſq; nocuiſſent: quando & falſi Prophetę etiam per legem Moſaycam populi manibus enecandi eſſent, vtpotè qui populum ipſum perſona Dei ſibi falsò adſcripta decepiſſent, Cæterùm neque libellos quæſtionem ſatisfuiſſe (vt nonnulli obblaterabant) ad fidem reuellendam: tum ꝙ confeſſio facta in tormentis non probaret: tum ꝙ ſuſpectum examen ipſum ſupra quàm dici poſſet, haberetur, cui homines Hieronymo infẽſiſſimi præfuiſſent: tum etiam quòd nõ eo quo reſponderat modo, id eſt ambiguè retractare neceſſe erat: ſed quo prædicauerat, & prædixerat tenore, hoc eſt propria voce, liberè, antè totius populi ora, clarè, & diſertè, ſi & eius populi, & ſuæ ſaluti conſulendum putaſſet. Nec tantùm voce, ſed & ſcriptis reluere dicta opportuiſſe, clareq;, & liberè fateri falsò, & contrà diuina, humanaque iura diuini nuncij perſonam, & Propheticum lumen ſibi arrogaſſe, vtroq; enim modò tàm ſæpe, ꝗ aſſeueranter, diuinas ſibi reuelationes, & miſſionem diuinitus adſcripſerat. Quamobrèm id piaculũ duplici hac quaſi victima expiandum fuerat, ſi fuiſſet ementitus: eò quòd numꝗ ſe, ea, quæ dixerat, recantaturum affirmaſſet, quin etiam aſſeruiſſet: id ſi fortè per tormenta cõtigiſſet, ſibi tñ fidem non habendam, ſed his, ꝗ publicè in Eccleſia dixiſſet, acquieſcẽdum eſſe. Quãobrèm ipſo in mortis articulo, quo tempore mentiri, niſi extremam in perniciem nequit, palinodiam canere par erat: alioquin morte ſua, quæ non retractaſſet, ea ſatis apertè videre cõfirmauiſſe. Addebant item meminiſſe oportere, Petrum Principem Apoſtolorum, cui caro, & ſanguis non reuelauerat, Chriſtum eſſe filium Dei, ad ancillæ vocem, non ad tormenta Chriſtum negauiſſe: quem ex teſtimonio paternæ vocis, & clariſſima gloria transfigurationis, vnicum eſſe Dei filiũ in monte cognouerat: Accedebat, ꝙ nec in expoſitione Pſalmi quinquageſimi, nec in eius, cuius principium eſt, *In te Domine ſperaui*, in vinculis peracta, vllum indicium inerat, ſe falſis vaticinijs quenꝗ feſelliſſe, aut diuini ꝓphetę perſonam falsò ſibi adſumpſiſſe: tantũ aberat, vt hæc ipſa, quæ cõmiſiſſe dicebat, particulatim detexerit. Quare nullo pacto acquieſcendũ eis, quæ à malignis accepta diuulgabãtur. Quòd ſi fortè veniã generatim peteret: id ſancti hominis, nõ falſi Prophetæ indiciũ foret: quoniã ſi dicimus, vt inquit Ioannes, *quòd peccatum non habemus, nos ipſos ſeducim⁹*: & *qui in lingua nõ peccat*, vt inquit Iacobus, *hic perfectus eſt vir.* Ad hæc fuiſſe in Prophetis priorib⁹ obſeruatum, Michæa, & Ezechiele, vt ꝑ ambigua verba interrogantium malitiam obtunderent, 3. Reg. 22. & Ezech. 14. Illud quoq; nouum, & inauditum, facinoroſorum Iudicum ſceleris adducebatur in medium, quærere tormentis à Propheta, An ſit legitimus, & verax: quãdoquidẽ examen Prophetę veridici docetur in Sacris litteris *Hierem.* 28. ex eis fieri, quòd impleantur, quæ prædicta ſunt. Quòd aũt attineret ad argumentum affirmationis rerum prædictarum, dum tormenta ceſſaſſent, exẽplo *Ieſu* Chriſti Domini noſtri facilè cõfutari dicebant: qui dum proximus eſſet ſubeundæ neci, ſe filium Dei veri, verum Deum, de Deo verò publicè apud populum nõ prædicauerit, ſed humillimè potius adeò ſemper locutus ſit, vt perfidis ſit viſum, de Patris illum ope ſubdubitaſſe. Sciebatur item permiſſum quandoq;, quanquã occulto iuſtiſſimo tamen Dei iudicio, vt eſt apud Euſebium *li. 5. c. 3. Eccl. hiſt.* Martyres ipſos in eis, quos deſudabant, agonibus defeciſſe, & ardẽtiùs poſt caſum ſurrexiſſe, quod & in Petri negatione cõtigerat: ſimile quiddam cõtigiſſe Hieronymo qui dicerent, non defuerunt. nec etiam defuit, qui Prophetarum exẽplo priorũ vſum eum exiſtimarit, nec veritatẽ eum aperuiſſe, dum teneretur in vinculis. Interrogatus enim, cur occultatione quadam veritatis, nõ autẽ negatione, maleuolorum Iudicum oculos non perſtringeret, nè ob affirmationem diutiùs torqueretur, reſpõdit: Rogaturum ſe Deum, vt quænam reddere verba opus eſſet, cælitus erudiretur: ac ardenter quidem & intrepidè Iudicibus propterea fortaſſis eum quãdoq; locutum. Monuiſſe quoq; in vinculis ipſis poſitum, vt Gedeonis hiſtoria à ſe prioribus annis expoſita ad memoriam reuocaretur, qua cuncta, quæ acta in eum, quæq; agi deberent prænunciata conſpicerentur. Ad id verò, quod de Summo Pontifice erat obiectum, ſtrenuè reſpondebant: Numquam Hieronymum obedire in his illi recuſaſſe, in quibus per Eccleſiæ Doctores parendum eſſe præſcriptum eſt: In Propheticis autem viſionibus euulgandis, Deo, ſicut in omnibus alijs antè omnia obtemperandum. Sic Hieremias, cui Phaſur, ſiue Phaſcor domus Domini Princeps infenſus erat ob minas, nihil veritus eſt, quę opus erant, prænunciare *c. 20.* atque ob id coniectus fuit in carcerem. Ad memoriam quoque reuocanda Diui Hieronymi verba, vigeſimum caput Hieremiæ exponentis, vbi inter alia ſcribit; Non eſſe mirum, ſi hodiè ſerui Dei occidantur à Phaſcore, mittanturque in carcerem, & horribili cuſtodia reſeruẽtur. dari. n. hanc poteſtatẽ Diabolo, vt Prophetarũ oſtẽdat fides: nec maiorẽ eſſe, qui cædit, ſed qui cæditur, fortiorẽ, patienterq; Prophetam ſuſcipere Iudicium, nec reclamare. Addebãt, quòd Hieronymus ſequi viſus eſt exemplum Chriſti, qui in Phariſæorum, & Sacerdotum vitia inuehebatur acerrimè: & eum, qui cæcus fuerat, ex eorum ſynagoga eiectum, ſuſcepit placidiſſimè: proinde quanto à flagitioſis Pontificibus, Sacerdotibuſq; vexaretur acerbiùs ob veritatem prædicatam, tantò haberetur Chriſto ſimilior, qui ab eis etiam morte atrociſſima fuerit dignus iudicatus. Nec illud non noſſe vulgus dicebatur, tàm veris flagitijs atque ſceleribus diffamatum Clerum præſertim aulę Romanæ, quam Hieronymum falſis, & fictis vatici-

nijs inſimulatum, cuius vita atq; doctrina, palàm & extrà omnem controuerſiam, in Iudices ab eo miſſos, illumq; ipſum crimen reijciebat. Defenſa enim ab eo voce, & ſcriptis fides Catholica, atq; etiã propagata ſemper fuerat, ſeq; palàm, & publicè correctioni S.R.E ſemper affirmauerat pariturum, quod tollit omnem hæreſeos maculam: quandoquidèm eius, qui talia promat, fides; ſit ipſius Eccleſiæ fides. Tria enim, in eo, qui ꝓpriè hæreticus ſit, cõcurrere oportere Sacri Theologi docuerunt: falſam in rationali animæ parte crudelitatem aduersùs articulos fidei, vel contra ea, quæ ab ipſis deducuntur: In concupiſcibili parte peruerſam voluntatem: nec hoc ſatis, ſed obſtinationis acceſſionem addidere. quæ omnia Hieronymus, verbis, ſcriptis, & factis deteſtabatur: tantũ abeſt, vt in eius doctrina reperirentur. Vindicandi præterea illius, atq; ab omni calumnia aſſerendi, Legum etiam Ciuilium, & Põtificiarum interpretibus data erat, nedum Theologis occaſio, ex ipſamet, quæ vulgò iactabatur, peruerſorum ſententia Iudicum. Eam quippè, quę iuſtè, ritèq; feratur, certiſſimum eſt, & prorsùs incontrouerſum, cõcluſionem eſſe debere actorum, quibus proceſſus nomen eſt factum: quæſtionum libelli nuncupantur, apud gnaros linguæ Latinæ. At in ipſis nihil omninò inuenitur, quod pertineat ad hæreſim aut ad Eccleſiæ deſertionem. Addebant, quòd qui exequi rem iudicatam Octo Viri mandauerunt, aliam ob cauſam, ab omni veritate, & ab ipſis quæſtionem libellis alienam, Miniſtris necandum tradiderũt. Addebant & iſtud, quòd nec articulos propoſuere, nec eos diſputationi ſubiecere, nec aliquid actum, quod vel ius ſcriptum, vel ꝓbatus Eccleſiæ vſus in deprehendendis, vel pœna afficiendis hæreticis antè preſcripſerit. Prætereà cui ſententiæ reluctatum eſt à Felino Epiſcopo Lucenſi, Iuris vtriuſq; doctiſſimo interprete, in Romano cauſarũ foro, Auditore celebratiſſimo, qui multis retulit, nec à ſe, nec ab omni Iudicum Romanorum cõſeſſu, qui Rotæ nomine appellatur, inuentum aliquid in libellis quæſtionum, ſiue ꝓceſſu rerum Hieronymi, ꝙ ad hæreſim, aut ſchiſma pertineret. Alij ad vitam & mores, doctrinam, & reuelationes Hieronymi penitùs aſpicientes, atq; ſingula expendentes, illum ab errore vindicabant, cùm nec Iudices, ſi quid in vita, ac moribus ipſius reprehẽſione dignũ inueniſſet, priuſquàm illi pænitentiæ, & Eucharistiæ Sacramẽtum publicè impertiretur, protuliſſent, aut emendaſſent: nec amici, & familiares, quibus eius vita notior, & exploratior, quàm hoſtibus fuit, aliquid ſceleris in eo vnquã deprehendiſſent, quinimò ab eius inculpata cõſuetudine illi magis obſtrictiores euaſiſſent. Doctrinã prætereà ab errore immunẽ eſſe ꝓnunciabant, in qua nulla dogmata Catholicis cõtraria notata ſint: ac omnia opera ipſius, magno in pretio eſſent, adeò vt etiã ab inimicis, & quærerẽtur, & laudarentur, & aduersùs quæ diligenti facto examine nihil vnquàm auſi ſunt, hiſcere, niſi fortè, aut in ſordidis, obſcuriſq; angulis, aut inter imperitos Theologiæ, & bonarum diſciplinarũ indoctos. Damnari prætereà illa opera nõ poſſe, quoniàm prædixerat, ea, quæ ſcripſerat, eatenùs voluiſſe aſſerta, quatenùs Eccleſiæ decretis haberentur minimè repugnantia: quantumuis expoſitiones Sacrę ſcripturæ, ad exemplum antiquiſſimorum, probatiſſimorumq; Theologorum compoſuiſſet. In reuelationibus, & prædictionibus, res ipſas Hieronymo adſtipulari, perfecta iam magna parte prædictionum: de his, quæ ſperarentur futura, iudicium, ad rerum exitus, non ad Iudicum ſubſellia referendum eſſe.

Ioannes Franciſcus Picus Hieronymum defendit.

Ioannes Franciſcus Picus, Comes Mirandulanus, hæc pro Hieronymo diſſerebat. Cùm enim Turrianum, Ferrariæ, Cõuẽtum Generalem Ordinis Prædicatorum habentem, de cauſa mortis Hieronymi interrogaſſet: atq; ille lapſum eũ in hæreſim, proptereà quòd excõmunicationes Põtificis non ſeruandas dixerat, reſpondiſſet, refutauit locum, negauitq; hoc ab eo ſimpliciter, abſolutèq; dictum eſſe, quod quidem ad fidem pertineret, cùm in vniuerſum Põtificiam tolleret poteſtatem: ſed de ſingulari duntaxat locutum Hieronymum, qua ipſe mulctatus fuerat: quã iniuſtam, & minimè ſeruandam dixerat, atq; docuerat: idq; nõ ad poteſtatẽ, ſed ad poteſtatis ptineret abuſum: quod cùm Turrianus audiuiſſet, cõticuit, nec verbum quidẽ ea de re amplius fecit; quanquàm hominem pluribus inuitauiſſet Picus, oſtendiſſetq;, poſſe Põtificẽ in his, quæ particularis facti ſunt, decipi, excõmunicationẽ ſup ſubreptitio, vel obreptitio, ob ſingulare aliquod factũ proferre: ex falsò allegatis, & vt, vt, probatis, ſententiam; quæ ipſo iure nõ ligaret, decernere: adeòq; illum, in quem prolata eſſet, ad obſequendum illo in caſu non teneri: præſertim rationibus innocentiæ ſuæ coràm eodem Põtifice, quoquomodo demõſtratis. Addebat; Pontificẽ cauſam legitimam Cõgregationis, ex Marciana, & Romana, ſeu Etruſca faciendæ nõ habuiſſe, allatã ab aduerſarijs coràm eodẽ, nõ ritè expenſam fuiſſe: cõtradictionẽ nullam ab Hieronymo, ſed duntaxat à trecẽtis circiter Fratribus factã, nè extraneis ab obſeruantia Regulari vniretur, fuiſſe: ac, ſi ipſe etiam Hieronymus cõtradixiſſet, hoc peccatum non omninò dignũ morte, eaq; ꝓpter nec excõmunicatione feriendũ, ꝑſertim cùm nõ pertinaciter ſuo in ſenſu hæreret, fuiſſet. Ad eam quæſtionem cùm Turrianꝰ obmutuiſſet, aliam ſubintulit cauſam, quòd Hieronymus ſatageret, vt indiceretur Cõcilium: ac ꝓ̃tereà aſſereret, Alexandrum Pontificẽ non eſſe Chriſtianum: idq; ſi ipſe, atq; oẽs negauiſſent, acta illius clamitare. Huic Mirandulanus reſpondit, iuſtũ, pium, ſalubre, & anterioribus Cõciliorum decretis conſentaneum eſſe Cõciliorum cõgregationẽ cõuocare: maximè ſi id morum reformatio, ꝑ̃ſertim in Eccleſiaſticis capitibus, & membris exigeret: præſertim verò, ſi herpes hæreſeos ab aliquo facillimè in populos deriuaret, vel poſſet deriuare. De Alexandro Pontifice, & ſi oẽs id negarent, acta Hieronymi clamitare. De hoc, ſi etiam aliquid ꝓnunciauiſſet, iſtud nihil ad crimen hęreſis impoſitum ſpectare: de eodem nullum examen ſuſceptum eſſe, nullamq; aut diſputationem inſtitutã, aut in ſententia mentionẽ factã: nullã confeſſionẽ ab Hieronymo expreſſam, nullũ teſtimoniũ legitimũ productũ, nulla argumenta aut indicia, quæ hæreſis ex eo fonte conuincerent, aut oſtenderent, & ea propter vel tanquàm innocenti, vel tamquã incendia immerenti, Sacramenta pænitentiæ, & Euchariſtię, quæ ſchiſmaticis, hæreticis, pertinacibus, confitentibus, & relapſis negari ſolent, illi, & ſocijs non negata. Quòd ſi hæreticis, conuictis, non confeſſis, pertinacibus, impænitentibus data: cur, & quomodo data? Ad hæc verba nihil omninò ampliùs Turrianus reſpondit.

Inuenti ſunt interim, qui cùm medij inter amicos, & inimicos videri vellent, vt Hieronymum fuiſſe hæreticum, & impium negabant, ſic à ſchiſmate prorsùs non eximebant; proptereà ꝙ fieri Cõcilium, quantum in ipſo erat, procuraſſet. Ad id alij reſpondebant: iſtud ad ſchiſma exactè non pertinere: quandoquidèm ille, nec ab vnitate Eccleſiæ ſe ſeparauiſſet; nec ab obedientia Alexandri Romani Pontificis abſolutè, ſed in caſu duntaxat tantũ expreſſo ſeſe ſubtraheret: neq; ad omnem Concilij euocationem amotio Pontificis ſequeretur: neq; quòd miniſtri Pontificij ſchiſma appellarent, ſi ad lubitum alicuius, non verò ad præſcriptum iuris, & moris appellarent, ſchiſma dici poſſet: præſertim ſi vnius cuiuſcũq; Iudicij, etiam Pontificij, comites eſſe debeant, Iuſtitia, & veritas: non verò affectus odij, vel amoris, à malis delatoribus, in animo diſpoſito excitati. Multa à ſuperioribus alijs, vel Principibus, vel adminiſtris perpetuò facta, quæ ad æquitatis libellã à conſequẽtibus reuocata, virgulã expun-





ctoriã pertulerint: nõ tàm vitio Pontificum, quàm illorum, qui per falſas ſuggeſtiones odio, vel amori ſuo indulgere voluiſſent: adeòq; nõ illos ſchiſmatis reos fuiſſe, qui vel ſub iniqua ſententia ſuſpiraſſent, vel etiam, ſi opus videbant alicui inſanabili carcinomati œcumenica Congregatione ad illam aſpiraſſent, vel illam ſiue præoptaſſent, ſiue procuraſſent. Alia addebant, quæ hic inſerere non eſt opus.

Alij porrò diſputabant: An ſupremus Põtifex potuerit, noua præcepta imponere, quibus detractum Chriſtianæ religionis videretur, officijs: nimirum in deſerendis Cõcionibus, quibus inprimis fides Chriſtiana cõfirmabatur, deindè caſti mores formabantur, pax inter Ciues conciliabatur, Chriſtianaque libertas florebat: maximè cum Chriſtus diſcipulos præmonuerit, nè Scribas, & Phariſęos imitarẽtur, qui onera grauia, & importabilia alligarent. Ab alijs, quibus liberior aliquantulùm mens fuiſſet, & ob ea, quę ſinceriùs intellexerant alacrior, atq; ſecurior, authoritas Iudicum deſiderabatur: nõ ſibi admodùm cõſtare, reputãtibus ſecum, quam ob cauſam ferre ſententiam potuiſſent, ꝓpter eos ipſos Iudices, alioqui nullæ, vel modicæ æſtimationis, & parùm etiam peritos litterarum, ac legum. quò fiebat, vt ſi etiam tãquam hæreticũ damnaſſent, minoris tñ eorum eſſe authoritatem, quàm vt eis credi oporteret. Neq; enim Turrianum in præclarorum virorum numero fuiſſe à doctis habitum: Franciſcum autem Romulinum ignotum anteà, indeq; ſibi nomen feciſſe, inſtar illius qui phanum Dianæ Epheſiæ combuſſiſſet. Idem ille ipſe Picus referebat, ſe ab Antonio Pico patruo ſuo, dum viueret, audiuiſſe, illum verò à Romulini ore id habuiſſe, qui dixerit Romulinum ſecũ indoluiſſe, ꝙ Alexandrum Põtificem expertus eſſet ingratum in ſe, qui tanta molitus fuiſſet, vt Hieronymus inter mortales eſſe deſineret. Addebat: Romulinum hinc pòſt Antonij patrui mortem, galeri rubei honore donatum, interrogatumq;, Cur Hieronymꝰ eſſet occiſus, reſpõdiſſe percepi: nõ quia mereretur, ſed quia id Florentinis placuiſſet, neq; diſplicuiſſet, Põtifici. Fuere, qui Põtificẽ nõ fuiſſe in cauſa, ipsũq; dicebant negaſſe Alexandrum, ſe necis Hieronymi, & ſociorum autorem fuiſſe: & aliquibus ſuper hoc quærentibus, ad illud Euangelicum alluſiſſe dicens; *Gens veſtra, & Pontifices veſtri tradiderunt mihi*; Sic vt in Florentinos apertè cauſam reiecerit. & pòſt obitum Hieronymi, de vita eiuſdem, præſertim de doctrina, & caſtitate interrogatus, tale, vt fertur, reſpõſum dederit, vt innueret, ſe libenter eum inter cælites relaturum. Sanè, Vincentius Bandellus anno 1501. quo Magiſtratum Ord. Præd. iniuit, Alexandrum de Sauonarola mentione facta, ſuſpiria, immo ex pectore ducentem vidit, & dicentem aliquando audiuit: ſibi ꝑ falſas informationes impoſitum fuiſſe. Romulinus ille ipſe, dùm ad proximam ſupremæ dignitatem euectus fuiſſet, duobus ex diſcipulis Hieronymi teſtatus eſt, Alexandro, ſe gratam rẽ facturum exiſtimauiſſe, in decernenda morte probo, & innocenti viro: qui pòſt mortem in aſſumpto corpore, ſe reprehenderit, & caſtigauerit: ꝙ idipſum, & Epiſcopus, qui moriturũ exautorauit, ſibi cõtigiſſe plerisq; retulit. Alij in Põtificẽ, ſed malis vexatum, & delationibus, & cõſilijs cauſam referebant, minùs tñ eius edictum fuiſſe timẽdũ affirmabãt, etiã ſi Hieronymꝰ, ꝙ imputabatur, ſcripſiſſet ad Principes Chriſtianos, ꝓbaturum ſe rationibus, & ſignis, Alexandrum, qui ꝓ Põtifice colebatur, nõ eſſe Chriſtianum, nec Deũ credere, nedum vereri. Nã delatum fuerat, cõfeſſum eum nõnullis amicis, ꝑ quos id poſteà diuulgatum eſt, ſe antè eam diẽ S. Petri, qua trabe de tecto ictus eſt Romæ, nullum Deum credidiſſe. Itẽ diffamatum ferè toto orbe Chriſtiano fuerat, illum malo animo, multis ſceleribus inquinatum, peſſimè in Religione habitũ, Põtificiã dignitatẽ quaſi emiſſe: nõ vti legibꝰ Eccleſię, nec vti bonorũ cõſilijs perſuaſũ ſe gerere: vẽdita ſub eius haſta Sacerdotia: diſtractos in filiæ nuptias theſauros: Eccleſiæ ditiones diſtractas: crudelitatẽ, & habẽdi cupiditatẽ regnare: nec aliquod verũ ſignũ boni paſtoris in eo eminere: quæ etiã ſi ꝓ veris nõ apud oẽs traherent, licuiſſe tñ Hieronymo, ad arguẽda flagitia diuinitùs miſſo, vel adacto, ob crebros rumores, ob diuturnã famam, ob eos auſus, quos Reges Chriſtiani in reprehẽdendo Alexãdro, priuatim, & publicè exercebant, Cõcilij mentionẽ inijcere, eaque tã exactè diuulgata, vel ad correctionis tribunal reuocare, vel ꝓ cõcionibꝰ, ſi nullum aliud remediũ, arguere: ab exẽplo Saluatoris, qui Põtifices, Sacerdotes, Leuitas, Scribas, & Phariſæos nõ tantũ corripiebat, verùm etiã diuerſis epithetis ſignabat: ac ꝓ̃tereà à documẽtis Theologorum, & Iuriſperitorum: nec nõ vſu olim recepto Eccleſiæ, ac ꝑ̃ſertim à Cõſtantieñ decreto, quo reformatio Capitis, & mẽbrorum ſanciebatur. Addebant, nullã hæreſim incurriſſe, nullumq; ſchiſma ꝓcuraſſe, ſi in ſe reciperet, ꝓbare id, ꝙ euulgaſſet: cùm id ad quæſtionẽ facti, nõ ad dogmata ptineret: neq; ſemper in Cõcilijs abrogatio Põtificis ſequeretur. Nihil mirum, ſi Alexander à malignãtibus ꝑ hæc ſollicitatꝰ, ſententiã cõtrà ius, & fas, protulerit: quandò & Chriſtus ob Caiphæ inuidiam, duobus falſis teſtibus oppreſſus, adiudicatus eſt morti, ſuffragantibꝰ Phariſęis, ſcribis, ſenioribus populi, ac Sacerdotibꝰ, quorũ flagitia caſtigabat: quẽadmodum Hieronymus cum ſocijs, ab Alexandro, incitantibus, & approbantibus Religioſis hypocritis, & quomodò Bonifacius VIII. Iacoponum ex Minorum Ordine, virum ſanctiſſimum, ob id, quòd in eius crimina inuehebatur, in carcere afflixerat: & antè hos Herodes Rex, nõ ferẽs corripientẽ in porta Ioannem Baptiſtã iugulari præceperat. Illud etiã aliquos ad patrocinium famæ Hieronymi vrgebat impenſiùs, quòd antè multos annos mortẽ ſuam ꝓ̃dixiſſet. Anno ſiquidẽ 1490. iſta in Sancti Laurentij pro cõcione palàm dixit. *Cogitate; quanta, & qualis erit perſecutio, quandò verus Prædicator tradetur in manus illorum? Quis vnquàm credet? quando excommunicabitur, & per vim comprehendetur, quandò Minoritæ per aſtutiam, & fucatam doctrinam, perq; aſſimulatam ſanctitatẽ ſeducent quàmplurimos, O quantum neceſſe tunc erit illuminari à Deo?* & in alia Cõcione ad Magiſtratum in Curia: *Hanc ſolennitatẽ Florentia mente recõdito. Tu irã Dei cõtra te prouocabis: quia veniet tẽpus, quandò accuſabuntur hi, qui innocentes: & tu per acerbitatẽ tormentorũ conaberis ab eis cõfeſſionẽ eorũ, quæ nunquã admiſerunt, extorquere: & punies, nulli culpæ affines: & ſic furorem diuinũ aduersùm te concitabis: cum nulla alia re magis, quàm morte innocentum irritatur Deus.* Sexennio quoq; priuſquã moreretur, ab eo hoc ipſum audiuiſſe teſtabantur; Ituros miniſtros ad Sanctuarium Dei, indeq; fractis foribus igne, & bipenne, iuſtos homines capturos; quos vbi celebri vrbis loco enecaſſent, quod eorum aut ignis vrere, aut ventus rapere non poſſet, aquis merſuros: & huius rei chirographum apud diſcipulos inueniri, aſſeruari apud nonnullos ſchedulas, quas ille viuens tradiderat, eo ſuperſtite nõ aperiendas, in eiſq; contineri, futurum eſſe, vt ille cum ſocijs per ignem, & aquam tranſirent, vt eorum poſteà mors teſtata eſt. Poſt eius quoque mortem cõpertũ eſt in eius epiſthographis, ipſum memoriæ mandaſſe notis quibuſdã occultis, & quæ nõ facilè perlectæ ſunt ab his, qui eo familariter ſolebant vti, vt pòſt ſeptennium non ſolus cõbureretur; quin etiã memoriæ ſuccurrebat ſectatoribus, hortatum eſſe ſæpiùs illos, vt contradictionibus, perſecutionibuſque minimè cederẽt, etiãſi campanã, ex Sancti Marci turri in Montem ferrei viderent: quæ poſtquã mortuo illo de turre ipſa ablata, in montem eſt ad Minoritarum cęnobium translata, nihil erat reliqui, quod

ad confirmãdos eorũ animos cõduceret: eo ampliùs, quod hæreret memoriæ, ſeptennium ante dixiſſe, ſcripſiſſeq; illum, (ꝙ poſteà Hieronymus Beniuenius, qui ſcripturã Hieronymi retinebat Clementi VIII. ſcripſit) magnam futurã cladẽ, verumq; futurorum præconem in manus hoſtiũ tradendum, anathemate feriendum; improborũ poteſtate capiẽdum, & eorũ aſtu infirmorum animos decipiẽdos. Iſtud quoq; memorabant, quod vnò quodam die longè ante, in cubiculo Hieronymi orantibus vnà cum illo Dominico Piſcienſi, & Syluestro Marruffo. Angelus apparuerit, eiſq;, poſtquã illos funibus, catenis, & flãmis circumdederat, diſparens, mortis genus iudicauerit, inter cantũ verſiculi illius: *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum*, quem verſiculum illi poſtea ſæpius concinebãt, ſecuri necis, per laqueum, & ignem inferendæ. Ab hac apparitione poſtmodũ Dominicus Piſcienſis, quadã die in clauſtro, orationi intẽtus, in maceriei cuiuſdam cõcauo tres Fratres ſuſpenſos depinxerat, & F. Hieronymo Bartolo ſuperueniente, manu occulerat: ac tandẽ diligẽtius, quid eſſet, ꝙ tegeret, ꝑcontanti, aperuerat, denuncians ea morte illũ, & Hieronymum, & Syluestrum non multò poſt morituros. Non parui aũt apud eos momẽti illud etiã erat, quòd Dominicus Piſciẽſis referebat: qui vt recti ſemper, ſinceriq; animi, ità veritatis cupidiſſimi cenſebatur, ſeſe obſeruaſſe diligentiſſimè Hieronymum denunciauerat, an aberraret ab ea, quã ſe calcare profitebatur via; ꝙ ſi deprehendiſſet, acturũ ſe palã facturũ omnibus affirmaret. Tanta aũt illum fulgere ſanctitate cõpererat Dominicus, vt tria in hoc mundo ſe habere ꝑ omnibus chariora reſpõderet, & Pico Mirãdulano, & alijs quandoque diceret, Altaris Sacramentum, vtrumque teſtamentum, & Ferrarienſem Hieronymum. Ea verò fuerat Dominici fides, & integritas, vt magno eſſet terrore malignis ſpiritibus, adeò, vt dum vinculis, & carcere teneretur, Dæmoni ꝑ Syngrapham præceperit, vt decennium abſtineret à vexanda quadã fœmina, quàm enixè torquebat: cui mandato cum dæmon paruiſſet, exactoq; decennio moleſtus iterùm eſſe cæpiſſet, extra controuerſiam dedit, intelligi, quãtum & fides, & merita Dominici valuiſſent. Multa etiam alia ſigna diuinitus contigiſſe, fide, meritiſq; Dominici pleriſque fuerat in vrbe Florentina notiſsimũ, eiuſq; miniſterio Robertum Saluiatum ſanatum, Antonius Beniuenius Medicus in libro de abditis morborũ & ſanationũ cauſis c. 9. memoriæ prodidit, apertiuſq; Pico Mirãdulano Robertus ipſe retulit modũ, quo mirari magis hominis ſanctitatẽ daretur, cũ modũ ſanitatis expreſſerat. Sed & idẽ Medicus c. 45. aliud miraculũ eiuſdẽ Dominici memorabat. Vnde ab eius autoritate argumentũ illi ſumebãt, mortẽ ignominioſã fuiſſe ab Hieronymo, ex Angeli ſcilicet annũciatione, ſeu reuelatione præcognitã. Addebant præterea, illud ꝙ anno 1495. exponens Propheciã Amos, ſer. 25. dixerat. Propoſuerat illa verba ex 7. ca. eiuſdẽ Prophetæ. *Miſit Amaſias Sacerdos Bethel, ad Ieroboam Regẽ Iſrael dicens: Rebellauit contra te Amos in medio domus Iſrael: non poterit terra ſuſtinere vniuerſos ſermones eius. Hæc enim dicit Amos: In gladio morietur Ierobeã, & Iſrael captiuus migrabit de terra ſua. & dixit Amaſias ad Amos: Qui vides, gradere, fuge in terrã Iuda, & comede ibi panẽ, & prophetabis ibi, & in Bethel nõ adijcies vltrà, vt prophetes, quia ſanctificatio Regis eſt, & domus Regni eſt.* Eam hiſtoriam cùm narrauiſſet, adiunxiſſetq; Prophetã poſt multã perſecutionem fuiſſe vecte cõfixum, addiderat, nè mirarentur, neue ſcandalizarentur, ſi viſuri eſſent calamitates eius: hunc eſſe exitum prophetarum: eum eſſe ſibi propoſitum, & optatũ finẽ pro veritate occidi. Starent cõſtantes in fide & veritate: peccata ſua illi adſcriberẽt; mortẽ deniq; ignominioſã, q̃ illaturi eſſent, illi accelerarẽt; ſe non aliud dicturum, quã, *Popule meus! quid feci tibi*: Exponẽs ꝑtereà viſiones Apocalypſis, cùm ad equum pallidũ veniſſet,

Dominici Piſcienſ. fides & integritas.

eamq; viſionẽ in æs incidi iuſſiſſet, ac ſculptor diligẽter ſatisfeciſſet, interrogatus Hieronymus, num aliquid aliud inſculpi vellet, nihil aliud q̃ tres Fratres patibulo affixos deſiderari reſpondit; ſculptor verò, ſtylo graphiario mox incidit, vnde plures poſteà imagines excuſſæ fuere. Memorabant & iſtud, ꝙ Hierõ. die 3. Decẽb. anno 1491. aſpexerat: apparuiſſe illi Chriſtũ, ex Virgine inter duo animalia naſcentẽ, Angelũ cuſtodẽ, Sanctos Dominicum, & Thomã Aquinatẽ, qui illi genus mortis, q̃ cum ſocijs ſubiturus erat, prænunciaſſent: cuius rei mentionẽ in libro Bibliorum, quo vtebatur, ſtatim deſcripſiſſet; vt apparebat in codice, quẽ Hieronymus Gondius, ciuis Florentinus ſeruauerat.

Quod verò obijceretur, de vſu Sacræ Scripturæ, q̃ ꝑ diuerſitate perſonarum, & flagitiorum, vel viſis, vel dictis applicabat; inde magis & innocentiã, & ſanctitatẽ ipſius elucere affirmabant, eò ꝙ is diuina ſcripta, Catholicorum Doctorum more exponeret. Nã dum ab idolorum cultorib. oppugnabatur Eccleſia, ipſius Eccleſiæ fideles de tyrannis, idolatriaq; eas interpretabantur. Hæreticorum temporib. de hæreticis, vt videre palàm eſt, declaratæ ſunt. Potuiſſe Hieronymum ea tempeſtate de falſis Chriſtianis, quos trepidos appellabat, deq; vrbibus contagione peccatorum infectis, diuinas litteras vſurpare: maximè quod ex probatis hiſtorijs notiſſimũ eſſet, Monachos illos veteres, rebus, quæ ſuis tẽporibus acciderant, diuinas litteras aptaſſe: & Ambroſium illum magnum reuelationi habitæ de corporibus Martyrũ Geruaſij, & Protaſij Sacrorum librorum ſententias accommodaſſe: nec non Cyprianum Martyrem reuelationem ſibi quandam factam, ſacrarum litterarum authoritate firmauiſſe.

XXVI Sæuitia in defenſores Hieronymi.

Ex his omnibus, & nonnullis alijs, iniuſtè cæſos fuiſſe cum oſtendere conarentur: proq; illorũ innocentia, verbis, & ſcriptis decertarent: præcipuè verò, cum veniſſe etiam ſuo tempore, tempus apud Amos Propheram diuinitùs prædictũ, quo impleretur illud, *& propinabitis Nazaræis vinum, & Prophetis mandabitis, dicẽtes: Ne Prophetetis*, diſſererẽt: quãdò ſcilicet, & ſpiritus prophetiæ in Hieronymo opprimeretur, & reformatio Regularis in Cõgregatione Marciana propè extingueretur: ingentẽ ſibi & Marcianis calamitatẽ acceſſiuerũt. Frãciſco Pico Mirandulano, Turrianus dixit: ea, quæ pro Hieronymo diſputaſſet, non illum Romę affirmaturũ. Ille ipſe Turrianus ac Romulinus, Theologis, I. V. Doctoribus, quamplurimis, apud Romana ſubſellia, eo nomine diem dicere, non neglexerũt: qui redimentes vexationem, multas pecunias Romulino numerarunt. Alij, qui coram eodem Commiſſario, ob defenſionem cæſorum titulo hæreſeos conuenti fuerant, pæna pecuniaria multati ſunt. XXVIII. familiæ, propter eãdem cauſam, dignitatibus ciuilibus in perpetuum priuatæ. CXX. aliæ exilio deſtinatæ, impunitas data omnibus, qui Hieronymo, ac ſociis, vel detraxiſſent, vel conuitium, aut maleficium aliquod intuliſſent; Cantilenæ, quę à nutricibus, pueris ſedẽtatis, & alijs inſolentibus in contumeliam occiſorum paſſim concinerentur compoſitæ, & aliquanto tempore ꝑmiſſæ, donec Hercules Ateſtinus, Dux Ferrariæ Poetam ad ſupplicium vocaſſet, & mali corui, malum oui ſupprimi, miſſo Florentiam Oratore procuraſſet. Scripti in Marcianos Sodales, & palã affixi libelli famoſi. Illi ipſi à Turriano anathemate notati. Bibliotheca eorum locupletiſſima direpta. Domus ſapientiæ illis erepta. Plurimi ex eis doctrina, & ſanctitate florẽtes in exilium acti. Edictum à Pontifice in alios promulgatum, vt in aliam Religionem, quam vellent, tranſirent. Scelus in Cænobium S. Marci à malignis quibuſdam ex Magiſtratu meditatum, vt illud à fundamentis dirueretur. Interdictum ſub cenſura Cænobitis quidẽ, nè domo pedem efferrent, nè templũ aperirent. Ciuibus autem ne eo accederent, neue eleemoſynas, aut ſubſidia vitæ tolerandæ Fratribus deferrent, aut quo-





uis modo ſuppeditarẽt. Vt opera, & commentaria omnia Hieronymi, ſub pæna excõmunicationis, & pecuniaria ab his, qui haberent, in Curiã Archiepiſcopalem deportarentur publicat. Abſolutio horum, qui aliquãdo Hieronymo auſcultaſſẽt, reſeruata. Pẽſio LX. librarũ in annos XXV. Minoritis, qui Hieronymo perdendo operã dederant aſſignata; nec non cãpana è turri S. Marci detracta, illis attributa: Tanaio Nerlio, & Doffo Spini curantibus. Doffus aliquando factorum ſuorum iniquitatẽ, volens, nolens confeſſus eſt. Cum enim ab Alexãdro Philippi interrogatus fuiſſet, *Ecquid flagitij in occiſis Fratribus inueniſſet?* reſpõdit, *nedum mortalis, ſed nec venialis culpæ reos fuiſſe*: Bẽnoziũ Fedeighi ad mortem innocentibus inferedã Octo Viros impuliſſe; cùm inculcaret, ſi hos viuos abire ſinerẽt, ipſis illis, & alijs quàmplurimis ciuibus periculũ immineret; ſi populus hos innocentes eſſe cognoſceret. Idem coràm Bartholomæo Laurentij Cardueij repetijt; ſe nunquàm anteà, niſi in carceribus poſitũ Hieronymum tam exactè agnouiſſe: nullã in eo culpam, ſed omnia bona reperiſſe: rem tamen euſque proceſſiſſe, vt multis periculis à ciuibus auertendis, oportuerit illũ neci dare. Thomas Caponius, Petro Corſino ad Vrbini Ducem miſſo iudex ſuffectus, nõ niſi trium verſiculorũ Pſalmi, *In te Domine ſperaui*, expoſitionem; cauſam cædis Hieronymi, ipſum tamen mortem minimè promeritum, & ſocios illius innocentes eſſe poſt quæſtionẽ peractam pronunciauit. Iacobus Nardus ad finem libri 2. hiſtoriæ Florentinæ, ad exonerandam ſuam conſcientiam, ne veritatẽ occultaret, iſtud quoq, memoriæ commendauit; Ciuem quendã inſignem, nobilem, Florentinũ, ad examinandos illos tres viros deſignatum, Hieronymo infeſtiſſimum, pòſt reuocatos Florentiam Mediceos ciuitate pulſum, & rus in exilium actum, in eodẽ pago, coram ſua vxore illo præſente, & interrogante, retuliſſe, Multa ex proceſſu Hieronymi ad bonum finem detracta, multa addita fuiſſe. A quibus teſtimonijs, omni exceptione maioribus, vtpotè ab hoſtibus contra ſeipſos ꝓlatis apparebat, q̃ iniuſtè paſſi eſſent, tã occiſi, quã ſuperſtites ciues, & Sodales innocẽtes: quamq; meritò præmia acceperint delatores. Iſto, ꝙ adſcribo decreto, pretiũ ſanguinis aliqui acceperãt:

Præmium Minoritis Obſeruãtibus delatoribus Hieronymi datum.

*Conſiderantes noſtri Magnifici Domini beneficiũ grande, quod per mediũ Fratrum Obſeruantiæ S. Franciſci ſub die VII. præſentis menſis Aprilis 1498. recepit noſtra Ciuitas, diſcooperiẽdo aliquas res, quæ non paucã turbationẽ dabant populo, & volẽtes dare illis aliquã remunerationẽ, propter memoriã talis beneficij ideircò prouiderunt, & ordinauerunt, ꝙ per virtutẽ præsẽtis ꝓuiſionis, Camarlingus montis teneatur, & debeat omni anno in dicto die 7 Aprilis dare, & ſoluere Conuentui, & Fratribus S. Saluatoris extrà portam ad S. Miniatem Obſeruantib. S. Franciſci libras ſexginta minores pro vna pictantia, ſoluentes dictos denarios. ſine alio ſtantiamento, viſa ſolum præſenti prouiſione, & hoc duret per tempus, & terminum annorum viginti quinque proximos futuros. ex actis Octo Virum Baliæ Florentinæ.*

Aliquot annis pecuniã iſtã acceperãt: donec aliquis Camerarius mõtis dũ importuniùs exigerẽt, illos his verbis perſtrinxiſſet, *Accipite pretiũ ſanguinis iuſti, quẽ tradidiſtis*. Hinc .n. velut aliquo flagro percuſſi, non ampliùs reuerterunt. Ioachimus etiã Vaſconius, conſequẽti tẽpore, Vexillifer iuſtitiæ, campanã illis iniquè attributã, S. Marco reſtituit: quę apud Minoritas non priùs fuerat ſuſpenſa, aut percuſſa, q̃ Nerlius obijſſet: ità vt is iniquus, illã viuens, audire nõ potuerit. Mortuo illi, primùm inſonuit. Alexander Pont. cũ nõ auderet aliquid grauius cõtrà libros, & Cõmẽtaria Hieronymi decernere, anſã dedit Vicario Archiepiſcopi Florẽtini, vt eos codices, quos vel ipſe conquiſiuerat, vel alij in palatiũ detulerãt, poſſeſſoribus reſtitueret. Ergo libris recuperatis, cæpit eius doctrina nõ tantũ apud amicos, verùm etiã apud plures inimicos in pretio haberi: contra quam, cum non minus quã contrà Hieronymũ cæſũ aliqui gannirẽt, plurimi pro illa, &

apologias ſcripſerunt: Ioannes Franciſcus Picus Dominus Mirandulæ, Dominicus Beniuenius Canonicus Florentinus. Hieronymus Beniuenius S. T. D. Georgius Benignus, Archiepiſcopus Nazarenus Minorita, Ioannes Neſius Florentinus, Bartholomeus Redditus I. V. D. Zacharias Lunegianus Theologus, Pacificus Burlamacus Lucen. Theologus, Ignatius Manardus Ferrarien. Magiſter Sacri Palatij, Thomas Nerius Florentinus Theologus, Matheus Lachius Florentinus Magiſter: Paulinus Bernardini Lucen. Theologus, Paulus à Fucecchio Theologus, Franciſcus Calorus Clericus Ferrarien. Gaſpar Venetus I. V. D. Nicolaus à Caluano Theologus, Placidus Cinocchius Theologus. Multi præterea in ſuis operibus cũ honore Hieronymi meminerunt, Angelus Politianus in epiſtola ad Iacobũ Antiquarium; Petrus Crinitus l. 3. de honeſta diſciplina, Marſilius Ficinus l. 12. epiſt. ad Ioannem Caualcantem, Philippus Comineus in Carolo VIII. Marcus Antonius Sabellicus Ennad. 10. lib. 9. Marcus Guazzus in hiſt. Iacobus Nardi Florentinus in Comment. rerum ab anno 1494. vſq; ad 1532. Florentiæ geſtarũ, Felix Caſtelfrancus in Chro. Leander Bononien. in deſcriptione Italiæ, Paulus Nolanus Minorita in dialog. Alphonſus Mugnezius Hiſpanus, in præfatione operum Sauonarolæ, quæ Latinè prælo dedit, in qua etiam memorat, Ioannem Braſuolam. Laurentium Viciolum, Bartolomeum Gualteretium, Ioannem Thomam Mediolanen. Bartholomæum Muſilianenſem, in eorum Commentarijs, laudes maximas Sauonarolæ attribuiſſe. Eiuſdem præterea, cũ laude mentionẽ fecerunt, Euphroſinus Lupinus Florentinus in lectione de Vanitate Clericorum, Nicolaus Sanderus lib. de viſibili Monarchia, Lucas Panetius Florentinus in Poëm, Antonius Petreus Canonicus Florentinus in Carm. Hieronymus Giannottus Piſtorien. in prohem. Conc. ſuper Pſalm *Quam bonus Iſrael Deus*, Dominicus Mellinus in ſuo Comment. Lucas Bettinus in præfat ante Conc. M. Antonius Flaminius, ſequens epigramma in Hieronymum ſcripſit.

Multi pro Hieronymo & eius doctrina Apologias ſcribunt.

*Dum fera flamma tuos Hieronyme paſcitur artus*
*Relligio ſanctas dilaniata comas*
*Fleuit, & ob, dixit crudeles parcite flammæ,*
*Parcite: ſunt iſto viſcera noſtra rogo.*

Raphael Volaterranus, ex his, quæ ab aduerſarijs Romæ accepit, male Hieronymum calamo excepit; ignarus rerum quæ & quomodo acciderant. Vnde ab aliquibus poſtea interrogatus, qua conſcientia de viro ſanctiſſimo, & doctiſſimo, tam malignè ſcripſiſſet? In delatores, qui falſa ad ſe Romã retulerant, culpam omnem reiecit; vt Thomas Nerius in Apolog. Obiectione 21. memorabat. Martinum Lutherum hæreſiarcham, communem ſibi cum Hieronymo doctrinã aſſerentem, Ioannes Fiſcherius Epiſcopus Roffenſis, & martyr, S. R. E. Cardinalis, artic. 33. de non comburendis hæreticis §. Quorum exemplum pag. 277. refutauit: iſtudque de illo adſcripſit: *Hieronymum Sauonarolam, non ob id exuſtum opinor, quod contra fidem quidquam publicè docuerit, ſed propter cõtumaciam, & excommunicationis contemptum. Satis enim ex libris, quos edidit, exploratũ eſt, neminem tuas aſſertiones (Luthere) condemnaſſe magis, quã Hieronymum illum; quod & erit perſpicuum, ſi quis per ſingulas decurrere velit præter illam vnam de excommunicatione. Nam Romanum Pontificem vbique caput Eccleſiæ fatetur: de Sacramentis per omnia Catholicè loquitur; de Sacerdotio, de Euchariſtia, de Pænitẽtia cõſentit cũ Papa, nihilq; prorſus in eius doctrina reprehendi meretur (quoad meminerim) propter hoc ſolum, quod excommunicationis articulum attinet, quodque tam aperte ſe contumacem præſtitit cõtra cenſuras Eccleſiæ.* Articulũ de excommunicatione excipiebat Ioannes, ſiue, quod defenſiones Hieronymi aut à Pico pro Hieronymo factas non vidiſſet; ſiue quod de ea re diſputandi, locus proprius, nec tempus eſſet; ne vel Lutherus, occaſionem tergiuerſandi arriperet; vel alij omnes, paſſim, doctrina Gerſonis, abuterentur. Ambroſius Cathari-

nus, ſi quis alius Iſmael, Hieronymi manes exagitare voluit, damnationẽq; operũ illi' ab Iulio III. obtinere conatus eſt: fruſtrà tamen laborauit: cũ Iulius Pontifex didiciſſet, etiam quandam matronam nobilem, Catholicam, modeſtiſſimam, caſtiſſimam, eruditam, viri ſui obſeruantem, apologiam cõtra Ambroſium ꝓ Hieronymo ſcripſiſſe, edereq; in lucẽ publicã, niſi maritus repugnaſſet, cõſtituiſſe (quid facient viri illuſtres, & docti ſi etiam fœminæ pro illo? dixit Iulius) & Paulum III. ſuum anteceſſorem meminiſſet, quibuſdam hæreſim Hieronymo aſpergentibus reſpõdiſſe: *quin potiùs ſuſpectum de hæreſi illum habituri ſumus, quicumq; Hieronymum impugnare audebit.* Iacobus Lainez vt ſupra dicebamus Catharino ſuccedens, etiã ipſe voluit, aliqua in Hieronymi operibus notare, & à Paulo IIII. damnationem eorum præiudicio hæreſeos ſurripere: ſed pari, id eſt fruſtraneo conatu. Enimuerò ſacræ Inquiſitionis Præſides, ſi quid expunxerunt, nõ tã infami titulo expunxerunt, quæ virgula cenſoria ſignarunt, vt illi ipſi teſtati ſunt Cardinales: ſed nè ex tàm flãmantibus Hieronymi, nõ in auctoritatẽ, poteſtatẽ, dignitatẽq; (nam eam ſemper veneratus & tutatus) ſed in Clerum, ac Põtifices, ac præſertim Romanũ, & Alexandrum deliquentem inuectiuis, quas ſiue dixit ſiue exceptores adſcripſerunt, occaſionem Lutherani, & alij hæretici, id temporis oſores Romanæ Sedis, & vniuerſi Cleri ſumerent, Romanam, & vniuerſalẽ Eccleſiam, perpetuò calumniandi: nõ quòd Hieronymus illã directè, & ex meditatò dediſſet: ſed quia ipſi parum reuerẽtes Sedis, etiam ex floribus ſuaueolentibus, venena mortifera auidè eſſent exſugere: cùm tñ aliquis Romanorum Põtificũ ſuccedentium, Thomæ Nerio (exiſtimo Paulũ IIII. cuius ſuo tempore viuentis nomen Nerius nõ expreſſit, fuiſſe, qui Alexandro ab intimo cubiculo adoleſcens, viderat, quæ viderat) dixiſſet, multiq; Prælatorum retuliſſent, hoc tempore, multa ab Eccleſiaſticis proceribus, & minoribus admiſſa fuiſſe, quæ vix de propudioſiſsimis hominibus credi poſſent. In ea ſi Hieronymus feruidior, vel lingua, vel calamo apparens, notam hæreſeos promeruit: promeruit, & Hieremias, & Iſaias, & alij prophetarum, & Creator Prophetarũ IESVS, & S. Bernardus, & innumeri alij, qui vel voce, vel ſtylo, peccata Magnatum, & Principum populi Antiſtitum minimè diſſimulantes ſuggillarũt, increparũt, caſtigarunt: promeruit & Paulus Apoſt. qui inferior Petro, ac miniſter Petri, Petro tñ reſtitit in faciẽ: nõ de lana, ſed de ſcandalo: nõ ꝙ ipſe daret, ſed ꝙ alij arripiebãt: acerbior, & acrior ꝓculdubio futur', ſi ſcãdalũ, ꝙ Actiuũ vocãt in Petro, vt fortè in Alexãdro, & optimatib. Eccleſiæ Hieronym' vel aſpexiſſet, vel ab alijs ex auditu accepiſſet.

XXVIII. *FF. Prædicatorum ea tempeſtate ad S. Marcũ cõſtãtia.*

Inter eas calamitates Marciani Sodales, tantum abeſt, vt animo cõciderint, aut à ꝓpoſito viuendi genere, ad aliud laxius diſceſſerint, vt etiã magis fuerint cõfirmati. Octuaginta nouitii in Cænobio S Marci numerabantur, eo tempore, quando Hieronymus occubuit. Nemo ex eis ad ſeculum redire ſuſtinuit: Quã plurimi viri nobiles, eruditione, & ſanctitate præſtãtes, in eadẽ Congregatione, q̃ Hieronymus inſtituerat, vitam religioſam viuebant: nullus eorum, aut ad Romanam, aut ad Lombardam ſeceſſit. Omnes ab intoleranda perſecutione magis animati: maximè, quãdò diuinam erga ſe in extrema neceſſitate prouidentiam expenderent. Quo enim tempore aut omnes fame morituros exiſtimabant, aut aliqui aduerſarij deſiderabant ipſis cõcluſis, & ab omni hominũ cõmercio excluſis, panẽ Angeli miniſtrarũt. Enimuerò nũq̃ quamuis diligẽtiſſimè obſeruaſſent, explorare potuerũt, quiſnã illis quotidiè panũ ſaccos plenos miniſtraret, omnibus omninò portis Cænobij foris occluſis.

XXVII. *Horrẽdæ in Hieronymi hostes vindictæ ſubſequuntur.*

Succeſſerunt vindiciæ, diuinitùs in eos, vt plurimi, vel ipſi fatebantur, vel exiſtimabãt, exercitæ, qui Hieronymo, & ſocijs iniurij extitere. Siquidem de multis qui eum, & ſocios cæperant, deluſerant, inter eundũ ad carcerem vexauerant, debitũ paruo tempore ſupplicium ſumptum eſt: quorũ alij ſtatim ad extremum vitæ poſiti, ſed ducti pœnitentia temporarias, quantũ cõiectari licebat, pœnas dedere. Alij non in præſenti duntaxat, ſed in futuro etiam, quoad probabilibus ſignis cõprehendi potuit, ſupplicijs plectũtur. Siquidem fuere, qui dũ in vinculis torqueretur, Hieronymus, & aſſereret, vera eſſe, quæ prædixerat, ab eo petierint, vt thoracibus quibuſdã appenſis, iuberet, vt ambularent, & fabarũ mutaret colorẽ, & id genus reliqua, q̃ etiã interrogantiũ vanitatẽ ſimul manifeſtarẽt. Fuere, qui leuioribus cõtumelijs non cõtẽti, barbã vellere, vultum ſputis fœdare, impetere calcibus, pudibundas corporis partes nudare, iniuriari, & necẽ deniq;, quibus poſſent modis, procurare nõ erubuerãt, ſed hi oẽs paulò poſt miſerãda morte extincti exẽplũ poſteris reliquerunt Ioañes Manelus, Ciuis Florẽtinus, ex eis vnus, qui Hieronymũ calcibus impetiuerat, eiuſq; pudẽda patefecerat, paucis pòſt diebus, ad mortẽ ægrotãs, propriã dexterã dẽtibus moriẽs dilaniauit, ipsãq; etiã manũ, q̃ ſacrilegiũ perpetrauerat moribũdus intuẽs dixit: *O manus ò manus.* Tũc vbi paululũ quieuiſſe videbat', in hanc vocẽ ſeſe allocutus erupit: *Nunc nunc de Hieronymi Sauonarolæ ſalute, & de tua dãnatione factus es certior.* quo dicto animã exhalauit. Franciſcus Baronis Tabellio, ille, qui libellos quæſtionum cõmentus fuerat, nõ multò pòſt ſui prophetæ mortẽ, peſtilenti tabefactus febrè dixit: Nõ poſſe pœnitẽtiæ Sacramẽtũ ob id percipere, ꝙ virũ ꝓphetam, quẽ cum Angelis etiam colloqui pſpexerat, corruptus pecunia perdidiſſet. Alius, qui dũ pduceretur ad carcerẽ, manus pudẽdis Hieronymi iniecerat, paulò pòſt diro circũpudenda morbo correptus, liberè, ac ingenuè confeſſus eſt, ſe dare pœnas eius, ꝙ in ꝓphetam ſceleris ꝑpetraſſet. In municipio Florẽtinorũ *Piſcia* nomine, Iulianus quidã Hieronymo, eiuſq; doctrinæ cũ maledixiſſet, & eius ſectatoribus ſanguinis fluxum imprecatus eſſet, ſequẽti nocte ſanguinis fluxu miſerabilẽ animã crebra inuocatione dæmonum effudit. Faber ille, qui ferrea ꝓcuderat monilia, quibus Hieronymus, & ſocij, de trabe pepẽdere, dum ſup vrbis mænibus inẽminẽti turre ſuccẽſa facula Hieronymo illuderet, idẽtidẽ clamitãs, id eſſe verũ lumẽ, cuius creba in cõcionib' Hieronymi mẽtio habetur, ꝑceps in foſſã, ſeu foueã ruit, cõfractiſq; mẽbris occubuit Franciſcus Carnifex qui ſuppliciũ intulerat, nõ multò poſt, dũ quẽdã iugularet, & ictus falleret, à populis lapidib. obrutus eſt. Brancatius Taulacius Cuſtos carcerum, qui Hieronymo vincto multis modis inſultauerat, ac præterea per Curiam, & vrbem diſcurrens, bidentẽ, qua cibos afflicto porrigebat, oſculandam amicis Hieronymi obuijs, per deriſum obtrudebat, dicens, vt genua flecterẽt, & bidentem oſcularentur: eam eſſe, qua ꝓphetæ cõpedito cibos inferret, ſexto pòſt menſe interijt: cùm Hieronymus illi mortem etiam intrà anni decurſum affuturã ꝓdixiſſet. Philippus Huigni eo ipſo die, quo mortis ſentẽtiã in Hieronymũ decreuerat, cæna facta in morbũ incidẽs, paucis dieb' poſt extinctus eſt. Franciſcus Tanai Nerli, vnus ex Octo à dæmone præfocatus, priùs mortuus eſt, quàm cãpanã Marcianã, Minoritis attributã audire potuit. Petr' Orlandi Ciuis ex nobilitate præcipua, qui mortis accelerationẽ Hieronymo ꝓcurabat, cũ ab eius ore audiuiſſet: illũ tantum tẽporis, quantum in extremo vitæ confitẽdis, peccatis ſatis eſſet, minimè habiturum, expert' eſt, verum eſſe, ꝙ Hieronymus prædixerat. Enimuerò Adriano VI. vita functo, de futuro Põtifice: quiſnam ſuccederet, cum Ioanne Maria Benintẽdio Cõciue, de Cardinali Mediceo contẽtione, ac ſtipulatione facta, cùm Benitẽdius, pignus viciſſet, eò quòd Mediceus, Clemẽs VII. electus fuiſſet: Petrus ægrè eam electionem habens, & pecuniæ ſummam depactã numerare non ſuſtinẽs: inq; conuitia contra Clementem prorumpens: quod eum ſpurium, illegitimeque factum





Pontificẽ appellaſſet, accuſatus, in carcerẽ cõpactus, ac morte damnatus, poſtulãs alicui Sacerdoti cõfiteri obtinere à Magiſtratu dicente, *Non ſupereſſe tempus*, nõ potuit, ac eo momento prædictionis Hieronymi memor publicè renunciauit; *Benè mihi Frater ille prædixit, me tempus non habiturũ ad confitendũ.* Ludouicus Sfortia Dux Mediolani autor præcipuus cædis Hieronymi, quemadmodũ hic prædixerat, in Galliam ductus in carcere contabuit. Aſcanius Cardinalis eius frater, etiam vincula, & carceres perpeſſus eſt. Ioannes Cardinalis Mediceus, vnà cum fratribus toto ferè orbe multo tẽpore vagus, eandem etiam fortunã ſuſtinuit. Petrus Medices, in flumine Lyri interijt aquis hauſt'. Ambroſii Catharini, eodem die quo ille librum contra Hieronymũ vulgauit, frater ſecuri percuſſus. Doffus Spini morbo infami tabefact', Bartholomæus Valori publico edicto iugulatus, Carolus Canigianus Gallica lue, Ioannes Cannacius præceps: Lanfredonus Lãfredonij phrænericus: Paulus victorius in Turcica captiuitate, Laurentius Mediceus, vrbini Dux, in verbis deſperationẽ præ ſe ferentibus. *Deus occide me.* Petrus Alberti fulmine percuſſus, Ioannes, Paulus Balionus in vinculis. Rafaël Friderici peſte, eodẽ in loco, quo pueris cruces rubeas excuſſerat. Zenobius Cocchius præceps, à ſe in puteo, Paulus Vitellius, capite in Curia Florentina imminutus: Vitellius à Bianchino ſtrangulatus; Bianchinus, Paulus & Dux Grauinæ Viſini, à Valentino Borgia iugulati. Angelus Nicolinus à pediculis corroſus. Guid Antonius Veſpucius apoplexia correptus. Petrus Philippi Pandulfini dolorib. extinctus. Petrus Giani Caponij glãde percuſſus. Bernardus, & Marabottinus Manetti, Frãciſchinus Albizius, Donati Cocchij F. Nicolaus, & Zenobius, Nicolaus Bocaccius, Pipaccius Guignius, Iacobus Pandolfini, & Iacobus Paganelli, Beneuenutus Bianchius, Iacobus Lucæ Pitti, Petrus Pedonis, Ioannes Benedicti lanionis, & Guido Mannelli, ſine Sacramentis, Sigiſmundus Martelli apoplexia, Dominicus Fragiuolinus phrænesi, Vincentius Rudolfius præceps ex eminentiori quodam loco Bartholomæus Cattolacius ſuſpẽdio. Ludouicus Friderici in actu libidinis cum vna quadam, Petrus Populeſcus vexilliferveſania. Turrianus cita morte, ab inani expectatione purpurei galeri, quem ob Hieronymum damnatũ ambiebat. Romulinus ille, ille, ſecundùm ꝙ Reginaldus Cãcellarius, patritius Troianus, Epiſcopus S. Angeli prouinciæ Baſilicatæ, homo nonagenarius, Romulini familiaris, Ferdinando Pandolfino, Epiſcopo Troiano, ex his quæ circa morientem aſpexerat, enarrabat: omnibus interioribus, in lecto extremæ ægritudinis adeò exuſtis, vt flamma per os, nares, & aures erumpens ab omnibus circumſtãtibus conſpiceretur, in his vocibus infelicem animam effudit; *Ah, ah, eheu! illi Fratres!* cum multoties illa protuliſſet. Marianus ille Ge[illegible]zarus Eremita, incenſor primus tragediæ contra Hieronymum, in balneis Puteolanis vbi ſanitatem quærebat, mortem reperit, hoc ipſo cæſi Hieronymi anno 1498. Alii præterea in momẽto velut vtres inflati crepuerunt: alij repẽtina morte, alij morbis varijs enecati, alii diuino iudicio obcæcati, omnibus palàm fecere, ſumi pœnas de ſanguine iuſtorum immaniter effuſo. Ex his rerum euẽtibus homines ſanæ mẽtis confirmabantur, maximè quãdò animaduerterẽt, ex fide rerum Hieronymi, pacẽ animi, & tranquillitatẽ & ſpẽ aut oriri, aut ortã adoleſcere, aut adultam proficere ſe eſſe expertos, contraq; illis, qui rebus illius cæcitate percuſſi obgannirent, fluctus animi, perturbationes, ſollicitudines ſcaturire, & ad deſperationẽ eos penè impelli: illudq; animaduerſum à multis, diuinum extrà controuerſiam ſignum haberi, ꝙ qui Hieronymi adhęrebãt memoriæ, ex omni ordine, & ſexu, verè, ac ſincerè eoſdem promebant charitatis fructus, Qui olim apud Chriſtianorum primitias, videbantur, quibus ſcilicet *cor vnum, & anima vna erat in Domino.* Et quamquam non ea prorſus, quæ inter eos, qui Religionibus addicti ſunt per tria vota, bonorum, quæ fortunæ dicuntur. communicatio illis fuerit; mira tamen & liberalis erat, cum daretur opportunitas: exinde quod inter eos erat idem ſapere, idẽ velle, perſecutorum verò quot capita, tot ſenſa: nulla opinionum, niſi in malo, nulla facultatum cõmunio, ſed & animi interna perturbatio. & externa erga alios rabies, à, qua etiam Rabidorum nomen obtinuerunt: & vnde ab omnibus ad oculum percipiebatur, falſo, & contra ius faſque Hieronymum cum ſocijs damnatum, nec aliã ob cauſam, quam ob ſimultates, & odia, quæ propter veritatis præconium in ſemet concitauerat: cum facilè conſtaret, virum fuiſſe, & ſanctiſſimis moribus, & diuinis donis illuſtrem; necnon opera illius, fœneratricis fuiſſent illius pecuniæ reſtitutiones Chriſti fide ab eo, & voce, & ſcriptis indefeſſe prædicata, explicata, & roborata. renouatoque in plurimorũ mentibus, emortuo iam Chriſtiano vigore; quando ſpectaretur multorum à prauis, & impijs moribus, ad probos, pioſque conuerſio: quod quidem authore Gregorio maius eſt reſurrectione mortuorum: ſed etiam maius quam cæli, terræque, ſi Auguſtino credimus, creatio.

*Multi homines viſis tot vindictis confirmantur.*

XX[illegible]. *Inſignia & plura miracula eadem Hieronymi cõſequuntur.*

Subſecuta deinde varia miracula, manifeſtè etiam nonnullis apparente, vel cæleſti lumine, vel ipſo Hieronymo. Alexãder Pontifex, ſtatim à morte Hieronymi, ad Marcianæ congregationis præfecturam miſerat Iacobum Siculũ, in Dominicana religione præſtãtẽ. Hunc initio ſuſcepti regiminis cura inceſſerat, aliquẽ in rebus agendis parẽ accerſiendi, qui labores paſtorales diuideret. Deſtinatus à Turriano Angelus Panormitanus, cũ Romã veniens, multa de Hieronymo aduerſa referri accepiſſet, miſſionẽ detrectare voluit, nè Florẽtiam iret, quam adeo propudioſa morte tres illi inquinaſſent. Turriano, vt iret, vrgente, in Cænobio Mineruæ orationibus intentus, à diuino lumine aſpexit, quo in errore circa illos tres Dei adminiſtros verſaretur. A quo ipſo lumine incalefactus iubens Florẽtiam iuit, & Iacobo Vicario, quid de Sauonarola, & ſocijs cenſeret quærenti, quamquam diutius reluctatus quid cælitus didiciſſet, aperuit: atque Iacobum in ſententia, de Hieronymi innocentia, prædictionibus, donis, virtutibus, miraculis confirmauit. Viuebat Bartholomeus Fauentinus, profeſſor olim liberalium artium, & ciuilis pariter, Pontificijq; iuris, qui Sacerdotio quod fuerat adeptus, abdicato, ſub Hieronymi diſciplina, conſortio Fratrũ Prædicatorũ iunctus erat. Huic in Feſulano cænobio memoriæ Diui Dominici conſecrato, cum ad mortem ægrotaret, reſupineque decumberet, Hieronymus Dominico Piſcien. & Syluestro Florentino comitatus ad pedes apparuit, Hora diei erat fermè vigeſima tertia. Hos vbi aſpexit, nihil turbatus animo, rem eam, quam tunc intrinſecus voluebat, exterius expreſſit. Secum enim de rebus Hieronymi tunc cogitabat, & quàm eſſet creditu difficile, vt de diuinis palinodiam ceciniſſet, ac eos, qui ſibi credebant, decepiſſet: In libellos in eum compoſitos inclinans quidem, ſed non conſentiens; mutabundus tamen, & anxietatis plenus, ac turbinis. In hac itaque mentis conflictatione poſitus. oblato viſo mirabili dixit; *Qui fieri poteſt Pater, vt nos deceperis: Non decepi*, inquit, *Hieronymus*, ſubdiditq; *Vis ſanus fieri?* Quo annuente, & ad pedes eius proſtrato, ſignum Crucis in eũ delineauit; eoque ſtatim diſparente, & intenſiſſimus capitis, quo vexabatur dolor euanuit, & febris abijt, ita vt ambulare licuiſſet, atque potuiſſet Medicus, qui mox aduenerat, accerſitus à Fratribus, iam iam de ſalute corporea parum ſperantibus, longe miratus eſt, ſe vocatum eſſe: cum nihil in ægroto, præter debilitatem quandam à diuturno morbo contractam in arteriæ pulſu reperiſſet. Videbatur Bartholomæo, vt noſtr-

retulit, præ dulcedine, ſe ſupernos Orbes incolere, & vix ſine commotione ſenſus poſſe geſtæ rei ordinem meminiſſe. tāta eum, & vocis ſuauitas, & aſpectus iucunditas tenuerat. Hæc cùm Franciſcus Picus ab amicis ipſius reſciuiſſet, & ab eiuſdem ore iſta hauriret, multis verbis ipſum rogaſſet, ſæpenumero reſtitit precibus tamen victus aſſiduis, rei ordinem, quem ſupra recenſui, illi patefecit, adiecitq;, amictū apparuiſſe Hieronymum, & ſocios pallio fulgentiſſimo, gēmiſq; omnifariā ornato, & ad collū inſtar pulcherrimi torquis ornamentum mirè præfulgidum geſtaſſe. Idem ipſe Bartholomæus Pico referebat, ſibi diuina peragenti, vel ſpiritualibus alijs rebus occupato, ſæpe ſæpiùs poſteà apparuiſſe.

*Videtur hora ſupplicij inter Angelos in cælum ferri.*

Aretij eſt Monaſterium Virginum ſub diſciplina Dominicanorum. In eo Virgines, ea ipſa hora qua Florentiæ Hieronymus cum ſocijs exuſtus eſt, aſpexerunt in aëre Angelorum multitudinem exultantium, & iubilantium, ac in medio illorum, tres Dominicanos, martyres in cęlū ferri, Re invulgus delara, tantus populorū concurſus factus eſt, vt parum abfuerit à tumultu. Examinatæ à Magiſtratu Virgines: dies, & hora apparitionis notata; mane conſequenti compertum, illā ipſa hora Florentiæ tres Dominicanos combuſtos: Zenobio Biſocho Aretinis præſidente, & in apparitionem, quæ plures horas cōtinuauit inquirente. Beata Columba Peruſina, eadem ipſa hora. qua illi Florentiæ plectebantur, in S. Dominici templo Peruſiæ ſacro miſſæ ſacrificio intenta, ſupplicium illorum abſens vidit, & effuſiſſimè plāxit: mox cum inter Angelos ad cælum illos ipſos ferri aſpexiſſet, in lætitiam effuſa, circumſtantibus, cauſam tàm ſubitæ mutationis inquirentibus, annunciauit.

Sebaſtiano quoq; Piſcienſi, viro quidem ruſtico, ſed magna fide prædito, dum morbo oppreſſus ageret animam, adfuit præſto Hieronymus Syluestro cū ſocio, cùmq; manus capiti, corporiq; ægrientis appoſuiſſent, ait Hieronymus, ambos ſe à Deo miſſos, vt quæ prædicta fuerant, illi comprobarent, idque alijs mox ipſe inuulgaret; allato ſecum recuperatæ ſigno ſanitatis. quibus verbis finitis, maxima toti corpori refrigeratio ſuborta eſt, qua febris ardentiſſimus calor ſubitò receſſit, ſtatimq; è lecto ſurrexit, vt Pico retulit Sacerdos Etruſcus ab ipſius ore Sebaſtiani.

Bernardo Granello Genuenſi Theologo ad inſulam Siciliæ nauiganti, aborta maris tempeſtas, ſpem omnem præſentis vitæ, nautiſq; omnibus ſimul ademerat: cùm Hieronymus apparens nauem dixit in portum incolumem peruenturam: Theologumq; ſignato die, ſignato in templo verba Siculis de pulpito facturum. fides ampliſſimo oraculo ex factis adhibita, recenſentibus factum Pico Ciuibus Genuenſibus, qui à Bernardo audierant.

*Pellitur paralyſis.*

In Cænobio Sanctimonialium Piſano, quod Fratribus Prædicatoribus eſt curæ, & S. Dominici titulo nuncupatur, vna ex illis erat, quæ nouem annis paralyſeos morbo proſtrata iacuerat, eouſq; aduerſa Hieronymo, vt ſemper obluctaretur eis, qui perſuadere conarentur, & viri ſanctitatem, & opem eius meritis expectandam. Tādem reſipuit, ac ſyncera cōfidentia Hieronymum inuocauit, qui & apparuit præſens, & incredulitatem exprobrans, ſigno Crucis in eam prætenſo, quibuſdam verbis habitis perfectæ reſtituit ſanitati. Ita retulit Syluester Marradius, vir, & probitate vitæ, & doctrina conſpicuus, cui Sactimoniales illę errata ſua Chriſtiano more confitebantur. Idem ille Picus ab alio audiuit, qui ſe vidiſſe illi teſtatus eſt, impreſſum digito Hieronymi in fronte Sanctimonialis ſignum relictum, cùm illi apparuit, eamque ſanitati reſtituit.

*Sanctimonialibus quibuſdam gloria Hieronymi reuelatur.*

Catharina Raconiſia (id oppidum non longè eſt ab Alpibus) virgo vita, vndequaque clariſſima, illi ipſi Pico cum de rebus admirandis, quæ virgini contigerant, compendium quoddam ſcribere eſſet aggreſſus) & alijs quàmplurimis, tàm per litteras de Hieronymi innocentia & meritis, quàm voce cùm retuliſſet, iſtud Pico præcipuè, in oppido Rodo, quod fluuium Tanarum, & Albam Pompeiam interiacet, citra velamen ſignificauit: non ſemel à ſe viſum Hieronymum alijs cum cælitibus gloria beata perfuſum, & radijs fulgentibus redimitum: necnon tribus coronis, alba, rubra, & aurea inter vtrāq; media inſignem. Altera Virgo eiuſdē Prædicatorij inſtituti & nominis Catharina, ex Pharo Dalmatiæ, quæ nunc *Leſina* vulgò dicitur, genere clara, Chriſtoq; diuinitùs deſponſata, necnon multis clara rerum prænotionibus, cùm in Hieronymum multa probra iactari ſenſiſſet, orauit, vt ſibi Deus dignaretur rei patefacere veritatem. Rapta eſt, & per exceſſum mentis aſpexit Hieronymū Angelorum choris inſertum, & triplici aureola decoratum, Deoq; docente percepit eum, & martyrem, & virginem, & Catholicæ veritatis præconem extitiſſe: quod per litteras probi, doctiq; viri Vincētij, nomine, Theologiæ profeſſoris, & Virginis ipſi⁹ cōterranei, ꝓteſtantis, & aduerſū ſe, ſi mētiretur, æternū ignē inuocantis, ſignificatū, Picus accepit, & in vita adſcripſit.

*Sāctus cuidam viduæ apparens multa de Hieronymi ſanctitate patefacit.*

Idem Picus, à quadam vidua, fide inſigni prædita ſe accepiſſe ſcribit, non ſemel cæleſtem quendam ciuē apparentem illi multa de rebus futuris, deque ipſo Hieronymo patefeciſſe: inter quæ tribus in Eccleſia titulis decorandum illum affirmauit, vti Doctor, propheta, & Martyr appellaretur: quod & alijs aſſertū fuiſſe teſtimonijs, Picus, cui ſeorsū id, & ſingulatim innotuit, poſteritati ſignificandū duxit. Enimuerò præter id, ꝙ apparens ipſe Hieronymus, aut alij diuino lumine freti patefecerant, hoc non omittendū eſſe ſcripſit, quod mentis raptus nonnullæ virgines expertæ ſunt, in quibus multa, & magna, quæ ſibi de futuro Eccleſiæ ſtatu nunciata ſuperiorum iuſſu retulere, didicerant, atque in eis ſemper de Hieronymo, & ſocijs honorifica mentio facta eſt, quos à ſe beatos viſos, & magna circumfuſos gloria confirmauere. Idem mares quoq; aſſeruêre, quorū multa diligenter ſcriptis mandata, ſumma cū iucūditate Picus perlegit.

*Idē Monialibus SS. Eucharistiam miniſtrat.*

Illud aūt nō reticendū, ꝙ in Monaſterio ſub Lucię Virginis, & Martyris nomine Florētiæ extructo, nō particulatim ſolū, ſed gregatim à multis Virginib⁹ ipſe Hieronymus viſus eſt. Furētibus enim quattuor arreptitijs, dū Euchariſtiæ tēpus inſtaret, ab vniuerſis Sāctimonialibus, atq; ipſis etiā Sacerdotibus, quibus cōtractas noxas cōfitebātur, audita fuit ex Sacrario vox Hieronymi, aduocantis eas, atq; in hunc modū alloquentis: *Huc accedite filiæ.* cui poſtquā paruerunt, benedicēs ille diſpulit dęmonia. In ſolēni verò die Paſchę, dū Chriſti Reſurrectionis memoria celebraretur, Sacerdos ille ex Prædicatoribus, cui & miniſtrādæ Virginibus ipſis Euchariſtiæ, & audiendorū delictorū cura demādata erat, ad percipiendū Sacramentū, eas oēs ad feneſtrā, ad id muneris deſtinatā aduocauerat. ſed cū Dominicū corpus plurib. miniſtraſſet, quindecim reliquit, quib⁹ vel cōſecratæ materię inopia, vel incuria, obliuioneq;, vel poti⁹ diuina, vt ferebat prouidētia, ſalutarem hoſtiam non porrexit. Arbitratus tamen vniuerſis ſpiritualem alimoniam porrexiſſe, à feneſtra digreſſus eſt ad altare, diuinæ rei perficiendæ incumbens. Quæ diuino cibo minimè participauerāt abſcedere cum reliquis noluerunt, Sacerdotis reditum ad feneſtram expectantes. dumque in eius aduentum cupidiſſimè intenderent, Hieronymus apparuit, qui Sacerdoti diuinitùs ſubrogatus, eſurientibus illis pabulum cæleſte communicauit.

Iacobus Siculus ex Prædicatorum Ordine, miſſus ab Alexādro Pōtifice Florētiā, vt eis omnibus ꝓeſſet q parebāt quondā Hieronymo, nihil vel parū credebat rebus his, quas Hieronymus de futuris affirmauiſſet:





quamquam retulit, ſe dum eſſet in Sicilia, didiciſſe ex colloquijs integerrimæ vitæ Sacerdotis, qui diuinis prædictionibus clarus habebatur, Hieronymum eā cū Deo amicitiam conſtitutā habuiſſe, vt illius ore Deus nō ſecus ac Moyſis ore loqueretur: calumniæ tamen plurimorū, vulgiq; mendacia cōceptam fidē obnubilarant. Hic poſtquam Florentiam venit, habito examine de omnibus tam maribus quā fæminis, qui ſub ipſa Hieronymi diſciplina vixerāt (mos enim Religioni addictis, ſed & ſolenne edictū eſſe ſolet, vt quæ ſibi cælitus oſtendātur Præfectis referāt, nè malignus Dæmon in Angelū lucis ſeſe transfigurans, ſimpliciū mētes ludificet) habito inquā examine, Hieronymo Roſcio Piſtorienſi, viro integerrimo ingennè retulit ſe hoc ipſo examine cōperiſſe, Hieronymū in aſſumpto corpore plus centies apparuiſſe, ſex duntaxat menſium interuallo: tanta in videntium mentibus, corporibuſque ex glorioſo aſpectu impreſſa lætitia; tantoq; bene, ac religioſè viuendi ardore trahsfuſo, vt præ animi iubilo extra ſe poni quodammodo perſentirent.

Vidua quædam ætatis prouectæ, vitæque probatę, Dauidi ex Ordine Carmelitarū Theologiæ profeſſori aſſeruit, ſe in aſſumpto corpore Hieronymum ipsū glorioſū ſæpe numero vidiſſe: & ab ipſius etiā nepote puerulo viſum fuiſſe. quin & ipſe Dauid, in ſimplicitate cordis ſui, Pico aſſeuerauit, ſemel ſe, atque iterum ab Hieronymo cum ſocijs miro quodāmodo viſitatū, & à perturbationibus, quibus premebatur, liberatū.

*Vis tunicæ Hieronymi*

Diſceſſerant Florentia recenti adhuc cæde Hieronymi, qui tunicā illius interiorē habuerant, & Franciſci Petrucij Sacerdotis magni apud Senenſes nominis domum ingreſſi, ipſum ab ægritudine decūbētem reperientes, tunicā ipſam nihil eo percipiente ceruicali ſuppoſuerūt ea ex parte, q̄ cubiculū ingredientib⁹ erat auerſa. Cum ille per lectū volueret, cōtigit, vt caput in eam ceruicalis partem repoſuerit, vbi tunica fuerat ſuppoſita; actutumq; ſenſit febre ſe liberatum. Miratus, quidnam cauſæ eſſet, moxq; caput reijciēs eo, vnde illud reuoluerat, febrē ſēſit rediſſe, maioreque admiratione percitus, eodem ſe reuoluit iterum, caputque ibi reſtituit, vbi febris eum reliquerat, iterumq; ſe ſanū, liberumq; percepit. Percunctatus per ſtuporē hoſpites, quidnā attuliſſēt, inuenit magno cū gaudio tunicam, partemque ſibi precibus obtinuit.

In vrbe primaria Cretēſis inſulæ, iacebat oppreſſus febribus vir quidā Italus notus, & familiaris Hieronymo, quo tēpore ipſe Florētiæ cōbuſtus eſt, allatoq; cędis nūcio prę dolore animi grauius ægrotauit, ita vt morti proximus videretur; neq; enim ſatis ei quicquā poterat fieri, cur Sacerdos vitæ ſanctitate, doctrinæq; claritate illuſtris datus eſſet ſuſpendio, & ignibus. Dū hæc meditaretur, obdormire viſus, per quietē reſpexit Hieronymum luce redimitū, qui hortaretur, vt bono eſſet animo, & diceret: Precioſā eſſe in cōſpectu Dñi, mortē Sanctorum eius; in cuius rei teſtimonium affuturā decumbenti ſanitatē nūciauit: actutūq; euigilans re ipſa fugato ipſo morbo percepit oraculi veritatem.

*Digitus Hieronymi ſeruatus dæmonem fugat.*

In monaſterio, quod ſub Luciæ Virginis, & Martyris memoria Florentiæ extructum diximus, Virgines multæ degūnt, quæ ſub prædicatorum Fratrum Regulis viuentes, celebrem ſanctimoniæ famam, per vniuerſam vrbem ſpargunt. Earum nonnullæ à dæmonibus vexabantur, viuente etiam Hieronymo, qui nequiſſimos ſpiritus ſæpe increpationibus, atq; minis cōpeſcuerat. Statim ab eius morte, ſæuiebant dæmones in reliquas Virgines atrocius, quamquam alioqui moribus præſtantiſſimas. Id enim corpori obeſt, non officit animæ. Reſtiterant eis Sacerdotes per multas, crebraſq; adiurationes, apportatis etiā, tum Ioannis Gualberti, tū aliorū Sacratorū corporū reliquijs. Ceſſerat fruſtrà labor omnis, donec pars ea digiti, quæ pendente Hieronymo ictu ſaxi decuſſa eſt, Virgini cuidam appoſita, dæmonem compeſcuit, pepulitque terrificis clamoribus atteſtantem, ſe viri eius, qui datus eſt, ſuſpēdio, & flammis, virtute ligari: ſeq; & ſocios pariter pellendos, eiuſdem viri virtute, cùm tempus aduenisset. Vbi autem Virgo ipſa priſtinæ reſtituta fuit ſanitati, retulit, viſum à ſe tortorem dæmonem, ab ipſo Hieronymo Crucis ſigno pelli.

In eodē Virginum cænobio, dùm vinum putrefactum eſſet, iàm iaq; è cella vinaria, vaſis omnibus exportandū iudicaretur, vt his venundaretur, qui ad varios vſus pelles beſtiarū inficiunt: vna ex virginib⁹ magna fide freta, tetigit vaſa omnia vinaria admotis Hieronymi reliquijs, actutumq; vino vigor redijt: adeò vt omnes, qui prius id noxiū abijciendum iudicauerant, guſtatu optimum, & ſalubre mirarentur: atq; ità in vsū Cænobij, ꝙ eo magnopere indiguerat, abſūptū eſt.

Ligni eius particulam, in quo Hieronymus cum ſocijs pependerat, cuidam Virgini ob dæmonis tormēta ferociēti appoſitam, dæmon ipſe ferre nō potuit. Cranei Hieronymi pars, dùm cineres in Arnum fluuium proijciendi veherentur, à quodam ex puerorum turba arrepta, quartanis febribus virginem liberauit. Oſſis item fruſtum, quod alius puer id temporis rapuerat. piæq; matri religioſè detulerat, Virginem aliam à dæmone poſſeſſam, vindicauit, miniſterio cuiuſdam Sacerdotis, qui integer vitæ ſcelerisq; purus Pico retulit, ac oſſis etiam particulam dono dedit.

*Aqua in quam reliquiæ trium illorum iniectæ fuerant, febres ſanat.*

Idem ipſe Sacerdos dùm aliquandò vltimum penè traheret ſpiritum, & adeſſent, qui ei Sacramentum extremæ vnctionis impartirent, à Bartholomæo Fauētino, cuius nunc nunc mentionē fecimus, admonitus fidere, vt merito illorū triū Martyrum liberaretur: annuente illo, donatam ipſi vitā nunciauit, exindeq; & cibum cæpit, & paucis pòſt diebus liber, ac omni ſolutus morbo fuit. Afflictato iterum eidē Sacerdoti multis diebus febre continua in mentē venit: optimum ſibi fore ægritudinis remedium, ſi ob reuerentiam Reliquiarum Hieronymi, & ſociorum, quas Arnus excepiſſet, eius fluminis aquæ paululùm guſtaret. Itaque peritum aquam miſit, & infuſam in vitreum vaſculum, quo Sacerdotes in myſterijs ad aquam calici miſcendam vtuntur, ebibit, atq; illicò (vt Pico aſſeuerantiſſimè narrauit) febre ſolutus, ſanus ſurrexit. Villic⁹ Patritij cuiuſda Florētini ſenex, mēbris ferè omnib. morbo cōtractis, in cubiculo dū iaceret, ex ſuovoluit ſurgere lectulo: à quo deuolutus in terrā, ac omni humano deſtitut⁹ auxilio; ad Virginis Dei Genitricis imaginē, q̄ in eodē erat cubiculo cōuers⁹ orauit, p triū illorū, q ꝓveritate pepēderāt, exuſtiq; fuerāt, merita, ſanitatem ſibi reſtitui, eaq; finita oratione impetrauit.

Interior Hieronymi tunica, quam familiaris quidam eius precibus dum viueret obtinuerat, admota fæminæ cuidam agenti iam animam, & ab omnibus conclamatæ, incolumem eam reddidit.

Pòſt obitū ei⁹ viri, cui tradita priùs dono fuerat tunica, hæreditario iure ad illius generum dùm ꝑueniſſet, & diſtracta cum reliqua ſuppellectili empta fuiſſet ab homine in Hieronymi vitam, doctrinamq; propenſo: huius vxor omni ope Medicorum diſtituta, mortique proxima, ſubitò reſtituta eſt priſtinæ ſanitati, vbi maritus Hieronymi nomen inuocauit, eiuſq; veſtem ſtrauit ſuper moribunda coniuge.

*Virgines precibus Hieronymi corporaliter paſcuntur.*

Virgines ſanctimoniæ claræ, Monaſterij cui Fulligneo nomen eſt in vrbe Florētia, ob id, ꝙ Hieronymi rebus mirum in modum eſſent addictæ, maximā perſecutionem à ſuis Minoritis & ciuibus paſſæ, eoq; demùm adductæ erant, vt panis, & vini alimonia interdicerentur. Hę cōſtantiſſimè affirmauere, precibus ad Deum Hieronymo interceſſore porrectis, & vinum in vaſis, & panē in cophinis multiplicatum eſſe, nemine mortalium opem in extrema neceſſitate poſitis illis ferente.

Mulier illa, quam Prophetæ, & martyris cor filio tradente cuſtodiuiſſe retulimus marito, & filijs ad

mortē ægrotantibus, & Medicorũ opē deſperātibus, pretioſarũ memor reliquiarũ, crura illorũ neſcientibus ipſis, nec quicq̃ tale ſuſpicātibus tetigit, ſubindeq; tēporis momento febris ipſa, ad appoſiti cordis contactũ exulauit. Eadē mulier, maxima difficultate pariēdi cùm laboraret, ſumpta manibus pixide, qua cor ipſum ſeruabatur, incolumis peperit. Cæterùm domum eius vniuerſam cùm peſtilētia inuaſiſſet, atque omnibus iam timore perculſis, & quidnam agēdum conſulentibus, mulier eodem corde puſtulas tangens, ſuper eas Crucis ſignum delineauit, ſtatimque ſanitas reddita eſt. Eiuſdem cordis minutię quędam lineo panno ligatæ appenſęque puellæ, epilepſiæ morbo laboranti, ſaluberrimo fuere remedio.

Balthazar quidam ſacerdos magna fide, ſimplicique, atque ardenti animo vir, quo procurante ipſã cordis partem cōſecutus erat Picus, cum teneret idē cor, & vexatæ à Dæmonibus fœminæ appropinquaret; *Heus*, inquit illa, *proditor, ſcelerati illius cor tenes?* Mox ad aliam à Dæmone poſſeſſam cum acceſſiſſet, & pixide, qua cor geſtabatur, etiam panno inuoluta tetigiſſet, ſemel in terrã illa magnis cũ eiulatibus ꝓuoluta, ſpumas ex ore mittēs, magnoq; plāctu vociferãs, atq; hæc ipſa verba, *Exuror, exuror*, ingeminãs, tũ ab eodē interrogata, quidnã illud eſſet, quo tã atrociter torqueret? *Carior illius Fratris ſcelerati res eſt*. reſpondit.

*Cor ipſius dæmones cruciat, & obſeſſos liberat.*

Iſta non tacenda, quæ Pico p̃ſente, ac multis videntibus, audientibuſq; cōtigerunt, cùm eius cordis partē ſic Dæmones exhorrerēt, ſic aufugerēt, ſic veriti eſſent, ſic etiã aliquis eorũ de ipſo abdita cōfiteretur, vt nō ſolùm illi, familiaribuſq; illius, ſed multitudini virorum, ac fœminarum magnæ fuerunt admirationi. Itaq; eiuſdem Pici verbis rē integram ordine patefaciam. Venerat ad me (ſcribit Picus de ſe) ſuo cum viro mulier à Dæmone ſæpe vexata, ſed tum quieta, & ſanæ mentis, vt ei ſuper lite in mea ditione ſitæ, ius dicerē. Hãc vbi ſolitam torqueri à Dæmone reſciuiſſem, percunctatus ſum: Num ſæpè arriperet. Sæpè, reſpondit. Memorně eſſet eorum, q̃ furens diceret, facere tuę Dæmoniaco inſtinctu: retulit: Recordari quandoq; nihil, interdũ paucula quædã, & tenuiter. His, alijſque verbis vltrò, citroq; habitis, cũ deprehenderem animo eã non eſſe abalienatã, argēteã Crucē, in qua cōdebatur Hieronymi cordis fruſtulum, cũ alijs cælitũ quorundã Reliquiis, ſed p̃cipuè cum Dominicæ Crucis particula, ſub veſte clam manibus pertractare cæpi. At illa ſubitò vultũ mutare, furere, per cęnaculũ diſcurrere cæpit, voce aperta clamitans, & ſæpe ingeminans, *fœtere lignũ Domini mei*: Nihil omnino de reliquijs cæteris verborũ faciēs, Cui ego: Non etiã tui patroni lignũ? Non, inquit illa. Quis ergo, inquã tuus? Beelzebub reſpōdit. mox capiti crucē cũ impoſuiſſem, & aliquamdiu firmãtenuiſſem, tremebunda corruit. Poſtridie eius diei cũ ad me rediſſet, & eadē multis præſentibus repetere cæpiſſem, mihi venit in mentē, vt ſola cordis particula, q̃ ſeorſum tenebã, vterer. Eã vbi ſuper capite illius extuliſſē, excutere cępit ceruicē, manibus ac cæteris artubus tremere, atq; caput rotare, tã mirabili modo, vt id humanitus fieri non poſſe, qui aderant, aſſeuerarent. Interrogaui, quid eſſet quod ego manibus tenerem? Negauit ſe velle dicere ſic furibunda, vt minaci vultu terreret aſtantes, & pugnis etiã impeteret, meis elabens è manibus. Huic ego brachiũ exhibebam, & manum, qua tenebam cordis partem pixide clauſam, petebamq; vt me percuteret. At illa & vultum auertebat, & pugnũ. Vt vero tandē pixidē capiti impoſui, ſe à me vexari, & torqueri dixit, & pōſt paululũ tamq̃ exanimata in pauimēto cōcidit.

Poſt aliquos mēſes, cum duo Cōcionatores ex his, qui in ſandalijs ligneis Regulã SS.mi Frãciſci ꝓfitētur ad me veniſſent, quorum alter fuerat Romæ titulo Ap.ci Prædicatoris nobilitat⁹, reſciuiſſēq; inter loquendum, aliam eſſe ipſo in oppido meo Mirandula mulierē tribus dæmonibus agitatã quæ res grãdes loqueretur, Theologis etiã non omnino faciles, rogaui, vt ad me perduceretur. Itaq; cum triduo poſt eſſet adducta, ipſiq; veniſſent, Cōcionatores adiurationis, intēti muneribus; adeſſent quoq; plurimi tam mares, quã fœminæ, vt fit ſimilib⁹ in ſpectaculis, primũ interrogabatur, & adiurabatur ab altero Cōcionatore Dæmō vnus, q̃ dicebat ſe cæteris præſtare, & ex prima Hiararchia fuiſſe, ſeptēq; millibus imperãſſe, multaq; reſpōdebat, deinde proponebat nobis quæſtiũculas, inter quas: Num æquum foret pro paruula cæleſtis peccati morula, in præceps actos Dæmones ad æterna ſupplicia: Num æquum, vt infantes q̃ baptiſmate initiari decedunt, oēs in cælum ſuſcipiãtur: Num æquum, vt eadē merces nouiſſimo, ſicut primo reddi debeat, ꝙ ſcriptum eſt in Euãgelio. Cui ego æquũ eſſe reſpōdi. Nũq̃ enim eos cōuertēdos, q̃ vnde fuerãt vno momēto merſi, ſemel elegerũt ꝙ ſēper amplexi fuiſſent. Præmium, quod eſſentiale dicit', æq; nouiſſimo, ac primo reddi; ꝙ accid̃ētariũ eſt, deberi proportione ſeruata. Puerorũ animas inſontes & initiatas baptiſmo, iure tolli ad ſuperos, cũ nulla debeatur pœna his, qui carent culpa: & cũ redempti ſint Chriſti morte, illos præmiũ manere ſempiternũ. Ex quibus etiã patet, æquũ eſſe, vt illis beatitudo tribuatur nuper natis, ad quã etiã ſenes perueniant. Hæc, & alia dum agitarētur, miſi clã petitũ, cordis Hieronymi particulam ſerico panno multipliciter obuolutam, & lignea clauſam pixide. Hanc à feneſtra clam mihi porrectam pugno ſiniſtro concluſi auerſus à muliere, ne vllo modo aut ipſa, aut qui aderant circumſtantes, quod agerem, percipere poſſent. Mox elato pugno ſenſim poſui pixidem ſuper velo, quo caput ipſius mulieris amiciebatur, actutumque Dæmon oſtendit ſe ſignis & verbis infeſtari: ac interiecit, grauari ſe nō ſecus ac ſi turri premeretur, quæ in arce, vbi eramus extat inſigni, & craſſitie, & altitudine. Dũ interrogarē, quid ei moleſtũ eſſet: *Melius*, inquit, *egiſſet ille, ſi delitijs vſus fuiſſet, quam igne, quo eſt combuſtus. Quis ille*, inquam? *Quod illi nomen?* Id, inquit, *illi nomen, quod ei fuit qui pectus percutiebat*. Tunc ego cōtinenter adiuratione priore non ceſſante ſubieci, *ſi combuſtus, quo pacto corporis eius parte præmeris*. *Pars*, inquit, *illa non abijt in cineres*. Quænam eſſet pars ſubinde quæſiui. Reſpondit eam eſſe partem, quam ſibi præberi ab homine Ieſus expoſceret. periphraſi ſcilicet cor exprimens. Subintuli mox *vbi nunc ille? Nō in eo*, inquit, *vbi Ieſus & Apoſtoli, ſed propè*. Vrgebam tunc. Quonam in ordine collocata eſſet anima? Inter Cōfeſſores, inquit. Mentiris, inquã, exprime locum. Tũ vultu, & voce parũ mutatis: *Certè* inquit, *eſt inter Martyres*. Percũctatus ſubinde ſũ, An vnq̃ ipſius cordis particula ſpiritus aliq̃ expulſi fuiſſet. Reſpondit, expulſos. Locũ quæſiui: Florētiã expreſſit, ꝙ multo ante ipſe reſciuerã, cũ pariter mihi relatũ eſt affirmaſſe mulierē quãdã Dei ſpiritu pollētē, cor illud eſſe Hieronymi, ter ſibi diuina reuelatione patefactũ fuiſſe. ex his, quę vidit Picus, ad audita reuertitur enarrãda.

*Dæmonum de Hieronymo teſtimonium*

Thomas Caianus, dũ poſt necē Hieronymi, cuius diſcipulus fuerat, ſocio Syluestro Marradio Piſciam (id Florentiæ ditionis eſt oppidũ) acceſſiſſet, Nannã vxorē Braccij cuiuſdã ſuaſu mariti viſitauit ægrotãtē mortiq; proximã, nã pręter febrem, maximo capitis dolore affligebatur. Tũ Syluester: *Eſt apud me* inquit, *particula quædã ex oſsibus Hieronymi, experiamur, an eius meritis Deus velit Nãnã liberare*. Excipiēs Thomas; *mihi*, ait, *illã ipſã præbete petituro idipſũ à Deo nō ſine proteſtatione*: acceptoq; eſſe, hæc *Nannæ* ait, *Dic mihi ſoror: à qua afflictatione petis à Deo liberari per merita Hieronymi? A capitis dolore*, inquit, *quo magis, quã febre diſcrucior*. Illico Thomas manus cum oſſe ſuper capite ægrotantis appoſuit, hæc ad verbum præferens; *Domine Deus, ſi Frater Hieronymus à te miſſus fuit ad prædicandum; ſi à te eſt, quod prædicauit, & Prophetauit; ſi in cælo apud te eſt: & ſanctus, & Propheta, & Martyr, Te precor, vt in teſtimonium proteſtationis huius, & veritatis, liberes iſtam à dolore capitis ſicut petit*. ſtatimque finitis verbis nulla ſe interponente temporis mora liberata eſt. Hæc ego ab ipſomet Caiano, & quidem, quæ retuli verbis, ait Picus, non Latinis quidem, ſed Etruſcis, nihil vlla ex parte mutatis, accepi, qui quidem Thomas multis poſtea intercedentibus annis, hoc quoque miraculum contigiſſe narrauit, non quidem à ſe viſum & auribus ab ipſomet ore mulieris, in qua peractum eſt ſincere perceptum.

*Alia quædam à dolore capitis alia à febre liberatur.*





Helena Petri Bettini Ciuis Florentini filia, Iacobo Nardo, cuius ante meminimus, nupta, vterum octauo menſe gerens, cum tribus hebdomadibus grauiſſima febre fuiſſet agitata, extremæ vnctionis gratia Sacerdotem iuſſit acciri, atque inter expectandum Sacerdotis aduentum, à marito ſibi petijt dari imaginem Prophetæ Hieronymi, quæ in ſcrinio ſeruabatur: qua accepta, ſecedente marito fudit orationem ad Virginem Dei matrem, hac mentis intentione, vt adiumento ſibi eſſet, ſi vera eſſent, quæ ab ipſo Hieronymo prædicata, & prænunciata fuerant: atque ita dum ſuper facie ſua ſumptam manibus fricuiſſet imaginem, ſubito ſanata eſt, accerſitoque viro, veſtes petijt, lecto exilijt, cum ipſo & filijs pranſa eſt incolumis. Id ipſum multis poſt annis Lucas Bettinus, Helenæ frater mihi ex ore ſororis affirmauit.

*Fluxus ſanguinis curatur item Herniæ morbus curatur.*

Bernardus Granellus, cuius ante feci mentionem vomitu ſanguinis continuo, ſic de vita periclitabatur, vt nullam de ſua ipſius ſalute ſpem medicis reliquiſſet; porrectis ad Hieronymum precibus, priſtinam recepit ſanitatem.

Mirandulæ oppido noſtrò, in quo hæc ſcripſimus, poſt obitum Hieronymi, miracula circiter viginti intra pauciſſimos dies, tum mares, tum fœminæ precibus eius experti ſunt, quorum aliqui palam mihi obteſtati ſunt, iureiurando etiam aſſeuerantes ſe voti verbis emiſſis; temporis puncto ſanitatem conſecutos, morbis omnino extinctis quibus quadriennio vexari acriter fuerant, horumque omnium, ſolenni tabellionis inſtrumento, fides olim facta eſt apud Iuſtum Spirenſem, qui Vicarius erat Epiſcopi. Sed & Paulum poſtea Tubicinem meum, à fluxu immundo, quo per quinquennium tabefactus erat, triplici deprecatione curatũ nouimus, & mundatũ.

Ioannes quoq; Antonij Mirandulanus Ciuis opifex ſellarum equeſtrium, ex inueterato Herniæ morbo, quo per vnde viginti annos laborauerat admodũ ſenex, effuſis precibus ſanitatē priſtinã quantocius adeptus eſt. Idē poſt annos tres duplici quartana febre vexatus, imo vergēte iã autumno de vita periclitatus, diuino nutu fuit aliquis miſſus ad eum, qui diceret, vt memor eſſet ſuſcepti olim à martyre, & Propheta beneficij, neq; deſperaret, ſed omnino fideret; futurum, vt beneficiũ reciperet; prece emiſſa febrim, quamquã accedentē non amplius ſenſit; & oppido liber, ac alacer Deo, & martyri grates egit. Peregrinus Pendalia Ferrarienſis Ciuis, mihi, & alijs permultis teſtatus eſt, ægroti ſibi, ac ex febre ardentiſſima periclitanti, Hieronymum, aut momento, aut ſaltē vix perceptibili tempore, opē tuliſſe poſt emiſſas ad Deũ preces, vt eius meritis, quē Prophetã, & Martyrē crediderat, ſanitati priſtinę reſtitueretur, eoque maximè tempore pulſam febrem aſſeuerauit, quo extremum acceſſionis in ipſa hora poſſideret; à qua precibus liber, vt è lecto ſurgeret veſtes ſibi ab vxore afferri petijt. quæ imminentē ſuſpicata mortē (multas enim iacuerat hebdomadas) veritaque iudicium mentis abalienatum eſſe flebili feruore, in deferenda veſte morabatur, & lamentis idipsũ proſequebatur. Ille iuſſis inſiſtēs & ſe ſanũ affirmãs veſtē tandem impetrauit, & eodem die è lecto ſurrexit.

Eandem Beati viri opem ſenſit, Odo Canalis, & ipſe eiuſdem Vrbis Ciuis. Lecto namque decumbēs, ægritudine annua labefactatus, vbi Deum orauit, vt Hieronymo intercedente amiſſam ſanitatem recuperaret, facta eſt ad eum vox: *Surge*. Qui quamuis excitatus, & ſpe fidens, vt ſurgeret, viribus tamen deſtitutus cùm decidiſſet, iterum audita voce, *Surge*, è lecto liber deſcendit, omnibus poſteà (vt mihi narrauit ipſe) ſani viri officio functus.

*Alii item morbi. & febres pelluntur.*

In eadem vrbe ſutoris cuiuſdã vxor, octenni morbo, & eo quidem moleſto correpta, nec marito, nec medicis ſpem ſui vllam reliquerat. Siquidem aſthmate, quod nos anhelitũs difficultatem vocamus, tabefacta, de curandis in craſtinum exequijs, adhortantibus ad id medicis, maritũ coegerat. Igitur is, magno cum animi mærore, dum maiorem Vrbis Eccleſiam intraſſet, cũ Chriſti corporis Sacramentum Sacerdotis manibus attolleretur in ſublime, votũ concepit, ſi Hieronymi precibus, ac meritis vxor triũ dierũ ſpatio ſanitati reſtitueretur, curaturum ſe, vt diuina fierent in æde Sacra Prædicatorum, ad altare B. Vincentij. Finitis verbis, peractiſque diuinis, domum rediens, coniugem ipſam, quæ conclamata iam fuerat, incolumem reperit è lecto ſurrexiſſe; quę die poſtera, poſtquam tot annos iacuerat, pedibus ſuis ad Eccleſiam morbo iam libera voti perſoluendi gratia perrexit.

Zenobius Florentinus Sacerdos, ad impoſitionē fruſti illius, quod è Hieronymi digito excuſſum eſt, febrientem Virginem, quæ etiamnum præter æſtum, ab eruptione ſanguinis ob fractam in pectore venã, grauiter infeſtabatur, q̃ citiſsimè incolumē reddidit, prolata oratione, quæ ſub Martyris Laurentij nomine Deo porrigitur; mutato tamen nomine Laurentij, in Hieronymi, & Dominici nomen.

Nonnulla etiam ad me (ait Picus) pertinentia, nō grauabor afferre. Attritus tertiana febre, ea, quã medici notham vocant, æger admodum decumbebam: præter ardentiſſimum febris æſtum; magna anhelitus difficultate, & tenebris viſui ſubortis mirum in modũ affligebar. Porrectis ad Hieronymum precibus, momento temporis, & reſtituta eſt acies, & anhelitus facultas ampliſsima redijt, & q̃ arcem tum culmenque tenebat febris, adeò decidit ipſo momēto, vt qui aderant Medici, tacto mox arteriæ pulſu iudicauerint, ſatis eſſe naturæ, quantumlibet potenti, eam febris intenſionem quinque horarum ſpatio depellere; quę nudis precibus ipſo tēporis momēto fuiſſet expulſa.

Sed fidem eius ergà me (narrare pergit Picus) patrocinij cumularunt, quæ à fœmina ſanctimoniali celebri dicta ſunt. in Vrbe Mantuana cuidam affini meæ, dum pro me quondam exule, in patriam reſtituendo, preces ad Deum interponeret; fore enim, vt Hieronymi interceſſione, aduerſiſſimos caſus euaderem, factus ſum certior. Viderat (inquit) Hieronymum Deo aſsiſtere, meque manu apprehenſa (ità ſibi per imaginem videbatur) ipſi Deo præſentem facere. Non multò poſt tempore, in manus inimicorũ, qui mortem mihi ſæpenumero intentauerunt, cùm perueniſſem, liber euaſi, non ſine mea, & meorum omnium admiratione. Nec multò poſt, in Rauennate prælio, quo Pontificis Maximi Iulij, & Hiſpanorũ copiæ fuſæ ſunt, ab exercitu Gallico captus ego, cum mille modis oppetere debuiſſem, ſoſpes contra omnium opinionem fui. Nam præter pericula præſentis cædis, in ipſo armorum conflictu, in quo mortem intentabant omnia, cùm vtrimq; circiter viginto octo hominum millia perierint, militabant etiã in aduerſo exercitu hoſtes mei; qui ſiue amicitia, ſiue affinitate cũ magnis contracta Principibus; ſiue æſtimatione rei militaris, omnem pene Gallorũ exercitũ deuinctũ

habebant; vna tantum equitum ala, inter tot numeroſas, & peditum acies, à qua vitam ſperare poſſem, ſi in eam fortè viuus incidiſſem; in eamq; ipſam nihil ipſe conſiderans incidi, nullo modo ſaucius, quãq̃ neceſſẽ vndecunq; ſeptus armis, & ictibꝰ etiã ad cõfinia armorũ, & nudi etiam corporis impetitus fuiſſem: ac tandem ad victricia caſtra perductus, in quæ tutus, atque etiam paucas pòſt horas ſecurus euaſi. Tertius decimus agitur annus, ex quo cinctus obſidione eò perueneră vt humanam opẽ prorſus deſperans, à ſolo Deo pendere cognoſcerẽ meã, & meorũ omnium ſalutẽ. E campis omnia ſublata frumenta, pecunia penè omnis in milites erogata; quàm in oppido congregari annonam iuſſeram, ea ferè omnis abſumpta: quę mihi ſuppetiatũ veniebant auxiliares copiæ, dolo fuſæ fuerant, vel fugata: circumquaque perſonabant, edicta vicinorum Principum, ne quis mihi amore, aut pretio foret adiumento. Erat in vicina vrbe inter Sacras Virgines vna præ cæteris Hieronymo addicta, quæ præter omnium opinionẽ rem meam, diuinitus fore ſaluã aſſeuerabat. Paucos poſt dies euentu confirmatum eſt oraculũ; quandoquidem nocte intempeſta, nemineq; perſequẽte hoſtes diffugerunt, tàm p̃cipiti motu, vt nulla mora ad Padum vſque ſeſe receperint, & in eius alueo plerique o. ciderint. Cauſam ſciſcitantibus, nullam, q̃ quicq̃ haberet, virium adferre potuerunt. Poſteà verò multa, Hieronymi nomine ſunt relata, inter quæ, quòd cauillari apud me poſſit mortalium nemo, memoriæ ſuggeſtum eſt meæ: Recordarer verborum, quæ ſuper quibuſdam rebus mihi, dum inter homines verſaretur, dixerat Florẽtiæ in æde S. Marci, & in ea parte, quæ ſanandis ægris poſita eſt; quæ quidem verba ab omnium hominũ cognitione ſemota ſic ſemper fuerunt, vt & mihi conſcius ſim veriſsimè ea, nulli hominum patefeciſſe. Mihi tñ ipſi, & rei, & loco ſingulatibus conditionibus planè ſignata fuerunt, vt etiamſi obliuioſiſſimus fuiſſem, non poſſem eorũ nõ meminiſſe. Cæterùm multæ in dies reuelationes adſunt, multa ſigna fiunt, Hieronymi, & ſociorum ſanctitatem teſtantia.

Scio hominem de rebus ſibi ab Hieronymo prædictis dubitandum olim, & anxiũ, quæſijſſe diu pòſt Hieronymi ex hac vita diſceſſũ, vt certior fieret, Verane eſſent, quæ hauſerat ab eo, dum ageret in humanis; proindeque conſuluit tum mares, tum fæminas, quos diuinis reuelationibus claros fama ferebat, ex omni ferè ordine, & ætate; nulliſq; demum teſtimonijs comperit, & in omnibus, & diuinis reuelationibus nixis vera eſſe, quæ ille ſibi ſpiritu prophetico prædixerat. Hęc de Hieronymi magnalibus Ioannes Franciſcus Picus, Mirandulæ Dominus, & Concordiæ Comes, poſteritati reliquit. Alius iſta alia referebat.

*Egregiam eius opẽ experitur ſculptor quidã.*

Statim à morte Hieronymi excitata in eius auditores grauiſſima perſecutione, Bartholomæus à Mõte Lupo, ſculptor egregius, ſolũ vertere conatus, Venetias ibat. Bononiæ, à quodam Canonico detentus, ad preces eiuſdem duodecim Apoſtolorũ imagines ſculpſerat, tàm venuſtis, tam religioſis vultibus, vt vniuerſa ciuitas mirari ſatis nõ poſſet. Poſtulatus à Canonico, vt donum relinqueret, primùm negauit; & dimidium operæ flagitauit; quod vxori, & familiæ ſuæ, Florentiæ relictæ, & adiutorium extrema in neceſſitate expectanti remitteret. Auidus ille Canonicus, ne obolum quidem præſtare voluit: & ꝙ atrocius eſt, Bartholomeo paulo poſt ægrotanti, venenũ miſceri iuſſit, vt derelictis ſtatuis, Ioanni Bentiuolio, vrbis tyranno gratificaretur, eaſque illi offerret. Miſer ſculptor ad extrema deductus, cùm iam iam moriturum ſe cerneret; atq; ſe ea omnia, & ſuam familiam pati, ob Hieronymi ſequelam, ad Hieronymum conuerſus dixiſſet: hic vnà cum ſocijs veſtitu fulgentiſſimo eidem apparuit, manuque prehenſa cum in lecto ſedere feciſſet, *Vbi eſt fides tua?* blãdo admonitum, ad ædem vicini, cui Camillo à Sepe nomen erat, tranſmigrare inde iuſſit. Sex menſes à deſumpto veneno in lecto decubuerat; neque vllus ad ſanitatem rediturum ſperabat. Cumq; ab ea viſione, & promiſſione valentior factus veſtes deposceret; ac miniſtri Canonici phreneticum putantes, deriderent: ipſe nemine adiuuante illas induit, Camillum adiuit, & in eius domo narrata de Hieronymo viſione, ſanus omnino euaſit: cum nonniſi imaginem mortis, eo appellans, ex ſe attuliſſet.

*Peſtis fugatur item ſanguinis fluxus Hieronymi ope ſiſtitur.*

Anno à cæde Hieronymi vertente, cum peſtilentia Ferrariam, & in ea vrbe quandam ſingulariter familiam inuaſiſſet, paterfamilias voto ad Hieronymi memoriam, huncin modum concepto: ſi ſcilicet ipſe cum ſuis incolumis euaſiſſet, Florentiam, vbi ille exuſtus cum ſolenni munere accureret: ſanus vna cum ſuis, & ab omni periculo liberatus Florentiam iuit, & vota ſua in S. Marci templo, vbi Hieronymus vitam arctiorem vixerat, perſoluit. Ab huius miraculi notitia, Senis in Etruria anno 1523. Ludouicus Boninſegnium peſtilentia cui domus ſuæ miſſo Florentiam ad S. Marci cereo effugauit.

Ibidem Ferrariæ, Bernardinus Nardinus ciuis, ex grauiſſima vxoris, quæ tabe conſumpta, ac morti p̃roxima duas filiolas fere infantes relinquebat, valetudine afflictus, cum nullam opem à medicis, ac medicinis expectaret, ad Baſilicam Cathedralem profectus, & ſacro Miſſæ ſacrificio ad S. Mariæ Magdalenæ aram, multa cum effuſione lacrymarum intentus, in eleuatione Diuinæ hoſtiæ Deum orauit, vt per merita Hieronymi, cui ſemper credidit, quẽ pro indubitato Propheta habuit, dignaretur coniugem perſanare, viuamque tantiſper eſſe, donec filiolas adultiores videret. Orationibus votum addidit, ſi ab hinc tertio die, vxor valetudinem recipere inciperet, aliquod ſacrum in æde Prædicatorum, cui S. Mariæ Angelorum titulus eſt, recitari faceret, in altari duntaxat S. Vincentij, cui ipſe, vxor, & filiæ interforent. Non inania fuerunt vota, Vix ſacro abſoluto, domum reuertens vxorem alacrem, & fere ſanitati reſtitutam reperit, duobuſq; Sacerdotibus, Stephano Salutienſi, & Timotheo Patauino, ex ipſo S. Mariæ Angelorũ Cænobio accitis, miraculo iam vxoris ſanitatem denunciauit: atque die deſignato, vna cum vxore iam ſanitati reſtituta, ac filiolis vota concepta perſoluit.

Accidit non multo poſt, vt altera ex filiabus à ſanguinis fluxu immedicabili, à Guidone Francolino & Petro Viguitienſi Medicis præſtantiſſimis iam pro deplorata relicta, morti appropinquaret. Ibi Bernardinus cum vxore pro incolumitate filiolæ ſollicitus, cum plurimos Sãctorum inuocaſſet, nec quicquam opis videret, audire ſibi viſus eſt vocem, quæ diceret, vt alios Sanctos, quod nomina eorum iam vbique celebria haberentur, interim miſſos faceret, & ad Hieronymum non omnino omnibus notum accurreret; futurum, vt ſanitatem filiæ impetraret. Fecit; votum concepit: vt ſi intra tres dies ſanguinis profluuium ſubſidiſſet, ſacrum in templo Conſolationis, cui ipſe, vxor, & filiæ intereſſent, iuberet fieri; ac præterea miraculum primo qui ex Dominicanis occurriſſet, patefaceret. Vix domum reuerſus, filiam perſanatam è lecto ſurrexiſſe, & officium B.M.V recitare comperit, factumque Mariano Concionatori celeberrimo enarrauit.

*Aere alieno oppreſſo ſubuenitur.*

Ibidem Ferrariæ, Verardus Cultrifex, multum æs debebat cuidã ex nobilitate. Premebatur grauiter à creditore, vt diſſolueret, neq; modum habebat. Adueniente die, quo Magiſtratus decreto, aut pecuniam numeraret, aut in carcerem iret, totus afflictus, & cuidam feneſtræ domus innixus, orationem ad





Hieronymum fudit, quem etiam videre meruit in aëre cuidam ſedili inſidentem: vnde ſpei plenus Creditorem ſupplex conuenit, à quo tempus, & commoditatem facilè obtinuit, æris diſſoluendi.

In eadem vrbe Sigiſmundus presbyter, pagi Guartiſanæ Parochus, ſermone de bellis Flaminiæ à Duce Valentino excitatis, & ab Hieronymo quõdam prænunciatis, inter nobiles exorto, ipſe quoq; renunciauit, ſe cum nõ ità pridem Iuris prudentiæ operam dare deſtinaret, Hieronymum ad horam matutinarum precum viſibiliter apparentem aſpexiſſe, qui ab illo eum ſtudio dehortaretur, ſi ſaluus vellet fieri: & ad Theologiam addiſcẽdam induceret: quiq; iuberet, vt Fratrem ſuum conueniret, moneretq; vt ſibi à lachrymis temperaret, quandoquidem Deus pro ſua benignitate gloria, & honore illum in cælis coronauerit. Signum autem, nè fantaſma vidiſſe diceretur, flagitanti, iſtud dederit; Iret in Eccleſiam Guartiſanam, vbi candelabrum maius antè aram funalibus excipiendis collocatum, loco emotum, & altari B.M.V. impoſitum inueniret. Iuerat presbyter, & ſecundùm dicta inuenit: & præterea Inquiſitori Bononien. Ioanni à Tabia doctiſſimo Dominicanorum, examinatus propalauit.

*Varij viri à diuerſis morbis periculum liberantur.*

Aliquis Sacerdos Hiſpanus, qui viuentis Hieronymi fama permotus ad audiendum illum, Florentiam venerat, in Hiſpaniam redux, poſtquàm cæſum audiuiſſet illum, in ægritudinem incidens grauiſſimam, illius opem implorauit: atq; is vnà cum Dominico, & Syluestro comitibus circà lectum decumbẽtis apparuit. Obſtupefacto illi, & nũ is eſſet Hieronymus, quem Florentiæ num duobus ſocijs exuſtum acceperat, interrogati, Hieronymus reſpondit: *Ego ſũ, & iſti, quos vides ſunt mei Sodales: quid vis? quid me toties inclamaſti? quid poſtulas?* Sanitatem, cùm ille dixiſſet, Hieronymus manus fronti illius admota, dixit; *Ieſus Chriſtus Deus verus per ſuam miſericordiam, & per fidem, quam verbis meis habueras, te ſanet*: atq; ſtatim cum ſocijs diſparuit: Sacerdos verò in momento conualuit.

Lucæ in Etruria in Monaſterio Dominicanarum, Oſanna Stringacia virgo, ex his, quas Conuerſas vocant phtiſi cõſumpta & à medicis deplorata, oratione ad Hieronymũ, & ſocios fuſa ſanitatẽ recuperauit.

In alio Cænobio, quod S. Iuſtinæ dicatũ eſt, Monialis quædam ab apoſtemate in brachio, conuulſione, & febribus periclitans, pòſt vota Hieronymo facta, & brachium cereum ad S. Romani miſſum, ab his, quibus premebatur, malis liberata fuit.

In eadẽ vrbe peſtilentia graſſante, Paulus Vannius ciuis, cum vxore, & XII filijs, atq; vniuerſa familia mortuo iam vno ex filijs, ſupremã horã expectabat. Ad inſinuationem cuiuſdam matronæ, Sacerdotem ex Dominicanis cùm euocaſſet, atq; is vxorem illius de rebus Hieronymi nihil (Minoritis anteà confitebatur) credentem, ad vota eidem facienda, induxiſſet, intra tres dies extrà omne periculum fuit: ac vt vouerat, vnam ex filiabus Veſtalem Dominicanam fecit.

Ibidem Lucæ, vidua quædam deplorabat filiolam, paralyſi cingulotenùs infrà adeò reſolutam, vt ſe nullatenùs poſſet mouere. voto ad Hieronymum concepto, precibuſq; ardentiſſimis profuſis, illam incolumem aſpexit.

Eodem planè morbo afflicta Florentiæ, Caſſandra Aciaiola, Iacobi Ridolfij vxor, perſuadente fratre, Alexandro Aciaiolo, vt in poſterũ de rebus Hieronymi aliter ſentiret, opemque illius miracula facientis imploraret, tandem: *Quod nocebit*, inquit, *ſi experimentum quæſiuero?* ac flagitauit, vt ſi ille, & ſocij, veri ſerui Dei eſſent, per merita illorum Deus tantum ſanitatis ſibi impertiretur, quantum poſſet cruciculis ligneis innixa, per domum deambulare. Vix orauit, morbo remittente è lecto ſurrexit, veſtes nemine adiuuante induit, per vniuerſas domus officinas, omnibus admirantibus deambulauit: ſemet accuſans, quòd non integram ſanitatem poſtulaſſet.

Viterbij, aliquis, cum obtuſo ingenio, & omninò inepto ad ſtudia, legere tandem addiſcere voluiſſet: pòſt multos fruſtraneos conatus, voto ad Hieronymum, & ſocios emiſſo, ipſe per ſe, & à ſeipſo legere expeditè didicit.

*Viſiones viduæ cuiuſdã circa innocentiam Hieronymi.*

Prati in Etruria, aliqua vidua ſpiritu prophetico illuſtris, vtpotè q̃ lõgè antè eius oppidi vaſtitatem, p̃ſentemq; circà expugnationem futurum Ioannem Cardinalem Mediceum, & oẽs minutias impugnationis p̃dixerat, nocte natiuitatis Dominicæ aſpexit, *Ieſum* paruulum poſitum in præſepio, *Mariam* Virginem, Ioſephum, Angelorum multitudinem, Paſtores infantem adorãtes, Angelũ cuſtodem armatum, Hieronymum, ac ſocios. Audiuit item *Ieſum* hæc dicẽtem; *Volo renouare Eccleſiã meam*: ac præterea Angelũ cuſtodem, ipſam adhortantem; iret ad Dominicanos, & peccata ſua illis confiteretur: quandoquidèm plurimi ex eis, cooperarij eſſe deberẽt eius renouationis Eccleſiæ. Illa reponẽte: eos ꝓ hæreticis haberi, ꝑpter tres Fratres Florentiæ nuper exuſtos; queadmodum plures Minoritani populis ſimplicioribꝰ perſuaſerãt: iterum audiuit inprimis eundẽ Angelũ Cuſtodẽ, qui diceret: *Ecce corã adſunt tres illi, iã martyres glorioſi, orantes Deum pro ea renouatione*: deindè ipſum Hieronymum, qui monebat; nè amplius eſſet incredula his, quæ ille prædixerat: iret ad Dominicanos, & his renunciaret, *ſanguinis iſtius* (pilam ſanguineã oſtendebat) *quem manu præfero alia vice non exortes fore*. Ad vltimum interrogante illa: Et cui iſta diceret, cùm neminem ex Dominicanis Pratanis cognoſceret: *Confeſſario*, ait, *quem primùm tibi eliges*: qui hæc omnia Fratribus enarraret. Diſparente viſione iuit, narrauit; Sacerdos verò Franciſco Siculo Priore, Sodales ad locum Capituli euocante corã omnibus rem expoſuit. Alia vice, ſe vidiſſe iſtud, quod narrabo, eadem vidua enarrauit: ſe ab Angelo cuſtode in aulam quandam ornatiſſimam manuductam, aſpexiſſe, quàmplures purpureis veſtibus amictos, & in loco eminentiore illum ipſum, quem in oppugnatione Prati viderat, tyara triplici gẽmis diſtincta coronatũ (Leonem X. indicabat) ad quem plurimi ciuium Florẽtinorum, & Fratrum Minorum accedentes, edictum contrà tres illos exuſtos & ſequaces extorquere conarentur: quibus ille tñ reſponderit: *Et quid deſideratis, vt illos malè perdam: Si illi tres aliquid admiſiſſent, iam pœnas exſoluerint. Iſti religioſam vitã viuentes, nec vllo flagitio affines, nihil que demeritos, non poſſent integris legibus, atque illæſa conſcientia, vllo maleficio affici.*

Quamquam verò adeò intrepidè is reſpõdiſſet, illi tamen importuniores, aliquid ſcripturæ ſurripuerint, quæ omnia Pontificio Leonis X. vt vidua prænuiderat, euentu cõprobata fuerunt, quandò Pontifex Archiepiſcopo, & Canonicis Florentinis ſcripſit, vt in doctrinam Hieronymi inquirerent. Ex ea inquiſitione, cùm aduerſarij triumpharent, iamq; actum fore de memoria Hieronymi affirmarent, Pontifex Florentiæ tunc præſens, ad S. Marci pro ſolennitate Epiphaniarum cõceſſit, Sacris ſolẽnibꝰ interfuit, totũq; illum diẽ cum Cænobitis, p̃bito illis etiã epulo mãſit: opinioni q̃ in vulgꝰ Minoritæ ſparſerãt, detrahẽdæ.

Florentiæ inter Moniales S. Luciæ, Mauritia Redditi Nouitia, morbo incurabili in capite afflicta, à contactu reliquiarum Hieronymi conualuit.

Ibidem Archangela Aldobrandina, brachij ex grauiſſima quadam infirmitate cõtracti, vſum priſtinum ab eodem contactu recuperauit. Eiuſdem ſocia Humiliana, intolerandum ex apoſtemate interno capitis dolorem, & ſonitum aurium diutiùs paſſa, eodem modo effugijt. Alia virgo indidem, nomine Criſtina, ab alia quoq; immedicabili ægritudine liberata reliquijs Hieronymi fuit.

*Epiſcopum qui Hieronymũ exauthorarat reddit ſanitati.*

Iſtud verò præclarum eſt. Nõ multò poſt mortem Hieronymi, Benedictus Pagagnotus Epiſcopus, ille qui exautorauerat exurendos, rupta nõ ſemel in pectore vena, ac phtiſi tabefactus morti propinquabat. Aliquãdo in lecto quieſcens, aſpexit tres Dominicanos cubiculũ introiuiſſe, & inter hos vnũ aſpectu auguſtiore, ad pedes illi⁹ in lectulo cõſediſſe, duos alios circũſtetiſſe. Exiſtimans eos vel à S. Marci, vel à S. Mariæ Nouellæ veniſſe: *Qui eſſent?* interrogauit, & vt ꝓpiùs accederet inuitauit. Nõ reſpõdentibus illis: quærere, & inuitare pluries cõtinuauit: donec vnus, an eos agnoſceret, percontatus eſt. Illo negante, ac iterum, & tertio, ſe illos minimè agnoſcere dicente; tandẽ vnus ille, mirari ſe vehementer dixit: ꝗ eos nõ noſſet, quos nõ ità pridem exautoraſſet: & manu extenſa, Iſte eſt F. Hieronymus Sauonarola, Ferrarienſis: alter F. Syluеſter Maruffius: ego verò Dominicus Piſcienſis. Quòd cùm perterrefactus ille audiuiſſet, ad Hieronymum conuerſus, quæſiuit, Num æquum duceret malum ꝓ malo rependere, an bonũ pro malo? Hieronymus ex Apoſtolico præſcripto reſpondit, & manu benedictione impartita, *In nomine Domini eſto ſanus* dixit, moxq; ſanum relinquens diſparuit: quẽadmodum is ipſe Epiſcopus, Simoni Stradæ, & Roberto Vbaldino Dominicanis, qui inuitatum pro ſolennitate Epiphaniarum, à S. Marci Priore miſsi venerant, ingenuè confeſſus eſt: cum prius narraſſet, ſe vehementius timere, nè aliquando pœnas daret, quod contra ius, ac æquum illos tres exauthoraſſet. Enimuerò cũ legib⁹ cautum & vſu quotidiano receptum ſit, priùs debere Epiſcopum, cui degradandi poteſtas facta eſt merita cauſæ examinare; & in Tabulas Quæſtionum accuratè inquirere, quàm ad executionem prioris ſententiæ ꝓcedere: nè videlicet innocens ab iniquo iudice prædamnatus, iniuſtè puniatur: nèue nocens dimittatur: ipſe legis, & moris Eccleſiaſtici præſcripto prætermiſſo: ad nutum Alexandro iubenti, nè quæreret, quid admiſiſſent, ſed ſiue nocentes, ſiue innocentes à Cõmiſſarijs darẽtur, Sacerdotio exueret, obtemperans, magiſq; hominibus, quàm Deo complacere cupiens, illos gradu dimouiſſet.

*Lepra quidã laborãs, item alia vlcere peſſimo percuſſa ſanatur.*

Ibidẽ Florentiæ ad annum Dñi 1545. Andreas à S. Gaudentio, Textor ſericorum, annos 33. natus, incurabili toto corpore lepra deformis, ac planè impotẽs artis exercendæ, ſuaſu Petri Ripæ apud S. Laurentium Sacerdotis, in Arno præterfluente, in quem cineres exuſtorũ iniectos, aquas ſanctificaſſe dicebat, ter, præmiſſis priùs antè ſingulas vices tribus *Pater noſter* & totidem *Aue Maria*, lotus, mundatus euaſit: atteſtantibus miraculũ Petro Bernardo, Franciſco Bonino, Ioanne Baptiſta Nellio, & ipſo Andrea fatente, corã Thadæo Bartoli Priore, Marco à Caſa ſupprio-re, & Vincentio Bernardi Aedituo S. Marci.

In eadẽ vrbe Eliſabetha Petri Berthi filia, Bernardo Mazingo nupta, vlcere peſſimo, à planta pedis vſq; ad verticem capitis, aliquanto poſt matrimonium cõtractũ tẽpore adeò percuſſa, vt nec ſedere, nec iacere ſine grauiſſimis doloribus poſſet & plurimũ incõmoditũ marito tũ ſocrui afferens, iã huic faſtidio eſſet: vtq; aliquãdò ab eadẽ ſocrui *Tu tandẽ quãdoq; morieris, noſq; hac moleſtia liberabis*, audiſſet: ad preces medullitus ſfũdẽdas cõuerſa, cũ Deo dixiſſet. *Aut me eneca, aut me perſana*, cubiculũ, in quo iacebat ſplẽdoribus qbuſdã cæleſtib. illuſtratũ, & in his tres Dominicanos ad ſe veniẽtes cõſpexit: quorũ medius duobus ſocijs illuſtrior, dixit: *Eleuare filia: quia ſana effecta es.* In quibus verbis, diſparẽtibus illis, Eliſabetha ſanata ſurrexit, genua in terra gratias Deo habitura poſuit, omneſq; in ſtuporẽ cõuertit: marito excepto, q Hieronymo aduerſariùs cũ affirmãti mulieri nõ crederet: imò Guaiacũ illi à medicis ꝑſcribi iuſſiſſet, ipsãq; quãtũuis ſanã in cubiculũ penitı⁹ cõieciſſet: ipſe in his furijs infirmitate extrema percuſſus, occubuit: hoc in mortem æternam præcedente iudicio, quod in extremis poſitus, oculos manibus quantum potuerat, tegeret, nè quædam ſpectra morienti obuerſantia aſpiceret. Petrus Berthi, Eliſabethæ Pater, & F. Antonius Antonini Berthi miraculum, vt acciderat, retulerunt.

*Curatur alia hydropica.*

Pratri in Etruria, in Cænobio S. Vincentij, Sanctimonialis, nomine Obedientia, Simonis Ginorij filia, ſex annos cõtinuos ægritudinibus varijs conflictata, tandem hydropica, & ad extremum cõtracta, pedibus vſq; ad renes retortis, dextra manu diſtenta & quaſi lapidea duritie immobili, digitis ad volam manus ità refractis, vt nè amplius putreſcerent, opus fuerit lamellas plumbeas interponere, vitam calamitoſiſſimam potiùs trahebat, quàm viuebat. nulla medicorum ope potuit curari: vt Marcus Antonius à S. Geminiano: & Nicolaus Lucen. Profeſſores affirmabant. Neceſſarium accidit, tempore belli, quod Clemens VII. in Etruria gerebat, vt Pratanæ Moniales militarem excurſionem metuentes, Florentiam tranſmigrarent. Inter has Obedientia, ægrè, atq; vix in clitellis delata, in Ioannis Bartolini ciuis Florentini, vbi pluſquam centum Veſtales diuerterant, cõmodam recuperandæ valetudinis occaſionem, omninò præter ſpem, ac opinionem inuenit. Veniebant matronæ perquàm nobiles, vt ſanguine illas iunctas inuiſerent. Aliqua inter illas commiſerationis plena, ſtatim, ac Obedientiam, miſeram eum in modũ contractam aſpexit, indoluit, & antidoti ab reliquijs Hieronymi ſuper infirmos virtutem experta, fruſtulum illius carnis ambuſtæ ꝙ in Monaſterio S. Luciæ ſeruabatur illis repræſentauit: admonitione adiuncta, vt patrocinium Hieronymi ſuper contractu flagitarẽt, neq; dubitarent, incolumitatem ſecuturam. Die XII. Octobris anni 1529 ad momentum eleuationis hoſtiæ ſacroſanctæ, Margarita Boninſegnia, fruſtulum illud prehendens, manui contractæ ægrientis impoſuit, dixitq; *ſi tres illi Patres, Deus, ſunt beati apud te, fac miſericordiam cum hac tua ancilla*, *illamque ſanitati reſtitue.* Dixit: brachium Obedientia liberè extendit: digitiſque vſui priſtino reſtitutis, fruſtulum reliquiarum corripuit, ac alterum genu retracto illo ſignauit, illudq; in locum proprium, ità vt iam ſedere & Cruciculis innixa per domum ambulare poſſet, rediſſe ſenſit. Ad 26. diem anni cõſequentis, qui fuit 1530. ſuper eodem & poſteà die 18. Martij, reliquijs iiſdem ſuper altero pede impoſitis, illius illo, huius hoc die plenariam ſanitatem recuperauit: vt deinceps ſine Cruciculis ambulauerit, & Pratum poſteà pedes, alacrior, robuſtiorq; cæteris reuerterit, Marco Antonio, & Antonio Medicis excellentiſſimis miraculum prædicantibus: ad cuius oſtenſionem, digiti manus dexteræ priùs recurui, non omninò diſtenti, vſui tñ plurimùm apti remãſerunt, Cæcilia Baldaci Præfecta, Raphaela Fauentina, Columba Medicea, Margarita Bardi, Magdalena Strozia, Margarita Boninſegnia, & aliæ Sãctimoniales Dominicanæ, miraculis patratis præſentes, Timotheo Roberti Riccij qui ſcripſit, rem, vt acciderat, narrauerunt.

*A varijs alijs morbis liberatur.*

In eodem Cænobio Pratano, Catharina Petri Frãciſci Riccij virgo, hydrope, calculo, & biennali febre, necnõ aſtmate laborans in hunc modum fuit ſanata. Circumſtantes Moniales, anno 1540. votum pro illa cõceperant, vt ſi per merita trium illorum exuſtorum ſanaretur intra tres dies, facerent tria ſolennia ſacra decantari, & anniuerſariũ cædis eorundẽ feſta obſeruatione ad tres annos cõſequẽtes celebrare. Voto facto, aliquid reliquiari Hieronymi collo eius appẽderunt: à quarũ geſtatione tantũ abeſt, vt melius habuerit, vt etiam morbi oẽs acceſſione facta, grauiùs eandẽ afflixerint, ſomnũ per totos 30. dies & totidẽ noctes afflictæ eripuerint, ac planè ad deſperationẽ impulerint. Enimuerò dubitare cæpit, nè fortè à reliquijs cauſa eſſet, eaſq; collo detrahere tentauit: cæ-





terum confortata, & orationi feruẽtius, quam ante intenta, retinuit: tandem cùm amplius afficeretur, detraxit, & altariolo quod in cubiculo extabat, iniecit, mox & ipſum, & reliquias cubiculo eijcere cogitauit. Dum ità fluctuaret, & animo æſtuaret; ſomnus illam corripuit; quo oppreſſa, in altariolo capite reclinato, videre ſibi viſa tres Dominicanos ſplẽdore circumfuſos, mediũ ex his, qui nubeculæ lucidæ inſidere videbatur: *Qui eſſent?* interrogauit. Viciſſim ille, Quomodo eos non agnoſceret: & tandẽ neganti; A quonã ſanitatẽ flagitaret? ac poſteà dicenti, Ab Hieronymo; ſe eſſe renuntiauit, monuitque, vt in virtute obediẽtiæ, ſe inprimis exerceret, ac ſummo mane exomologeſi præmiſſa ſacram hoſtiam deſumeret: ac ꝑ tereà ſigno Crucis illã ſignauit, manũ ægrotanti impoſuit & tandẽ ſanitati perfectæ reſtituit. Nãque ſtatim, atq; euigilauit, ſurrexit, & 32. calculos nigerrimos, acutos, magnitudine fabæ eiecit: quam curationẽ miraculoſam fuiſſe, Franciſcus Caſtillioneus Aretinus, medicorum huius temporis experientiſſimus agnouit, & faſſus fuit.

XXX. *Finis hiſtoriæ de Sauonarola conſtatque præoccupatione.*

Multa alia miracula, ab inuocatione Hieronymi facta, & olim, & pòſt fuiſſe ſcriptores referunt; inter quos Thomas Nerius in libello Apologetico, autoritate publica, Florentiæ, apud Iunctas anno MDLXIV. impreſſo narrat, Cardinales (erãt, Bernardinus Caruaialus, Epiſcopus Præneſtinus, Guilelmus Briſſoneta, Sabinus, Franciſcus Borgia, Renatus Bria presbyteri, & Fridericus Sanct-Seuerinus Diaconus) Piſis contra Iulium II. congregatos, Bartholomæo Fauẽtino, cuius ſuperius mentionẽ fecimus, Vicario Generali Prouinciæ Romanæ, promiſiſſe, ſi is cœtui illorũ vnà cum ſuis Dominicanis Piſanis adhæreret, Hieronymum Sauonarolam Ferrarienſem, Cathalogo Sanctorum inſcribere, & controuerſiam de Conceptione B.V.M. ad fauorẽ Dominicanæ opinionis definire. De Iulio II. referebat is ipſe, voluiſſe Hieronymũ in numerũ Sanctorũ recenſere. Sed hic ſat prata, de Sauonarola; quæ omnia iudicio, S.R.E. & arbitrio Lectorum libenter ſubijcimus, nè rem noſtrã agere videamur. Extant libri, ex quibus iſta deprompta: ex noſtro nihil planè, niſi laborẽ, fidamq; texturam attulimus, ſecuri ab impoſtura affectus, quẽ fors aliquis affingere ſomniabit. Tuum fuit, VERITAS SVPREMA, de illo iam decernere. Tuum eſt SANCTA MATER VERITATIS, de illo decernere. Tuum LECTOR ET COGNITOR VERITATIS, iudicium de illo, vel ferre, vel mage expectare, ꝙ DEVS VERITATIS illuminabit abſcondita tenebrarũ. Addam tantummodò, id, quod Nicolaus Machiauellus Florentinus, quantũuis Mediceis impẽſiſsimè addictus, de illo ſcripſit. Nouimus, *inquit*, omnes Florentiæ, Caroli VIII. Galliæ Regis aduentum in Italiam, ab Hieronymo Sauonarola longè ante prædictum fuiſſe. *l.1. diſputationum c.56. &c.* Populo Florentino, neque ſimplici, neque ignorantia obruto, Hieronymus Sauonarola Monachus perſuaſit, ſeſe cum Deo colloquia habere. Quod non in eũ finem dico, vt verumnè, an falſum fuerit, pronũtiare auſim, neq; enim de tanto viro aliter, q̃ cum quadam reuerentia loquendũ exiſtimo. ſed affirmo, infinitos homines Florẽtiæ extitiſſe, qui id ꝓ certo crediderint; q̃uis ab illo nihil miraculoſũ patrari vidiſſent; ꝙ vitæ ſanctimonia, doctrina, & res ipſa, q̃ tractabat, omnia talia erãt, vt fidẽ ei adhibendã teſtarentur *eodẽ l.1.c 11.*

XXXI. *Minoritæ cuiuſdam hæreſis.*

Minoritæ inter alios fidẽ illi detrahebant, complures, ſiue ab æmulatione nõ ſecundũ ſcientiam inflammati, ſiue à domeſtico periculo metuentes, nè quid ſimile Hieronymo cõtigiſſet. Hoc .n. ipſo tempore apud eoſdem Mathias Tiburtinus multos decepit, & ex ſeductis, ſectam fecit. Erat is Tybure, patre Medico natus, & Latinè, Græcè, Hebraicè, non mediocriter doctus. Memoria vero adeo tenaci, & diſſerendi acumine tanto, vt oẽs condiſcipulos adhuc ſecularis ſuperaret. Franciſcano inde habitu Romæ inter Obſeruantes indutus, doctoris, & concionatoris celeberrimi famã acquiſiuit. Cæterũ à proprio ſenſu deceptus, vbi de obſeruatione Regulæ S. Frãciſci in diſputationẽ ventũ ad litteram obſeruandam eſſe affirmare, docere, & defendere cepit, ſimulque octuaginta circiter ſuæ Prouinciæ ſodales in eandem opinionem traxit: damnans Sanctum Bonauenturam, Quattuor Magiſtros Theologos, & illos Summos Pontifices, qui vel Regulam S. Franciſci declarauerunt, vel priuilegia viuentibus ſecundum eandem Regulam ſic expoſitam conceſſerunt. Dicebat homo ſingularis, omnes expoſitores illius eſſe condemnatos, multo magis viuentes iuxta illos: eaque propter nec Prælatis, nec Summis Pontificibus obediendum, ſi ſecundum declarationes viuere præciperent. Damnabat & Cænobia, quę Procuratores, & Exactores, ſeu Syndicos haberent; quaſi in ſtatu peccati mortalis, perpetuo eſſent: neque pro defunctis in eis Fratribus, orationum, vel ſacrificiorum ſuffragia habenda. Multa alia indigna falſus aſſerebat, in quorum opinione vt amplius confirmaretur, Satanas, qui ſe transfigurare nouit, & ſolet in Angelum lucis, in ſpecie Chriſti illi apparuit, & in obſtinatione peruerſitatis obdurauit; ita vt mandata Eccleſiæ, & cenſuras Pontificias Alexandri VI. contemneret. Compactus ea de cauſa in carcerem, cũ emẽdationem promiſiſſet, ac errores abdicare videretur, inde liber redijt ad vomitũ, poſtq̃ Dæmonẽ in forma crucifixi iterũ apparentẽ cõſpexit, qui argueret, ꝙ opinioni aliorũ adhęſiſſet, & peccati grauiſſimi reũ ſe feciſſet ante Deum. Cõfirmatus in pertinacia, & in ergaſtulũ coniectus inde fuga cũ aliquot ſectarijs euadẽs in quoddã deſertũ ſeceſſit, vbi nouũ Ordinẽ Inſtituere, Prouinciales, cuſtodes, & alios adminiſtros deſignare, tãta væſania, vt etiã impudẽter ſcribere de ſe non erubuerit, iactabũdus affirmãs, ſe in omnibus actionib. illuminatũ eſſe à Deo, ac miraculis illuſtrandũ. Obſeruãtes freti authoritate, & adiutorio Alexãdri Põtificis, temerariũ illũ in fugã coniecerunt, atq; Sectã delirantiũ diſſiparunt, autore ad Minores Cõuentuales cõuerſo. *Marcus Vlyſsiponen. hiſt. Seraph. lib.7. cap.17.*

XXXII. *Marrani fidẽ Chriſtianam abiectam reſumunt.*

Reperti ſunt etiam hoc anno CC.XXX. Marani, qui fidẽ Chriſtianã ex Hiſpanijs eiecti eiurauerunt. Romam vagi venientes, cogniti, delati, in carceres coniecti, ac tandem ad eãdẽ fidem reduces, ad hunc modum in Eccleſiam, ab Alexandro Pontifice admiſſi ſunt. Dominica die 29. menſis Iulij. (ita ſcribit Ioannes Brucardus, qui vidit) conſtructum fuerat ſuggeſtum magnum, & amplum ante Porticum Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe inter ipſum, & alium, qui eſt ſuper ſcalas, acceſſus ad eandem Baſilicam. Super hoc ſuggeſtũ admiſſi ſunt CC.XXX Marrani reconciliandi; quibus ſuper eodẽ ſuggeſto in terra in eorum conſueto habitu conſedentibus. & RR. Patribus D.D. Petro Archiepiſcopo Reginenſi, Almæ vrbis Gubernatore, Ioanne Carthaginenſi, Sereniſſimorum Regis & Reginæ Hiſpaniarum Oratore, Octauiano Marranenſi Epiſcopo S.D.N. Papæ Referendario, Dominico Iacobatio, & Iacobo Dragatio Sacri Palatij Apoſtolici Cauſarum Auditoribus, Magiſtro, Paulo de Monelia Ianuenſi Ordinis Prædicatorum, eiuſdem Sacri Palatij Magiſtro, & Magiſtro Ioanne de Malcone Ordinis Minorum Sacræ Theologiæ Profeſſoribus præfati D.N. Papæ in Baſilica præfata pro natione Hiſpana Pænitentiarjs, & in eorum quotidiano habitu in loco vt ſupra conſedentibus quidam Magiſter in Theologia Ordinis Prædicatorum, fecit ſermonem in vulgari Italico de fide, & contra dictos Marranos: qui omnes natione Hiſpanica erant, & inter eos vnus profeſſus Ordinis S. Franciſci, cuius habitum publicè

deferebat: quem, & oēs prætatos de omnibus eorum erroribus ſibi notis in fide arguit, reprehendit, & inſtruxit. quo ſermone finito, Marrani petierunt veniā, & ſe abſolui. Tum Magiſter Sacri Palatij, ſermone Latino admonuit eos ad fideliter credendū, & benè viuendum: & pænam ſimul merentibus conuenientem cōmemorauit: quā admonitionem quibuſdam verbis Hiſpanis illis expoſuit. Deindè omnibus illis genu flectentibus iniuncta pæna, vt in habitu, qui eis impoſitus fuit ad hoc ordinatus, bini, & bini irent ad Baſilicam S. Petri, orationem ibi facturi: & inde eodem ordine ad Eccleſiam Conuentus Beatæ Mariæ ſupra Mineruam, vbi dimiſſo habitu, poſſet quiſq; liberè in ſuum locum redire. Acceptis huiuſmodi habitu, & pæna, præfati Domini Magiſtri Paulus, & Ioannes abſoluerunt omnes, qui abſoluti fuerūnt ad Baſilicā, & Eccleſiam prædictas, Papa in Cameris nouis omnia pfata vidente, & eis benedicente. Habitus aūt dictis Marranis impoſit⁹ huiuſmodi erat forma. Super habitu quotidiano quædā tela rubea, ſiue pauonatia ſuper humeros antè pectus, & terga pendēs vſq; ad coxas, habens crucem croceam latam, quatuor digitorum, & longam ad longitudinē ipſius telæ ſuperhumeralis: & vnuſquiſq; applicuit ad Altare prædictæ Eccleſiæ Beatæ Mariæ ad Mineruam, depoſita tela ſua præfata. illis receptis Fratres appenderunt in altum Eccleſiæ, p memoria actus illius. Detentus etiā in carceribus fuerat Petrus de Aranda, Epiſcopus Calagurítanus, SS. D. N. Papæ Magiſter Domus, de Marrania, & hæreſi infamatus; cuius cauſam Alexander Pontifex, Petro Archiepiſcopo Reginenſi Almæ vrbis Gubernatori, Petro de Venantia, Epiſcopo Cæſenatenſi, Curiæ Cauſarum, Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, & Egerdo Durca, Epiſcopo Sleſuicenſi, vni ex dictis Cauſarū Sacri Palatij Apoſtolici Auditoribus locum tenenti, audiendam, & de iure terminandam cōmiſit. qui examinatis p parte fiſci pluribus, & pro parte Arandæ, centum, & vno teſtibus, omnibus in partè, vel in toto contrà ipſum Arandā deponētibus, proceſſū priùs cōtrà ipſum debitè inſtituto, tandem die Veneris, XIV. menſis Septembris ijdem DD. Cōmiſſarij, in ſecreto Conſiſtorio S. D. N. Papæ proceſſum, & teſtium depoſitiones retulerunt: quibus intellectis Alexander, de conſilio Reuerendiſſimorum Dominorum Cardinalium, dignitate Epiſcopali, omnibuſq; beneficijs, & officijs Arandam priuauit, & ab omni Ordine depoſuit, & degradauit: qui Petrus priuatus, depoſitus, & degradatus, tandem in caſtro S. Angeli, in quandam cameram pro carcere coniectus fuit. *Brucardus in diarijs huius anni*

XXXIII. *Ferdinandus & Iſabella de rebus ad Chriſtianam rempublicā pertinētibus ſūt ſolliciti.* Hæc dùm in vrbe curaret Alexander, Ferdinandus, & Iſabella Reges Catholici, non de leuioribus, ad rem publicam Chriſtianam pertinentibus cogitabant: miſſis anno exeunte in Vrbem Oratoribus, Henrico de Corduba, fratre Comitis Cabræ, & Philippo Pontzio de Xatiua, qui Pontificem grauiſſimarum rerum admonerent. Quid hi propoſuerint, & quomodò; conſequentis anni initio exponemus. Non minor eos cura tenuit, ſucceſſoris in Regnis relinquendi: nè vel Maurica impietas, ſi reſurgeret: vel apoſtatarum, quorum ingens multitudo, malitia, ſi præualeret, perniciem tam Fidei Orthodoxæ, quàm publicæ quieti, per aliquod interregnum afferret. Ergo Emanuēlem Luſitanum generum, cum Iſabella filia illi nupta euocarunt, vt tanquàm legitimi regnorum hæredes à populis fidem acciperent. Calendris Aprilis huius anni Olyſſipone profecti, Pacem Auguſtam petiuere, Caſtellæ vrbem ad vtriuſque Regni fines. Toleti poſteà, Caſtellæ Principes renunciati, non eandem Aragoniorum procerum propenſionem, varijs varia diſſerentibus, experti ſunt, donec Iſabella Michaëlem filium peperit: in cuius verba illi iurauere: illa iam ex doloribus parturitionis extincta. quæ vt ſcriptores huius temporis teſtantur, longiſſima vita, digna fuerat.

*Iſabella Luſitaniæ Regina nupta moritur.* Ximenius Archiepiſcopus Toletanus morienti aſtitit, ſicq; mortē contemnendam eſſe perſuaſit, vt vita mortali ſpreta, ad Deū quamprimùm euolare concupiuerit. Vix enim ex vtero prodeunte infantulo, animā in Ximenij manibus emiſit, nō indignantem, aut mærentem, q antè diē in ætatis flore occumberet, ſed potiùs viri ſanctiſſimi monitis, exultantem & lætam enixè. In illa vltima vitæ reſpiratione, à Ximenio petijt, vt deſolatorum parentū curam ſuſciperet: & nè quid ex ſubito caſu incōmodi caperent, prouideret. Nā eos proculdubio tàm graui ictu conſternandos eſſe certò prænouerat. Fecit id ſedulò Ximenius: & cùm vtrumq; parentem mæſtiſſimū offendiſſet, & Iſabellam apud Deum Opt. Max. iam viuere, & agere profuſis lacrymis dixiſſet, tanta cōmiſeratio Regum animos inuaſit, vt Antiſtitem bono eſſe animo iuberent: & ſe mortales eſſe, & mortalem genuiſſe dicerent, & ob temporis tranſacti vſuram immortali Deo gratias agere. Hic iā fronte confirmata Ximenius, cæpit apud eos de rerum humanarum incōſtantia grauiter diſſerere: benè actum eſſe cum filia Principe prædicans, quæ è terrena poſſeſſione, & caduca, ad immortalē, & cæleſtem tranſlata eſſet. quod apertè declarabatur, cùm ex dictis Sanctimoniæ, & pietatis plenis, quæ moribunda protulit, tum ex rebus paulò antè actis, quibus mortem ſciuiſſe apertè intelligebatur. Crebrò enim fæminis Palatinis dicebat, vnà cum partu mortem quoque ſibi adfuturam. Quocircà priuſquàm tempus partus accederet, conſcientiam ſuam diligenter excuſſit, & viros religione, & ſanctimonia claros, aſſiduos ſibi, & frequentes adeſſe voluit: quibus cum multum ſermonem de alterius vitæ myſterijs habuit. Defunctæ corpus tranſlatitio funere in Diui Franciſci Cæſarauguſtæ ſepultum, deinde Toletum delatum in cænobio Virginum compoſuerunt, quod Diuæ Iſabellæ nomine pater conſtituerat, auiæ maternæ ædibus in Monaſterium conformatis. *Gomecius lib. 2. Marianæ lib. 27. c. 3.*

XXXIV. *Turcæ diuinitùs cædūtur.* Hoc anno ſub finem Nouembris, Deus protector Regni Poloniæ, multa millia Turcarum ſine armis extinxit. Septuaginta millia Per Valachiam, in Ruſſiam ſeſe effuderant, omnem eam oram, quæ ad Neſtrum, & circum Haliciam, Zidaciouiam, Drohobiciam, & Samboriam eſt, ferro, & igni vaſtantes, & prædas agentes. Neq; progrediendi, ac debacchandi modum vllum ſibi ſtatuiſſent, nemine ſeſe ipſis obijciente, niſi cælitùs Deo, ſicuti creditum eſt, miſerante populum ſuum, repreſſi, atque adeò oppreſſi eſſent. De repentè enim intenſum frigus, & gelu extitit, & nix tanta decidit, vt circumſepti vndiq; Turcæ, neque progredi, neque regredi poſſent. & inſolens id, nouumq; hominibus illis pariter, & iumentis, mitiore cælo natis, & educatis acciderat. Ità iumētis pleriſque omnibus frigore, & fame confectis, hominum quoque ſuprà quadraginta millia alſiſſe, & obriguiſſe memorantur. Multi reperti poſteà, qui interfectis equis, in vteros eorum exenteratos calentes, etiam tum ſeſe illatebrauerant, ſed nullo operæ pretio. Statim enim calor artus, vita & ſanguine deſtitutos deſerebat. Reliqui cum ſeſe vtcumq; tamen explicaſſent, & in Moldauiam euaſiſſet, à Stephano Palatino, & Valachis Polonorum inſequentium habitum mentitis, & locorum opportunitate vtentibus, diuexati, & contrucidati ſunt, ità vt vix decem millia Iſtro tranſmiſſo, ſalua euaſerint. In religionem hæc res ceſſit Turcis, ità vt ſibi perſuaderent, gentem Polonam, atq; Ruſſam diuinitùs defendi, & vindicari. *Cromerus lib. 30.*

XXXV. *Vita & obitus B. Angeli Minoritæ Obſeruātis* Hoc anno ad Cælos emigrauit B. Angelus à Verboſa, Boſnenſis Minorita ex his, quos Obſeruantes vocant. Natus is patre nobili Græco, ſed ſchiſmatico, diuino munere deſignabatur, ad magnalia Dei facienda. Iuuenem aſpectu venuſtum, & conuerſatione affabilem, à labe impudicitiæ, atq; ſenſualitatis præſeruauit: ac eo tempore, quo Iacobus Picens Minorita, Regem, & populos Boſnæ ad gremium Eccleſiæ reduxit, illū quoque non tantum ad obſequium Ap.cæ Sedis reuocauit, verum et-





rum etiā inter Minoritas profeſſum, ingentibus donis cumulauit, eruditione, gratia, eloquentia, ppter quas dotes in magnum Cōcionatorē euaſit. Initio eius functionis, patrem, & vniuerſam domus familiam, Rom. Eccleſiæ vniuit: Manichæorū, & aliorum hæreticorū, necnon & ſchiſmaticorum errores confutauit, plurimoſque illorum rectam fidem edocuit, fretus autoritate Ap.ca, quam illi Pontifices Romani communicauerant, ad conuerſionem illorum. Venenum à quibuſdam hoſtibus fidei ad bibendum porrectum, præmiſſo ſuper calicē ſanctæ crucis ſigno, in nomine IESV Chriſti innoxiè ebibit, & eo facto plures ad fidē conuertit. nè Turcarum Princeps, negotium Chriſtianis Boſnenſibus, qui ſub eius imperio viuebant, in rebus fidei faceſſeret, impetrauit. Ab Alexādro ſummo Pōtifice, pro ijſdem Chriſtianis legatione functus, multa in eorum rem impetrauit: ac tandem in laboribus pro animarum ſalute ſuſceptis ſancto fine quieuit. *Vlyſſiponen lib. 7. c. 34.*

XXXVI. *Item B. Nicolai Hollandi Ord. Prædicat.* Eodem anno, in Cænobio Harlemienſi ad vitam tranſijt meliorem F. Nicolaus Hollandus Prædicatorum Ordinem inter Conuerſos profeſſus. Fuit inſigni Sanctitate, à modeſtia, humilitate, patientia, continētia, amore communitatis, orationibus, & meditationibus aſſiduis maximè verò ab obedientia, quā etiam Deus aliquando miraculo illuſtrauit. Venerant aliquot Patres, hoſpites, quibus oportuit cibos hoſpitales parare. Præfectus Monaſterio iniunxit Nicolao, vt ad piſcinam domeſticā iret, totq; piſces caperet, quot reficiendis aduenis ſufficerent. Iuit Nicolaus, & poſtquam in piſcatione multum laboraſſet, nihil omninò piſcium prendidit, aut vidit. Retulit omnia Priori, qui in virtute S. obedientiæ illi præcepit, vt reuerteretur, veſtibus depoſitis piſcinam intraret, & piſcibus imperaret, vt è cauernis, & latibulis exirent, ſeque captui faciles exhiberent. Reuerſus ille, imperauit, & in momento Lucium piſcem inuſitatæ magnitudinis excepit, merito S. obedientiæ, cui omnia poſſibilia exiſtimauit. *Pius lib. 1. de viris illuſtribus Ord. Prædicatorum, & Leander Albertus lib. 6.*

XXXVII. *Fons in Belgio ægris ſalubris erūpit.* Eodem anno in Belgio, in villa Ruttis, turri Beati Euermari martyris collapſa, foris ex aduerſo fons erūpens, ſuauem dedit odorem, cuius aqua quamplurimi infirmi abluti, priſtinæ reſtituti ſunt ſanitati. Vndè diuerſorum cōcurſus illic accreuit populorum, quorum plurimi ab infirmitatibus curati ſunt. *Bruiſthemius in hiſt.*

# ANNO CHRISTI 1499.

## ALEXANDRI PAPÆ VI. Anno 7. & 8.

### MAXIMILIANI ROM. REGIS Anno 14.

I. *Turcarū in Venetos apparatus.* PRæcipuum Alexandro Pontifici ſtudium fuit, Turcarum auſus inſolentes reprimere. Iſtud auxilio Ludouici præſertim Galliarum Regis, feliciter conſecutus fuiſſet, niſi priuata quorundam conſilia, publicæ rei incommodaſſent. Deſtinatum erat, Deo vindicias de quorundā malefactis deſumere, & propter peccata Principū populos quoque caſtigare. Res eſt. Baiaſites Turcarū Imperator, claſſem ingētem in Venetos hoc anno parabat: occaſione sūpta ex velitationibus priuatis. Nauis Venetorum vna longa, ex earū genere, quæ ad mercaturam proficiſcuntur, more, inſtitutoq; maiorum connehendis ijs hominibus, qui aut voto ſuſcepto, aut religione permoti. Chriſti Dei ſepulchrū, q eſt Hieroſolymis, adire, atque inuiſere cupiunt, in Syriam quotannis ſtato tempore mitti ſolita, cum ad Maleam iter faceret, in Turcarum aliquot naues Arige præfecto incidit. Erant onerariæ duæ, totidem triremes, ac biremes quinque. Ex his biremes duæ ad nauem Reipub. præmiſſæ, vela demittere iubebant. Mos eſt nauticus eiuſmodi, vt qui plus, aut viribus, aut dignitate pollent, velint, vt quæ ſibi occurrerint naues, velificationem intermittant, antennaſque demittant, cum honoris ſui cauſa, tum vt ſi quid ab illis quærere, aut petere velint, poſſint. Id, qui nolunt facere, ius eſt, bello cogere, vt faciant; ſæpeque accidit, vt ea de cauſa pugnæ magnæ exiſterent, plurimorumque hominum cædes conſequerentur. Aloyſius Georgius nauis Venetæ præfectus, claſſem eſſe illam pyratarum exiſtimans, antennis non demiſſis, curſum tenuit: quod vbi Turcæ conſpexerunt, ab vtroque illum latere ſuis triremibus cinxerunt, & ſagittarum magnam vim in eum mittere cæperunt. Id cum parum proficeret, nauibus ſuis omnibus illum expugnare contenderunt. Eo in certamine Turcæ nauis Venetæ ſcalam ſæpè conſcenderunt, alijque à partibus in nauem proſilierunt; ſæpe ignem iniecerunt, quo & plutei combuſti, & præfecti cænaculum ipſa in puppi, & maiora vela conflagrauerunt. Sed tanta remigum, & nautarum, atque inprimis aduenarum virtus fuit, vt cum ab hora diei ſexta, vſque ad quartam decimam pugnauiſſent, Turcæ receptui canentes, & ſigno pacificationis ſublato, priores pugnam deſinerent, Arigeſque miſſis ad Aloyſium ex ſuis, qui ſalutem illi dicerent, magnumque, atque fortem virum teſtarentur, pacem, beneuolentiamque cum illo inijt. Quadraginta milites ex ijs, quos ianizaros appellant, deſiderati; ex Venetis quinque interfecti; vulnerati complures. In his Præfectus quattuor vulneribus acceptis, neque tamen perijt. Eam contumeliam Baiaſites in ſe vertit, & in Venetos malè animatus fuit; accedente grauiore cauſa, quod Nicolaus Piſaurus nauem onerariam vnius ex Baſſis, exitu ſuperioris æſtatis in Aegeo depreſſiſſet. Cum enim apud Mitylenem cum triremibus quattuor iter faceret, & naui Turcarum onerariæ bellicæ militibus, tormentis, reliquiſque rebus omnibus ad pugnandum idoneis inſtructiſſimæ amphorarum plus trecentarum, quam vento ferri viderat, appropinquauiſſet, vela vti demitterent, vectores admonuit. Illi vela non modo non demiſerunt, ſed pilis ferreis tormentis emiſſis, Nicolai præfectum interfecerunt, ac nonnullos ex remigibus ſagittis celeriter coniectis vulnerauerunt. Hoc vbi fieri Nicolaus vidit, arma ſuis, vti caperent, imperauit, atque in nauem Thraciam impetu facto eam expugnauit, cumque omnibus qui pugnæ ſuperfuerant, depreſſit. Erant in ea naui homines circiter ducenti quinquaginta. Ea re irritatus Baiaſites, claſſem non ſpernendam comparuit, & tum Venetis, tum Rhodijs quoque Equitibus ingentem metum iniecit. Et quidem Veneti Andream Zancanium, Conſtantinopolim Legatum miſerunt, qui in deſtinata Baiaſitis inquireret. Hic Byzantium profectus, magnum quidem claſſis apparatum inſtitutum cognouit, à Baiaſite tamen nullo oſtenſo in Rempub. offenſi animi indicio, liberaliter eſt acceptus; quod is imparatos, inermeſque adoriri decreuiſſet. Eapropter, vt magis Venetos eluderet, fædus quidem cum Zancanio renouauit, ſed fæderis capita Latinis ſcripta litteris ei dedit: ex Mahometanæ legis cautione, ac præſcripto, vt quæ ſuæ linguæ verbis ſcripta non ſunt, ea præſtari non ſit neceſſe. Andreas Grittus, qui ea in vrbe mercaturam, annos complures exercuerat, omniaque Turcarum, inſtituta callebat, ea de re Zancanium admonuit, atque vti fædus verbis Thracijs conſcriptum haberet, pro ſua in patriam charitate hortatus eſt. Zancanius re tentata cum nihil eſſi ere potuiſſet cum fædere Latinis ſcripto litteris Venetias reuertens, Senatum timore impleuit: quod

tam propenſè, cæterùm inſueto Turcis idiomate, fæderis Tabulæ conceptæ fuiſſent. Ludouicus Sfortia Dux Mediolani, Venetis propter Piſas non adeptas infenſus, & deinceps Florentinis Piſas de Venetis recuperare conantibus coniunctus, vnà cũ his, & Friderico Rege Neapolitano, de cõmuni consẽsu legationibus ad Baiaſitẽ miſſis, multa de Senatu Veneto quæſtus, nihil eorum, quæ Baiaſetis animum in Rẽpub. inflammare poſſent, prætermiſit: ac prætereà in ſe recepit, eodẽ ſe tẽpore bellũ in Gallia Ciſalpina Reipublicæ illaturum: quibus Baiaſites magis permotus, in belli apparatum incubuit, exiſtimans, Venetis ab altero latere occupatis, omnia ſibi proſperè, atque feliciter ceſſura. Veneti, vt ad oẽs caſus muniti eſſent, inprimis decreuerunt, vti naues onerariæ bellicæ tres cõfeſtim ornarẽtur: nauis oneraria magna, q̃ Sebaſtianus Marcell⁹ ædificari ſibi curauerat, quę q; Nauplię tunc erat armaretur, claſſiq; adiungerẽtur: triginta triremes deducerẽtur, quarum decẽ ipſa in vrbe, totidẽ Cretæ, ſex in Apulia, quatuor in Illyrico, Magiſtratus Veneti remigibus, atq; militibus inſtruerent, paulòq; poſt decẽ aliæ triginta prioribus additæ ſunt, p̃fectus etiam lectus Aloyſius Marcellus. Miſerunt p̃tereà Oratores ad Ludouicum Regẽ in Galliam, auxilia contrà Turcas poſtulatũ: q̃ quidẽ Rex eò citiùs pollicitus eſt, quò ſub idẽ tẽpus litteræ à Magno Rhodiorũ Magiſtro delatæ ſunt: quibus Regẽ admonebat, Baiaſitẽ, claſsẽ ingẽtẽ cõparare, atq; in ea cura dies, atq; noctes verſari, vt q̃ poſſet maximã atq; ornatiſſimã educeret. Ergo quinto Idus Februarias, fædus cũ Venetis pcuſſit, eiſq; contrà quoſuis hoſtes, auxilia pollicitus, claſsẽ duarũ, & viginti triremiũ, q̃ ad Rhodios tuẽdos armauerat, attribuit, ſeq; etiã ipſum p litteras, & Legatos in bellũ Reipublicæ obtulit. Eiuſdẽ à Baiaſite periculi, tã Veneti, q̃ Rhodij Alexãdrũ Põtificẽ Maximũ monuerũt: q inprimis ex Sacerdotalibus p̃uẽtibus, q in Imperio Reip. cẽſent, tertiã ampli⁹ partẽ in id bellũ q maximũ & periculoſiſſimũ videbat, Senatui cõceſſit: deindè Maximilianũ Cæſarẽ, Regeſq; oẽs, ac principes Chriſtianos periculi cõmunis certiores factos interpellauit, Romã, vt Oratores plenaria cũ facultate mitterẽt, quib⁹ cũ de bello ſacro decernẽdo, gerẽdoq; decerneret. Maximilian⁹ Cæſar, huic rei Comitijs Germanorũ Principum habitis, voluntati Pontificiæ obſecutus, bellũ cõtrà Turcas ſanxit, & auxilia p̃miſit. Hẽricus Rex Angliæ tormenta maiora bellica, & equorũ numerum, nec nõ pecunias Rhodijs tranſmiſit. Genuẽſes, nauticos apparatus, & commeatus ſuppeditarunt. Ioannes Albertus Poloniæ, Ladislaus Bohemiæ, & Vngariæ Reges, & Lituanorũ Magnus Dux Alexander, miſſis inter ſe vltrò, citroq; Legatis, fæd⁹ inter ſe icerunt, quo cautũ eſt de auxilijs mutuis, & ſocietate cõtrà Turcas, & alios quoſuis hoſtes, qui ipſorũ alicui fæderati nõ eſſent: de periculis imminẽtibus, vt ſe inuicẽ p̃monerent, neq; vnus quiſpiã cæteris inconſultis cum Turcis pacẽ faceret, bellumve gereret. Qui contrà feciſſet, ei nè deberentur auxilia: Moldauus vt in clientela Vngarorũ eſſet: Tranſalpinenſi Palatino contrà Turcas fæderati nè deeſſent: de alijs conditionibus fęderis, ipſi inter ſe, Principes congreſſi conſtituerent: Palatinus Moldauiæ Vngaro iuxta, ac Polono cõtra Turcas bellum gerenti præſto vt eſſet: aut ſi non poſſet per ſe ipſe, filiũ cum copijs mitteret: Turcis verò contrà ipſos nè opitularetur, niſi extrema vi adactus. Præter hæc Ioannes Albertus, vnã ex Prouincijs, Septentrionem versùs obuerſam, quæ magis Turcarum excurſionibus vicina eſſet, Rhodianis Equitibus attribuere voluit: qui colonia Latinorum Equitum eò deducta, munitionibusq; extructis, hoſtilẽ impetum retunderẽt. Super omnia verò Pontifex, Ludouicũ Regẽ Galliarum, ad id ſacrum bellum excitare volẽs, fædus cũ eo pcuſſit: ſuprema neceſſitate adductus. Fridericus Rex Neapolitanus, Ludouicus Sfortia, & Florentini, Baiaſitem contrà Venetos inflammabant. Friderico dolebat, Venetos maritima Apuliæ oppida, Tranum, Hidruntum, Brunduſium, Monopolim pignoris loco à Ferdinando Rege aſſignata, quaſi directi dominij titulo poſſidere, & ad totius Apuliæ poſſeſſionem aſpirare. Is ipſe Fridericus ſibi à Pontifice ſubirato, ac Venetis fæderato metuebat: quòd varijs de cauſis maieſtatem eius, vt narrauimus, offendiſſet: ac Carolotæ eius filiæ, cum Cæſare Borgia, Alexandri filio matrimoniũ, minimè ſucceſſiſſet: quòd puella vel amore, vel paterna autoritate, vel occultis Galliæ Regis cõſilijs, quamùis ipſe ſecus ſimularet, ducta, niſi ſimul Friderici patris, qui Galliæ, Regi annuum tributum, & amplas cõditiones offerebat res componerentur, ei matrimonio iungi obſtinatè recuſabat. Erant, qui in Aſcanium Cardinalem, & Ludouicum Sfortias, culpam reijcerent: ſociumq; illis adiungerent: Alfõſum Aragonium Alexandri generũ: qui Fridericum induxiſſent, nè id matrimonium p̃mitteret: ac prætereà Reges Caſtellæ, & Luſitaniæ contrà Alexandrum concitaret. Sanè Aſcanius, & Alfonſus, nulla habita ratione aut Pontificiæ, aut ſuæ dignitatis, inſalutato Alexandro, Vrbe diſceſſerant, fortè metuentes, nè is tandem prouocatus, vindicias depoſceret: maximè quando accepit, Iacobum Cæſaris Valentini filij Internuncium, Roma cum litteris & ſecretis in Gallias reuertentem, Mediolani à Ludouico Duce captum, ſpoliatum, examinatum, omnia arcana hoſti propalaſſe. Vrbe tunc clauſa, quæſitus Aſcanius nec inuentus: captus Bartholomæus eius Camerarius, & in caſtro S. Angeli inquiſitus. Orator Ludouici Ducis, Archiepiſcopus Ianuenſis, Epiſcopus Surentinus, Alatrinus, Prothonotarius Martinus, & vnus ex Sfortijs, in palatium Cardinalis Columnæ confugerant. quos cùm Pontifici Columnius tradere recuſaſſet, ac circa quintam noctis horam, Vrbe, Gubernatore & Adriano Prothonotario à Pontifice miſſis, per circumuentionem in cubiculo relictis, vnà cum illis diſceſſiſſet, & ipſe Pontificem irritauit: præcipuè q ad Aſcanium qui Neptunũ p̃fugerat, ſeſe cõtuliſſet. Detentii in palatio per aliquãtũ tẽporis, Gubernator Vrbis, & Adrianus, &, an cõniuentibus illis Columnius vnà cũ reliquis euaſerit, per Aloyſiũ Epiſcopum Piſaurenſẽ, Cãcellariæ Apoſtolicæ Regentem inquiſitũ: palatium Aſcanij, an fortè aliquid, vel ſcripturarũ ſecretiorũ, vel armorum ſublateret perluſtratũ; Colũni⁹ in arcibus ſuis propter imminens periculum ſeſe cõtinuit: Aſcanius, Neptuno Columnenſium Caſtello, vbi primùm diuerterat, minimè fidens, triremem à Friderico Rege ſubmiſſam conſcendit, ac tribus alijs triremibus ad tutelam comitantibus, Plumbinum, inde Senas excenſione facta venit, vnde quaſi per ludibrium, à Pontifice, & ſacrò Collegio poteſtatem Roma diſcedendi, & Mediolanum adeundi poſtulauit.

II. *Ferdinandus & Iſabella Oratores ad Alexãdrum PP. deſtinant.*

Grauiora ſunt, quæ inſtinctu eiuſdẽ Friderici, Ferdinandus, & Iſabella Caſtellæ, & Emanuel Luſitaniæ Reges in Alexandrum admiſerunt. Die XIX. Decembris anni ſuperioris, venerant Romã, à Ferdinando, & Iſabella Oratores, Euecus Corduba Comitis Egabri frater Philippus Põtius Iuriſcõſultus. Poſtulabãt in Cõſiſtorio publico audiri, q̃ ità eis Reges p̃cepiſſent. Negauit Alexander, illi ab Oratore Friderici Regis, qui ad Maximilianũ Cæſarem vadens, Romã diuerterat, incitati, vrgebant: donec extorſiſſent, vt in conſeſſu ad minùs ſex Cardinalium mandata exponerẽt. Die XI. menſis Ianuarij huius anni, euocati Cardinales, Olyſſiponenſis, Alexandrinus, Sanctę Crucis, Capuanus, Vicecancellarius, & Borgia, Alexãdro aſſederunt. Ibi Oratores Pontifici denunciarunt, Beneuentum nè Eccleſiæ Romanæ Imperio detraheret: Cæſarem Valentinum è Gallijs reuocaret, & ad purpuram recipiendam compelleret, Curiæ Rom. vitia





acriori cenſura caſtigaret; domeſticamq; licentiam quæ maxima dicebatur, cum magna veræ pietatis labe coniuncta, frænaret: Si negligeret, ipſi Reges concilium Generale conuocari conarentur: in quo quàm is ritè fuiſſet electus, quàm rectè Pontificatũ teneret, gereretque oſtenderent. Exarſit ad ea Pontifex: & electionem de ſe canonicè factã demonſtrauit: ſimul iuſtiore ſe titulo Pontificatum tenere quã Ferdinandus Siciliam, & Sardiniam nullo cum dixiſſet, in illum ſe anathema pro die Cænę Domini, tamquã in occupatorem Siciliæ, & Sardiniæ comminatus ſubiecit tamen: Beneuentum Pontificio imperio detractam non eſſe, ne velle quidem tametſi Patrum collegium conſenſiſſet, vt Gandiæ Duci daretur, iure fundi penès Eccleſiam Romanã retenta. De Curiæ, & Palatij vitijs caſtigandis, quod præſcriberent, multum ſibi Reges in eo ſumere dixit. Adiecit, & alio ſtomacho plena, quæ ardor dabat. Miſcuerunt & illi nonnulla (inter quæ comminari Prælatos, qui beneficia in Hiſpanijs poſſidebant, Roma euocare) quæ indignationem accenderent: maximè cum eo prouecti fuiſſent, vt proteſtari nomine Regum vellent, & eapropter Tabellionẽ, ac teſtes, coràm quibus id fieret, introduci poſtularent. Tunc enim Alexander iuſto dolore percitus, audaciam, vel potiùs temeritatem illorum verbis acerrimis increpauit, ac in præfluentem Tyberim, vtrumque mergere comminatus, non impunè illis audax facinus futurum pronunciauit: præſertim quando intellexit, eos vſq; proceſſiſſe, vt quodam die redemptis arbitris, obteſtationem in tabulas retulerit Garſias ipſe Laſſus Orator Regum Ordinarius Notarij Apoſtolici munere vſurpato defunctus. Exemplo, & admonitione Caſtellanorum, & Neapolitani, Oratores etiam Luſitani incitati, Pontificem monere, ac obteſtari non intermiſerunt: præcipue propter Cæſarẽ Valentinũ & Cardinalem, Gotifredum, & Lucretiam cum coniugibus Rege Neapolitano natis, quorum fædæ libidines, & propudioſa morum licentia, magnam inuidiæ partem Pontifici conciliarent, offenſis ea diſſimulatione Ciuitate, atque adeò orbe Chriſtiano vniuerſo. Odium quidem in Garſiam Laſſum conceptum, altiùs in pectus Pontificis deſcendit, quàm vt ſedari poſſet. Itaque Roma diſcedere neceſſe habuit.

*Alexander PP. Friderico Regi infenſus.*

In triennium quoque Regem, & Ludouicum Ducẽ, manifeſtè Alexandro iniurios, eadem flamma inflammata: à quibus, vt Florentinos fæderatos, nec niſi neceſſitate delinquentes; diſſociaret, Piſarum reſtitutionem illis ſe effecturum promiſit, ac Venetos eò adduxit, vt vniuerſæ controuerſiæ arbitrium Herculi Ateſtino Duci Ferrarienſi permiſerint. Reſtitutis Piſis Reipublicæ Florentinæ, quæ ad tranſigendum ſummos, & pudentiſsimos ciues, Paulum Antonium Soderinum, & Ioannem Baptiſtam Ridulphium miſerat eam ſibi fædere adiunxit: vnde fidentior in duos illos factus, Venetorum quoque fædus cum Ludouico Rege Galliæ percuſſum non modo laudauit, ſed etiam iniuit: atque vt illos duos infeſtiſsimos hoſtes aliquo modo caſtigaret, Ludouico Regi, ad Regnũ Neapolitanum, & Principatũ Mediolanenſi, iura vetera, eademque minimè dubia, vt ipſi videbatur, (quoniam certare legibus & cauſa longum erat) armis repetenti adhæſit, ſatiſque ex ſe inflammato, ad maturandam expeditionem faces ſubdidit: deuinctus maximè Ludouici eiuſdẽ gratitudine, qui & Carlotam Alibetti, nulli totius Galliæ Regulorum, & ob Regios natales, & ob regnorum amplitudinẽ inferioris filiã, Cæſari Borgiæ vxorẽ dedit, & contra Vicarios Prouinciarum, & vrbiũ, Apoſtolicæ Sedi refractarios, dominiũq; eius directũ detrectantes, ſubſidia obtulit: ac q præcipuũ fuerat, his ad officium, ſiue armis, ſiue terrore armorum, vel perſuaſione reuocatis, aduerſus Baiaſitem terra, marique mouere conſtituit. Ergo pro ſolennitate SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum, qua ex more ſacris in Baſilica Principe operari debuerat, ægritudinem ſimulauit, ne equum à Friderico Rege, vectigalis pro regno Neapolitano, anniuerſario titulo miſſum acciperet. Eum ipſum equum, cum Sacer Senatus abſolutis Sacris aliquantum expectaſſet, & quod non in tempore adductus fuerit in contumeliam Pontificijs Sedis, & Sacri Collegij factum vertiſſet, è palatio Vaticano diſceſſit: ac non multis poſt diebus Alexandrum ſatis, ſuperque irritatum inflammauit, vt Ludouicum Regem ad quantocius veniendum hortaretur, & in occurſum venientis illius, Legatum de Latere, Cardinalem aliquem deſtinaret. Remanſerant quidem ille die ex Cardinalibus in Palatio nonnulli: ſed equum vectigalem recipere recuſarant excuſantes, non ſe habere poteſtatem. Quibus rebus cognitis Fridericus, cum iam de Pontificis in ſe animo certa indicia teneret, Proſperum Columnam cum auxiliaribus copijs, Ludouico Sfortiæ mittere deſtinabat, qui Ludouicum Regem in Italiam venientem impedirent. Cæterum deſtinabat tantum, non vero deſtinata præſtabat, vltricibus pænico vltro, citroque in Sfortiam ruentibus. Nam & Maximilianus Cæſar ſemper promiſſum auxilium, ſiue ob Heluetij belli impedimenta ſiue ob alias cauſas non ferebat; & Hercules Ateſtinus ſocer eadem rogatus, fere antiqua iniuria, quod illius opera Rhodigiam Polineſum Veneti retinuiſſent exprobrata, ſibi quod cum Venetorum fines Ferrariæ portis ita eſſent vicini, vt propria tecta cuſtodire cogeretur, auxilium ferre non poſſet, diſplicere reſpondit.

*Ludouico Sfortiæ res minus proſperè ſuccedunt.*

Omni igitur ſpe, quæ ex ipſo non penderet amiſſa Anonio, Nouariæ, & Alexandriæ, quæ loca primis Galliæ Regis motibus erant expoſita muniendis, ſolicite operam dabãt, eo conſilio, vt Galeacium San Seuerinatem, cum maxima virium parte eius furori, & reliquas copias ſub Mantuano regulo, Venetis opponeret. Et hic quidem, propter diuinæ iuſtitiæ ſeriem oſtendendã, adlibuit ſingularia quædã recenſere: quæ in Sfortiam, & alios immiſſa. Iſtud auxilium Sfortia non multo poſt, vel imprudentia, vel auaritia, vel quod diuinis conſilijs obſiſti non poſſit à ſe alienauit. Nam cum Venetos, quibus Baiaſites terra, marique incredibili apparatu, bellum inferebat, aduerſus tantum hoſtem rebus proprijs tuendis occupatos, ſibi minime moleſtos fore vana perſuaſione crediſſet; & Galeacio SanSeuerinate qui Marchionem honoris Gradu ſibi anteponi ægreferebat, ſatisfacere cuperet, difficultates monere, quorundam veterum ſtipendiorum reliquum perſoluere nolle & fidei, atque obſeruantiæ inſolitum Sacramentum, & cautiones poſtulare cæpit: & quamuis cum poſtea Venetos, quotidie in Brixienſem agrum copias, vt ad arma, eodem cum Gallis tempore mouẽda, parati eſſent, mittere animaduerteret, per Ferrarienſium Ducem, communem Socerum illum reconciliare tentarit, difficultates non tam citò ſublatæ ſunt, quin pericula, quæ indies maiora apparebant, citius ſuperuenirent, quia in Taurinos, vbi Sabaudiæ Dux denuo ſe Regi coniunxerat, copiæ quæ circa Aſtam hærebant, continenter tranſibant, & Ludouici ſpes minuebatur. Nam Fridericus Rex, ſiue impotentia, ſiue negligentia auxilia promiſſa mittere differebat: & Florentini Galliarũ Regis, aſperis verbis ac pene minis perterriti, in ſe receperãt, ac inſuper clã ſcripto ſpopõderant, nullũ Ludouico auxiliũ ſe daturos: Quocirca Ludouic⁹ leui ad Venetorũ fines ſub Calatiæ comite defẽſione relicta Galeaciũ SãSeuerinatẽ cũ mille ſexcẽtis grauis, mille quingentis leuis armaturę equitibus, decẽ millibus Italis, & quingẽtis Germanis pedib⁹, in trãſpadanam Regionẽ, potius vt oppida vrbeſq; tueretur q̃ vt acie

[o]pponeret, misit: Multis enim de causis moram trahere vtile ducebat; præcipuè verò, quia quotidie pacis, quam ipsius nomine inter Maximilianũ, & Heluetios Vicecomes procurabat, negotium perfici sperabat; qua facta, valida ab illo statim auxilia promittebantur: secus autem non modo auxilium sperare non poterat, verum etiam milites in illis partibus conscribere difficile erat: quoniam motus, qui maximi erant, omnes ad id bellum pertrahebãt: Itaque Galli in Italiam penetrantes, decima tertia Augusti, primum Garesij arcem in Tanari ripa positam, non minus defensorum ignauia, quàm tormentorũ impetu tantam celeritatem adiuuante, breuissimo temporis spatio ceperunt: ea capta, Anoniũ Castellum, via inter Astam, & Alexandriam in Tanari Garesio opposita ripa collocatum, primum suburbio, deinde oppido à quatuor partibus verberato, biduo expugnarunt; atq; arcem, omnibus peditibus, qui in eã confugerant cæsis occuparunt. quo magis repentino, quàm credidisset, successu territus Sanseuerinas, quod ad timorem excusandum inutilem peditatum se habere, & populos in Ludouici fide parum firmos animos ostendere diceret, cum omnibus copijs Alexandrinam in vrbem se recepit. Quare Galli eò audaciores facti, ad quartum ab Vrbe lapidẽ castra promouerunt, eodemq; tempore Valentiam, in qua multi milites, ac tormenta erãt, Donati Raffagnini Mediolanẽsis in ea Vrbe arcis præfecti, Triultij promissis corrupti opera ceperunt. Ab eo enim per arcem in ciuitatẽ introducti; oẽs milites partim ceperũt, partim interfecerunt; inter quos Octauianus SanSeuerinatis nothus frater captus fuit. Et erat notatu dignum, hunc eundem pręfectum ante annos viginti principi Bonæ, & paruo Duci Ioanni Galeacio fide fracta, eodem die, quo Gallos in Valentiam vrbẽ introduxit, Ludouico Sfortiæ, Dertonæ portã tradidisse. Gallis deindè fulminis more regionẽ percurrentibus, Bassiuiana, Vicheria, Castellonouum, & Pons Coroneus deditionem fecerunt. Idẽ paucos post dies fecit ciuitas, & arx Dertonensis, ex qua Antonius Maria Pallauicinus qui eã custodiebat, nulla vi expectata trans Padum se recepit: Harum rerum nuncijs Mediolanum perlatis, Ludouicus Sfortia, cũ se ad tantas angustias redactum, imperiumq; suũ tãto impetu ruere conspiceret, vt in tàm repẽtinis calamitatibus accidit, non minus animo, quã consilio destitutus, ad ea remedia deueniebat, ad quæ afflictis in rebus, & ad extremam penè desperationẽ redactis mortales confugientes, periculi potius magnitudinem, omnibus notam faciunt, quam fructũ aliquẽ consequantur: primũ in vrbe quotquot arma ferre possent, conscribi iussit. deinde populo, cui ipsius nomen ob multas exactiones odiosissimum erat, conducato, parte onerum illum liberauit, vehementissimis verbis subijciens. *Si quando vnnii se gratos fuisse existimarent, id nec naturæ suæ, nec auri cumulãdi cupiditate, sed tẽporibus atque Italiæ periculis, quæ primũ propter Venetorum potentiã, deindè ob Caroli Regis aduentũ, se eius imperij in pace, & securitate conseruandi, & iis, qui id inuadere vellent, obsistendi cupidiũ ad ea faciẽda coegissent, tribueret: q; se nullũ patriæ, ac populis suis maius beneficiũ, quã si vt bellis non infestarentur prospiceret, facere posse existimaret. Id autem consiliũ mirũ in modũ vtile extitisse, fructus inde perceptos clarissimè demonstrasse, q; tot annos se gubernante in summa pace, & tranquillitate essent versati: qua eius vrbis magnificentia, opes, at splendor maximè aucta erãt: cuius rei, ædificia, pompas, tot ornamenta, & artiũ, incolarumq, penè infinitã multitudinẽ auctã, manifestissimam fidẽ facere: quibus rebus Mediolanensis ciuitas, eiusque imperium reliquum non modò non cederent, sed omnes reliquas Italiæ vrbes, regionesque superarent; se nulla in ipsos crudelitate vsum recordarentur, quantaq; mansuetudine, ac benignitate semper quoslibet audiuisset, & à se solum inter omnes huius ætatis principes, multis corporis laboribus, vel molestijs vitatis, per seipsum iurisdicendo statis diebus omnibus æquum ius citra vllam moram administrasset; patris, qui illos potius vt filios, quam vt subiectos rexisset, merita, beneuolentiamque memoria repeterent; & quam Gallorum superbum, insolensque imperium acerbum esset futurum, sibi ob oculos ponerent, qui propter Galliæ regni vicinitatem, si eam regionem occupassent, quemadmodum alias eadem gens in tota Longobardia fecerat, veteribus habitatoribus pulsi, firmam, perpetuamque populorum sedem essent facturi. idcirco rogare illos, vt animum à barbaris, inhumanisque moribus alienatis, simul, & patriam, & propriam salutem defendendam susciperent: nec dubitandum esse, quin si ad breuissimum tempus, prima pericula sustinere niterentur, facile esset obsistere; quod Galli maiore ad inuadendum impetu ferrentur, quam in perseuerando constantes essent, quodque ipse absque mora ab Romanorum Rege, qui rebus iam cum Heluetijs compositis, vt ipsemet auxilio veniret, se comparabat, valido auxilia expectaret: & copias quas Neapolitanus Rex cum Prospero Columna mittebat, iam in itinere esse: Mantuanum vero, omnibus difficultatibus cum illo compositis, Cremonensem agrum ingressum se certo existimare: quibus rebus si populi sui alacritas, & fides accederet, se ab hostibus, etiamsi præter illum exercitum totius Galliæ vires simul coniunctæ essent, tutissimum censeret.* Hęc verba maiori attentione, quam fructu audita, non magis quam arma Gallis opposita profuerant. quorum metu, periculi à Venetis, qui bellum in Giaradda mouerant, & Carafagium oppidum, aliaque Abduæ vicina occuparant, imminente contempto, Calatiæ comitem, cum maiore copiarum ad eam regionem tuendam millarum parte reuocauit, & Papiam, vt Galeacio ad Alexandriæ defensionem iungerentur, ire iussit. Sed iam ab omni parte pernicies illius accelerabatur. Nam Calatinus comes, Galeacium minorem natu fratrem, militari quoque exercitatione inferiorem, in exercitus imperio, omnibusque honoribus, & gratia sibi anteponi indignatus, innumerorum ab se, & fratribus beneficiorum à Ludouico acceptorum memoriam in illo superante, anteà clam cum Galliæ Rege conuenerat. Aliqui huius fraudis nuntium, iam aliquot menses antè ad illius aures peruenisse asserebant: quo audito, cùm aliquamdiu tacitus, cogitabũdusq; fuisset, tãdem cum gemitu ei, qui id significauerat, nõ posse sibi tam ingrati animi facinus persuadere, respondisse: quod si tamen verum esset, quanam ratione cauẽdum esset, si vel ab intimis, pluribusq; beneficijs affectis proderetur, cui amplius fidere posset ignorare: se non minorem minusue perniciosam calamitatem existimare, vana suspicione se fidorum hominum opera priuare, quam incauta crudelitate, illorum se fidei committere, qui suspecti esse debebant. Sed dum Calatinus pontem ad Padum, vt fratri coniungatur, facit, & rem artificiosè protrahit; dum ponte facto transitum differt, cum interea Galli iam biduum circa Alexandriam fuissent, eamque tormentis verberarent: Galeacius, cum quo erant mille ducenti grauis, totidem leuis armaturæ milites, & peditum tria millia, tertij diei nocte cũ nullo alio præfecto, prærterquam cum Lucio Maluecio consilio communicato, leuis armaturæ equitum parte comitatus, clam Alexandria diffugit, magnoque suo dedecore, nec minore Ludouici prudentiæ infamia, quantum generosum equum tractare, aut in ludicris equitũ certaminibus publicisque spectaculis magnas hastas vibrare (quibus in rebus cunctos Italos superabat) & exercitui præesse intersit, quantoque cum proprio detrimento principes, qui in ijs quibus res grauissimæ committuntur, eligendis, magis gratiam, quam virtutem intuentur, & spectant, decipiantur, documento fuit. Cognito autem Galeacij discessu, reliquæ copiæ omnes, quæ Alexandriæ erant, aut in fugam se cõijcere, aut latebras quærere cæperunt. qua occasione Gallicus exercitus sub solis ortum ingres-

*Parum idẽ proficit.*

*Idem Mediolanenses conciliare nititur.*





sus non modò milites qui reliqui erant spoliauit, sed militari licentiâ totam orbem diripuit. Fama erat, Galeaciũ literas cũ Ludouici Sfortiæ nomine scriptas, ac eiusdem signo obsignatas), quibus quoniam motus aliquis Mediolani esset exortus, quàm citissimè cum omnibus copijs eo aduolaret, imperabatur, accepisse. & aliqui posteà à Calatino, vt hac arte Gallis victoriam faciliorem redderet, conscriptas suspicati sunt: quas deinde Galeacius, quasi illis litteris, non vt exercitum incolumen, idque si effici posse animaduerteret adduceret, sed vt temerè eum desereret, iniunctum fuisse, ad defensionem suam ostendere solebat. Id autem non tam certum est, quàm quod si in Galeacio, vel militum præfecti consilium, vel militaris animus fuisset, facilè ijs copijs, quas habebat, Alexandriam, & maximam transpadanarum rerum partem defendere potuisse omnibus notum erat: imò fortasse etiam aliquo felici successu vsus fuisset. Quia cum ante paucos dies Gallici exercitus pars Burmiam amnem traiecisset, & maximis imbribus, inter duo flumina, Burmiam & Tanarum interclusa esset, Galeacius quamuis aliquot ipsius, leuis armaturæ equites ponte, qui Tanaro impositus suburbium vrbi coniungit egressos, & in illos præfectos, penè primum agmen fugasse illi significatum esset, eos inuadere ausus non est. Alexandriæ iactura, omnem reliquam Insubriam nouis calamitatibus singulis horis oppressam terruit. Nam & Galli Pado traiecto, ad Mortariam castra posuerant, vnde Papienses cum illis conuenerant, & Venetorum copiæ Carauagij arce receptâ, & Abduâ fluuio nauali ponte traiecto, Laudempompeam vsque excurrerant, iamque penè omnia oppida tumultuabantur. nec Mediolani minor, quàm alibi erat perturbatio ac terror; quoniam tota ciuitas conspernata arma sumpserat, idque tàm paruâ erga principem suum reuerentiâ, vt cum meridiè Antonius Landrianus, summus ærarij ipsius præfectus ex arce, vbi cum illo fuerat, prodiret, siue priuato odio, siue eorum qui rebus nouis studebant voluntate, in publica viâ fuerit interfectus, quo casu Ludouicus maximo vitæ suæ metu correptus, & omni obsistendi spe deiectus, Mediolanensi arce cum firmo præsidio relictâ, vt præsens periculum vitaret, & quemadmodum aiebat, Maximilianum, qui iam pacem cum Heluetijs, vel confecerat, vel certè pro facta habebat, ad se iuuandum vrgeret, cum liberis in Germaniam ire statuit. Hoc consilio capto, statim filios, Ascanio, qui non multos dies antè vt fratris rebus quatenùs posset opem ferret, Româ venerat, & San-Seuerinate Cardinalibus comitibus adiunctis, discedere iussit: & vnâ cum illis principis gazam solito valdè imminutam misit. Manifestum enim erat, annis octo antè id tempus, quàm Ludouicus ad potentiam suam ostentandam, legatis, alijsque multis ærarium ostendisset in numerata pecunia, & aureis, argenteisque vasis ad quindecim millia auri põdo ascendere compertum fuisse, præter gemmas, quarum magna erat copia: hoc autem tempore hominum opinione, duo millia auri pondo non multum excedebat, Post filiorum discessum, omnibus domesticis, ac familiaribus dissuadentibus, Bernardino Curtio Papiensi, veteri suo alumno, qui tunc quoque arci præerat, huius fidei Ascanij fratris qui se eam curam suscepturum pollicitus erat, fidei antepositâ, arcis custodiam commisit, & tria peditum millia sub fidis ducibus cum commeatu, tormentorum puluere, pilis, alijsque rebus necessarijs, & pecunijs, ad multorum mensium defensionem idoneis reliquit. Cumque in Genuæ rebus, Augustino Adurnio tunc præfecto, & Ioanni fratri, cui San-Seuerinatium soror matrimonio iuncta erat, fidere statuisset, arcis tesseram ad eos misit. Borromæis Mediolanensibus nobilibus, Angleriam, Aronam, aliaque ad Verbanum lacum oppida quæ illis occupauerat restituit. & Isabellæ Aragoniæ, quondam Ioannis Galeacij Ducis vxori, dotis ipsius nomine Bariensem Ducatum, & Rossanensem principatum pro XXX. Ducatorum millibus donauit, quamuis illa paruum Ioannis Galeacij filium, quem ipse cum suis in Germaniam ducere cupiebat, concedere noluisset. Vbi autẽ his rebus constitutis, tamdiù moratus esset, quàm se id tutò facere posse duxit, Ciuitate iam seipsam gubernante, secundo Septembris die Ascanio Cardinale, & Galeacio San-Seuerinate, & vt iter tutum haberet, Lucio Maluecio, cum grauis armaturæ equitum, ac peditum non paruo numero comitatus, cum multis lacrymis, Germaniã versùs contendit: ac vix dũ arce egressus erat, quum Calatinus perfidiam suam colore aliquo tegere conatus, illi obuiã factus dixit; postquàm ipse imperium suum deserebat, se ipsius militari Sacramento liberatum, suique ad quamuis conditionẽ accipiendam iuris esse existimare, & repentè se nomine & signis Galliæ Regis militem declarauit, & cũ eadẽ turmã quam Ludouici ęre compararat, conseruârat que ad illius stipendia transiuit. Ludouicus autem Como, vbi arcem in populi potestate reliquit, lacu Bellasium vsque profectus est; deinde pedibus Bormium, & per ea loca, in quibus olim cũ in tanta gloriâ, & felicitate collocatus esset, Maximilianum potius tanquam suũ, ac Venetorum exercitûs ducẽ, quã vt Romanorum Regem in Italiam venientem acceperat, iter fecit. Inter Comum ac Bormium Gallicæ copiæ & Calatiæ comitis turmæ illũ persecutę sunt: ex quibus locis, præsidia in Tirani arce, quam pòst paucos dies Rheti occuparunt relicto, Oenipontẽ, quam Isprucam vocant, versus, vbi Cęsarem esse audiebat, contẽdit. Post Ludouici discessum Mediolanenses legatis statim ad exercitûs duces, qui iam cũ copijs, ad sextũ ab vrbe lapidem aberant, missis, illos spontè admittere pacti sunt, compositionis cõditionibus in Regis aduentum dilatis, à quo suæ vtilitatis tãtũmodò ratione ducti, immoderata priuilegia immunitatesque sperabant. Idẽ absque morâ omnes reliquæ Mediolanensis imperij vrbes & oppida fecerunt. Voluit & Cremonensis ciuitas (quum à Venetorum copijs, à quorum imperio abhorrebat, obsideretur) idẽ facere: sed cum Rex pactã cũ Venetis facta mollet infringere, illis sese dedere fuit coacta. Genua, populo, Adurnijs, & Ioanne Ludouico Flisco singulis certatim, eam suâ operâ Regi dedi volẽtibus, eandem propensionem secuta est. Et vt in Ludouicum, non modò tam repentina tamque magna, adeò nobili, ac potenti imperio, viginti dierũ spatio amisso calamitas, verùm etiam omnium ingratorum exempla extarẽt, Mediolanensis arcis præfectus, quẽ ipse inter omnes suos velut fidissimũ elegerat, nè vno quidem tormẽtis iactu, vel aliquâ oppugnationis specie expectatâ, duodecimo post eius discessum die, arcem quæ expugnari minimè posse credebatur, Galliæ Regi, magnâ pecuniæ summâ, centum cataphractorum præfecturâ perpetuâ, & multis alijs muneribus ac priuilegijs in tantæ perfidiæ præmiũ acceptis tradidit, sed cum tanta infamiæ notâ, tantoq; etiã apud Gallos odio, vt illius familiaritate, veluti pestiferæ atq; abominandæ feræ ab omnibus reiectâ, quocunq; venisset contumeliosis verbis irrisus, pudoreque & conscientiâ potentissimis certissimisq; facinorosorum hominum flagellis cruciatus, non multò pòst dolore confectus, vitam reliquit. Huius infamiæ, duces qui cum illo erãt in arce relicti, & præsertim Philippinus Fliscus, qui cum Ducis esset alumnus, & ab illo tanquàm fidissimus relictus, quum præfectum ad tuendam arcem hortari debuisset, ingentibus promissis obcæcatus, contrarium suasit & cum Antonio-Mariâ Palauicino, qui Regis nomine intererat, deditionem tractauit, participes fuére.

Ioannes Cardinalis Mediceus, inter hos rerũ turbines, cum ter improsperè tentatã reditus in patriã fortunâ excedere tantisper Italiâ, & per externos populos, vt temporibus seruiret, peregrinari consti-

*Mediolanenses Ludouico rebelles.*

*Idem Ludouicus in Germaniam relictis omnibus pergit.*

*Mediolanum & reliquæ vrbes Regi Galliæ deduntur.*

III. *Cardinalis Mediceus per Germaniam peregrinatur.*

tuiſſet,ab Alexãdro cõmeatu facile impetrato,cum Iulio fratre,patruele,& duodecim equitibus,depoſitâ purpurâ,pari cultu cũ cæteris è Venetijs,quarũ cũRep.Põtifex,adſcitis in ſocietatẽ Florẽtinis fœdus percuſſerat,in Vindeliciã tranſcendit,peruagatuſq; eſt eũGermaniæ tractũ vrbibus florentẽ,extemporaneâ cum ſuâ,tum comitũ omniũ hilaritate. Nam cùm perſonã diſsimularet,& vnus ſingulo quoque die,qui ſpecie domini cęteris imperaret,ex corona ſorte crearetur,acerbitatẽq; præſentis fortunæ ingẽti animo contemneret,nihil vnquàm ſe expertũ iucundius,atque feſtiuius eâ vitæ libertate prædicabat. In vlmã demùm Sueuorũ vrbem cùm perueniſſet,à magiſtratu honeſtè retentus,non multò poſt, ipſo impetrante, ſub cuſtodia ad Maximilianũ Cæſarem eſt deductus. Erat .n. Mediceum nomen, ex inſigni Laurẽtij,Coſmiq; memoriâ omnibus in terris celebratũ. Cæſar,cùm cauſas ſuſcepti itineris cognouiſſet, conſiliũ eius magnoperè laudauit: quòd domeſticę calamitatis casũ ſapienter ferret,ſpatiũq; tẽporis cenſeret interponendũ,quo ex bellicarũ rerũ ſucceſsibus, ad repetẽdam patriã fortunæ benignioris occaſio præberetur quodq; ignobili otio,nõ modò honeſtã atque vtilẽ peregrinationẽ,ſed erudito ipſius ingenio lõgè digniſsimã prætuliſſet:quã haud mediocriter ad perfectã humanarũ rerũ peritiã adeundis tot nationibus erudiretur. Dedit inſuper ei diplomata ad ſecuritatẽ itineris,ac epiſtolas quibus eum Philippo filio Belgarũ principi obnixè commendabat. Inſpectis itaque circũ Rhenanis vrbibus,peragrataque nobiliore Germaniæ parte, in Belgas ad Philippũ peruenit. Ab hoc planè Regè, & luculentiſsimè ſuſceptus,inde in Morinos,ad Oceanũ perrexit,in Britanniã traiecturus,niſi comitum ingentes tum fortè Oceani fluctus, formidantium hortatu in Galliã deflexiſſet. Cum Rotomagi ad oſtia Sequanæ verſaretur. Galli ſuſpicaces repẽtinique homines exemplo Germanorum eum cepẽre; neque eũ quamquã ſeſe detegentẽ,ac Cardinalẽ eſſe profitentẽ dimiſſuri erant, niſi Petrus frater,qui tũ Mediolani Ludouico Regi aderat,literas ad id impetrâſſet. Ab Oceano demùm per totã Galliæ latitudinẽ Maſsiliã delatus,cũ Romã peteret,aduerſantibus ventis Sauonã peruenit. Erat ibi tum Iulianus Ruuereus Cardinalis, conſpectũ Alexandri Pontificis defugiens. Is & longo itineris labore,& maris nauſeâ vexatos,amicè,liberaliſsimeque ſuſcepit;ità vt tum in vna menſâ tres exules ſint conſpecti, vehementer inter ſe de priuata & publicâ rerũ fortunâ conquerentes,qui non multis inde annis tametſi ſpe diſpari, non diſsimili tamen ſorte, ad ſummum Chriſtianæ dignitatis faſtigium peruenerũt, æquabilitate diuinæ iuſtitiæ, & pœnas pro demeritis,& dignitates pro meritis diſpenſante.

Fabrum iam tunc fortunæ ſuæ agebat Iulianus Cardinalis oſtienſis. Nam cũ animaduertiſſet, Cæſarem Valentium,& reliquos Alexandri Pontificis procuratores, nec non Iacobũ Triuultium, ac oẽs ferè Italos proprijs de cauſis Ludouicũ Regem ad bellũ Italicũ concitare;ille quoque ex propria cauſâ non intermiſit vrgere,vt Rex & Piſarũ reſtitutioné quouis modo Florẽtinis procuraret,& Venetijs Cremonam ac reliqua in cõditionibus expreſſa concederet,& tandẽ in Italiã ipſe,poſt tot victorias, & res partas properaret;non omninò deſperans ſe poſſe ſuis,quos Alexãder in ordinẽ reducere decreuerat,opem aliquã ex occaſione adferre. Nõ minùs etiã Alexander Pontifex, Sedis Apoſtolicæ res agebat. Enimuerò cùm fœdus cũ Ludouico Rege,cõtrà Turcas,contrà turbatores pacis Italicę,necnõ cõtrà refractarios eidẽ Sedi, tã neceſſario,quàm libenter percuſsiſſet,Ioannẽ Borgiã Cardinalẽ Legatum ad Regẽ venientem excipiendũ,ex ſententia ſacri ſenatus deſtinauit. Die ſextâ menſis Octobris huius anni,Ludouicus Rex,Mediolanum triumphi põpâ permitti ingreſſus eſt, hoc ordine qui hoc tempore,hoc tenore,typis euulgatus fuit.

IV. *Ludouicus Rex Galliæ ſplendidiſsimo triumpho Mediolanum ingreditur.*

Die Dominicâ,ſextâ Octobris M. cccc xc ix. Ludouicus Frãcorũ Rex Chriſtianiſsimus ex Bignaſco, quòd oppidũ non longiùs à Mediolano decẽ millibus paſſuũ diſtat, vbi pernoctauit, horâ exire diſceſſit,cui nobiles,ciues,mercatores, vniuerſuſque populus extrà ipſam vrbẽ vſque ad tria millia paſſuũ obuiam prodierũt,ordine ſequenti. Primò quidem quadraginta,aut circiter pueri impuberes,auratis, & ſericatis veſtibus induti, varijs monilibus,& gẽmis ornati,grandioribus equis ſedẽtes,ſingulos ramos oliuarũ manibus portãtes,in quibus Francorũ Regũ inſignia,paruulis vexillis ſimiliter circa confectis picta erant, cũ præclaris carminibus, elegijs, quarũ alia,Regẽ magnum venire;alia,ab eis vidiſſe gloriã eius:alia, liberationẽ patriæ adeſſe prædicabant,pluresq; alias laudes eius,& virtutes decantabant. Aſsiſtebãt etiã ipſis pueris, duo aut tres validi iuuenes pedeſtres,pari habitu & ornatu veſtiti. Geſtabant quoque ipſi pueri vexillũ vnum magnũ ex ſerico cum Franciæ inſignibus & armis. Habita itẽ eſt ab altero ipſorum puerorum elegãs oratio,quæ concludebat,Regem ipſum,nõ modò liberos ipſos, quàm parentes eorũ à libidine,& furore tyranni liberaſſe. Deinde verò quingenti iuuenes intrà xv & xvi. annum pretioſiſsimo ornatu decorati,atq; veſtiti cũ magno vexillo ſerico, & eiuſdẽ Franciæ inſignibus. Accedebant xxiv. tres annis, & maieſtate venerandi,quinquageſimũ annũ ſupergreſsi, aureis veſtibus inſignes,quorũ ſex magnos birrettos pretioſiſsimis pellibus varijs ſuffultis ornati,Senatorũ more,vrbis claues ex auro ſolido,ad ſexaginta millia aureorũ æſtimationẽ eidẽ Regi præſentârũt. Poſt eos,Pontificij Imperatorijque iuris xxx. Doctores, ac totidẽ Equites,ſimilia veſtimenta ex ſerico cremeſino induti,& mantello ex purpura amicti, ſingulos aureos torques ſinguli geſtantes,palliũ aureum ſub quo Rex ipſe Mediolanũ ingreſſus eſt, & Ducale capitis tegmen pellibus pretioſiſsimis exteriùs decoratũ,ad inſtar Regalis diadematis deferentes. Poſtmodũ multitudo magna aliorũ nobiliũ,Ciuiũ, & Mercatorũ varia ornatu,atque veſtitu pretioſiſſimo,equis optimis inſidentium,quæ quidẽ multitudo pęnè innumerabilis exiſtebat,ſequebatur. Ordinẽ verò Cleri & Religioſorũ,qui obuiam proceſſerunt cũ alia populi multitudine infinitâ,cum ſigno Crucis,& Sanctorum varijs reliquijs pretioſiſſimis,causâ breuitatis duxi prætermittendũ, ad ipſius Regis ingreſſum properans,qui habuit ſequentem modum.

Primò ſex millia Vaſconum pedeſtrium baliſtariorum,baliſtam & enſem geſtantium,loricâ & galeâ armatorum decenti ordine per turmas ſimili veſtitu præcedentium,albam Crucẽ in pectore,& aliã à tergo deferentiũ. Cuilibet turmæ Dux, ſeu Capitaneus Eques præerat, & ſerico indutus præcedebat. Deindè ſequebãtur iv. M. ſagittariorũ ſeu Arciferorũ,Normandi videlicet & Picardi armati,& vt Baliſtarij coniuncti turmato ordine incedentes. Item iv. M. Scotorum,anteriori parte dũtaxat armatorum,præacutas grandes lanceas,& gladios geſtantiũ. Hos ſequebantur pueri,deinde iuuenes,poſtea ſeniores antedicti ex ordine progredientes,quo Regi obuiam fuerãt. Poſteà cccc. ſagittarij, ſeu Arciferi cuſtodes Regis inſidentes equis, nam & galeâ armati,tenſos arcus,& vnã ad caput equi, aliã ad latus ſagittam paratas habentes. Sequebãtur illos centum Scoti cuſtodes corporis Regis,æqualiter ornati,ſinguli pileos ornatos,aut rubeos cum magnos plumaribus deferentes, deinde Officiales Regni vt putà Theſaurarij generales, magiſtri Domus, Secretarij,Camerarij,& cæteri huiuſmodi poſteà equites ſeu Caballarij numero quinquaginta. poſt hos Araldi armorũ in ornatu ſuo cũ inſignibus





Franciæ,item Regentes cum ſimili ornatu armorũ, magnas argẽteas maſſas,ſeu virgas coronis ornatas deferentes poſtmodum cxx. Buccinatores,nonnulli ipſius Regis,alij quorundã Capitaneorũ & Ducum, videlicet Sabaudiæ, Valentiæ, & Ferrariæ, ac Marchionũ Mantuæ, Montisferrati,Salubiarũ,& quorundã aliorum. Hos ſequebantur Mareſchalchi, & alij Magnates Franciæ videlicet Alebretus, Tremolius,Guiſius, Ieiouſius,Mõpenſerius & quàmplures alij deinde ſex magni equi phalerati,& ornati auratis tegumentis à capite vſque ad pedes,paruulo cuilibet inſidente,pari ornatu veſtituq;. pòſt hos equũ Regalẽ veluto cæleſti,ſiue azurro coopertum lilijs aureis vndique ſparſis,duo iuuenes auratis veſtibus induti,nemine inſidẽte ducebãt. Sequebatur maior Scutifer Franciæ pretioſiſsimè ornatus ſecundũ officij ſui dignitatẽ equo magno cooperto inſidens, magnũ gladiũ in vaginâ aureâ azurro,& lilijs aureis ornatâ,& pictâ geſtans: qui quidẽ gladius ferrũ ſignificat iuſtitiæ. A latere Regis puer paruulus equo magno inſidens veſtitus veluto azurro ſparſo lilijs aureis, galeã magnã geſtabat in capite coronatam paruâ coronâ,lilijs aureis & gemmis ornata æſtimationis quinquaginta M. aureorum. Poſtea xxx. Doctores, & totidẽ milites vt ſupra narratũ eſt ornati amictu,pedibus cum Rege ipſo ingrediebãtur,quorum aliqui palliũ ſuprà deferebãt,alij circũ eundẽ Regẽ incedebãt ,reliqui fimbrias Regiæ chlamydis, nõnulli etiã Regiũ equũ cũ paruulis chordis ſericeis frenũ ducebant,alij tantùm aſsiſtebãt. Qua de re interrogati cùm fuiſſent plurimi , quid ſibi vellet,quod tales & tàm excellentes viri,& pretioſiſsimo amictu ornati,eo modo & ordine pedes incederent? Reſponderunt,Principẽ debere ,ad latus eius Sapientes & Doctores habere, vt Reipub. cõſulatur: milites verò qui Principis mãdata exequãtur. Quod autẽ pedeſtres ambularent, vt debeant etiam onera Reipub. cũ ipſo Principe ſupportare;purpurati verò,vt videãtur cæteros doctrinâ & virtute præcellere,Palliũ ſiue vmbraculum: ſub quo Rex ipſe incedebat ex auro cõtextũ,qualibet quadraturâ duodecim baculis inauratis deferebatur:in cuius medio magna corona aurea quatuor ſericis chordulis dependens erat,in qua etiã ſcutũ erat cum inſignibus Franciæ,& Mediolani permixtis. ſuper Mediolani inſignia Ducalis aurea corona eminebat;ipſa autem corona Regalis, tàm Franciæ,quàm Mediolani inſignia continebat. Rex ipſe indutus erat veſte ex auro cõtextâ,& ſub ea chlamide Ducali ex ſimili auro,& pellibus pretioſiſsimis ornatâ in capite biretũ antedictum geſtans. Sequebantur ipſum Regem Reuerendiſsimi Domini Ioannes Cardinalis de Borgia Sedis Apoſtolicæ Legatus de Latere,& cũ eo Iulianus Ruuereus, Cardinalis S. Petri ad Vincula,pòſt eos, Cardinalis Rothomagenſis & Illuſtriſs. Dux Sabaudiæ cũ eo,qui ſupra equum ſuũ geſtabat ornamẽta, 50. M. Ducatorũ æſtimationis. His ſuccedebant Excellentiſs. Valentiæ & Ferrariæ Duces,quàm actiſsimè ornati,pòſt eos Mantuæ & Montisferrati Marchiones,amictu, & ornatu ſumptuoſo. Poſtmodum verò Oratores Venetorũ,ex quibus duo,qui præcedebant, magnas chlamydes, ex auro contextas, pretioſiſsimis pellibus duplicatas,erant induti,reliqui quàm pretioſiſsimis veſtibus ornati. Poſt hos Ianuẽſiũ Oratores xxiv. ornatiſsimi viri & amictu ſplendidi,nec non alij Oratores & magnates Regiã Curiã ſequẽtes. Hos ſequebantur cc. nobiles Regiæ Domus,præter caput armati,mazzas ferreas geſtantes,equis optimis inſidentes,& pileos in capite cum plumaribus,& vexillis miro ordine. Poſteà M. cc, Arciferi equites,additi lanceis ſuprâſcriptis: quælibet .n. lancea habebat Arciferum ſuum. Poſtremò quamplurimi extra ordinẽ belligeri (ad iii M. numerabantur) qui dentes lõgiores roſtris habent,& potiùs vellent centũ annis in bello viuere,quàm diẽ vnũ pacificè agere,qui aſſerebãt ſe velle contrà mõtes & Alpes pugnare,atque etiã contrà Turcas, niſi Rex eos Neapolim mitteret. Hos ſequebatur innumerabilis populi multitudo. Rex in arcẽ ductus, & ingenti plauſu acceptus,multorum vectigaliũ immunitatem Mediolanenſibus conceſsit:quã tamẽ populo in deſiderijs intemperanti, nõ penitus ſatisfactum eſt. Multis Inſubriæ nobilibus viris in ulta donauit, cenſuſque attribuit: inter quos Ioannis Iacobi Triultij meritis perſpectis, Vigeuanum cũ multis alijs rebus ei conceſsit. Ad eum porrò,præter Fridericũ Regem omnes Italiæ principes aut ipſimet , aut per Legatos,alij vt tantùmodò victoriã gratularentur,alij vt maioris in Ludouicũ Sfortiã,quàm in ipsũ propẽſionis crimina diluerent,alij vt res ſuas in poſterũ cũ illo firmarent,concurrerant,quos omnes benignè accepit,& cũ omnib. pro ſtatuũ varietate,& pro cõmodorũ quæ ab illis,ſperare poterat,ratione compoſuit.

V. *Legatus Pontificius auxilia contra rebelles Sedi Apoſtolicæ à Ludouico petit.*

Pontificius Legatus,inprimis de auxilijs,pro recuperatione ciuitatũ,& prouinciarũ Sanctæ Sedis Regẽ ſollicitauit, Aemiliæ, Flaminiæq; vrbes vt & aliæ Põtificio imperio ſubiectę,varijs caſibus vexatæ,tã multos annos reipsâ ferè tanquã à Pontificũ dominio diſiunctæ ſuas res agebant:quoniam nonnulli Vicarij ſupremo Domino tributũ nõ pendebãt,alij difficulter,& ſæpè extrà tempus;oẽs autẽ æque abſque Pontificũ veniâ , nullâ aduersùs Pontificium imperiũ militandi exceptione interpoſitâ,ſui etiã contrà Pontificũ authoritatẽ,armaq; defendẽdi ſtipulatione ab illis acceptâ aliorũ Principũ ſtipendia ſequebantur; à quibus, vt illorũ armis,& opportunitate locorũ vti poſſent,nec non, vt Pontificum potentiæ incrementũ impedirẽt,cupidè admittebãtur. Hoc aũt tẽpore Rauenna,& Ceruia in Aemilia à Venetis poſsidebãtur,quib. antè multos annos, Polentanæ familiæ homines,qui cum primùm priuati Rauẽnæ eſſent ciues,patriæ ſuæ tyrãni,deinde vicarij facti fuerãt,priuauerãt. Fauẽtia, Forũliuiis, Imola,& Ariminũ,ſingulæ ſuis vicariis parebãt. Cæſena diù à Malateſtiorũ familià poſſeſſa,non multos annos antè Dominico, poſtremo eius vrbis Vicario,ſine liberis defũcto, ſub pontificũ imperiũ redierat. Piſaurienſis, Ariminẽſis, Imolenſis,Foroliuienſis , Fauẽtinus, Camerinẽſis Vicarii, Ferrariẽſis,& Veneti,cenſũ annuũ inter alios nõ ſoluerãt. Cõtrà hos Alexander Põtifex iudiciũ inſtituit,eoſque iure beneficiario earũ vrbiũ priuauit: eaſque vrbes eâ,& aliis de cauſis ad Pontificatũ deuolutas,ſeque eas in priſtina iura reſtituere velle afferens cũ Galliæ Rege, vt Inſubriæ imperio occupato, ſibi ad eas tantũ,quæ à Vicarijs poſsiderẽtur, & præterea Piſcarũ, in qua vrbe Ioannes Sfortia, olim gener ipſius erat Vicarius,capiendas, auxiliũ daret cõuenerat. Neque enim Venetorũ magnitudo,hæc cõſilia ad ipſos tunc extendi patiebatur,quæ nè ad parua quædã oppidula, Pado flumini adiacentia,in Ferrarienſiũ Ducis poteſtate poſita tũc ſpectabãt. Põtifice promiſſorũ obſeruationẽ vrgẽte:Ludouicus Rex Valentino Duci,qui vnà ſecũ ex Gallia venerat, trecẽtos cathaphractos ſub Iuone Alegrio,propriis ſumptibus,& quatuor Heluetiorũ millia ſub Diuionenſi præfecto, Põtificiis ſtipẽdiis cõceſsit;ac prætereà Mediolanenſib. permiſit,vt XLV. M. aureorũ mutuo, Duci Burgiæ Põtificii exercitus præfecto cõcederẽt, ſpõndentib. pro Põtifice reſtitutionẽ, Borgiâ,& Ruuereo Cardinalib. His copiis acceptis , Põtificiiſque militib. additis, Aemiliam ingreſſus ſtatim ſub huius anni finem,Imolam deditione cepit. Tenebat eã Catharina Sfortia,Hieronymi Ruuerei Comitis relicta nõ ità pridẽ Pontifici rebellis. Quo enim tempore Alexãder Florẽtinos ad officiũ reuocare conabatur,

*Catharina Sfortia Pontificè veneno tollere tentat.*

illa ſuaſu Ludouici Sfortiæ (erat filia ex fratre ſpuria) ex omnib. Immolæ,& Forliuii finib. milites collegerat, vt illis iam diuturno bello extenuatis animos faceret. Prætereà Thomaſiũ Foroliuienſem,& quendã aliũ,cũ litteris veneno illitis,Romam miſerat,quibus Põtificẽ,ſi recepiſſet,aperuiſſetque, intrà aliquot horas enecaret. Mẽtiebatur vterque, eas ab Immolẽſib. & Forliuienſibus ad Pontificẽ ſcriptas eſſe ; quibus deditionem promitterẽt. Re detectâ , capti illi inter-

rogati, torti, conatũ Catharinæ aperuerunt. Cardinalis S. Georgij, frater quõdam Hieronymi, metuẽs, ne quippiã ſibi ex hac occaſione eueniret, per ſpeciẽ venationis vrbe egreſſus, per inuia, & Saltus, Sarzinã ſeſe ſubduxit. Bergia Dux copiarum, Immolâ per deditionẽ captâ, Catherinã cum filijs, Romã duxit. Sollicitauit præterea Pontificius Legatus, Ludouicum Regẽ ad expeditionem Neapolitanã, tũ vt Fridericum caſtigaret, tũ vt Baiaſeti in Venetos promouenti, ex Apuliæ littoribus impedimentum opponeret. At Ludouico, Mediolanenſi bello ex ſententia confecto, placuit, reficere copias, priuſquam in eã expeditionem ſe daret, eoque in Galliam redire. Die 7. Nouemb. reuertens ex Italia, Genuæ Philippum Rauaſtainum, Mediolano Ioannẽ Iacobum Triuultium ſpectatâ virtute, fideque viros præfecit, alterũ Germanici generis, Italici alterũ; ac Frãciſcũ, Ioãnis Galeacij Mediolanenſi principatu à patruo ſpoliati filiũ, nè quid turbarũ eã occaſione exiſteret, ſecum in Galliã abduxit; vbi in ſacerdotis morẽ detõſus annis ſequentibus, ex equi caſu inter venandum in Heduis perijt, nullâ neque vitæ, neque mortis laude.

VI. *Ferdinãdus Rex Gallo conditiones nomine Friderici de pace offert.*

Italiæ motus Ferdinãdum Regẽ Catholicũ ſolicitum habebãt, nè velut ex continentib. tectis diffuſa flãmâ & ipſum inuolui neceſſe eſſet. Itaque Friderici Regis nomine honeſtiſſimas cõditiones, Gallo offerre, ad pacem hortari. Recuſabat ille partem, vniuerſas regni florentis opes, Spe vaſtâ, & cupiditate cõplexus. Ad eas ergò conditiones recurſũ, quę dudũ à Gallis propoſitæ fuerant, ab Hiſpano repudiatæ. Fridericũ propter parẽtis natales iniuſtũ Regẽ eſſe. Gallus, & Hiſpanus certiori iure iunctis viribus Neapolitanũ regnũ expugnatum inter ſe per cõditiones partirẽtur. Rhotomagenſi Cardinali, ex cuius arbitrio cuncta belli, & pacis cõſilia prodibãt, eæ molitiones haudquaquã diſplicebant; nè Clario quidem Regulo, proximũ auctoritatis, & gratiæ locum in aula Gallicâ occupanti. Accedebat vtilitas quidẽ huic quidẽ facta, Crotonis obtinendæ Magnæ Græciæ maritimæ vrbis, cuius ſe Marchionẽ dicebat. Ijs adiutoribus fœdus breui coiturũ dubitabat nemo. Tẽtauit etiam Fridericus Pontificẽ placare, Theani principatu, & Sueſſâ, quæ vrbes in Gandiæ Ducis poteſtate fuerant Valẽtino vltrò oblatis, ingenti pecuniâ adiectâ. Præterea Alfonſo Aragonio fratris filio, cui nupſerat Lucretia Borgia, Salerni, & Sanſeuerini principatũ pollicitus, largus in periculo, & nimius, quæ retractaret, partâ pace, ea eſt timoris natura. Honeſtiſſimas Pontificis cõditiones Valẽtini litteræ diſturbarãt ex Gallia vbi tunc erat, renunciãtis eius cõcordiæ intẽpeſtiuâ mentione Gallorum animos vehemẽter eſſe turbatos; proinde eo cõmercio prorſus abſiſterent. Fridericus inter hæc ſibi metuẽs, aduocaturũ, ſe Turcarũ claſſem in Italiã minabatur. Iã Ludouicus Sfortia, Baiaſitẽ exciuerat. Hic Venetos bello, terra, marique adortus, claſſe quidẽ Aegeũ, & Ionium mare, & Peloponeſũ, quę in ditione eorũ erat, infeſtauit; terrâ aũt ſex, ſiue 8. M. equitum ad Forijulij regionẽ vaſtandã miſit; quã abſque præſidio, vtpote nihil tale metuentẽ inuẽtã, prædas ab Aquilegia agendo, & incẽdendo ad Euganeos vſque montes, ac Teruiſinos agros crudeliter vaſtârunt; & præter agreſtes eius oræ, plurimos Venetos nobiles pòſt vindemias ruſticãtes; multos itẽ Germanos, Vngaros, Polonos, Boemos, Pruſſoſque vtriuſque ſexûs, religionis ergò Romã ad Iubilæum à Pontifice Maximo in conſequẽtẽ annum edictum, illac proficiſcentes, exceperũt, & in miſerabilẽ ſeruitutẽ, nullo accepto incõmodo, præterquã duce amiſſo, abduxerunt. Scãderbaſſa Varboſaniæ, ſeu vlterioris Boſnæ præfectus, natione Trapezũtinus, is fuit, qui trucidatis in ripâ Tiliauenti ſenioribus, & imbelli turbâ, homo crudelis, & Chriſtiani nominis deſertor, nõ multò pòſt in dirũ morbum incidit, & erũpentibus toto corpore pediculis, impiã animam afflauit, medicis vel ex Italiâ accitis, nullã ei opẽ ferre valentib. *Guiciardinus lib. 4. Rubeus lib. 7. Iſthuanſius lib. 3. Cromerus lib. 30. Iuſtinianus lib. 10. Mariana li. 27. c. 4. Brucardus in notis diarijs huius anni Iouius in Leone X. Surita lib. 3. de rebus Ferdinandi, c. 32. 33. 38.*

Mentionẽ fecimus anni Iubilæi, Hũc Alexander Põtifex, die Cænæ Domini huius anni vulgato edicto, promulgauit. Iſtud eſt exẽplar eius Bullæ, quã duæ aliæ conſequuntur. 13. Calend. Ian. publicatæ.

VII. *Bulla Alexandri PP. de Iubilæo.*

I.

*Alexãder Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei. Ad futurã rei memoriam.*

*Conſueuerunt Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, appropinquãte anno Iubilæi, vt Chriſti fideles indulgẽtias dicto anno cõceſſas vberius valeãt promereri, ac ad id prõptius pro ſuarũ ſalute animarũ inducãtur, etiã per ſuſpẽſionem gratiarũ præcedentiũ, ſiue aliàs prout vtilius fore cõſpiciũt, opportunæ prouiſionis remedia adhibere. Sanè cũ annus Iubilæi, remiſſionis, & gaudij, qui quolibet anno cẽteſimo ab illius primæua ordinatione per fel. rec. Bonifaciũ VIII. inſtitutus, & deinde Clemẽtẽ VI. ad quinquageſimũ, ac poſtremò ad vigeſimũ quintũ annos, per 60. mem. Paulũ II. Romanos Põtifices prædeceſſores noſtros, propter humanæ vitæ breuitatẽ reductus fuit, prout in diuerſis eorundẽ prædeceſſorũ litteris deſuper cõfectis plenius cõtinetur, Anno à Natiuitate Domini, Milleſimo Quingenteſimo proximè futuro debeat celebrari, ſitq; verè ille annus cẽteſimus, qui ab ipſa primæuâ ordinatione fuit inſtitutus, & in quo oẽs, quibuſcũq; etiã grauiſſimis delictis obnoxij, verè pœnitentes, & cõfeſſi, viſitãdo Baſilicas, & Eccleſias Almæ vrbis, & extrà eã ad id deputatas, pleniſſimã omnium peccatorũ ſuorũ indulgentiã conſequãtur, & propterea à cũctis Chriſti fidelib. peramplius, & cũ maiori frequẽtiâ non immeritò celebrãdus; cupiamuſq; toto cordis affectu, animas lucrifacere Creatori, dictũq; annũ Iubilæi ab ipſis fidelib. cũ omni debitâ, & ſingulari deuotione frequẽtari, & fideles ipſos ad dictã vrbẽ pro reuerẽtia SS. Petri, & Pauli Apoſtolorũ Principũ, qui eã martyrio ſuo cõſecrarũt, ac indulgẽtijs dicti Iubilæi cõſequẽdis vndecũq; perſonaliter accedere, & ad id iã ſe præparare. Nos qui, licèt immeriti, vices Chriſti tenemus in terris, vt ad facultatũ, & cõceſſionũ hactenus à nobis, & dictis prædeceſſorib. noſtris cõceſſarũ multitudinẽ, Chriſti fideles in hoc tã ſancto opere reddãtur ..... eorũdẽ prædeceſſorũ veſtigijs inhærentes, habitâ ſuper hoc cũ Venerabilib. Fratrib. noſtris, S. R. E. Cardinalib. deliberatione maturâ, de Fratrũ eorũdẽ cõſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, præfatas, ac aliàs, pleniſſimã anni Iubilæi indulgentiã huiuſmodi cõcernẽtes à Sede Apoſtolicâ cõceſſas litteras, quarũ tenores, ac ſi de verbo ad verbũ præſentib. inſererẽtur, haberi volumus pro ſufficiẽter expreſſis, & inſertis, approbãtes, & innouantes, oẽs, & alias ſingulas indulgentias plenarias, ac cõmutãdi vota, ac ſuper eis, & malè ablatis incertis, aut per vſurariã prauitatẽ, vel aliũ illicitũ modũ extortis, diſpensãdi, aut illa ſub certis modo, & formâ remittẽdi, ac deputãdi, & eligẽdi Cõfeſſores, etiã in forma, B. Pater, cũ poteſtate abſoluẽdi, à caſib. Nobis, & eidẽ Sedi reſeruatis, facultates & cõceſſiones, à nobis, & eadẽ ſede, vel illius auctoritate, quibuſuis Eccleſijs, Monaſterijs, vel domib. Hoſpitaliũ, vel alijs Religioſis, etiã militiarũ quarũcumq;, & pijs locis, etiam Hoſpitali noſtro S. Spiritus in Saxia de vrbe Ordinis S. Auguſtini, illorũq; mẽbris, Vniuerſitatib. quoq; Collegijs, Confraternitatib. & ſingularib. perſonis etiã cuiuſcumq; dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis, ac quacumq; Eccleſiaſticâ vel mũdana præfulgeant dignitate, excellentiâ, & autoritate, tã in perpetuũ, quã ad tẽpus, in vita, vel mortis articulo, quouis modo, & ex quauis causâ, vel ratione, etiã quãtumcũq; graui, & excogitabili, etiã in ſubſidiũ defenſionis fidei contra perfidos Turcas, & alios Orthodoxæ fidei hoſtes cõceſſas, & literas deſuper cõfectas, ac ſæpiùs approbatas quaſcũq; clauſulas etiã derogatoriarũ derogatiuas, fortiores, efficaciores, & inſolitas, ac tales; quòd illis nullatenùs, etiam quacumque cauſa, vel ratione, etiam ſimili defenſionis fidei derogari poſſit, nec illæ ſuſpendi valeant, in ſe contineant: auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, de conſilio, ac poteſtatis plenitudine ſimilibus, vſque ad dictum annum*





*Quingenteſimum finitum proximè futurũ duntaxat omnino ſuſpendimus, & ſuſpenſas eſſe, illaſq; nemini dicto tempore volumus ſuffragari, diſtrictius prohibentes prædicari, vel publicari, & in earũ prætextu ad Quæſtoribus eleemoſynarũ aliquid poſtulari, ac cõfeſſores quoſcunq; per locorũ Ordinarios à præmiſſis faciendis, volumus & mãdamus præſentiũ tenore coerceri. Diſcernentes ſuſpenſionem prædictã poſt Octauam feſti Reſurrectionis eiuſdem D. N. Ieſu Chriſti proximè venturi ſuũ debere ſortiri effectũ. Præparẽnt ergo omnes corda ſua Domino, & mores in melius cõmutare conentur, à malefactis abſtineant, ſatiſfaciant Domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis ſpiritum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis, & peregrinationibus, vt adueniente Domini anno Iubilæi Sanctorum templa viſitantes, quorum millia ferè in memoria vnà cum glorioſiſſimis Apoſtolis Petro, & Paulo in dicta vrbe requieſcunt, qui mortem pro Ieſu Chriſti nomine perpeſſi, eius conſpectui ſemper aſſiſtunt interceſſores habere mereantur. vt autem præſentes literæ ad omnium notitiam deducantur, faciemus illas in valuis Baſilicarum eiuſdem Principis Apoſtolorum, & Sancti Ioannis Lateranenſis de dicta vrbe affigi, vt hi, quos literæ huiuſmodi concernunt, quod ad ipſos nõ peruenerint, aut illas ignorauerint, nullam poſſint excuſationem prætendere, vel ignorantiã allegare: cùm non ſit veriſimile, quoad ipſos remanere incognitum, quod tam patenter fuit publicatum. Mandantes etiam venerabilibus fratribus noſtris, vniuerſis Patriarchis, Primatibus, archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs locorum Ordinarijs, vt ipſi per ſe, vel alium, ſeu alios, poſtquàm earundem præſentium notitiam, quomodolibet habuerint, aliquibus Dominicis diebus, vel feſtiuis, in Eccleſijs ſuis, dum maior inibi populi multitudo ad diuina conuenerit, ſolenniter publicent, & ad Chriſti fidelium notitiam deducant, intiment, & declarent. nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam noſtræ approbationis, innouationis, ſuſpenſionis, voluntatis, inhibitionis, conſtitutionis, & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ac noſtram ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ 1499. pridie Idus Aprilis, Pontificatus noſtri anno VII.*

*De eadem re alia Alexandri PP. Bulla.*

II.

*Alexander Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

*Inter curas multiplices quæ nobis ex Apoſtolatus officio incumbere dignoſcuntur, illam libenter amplectimur, per quam vniuerſi Chriſti fideles hoc ſacro Iubilæi anno inſtante, indulgentias à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, & à nobis, pro ſuorum expiatione peccatorum conceſſas vberius valeant promereri, ac ad id pro ſuarum ſalute animarum promptius inducantur, & quæ propterea ab eiſdem prædeceſſoribus, & à nobis proinde emanarunt, ad omnium notitiam deducantur, vt ipſi Chriſti fideles Indulgentiarũ huiuſmodi meliùs, & capaciùs effici, & æternæ beatitudinis præmia, largiente Domino conſequi poſſint. Cùm itaque annus Iubilæi, remiſſionis, & gaudij, ac reconciliationis humani generis, noſtro piiſſimo Redemptori, qui quolibet anno centeſimo ab illius primæua ordinatione per fe. rec. Bonifacium VIII. inſtitutus: & deinde per Clementem VI. ad quinquageſimum, ac ſucceſſiuè per Gregorium XI. ad 33 & poſtremò ad 25. annos per piæ mem. Paulum 2. Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros propter humanæ vitæ breuitatem reductus fuit, inſtare noſcatur: ſitq; verè ille centeſimus annus, qui ab ipſa primæuâ ordinatione fuit inſtitutus: & in quo vniuerſi Chriſti fideles, quibuſcunq; etiam grauiſſimis delictis obnoxij verè pœnitentes & confeſſi, viſitando Baſilicas & Eccleſias Almæ Vrbis & extrà eam deputatas, illarumq; maiora altaria ob paſſionem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac Apoſtolorum, nec non Martyrum, aliorumve Sanctorum merita pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam conſequantur: & propterea ab omnibus Chriſti fidelibus cum maiori frequentiâ, & deuotione non immeritò celebrandus: cupiamuſq; toto cordis affectu, animas lucrifacere Creatori: dictumq; annum Iubilæi ab ipſis fidelibus cum omni debitâ, & ſingulari deuotione frequentari; ac fideles ipſos ad dictam Vrbem pro reuerentiâ Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum Principum, qui eam Martyrio ſuo conſecrârunt, & in quorum Baſilicis ſub ipſarum maioribus altaribus illorum corpora glorioſa, & in altari Eccleſiæ Lateranenſis, capita recondita conſeruantur: ac indulgentijs dicti Iubilæi conſequendis vndecunq;, perſonaliter accedere. Nos qui eiuſdem Beati Petri, meritis licet imparibus, ſucceſſores ſumus, & per alias diuerſas litteras dicti anni indulgentiam, litteraſq; eorundem prædeceſſorum noſtrorum deſuper emanatas, de fratrum noſtrorum conſilio approbauimus, & innouauimus. Nè contingat aliquem ignorare, ſeu dubitare, quo tempore annus iſte Iubilæi incipiat: & quæ ac quod Eccleſiæ pro dicta conſequenda indulgentiâ pleniſſimâ: & quot diebus illæ viſitari debeant, per noſtræ declarationis oraculum debitè prouidere volentes, auctoritate Apoſtolicâ, & ex certa ſcientiâ, tenore præſentium, omnibus & ſingulis vtriuſque ſexûs Chriſti fidelibus, per vniuerſum orbem conſtitutis nunciamus & declaramus, ipſum annum Iubilæi, in Vigiliâ & primis Veſperis Natiuitatis eiuſdem D. N. IESV Chriſti proximè venturi, inchoare, quo tempore portam dictæ Baſilicæ Beati Petri, centeſimo quoque anno Iubilæi, pro maiori fidelium deuotione aperiri ſolitam, aſtantibus Venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium collegio, ac maximâ Prælatorum, cleri & populi multitudine, proprijs manibus aperiemus, faciemuſq; aperire alias Baſilicas S. Pauli, ac Lateranenſis & B. MARIAE Maioris de dictâ Vrbe Eccleſiarum portas, etiam de more Iubilæi anno aperiri conſuetas. Et pro conſequenda ipſa pleniſſimâ indulgentiâ Baſilicas eorundem Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac Lateranenſis & Beatæ Mariæ Maioris Eccleſias, illarumq; altaria maiora huiuſmodi, per Romanos ac in dicta Vrbe commorantes & reſidentes 30. per peregrinos verò & forenſes 15. diebus continuis, ſeu interpellatis ſemel in die viſitari debere, omnes & ſingulas pleniſſimas indulgentias, per dictos prædeceſſores dicto anno Iubilæi Baſilicas & Eccleſias prædictas viſitantibus conceſſas, de nouo pro conſcientiarum eorundem fidelium maiori ſerenitate, ac potiori cautelâ, auctoritate, & ſcientiâ ſimilibus approbantes, concedentes, & innouantes. Adijcientes quoque vt hi pro ſimili conſequenda Indulgentiâ huiuſmodi, poſt iter acceptum, vel pòſt præparationem ad veniendum ad dictam Vrbẽ per eos factam, impediti legitimè fuerint, quo minùs ad ipſam Vrbem dicto anno Iubilæi valeant peruenire, aut præparati, in loco vbi tunc fuerint, ad ipſam Vrbem, & venientes, in via; vel tàm præſi ad prædictam Vrbem peruenerint, quàm Romani, & alij reſidentes, & commorantes & forenſes præfati dierum prætaxato numero non completo, in dicta Vrbe deceſſerint, verè pœnitentes, & confeſſi, eandem pleniſſimam indulgentiam omninò conſequantur. Et vt omnes Chriſti fideles eiuſdem pleniſſimæ Indulgentiæ faciliùs capaces Deo propitio efficiantur, habeantq; ad quos in caſibus nobis & Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, ſi illis irretiti forent, recurrere poſſint, deputauimus in dicta Baſilica S. Petri minores Pœnitentiarios, quibus eos, in dictis caſibus reſeruatis abſoluendi, plenam & liberam (pro maiori Chriſti fidelium, qui ad nos non ità de facili recurrere poſſint commoditate, ac animarum ſuarum ſalute) per alias noſtras litteras, prout in illis pleniùs continetur conceſſimus, facultatem. Et vt animarum ſalus eo tempore potiùs procuretur, quò magis aliorum egent ſuffragijs, & quo minùs ſibi ipſis proficere valet, auctoritate Apoſtolicâ, de theſauro S. Matris Eccleſiæ animabus in Purgatorio exiſtentibus, quæ per charitatem ab hac luce Chriſto vnitæ deceſſerunt, & quo dùm viuerent ſibi vt huiuſmodi indulgentia ſuffragaretur meruerunt paterno affectu quantùm cum Deo poſſumus, ſuccurrere cupientes, de diuina miſe-*

ricordia; ac poteſtatis Apoſtolicæ plenitudine, volumus & concedimus, vt ſi qui parentes, amici aut cæteri Chriſti fideles pietate commoti pro ipſis animabus purgatorio igni pro expiatione pœnarum eiuſdem ſecundùm diuinam iuſtitiam debitarum expoſitis, dicto Iubilei anno durante, pro reparatione dictæ Baſilicæ S. Petri aliquam eleemoſinam iuxtà dictorum Pœnitentiariorum vel alicuius eorum ordinationem, dictas Baſilicas & Eccleſias modo prædicto deuotè viſitando, in capſa in eadem Eccleſiâ ſeu Baſilicâ S. Petri deputatâ, poſuerint: ipſâ pleniſſimâ indulgentiâ per modum ſuffragij, ipſis animabus in Purgatorio exiſtentibus, pro quibus dictam eleemoſinam piè erogauerint, pro plenaria pœnarum relaxatione ſuffragetur. Præparent ergo omnes Chriſti fideles corda ſua Domino: & mores in melius commutare conentur, à malefactis abſtineant: ſatisfaciant Domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis ſpiritum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis & peregrinationibus vt Baſilicas & Eccleſias prædictas, in quibus Sanctorum millia & ferè innumera, vnà cum ipſis glorioſiſſimis Apoſtolis Petro & Paulo requieſcunt, & qui mortem pro Chriſti nomine perpeſſi, eius conſpectui ſemper aſſiſtunt, deuotè viſitantes, verè pœnitentes & confeſſi, ipſos glorioſiſſimos Apoſtolos & ſanctos interceſſores habere ad Dominum & pleniſſimam indulgentiam huiuſmodi, ac reconciliationem cũ pijſſimo Redemptorẽ noſtro, per Diuinã miſericordiã, ac eorundem Apoſtolorum & Sanctorum precibus & meritis, perq; eorum bona opera conſequi mereantur. Amen. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ nunciationis, declarationis, approbationis, conceſſionis, innouationis adiectionis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autẽ hoc attẽtare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ milleſimo, quadringenteſimo nonageſimo nono, tertio decimo Kal. Ianuarij, Pontificatûs noſtri anno octauo.

III.

V. Facultas pœnitentiariæ in Baſilica S. Petri de Vrbe deputatorũ abſoluendi nolentes conſe qui Indul. anni Iubilæi.

ALEXANDER Epiſcopus, Seruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam Paſtoris æterni, qui pro ſalute gregis Dominici in precium immolari non abnuit, vices licèt immeriti gerentes in terris: & gregem ipſum nobis diuinâ diſpoſitione commiſſum, paterno conſiderationis intuitu conſpicientes, ac de animarum ſingulorum fidelium ſalute ſolicitè cogitantes: illarumq; periculis occurrentes: ad ea libenter intendimus vt debemus, per quæ fidelium eorundem ſalus animarum valeat procurari: ipſiq; fideles hoc ſacro anno Iubilei ad almam Vrbem pro conſequenda Indulgentiâ, dicto anno pro ſuorum expiatione peccatorum conceſſâ confluentes, & alij in dicta Vrbe commorantes & reſidentes, illius capaces faciliùs & liberiùs Deo propitio effici poſſint. Sanè proindè conſiderantes inſtantem annum Iubilei, remiſſionis & gaudij, ac reconciliationis humani generis noſtro pijſſimo Redemptori, eſſe verum illum centeſimum annum, qui ab ipſa primæuâ ordinatione fuerat inſtitutus, & in quo omnes & quibuſcunq; etiam grauiſſimis delictis obnoxij, verè pœnitentes & confeſſi, viſitantes Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum Baſilicas, ac Lateranenſis & Beatæ Mariæ Maioris de dicta Vrbe Eccleſias illarumq; maiora Altaria, in quibus videlicet Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum Baſilicis corpora glorioſa, & in Eccleſia Lateranenſi capita illorum recondita conſeruantur, ob paſſionem Domini noſtri Ieſu Chriſti ac eorundem Apoſtolorum, aliorumq; Martyrum, & Sanctorum merita, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam conſequuntur, & propterea à cunctis fidelibus non immeritò maiori deuotione ac frequentiâ celebrandum volenteſq; vt Chriſti fideles ad Vrbem ipſam de diuerſis mundi partibus pro conſequenda huiuſmodi pleniſſimâ indulgentiâ confluentes: & alij in illa commorantes & reſidentes, eandem indulgentiam faciliùs valeant promereri. Et nè defectu poteſtatis abſoluendi illos qui aliquibus caſibus nobis & Sedi Apoſtolicæ reſeruatis irretiti forent, eorũ animæ illaqueatæ remaneant, debitè prouidere ipſorumq; (cũ ſemper ad nos in dictis reſeruatis caſibus recurſus haberi nequeat) commoditati, ac animarum ſuarum ſaluti paternâ charitate conſulere: Dilectis filijs infraſcriptis Pœnitentiarijs in dicta Baſilica Principis Apoſtolorum deputatis, de quorum prouidentiâ, integritate, bonitate & ſolertiâ in his & alijs, gerimus in Dominò fiduciam ſpecialem, omnes & ſingulos vtriuſque ſexûs Chriſti fideles, ad dictam Vrbem pro conſequenda pleniſſimâ indulgentiâ huiuſmodi confluentes, & alios, in illa commorantes & reſidentes, qui aliquibus caſibus nobis & dictæ Sedi reſeruatis irretiti forent, in dictis caſibus etiam quantumcunq; grauibus & enormibus, & ex quauis causâ ſpecialiter vel generaliter nobis & dictæ Sedi reſeruatis, etiam in litteris, quæ in die Cœnæ Domini ſingulis annis publicari conſueuerunt contẽtis, & etiam talibus de quibus præſentibus ſpecialẽ oporteret fieri mentionem (conſpirationis ſcilicet in perſonam vel ſtatum Romani Pontificis, ſeu Sedem prædictam: falſitatis litterarum, ſupplicationum & Commiſſionum Apoſtolicarum: Delationis armorum & aliarum prohibitionum ad partes infidelium, Iniectionis manuum violentarum in Epiſcopos vel alios Prælatos ſuperiores: caſibus duntaxat exceptis) ad effectum ipſum pleniſſimam Indulgentiam conſequendi; & dicto anno Iubilei durante in foro conſcientiæ abſoluendi, eiſque pœnitentiam ſaluarem iniungendi, plenam & liberam & omnimodam auctoritate Apoſtolicâ, & ex certa ſcientiâ tenore præſentium concedimus facultatem. Quibuſuis alijs perſonis & confeſſoribus ſæcularibus & religioſis in dicta Vrbe, & extra muros illius, & aliàs vbilibet exiſtentibus quaſcumq; facultates in dictis caſibus reſeruatis abſoluendi à nobis & Sede prædictâ verbo vel ſcriptis forſan obtinentibus, etiamſi in eis caueretur expreſſè quòd illis nullatenùs, vel nonniſi ſub certis inibi expreſſis modo, & formâ, aut conceptione vel expreſſione verborum derogari poſſet. nè aliquem dicto anno durante facultatum prædictarum prætextu in dictis caſibus reſeruatis abſoluere quoquomodo præſumant, ſub excommunicationis, & anathematis latæ ſententiæ pœnâ (quam contrafacientes eo ipſo incurrant, & à qua nonniſi à nobis, & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pont. canonicè intrantibus præterquàm in mortis articulo conſtituti abſolui poſſint) quibuſque ſi inobedientes fuerint vt præfertur, prædicationis, lectionis, adminiſtrationis Sacramentorum, & audiendi confeſſiones officia interdicimus, diſtrictius inhibentes, prædicentes, & declarantes apertè tranſgreſſoribus, & contemptoribus prædictis, nos grauius contra eos ſpiritualiter, & temporaliter, prout expedire cognouerimus, proceſſuros: & nihilominus quicquid egerint abſoluendo, vel aliàs, nullius ſit roboris, vel momenti. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationib. Apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs. Studeant igitur omnes Chriſti fideles, vt tenentur, hoc ſacro anno Iubilei corda ſua Altiſſimo præparare: moreſq;, ac vitam in meliùs commutare, ab illicitis abſtinere; Domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis ſpiritum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis, & peregrinationibus ſatisfacere: vt Baſilicas & Eccleſias prædictas deuotè viſitantes, verè pœnitentes, & confeſſi, ipſam pleniſſimam anni Iubilæi indulgentiam, & reconciliationem cum pijſſimo Redemptore noſtro, per eorum merita, ac bona opera conſequi mereantur. Nomina verò dictorum pœnitentiariorum ſunt hæc adſcripta: Franciſcus, Epiſcopus Millopotamen. Riccardus Trapp. in artib. & Theolog. magiſter. Claudius Catelini. ord. fratrum Eremitarum S. Auguſtini profeſſor, etiam in Theologia magiſter. Paulus de Curte Ord. Fratr. Prædicatorum profeſſor etiam in Theologia Magiſter. Andreas Friſner etiam in artibus, & Theologiâ magiſter. Ioannes de Maloleone Ord. Fratrum Minorum profeſſor, etiam in Theologia magiſter. Andreas Ondorp. Canonicus Leodien. decretorum doctor, ac in artibus, & Theologia magiſter. Caſpar Peu, Archidiaconus, maior, Eccleſiæ Vrgellen. in artibus, & Theologiâ Magiſter.





Auguſtinus de Caſtello eiuſdem ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini profeſſor, etiã Decretorũ Doctor, & in artibus Mag. Stanislaus Selig Canonicus Cracouiẽſis ſimiliter Decretorum Doctor, Omnes in dicta Baſilicâ S. Petri Pœnitentiarij. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, inhibitionis, interdictis declarationis, & volũtatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnat. Dominicæ milleſimo quadringenteſimo nono, decimo tertio, Kalend. Ianuarij Pontificatûs noſtri, anno octauo.

VIII. Solemnitas Romæ pro Iubilæo inſtituitur.

Publicato his edictis anno Iubilæi, cum dies XXIV. menſis Decembris aduenisset, præparatis omnibus quæ ad tantam ſolennitatem attinebant, Pontifex horâ circiter XX. ad aperiendam portam quæ aurea dicitur, ex Palatio Vaticano proceſſit. Præcedebant Sodalitia Religioſorum, Monachorũ, Clerus omnium vrbis Eccleſiarum, ſuo ordine, officiales Curiæ Adminiſtri, & familiares Pontificis Pœnitentiarij, Abbates, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, Patriarchæ, Cardinales, pro ſuo ſtatu & dignitate ſacris induti, cereos ardentes geſtantes. Ferebatur Pontifex ſolemnem pompam amictus, diademate triplici caput ornatus, cereum ſiniſtrâ ferens, dexterâ verò populis benedicens. Innumerabilis multitudo ciuium, & aduenarum vtriuſque ſexûs ad ſpectaculum confluxerat. Aes campanum omnium vrbis templorum, & locorum pulſabatur: buccinatores tubis inflatis aërem implebant. Vbi ad portam auream peruentum, Cantores præcinuerunt hunc Pſalmum;

Iubilate Deo omnis terra, ſeruite Domino in lætitia.
Introite portas eius, in exultatione.
Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus, ipſe fecit nos, & non ipſi nos.
Populus eius, & oues paſcuæ eius, introite portas eius in confeſſione, atria eius in hymnis confitemini illi.
Laudate nomen eius, quoniam ſuauis eſt Dominus, in æternum miſericordia eius, & vſq; in generationem, & generationem veritas eius.

Pontifex poſteà verſus inſequentes adiunxit, & Cantores reſponderunt.

Verſ. Aperite mihi portas iuſtitiæ.
Reſp. Ingreſſus in eas confitebor Domino.
Verſ. Hæc porta Domini.
Reſp. Iuſti intrabunt per eam.
Verſ. Introibo in domum tuam.
Reſp. Adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.
Verſ. Hæc dies quam fecit Dominus.
Reſp. Exultemus, & lætemur in ea.
Verſ. Laudate eum omnes gentes.
Reſp. Laudate eum omnes populi.
Verſ. Introite in conſpectu eius.
Reſp. In exultatione.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiſcum,
Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Deus, qui per Moyſen famulum tuum populo Iſraelitico quinquageſimum annum remiſſionis, & Iubilæi inſtituiſti: concede propitius, nobis famulis tuis Iubilæi centeſimum annum authoritate tuâ inſtitutum, quo hanc portam populo contrito aperiri voluiſti, feliciter inchoare, vt in eo veniâ plenæ indulgentiæ, & remiſſionis omnium delictorum obtentâ, cùm dies vocationis aduenerit, inenarrabili gloriâ, & perenni felicitate perfruamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Recitatâ oratione Pontifex malleo aliquot ictus in portam dedit: muratores poſteà fracto muro aperuerunt. Ruderibus ſublatis, Pontifex accedens genu flexo aliquantum orauit, & præcinentibus Cantoribus Te Deum laudamus per portam apertam in Baſilicam ingreſſus, veſpertinas preces ſolenni ritu abſoluit.

IX. Vrbanus VIII. Ladislaũ Poloniæ Regis filium inuitat ad Iubilæum.

Non minore apparatu, ſolennitate, concurſu populorum, iubilæum hoc anno Domini MDC. XXIV. in peruigilio Natiuitatis Domini, Vrbanus VIII. Pont. Max. apertâ portâ ſanctâ, Baſilicæ S. Petri auſpicatus eſt. Ad eam celebritatem cohoneſtandam, litteris Apoſtolicis inuitauerat, Ladislaum Sigiſmundum, Sigiſmundi III. Poloniæ, Sueciæ, Gothorum, & Vandalorum inuictiſsimi, & religioſiſsimi Regis Filium, Poloniæ, & Sueciæ Principem Moſcorumque magnum Ducem electum, qui pòſt victorias præclariſsimas de Moſcis, Dacis, Scythis, & Turcis partas, viſâ obiter vniuersâ Germaniâ, in Italiam quoque religionis causâ, & pietatis penetrârat; Ità Pontifex ſcribebat.

Vrbanus Papa VIII.

Dilectiſſime in Chriſto fili noſter. Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Hæc patria generis humani, quæ non ſemel armatos terrarum triumphatores vidit ad Piſcatoris ſepulchrum procumbentes, cùm iamdiu anxijs votis te vocet, propinqua nunc aduentûs tui ſpe ſummoperè lætatur. Cùm enim indicta pridem Anni ſancti, & Chriſtiani Iubilæi ſolennitas, credentes populos ad hoc Religionis Sanctuarium conuocet, iucundum cœlo hominibuſq; ſpectaculum fies Poloniæ Princeps, qui Regiam iuuentutem illuſtribus victorijs Catholicæ Eccleſiæ commendaſti. Excitam illam ex Aquilonis, Orientiſq; latebris colluuiem Turcarum, atq; Tartarorum, quæ toti Europæ non ità pridem videbatur diluuiem minitari, Roma ſcit Poloni Principis virtute compreſſam, coactamq; fuiſſe ſalutem meticuloſâ pactione, & turpi fugâ redimere. Proin cogitare potes, te hîc Vrbis amore, & populorum plauſu colendum; vbi fortitudinis tuæ trophæa, quæ Chriſtianitatis propugnacula fuerunt, conſentientibus nationum tàm diuerſarum vocibus celebrantur. Nos verò, qui iam diu triumphalibus nominis tui laudibus fauemus, Apoſtolici amoris brachijs te complectemur decus ſeptentrionis, & fidei præſidium. Scito ergo te, maxima aduentu tuo Pontificiæ charitati ſolatia allaturum; qui certè præſens cognoſces, quanti apud nos ij principes ſint, qui barbariã impietatem profligantes, cæleſte regnum in terris propagant. Mentem noſtram vberiùs declarabit dilectus filius Carolus Magalotus, cuſtodiarum noſtrarum Generalis locumtenens, Cardinalis Barberini nepotis noſtri auunculus, & Cardinalis Magalotti frater, quem nobis gratiſſimum ad te allegamus, vt has Apoſtolicas litteras afferens, paternum deſiderium noſtrum tibi ſignificet. Is autem ſe nobis morem geſſiſſe, tũ arbitrabitur, cùm omni officij, atq; obſequij genere demereri poterit patrocinium tanti Principis, cui ad Nos proficiſcenti felix iter precamur, & Apoſtolicam benedictionem amantiſſimè impartimur. Datum Romæ, apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 28. Nouembris M.DC. XXIV Pontificatus noſtri anno ſecundo.

X. Idem Ladislaus Romæ magnificè excipitur.

His Apoſtolicæ charitatis litteris, Princeps nõ minùs, quàm pietate, & deuotione priuatâ incitatus, Romã, horâ tertiâ, in noctis, die XX. Decẽb. diſsimulata perſonâ, equis citatis aduolauit; & ad pedes Põtificis deoſculandos, priùs quàm ad hoſpitium properauit. Habuit in comitatu præter alios viros ex præcipua nobilitate Polonâ Illuſtriſsimos, Albertũ Stanislaum, Ducem Radiuilum Magni Ducatus Lituaniæ ſupremum Cancellarium Aulæ Præfectum; Ioannem Caſtellanum Trocenſem, Alexandrum, & Ioannem Albertum Duces Radiuilos, & Sacri Romani Imperij Principes: Stephanum Patzium Magni Ducatus Lituaniæ Prothonotarium: Lucam Zolkieuium Magni Cancellarij & Exercituum Ducis nepotem, Adamum Naſanouium Cubiculi Præfectum, Nicolaum Pigleuium, Samuelem Rilſcium, Matthiam Titleuium, Ioannem Zardocium Vitellium, & quem penè prætermiſeram, Ioannem Bro-

niſonium, Canonicum Sandomirienſem, nobiliſsimâ in Regno Poloniæ Pomianorum familiâ oriundum, Regi Sigiſmundo ab optima morum inſtitutione, & vitæ integritate, nec non ab ampliſsimis in Eccleſiam Cracouienſem, cui nouem amplius annos in obſequio Martini Szyskouij Epiſcopi, & Ducis, in rebus ſpiritualibus præcipuè operam diligentiſsimam probauerat, meritis, longè chariſsimum. Venientem Principem, Pontifex, totâ ditione Eccleſiaſtica hoſpitijs vbique diſpoſitis, Pontificijs sũptibus lautiſsimè habitum, benignè complexus in Palatio Aymerici Caponis, ad portam Flaminiã ſplendidè ornato diuertere permiſit: lautia abundiſſimè ibidem ſuppeditauit; ad aperitionem portæ ſanctæ, in ſuggeſtu eminentiore è regione præparato præſentem; (comitati ſunt Principem, Romæ præſentes Poloni Illuſtriſsimi, Stanislaus Sciska, Epiſcopus Samegitiæ: Ioannes Comes Sconopacius Præfectus Dibouien: Venceslaus, & Prædeslaus gemelli Comites à Leſzno: Ioannes, & Sbignæus Comites Oleſnicij: Filij Nicolai Lublinenſis Palatini, quia ſola lectione geſtorum ſui proaui Cardinalis Sbignei, hæreſim Lutheranam abiurauit, ac multa pietatis Catholicæ argumenta poſteritati reliquit: Nicolaus, & Iacobus Veiheri, Palatinidæ Culmenſes; vt Oleſmicij Lublinenſes, Leſezynij Breſtenſes, Konopaccius Culmenſis:) tum ea, & conſequentibus Natalitijs feſtiuitatibus, omnibus tàm diurnis, quàm nocturnis ſacris, ingenti cum reuerentiâ aſsiſtentem, vehementiùs ſuſpexit: vtque ſacratiſsima Religionis Catholicæ pignora, vultum Redemptoris panniculo per miraculum à Veronica exceptum, & lanceam, quæ latus Chriſti hauſit, eminùs videre, tractare, venerari, & populo deſideranti ad venerationem, ex loco deſignato eminentiore, in quo religioſè ſeruantur, oſtendere poſſet, illum inter Canonicos Baſilicæ Principis Apoſtolorum (Imperatoribus exambita, & collata dignitas) recenſuit, quâ ille dignatione, pòſt Fridericum III. & veteres illos aliquos Imp. nemini hactenus collata, ornatus, ſacramque pompam (admiranda, nec ſine lacrymis innumerabilium viſa, deuotio, & demiſsio Principis) indutus, medius inter collegas, lacrymis profuſiſsimè manantibus, ſuſpirans, & ad contactum vtriuſque cymelij tremens, vtrumque pignus populis adorandũ exhibuit; ſpectaculum iucundiſſimum cœlo, hominibuſque factus. In eius gratiam, Pontifex, Sanctum Hyacinthum Odrouanſium Dominicanum, feſto Duplici Dominicâ infra octauas Aſſumptionis SS. V. vbique in toto Chriſtiano orbe in perpetuum ab omnibus honorauit, officiumque illius, & Miſſam Breuiario, & Miſſali Romano inſeri, atque ab vniuerſo Seculari, & Regulari Clero recitari imperauit. Ipſum illum Principem gladio, & pileo, inter nocturnas Natiuitatis Domini preces, ſolenni ritu, ſacratis præſentibus, Coſmo Torres Regni Poloniæ protectore, Antonio, & Franciſco Barberinis, & Magaloto Cardinalibus, ex manibus Torquati Perotti Sacello priuato præfecti accinxit, ornauitque. Accinctum deinde, eodem die epulo publico refecit: atque eo inter mutuas beneuolentiæ ſignificationes abſoluto, poëmate Etruſco, quo Ioannes Ciampolus Pontifici à Secretioribus ad Principes litteris, eruditâ muſâ laudes principis, Regis, & regni Poloniæ complexus eſt, variâ vocum, & inſtrumentorum Symphonia, plorantibus præ animi teneritudine omnibus, qui audiebant, publicè exhilarauit, & honeſtauit, iam aliquot dies in Palatio Apoſtolico diuerſantem.

*Gladio & pileo à Pontifice induitur.*

*DE TRADITIONE PILEI, ET ENSIS Benedicti.*

*Ceremonia in traditione pilei,*

Pontifex indutus veſtibus conſiſtorialibus, ſtans antè altare Principem ſacris armis decorandum, antè ſe iubet genu flecti, & dicit.

Verſ. *Adiutorium noſtrum in nomine Domini.*
Reſp. *Qui fecit cœlum & terram.*
Verſ. *Kyrie eleiſon.*
Reſp. *Kyrie eleiſon, Kyrie eleiſon.*
*Pater noſter.*
Verſ. *Et ne nos inducas in tentationem,*
Reſp. *Sed libera nos à malo.*
Verſ. *Eſto nobis Domine turris fortitudinis,*
Reſp: *A facie inimici.*
Verſ. *Nihil proficiat inimicus in eo,*
Reſp. *Et filius iniquitatis, non apponat nocere ei.*
Verſ. *Fortitudo mea, & laus mea Dominus;*
Reſp. *Et factus eſt mihi in ſalutem.*
Verſ. *Si conſiſtant aduersùm me caſtra:*
Reſp. *In hoc ego ſperabo.*
Verſ. *Non ſaluatur Rex per multam virtutem ſuam.*
Reſp. *Et Gigas, non ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ.*
Verſ. *Hi in curribus, & hi in equis;*
Reſp. *Nos autem in nomine Dei exercituum.*
Verſ. *Dominus vobiſcum,*
Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

*Omnipotens ſempiterne Deus præliantium fortitudo, & triumphantium gloria, dilectiſsimum hunc filium noſtrum Vladislaum, coronatũ ſcuto bonæ voluntatis tuæ armare digneris galeâ ſalutis, & diadema perfecti decoris, impone ſuper caput eius, vt ſæuientibus periculis, ſe in medio vmbræ mortis obijcere poſsit incolumis ad tutelam fidelium, & gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti, Qui tecum, &c.*

Pontifex ſedens, accipit pileum, eumque Principis capiti imponit.

*Accipe dilectiſsime fili noſter pileum hunc aureis ſpiritus ſancti radijs micantem, vbi candentes vniones non rapacium auium crudelitatem, ſed paciferæ cõlumbæ innocentiam aſſingunt. Cogitare enim debes, bella tùm demùm iuſta eſſe, cùm non vſurpandi Imperij, aut opum rapiendarum cupidine geruntur; ſed ſuſcipiuntur Spiritu ſancto admonente, ad propagandam fidem, & ad ſtabiliendam pacem, quæ relicta Principibus terræ fuit hæreditas Chriſti in cœlum redeuntis. Qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.*

Pontifex ſtans, accipit gladium è vagina eductum.

Verſ. *Vagenti inſurgenti ſuper genus meum,*
Reſp. *Dominus omnipotens vindicabit in eis.*
Verſ. *Maledictus homo, qui prohibet gladium ſuum à ſanguine,*
Reſp. *Et non facit vindictam in nationibus non credentibus.*
Verſ. *Apprehende Domine arma, & ſcutum,*
Reſp. *Et Exurge in adiutorium mihi.*
Verſ. *Iudica Domine nocentes me,*
Reſp. *Et expugna impugantes nomen tuum.*
Verſ. *Gladius eorum intret in corda ipſorum,*
Reſp. *Et arcus eorum confringatur.*
Verſ. *Lætabitur iuſtus, cùm viderit vindictam,*
Reſp. *Manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.*
Verſ. *Notam feciſti in populis virtutem tuam,*
Reſp. *Redemiſti in brachio tuo filios Iacob & Ioſeph.*
*Dominus vobiſcum,*
*Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

*Omnipotens Bellator, qui terribilis es apud Reges terræ, & doces præliantium digitos ad bellum, dilectiſsimum*

hunc



*hunc filium noſtrum Vladislaum præcinge gladio illo ancipiti, qui profligat legiones inferni, & militet cum eo orbis terrarum aduersùs inſenſatos, vt molas leonum conterat, & dentes peccatorum confringat, & in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ barbaras nationes ſubdat Domino noſtro Ieſu Chriſto, Qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus S.*

Pontifex ſedens enſem nudum tradit Principi.

*Accipe dilectiſsime fili noſter N. Mucronem Domini, & gladium ſalutis, & fiat in dexteræ virtutis tuæ, innocentium tutela, & impiorum flagellum; & ad gloriam Dei omnipotentis, & ſanctæ matris Eccleſiæ illuceſcant coruſcationes eius Orbi terræ.*

Pontifex acceptum gladium vaginâ tegit, & Principem eo cingit.

*Accingat te gladio ſuo ſuper femur tuum potentiſsimus, qui ſuperbis reſiſtit, humilibus autem gratiam dat, tu autem crebris victorijs, cole Deum exercituum, & vltionum Dominum. In nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.*

XI. *Poemata Vrbano PP. portã ſanctam aperienti Vladislao itẽ oblata.*

Annectere his viſum, quæ Ioãnes Broniszeudski, Antonius Querengus, Ioannes Ciampolus, Sanct^mo. D. Vrbano P.P. VIII portam ſanctam aperienti, & Sereniſ^mo. Vladislao, ſuam ſanctitatem ſalutanti, ab eadem, enſem, & pileum benedictum accipienti, carmina, & poëma ediderunt.

# VRBANO VIII. PONT. OPT. MAX. AVream portam aperienti.

*AVreus æthereis allabitur arcibus annus,*
*Thuſca Quirinali melle madeſcit humus;*
*Roma potens primùm ſolennibus inclyta ſacris,*
*Tarpeium dulci barbiton arte liget,*
*Muſaq; pierijs quanquam non apta cothurnis,*
*Pulſet Apollineæ, conſona fila, Lyræ*
*Cœlitis VRBANVS reſerat penetralia templi,*
*Et iubet optatos, ſæcula ferre dies,*
*Hic vbi Relligio Latijs calcata Tyrannis*
*In ſcrobe & effoſſa clauſa latebat humo,*
*Hoſpes quò longis, crebro veniebat, ab oris.*
*Amphiteatrales, velle videre choros,*
*Iam nunc Ambroſii decurrunt mella Quirini,*
*Cœleſteſq; petit, ſedula turba dapes,*
*Hic vbi ſacrati latuere arcana Tonantis;*
*Atq; cruore pij, tot maduère viri;*
*Nunc iam cernè pij veneranda ſacraria cultus,*
*Omnia iam verò, ſunt operata Deo.*
*Magnus honor, laus magna tua eſt, Mauortia Roma,*
*Nam pedibus data ſunt cuncta terenda tuis,*
*Nobilis errorum quondam, ſceleriſq; fuiſti*
*Nunc fidei noſtræ es, facta benigna parens,*
*Felicem Petram, PETRI de nomine dictam,*
*Quam ſuper, eſt veri, ſponſa locata Dei,*
*Hanc ſibi connubio iunxit, propriamq; dicauit*
*In cruce, dum largo ſanguine parta fuit,*
*Hæc eſt illa Argo, chartis memorata Sybillæ,*
*Quæ Paradiſiacas, remige carpit aquas,*
*Et quamuis varijs quandoq; agitata procellis*
*Fluctuet, illa tamen vera tenenda ratis:*
*Nam Pater æternus, diuino tactus amore,*
*Adſtat, ne ſociam, Thetyos vnda voret,*
*Cuſtodeſq; adhibet ſuperos, qui limina ſeruent,*
*Et celerem flectant, per vada ſalſa, ratem.*
*Non Euros Zephiroſq; timent, Boreamq; furentem,*
*Non intempeſtæ, mobile marmor aquæ,*
*Quæ te lingua canet, Dominam terræq;, mariſq;,*
*Angelicos quamuis, calleat illa ſonos!*
*Chriſti caſtus amor, Triadis veneranda ſatelles,*
*O Deus, & ſancti ſancta carina maris,*
*Ergo te noſtram matremq;, Ducemq;, fatemur*
*Atq; tuo Typhi, proſpera verba damus.*
*Summe Panomphæ Myſtes VRBANE Tonantis,*
*Cui mare, cui tellus, proruit ante pedes;*
*Nunc hamos verſare licet, nunc Doridis arces*
*Pertentare iuuat, Nereidumq; domos,*
*Perge Gyganteas ad retia cogere prædas,*
*Quæ ſub aquis, longo tempore, triſte gemunt;*
*Nunc res ipſa, ratem ſanctam, de littore pellit,*
*Myſtica ſydereo, miſta ſagena polo eſt,*
*Hamiger apte freto, piſcatibus apte, natantes*
*Prende maris Phocas, ſquammigeroſq; greges,*
*Et tandem captos, nigrâ Phlegetontis in vndâ,*
*Ablue, & in magni, claſſe repone PETRI,*
*Sæuit amor ferri, currunt ad claſsica gentes*
*Chriſtiadũm, Mauors concita regna premit,*
*Claudere tu poſtes, belliq; inhibere furorem*
*Spes potes, non eſt, te ſine, tuta ſalus,*
*Tartara te metuunt, ſeruit tibi machina mundi,*
*Hæreſeos ſectæ, ſub pedibuſq; iacent,*
*Cæleſti populos tu maieſtate gubernas,*
*Sæcrificiq; locum, Melchiſedechis habes,*
*Tu ſuperũm cœtus, & fortunata piorum*
*Tecta aperis, quando ſunt reſeranda pijs:*
*Tu ſurſum claudis, dum ſunt claudenda nefandis,*
*Vnus inexhauſti, clauiger Oceani,*
*Iis quos dira ſitis, vel mentis vexat Orexis,*
*Auxilium præſtas, magne Patrone tuum.*
*Tu ſolus, Solymi dignus curare Magiſtri*
*Sanguine lucratas, inclyte Paſtor oues,*
*Iam terris optata diù, cæloq; paraſti*
*Balnea, queîs hominum, ſaxea corda madent,*
*Vt typicas Meſes, veruſq; Propheta recludis*
*Atria, quæ populo clauſa fuère Dei;*
*Vtq; pius doctor, diris vltricibus actis,*
*Damnatiſq; Orco, pandis ad aſtra viam,*
*Sedibus Empireis, te miſſum credimus eſſe,*
*Vt Barathro immerſos, Cynoſura iuues;*
*Et quidquid manet antiquâ de ſorde relictum,*
*Efficias, Chriſti Purpura ſancta lauet,*
*VRBANVS nobis reſerat penetralia cœli,*
*Index lætitiæ verberet aſtra ſonus,*
*Quamuis Orbis habet cœleſtia pharmaca ſemper,*
*Nil tamen hoc vno, ſanctius eſſe poteſt,*
*Ergo rei veniam factis expoſcite veſtris,*
*Tempus adeſt, quo fit, mollior ira Dei;*
*Auſonij proceres, feſtiuos edite cantus,*
*Tempus adeſt plauſus, aurea porta patet,*
*Victriceſq; tubas inſtet Mauortia turba,*
*Pontificiq; pio dicat io, ter io.*
*VRBANVS mundi, cœliq; vicarius annet,*
*Atq; perennet io, plebs pia dicat io,*
*Huic Saba mollis Arabs, huic Balſama mittat Idumes*
*Huic fluat ô cœlo, nobile nectar apum,*
*Seu cupit ignitos roſeo fulgore Hyacinthos,*
*Infeſtam Baccho, ſiue Amethyſton amat.*
*Quidquid Erythræi poſſunt dare littora Ponti,*
*Atq; opibus præſtans Indica terra ſuis,*
*Tandem poſt ſeræ, cunctantia luſtra ſenectæ,*
*Neuerit vt vitæ, ſtamina Parca ſuæ,*
*Sydereos inter Procerès, ſanctumq; Senatum*
*Euolet, igniferis præſideatq; locis.*

## VRBANI VIII. APIBVS GENtilitijs, melleum ſæculum Orbi Chriſtiano adferentibus.

*Quam bene cæruleo ludunt examina campo,*
*Quam bene Romuleæ ver populantur apes?*
*Mellifer Hyblæas exercitus inuolat herbas,*
*Mitis & Auſonias, paſcit Hymettus apes,*
*Cedite crabrones, ignaui cedite fuci,*
*Mellea non veſtro ſæcula melle fluunt.*

Eiſdem.

Eiſdem. II.

*Mater apis parco libas quid lilia morſu,*
*Et Calabras inter luxuriaris opes?*
*Vade Latinorum campos Tyberinaq; circum*
*Fige laboratis, mellea regna fauis:*
*Indus, & obrizo manauit Lydius auro,*
*Dardanium ſatis eſt, fundere mella Tybrim.*

Eiſdem. III.

*Si violes poſtem Cythiſos, apiumq; roſaſq;,*
*Iliacũ apibus, maximè myſta darem,*
*Eliſijs meritò dignæ ſunt floribus illæ,*
*Nam Vaticanas promeruêre domos,*
*Ergo diù repleant, cœleſti nectare cellas,*
*Seruiat Hybla ſuis, thymbra, thymuſq; fauis.*

Sereniſsimo
SIGISMVNDO VLADISLAO, POloniæ & Sueciæ Principi, Magno Duci Moſchouiæ Electo, &c&c. dùm aperiretur Porta ſancta in VATICANO præſenti.

O D E.

*INtermiſſa diù, nunc age barbita,*
*Si quid Dardaniâ Muſa potes Lyrâ,*
*Pulſis porrige neruis,*
*Prolis ſedula Regiæ,*
*Non pugnas opus hic ludere Moſchicas,*
*Non intentâ feris tela Cydonijs,*
*Præceps exulet ira,*
*Et raucus litui furor;*
*Regum progenies inclyte Principum,*
*Quem flauus TYBERIS vidit, & ITALAE*
*Suſpexere beatum*
*Vrbes & populi Ducem,*
*Tu ſolis, niuium, pulueris imbrium,*
*Inſuetaq; viæ tædia perferens,*
*VATICANA petiſti, è*
*Regni finibus atria*
*Quis te, ſit licet is diues Acholmenes,*
*Et Gazas Arabum vel ſuperet Mydam,*
*Felicem neget eſſe?*
*Arctoi decus Imperij,*
*Te caſtus pudor, & Iuſtitiæ ſoror*
*Incorrupta fides, raraq; ſanctitas,*
*VLADISLAE potentem*
*Regnorum Dominum canent:*
*Te Traces metuent, te gelidi Scythæ,*
*Cedent ipſa tuis flumina viribus.*
*Et Mars ſeruiet vltrò,*
*Regijs captus amoribus,*
*Hic ſublimis honor, Dux Generoſior,*
*Quo te condecorat TYBRIDIS ad vadâ,*
*AVGVSTAE PATER VRBIS*
*Te ſemper comitabitur.*
*Si rurſum rabies perfida Biſtonum,*
*Nos ad bella vocet, claſsica concrepans,*
*VLADISLAE Chymæra*
*Affer centicipi necem.*
*Hoc poſsit pietas, hoc Deus armiger,*
*Hoc incude ſacrâ, factus acutior*
*A te poſtulat enſis*
*Hoc caſsis iubet aureæ,*
*VLADISLAVS erit Lecticus Hercules,*
*Sternens Aſiacæ monſtra Tyrannidis,*
*Fiet Gentibus Orbis,*
*Inſtar ſolis amabilis.*
*VLADISLAVS amor Pontificis Pij,*
*Terror Caucaſeæ plebis & vltio,*
*Vidit limina PETRI,*
*O ſol, iam meliùs nite.*
*Splendentem patriæ redde magis diem,*
*Ecquis ſperet adhuc nubila tempora?*
*Vmbræ cedite cunctæ,*
*Luci Principis inclyti,*
*Hæc oris Patrijs aurea ſæcula,*
*Hæc viros populis aſſeret optimas,*
*Hæc & bella fugabit,*
*Ac pacem dabit incolis.*

Eidem Sereniſſ.mo Principi ſuam Sanctitatem ſalutanti. Macto.

*Cælitibus gratus, toti chariſsimus orbi*
*Princeps, VRBANI ſiſtitur ante pedes,*
*Scilicet hoc factum, Caluini aridet Erinnis,*
*Inuidioſa tibi ſancta carina PETRI,*
*Deſine mordaces iactare Chymæra cachinnos,*
*Agnoſcit matrem, filius iſte ſuam.*

Eidem Enſem & Pileum Benedictum à ſua Sanctitate accipienti.

*Mucro latus decorat, gemmata Thyara capillos,*
*Præmia conueniunt, fortibus iſta viris,*
*Lechiadûm tellus, multis onerata triumphis,*
*Enſe decora nouo, carpe trophea noua,*
*Iam ſecura potes totis bellare diebus,*
*Atq; Otomanigenis, ponere iura feris.*

Aliud.

*Sardonichas, Smaragdos, Adamantas, Iaſpidas in te*
*Dùm video, ſolem veriùs eſſe reor,*
*Te pietas ſolem, facilis clementia ſolem,*
*Purpureus ſolem, te facit eſſe decor.*
*Ite, mitrâ ſolem, Romani cingite: Roma*
*Ne nimiùm feriat, poſtulat ille tegi.*

Ioannes Broniſzecoshi Canonicus Sandomirienſ. & Præpoſitus Pilznen.

ANT. QVERENGI, V. S.
RETEND. ET S.D.N.
# VRBANI VIII.
PONT. MAX.
*PRAELATI DOMESTICI.*
Carmen ad Vrbem Romam in aduentu Sereniſſ.mi
## VLADISLAI
Poloniæ Principis.

*THREICII terrorem hoſtis, clarumq; triumpho*
*Bis domiti iuuenem Moſchi, iam læta tueris,*
*Optaſti quod Româ diù, frueriſq; benigno*
*Principis affatu, & ſublimi in fronte refulgens*
*Nobile tot Regum ſpecimen veneraris auorum.*
*Hic placido cunctos qui nunc mitiſsimus ore*
*Allicit, & veteris ſacra vrbis templa pererrans*
*Cœleſtis tecum vitæ pius excolit artes;*
*Hic ſæuà in medio nuper diſcrimine pugnæ*
*Innumeras equitum contra, peditumq; cateruas.*
*Tela ferox inimica volans per denſa, ruenſq;,*
*Ingentem ferro cæſorum ſtrauit aceruum,*
*Et pauidæ dare terga fugæ; crudelo minantem*
*Sarmatico exitium Regi, populiſq; Tyrannum*
*Compulit, ac turpes Byzanti in mollibus hortis*
*Inter ſemiuiros latebras optare miniſtros.*
*Nec, ſi vera canunt vates, Rexq; altus Olympi*
*Annuit hoc noſtro, decus indelebile ſæclo*
*Sperandum ductore alio florentia quondam* Po.
*Regna Aſiæ, Graiaſq; Vrbes, Solymamq; ſacrumq;*
*Iordanem, & magni felicia ſaxa ſepulchri*
*Aſſerere antiquos in libertatis honores,*
*Et veri ſuperùm cultus extendere fines.*





*Hos lætos rerum euntus, hæc publica vota*
*Pontificum venerandus apex, regni vna Latini*
*Spes, agitans mente VRBANVS, venientis honori*
*Terrarum non parcus opes, cæliq; profudit.*
*Nec dum etiam tribuiſſe putat ſe ingentibus æqua*
*Pro meritu, teneros illi quæ geſta per annos*
*Dum ſubeunt animumq; inuictum obſeruat & alta*
*Conſcia virtutis prodentes pectora voces.*
*Iamq; nequit dulci expleri ſermone loquentis,*
*Et cupidus narrantem audit modò bella ſecundis*
*Magno exhauſta Patri ſuperis repetitaq; priſci*
*Imperij iura in populos, vrbeſq; receptas.*
*Et modò parta ſibi metuendo ex hoſte trophæa,*
*Vel tumidas armis cum Volgæ exterruit vndas,*
*Addidit & ſceptris victor noua regna paternis.*
*Vel maleſida tuos cum per Moldauia campos*
*Obijcere Oſmani ſe immenſis viribus auſum*
*Seruatam lætum in patriam celebremq; reuexit*
*GLORIA quæ celſò in Labaro Crucis alta pependit.*
*Audit, facundo & tacitus dependet ab ore.*
*Tum longos meditata dies in magna viciſsim*
*Conſilia, & ſenſus admiſſum ducit in imos,*
*Inq; operum partem tanta vocat indole dignam.*
*Nec ſe oneri non ille parem, cum tempora poſcent,*
*Offeret, aut ſacri pia Principis omina fallet.*
*Interea patrias remeare inuitus ad arces,*
*Cogitur, & gratis Latij decedere terris.*
*Tu breue lætitiæ tempus quodcunq; fugacis*
*Reſtat adhuc, rape Roma, abitum ſolata propinquum,*
*Vocibus & fauſtis curſum comitator euntis.*
*I decus Europæ eximium, nec fortibus auſis*
*Nec recti ſtudio, ac iuſti minor Hercule Princeps.*
*Te vitæ in biuio florentis tramite fruſtra*
*Dulcibus aggreſſa illecebris deterruit alto*
*Virtutis duræ aſcênſu maleſuada voluptas.*
*Te quoque biſſeni manet inclyta fama laboris.*
*I fœlix, fortiq; doma monſtra impia dextra,*
*Mox vbi Pontifice à magno terraq; mariq;*
*Militiæ impoſitus ſacræ victricibus armis*
*Fregeris Eoas acies, orbiq; timendum*
*Occiduo, dira immanem feritate draconem,*
*Æternum meritâ in terris ornabere laude,*
*Vaſtæ humeros olim preſſus quod pondere molis*
*Aſtrigerum magni qui ſuſtinet ætheris axem*
*Auſonius verum te Alcidem ſenſerit Atlas.*

*LA VITTORIA*
DEL PRINCIPE
## VLADISLAO IN VALACHIA.
*ARGOMENTO.*

Facilitè Toni ſolto 619.

XII. *Applauſus de victoria Principis Vladislai aduerſus Turcas.* Po del Coro.

IL gran' Signore de Turchi, el gran' Cane de Tartari, conducono quattro cento mila combattenti sù le riuiere del Fiume Neſtro in Valachia contro il Regno di Pollonia; dopò varij conflitti ſono eſpugnati dalla potenza del Rè Sigiſmundo, e dalla virtù del Principe Vladislao, il quale venendo à Roma riceue nel Vaticano dalla mano dil Pontefice Vrbano VIII. Lo ſtocco benedetto.

Nella Regia famoſa
Ch'all'Oriente Soggiogato impera,
Reggea Tracio Tiranno
Con Maeſtà guerriera
Il giouinetto Oſman ſcettro Ottomanno
Mà nell'età gioioſa
Sempre con vario affetto
Folle deſir' gli conturbaua il petto.
Talor' laſciuo amante
Sol preſſo quel' diletto
Che con vil' otio di virtù nemico
Trà gl'aſſalti d'amor porger poſtea
Il Serraglio impudico.
Hor nel Core inconſtante
La Ferità vincea
Rappreſentando ſol battaglie, e ſtragi;
E ſpettator di moſtruoſe forme
Fin, quando ſtanco ei dorme
Sogna morti, e naufragi.
Regnatore infelice 2.
Cui Frà continui aſſalt
Quetare vnqua non lice
Gli Spirti combattuti
Venga hora Tracia, eſalti
Dell' Arabia i tributi
E di Bizantio le famoſe palme;
Da i crudi incontri, onde battaglia han' l'alme
Mal lo difendon gli ſquadroni armati
Dei Turchi faretrati
Mà chi preualſe al fin' nel Regio core;
Qual ei viuere eleſſe
Guerrier, di Marte ò prigionier, d'amora Po.
Non sò, s'egli medeſmo anco il ſapeſſe
Sembio nugola in aria
Cui ſenza compaſsion sforzino iuenti:
Si con forza contraria
Tormentollo il furore
Di deſir violenti.
Pur come ſtimar ſuol' l'età fiorita
Deſiabile impreſſa
Correre à far' conteſa
La doue amore inuita,
Trà lante menſe, & impudiche piume
Volti in gioie gl'affanni
Con barbaro coſtume
Paſſaua il fior de gl'anni:
Mà il ſeuero conſiglio
De i Baſcià bellicoſi
Gli fè talora intorbidare il ciglio.
Et celebrando i geſti glorioſi
De i Padri trionfanti
Iacean' parer' pur' troppo vili i vanti
De gl'aſſalti amoroſi
Non era ancora il regio cuor' ſi guaſto 2.
Da menlogne ſuaui
Ch'egli ſtimò pur' gli ſplendor' de gl'aui
Sproni di gloria, e non trofei di faſto Po.
Vn di ch egli gioiua
Ebrio di fiamma impura
Trà i dolci uelli di Sultana Argina,
Tiranneggiato da geloſa arſura
Langi dal guardo di Baroni, e Duchi
Chiamo l'imbelli ſchiere
D'effeminati Eunuchi.
Poi per dare à colei nouel' piacere
Di feminili arneſi
Le Regie membra ei veſte.
Raggi di ſole in ricche pietre acceſi
Perle eritree con porpora conteſte
Balſami lagrimati
Trà gl'Arabi odorati,
Chirlande rilucenti
Di gigli, acanti, e crochi
Eran trà varij giochi
Della real' follia degni ornamenti,
Hor ei coſi pompoſo
Tra lunghi ſcherti ſtanco
Poſando in grembo alla ſua donna il fianco
Al fin' prende ripoſo.
Mà poi ch' ei chiuſe il ciglia
Spettacolo gl' apparue
Con ſi tremende larue 2.
Che gli fece cangiar' voglia, e conſiglio
Oh, com' auuien ſouente,
Che quei che troppo di ragion' le voci
Sprellan' ſpirti feroci Po.
Sia vano ſogno à debellar' poſſente
Sopra vn' vaſto elefante
Con volto furibondo

Veder' gli parue in atto fulminante
Macometto il ſecondo
Sanguinoſi ornamenti
Non viſti mai dentro ad' alcuna ſelua
Creſcean' l'horrore alla terribil' belua
Di Strangolati Nè teſte pendenti
A gran'catena intorno
Quaſi Fiocchi di ſeta, e d'or' lucenti
Rendean le il collo horribilme adorno.
Ma il poderoſo tergo,
Oue in guerra ſi pianta
Il torreggiante albergo
Fregiata à Lune d'or porpora ammanta.
Iui sù targhe, & elmi vn' grande vsbergo
Forma eſecrabil' trono
Par' che minacci il Cielo, e l'aria auuampi
Sopra quell'armi eretta.
Spalliera armata di fulminei lampi,
Che percoſſa dal ſol fiamma ſaetta
I fregi di lei ſono
A grande ſcudo dentro
Pur'come linee in centro
Ben' cento affiſſe luminoſe ſpade
E della pompa ardente
Ià ch' il pondo non cade
Auuinto in sù quel doſſo vn' gran tridente
Hora in ſi fatto ſoglio
Spirando ira, & orgoglio
Macometto riſiede.
Squame di ferro aurate
Sono i coturni del Tartareo piede,
Ed' incuruato acciaro
Le falde ben' temprate
La vaſta mole dell' alte membra armaro
Spauenteuole ſcena
Horribile à mirarſi
2. Tremenda ad'aſcoltarſi
Oh che viſta crudele
Ch' vdita ancor' da pena
Spargeſi il cor' di fiele
Emi s'agghiaccia il ſangue in ogni vena
Po. Mà nel barbaro volto
Parea tutto il terror' di ſtige accolto:
L'horror' del mento, e della guancia atroce
Piuma non hà, chel copra.
Ben' nel labbro di ſopra
Hiſpidi peli, e folti
Con Maieſtà feroce
Par' che minaccin' morte al ciel' riuolti.
Delle ciglia il confine
Sotto la creſpa fronte
Brutta ſiepe parea d'immonde ſpine:
Ma gl' occhi eran' fucine
Oue temprano ognor' la furia, & l'ira
Fulmini d'Acheronte.
Sù l'eſecrabile teſta
Corona micidial ſorgor ſi mira.
Neuoſi biſsi in cento ſpire attorti
Reggean' pompa funeſta:
Tratte dal cruor d'Eroi per ſua man morti
Cento alate quadrella
Pur' come raggi di notturna ſtella
Sorgeano in giro entro à que lini inſerte
Delle braccia ſcoperte
Maſcelle di Leon' ſcaglie di draghi
Son' gl'arneti più vaghi.
Impugna la ſiniſtra
Grand' arco inſanguinato;
Mà la deſtra, e miniſtra
Di fulmine ſpietato:
Ond' ei raſſembra all'armi, & al ſembiante
Gioue, mà fulminante.
Hor con terror' cotanto
L'horribil' ſogno le ſue larue offria,
Oue all' amata fauorita à canto

Con veſte feminile Olman dormia
Pria con guardi feroci
Par ch' il cuor gli tormenti
Poi con ſi fatti accenti
Il fuori tuonò di minaccieuol' voci
O trionfali ſpoglie
O Martial' trofei:
Tu d'Ottomanno il grande herede hor ſei Macto.
Deriſo ſchiauo d'impudiche voglie?
Mira ne gl'atti miei,
Specchiati, e mira i portamenti tuoi
Come ſimile à me veder' ti puoi
In ſi terribil' guerra
Vil ſucceſſor' di trionfanti Eroi?
Ancor ſi troua in terra
Rè che non curui il collo
Sotto al giogo Turcheſco?
Non mai di ſangue, e d'occiſion' ſatollo,
Di Conſtantin gl' heredi
Io con ſtuol barbareſco
Scacciar' potei già dalle Tracie ſedi
E ſaccheggiando Europa à mio talento
Con quel' furor' ch'al fulmine s'agguaglia
Dodici Regni, e ben' due volte cento
Coronate Città vinſi in battaglia
Sperai, nol niego, in vano
Ch'il valor' de miei figli
Sprellando arme, e perigli
Doueſſe ſoggiogar' l'ampio oceano
All Imperio Ottomano
Chè quando il padre sbranar' ſerpi gode,
l'Aquila ch' eſſer' deue
De fulmini cuſtode
Imparar' ſuole à nſanguinar gl' artigli
Hor' lontananta breue
Senta riparo de muniti muri
Rende infin' di Pollonia i Rè ſicuri.
Scorno del Tracio nome,
Eterno opprobrio del Turcheſco impero.
Fia nell' Europa vero
Che con l'acque non dome
Più dun' filume Pollacco
Corra all' Euxin per libero ſentiero?
Hon hai l'orgoglio fiaccu
Di quel gran' Sigiſmondo
Che come Marte hoggi ſi teme al mondo,
E quaſi poſſeſſor' dell' vniuerſo?
Al cui valor' non reſti
Da domar' Forza di nemici infeſti
Giaci nel Fango di vil otio immerſo?
Sueglia l'ingegno, ſenti
Mio bellicoſo inuito:
Impreſa di me degna hoggi io t'addito.
Sù Bilantio rimbombe
Suon' di Turcheſche trombe,
Chiama dell' Aſia i popoli poſſenti,
Del tributario Egitto
Venga ogni Duce inuitto,
E con la Grecia inſieme
S'armin' d'Europa le riuiere eſtreme,
Eti porga armi, & oro il forte Egeo,
Io de Tartari amici
Tecò vnirò gl'eſerciti felici
Di tanto mondo armato
Sarà degno trofeo
Del Rè Pollaco il figlio incatenato.
Titoli di te degni,
Regni del ſangue mio
Saran, flagel' di Dio,
Terror, di Regi, e diſtruttor' di Regni Po.
Finito il tuon' di ſi ſuperbi accenti,
Nel Seno al giouinetto
L'irato Macometto
Vibio ſue fiamme, e ſi diſperſe à venti.





Ma poiche più non ſogna
Olman già riſuegliato,
Non sò ſe più confuſo, ò più infuriato
Arde d'ira, e vergogna.
Sorge dal letto Eburno,
E non oſando alzar' le luci al Cielo
Straccia il femineo velo
E ſcimitarre grida, e dardi tratta.
Con volto taciturno
L'amante ſtupefatta
Trema mirando il repentin' furore.
E i da quel' tetto fuore
Il piè traſſe fremente
Et à Viſir' repente
Scopre il penſier' dell' agitato cuore
E ioi' guerra, e Pollonia auuolge in mente
Nè giorno, o notte ei poſa
Fin' che ſotto à veſsilli ei non accoglie
E de Tartari arcieri,
E del ſeruo Oriente
Gl'eſerciti guerrieri
Poi paleſando le ſuperbe voglie
Prima che di Bizantio ei muoua il piede
Alle ſue ſquadre elette
Temerario promette
Nella ricca Polonia immenſe prede.
Mà quando giunſe l'hora
Che d'atri nembi adorno
Vſci dietro all' aurora
Deſtinato al partir' l'infauſto giorno,
Cantando liti auguri
Le voci feſteggianti
Dei popoli ſpergiuri
Applauſo gli faceare con ſimil' canti.

*Coro di Turchi.*

*Tutto il Coro.* Alle trombe d'Oriente
Dell' Europa applauda il canto
E trionfi in armi il vanto
Della Thracia onnipotente
Nell' Oceano inſtabile
E nella terra immobile
Non hà ſimile à te
Regnator' coſi nobile
Guerrier' ſi formidabile
Viua di Tracia il Rè
Domator' della Terra
All' armi, all'armi, all'aſſalto alla guerra,
*Vna del Coro* Ogni Regno, à cui Boore
Fa ſentir' dell' orſe il gielo:
Mà che dico? il mondo, e'l cielo
Di Turchia regnante e dote,
Qal nebbia; che nell'aria
Per breui hore ſi ſpatia
Cadrà ſotto al tuo piè
*Tutto il Coro.* Della fertil' Sarmatia
Ogni forza contraria
Viua di Tracia il Rè
Domator' della Terra
All'armi, all'armi, all'aſſalto, alla guerra
*Due del Coro.* Deſolar' l'infauſte croci
Soggiogando ogni Tiranno
Con furor, toſto ſapranno
I Giannizzeri feroci
Catene indiſſollubili
Il pie d'Europa ſtringanno
E ſerui alla tua fè
D'Italia i fiumi ſpingano
*Tutto il Coro.* Al mar' l'onde volubili
Viua di Tracia il Rè
Domator' della Terra
All'armi, all'armi, all'aſſalto, alla guerra
*Vno* Verginella à gioir vada
Frà concenti Luſinghieri

All' Orecchie de Guerrieri
De Tamburi il tuono aggrada
Intorno à me riſuonino
Di ſquadre rotte i gemiti *Tutto il Coro.*
Tale armonia non è
Quale di battaglia i fremiti.
Doue bombarde tuonino
Viua di Tracia il Rè *Due.*
Domator' della Terra
All'armi, all'armi, all aſſalto, alla guerra
Freſche roſe all' alba colte
Miri l'occhio de codardi,
Piaceranno à noſtri ſguardi
Templi ardenti, oſſa inſepolte
Non ſia ciglio non humido
Di Verginelle tenere,
E chiederà mercè
Sparſo i liti di cenere
L'Iſtro di ſangue tumido *Tutto il Coro.*
Viua di Tracia il Rè
Domator' della Terra
All'armi, all'armi, all'aſſalto, alla guerra.

*Parte ſeconda.*

Quando Orione armato *Po. del Coro.*
Erge nel Ciel' la formidabil' teſta
Preſago di tempeſta
Commuoue l'onde il Pelago agitato
Coſi poi ch' innalsò la Tracia ſpada
E diede Olman della battaglia il ſegno,
Dell' Europa ogni Regno
Ad' altro, ch' à quell' armi anſio non bada,
In fin l'inuitta Roma
Che à reggar' del Ciel' la ſacra ſoma,
Con varie cure trauagliò l'ingegno
Enuntia di tormento
Fama che parla, e vola
In ogni cauto cuor' porta ſpauento
Di Sigiſmondo la Real' fortella
Sempre à trionfi auuezza
Già negar' non ſi può l'alme conſola
Ma de i Caton' ſeueri
Vn a librar' col ſenno
il pondo delle guerre, e de gl' Imperi
Sùl Tebro vdir' ſi fenno
Eſpreſsi in voce tal' queſti penſieri
Oh qual ſouraſta di Polonia à campi
Diluuio ſanguinoſo 2o.
Chi fia ſi poderoſo
Che dal furor' di Tracia irata ſcampi?
Vn' eſercito ſolo
Cento nationi accoglie
Moſſe dall arſo, e dal gelato polo
Con deſio di predar' Chriſtiane ſpoglie.
Già di fanti, e caualli
Ben' quattro cento mila
Schierato il campo in formidabil fila
Copre di Valachia montagne, e valli
E ſe quei Regni ſcorri
Vedrai per vſo antico
Contro il furor' nemico
Non molti fabbricati argini, e torri
I petti armati de i guerrieri gagliardi
Son di Pollonia aperta
Le rocche, e i baluardi.
Siche quando tempeſti
Barbara furia di nemici infeſti
Dubbio è il riparo, e la temenla è certa
Sol' l'incredibil' poſſa
De gl' antichi Giganti,
Che sù Pelio inalzaro olimpo, & oſſa
Fabbricar' vi potria ſchermi baſtanti.
Hor' ſe fortuna auuerſa.
D'ingiurioſe ſtelle

Vuol da ſi rie procelle,
La ſammartia ſommerſa
Mà non tanto à di noſtri, oltraggio tochi,
Chi potrà ritenere
Che sùl lido Italiano
Rotti gl'argini oppoſti il mar' trabocchi?
Hauria ſimil potere
L'Oltraggioſo Oceano,
Se l'induſtria fiamminga
Le Ricche incontro all' acqua ergeſſe in vano.
Mà s'auuien mai, ch'il mare imperioſo
Con forza furibonda
Le ſponde in quei contorni à baſſo ſpinga
Vil campo paludoſo
Faſsi la pioggia ſotto poſta all' onda
Tolga, deh tolga il ciel' ſi fatti eſempi.
E dia nume pietoſo
Trionfo à giuſti, & eſterminio à gl'empi
Tutto il Coro. Tolga, deh tolga il ciel' ſi fatti eſempi
E dia nume pietoſo.
Trionfo à giuſti, & eſterminio à gl'empi.
Po. Viuea di ſimil detti
Il publico timore
Mà frà i Pollachi non mancò valore
Ch' in gioia conuerti tanti ſoſpetti
In termine preſcritto
Vniro arme, e guerrieri
Le prouincie ben' pronte
Ch' al regio tron' di Sigiſmundo inuitto
Vſan' curuar' la coronata fronte,
E deſtinatto à ſoggiogare imperi
Auidi de perigli
Parte dal patrio Albergo
Il più chiaro ſplendor' de Regij figli,
E veſte Vladislao dorato vſbergo,
Leon' d'Europa, à cui tremendi artigli
Dal ciel pieda ſuperba
In Bizantio ſi ſerba.
Hor' con gli ſpirti ardenti, hoi co' i contigli
A guerreggiar' diſpone
L'ampio ſettentrione:
Lunghe vegliate notti
Breui ſonni interrotti,
Hor' pioggie ruinoſe hor' ſol corenti
Perigli hor' dublij hor' certi
Moſtrar' da lui ſoſterti
Che per vie mal' ſicure
La vittoria ſi cerca,
E con aſtanni, e cure
Da i regnatori ancor' gloria ſi merca
2o. Mà de Tartar, e Turchi ambo i Monarchi
Sol' d'alterigia gonſi
Non prezzando altri Dei, che ſtrali, & archi
Con temerario cuor ſegnan' trionfi
Padiglioni arricchiti
D'infinito teſoro
Iann' ombra a i lor' conuiti
Il fior' dell' Aſia, e delle patrie Argiue
Con bellezze laſciue
Iui feſteggia in ſollazzeuol' coro
Amallozoni impudiche
Con gli ſcudi dipinti
Rappreſentan' per gioco aſſalti finti
Di ſalangi inimiche,
Poſcia à lor' porge Oſmano
Spade, e targhe Arabeſche,
E frà barbari canti
Cinte il fianco, e la mano
Di ſquillette ſonanti
Formano intorno à lui danze moreſche
Coſi la copia immenſa
Di ſoldati infiniti
Fà ch il folle ſi penſa
Beſtarli à guereggiar balli, e conuiti.

Ma non coſi feſtoſe Po;
In Pollonia ſapean' menare i giorni
L'abbandonate ſpoſe
Perche vincente torni
Il Martial' conſorte,
O gni Donzella in duolo
Manda preghiere à volo,
Che del propitio cielo a pran'i le porte
Chi dal guerrier' marito
Veſtir' l'armi hà veduto,
Toſto con cuor' contrito
Arma ſe ſteſſa di cilitio hirſuto.
Mà nella Regia Corte
Fan' ſacrificij, e voti
Po poli, e ſacerdoti,
E con pietoſi eſempli
Da ſquadra penitente
Di fulgidi apparati ornanti i templi
Con pompa rilucente
In trono d'or' la maeſta riſplende
Dell' oſtia onnipotente:
Imitatrici dell' eterne ſtelle
Vibrano intorno à lei tremoli lumi
Mille acceſe facelle,
E con vampe odorate in aria aſcende
Va por' ſabeo di pretioſi fumi
Offreti à ſacri altari;
Con augurio ben' fauſto
D'aftannoſi ſoſpiri, e piànti amari
Vn' perpetuo holocauſto.
Mà poiche fur' partite
Seguendo Vladislao le forti ſchiere,
Vn' loro humil' di virginelle vnite
Pien' d'antioſo zelo,
Con ſi fatte preghiere
Chiede pe guerrier' ſuoi l'armi del Cielo.

*Coro di Vergini Pollachi.*

I flebili ſoſpiri
Che ſopra il Ciel' s'en volano
Sanno impetrar' mercè
E trà guerre, e martiri,
L'alme in Dio ſi conſolario
Ben' armate di fè
Dunque alle ſtelle andrà
De noſtri preghi il ſuono Vna del Coro
Pietà, mercè, perdono,
Gridiani pietade, ò Dio, Gieſù, Pietà.
Dunque io ne Tracij tetti
Frà Turcheſca barbarie.
Sprezzata ancella andrò?
E di catena ſtretti
Frà genti tributarie
Noſtri Duci io uedrò?
No, ch' alle ſtille andrà Tutto il
De noſtri preghi il ſuono Coro.
Pietà mercè, perdono
Gridiam' pietade ò Dio, Gieſù pietà
Pria ch' in bianchi turbanti 2o. del
La bionda chioma aſcondaſi Coro.
Di noſtra giouentù,
Veggia ſcannar' gl'infanti,
Noſtro ſangue diſtondaſi,
Ch'il racorrà Gieſù
Mà sù le ſtelle andrà Tutto il
De noſtri preghi il ſuono Coro.
Pietà, mercè, perdono
Gridiam' pietade ò Dio, Gieſù pietà
Del noſtro filiſteo 3a. del
La memoranda hiſtoria Coro.
Ben' conſolar' ci può
Vn' paſtorello Ebreo
Hebbe di lui vittoria
Perch' in Dio confido.





Tutto il Coro. Dunque alle ſtelle andrà
De noſtri preghi il ſuono
Pietà mercè, perdono
2o. del Coro Gridiam' pietade ò Dio, Gieſù pietà.
De braccio onnipotente
Contro il Tiranno Egitio
Già la forza appari
El' entreo fremente
Miniſtro di ſupplitio
L'empie ſquadre eſſorbi
Tutto il Coro. Dunque alle ſtelle andrà
De noſtri preghi il ſuono
Pietà, mercè, perdono
Gridiam' pietade ò Dio, Gieſù, pietà.
3a. del Coro. D'eſempi ſi felici
Trionfi ritornino
Cangiando in riſo il Duol',
E da noſtre armi vltrici
L'empie fronti ſi ſcornino
Del Barbarico ſtuol
Tutto il Coro. Si, ch' alle ſtelle andrà
De noſtri preghi il ſuono
Pietà, mercè, perdono
Gridiam' pietade ò Dio, Gieſù pietà.

*Coro di ſoldati, e donzelle inſieme.*

Tanta vittoria ò Dio da te ſi ſpera
Pera ſign^r. deh pera
Il formidabil' Trace
Diſturbatore di pace
Empio ladron' di Regni
A luy d'Vladislao la ſpada inſegni
Se i bellicoſi carmi
Delle Chriſtiane trombe
Sappian' condur' frà l'armi
Aquile inuitte, ò timide, colombe.

*Parte Terza.*

Po. del Coro. Spatioſa campagna
Cinta d'horridi boſchi ſi diffonde,
Doue con rapi d'onde
Di Valachia le piagge il Neſtro bagna.
Di ſangue ſitibonde
Iui fermarò il piè le ſquadre auuerſe
Sotto tende infinite.
Non sò ben' s'io mi creda
Che di tante nation' le turbe ecceda
L'immento ſtuol del temerario Xerſe.
Le riue inaridite
Potea render' repente
D' hoſte ſi numeroſa
Sotto l'eſtiuo ſol' la ſete ardente.
Ben' è ver' che vincente
Ri putar' ſi poſtea Tracia orgoglioſa,
Se fuſſe ſol poſſente
A conquiſtare il triorfane honore
Numero, e non valore,
Quando funeſto Marte arde in battaglia.
La quarta parte à pena
De Barbari accampati
Tutta d'Vladislao la gente agguaglia
2o. Superi pur' dell' Ocean' l'arena.
E l'herbetta de i prati
L'eſercito de gl' empi
Et imitandi di Tifeo gl'eſempi
Formi nuoue trincee di mari, e monti.
Cadranno al fin disfatte
Le ſquadre rie con fulminate fronti
Po. Quando pè gueirieri ſuoi Chriſto conbatte
De i Tartari ſpietati
Con Orgoglio ſeuero
Regge il proprio Gran' Can' gl' ordini haſtati.
E guida i capi audaci
De i ſagittarij Traci

Il gran' Sig^r. del Bizantino Impero.
Mà frà l'alzate tende
De i caul. Pollacchi
Con regio ſcettro Vladislao riſplende
E per lui cingon' l'armi
Procelle dell' Euxin guerrier' Coſacchi.
Con formidabil' carmi
Giorno, e notte ogni tromba
Arme, e guerra rimbomba.
Sotto Caualli, e fanti
Trema il monte, e la Valle,
E vomita dal ſen' Tartaree palle
L'alto fragor' d'artiglierie tonanti
Strepitar' di tamburi,
Stridor' di corni, e di deſtrier' nitriti
Creſcon' con varij auguri
Baldanza à i cuor' de i combattenti arditi
Bandiere ſciolte à i venti,
Mobili boſchi di ferrate antenne,
Di pretioſe penne
Cimieri rilucenti
E dell' acciar' fulgoreggiante i lampi,
Vniſcono in quei campi
Il diletto, e'l periglio
E fan' piacere al ciglio
Anco di morte i barbari ornamenti.
Coſi nugole d'oro 2o.
Dal ſol' tirate in alto
Son' di luce vn' teſoro
E pai che vincan' di belta le ſtelle,
Ma s'irato Aquilon corre all' aſſalto
Con tenebroſa arſura
Cangianſi toſto in fulmini, e'n procelle
Ohime, ch' in guiſa tal' ben' poco dura Po.
Quel primo aſpetto dell' horribil pompe
Toſto l'ordin' ſi rompe
De gli ſquadroni auuerſi.
Con ſanguigno flagello
Il furor' fà vederſi
Scatenato d'inferno
E d'empia crudeltà compagno eterno
Fa di genti vn' macello
Ferri nel petto immerti
A pron' di ſangue fiumi
Che frà ſordidi fumi
Torbido poi s'inuolue
Con l'agitata polue
Ogni canna crudele
Auuelenata in purità
Con verdi ſpume di vipereo fiele,
Tolto da morte, oue ferendo e giuntà.
Teſte infrante, e reciſe
Membri troncati, & arſi,
Fetidi gorghi di ceruelli ſparſi,
Haſte di ſangue horribilm^te. intriſe,
Di Caualli feriti
Arrabbiati nitriti
Gemiti di chi langue,
Strida di chi minaccia
Frà diluuij di ſangue
Fanno apparir' di morte
Horribile la faccia
Ogni guerrier' più forte
Biſogna ben' in tali incontri tema,
E sò ch' auuien' talora 2o.
Ch' il vincitore iſteſſo
De ſuoi proprij trofei ſi dolga, e gema.
Pria che da noſtri oppreſſo Po.
Mandaſſe à chieder' pace
Humiliato il formidabil' Trace,
Quaranta volte Apollo
Portando in quei contorni
I ſanguinoſi giorni
D'aſſalti, e ſtragi eſſer' poteo ſatollo

Ma trionfo nel fine
Pollonia, e incoronò di lauro il crine.
D'Vladislao la ſpada
Irà i barbari feroci
Ben' ſeppe aprir' la ſtrada
D'urtar' le lune & eſtalar' le Croci
Vn' leon' ſolo hà forza
D'arterrar' mille armenti,
E quando non s'ammorta
Breue ſcintilla in molti boſchi acceſa
Trionfa inuitta con le fiamme ardenti
l'Ocean' fà conteſa
Ben' con onde infinite
Contro la terra, e porta guerra al lito
Ma s'eſce vn' vento à contra ſtarlo ardito
Fa che l'acque pentite
Volgari le furie toſto
Fuggendo ad' inondare il lito oppoſto.
Di Sigiſmondo il figlio
Fù leon', fiamma, auento
Che là mutato fugando ogni periglio
20. In letitia il tormento
Principe glorioſo!
Per difender la Europa in cielo eletto,
Che ſcena haueſci di real' diletto
Sùl neſtro ſanguinoſo?
E tu Pollonia inuitta
Belle ſpoſe dolenti il pianto aſcinga
Po. La barbarie ſconfitta
Implora pace, e ſi riuolge in fuga
Spettacolo giocondo
Alle Chriſtiane ſquadre il Turco offenſe
Quel già ſi furibondo
Che ſi ſognò ſcheruendo l'armi annuerſe
La Tyrannia del mondo
Sue ſchiere fugitiue
Del neſtro in sù le riue
Partir' volendo in mella luna aperſe.
Pallidi nelle guance
Ira lor' compagni eſtinti
I ſangiacchi dolenti
Al campo oppoſto auanti
Curuaro il Capo, & abbaſſar' le lance
Con atti riuerenti
Conſorſandoſi vinti
Ma in mello a i vincitori
Feſteggian trionfanti
Due ben' diſpoſti chori
Del Principe in preſenta
In vno odonſi i vanti
Di Militial' licentà
Ma reſpondono à lui ſpoſe, e dontelle
Che inalzano alle ſtelle
Larmi d'Vladislao con cetre, e canti.

*Coro di ſoldati Pollacchi Strofe pa.*

O di corui, e d'auuoltoi
Crudo ſtuol' con roſtri edaci,
Vola ingordo oue di Traci,
Satollar' tua fame hor' puoi
Iuor' delle ſelue,
Correte, ò belue.
Per voi diſpenſa
Funeſta menſa
Eſche felici
Di cadaueri nemici
Quei regni ſi diſtruggono,
Onde il terror' vſci
Por ſoggiogarci alla Turcheſca ſpada
Piangano, tremano, e fuggono
Baiallet' Dragrit, Occhiali
Ciurma di ſchiaui, e di ladron' maſnada

*Coro di Donzelle Pollacche Antiſtrofe. P.*

O di cigni feſteggianti
Grato a i Cieli amabil' coro
ſpoſa lieto à cetre d'oro
Nuouo Suon' d'incliti canti
Fuggeti il Trace
Trionfa pace
NoſtreDonzelle
Schermite ancelle
Più non andranno
A ſeruir' l'empio Tiranno,
Le noſtre vite à mietere
Turchia non verrà più
O Duci armati d'inuincibil' zelo
Cimbali, timpani, cetere
Canteran' diuoi la virtù
Torri d'Europa, e fulmiui del cielo

*Coro di ſoldati, e Donzelle Epodo 1.*

Trionfi là memoria
Di ſi terribil' guerrà
E ſempre in mare, e in terra
Applauda il mondo alla rea l'uittoria
Vittoria, vittoria, vittoria

*Coro di Soldati.*

Sù venite Arabi auari
Verſo noi volgete il corſo
Per grauar' di ſpoglie il dorſo;
A Cammelli, e dromedari
Ilà forle inferme
Pollonia inerme
Raſo la Chioma
Sotto alla ſoma
Del giogo indegno
Cùrueratti il Rege, el Regno.
I Turchi rotti temono
Ne molto tempo andrà
Che l'Imperio Ottomanno à terra cada
Muggliano, Stridono, gemono
Amuiat, Ouan, Muſtafà
Ciurma di ſchiaui, e di ladron' maſnada.

*Coro di Donzelle Antiſtrofe 2.*

De venite, ò meſſaggieri
Del gran' Rè che vola, e tuona
E portate aurea corona
Sopra il crin' de pij guerrieri
Tu Tracia piango
Rotte falangi
Vluli incolto
E batta il volto
Di Turche il gregge
Beſtemmiando l'empia legge
Gl'empi Baſcia ſi Sfertino,
E gridino mercè
Tremar' ſeſttendo della morte il gielo
Ridano, danlino, Scherlino
Gl' Eroi ch' armò noſtro Rè
Toni d'Europa, e fulmini del Cielo.

*Tutti inſieme Epodo 2.*

Trionfi là memoria
Di ſi terribil' guerra
E ſempre in mare, e in terra
Applauda il mondo alla real' vittoria
Vittoria, vittoria, vittoria.

*Vno del Choro.*

Hor' quel Principe inuitto
Che con potente mano
Iè di Tracia vollar' l'imperio afflitto
S'inchina al Vaticano
E'l Sacroſancto Atlante
Ch' alle beate piante
Proſtrar' ſi vede trionfanti, e Regi





Hoggi l'eroe vincente
Incoronò d'immemorabil' fregi.
Brando d'acciar' lucente
Arme del Cielo eletta
Sù gl'empi à far' vendetta
Da ſacri altari ei prende
Poi per rinnouellar' trofei vetuſti
Di quei Chriſtiani Auguſti
Che furo in terra difenſor' del cielo,
Colmo di ſpeme, e zelo
Su'l nobil nobil fianco à tanto eroe l'appende
Con fortunati Auguri
Beata ſpeme hoggi dall' alto ſcende
E ſuelando di Dio gl'arcani oſcuri
A gran' trofei ſul' Vatican' t'accende
Hor' mentre t'apparecchia
O grande Vladislao corone il mondo
Tu con volto giocondo
Al bel' canto di lei porgi l'orecchia

*La Speranta.*

Quando del Tebro in nua
Laſciando i tetti della patria ardenti
Con gente fugitiua
Venne à Roma fondar' l'inclito Enea
Contro allo Sdegno de latin' frementi.
Nella fucina Etnea
Con Bronte ſi ſtancò ſterope i gnudo,
Di tempra adamantina
Fabbricando per lui fatale ſcudo
Taccia ſtupor' mendace
Di Vulcania fornace:
L'arme d'Vladislao nel ciel' s'affina.
Tu laſcierai dell' inuicibil' padre
La Regia trionfante
Guidando à domar' l'Aſia inuitte ſquadre,
E mentre tanti arcani hoggi io ti ſuelo
Il brando folgorante
Per l'inferno eſpugnar' ti manda il Cielo.
Con Angelici carmi
Aſpergendo del Ciel' ſacra rugiada
Benediction' felice
Inſule Iddio nella fulminea ſpada,
Ira vindicatrice
Col fulgor' di quell' armi
Signore à Soggiogar' Thracia t'inuita,
E par' che ti prometta
Dell' Europa tradita
La trionfall' vendetta
Ne lo ſperar' ſia vano
Cò ſacri auſpici dell' Ottauo Vrbano.

*Coro de Romani.*

Al feruor de noſtri preghi
Folgorando il cielo anida,
E domata l'Aſia infida
Al tuo giogo il collo pieghi
Chriſtiana ſpada rompa
L'Altiere corne all. Ebro,
Et ei con regia pompa
Venga ad' offrir' giuſti tribuſti ad Iebro:
Ne lo ſperar' ſia vano
Cò ſacri auſpici del nouello Vrbano
Vibra l, haſta, e tuona in guerra
E di Roma odi la voce
Trionfar' l'empirea croce
Mirerà la Tracia terra
A te l'alto diadema
Verrà di Conſtantino
Oda il fatal' deſtino
Contro il Regno Ottoman' Bizantio, e tema
Ne lo ſperar' ſia vano
Cò ſacri auſpici del celeſte Vrbano.

XIII. Præter hoc elegantiſsimum poema, panegyricũ quoque pangebat Stanislaus Pudlouius Polonus I. V. D. cuius exemplar iſthic adſcripſimus.

*Panegyricum Stanislai Poloni in eundem Ladislaũ.*

Magnitudinem animi Tui, Ladislae Princeps Sereniſsime, cùm ille Orbis, qui te excepit naſcentem, natumque & aluit, & præclariſsimis victoriis illuſtrem ſuſpexit, non potuerit comprehendere; etiã Iſtri, Rheni, Moſellæ, Rodami, Epydami, Rubiconis, Arni, ac Tyberis accolæ, nunc primùm, incertum oſcularinè magis, ac venerari cupidi admirantur. Adfers enim tecum dulcem memoriã illius virtutis Tuæ, quâ toti Chriſtianitati imminens periculũ ita ante paucos annos depuliſti, vt qui hoſtis Europæo orbi terrorem, ac trepidationem intuliſſet, is tuæ fortitudini illiſus, à finibus regni, quod ad flãmas, & cædes deſignauerat, reſilierit, fugienti magis, quã ſeſe recipienti ſimilis. In quo nõ mediocris tua laus eſt, non magis Tuorum, quàm hoſtium vocibus celebrata; quod auſpicijs Tuis, & profligari, & vinci, & è medio tolli poſſe crederetur, tyrannus ille; qui à ſuperiorum annorum blandiente fortunâ certam ſibi vaſtitatẽ, victoriã, & funeſtam Chriſtianorum mortem pollicebatur. Quo tẽpore quidẽ, vt illam inſignem animi Tui moderationem vniuerſi mirificè coluerunt, dum de turpiſsima plaga atrociſsimo hoſti inflictâ, nihil Tibi, Tuiſque viribus tribueres, ſed omnia in diuinã beneficentiam referres, ac delatos triumphi honores excelsâ deſpicientia contemnens, Diuinæ gloriæ Tuam poſtponeres: ita nunc, dum iſtum toto orbe terrarum venerandum locum, victorijs & triumphis antiquorũ celeberrimum intras, & Diuis Apoſtolorum Principibus poſt Deũ Te omnia fortiter facta debere, genu, geſtu, voce, corde, & animo profiteris, tuæ deuotioni in Deum, pietati in religionem, religioni in cælites, ſummo plauſu, lætitiâ, ouatione omnes certatim fauemus. Magis iſta ſpecioſa, quã manubiæ & ſpolia de Oſmano capta, etiamſi ea in hoc ſanctuario omnium ſanctiſsimo ſuſpenderes. Mẽs votis & gratiarum actionibus grauis, pluris apud Deũ tropheofora pompa. Eam dum in iſto Amphiteatro, tum ad limina Apoſtolica, tũ ad pedes Vrbani VIII. Chriſti in terris Vicarij, tum in oculis ſacratioris Senatus aperis, omnium oculos admiratione imples. Et quidem exteri, vt vides, occurſu innumerabili, gratulatione non ficta, deſiderij, & gaudij ſignificatione non vnica venerationem erga Te ſuam teſtari non intermittunt; ij verò, qui patria, fide, & obſequio ſunt Tui incredibilem iucunditatem animo concipientes geſtiunt, quod in hac ſua extrà patrios fines peregrinatione ſuſceptâ, conſpectu benigniſsimo Tuo, quem ſperare vix potuerant, ſuam rerum magnarum, & memorabilium notitiam mirificè cumularint, quorum tamen in animo vna hæc cura, & ſolicitudo inſedit. quòd vereantur, ne cum vniuerſos vbicumque facies Tua illuxit ad exhibenda nouæ lætitiæ officia pronis voluntatibus ferri videant, Tui ſeſe in hoc iudicio exploratæ ſuę fidei, & debitæ venerationis patiantur ſuperari. Nec vanus metus eſſet, ſi Tuorum non ab interno affectu potiùs, quàm externis ſignis animum conſideres, & amplecterere Princeps, quem tu non aliter cæpiſti, quàm quod ab initio probare didiceris: nec probas, niſi ſagaci ingenio (quod tibi natura ante omnia acerrimum tribuit) antea explores. Ideoque vniuerſorum in Te vultus cõuertis, omnes Te ſuſpiciũt, Te mirantur, in Te inſignes, diuinaſque dotes laudant, Tuam virtutem æternitati conſecrant; Tibi vrbes, quacumque iter facis, non portas tantùm, ſed etiam corda pandere geſtiunt: Te quiſque optimus, maximus, minimuſque plenis gratulationum vocibus aduentantem excipit. Inter quos meæ quoque Muſæ non elingues eſſe voluerunt: quæ, quod vtut vigent, Tuis laboribus pro publica ſalute exantlatis in acceptis ferunt: quod vigere ſperent, Tua bonitas efficit: quod nunc in commune pangunt, communis lætitia tuorum ſimul

ac externorum, quam de Tuo aduentu lætantur perurget. Si enim hoc tempore tacuiſſent in turpiſſima ignauiæ, & ingratitudinis crimina impegiſſent. præter hoc quod non nemo eruditorum, verum munus & vſum litterarum eſſe exiſtimat, fortia Heroum facinora prædicare, atque æternitati conſecrare. Materiam nobis dicendi, & ſcribendi, Princeps, veſtra præclarè geſta ſubminiſtrant; quæ cum in facie orbis edita fuerint, nunquam niſi excelſa, eminentia, illuſtriſsima videbuntur. Vos enim Deus in ſublimi maieſtatis ſede voluit collocare, vt veſtræ virtutes, & exempla populis præluceant ac nobis, qui in litteris ſumus; ſint argumentum celebrandi. Enimuerò ſi in priuatorum, & obſcuriorum hominum actionibus occuparemur, in muſtaceo (vt aiunt) laureolam quærere diceremur. Deſes, & ignauus animus humi ſerpit; generoſus ſpiritus, quẽ cum litteris haurimus, aſtris proxima ſpeculatur, & probat. Nouerunt ſiquidem originem ſuam Muſæ; quã ſiue ad Deũ, ſiue ad proximos Deo Heroës referas, æquum eſt, vt in eorum virtute celebranda exerceantur hi, quorum pectora illæ impleuere. Vnde illud mutuum, & admirabile ſubſidium ortum; litteris quidem ex virtutibus clariſsimorum virorum; heroibus verò ex litteris, & vocibus eruditorum: dũ & Principes à præconio illorũ, & rurſum horũ meditata, à laude & celebratione virtutis heroicæ, quã magnificandã ſuſceperũt viuũt ac perẽnãt. Sic & Achillẽ, in Gomeri poemate viuere, & huius vitam, ac non intermortuam gloriam in Achillis virtute, ac laude eſſe videmus. Quare non immeritò Alexander ille Magnus, cum in Sigæum veniſſet, Achilli, & amicum Patroclum, & præconem Homerum inuidebat: quod ſine amico vitam parùm iucundam, ſine præcone verò gloriam nimis breuem eſſe arbitraretur. Quàm præclaris victorijs noſtri Maiores, Marti plùs quàm Apollini dediti, nomen Polonum exornârunt? Quas tamen, quia qui ſcriberet non eſſet, omnino ignoraremus: niſi campi ipſi ſtrage hoſtium per multa ſæcula nobiles, vrbeſque extra, intraque Polonorum victrici manu conditæ, loquerentur. Ergo quo tempore rebus Polonis lumen diuinius defuiſſe quærimur, litteræ defuerant; quæ vt primũ in Polonia ſedem poſuerunt, omnia illuſtriùs elucent: iamque virtutem maior honos, iam præclara facta ſuæ laudes manent: Reges quoque Tui maiores, Sereniſsime Princeps, ob litteras Polonico cœlo donatas, hoc prẽmium ferunt, quod & cultioribus ciuibus imperent, & in gratiarum actionem à litteris immortalitatem reportent. In quo Sereniſsimi Parentis Tui, Domini noſtri Clementiſsimi hæc præcipua laus, & felicitas eſt, vt quemadmodum cætera eius felici imperio, ita litteræ quoque ſummum gradum, & dignitatem aſſecutæ, habent & quod mirentur, & quod celebrent. Nam quod ſuperioribus tẽporibus, in ſingulis Regibus ſingula quædam, Patres noſtri dillaudabant; id totum, ſed multò clariùs, in vno ſereniſsimo, & inuictiſsimo parente Tuo, quem omnium exemplar Regũ dicere fas, velut in quoddam compendium redacta contemplamur. Siue enim propagationem, & defenſionem Religionis, ſiue præclaras, & nunquam his temporibus in orbe terrarum auditas victorias: ſiue ſolicitudinem, & labores pro Repub. Polona, ſiue Heroica denique, ſeu potiùs dicam diuina facinora, quæ eius felicibus auſpicijs nomen Polonum illuſtrarunt expendamus; tantum enituit virtus Sereniſsimi Parẽtis Tui, vt cui nunquàm par antea refulſiſſet gloria. Viximus inter ignes impietatis hæreticæ, ab Germania Caluini, & Lutheri à Pannonia, Arianorum, & Trinitariorum, à Thracia Schiſmaticorum; & Atheiſtarum incendijs, vix non ambuſti. Eædem nobis flammæ, ab Auſtria, Suecia, Gallijs, & Belgio. A Boemis quoque iura ſanguinis obteſtantibus non minores Huſsi fauillæ. Iam ab Orientis Solis plagis, Turcicum, Scythicumque ferrum, direptionem, vaſtitatem, & ſeruitutem impuram minabatur. Ab his, nos ignibus, Sigiſmundi III. Poloniæ Regis religioſa pietas, & fortitudo inuicta nõ tantùm eripuit, ſed etiam prẽmuniuit. Si qua enim alicubi ſcintilla impietatis nouum indicaret incendium, id ſumma virtute prudentia, dexteritate, tempeſtiuè præuertit. Ergò vbi opimam meſſem ſperabat, execranda maleſanorum nouitas, inde reſilijt eiecta Senatu, expulſa vrbibus, proſcripta Regijs terris, ædibus: quas vel extruxerat, vel occupauerat excluſa, à populis exſibilata, tenebris pagorum ignobilium damnata, probrum oculorum, & ignominiam publicam referens pro nefario conatu. Magna hæc laus pientiſsimi Parentis tui, Sereniſsime Princeps, ſed æqualis huic, ea, quam ex auita Catholica Romana religione propagata, ſumma cum voluptate vniuerſi ſpectamus: quam non tantum Edicta, & pro Tribunali latæ ſententiæ: non tantùm ædificatæ, & ditatæ Baſilicæ: non tantùm erecta Monaſteria, & religioſiſsimis Ordinibus dicata: nec tantùm bona Eccleſiarum, libertates, & immunitates Eccleſiaſticorum, atque maieſtas, & ſplendor ſacrorum ab iniuriis vindicatus, extulerunt: quantum, pietas, deuotio, & zelus ſalutis animarum, Sereniſsimi Parentis Tui euexit. Illa enim, vel facilitati, vel magnificentiæ Regiæ poſſent attribui: hæc nonniſi ſanctitati & religioni. Illa mirari magis, & laudare ſolemus: hæc etiam imitari Illa nos ad diuini numinis venerationem inuitant: iſta prætereà Regem à diuini cultus ſignificationibus venerabilem, ab excellentia autem religionis parem propè maximis faciunt. Ergò vitæ noſtræ exemplar ex virtutibus regijs ſumimus: neque dees, quod imitentur, Deo quidem dicati, cum vident in eo, præter attentiſsimam precum Canonicarum quotidianam recitationem, etiam frequentiam Sacramentorum, & Regiæ mentis in Deum eleuationem: cæteri verò quos ſeculum vocat, ſæpius repetitã pietatis exercitia, charitatis in Deum, & ſubiectos officia, integritatem, vel potiùs innocentiam vitæ, & eſt verè felix Polonia, quæ vitæ ſuæ, etiam ex ſuo Rege ſumit exemplà. Nam vt virtutes Regiæ in vniuerſum longè clariùs eminent: ita qui ſibi eas ad imitandum proponit, verè Heroicum & ferè Heroicum induit animum. Id verò quia delectat ſummum illum Moderatorem omnium Deũ; ideò nouis, & hactenus inauditis victorijs, inuictiſſimi Tui parentis adminiſtrationem, ampliſsimè cumulauit. Maiora enim bella proximis præteritis annis, felicibus conatibus confecit, quàm vel opinari quiſquam, nedum optare, aut ſperare potuerit. Plures victorias aſpeximus, quàm alij perlegerint: potentiores hoſtes deuictos, quàm Regni vires, nè quidem ad reſiſtendum, non ad profligandos ſatis eſſe videretur. Nullus enim hactenus ſe hoſtem Poloniæ eſſe profeſſus eſt, quem Sereniſsimus Parens tuus non vicerit, aut fregerit. Nullus arma intulit, quæ aut turpiter non abiecerit, aut ſimul cum ijs extortis in poteſtatem victoris non venerit. Nam quid ego hic, aut Regni competitores, aut Michaelẽ Tranſyluaniæ, & vtriuſque Valachiæ tyrannum, Turcicis, Dacicis, Scythiciſque copijs tumentem, an potentem commemorem, quem (vt illos prætereã) virtus Sereniſsimi Parentis tui cæſis xxxxx. millibus profligauit? Quid Carolum Sudermanum, Liuoniæ Lituaniæque imminentem, cuius non integris duabus vno die horis, XI. II. millia bellatorum veteranorum proſtrata, Carolus filius, Pontus Gardanus, Lunæburgicus & Linderſonius capti, moderationẽ tamen victoris ſenſerunt? Quid Beglebergũ Græciæ, è vicina Valachia ferrum, ignem & vaſtitates Regno Poloniæ minitantem, quem ſola bellici famâ, apparatùs parens tuus perterruit, atque exercitum eius numeroſiſsimum retrocedere compulit in Thraciam? Quid Baſilium Suiſcium, Magnum Moſcouiæ Ducem, Filaretum Roſtouienſium, & Iaroslauienſium Metropolitem, nec non plurimos Moſcouitarum proceres, in vincula datos, in triumphum ductos, in cuſtodia detentos, Metropolim Moſquam de hoſtibus captam, Smolẽnſciam inexpugnabilem vrbem expugnatã, Seuerienſem principatum pòſt centum annos recuperatum, quatuordecim prouincias de Moſcis acceptas, prolatos armis vltra Boriſtenem longè ſeptingentis, lateque centum quinquaginta paſſuum millibus Imperij Polonici fines? Quid Scythicas incurſiones, anniuerſarijs cladibus reiectas? Quid deniq; e Turcarũ Imperatarem Oſmanum, extrema omnia regno Poloniæ ferentem, ſed tamen reiectum, ac penè profligatum? Maiora certè hæc ſunt, quàm quæ aut aliquis ſuperiorum Regum tentauerit, aut vel mei ſermonis exiguum ſpatium, vel ingenij vires valeant expendere. Illud tamen, quod in his per ſecula memorandis victorijs mirabamur vniuerſi, reticere nullo modo poſſum, quod in tam proſpero ſucceſſu, nihil inſolens aut immoderatùm vidimus. Non quæſita tumidi triumphi gloria, non per orbem terrarum circumlata hoſtibus detracta, ferè vſque ad miraculum ditiſsima ſpolia; nõ ad res amplificandas, aut magnificandas, aut euocati ſcriptores, aut empti balatrones, aut ſubornati illi, qui fumos vendunt. Totum id, quicquid virtute partũ eſt, Omnipotentiæ, & Magnificentiæ Dei attributũ. Trophæa etiam ipſa non prius vidimus, quàm cũ votis grauida ad aras cælitum ferrentur. Quid? Hoſtibus captis, num inſultauit quiſquam? Num emptus more antiquo ſcurra, qui ductos per vrbem ſcommate acerbo feriret? Num vincti pòſt terga manus, currum Triumphatoris ſequebantur? Num aurum, argentumque ſignatum aut rude, ſimulàchraque vrbium captarum, ac regionum debellatarum, in triumphali pompà delata? Nihil tale ſũma Sereniſsimi Parentis Tui patiebatur moderatio. Itaque cæteri quidem eius felicitatem, ex victoriarum amplitudine metiebantur; hoſtes verò qui victi, & vincti, temperantiam & bonitatem, ex clementia præcipuè, & religione exoſculabantur: ita vt in ipſa victoria, nouam victoriam, quam de ſe inuictiſsimus reportabat, viderimus, dum ex rebus fortiter geſtis, non vultum mutarit lætitia, non præter morem geſtierit, non cætera victorum vſurparit, rerum humanarum inſtabilem fluxum conſiderans, & blandioris fortunæ munera magno animo deſpiciens. Ab hoc Magno parente, Tu Sereniſsime Princeps, citra aſſentationem magnus. In Te enim, viuam illius; & togatam, & ſagatam imaginem adſpicimus. Tu pietatem, deuotionem, religionem, fortitudinem, cæteraſque Regias illius virtutes exprimis. Tu veſtigijs illius à pueritia inſiſtere doctus, nunquam niſi Regijs paſsibus progrederis. Tu victorias illius vel continuas; vel cumulas. Tu magnitudinem animi, prudentiam, iuſtitiam, clementiam, moderationem æmularis. Tu per eandem Regiam, ſternis tibi ad immortalitatem viam: Tu fortioribus quàm aliquis adamantinis vindis, non aures, vt ille quidam ſed etiam corda hominũ Tibi deuincis. Virtutes enim Tuæ, quas miramur, & excelſi animi faſtigium, ad omnia ſumma natũ, hi nexus ſunt, quibus tibi omniũ Ordinum homines ad eum modum deuinxiſti, vt qui Te non in ſummis amoribus habeat, quiue pro tua felicitate, vota non faciat, inuenias neminem. Nec tuis tantũ Tua hæc virtus probata eſt. Hoſtes etiam Moſcouitæ, ſuam libertatem, & quæcunque habent in vita chariſsima, longè inferiora Tuâ virtute arbitrati, Te, cui ſubeſſent perpetuis precibus expetierũt: atque eo quidem tempore, quo cur odiſſent, cauſas habere putauiſſent: deuaſtatas nempe, & ſubactas prouincias, expugnatas florentiſsimas ciuitates, cæſos, & captos ex ſuis innumerabiles, incendia, prædas, deſolationem, quæ ab exercitu Polonico, indignum facinus, & iniuriam iuſto bello vindicante acceperant: vt non omiſerim, ritum, cultumque diuini numinis, ac ferè ipſam religionem Romanam, quam cum lacte Princeps, ſuxiſti, quamque illi ſchiſmate diuulſi deteſtantur vel maximè, longè ab ipſorum ſuperſtitionibus, & erroribus diuerſam. Tamen & ipſa ſuperſtitioſorum hominum pertinacia & publicæ priuatæque offenſæ, virtuti Tuæ ceſſêre; ſatiſque ſe vltos eſſe, ſuas calamitates & iniurias iudicarunt, ſi Duces armorum, & tot cladium auctores, Baſilium illum Suyſcium Magnum Moſcouiæ Ducem, fratreſque illius & aſſeclas, publicâ manu traderent; ſique ſuas ceruices, Tuo imperio cuncti ſubijcerent. At fortaſsis metus belli, ſuffragandi calculos extorſit, vt Tua ſceptra in comitijs frequentiſsimis exambierint, ne Aquilas in prouincijs reliquis victrices attolleres? Cæterum is ſi aliquis fuiſſet, deſijſſet eſſe, vbi periculum iam deſijt. Vſu enim venire ſolet, vt quod nobis neceſsitas impoſuit, deponat ſecuritas. In Moſcouia autem aliud adſpeximus. Nam qui te in bello ſibi Principem fortè trepidanter petierunt: illi ipſi ſoluto vel ſopito Marte, longè ardentiùs Sacramento dicto, diadema iuratum Tibi ſupplices detulerunt, quod obtinuiſſes, vt obtinere potueras n ſi te facta ad maiores victorias, & ad lætiores plagas imperio regendas deſtinaſſent, vocaſſentque. Multi etiam eo tempore, quo ad ſceptra Moſcouiæ vocabaris, Tuæ ſaluti timuerunt; multi Moſcis inuiderunt; plurimi extraneorum ſuum eſſe optauerunt; noſtri omnes Regno potiùs florentem, quàm in prouincijs tam remotis potentem aſpicere maluerunt. Hi compotes voti facti, ſuas pòſt hac non vanas ſpes, cum aliàs, tum in bello Turcico experti ſunt. Itaque premes Tu ſereniſsime Princeps virtute Tua ſub Tuum imperium terras illas, & ſacramentum ab obnoxijs iuramento, cùm libuerit, repetes, vbi priùs vota noſtra expleueris. Te enim pòſt Sereniſsimum Parentem Tuum, vnum, ac primùm conſpicimus. In Te primo, ac vnico noſtra ſpes defixa. Tu olim longè lateque nomen Polonũ illuſtrabis gloriâ. Tu fines imperij cum Aquilis Polonis vltrà Tanaim, Iſtrum, Pontum Euxinum, ſinum Venedicum, mare glaciale, Carpathum, Hemum, Orientem, & Septentrionem, felicibus auſpicijs proferes Tuas pugnas, & victorias legent, & qui Mediterraneum, & qui Adriaticum ſinum, Ionium, Ægeum, Archipelagum, denique accolunt. Ad Tuum ferrum, quo à Maximo cinctus Antiſtite procedis, hoſtes Chriſtianitatis, & totius pietatis exhorreſcent. Ab ea frameâ Tu femur accinctus potentiſsime, incedes ad bella proſperè, pugnas depugnabis proſperè, ac tandem proſtratis aduerſarijs regnabis proſperè: tranquillitate, ac felicitate publicâ ab hæreſi extirpatâ; ſchyſmate eliminato, impietate calcatâ, reſtitutis. Eam ſpem omnes ſperamus, qui Tuæ fortitudinis auctoramenta oculis adhuc, nec ſine admiratione vſurpamus. Fuerunt illa tyrocinij, quia prima; ſed non tyrocinii, quia ſuprema; quando bellicæ Tuæ virtutis rudimenta, veteranus Tuus, & aduerſarius miles, non experimenta, ſed ſpecimina Heroici animi iudicaret. Cui, per Deum, patria noſtra ſalutem debet, niſi Tibi, qui Tuo capite Oſmanis potentiæ obiecto, eam à vaſtitate, & ſeruitute ſeruâſti? Irrumpebat ille, Quadringentis, & ampliùs millibus militum, quos ſecum trahebat, inſolens, certiùs triumphum, quàm bellum ſibi deſpondens. Ciuitates direptioni, nos omnes cædi, aut ſeruituti deſignarat: adeò vt non pugnare nobiſcum, ſed ſtatis per vices temporibus victricia ſine dimicatione ſigna, vbique defigere certum haberet. Addebat Oſmani animum noſtrorum paucitas, ſociorumque Dacarum, & quorundam peiorum perfidia; qui eo tempore, quo commune incendium reſtinguendum erat, non modò non accurrerunt, ſed etiam in noſtra capita ignes inflammarunt.

*Laudatur Ladulai parens.*

*Eundem Ladulai Patrem Deus multis cumulat victoriis.*

*Ladislaus Patrem in omnibus imitatur.*

marunt. Nemo præterea fuerat, qui ad tanti hoſtis apparatum non exhorruerit; cum non nemo non ignoraret, huic quotidianum ferè eſſe, imperia non debellare, ſed deuorare, Ex his qui amici, noſtra capita veluti iam deuota deplorabant: qui inimici, cladem quidem noſtram, ſed mixtâ trepidationi lætitiâ expectabant, de finibus quidem ſuis anxij, ſed de ferendo auxilio Poloniæ periclitanti nihil ſolliciti. Hæc omnia tamen pericula, magnitudo Tuæ virtutis, Sereniſsime Princeps, amori patriæ, & cultui diuûm poſtpoſuit: Ibas mediocri ſtipatus exercitu, monente Sereniſsime Parento Tuo, vrgẽte charitate publicâ, incitante ardore gloriæ, quæ tibi faces, ad audaciſsimam omnium expeditionem. Recreabat tamen animum, & ad conflictum quaſi inflammabat, ſpes in Deum, ac Diuos tutelares defixâ, à quibus Tibi pro illorum aris pugnaturo, indubitatam victoriam promittebas. Ab eadem ſpe animatus, illa omnia, quæ alios in fugam conijcere, ac in latebras compellere ſolent, Tu pro irritamentis habuiſti, quando Oſmanes viribus, & viris potens, virtutem Tuam, & Polonam longè inferiùs ponebat, quàm eſſet poſteà expertus: quandò per vniuerſam Poloniam, ſtationes, an conuiuia, an gynecæa, iam certò certiùs, idque, citrà martiales alas diſponebat; & quando Polonos, agreſtes, imbelles, ignauos, mortique, & perditioni natos deputabat. Ab eo enim contemptu, contemnere Tu Oſmanem doctus, animum quamuis febribus importunis aliquantûm afflictum erexiſti, & in medijs corporeis flammis, flãmis acrioribus exarſiſti, ad inflammandum militem, à morte Chodleieuicij inter ipſas acies defuncti, propè languentem; vt memor ſuæ virtutis, contrà audentiùs iret, & certiſsimam de ruentibus victoriam præſumeret. Fauit audaciæ Tuæ fortuna illa diuinior: dum imbellis animo Oſmanes, metas regni attingere minimè potens, in ſua Tributaria prouinciâ omnem belli molem ſuſtinere coactus, mediocri robore exercitus Poloni, magnitudinis autem Tuæ non falsâ reputatione perterritus, & pedem retulerit, & tegmen pretioſum capitis fugiens amiſerit, & caſtra opulẽta noſtris diripienda reliquerit, & tandem pacem, ſocietatem, amicitiam petierit. Tu enim Sereniſsime Princeps, vt iterum dicam, non tantùm conſilio, & voce, ſed etiam militari ardori ardore, ac labore, militi animos excitaſti: Tu vigilijs, ſolicitudine, procurſu, exercitum adeò inflammaſti, vt ſalutem priuatam, publicæ, ac Tuæ omnes poſtponerent: ſpei ergo, ſeu præſidentiæ conceptæ, Oſmanes immaniſſimus ſenſit numen aduerſum, & mucronem gladij, quem in noſtrum eduxerat iugulum, Tuâ fortitudine retuſum neceſſe habuit recondere. Nam quos, ad noſtros inuadendos ſæpè ſæpiùs emiſerat, an potiùs extruſerat, Dijs inferis deuotos videbat. Itaque ne per aceruos quidẽ cadauerũ ſuorum, quibus caſtra Polonica ſtipantur, ad noſtros potuit aditum ſibi patefacere; quando Tuâ virtute, & conſtanciâ excitatus miles, promptior eſſet ad pugnandum, quàm tyrannus ad oppugnandum. Auxerat eam in cunctis promptitudinem, animi Tui promptitudo, atque fortitudo; dum vniuerſi ſuſpicerent, Te neque magnitudine periculis nec bellicis laboribus, neque cæli iniurijs, neque dolore, aut terrore ab obitu Chodluieuicij exercituum Imperatoris, neque à proſpectu Turcicarum, ſine numero copiarum; ſed & neque à febrilibus ardoribus, qui teà contentione militari afflixerant, poſſe ſuperari; quin alacrior vbique adeſſes Dux, miles, eques, pedes, gregarius, ſtatarius, prior in acie, non hortator ſolùm, ſed pugnator, qui victoriam ferè extorqueres. Ceſsit ergò Tuæ virtuti Oſmanes, & arenam, quam buſtis & ſepulturæ noſtrorum deſignauerat, turpiſsimè reliquit, cuius aſpectum formidabilem Prouinciæ nobiliſsimæ vix ſuſtinere potuerant. Vnde Tua inſigni glorias, orbem terrarum longe lateque peruaſit, quod [illegible] motum belli nunquam poſt hominum memoriam maiorẽ, ſi aut multitudinem hoſtium ſpectes, aut noſtrorũ paucitatem ſuſtinuiſti fortiter; ſed etiam tyrannũ, tum à clade ſuorum, quos aut furor belli, aut cæli iniuria abſtulit, tum à numinis, quod Tibi præſens adeſſe, ex oſtentis cœleſtibus aſpexerat, terrore cõfuſum, & in turpem fugam, & ad mendicandam pacem compuliſti. Sed tamen hoſtis manus effugit Tuas? Effugit? Imò verò iugulum, quod Tuo gladio glorioſè dediſſet, in aliud tempus turpis, & ignominioſæ moræ, neci ſubijciendum diſtulit; vt glorioſius non minùs de viribus, quàm de animis hoſtium triumphares. Si enim in eo conflictu ipſe tyrannus cecidiſſet, vt certè debuiſſet, niſi nimis tempeſtiuè caput ſubduxiſſet, nos quidem virtutem, & felicitatem Tuam, quemadmodum æquum fuiſſet, laudaremus: hoſtes verò, qui ſuperfuiſſent, aduerſæ fortunæ indignati, fortè nouis remedijs acriora in nos pertentarent. Nunc dum ſui Imperatoris, procerumque eius conſilijs, rem cum noſtris infeliciter geſtam, fugâ & pace, vix non empta, vel inuiti fatentur, ac præterea vitam ſuam Tibi iam deuotã agnoſcunt, non palma tantùm, & victoria, ſed etiam cauſa victoriæ ceſſerunt, Tuæ virtuti. Nam non

*Magna Ladiſlai eiuſque Patris felicitas.*

ſolùm vires Tuas cælo exæquârunt, quæ robur illorum afflixiſſent: Verùm etiam ſe cauſam belli, & iniuſtam, & impiam aucupâſſe, voce, ſententia, ac quod amplius eſt, exitio, & clade authoris iudicârunt. Quâ in re Tui Sereniſsimi Parentis & Tuã felicitatem nec mirari, nec laudare ſatis poſſumus, quorum fortunatiſsimo Imperio id aſſecuti ſumus, vt noſtram cauſam etiam hoſtes infeſtiſsimi deliberatò pòſt iudicio comprobarint: illumque incentorem, qui temerè Polonorum vires, irritare, ferroque laceſſere non dubitauerat, vitali hoc ſpiritu indignum fuiſſe iudicârint. Enimuerò, vt paucos antè annos, cùm bellum in Moſcos ſuſceptum gereretur, hoſtes traditis ſuis Principibus, qui nefario ſcelere arma Polona exciuerant, Tui parentis quæſierunt clementiam; ità in hoc Turcico bello, non ſatis tanti mali deletas cauſas eſſe crediderũt hoſtes, niſi morte eius; qui facinus conflauerat, expiarentur. Quòd ſi etiam cum ſuperiore iudicio iſtud poſterius conferamus, neſcio, an maius, atque amplius quid de noſtra causâ à Turcis fuerit iudicatum. Nã & ſi Principes ſuos in Poloniam deliquiſſe Moſci agnouiſſent: tamen facinus tantum non morte luẽdum eſſe arbitrati, viuos in poteſtatem Sereniſsimi Parentis Tui tradiderunt: Turcæ ad dedecus violatæ cum Polonis pacis crimen, extremum ſupplicium, minimè ſufficere exiſtimantes, etiam ignominiam auctori perpetuam intulerunt. Ergo hanc Polonici nominis, ſub auſpicijs Sereniſsimi Parentis Tui, Tuo Sereniſsime Princeps marte quæſitam gloriã, lõga pòſt hac celebrabit annorũ ſeries, quod proſtraueris; profligaueris, repreſſeris tyrannum, copijs abundantem, armis ferocem, viribus inſuperabilem, extremum, ac vix non certiſsimum nobis exitium ferentem. Quæ quanquam magna ſint, vt ea vix cuiuſquam mens; aut cogitatio capere poſſit, tamen & iſta non minima ſunt, quæ in hoc conſilio Tuæ peregrinationis admiramur. Bellicas laudes ſolent, aliqui extenuare, reſque vel detrahere Ducibus, vel cum militibus communicare. At huius gloriæ, quam ex inſpectis multarum gentium moribus ac inſtitutis, Tibi Sereniſsime Princeps paras, nullum ſocium habes. Miramur imprimis

*Laudatur Ladiſlaus quod Romam luſtrarit.*

celſitatem animi Tui, quòd non indignam Te peregrinationem iſtam fore iudicaueris, ex qua non contemnendos fructus prudentiæ conquireres. Nã etiamſi in tanta felicitate ingenij, in tanta morum ad omnem virtutem conformatorum elegantiâ in tanta mentis à caſibus rerum memorabilium, vel lectis, vel viſis, vel auditis exercitatione, quantam omnes in Te ſuſcipiunt, nihil eſt ferè, quod potueris de-

ris de-



ris deſiderare: voluiſti tamen, Orbis nobiliorem cultiorem, & ſine controuerſiâ, inter alias prudentiorem, bellicoſiorem, religioſiorem partem luſtrare; vt animum Tuum excelſis rebus aſſuetum, oblectares, confirmares, erudires, magnarum inſpectione rerum. Auidius haurimus, quæ oculis coràm aſpicimus, quã, quæ vel legimus, vel audimus: quin & ardentiùs ad res præclarè gerendas aſſurgimus, & cautius pericula cauemus, & fortius ardua quæq; aggredimur, ex aſpectu eorum, qui in exemplum. Roma etiam magis placet, in arcubus quamuis ſemirutis, in veſtigijs triumphorum, in amphiteatro ſemiſepulto, in coloſsis detruncatis, in templorum, ruderibus, in palatiorum ruinis, & in alijs venerandæ antiquitatis reliquijs, quàm in ſcriptis antiquorum. Iſtæ enim reliquiæ, iſta rudera, iſtæ ruinæ magis nobis ob oculos ponunt, potentiam, Maieſtatem, & fortitudinem Romanorum, quàm eruditorum voces, & chartacea monumenta. Loca etiam vel cladibus, vel victorijs antiquorum nobilia, neſcio quem genium retinent priſtinæ memoriæ, qui nobis illam præteritarum rerum non minùs feliciter, quàm viriliter geſtarum imprimit imaginem, ad æqualia, vel maiora etiam audenda. Iàm peregrina ſcrutantibus, noua ſemper, & viuida magnarum cogitationum occurrit materia; quam ſi maiores noſtri explorâſſent, eaque de cauſa ad peregrinationes longinquas non deſides fuiſſent, certè & ipſi clariorem lucẽ ſuis tenebris adduxiſſent, & rem publicam, priuatamque magis florentem aſpexiſſent. Multum ad excolendum ingenium, ad acquirendũ vſum rerum, ad parandam prudentiam, quin & ad benè, beatèque viuendum confert peregrinatio. Varij caſus, & euentus, qui iter facientibus accidũt, mirum in modum exercent hominem, quem ſagacem, ſolertem, & ad omnia intentum reddunt. Vlyſſes ille Homericus, non ob aliam cauſam *Multiſcius* appellatur, quam quod mores hominum multorum vidit, & vrbes. Mitridates ille Rex Ponti, liberandæ Aſiæ deſtinatus, non ex alia causâ, quàm quòd priùs, vniuerſam Aſiam perluſtrâſſet, & munitiora loca inſpexiſſet, rationeſque expugnandorũ eorum inde collegiſſet, impetum Romanorum, de omnibus illo tempore triumphantium, ferè quadraginta annis ſuſtinere potens fuit. Vetat Moſcus ſuos ſuis exire de finibus; ne ab inſpectione aliorum elegantiæ, atque moderationis, ſua barbaries, & impotentia euileſcat. Occludit omnes aditus ſuis Scytha, ad omnes regiones cultu, & prudentiâ mitiores: qui in ſua impietate, atque feritate vniuerſam ſpem reponit. Sinarum Imperator ea propter ſe maiorem, ditiorem, feliciorem que iactat, quia maximos, ditiſsimos, feliciſsimoſque Pontificum, & Imperatorum Romanorũ Regum Chriſtianiſsimorũ, & Catholicorum, nec nos reliquos Eccleſiæ, & Fidei Catholicæ defenſores, Tutelares, Seruatores, nedum non aſpexit, ſed nec etiam referentibus fidẽ adhibuit, ſcilicet à domeſtico fumo cæcutiens. Alexander ille Magnus, certè non aliundè magnus, quàm quod & externo præceptore vſus, & exteras prouincias luſtrauit. Licurgus, & Solon legum conditores, nonniſi poſt peragratas regiones, ad eas cõdendas calamum admouerunt, dignas ſanè, quas duodecim Tabularum ſcriptores Romanis præſcripſerint. Iam vnde clarior lux? vndè cultus elegantior? vndè viuendi, & conuiuendi normæ? vnde legum ſcita? vnde diſciplinæ, artes, ſtudia, litteræ, ædificiorum ſplendor, ciuilis humanitas, martialis feruor, domeſticus nitor, humanitas, moderatio, liberalitas, hoſpitalitas, & reliqua ſiue publici iuris, ſiue priuati moris virtutes, magis illuſtriores, quã à peregrinatione, quæ non vaga? Iam vnde nos Septentrionibus depreſsi; clariſsimum de Deo, de Regno cæleſti, de cælitibus, de ſacris, de ſalute animarũ de immortalitate, deque omni felicitate lumen haberemus, niſi vel peregrinos admiſiſſemus vel noſtros peregrinatum miſſemus? Albertus Praganus, is primus, ſi primus, noſtræ Poloniæ, diuinius lumen accendit. Stanislaus Sczepanouius, Hyacinthus, & Ceslaus Odrouantij: ille Lutetiam, iſti Romam peregrinatione ſuſceptâ; ille, etiam ſanguine, hi verò doctrina, & ſanctitate illuſtriſsimi, noſtram caliginem diſsipârũt. Vrieles, Iuones, Sbignei, & alia clariſsima noſtri hemiſpherij ſydera, non aliunde tantam lucem mutuati, quàm à peregrino, ſed præcipuè à Romano ſole; vnde nobis velut à fontanâ lucis veritas, via, vita, ſalus, felicitas manauit. Hanc verò tantam bonorum ſcaturiginẽ iure merito inuiſere, & venerari voluiſti: pietatis, religionis, & gratitudinis teſtandæ. Legeras & audiueras, ad limina Apoſtolorum Petri, & Pauli, Imperatores, & Reges Chriſtianos procubuiſſe innumeros. A puero deinde didiceras, feliciores Auguſtos fuiſſe, quando Piſcatoris cineres venerabantur, quàm quando auguſtali diademate conſpicui eminebant, Theodoſij Valentiniani, Marciani, Placidiæ, Eudoxiæ, Pulcheriæ, & ante hos ſtyrpis primus, Magnus Conſtantinus, ideò in hominum celeberrima memoriâ, quia Apoſtolicas memorias religioſa veneratione coluerunt. Carolus Magnus, Pipinus, Othones, Henrici, qui pij, ab eadem peregrinatione æternitatem meruerunt. Ex maioribus Tuis Sereniſsime Princeps, Brigitta & Caterina, Baltheo mari tranſmiſſo, non minùs longâ quàm periculi plenâ peregrinatione ſuſceptâ, etiã iſta mauſolæa adorarunt. Horum Tu veſtigijs inſiſtens, voluiſti, & limina Apoſtolica oſculis premere, & pedes Apoſtolicos Vrbani VIII. oſculis fatigare, & ſacra omnia diuiniora, non haurire oculis modò, ſed & religioſo corde, ac ore percipere; & quod nec ſperabamus, nec opinabamur, ſpectaculum de Te Cælo, terræ, Deo, cælitibus, mundo, ac Orbi vniuerſo exhibere: quando inter Myſtas, Baſilicæ Vaticanæ, pompam Regalis Sacerdotij indutus, ex vultu Redemptoris deceptam olim à pia quadam muliere imaginem, & lanceam, quæ eiuſdem Saluatoris latus fodit, populis oſtendere ambiuiſti, oſtendiſti, & eo pietatis oſtento, mixtas lætitiâ lacrymas, & ipſe fudiſti, & ſpectantibus excuſsiſti. Mactè virtute Princeps. Ab horum Tu ſacrorum contactu multò felicior futurus, quàm illi vani à ſuo palladio. Poſſem hîc argumenta, rerum maximarum, quæ te manent, ex iſta Tuâ omnium vnicâ actione deſumere; cæterùm abſtineo, nè vel intempeſtiuus vates, vel importunus videar adulator. Satis ad ſpes noſtras innuero, quòd venerabili Tuâ iſtâ pietate, nos, qui illam ſpectamus erexiſti, vt ominemur Te fore Magnis illis æqualem, vel etiam, quòd optamus, & vouemus, ſuperiorem. Faxit illud magnum cæli, terræque numen, hæc vota, & deſideria noſtra explere: vt hanc gloriæ & dignitatis ſedem, quæ Te expectat, iiſdem, quibus Te eâ dignum oſtendis, virtutibus, & victorijs exornes, ad perpetuam Tui nominis per labentia ſecula memoriam.

*PP. donis eundem Ladiſlaũ cumulat.*

Iſta Pudlouius ex tempore pangebat. Vrbanus Pontifex porrò eodem pòſt epulum veſpere, Principem, donis cumulabat: inter quæ Monile ex adamantibus pretioſum, ſancti Sebaſtiani reliquijs diues: arca argentea ſacris SS. Primi, & Feliciani oſſibus plena: globuli item precatorij ex diuerſis gẽmis, varia ſanctorum pignora, aurea moniſmata. imagines à præſtantiſsima manu vel coloribus, vel lapillis pictæ, nec non alia quædam ſingularia, & recondita liberalitate Pontificis, & religione Principis digna, quibus ferè æqualia, Franciſcus Cardinalis Barberinus, ex fratre Pontificis nepos ſuperaddidit, nec non æquè, ac patruus, familiares, & comites Principis, piâ munificẽtia diuitauit: vt omnib. teſtatũ ſit: quãti ſedes Apoſtolica æſtimet illos Principes, qui aduersùs religionis hoſtes, aliquid præclari ge-

ri ge-

rè geſſerunt: ſed nos ad Alexandrum ſextum:

*Alexãder PP. Luſitaniæ Regi dona mittit.*

Is quantumuis legatione Emanuelis Luſitaniæ Regis irritatus fuiſſet, quòd Oratores paria cum Caſtellanis in faciem Pontifici dicere minimè erubuiſſent; in bono tamen malum vincere volens, omnia non modò diſsimulauit, ſed etiam dona ab ſe ſolenni precatione conſecrat miſit. Dona autem fuerunt, enſis, & pileus. Ea dona Emanuel gratâ voluntate proſequutus fuit, nunciumque Pontificium muneribus ornatum dimiſit; ac prætereà Pontifici per litteras declarauit, ſe fore ſemper, vt eũ religio facere admonebat, ſtudio illius incenſum, quo anno, quinto Idus Iulij, Emanuel primum nuncium, de rebus Indicis auſpicio ſuo exploratis accepit. Inter alia audiuit, quæ Paulus Gamma in regno Calecuto comperit. Duxerat illum Catualis, iuri ſcilicet dicundo præfectus, in templum, apud Calecutianos ſanctiſſimum. Illud Gãma, cò quòd audierat, bonam partem regionis illius, ab hominibus Chriſtianis habitari, eſſe Chriſtianorum arbitratus eſt. Confirmauit autem magis illam opinionem, & templi magnificentia, & ædium amplitudo, multaque ſigna rerum, quæ non multùm à Chriſtianorum religione abhorrere in principio videbantur. Per templi oſtium ingreſsis occurrerunt quatuor viri, à capite, vſque ad vmbilicũ nudi, deinde ad genua veſtibus bombycinis accincti. Quilibet eorum terna fila à dextro humero ad ſiniſtrum latus demiſſa, & ſub brachio ſiniſtro complicata geſtabat. Hi Luſitanos aquis luſtralibus aſperſerunt, deinde cuilibet porrexerunt, puluerē è ligno optimi odoris contuſo, quibus frontes conſignarent. Templi parietes, erant multis imaginibus depictis ornati. In medio tẽpli erat ſacellũ editũ, formâ rotundum ad quos per multos gradus aſcẽdebatur. Oſtiũ erat & ære factũ, & mutrũ anguſtũ. Intra ſacellũ erat ſignũ in aduerſo pariete locatũ, cuius formã Luſitani propter loci obſcuritatẽ aſpicere nequiuerũt. Erat enim locus ità ab omni ſolis radio ſecluſus, vt vix aliquis malignæ lucis ſplendor in eum penetraret. Luſitanis autem aditus in illud minimè conceſſus fuit: Solis enim æditiuis, atque ſacerdotibus patebat. At illi quatuor æditui propius accedentes, digito in imaginem intento, bis *Mariam* inclamârunt, Catualis cum reliquis, qui eum ſequebantur, ſe repentè in terram proni manibus extenſis abiecerunt. Deinde ſurrexerunt, & more ſuo precationem peregerũt. Luſitani ſuſpicati ſunt, opem ſanctiſsimæ Virginis implorari, genibuſque flexis, pacem à Deo popoſcerunt, virginemque matrem more Chriſtianis vſitato venerati ſunt. Inde profecti, aliud eadem magnificentiâ templum adierunt, atque tandem in Regias ædes contenderunt. Tanta porrò hominum multitudo conueniebat, vt niſi nobiles Indorum (*Naires* vocant) qui Luſitanos armati, & inſtructi præcedebant, & ſequebantur, viam diſtrictis gladijs aperuiſſent, Luſitanus aditus ad Regem patere minimè potuiſſet. Interim omnia tibiarum ſonitu, & tubarum clangore perſtrepebant. Poſtquàm ad Regiæ veſtibulum peruentum eſt, Dynaſtæ, quos illi *Caimaes* appellant, Gãmæ obuiam prodiere. At vbi domui, in qua Rex eum expectabat, appropinquauit, homo grandis natu, bombicinâ veſte ab humeris ad talos vſque demiſsâ cultus, ex ea domo egreſſus, Gamam complexus eſt. Is erat Brachmanarum magiſter, plurimumque apud Regem authoritate poterat. Reliquis autem primùm intromiſsis, ipſe poſtremò cum Gama, quem dexterâ tenebat, ſubſecutus fuit. Domus erat ſatis ampla, ſellas complures è ligno ſingulari opere factas, parietibus coniunctas habebat: ita tamen, vt aliæ ſuper alias, ad theatri ſimilitudinem extarent, & eminerent. Pauimentum erat ſericis veſtibus inſtratum, ſimiliter & parietes aulæis ſericis auro intertextis obducti.

*Luſitaniæ Regis Legatus Regnum Calecutium perluſtrat.*

Rex in lecto pulcherrimè ornato, & in ſtrato decumbebat, & pyleum bombycinum auro, atque gemmis diſtinctum capite geſtabat: veſteque bombycinâ, omiſsis aureis fibulis ſecundùm pectus ſtrictâ tegebatur. Ex auribus ingentis pretij monilia pendebant; Ex annulis manuum, atque pedum eximius gemmarum fulgor emicabat. Rex erat procero corpore, & facie liberali, & qui facilè maieſtatem Regiam ſpecie repræſentaret. Gama illum more Luſitano vt Regem ſalutauit. Ille Gamam ad ſe propiùs accedere iuſsit, atque vt in ſella proximâ ſederet, imperauit. Reliquis deinde Luſitanis, vt ſederent, præcepit. Aquam deinde ad lauandas, & refrigerandas manus afferri, varioſque fructus importari iuſsit, vt Luſitani poſſent à labore, atque laſsitudine recreari. Poſtremò Gamam de legatione, quàm ad illum nomine Regis Emanuelis afferebat, diligenter inquiſiuit. Negauit Gama, moris eſſe Luſitanorum, Regis ſui mandata, quæ erant ſolis Regibus exponenda, in hominum turbâ proferre: Proindè ſi vellet, vt is officio ſuo fungeretur, conuentum illum vitaret, & cum paucis, quibus arcana ſua credere ſoleret: eum audiret. Rex, vt poſtulato ſatisfaceret, illum in aliud cubiculum multò pulchriùs ornatum ſecedere iuſsit, & eum continuò cum Magiſtro Brachmanarum, & paucis admodum prætereà ſequutus eſt. Tunc Gama orationem habuit, cuius hæc ſumma fuit. Emanuelem Portugaliæ Regem, eſſe principem virtute, & dignitate præcellentem, rerumque maximarum cupidum, & ſtudio multa cognoſcendi flagrantem. Sic autem eſſe animatum, vt arbitraretur, eſſe ſe cum Regibus, qui dignitate, & amplitudine multùm excellerent, fœdere coniunctum. Nihil enim eſſe ad voluntates conglutinandas ſimilitudine virtutis efficacius: maximè verò id in Regibus apparere, quorum dignitas proximè ad diuinam accederet. Proinde cùm ſæpius accepiſſet, de Indiæ magnitudine, & ſimul ex fama: quæ per orbem terrarum ſumma cum admiratione hominum volitaret, intellexiſſet, imperium Calocutij eſſe latiſſimum, Regemque illius non magis opibus, & imperio, quàm Regiâ dignitatis amplitudine florentem: deſiderio amicitiæ illius flagrare cœpiſſe. Ea vero cupiditate ductum miſiſſe, qui nomine illius à Calecutij Rege poſtularet. vt fœdus, & amicitiam illius tanti faceret, quanti ille voluntatem ipſius eſſet facturus, ſi cum illo amicitiam firmare vellet. Prætereà ſe non dubitare, præter dignitatem fœderis illius, fore, vt multiplex vtilitas ex ea coniunctione vtriuſque regno, & imperio proueniret. Habere autem ſe litteras Emmanuelis, quibus certus eſſe poſſet, ea quæ ab illo dicebantur, eſſe veriſsima. Ad hæc Rex paucis reſpondit, ſibi tàm excellẽtis Principis coniunctionem fore gratiſsimam, omniaque ſe libenter eſſe facturum, quibus poſſet intelligi, ſe Regem Emanuelem loco fratris habiturum. Hæc vbi dixit, Catuali negotium dedit, vt Gamam domum, in qua erat diuerſaturus, ſtatim deduceret, & reliquos etiam apud hoſpites collocaret. Gama triduò ſe domi continuit: poſteà litteras, & munera ab Emanuele Regi detulit. Rex porrò à Saracenis in Chriſtianos irritatus, cùm varijs iniurijs Gamam affeciſſet, neceſsitatem viro impoſuit, vt Calecutij ſitu perluſtrato, inde diſceſſerit. In diſceſſu, aliquot nomine Calecutij Regis, & Saracenorum depreſsit, & complures è primaria nobilitate captos, in Luſitaniam miſit: ex quibus Monzaida, ad Chriſti nomen adiunctus, in omni vitæ ratione boni viri, atque verè Chriſtiani officio perfunctus eſt: nec nõ aliquis ſarmata Iudæus, Zabaij, Goæ Dynaſtæ familiaris Chriſtianus effectus, Gaſparis nomine adepto Regi Emmanueli egregiam operam multis in reb. nauauit. Detexit eâ nauigatione Gama, Inſulã, quã S. Iacobi, Æthiopiã





reſpicientem, appellauit: ſinum item S. Helenæ, S. Blaſij, terraſque S. Raphaelis. Vt enim ſolennes dies cadebant, qui erant Diuorum memoriæ conſecrati, ità nomina terris inſulis, & fluminibus incognitis, quæ diebus illis primùm conſpexerat, imponebat.

*Item alias Regiones Hominũ in eiſdem maras.*

Luſtrauit etiam Quiloam Mozambiquem, Monbazim Melindem, Goam, Anchediuam, Zamzibarem, Magadaxium, & Zofalam auriferas regiones, & cum Melindenſi Rege fædus icit. In his gens erat falſorum Deorum ſuperſtitione miſerrimè cõflictata, Templa habebãt quamplurima. Maximo in honore habebant ſacerdotes, quos appellabant Brachmanas, penes quos arbitrabantur eſſe rerũ diuinarũ, & humanarum ſcientiam. Reges nulli fiebant, qui non erant prius eorum diſciplinis imbuti. Tempore belli ſecuræ poterãt Brachmanæ vltrò, citroque cõmeare. Inexpiabile namque ſcelus exiſtimabatur, illos ſecus, quàm poſtulabat opinio ſanctitatis attingere. Terna fila ab humero dextero in latus ſiniſtrũ gerebant, vt deſignarent, trinam in natura diuina rationem. Credebant Deum in ſpecie humanâ latentem, terras luſtrauiſſe vt humanum genus, à peſte ſempiternâ redimeret. Hæc quidẽ vt veriſimile eſt, à Chriſtianis antiquiſsimis acceperãt. Artes prætereà Mathematicas & Philoſophiã colebãt Brachmani Religionem ſingulari artificio ſimulabant, & in ſpecie fictæ pietatis, fraudes inſignes in omni vita ſuſcipiebant. Reliqui *Malabares* eorum doctrinis inſtituti, portenta venerabantur. Vndecimo Calẽd. Septembris, ſacrum Solẽne fiebat, in quo pueri arcubus armati in ſodales, quod ludum ſagittas leuiſſimas emittebant. Deinde ij, qui ætate magis prouecti erant, ſimiliter tela conijciebant, quibus multi grauiſsimè ſauciati moriebantur. Cum ijs, qui ad hunc modum è vita diſcederent, præclarè actũ putabant. Hos enim cenſebant in cælum, vt cum dijs æuum exigerent, emigrare. Multa erant apud illos anniuerſaria ſacra, in quibus quidam varijs ſibi modis in maximo hominum conuentu, & celebritate vitam exhaurirent. Annum â Septembri menſe inchoabant: cùm tamen dictu certum, vnde menſem inciperent, non haberent Aſtrologos, & augures primùm conſulebant, & ab hora, quam illi fauſtam, atque felicem fore prænunciaſſent anni principium auſpicabantur. Qui iam decimum quintum annũ exceſsiſſent, faciem eo die inuoluebant, & oculos obtegebant, nè quidquam aſpicerent. deinde à pueris in fana deducebantur, in quibus varia idolorum ſigna erant. Ibi detractis oculorum inuolucris, aſpectum in res oppoſitas conijciebant. Quod ſi ſimulachrum idoli illius, quem præcipuè colebãt, ante res alias conſuerentur, illum annum ſibi fauſtum fore confidebant. Nobilibus fuerant matrimonia interdicta, nè quidquã eſſet illis impedimento, quò minùs, perpetuò ſe in armis exercerent. Habebat aũt quilibet eorum amicas eiuſdem ordinis complures. Nefas enim erat illis, mulieri, quæ non fuiſſet nobilis, commiſceri. Similiter & illæ tot amatores habebant, quot habere volebant, dummodo nobiles fuiſſent. Nulla erat inter illos æmulatio; ſed alij, alijs per vices, ſine vllo diſsidio, aut obtrectatione ſuccedebant. Si quis mulieri coniungeretur, quæ nobilis non eſſet, aliorum nobilium gladijs concidebatur. Similiter & mulieres quæ eam legem tranſilijſſent idem ſubibant ſupplicium. Teſtamento filios hæredes non inſtituebant; eo quòd ignorarent, an eſſent ab illis progeniti. Eorum autem loco, ſororum filios ſibi hæredes adſciſcebant. Regum ſtipendio nutriebantur, & pro eorum ſtatu, intrepidè ſeſe in quoduis vitæ diſcrimen injiciebant. Vmbilicò tenus nudi ambulabant. Armis in bello vti non poſſunt, antequàm Reges, apud quos ſacramenta dicunt, eos militaribus, ornamentis afficiant. A pueris arma tractare condiſcunt; Magiſtros à quibus militarem diſciplinam accepêre, ſummâ obſeruatione colunt, atque venerantur. Sunt in armis ſtrenui, plurimumque celeritate valent, ſi vir ignobilis nos attingit, nobilitatem contaminari, genuſque pollui cenſebant, & tam inſignem iniuriam illata cæde miſeris hominibus, qui in eos incidiſſent, vlciſcebantur: Idcircò qui nobiles non erant, quoties iter facerent, voces edere cogebantur. Nobiles verò cum eos aduentare ex vocibus illorum præſentirent, eos deflectere de via iubebant, ſicque fiebat, vt ignobiles mortis, nobiles maculæ ſempiternæ periculum depellerent. Prætereà apud eoſdem, neque nobilitatem obſcurari flagitijs, neque generis obſcuritatem illuſtrari virtutibus conceſſum erat: ſed omnibus erat illa conditio neceſſariò ſubeunda, in qua maiores illorum verſati fuiſſent. Artificum genera ita erant diſtincta, vt non eſſet inter diſſimiles vllum ius connubij. Nec enim licebat ſartoris filijs, ſutoris filias ducere: neque aliam artem niſi eam, quâ pater illius victum comparabat, addiſcere: & ſic in reliquis artibus ſummò ſtudio retinendis, eadem à maioribus tradita diſciplina ſeruabatur. Erat genus deuotionis, quo inter ſe, alij alijs interdum fœdere coniungerentur, quo ſe exe crationibus deuinciebant, ſi vno per iniuriam occiſo, reliqui omnes non in illo vindicando mortem oppetijſſent. Hac ratione fiebat, vt non modò cùm Reges interimerentur, ſed cum ſocij vitâ priuarentur, ij: qui ſuperſtites eſſent, humanitatis obliti, in gladios irruerent, per omnes flammas currerent, nulliſque armatorum præſidijs perterreri potuerint, quo minùs necem ijs, qui ſocios interfeciſſent, afferre conarentur, vſque eò, dum ipſi varijs cædibus abſumerentur. Ad eas tenebras, errores, feritatem diſcutiendam, cùm primùm Ioannes, Rex Luſitaniæ, claſſem, Religioſis, & milite inſtructam miſiſſet, inque eam curam ſuccedens Emanuel, hæc omnia accepiſſet, inprimis promouendo ampliùs negotio, claſſem nouam inſtrui imperauit, quam anno conſequente in Indias mitteret; deinde Ioannem Regem demortuum, gloriæ, & lætitiæ quodammodo participem habere decreuit; dum ei viſum eſt, oſſa eiuſdem Regis, quæ erant Syluijs Algarbij ciuitate, in templo maximo eiuſdem ciuitatis condita, in oppidum, quod *Battaglia* nominatur, ſolenni pompâ transferre. Extruxerat autem Ioannes primus eo in loco templum in honore ſanctiſſimæ virginis ampliſsimum, ſtatueratque, vt in ædibus, quam in eum finem ædificauerat, templo coniunctis, religioſi viri, qui Diui Dominici inſtitutum ſequerentur, habitarent, ſacra conficerent, & vicinos populos ſanctis diſciplinis inſtruerent. Eum locum ſepulturæ ſuæ delegerat. Nec ille ſolùm, ſed & illius filij, & Rex Alfonſus, & Alfonſus Iuannis ſecundi filius, multique prætereà Luſitani principes eodem in templo erant ſepulti. Emanuel igitur, vt eodem etiam in loco Ioannis reliquiæ conderentur, ſimulque vnà recumberent noui Orbis inuentores, & Chriſtianæ pietatis in Indijs propagatores, in Algarbium cum Georgio Ioannis filio, & multis prætereà viris nobilitate, & virtute præſtantibus profectus eſt. Aperto autem ſepulchro, Ioannis corpus integrum inuentum eſt, ex quo ſuauiſsimum odorem diffuſum fuiſſe memorant, cum ingenti omnium admiratione. Nam ſupra quatuor annos in eo ſepulchro conditum iacuerat. Addebant permulti, fuiſſe illi, editis eo in loco miraculis, egregiæ ſanctitatis teſtimonium à Deo tributum. Fuit autem tàm ſolenni pompâ delatum, & tantâ hominum frequentiâ, celebritate, quæ illud proſequebatur, ornatum, vſque eò, dum in ſepulchro conderetur, vt

*Emanuel Rex illos conuertere ſatagit.*

*Idem oſſa Ioannis Regis prædeceſſoris ſui in oppidum Battaglie transfert.*

nihil omninò fuerit ab Emanuele prætermiſſum, quo poſſet, quantâ fide Ioannis memoriam coleret, apertè ſignificari. Cùm autem Indiarum ſtudio teneretur, & claſſem, quam rurſus in orientis ſolis regiones mitteret, magnis impenſis ædificaret, viſum ei, nihil agitare, niſi ſanctiſsimæ religionis amplioribus auſpicijs. Ergo eo in loco, vbi Henricus Rex templum in honorem ſanctiſsimæ Virginis ædificârat, aliud templum multò ampliùs & magnificentius ædificare cõſtituit: cuius ſtatim fundamenta iecit, eiuſdemque Diuinæ virginis, quam ſingulari pietate colebat, memoriç coſecrauit. Locũ illum Bethleem appellari voluit: nomine quidem ab ea ciuitate ſumpto, in qua Chriſtus ad humani generis ſalutem natus eſt; cauſa autem originaria, quòd Chriſti apud Indos, ſiue naſcentis, ſiue renaſcentis incunabilis, ſeu auſpicijs monumentum dedicare voluiſſet: Aſciuit aũt homines ſingulari religione, qui ſe Diui Hieronymi inſtitutum ſequi profitebantur: quos in illius tẽpli cuſtod. â poneret, qui ſacra conficerent, numen diuinum religione placarent, & omnes nautas, atque vectores, qui ex varijs partibus eò commeare ſolent, ſanctioribus diſciplinis erudirent. Eos Emanuelis conatus laudauit Pontifex maximus Alexander, & vt ad bella Domini ſuſcipienda, Orthodoxamque pietatem propagandam magis inflammaret, Nuncijs, litteris & donarijs præcipuè enſe, & pileo, cum myſticis ſignificationibus tranſmiſsis animauit. *Oſorius Epiſcopus Syluen. de rebus Emanuelis lib. 1. & 2.*

XVI. *Alexãder PP. Annæ Duciſſæ Britanniæ Oratores audit.*

Eodem anno 1499 Alexander Papa, Robertũ Epiſcopum Trecorenſem, Ioannẽ Coetmanũ, Magnum Britanniæ Magiſtrum, & Ioannem Dubochetium I. V. D. ac Sedis Apoſtolicæ Protonotarium, Annæ Duciſſæ Britanniæ, Ludouico Regi Galliarum recens nuptæ Oratores excepit, & audiuit. Obſiſtebant nonnulli, nè admitterentur, nèue audirentur: eò quòd illa iam Regi nupta non ampliùs haberet poteſtatem voluntatis iuxta, ac facultatum ſuarum. Cardinales, Sancti Dionyſij, & Gurcenſis, antè alios, eam indignam eſſe, quæ audiretur legationem iudicabant. Cæterum Oratores, poſtquam docuiſſent, ſe ad obedientiam Sedi Apoſtolicæ à Duciſſa Annâ præſtandam, ſciente, & volente Ludouico Rege, marito illius miſſos eſſe: admiſsi, & ſummo cum honore excepti ſunt. Marianus Cucinus, Pontificiæ Sedis, & dignitatis Tutelaris (Commiſſarium Cameræ Apoſtolicæ hodiè vocant) eius legationis acta, Protonotariorũ ſcriptis excipi mãdauit: *vt Brucardus in notis diarijs* meminit: cuius Mariani digniſsimum ab eruditione, ab integritate vitæ, à legum peritia ab vſu rerum, ac officijs & meritis in vniuerſam Eccleſiam gentilem Ioannem Baptiſtam Cucinum, Rotæ Romanæ Decanum, Pœnitentiariæ præfectum, & alijs illuſtriſsimus titulis in Romana Eccleſiâ clariſsimum, omnes iure merito ſuſpicimus, veneramur, & grandiora illi vouemus. Aſsiſtentibus ſuprà nominatis Oratoribus, Pontifici, in ſolennitate Paſcali ſacris operanti, ſub ipſum momentum, quo ſanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum illi à Cardinali S. Georgij ex altari mittebatur caſus qui non modicè rem diuinam turbaret accidit. Energumenus quidam ad columnam, cui Chriſtus olim in tẽplo Salomonis concionaturus nitebatur, quæque dæmoniacis eliberãdis in Baſilica Vaticanâ proſtat incluſus, per cratum ferream erumpens, & trabem tranſuerſalem, vſque ad locum Sedis Pontificiæ perrepens, circiter quindecim columellas marmoreas ſuper impoſitas deiecerat. Pontifice, Cardinalibus, & alijs in choro exiſtentibus, timore maximo exindè perculſis rumor in vrbem peruaſit, Pontificem, vel cæſum, vel captum eſſe. Alexander tamen rem diuinam perfecit: omnes Diaconos Cardinales, & alios, qui acceſſerant pane Euchariſtico communicauit: & tandem ad finem Benedictione ſolenni omnes dignatus eſt. *Brucardus in notis diarijs.* In quibus etiam iſtud non omninò omittendum ſignauit. Tyronem quẽdam Dominicanum, non niſi decem annos natum, coràm Alexandro Pontifice ſeptem Cardinalib. Oratoribus Regum, ac Principum, Prælatis quadraginta, & numeroſo nobilitatis primariæ auditorio, in feſto inuentionis Crucis Dominicæ de paſsione Domini, ab hora XXI. vſque ad XXII. magna cum gratia laude, & admiratione omnium, peroraſſe: & ſuâ ſingulari dexteritate, voce, facundiâ memoriâ promptitudine, facilitate, quas vix in ſummo Oratore reperias, omnes in ſtuporem conuertiſſe. voluit Pontifex etiam aliàs, ex ore infantis laudes & ſermones Domini audire: quandoquidem is in ore omnium eſſet à concionibus, quas in Baſilica Sanctæ Mariæ ad Mineruã, in Sancti Laurentij, & Damaſi, & in alijs, nec non coràm Cardinalibus, incredibili felicitate ingenioli procunciabat. *Brucardus ſupra.*

XVII. *Bertoldus Hennebergius Archiepiſcopus Cleri ſynodum agit.*

Hoc anno Moguntiæ in Germania Bertholdus Hennebergius Archiepiſcopus Cleri ſynodum egit, in qua cum Greſemundus vir inſignis, peroraſſet, & gentium omnium ſententia, ac exemplo Sacerdotalis Ordinis dignitatem explicuiſſet, iſtud monitorium perpetuò memorandum adiunxit: *Conſulite, quæſo, vobis Patres, conſulite animabus veſtris, & conſcientiæ tranquillitati, cogitetis ipſi quantum ſceleris ſit ſacroſanctam religionem negligi, pollui, violari; tantum honoris gradum per flagitium inquinare, ſeque tantâ dignitate reddere indignum. Cogitate tàm dicta veſtra, quàm facta eſſe palam, ac omnium oculis paſſim expoſita. Cogitate Deum optimum, maximumque, nihil non videre eſſe memorem fandi, ac nefandi. Iuſtum inſuper in die illo tremendo, ac inexorabilem iudicem futurum. Etenim quis eſt tàm vecors, qui cùm in cœlum ſuſpexerit, aut Deum eſſe non ſentiat, aut cùm Deum eſſe intellexerit, non intelligat, eum delictis noſtris ad iracundiam concitari, & meritas cuiq; pœnas inflicturum? Si enim bonus eſt Deus, credendum, vtiq; eſt, mala noſtra illi diſplicere. Si omnipotens, quid prohibet, eum quò minus iram ſuam exerceat, & in nos animaduertat? Si iuſtus, nihil relinquet impunitum. Iuſtitia enim eſt, reddere vnicuique quod ſuum eſt. Verùm cùm etiam idem miſericors ſit, nonne lenius eſt, nonne tolerabilius eſt, miſericordiam eius, quàm iuſtitiam experiri? Quarè poſt habitam de commiſsis pœnitentiam, & ſatisfactionem, pòſt confirmatum deinceps abſtinendi propoſitum, exorandus eſt nobis altiſsimus, vt & præteritorum obliuiſcens, & futura ſtabiliens, vltionem, ſi quàm iuſtè parauerat, miſericorditer auertat. Nicolaus Sereacius lib. 5. rerum Moguntiacarum.*

XVIII. *Angli magnam dignitatis ſacerdotalis rationẽ habent.*

Eodem anno, quantam Sacerdotalis dignitatis, & immunitatis rationẽ Angli haberent, memorabili exemplo demonſtrârunt. Regnabat apud eos Henricus VII. multas inſidias ab aduerſarijs, qui & apertè rebellabant, & alios, qui ſe Edouardi filium fingerent, perpeſſus. Nota eſt Petri Varbechi audacia, qui Scotis, Gallis, & Anglis, vt Anglis imperaret, impudenter impoſuit. Ab eo per aliquot annos exagitatus Henricus, etiam ab Edouardo Varuici Comite nutritus, ſibi non ſine causâ metuebat. Is in carcere ab incunabulis extrà hominum, ferarumque conſuetudinem nutritus, qui Gallinam ab anſere non facilè internoſceret, cùm nullo ſuo delicto ſupplicium quærere poſſet, alieno ad id tractus eſt. Siquidem aliquis Auguſtinianus nomine Patritius, vt Comiti





credo, inuidiam conflaret, diſcipulum, quem habebat (nomen non ponitur) ſubornare, eiuſque auribus inſtillare cæpit, ſe illi regnum facilè paraturum, ſi ſuum vellet ſequi conſilium. Diſcipulus non modò id ſe facturũ nõ renuit, ſed iterum, atque iterum rogauit, vt quòd deſtinaſſet, maturè tentaret. Quotuſquiſque enim eſt tam legum, aut periculi metuens, qui nolit regnandi cauſa, quiduis tentare, facere, & pati? Itaq; ſubtiliter communicato conſilio, confidenter etiam in Cantium, aliàs ad res nouas non ſurdum ambo proficiſcuntur. Ibi adoleſcens primò clam nonnullis indicat, ſe Edouardum, Varuici Comitem eſſe, & nuper ope, & arte Patritij, ex turri Londinenſi aufugiſſe: & quia dictis habita fides, deinde palam idipſum prædicat, cunctorumque auxilium implorat. Verùm ſeditio priùs caput amiſit, quàm illud efferret, è veſtigio præceptore cum diſcipulo in vincula rapto, & hoc quidem necato, illo verò æternis tenebris mandato, quòd regularis eſſet. Etenim tantum apud Anglos ſacris Ordinibus tribuebatur, vt Sacerdoti, vel de maieſtate damnato, alijſue ſontibus, qui reliquis initiati eſſent ordinibus, vita concederetur. quin & vſu venerat, vt qui legere ſcirent, cuiuſuis rei capitalis, præter maieſtatis crimen, damnati, eodem loco haberentur, quod per id Ordinis affines cenſerentur, atque ita ſalui in cuſtodiam detruderentur. *Polydorus hiſt. Anglicanæ lib. 26.*

XIX. *Duo miracula in cultores B. V. patrata.*

Hoc tempore Deus ſtupendiſsimo quodã miraculo, illuſtrare voluit cultum Beatiſsimæ Dei parentis, qui eſt in Hiſpania apud Monſerratum. Valentinus quidam nobilis inimicitias exercebat cum quodam cõciue. Ab eo ad ſingulare certamẽ prouocatus, antequàm ſtringere gladium potuiſſet; duobus vulnerib. altero à brachio, vſq; ad coſtas, altero in mamilla dextrâ confoſſus fuit. Superuenêre duo alij ſubornati, quorum vnus lancea, alter gladio miſerum feraliter tractarunt, ita vt ventrem illi aperuerint, per quã plagam latiſsimè patentem, viſceribus in terram effuſis, pro mortuo eundem reliquerint. Non defuit ille ſibi, ſed ilijs recollectis inq; ventrem repoſitis, in proximam ædiculum à vicinis, qui certamen aſpexerant, delâtus, cùm chirurgi, & medici moriturum iudicaſſent: eò quòd nec omnia ilia ſupereſſent, & quę erant recollecta, non omninò cohærerent, aut conglutinari poſſent: ipſe ſpei plenus, Beatam Virginem apud Monteinſerratum celebrem, inuocauit, votum concepit, ſanus, & incolumis euaſit. Accidit aliud vota perſoluenti. Grauiſsimi cuiuſdam criminis, innocens, per calumniam accuſatus, captus, in vincula coniectus, carnificis ferrum expectabat, niſi intra dies quinque crimen obiectum, & falſis teſtimonijs probatum diluiſſet. Iam tertius effluxerat dies: quando hoſpitatricis ſuæ memor, iterum in extremo periculo opem illius implorauit, atque vota repetijt. Vix fecit; & conſolatrix afflictorum compedes, & manicas, quibus tenebatur ferreas diſſoluit, atq; ex ergaſtulo concluſo eduxit mirâ ratione. *Aiſtolfus l. 11. de miraculis ad imagines B. M. V. patratis.*

XX. *Vita & obitus B. Georgij Cebalij Minoritæ.*

Eodem anno Caſtilioni, quod eſt oppidum in Etruria agri Aretini, obijt centenarius, Georgius Cebalius, Minorita inter eos, quos laicos vocant, magnæ ſanctitatis, ieiunijs, diſciplinis, vigilijs, laboribus, macerabat corpus. In Orationibus dies, noctesque aſsiduus, peculiarem gratiam lacrymarum obtinuerat; præcipuè quãdo paſsionis Dominicæ, & crucis myſteria recolebat, vel audiebat. Manibus porrò in formam Crucis extenſis, preces quaſcumque perſoluebat. In alijs virtutibus, quæ ad perfectionem ducunt ſedulo ſe exercebat, exemplaque illarum, etiam maioribus ſuis edere non intermittebat. Paupertatis S. Franciſci zelantiſsimus æmulator, vitæ regularis ſtrictiore obſeruantiâ, etiam ſupremum Ordinis ſui Miniſtrum ad eandem amplectendam hortabatur. Rumor erat Santorem Generalem, theſauros pecuniarum corraſiſſe, & aliquando XXX. aliquando XXXV. aliquando XXXX. MM. nummũm aureorum Alexandro Pontifici pro dignitate Cardinalitia, quam humilis ambiebat, obtuliſſe, hocque anno die vigeſimoſeptimo Octobris morientem, abacum argenteam, & XI. millia vno in loco, in alio V. M. in alio M.DCCC. aureorum ducatorum reliquiſſe. Eam in paupertatis profeſſore opulentiam, vitæ ſuæ exemplo Georgius execrandam eſſe oſtendebat: ac præterea veteres patres memorabat, in eo paupertatis voto tam rigidos, vt nihil, quod ad tempus ſupereſſet, ab offerentibus accipere tolerarint, & in præuaricatores ſeuerius animaduertere voluerint. De aliquo Fratre recenſebat, cùm ei quidam amicus fruſtrum recentis carnis, non eleemoſynam petenti, ſed ſpontè obtuliſſet, atque is Cuſtodi domus eandem repræſentaſſet is grauiſsimè increpitum, collatenus appenſam carnem referri ad amicum, & coram illo genu poſito, veniam errati, quòd ſine licentia prælati accepiſſet, poſtulare iuſsit. Recitabat & iſtud, alium amicum cuidam Cœnobio porcum obtuliſſe; Fratres verò, neque facultatem recipiendi concedere Prælato, neque cum is ſua ſpontè recepiſſet, menſæque præparatos carnes intuliſſet, attingere voluiſſe: ſed pane, aqua, & oleribus vitam toleraſſe. *hiſt. Seraphicæ parte 3. l. 7. c. 35. Brucardus in notis diarijs.*

XXI. *Item B. Marci Mutinenſis Dominicani.*

Piſauri quoque in Vmbria diem extremum clauſit B. Marcus Mutinenſis Ordinem Prædicatorũ profeſſus. Sanctitate, meritis, miraculis, magnoperè illuſtrauit Eccleſiam. Rogatus à quadam matrona, vt filiolum eius valetudini reſtitueret: cum iam mortuum reperiſſet; bono eam eſſe animo iuſsit, neque aliud poſtulare, quandoquidem innocentis anima in cælum euolaſſet. illa verò interpellante, ac vrgente, Marcus propiùs accedens, manuque prehendens extinctum, cum, *Tibi Ioannes Baptiſta, in nomine Ieſu Chriſti dico ſurge, & ambula,* poſt orationem pronunciaſſet, viuum Matri exhibuit; quem illa, vt is prædixerat, peſte inficiendum amitteret. Translatum Marci ex priore ſepultura ſub altare SS. Roſarij corpus, odorem ſuauiſſimum ſpirauit; ac æs campanum, nemine mouente circà tranſlationem ſpontè perſonuit. *Pius de viris illuſtribus Ord. Præd. lib. 1.*

# ANNO CHRISTI MD.

## ALEXANDRI PAPÆ VI. Anno 8. & 9.

### MAXIMILIANI ROM. REGIS Anno 15.

I. *Alexãdri PP. circa Iubilaum promerẽdum edictum.*

ANNO Sancto iubilæi continuando, Alexander Pontifex incumbebat. Vt autem Sacro pœnitentiæ foro præpoſiti ſcirent, quæ ſoluerent, quæ ligarent; necnon Romipetæ non ignorarent, quid pro aſſequenda indulgentia facere, vel præſtare deberent, edictum adſcriptum vulgauit.

*Alexander Epiſcopus, Seruus ſeruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.*

*Cum in principio huius ſacri inſtantis anni iubilæi, pro animarum Chriſti fidelium, ad Almam vrbem, pro conſequenda ipſius anni iubilæi pleniſsima indulgentia confluentium ſalute, Dilectis filijs Pœnitentiarijs noſtris, in Baſilica Principis Apoſtolorum de vrbe, ipſos Chriſti fideles, etiam in caſibus nobis reſeruatis, quatuor duntaxat exceptis, tunc expreſsis, abſoluendi plenam, & liberam conceſsimus facultatem: prout in cæteris inde confectis litteris plenius continetur: & quia quamplurimi Chriſti fideles, ad dictam vrbem iam venerunt, diuerſis irregularitatibus irretiti, cum*

quibus prædicti Pœnitentiarij diſpenſare nequiuerunt; & creditur multos alios dicto anno eſſe venturos, qui dictis diſpenſationibus indigebunt; & etiam multi peregrini, & forenſes qui ad dictam vrbem ſe contulerunt, ab ipſa, non completo per eos numero ad viſitandas Baſilicas & Eccleſias dictæ vrbis ad id deputatas prætaxato, propter diuerſas, & occurrentes neceſſitates diſceſſerunt: & ſemper ad nos ſuper concedendis diſpenſationibus prædictis, & dicti temporis abbreuiationem recurſus haberi non poteſt. Nos de animarum fidelium quorumlibet ſalute ſolicitè cogitantes, ac in præmiſſis opportunè prouidere volentes, prædictis Pœnitentiarijs, de quorum fide, diſcretione bonitate, & integritate gerimus in Domino fiduciã ſpecialem, prætaxatũ tempus quindecim peregrinis & forenſibus ad minorẽ quinque, & Romanis, & in dicta vrbe commorantibus, & reſidentibus, ad minorem ſeptem dierum numerum vt reducant; impoſita tamen eiſdem peregrinis, & forenſibus ac Romanis in dicta vrbe commorantibus, & reſidentibus, dictum numerum abbreuiari volentibus, vt videlicet peregrini, & forenſes quartam, Romani verò, & in dicta vrbe commorantes, & reſidentes octauam partes eius, quod pro eorum victu diebus, qui eis abbreuiabuntur, exponerent, in capſa Pœnitentiariorum prædictorum, pro eorum eleemoſyna ponant, in reſtaurationem, & reparationem dictæ Baſilicæ Sancti Petri conuertenda. Et ſi qui erunt adeò pauperes, vt eleemoſynam elargiri nequeant, eos ab omni elargitione huiuſmodi penitus liberandi. Et quia etiam aliqui ex dictis Romanis, ſenes valetudinarij, claudi, infirmi, & inimicitias graues, & periculoſas habentes exiſtunt, qui Baſilicas, & Eccleſias prædictas viſitare non poſſunt, eis vt aliquam, vel aliquas ex prædictis Baſilicis, Eccleſijs, vel Parochiales, ſub quibus degunt, viſitando, etiam in minori, numero ſeptem dierum, non teneantur ad aliam viſitationem, & qui ex eis domum, ſiue Cameram exire non poſſunt, ſufficiat ſolùm eis orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam tot vicibus, & tot diebus, quod ipſis pœnitentiarijs videbitur dicere, & recitare; miſſa tamen per ipſos ad dictam capſam, videlicet octauæ partis, quod exponerent diebus, qui eis abbreuiabuntur (prout ſupra dictum eſt) condecenti. Pauperes tamen nihil mittere teneantur, nec non volumus aliquas eleemoſynas pro animabus defunctorum elargiri, etiam tempus prædictum data eleemoſyna, de qua ipſis Pœnitentiarijs videbitur pro eorum arbitrio, habito tamen ad conditiones, & qualitates perſonarum reſpectu, abbreuiandi, vel in totum remittendi, ac ſuper irregularitate quouis modo, etiam in Ordinibus, præterquàm homicidij voluntarij, ac bigamiæ contractâ, necnon ſuper matrimonijs, ſcienter, vel ignoranter, in quibuſcunque conſanguinitatis, & affinitatis gradibus, etiam multiplicibus, à ſecundo tamen gradu inferioribus contractis, occultis tamen etiam carnali copulâ ſubſecutâ, & in eis licitè remanere poſſint, prolem ſuſceptam, & ſuſcipiendam legitimam decernendo, præuia tamen ab excommunicationis ſententia, quam propterea incurrerunt, abſolutione, diſpenſandi. Nec non vota quæcumque per confitentes eis emiſſa, Hieroſolymitano, & continentiæ, ac Religionis votis duntaxat exceptis, commutandi factâ tamen ſuper his debitâ compoſitione, iuxta qualitates, & conditiones perſonarum, ad quas etiam debitus reſpectus habeatur. Necnon ſuper malè ablatis incertis, & malè quæſitis, de quibus, cui reſtitutio fieri debeat, notitia non habeatur, etiam ſecundum qualitatem perſonarum, & quantitatem malè ablatorum, & malè quæſitorum componendi, & reſiduum eis remittendi; ac cum Symoniacis qui beneficia Symoniacè acquiſiuerunt ſimiliter diſpenſandi, & eos à Symoniæ labe, ac excommunicationis, alijſq; cenſuris Eccleſiaſticis abſoluendi; ac eis qui dicta beneficia retinere, & in ſuſceptis ordinibus etiam Symoniacè receptis, etiam in altaris miniſterio miniſtrare poſſint, concedendi, abolendique omnem inhabilitatis, & infamiæ maculam, ſiue notam, per eos præmiſſorum occaſione contractam, ſcriptoreſque litterarum Apoſtolicarum, qui vltrà taxam aliquid receperunt, etiam abſoluendi, facta cum eis aliquâ compoſitione ſecundùm quantitatem pecuniarum, quas receperunt, & ſimiliter cum dictis Symoniacis ſuper fructibus malè perceptis, videlicet vt ad minus tertiam partem eius quod receperunt, in dicta capſa ponant, & ſi ageretur de beneficio parui valoris, vel cum adeo paupere, vt nihil ſoluere poſſit, ſibi totum remittendi, plenam, liberam, & omnimodam, in foro conſcientiæ duntaxat, & non aliter, hoc anno iubilæi duntaxat concedimus facultatem, ſuper quibus omnibus eorundem Pœnitentiariorum conſcientiam oneramus. Et quia aliquando poſſet contingere ipſos Pœnitentiarios ſuper modo componendi in præmiſſis, vel alijs dubitare, volumus, vt ipſi in his ad Venerabilem fratrem Ioannem Baptiſtam, Epiſcopum Mutinenſem, Datarium noſtrum recurrere debeant, & quantum per eum mandabitur, exequi teneantur. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque. Placet. & ità in foro conſcientiæ duntaxat concedimus. R. Datum Romæ apud S. Petrum, quarto Nonas Martij, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Pontificatus noſtri anno Octauo extat apud BRVCARDVM in notis diarijs.

II. *Aliud de eadem re edictum.*

Cæterum, ne Romipetæ pro anno ſancto Iubilæi venientes, quouis modo infeſtarentur, aut vexarentur paucis anteà diebus aliud edictum promulgauit hoc tenore.

*Alexander Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.*

*Inter cætera, quæ nobis ex Apoſtolatus officio incumbere cernimus, & quorum nos cura ſolicitat, circa illa potiſſimè vigil dirigitur noſtræ mentis affectus, per quæ, vt Chriſti fideles, qui præcipuè hoc ſacro Iubilæi anno ex diuerſis mundi partibus, ad Almam vrbem, Romanamque Curiam pro conſequendis indulgentijs, à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, & nobis, pro expurgatione peccatorum conceſſis, non ſine viarum diſcrimine, & perſonarum ſuarum periculis in numero confluunt copioſo, ſecurè, & quietè, abſque aliqua prædonum, latronum, & peruerſorum, ac nefandorum hominum, qui hoſtis generis humani ſuggeſtione ſeducti, peregrinos, & alios Romipetas in vijs publicis, & alijs locis ſpoliare, inuadere, & etiam crudeliter vulneribus afficere, ac plerumque atrociter interficere non perhorreſcunt, vt inquam ſine inuaſione, aut periculo, veniendo, & redeundo pertranſire poſſint, valeat ſalubriter prouideri. Ad aures ſiquidem noſtras (quod dolenter referimus) peruenit, quòd nonnulli peregrini, & Romipetæ, & alij ad vrbem, & Curiam prædictas, tàm pro indulgentijs huiuſmodi conſequendis, quàm etiam alijs eorum negotijs pertractandis venientes, ſeu inde recedentes, pecunijs, & alijs, quæ ſecum deferebant, rebus, & bonis ſpoliati, & aliqui etiam interfecti fuerunt, quod in noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ maximum præiudicium, & Chriſti fidelium populorum Sedem ipſam viſitare cupientium, deuotionis diminutionem redundare poſſet, niſi præmiſſis per eos, ad quos pertinet, per opportunæ prouiſionis remedia obuietur. Nos igitur, quibus in perſona Beati Petri dictum eſt: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: Paſce oues meas: & ad quos ſpectat præmiſſis periculis obuiare: cupientes vt debemus, vt peregrini, Romipetæ & alij prædicti vbique locorum, præſertim in Comitatibus, Territorijs, & Diſtrictibus, Ciuitatum, Terrarum, & locorum, noſtro etiam temporali dominio, aut aliàs immediatè ſubiectorum, tutò, & ſecurè pertranſire valeant, de opportuno remedio prouidere, Motu proprio non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, & ex certa noſtra ſcientia, vniuerſos, & ſingulos Gubernatores, Rectores, & Vicarios in temporalibus noſtros, & eiuſdem Eccleſiæ Barones, ac Feudatarios, Communitates, & vniuerſitates Ciuitatum, Terrarum, Caſtrorum, villarum, & locorum, noſtro, & dictæ Romanæ Eccleſiæ temporali dominio huiuſmodi mediatè, vel immediatè ſubiectorum: necnon Ducatus Marchionatus, Comitatus, Ciuitates, Terras, Caſtra, villas, & loca quæcumque à dicta Eccleſia, quocumque titulo, mediatè, vel immediatè obtinentes, tenore præſentium*





*requirimus, & monemus, eiſque, & eorum cuilibet in virtute Sanctæ obedientiæ & ſub excommunicationis in ſingulos, & interdicti Eccleſiaſtici in communitates, & Vniuerſitates, latæ ſententiæ pœnis diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus ipſi, & eorum ſinguli in eorum Prouincijs, Territorijs, Comitatibus, & diſtrictibus, Bariſellos, ſeu Mareſcallos, aut alios Officiales, & Commiſſarios, qui continuè, præcipuè anno præſenti Iubilæi durante, die, noctuque, ac quoties expediens fuerit, vias, & ſtratas, ac alia eorum loca, per quæ Romipetæ, & peregrini prædicti, & alij quicumque tranſire, necnon etiam hoſpitia, & receptacula in vijs, & publicis ſtratis, ſeu alijs locis exiſtentia, in quibus ipſi hoſpitantur, ſeu diuertunt, aut hoſpitari, ſeu diuertere ſolent, ſolicitè viſitent, & cuſtodiant, deputare, aut aliàs taliter de opportuno remedio prouidere, vt eorum Prouincias, Territoria, Diſtrictus, Comitatus, & loca tuta, & ſecura, ab omni prædonum, & latronum, & aliorum facinoroſorum huiuſmodi hominum periculo facere, manu tenere, & cuſtodire procurent, quòd Romipetæ, peregrini, & alij prædicti per illa ſecurè ſtare, tranſire, ire, & redire, ac in illis liberè hoſpitari valeant. Et ſi (quod abſit) aliqui in Prouincijs, Territorijs, Comitatibus, locis, & diſtrictibus prædictis ſpoliati, deprædati, aut aliàs in perſona, vel bonis iniuriati, ſeu iniuriam paſſi, vel offenſi reperirentur; volumus, & Apoſtolica authoritate motu ſimili decernimus, quod Gubernator, Rector, & Vicarius in temporalibus, ac feudatarius, Communitas, & Vniuerſitas, Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Terræ, caſtri, villæ, & loci, in cuius Prouincia, Territorio, Comitatu, vel diſtrictu, deprædatio, ſpoliatio, inuaſio, & huiuſmodi fient per prædictos latrones, prædones, & iniuriantes, & facinoroſos, vt vltrà pœnas, & cenſuras contra tales per conſtitutiones Prouinciales ſtatutas, ad emendam damni, & bonorum, ac rerum ablatarum reſtitutionem, necnon totale eorum intereſſe teneantur, & aduersùs eos ad alias etiam grauiores pœnas (ſi id impedire, & exequi neglexerint) exigente iuſtitia irremiſſibiliter procedemus. Si verò Gubernator, Rector, Vicarius, feudatarius, Communitas, & Vniuerſitas prædicta damna, & intereſſe huiuſmodi reſpectiuè abſque aliqua monitione reſtituere, & damnum paſſis eo ipſo emendare neglexerint, ſeu diſtulerint, volumus, & ità tenore præſentium Gubernatori Almæ vrbis noſtræ, Præſidentibuſque, & Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Clericis, pro quanto gratiam noſtram charam habent ſtrictè præcipiendo mandamus, vt ad ſimplicem requiſitionem, & querelam offenſi, ſpoliati, & damnum paſſi, facta tamen prius aliquali fide de ſpolio, offenſione & damnis huiuſmodi: ſeu ſi ad eorum notitiam aliter peruenerit, quamprimum aduersùs Gubernatorem, Rectorem, Vicarium feudatarium, Communitatem, & Vniuerſitatem, in cuius Territorio, vt præmittitur, ſpolium, offenſio, & damnum illatum fuiſſe perceperint, cenſuras Eccleſiaſticas quaſcunque, grauiores pœnas tàm reales, quàm perſonales, vſque ad priuationem incluſiuè, & ad illarum executiones fieri faciant, & exequi cum effectu, vſque ad totalem, & integram ſatisfactionem damni, expenſarum, & intereſſe prædictorum. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteris contrarijs quibuſcumque. Vt autem huiuſmodi noſtræ litteræ ad communem omnium notitiam deducantur, illas in valuis Baſilicæ Apoſtolorum, ac Eccleſiæ Lateranenſi de vrbe affigi, ac in Audientia noſtra litterarum contradictarum legi, publicari mandamus, vt hi quos litteræ huiuſmodi concernunt, quòd ad ipſas non peruenerint, aut ipſos ignorauerint, nullam poſſint excuſationem prætendere, ſeu ignorantiam allegare: cum non ſit veriſimile, apud ipſos remanere incognitum, quòd tàm patenter omnibus fuit publicatum. Volentes inſuper, & eadem autoritate decernentes, quòd præſentes litteræ in dicta Baſilica, & Eccleſia affixæ, & in Audientia prædicta lectæ, & publicatæ, perindè omnes, & ſingulos (vt præfertur) monitos arctent, ac ſi eis omnibus, & ſingulis perſonaliter, & præſentialiter lectæ, intimatæ, & inſinuatæ fuiſſent. Nulli ergò omnino hominum liceat, hanc paginam noſtram requiſitionis, monitionis, mandati, voluntatis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ac noſtram, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quingenteſimo. Nono Calendas Martij. Pontificatus noſtri anno VIII.*

Supradictum edictum Pontificium, nihil profuit Renato Acromontio, Ludouici Regis Galliarum Oratori, quem ex Fabritii Columnæ territorio, in monte Viterbienſi, viginti duo prædones inuaſerunt, omnia, quæ ſecum ferebant, illi diripuerunt, & aliquot ex nobilitate vulneribus affecerunt: vt opus fuerit Pontifici, Fabricium plurimis litteris admonere, qui prædones Romam vinctos tranſmitteret. Quindecim ex his capti, Romam miſſi, dignas latrocinio pœnas dependerunt. *Brucardus in diarijs notis.*

III. *Alexander PP. ob cauſas aliquot celebrationem iubilæi in annum ſequentẽ prorogat.*

Cæterùm cùm ingens multitudo Romam veniens, partim propter viarum diſcrimina, partim propter indiſpoſitionem, non poſſet, antequàm porta aurea clauderetur, in vrbem conuolare, Alexander Pontifex celebrationem Iubilæi vſque ad feſtum Epiphaniæ, anni conſequentis, Milleſimo quingenteſimo primo prorogauit, publicatis litteris huiuſmodi.

*Alexander Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.*

*Commiſſum nobis cælitus Apoſtolicæ ſeruitutis officium tunc dignè peragere nos credimus, ſi ad ea ſolitæ benignitatis affectum extendimus, per quæ CHRISTI fideles animarum ſuarum ſalutem pro eorum deſiderio valeant promereri. Cum itaque, ſicut accepimus, quàmplures vtriuſque ſexus CHRISTI fideles fore noſcantur, qui piâ deuotione ducti, proprijs domibus relictis, ad hanc Almam vrbem pro conſequenda huius ſacri anni Iubilæi centeſimi pleniſſimâ indulgentiâ venientes, ob magna viarum diſcrimina, malamque ipſorum diſpoſitionem ad dictam vrbem ſtatuto tempore peruenire non potuerunt; nos indemnitati eorum, ne proptereà effectu indulgentiæ careant memoratæ, prouidere, animarumque ſuarum ſaluti paternâ charitate conſulere cupientes, habita ſuper hoc cum Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus deliberatione matura, de illorum conſilio pariter, & aſſenſu, indulgentiam anni Iubilæi huiuſmodi, & litteras ſuper eo confectas, cum omnibus & ſingulis, in eis contentis clauſulis (pro illis duntaxat, qui vt præmittitur, dicto ſtatuto tempore ad ipſam vrbem peruenire non potuerunt) vſque ad feſtum Epiphaniæ Domini proximè venturum incluſiuè, authoritate apoſtolicâ, tenore præſentium, de vberioris dono gratiæ prorogamus, pariter, & extendimus. Volentes, & decernentes, quod ſi qui ex eis aliquo ex caſibus in litteris facultatis per nos dicto anno durante duntaxat Dilectis filijs Pœnitentiarijs in Baſilica Principis Apoſtolorum de dicta vrbe, conceſſæ, quæ in fine dicti anni Iubilæi omninò expirabit, prout harum ſerie tunc expirare declaramus, quomodolibet ligati, vel irretiti fuerint, ad dilectum filium, Ludouicum de la Turre Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia nuncupatorum profeſſorem, & dicti Ordinis citrà montes Vicarium Generalem, in domo Ara cæli de dicta vrbe Ordinis eiuſdem ad præſens degentem, quem ad hoc, & nonnulla alia Salutem animarum concernentia, Commiſſarium noſtrum vſque ad feſtum Pentecoſtes etiam venturum in dicta vrbe, & per vniuerſam Italiam, de ſimili conſilio conſtituimus, & deputauimus, ſeu deputandos ab eo recurrere debeant, qui eis de abſolutionis debitæ benefi-*

*cio, prout animarum earundem ſaluti nouerint expedire, prouidere curabunt. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ in litteris prædictis voluimus non obſtare, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ prorogationis, extenſionis, voluntatis, decreti, declarationis, conſtitutionis, & deputationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quingenteſimo decimoſeptimo Calendas Ianuarij Pontif. noſtri anno IX.*

Hadrianus.

IV. *Idem Indulgentiã Iubilæi per vniuerſam Italiam concendit*

Et quia Pontifex videbat, non poſſe etiam omnes Romam pro capeſſendis indulgentiis Iubilæi venire; ideo per vniuerſam, inprimis Italiam conceſsit pleniſſimam indulgentiam eiuſdem anni Iubilæi, vſque ad feſtum Pentecoſtes proximè venturum in anno Milleſimo quingenteſimo primo cuius Commiſſarios fecit Fratres Ordinis Minorum de Obſeruantia, per litteras Apoſtolicas, quarum tenor eſt huiuſmodi.

*Alexander Epiſcopus Seruus ſeruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.*

*Paſtoris æterni, qui pro ſalute gregis Domini ſe in pretium immolare non abnuit, vices quamuis immeriti gerentes, in terris, & gregem ipſum nobis diuina diſpoſitione commiſſum paternæ conſiderationis intuitu conſpicientes, de animarum ſingulorum fidelium credentium populorum ſalute ſolicitè cogitamus, & illarum periculis occurrimus, vt tenemur; eoſque, quos vt peculiares filios, meritò in viſceribus gerimus charitatis, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quam non ab homine obtinemus, ſed à Deo, indulgentiarum fauoribus proſequamur, & remiſſionibus peccatorum confoueamus. Nuper ſiquidem, cùm præſens annus iubilæi, remiſſionis, & gaudij, ac reconciliationis human generis, Redemptori noſtro piiſſimo, qui quolibet anno centeſimo ab illius primæua ordinatione per fel. rec. Bonifacium octauum inſtitutus, & deinde Clementem Sextum, ad quinquageſimum, & ſucceſſiuè Gregorium XI. ad trigeſimum tertium, & poſteà ad vigeſimum quintum annos per piæ memoriæ Paulum ſecundum Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros propter humanæ vitæ breuitatem reductus fuit, inſtare noſceretur, eſſetque verè ille centeſimus annus, qui ab ipſa primæua ordinatione fuit inſtitutus, & in quo vniuerſi Chriſti fideles, quibuſcumque etiam grauiſſimis delictis obnoxij, verè pœnitentes & confeſſi, viſitando Baſilicas, & Eccleſias Almæ vrbis, & extra eam ad id deputatas, illarumque maiora Altaria, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam conſequantur: & propterea ab omnibus CHRISTI fidelibus cum maiori frequentia, & deuotione non immeritò celebrandus. Et cuperemus dictum annum iubilæi ab ipſis fidelibus cum omni debita, & ſingulari deuotione celebrari, ac fideles ipſos ad dictam vrbem pro reuerentia Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum Principum, qui eam proprio ſanguine conſecrarunt, & in quorum Baſilicis, ſub illarum maioribus altaribus, ipſorum Apoſtolorum corpora glorioſa, & in maiori altari Eccleſiæ Lateranenſis capita recondita honorificè conſeruantur, pro indulgentijs dicti iubilæi conſequendis vndecumque perſonaliter accedere: Nos per alias diuerſas litteras noſtras pleniſſimam ipſius anni iubilæi indulgentiam, litteraſque eorundem prædeceſſorum noſtrorum deſuper emanatas, de Fratrum noſtrorum conſilio approbando, & innouando, ne contingeret, aliquem ignorare, ſeu dubitare, quo tempore annus iſte iubilæi inciperet, & quæ, ac quot Eccleſiæ pro dicta conſequenda indulgentia, & quot diebus illæ viſitari deberent, ex certa noſtra ſcientia per alias litteras noſtras, omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus CHRISTI fidelibus per vniuerſum Orbem conſtitutis nunciauimus, & declarauimus ipſum annum Iubilæi, in Vigilia, & primis Veſperis Natiuitatis eiuſdem DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI proximè præterita inchoare, prout in eiſdem noſtris litteris (quarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus insererentur, haberi volumus pro ſufficienter expreſſis) plenius continetur. Cum autem, ſicut nonnullorum fide dignorum relatione accepimus, quamplures CHRISTI fideles, etiam Archiepiſcopi, Reges, Reginæ, Duces, Principes, Marchiones, Domini temporales, Comites, Barones, Nobiles, Abbates, Priores, Abbatiſſæ, & Prioriſſæ, ac aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ, etiam Religioſæ, & ſeculares vtriuſq; ſexus, per vniuerſam Italiam conſtituti, deuotiſſimi quidem, & affecti, ac cupidi ſalutis animarum ſuarum, & indulgentiarum dictæ vrbis, tam quianno huiuſmodi iubilæi durante Baſilicas, & alias ipſius Vrbis Eccleſias pro conſequenda remiſſione, & indulgentia huiuſmodi per nos approbata, & innouata libenter viſitaſſent, ſi ſenio, debilitate corporis, valetudine, infirmitate, inopia, impotentia, diuinorum, humanorumque obſequiorum, vel aliorum negotiorum occupatione detenti non fuiſſent, aut guerrarum turbines, quibus ipſa Italia pluribus in locis afflicta, ſeu itineris diſtantiam, & diuerſa viarum diſcrimina, ac epidimiæ morbum, quæ etiam vrbem ipſam æſtate proximè decurſa plurimum oppreſſit, aliaſque ſiniſtros euentus non formidaſſent; quam etiam, qui nullo impedimento detenti, Baſilicas, & Eccleſias ipſas viſitare hactenus non propoſuerunt, cupiant aliàs indulgentiarum huiuſmodi fieri participes. Nos, qui cunctorum fidelium animarum ſalutem (vt ex debito Paſtoralis tenemur officij) intentis deſiderijs affectamus, vt CHRISTI fidelium eorundem animarum ſaluti ſalubrius conſulatur, debitè prouidere volentes, ac cupientes, immaniſſimorum Turcarum, qui inconſutilem Chriſti tunicam ſcindere, & Rempublicam Chriſtianam euertere, & euidentiſſima cæde Chriſtianos trucidare non ceſſant, grauium imminente preſſura, dum expugnatis nuper Neoponte, Methone, & Corone ciuitatibus munitiſſimis, in reliqua loca conuicina, ſuos formidabiles exercitus, claſſeſque maritimas ſumma diligentia inſtruunt, & in Chriſtianum populum canina rabie, magis, atque magis ſæuire non deſinunt, conatibus obuiare: & cùm ad id noſtræ non ſuppetant facultates, etiam Chriſti fideles prædictos ad impendenda ad id opportuna auxilia, peccatorum remiſſionibus, & indulgentijs incitare, eoſq; fauoribus proſequi gratioſis, habita ſuper hoc cum eiſdem Fratribus noſtris deliberatione matura, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius autoritate confiſi, de Fratrum prædictorum conſilio, ac Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus, quòd omnes, & ſinguli Chriſti fideles, etiam Archiepiſcopi, Epiſcopi, Reges, Reginæ, Duces, Principes, Marchiones, Domini temporales, Comites, Barones, Nobiles vtriuſque ſexus, etiam cuiuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, nobilitatis, & præeminentiæ exiſtant; Eccleſiaſtici, etiam Religioſi, Abbates, Priores, Abbatiſſæ, & Prioriſſæ, ac alij ſeculares, & Regulares per ipſam vniuerſam Italiam conſtituti, verè pœnitentes, & confeſſi, qui poſt ſolemnem publicationem præſentium in ipſa Italia factam, vſque ad feſtum Pentecoſtes proximè futurum, incluſiuè, eccleſias in dicta Italia quas dilectus filius Ludouicus del la Turre, Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantia nuncupatorum Profeſſor, & eiuſdem Ordinis citra montes Vicarius Generalis, quem ad hæc, & alia infraſcripta peragenda in ipſa Italia, noſtræ & Apoſtolicæ Sedis Nuncium, & Commiſſarium facimus, conſtituimus, & etiam deputamus, duxerit eſſe viſitandos, debito tempore, iuxta eiſdem Nuncij, & Commiſſarij, ſeu deputandi, vel deputandorum ab eo, vel ſubdelegandorum ab eis prouidam ordinationem ſuper hoc faciendam, deuotè viſitauerint, & in*





*capſis ad hoc in ſubſidium Sanctæ Cruciatæ, & pro fidei Orthodoxæ exaltatione, ac ab ipſis perfidis Turcis defenſione, per Nuncium, ſiue Commiſſarium, aut deputandos, & ſubdelegandos prædictos, deputandis, quartam partem illius pretij, quod viſitando limina Apoſtolorum Petri & Pauli, & alias Baſilicas dictæ vrbis, & extra eam ad id deputatas, tàm in eundo de locis ſuis ad Vrbem prædictã, quã redeundo de eadem ad eorum loca prædicta veriſimiliter exponerent, vel aliàs iuxta Nuncij, & Commiſſarij, ac deputandorum, & ſubdelegandorum prædictorum ordinationem, ſeu arbitrium effectualiter poſuerint: etiamſi dictum Iubilæum hoc anno in dicta vrbe, vel alibi conſecuti fuiſſent, eandem prorſus Indulgentiam anni Iubilæi, & pleniſſimam peccatorum ſuorum remiſſionem, ac cum Altiſſimo reconciliationem, etiam à Sanctæ memoriæ prædeceſſoribus noſtris, ac etiam à nobis, proficiſcentibus ad recuperationem Terræ ſanctæ, & Turcarum earundem expugnationem concedi ſolitam conſequantur, quam conſequerentur, ſi præſenti anno Iubilæi huiuſmodi Romam, & ad recuperationem huiuſmodi, ad expugnationem proficiſcerentur, & profecti fuiſſent; nec non Baſilicas & Eccleſias, ad id in eadem vrbe, & extrà eam deputatas, iuxtà noſtram, & prædeceſſorum noſtrorum ordinationem prædictam perſonaliter viſitarent, & viſitaſſent. Et vt fideles ipſi huiuſmodi Indulgentiæ commodiùs poſſint fieri participes, prædicto Nuncio, & Commiſſario, de cuius prouidentiâ, integritate, & ſolertiâ in his, & alijs ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per ſe, vel alium, ſeu alios, quibus vices ſuas duxerit committendas, authoritate noſtrâ Eccleſias, quæ propterea viſitari debeant, declarandi & in qualibet Eccleſiarum earundem, ſimul, vel ſucceſſiuè, certum numerum Presbyterorum, Religioſorum, vel Secularium, Ordinum quorumcumque etiam Mendicantium, etiam Obſeruantiæ Regularis, de quo ſibi videbitur, ad audiendas eorundem fidelium pro indulgentia fluentium confeſſiones deputandi, & etiam eiſdem Presbyteris Secularibus, vel Regularibus, quos per Nuncium, & Commiſſarium, ac deputandos, & ſubdelegandos prædictos, ad id deputari contigerit, vſque ad tempus per eos præfigendum, eorumdem fidelium confeſſione diligenter auditâ, pro commiſſis per ipſos Chriſti fideles exceſſibus, criminibus, & delictis quibuſlibet, etiam ſi talia forent, propter quæ Sedes Apoſtolica eſſet quouis modo meritò conſulenda; & à ſententijs, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, quibus quomodolibet ligati forent, eis de abſolutionis debitæ beneficio prouidendi, & pœnitentiam ſalutarem iniungendi, nec non vota quæcumque per eos emiſſa (voto Religionis duntaxat excepto) in opus Indulgentiarum huiuſmodi commutandi; ac alia faciendi, gerendi, & exequendi, quæ per alias noſtras litteras, dilectis filijs Pœnitentiarijs, in eadem Baſilicâ B. Petri deputatis per nos conceſſa fuerunt; nec non etiam in dicta vrbe ſuper malè ablatis incertis, vel per vſurariam prauitatem quæſitis, etiam certis, quando fœnerator ab alio fœneratore extorſerit, & ipſe vſuras reſtituere paratus non eſſet, vel alicui priuatæ Eccleſiæ deberentur, in quibus tamen Romana Eccleſia ſuccedere poſſet; ac etiam bonis, quæ ad aliquorum manus perueniſſent, & illa habentes, quibus reſtitui debeant, ignorant, vel dubitant, quamquàm malè ablata per eos non exiſtant, ſed aliàs illa ad eos peruenerint. Et ſimiliter de his quæ pauperibus, & alijs pijs locis in genere, abſque vlla ſpeciali determinatione relicta fuerunt, tàm pro præterito, quàm futuro temporibus componendi. Ità vt ſolutâ aliquâ quantitate pro hoc Sancto opere in capſis prædictis, à reliquorum ſic relictorum, & malè ablatorum, ac per vſurariam prauitatem extortorum, ſeu quæ ad eas aliàs peruenerunt, & cui ea reſtituere debeant, ignorant, vel dubitant, vt præfertur, reſtitutione abſoluti exiſtant, & vltrà reſtituere minimè teneantur, eis concedendi. Symoniæ quoque in Ordinibus, vel beneficijs commiſſa labe pollutos, ad ipſum opus contribuentes, à Symoniâ huiuſmodi, & à cenſuris, ac pœnis Eccleſiaſticis, quas propterea incurrerunt abſoluendi, & ſuper irregularitate, ſi quam, cenſuris eiſdem ligati, Miſſas, & alia diuina officia (non tamen in contemptum Clauium) celebrando, aut aliàs diuinis ſe immiſcendo, ſeu aliàs quomodolibet, etiam beneficia Eccleſiaſtica præmiſſorum occaſione, vel aliàs indebitè ocupando, præterquam ratione homicidij voluntarij, & bigamiæ contraxerint, diſpenſandi, omnemq; inhabilitatis, & infamiæ maculam, ſiue notam exinde prouenientem abolendi, & vt in ſic ſuſceptis Ordinibus miniſtrare, & ſic quæſita beneficia Eccleſiaſtica, quæ ex tunc denuò collata eis cenſeantur, & perceptos ex eis fructus, etiam ex ratione omiſſionis horarum Canonicarum, & diuinorum officiorum, factâ aliquâ compoſitione cum eis, in opus huiuſmodi conuertenda, retinere valeant eis concedendi in foro conſcientiæ duntaxat. Et quoſcumque, qui ex quauis licitâ, vel illicitâ cognatione, prouenientè affinitate, conſanguinitate, & cognatione Carnali, vel Spirituali, ſimplici, aut multiplici gradu, ac quocumque publicæ honeſtatis, iuſtitiæ impedimento, ſeu aliàs quomodolibet impediti, matrimonium inuicem, ſcienter, vel ignoranter, in quouis, etiam primo affinitatis, quæ per copulam fornicariam contracta eſſet, gradu contraxiſſent, ac carnali copulâ conſummaſſent, (ſi impedimentum huiuſmodi in iudicium deductum non foret, vel ſcandalum generari non poſſet) ab exceſſu huiuſmodi, de excommunicationis ſententia, quam prætereà incurriſſent, iniunctis inde eis pro modo culpæ pœnitentiâ ſalutari, quæ ad opus defenſionis huiuſmodi dirigatur, & quòd de cætero talia non committant, nec committentibus præſtent auxilium, conſilium, vel fauorem, & alijs, quæ de iure fuerint iniungenda, abſoluendi: & vt in huiuſmodi matrimonio ſic contracto ſimiliter remanere, ſeu ſecretè de nouo inuicem matrimonium contrahere, & in illo ſic contracto ſimiliter remanere, liberè, & licitè valeant, prolem ſuſcipere ex huiuſmodi matrimonio, & ſi quæ ſit ſuſcepta, legitimam decernere, diſpenſando ſimiliter in in eodem foro conſcientiæ duntaxat; & cum quibuſcumque, qui aliqua bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, & Eccleſiaſticorum beneficiorum quorumlibet haberent, & iudicialiter deficientibus probationibus, ad illorum reſtitutionem compelli non poſſent, etiamſi per ipſos probari poſſet; quæ bona omnia ad opus præmiſſum applicamus, ſuper eorum reſtitutione liberè abſoluendi, & quòd illa licitè retinere poſſint in poſterum, eis etiam concedendi; & generaliter omnia, & ſingula in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna faciendi, gerendi, & exequendi, plenam, & liberam dictâ authoritate tenore præſentium concedimus poteſtatem, & facultatem. Et nè illi, qui peregrinari, & aliquam ex Eccleſiis deputandis pro conſequenda Indulgentiâ huiuſmodi, commodè, & honeſtè viſitare non poterunt vtriuſque ſexus, vtpote infirmi, decrepiti, valetudinarij, diuitiſq;, aut humanis ſeruitijs mancipati effectu careant Indulgentiæ memoratæ, volumus, quòd ſi tales huiuſmodi, aut alijs quibuſuis impedimentis impediti, Eccleſias ipſas viſitare, verè pœnitentes, & confeſſi, ad capſas prædictas per fideles manum tranſmiſerint, quantum per vnam hebdomadam integram in victualibus cum eorum familiâ exponere conſueuerunt, tàm ipſi, quàm de ipſorum ſic impeditorum familiâ exiſtentes, non impediti, eandem prorſus Indulgentiam conſequantur, ac ſi perſonaliter viſitarent: liceatq; prædicto Nuncio, & Commiſſario, ac deputandis, & ſubdelegandis, pro talibus impeditis, in ſingulis locis, de quibus ſibi videbitur Confeſſores deputare idoneos, etiam quos ipſi non venientes eligere voluerint, qui ergà impeditos eoſdem, ac de eorum familiâ exiſtentes, pari, quâ alij Confeſſores prædicti ergà viſitantes dictas Eccleſias, authoritate fungantur. Et quia facilè contingere poſſet aliquos dubitare, quantum offerre debeant pro conſequenda indulgentiâ prædictâ, & alijs præmiſſis; & nonnullos eſſe dubios, vel incertos, an eorum impotentia, infirmitas, vel ſeruitij occupatio ſit adeò excuſabilis, notabilis, & legitima, quòd iuxtà præmiſſa ad viſitationem faciendam aſtringi non debeant, & Indulgentiam huiuſmodi conſequantur; ſed pro illa conſequendâ ſufficiat ei, quantitatem*

*prædictam in capſis huiuſmodi per fideles manus poni facere volumus, quòd tam Nuncius, & Commiſſarius prædictus, & quibus vices ſuas in genere, vel in ſpecie duxerit committendas, confeſſor quem tales dubij, aut incertis, ex prædictis deputandis, vt præmittitur, aduerint, poſſit eis huiuſmodi dubietates, prout eorum ſtatui, & indemnitati, animarumq; ſaluti, & conſcientiæ quieti, & paci ſalubriùs expedire cognouerit decidere, & determinare, ac viſitationem huiuſmodi, & ſummam, de qua dubitarent, an ab eiſdem ſoluendâ veniret, eiſdem in parte remittere, prout Nuncio, ſeu Commiſſario, ſeu deputandis, & ſubdelegandis prædictis neceſſarium eſſe videbitur, eos ad viſitandas dictas Eccleſias penitùs impotentes exiſtere declarare, habeanturq; tales dubij iuxta declarationem, ſeu remiſſionem huiuſmodi faciendam, quo ad effectum conſecutionis Indulgentiæ memoratæ, pro verè viſitantibus, & ſoluentibus, ad quod tenentur. prouiſo, quòd Confeſſor prædictus eiſdem impeditis, & de eorum familiâ exiſtentibus, loco viſitationis huiuſmodi, alia iniungat opera pietatis. Verùm ſi qui forent, qui adeò pauperes eſſent, vt commodè ſoluere nequeant iuxta ordinationem prædictam, liceat Nuncio, & Commiſſario, ac deputandis & ſubdelegandis prædictis, cum talibus, qui ſoluere nequeant, vt huiuſmodi Indulgentiæ fiant participes conuenire, & eos cum ſibi videbitur à ſolutione huiuſmodi, ſubſiſtente causâ legitimâ, in totum, vel in partem liberare; & per Archiepiſcopos, Epiſcopos, Reges, Reginas, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, & alios Chriſti fideles huiuſmodi tàm Eccleſiaſticos, & Religioſos, quàm etiam ſeculares, quorum magna familia foret, ratione huiuſmodi conſequendarum Indulgentiarum faciendas contributiones, conſideratis diligenter eorum facultatibus diſcretè limitare, ac taxare, & deſuper cum ipſis, ſicut Nuncio, & Commiſſario, ac deputandis, & ſubdelegandis prædictis vtilius videbitur componere; nec non omnia alia circa hoc ad ſalutarem, & celeriorem expeditionem faciendam procurare, & ordinare. Et vt oblationes huiuſmodi fideliter colligantur, & collectæ conſeruentur, ac illarum prouentus in hoc ſanctiſſimum, & neceſſarium opus, contrà Crucis Chriſti inimicos, & non in aliam cauſam omninò conuertantur, volumus, quòd Nuncius, & Commiſſarius, ſeu deputandi, & ſubdelegandi prædicti in ſingulis Eccleſiis ad id per eos ordinandis, vnam, vel plures, capſam, vel capſas, clauſuris, & clauibus benè munitam, prout ſibi, & deputandis, ſeu ſubdelegandis prædictis videbitur, ordinet; & quicquid ex vnaquaque capſa extrahi continget, per authenticas perſonas annotare, & illud totum in præmiſſam cauſam, & non in alios vſus omninò conuertendum, ad Cameram Apoſtolicam fideliter transferre, ſeu tranſmittere procuret. Et ſi forſitan ſuper præmiſſorum executione, & præſentium litterarum conceſſione, ac illarum clauſulis, & verbis aliqua dubia quomodolibet exorientur, eiuſdem Nuncij, & Commiſſarij, qui de præmiſſis plenè informatus exiſtit, ac etiam deputandorum, & ſubdelegandorum ab eo, declarationi, & interpretationi, toties, quoties opus fuerit ſtari debere decernimus. Et vt animarum ſalus eò potiùs procuretur, quò magis aliorum egent ſuffragijs, & quo minùs ſibi ipſis proficere valeant, authoritate prædictâ, de Theſauro Sanctæ Matris Eccleſiæ, animabus in Purgatorio exiſtentibus, quæ per charitatem ab hac luce in Chriſto deceſſerunt, & quæ dum viuerent, id promeruerunt, paterno compatientes affectu, quantum cum Deo poſſumus, ſuccurrere cupientes, de diuina miſericordiâ, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, volumus, & concedimus, vt ſi qui parentes, amici, aut cæteri Chriſti fideles pietate commoti, pro ipſis animabus purgatorio igni, pro expiatione pœnarum eiſdem ſecundùm diuinam iuſtitiam debitarum, expoſitis, durante dicto tempore Indulgentiæ, ad opus huiuſmodi aliquam eleemoſynam, iuxta Nuncij, ac Commiſſarij, ac deputandorum, & ſubdelegandorum prædictorum, vel alicuius eorum ordinationem, dictas Eccleſias viſitando piè erogauerint, vt præfertur, pro plenaria pœnarum relaxatione ſuffragetur; ac omnes vtriuſque ſexûs Chriſti fideles, de ſimilibus poteſtatis plenitudine, & liberalitate, qui manus adiutrices ad huiuſmodi opus, viſitando, vel mittendo porrexerint, ac omnes, & ſingulos eorundem parentes defunctos, ac eorum benefactores, qui cum charitate deceſſerunt, in omnibus precibus ſuffragijs, eleemoſynis, ieiunijs, & orationibus, Miſſis, horis Canonicis, diſciplinis, peregrinationibus, & cæteris omnibus ſpiritualibus bonis, quæ fient, & fieri poterunt in tota vniuerſali Sacroſanctâ Eccleſiâ militante, & omnibus membris eiuſdem participes in perpetuum fient. Cæterùm nè propter multitudinem Indulgentiarum, tàm à nobis, quàm à Prædeceſſoribus noſtris conceſſarum, Chriſti fideles in hoc ſancto opere tardiores exiſtant, omnes Indulgentias à nobis, & eadem Sede, vel eiuſdem authoritate, quibuſcumque Eccleſiis Monaſterijs, Hoſpitalibus, etiam noſtro Sancti Spiritus in Saxia de dicta vrbe Ordinis Sancti Auguſtini, & pijs locis, vniuerſitatibus, Confraternitatibus, etiam cuiuſcumque qualitatis, & ad quemcumq; vſum, etiam Laicorum, vel Clericorum inſtitutis, & ſingularibus perſonis, etiam plenarias in vita, vel mortis articulo, præterquàm ratione expeditionis, & Indulgentiæ anni Iubilæi huiuſmodi in dicta vrbe, & extrà eam videlicet conceſſas, vſque ad dictum feſtum Pentecoſtes proximè venturum, authoritate Apoſtolicâ prædictâ de ſimili Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omninò ſuſpendimus, illaſq; interim nemini volumus in vita, vel in morte aliquatenus ſuffragari, ac illas publicari, & prædicari, aut earum prætextu à quæſtoribus eleemoſynarum aliquid poſtulare nullatenùs poſſe. Et inſuper, vt præmiſſa meliùs, & faciliùs, ſemotis quibuſlibet impedimentis, debitum conſequantur effectum, omnibus, & ſingulis locorum cuiuſuis Ordinis, vel conditionis exiſtant, vtriuſque ſexus perſonis, in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ, ac maledictionis æternæ, à qua non niſi à nobis, & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ac Canonicè intrantibus, præterquàm in mortis articulo conſtituti, & debitâ ſatisfactione præmiſſâ, abſolui poſſint, ac prædicti Nuncij, & Commiſſarij, ac deputandorum & ſubdelegandorum prædictorum arbitrio, qualitate facti, & perſonæ attentâ, moderanda, & de facto à contra facientibus exigenda pœnâ diſtrictiùs inhibemus; nè videlicet Ordinarij, Abbates, & aliæ Eccleſiaſticæ perſonæ, ſæculares, & religioſæ quæcumque, præſentium publicationem in eorum Eccleſiis, ciuitatibus, & diœceſibus, & vbi, & quoties opus fuerit faciendam impedire, & aliquid prætextu dictæ publicationis petere, & etiam à ſponte offerentibus exigere, & recipere; ac ipſi & quicumque alij in præmiſſis, & circa ea fraudem, aut dolum committere, neue procuratores huiuſmodi Indulgentiæ participes fieri, & ſua pia ſuffragia erogare, & mittere, ab huiuſmodi eorum propoſito, in toto, vel in parte, directè, vel indirectè, tacitè, vel expreſſè retrahere, ac quaſcumque alias Indulgentias, per nos, vt præmittitur, ſuſpenſas prædicare, publicare, aut illis quomodolibet, & earum prætextu aliquid petere, aut recipere, ac aliàs contrà præſentes illarumq; tenorem, in ipſis prædicationibus, pium Chriſti fidelium animum ab eorum Sancto, & propoſito, dicto durante tempore, quoquo modo præſumant. Mandantes ſub ſimilibus ſententijs, maledictione, & pœnâ, ipſos præſentes per quoſcumque verbi Dei Prædicatores, etiam Clericos, & Religioſos quorumcumque Ordinum (etiam Mendicantium) iuxta ordinationem, & requiſitionem Nuncij, & Commiſſarij, deputandorum, ſubdelegandorum Prædicatorum in Ciuitatibus, locis, & Eccleſiis ad hoc deputandis, prædicari, publicari, & declarari, ac prædictos Chriſti fideles ad contribuendum huic ſancto operi induci, & exhortari, ac per loci Ordinarios, Abbates & alias Eccleſiaſticas perſonas prædictas, ad id auxilium, conſilium, & fauorem impendi; nec non per Nuncium, & Commiſſarium, ac deputandos & ſubdelegandos prædictos, tàm ipſos ſi non paruerint, quàm generaliter contradictores quoſlibet, & rebelles, per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia iuris opportuna remedia, inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſæcularis, compeſci, & compelli debere, habituri ratum, & gratum, cenſuras & pœnas, quas Nuncius, & Commiſſarius, ac deputandi, & ſubdelegandi prædicti ritè tulerint, ſiue ſta-*

*tuerint*



*tuerint in rebelles, & facturi illas, authore Domino, vſque ad ſatisfactionem condignam inuiolabiliter obſeruari: & generaliter quicquid per Nuncium, & Commiſſarium noſtrum, ac deputandos, & ſubdelegandos prædictos in præmiſſis fuerit quomodolibet ordinatum. Super quibus omnibus, & ſingulis, ſibi, ac deputandis, & ſubdelegandis prædictis, plenam, liberam, & omnimodam, etiam circà proceſſiones publicè ad effectum præſentium faciendas, ac populi etiam ad ſonum campanæ conuocationem; non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non priuilegijs, & indultis, etiam Mari magno nuncupatis, eiſdem Ordinibus, illorumq; perſonis in genere, & in ſpecie forſan, ſub quibuſuis verborum formis, & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatorijs, fortioribus, efficacioribus, & inſolitis, per nos, & Sedem prædictam conceſſis, & de quibus præſentibus etiam de verbo ad verbum pro illorum ſufficienti derogatione habenda eſſet mentio ſpecialis: quæ quo ad hoc cuiquam nolumus vllatenus ſuffragari, contrarijs quibuſcumque, aut ſi aliquibus, vel eorum Ordinibus, coniunctim vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd ipſi, aut dictorum Ordinum perſonæ, ad publicandas aliquas litteras, ſeu indulgentias huiuſmodi inuiti compelli, ſeu quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Verùm quia difficile foret, præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus expediens fuerit, deferre, volumus, ac etiam dictâ authoritate decernimus, quòd illarum tranſumptis, manu vnius, vel duorum publicorum Notariorum ſubſcriptis, & Nuncij, ac Commiſſarij, vel deputandorum, & ſubdelegandorum prædictorum, ac alicuius Prælati, ſeu perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ ſigillo munitis, ea prorſus fides indubia vbilibet adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam noſtrorum, ſtatuti, ordinationis, conſtitutionis, deputationis, applicationis, ſuſpenſionis, inhibitionis, mandati, conceſſionis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis aut hoc, &c. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1500. quinto Idus Decembris. Pontific. noſtri, anno nono. Adrianus. Regeſtrata apud me Adrianum. P. Chomarotius.*

V. *Pœnitentiarij ordinarij extenſionem poteſtatis abſoluendi ab Alexandro P. petunt.*

Et quidem iſta Pontifex pro celebratione Iubilæi diſponebat. Pœnitentiarij Ordinarij in Baſilica Principis Apoſtolorum, initio anni Sancti cum ex caſibus occurrentibus cognoſcerent, facultates eis conceſſas non ſatis eſſe amplas, communi conſilio conceperunt libellum ſupplicem, quem Alexandro porrigerent, pro extenſione poteſtatis ad abſoluendum, & diſpenſandum.

1. Abſolutio à peccatis omnibus, quantumcumque enormibus.
2. Ab omnibus cenſuris, ſiue à Canone, ſiue ab homine latis, etiam pro mortuis in excommunicatione ſepultis parte ſatisfactâ, vel cautione ſaltem iuratoriâ, de ſatisfaciendo datâ; etiam ab excommunicationibus in die Iouis ſanctâ, per Pontificem fulminatis, vel aliàs quocumque tempore per eundem latis.
3. Diſpenſatio ſuper irregularitate ex homicidio, ſiue voluntario, ſiue caſuali omninò occulto contractâ, aut vbi ſolùm leuis habetur ſuſpicio, & vniuerſaliter ſuper omni irregularitate qualiter contractâ, niſi ex homicidio voluntario publico.
4. Diſpenſatio cum promotis ſuper ficto titulo, aut antè legitimam ætatem, aut vtroque modo, vt poſſint celebrare, etiam ſi excommunicati, aut ſuſpenſi ſe immiſcuerint executioni Ordinum; etiam cum promotis per ſaltum, & cum his, qui miniſtrârunt, in Ordine non ſuſcepto.
5. Diſpenſatio cum his, qui perdiderunt debitum, quia cognouerunt conſanguineam vxoris, vel viri, aut aliàs quouis modo, vt poſſint exigere.
6. Diſpenſatio in cauſa matrimoniali, vbi eſt impedimentum publicæ honeſtatis iuſtitiæ.
7. Diſpenſatio, vbi eſt impedimentum affinitatis ex damnato coitu, etiam in primo, & ſecundo gradu, aut in duobus vltimis ex illegitimo coitu.
8. Diſpenſatio, vbi eſt impedimentum conſanguinitatis, in duobus vltimis gradibus.
9. Diſpenſatio cum Clerico, qui habuit vxorem corruptam occultè tamen, vt poſſit ad ſacros Ordines promoueri, & in ſuſceptis miniſtrare.
10. Diſpenſatio cum coniuge, qui, vel quæ occultè interfecit, aut machinatus, vel machinata eſt, in mortem coniugis, ſuæ, vel ſui, vt poſſit ducere, vel nubere, & cum ducto, vel nupto, aut ducta, vel nupta permanere.
11. Commutatio omnium votorum, dempto continentiæ, aut Religionis ſolenni.
12. Compoſitio ſuper bonis incertis, malè acquiſitis, vel detentis. Hæc omnia in foro conſcientiæ, & pœnitentiali concedantur.

VI. *Oratores omnium Regum & Principum ad deliberationem pro bello Turcico conuocat Alex. PP.*

Iſta Pœnitentiarij flagitabant. Et quia Pontifex, occaſione eius anni ſancti, pecunias in bellum Turcicum pro defenſione Venetorum conquireſe, communemque omnium Chriſtianorum expeditionem in Turcas decernere cogitabat; ideò ad vndecimum diem Martij, Oratores omnium Regum, & Principum, ad deliberationem in priuatum Conſiſtorium euocauit, quibuscum de bello ſuſcipiendo gerendoque conferret. Interfuerunt, Epiſcopus Secouienſis, & Philibertus Oratores Maximiliani Regis Romanorum, Epiſcopus Trecorenſis Orator Franciæ, Epiſcopus Vigornienſis, Orator Regis Angliæ. Vnus Orator Regis Hiſpaniarum, duo Regis Neapolitani, ex quibus primus Hieronymus, vnus à Rege Poloniæ Spitleo Comes Iaroſlauienſis, Palatinus Cracouienſis, vnus à Rege Vngariæ, & Bohemiæ Nicolaus Bauſſi, Comes de Iadera, Magiſter Curiæ, Oratores Venetorum, Ducis Sabaudiæ, & Florentinorum. His & Cardinalibus præſentibus, Alexander, ingens periculum, quod Reipublicæ Chriſtianæ à Baiaſite immineret, expoſuit; vtque de auertendo maturè decernerent; ac ſi opus eſſet à principibus, à quibus miſſi, conſenſum ad decernendum peterent, admonuit. Multi dubitabant, an is vellet aliquid in tam neceſſariam expeditionem conferre. Quibus vt omnem ſcrupulum eximeret, præter exactiones, occaſione Iubilæi communiter omnibus indictas, Clerum vniuerſum decimauit, ac prætereà Hebræis eandem in expeditionem ſubſidia imperauit, datis duobus, quæ adiungo edictis.

## Clero.

*Idē Clerū vniuerſū decimat.*

*Alexander Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.*

*Quamuis ad amplianda Eccleſiarum omnium commoda, noſtræ conſiderationis intuitum extendamus, & pro vniuerſorum Chriſti fidelium profectibus noſtra ſemper aſpirauerit, & aſpiret intentio; ſed tamen contrà morem, & propoſitum noſtrum calamitoſa huius temporis conditio, & ſæua contrà Chriſticolas, ingenſq; perfidiſſimorum Turcarum Chriſtiani nominis hoſtium perſecutio, nos aliquid innouare compellit. Summus, & almus ille ſcrutator cordium intuetur. Angimur ſtimulis, & Eccleſiaſticas perſonas, ac alios Chriſti fideles, quos ab oneribus hactenùs releuare, eorumq; commodum, & vtilitatem procurare ſtuduimus, vrgente Reipublicæ Chriſtianæ neceſſitate, & Orthodoxæ fidei defenſione grauare oporteat: ſperantes indubiè, quòd ſicut eiſdem Chriſti fidelibus in omnem caſum, omnemq; euentum totâ cordis affectione conſulimus, ac opportunis auxilijs, & fauoribus prouidemus, ità ipſi pro defenſione veræ fidei, quam in ſacri ſuſceptione Baptiſmatis ſponte profeſſi ſunt, pro ſuis, & Reipublicæ Chriſtianæ neceſſitatibus ſubleuandis, non modò libenter, ſed prompto, & ardenti animo eorum impendent ſubſidia, ſuaſq; extendent dexteras liberales. Cùm itaque perfidiſſimi Turcæ, Chriſti nominis hoſtes, Chriſtianum ſanguinem quotidie ſitientes, ac omni conatu Chriſtianorum terras, atque prouincias ſuæ tyrannidi, atque ſpurciſſimæ ſectæ ſubijcere quærentes, ſuperiori, &*

*præſen-*

præſente annis, validiſſimam claſſem maritimam, maximumq́; terreſtrem exercitum, ad expugnandum ſtatum, terras, atque dominia dilectorum filiorum Auguſtini Barbadici Ducis, & Dominij Venetorum inſtruxerint, diuerſasq́; incurſiones ciuitatum effecerint, & multa millia animarum abduxerint, ac in miſerabilem ſeruitutem redegerint, villasq́; & loca plurima igne, ferroq́; vaſtauerint, ac tandem Neopatrum ciuitatem, aliqua oppida, & loca maritima circumuicina munitiſſima, vi, & armis cœperint, Chriſtianis omnibus, etiam Eccleſiaſticis, & Religioſis vtriuſque ſexus, etiam Pontificali dignitate præditis, ac prægrantibus cum ſemiuiuis corpuſculis inibi repertis, crudeliſſimè cæſis, & interfectis, & alijs in duriſſimam ſeruitutem redactis, Templis Saluatoris noſtri pollutis, & dirutis, ad ſuum malum, & iniquum propoſitum continuè feruentiùs proſequentes, & nihil aliud die, noctuq́; quærentes, & excogitantes, quàm omnium Chriſtianorum dominia, ſiue tyrannidi, & ſpurciſſimæ ſectæ ſubijcere, ac legem Chriſti noſtri ſubuertere, denuò validiorem claſſem maritimam, maioremq́; terreſtrem exercitum inſtruant, vt omnia maritima loca, atque portus Chriſtianorum occupent, pateatque eis deinde faciliùs ad Romanæ Eccleſiæ terras, & præſertim ad hanc Almam vrbem noſtram, in qua Petri ſedes eſt collocata, & quâ (quod Deus auertat) expugnata, ſe totius Orbis Imperium facilè occupare poſſe non dubitant, acceſſus: & niſi celeriter occurratur, prout res expoſtulat, formidandum ſit, nè ipſi perfidiſſimi Turcæ victoria ſuperbiâ elati, videntes Catholicos Reges, & Principes, ac Potentatus inter ſe diſſidentes, priuatis commodis intentos, commune bonum negligere, maiora, & irreparabiliora damna inferant Chriſtianis, prout iam ſuperioribus annis, diuerſis terris, atque locis, Germaniæ, Vngariæ, Poloniæ, Croatiæ, & alijs eis finitimis, ac Chariſſimo in Chriſto filio, Maximiliano Romanorum Regi illuſtri ſubiectis inferre non ceſſârunt, in maximam diuinæ Maieſtatis offenſam noſtram, & Catholicorum Regum, & Principum, aliorumq́; Chriſtifidelium ignominiam dedecus, & iacturam. Nos illius vices gerentes in terris, qui pro mundi ſalute de ſummo cœlorum ſolio, ad ima deſcendens carnem humanam aſſumere, & mortem ſubire non horruit, repetentes animo non ſine maximâ cordis amaritudine, quot Sanctiſſimæ Patriarchales Metropolitanæ, & Cathedrales, aliaq́; inſignes Eccleſiæ penè innumeræ, ac vtriuſque ſexus Regularium perſonarum Monaſteria, Cœnobia, & pia loca prophanata, & deformi ruinæ ſubiecta; quotque ornamenta, Cruces, & Calices, aliaq́; diuinis deputata miniſterijs conflata, & deſtructa vaſa; ac (quod lamentabilius eſt) Sanctorum veneranda corpora, & ipſorum ſacræ reliquiæ conculcatæ; ac quot innumeri ſexus vtriuſque Chriſtifideles, ad damnatam Mahometicam ſectam ſub dirâ ſeruitute, recipiendam compulſi fuerunt, & niſi per Catholicos Reges, & Principes, tantæ inſaniæ, tantoq́; furori celeriter occurratur, maiora indies detrimenta veriſimiliter peruentura; Cupientesq́; pro eiuſdem fidei defenſione, & Chriſtianorum ſalute, non ſolùm noſtras, & Sedis Apoſtolicæ facultates noſtræ diſpoſitioni commiſſas exponere, ſed etiam perſonaliter (prout iam aliquibus Catholicis Regibus, & Principibus per diuerſas noſtras litteras ſignificauimus) ſi nobiſcum accedere voluerint, vnà cum ſacro venerabilium Fratrum noſtrorum, S.R.E. Cardinalium Collegio, qui ſe etiam ad id, pro eorum piâ in Chriſtianam Religionem deuotione ſpontè obtulerunt, in hac ſacratiſſima, & perneceſſariâ expeditione accedere, & proprium ſanguinem, ſi opus fuerit, effundere. Et quoniam ad tantam rei molem perficiendam, noſtræ, & eiuſdem Romanæ Eccleſiæ non ſuppetunt facultates; volentes pro viribus huic ſanctiſſimo operi (nè alia Dominia, Regna, Prouincias, Ciuitates, & loca Chriſtianorum, ipſi perfidiſſimi Turcæ diripiant, & ſub tyrannidem deducant, ac continuis bellorum turbinibus affligant) quantum nobis ex alto permittitur, votiuè intendere; maturâ deſuper deliberatione præhabitâ, de eorundem S.R.E. Cardinalium conſilio pariter, & aſſenſu, vnam veram, & integram decimam, omnium & ſingulorum fructuum, & prouentuum, ſecundùm verum valorem annuum Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum ſuorum, & obuentionum quarumlibet, etiam ratione Capelli ad eoſdem Cardinales ſic volentes, & conſentientes, prouenientium, per eos in Romana Curiâ, nec non omnium Prouinciarum, Ciuitatum, & terrarum eiuſdem Romanæ Eccleſiæ, ac præfatæ vrbis, & eiuſdem Romanæ Curiæ officiorum, cuiuſcumque qualitatis, etiam Vicecancellarij, maioris Pœnitentiarij, ac Patriarcharum, Metropolitanorum, Cathedralium, & aliarum Eccleſiarum, Monaſteriorum Prioratuum, Præpoſiturarũ, Dignitatum perſonalium, adminiſtrationum, officiorum, Canonicatuum, & præbendarum, aliorumq́; cum cura, & ſine cura beneficiorum Eccleſiaſticorum ſecularium; & etiam S. Benedicti, S. Auguſtini, Ciſtercienſis, Cluniacenſis, Carthuſienſis, Montis Oliueti, Humiliatorum, Præmonſtratenſium, Vallis vmbroſæ, Cruciſerorum, Monachorum Eremitarum S. Hieronymi, & aliorum quorumuis ordinum tàm virorum, quàm mulierum, etiam Mendicantium, ex priuilegio, vel aliàs certos redditus habentium, Regulariumq́; Militiarum, videlicet S. Iacobi de Spata, de Calatrana, de Alcantara, de Montoſia, IESV Chriſti, de Auis B. Mariæ, Theutonicorum, & aliarum quarumcumq́; etiam quorum redditus ad Hoſpitale deputati forent, per vniuerſum Orbem conſiſtentium officiorum, videlicet à Legatis, Vicecancellario, maiori Pœnitẽtiario & Camerario, Gubernatoribus, Rectoribus, Capitaneis, Poteſtatibus, & alijs quibuſcumque Officialibus noſtris, dictarumq́; Romanæ Curiæ, & vrbis: reddituum verò & prouentuum Eccleſiaſticorum ab omnibus, & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Electis, Abbatibus, Prioribus, Priorißis, Adminiſtratoribus, Commendatarijs, Capitulis, Conuentibus, Guardianis, cæteriſq́; perſonis, Eccleſiaſticis ſecularibus, & Regularibus, Ordinum, & Militiarum, & Prioratuum, Caſtellaniarum, Baiuliuarum, ac Præceptoriarum, & Militiarum huiuſmodi fructus, redditus, & prouentus Eccleſiaſticos vbilibet in dicto vniuerſo Orbe percipientibus & percepturis, cuiuſcumque præeminentiæ, dignitatis, ſtatùs, gradus, Ordinis, vel conditionis exiſtant, etiam exemptis, & quantumcumque priuilegiatis, perſoluendam, colligendam, leuandam, & exigendam, infra terminũ per Legatos, ſiue Nuncios, & Collectores per nos ſuper omnes deputandos, eiſdem præfigendum, in præmiſſum fidei, tam commune, tam ſanctum, tamque perneceſſarium opus, videlicet contrà ipſos perfidiſſimos Turcas, & non alios vſus omninò conuertendos, Apoſtolicâ authoritate, & ex certa noſtra tenore præſentium, per triennium, à datæ præſentium computandum imponimus. Et vt præmiſſa metu pœnæ ab omnibus inuiolabiliter obſeruentur, contradictores, inobedientes, & rebelles, aut ſcienter fraudantes, & huiuſmodi decimas integrè non ſoluentes, cuiuſcumque ſtatûs, gradûs, ordinis & præeminentiæ, vt præfertur, fuerint, etiamſi Patriarchali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, aut aliâ quauis Eccleſiaſticâ præfulgeant dignitate, excommunicationis, & priuationis Eccleſiarum, Monaſteriorum, aliorumq́; beneficiorum Eccleſiaſticorum omnium, vt ſuprà qualificatorum, ità vt illa extunc vacare cenſeantur, & vt vacantia impetrari, & liberè conferri poſſint, ſententias, & pœnas ipſas ipſo facto incurrere declaramus: Quibus ſententijs Venerabiles Fratres noſtri S.R.E. Cardinales prædicti, huic ſanctiſſimo operi vnà nobiſcum toto cordis affectu intenti, ſpontè ſcriptis ſubmittere ſe voluerunt. Statuentes etiam, vt omnes, & ſingulæ perſonæ, quæ ob non ſolutionem, ſiue defraudationem decimarum, vel aliàs quacumque occaſione præmiſſorum, excommunicationis ſententiâ innodatæ fuerint, ab alio, niſi per Romanum Põtificem, (præterquàm in mortis articulo conſtitutæ, & niſi priùs ſatisfacto de his, quæ tenentur) abſolui nequeant, neque abſolutionem ipſam tàm in foro conſcientiæ, quàm contentioſo, & in impetrationibus beneficiorũ, vel alijs quibuſcumq́; gratijs obtinuiſſe cenſeantur: & niſi de excommunicationis ſententia huiuſmodi, & ob quam cauſam, eam incurrerint, ſpecificam, & expreſſam fecerint mentionem. Alioquin abſolutio, & litteræ Apoſtolicæ, & quacumque conceſſiones beneficiorum, & gratiæ; ſub quauis verborum formâ conceſſæ, nullatenùs eis ſuffragentur, nulliuſq́; ſint roboris, & momenti. Volentes quoque & decernentes, quòd ſi authore Domino profligatis hoſtibus fidei, victoriam Chriſtianus exercitus cõſequeretur, finis huic bello impoſitus eſſet, ſi in ſecundo, vel tertio annis eſſe contigerit, tunc ab eo tempore citrà expeditione ceſſante, decima huiuſmodi ampliùs non leuetur, nec





exigatur. Circà verò collectionẽ, & exactionem, tàm decimarum, quàm pecuniarum quarumlibet, & aliorum bonorum vndecumq́; & quomodocumque ad hoc ſanctum opus prouenientium, & modum illa exponendi, per Legatos, ſiue Nuncios, & Collectores prædictos, ſub cõditionibus, modis, & formis ità curabitur, vt omnes & planè intelligere, & apertè videre poſſint, pecuniam huiuſmodi integrè, in hanc ſanctam expeditionem, & non in alios vſus erogari. Requirimus inſuper & monemus, omnes & ſingulos Prælatos ſupradictos eorumq́; Vicarios, & Officiales, ac in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub excommunicationis pœnâ ipſis diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenùs quilibet eorum in ſolidum, quamprimùm præſentes noſtræ litteræ, ſeu earum tranſumpta, meã alicuius Notarij publici, & ſigilli alicuius eorum, aut Legatorũ, ſeu Nunciorũ, & Collectorũ prædictorum munita præſentata ſeu præſentata fuerint, ipſas litteras, ac omnia, & ſingula in eis contenta, in ſuis, ac alijs Eccleſiis, ſiue locis ſuarum Prouinciarũ, ciuitatũ, & Diœceſum, Dominicis, & feſtiuis diebus, quandò, & quotiès opportunum fuerit, ſolenniter publicent, & exponant, & per quos ad hoc deputauerint, publicari, & exponi faciant. Et vt meliùs, & clariùs intelligatur ab omnibus, etiam, (ſi opus fuerit,) ſermone vulgari. Non obſtantibus Cõſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiarum, Monaſteriorum, Prioratuum, Militiarum, Hoſpitalium, Ordinum, & Officiorum prædictorum, iuramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quauis firmitate aliâ roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ſtabilimentis, vſibus, ac priuilegijs, & indultis Apoſtolicis, eis forſan ſub quibuſcumque verborum formis, & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatorijs fortioribus, efficacioribus, & inſolitis, conceſſis; quibus, etiam ſi de eis, eorumq́; totis tenoribus pro illorum ſufficienti derogatione ſpecialis ſpecificâ, expreſſâ, ſeu quæuis alia expreſſio habenda foret, & in illis caueretur expreſſè, quòd illis nunquam cenſeatur derogatum, nec derogari poſſit, niſi ſub certis inibi expreſſis modo, & formâ, ac verborum expreſſione, vel nullo modo, niſi tenores eorum, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſſè, ex ſimilibus conſilio, ſcientiâ, & authoritate omninò derogamus, ac derogatum eſſe volumus, cõtrarijs quibuſcumq́;: aut ſi eiſdẽ Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Electis, Adminiſtratoribus, Abbatibus, Abbatiſſis, Priorib. Priorißis, Præpoſitis, Magiſtris, Caſtellanis, Baiuliuis, Ordinib. Militijs, Officialibus, & perſonis, aut quibuſuis alijs, communitim, vel diuiſim, ab eadem Sede ſit indultum, quòd ad ſolutionem alicuius decimæ minimè teneantur, & ad id compelli, aut quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut propterea priuari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiuſmodi mentionem; & quibuſlibet alijs priuilegijs, indultis, & litteris Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri non valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumcumq́; totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis, quæ quoad præmiſſa nunquam volumus nullatenùs ſuffragari. Quòd ſi quiſpiam (quod non credimus) quo minùs decima huiuſmodi perſoluatur, & exigatur, perſuadere, facere, aut operari quouis modo, directè, vel indirectè committere præſumpſerit, etiam cuiuſcumque dignitatis, ſtatûs, gradûs, Ordinis, conditionis, vel præeminentiæ, nobilitatiſue fuerint, etiamſi Archiepiſcopali, Epiſcopali, vel aliâ quauis Eccleſiaſticâ, vel mundanâ dignitate præfulgeat, excommunicationis ſententiam eo ipſo facto incurriſſe noſcatur, à qua non niſi à nobis, vel ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus canonicè intrantibus præterquàm in mortis articulo conſtitutus, & debitâ ſatisfactione præmiſſâ abſolui poſſit. Cæterùm quia difficile foret, præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus expediens foret deferri, volumus, ac authoritate Apoſtolicâ decernimus, quòd earumdem litterarum tranſumptis, manu alicuius publici Notarij inde rogati ſubſcriptis, & ſigillo alicuius ex Collectoribus, vel ſubſtituendis, & deputandis, ſub collectoribus, ab eodem, aut alicuius Curiæ Eccleſiaſticæ, ſeu Prælati, aut alterius perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, ea prorſus fides indubia, in iudicio, & extrà, aut aliàs vbilibet, in omnibus, & per omnia adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ impoſitionis, declarationis, ſtatuti, requiſitionis, munitionis, mandati, derogationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1500. Calend. Iunij. Pontific. noſtri anno VIII.

### Hebræis.

*Hebræis etiã ſubſidia imperat.*

Alexander Epiſcopus. Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Si Eccleſiaſticos omnes in vniuerſo Orbe conſiſtentes, & incipientes à nobis ipſis, etiam Venerabiles Fratres noſtros S.R.E. Cardinales, & quoſlibet Romanæ Curiæ Officiales, ac ſubditos, & eidem Eccleſiæ ſubiectos, quos ab oneribus releuare tenemur, vrgente ſummâ neceſſitate fidei Catholicæ, & grauiſſimis periculis Chriſtianorum imminentibus, grauare cogimur; Iudæi quoque ab ea impoſitione immunes eſſe non debent, cùm inter Chriſtianorum Dominia conſtitutis, liberam ab eis ducere vitam, in rebus ſuis perſiſtere, diuitias acquirere, multiſq́; alijs priuilegijs gaudere permittatur, & ſeſe denique ex commodis Chriſtianorum ſuſtentatione, ac liberos, & eorum familias alere dignoſcantur: ipſiq́; Iudæi, ſi Chriſtianis preſſura obuenerit (quod Deus pro ſua clementiâ auertat) detrimentorum eſſent participes & eorum periculo vti noſtro res ageretur: Proptereà ad euitanda tanta pericula ſe cum ſuis facultatibus promptos conuenit exhibere. Cùm itaque perfidiſſimi Turcæ, Chriſti nominis hoſtes, Chriſtianorum terras, atque Dominia ſuæ tyrannidi, & ſpurciſſimæ ſectæ ſubijcere quærentes, ſuperiori, & præſenti annis validiſſimam claſſem maritimam, maximumq́; terreſtrem exercitum ad expugnandum ſtatum, terras, atque Dominia, Dilectorum filiorum nobilium virorum, Auguſtini Barbadici Ducis, & Dominij Venetiarum inſtruxerint, diuerſasq́; incurſiones fecerint, & multa millia animarum abduxerint, ac in miſerabilem ſeruitutem redegerint, villasq́; & loca plurima igne, ferroq́; vaſtauerint, ac tandem Neopatrum ciuitatem, aliaq́; oppida, & loca maritima circumuicina munitiſſima, vi, & armis ceperint, Chriſtianis omnibus, etiam Eccleſiaſticis, & Religioſis vtriuſque ſexûs, etiam Pontificali dignitate præditis, ac prægnantibus cum ſemiuiuis corpuſculis inibi repertis crudeliſſimè cœſis, & interfectis, & alijs in duriſſimam ſeruitutem redactis; Templis Saluatoris noſtri pollutis, & dirutis; ac ſuum malum, & iniquum propoſitum continuè ferueutiùs proſequentes, & nihil aliud diu, noctuq́; quærentes, ac excogitantes, quàm omnia Chriſtianorum Dominia ſuæ tyrannidi, ac ſpurciſſimæ ſectæ ſubijcere, ac legem Chriſti noſtri ſubuertere, denuò validiorem claſſem maritimam, maioremq́; terreſtrem exercituum inſtruant, vt omnia maritima loca, atque portus Chriſtianorum occupent; pateatq́; eis deinde faciliùs ad Romanæ Eccleſiæ terras, & præſertim ad hanc Almam vrbem noſtram, in qua Petri Sedes collocata eſt, & quâ (quod Deus auertat) expugnatâ ſe totius Orbis Imperium facilè occupare poſſe non dubitant, acceſſus, & niſi celeriter occurratur, prout res expoſtulat, formidandum ſit, nè ipſi perfidiſſimi Turcæ victoria ſuperbiâ elati, videntes, Catholicos Reges, & Principes ac Potentatus inter ſe diſſidentes, priuatis commodis intentos, commune bonum negligere, maiora, & irreparabiliora damna inferant Chriſtianis, prout iam ſuperioribus annis in diuerſis terris, atque locis Germaniæ, Vngariæ, Poloniæ, Croatiæ, & alijs eis finitimis, ac chariſſimo in Chriſto filio, Maximiliano Regẽ Romanorum Illuſtri ſubiectis inferre non ceſſârunt, in maximam diuinæ maieſtatis offenſam, noſtram, & Catholicorum Regum, & Principum, aliorumq́; Chriſtifidelium ignominiam, dedecus, & iacturam. Nos illius vices gerentes in terris, qui pro mundi ſalute de ſummo cœlorum ſolio ad ima deſcendens, carnem humanam aſſumere, & mortem ſubire non abnuit, repetentes animo non ſine maxima cordis amaritudine, quot Sacratiſſimæ Patriarchales, & Cathedrales, aliaq́; inſignes Eccleſiæ penè innumeræ, ac vtriuſque ſexûs Regularium perſonarum Monaſteria, Cœnobia, & pia loca prophanata, ac defor-

*mi ruinæ ſubiecta, quotque ornamenta, cruces, & calices, aliaq; diuinis deputata miniſterijs conflata, & deſtructa, ac quod lamentabilius eſt, Sanctorum veneranda corpora, & ipſorum ſacræ reliquiæ conculcatæ, ac quot innumeri ſexûs, vtriuſq; chriſti fideles, ad damnatam Mahometicam ſectam, ſub dira ſeruitute recipiendam compulſi fuerint: & niſi per Catholicos Reges, & Principes tantæ inſaniæ, tantoq; furori celeriter occurratur, maiora indies detrimenta veriſimiliter prouentura. Cupientesq; pro eiuſdem fidei defenſione, & chriſtianorum ſalute, non ſolùm noſtras, & Sedis Apoſtolicæ facultates, noſtræ diſpoſitioni commiſſas exponere, & perſonaliter, prout iam aliquibus Catholicis Regibus, & Principibus per diuerſas noſtras litteras ſignificauimus, ſi nobiſcum accedere voluerint, vnà cum Sacro Venerabilium Fratrum noſtrorum, S.R.E. Cardinalium Collegio, qui ſe etiam ad id pro eorum piâ in Chriſtianam Religionem deuotione ſponte obtulerũt, in hac Sãctiſſimâ & pernecеſſariâ expeditione accedere, & proprium ſanguinem (ſi opus fuerit) effundere. Et quoniam ad tantam rei molem perferendam, noſtræ, & eiuſdem Romanæ Eccleſiæ non ſuppetunt facultates, volentes huic Sanctiſſimo operi (nè alia dominia, Regna, Prouincias, & loca chriſtianorum, ipſi perfidiſſimi Turcæ diripiant, ac ſub ſuam tyrannidem deducant, & continuis bellorum turbinibus affligant) quantum nobis ex alto permittitur votiuè intendere, maturâ deſuper deliberatione præhabitâ, de eorundem S.R.E. Cardinalium conſilio pariter, & aſſenſu, ab vniuerſis, & ſingulis Iudæis, in vniuerſo chriſtianorum orbe vbilibet conſtitutis vigeſimam partem omnium bonorum ſuorum, fructuum quoque, redditaum, & prouentuum, ac pecuniarum quarumcumque, vndecumque, & quomodocumque, etiã per vſurariam prauitatem ad eorum manus peruenientium, per ipſos Iudæos perſoluendam, & ab eis tollendam, leuandam, & exigendam, infrà terminum per Legatos, ſiue Nuncios, & Collectores per nos deſuper deputandos eiſdem præfigendum, in præmiſſum fidei, tàm commune, tàm Sanctum, tamq; per neceſſarium opus, videlicet contrà ipſos perfidiſſimos Turcas, & non in alios vſus conuertendum, authoritate Apoſtolicâ, & ex certa noſtrâ ſcientia, tenore præſentium, per terminum à data præſentium computandum, imponimus. Et vt præfati Iudæi impoſitam eis vigeſimam prædictam, ſine aliqua fraude, in termino ſtatuendo integrè perſoluant, & etiam pro quolibet centenario florenorum, quatuor florenos ſoluant inuentori, & eorumdem fraudem reuelanti. Non obſtantibus priuilegijs, gratijs, & indultis Apoſtolicis, eiſdem Iudæis ſub quacumque verborum formâ, & quauis authoritate, in genere, vel in ſpecie & cum quibuſcumque clauſulis, etiam derogatoriarum derogatorijs, fortioribus, & efficacioribus, ac inſolitis conceſſis; ſtatutis quoque; & conſuetudinibus Prouinciarum, ciuitatum, & locorum, in quibus prædicti Iudæi habitant, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolicâ vel quauis firmitate aliâ roboratis, per quæ nullum ipſis ſuffragium afferri poſſe, decernimus, & declaramus, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque. Verùm quia difficile foret, præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus expediens fuerit, deferri, volumus, & prædictâ authoritate decernimus, quod illarum tranſumptis manu alicuius publici Notarij inde rogati ſubſcriptis, & ſigillo alicuius ex Collectoribus, vel ſubſtituendis, & deputandis ſub Collectoribus ab eiſdem, aut alicuius Curiæ Eccleſiaſticæ, ſeu Prælati, aut alterius perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, ea prorſùs indubia fides adhibeatur in iudicio & extrà, ac aliàs vbilibet in omnibus, & per omnia, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam noſtræ impoſitionis, declarationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire, Si quis autem, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1500. Calend. Iunij. Pontif. noſtri anno VIII. Hadrianus.*

VII. *Taxa redditum Reuaren. DD. S.R.E. Card. ad cuius rationem Decimas ſoluere debent.*

*HAEC POSTEA ERAT TAXA REDDITVVM REVERENDISSIMORVM Dominorum, S.R.E. Cardinalium, ad cuius rationem ſoluenda erat Decima, in expeditione contrà Turcas.*

1 NEapolitanus pro ducatis x. m. ducatos 1000.
2 S.Petri ad vincula, pro d.xx.m.d.2000.
3 S.Mariæ in Porticu, pro d.xv.m.d.1500.
4 S.Angeli, pro d.xII.m.d.1200.
5 Vliſiponenſis, pro d.vII.m.d.700.
6 Recanatenſis, pro d.xI.m.d.1100.
7 S.Clementis, pro d.x.m.d.1000.
8 Beneuentanus, pro d.x.m.1000.
9 S.Praxedis, pro d.x.m.d.1000.
10 Montis Regalis, pro d.x.m.d.1000.
11 Vrſinus, pro d.x.m.d.1000.
12 Alexandrinus, pro d.vIII.m.d.800.
13 S.Crucis, pro d.x.m.d.1000.
14 Gurcenſis, pro d.III.m.d 300.
15 Agringentinus, pro d.2.m.d.200.
16 Capuanus, pro d.x.m.d.1000.
17 Grimanus, pro vII.m.d.700.
18 Arborenſis, pro d.2.m.d.200.
19 Reghinus, pro d.2.m.d.200.
20 Coſentinus, pro d.III.m.d.300.
21 Salernitanus, pro d.III.m.d.300.
21 Caputaquenſis, pro d.II.m.d.200.
22 Mutinenſis, pro d.III.m.d.300.
23 Senenſis, pro d.IX.m.d.900.
24 S.Georgij, pro d.xvIII.m.d.1800.
25 Columna, pro d.III.m.d.300.
26 Aſcanius, pro d.xxx.m.d.3000.
27 Medices, pro d.vI.m.d.600
28 S.Seuerini, pro d.xIII.m.d.1300.
29 Eſtenſis, pro d.xIv.m.d 1400.
30 Cæſarinus, pro d.II.m.d.200.
31 Farneſius, pro d.II.m.d.200.
32 Borgia, pro d.x.m.d.1000.
33 Carnarius pro nullis, nihil.
34 Modroſienſis, pro d.xII.m.d.1200.
35 Cenomanenſis, pro d.IX.m.d.900.
36 Rotomagenſis, pro.d.IX.m.d.900.
37 Alibretus, pro d.II.m.d 200.
38 SS.IV.Coronatorum, pro d.vIII.m.d.800
39 Hiſpalenſis, pro d.xIv.m.d.1400.
40 Aragoniæ, pro d.II.m.d.200.

*Rhodianus, Poloniæ, & Strigonien. quia in bello, nihil.*

*Henricus Archiepiſcopus Tarentinus, Sacri Collegij Clericus & Secretarius, ac Decimarum Collector, manu propriâ.*

*Taxa pro alijs in curia Romanâ.*

| | |
|---|---|
| Vicecancellarius Cameræ Apoſtolicæ. | d.50. |
| Notarij | d.40. |
| Theſaurarius | d.70. |
| Notarius eiuſdem | d.30 |
| Clerici Cameræ | d.300. |
| Auditor fiſci | d.8. |
| Abbreuiator | d.8. |
| Depoſitarius Generalis | d.100. |
| Executor Cameræ | d.12. |
| Secretarij | d.1200. |
| Plumbi Magiſtri | d.150. |
| Collectores | d.1248. |
| Auditor Generalis | d.100. |
| Notarij | d.100. |
| Notarij | d.200. |
| Procurator fiſci | d.8. |
| Computiſta | d.8. |
| Clerici Collegij | d.60. |
| Summator Bullarum | d.30. |
| Plumbatores | d.60. |
| Seruientes armorum | d.150. |
| Magiſtri Oſtiarij | d.64. |
| Cuſtodes Portæ ferreæ | d.18. |
| Magiſter S.Palatii | d.8. |
| Scutiferi honoris | d.60. |





| | |
|---|---|
| Sacriſta | d.4. |
| Subdiaconi | d.200 |
| Magiſtri Cœremoniarum | d.300. |
| Cantores | d.100 |
| Regens Cancellariæ | d.40. |
| Cuſtos | d.40. |
| Notarius | d.40. |
| Abbreuiatores de Parco maiori | d.300. |
| Abbreuiatores de Parco minori | d.812. |
| Sollicitatores | d.10. |
| Examinator | d.20. |
| Regeſtri ſupplicationum Clerici, | |
| Scriptores, Salariati | d.60. |
| Rotæ Auditores | d.1000. |
| Curſores | d.100. |
| Cuſtodes catenæ | d.4. |
| Cubicularij | d.20. |
| Bibliothecarius | d.10. |
| Aſsiſtentes | d.50. |
| Accolythi | d.40. |
| Magiſtri Capellæ | d.10. |
| Capellani | d.8. |
| Corrector | d.60. |
| Oſtiarius | d.20. |
| *Audientia contradictarum.* | |
| Auditor | d.40. |
| Procuratores | d.140. |
| Lectores | d.24. |
| Notarij | d.12. |
| *Pœnitentiariæ.* | |
| Regens | d.25 |
| Scriptores | d.324. |
| Pœnitentiarij minores | d.10. |
| Auditor. | d.20. |
| Procuratores | d.144. |
| *Vrbis.* | |
| Vicarius Papæ | d.40. |
| Auditor | d.10. |
| Senator vrbis | d.100. |
| Capitaneus Curiæ Sabellorum | d.300. |
| Auditor | d.8. |
| Soldanus Curiæ | d.15 |
| Notarij | d.24. |
| Mareſcalus | d.4. |
| Bariſellus | d.100. |
| Capitaneus turris Nonæ | d.5. |
| *Hoſpitalia.* | |
| *Columnæ.* | |
| S.Hieronymi de Sclauonibus | d.2. |
| S.Iacobi prope Coliſæum | d.2. |
| *Campi Martij.* | |
| Britannorum | d.4. |
| *Pontis.* | |
| S.Angeli | d.6. |
| S.Spiritûs in Saxia | d.400. |
| Bohemorum | d.10. |
| Portugallenſium | d.6. |
| Flandrorum | d.6. |
| *Parconis.* | |
| Theutonicorum Cappellis | d.30. |
| *Arenulæ.* | |
| Anglicorum | d.30. |
| *S.Euſtachij.* | |
| Francorum | d.10. |
| *Tranſtyberim.* | |
| SS.Quadraginta | d.4. |
| Ianuenſium. | d.40. |

VIII. *Alexander PP. 12. Card. creat, eorum nomina, dignitates, & tituli.*

Hæc erat taxa principalis, vt propter faſtidium lectoris omiſerim alias, omnibus Eccleſijs, vrbibus in ſpecie præſcriptas; ſecundùm quas erant obnoxij decimam in triennium proximè futurum ad commune ærarium Pontificis conferre. cui ſummum ſtudium fuerat, in hanc ſacram expeditionem contrà Turcas decretam incumbere, ac ſi opus foret, & alij Reges, ac Principes Catholici præſentes interuenire, & arma ſumere voluiſſent, Cruceſignatis præire, comitantibus vniuerſis ex ſupremo Collegio: quod hoc anno, die XXVIII. Septembris impleuit, duodecim nouis Cardinalibus in conſiſtorio creatis, quorum ſunt hæc nomina, dignitates, ac tituli.

1. Didacus Furthadus de Mendoza Hiſpanus, Archiepiſcopus Hiſpalenſis, & Patriarcha Alexandrinus presb. Card. tt. S. Sabinæ.
2. Iacobus Serra, Valentinus, Hiſpanus, Epiſcopus Arborenſis, vrbis Gubernator, tt. S. Vitalis.
3. Thomas ex oppido Herdouth, Veſprimienſis diœceſis, Vngarus, Archiepiſcopus Strigonien. tt. S. Sylueſtri.
4. Petrus Iſualies. Meſſanenſis, Siculus, Archiepiſcopus Rheginus, tt. S. Cyriaci in thermis.
5. Franciſcus Borgia, ex oppido *Sauinæ*, Valentinæ diœceſis, Calixti Papę, vt credebatur, filius, Archiepiſcopus Conſentinus, tt. S. Cæciliæ.
6. Ioannes Verra, Valentinus, Hiſpanus, Archiepiſcopus Salernitanus, tt. S. Balbinæ.
7. Ludouicus Podocatarus Nicoſien. Cyprius, Græcus; Epiſcopus Caputaquenſis, tt. S. Agathæ.
8. Ioannes Antonius, Triuultius, Mediolanenſis, Auditor Rotæ, Epiſcopus Comen. tt. S. Anaſtaſiæ.
9. Ioannes Baptiſta Ferrarius, ciuis, & Epiſcopus Mutinenſis, Datarius, tt. S. Chryſogoni.
10. Amaneus de Alibretto, Gallus, Regio Francorum Regum genere ortus, Protonot. Apoſtolicus Diac. Cardin. S. Nicolai in in carcere Tulliano.
11. Frater Ludouicus Borgia, ſororis Alexandri Papæ, filius, Ioannis Cardinalis Montis Regalis frater, miles Hoſpitalis & Prior S. Euphemiæ, electus Archiepiſcopus Valentinus, Diac. Card. S. Mariæ in via lata.
12. Marcus Cornelius Venetus, Protonotarius Apoſtolicus, Diac. Card. S. Mariæ nouæ, dictus Cardin. Cornarus.

Ex his die xv. Octobris huius anni, Alexander Põtifex, pro Sacro bello in Turcas ſuſcipiendo, proque pace inter Principes Chriſtianos conciliandâ, tres Legatos à Latere creauit, deſtinauitque, Salernitanum in Galliam, Gurcenſem in Germaniam, Rhegynum in Vngariam, Poloniam, & Bomiam. *Brucardus in nouis diarijs.*

IX. *Idem PP. nuncios mittit pro Iubileo vbique publicando.*

Miſit, & Nuncios Apoſtolicos, qui Indulgentiam anni Sancti in Regnis omnibus publicarent, ij ꝗ; impertirentur, quibus per bella, per itinera, per inimicitias, minùs Romam petere liceret: atque per hanc occaſionem ſubſidia in bellum Turcicum compararent. In Angliam iuit Gaſpar Pons homo Hiſpanus, doctrina pariter, & moribus clarus ab Alexandro miſſus, & conſentiente Henrico VII. pecuniam in hanc ſacram expeditionem non mediocrem confecit. *Polydorus Hiſt. Angl. lib. 26.* Qui in Germaniam iuerat, Maximilianum quidem Romanorum Regem permouerat, vt Conuentum Principum Imperij Auguſtæ iterùm haberet; in quo multa contrà Turcas concluſa fuerunt, ſed nihil ſecutum; proptereà quòd omnes, quæ ſua ſunt, quærerent, non quæ fidei, & neceſsitatis extremę Chriſtianorum. Fuit ibidem de conſenſu Principum generalis contributio pecuniarum impoſita pro neceſsitatibus Imperij, præcipuè contrà Turcas. Sed quolibet ſuos per ſe nimiùm radente ſubditos, nihil Imperio poterat à pauperibus dari: & ſic perit Fides, perit pax, & concordia Chriſtiana. *Trithemius in Chron. Sponhemen. hoc anno.*

In Poloniam iuit Caſpar Callienſis Epiſcopus, Alexandri nuncius, Ioannem Albertum Regem ad Turcicum bellum cohortans, & piæ militiæ quam Crucis, ſeu cruciatam vocant, facultatẽ ad id bellum ipſi pariter, & Ladiſlao Vngariæ Regi, ſimulque Iubilæum, & poteſtatem decimæ de cunctis Eccleſiaſticis reditibus, in ſuo vtriuſq; regno, in ſubſidium eiuſdem belli exigendæ aſſerens. Tardiùs autem is venit, quòd priùs in

Vngariam cum ijſdem mandatis diuertiſſet. Ac decima quidē à Polonis Epiſcopis, & Collegijs ſacris negata, ſed vſitata contributio pro ea decreta eſt, quæ tunc ad 3000. florenorum vix peruenit: Iubilæus verò promulgatus, triginta ferè millia florenorum, Regi reddidit. Miſſi Romam ad excuſandam decimā Archiepiſcopus Gneſnen. & Creſlaus Curozuancius, Epiſcopus Vladiſlauienſis. Collecta non pauca millia Cruce ſignatorum, nihil operæ pretium fecêre, ſed Regem contrà Tartaros mouentem ſecuti, correptis armis bacchantium in morē, ducibus religioſis, & monachis, quorum nō exiguus erat in ea turbâ numerus, in Iudæorum domicilia Cazimiriæ impetum fecêre, & fortunas eorum diripuêre, & 20. plus minùs Iudæos trucidauêre. Baiaſites cùm nō ignoraret, Venetos rerum ſuarum ſatagere, & cum ab ijs, tum à cæteris Principibus Chriſtianis, ac inprimis ab Alexandro Pontifice, Polonum, & Maximilianum Regē contrà ſe concitari, conſilio, & comitate, miſſâ ad Ioannē Albertum legatione, Polonicum bellum auertendū ſibi eſſe duxit. Totum autem annum Turcica iſta legatio reſponſum Regis Poloniæ expectauit. neque. n. ſatis explicabat is, quid faceret; proptereà quod ad bellum Turcis inferendum cum ipſe vltro, prono animo ferebatur, tum etiā ab alijs incitabatur; cęterùm magnitudinem eius belli, & domeſticas quaſdam difficultates, & præſertim inopiam ærarij, & res Pruſsicas ſecum expēdebat. Et verò geminâ Tauricanorum Tartarorum incurſione diſtractus, conſultandi cum proceribus ſpatium non habuit. Tartari. n. ſub tempus meſsis hybernarum frugum, magno impetu per Voliniam effuſi in Ruſsiam, & Poloniā, circùm Belſum, Craſniſtauiā, Turobinum, Craſnicum, & Lublinum, vſque ad Viſtulam immaniter omnia vaſtabant, prædas agentes, & in imbecillam ſenum, puerorumq; ætatē ferro, in tecta autē igni ſæuientes. Quo cōmotus Rex, aliquantâ manu ex aulico comitatu ſuo, & voluntarijs tumultuariè coadunatâ, ad hoſtē contendit. Sed cum eum prædâ onuſtū raptim abeuntē aſſequi nō poſſe videretur, Cracouiā Auguſto menſe redijt. Nec ità multò poſt Tartari prædâ depoſita illecti eius dulcedine, mēſe Septēbri reuerſi ſunt, effuſiusq; etiā nō modò eaſdē oras, ſed Ruſsię quoq; Auſtralis & Lituanię partē depopulati ſunt, ac circum Landiſhutā, Lezeiſcum, Zauichoſtum, Opatouiā, & Breſte Lituanicum prędis actis, nulloq; accepto incōmodo, ingentem hominum, pecudum, iumentorum vim abegerū; quæ eo maior, & opulentior fuit, quòd intacta aliquamdiù ea loca ipſorum incurſionibus fuiſſent. Erāt quidē in Ruſsia nōnullæ mercenariorum copiæ cum Petro Miſcouio Leopolienſi præfecto, publico ſtipendio, quod è tributo agrario, cereuiſiarioq;, & cenſu oppidorum collatum erat, merentes, quę locis opportunis vel à tergo abeuntē hoſtē carpere, ac differre, quoad Rex cum maioribus copijs cōſequeretur, potuiſſe videbantur. Sed nuſquā eæ ſeſe hoſti oſtentârunt. Rex quidē cum paucis equitibus, quos raptim ad manum habere potuit, Cracouiā egreſſus, milites à Nuncio Apoſtolico Cruceſignatos ſubſequi ſe iuſsit. Sed qn̄ exceſsiſſe cum præda hoſtes cognouit, ipſe quoq; è Ruſsia, Cracouiā ſe recepit. Inſigni calamitate, & vaſtitate tunc illę barbarorum incurſiones Ruſſiam & Podoliam affecêre. Portenderat autem hæc mala Cometa, 10. & 8. diebus antè primā Tartarorum incurſionē viſus. *Cromerus li. 30.*

X. *Baiaſites Turcarū imperator ingētem claſſem aduerſus Venetos ducit.*

Inter hæc Baiaſites, à Ludouico Sfortiâ, Duce Mediolani multis precib. & legationib. ad inferendū Venetis terrâ mariq; bellum, non ità pridē ſollicitatus, ac ſtimulatus; nec non proferendi imperij auidus tàm ex arreptâ occaſione, quā quod diceret, Venetos Ioanni Cernouitio, ac Nicolao Comneno Epirotarū, Regulis, aduerſus vicinos Turcos, cōtrà pactas ſecum inducias opē tuliſſe, breui tempore validā claſſem Ionio, & Aegeo mari inſtruit, ac ingentē terreſtriū copiarum molē ipſemet per Iſthmi fauces, in Peloponneſum aduerſus Venetos duxit; eius que expeditionis is fuit exitus, vt Mathone, Corone, Dyrrachio validiſsimis vrbibus, alijsq; cōplurib. locis in poteſtatem redactis, claſſeq; Venetorum mirabilē in modum diſiectâ, & fugatâ Venetos Achaiâ, & Aetoliâ, omniq; Peloponneſo eiecerit, ac planè victor Byzantium ... eceteri. Occiſus eſt inter alios à Turcis Andreas Falco, Metonenſis Epiſc. vir ſanctiſsimus. Captus Albanus Armerius præfectus, & Conſtantinopolim ductus, cum ei Baiaſites vitam ſe cōceſſurum dixiſſet, ſi Mahometē coleret, negans, id vnquam ſe facturum in duas ſectus partes, magnâ, conſtantique voluntate mortem obijt. *Iſthfanſius lib. 4. Iuſtinianus lib. 10. Bembus lib. 5.*

XI. *Ludouicus Sfortia cum Aſcanio fratre à Gallis capitur.*

Non impunè fuit Ludouico, Turcas contrà Venetos ſollicitâſſe. Nam is hoc anno, vnà cum Aſcanio fratre à Gallis captus, & in Galliā ductus, Aſcanio quidē paulò poſt liberato, in ergaſtulo fatum expleuit: admirandâ rerum mutatione, quâ ad hominum inconſtantiā, & diuinæ vindictæ notiones adſcribere iſthic viſum. Ludouicus Rex Galliarum, partis rebus Mediolanenſis Imperij in eum ordinem, qui opportunus videretur redactis, idoneo præſidio relicto, inducijsq; cum Romanorū Rege, Inſubriæ quoq; Imperio, & ijs omnibus, quæ in Italia poſideret incluſis, ad Maiū huiusanni prorogatis in Galliā redierat, & Ioan. Iacobum Triuultiū, cui ob virtutē, & merita, ac Ludouici Sfortiæ odium, plurimum tribuebat, toti Inſubriæ, vt memorauimus, præfecerat. Eius Imperij populi, tum quod multis Gallorū mores, ſtudiaq; diſplicerent, tum etiā quòd in Rege nō eam liberalitatē inueniſſent, nec omnium vectigaliū, quēadmodum multitudo ſibi imprudenter perſuaſerat, immunitatē etiā adepti, minimè in fide permāſerunt. Multum quoq; intererat, quòd Gibellinæ factioni Mediolani, & in alijs vrbibus potentiſsimæ, Ioa. Iacobum, Guelfæ factionis principē, adminiſtrationi præeſſe, valdè moleſtum erat, qui morbus ab illo, qui naturâ factioſus, animoq; elato, & inquieto, magiſtratus authoritate multò plus, quā tunc expediret ſuæ factionis hominib. fauerat, vehementius augebatur. Plebis præterea animos, aliquot lanijs, qui cum cæterorū plebeiorum temeritate, vectigalia, à quibus immunes nō erāt, perſoluere recuſantes, exactorib. armis ſe opponebāt, in macelli foro, propria manu cæſis, magnoperè à ſe alienauit. quas ob cauſas à maiori nobilitatis parte, totaq; plebe ſuapte naturâ rerum nouarum cupidiſsima, Ludouici ex Germania reditus optabatur; verbis, vocibusq; minimè occultis, eius nomē implorabatur: qui vnà cum Cardinale Aſcanio ad Cęſarē profectus, & magnâ cū humanitate vis, acceptiq; optimū in illo animū, & maximo ob ipſorū calamitates dolore affectū inuenerāt; quin etiā frequēter magnis viribus ad imperiū ipſis recuperādum, ipſemet ſe profecturū promittebat: iam. n. penitus bello Heluetico finē impoſuerat. Hęc verò ſpes ob eius naturę varietatē, & quod malè innixa, cōſilia ſua multis ē miſcere cōſueſſet, indies leuiores apparebāt; quin & cōuerſa egeſtate preſſus, ſæpè pecunias ab illo petere nō deſinebat. Quare Ludouicus, & Aſcanius, illius auxiliorū ſpe deiecti, propriòq; à multis Mediolanenſ. nobilib. incitati, 8. Heluetiorū millib. & 500. Burgundionib. grauis armaturæ equitib. cōſcriptis, per ſe ipſi regem aggredi ſtatuerunt. quo motu percepto, Triuultius ſtatim à Senatu Veneto, vt copias ſuas Abduæ admoueret, petijt; & Iuoni Alegrio, vt Valentino Borgiā relicto, cū Gallis cataphractis, ac Heluetijs ſummā celeritate Mediolanum rediret, ſignificauit, atq; vt primū hoſtiū impetū reprimeret, copiarū partē Mediolanēſis populi metu, oēs vires eò cōuerti minimè permittente, Comum miſit. Sed Sfortianorū fratrū celeritas, omnē aliorū diligentiā ſuperauit: quippe nō omnib. copijs, quas cōſcripſerāt, expectatis, ſed ſequi iuſsis, ſummā celeritate montes ſuperârunt, & nauib. quæ in Lario lacu erāt, conſcenſis, Comū appropinquarunt: quę ciuitas Gallis ob ciuium animos perſpectos, abeuntibus, ſtatim eos accepit. Comi amiſsio Mediolani nunciata, ità populi, ac penè omnium Gibellinæ factionis principum animos exegit, vt ià à tumultu minimè abſtinerent: adeò vt Triultius, quū Regijs reb. nullā ſalutē ſupereſſe cerneret, repentè in arcē ſe receperit, & ſequenti nocte, vnà cū cataphractis, qui in ſeptū arci contiguum ſe receperāt populis in diſceſſu tumultuosè ad Ticinū vſq; perſequētib. Nouariā verſus contenderit: & quadringentis cataphractis Nouariæ relictis, ipſe & reliqui Duces magis de Mediolano, ſi noua auxilia ex Gallia venirēt, recipiēdo,

quam



quam de propugnādo cogitātes ad Mortariam caſtra locauit. Poſt Gallorum diſceſſum primū Cardinalis Aſcanius, deinde Ludouicus Mediolanum ingreſsi ſunt, quam vrbem arce exceptâ, eadem facultate, quâ amiſerant, recuperârunt: maiuſque populi Mediolanenſis in eorum reditu deſiderium, & lætitia, quàm in diſceſſu perſpecta ſunt; quod ſtudium cum in reliquis populis quoq; eſſet, Papienſes, & Parmenſes abſque mora ad Ludouici fidem redierunt, & Laudapompeia, atque Placentia, niſi Venetiæ copiæ, quæ prius ad Abduam erant, ſtatim ingreſſæ eſſent, idem feciſſent. Alexandrini, & penè omnes tranſpadani, quòd longiùs Mediolano abeſſent, & Aſtæ Regiæ ciuitati propinquiores, ex rerum progreſſu, maturius conſilium expectaturi, nullam mutationem fecerunt. Ludouicus Mediolano recuperato, ſine vlla cunctatione, magnū Italorum peditum numerum, & quotquot grauis armaturæ equites poſſet conſcribere, eoſq; omnes, à quibus in tanta neceſsitate auxilia ſperabat, precibus, promiſsis, & variâ ſpe impellere. Ideo Seuerinatē Cardinalem, qui proſperum initiū ſignificaret, & vt milites, ac tormenta mitteret, ſupplex rogaret, ad Cæſarē miſit, cumque Venetum Senatum minimè inimicum habere cuperet, ab Aſcanio Cardinali Cremenſē Antiſtitem, qui fratris ad quaſcumque leges optare poſſent accipiendas, promptam voluntatem offerret, ſtatim Venetias mitti curauit, Sed fruſtrà; quia Senatus à Regio fœdere diſcedere minimè ſtatuit. Genuenſes quamuis à Ludouico vehementer rogati, ſub eius imperium redire recuſârunt; nec Florentini pecuniæ ab ipſo mutuò acceptæ petitionem audire voluerunt. Solus Mantuanus Fratrem cum aliquot grauis armaturæ equitibus, illi auxilio miſit: cum quo Mirandulæ Carpij, & Corregij reguli concurrerunt, & Senenſes exiguam pecuniæ ſummam miſerunt; quemadmodū etiam parui momēti fuerunt Philippi Roſsij, & Verminorū auxilia. His auxilijs fretus, Vigeuanū, Dertonam, Nouariā recuperauit, arcem Mediolanenſem obſedit: quæ dū ſollicitè curat, Ludouicus quoq; Rex non minore diligentia, & ſolicitudine res ſuas agebat. Nam Mediolanenſi defectione auditâ, indignatione, & pudore ardens, auxilia in Italiam ſuis ſubmiſit; qui vnà cum reliquis ad Mortariā ſimul cōiuncti, nec minùs dolis, quàm viribus freti, Nouariæ appropinquarunt. Heluetij namque duces, qui cum Sfortia erant, quamuis in Nouariæ expugnatione fidē, ac virtutē oſtendiſſent, Heluetiorū tamen, qui in Gallicis caſtris erant, præfectorum operâ clam cum illis conuenerant, quod Ludouicus nonnullis coniecturis ſuſpicatus quadringentos equites, & octo peditum millia, qui Mediolani conſcribebantur, ſibi adiūgi vrgebat. Heluetij Nouariæ à ducibus concitati, quòd ſtipēdijs conſtituta die, pecunia non numeraretur, tumultuari cæperunt. Dux aut ſubitò ad tumultum accurrēs, humaniſsimis verbis, & huiuſmodi precibus, quæ minimè mediocrem miſericordiam excitarent, omni etiam ſuâ argentea ſuppellectile illis dono datâ, vt donec Mediolano pecuniæ afferrentur, patienter expectarēt effecit, duas verò illorum, nè vbi Duci copiæ, quę Mediolani comparabantur coniunctæ forent, cogitata impedirentur veriti, vt Gallicus exercitus acie inſtructâ Nouariæ mœnib. maximâ vrbis parte circumdata appropinquaret, aliquotq; equitib. in vrbē, & Ticinū amnē miſsis, Duci, & reliquis Mediolanū confugiēdi poteſtatem adimerent, effecerūt. qui ſemper deteriora ſuſpicatus, cū exercitu præmiſsis iam leuis armaturæ equitibus, & Burgundis, qui pugnā inciperent, vt cum hoſtibus prælium inirent, Nouariā egredi voluit, cui ab Heluetiorum ducibus apertè repugnatū fuit: quòd ſe abſq; ſuorum Magiſtratuū mandato, cū propinquis & proprijs fratrib. cæteriſq; ſuæ gentis hominib. pugnare nefas eſſe dicerent: quibus paulò poſt, quaſi eiuſdē eſſent exercitus permixti, quamprimū in patriā redire velle dixerunt. Cum autē Dux, nec precibus, nec lacrymis, nec infinitis promiſsis illorum animos flectere poſſet, ſe illis vt ſaltem in tutū locum perduce-rent, vehementer cōmendauit. Sed quia Gallis ducib. illo ſecùm nō abducto ſe diſceſſuros receperant, illius petitione reiectâ, Heluetij, peditis amictu ſui, ſi nō agnoſceretur, ſeruandi gratiā fortunam tentaturus ſe ipſis miſceret, cōceſſerunt: quę conditio ab ipſo in extrema neceſsitate conſtituto accepta, ad illius ſalutē irrita fuit. Quoniā illis ordine per Gallicū exercitum incedentibus, ſiue eorum quibus hæc cura mandata erat, diligenti inueſtigatione, ſiue à quibuſdā proditus, dum agmini permixtus Heluetio more veſtitus, & armatus pedes incederet, cognitus, & ſtatim captus fuit; adeò miſerando ſpectaculo, vt vel hoſtib. ipſis lacrymas expreſſerit. Fuerūt præter ipſum capti Galeatius Sāſeuerinas, Fracaſsâ, & Antonius Maria Fratres. Heluetijs eodē veſtitu permixti: & Itali milites pars Nouariam, pars Ticinū verſùs fugientes ſpoliati, & capti: quia Galli, ne gentes illas irritarent, Burgundiones equites, & Germanos pedites incolumes abire permiſerunt. Duce capto, & exercitu diſsipato, cū nihil iam obſtaret, omniaq; terroris, & fugæ plena eſſēt, Aſcanius Cardinalis, qui iā copias Mediolani cōparatas ad exercitū ire iuſſerat, tanta calamitate auditâ, repēte Mediolano, vt ſe in tutū locū cōferret, multis ex Gibellina nobilitate, qui Ludouici partes immoderatè profeſsi, de venia à Gallis impetrāda deſperabāt, ſequentē ib. diſceſsit. Sed quia in duorū fratrū calamitate, cū aduerſa fortunâ fraudē immiſceri in fatis erat, proxima nocte, vt ſe aliquātiſper à labore itineris celeritate ſuſcepto recrearet, ad Riuoltā in Placentino agro Conradi Lādi, eius vrbis patritij, ipſi affinitate, & lōga neceſsitudine cōiuncti caſtellū moratus eſt, qui murato cum fortunâ animo, Carolo Vrſino, & Souzino Benzonio Venetorū ducibus, ſtatim Placētiā accerſitis, illū, atq; vnà Hermetē Sfortiā, Ioānis Galeacij defuncti Ducis fratrem, & nobiliū, qui cū eo venerāt, partim tradidit reliqui nobiliores vtiliori conſilio, cum ibi pernoctare noluiſſent, vlterius progreſſi erant. Aſcanius ſtatim captiuus, Venetias perductus eſt. Quē Rex in ſua poteſtate habere, quāti ad Inſubriæ imperij ſecuritatē intereſſet animaduertens, abſq; morâ illū à Senatu Veneto, additis, etiam vbi cunctari animaduertit minis atteſtationibuſq; ſibi tradi, quod in ſuę ditionis loco captus eſſet, ad ſe ſpectare affirmans, poſtulauit. Quæ petitio quamuis admodū acerba, & Veneto nomine, minimè digna videretur; tamen ad illius armorum furorem vitandum ei traditus eſt; & vna omnes Mediolanenſes, qui cum illo capti fuerant. quin etiā Baptiſtam vicecomitem, alioſq; nobiles, qui eandē ob cauſā Mediolano aufugerant, & publica ſecuritatis fide, in Giaraddadæ oppidis manſerant, eodē metu in Regis poteſtatem tradere coacti ſunt, tāto plus Gallicorum armorū timor, quàm Reipub. dignitatis ratio, hoc tēpore in Veneto Senatu potuit. Miſſus erat inter hæc ex vrbe Romā ab Alexādro Pontifice Angelus Leoninus, Tyburtinus Antiſtes, vir magno ingenio, qui Cardinalē Aſcanium à Duce, & Senatu, Pōtificis, & Collegij nomine repoſceret: fuiſſetq; (vt par erat) Pōtifici, & tanto Ordini obtēperatum, ſed aliquantò priùs quàm Leoninus, Venetias appuliſſet, deditus erat Aſcanius Gallis, qui eum Regis nomine depoſcerant. Capti vnà cū Aſcanio multi prælati, prothonotarij, & Abbates, vinctis ſub abdomina equorum pedib. Mediolanū ducti ſunt: ipſo Cardinale ſupra mulā præcedente, vili palliolo induto, & caput galero gryſeo operto. Ludouicus Dux, Lugdunū vbi tunc erat Rex, perductus fuit, & in vrbē meridiè introductus, infinitâ multitudine, ad tantæ paulò antè amplitudinis, & maieſtatis principē, cui multi inuiderent, quiq; nunc in tantam miſeriam corruiſſet, viſendum accurrente. Vnde vt ad Regis conſpectum quemadmodum ſummopere cupiebat, admitteretur, minimè cōſecutus poſt biduum in Locenſē turrim ductus eſt, in qua circiter decē annos, quib. vitā terminauit, illius cogitationib. & ambitione, quæ antè vix totius Italiæ terminis cōtinebantur, anguſto carcere incluſis, captiuus fuit. Princeps profecto eloquentia, ingenio, multiſq; animi, & naturę ornamentis, ex-

*Galliæ Rex Aſcanium in ſuam poteſtatem habere cupit.*

*Ludouicus Dux in Locenſi turri 10. annis captiuus moritur.*

tis excultiſsimus, ac niſi nepotis necis infamia, hanc laudem maculaſſet, manſueti, & clementis nomine dignus: ſed viciſsim ingenio vanus, & inquieros, ambitioſisq; conſilijs plenus, & præmiſſorū, fideiq; contēptor, quiq; tantū ſuæ ipſius ſapiētiæ tribueret, vt aliorū prudentiā, & conſilia celebrari moleſtiſsimè ſerenti ſua induſtria, & artibus cuiuſuis mentem, quò vellet, impellere poſſe ſibi perſuaderet. Adulatores tantę eius præfidentiæ, præſertim in bello ſuſcepto admiratores, in illius laudes pronunciabant.

*Chriſto in cielo, & il Moro in terra,*
*Solo sà il fino di queſta guerra.*

Ipſe etiam inter ſua ſymbola, nūmus argenteis imprimebat, ab altera quidē parte vas igne plenū, ab altera redūdans aquis, cui vtriq; duę manus cōiunctæ ſupereminebant; quo innuebat, in manu ſua eſſe bellarum facem, & pacem. In quodam etiam cubiculo ſecretiore depingi fecerat, varias formas gallorum, gallinarum, gallinaceorum, quos Maurus aliquis ſcopâ eijceret. quod cùm Florentinis Oratoribus aliquando oſtendiſſet, & plurima iactaſſet de ſua in Gallos potentiâ: vnus ex eis non ſine ſale reſpondit, & quaſi ex vaticinio vanitatem hominis notauit, dicens: *verendum eſſe, ne Aethiops, qui Gallos verrere ex Italia præſumit, illorū immunditijs, ſeu excrementis obruatur.* Multa alia de ſe iactabat, quę homines riderēt, & Deus caſtigaret, ſecutus eſt illū non multò poſt Aſcanius Cardinalis, qui maiore humanitate, & honore acceptus, & à Rothomagenſe Cardinale benignè ſalutatus, honeſtiore in cuſtodia habitus eſt, nimirum in Biturigum turri: in qua idem Rex, à quo nunc captiuus tenebatur, biennium incluſus fuerat. Ea eſt humanæ ſortis varietas, ac miſeria; vſq; adeò omnibus incertum, quæ ſit in poſterum, futura ſua cuiuſque conditio. Alexander Pontifex, veredarijs duobus, quorum alter Ducis, alter Aſcanij caſū detulerāt, ſingulis centū aureos numerari iuſsit; & ad partiarios eorū, in Flaminiæ vrbib. pro Romana Eccleſia vicarios, qui vel ſuppetias illis tulerant, vel ad Baiaſitē ab eis vadētes Oratores exceperāt, vel ſibi venenum porrigere auſi fuerant, necnon illa fecerant q̄ ſuperiùs memorauimus, caſtigādos, Valentinū Ducē bellum cōtinuare imperauit. Et quidē is huius anni initio, ſine impedimēto Foroliuienſi vrbe potitus eſt,

*Alexander PP. Cæſarem Borgiam Vexilliferum eo ducem copiarum creat.*

quoniā Catharina Sfortia, liberis cum pretioſiore ſuppellectile Florentiā miſsis, cęteris rebus, quas tueri nō poterat, deſertis, ad citadellā tantum, & arcē Forliuij viris, ac tormētis abundè inſtructas, defendēdas ſe cōtulit. Itaque citadellam ingreſſa, virili, ferociq; animo fæmina multâ cum ſua gloria, eius defenſionē procurabat: Valentinus autē fruſtrà illā ad deditionē flectere conatus, magno tormentorum numero citadellæ muro verberari cæpto, magnā eius partē deiecit: quā aggeſta terra ſecuta, foſſam magna ex parte impleuit, hoſtibuſq; facilem aſcenſum reddidit. Quâ re propugnatores animo fracti, eâ deſertâ, in arcem ſe recipere tentarunt, quò Catarina priùs illos omni ratione ad defenſionē ſiſtere conata, ſe cōtulit: factoq; in ingreſſu à trepidantibus tumultu, & perturbatione à Valētini militib. oppreſsi, penè omnes cęſi ſunt, qui illis pmixti eodem impetu ingreſsi arcē occuparunt, omnibuſq; defenſores paucis quibuſdā ex principibus. q̄ ſe vnà cum hera in turrim quandā receperant, quiq; cum ea capti ſunt, exceptis trucidarunt. Valentinus maiore in illa fortitudinis, quā ſexus ratione, captiuam, Romā miſit vbi in Angelica arce cuſtodita fuit, quāuis non multò poſt in Iuonis Alegrij gratiam libertate ſit donata. Secundùm hęc Alexander Pontifex, Dominicâ 4. Quadrageſimæ, q̄ *Lætare* appellāt; ad Miſſæ maioris ſolennia in Baſilicâ Vaticanâ, Cæſarem Borgiā Valentinū Vexilliferum, & Ducem copiarum S. R. E. contra quoſuis hoſtes creauit: paludamento aureo induit, pileum inſignem capiti eius impoſuit, & virgam ſeu baculum poteſtatis inſigne, nec non Roſam auream eo mane conſecratam illi contulit. Sacramentum fidelitatis publicè his verbis dicenti.

*Ego Cæſar Borgia de Francia, Dux Valentinenſis, Confalonerius ſeu vexillifer, & Capitaneus Generalis S. R. Eccleſiæ ab hac horâ etiā antea, fidelis, & obediēs ero B. Petro, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & vobis ſanctiſsimo Domino meo, D. Alexandro Papæ VI. veſtriſq; ſucceſſoribus canonicè intrantibus. Non ero in conſilio, aut conſenſu, vel facto, vt vitam perdatis, aut membrum, ſeu capiamini malâ captione; aut in vos, vel ſucceſſores prædictos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel iniuriæ aliquæ inferantur, quouis quæſito colore. Conſilium verò quod mihi credituri eſtis, vel ſucceſſores prædicti credituri ſunt, per ſe, aut Nuncios ſuos, ſeu litteras ad veſtrum, ſeu ſucceſſorum eorundem damnum, me ſciente, nemini pandam. Papatum Romanum, & Regalia S. Petri, vobis & eiſdem ſucceſſoribus adiutor ero ad retinendum, & defendendum contra omnem hominem. Legatum Apoſtolicæ Sedis in eundo, & redeundo honorificè tractabo, ac in ſuis neceſsitatibus adiuuabo. Iura, honores, priuilegia, & authoritatem Romanæ Eccleſiæ, veſtra, & ſucceſſorum veſtrorum conſeruare, defendere, augere, & promouere curabo: nec ero in conſilio, vel facto, ſeu tractatu, in quibus contrà vos, vel eoſdem ſucceſſores, aut tandem Romanam Eccleſiam aliqua ſiniſtra, vel præiudicialia perſonarum, iuris, honoris, ſtatus, & poteſtatis veſtræ, vel ſucceſſorum prædictorum machinarentur. Et ſi talia à quibuſcunque tractari, vel procurari nouero impediam hoc pro poſſe, & quanto citius potero vobis ſignificabo, aut ſucceſſoribus prædictis, vel alteri, per quem poſsit, ad veſtram, vel ſucceſſorum eorundem notitiam peruenire. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.*

*Eiuſdem Borgiæ pōpam multi Cardinales cohoneſtant.*

Interfuerunt ſolennitati, XIV. Cardinales, ſc. Neapolitanus, Recanatenſis Epiſcopi: S. Clementis, Beneuentanus, S. Praxedis, Vrſinus, Alexandrinus, S. Crucis, Gurcenſis, Capuanus, presbyteri: Senenſis, Cæſarinus, & Farneſius Diaconi; & ſacris operans Vlyſsiponenſis. Hi ipſi, Valentinum inter duos vltimos Cardinales, equitantem, vſque ad palatium Cardinalis Parmenſis, vbi epulum inſtruxerat, comitati ſunt, & pompam, quâ ducebatur cohoneſtarunt: in qua Ducem paludamento aureo, & pileo phrigiato ornatum præcedebant armati: qui Eccleſiæ, & Pontificis vexilla tradita præferrent, aliquo etiam Roſam auream, prægeſtante, mirùm, vt inde mihi videatur, quomodo aliqui ſcriptores calamum præcipitare potuerint, in Valentini infamiam, quandò is in Vicarios Tributarios Romanæ Eccleſiæ, ſed multis titulis refractarios, arma exerebat, atque eos in ordinem redigebat, quādoquidem tot Cardinales, eius in hunc finem authorationi interfuiſſent, & auctoratum, loco in Sacello Pontificio poſt vltimum Diaconum Cardinalem, ac in ſolenni pompâ inter duos vltimos Cardinales cohoneſtaſſent, & in Palatium deſignatum ſupremo cum honore deduxiſſent; adeoq; omnes illos Sedi Apoſtolicæ rebelles depreſſos videre voluiſſent. *Brucardus in notis diarijs. Sabellicus Enn. ead. 10. lib. 10. Guiciardinus l. 4. Nardus l. 3.*

XII. *Alexāder PP. Ioannis Regis & Catharinæ Reginæ Nauarræ Oratores audit*

Die XXVII. menſis Ianuarij, Pontifex in Conſiſtorio publico, Ioannis Regis, & Catharinæ Reginæ Nauarræ Comitum Fuxiorum, & Beamontiorum oratores, Ioannem Beamontium Comitem, & Ferrandum Baquedanum Protonotarium; obedientiam deferentes audiuit. Cumque Ferrandus Pontificem Regi ſanguine, & affinitate iunctum in præloquio memoraſſet, Alexander in reſponſione confeſſus eſt, ſe conſanguineum Regis eſſe, ſubiungens, nouâ diſpoſitione per nouum Carlotæ Regiæ ſororis cum Duce, Valentino matrimonium huiuſmodi conſanguinitatem renouatam eſſe. *Brucardus ſupra.* Innuebat Alexander Pontifex, Borgiarum ſtemma, ad Reges Aragonios, & Nauarræos pertinere. Atareſios antiquitùs dictos ab Atareſia ditione, à qua cognomentum accepiſſent, memorabat. Hieronymus Blanca, Borgiarum porrò cognomen acquiſiuiſſe, à Borgia ciuitate, quam Petro Atareſio Comiti, Alfonſus Hiſpaniarum Imperator, habitandam, fruen-

damq;



damque in diœceſi Turriaſonenſi, tanquàm ſuæ ſtirpis gentili tribuerat, Erat enim Garſiæ infantis, & Thereſiæ Laxalis filius; Sanctij Rauimiri Comitis Ripacurtienſis nepos, Rauimiri autem Regis, ex quo etiam Nauarræ Regis pronepos; qui quòd cæteris in Aragonia longè potentia antecelleret, tū etiam quod eſſet Regali ſanguine ortus, Aragonijs, & Nauarræis Borgiam ad ferenda ſuffragia in comitium coeuntibus, dignus viſus eſt, qui Alfonſo Imperatori in regnorum ampliſsimorum dominium ſuccederet; quam tamen dignitatem ille præfractâ, an meditatâ quadā coram Legatis inſolentiâ contempſiſſe viſus animos omnium in ſui odium conciliauit. *Blanca in Commentario rerum Aragonenſium tertio interregno. Iacobus Boſsius hiſt. Rhodiana lib. 6. parte 1.* Ab hoc Petro deſcendentes, ſiue ex legitimo connubio, ſiue extra filij, non ampliùs Atareſij, ſed Borgiæ cognominati, Regnum Aragonum, & Nauarræ factis heroicis impleuerunt: ex quibus Stephanus Borgia, cùm anno Domini 1240. Iacobo Regi Aragonum, quem Conquiſitorem vocant, in recuperandis Valentiæ, & Murciæ regnis, ac vrbe Setabienſi quam vocant Xatiuam, fortem operam nauaſſet, Valentiæ & Setabij ampliſsimas poſſeſſiones, emeritæ militiæ ſtipendia promeruit, à quo apud Valentinos, Rodericus Borgia Eques anno 1272. ac Conſaluus Bertrandus Borgia, ex præcipua Aragonum nobilitate, à Iacobo Rege, Caroli Salernitani Principis qui in Siurana arce captus tenebatur cuſtodiæ præfectus 1287. & ab hoc Gottifredus Borgia Eques, & Præfectus, Copiarum Setabij, Copiarum Regiarum anno 2338. & Setabij Gonzales, Aegidius Borgia Conſul anno 1340. Aegidius Bertramus Cōſul anno 1345. Rodericus Borgia Conſul 1378. Rodericus Aegidius Borgia Conſul, Petro, & Martino Regibus Aragonum longè chariſsimus-Dominicus Borgia, Calixti III. Pont. Max. pater. Gotofredus Roderici Aegidij filius Borgia, ex Iſabella vxore, Dominici Borgiæ filia, Alexandri VI. pater, Alexander VI. Borgia P. M. Calixti III. ex ſorore nepos, *Optimus*, vt Robertij Guagnini, Succenturiator *Hubertus Velleius*, in appendice memorat. *Pontifex ſola prole notandus*, Antequam n. Petri ſolium conſcendiſſet, ex Catharina nobili quadam Romana filios furto ſuſcepit, Petrū Aloyſium, Ducem Gandiæ, Ioannem eius ſucceſſorē, Cæſarem Ducem Valentinum, & Gottofredū Principem Squilacij, nec non Lucretiam Alfonſo Aragonio, & poſtcà Alfonſo Ateſtino nuptam. *Surita in indicib. l. 2.* & ex varijs momentis authenticis, & ſcriptoribus publicis *Gaſpar Eſculanus 2 parte primæ Decadis hiſtoriæ Valentinæ*, ac præter hos *Didacus Sauuedra Hiſpanorum eruditiſsimus, Philippi IV. Regi Catholico apud Sedem Apoſtolicam à grauiſsimis negotijs, in notis Borgiæ familiæ.* Lucretiam, Ioannes Sfortia Piſauri Dominus, ſeu pro Romana Eccleſia Vicarius primum duxerat. Eam quòd repudiaſſet, turpiterque remiſiſſet Pontifici, maximum illius in ſe odium cōcitauit, vt diximus. Grauiores fuēre illę cauſæ, quas Bembus commemorat. Venetias ſeſe contulerat, vt Reipublicæ Piſaurū traderet, modò ipſi aliquid in Reipublicæ finibus oppiduli, aut caſtelli Senatus daret, quo ſe alere, & ſuſtinere poſſet. Antea verò Ludouici Sfortiæ legatos ad Baiaſitem contrà Pontificem, & Rempublicam; miſſos hoſpitio acceperat, ac nauibus, rebuſque omnibus iuuerat; necnon Baiaſitis ad Ludouicum Sfortiam legatū, naue Piſauri egreſſum domi ſuæ habuerat, clāq; ad illum miſerat, tum ſingulis de rebus, quæ Romæ, Venetijs, & totâ Italiâ agerentur, litteras ad eundem Baiaſitem dederat. His de cauſis Alexander motus, Cæſarem Valentinum ducere in Piſaurenſem, nec nō in Ariminenſem, offenſionum complicem imperauit. Et quia Fridericus Rex Neapolitanus omnium Sfortiæ conſiliorum particeps haberetur, ac præterea vectigal Romanæ Eccleſiæ non ſolueret, ideo Pontifex Ludouico Regi, quotieſcumque Neapolitanum bellum aggredi vellet, copias ſe, & ipſummet Valentinū auxilio miſſurum promiſit, cui viciſsim Rex, & ſi parùm æquo in Pontificem eſſet animo, neque auxilijs ad cæptum aduersùs Aemiliæ, Flaminiæque Vicarios bellum conficiendum mittendis moram traxiſſet, eò quod Pontifex ſe ad Inſubriæ imperium recuperandum non iuuiſſet, viciſsim trecentos cataphractos, & duo peditum millia, Alegrio duce, ad eius auxilium miſit, omnibuſq; ſe, eos, qui Pontificis negotio ſe opponerent, eo loco, quaſi ſibi ipſi iniuriam feciſſent, habiturum ſignificauit. Quâ authoritate, & proprijs viribus, quibus 700 grauis armaturæ equites, & ſex peditum millia continebantur. Valentinus, Flaminiā, Aemiliamque ingreſſus, abſque difficultate, Piſaurū, atque Ariminum, illarum ciuitatum Vicarijs fugientibus in Pontificis poteſtatem redegit. Rotomagenſis Cardinalis autor fuerat, vt Rex Pontificis beneuolentiam ſibi ſeruandam decreuerit, & auxilia ſubmiſerit. Cui Cardinali, vt Pontifex gratus eſſet, in decem & octo menſes Gallię Regni legationem, quam is ambiebat conceſsit: quod munus quia nouum erat, & quia, quamuis citeriorem Britanniam non complecteretur, multa negotia, & plurimos quæſtus à Romanā Curia, ad ſe pertrahebat, valdè amplum exiſtimabatur. *Bembus lib. 5. Guiciard. l. 5.*

Inter hæc feria 6 die III. menſis Aprilis, in Conſiſtorio ſecreto, quod vſq; poſt XXI. horam continuatum eſt, Alexander Pontifex, per ſuam ſententiam in ſcriptis pronūciauit, prætenſum, de quo ſuperiùs mētionem fecimus, matrimonium inter Ladiſlaū Vngariæ, & Boemiæ Regem, & Beatricem filiam Ferdinandi Regis Neapolitani, relictam Matthiæ Regis Vngariæ eſſe nullum, & de facto præſumptum; & impoſuit perpetuum ſilentium ipſi Beatrici, & in expenſis, XXV. M. M. aureorum condemnauit.

XIII *Idem PP. matrimonium inter Vladiſlaum, & Beatricem nulliū eſſe ſtatuit.*

Eodem anno, in ſolennitate SS. Petri, & Pauli Apoſtolorū cum Hieronymus Sperandeus Friderici Neapolitani Regis orator, prouocationem à ſententia cōtra Beatricem latâ vrgeret, illāq; retractari poſtularet Pontifex quidē libellū conteſtationis Cardinali Alexādrino dari fecit, ſed nihil ſe poſſe retractare inſinuauit. Vnde Orator, aliam obteſtationem interpoſuit, & Alexandrū magis irritauit. Sibi offenſā animo ſediſſe Pontifex vix diſsimulauit. Nā cū is ipſe Hieronymus eodem die equū vectigalem, à Friderico adduxiſſet, inque huiuſmodi ſententiam dixiſſet; *Beatiſsime Pater Seren. Dominus Fridericus Rex Siciliæ, & Hieruſalē, Sanctitatis veſtræ, & huius Sanctæ Sedis deuotus filius, tenetur ſingulis annis in feſto SS. Apoſtol. Petri, & Pauli, pro dominio Regni offerre ſanctitati veſtræ vnum Palafrenū albū decenter ornatum, quē ego Orator, & Procurator ſuus, ad hoc ſpecialiter mandatum habens* (quod D. Aloyſius de Cāpania Notariæ Cameræ ibidē obtulit, & oſtendit) *ſāctitati veſtræ aſsigno, ſupplicans, dignetur illum ad effectū prædictū benignè ſuſcipere.* Pōtifex, non abſolutè, ſed cum cautione reſpondit; *accipimus iuxta tenorem inueſtituræ Regi conceſſæ.* Enimuerò tabulæ eius inueſtituræ non tantū equū, ſed & alia onera Friderico impoſita cōtinebāt; ac præterea clauſulæ, *citrà præiudiciū iuris alieni,* limitatæ erant, propter quā conditionem expreſsā, eodem in momento Robertus, Epiſcopus Trecorēſis, Orator Ludouici Galliarū Regis dixit: *Beatiſsimè Pater Cum regnū Neapolitanū ſpectet de iure ad Chriſtianiſsimū Regē Franciæ. ſupplico ſanctitati veſtræ, ne per huiuſmodi acceptationē, velit iuri Chriſtianiſsimo Regi meo ad regnum prædictū cōpetenti, in aliquo præiudicare; cuius nomine offero Sāctitati veſtræ, poſtquā Chriſtianiſsimus Rex meus fuerit poſſeſsionem dicti regni conſecutus, longè maius commodū ſanctitati veſtræ, & S. R. E. facturū.* Adhęc verba Pōtifex ſubriſit, nec quicquā reſpōdit, at cū Hieron. ſubiūgere neſcio quid voluiſſet; manu, & voce illi ſilētiū indixit; apertâ ſignificatione irritati animi cōtra Fridericū. q nec vectig; ſoluebat, nec pactis ſtabat; & Sfortianis fauēs, Baiaſitē in Italiā euocabat, atq; in Alexādrū refractarios exci-

tabat. Eo-

Eorum conſiliorum Friderici particeps Alfonſus Aragonius Dux Biſeliarum, & Princeps Salernitanus Alexandri gener, Lucretiæ Borgiæ maritus, fatum ſibi accelerauit; die XV. Iulij circa primam horam noctis, ante Baſilicam S. Petri, à quibuſdam inuaſoribus in brachio, & crure grauiter vulneratus; & cum mori noluiſſet, ab alijs ſubmiſsis, die XVIII. Auguſti circa horam XIX. in quadam turri Palatina ſtrangulatus. Franciſcus Borgia Archiepiſcopus Coſentinus, Theſaurarius Pontificius vnà cum familia, funus cohoneſtauit: medici, & famuli qui ſaucium curabant, in carceres coniecti; ſed cum fuiſſent immunes, inuiolati dimiſsi; totius facti inuidia in Valentinum, pacis Italicæ cuſtodem, & Pontificiæ dignitatis, poſſeſsionumque vindicem, neſcio an non iniuria recidente. *Brucardus in notis diarijs.*

*Fridericus Rex Pontifici in omnibus incommodus.*

Enimuerò Fridericus Rex, cum ſuis nihil non agebat, vt Pontifici incommodaret. Eius authoritate, & conſilio, Ludouicus Sfortia, ſi res illi proſperè cecidiſſent, bellum Alexandro illaturus erat. Eo incitante Columnij armis ſumptis, Viterbium ciuitatem, patrimonij Apoſtolici præcipuam, duce Iulio occuparant; & iam apertè in Pontificem mouebant. Cumque Alexander pacis cupidus illum, nè Columnios tueretur, admoneret, ſequeſtrumque ſe fore inter illum, & Regem Galliarum promitteret, is contempſit, & perniciem ſibi, ſuiſque accelerauit. *Surita de rebus Ferdinandi l. 3. & 4.*

XIV. *Ingens populus pro Iubileo Romã confluit.*

Quo anno ſeculari, cum venia peccatorum inuitati innumeri mortales ex omnibus prouincijs, finitimi, & longinqui, pietatis ſtudijs certantes, Romanam vrbem plenam maieſtate, & numine, religionis arcem, & veritatis magiſtram inuiſerent, morum licentia vigebat inter viros ſacratos, vt ſi qua in parte orbis maximè. Eam turpitudinem vindicare Deus viſus eſt Pontifice, inter Sacra Corporis Chriſti apoplexiâ tentato, & pòſt paucos dies mirabili euentu caſtigato, cæteris territis exemplo. Apoſtolorum Petri, & Pauli ſacro die, horâ quartâ poſt meridiem violentus turbo extitit imbris, & grandinis, qualem non meminerant. Ventorum vehementi procellâ tubus vaporarius euerſus ſuprà cænationem, cui à Pontificibus eſt nomen, vbi fortè tunc Pontifex agebat familiari ſermone tempus fallens. Supra eam cænationem Valẽtini domicilium erat. Procidentis tubi pondus tabulatum primum traxit, atque è tribus Florentinis ciuibus, qui expectabant, dum à Valentino debita pecuniæ ſumma redderetur, ſecundo tabulato confracto, duos ad pedes Pontificis exanimatos, & occiſos proiecit, tertium quoque ſpirantem, ſed graui vulnere ſaucium. Multi tum lateres, tum tabulæ, ne Pontificis caput comminuerent, ſuperſtantis vmbellæ tegmine factum eſt. Eadem inuoluto capite nè puluere ſuffocaretur, valuit. Accurrunt aulici, exanimatum Pontificem inter rudera repertum capite, & manu grauiter ſauciatis, expiranti ſimilem, nec ſatis compotem mentis in ſtrato componunt. Capuæ Cardinalis, & quidam alius, qui ſoli erant cum Pontifice, ſub feneſtrarum abſidibus, & receſsibus vitam ſeruarunt. Multi apud populum coniectandi ſuperſtitioni ad inſaniam deditum Romæ præſertim rumores ſunt ſparſi. Variæ ſignificationes, & prodigia captata lingua procaci. Septuageſimum annum impleuerat Pontifex: tractata vulnera recrudeſcere videbantur. Vulgi ſermonibus multi ſucceſſores in Pontificatu ſenatus principes deſignabantur. Valentinus ipſe auxilia Gallica conquirere, alia præſidia ab alijs, ad eum conſtituendum Pontificem, quem priuatis quiſque rationibus opportunum maximè iudicabat, nulla reipub. curâ. Verùm eas molitiones reſtituta breui Pontificis valetudo frænauit. *Mariana l. 26. c. 7. ex diarijs Bruchardi.*

*Viuendi Cleri turpitudinem Deus vindicat in Pontifice.*

XV. *Epiſcopus Calaguritanus de hæreſi ſuſpectus in vincula conijcitur.*

Superioribus diebus captus fuit, & in arcem S. Angeli coniectus Petrus Aranda Epiſcopus Calaguritanus, Magiſter domus Palatij Apoſtolici, de fide, & hæreſi ſuſpectus. Eius inquiſitio, & examen commiſſum fuit, Petro Archiepiſcopo Rhegino, vrbis Gubernatori, Petro Cæſenatenſi Epiſcopo, Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Auditori, & Egherdo Epiſcopo Scleſuiceri, vnius Auditoris Rotæ Locum tenenti. Centum teſtes pro eo interrogati, ſinguli aliquid cõtra eum teſtati ſunt. Capita accuſationum fuere, quæ is vt affirmaret, vel committeret.

1. Legem Moſaycam habere vnum principium; Chriſtianam autem tria, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.
2. Chriſtum paſſum non eſſe, ſi eſt Deus.
3. Orando dixiſſe, *Gloria Patri*, ac omiſiſſe, *Filio, & ſpiritui ſancto.*
4. Pranſiſſe, antequam celebraret.
5. Die Veneris Sancta, & alijs prohibitis diebus carnes comederet.
6. Indulgentias nihil eſſe, vel operari, ſed inuentas à Patribus pro eorum commodo.
7. Non eſſe infernum, vel Purgatorium, ſed paradiſum tantum, & multa alia.

Conuictus, confeſſus, ſententiam depoſitionis, & carceris perpetui, in conſiſtorio à Pontifice latam tulit. *Brucardus non notis diarijs*

XVI. *Varios hortatur Pontifex ad Granatenſes in fide inſtruendos.*

Non minorem diligentiam adhibebat Alexander Pontifex, in Granatenſibus Mauris, qui fidem Chriſtianam, ſiue eiurauerant, ſiue nondum ſuſceperant conuertendis. Ad id operis per litteras excitauit, Ferdinandum, & Iſabellam Catholicos Reges, nec non Franciſcum Ximenium Archiepiſcopum Toletanum, & Ferdinandũ Talabricenſem ex Hieronymiano Ordine Pontificem Granatenſem, virum ſanctimonia, & doctrinâ clarum. Hi omnes pro ratione officiorum ſuorum, iniuncto operi incumbere non intermiſerunt. Et quidem Pontificibus, concordibus animis de Maurorum ſalute inter ſe communicantibus, omnemque curam ad eos Chriſto adiungendos conuertentibus, hæc demum ratio ad id exequendum potior viſa fuit. Vocatis primum ad ſe Sacerdotum Mauricorum principibus (quos illi *Morabitos, & Alfaquinos* vocabant) cum ijs quotidie manſuetè, & comiter de rebus ad religionem ſpectantibus diſputare, nihil per vim cum illis agere, ſed potiùs omni liberalitatis genere eorum animos ſibi deuinciendos curare, quod & fecerunt. Nam partim ſericeis telis, partim rubris pileis coccineo grano tinctis, quibus gens illa impensè delectatur, non contemnendâ ſummâ comparatis donatos à ſe dimittebant. Qui nuper igitur contempti, & captiui eſſe videbantur, æquâ libertate, & ſplendore cum victoribus ſe frui cernentes, animis paulatim erga Chriſtianos conciliatis, Chriſti dogmata amplecti cæperunt: populoque deinceps ſuadere, vt mendaci Mahometo abnegato, Chriſtum verum Deum ſequerentur. Fuit id adeo prouidens, & ſalubre conſilium, vt intra paucos dies *Alfaquinorum* authoritatem turbæ ſecutæ, ad Baptiſmum petendum cateruatim conuolarent. Nam dies quidam inter faſtos relatus eſt, quo pluſquàm tria millia hominum luſtrali aqua expiata ſunt, quos cùm poſſet Ximenius priuatim ſingulos de more Eccleſiaſtico tingere, decreuit aſperſorio vniuerſos luſtrare, quod locum habuit ſimplicis merſionis. Ingentis huius beneficij cauſa, quo reſpub. Granatenſis tunc affecta fuit, Ximenius, Deiparæ Virgini, ſub cuius tutelâ Eccleſia Toletana eſt, ſolennia ſacra cum Granatæ, tum Toleti eo die quo annis facienda curauit: quæ nunc etiam XV. Calend. Ianuarij, duabus his celeberrimis vrbibus, magnâ Senatus religioſi curâ celebrantur. Bona pars Granatenſis vrbis iam fidem Chriſti libentiſsimis animis ſuſceperat, quando exorti ſunt quidam contumaces, & rebelles, qui paternarum traditionum nimis ſtudioſi, dolenteſque priſcam Maurorum ſuperſtitionem in Hiſpania funditus eo exemplo perire, populi animos crebris concionibus à Chriſtianiſmo vehe-





menter deterrebant. Hos omnes Ximenius, nè quid detrimenti nouellæ illæ plantationes caperent, vinculis coercitos, in cuſtodia detinuit: & quod eius ingenio repugnabat, indignis modis tractari permittebat. Inter hos Zegri quidam, partim ob generis nobilitatem partim ob egregias animi, & corporis dotes authoritate præſtabant. Nam ſermone hominum iactabatur, è patritia illius Abenhamaris familiâ, qui rhytmis vernaculis paſsim ab Hiſpanis decantatur, rectam originẽ trahere. Is magnoperè aſsiduâ cõtrà ſuos increpatione, Ximenij pios conatus retardabat. Hac de cauſa decreuit Ximenius, omni ferè humanitate depoſitâ, ſeuerâ in eum ratione animaduertere, & ei, quem comitate & beneficentia nullo modo potuerat placare, acriora remedia admouere. Data eſt cura cicurandi hominem Petro Leoni, Ximenij à ſacris miniſtro, qui verè animo leonino præditus, adeò fortiter in ea re ſe geſsit, vt hominẽ alioqui ferum, & immani truculentiâ reluctantem, manſuetum, & humilem reddiderit, prorſuſque Ximenij voluntati obtemperãtem. Nam aliquot pòſt dies, diuino ad id aſpirante fauore, qui omnibus hominib. ad ſalutẽ præſto eſt, *Zegri ad Alfaquinum* Chriſtianorũ (ſic enim dixiſſe memoriæ proditur) ſe deduci quamprimùm poſtulauit. Deductus vt erat vinctus & ſqualidus, à Ximenio petijt, vt quò poſſet liberè eloqui, vinculis illum iuberet exoluere: neque enim quicquam pro rato habendum eſſe, quod ab homine captiuo cõpedibus, & manicis conſtricto diceretur. Ille vinculis ſolutis continuo in genua pronolutus, terrã primùm deinde manum propriam, ex Maurorum ritu à priſcâ gentium adoratione dimanante, deoſculatus ſe velle fieri Chriſtianũ dixit; id enim ſibi eâ nocte, manifeſtâ viſione ab *Ala* (ità enim Mauri Deũ vocant) admonitum; ſeque diuinitùs ad eam rẽ vocari certò ſcire. Quod tum proculdubio ſe declaraturũ eſſe confidebat, quando quippiam tale accidiſſet, vbi eius fides ergà Chriſtianos expoſceretur; vt interim taceret, quantũ momenti ad rem quam in præſentia parabat Ximenius, ſua ad Chriſtũ cõuerſio allatura eſſet. Sed næ ego ridens, *inquit*, ſtultus ſum, qui aliundè monumenta requiro, quam ab hoc tuo ferociſsimo leone, cui ſi noſtri ſemel cõmittantur, nemo erat, qui non illicò Chriſtianus fiat. Hoc aũt renidẽti vultu, quaſi ſubnotare vellet Leonis erga ſe acerbitatem. Lætior eâ de re quàm credi poteſt Ximenius, ablatis captiuitatis veſtibus, totoque illo pædore abſterſo, quem ex diuturna, eaque grauiſsima cuſtodiâ contraxerat, veſte coccineâ, & ſericeâ indutum, ad ſacrum fontem venire iuſsit. Vbi ille per baptiſmum reuiuiſcens, nomen ſimul cũ religione mutauit, & Gonzalum Ferdinandiũ Zegri ſe appellari voluit; quoniam olim adoleſcens, in latiſsima illa planitie, quæ ante vrbem Granatã eſt cum magno Gonzalo Ferdinandio, forti dimicatione, & ancipiti certamine, manum conſeruerat, vireſque ducis præſtantiſsimi, cum ſingulari humanitate expertus fuerat: & potiſsimùm in gratam optimi Antiſtitis, quem magni Gonzali amicum, ob eius excellentiam eſſe ſciebat, certè illum officijs nõ vulgaribus, in ſui amorem pellicere curauerat. Cõmodiſsima accidit Ximenij conſilijs hæc Gonzali Ferdinandij Zegri conuerſio. Nam ſimul atque id vulgatum fuit, Mauri, quibus priſca ſuperſtitio cordi erat animis mutatis, Chriſtianiſmo initiati ſunt. Tantum potuit vnius hominis apud populum authoritas, qui ſuâ virtute, & animi præſtantiâ fidem ſibi, & amorem apud ſuos pepererat. Quinquaginta millibus nummûm in ſingulos annos, à Ximenio Zegri donatus, non modò Chriſtianæ religioni apud ſuos dilatandæ, ſed & Reipublicæ commodis augendis multis in rebus poſteà vſui fuit.

XVII. *Ximenius Archiepiſcopus in exſtirpãdo errore Mahometano diligens.*

Hoc ſucceſſu exultans Ximenius, occaſionem tam commodam vrgendam, & totum Mahometanum errorem penitùs ex animis illorum, quãdo opportunitas dabatur, extirpandum eſſe ratus, nihil illorum opiniones morabatur, qui inueteratam conſuetudinem paulatim aboleri conſultius eſſe cẽſent. Id enim in rebus parui momenti, & vbi de animarum ſalute non agitur, locum habere exiſtimabat. Ergo *Alfaquinis* ad omnia obſequia eo tempore exhibenda promptis, *Alcoranos*, id eſt Mahometanæ ſuperſtitionis pleniſsimos libros, & omnes cuiuſcunque authoris, & generis eſſent eiuſque impietatis codices, facilè ſine edicto, aut vi, vt in publicum adferrentur, imperauit. Quinque fermè millia voluminum fuere comportata, quæ varijs vmbilicis, Punicâ arte, & opere diſtincta, auro etiã, & argento exornata, non oculos modò, ſed animos quoque ſpectantium rapiebãt. Multi eis à Ximenio ſe donari petierunt; ſed nemini quicquam conceſſum eſt, ignibus omnia, publicâ in pyra, ad vnum exuri, præter aliquot ad rem medicam pertinẽtia, cuius gens illa, non ſine magno profectu ſtudioſiſſima ſemper fuit, quæ propter ſaluberrimæ artis dignitatem ex incendio iſto liberata, in Bibliotheca Complutenſi nunc ſeruantur. Hactenùs quidẽ proſpero curſu, Ximenio propoſitũ ſucceſſerat: & quãuis res difficilimas, & grauiſsimas ſit aggreſſus, incomparabili tamen prudentiâ quâ ſemper eſt vſus, oẽs ex voto confecerat. Non deerant tamen, quibus indignum eſſe videbatur, profuſque ab inſtituto Chriſtiano alienum, quemquã per vim, aut huiuſmodi artibus, ad fidem Chriſti capeſcendã adigere; cuius vnicus ſcopus manſuetudo eſt, & prompta inprimis, ac ſyncera voluntas: cùm præſertim Toletanis Concilijs, quorum tàm celebris apud omnes Chriſtianos authoritas eſt, ſeuerè admodum ſancitum ſit, nemini vim ad credendum Chriſto inferẽdam. Cæterum ille conſilium in ea re ſuum ſecutus fuit, paulòq; pòſt ad duriſsimum ſcopulũ allidens, vt in rebus humanis quoties aliquid præclarum tẽtatur, parata ſemper inuidia eſt, quæ ardua quæque negotia ſubuertit, milleque impedimentis obſiſtit, animi ſui conſtantiam oſtendit, quãtumque robur pectori ineſſet, in grauiſsimo caſu declarauit.

*Idem animi ſui cõſtantiam in grauiſſimo caſu oſtendit.*

Eſt in vrbe Granatâ locus, qui *Albaizinus* à Mauris appellatur, regio prærupta, & reliquę vrbi imminẽs, & ſuis mœnib. ab eadẽ ſeparata, quæ domorum pluſquã quinque millib. habitatur. Illic fortè fortuna, quidã ex Ximenij familiâ venerat, cui nomẽ Salzedus erat, duob. miniſtris comitatus, ex ijs, qui pedites Ximeniũ præibãt. Hos Albaizinẽſes aliquot cõſpicati, qui iãdudũ priuata aliqua de cauſa Salzdo infenſi erãt, verbis primũ aſperis eos accipiẽtes, deinde obiurgatorijs, & cõtumelioſis, poſtremo veſanis, & furore plenis mutuò ſeſe cæperũt accendere: vnde in tantã rabiẽ tandẽ deuenerũt, quæ mẽtis aciẽ obſcurans, vulnera demũ, & homicidia patrat. Confoſsis illis, eadẽ Salzedũ fortuna ſecuta fuiſſet, niſi cõmodũ ſe proripuiſſet, & Mauræ mulieris beneficio ſub lecto occultus tãtiſper delituiſſet, quoad ille tumultus ſedaretur. Sed nõ ità facilẽ ſedari potuit. Nã clamorib. hinc inde increbreſcentib. cũ adhuc captiuorũ pectorib. dulciſsimę libertatis imago obuerſaretur, occaſionẽ eiuſdẽ recuperãdæ ſibi dari auidè exoptãtib. cæpit vniuerſus Albaizinus cõcuti, & hinc inde arma cõclamari. Excita demũ tota ciuitas eſt, & omniũ animi ad res nouas erecti, nihil magis, quã defectionẽ minabãtur: Augebatur in ſingulas horas furor; quoq; minùs reſiſti poterat, eò maiores vires capiebat. Superuenit intereà nox, quę omnia incõmoda auget, ſed timori potiſsimũ incremẽta addit magna, animis bonorũ vltrò ſeſe cõtrahẽtib. & faciẽ illã tenebrarũ formidãtib. Mali verò homines per noctis licẽtiã pudore ac metu liberi, citrà illius reuerẽtiã, impunè quidlibet audẽt. Quare illicò vniuerſi Granatẽſ. ſiue quod diſsimulãter Ximenio iãquã ſuæ ſuperſtitionis euerſori, irã, & odiũ iãdudũ occultabãt, ſiue potiùs, quod ex eiũs familia

ſuos illos riuales eſſe agnouerant, quibuſcum nuper ad Albaizinum contentio habita fuerat, domum Ximenij obſidere inſtituunt: & quem paulò antè cãtilenis, per vicos celebrabant, liberalitatem eius prædicantes, quam in ſe demerendis nullis ſumptibus parcens exhibuerat: nunc, quæ vulgi leuitas eſt, mutatis animis, domum eius cingunt, eũque è medio, tollere volunt, aut certè eius familiam, vniuerſam, cui oppido quàm indignati erant. Suadebant plerique Antiſtiti, vt turbarum furorem in tẽpore euaderet, protinuſque ad *Alhambram* ſe conferret, id eſt vrbis Granatẽſis præſidium, vbi cohortis Prætoriæ dux cum electiſsimis militibus ad tuendam ciuitatem excubat. Pium conſilium refutauit Ximenius indignumque ſuâ grauitate duxit, ſedes aliò eâ nocte mutare; cùm præſertim periculum eſſet, nè eo abſente, in familiam ſæuiretur. Idcircò ad omnem fortunam paratus, maluit communem euentum cum ſuis expectare, quàm quicquam facere ſuâ cõſtantiâ alienum. Nox illa fuit terroris plena, totaq; inſomnis peracta eſt. Nam fidi famuli pro hero ſoliciti, herus contra illorum curam gerens, mutuis officijs ſibi proſpiciebant, nihilq; eſſe in tanto metu remittendum arbitrabantur, quod ad ſalutem ſuam pertineret. Vt autem aurora diluxit, quoniã tumultus duraturi videbantur, Tendillano Comite ad ſe accerſito, qui Alhambræ cuſtodiæ præfectus erat, ciuitatis curam magnoperè commendauit, vtque ſuos prætorianos milites, qui ducẽti plus minùs numerabantur, paratos in procinctu haberet, admonuit. Ipſe interim prudentia ſuâ, omnia tentare, nullum lapidem non mouere, nunc *Alfaquinos* nunc turbas alloqui, ſemperque Chriſtianis ac ſuis bonas ſpes oſtendere, vt facilè eos motus cõprimendos, priſtinamque vrbi ſerenitatem Deo Opt. Max. annuente reſtituendam eſſe crederent. quod tamen ante decimum diem factum non fuit. Neque enim, quamuis omnem diligentiam, omneque ſtudium ille adhibuiſſet, antè id tempus pacari potuit. Tertiò ſtatim poſt coortam ſeditionem die, cùm vellet Ximenius nuncium quàm velociſsimũ ad Reges mittere, quo de his omnibus quemadmodum acciderant, edocerentur, iamque iter adornaret, acceſsit vir eius ciuitatis patritius, Ciſnerus nomine, qui ſe Æthiopem habere dixit, pedib. in ſingulos dies octuaginta quatuor paſſuum millia, ſi opus eſſet, facilè conficientem; cui ſi negotiũ demandaret, intrà biduum Reges proculdubio litteras, quas mandaret, recepturos affirmabat. Facilè Ximenius perſuaſus eſt, & Æthiope ad ſe venire iuſſo, litterarum faſciculum dedit, quem in manus Reginæ, aut ſi id minùs liceret, Almazano Regio Secretario traderet. Digreditur omnia promittens Æthiops, qui, vt eſt hominum Sordidorum ingenium, nihil ſuam exiſtimationem reputantium, ad ſecundum, vel tertium diuerſorium ſeſe epulis, & vino obruens, in ſequentem diem iacuit. Quinque dies præterierant, neque vnquam Hiſpalim, quo mittebatur, peruenerat. Accidit id par iniquis fatis Ximenio, ſed, vt nonnullis videbatur, commeritis qui miſero homuncioni, & vt id genus hominum eſt non ſatis mentis compoti, tantam rem commiſerit. Quanquam ingens turbatio homini quantũuis conſtanti, ſoleat mentis dimidium eripere. Nam cùm varijs curis diſtrahitur animus, mirum nõ eſt, ſi non omnia præcaueat. Peruenerat intereà ad Reges, Granatenſis tumultus fama, eamque multis partibus adauxerat; totam ſcilicet ciuitatem rurſus in Maurorum poteſtatem veniſſe; & tam atroci, ac graui iacturæ, Ximenium Toletanum Antiſtitem, occaſionem omnem dediſſe; dum ſtudio minus pertinaci, Mauros homines adhuc rudes, & traditionum ſuarum tenaces, multis præmiſsis Catechiſmis aut doctrinis, ſubitò voluiſſet Chriſtianos fieri: ſtupor imprimis Reginam tenebat, quæ ferè iam rumoribus credens, de Antiſtitis ſui prudentiâ dubitabat: cùm nihil ab eo per tot dies renunciari, nihil, quod factum excuſaret, aut afferri, aut ſcribi videret. Regem verò cui tot ingentibus laboribus, tot ſumptibus, ac difficultatibus, vrbis illius expugnatio conſtiterat, grauis quidam dolor occupabat; adeò vt iram conceptam nõ diſsimulãs, indignabundus ad Reginam, quæ Ximenium excuſabat, dixiſſe vulgatum ſit. *En tot maiorum noſtrorum, & noſtros triumphos, Hiſpaniæ nobilitatis ſudore, & ſanguine partos, ob Ximenij tui ſtultam pertinaciam, momento temporis diſsipatos, & euerſos.* Hæc Regis tàm iuſta, vt tunc omnibus videbatur increpatio, eò acriùs mentem Reginæ pupugit, quoniam nondum coniugis, animo excidiſſe, ſentiebat, Alphonſi Aragonij filij honores præreptos, & Ximenij prælati iniuriâ. Anxia igitur animi Regina, litteras doloris, & querimoniæ plenas ad Ximenium quamprimùm dedit, quas cùm ille recepiſſet: tandem ſecum cogitare cæpit, quantum rebus detrimenti proueniret, ex ignauis, & ſecordibus miniſtris. Siquidem impuri Æthiopis causâ laudem ſuam, & authoritatem, in offenſionem, & contemptum apud Reges veniſſe animaduertebat. Quâ de cauſa deinceps cauit, vt probos, & ſtrenuos homines, vel ad minima quæque negotia ſuſciperet, illud ſæpe inter familiares dictitans: *Qui operam exactam in conficiendis negotijs captat, exactos etiam ad ex miniſtros conquirat, oportet magnoq; in pretio illos habeat. At qui facilè quoslibet ſine examinatione, ad ardua, vel leuia tractanda ex æquo admittit, is plerumq; rem malè geret; nec habet, quem accuſare poſsit ſecioris euentus, præter ſe ipſum.* Ergo Ximenius, vt Regum indignationem, & conceptam iracundiam mitigaret, Franciſcum Ruidium ſodalem ſuum, cùm mandatis Hiſpalim ad Reges miſit, ſtatim ſe illuc venturum promittens, rationem omniũ illis redditurus, ſimul, ac motus Granatenſes reſediſſent. Ruizius porrò adeò rem omnem à principio eleganter edocuit, adeò ſingula per partes diſſeruit, vt Regum animos, ſerie rerum actarum auditâ leniuerit, & ſuo patrono priſtinam beneuolentiam reſtituerit. Pòſt verò Ximenius Hiſpalim veniens, omnem præſentiâ ſua, ſi qua remanſerat, offenſionem abſterſit. Nam omne animi ſui conſilium circà res Granatenſes accuratiùs patefecit: quod ſe tantiſper Reges celauiſſe dicebat, nè quid ſibi impedimento eſſent ad id opus, quod parabat, peragendum. Sumptibus igitur immoderatis conſideratis, quibus profuſiſsimas largitiones in Mauros fecerat, & vitæ diſcrimine, quod ſuſtinuerat, animaduerſo, cùm nullius ad id authoritate, aut imperio ageretur, aut inde vllum emolumentum, niſi vnicam Dei gloriam, & laudẽ captaret, nõ ſolùm omnis indignatio diſcuſſa eſt verùm magnæ illi actæ ſunt gratiæ, quòd rem tàm difficilem animo primùm concipere auſus, ad exitum tam felicem perduxiſſet. Nam cùm Albaizinenſes læſæ maieſtatis crimine, ac lege tenerentur, conditioque illis propoſita eſſet, Vtrùm ſupplicium mallent, an Baptiſmum; ad Chriſtum omnes ad vnum ſunt reducti, & ſimul quicquid in reliqua vrbe infidelis turbæ ſupererat. Hos omnes Archiepiſcopus Granatenſis, in partem gregis ſibi commiſsi receptos, ſedulò vt par erat, Ximenio adiuuante, Chriſtianis myſterijs per ſingulos dies imbuendos ſanctiſsimè curauit. Sacris etiam Miſſarum ſolennijs, ac diuinis pſalmodijs, quæ ex antiquorum Patrum traditione, in Orthodoxis Eccleſijs decantantur, eos intereſſe conſuefaciebant. Et quoniam Granatenſis Archiepiſcopus, lectiones quæ interdum ex veteri, aut nouo teſtamento, horis præſertim nocturnis occurrebant, vulgari Maurorum idiomate, neophitis recitari paſsim demandauerat, libroſque excudi promiſerat, qui adhuc ex eo tempore in noſtram ætatem durant, quibus aliquot





Miſſarum ſolennia, & nonnullæ Euangeliorum partes, in Arabicam linguam tranſlatæ continentur, ſecutus [illegible] exiſtimo, quod Apoſtolus ad Corinthios ſcripſit: Ximenius; qui Pauli verba longè aliter interpretabatur, indignum eſſe, & penè per piacula dicebat, margaritas antè porcos proijcere; hoc eſt, hominibus nondum benè in religione confirmatis, ſacra Chriſtianorum irridenda, aut contemnenda proponere. Hac enim mundi ſeneſcentis calamitoſa, & deplorandâ ætate, quando hominum vulgarium mentes tam longè ab illa puritate, quam Pauli temporibus retinebant, degenerârunt, nihil minùs conuenire, quàm ſacroſancta illa, & nonniſi à viris integerrimis, & ſanctiſsimis percepta oràcula idiomatibus vernaculis vulgari, quæ vt Petrus Apoſtolus ait, *indocti, ad ſuam perniciem detorquent.* Nam talem eſſe vulgi naturam dicebat, vt obuium quodque, & expoſitum contemnat: abditum verò, & inacceſſum in pretio habeat, & reuereatur. Ideò vt quæque gens prudentiſsima fuit, ità quàm longè à myſterijs ſuis prophanum vulgus, & turbas arcuiſſe; quin & Chriſtum ipſum, ſapientiam ſummi patris, multa quoque non aliâ de cauſa in parabolis dixiſſe aſſerebat, quàm vt à turbis imperitis abſconderet, ſuiſque diſcipulis ſeorſum reuelaret. Placere quidem ſibi eos ſermone vulgari libros circumferri, qui ab hominibus pijs ſcripti, aut optimorum exemplorum narratione, aut ardentibus verbis, & grauibus rationibus, prudentique adeò, & maturo dicendi ſtylo animos prorſus deiectos excitarent; & ab his rebus, quæ ſenſibus ſe offerunt, ad illa diuina contemplanda, & agenda reuocarent, quales ipſe in vulgus edendos, quamprimùm eſſet otium, meditabatur. Cæterùm nouum, & vetus inſtrumentum, in quibus multa ſunt, quæ doctum, & attentum lectorem, caſtumque, & pium hominem requirunt, tribus illis linguis aſſeruanda eſſe, quas non ſine maximi myſterij causâ chariſsimi filij capiti, in acerbiſsimo, quod patiebatur, ſupplicio Deus ſuperponi voluit. Iam verò diuinans affirmabat, tunc demùm magnam Chriſtianæ religionis perniciem adfuturam, quando vtriuſque teſtamenti Oracula, in vernaculas linguas vulgarentur. Id enim peſsimis quibuſque vulgarium hominum ignorantiâ abutentibus, ad vniuerſum Eccleſiæ ſtatum labefactandum, paratã occaſionẽ ſubminiſtraturum: cũ nihil ſit facilius, quàm rudi plebeculæ imponere, ſapientiæ præſertim opinionem ex vulgatis myſterijs arroganti. His tàm prudentibus Ximenij dictis, nonnihil ab eius conſilij progreſſu temperatum eſt: quamuis eis, qui Talabricenſi fauebant, viſa ſint paulò duriora. Cæterùm pluſquàm vellemus, veracem Ximenij ſententiam, rerum, quas cernimus, euentus comprobauit. *Gomecius de rebus geſtis Ximenij lib. 2.*

Datum & iſtud vitio à nonnullis Ximenio, quòd Mauros quoſdam *Elches* vulgò dictos, qui Chriſti ſacra, quæ priùs ſuſceperant, educârant, Inquiſitorum permiſſu, quorum ea cura erat, cogere voluiſſet; ac præſertim teneros filios per vim auulſos ſacris fontibus eluendis adhibere. Id enim turbarum initium fuit. Albaicinis Chriſto renatis, ſeu adiunctis, Montani ad Granatam Mauri locorum naturâ freti ſimulantes, an verò perſuaſi, reliquos per vim Chriſtianos eſſe factos, tumultus paſsim concitârunt, conſpiratione inter ſe facto conſilio communicato. Initium rebellandi Huegiaris incolæ fecerunt munitione magis, quàm viribus confiſi: quippè locis aſperrimis eſt poſitum oppidum. Accurrerunt magnâ celeritate Tendiliæ Comes, & Magnus Conſaluus, fortè hoc tempore agens Granatæ, nè ſerperet malum, prima negligendo. Capto per vim oppido in pleroſque rebelles ferro eſt ſæuitum: cæteròs vicina montium, iuga ſyluæque texere. Eodem impetu alia circum Maurorum oppida capta: neque ſiſti tamen malum poſuit fatali defectione, quaſi peſtis lue per latè patentes montes diffuſa, graſſanteque: atque ità vt non modò ſua tueri parati eſſent: Sed de finitimis prædas agere, vaſtare agros, carpere quoque oppida, cædes facere. Marxenam inprimis obſederant, quod oppidum in Promagiſtri Caſtellæ poteſtate erat. Aduersùs hos conatus Petrus Fagiardus, qui Almeriæ cum exigua manu militari tunc erat, Alhamillam vicinum Marxenæ oppidum, de Mauris cum arce cæpit: eoque terrore Marxenæ obſidio ſoluta eſt, hoſtes diſsipati. Ipſo tempore Reginâ Hiſpali relictâ Rex Granatam redijt, in vnam comprimendi eos motus curam intentus, metu nè ex Africa, quæ vicina eſt, & vnde auxilia rebelles petere decreuerant, graui aliquo bello implicaretur. Ex nobilitate, & ciuitatibus Beticæ, omnibus ad arma, ſignaque euocatis, numeroſum magis, quàm validum exercitum conflauit. Cùm ijs copijs ipſemet Calendis Martij huius anni, Granatâ profectus, Langiaronem versùs contendit, ſitum oppidum locis præruptis. Obſtinatis Mauri animis nihil voluntate facturi videbantur: vi admotâ captum, direptumque eſt oppidum. Lerini Comes, aliique proceres, copiis in plures diductis manus, ac per eos montes diſsipati, multas eâ parte arces, & oppidi pari felicitate expugnârunt. Sæua ac deformis eo tractu vniuerſo rerum facies. victa malis ferocia Mauri rebelles ſe dedere decreuerunt. Imprudenti impetu cæpta, initis valida, morâ langueſcunt. Data omnibus venia, modò pacatis eâ lege, vt intrà dies quatuor, Caſtellum ferreum, Adram, Bugnoliumque reſtituerent; quæ oppida motuum initio de Chriſtianis ceperant, & quamuis infirma ante, iniuriæque opportuna, diligenter ipſi ad omnes caſus, vimque arcendam munierant. Arma, telaque omne genus traderent; prætereà quinquaginta millia auri duabus penſionibus; obſideſque fidei, ità facturos in magni Ducis poteſtate, triginta quattuor è præcipuis Mauris. Motibus ad hunc modum compoſitis, Rex Granatæ ſubſtitit, eâ gente ad Chriſtum adiungenda, abluendaque ſalutaribus aquis diſtrictus. Eâ diligentiâ paulò pòſt montani Mauri, quique Almeriæ, Baſtæ, & Guidixii habitabant, alijſque locis Chriſtiana ſacra populariter ſuſcepêre. Miſsi ad eos confirmandos, ſanandoſque cæteros, pij in omnes partes concionatores ſunt adiuncti militari præſidio. Dignitatis ſpecie nè violerentur impunè, agebatur, ſi qui ex Mauris malè cogitarent. Et eſt gens Maurica mobili ingenio, fluxâ fide. Quod prudenter ad ſalutem comparatum videbatur, in contrarium vertit; ſic humana conſilia ſæpè deluduntur. Improuidas hominum mentes. Vulgatum rurſus famâ, ex eo apparatu vim, & metum Mauris nouo conatu intentari. Incolæ Beleſichi, & Nixarii, quæ oppida iugis montium aſperrimis ſita ſunt, arma hyme proxima corripuerant, patriæ ſuperſtitionis libertatem ſupremò conatu tueri deſtinantes. Horum exemplum, pleraque eo tractu oppida montana ſecuta ſunt, ſignumque ſublatum, quo cæteri Mauri confluerent? Quâ ſpe? quibus viribus? Cæcus animi impetus, miſeram gentem in furorem agebat, patriæ ſuperſtitionis amore, quo nihil eſt potentius. A Rege, qui vſque dum Granatæ morabatur, bello

*Ferdinandus Rex Granatã ad comprimẽdos in ea motus, redit.*

*Idem Maurorũ rebellium audaciam ſæpè comprimit.*

dux deſignatus Regiæ aulicorum cohorti Præfectus, continuò collectas copias, Beleſichum admouit. Impugnatum oppidũ omnibus viribus, & machinis. Obſeſsis tamen ſtrenuè tuentibus, à mænib. repulſi ſunt Chriſtiani, non ſine multorum ſtrage; inter quos viri genere, factiſque clari cecidere. Ducebatur obſidio tamen. Mauri ſolâ de ſperatione ſuſtentabant, pro Chriſtianis cauſæ erat, & parta ſæpè victoria. Obſeſsi tandem ſibi victi, poſitis armis, ijſque, & reliquo bellico apparatu victori traditis oppidũ, arcemque dediderunt, vnam incolumitatẽ pacti. Bona, & libertatem arbitrio victoris permiſere, de Regia clementiâ confiſi. Eo terrore Nixarij incolæ ijſdem conditionibus venere in poteſtatẽ, eâ tantùm exceptione, vt libertatem publicè redimẽdi, 25. aureorũ millibus facultas eſſet. Feſtinatæ deditionis id præmiũ fuit. Ad Regem præterea placandũ Mauri ſuprà 10. millia Seronis, Tijolæ, aliorumque eo tractu pagorũ incolæ ſacris fontibus admoti ſunt. Magnus numerus; ad pacandam tamẽ gẽtem, reique ſummã, emolumenti parũ. Nam eodẽ tempore in Arundæ, & Villalongæ confragoſis mõtibus, Maurici tumultus publicè ſunt concitati. Cõmotus, vt par erat, Rex ea nouâ rebellione, voce quidem præconis, edictoque denunciari mandauit omnibus Mauris qui in ijs montibus, vbi motus erant, habitabant, vt in Caſtellam diſcederent: parando diſceſſu dies non amplius decem dati: cum eo tamen arcanò conceſsit, ſi qui Chriſtianam religionem ſuſciperent, ijs manẽdi in patria, ſuaq; cuique retinẽdi, venia eſſet. Deinde Vreniæ Comiti, & Alfonſo Aquilario Magni Ducis fratri maiori, præterea Ioanni Siluæ Ciſontano Comiti, tunc Hiſpalenſi Prætori belli cura eſt demã, data. Mauros indigenas eo terrore propoſito, facilè animos ad ſanitatem reuocantes, Gandulos gens Africana, quæ auxilio rebellibus venerat, ab ea mẽte deducere conabantur, quibus in temeritate, & contumaciâ ſpes; nihil præcipuum in Hiſpania. Saniores tamen Arundã poſitis armis vltrò, magnoque numero venerunt, Chriſtianæ religionis amorẽ ſimulãtes. Maior pars in incepto perſtitit, & qui immunita loca tenebant, in montem Rubrum præcipuâ aſperitate ſe, ſuas, ſuaque contulerunt, loci ardui naturâ confiſi, magis quã verâ virtute. Ijſdẽ veſtigijs Regiæ copiæ proſecutæ, propè Monardam ad radices eius montis poſuerunt caſtra. Mauri ad mõtis latus ſe oſtẽtare in armis, aſcenſu prohibere hoſtes parabant. Commoti eo ſpectaculo pauci è piorũ numero, cupiditate prædæ, ducum iniuſſu ſublato raptim vexillo, tranſmiſſoque torrente, qui eâ parte decurrebat præceps, inter ſaxa, niſi per ardua cœperunt. Secuti ſunt alij, nè primis deſertis in periculo, ignominia aliqua, cladeſque acciperetur. Vrgebãt de ſuperiori loco Mauri, Chriſtianoſq; aſcenſu, magnâ virtute prohibebant. Si premebantur, turpe nõ ducebant, loco cedere, ſeque in altiora iuga recipere, quæ ex interuallo exæquata, munitaque quaſi propugnacula habebant. Inſtantibus Chriſtianis ad planiciem latam peruentum tandem eſt, ſummũq; faſtigium montis, vbi Maurorum vxores, filijque erant, atque impedimenta; incitamentum vtriſque, vt in ſupremo conatu alij tuerentur, alij conarentur prædam rapere Hiſpanos cupiditas vrgebat, aduerſarios deſperatio, ſi victi eſſent, in rabiem agebat. Ceſsit tamen virtuti, ſine viribus furor. Mauri, quâ parte Hiſpani impreſsionem fecerunt, terga verterunt. Inſtitere in primo agmine Alfonus Aquilarius, & Vreniæ Comes cum duob. filijs. Nè integra victoria eſſet, praua cupiditas obſtitit, importunũque inter ipſos certamen, hoſte neglecto, ſpolia cõſectandi. Maior pars quaſi victoriâ partâ, ad prædã verſi ſunt turbatis ordinibus, militaris diſciplinæ nulla cura. Multis horis in aſcenſu, pugnaque conſumptis, nox ſuperueniens, vinctos texit locorũ peritos: Hiſpanis temeritas exitio fuit. Ductor Maurorum Feruis Bonaſte par collectis ex fuga ſuorum reliquijs, vir ſtrenuus, & ſagax hoſtiũ perturbatione ratus rei benè gerendæ opportunitatem oblatã circũfuſos milites pro tempore, hac ſententia oratione acuit. Quò milites ruitis? quæ cauſa fugiendi? Bona vxores, & filios, quo loco relinquitis? Niſi veſtræ vos manus texerint & arma, quiſnam malis medeatur? quis erit præſidio? An quò vos fugietis, eodem rabidi hoſtes non poterunt penetrare? Furor eſt in pedibus ſpem ponere, quorum dexteræ ferro ſunt armatæ: Quæ ignauos terrent, & timidis vidẽtur ardua, virtuti peruia ſunt. Hoſtium perturbationem conſideratè, (fortè ſulphurei pulueris cado incenſo latè diffuſa flamma diſpalatos, prædanteſque monſtrauit,) Ergo denſato agmine in hoſtes diſsipatos irruite veſtris ſpolijs graues, impeditoſq;. Præcedã ipſe, ferroque ſecuturis iter pandam. Vobis niſi exẽplum dedero, verbis meis nè ampliùs fidem adiungatis. Ducis verbis inflammati Mauri, pugnam magnis animis repetierunt. Non audacia, ſed temeritas videbatur, victores nouo conatu laceſſere. Ignauos tamẽ neceſsitas acuit, & deſperatio, quæ ſæpè ſpei cauſa exiſtit. Dux Maurus fortè, an conſilio, in Alfonſum Aquilarium delatus, qui vſque dũ cum paucis pugnam ſuſtẽtabat, vt erat thorace propter æſtũ diloricato, eius pectus graui vulnere ſauciauit. Ingeminârunt alij ictus eo vulnerum numero, vt deformatum corpus in hoſtis poteſtate relictum vix poſteà dignoſci à domeſticis potuerit. Perierunt cum eo plures ducentis, atque in eo numero Franciſcus Ramirus Madriti ciuis, dux magnus, virtute fama pari toto bello Granatenſi parta. Petrus Corduba Alfonſi Aquilarij filius, periculo ægrè ereptus ad Vrenium euaſit cum globo militũ hoſtis ſucceſſu ferocientis impetum comprimere paratum. Ciſontanus paulò interiùs in montis latere cum Hiſpalenſi vexillo reſiſtens, multis ex fuga ad eius præſidium ſe recipientibus ſaluti fuit, ſuique agminis, & fugientium armis hoſtium vim, vſque ad auroram ſuſtentauit. Cũ luce, Mauri fracti metu in pugnando defatigati, montis faſtigium conuerſis ſignis repetierunt. Sic Alfonſus perijt genere, & factis inter Hiſpanos nobiliſsimus Heros. Hoſtes vitam eripuêre: de eius laudibus nunquã bona poſteritas conticeſcet, quamdiù Hiſpanicæ res ſtabunt. Arundæ tunc Rex erat, commotus, vt par erat, ea clade: gentis perfidiam vlciſci correptis armis deſtinabat. Placuit tamen Anagari ducem Daydinum impugnare oppidum non ſatis validum, neque ſatis munitum. Vrenio, & Ciſontano mãdadatum, vt infauſtos montes nouo conatu ſuperãdi, qua parte aſcenderãt, ſpeciẽ præberẽt. Hoſtes nouo terrore propoſito, deſperata victoria de cõpoſitione vltrò appellare cõſtituũt, veniã poſitis armis fore non deſperãtes. Datũ à Rege, vt in Africã diſcedere volẽtib. libera facultas eſſet, nauib. etiã ad Aſtapæ portũ ad traijciendũ integra fide paratis, per capita tantũ denos aureos, ſinguli traiecturi pẽderet libertatis pretiũ. Qui patria carere nollẽt, Chriſto ij ſincerè nomina darẽt. Firmato ijs cõditionib. fædere, multi in Africã abiere: multò plures reſtiterunt in Hiſpania, in ſimulatæ Chriſtianæ religionis ſpecie, nihilo abeũtib. ſaniores, ingenio peruicaci. *Mariana lib. 27. c. 6. Surita de reb. Ferdinandi Catholici lib. 5.*

XVIII. *Luſitaniæ Rex Indos Orientales Chriſto adiungere ſatagit.*

Nõ minore cupiditate flagrabat Emanuel Luſitaniæ rex, Indos Oriẽtales, Chriſto adiũgẽdi. Enimuerò hoc anno 1500. claſsẽ 13 nauiũ mille, & 50. militũ capacẽ, bellicis munitionib. egregiè inſtructã miſit, duce Petro Aluaro Caprali. In eadem claſſe miſit 5. Monachos religionis opinione præſtãtes, ex his qui Franciſci viri ſanctiſsimi mores, & inſtituta ſequũtur, qui Calecutij, ſi fædus cũ Rege illo fieret, remanerẽt, vt Luſitanis, qui erant in ea vrbe negotiandi cauſa manſuri; ſacra miniſtrarent. & ſi qui ex alie-





nis gentibus ad Chriſti nomen adiungi vellent, eos ſanctis diſciplinis inſtruerent. His autem erat præfectus Henricus, vir ſingulari religione & pietate, qui poſteà ob vitæ ſanctimoniam, Septenſis Pontifex effectus eſt. Soluit Capralis cum omni claſſe VIII. Idus Martij, hoc anno M. D. ſuperato bonæ ſpei promontorio, ex longa iactatione claſſem portus excepit, cui ab egregiò ſitu, ac tuta ſtatione, ſecuro nomen impoſitum. Inde ad cognoſcenda loca, gentẽq; deſcensũ in terrã, & Chriſtiano ritu in ara ſubductili ſacrificatum, & cõcio de rebus diuinis ab Henrico eſt habita; barbaris, cùm nihil planè perciperent, tamen occultò numinis impulſu, cæleſtes cæremonias, & ſacram concionem admirabili ſtudio, ac veneratione concelebrantibus. Ex ijs vnus cum Gaſpare Lemio in Luſitaniam extemplo miſſus, Regem, ac cæteros omnes ingenti lætitia, atque animi voluptate perfudit. In eo littore Capralis præalta Crucis vexilla: ſolenni ritu, & precationibus conſecrata defixit; à quibus Regio ſanctæ Crucis in aliquot annos dicta: ſed à Braſilo rubro ligno, quod tingendis veſtibus, inde petitur, ſuper inditum deinde Braſiliæ cognomen, repudiata ſanctiore appellatione, tacitus prophani vulgi conſenſus, & pertinax conſuetudo retinuit: Eſt autem Braſilia noui orbis pars, quam, paulò pòſt Capralis acceſſum, Americus Veſputius, Florentinus, eiuſdem Emanuelis auſpicijs accuratiùs explorauit. Gens nullos omninò colebat Deos; ominibus tantum & augurijs ad inſaniam dedita, & ariolis, impoſtoribuſque miſerandum in modum expoſita. Sparſis domicilijs habitabat, nullo magiſtratu, legibuſue conſtricta: Trium ex Alphabeto elementorum. F. L. R. nullum vſum habebat; minimè abſurdâ quorundam animaduerſione factum id eſſe diuinitùs, eò quòd Fide, Lege, Rege carerent Braſilij: beneficiorum acceptorum immemores: æquè iræ, ac libidinis impotentes; ad pugnas, & certamina temerarij, præcipiteſque: vltionis, & ſanguinis humani auidiſsimi; ad ſummam, belluis, quàm hominibus propriores. Erat in magno apud illos honore quoddam genus hominum maleficum, quos de rebus certis conſulebant. *Pages* ab illis appellabantur. Hi geſtabant in ſumma Sagitta cucurbitam in faciem hominis figuratam. Quotiès autem illis libebat, intrà cucurbitam ignẽ ſubijciebant, & fumum ex herbis congeſtis faciebant, tùm fumum illum naribus accipiebant, vſque eò, dum ebrij vacillarent, & corruerent, & extrà mentem raperentur. Habent enim herbæ illæ eam vim, vt fumo quaſi vino ſuprà modum ſumpto mentem eripiant. Tum verò ſtridere dentibus, in ore ſpumas agere, oculos torquere, necem multis comminari, turbulentibus motibus, & geſtibus eos, qui circumſidebant, exterrere. Nemo enim ſuſpicabatur, illos abſque diuini Spiritus inſtinctu tàm horrendas voces iacere. Quòd ſi quis ex illis, quibus homo ad eum modum lymphaticus quidquã dirum prænuntiauerat, aliquem grauem caſum ſubijſſet, non dubitabant, quin illud ſupplicium, ad eam diuinationem referendum eſſet. Hi quocumque venirent, ſummo omnium plauſu recipiebantur, viæ muniebantur, carmina ad tibias gentis more concinebantur, choreæ agitabantur, fæminæ formoſæ, vel virgines illæ eſſent, vel cuiuſuis matrimonium tenerent, ad illos introducebantur. Opinabantur enim miſeri, ſi illos placatos habuiſſent, omnia feliciter euentura. Illic, neque filias parentibus, neque ſorores fratribus collocare licebat: reliquas mulieres, ſine vllo diſcrimine ſibi matrimonio coniungebant, quas tamen ſine offenſione interpoſita, deſerebant. In adulterio deprehenſas, vel occidebant, vel tanquàm ſeruas vendebant. Parentes non habebant in filias poteſtatem, ſed fratres: quos quidem, quoties eis liberet, venales proponebant. Venditio autem erat, pro alijs rebus, quas ipſi concupijſſent, permutatio, pecuniâ enim, carebant. Homines ſunt colore ſubnigro. Capillum habent mollem, nigrum, atque promiſſum. Sunt omnes imberbes, propterea quod volſellis omnes corporis pilos euellunt. Nullas litteras nouerant, nullam religionem colebant, nullis ponderibus, aut menſuris vtebantur, nullius Regis imperio ſubijciebantur. Cùm bellum inter eos exciretur, eum ducem eligebant, quem omnium fortiſsimum, & in bellis gerendis acerrimum fore credebant. Nullis veſtibus vulgò tegebantur. Qui tamen inter eos nobilitate præſtarent, veſtes inducebant è pſittacorum, & aliarum auium variorum colorum plumis confectas. & hi pileis ex eiſdem plumis contextis caput ornabant, & brâchijs armillas, ex plumis ſimiliter factas inducebant. Veſtes autem ab vmbilico, àd genua tantùm demiſſas gerebant. Mulieres capillos nutriebant: viri à fronte ad medium verticem, caput abradebant. Qui elegantius ornari voluiſſent, aures, & nares, labia, & facies etiam perforabant, & in locis illis lapillos varijs diſtinctos coloribus infigebant. Mulieres pro lapillis, minutis conchilijs, quæ apud illas gentes magno in pretio ſunt, ſimiliter excolebantur. In bellis arcubus vtuntur, & tanto artificio ſagittas emittunt, vt in quemcumque corporis vllius locum, ſagittam colineare velint, eum configant. Loco ferri, oſſibus piſcium, ſagittas armant; quibus tamen tàm altum vulnus imprimunt, vt tabulam quamuis ictu perfodiant. Venationibus aluntur; veſcuntur ſimijs, atque lacertis, anguibus, & muribus; nullaſque eiuſmodi dapes aſpernantur. Lintribus vtuntur è corticibus arborum ingentium factis; quæ tamen tantâ ſunt interdum capacitate, vt homines triginta ſuſtineant. Cùm piſcari volunt, alij remis lintrem agunt, alij verò mare fuſtibus verberant, & piſces exterrent: piſces attoniti ad ſummam aquam enatant; tum qui ad eam rem parati ſunt, cucurbitas aridas, & exinanitas ingentis magnitudinis ſub fluctibus oppoſitas habent, in quas piſces ſpontè ſubeunt. Frumentum minimè ferebant. Panem è radice vnius herbæ conficiebant, portulacæ magnitudine. Hæc autem tàm lethiferum venenum continet, vt qui illam crudam comederit, repentè moriatur. Illi verò radicem contundunt, contuſam exprimunt, nè quidquam in illa ſucci illius venenati remaneat: tùm ad ſolem exſiccant: molis deinde conterunt, atque farinam efficiunt. Ex ea, & vino, genus potionis faciunt ceruiſiæ perſimile, quo quidem, vbi ſe ingurgitabant, quod frequenter illis eueniebat, tum omnes, fraudes, & inſidias plus ſolito machinabantur. Erant ad laborem pigri, ad luxum, & otium propenſi. quoties à bellis conquieſcebant, totum tempus in conuiuijs, & cantibus, & ſaltationibus ſine vllo modo conſumebant. Choros in eodem loco ſemper inſiſtentes circùm orbem verſant. In cantibus non diſtinctis ſonorum interuallis, ſed ſimplici vocum ratione carmina modulantur. Illic autem, quæ fecerint in bello commemorant, facinoraque ſua ſummis laudibus extollunt; & omnes cantus ad virtutis militaris laudem reuocant, & interim ſibilis, & pedum ſtrepitu eandem ſymphoniam progrediuntur: alij verò ſaltantibus pocula miniſtrant, donec tandem omnes temulentiâ oppreſsi ſternantur. Domos è lignis ædificant, & culmis congeſtis obtegunt; & muris binis, aut ternis circumuallant, propter frequentia bella, quib. exerceri ſolent. In vna domo (ſunt .n. longiſſimæ) multi ſimul habitant: & ij inter ſe fraternè amant, libenterque alij pro aliorũ, qui cũ illis viuunt

*Braſilienſiũ mores.*

ſalute, vitam in quoduis diſcrimen iniiciunt. Bella non pro tuendis, aut propagandis finibus, ſed pro dignitate ſuſcipiebant, quoties opinarētur, ſe fuiſſe à vicinis, aut ab aliqua longinquâ natione contemptos, tum verò homines ſenes, qui magnum in reb. bellicis nomen, cùm eſſent iuuenes, habuerunt in conſilium adhibebant. Antè deliberationem quantum quiſque voluiſſet, tantū potionis exhauriebat. Quicquid ſenes de bello aut pace decreuiſſent, ſine vlla recuſatione pro viribus exequebantur. Ducē belli, ſi timiditatis ſignificationem aliquâ in re dediſſet, honore confeſtim ſpoliabant, & alium in eius locum ſubſtituebant. Hic domos circumiens, magnis vocibus omnes ab bellum adhortabatur, quibus rebus inſtrui deberent, admonebat, & quanta virtute opus eſſet, ediſſerebat. Neque ſolùm arcubus & ſagittis, ſed gladijs etiam è ligno duriſsimo fabrefactis vtuntur, quibus hoſtium membra frāgunt, & diſſecant. Inſidijs vti frequenter ſolent, & in eo pugnant, vt hoſtes inopinato aggrediantur. Quos in bello cepiſſent, ſenes præſertim, ſtatim comedebant: reliquos vinciebant. Eos, qui ex ſuis in bello conciderunt, funere efferunt cum multis lacrymis, eorumque virtutem prædicatione celebrāt. Captiuis cibaria largiſsimè præbebant, eiſque mulieres, cum quibus cubarent, elargiebantur. Cū verò dies feſtos agere volebant, vnum ex captiuis, quē iam ſatis fartum, & opimum eſſe conſpexiſſent, funibus alligabant. Primùm illius amica, in amoris ſignum in collum funem iniiciebat, & delitias ſuas ad ſupplicium trudebat. Homines deinde circumſiſtebant, & vētrem, brachia, & tibias illius aſtringebant: tum columnæ affixum, coloribus depingebant, & plumis varijs exornabant. Ne verò parū humani viderentur, laxabant illum vinculis interdum, & cibo, ac potu ſanè lautè, atque liberaliter accipiebant. Interim verò omnes comedebant, & plurimùm potionis abſumebant: ſaltabant præterеà, & canebant, & tripudiabant: & tres dies in hoc apparatiſsimo ludo conſumebant. tandem pòſt triduum, illum pedibus, atque manibus iam vinculis expeditis in cauiam deducebant. Mulieres, atque pueri vinctum ſecundum ventrem funibus trahebant; homines verò, & mulieres reliquæ, mala citrea, & fructus varios in eū iaciebant: Ille verò, quæ potuiſſet ex coniectis pomis colligere, rurſus in illos, à quibus fuit impetitus, intorquebat. Bibebat interim, vt videbatur iucūdiſsimè: nec ei cibus, aut potus negabatur: præſeferebat autem non mediocrem lætitiam. Illi forticulum hominem: vt ſe exiſtimari cupiebat, conuitijs onerabant, & multis contumelijs inſequebātur. Dabis inquiebant, homo perditiſsime, atque profligatiſsime pænas ſcelerū; & ſanguine tuo manes eorum, qui in bello ceciderūt, vlciſcemur. Te enim cōtrucidabimus, & dilaniabimus & aſſū comedemus. Ille verò, nihil moror, dicebat. Non enim, ignaui, neque timidi pęnā ſuſtinebo. Semper enim viri fortis officio functus ſum. Si me occiſuri eſtis, multos ipſe multis in locis occidi. Si carnibus meis ſaturandi eſtis, & ipſe multorum carnibus ſaturatus ſæpè fui. Prætereà ſunt mihi fratres, atque cognati quos ſcio meam necē haud impunè relicturos. Ad hunc modum tandem in caueam recludebatur. Tum ille, qui fuerat captiuus in cuſtodiam traditus, in caueā ſimul ingrediebatur. Corpus autem habebat depictum, & collum plumeis ornamentis excultu; manibus verò ingentem gladium vibrabat: tum ſaltabat, & ſibilabat, & gladium intentabat, at is, vt gladium illi è manibus extorqueret, ſummo ſtudio contendebat: ſed dum in vnam partem impetum daret, mulieres, atque pueri cum fune, quo erat alligatus, quem manibus tenebant, ad ſe trahebant, dum rurſus in cōtrariam partem ſe contorquere niteretur, ex illa parte ſimiliter mulierum manibus impediebatur: vtrinque enim ità diſtinebatur, vt ſe eodem loco commouere nequiret. At ſtrenuus ille gladiator cum gladio contundebat, & debilitabat, atque tandem medium illius caput ingenti vulnere diffindebat, cerebrumq; diſpergebat: manus deinde præcidebat, tum mulieres accedebant, & corpus ex animum, in pyram cōiiciebant, vt omnibus pilis aduſtis illud facilius abluerent, diſſecto ventro, ilia cum extis euellebāt: reliqui corpus in fruſta diſſerpebāt. & nè plura perſequar illius carnibus omnes cum magna voluptate veſcebantur. Erant & alij ſylueſtres, atque montani homines, qui cum his, qui in domibus habitabant, continenter bella gerebant, eiſdemque ſe ſceleribus & eadem immanitate contaminabant. Nullum apud eos delictū plectebatur, præter homicidium. Cogebātur enim hic, qui ſanguine coniuncti homicidæ erant, eum tradere illis, qui cæſi necē præter ſanguinis communionem, & propter iniquitatem iure perſequebantur. Hi verò eum ſtrangulabant, atque ſepeliebant, & cum multis omnium propinquorum lacrymis, atque lamentis vtriuſq; mortui funus inſtaurabant; epulaſque dabant, in quibus omnes depoſitis inimicitijs accumbebant. Quòd ſi caſu aliquo homicida ſubterfugeret, tum eorum filiæ, vel ſorores, vel cognatæ, occiſi propinquis in ſeruitutem dabantur, & ſic demùm omnis vtrinque diſcordia, obliuione ſepeliebatur. Viſū eſt autem mihi operę pretium, tàm barbaros, & immanes mores oratione deſcribere, vt intelligant omnes in quantam errorum colluuionem incurrat humanum genus, liberis, & humanitate deſtitutum & quod multò funeſtius eſt, præſidio ſanctiſsimæ religionis orbatum: & ſimul cognoſcatur, quantâ benignitate clementiſsimus rerum omnium dominator huic miſerrimæ genti, Luſitanorum in eas oras aduentu proſpexerit. Chriſtianorum enim conſuetudine, & familiaritate, & hominum ſanctorū ex varijs Religioſorum Ordinibus, quos Luſitanię Reges in eas partes miſere, diſciplinis factum eſt, vt multi diſpulſis, tenebris, errores, in quibus verſabantur, clarè perſpiciant, & ad Chriſti ſtudium ardentibus animis excitentur; & ingentes Deo gratias, ob tàm diuinum beneficium gratâ, atque memori voluntate perſoluant.

Capralis indè ſoluens Zeſalam, & Mozambiquē adijt, cum Quiloenſi, & Melindio Regibus amicitiam ſanxit: à Rege Calecutij ædes in vrbe principe obtinuit: cumque ad ſolitam perfidiam reuertiſſet, bellum inde intulit. Inde Cochinum iuit, & cū Rege fœdus percuſsit; vſus operâ cuiuſdam Indi, quem poſteà Michaelem placuit nominare. Fuerat hic abſtinētiâ mirabilis, addictus religioni cuidam, qui *Ioques* ab Indis appellantur. Præſeferebant hi ſingularem rerum humanarum contemptionem. Nullas opes poſsidebant: emendicatis cibis victitabant: per omnia fora curſabant, vt ſuæ ſectæ diſciplinam, omnium auribus inculcarent. Maxima eorum pars præſtigijs illudebat hominibus imperitis, eorumque dementiâ ad ſuum quæſtum abutebantur. At Michael cum ſimplici animo in ſuperſtitionis fallaciſsimæ rationem fuiſſet ingreſſus, eā fraudibus illius compertis, improbauit, aureſque dedit hominibus Luſitanis qui religionem reliquiis puriùs obſeruabant, eorumque cohortationibus inductus Chriſtianam fidem ſuſcepit.

XIX. *Gaſpar Cortegeralis terras incognitas perquirit.*

Eodem anno Gaſpar Corteregalis, exemplo Emanuelis Regis ſui animatus, cùm eſſet vir egregiè fortis, & gloriæ cupiditate vehementer incenſus, ad ſui nominis memoriam poſteris aliquo facto memorabili prodendam pertinere arbitratus eſt, aliquas terras, incognitas, perueſtigare, & quia videbat, omnia fermè littora, quæ ad Auſtrum ſpectabant, eſſe iam Regiorum nauigationibus exploratè cognita, animum ad ea perluſtranda, quæ ad ſeptentriones pertinebant, applicuit; Itaque ſuis ſumptibus inſtruxit, & commeatu, armis, nautis militibus egregiè munitam, Olyſippone educens, curſum in ſeptentrionalē plagam direxit, & tandē ad terram peruenit, quam propter ſingularem amænitatem, Viridem appellauit. Homines, vt ipſe poſteà referebat, erant barbari, & inculti, colore cādido: qui tamen color ætate propter magnitudinem frigoris infuſcatur. Valent primùm celeritate, ſunt iaculandi peritiſsimi: iaculis vtūtur in ſummo percuſsis, quibus coniectis hoſtes ità traijciunt, atque ſi ferro armata fuiſſent. Pellib. animantiū veſtiūtur, antra colūt, aut humiles caſas ſtramentis tectas excitant, in quibus habitēt. Nullâ religione aſtricti erant, auguria tamen ſequebantur. Vxores legitimo ſibi matrimonio copulant. De fide, & pudicitiâ vxorum valdè ſolliciti ſunt, cùm ſint naturâ ſuſpicioſi.

*Ferdinādus & Iſabella diſpenſationem pro filia Luſitaniæ Regi collocanda impetrant.*

Hoc ipſo anno M. D. Emanueli filius Michael mortuus eſt, morbo ſublatus. Ferdinandus, & Iſabella Catholici Reges, vt rurſus nouâ ſibi affinitate Emanuelem deuincirent, elaborârunt. Mirè enim cupiebant filiam ſuam Mariam, illi collocare. Emanuel vbi id intellexit, ſummâ voluntate eorum deſiderijs aſſenſus eſt. Nec enim aliud poterat eſſe matrimonium, vel generis amplitudine, vel dotis magnitudine, vel virtutis egregiæ ſignificatione clarius, & eorum vtrique conuenientius. Eluxit enim in Mariâ ſummum modeſtiæ, & manſuetudinis, & probitatis exemplum: ſed quia matrimoniū propter affinitatem in coniugio Iſabellæ contractam, per Pontificij iuris ſanctiones, iungi minimè licebat ab Alexandro Pontifice poſtulârunt, vt eos ſolueret legibus, nè religione aliquâ poſſet impediri coniunctio, quæ maximas vtilitates erat omnibus Hiſpaniæ regnis allatura. Hac impetratâ ab Alexandro facultate, nuptiæ celebratæ ſunt, *Oſorius lib. 2.*

XXI. *Carolus Philippi Archiducis & Ioannæ Principis maior natu filius naſcitur.*

Aucti ſunt nouâ lætitiâ, eodem anno M. D. Reges Catholici à nato nepote. Gandaui, vbi Ioanna princeps eorum filia, Philippo Archiduci nupta agebat, Carolus illis natu maior filius, natus eſt felici ſorte, ipſo Matthiæ Apoſtoli memoriâ ſacro die: cui ampliſsima imperia, immenſæ copiæ, victoriæ de hoſtibus multæ, & præclaræ cælo deſtinatæ erant. Octauo ab ortu die Margarita amita in eam vrbem appulſa, infantem de ſacro fonte ſuſcepit, vnà cum Margarita altera poſteriori Caroli audacis coniuge vſque dum ſuperſtite. Ducem Lucemburgium vocari infantem placuit, veteri more mutato. Nam antè Ducum Burgundiæ maiores filij Caroleſij Comites vocari mos erat. Impleuit ea res Hiſpaniam nouâ lætitiâ. Ipſa Iſabella Regina die natali nunciato, ſubdidit ex diuinis litteris. *Cecidit ſors ſuper Matthiam.* Vaticinium vanum non extitit, neque coniectura falſa. Enimuerò Michaele Principe vitâ functo Philippus Archidux, & Ioanna vxor, Caſtellæ & Aragoniæ Principes dici cepere, haud dubio hæreditatis iure, iudicioque. *Mariana lib. 27. c. 9.* Antiſtes Tornacenſis infantem lauit, nomen, Caroli indidit, Chimaus Princeps in memoriam proaui Caroli pugnacis. Ter in populum aurea, argenteaque ſparſa poſt Baptiſmum moneta; primùm ab Archiduce infantis patre; deinde à Senatu Gandenſi, Tertiò à mercatore panni ſerici, Vrbis Gandenſis ciue, qui antè ædes ſuas, quâ infanti iter erat, ſcenam erexerat; in qua quinquaginta ſtabant viri, ſinguli ſingulis manibus ardentes tedas tenentes. In medio conſpiciebatur filius eius, ac filia vnica, quæ prætereunti infanti vas aureum magni ponderis dono dabat. Rectores vrbis Gandenſis infanti obtulêre nauem argenteam quinquaginta pondo, omen futurarum nauigationum, ex quibus ei, ſucceſſoribuſque eius, naues ab incognitis inſulis, ac terris repertis, incōparabiles allaturæ eſſent opes: *Heuterus rerum Belgic. lib. 5.* & quibus nauigationibus fides Chriſtiana inuehenda eſſet in incognitas regiones. Obſeruatū eſt, tum à nonnullis, quòd ab Auguſto Cæſare, qui fuit Chriſti temporibus, quibus lux fidei Chriſtianæ ſedentibus in regione vmbræ mortis illata eſt, totidem ferè fluxêre anni ad Carolum Magnum primum Germanorum Imperatorem, qui fuit longè potentiſsimus, & præter alias, etiam Saxones multis bellis per annos triginta ægrè tandem domitos coegit recipere fidem Chriſti: quot ab ipſo Carolo Magno, vſque ad hunc Carolum Quintum, qui fidem Chriſti in ampliſsimas ab ipſo reperti, & occupati noui orbis prouincias, religioſorum hominum operâ mirabiliter inuexit, ac propagauit. Vt autem in Germaniam, & alios quoſdam huius orbis populos Chriſti fides tum illata eſt, cū Græci tumultuarentur, & in res nouas auidi viderentur, nec à prauis amplectendis dogmatibus abhorrerent, quod fuit verè ætate Caroli Magni: ità quoque poſteriore æuo, dum Germani, & vicinæ nationes, Lutheri, & aliorum ſimilium pſeudo doctorum peregrinas amplecterentur doctrinâs, & à Catholica fide, quam ipſis Papiſticam, & Romanā libuit appellare, nec non à veterum Germanorum toto orbe celebratâ conſtantiâ deficerent, apud Antipodes, & in nouo Carolino orbe (ſic enim quidam vocant) atque etiam illis in locis, & regionibus ampliſsimis, quæ Luſitani partim adierunt, partim vel vi expugnatas, vel deditione acceptas ſuis Regibus ſubdiderunt, Chriſtiana fides, & Catholica religio, ab innumeris populis recepta eſt, hodieque recipitur. Et illud quoque loco portenti habitum,

*Portentū in porticu quadam apparet.*

in porticu, quæ ferendo ad ſanctum lauacrum infanti, è palatio ad ædem S. Ioannis mirabili opere, & magno ſumptu extructa erat, præter alia multa ſtupenda quadraginta arcus triumphales, & tres altiſsimas portas, vnam ſapientiæ, alteram iuſtitiæ, tertiam Pacis, & Concordiæ ſimulachris cōſpicuas excelluiſſe, biſque mille, & 50. faces arſiſſe: nec non in alia porticu aereâ ex funibus compacta è faſtigio ædis S. Nicolai ad apicem turris Capitolinæ, omnia latera plena facibus ardentibus fulſiſſe: augurantibus plurimis, infantem futurum victorijs Sapientia, Iuſtitia, & Felicitate clariſsimum; qui tenebras hæreſeos, & gentilitatis, ex noto, & ignoto orbe, diuiniore luce diſsiparet. *Surius in Commentario rerum in orbe geſtarum.*

Eodem anno 1500. venit Romam Indus quidam nomine Ioſeph narrans, res Eccleſiaſticas Presbyteri Ioannis, noſtris haud multùm diſsimiles. *Nauclerus generatione 51. volum. 2.*

XXII. *Lapicida quidam caput S. Annæ Moguntia Durenum transfert.*

Hoc ipſo anno, lapicida quidam, qui in conſtructione turris S. Stephani Moguntiæ aliquamdiu laborauerat, caput S. Annæ, matris Mariæ virginis argenteo incluſum vaſculo, ex eadem Eccleſia furatus, Durenum, Ducatus Iuliacenſ. & Diœceſis Colonienſ. oppida detulit. Exhibitus ab oppidanis ſacro vertici honor, ſecuta miracula, de furto lis à Canonicis Moguntinis intentata Durenſibus: ſed nullo profectu. *Tritheminus in Chron. Sponheimen.*

XXIII. *Quædam de Familia Iacobi Serræ Cardinalis referuntur.*

Mentionem fecimus ſuperiùs Iacobi Serræ, quē hoc anno Alexander Pontifex inter Cardinales adſcripſit. Fuit hic materno genere, ex gente Carâ nobili inter Sardos, atque peruetuſtâ: quippe quæ S. Hilarum Papam anno Chriſti 461. & aliquot poſteà ſeculis Hilarum, Conſtantinum, & Anaſtaſiū Caios, ex quibus Conſtantinus Xenodochij Sardorum apud S. Chryſogonum Romæ Conditori, Hilarus autem Sardiniæ à Saracenis, per preces liberator, nec non Benedictum Caium tit. S. Praxedis presbyterum Cardinalem, à Gregorio VII. circa annum 1080. creatum ac prætereà alios viros dignitate, & virtutibus illuſtriſsimos edidit. Extat in Eccleſia S. Chryſogoni, lapis è conſpectu altaris maioris eminens, in quo iſta leguntur.

*Hic ſepultus eſt Conſtantinus Cao, Calaritanus, cum Hilaro patre, & Anaſtaſio fratre, qui Hoſpitale pro Sardiniæ pauperibus fundauit, cui ædes attribuit, & cenſus applicuit. Hilari precibus Sardiniam à Saracenis Papa liberari curauit. Anaſtaſius fuit litterarum peritiſſimus, Pontificibus charus, & pietate clarus. Benedictus Caius Anaſtaſii filius poſuit* 1068. Hanc memoriam priori lapide vetuſtate abſumpto, Franciſcus Caius Alexandri VI. Cubicularius, gentilibus ſuis renouauit anno 1500. Extat etiã alius lapis in Eccleſia S. Praxedis in capella dicta omnium SS. hodie S. Caroli nuncupata, à Siniſtra altaris prædictæ Eccleſię, in quo hæc inſculpta.

*His requieſcit Benedictus Caius Calaritanus Anaſtaſii filius, presbyter Cardinalis tituli S. Praxedis creatus à Gregorio VII. obijt anno Domini* 1087. Eminet in medio lapidis effigies Benedicti Cardinalis, ſub cuius pedibus inſignia Caiæ familiæ in clypeo tripartito: columba alis ad volandum explicatis ſtellam reſpiciens, cum duobus delphinis: Turris in cuius faſtigio animal quadrupes diademate ornatum: & bino ordine ſex panes. Stemma fuit à S. Hilaro Papa in vſu habitum, qui munera ingentis ponderis argentea, quæ Eccleſijs offerebat, in formam Ceruorum, aquam fundentium, delphinorum, columbarum effigiabat. Ad marginem lapidis ſubſculptum. *Quintilius, & Annibal de Caijs, qui pro Regibus Aragoniæ in Sardinia clariſſimas victorias contrà Piſanos glorioſè reportârunt, ſepulchrum hoc gentili ſuo inſtaurârunt.* 1332. Extat & Calari in Sardiniâ, temporibus S. Benedicti, S. Nicolai Cœnobium à Caijs dotatum, & ſæpè ſæpiùs inſtauratum, de quo eruditiſſimus, & integerrimus vir Ioannes Caius SS. T. & I. V. D. Calaritanus Canonicus, inter præcipuos noſter amicus nobis retulit: Calaritanos, anno 536. ad S. Benedictum Legatos, & munera miſiſſe ad Monachos eius inſtituti probatæ vitæ, qui Sardiniam ſanctitate, & doctrinâ illuſtrarent poſtulâſſe: eum illis Vidrianum, Raymerium, & Florum virtute, & ſcientia præſtantes conceſsiſſe: hos verò Cænobium, vbi nunc eſt Eccleſia S. Nicolai inter vineas dicta, munificentiâ Calaritanorum condidiſſe, ac Benedictinam Religionem in vniuerſam Sardiniam propagaſſe: huic autem Cænobio, cui Vidrianus præerat, Renarium Sardorum nobiliſsimum, & Elenam eius vxorem prædia multa cum terra, villâ, & campo Caiorum mille modiorum, cum omnibus pertinentijs ſuis attribuiſſe; indidemque propè cœnobium eodem in agro Elenam Renari vxorem templum S. Elenæ nomine condidiſſe; quam ſæpiùs ſucceſſores Caij reſtaurauerint, & pietas Calaritanorum præcipue Hortorum eius memoriam renouârit. Huius certiſsimis familiæ Caiæ documentis, & ex notis Antonij Xinti, Ioannes Caius ſuæ gentis, & Sardorum decus nobis ad minutias vſque demonſtrabat.

# ANNO CHRISTI 1501.

## ALEXANDRI PAPÆ VI. Anno 9. & 10.

## MAXIMILIANI ROM. REGIS Anno 16.

*Alexander PP. duos collectores ad acquirendos nummos pro bello Turcico destinat.*

ANnum ſeculare Iubilæi, quoad indulgentias, & theſauros ſpirituales vſque ad feſtiuitatem Epiphaniæ prorogatũ feliciter clauſit Pontifex Alexander. mox ad acquirendas pro bello Turcico pecunias, Archiepiſcopum Tarentinum, & Nicolaum de Gigantibus, Collectores in tota ditione Eccleſiaſticâ deputauit, datâ ſequenti facultate.

*Alexander Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei, Dilecto filio Nicolao de Gigantibus, Archidiacono Eccleſiæ Fanenſis, in omnibus, & ſingulis Prouincijs, Ciuitatibus, & Terris infraſcriptis, nobis, & S. R. E. mediatè, vel immediatè ſubiectis, ad exigendas Cleri Decimam, & Hebræorum vigeſimam Collectori, & Commiſſario noſtro ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.*

*Cùm nos aliàs pro imminentibus Chriſtianæ fidei neceſſitatibus, vnam veram, & integram decimam omnium, & ſingulorum fructuum, redituum, & prouentuum, ſecundùm verùm valorem, & annuum, omnium officiorum cuiuſcumque qualitatis Prouinciarum, Ciuitatum, & terrarum Romanæ Eccleſiæ, nec non Almæ Vrbis, & Romanæ Curiæ, ac Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, & aliarum Eccleſiarum, Monaſteriorum, Prioratum, Præpoſiturarum, Dignitatum, Perſonatuum, Adminiſtrationum, Officiorum, Canonicatuum, & Præbendarum, aliorumque cum cura & ſine cura beneficiorum Eccleſiaſticorum ſæcularium; ac etiam Sancti Benedicti, Sancti Auguſtini, Ciſtercienſis, Cluniacenſis, Carthuſienſis, Camaldulenſis, Montis Oliueti, Humiliatorum, Præmonſtratenſis, Vallis vmbroſæ, Cruciferorum, Monachorum, Eremitarum Sancti Hieronymi, & aliorum quorumuis Ordinum, tàm virorum, quàm mulierum, etiam Mendicantium, ex priuilegio vel aliàs certos redditus habentium, Regulariumque Militiarum, videlicet Sancti Iacobi de Spata, de Calatraua, de Alcantara, de Monteſia, IESV Chriſti, de Auis, Beatæ Mariæ Themnicorum, & aliarum quarumcumque, etiam quarum redditus ad Hoſpitalitatem deputati forent per vniuerſum Orbem conſiſtentium Officiorum, videlicet à Legatis, Gubernatoribus, Rectoribus, Capitaneis, Poteſtatibus, & alijs quibuſcumque Officialibus noſtris, dictarumque Romanæ Curiæ, & vrbis, reddituum verò, & prouentuum Eccleſiaſticorum, ab omnibus, & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Electis, Abbatibus, & Abbatiſſis, Prioribus, Prioriſſis, Præpoſitis, Adminiſtratoribus, Commendatarijs, Capitulis, Conuentibus, Guerdianis, cæteriſq; perſonis Eccleſiaſticis ſæcularib. & Regul. & ordini Militiarum prædictarum, etiam exemptis, & non exemptis, ac Magiſtris, Prioribus, Caſtellanis, Bauliuis, Præceptoribus Militiarum, Prioratuum, Caſtellaniarum, Bauliuatuum, ac Præceptoriarum, & Militiarum huiuſmodi fructus, reditus, & prouentus Eccleſiaſticos, vbilibet in vniuerſo Orbe percipientibus, & percepturis, cuiuſcumque præeminentiæ, dignitatis, ſtatus, gradûs, ordinis, vel conditionis exiſterent, per quaſdam primò: & deinde etiam ab vniuerſis, & ſingulis Iudæis, in vniuerſo Chriſtianorum orbe vbilibet conſtitutis vigeſimam partem omnium bonorum ſuorum, fructuum quoque, redituum, & prouentuum, quorumcumque, vndecumque, quomodocumque, etiam per vſurariam prauitatem ad eorundem Iudæorum manus prouenientium, & ſi per dictos Iudæos fraudem in præmiſſis committi contingeret, aut lapſo termino ſtatuto, vigeſimam huiuſmodi exhibere neglexerint, tunc, & eo caſu, etiam decimam integram bonorum, ſuorum prædictorum, ſine aliqua remiſſione, per triennium duntaxat perſoluendas, leuandas, & exigendas in eiuſdem fidei opus, & defenſionem, & non in alios vſus omninò conuertendas, per alias noſtras litteras de Fratrum noſtrorum conſilio duxerimus imponendas, prout in ſingulis litteris prædictis pleniùs continetur. Nos cupientes, quod decima, & vigeſima huiuſmodi iuxtà ſingularum litterarum earundem continentiam, & tenorem exigantur, Te qui etiam cubicularius noſter exiſtis, & de cuius probitate, fidelitate, & diligentiâ ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, in omnibus, & ſingulis Prouincijs, Ciuitatibus, Terris, & locis, Nobis & eidem Romanæ Eccleſiæ, mediatè, vel immediatè ſubiectis in Italiæ conſiſtentibus, Regno Siciliæ, cis, & vltrà Pharum, ac noſtris Ferrarienſi, & Bononienſi Ciuitatibus duntaxat exceptis, Generalem Commiſſarium, Collectorem, Receptorem, ac Exactorem Decimæ, & Vigeſimæ huiuſmodi prò dicto triennio duntaxat harum ſerie facimus, conſtituimus, & etiam deputamus, Tibi per Apoſtolica ſcripta mandamus, & committimus, quatenùs ad Prouincias, Ciuitates, Terras, & loca ſubiecta huiuſmodi perſonaliter accedas, vel prout tibi meliùs videbitur expedire, alios ſubcollectores tuos deſtines, ac integram Decimam, & Vigeſimam huiuſmodi, ab omnibus, & ſingulis ad illius ſolutionem, vt præfertur, obligatos in vno, vel duobus terminis, prout tibi videbitur, præfigendis, petere exigere, leuare & colligere cures. Nos enim tibi Decimam, & Vigeſimam huiuſmodi per te, vel alios, vt præfertur, deputandos, authoritate noſtrâ petendi, exigendi, leuandi, & recipiendi, ac de receptis duntaxat ſoluentes, quietandi, liberandi, & abſoluendi, nec non contradictores quoslibet, & rebelles, ad dictas Decimam, & Vigeſimam ſoluere differentes, ſeu renuentes, Chriſtianos videlicet priuationis pœnas in prioribus litteris prædictis contrà tales inflictas, & promulgatas incurriſſe declarandi, ac etiam per alias cenſuras Eccleſiaſticas, aliaque iuris opportuna remedia, ac ſequeſtrationem fructuum, redditiuum, & prouentuum huiuſmodi compeſcendi, & ſi proteruitas aut contumacia exitierit. Eccleſiaſticos, & Officiales prædictos, ab Eccleſiis, Monaſterijs, Dignitatibus, Magiſtratibus, Præceptorijs, Bauliuijs, Caſtellanijs, Hoſpitalibus, Beneficijs, & Officijs prædictis amouendi: Iudæos verò prædictos, ad vigeſimam, vel decimam integram, vt præfertur, & etiam pro quolibet centenario florenorum quatuor florenos ſimiles, inuentori bonorum ſuorum huiuſmodi, & fraudem eorum reuelanti, & aliàs iuxta dictarum literarum tenorem; & tàm quoad eos, quàm quoad Chriſtianos huiuſmodi ad præmiſſa brachium ſeculare inuocandi, nec non quotiès te, vel deputandos ſubcollectores prædictos reſpectiuè abeſſe cõtigerit, aliam, vel alias, perſonam, ſeu perſonas, Eccleſiaſticam, vel Eccleſiaſticas, ſecularem, vel cuiuſuis Ordinis Regulares, in Prouincijs, Ciuitatibus terris, & locis prædictis ac aliârum Diœceſum loco eorum etiam cum ſimili, aut limitata poteſtate deputandi, & ſubſtituendi, ac ab eis computa, & rationes, de collectis, & miniſtratis recipiendi, & ad id per cenſuras, & pœnas prædictas, ac alias modo præmiſſo cogendi, & compellendi, omniaque alia, & ſingula in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna faciendi, exercendi, gerendi, & exequendi, quæ ad plenariam executionem præmiſſorum expedire videbuntur: ipſoſque Chriſtianos, qui ad cor reuerti, & de his, in quibus præmiſſorum occaſione, obligatione obligati erant debitè ſatisfecerint, abſoluendi, liberandi, & habilitandi, nec non cum illis, qui ſententijs, cenſuris, & pœnis prædictis irretiti, Miſſas, & alia diuina officia, non tamen in contemptum Clauium celebrando, aut aliàs ſeſe illis immiſcendo irregularitatem contraxerint, ſuper illa diſpenſandi, plenam, liberam, & omnimodam authoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium licentiam concedimus, & facultatem. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacij Papæ VIII prædeceſſoris noſtri, de vna, & de duabus dictis in Concilio Generali editâ, & de perſonis vltrà certum numerum, ad iudicium non vocandis, alijſque Conſtitutionib. & Ordinationib. Apoſtolicis, nec non omnibus illis quæ in ſingulis prædictis litteris voluimus non obſtare. Verùm quia difficile foret, præſentes litteras, ad ſingula quæcumque loca, in quibus expediens fuerit, deferre, volumus & eadem autoritate decernimus, quòd illarum tranſumptis, manu publici Notarij inde rogati ſubſcriptis, & ſigillo tuo, aut deputandorum ſubcollectorum prædictorum, ſeu alicuius Prælati, vel alterius perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, ea prorsùs fides vbique in iudicio, & extrà, ac aliàs vbilibet indubia adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo Quingenteſimo Calend Februarij. Pontif. noſtri. Anno IX.*

*Idẽ à Cardinalibus sup. crea-tis certam pecuniæ ſummam exigit.*

Præter Decimam Clero vniuerſaliter impoſitam, à qua, neque etiam ipſos Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, vt ſuperius ſcripſimus eximere voluit, à Cardinalibus ſuperiore annò creatis, ratione galeri, annuli, & tituli, certam pecuniarum ſummam in idem ſacrum contrà Turcas bellum exegit. Enimuerò ſoluerunt iuxtà taxam ſingulis præſcriptam, ſinguli aureos ducatos, vt infrà.

Didacus Archiepiſcopus Hiſpalenſis. 25. m.
Iacobus Epiſcopus Arborenſis 5. m.
Thomas Archiepiſcopus Strigonienſis. 20. m.
Petrus Archiepiſcopus Rheginus. 7. m.
Franciſcus Borgia, Archiepiſcopus Conſentinus. 12 m.
Ioannes Archiepiſcopus Salernitanus. 4. m.
Ludouicus Epiſcopus Caputaquenſis. 5. m.
Antonius Epiſcopus Cumanus. 20. m.
Ioannes Baptiſta, Epiſcopus Mutinenſis. 22. m.
Amancus de Alibreto. 10. m.
Marcus Cornarus Venetus. 20. m.
*Brucardus in diarijs.*

Eam pecuniarum ſummam Cardinales noui, in eam ſacram expeditionem, quam Alexander Pontifex decreuerat aduersùs Turcos, alacriter numerârunt. Cardinalis Legatus, in Germaniam, & ad alias quaſdam ſeptentrionales nationes, ad publicandam Cruciatam, conquirendaque belli ſubſidia miſſus, nonnullam in principio aduentûs ſui repulſam tulit. Siquidem eũ in Germania legatione fungi prohibebant Principes & Maximilianus Cæſar, nolentes pati exactionem pecuniarum. Tandem tandem Principes permiſerunt, qui cum vniuerſam Germaniam ab Oeniponte peragrâſſet, & Norimbergâ diſcedens per Franconiam Orientalem, & Thuringiam, Coloniam vſque perueniſſet, inuenit Germanos alijs nationibus ad pietatem, & dandum promptiores. *H. Mutius Germ. Chron. libro trigeſimo.*

In dominio Veneto, quorum causâ ſacrum bellum indicebatur, hæc pecuniæ ſumma à Collectore Pontificio fuit conquiſita. In vrbe auri libræ ducentæ nonaginta ſeptem. Patauij vna, & ſexaginta. Vicentiæ, ſexaginta quatuor, & ſemilibra. Veronæ vna, & triginta. Brixiæ quadraginta octo. Bergomi ferè quadraginta quatuor. Cremonæ, duodecim. Cremæ plus nouem. Taruiſij viginti quatuor. Feltriæ duodecim, & ſemi libra. Ciuidali Carnico nouem. Vtini quadraginta duæ Foſſa Claudia libras auri paulò minus octo facilè contulit. Portus, quem Gruarium appellant, vndecim, Colonia, qui quidem vicus eſt in Vicentinorum finibus quatuor. Alia in continenti caſtella, vicique pro modo facultatum. Summa erat totius auri ex ſola Cruciatæ publicatione à pijs contributi, libræ ſepties centies & nonies, eoque amplius. *Bembus hiſt. Venet. libro quinto.*

*II. Idẽ Principes Chriſtianos cõcordes facere ſatagit.*

Præter conquiſitionem pecuniarum in vſum ſacri belli, Alexander Pontifex ad concordiam inter Principes Chriſtianos reſarciendam, omnem diligentiam adhibuit. Diſſentio non modica erat, Maximilianum Cæſarem inter, & Ludouicum Regem Galliarum, occaſione Imperii Mediolanenſis. Nam Ludouicus Rex & ſi de eodem occupato inducias à Maximiliano impetrâſſet, tamen cùm hic poſteà, quantum imperij maieſtas, tanti dominii alienatione minueretur, quantaque ignominia, ad ſe, qui penè ſub patrocinio ſuo, & ſpe datâ, tanta pecuniæ vi accepta, Ludouicum Sfortiam priuari paſſus eſſet, inde perueniret, diligentius perpendiſſet, Ludouici Regis, ac Venetorum Oratores, velut eorum, qui Imperi

iura occuparent, non ampliùs audire voluerat: ac demum duorum fratrum miſerandâ calamitate multò magis accenſus, veteri æmulatione, iniuriarumque à Galliæ Regibus & Veneta Repub. varijs temporibus, ſibi, & maioribus ſuis illatarum, memoriâ in eius animo excitata, vt Septem viros Auguſtales, & reliquos Germanorum Principes, ad tantam iniuriam non minus Germanorum genti, cuius imperij dignitas eſt propria, quam ſibi illatam armis vlciſcendam concitaret, crebros conuentus peragebat: quin etiam ne Rex Galliæ, tanta Imperij Principum patientiâ audacior factus, & tanto fortunæ fauore elatus, vt aliquâ obliquâ ratione *Cæſaream coronam* Galliæ Regibus, quorum aliàs fuerat, reſtitui curaret, animum intenderet, periculum imminere oſtendebat: quâ in re Pontificis conſenſum, cum neceſsitate, vt qui illius potentiæ repugnare non poſſet, expreſſum eſſet habiturus. Eas cauſas diſſentiendi cùm Maximilianus haberet, iamque cogitaret bellum Ludouico inferre, Pontifex concordiæ inter vtrumque amans, Cardinalibus Legato & Rotomagenſi commiſit, qui pacem aliquo modo inter diſsidentes componerent; vt arma, quæ in ſe mutuò parabant, in Baiaſitem conuerterent. Effecit Pontifex, quod voluit: & non modò pacem, verûm etiam affinitatem inter eos conciliauit. Philippi Archiducis, Maximiliani filij hac in re operâ vſus, qui quoniam eius populi, nè mercaturæ commertium impedirent, haud libenter cum Gallis bella gerebant: & quia Ludouicus Rex cum maſculâ prole careret, Claudiam filiam, Carolo Archiducis filio recèns nato in matrimonium dare, & dotis nomine, cum ad ætatem, quâ procreandis liberis dare operam poſſent, perueniſſent, Inſubriæ Imperium, ſe traditurum eſſe promittebat: Philippus verò, etiam Britanniæ (à matre Annâ, hæreditarius Claudiæ principatus) dominium ſpe deuorabat, Maximiliano patri pacem perſuaſit. Die XXIV. Auguſti, Carolo Duci Lucemburgenſi, Claudia deſponſata per Procuratores fuit; numerata prætereà à Ludouico Rege, certa pecunia Maximiliano: qui tametſi à Friderico Neapolitano Rege, quadraginta ducatorum millibus acceptis, & ſi opus eſſet, quindecim millium in ſingulos menſes ſoluendorum ſtipulatione, nullam ſe pactionem ſine ipſo admiſſurum, & ſi neceſsitas incideret, ad periculum ab illo auertendum, bellum in Inſubria moturũ promiſiſſet, nullã in tabulis tractationis eius admiſit mentionem.

*Anna Aquitana familia refertur.*

Conciliauit prætereà inter Ludouicum Regem Galliarum, & Ladislaum Vngariæ, & Boemiæ affinitatem. Reſciſo enim huius cum Beatrice Aragoniâ matrimonio, poteſtatem ei fecit, Annam Aquitanam, Regij apud Gallos ſanguinis, virginem ducendi. Non incongruum fore arbitror, quanam familiâ, Annæ hæc ortum duxerit, & quâ generis propinquitate, Regibus Galliæ iuncta fuerit, breui ſermone recenſere. Gaſto Foxius ex Ebroicenſi familiâ, Regibus Galliæ, & Nauarræ propinquâ progenitus, Leonoram Henrici Quarti, Hiſpaniæ Regis filiam vxorem habuit: & ex ea Ioannem Comitem Narbonenſem ſuſcepit; qui ex ſorore Ludouici Vndecimi, Regis Galliæ, genuit Gaſtonem illũ Fuxium, qui maximis rebus geſtis, priùs fortiſsimus Dux, & Imperator, quàm miles, prælio Rauennate ab Hiſpanis fugientibus occiſus eſt: ac filias Germanam, Ferdinando Hiſpaniæ Regi, Maurorum domitori collocatam, ac Catherinam, Guilhelmo Comiti Candallano Vaſconi in Aquitanis nuptui traditma; quæ eidem Guilhelmo Ioannem Candallanum poſteriorem, & Annam hanc Ladislai Vngariæ Boemiæque Regis coniugem, in aula Ludouici Aureliani Regis Galliæ, à teneris educatam, Carlotæ Alibretæ Valentino Borgiæ nuptæ propinquam genuit: per quod quidem Annæ connubium, affinitatem cum Galliæ, Nauarræ, Boemiæ, Vngariæ, Hiſpaniæ, Regibus, nec non cũ Philippo Archiduce, & Carolo Duce, Alexander Pontifex contraxiſſe viſus eſt.

IIII *De Regno Neapolitano inter Galliæ & Hiſpaniæ Reges contentio.*

Conatus eſt præterea Alexander, Ludouico Regi conciliare Ferdinandum, & Iſabellam Hiſpaniæ Reges. Contentio erat præcipuè de regno Neapolitano. Ludouicus illud ad ſe pertinere, Ferdinandus pariter ius, ſe habere aſſerebat. Nam etſi Alfonſus Aragoniæ Rex, peculiari, & ab Aragoniæ regno ſeparato iure, id adeptus eſſet, ideoque tamquam rem propriam Ferdinando filio notho tradidiſſet: tamen apud Ioannem eius fratrem, qui illi in regno Aragoniæ ſucceſsit, & Ferdinandum Ioannis filium, quum Alfonſus id Aragoniæ regni armis, & pecunijs adeptus eſſet, iure ad id regnum ſpectare, ad iſtud tempus vſque tacitâ quærela fuerat: quam Ferdinandus Hiſpanicâ arte, & patientiâ, non modò debitis inter propinquos officijs, cum Ferdinando Neapolitanorum Rege, & ſucceſſoribus non prætermiſsis, ſed etiam nouæ affinitatis vinculo auctis texerat. Ferdinando enim Neapolitano Regi, Ioannam ſororem ſuam in matrimonium dedit, & vt altera Ioanna, illius filia, Ferdinando iuniori filio nuberet, aſſenſus eſt: nec tamen efficere potuerat, quin cupiditas ſua multò antè, Neapolitanis Regibus innoteſceret. Eadem itaque cupiditate in Ferdinando, & in Galliæ Rege conſpirante, alter, vt impedimenta, & difficultates remoueret, alter verò, vt eius, quod diu optauerat, partem aſſequeretur, cùm ad totum occupandum nulla occaſio appareret, Neapolitanum Regnum inter ſe partiti ſunt, eâ ratione, vt Galliæ Regi Neapolis ipſa cum tota Leborij agri regione, Aprutijque prouincia, Ferdinando verò Apulia, & Calabria obtingerent: ſuam verò quiſque partem altero nec iuuante, nec impediente occuparet. Hoc autem fœdus tamdiu, donec Galliæ Regis exercitus, quem ad id bellum miſſurus eſſet, Romam perueniſſet, quàm maximè occultum eſſet: quo tempore vtriuſque Legati, id ad Chriſtianæ Reipublicæ commodum contrà Religionis hoſtes factum aſſerentes, ſimul à Pontifice diploma, ex partitione inter ipſos factâ, vt Ferdinando videlicet Apuliæ, & Calabriæ Ducatus, & Galliæ Regi non ampliùs Siciliæ, ſed Hieroſolymitani, & Neapolitani Regni nomen attribueretur, poſtularent. Pontifex vtrique Regi Apoſtolicâ authoritate partis decretæ imperium ſuo diplomate, quaſi beneficiarijs Romanæ Eccleſiæ confirmauit: non vt inde aliquid in commodũ ſuorum (quod mali; qui ſcriptores imponunt) ſperaret, ſed vt Fridericũ cõtumacem caſtigaret, & tã potentiſsimis Regib. in vicinia conſtitutis cõmodiùs vti poſſet, ad excidiũ Turcarum contra quos ſacrum bellũ edixerat: iãq; Ladislaum Vngariæ Regẽ, ac Venetos fædere ſanctiore ſibi deuinxerat. Die 27. Tabulis eius fæderis confectis, vulgatiſque, inter eos cõuenerat: Vt Ladislaus Rex in Turcas partim, omnib. promotis copijs arma cõuerteret. Senatus Venetus eandẽ pecuniæ ſummã, quantã Matthiæ Regi ſoluere cõſueuerat, in ſingulos annos, donec bellũ confectum foret, cẽties mille nũmos aureos numeraret. Põtifex eidẽ Regi in trienniũ, ſingula 40. millia aureorũ ſubſidij nomine tranſmitteret. Ex decima, vigeſima, & Cruciata eidẽ Regi in ſuo duntaxat regno collectas pecunias, Põtificio diplomate tribueret. Pontifex triremes *Reip:* Venetæ viginti pecuniâ *ſuâ*, *ſacraq;* quibus Veneti bello Thracio vterẽtur armaret, ac Reges Chriſtianos, Galliarum, Hiſpaniæ, Luſitaniȩ, Angliæ, Scotiæ, Daniȩ, Poloniȩ, Sueciæ, ac præcipuè Romanorum ad ſanctum fædus ineundum inuitaret. Et quidẽ Pontifex, ſtatim, atque fædus cũ illis percuſsit, Ladislao pecuniam numerauit, & quindecim triremes in continenti per ſuos miniſtros,

*Illos conciliare nititur Alexander PP.*

vt quan-



vt quantocius inſtruerentur, omnem diligentiam adhibuit: reliquas quinque Senatui armandas reliquit, cum ei pecuniam ſacram, quam homines Imperio Veneto, vt criminibus, & maleficijs obnoxij ſoluerentur, ex Alexandri litteris perſoluerent, bello Thracio inſumendam permiſiſſet: quarum omnino viginti nauium Imperium Nuncius ſeu Commiſſarius abs ſeſe datus obtineret. Is autem fuit Iacobus *Pilaurus* ex Venetâ nobilitate Epiſcopus Paphiorum: qui etiam maiori earum nauium parti, quam Venetijs armandam curauit. (nam reliquam in Flaminiæ maritimis municipijs Anconæ inſtruxerat) præfectos Ciues ſibi Venetos adlegit. Præter hæc Pontifex, Ludouicum Galliarum, & Ferdinandum Hiſpaniarum Reges, fæderi ſancto adiunxit, atque vt claſſes in iſtud ſacrum bellum, quàm *inſtructiſsimus* mitterent, effecit: hortatus vtrumque, vt præſentiam ſuam Reipublicæ Chriſtianæ in tàm ſancto opere exhiberent, ſibi quoque in votis eſſe, vnà cum vniuerſo S.R.E. Cardinalium Collegio, eodem, quò ipſi, vel alter eorum pergeret, proficiſci, ad expugnandum tàm potentẽ hoſtem. Miſit Gallicam claſſem Ludouicus, Philippo Rauenſtenio duce; Hiſpanicam verò Ferdinandus, Magno Conſaluo præfecto: vterque autem ſuis imperauit, vt Alexandro Pontifici, vel ipſius Legato, in his, quæ ad Turcicum bellum ſpectabãt, obtemperarent. Cũ verò Veneti accepiſſent: Emanuelem Luſitaniæ Regem, ingentem claſſem Africano bello gerendo compa- aſſe, & à Pontifice flagitarent, vt ab Emanuele poſtularet, qui eadem claſſe, quæ iam erat rebus omnibus inſtructa, Rempub. illorum iuuare vellet, Pontifex Legatis Venetis, qui cum his poſtulatis ad Emanuelem Reipub. ſuæ nomine mittebantur, litteras ad eum dedit, quibus admonebat. *Nè Venetorum poſtulata negligeret. Commune namq; Reipub. Chriſtianæ diſcrimen, coniunctis omnium Chriſtianorum viribus eſſe depellendum. Cogitaret enim, ſi ſempiternus Chriſtiani nominis hoſtis, quod animo deſignabat, efficeret, quantâ cum ſuperbiâ, eſſet in Italiam, deinde in Galliam, & in Hiſpaniam inuaſurus. Bellum Africanum intermitti commodè poſſe: at occaſionem tantæ calamitatis arcendæ prætermiſſam, reuocari non poſſe. Multò deinde eſſe ad laudem illuſtrius, ab amicis propulſari, quàm inimicis inferre periculum. Multos Italiæ Principes eſſe ad auxilium Venetis afferendum incitatos: ſed eos non tàm citò poſſe opem afferre, quàm periculi magnitudo poſtulabat. At Emanueli, cũ iam claſſem omnibus rebus ornatam haberet, nihil impedimento fore, quò minùs ſi vellet, ad ſe omnem gloriam illius Reipub. conſeruatæ reuocaret. Celeritate opus eſſe, quam reliqui propter rerum ſuarum difficultatem, adhibere non poterant. Videret aũt quãta gloria illius eſſet futura, ſi Reſpub. Veneta à vicinis deſerta, ab eo, cuius regnum tantò locorum interuallo diſsidebat, in tanto diſcrimine ſuſtentaretur. Poſtremò in illius belli ſocietate, non ſolùm humanitatis, atq; virtutis, ſed etiam Chriſtianæ pietatis ſpecimen clariſsimum, ſempiternâ memoriâ conſecrandum, dari ab illo poſſe.*

*Ludouicus & Ferdinandus, Reges ſubſidia in bellum Turcicũ mittunt.*

*Idem Luſitaniæ Rex præſtat.*

His Pontificijs rationibus & litteris Emanuel inductus, ſtatuit, vt ex tota claſſe triginta naues, quanta maxima celeritate fieri poſſet, re frumentaria & omni commeatu ad tam longam nauigationẽ inſtruerentur. Et quia claſſe diminuta, non poterat ille pro dignitate bellum per ſe Mauris, vt cogitauerat, inferre, illud in aliud tempus diſtulit, & toto animo in opem, quam erat Venetis allaturus incubuit. *Oſorius lib. 2. Bembus lib. 5. & 6. Guiciardinus lib. 5. Mariana lib. 27. c. 7. Iuſtinianus lib. 10. Iſtuifius lib. 4. Brucardus in notis diarijs. Surita, de rebus Ferdinandi Catholici lib. 4.*

IV. *Petrus Dabuſſonius. Card. vniuerſæ claſſi legatus præficitur.*

Eâ ſocietate belli ſacri, Pontifex, cum Gallo, Hiſpano, Luſitano, Vngaro, ac Venetis initâ, Tabuliſque publicis ritè firmatâ, de ſententia ſacri Senatûs, & mutuo conſenſu confœderatorum Principum, vniuerſæ claſsi Legatum à latere præfecit, Petrum Dabuſſoniũ Cardinalem, Rhodianæ militiæ ſupremum Magiſtrum, rerum Turcicarum, quin & omnium Orientalium probè gnarum, ac rei militaris ſcientem; cui etiam ex fædere iniunctum, vt ipſe quoque ſuis, & eius Ordinis militaris ſumptibus, quatuor triremes, totidem onerarias, & Prætoriã nauem armaret, & ad claſſem principum adduceret. Eam rem putauit Alexander, ad excitandum Ladislaum Regem plurimùm valere. Quamobrèm Cardinali Rhegino apud eum Legato, quid hactenùs promouerit, ſcripſit hoc tenore.

*Epiſtola ad Cardinalem Rheginũ.*

*Dilecte fili noſter, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Quamplures per hos dies Tuæ Cir.nis litteras accepimus. Quibus diligentiam, ac Sedulitatem tuam, ſtudiumq; quod penès iſtam Regiam Maieſtatẽ, ac Regni prælatos, ac proceres Turcorum cauſâ tibi commiſſâ adhibes plenè percepimus: de quo licet tibi non ità frequenter reſcripſerimus valdè à nobis, & Sacro Cardinalium Collegio, vbi ſæpè tua opera, ac geſta relata, ac recitata fuerunt, commendatus fuiſti. Nunc autem, vt intelligas, quæ penès nos in ipſa Turcorum cauſa, in qua dies, & noctes, ac toto animo, & corde feruemus ſucceſſerit, has tibi ſcribendas duximus. Innotuiſſe debet Cir.ni Tuæ, quẽadmodùm nos Superioribus Menſibus pro eâ Turcorum cauſa conſtituimus Dilectum filium noſtrum. P. Sancti Hadriani Diaconum Cardinalẽ Rhodi Magiſtrum, noſtrum, & Apoſtolicæ Sedis Legatum. ad quã ineundam legationem cùm idem Cardinalis nuper ſe cũ quibuſdam Triremibus, & nauigijs ſuis ſumptibus paratum ſe fore nobis ad breue noſtrum, quo nos eum legatum deputaſſe ſignificauimus, reſcripſiſſet, diſtulimus publicationem legationis huiuſmodi, quoad cum Cariſsimis in Chriſto filijs noſtris, Francorum Chriſtianiſsimo, & Hiſpaniarum Regibus Catholicis propter nouum inter nos, & ipſos Reges contrà dictos Turcos fœdus initum, & inclyto Venetorum dominio ſuper tempore publicandæ legationis huiuſmodi, ac hoſtilis inuaſionis conſultaremus, ac ſimul intelligeremus, an iſta Regia Hungariæ Maieſtas cum qua, vt noſti, ad hoc ſanctum opus, nos & ipſum Venetorum Dominium ſuperioribus menſibus fedus inieramus in Turcos irrumperet: vt maturo ſicuti res poſcebat accepto conſilio, quid facto opus eſſet, deliberare poſſemus: deq; his omnibus eundem Cardinalem per noſtras litteras fecimus certiorem. Cùm autem heri Oratores dictorum Regum, & Dominij ad nos veniſſent: ac in Conſiſtorio noſtro coràm Venerabilibus fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus ſuis Principibus deputationem dicti legati perneceſſariam eſſe, ſibiq; valdè placere aſſeuerâſſent: & vt idem legatus publicaretur inſtitiſſent: & à nobis interrogati, an dicti ſui Principes parati eſſent claſſem ſuam facta hac publicatione in Turcos, ſine morâ dirigere: & dicto legato tanquã noſtræ propriæ perſonæ parere vellent: ac vnà nobiſcum, & claſſe noſtrâ in hanc ſanctam expeditionem vires ſuas, & conatus quemadmodum ſemper ſolicitauimus, & ipſi promiſerant conuertere: reſpondiſſentq; dicti Oratores claſſem ſuorum Principum præſto eſſe, proculdubio in dictos Turcos deducendam, ac eidem legato pariturãm: nec quia præſens æſtas propè iam ad finem vergeret ſe propterea retardaturos. Sed quod eius temporis ſupererat in tàm laudabili opere, ac Chriſtianorum omnium cauſa conſumpturos, promiſuroſq; vt quod perſonaliter non poterant, per dilectiſsimos belli Duces, ac præfectos, magno ordine, ac ratione adminiſtraretur: ſimulq; daturos operam, vt continuandæ Claſsis ſumptus proferri, ac continuari poſsint. Nos itaque collaudatâ, vt par erat, dictorum Principum virtute, ac religione, ac tam feruenti de Chriſtianâ Republica bene merendi zelo, & deſiderio: ac requiſitis eorum Oratoribus, vt illos, vt ità agerent, ac perſeuerarent, noſtro nomine hortarentur, eundem Cardinalem virum fortem, ſtrenuum, ſingulari prudentiâ, ac fide præditum, ac aſsiduo in Turcos bello exercitatum noſtrum, & dictæ Sedis legatum, in eodem Conſiſtorio publicauimus, ac vt quod ſemper toto Corde & animo concupiuimus, Sanctã hæc*

*expedi-*

*expeditio totiens per nos excitata procederet, diximus nos quindecim illas Triremes, quas pridem Venetijs deſignaueramus, inſtructuros: eaſq; in hoc ſanctũ fidei opus ſub legato noſtro deſtinaturos: Et vt primi, promptiq; in hoc tã neceſſario, tamq; communi opere, vt ſemper voluimus, reperiamur, ſcripturos, & ordinaturos ſicuti fecimus Ven. fratri Antonio Epiſc. Tiburtino Venetijs Oratori noſtro, vt nullâ interpoſitâ morâ, dictas xv. Triremes armari, & inſtrui curet: eaſq; ſic noſtro, & Eccleſiæ nomine ex toto inſtructas, & paratas ad ipſum Cardinalem legatum perducat. Et cũ Tua Cir.tio per plures ſuas litteras nobis ſignificauerit, quanto ſtudio, & animi ardore idem Rex Hungariæ huic ſanctæ expeditioni ſe accingat: & quam validum virtute, & robore delectorum militũ exercitum cõparet licet ſemper ea fuerit opinio, & expectatio noſtra de ſua Maieſtate, putemuſq; eã more progenitorũ ſuorum, qui Chriſtianæ religionis ſemper acerrimi propugnatores, & defenſores fuerunt, hanc tantã, de Rep. Chriſtiana, cũ eius ſumma gloria, benemerendi occaſionẽ: & quod pollicita eſt, & in confœderatione promiſit, ac pepigit non omiſſuram: ſed totis viribus hoc tam ſanctũ & glorioſum opus aggreſſuram. Tamen vt ſua Maieſtas ardentiùs, & maiore animo prouinciam hanc aggrediatur: Tua Cir.tio et hæc omnia ſignificabit, referetq; dictos noſtros, & dictorum Principum claſſium apparatus in prõptu eſſe propediẽ, ac ſine dubio Deo duce in Turcos felicibus auſpicijs ſoluturos: ſiamq; Celſitudinem ad hanc prouinciam ardentiùs capeſſendam, & vt in ea perſonaliter incedat, omni ſtudio, curâ, ac diligentiâ hortari, excitare, ac inflammare nõ deſines, vt eodem tempore, Nos, & dicti Principes mari potenti claſſe, & ſua Maieſtas validiſſimo terreſtri exercitu, communem hoſtẽ inuadamus, vt circumquaq; laceſſitus non ſolùm noſtra offendet, Sed ſeſe, ac quæ occupauit, tueri nõ poſſit. Quòd (ſi vt nobis proculdubio perſuademus) ſua Maieſtas effecerit, facilè ſperata de communi hoſte victoria, domino concedente ſequetur: & eius magna, ac præcipua pars virtuti, ac laudi ſuæ Maieſtatis aſcribetur, ac proinde ſua Maieſtas meritũ æternũ, perẽne nomen, & immortalẽ gloriã conſequetur. Prætereà referes ſuæ Maieſtati nos pecunias, quas ſibi pro ſecunda ſolutione debemus paratas habere. Sed cũ nõ reperiremus modũ illas iſtuc cõmodè mittendi, ordinabis, vt procuratoribus ſuæ Maieſtatis, aut cui illa voluerit, Venetijs in tempore debito perſoluantur: vnde ſua Maieſtas commodè poterit illas accipere. Hortaberis itaq; ſuam Maieſtatem velit eſſe contenta illam Venetijs capere, cùm in Hungaria vt diximus, per quẽ ſoluantur, non reperiamus: & ſuis procur. committere, vt illas Venetijs recipiant: Ac de his, quæ ſucceſſerint, facies nos per tuas litteras certiores.*

V. *Turcæ vrbes aliquas adoriuntur, ſed victi cedunt.*

His litteris animatus Ladislaus, in Turcas mouere non diſtulit. Et quidem præfecti Turcæ, qui Varboſaniæ, & Samandriæ in omnes occaſiones excubabant, cognitis per exploratores ſuos Pannoniorum apparatibus, cùm exortum haud dubiè bellum arbitrarentur, priores, & paratiores arma parant: ac quanquàm maior eorum pars ad Baiaſitis claſſem, & caſtra in Græciam diſceſſerat, tamen tumultuariam manum cogunt, Morolachios, & Martalaſsios, peditum genus rapto viuere aſſuetum, ac agreſtes vndique ad certum diem adeſſe, & arma ſumere; equitum turmas, quæ domi ad tutandos fines relictæ erant, in caſtra conuenire iubent: ac Iaiciam Boſnenſis regni caput adoriuntur, rati locum commeatu omni, rebuſque ad defenſionem idoneis imparatum, priuſquam ſuccurri à Chriſtianis poſſet, facilè capi poſſe. Quod cùm ex Ioanne Coruino, in cuius prouincia belli initium ortum erat, quique curam eiuſdem prouinciæ tuendæ iterum ſuſceperat, Ladislaus intellexiſſet, Emericum Cyoborum, Petrum Cerebum, Regni Palatinum, Frangepanios, Carlouicios, Zrinios, & alios proceres, Coruino in auxilia ſubmiſit: qui cum Turcis congreſsi, eos profligarunt, & in fugam reliquos compulerunt. periêre ex Turcis ad quatuor millia, ex Chriſtianis ampliùs mille milites in prima acie deſiderati, nec multò pauciores ſauciati. Alio quoque in loco, qui *Malomiſtalua* dicitur, Turcæ traiecto Sauo, in Poſegam, & Valconem Vngariæ regiones populabundi excurrerant, & igne, ferroque graſſati magnam vndique formidinem incuſſerant: ità vt etiam ij proceres, quorum curæ deducendæ Annæ nouæ Reginæ munus delegatum erat, non parùm ſibi, accomitatui timere cogerentur. Sed paucíſsimis pòſt diebus acceptum incommodum maioribus damnis, & cladibus hoſti redditum eſt. Namque Petrus Comes Sancti Georgij, qui Tranſyluaniæ præerat: & Ioſephus Somius Temeſuarij Præfectus, & Ioannes ipſe Coruinus, iuſſu Ladislai Regis, quem Pontificius, & Venetus Legati ad inferenda ex fædere Turcis arma aſsiduè incitabant, copias eduxêre: & Danubio ſuperato, arcem Vidinam in Bulgariæ finibus ſitam improuisò aggreſsi, vnà cum ſubiecto oppido, & amplis ſuburbijs paruo tempore cepêre, Turcis omnibus, aut captis, aut interfectis, atque oppidum, & arcem iniectis ignibus deleuere. Cladoua quoque proximum oppidum, compluresque villæ quaqua versùm adiacentes, eandem fortunam ſubiêre. Nicopolis ſuburbia, quæ longè, lateque habitabantur, vnà cum frumento, & reliquo commeatu iam ex agris in horrea collecto, concremata ſunt. Vrbs & arx, lateritio muro munita, quòd Chriſtiani colubrinas, aut tormenta diruendis mænibus non adduxiſſent, capi non potuit. Mancipiorum, ac maioris, minoriſque pecoris ingens numerus fuit: & Turcæ quidem ſub haſta veniere; ſed eorum, qui Chriſtianam religionem Græcorum ritu colebant, ea eſt habita ratio, vt in Pannoniam cis Danubium tranſlati, ſedes, & agros inter Temeſuarum, & Nandoralbam haberent, colerentque. Repreſſâ per hunc modum in præſens hoſtium audacia, res tam in Pannonia, quàm Illyrico, poſteà ſedatæ fuêre. *Inſtuansfius libro quarto.* maximè quando Turcas equites, cùm Danubium traieciſſent, vt in fines Pannoniorum incurſiones facerent, Regius exercitus, duobus millibus interfectis fudit, atque rurſus tranſmiſſo flumine, Turcas duobus itineribus intercluſos, maleque habitos, Duce eorum, ac filio illius cæſo, profligauit, quæ omnia Senatui Veneto, & Pontifici per litteras renunciata, ingenti lætitia omnes compleuerunt. *Bembus hiſt. Venet. lib. 6.*

VI. *Benedictus Peſaureus 20. Turcorũ biremibus interceptis Mythilenem vrbẽ inuadit.*

Inter hæc Benedictus Peſaureus, à Senatu Veneto rei maritimæ præfectus, & aſsidua nauigatione in Græciam cum claſſe delatus, ad viginti Turcorum biremes, medio mari intercepit: Gallorumque fortè amicam claſſem, à Ludouico Rege ex fædere miſſam, ad Melum aſſecutus, conſilium cum Philippo Rauenſtenio præfecto ſtatim cœpit, Leſbum inſulam oppugnandi: eoque vtraque claſsis profecta, Mythilonem vrbem, acerrimè, milite è nauibus deſiliente, terrâ, marique inuaſit, & partem murorum æneis machinis proſtrauit. Bis, nauta, ac miles vtriuſque claſsis muros aſcendit: nec tamen Turcæ ceſſere, oppido ſtrenuè defenſo. Vnde Galli, Venetique obſidionem ſoluere coacti ſunt, & Regina claſsis à Veneta digreſſa, in altum repentè vela fecit. Emanuelis Luſitani Regis claſsis, ad finem Septembris apud Corcyram comparuit.

Peſau-



Peſaureus à præfectis poſtulabat, vt ſecum, aut ad Dyrrhachium recuperandum, aut ad Inſulam Leucadiam oppugnandam accederent, neutro tamen illi negotio ſuſcepto, quod dicerent ſuum ſibi Regem mandauiſſe, vt contra claſsim Turcicam vnà cum Veneta omnem bello fortunam experirentur, ab oppidis obſidendis, aut omnino tentandis abſtinerent, quo itinere venerant, domum diſceſſerunt. Ea erat claſsis: nauium onerariarum duo de triginta: omnes magna tormentorum vi, & numero militum pulcherrimè inſtructæ. Venit etiam Hiſpana claſsis, duce Conſaluo, & pariter Corcyram maris Ionij Venetæ ditionis inſulam tenuit, poſtridiè Calendas Octobris. Eius aduentus ſalutaris fuit inſulanis. Turcæ inuadendi eos mutatâ voluntate, Naupliam Peloponneſi vrbem, & nauale cumprimis olim nobile admota eò claſſe impugnare decreuerant: ſed tamen mutarant, ſiue propter anni tempus in hyemem vergentis, ſiue Chriſtianorum claſsibus, vt pares eſſent, veriti, qui in ſinu Corinthiaco claſſem hiberno tempore continere conſueuerant, ad Venetorum ditionem, ipſamque Italiam ex propinquo vexandas, circumducto Peloponneſo, ad Eurippum, & Chalcidis littora conſtiterunt. Ad Zacynthum de belli ratione à præfectis claſsium diſputatum eſt, non vna, ſed varia ducum ſententia: Magno Conſaluo Methonem tentare placebat expugnatu facilem, priuſquam operibus muniretur, aſſueſceretque, Turcico imperio. Plerique Cephaloniam peti maluêre centum, & quinquaginta millium ambitu, tutiſsimi ad occaſum portu, cum optimis totius orbis comparando, Corcyram inter, & Zacinthum poſitam inſulam ſinus Corinthiaci faucibus obiectam. Eo conſilio probato, Galliſque Zacyntho, abeuntibus, ſpecie quaſi non ſolueretur ſtipendium, cæteri Georgij ſanum petiuerunt præcipuum Caphaloniæ oppidum. Neq; mora; ipſo die poſitis iuxta, caſtris, tormentiſque mænium parte ſtratâ, Chriſtiani irrumpere per ſtrages, & rudera intra oppidum conati ſunt. Trecenti Turcæ præſidiarij milites eximiè fortes, magno animo eum impetum ſuſtinuerunt. E Chriſtianis vulnerati aliquot, cæteri à mænibus ſunt repulſi. Tempus erat minimè idoneum, imbribus continuis, & frigoribus impediti milites, dies tamen aliquot ſuſtentarunt, pro ingenio gentis aduerſus mala pertinaces. Ipſo tandem peruigilio diei Chriſti ortu celeberrimi, ſupremo conatu adhibito, admotiſque ſcalis, periculi omnis immemores, intra horæ ſpatiũ in oppidum penetrarunt. Periêre in conflictu, Turcæ centum ſeptuaginta. Alij quinquaginta, qui ſe in turrim receperunt, deſperatâ defenſione, Magni Conſalui arbitrio ſalutem, & libertatem permiſerunt, de clementia conſiſi. Primus in oppidum Martinus Gometius centurio, vulnere quamuis accepto irrupit, Turcis etiam ex aditu, quem obſepſerant, deiectis. Ea inſula ſuperiori tempore, in Leonardi Tocri, Græci Reguli ditione fuerat. Huius fratri, Veneti detractam tradiderant Turcis. De illius nunc captam magnus Conſaluus Venetis reſtituit; magnum eâ moderatione ab animi magnitudine decus, omnium prædicatione, & famâ conſecutus. Et alioqui commodiſſima Venetis claſsibus ea ſtatiò erat, præſertim pòſt Methonem amiſſam, Hiſpanico imperio ob longinquitatem parùm commoda poſſeſsio. Tandem claſsis Hiſpanica ex ea inſulâ dubio cælo profecta, ſæuaque tempeſtate diſiecta, incolumis tamen Syracuſas tenuit, extremam Siciliæ ad ortum vrbem, gemino portu, & vetuſta inprimis nobilitate præclaram. In Siciliam Veneti Magno Conſaluo miſerunt, qui ſuæ ciuitatis ius darent, donaque offerrent vaſa argento grauia, veſtemque pretioſam nauatæ operæ, & impenſi beneficij monumentum. Ille Veneti modo Ciuis honore contentus, cætera ad ſuum Regem in Hiſpaniam rem ſit cum elegantibus litteris; & erat naturâ acutus, & ſalſus. *Mariana libro vigeſimo ſeptimo, cap. ſeptimo Bembus libro ſexto.* Acceſsit inter hæc ad ſpeciem magis, quàm ad auxilia ferenda Petrus Dabuſſonius Cardinalis, Legatus triginta nauigiorum claſſem ad proſpectum ſecum trahens; cumque claſſem Pontificiam nondũ aduenisse recepiſſet, parte cõmeatus Veneto imperatori relicta, Rhodũ reuertit; excuſans, quòd non vniuerſa Chriſtianorum claſſis conueniſſet; non vlla à Pontifice ſingularia mandata accepiſſet: neque amplius quicquam præclarum aggrediendi tempus ſupereſſet, hyeme ingruente. Dedit in reditu ad Pontificem Maximum litteras, quibus obteſtabatur, vt claſſem ex fædere promiſſam ad primum ver tranſmitteret, commeatum, & ſtipendia ne differret, & Principes confœderatos, ad ſubmittenda in tempore auxilia ſolicitaret. *Boſsius hiſt. Rhodianæ libro decimo ſexto.* Erat in poteſtate Venetorum, Pontificiam claſſem expedire. Apud eos parabatur maiore ex parte; triremibus omnibus Veneti ciues impoſiti erant: Ciuis Venetus, Paphenſis Epiſcopus, ei præfectus fuerat, Peſaureâ gente. Placuit magis rem Orientalem copijs Hiſpanicis, Gallicis, Luſitanicis, & Rhodianis tentare; ac ditionem Pontificiam domeſticis ad ſe pertrahere. Enimuerò per id tempus, quo Pontifex Flaminiæ, & Aemiliæ Vicarios, Romanæ Eccleſiæ perduelles, ad obſequium reuocare, & refractarios, perduelleſque vlciſci necnon ciuitates Apoſtolici patrimonij, ab iniquis occupatoribus recuperare, iuremerito properabat; ipſi peditũ tria millia, equitum duo, Rauennam emiſerant, Fauentiæ, Arimino, & cæteris in Flaminia locis, quæ vel in patrocinio habebant, vel contra Pontificum Romanorum voluntatem detinebant, contrà Pontificium exercitum præſidio muniendis. Præter has copias, alios mille pedites, & quingentos equites, Rauennam deſtinarunt, vt cum ijs coniuncti quos anteà miſerant, ciuitates, quas de Romana Eccleſia detinebant, tuerentur: ſcilicet metuentes, nè Cæſar Valentinus, Pontificiarum copiarum Imperator eas repeteret. *Rubeus libro ſeptimo & 8. hiſt. Rauennatis.*

*Chriſtiani Georgij ſanum inuadunt.*

VII. *Poloniæ Rex aliquot de cauſis in Turcas mouere, arma nequit.*

Ioannes Albertus Poloniæ Rex, Pruſsicis, & alijs domeſticis difficultatibus impeditus, non potuit, quemadmodum cupiebat, in Turcam mouere. Enimuerò Fridericus Saxonum Ducis filius, quamuis poſtulante Regis matre, nec non ipſius Regis opera, Ordini Theutonicorum Crucigerorum in Pruſsia ſupremus Magiſter præfectus eſſet, is tamen detrectabat iurare in verba Regis, quemadmodum debebat ex formula pacti, & fæderis. Ergò cum in Pruſsiam iter, & expeditionem pararet, quò eum Ordinem cum ſuo Magiſtro ad officium reuocaret, ex ſententia ampliſsimi conſilij Petricouiæ Comitijs habitis, inducias quinque annorum Baiaſeti conceſsit, legationemque eius magnificè donatam tandem dimiſit. Accedebat periculum à vicina Lituaniâ, nè ſi Alexander frater Magnus eius Prouinciæ Dux, in bello contrà Ioannem, magnum Ducem Moſchorum ſuccumberet, flamma aliqua ad Ruſsiã ditionis Polonicæ pertingeret. Quamuis enim Ioannes Helenam filiam Alexandro in matrimonium collocaſſet, augendi tamen imperij cupidior, quàm fæderum obſeruantior, Ruſsiæ totius dominatum Berezina flumine tenus, auito, & proauito quodam: vt videri volebat, iure à genero repetebat, elatus acceſsione earum ditionum, quas Caſimiro regnante, partim bello, partim defectione Ruſſorum alienârat. Prætexebat, & iniuriam ab genero Helenæ illatam. Receperat in ſe Alexander, vxori in arce Vilnenſi Regiâ, Oratorium condere, vbi Græcanico more, res diuina fieret. Hoc enim ritu viuebat Helena. Stetiſſet promiſsis Alexander ſocero, & nouæ ſponſæ gratificaturus. Cæterum Lituanis, & Polonis ſæuientibus, omniaque diuina, & humana

cum fremitu teſtantibus, rem indignam futuram, quòd nobiliſsima prouincia per eam Græcanici ritus ſpeciem ad Ruthenos relaberetur, ſi in cæremonias gentis degeneraret; veritus Alexander, nè omne Polonum nomen alienaretur, cui inprimis chariſsimus eſſe cupiebat, præſertim Regni Poloniæ ſucceſsione præceptâ, abſtitit incæpto. Maximè admonitus ab Alexandro ſummo Pontifice, ad quem hoc anno, Nicolaum Radiuilum, Palatinum Vilnenſem, legatum miſerat. His de cauſis Ioannes, bellum Lituaniæ intulit: quòd ne Poloniam quoque inuolueret, Rex prouidere habens, neceſſarias cum Baiaſete inducias pactus, in ſacram expeditionem ire non potuit. *Cromerus lib. trigeſimo. Sabellicus Ennead. decimo lib nono. Brucardus in notis diarijs.* Mouebat & iſtud; quod non ignorabat, non omnino omnibus viribus Principes ſacri fæderis in Turcas mouiſſe, neque omninò ſinceram omnibus mentem fuiſſe. Ludouicus Galliarum Rex, de recuperanda Cremonâ, & Giaradaddâ alijſque, quæ ex pacto inito obtinuerant, anxius cogitabat: Veneti quantumuis fæderati, ab ipſo ſibi metuentes neceſſaria arma retinebant. Idem Ludouicus, cum Ferdinando Catholico Rege, Fridericum Neapolitanum Regem, ſpecie, nè pro Religione ſuſceptos conatus impediret, ditione priùs ſpoliare volebant: Fridericus verò, cùm nihil tale à Ferdinando, quò cùm ei affinitas, amicitia, fædus erat, quemque auxilio euocare decreuerat, expectaret, aut omninò ſomniaret, ſed omnia in Ludouicum Regem & in Alexandrum Pontificem reijceret, contrà eundem Pontificem, Columnios inprimis, ac cæteros ditionis Pontificiæ Regulos, quia & ipſos Gallos, & Maximilianum Cæſarem concitabat. Enimuerò Cardinalis Rothomagenſis, Maximilianum Tridenti nactus, cùm de rebus alijs inuicem cum eo deliberaſſet, ac vniuerſalis Concilij, ad res Eccleſiæ non modò, vt aiebat, in membris, verùm etiam in capite corrigendas, conuocandi mentionem inieciſſet, Romanorum Rex, vt Rotomagenſi Cardinali, Pontificatus, ad quem ipſe vehementer aſpirabat, & Regem eius rei propriæ potentiæ gratiâ non minùs cupidum habebat, adipiſcendi ſpem faceret conſentire videbatur. Itaque æquè Maximilianus, ac Ludouicus ſuo more cum Pontifice agentes, ſolicitum faciebant rerum ſuarum. De Venetis ergà illum ſatis inſinuatum. Has fortè cauſas Ioannes Albertus Rex habuit, ne in ſocietatem eius belli nomen daret. Pontificiæ, & Neapolitanæ res huius anni, ad hunc modum geſtæ.

VIII. *Valentinus S.R.E Vexillifer Fauentiã in ſuam poteſtatẽ redigit.*

Valentinus copiarum Dux, & Vexillifer Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Fauentiam verſùs exercitum duxit. Aſtor Manfredus, iuuenis XV. annorum, vrbem titulo Vicarij pro Romanâ Eccleſiâ tenebat. Ioannes Bentiuolus, auus maternus, Florentini, Veneti, Ferrarienſiumque Dux, iuuenem contrà Pontificem, primum defendendum ſuſceperant. Egit Pontifex cum Rege Ludouico, vt auxiliarios admoneret, nè Mãfredo ſubſidia miniſtrarent. Ità non modo Bentiuolus, nè Pontificis arma irritaret, necnon Ludouici Regis iuſſu, ab auxilijs mittendis abſtinuit: ſed etiam Ferrarienſis, & Florentini eaſdem ob cauſas idem fecerunt; ac prætereà Veneti, quoniam ità Rex ab illis petierat, ſe eius patrocinium deſerere ſignificarunt: quemadmodum etiam prius eadem de cauſa, Pandulfo Malateſtæ Ariminenſium Domino fecerant, imo quo magis ſe Pontificis rebus fauere oſtenderent, eodem tempore Valentinum ducem, iure Comitiorum in ipſorum Repub. donarunt; quæ res ab ea Repub. vel ob acceptorum beneficiorum gratiam vel ob ſummæ beneuolentiæ teſtificationem fieri ſolet. Fauentiam, nullius præterquàm ciuium ſuorum auxilio nixam, oppugnare voluit Valentinus, Honorio Sabello, Paulo, & Iulio Vrſinis, Vitellotio, & Ioanne Paulo Ballio, & multis alijs delectis viris in eius exercitu militantibus. Habebat prætereà multos Gallos, & Hiſpanos, qui ipſius ſtipendijs militabant. Primus impetus impreſsionis Vitellotio, & Vrſinis obtigit, qui militum ſuorum flore ſelecto, magna virtute, atque ordine couſque ſunt progreſsi, vt aliquem victoriæ ſpem habuerint. Sed non minor erat Fauentinorum virtus, & valida munitio ab illis facta, adeò vt hoſtis ingenti foſſâ conſpectâ, magnâque tormentorum copiâ à latere vulneratus, Ferdinando Farneſio, & multis magnis viris amiſsis, cum magno ſauciorum numerò pedem referre coactus ſit. Et tamen Fauentini non paruâ in oppugnatione clade acceptâ, quâ tandem ratione ſe à tanto exercitu omni ope deſtituti tueri poſſent, quantoque cum detrimento, & non ad palatum legibus, vel vi expugnati, vel extrema neceſsitate compulſi, in victoris poteſtatem peruenturi eſſent, ſic animo voluere inceperunt, vt tanto ardore extincto, timoreque ſubeunte, intrà paucos dies hominibus, ac fortunis conſeruatis, & Aſtorris eorum principis libertatem, & ei vti quocunque vellet, ire liceret, vtque propriorum prædiorum fructibus frueretur pacti, Valentino vrbem dediderint, die vigeſimoſexto Aprilis. Pacta, quæ Fauentinos attinebant, Valentinus inuiolata ſi deſeruauit: Aſtorrem excellenti formâ præditum, vt ſecum Romam concederet, perſuaſionibus induxit, promittens, illum in aula ſua honorificè habiturum. Et quidem is anno integro amplius Romæ in magno honore vixit: cæterùm effreni libidine in tranſuerſum actus, fatum ſibi accelerauit: à riuali, cuius amicam deperibat, in Tyberim, vnà cum amica, & duobus iuuenibus, altero, decimo quinto, altero vigeſimoquinto, annorum ſimul per brachia colligatis præcipitatus, ac demerſus, die decimo nono Iunij, anno Milleſimo quingenteſimo ſecundo. Maleuoli confinxerant, atque in vulgus diſperſerant, Aſtorrem alicuius libidinem prius expleſſe, & à Valentino clàm interfectum fuiſſe, cum tamen Valentinus eo tempore Româ abfuerit.

IX. *Gall. & Rex Florentinis infenſus.*

Fauentiâ in poteſtatem ſuam redacta, Valentinus Bononiam verſus, non modò, vt eam vrbem occuparet caſtra mouit, verùm etiam, vt Florentinis, quorum res recentibus ad priorem Galliæ Regis indignationem cauſis additis, vehementer inclinabant, poſteà moleſtias inferret, ac ea occaſione, iniurias Pontificiæ maieſtati antè aliquot annos illatas vlciſceretur. Hi grauibus ſumptibus, quos fecerant, quoſque ob Piſanum bellum, & ob Pontificis, ac Valentini virium metum indies facere cogebantur defatigati, Regi quamuis maximè vrgenti, reliquam à Mediolanenſium Duce mutuò acceptam pecuniam, & quam pro Heluetijs in Piſanos miſsis petebat, minimè perſoluebant, Nam cum Florentini, quòd Heluetij multos dies antè accepti ſtipendij tempus exactum diſceſsiſſent, prout Mediolani cum Rotomagenſi Cardinale pacti fuerant, menſis vnius ſtipendium quo in patriam redirent, ſoluere noluiſſent, Rex; vt eius gentis beneuolentiam retineret, de ſuo numerarat: & acerbiſsimis verbis, nullâ inopiæ excuſatione admiſſa, à Florentinis repetebat: quæ omnia ciuilis diſcordia, ex popularis ſtatus cõfuſione, orta, difficiliora reddebat: in quo quum nemo, qui certam rerum curam haberet, & plerique ciuitatis principes, vel tamquam Mediceorum amici, vel tamquam alterius Reipublicæ ſtatus cupidi ſuſpecti eſſent, magis temeritate, quàm conſilio Reſpub. adminiſtrabatur. Ex quo quum Regis poſtulatis non ſatisfacerent; imò temporis prorogatione ab illo impetrata ſine effectu elabi permiſſa, magna illum indignatione accenderant: qui prætereà etiam, vt pecuniam, & auxilia ad Neapolitanum bellum promiſſa compararent, poſtulabat. Nam etſi ex pacto, niſi Piſis receptis non deberentur, ſibi quum illorum culpâ factum eſſet, quo minus adepti eſſent, perindè





eſſe, ac ſi recuperaſſent, aiebat. Ad id vel pecuniæ, cuius naturâ admodum auidus erat cupiditate; vel quod præſcriptis temporibus non perſoluiſſent, indignatus vel quòd ob ſtatus perturbationem, & multos Mediceorum amicos, nullam rebus ſuis firmam ſpem, in ea vrbe locare poſſe perſuaſum haberet, impulſus; & vt atrocitate, acerbitateque, quò authoritate minimè potuerat, illos impelleret, palàm illorum legatum, quem apud ſe habebat, ſiniſtrè excipiebat: ſe non amplius ad illorum patrocinium teneri aſſerens, quòd ſibi Mediolanenſis pactionis capita, pecuniâ ijs comprehenſa debito tempore minimè perſoluta, non ſeruaſſent. Quare Iulianum Mediceum, qui Pontificis hortatu, vt ſuo, ac fratrum nomine maxima pecuniæ vi promiſſa, de reſtitutione in patriam illum ſupplex rogaret, ad ſe venerat, libentiſsimè audiuit, & perpetuò cum illo de eorum reditu agebat. His rebus Valentinus audacior factus, & à Vitellotio, atque Vrſinis, militibus ſuis, & Florentinorum, ille ob fraternæ necis iniuriam, hi ob Mediceorum neceſsitudinem, grauiſsimis hoſtibus incitatus, anteà Liuerotum Firmanum cum centum leuis armaturæ equitibus, Piſanis auxilio miſerat; & poſt Fauentiam captam, Florentinos Sfortiarum fautores, adeoque Romanæ Eccleſiæ hoſtes armis inuadere decreuerat. Hoc animo, Bononienſem agrum, magna eius vrbis occupandæ ſpe, ingreſſus eſt. Sed eodem die, quo ad Caſtellum SanPetrum, Immolam inter ferè, & Bononiam ſitum, caſtra locauit, à Galliæ Rege, nè Bononiam oppugnare, neuè Ioannem Bentiuolum inde pellere contenderet, mandatum accepit, quod ſe, & ad Vrbis, & ipſius defenſionem teneri diceret; eamque exceptionem in patrocinij ſuſcepti pactione expreſſam: ne videlicet in Pontificij iuris fraudem fieret, de ijs rebus, eaque poteſtate intelligendam, quæ tunc Pontificatus poſsidebat. Si enim promiſcuè, non autem ex verborum ſono, quemadmodum volebat Pontifex intelligeretur, fruſtrà Bononienſes, & Bentiuolos in ipſius patrocinium ſuſceptos fuiſſe: Quocirca Valentinus cum maximis Pontificis, ac ſuis querelis eâ ſpe ad tempus depoſita, per Paulum Vrſinum, cum Bentiuolo, vt ſibi per Bononienſem agrum iter, & commeatum concederet, ſingulis annis nouem ducatorum millia penderet, certum grauis armaturæ equitum, & peditum numerum, ſecum in Etruriam mitteret, Caſtellum Bononienſem, quod oppidum inter Immolam, & Fauentiam poſitum, in Bononienſium ditione erat, ſibi traderet (quod ipſe Paulo Vrſino dono dedit) pactus eſt.

*Valentinus Bononiam occupare parat, ſed ab incepto deſiſtit*

*Immane facinus Hermetis Bentiuolij in Mariſcottam familiã.*

Immane tunc facinus in Mariſcottam familiam, ab Hermete Bentiuolio, Ioannis filio, patratum eſt Bononiæ. Inquirente in ſenatu Ioanne, quiſnam Valentinum in Bononienſes excitaſſet: aliqui, in Mariſcottos, inuidiam facti contecerunt. Accit in Curiam Agamemnon, & Iaſon Galeatij Mariſcotti filij, in cuſtodiam coniecti ſunt. His adiuncti eiuſdem nepotes Theſeo filio nati, Ageſilaus Canonicus S. Petronij, & Ludouicus. Eſt Ioannes, multorum nobilium adoleſcentum vnà cum Hermete ſuo filio operâ abuſus, vt tanti facinoris in Mariſcottorum cæde patrati memoria eius familiæ inimici facti, ſui imperij conſeruationem optare cogerentur, interfici curauit. Antenor, & Mariſcottus, eiuſdem Theſei filij, in turrim, quam Vccellim appellant, ſeſe abdiderant. Eos Hermes per ſpeciem amicitiæ euocatos pari immanitate enecauit: Galeatio quinque & nonaginta annos nato, iuſſam Dei vindictam agnoſcente; quòd is Bentiuoliæ familiæ olim extollendæ, æqualiâ perpetraſſet. Ab ea immanitate, Bentiuoli, ea in vrbe magis odioſi facti: quòd familiam clientelis, & factionibus potentem, opprimere voluiſſent.

X. *Valentinus per Bononienſem agrum ditionem Florentinorum ingreditur.*

Gallicæ copiæ, non vlterius Valentinum ſecutæ ſunt: quia Regium exercitum, qui numero mille cataphractorum, & decem peditum millia Obigníno duce, ad bellum Neapolitanum contendebat, vt ei coniungerentur expectabant. Valentinus autem per Bononienſem agrum cum ſeptingentis grauis armaturæ equitibus, & quinque ſelectis peditum millibus, & prætereà centum cataphractis, & duobus peditum millibus, quos Bentiuolus protonotario filio ſuo ductore mittebat, in ditionem Florentinorum progreſſus eſt: ac tranſitu, & commeatu à Florentinis per illorum fines petito, nec tamen reſponſo expectato, legatos à Florentinis ad ſe miſſos, donec Apenninum tranſiuiſſet, benignis verbis demulcens, vltrà proceſsit ſed vbi ad Barberinum peruenit, benignitate in acerbitatem commutatâ, vt ſecum fædus inirent, ſeque cum ijs equitibus, ijſque conditionibus, quæ gradum, ac perſonam ipſius decerent, ſtipendio ſuo conducerent, & præſenti ſtatu mutato aliam Reipub. formam, cui magis fidere poſſet, conſtituerent, poſtulauit. Ad hæc verò petenda, non tàm potentiâ ſuâ, cum minime magnas copias, nec tormenta ad mœnia pulſanda ſecum haberet, quàm ex Florentinorum malè affectis rebus audax fiebat: quum illi paucos equites, nec alios pedites quàm è ſuis popularibus imperatos haberent; Florentiæ verò, proptereà quod Vitellotius, & Vrſini in ipſius exercitu eſſent, & Petrus Medices eius iuſſu Loiani, in Bononienſi agro hæreret, timoris, ſuſpicionis, ac diſsidiorum omnia erant plena; & populus, Optimates, vt formam Reipub. ex ſuo arbitrio conſtituerent, illius aduentum procuraſſe vehementer ſuſpicabatur. Sed in Valentino, quòd Vrſinorum ac Vitellocij, quibus Petrum in patriam reuerſum, coniunctiſsimum fore ſciebat, potentiam ſibi commodam non cenſeret, nullum erat Petri reſtituendi deſiderium. Prætereà in ipſius animo antiquæ indignationis in eum conceptæ memoria fixa inſederat. Nam cùm olim in Piſano Gymnaſio, Pontificio iuri operam daret, & de cuiuſdam familiaris ſui capitali cauſa, ad Petrum, Florentiam iuiſſet, vbi multas horas fruſtrà, donec illum vel negotijs, vel voluptatibus occupatum alloqui poſſe daretur, expectaſſet, minimè auditus, reque infecta ſe contemptum, & non mediocriter læſum exiſtimans, Piſas redierat. Nihilominus, vt Vitellijs, atque Vrſinis gratificaretur; & multò magis, vt Florentinorum terrorem, atque diſcordiam, quo inſtrumento, vel meliores ab illis conditiones, vel alicuius magni momenti oppidi in eorum imperio occupandi occaſionem ſperabat, augeret, ſecus ſimulabat. Sed cùm irruptionem ſuam Galliæ Regi moleſtam eſſe iam ſuboleſceret, quamprimum Campium ſex à Florentia paſſuum millibus peruenit, in hunc modum cum illis pactus eſt. Inter Rempublicam Florentinam, & ipſum fædus, ad vtriuſque defenſionem eſſet: neutri parti alterius rebelles iuuare, & nominatim Valentino Piſanos liceret; Florentini, omnia delecta à quouis in ipſius aduentu commiſſo condonarent, nec ad Plumbini Principis, qui ſub illorum patrocinio erat, defenſionem, ſe illi opponerent: ipſum Florentini trecentis grauis armaturæ equitibus, quos quotieſcumque ſuos ad propriam defenſionem, ſiue ad bellum alijs inferendum opus haberent illis auxilio mittere teneretur, in proximos annos tres præficerent: atque hanc ob cauſam ei quotannis triginta ſex ducatorum millia penderent. Ea compoſitione factâ, paruis itineribus ſingulis caſtris aliquot dies moram trahens, & regionem prædâ, & incendijs, ac ſi manifeſtus hoſtis eſſet, infeſtans, Signiam contendit. Petebat inſuper, pro ſtipendiorum, quæ cataphractis perſoluuntur, conſuetudine

quartam partem, & tormenta, quæ ad Plumbinum duceret, ſibi commodari: quorum vnum Florentini, quòd non tenerentur, apertè recuſabant, alterum, quòd quæ coacti promiſerant, minimè præſtare in animo haberent, differrebant: & nuncijs ab ipſorum apud Galliæ Regem Oratore acceptis eius autoritate ſe hac moleſtia liberatum iri ſperabant: quæ ſpes minimè eos feſellit. Regi enim Valentinum eis minatum eſſe, gratum fuerat: at inuaſiſſe minimè; cui etiam præſentis ſtatus mutatio moleſta fuiſſet: aut ſaltem, ſi aliam Reipublicæ formam Florentiæ conſtitui cupiuiſſet, id alijs viribus, aliaque quàm ſua authoritate factum, ægrè tuliſſet. Idcircò, quamprimum Valentinum, Florentinorum fines ingreſſum cognouit, vbi ſtatim diſcederet, & Obignino, qui iam cùm exercitu in Inſubria erat, ſi non paruiſſet, totis viribus ad eum pellendum contenderet imperauit. Quarè Valentinus nec ſtipendij quadrante, nec tormentis acceptis Plumbinum versùs progreſſus eſt. Plumbini agrum ingreſſus, Sugheretum, & Scarlinum caſtella, Iluam, Planoſiamque inſulas cepit: & præſidijs in locis captis ad ea defendenda, & Plumbinum perpetuò infeſtandum idoneis relictis, cum reliquis copijs, vt Regium exercitum in bello Neapolitano ſequeretur, Latium petijt, & in vrbem die decimo octauo Iunij venit.

Regij exercitus pars cum Obignino, Caſtrocarino itinere Etruriam erat ingreſſa; reliqui per Lunigianam eodem contendebant, omnes autem copiæ ſimul coniunctæ, erant mille cataphracti, quatuor Heluetiorum millia, & partim Vaſconum, partim Francorum peditum ſex millia, & ex eorum more magnus tormentorum apparatus; eodemque tempore claſsis, quæ tribus Genuenſibus nauibus, quas Caracchas vocant, ſexdecim alijs, & multis minoribus nauigijs, cum magna peditum copiâ conſtabat, ad idem & Turcicum bellum Philippo Raueſtenio, Genuæ profecto duce ex Prouincia ſoluebat. Aduersùs hos motus, Fridericus Rex, qui Hiſpanica arma amicitiæ ſpecie in ſe parata eſſe ignorabat, Conſaluum Ferrandum, qui cum Hiſpaniæ Regum claſſe auxilij ferendi, & Turcici belli ſimulatione in Sicilia hærebat, vt Caietam veniret, aliquot Calabriæ oppidis ab illo, vt partem ſuam facilius occupare poſſet, ſuarum tamen copiarum ſecuritatis colore petitis, eius poteſtati permiſsis vrgebat: Fridericus autem Conſaluo copijs ſuis, quas partim à ſe, partim à Columnijs Marini, ac Romæ conſcriptas, ſeptingentos grauis, ſexcentos leuis armaturæ equites, & ſex peditum millia fore exiſtimabat, coniuncto, ſe, ſatis validum aduersùs Gallos exercitum habiturum, nec oppidis ſeſe includere coactum iri ſperabat: quamuis à Baiaſite Turcarum imperatore, à quo ijſdem & maioribus ex Ludouici Regis, quàm quæ ex Caroli victoria timuerat, periculis oſtenſis, opem obnixè petierat, ſperata auxilia deficerent, & vt ſe à fraude tutum redderet, Biſiniani Principem, & Meleti Comitem, occulta cum Calatiæ Comite, qui cum Gallico exercitu erat, conſilia habere apud ſe accuſatos, in carcerem includi curarat. quâ ſpe nixus, priùs tamen Ferdinando filio, natu maximo, etiam tum puero, Tarentum, magis ad ipſius, ſi quid ſiniſtri accidiſſet, ſecuritatem, quàm ad vrbis illius defenſionem miſſo, cum exercitu ſuo ad San-Germanum conſedit: vbi Hiſpanica auxilia, & copias, quas Columnij adducebant, expectans, feliciori ſucceſſu, quàm in Caroli aduentu Ferdinandus eius nepos feciſſet, ſe regni clauſtra defenſurum ſperabat. In quo rerum ſtatu, proculdubio vniuerſa Italia omnibus id bellum grauiſsimarum calamitatum initium fore iudicantibus, ancipiti dubitatione plena erat. Neque enim Galliæ Regis exercitus tàm potẽs videbatur, vt Friderici, & Conſalui coniunctas vires facilè ſuperare poſſet; & tantorum Regum animis irritari cæptis, vtraque pars bellum maioribus viribus perſecutura exiſtimabatur: ex quo per vniuerſam Italiã, ob varia cæterorum Principum ſtudia, graues, ac periculoſi motus facilè oriri poſſent. Sed quamprimùm Gallicus exercitus in Romanum agrum peruenit, hæ cogitationes vanæ apparuerunt. Quoniam Galli, & Hiſpani Oratores vnà Senatum ingreſsi, Pontifici, & Cardinalibus fœdus inter ſuos Reges, regnique diuiſionem, vt (quemadmodum aiebant) in Chriſtianæ Religionis hoſtes ducere poſſent, factam, atque pro eius diuiſionis ratione ſibi diploma concedi petentes notam fecerunt, quod ſine mora a Pontifice conſecuti ſunt. Quare de huius belli fine dubitatione ſublatâ, & hominum metu in ſummam admirationem conuerſo, Galliæ Regis, quod potius ei regni mediã partem in Hiſpani Regis manus peruenire, Regemq; æmulum ſuum in Italiam, vbi antea ſolus omnium rerum arbiter erat, ad quem omnes ipſius hoſtes, quibuſue ab illo non ſatis eſſet factum, poſſent confugere, Romanorum prætereà Regi arctiſsimis vinculis coniunctum, introducere, quam Fridericum ipſius beneficio, tributo, quemadmodum varijs modis quæſierat, dato, regnantem pati voluiſſet, prudentiæ deſiderabatur. Nec minùs communi hominum ſententia in Ferdinando cunctis hominibus, quòd eius regni partis occupandæ cupiditate, in conſanguineum ſuũ coniuraſſet, quemque quo faciliùs poſſet euertere, ſemper falſis auxilij promiſsis fouiſſet, & Catholici Regis, quem ipſe cum Eliſabetha Reginâ, ante paucos annos à Pontifice erant adepti, ſplendorem, eamque gloriam, quâ quòd non minus religionis ſtudio, quàm proprijs de cauſis, Mauros Granatenſi regno expuliſſent, nomen illorum in cælum vſque ferebatur, obſcuraſſet, ſummoperè mirantibus, fides, integritaſque flagitabatur. Quibus vtrique Regi obiectis calumnijs, pro Galliæ Rege nihil aliud reſpondebatur, niſi Gallorum eſſe tantam potentiam, vt cùm tempus foret, omnibus erroribus, obuiã ire poſſent; pro Ferdinando dicebatur, quamuis à Friderico iuſtam inferendi belli cauſam accepiſſet, quòd illum multò antè cum Galliæ Rege occulta in ſuum detrimentum conſilia agitâſſe ſciret, tamen non hac de cauſa motum fuiſſe; ſed quòd, cum regem illum prorſus Neapolitanum regnum inuadere ſtatuiſſe animaduerteret, ſe aut ad illud tuendum, aut deſerendum cogi, ſi defenſionem ſuſcepiſſet, tàm grauis incendij initium fore, vt Turcarum, præſertim armis, terra, marique, tanta vi Venetos impetentium, Chriſtianæ reipubl. valdè pernicioſum eſſet futurum. Sin deſeruiſſet, ſuum Siciliæ regnum in graue diſcrimen conijci. Præterea his omiſsis, Neapolitanum regnum quòd ad ipſum iure ſpectaret, quodque etiam Friderici poſteris deficientibus, nouo iure ad ipſum peruenire poſſet, à Galliæ Rege occupari, manifeſtè ipſi inſigni detrimento fore. In hac igitur ancipiti deliberatione, diuiſionis viam elegiſſe, quâ ex Gallorum peruerſa adminiſtratione illorum quoque partem ſperare poſſet. Quòd ſi contingere, ex publicæ vtilitatis ratione, ad quam ſemper plus quàm ad commodum proprium conſilia ſua direxiſſet, conſilio capto, vel ſibi retineret, vel Friderico, ſiue potiùs eius liberis, quòd eius nomen ſe iam penè odiſſe, vt qui illum iam antequàm Galliæ Rex Inſubriam occuparet, cum Turcis conſilia agitâſſe ſciret, negare non poſſet, reſtitueret. Horum Regum concordiæ nuncius ità Fridericum terruit, vt quamuis Conſaluus, quæ Romæ promulgata erant, contemnere fingens, ſe illi opem laturum aſſeueraret, à primis nihilominus conſiliis diſcederet, & San-Germano Capuam versùs regreſſus, copias à Columniis ſuo nomine conſcriptas expectaret, qui præſidijs Ameriæ, & in Roccapapæ relictis, reliqua omnia, quæ in Latio poſsidebãt, deſeruerunt. Pontifex enim, quòd contrà ſua edicta, militem non





tantùm in agro Romano, verùm etiam Romæ (mille pedites Romæ ſcripſerunt) ſub ſigna Friderici cogere auſi fuiſſent, & ſtipendia ab eodem Friderico contrà fas accepiſſent, ac prætereà hoſtilem in modum omnia circum vrbem habuiſſent, pœnas in Edictis Monitorialibus tàm ſpirituales, quam temporales contrà eos promulgauerat, & ex Galliæ Regis conſenſu, ad illorum fortunas, iam ex ſententia Sacri Senatûs publicatas, occupandas arma conuerterat. In his difficultatibus, cum tandem Conſaluus ſimul, atque Gallicum exercitum vltrà Romam proceſsiſſe intellexit ſua patefeciſſet mandata, & ſex triremibus Neapolim, quæ duas ſeniores Reginas, quarum vna ſoror, altera neptis ſui Regis erant, aſportarent, miſiſſet, Proſper Columna Friderico eas triremes, vt retineret, & omnibus viribus ſuis collectis, acie ſe hoſtibus opponeret ſuadebat; quòd in tentanda fortuna, quum præliorum euentus omnium humanarum actionum incertiſsimi ſint, aliqua victoriæ ſpes eſſet: hoc conſilio omiſſo, nullam ipſi prorsùs duobus potentiſsimis Regibus, qui ſe ex diuerſis regni partibus adorirentur, obſiſtendi facultatem reliquam eſſe. Nihilominùs Fridericus, qui id conſilium quoque tenuiſsimæ ſpei cenſebat, oppidorum præſidijs operam dare ſtatuit. Quarè cum iam antequam Obigninus Româ exiret San-Germanum, aliaque vicina loca defeciſſent, primum impetum Capuæ expectare ſtatuit: qua in vrbe Fabricium Columnam, & cum ipſo Ranutium Martianum, qui recenter ad eius ſtipendia venerat, cum trecentis grauis, & aliquot leuis armaturæ equitibus, & tribus peditum millibus poſuit. Ad Neapolis præſidium Proſperum Columnam reliquit; ipſe verò cum reliquis copijs Auerſæ conſtitit. Obigninus autem Româ profectus, quia Fabricius Romæ nonnullorum Neapolitani Regni Procerum, qui Gallicas partes ſequebantur, nuncios ad ſecum paciſcendum miſſos interfici curarat, indignatus, Marinum, Cauium, & nonnulla alia Columniorum oppida incendi iuſsit. Deinde ad Montefortinum, quem locum, Iulium Columnam defenſurum arbitrabatur, contendit. Sed cùm illum parua cum laude deſeruiſſet, Obigninus vlteriùs progreſſus, omnia in Capuano itinere circumiecta oppida ad Vulturnum vſque amnem occupauit: quem cum propè Capuam, vado tranſire non poſſet, vt in ſuperiora loca montẽ versùs exercitum traijceret profectus eſt: quo cognito, Fridericus Auerſâ relicta, Neapolim ſe contulit. Auerſa verò cum Nola, & multis alijs locis Gallis ſe dediderunt; quorum vires omnes circa Capuam conuenêre. Cumque octauo obſidionis die Fabricius Columna ex vallo, cum Galatiæ Comite, de deditione loqui cæpiſſet, militum in cuſtodiendo negligentia, vt ſæpè in propinqua pacis ſpe accidit, hoſtibus irrumpendi occaſionem præbuit. qui ob prædæ cupiditatem, & ob cladem in oppugnatione acceptam irâ perciti, totam vrbem multa cum cæde diripuerunt, eoſque, qui ipſorum crudelitati ſuperfuerant, captiuos fecerunt. Nec minor fuit efferata in mulieres impietas, quæ ex omni ſtatu, etiam quæ religioni deuotæ virgines erant, victorum libidini, & auaritiæ miſera præda fuêre: quarum multæ poſteà minimo pretio Romæ venditæ ſunt, & fama erat, aliquas Capuæ minùs mortem, quàm honoris iacturam ferentes, alias in puteos, alias in flumen ſe præcipites dediſſe, ac præterea Ducem Valentinũ, qui Regij Vicarij appellatione caſtra tantummodo cum ſuis nobilibus & ſtipatoribus ſequebatur, cum multæ quæ primum impetum effugerant, in turrim quandam confugiſſent, omnes inſpicere voluiſſe, ijſque diligenter inſpectis, quadraginta omnium formoſiſsimas retinuiſſe. Fabritius Columna, Vgo Cardonius, & omnes reliqui duces, viriq́ue inſignes captiui fuerunt: inter quos Ranutius Martianus, qui in oppugnatione baliſtæ iaculo ſauciatus cùm in Valentini miniſtrorum poteſtatem perueniſſet, non abſque procuratæ necis ſuſpicione biduò extinctus eſt. Capuæ iactura, omnis vllius rei defendendæ ſpes ſublata eſt. Caietani abſque mora vrbem dediderunt. Cumque Obigninus cum exercitu Auerſam veniſſet, Fridericus Neapoli vrbe relicta, quæ ſexaginta ducatorum millibus victori promiſsis deditionem fecit, in arcem Nouam ſe recepit; ac pòſt paucos dies cum Obignino ſic compoſuit, vt oppida, & arces, quæ ex partitione factâ ad Regem Galliæ ſpectarent, & in ſua poteſtate eſſent, intrà ſex dies ei, ſolâ Iſchia inſula ad ſex menſes retenta traderet, quo temporis interuallo, quocumque vellet, præterquàm per regnum Neapolitanum ei ire; centum grauis armaturæ equites, Tarentum mittere; omnia præter tormenta à Carolo Rege relicta, ex arce Noua, atque altera, quæ Oui dicitur, aſportare liceret: omnibus omnia, quæ poſtquàm Carolus Neapolim venerat, commiſiſſent, condonarentur; Cardinales Columna, & Aragonius, Sacerdotiorum cenſus, quos in eo regno habebant, perciperent. Sed in Iſchiæ arce, omnes certè Ferdinandi primi poſterorum miſeriæ miſerabili ſpectaculo cumulatæ cernebantur, quoniam præter Fridericum recenter tàm præclaro regno ſpoliatum, ac multò magis de tot paruulorum liberorum, & de primi ſui nati Tarenti obſeſsi, quàm de propria ſorte ſollicitum erat in eadem arce eius ſoror Beatrix, quæ pòſt Matthiæ celeberrimi Vngariæ Regis viri ſui obitum, à Ladiſlao Vngariæ, & Bohemiæ Rege, ità dirimente, ſeu nullum matrimonium fuiſſe decernente Alexandro Pontifice, dimiſſa viuebat. Ibidem quoque erat Iſabella Mediolanenſium princeps, Ioannis Galeacij Sfortiæ relicta, haud minùs, quàm cæteri omnes calamitoſa, quòd penè eodem tempore marito, ducatu, atque vnico filio orbata eſſet. Illud fortè, vtpotè maximum nequaquàm prætermittendum eſt, quod quidem eò rarius eſt, quò temporibus his filiorum in parentes amor minùs eſt frequens. Puteolos ad paternum ſepulchrum viſendum vnus è Gilberti Mompenſerij liberis venerat, qui grauiſsimo mœrore commotus, innumeris effuſis lacrymis, ſuprà idem ſepulchrum exanimis occidit. At Fridericus, extremo, quo in Hiſpaniæ Regem flagrabat odio ductus, quum ad Galliæ Regis clementiam, potiùs confugere ſtatuiſſet, ad Ludouicum fidem publicam poſtulatum miſit, eaque accepta, ſuis omnibus in Iſchiæ arce relictis, vbi etiam manſerunt Proſper, & Fabricius Columnij, qui mulctâ perſoluta à Gallis liberatus fuerat, & Inſula Vaſtij Marchionis, & Franchauillæ dominæ fidei commiſſa, & copiarum ſuarum parte ad Tarenti defenſionem miſſa, cum quinque triremibus in Galliam infelici ſanè conſilio traiecit. Si enim libero in loco fuiſſet, fortaſsè in bellis, qui poſteà inter duos Reges orta ſunt, multas in regnum ſuum redeũdi occaſiones habuiſſet. Sed tranquilliorem vitam ſecutus, ac fortè hanc optimam ratus, conditionem oblatam, vt in Gallia maneret, à Rege accepit: ea autem fuit, vt Andiouinorum Dux eſſet, ac præterea aureorum nummũm triginta millia quotannis acciperet, quibus rebus confectis, ijs, quos Iſchiæ præfecerat, vti eam Galliæ Regi traderent, mandauit: qui parere recuſantes diu ſub Friderici tamen inſignibus eam tenuerunt.

*Obigninus multis ſuperatis oppidis in Capuam irruptionem facit.*

*Cum eodem Fridericus componit.*

XI. *Omnia oppida & vrbes Calabriæ Conſaluo ſe dedunt.*

Eodem tempore Conſaluus in Calabriam tranſierat: vbi, quamuis regio vniuerſa Gallorum potiùs imperium exoptaret, tamen cùm nullum defenſorem haberet, omnia oppida, & vrbes præter Manfredoniam atque Tarentum, ſpontè illum admiſerunt. Manfredonia cum arce obſidione capta, exercitum, Tarentum, vbi maior apparebat, difficultas duxit, quâ nihilominùs tandem quoque deditione potitus eſt: quoniam Potentiæ Comes, cuius cuſtodiæ paruus Calabriæ Dux, à patre commiſſus fuerat, & Leonardus Neapolitanus, Rhodius Eques, Tarenti præfectus, cùm nullam amplius defenſionis ſpem viderent,

olli intrà quatuor menſes auxilium acciperet, vrbem cum arce ei tradidêre. Iſque viciſsim ſolenni ad ſacra altaris myſteria, Sacramento confirmauit, ſe Calabriæ Ducem liberum abire permiſſurum; qui occultum à patre mandatum habebat, ſi fortunæ ampliùs repugnare non poſſet, ad ſe in Galliam contenderet. Sed nec Dei metus, nec apud homines ſuæ exiſtimationis ratio, plus quàm regni causâ potuêre. Cùm enim Conſaluus, ipſum in Hiſpaniæ Regis poteſtate non eſſe, olim plurimùm intereſſe poſſe animaduerteret, iureiurando contempto abeundi facultatem minimè dedit, ſed quamprimùm potuit benè comitatum in Hiſpaniam miſit: vbi à Rege benignè acceptus, apud ipſum, quoad externam quandam ſpeciem in Regio penè honore fuit.

XII. *Res Pontificis proſperè ſuccedunt.*

Hoc eodem tempore res Pontificis ſolitum felicitatis curſum obtinebant; quia mirâ facilitate omnem Columniorum & Sabellorum in Latio ditionem, in poteſtatem ſuam redegit, cuius partem Vrſinis dono dedit: & Valentinus in bello aduersùs Plumbinum perſeuerans, Vitellotium, & Ioannem Paulum Ballionem cum nouis copijs eò miſit: quorum aduentu Iacobus Appianus, qui dominium illic obtinebat, perterritus, præſidio in arce, & oppido relicto, maritimo itinere, vt num à Rege, qui multò antè illum in ſuam clientelam receperat, vt proprij honoris causâ ſe peſſundari non permitteret, impetrare poſſet experiretur, in Galliam contendit, cui Rex infamiâ ſuâ nullo artificio tectâ, ſe Pontifici non repugnaturum promiſiſſe, nec ſine ſuo ipſius detrimento facere poſſe, admodum apertè reſpondit. Sed intereà oppidum Pandulfi Petrucij operâ, Valentino deditum fuit; idemq; intrà paucos dies, & arx fecit. Alexander etiam Lucretiam Borgiam filiam, tunc viduam, Alfonſo, Herculis Eſtenſis, Ferrariæ Ducis natu maximo, cum centum millibus aureorū nūm in pecunia numerata dotis nomine, multiſque maximi pretij muneribus, connubio iunxit, affinitatem procurante ipſo Ludouico Rege. Die 4. Septembris ſponſalia facta. 10. Septembris Plumbinum acceptum. Quarta Auguſti Neapolis capta. Nonâ Octobris, inter Maximilianum Cæſarem, & Ludouicum Regem conuenit de Concilio Generali conuocando, deque bello Venetis, quo vnuſquiſque ea, quæ ab illis vſurpari ſibi exiſtimabat recuperaret, inferendo; deque Aſcanio Cardinali liberando, ac Ludouico Sfortiâ in Gallijs, cum viginti millium Solatorum ſtipendio, quo honeſtè ibidem viueret, retinendo. Felicitatem ſuam, Ludouicus Rex, Venetis moleſtam eſſe ſciebat, eoſque vt pacem inter Cæſarem, & ipſum impedirent operam dediſſe ſibi perſuaſerat. Sed multò magis Cremonæ & Giaradaddæ, quas ipſemet paulò antè conceſſerat: & Brixiæ, & Bergomi, & Cremæ, quæ vrbes olim Mediolanenſis ditionis fuerant, & à Venetis in bellis, quæ cum Philippo Maria Vicecomite geſſerant, occupatæ, imperio ſuo adiungendarum cupiditate, qua & per ſe, & à Mediolanenſium ſtimulis flagrabat, mouebatur. *Guiciard. lib. 5. Pompeius Vizani lib. 8. Iouius in Conſaluo. Brucardus in notis. Sebaſtianus Branca, Romanus in diarijs.*

XIII. *Caſtellæ Rex Mauris catechizandis operā dat.*

Eodem anno, monente Alexandro Summo Pontifice, Ferdinandus Caſtellæ Rex, Mauris cathechizandis, & ab Apoſtaſia cohibendis operam dabat. In Caſtella edictum promulgauit, in eoſdem Mauros, tota prouincia, ac in Bætica præſertim cum populo nullo non commercij genere confuſos *Mudegiares* vulgò dictos, vt, niſi Chriſto darent nomina Chriſtianà religione ſuſcepta, finibus certè intrà diem certum diſcederent. Erat inter hæc illi Aegypti Sultanus iratus, ex quo tempore Mauros Granatenſes bello oppreſſit. Ex eo periculum metuebatur, nè in Chriſtianos eius imperio ſubditos Saracenis confuſos conceptam iram effunderet: neque Chriſtianis libera facultas eſſet, vt anteà, adeundi Hieroſolymam, Chriſti Dei vita, & obitu Sanctiſsimam ciuitatem, plenam præſentia numine. Lenire animum barbari viſum eſt, legato ad eum, qui facti cauſas, & ordinem coràm explicaret. In eam rem Petrus Martyr, Angleiâ domo Mediolanenſis, à Regijs ſacris perſpecta prudentiâ vir deligitur. Præclarè is officio functus, expoſitiſque mandatis, quæcumq; voluit, agendi dexteritate, ab eo Principe impetrauit: tum ijſdem veſtigijs ſeſe retulit in Hiſpaniam, anno in ea legatione integrò conſumpto. Obſequij merces fuit Granatenſis Decanatus, Sacerdotium, donumque honeſtum magis, quàm opimum. In ea vrbe conſequentibus annis defunctum, vti ipſe teſtamento ſanxerat, in Sella amici, & familiares compoſuerunt veſte pretioſâ indutum, quam Sulthanus dederat, ſed in ſacræ modum conformatâ. Id virtutis monimentum eſto: eruditionis Decades, quas de bello Granatenſi, de legatione ſuâ, de noui orbis inuentione confecit maiori aliquanto diligentiâ, & fide, quàm ſtyli felicitate. *Mariana lib. 27. c. 11. & 8.*

XIV. *Luſitaniæ Rex multa bona ex Indijs accipit.*

Emanuel quoque Luſitaniæ Rex, in Mauros Africanos, & præſertim contrà Regem Feſſentem exercitum non contemnendum miſit, ac variâ fortunâ cum illis dimicauit: pluries victor, ac Tingi, & Arzillæ ab obſidione liberator. plurimâ editâ aduerſariorum ſtrage. Is ipſe Emanuel Indicis rebus intentus, multa ex animi ſententiâ per ſuos in Indijs confecta accepit. Nam Capralis eò miſſus, Cananoris & Coulami Regum amicitiam contraxit, commerciorumq; ius obtinuit. Vbi dum naues ſummo labore, & induſtriâ onerarentur, aduenêre duo fratres Chriſtiani, ex illis, qui Thoma Apoſtoli diſciplinis imbuti, ſummâ per tot annos conſtantiâ Chriſti religionem eadem perpetuò fide colunt, & à Caprali poſtulârunt, vt vellet, eos ſecum in Portugalliam ducere, vt indè Romam, atq; Hieroſolymam petere poſſent, vt ea loca inuiſerent, vbi Chriſtus, diſcipulique illius inſtitiſſent. Cananoris quoque Rex, vt cum Emanuele pacem firmaret, legatum cum Caprale in Portugaliam miſit. Ex quibus cum Emanuel Indicam nauigationem omninò non omittendam eſſe intellexiſſet, rursùs hoc anno aliam claſſem, cui præerat vir acer, nomine Ioannes Nouius deſtinauit. *Oſorius lib. 2.*

XV. *Pontifex Henrico Deneo Cantuarienſi pallium Archiepiſcopatus mittit.*

Hoc anno Pontifex Alexander, Henrico Deneo Cantuarienſi Archiepiſcopo pallium, Archiepiſcopatus videlicet inſigne, per Adrianum Caſtellenſem ſuū Secretarium miſit; quòd Licheſeldenſis, atque Conuentrenſis Epiſcopus, qui authoritatem ad id à Papâ acceperat, Archiepiſcopo Lamethæ his conceptis verbis tradidit. *Ad honorem Dei Omnipotentis, & Beatæ Mariæ ſemper Virginis, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorū & Domini noſtri Alexandri Papæ VI. & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, nec non & Cantuarienſis Eccleſiæ tibi commiſſæ, tradimus pallium de corpore Beati Petri ſumptum, plenitudinem videlicet Pontificalis officij, vt vtaris eo intra Eccleſiam tuam, certis diebus, qui exprimuntur in priuilegijs ei ab Apoſtolica Sede conceſſis.*

Accepto pallio Archiepiſcopus Pontifici hoc præſtitit iuramentum.

*Ego Henricus Archiepiſcopus Cantuarienſis, ab hac horâ in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro Apoſtolo, Sanctæq; Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ & Domino meo, Domino Alexandro Papæ VI. ſuiſq; ſucceſſoribus canonicè intrantibus. Non ero in conſilio, aut conſenſu, vel facto, vt vitam perdant, vel membrum, ſeu capiantur malâ captione. Conſilium verò, quòd mihi credituri ſunt, per ſe, aut Nuncios, ad eorum damnum, me ſciente nemini pandam. Papatum Romanum, & Regalia S. Petri, adiutor eis ero ad retinendum, & defendendum, ſaluo meo ordine, contrà omnem hominem. Legatum Sedis Apoſtolicæ euntem, & redeuntem honorificè tractabo. & in ſuis neceſſitatibus adiuuabo. Vocatus ad Synodum veniam, niſi præpeditus fuero canonicâ præpeditione. Apoſtolorū limina, Rom. Curiâ exiſtente citrà Alpes ſingulis annis, vltrà verò montes ſingulis biennijs viſitabo, aut per me, aut per meū nunciū; niſi Apoſtolica abſoluat licentia. Poſſeſſiones*

verò



*verò ad menſam mei Archiepiſcopatûs pertinentes, non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de nouo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, inconſulto Rom. Pont. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia. Author Antiquitatum Eccleſiæ Britannicæ.*

XVI. *Quidam cenſuras Eccleſiaſticas nil curant.*

Eodem anno, in Germania, emerſerunt aliqui, qui, & in cenſuris Eccleſiaſticis poſſe, citrà ſuſpicionē hæreſis inſordeſcere pronunciabant, & Iudicium ſupremum Romani pontificis ſubterſugere videbantur, Abbas, & Conuentus Monaſterij Wiſſenburgenſis, Spirenſis diœceſis; ab Ioanne Trotâ, Equite aurato, Morsâ quodam, & Henrico Bockio militibus, diuerſas iniurias acceperant. Die illis, apud Subſellia primæ inſtantiæ dicta, Sententiam contrà reos obtinuerant, remq; iudicatam reportarant. Sententiæ latæ, & edictis executorialibus, rei conuenti obtemperare contempſerunt, inq; pœnas, & cenſuras Eccleſiaſticas inciderunt: quin etiam in ijſdem pœnis, & cenſuris, cōtemptores inſordeſcere voluerant. Iterum aggrauati, ingreſſu Eccleſiarum prohibiti locis omnibus, vbi conſiſterent, aut venirent, Eccleſiaſtico interdicto ſuppoſitis, ac inuocatione brachij ſecularis contrà eos expeditâ, nihilominus contumaces, atque peruicaces omnia flocci faciebant. Non poterant Iudices, & vniuerſi homines aliud de refractarijs pronunciare, quàm ſuſpectos illos fore de hæreſi; poſtquàm Claues Eccleſiæ nihili facere viderentur. Famâ contemptûs iſtius Romam perlatâ, Auditor cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ, iubente Alexandro Papa diem illis Romæ dixit, ad docendum, quid de fide Catholica ſentirent; & de alijs ſimilibus, quæ in caſibus emergentibus accidere conſueuerunt. Metuentes, nè quid graue illis Romæ eueniret, venire recuſarunt; ſed tamen rationem ſuæ fidei Pontifici dederunt, atque coràm iudicibus Ordinarijs audiri poſtulârunt. Ità Alexandro ſcribebant.

*Qualis fidei ſint Alexandro PP. ſcribunt.*

*Sanctiſsimo in Chriſto Patri, & Domino, Domino Alexandro Diuinâ prouidentiâ Pontifici Maximo, Ioan. de Trotâ Eques Auratus, Ioannes Morſa, & Henricus Bock armigeri, pòſt humilem Sanctitatis Veſtræ pedum oſculationem. Venit ad nos, Beatiſsime Pater, triſte nouum, quo certiores facti ſumus nos à Fiſcale S. V. ad Vrbem eſſe citatos, ſub pœna duorum millium ducatorum, vt in proprijs perſonis coràm Auditore Cameræ comparituri doceamus, nos Chriſtianos eſſe, ac ſi quid noui de fide ſentiamus: alioquin hæreticos, & prædictæ ſummæ reos eſſe declarandos. Dolemus, noſtras perſonas ad tantam diſtantiam vocari, quos in patria noſtra coràm noſtris Ordinarijs, iudicibus, & immediatis potiùs conueniri potuiſſet: qui Romæ linguæ ignari, non chartis, ſed armis, & militari diſciplinæ hactenùs operam dedimus. Verùm nè omninò famam noſtram, & Veſtræ Sanctitatis Fiſcalem contempſiſſe videamur, cupimus, & ſperamus, has noſtras agreſtes litteras pro nobis, quibus & moleſtum eſt, Romam proficiſci, excuſationis munus ſupplere. neque dubitet S. V. nos eſſe Chriſtianos, & benè de Chriſtiana Religione ſentire; quippe qui à parentibus noſtris, auis, proauis, cæteriſq; maioribus Chriſtianiſsimis progeniti, Eccleſiæ Sacramentis initiati, inter Chriſtianos educati, in fide & doctrina chriſtiana inſtituti, non aliter ſentimus, quàm quod à doctiſsimis & Religioſiſsimis viris, Regularibus, & Secularibus Sacerdotibus edocti ſumus, & indies edocemur. Coniuncti ſumus denique familiaritate, Chriſtianiſsimo Principi, qui Deum colit, diuinum cultum inſtaurat. Templa, & aras exornat, rem diuinam, & Verbum Dei diligenter audit, Clerum obſeruat, Eccleſiæ defert, iuſtitiam amat, tyrannidem, & omne vitium odit: qui non ſolùm de adulterio, ſed neque de geſtu, verbo, vel viſu impudico notatus eſt: cuius tanta fides, & integritas eſt, vt nullum prorſus non benè de religione Chriſtianâ ſentientem, in palatio, aut quocumque miniſterio ſuo toleraret, & pateretur. Vt verò ſingulariùs, & diſtrictiùs, quid de fide ſentiamus, Veſtræ Sanctitati conſtare poſſit, nos humiles, & deuoti Eccleſiæ filij, credimus, & confitemur vnum eſſe Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Filium Incarnatum, & paſſum, reſurrexiſſe, ſuâq; reſurrectionis exemplo omnes homines tandem reſurrecturos. Credimus, vnam eſſe Eccleſiam, & vnam primam Sedem Romanam, in quam ſi quis Catholicus canonicè nō temerè nec corruptis ſuffragijs, ſed iuſtâ electione ritè aſcenderit, nec primam illam dignitatem malis moribus, & exemplis infecerit, nec omnibus Chriſti ſanguine emptis ſcandala præbuerit, eum eſſe Patrem, Paſtorem, & iudicem vniuerſitatis, & ei à cunctis obediendum, eum ligandi, atque ſoluendi habere poteſtatē, claue non errante. Credimus, Deū eſſe iuſtum, puniturum æternis ignibus, grauia ſupplicia, veluti latrocinia, ſacrilegia, ſuperbiam, iniuriam, vanitatem, abuſum patrimonij Chriſti, concubinatum, Symoniam, cæteraq; enormia peccata, propter quæ Chriſtiana Religio labitur, & omnis Chriſtianorum ætas ſcandalizatur. Hæc indubitanti fide credimus, & quicquid Sancta vniuerſalis Eccleſia, quæ Generale Concilium reputatur, definerit. Orantes obnixè, & ſupplicantes, vt Sanctitas Veſtra Fiſcalem compeſcat, ei ſilentium imponi mandet. Nam etſi alienam auaritiam explere poſſumus, non tamen ideò meliores Chriſtiani iudicaremur. Memor ſit Sanctitas Veſtra, conſolatorij verbi Chriſti, cuius vicem gerit in terris, qui ait, Miſericordiā magis volo, quàm ſacrificium. Idem Dominus Iesvs Chriſtus Veſtram Beatitudinem ad regendam diu feliciter Eccleſiam conſeruet. Datum, &c.*

Hæc illi militariter Pontifici, Abbate verò, & Cœnobio iuſtitiam flagitantibus, tandē Alexander Cardinali in Germania Legato cognitionem cauſæ commiſit, qui & de iniurijs illatis, & de fide militum inquireret, atque de tota controuerſiâ decerneret. *Brucardus in notis diarijs.*

XVII. *Foſſariorum hæreſis in Bohemia multiplicatur.*

His temporibus multiplicati fuerunt hæretici in Bohemia, qui vulgò *Foſſarij* nominabantur; propterea quòd in foſsis, & occultis ſpeluncis nocte cōuenirent, turpitudinem ſine differentiâ perſonarum, more beſtiarum exercentes. Hi Eccleſiā Dei, & miniſtros eius cōtemnebant, Sacramenta irridebant, infinitos ſeminantes errores. Creuit hoc nefandiſsimum genus hominum, & mirum in modum quotidiè augebatur, in tantum, quòd hoc anno MDI. numerus eorum maior 19. millibus fuerit inuentus. Sed & nobiles, atq; potentes complures in regno Bohemiæ ad eos turpiſsimos hæreticos declinârūt, è quibus vnus Chriſtophorus nomine, vir nobilis, & diues, 40. florenorū millia inter eoſdem hæreticos pro eleemoſyna diſtribuens, vnus ex eis factus eſt. Secùs fecit Laurentius Glatz de Rorenhauſen, fide, & conuerſatione bonus Chriſtianus, qui emerat oppidum, *Gurrike* dictum, in quo reperit oppidanos fermè omnes, præfatæ ſectæ hæreticos; quibus cùm legem propoſuiſſet, vt aut renunciarent errori, aut bonis omnibus relictis ab oppido diſcederent, omnes vnanimiter in baculis ſuis exierunt, omnibus, quæ habuerant, relictis, profecti ad alios erroris ſui ſocios, à quibus non ſecùs, ac ſi eſſent martyres Christi, fuerunt cum gaudio, & honore ſuſcepti, & in cunctis neceſſarijs copioſiſsimè prouiſi. Profitebantur, ſe Apoſtolorum imitatores, homines ſine Deo, ſine corde, Diabolo pleni. Erant aſtutiſsimi, & in ſecta ſuâ mirabiliter docendo, diſputando, ac defendendo periti, intantum, quod non facile à quolibet rationibus diſceptando, potuerint ſuperari. Nullus ferè tam craſſi intellectus reperiebatur, qui tamen haberet vſum rationis liberum, qui non mox hanc ſectam fuiſſet profeſſus; in ea defendenda rationib. (vt eis videbatur) doctiſſimus euaderet. Sed ne quis rem alicuius miraculi exiſtimet, cauſam tantæ mutationis dicemus, vt omnes, non Deum, ſed malignum ſpiritum in eis operantem intelligant. Quicumque in illam ſecretam intromitti prudentiæ ſocietatem exoptabat, primum aliquo celebrante Sacerdote Catholico, Eccleſiam ingrediebatur, & ſtans in angulo, vel ſecreto aliquo loco per totam Miſſam, verba quædā cōtumelioſa (quæ nos propter infirmos exprimere nō decet) contrà Sacramenta loquebatur ſub ſilentio,

cum

cum intentione ſibi à docente propoſita, quibus pòſt finem Miſſæ completis, muſca magni corporis aduolabat, & pennarum ſtrepitu, ſignificans ſe adeſſe præſentem, oris introitum petebat. at verò mox vt ille os ſuum aperuiſſet, ingrediebatur illa, & homo ſpiritu diabolico implebatur, efficiebaturque in illa ſecta doctus, & mirabiliter aſtutus. Verùm illi ipſi muſcam illam, non dæmonem, ſed Spiritum Sanctum eſſe confirmabant, qui in eos, quaſi veros Apoſtolorum imitatores, ſicut in die Pentecoſtes in illos quondam, deſcendens, eruditos faceret, & conſtantes. Sed reuera non conſtantes, ſed pertinaces fiebant, qui neque vllis tormentorum generibus à ſuis erroribus, ad rectam fidem reduci vnquàm potuerint. Verùm non omnes, qui eam profitebantur ſectam erroris, ad hanc ſecretam maligni ſpiritûs infuſionem, ob certas cauſas, & rationes venire permittebantur. Aliquis Benedictini Ordinis Conuerſus, hæreticorum deceptus conſilio, ea, quæ diximus, ſub Miſſa fecit, & dixit; ſed cum ſtrepitum muſcæ caput circumuolantis audiſſet, pauefactus in terram cecidit, & vix muſcam, nè os ingrederetur, abigere potuit.

XVIII. *Mirabilis quidam Italus in Gallia apparet.*

His ipſis diebus Lugduni in Gallia, apparuit quidam Italus, nomine Italus, qui ſe Mercurium maluit appellari propter omnimodam, quam profitebatur, ſcientiam antiquorum. Vxorem circumduxit, & filios, omnes lineos indutos, & imitatione Apollonij Thyanenſis quondam philoſophi, cathenam ferream à collo portantes. Magna promittebat, & ſe veterum Hebræorum, Græcorum, & Latinorum omnium perfectiſsimam gloriabatur habere ſcientiam. Contemptor veterum, ſe cunctos eruditione excellere putabat, aſſerens, neminem Græcorum, vel Latinorum præter ſe vnicum, fuiſſe ſapientem, ſe namque in omni ſcientia mundi conſummatum oſtendebat, rerumque naturalium, & arcanorum omnium interpretem profundiſsimum eſſe confirmabat. Magnam in publico præ ſe ferebat grauitatem, moribus, & inceſſu ſeuerus, cum mendicitate vitam oſtentans, ſe ducere Propheticam, ſe natum ad res ſummas teſtabatur, & diuino numine plenum. Metallorum tranſmutationē veram promittebat, & nihil ignorare videri appetebat, artem ſecutus magicam, vt dicebat naturalem, quam priſci Reges, & ſapientes in pretio habuiſſent. Se felicia infelicitare, infeliciaq; felicia reddere poſſe pollicebatur. Aliquanto tempore apud Regem Gallorum fuit, cui duo dona contuliſſe memoratur: alterum fuit enſis, centum, & octoginta gladiolis refertus; alterū verò clypeus mirabili ſpeculo illuſtratus: quæ duo miranda ſub certa conſtellatione facta, in quodam libello commemorabat, & quem eſſent productura effectum vi naturæ ſecretum manifeſtabat. Rex volens hominis experiri ſcientiam, præcepit, Medicos conuenire omnes gratia diſputationis, qui ignari hominem refellere, illum, facto examine, ſuprà hominem ſapere, & cunctos mortales ſapientia ſuperare, dixerunt. Aurum, quo illum Rex honorauit, omne pauperibus diſtribuit, & ſua paupertate contentus, ſibi ex omnibus penitùs nihil reſeruauit.

XIX. *Alius item ſed doctiſſimus.*

Venit & alter ex Hiſpanijs in Galliam, Ferrandus Cordubenſis miles auratus, Artium, Medicinæ, & Theologiæ Doctor, qui vniuerſam Pariſiorū Scholam, ſua mirabili ſcientia vertit in ſtuporem. Erat enim in omni facultate Scripturarum doctiſsimus, vita, & conuerſatione honeſtiſsimus, non ſicut ille, de quo diximus, arrogans, & ſuperbus, ſed humilis multùm, & reuerentia plenus. Memoriter tenuit Bibliam totam, Nicolaum de Lyra, Scripta S. Thomæ Aquinatis, Alexandri de Hales, Ioannis Scoti, S. Bonauenturæ, & aliorum in Theologia complurium, Decretum quoque, & omnes vtriuſq; iuris libros; & in Medicinis Auicennam, Galenum, Hippocratem, & Ariſtotelem, atque Albertum, omneſque Philoſophiæ, & Metaphiſices libros, & Commentaria ad vnguem (vt aiebant) memoria retinebat. In allegando fuit promptiſsimus, in diſputādo acutus, & à nullo vnquam ſuperatus. Denique linguas Hebraicam, Græcam, Latinam, Arabicam, & Chaldæam perfectè legebat, ſcribebat, ac intelligebat. Romam à Rege Caſtellæ miſſus Orator, in omnibus Italiæ, Galliæque Gymnaſijs publicis diſputans, conuicit omnes, ipſe à nemine vel in minimo conuictus. Varia de ipſo inter Doctores Pariſienſes erat opinio: alijs Magnum illum, ac dæmone plenum cauillantibus, alijs ſentientibus contrarium. Non defuerunt, qui Antichriſtum putarent, propter incredibilem ſcientiam Scripturarum, qua cunctos mortales videbatur excellere. Carolo Duci Burgundiorum, aſtronomica vaticinatione longè ante prædixit interitum. Commentaria in Almageſtum Ptolomæi edidit, & in Apocalypſim S. Ioannis Euangeliſtæ, aliaque opuſcula conſcripſit. *Trithemius in chron. Sponheimenſi.*

XX. *Edictum Alexandri PP. aduerſus variarum ſuperſtitionum inuentores.*

Neſcio, an ab iſtis in vniuerſa Lombardia hoc tempore colluuies maleficorum, Incantatorum, & vanarum ſuperſtitionum Obſeruantium, contrà quos Alexander Pontifex habuit illud, quod adſcribo, edictum euulgare.

„ ALEXANDER Epiſcopus, &c. Dilecto filio, Angelo de Verona Ordinis Prædicatorum Sac. Theologiæ Profeſſori in Prouincia Lombardiæ, hereticę prauitatis. Cùm acceperimus in Prouincia Lombardiæ diuerſas vtriuſque ſexûs perſonas, diuerſis incantationibus, & diabolicis ſuperſtitionibus operam dare, ſuiſque veneficijs, & varijs obſeruationibus multa nefanda ſcelera procurare, homines & iumenta, ac campos deſtruere, & diuerſos errores inducere, magnaque inde ſcandala exoriri: decreuimus pro paſtoralis officij nobis ex alto commiſsi miniſterio, ſcelera huiuſmodi compeſcere, ac ſcandalis & erroribus prę miſsis, quantum cum Deo poſſumus, occurrere. Ea propter tàm tibi, quàm etiam ſucceſſoribus tuis per Lombardiam conſtitutis, de quibus in his, & alijs plenam in Domino fiduciam obtinemus, committimus, & mandamus, & etiam ſoli (honeſto tamen comitatu per vos eligendo aſſociari) contrà eoſdem vtriuſque ſexûs perſonas diligenter inquiratis, eaſque iuſtitia mediante puniatis & compeſcatis. Et vt meliùs commiſsionem huiuſmodi exequi poſsitis, contrà illas, vobis plenam, & omnimodam harum ſerie concedimus facultatem. Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non indultis, & conceſſionibus Ordinarijs forſan pro tempore factis, cæteriſque contrarijs quibuſcumque non obſtantibus. *Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die, &c.*

XXI. *Ruthenos Græcorū more baptizatos rebaptizandos non eſſe idem PP. declarat.*

Eodem anno Alexander Pontifex, cùm percepiſſet Ruthenos, & alios quoſdam in Magno Ducatu Lituaniæ, Græcorum olim ritum complexos, cupere ad Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, & religionem ſeſe adiungere; ſed interim nō deeſſe, qui dicerent, eos neceſſariò rebaptizari oportere, propterea quòd more Græcorum in tertia perſona baptizati eſſent: Scripſit ad illos ex decreto Concilij Florentini, ſub Eugenio IV. celebrati; in quo Græci, & Armeni cum Eccleſia Romana in concordiam rediêre, reuerà Baptiſmum conferri, etiam cum in tertia perſona ſic dicitur; *Baptizetur talis ſeruus Ieſu Chriſti, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti*: quamquàm in Latina Eccleſia non debet mutari vetus verborum forma, quæ eſt, *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, Amen. Surius in commentario rerum in Orbe geſtarum.*

Cùm etiam accepiſſet, hæreticorum colluuiem in regno Bohemiæ creuiſſe, & contrà illos, Ladiſlaum Vngariæ, & Bohemiæ Regem iturum eſſe, Petro Cardinali Legato præcepit, vt Regem in eo negotio laborantem, in Bohemiam comitaretur, ac ſi ad tractationem potiùs, quàm ad arma res veniret, audiret, qui-





dum ſed nihil priùs hæreticis reſponderet, quàm ad Sedē Apoſt. referret. *in litteris Dat. 25. Martij anno 1501.*

In Vngaria Obſeruantes Minoridæ ſub Vicario particulari vitam degentes, moleſtijs tamen afficiebantur à Conuentualibus. Alexander Cardinali Legato commiſit, vt audiret, componeret, aut ſignificaret. *in litteris datis 14. Aug.* 1501.

XXII. *Quidam nouo & auſtero vitæ genere viuentes apparent.*

Eodem anno MDI. venerunt ex Italia in Germaniam viri induti tunicis griſeis, capite non velato, nudis pedibus incedentes. Crucem de ligno paruulam portabant in manibus; neque ſaccum habebant, neq; peram, ſed neque pecuniam recipiebant in manibus, neque baculis vtebantur. Vinum, & cereuiſiam non bibebant, & ſemel tantum, præter Dominicam, ſe reficiebant in die, olera, & radices cum ſale, & aqua ſine pinguedine aliqua ſumentes. In Eccleſia proſtrati in terram in modum crucis, orabant, nihil præter Crucem, & tunicam portantes. Circumierunt per ciuitates, & villas, & vltrà XXIV. horas in vno loco nō morabantur, niſi fuiſſent infirmi. Plures inter eos fuerunt ex ordine Clericorum & omnes pœnitere volentes (exceptis mulieribus) in ſuum conſortium admittebant. Quinquennio elapſo, eorum pœnitentia ceſſauit. *Trithemius ſupra.*

XXIII. *Vbiq; & ſæpè in peplo cuiuſdam honeſtæ mulieris ſignum S. Crucis apparet.*

Eodem pariter anno, miranda ſanè, horrenda, & inaudita oſtēdit Deus hominibus. Siquidem, vt ſcribit Regi Romanorum Maximiliano Leodienſis Epiſcopus, à feſtis Paſchalibus, ſingulis diebus, in vno, vel alio loco diœceſis Leodienſis apparuit publicè, & inopinatè, aliquandò in Eccleſijs, aliquandò in plateis, aliquandò in domibus, & in ipſis etiam cubiculis ſignū Dominicæ Crucis perfectum, & fuit frequenter nigrum, aut rubicundum, ità etiam, vt in aliquibus putaretur, eſſe verus ſanguis cum medullâ, & ſanie effuſus: & fuerunt plerumque cruces ſimplices, aliquandò tamen duplices, in forma ſigni ſepulchri Dominici. Apparent autem, *inquit*, vt plurimum ſuper capita mulierum, & maximè puellarum, in earum peplis ſupremo vertice. Et refert idem, ſe deſuper inquiſitionem ſolertem feciſſe, ità quòd neque dolus, neque fraus interuenire potuerit. Scibit quoque de muliere quadam eiuſdem diœceſis 22. annorum, valdè honeſtâ, quòd die quodam compererit, admonita à matre, ſignum crucis magnum, & amplum in peplo coloris aurei, atque ad ſingulos quatuor eius angulos interiores, crucem vnam paruam eiuſdem coloris, perinde, atque arma ſunt Hieroſolymitani Regis, inque medio maiorē crucem aliam ſanguinolentā. Territa inde mulier, cum reuerentiâ peplum illud ad locum mundum repoſuit, & aliud mundum capiti impoſuit, mox in eodē Crux grandis apparuit. accurrunt multi homines ex admiratione, in quorum cōſpectu iterum, & iterum pepla mutauerat, ità vt non ē diebus pepla 13. cruce ſignata fuerint. Inſuper dum quadam vice quāplurimi cum ea de præmiſsis colloquerentur, viderunt adſtantes inter colloquendum, exoriri in eius mento crucem, latitudinis vnius digiti, coloris, & ſaporis mellei, cuius ſtipes à gutture in interius labiū, ad vſque dentes exurgebat, per brachia verò protendebatur ex aduerſo inter mentum ipſius, & labrum prædictum, quanta eſt oris amplitudo. quo cùm ad adſtantium admonitionem leuare manum dextrā conaretur, apparuit conſimilis crux in eadem: retractâ ad ſinum manu, cum vtraque ſigna duabus fermè horis præſtitiſſent, demùm prout aduenerant, ità diſparuerunt. Sed pòſt hæc non ſolùm ſignum crucis apparuit, quin & veluti haſta quædam, ac deſuper nonnulli characteres, cruenta quidem omnia, concludebantur in circulo viridi totum contingente caput, protulitq; inde acumina ad modum ſpinarum. Apparuerunt, & ſigna in camiſijs mariti crucis ſanguinolenta. Hortatus eſt mulierem Curatus ſuus, vt cùm Iubilæus eſſet in Traiecto ſuperiori, vbi fuit Epiſcopus, quòd iret illo, & confiteretur. Aſſenſa iuit, & ad S. Seruatium confeſſa eſt magno Theologo. iuſſa poſt hæc iuit in chorum, & propter reliquias ducta eſt in Sacriſtiam. allato ei peplo nitido, rogata eſt, quod capiti imponeret, nè cum tanto horrore per plateas incederet. Aſſumens ipſa nouum, quod capiti applicuit, mox erupit in ipſa pepli parte anteriori ſanguinis tanta copia, vt confeſtim in extremam vſque fimbriam ad vnius digiti longitudinem, & prope duorum latitudinem deflueret; vndè conſpicientes adeò ſunt attoniti, vt è Canonicis vnus protinùs caderet. At illâ inde deſcendente, publicè viſa eſt in ipſo recenti peplo ad ſcapulam dexteram magna vis ſanguinis, in figuram quaſi crucis ſe porrigens, atque amplificans. Cum quibus demum ſignis ipſa ad eundem Epiſcopum ducta eſt, recenti, & madido cruore, vt in præſentia ſuâ, ſicut ſcribit, attrectatus, digito adhæreret, multis videntibus, & admirantibus. Hæc ſcripſit idem Epiſcopus Regi Maximiliano die 18. menſis Maij anni currentis. *Ioannes Nauclerus volum. 2. gener.* 51. Scripſit de his crucibus, & mirandis tractatum luculentum Matthæus Herbenus, presbyter Eccleſiæ S. Seruatij in oppido memorato, homo fide, & eruditione venerandus, Trithemij Abbatis in litteris Græcis quondam Auditor. Addit idem Trithemius, quòd & anno ſuperiore, & præſenti, prædictæ cruces apparuerint in lineis veſtimentis hominum, in camiſijs, in menſalibus, & linteaminibus, non ſolum in his, quæ habebantur in vſu, ſed etiam in illis, quæ in ciſtis incluſa, nullum aeris influxum habere videbantur. In corporalibus quoque, & pallis altarium, & albis ſimiliter, multotiès apparuerunt. In *Sobernheim*, & *Meyſenheim* primò viſæ ſunt, cum maximo vulgi timore, & horrore, tàm ſubitò, quod aliquando dum *Salue* cantaretur in Eccleſia, XXX. homines cruces habuiſſe, quas prius non habuerant, inuenti fuerint. Poſthæc apparuerunt in *Creutzenach*, & villis circumiacentib. deinde in *Bingen*, & in Moguntia, & conſequenter in multis Alemaniæ locis. Erant autem cruces paruulæ, varij ac confuſi coloris, ac ſi pannus aliquâ pinguedine mixti coloris eſſet intinctus, nec poterant qualibet lotione deleri, ſed pòſt diē nonum, aut decimum per ſe deficientes euanuerunt. Has cruces magna peſtilentia hominum in multis locis pòſt biennium ſecuta eſt. *Trithemius ſupra.*

XXIV. *Duo maligni Spiritus tyrāni cuiuſdam defuncti filium ex ædibus pellunt.*

Eodem anno, poſt mortem cuiuſdam tyranni, qui pauperes iniquè oppreſſerat in Morauia, cum filius in paterna hæreditate ſuccedens, quoddā eius caſtellum nomine *Hiemps*, cum vxore, & filia inhabitaret: eccè quadam die, eo ad menſam ſedente, venerunt duo maligni ſpiritus in ſpecie humana ad portam caſtri, petentes intromitti: quibus Portarius dixit: *Qui, vel vnde eſtis, oportet enim, vt hæc Domino meo denunciem.* Cui illi reſponderunt: *Nec ad te pertinet, nec ad Dominum tuum, qui, vel vnde ſimus, ſed quantocius intromitte; nos alioqui videbimus, quod nobis pateſcat ingreſſus.* Portarius currens, vt hæc Domino ſuo annunciaret, cùm introiſſet, vbi ſedebat, vidit illos duos, quos extrà portam dimiſerat, coram Domino ſtantes, & prę timore nihil poterat loqui. Illi autem poſt multa minatoria, & terribilia verba, horriſonaſque viſiones (vt ſim breuis in narratione) illum exire cum omni familia ſua de caſtro compulerunt: poſt quorum diſceſſum multitudo dæmonum conueniens magna, caſtrum illud inhabitare cæpit, vlulantes die, ac nocte, plaudentes, & mirabilia facientes. *Trithemius ſup.*

## ANNO CHRISTI MDII.
## ALEXANDRI PAPÆ VI.
### Anno 10. & 11.
### MAXIMILIANI ROM. REGIS Anno 17.

NEque hoc anno, aut Alexander Pontifex Venetos tuendi, aut Baiaſites eoſdem oppugnandi ſtudium

I. *Chriſtianorum cl.ſſis Turcas denuo adoritur.*

omiſêre. Baiaſites quidem claſſem magnâ cum diligētiâ parabat. Cùm autem naues veteres ſuis ducibus reſici mandauiſſet, atque idei tardiùs, negligentiusq; agi ab illis, atq; adminiſtrari videretur, arcum ſibi afferri, & ſagittas imperauit: quibus allatis ſtantem antè ſe illum ipſum ducem, qui priore apud ſe erat loco indignabundus transfixit. Pontifex nihilo ſegniùs in bellum Turcicum incubuit, & Reges, ac Principes fœderatos, ad ſuppetias ferendas ſolicitauit. Miſit Ludouicus Galliarum Rex triremes quatuor; Petrus Dabuſſonius Cardinalis Legatus, Rhodiorum Magiſter, triremes tres, naues onerarias duas. Iacobus Piſaurus, Paphiorum Epiſcopus Pontificis Nuncius, & claſsis Eccleſiaſticæ præfectus, triremes duodecim adduxit, Alexandri pecunijs inſtructas. Veneti, quorum res agebatur, maiorem numerum deſtinârunt: vt eſſet vniuerſæ claſsis nauium omnis generis numerus ad ſeptuaginta. Benedictus Piſaurus claſsis Venetæ Imperator, inſulani Leucadiam, quam S. Mauræ vocant, oppugnandam exiſtimauit. Eò cum appropinquaret, Pontificis Nuncium præmiſit, qui per vada eò a latere, quod ad Orientem ſpectat, oppidum aggrederetur. Vadis eâ parte, inſula maximè cingitur. Is accelerans per diſtrictum in vada ſeſe inferens, duodecim biremes, quæ ibi ſtationem habebant, eaque maria percurrentes, Venetorum nauibus infenſiſsimæ diu fuerant, & tunc, vt aditu claſſem prohiberent, omnes fugauit; pauloque poſt vacuas hominibus occupauit: cum ij ſeſe raptim in littus eieciſſent, eosque fugientes, ciues recepiſſent. Occupatis ijs biremibus, quòd illis in vadis erat à continenti ad oppidum viâ, aquis tectâ, ſic vt equites commeare eâ poſſent, ibi naues aliquot diſpoſuit, quibus nauibus Turcarum equitum III. M. qui per illam viam, vt eſſent oppidanis auxilio, vicinis ex locis aduentabant, edita eorum cæde proſtrauit: cùm tamen anteà munitionem pro tempore, quæ tranſitum impediret, media in via effeciſſet: qua munitione Turcæ retardati, dum perrumpere conarētur, tormentis ſe nauium mactandos præbuerunt. pauci ex eis, duce eorum, equo deiecto, nulla parte munitionis perrupta, euaſerunt, atque intereà idem Pontificius Nuncius ſuorum militum partem, equitesque omnes, quos in nauibus eam ad rem habebat, cùm primo aduentu in terram expoſuiſſet, atque ad oppidum contendere iuſsiſſet, illi itinere, quod quidem erat paſſuum millium quatuor, celeriter confecto, circumuecti audaciſsimè pugnantes, eo ipſo die pro oppidum cœperunt. Piſaurus Præfectus, quem mari reliquam claſſem, ventis non ſecundis, qui eo die flauerant, circumducere oportuit, poſtero die ad oppidum oppugnandum ſe contulit, ac muros quatere tormentis cœpit. Erant in oppido Turcæ præſidiarij quingenti: qui ſe vnà cum oppidanis acerrimè defendebant. ij cum magna tormentorum vi, oppugnatione non intermiſſa premerentur, ſeptimo die deditionem facere voluerunt: is fuit ad diem tertium Calendarum Septembrium. Sed dum inter ſe, ea de re conſulunt, militibus irrumpentibus oppidum capitur: oppidani captiui facti, præda omnis viritim diuiſa. Non poterat, aut plures triremes, aut citiùs Pontifex mittere, Venetis ipſis (vt Cardinali Dabuſſonio ſcribebat die 16. Aprilis hoc anno) aut negligentibus, aut aliud interim curantibus; nec non Epiſcopo Venuſino, qui pecuniæ colligenda, ſuppeditandæque curam habuerat interea defuncto. Quas autem tres Genuæ, duas in portu Piſano triremes expedire iuſſerat, illas non potuerat emittere, bello inter Ludouicum, & Ferdinandum Reges gliſcente. Inter hæc Baiaſites reſtituerat ad libertatem aliquot ciues Venetos, quos belli initio, Conſtantinopoli in vincula coniectos, in turri ad fretum ſeruādos miſerat. ij ſe libris auri centum redemerant. Ex eorum numero Andreas Gritus, Idibus Martij, Venetias reuerſus, attulit ab Admete Baiaſetis Duce litteras ad Senatum cum mandatis, vt ſi bello, quod inter ipſos, & Baiaſetem vigebat, vellent finem imponere, mitterent Conſtantinopolim aliquem ad pacis conditiones tractandas: ei ſe adiutorem futurum. Dabuſſonius quoque Cardinalis Legatus, Corcutti Salabi Baiaſetis filij nuncium acceperat, qui vel pacem, vel inducias poſtulabat. Metuebat ſcilicet Baiaſetes, nè Reges, & Principes Chriſtiani, quos fœdere deuinctos, & ad ſacrum bellum ab Alexandro excitatos non ignorabat, vniuerſis vndique viribus, in ſuam perniciem cōfluerent, & erat tunc Chriſtianis commodum euertere. Turcicum Imperium, quādo eodem tempore Sophus Iſmael Perſarum Imperator, Perſis, Medis, Armenis, plurimisq; alijs gentibus perdomitis, Baiaſeti formidabilis eſſe cœperat. Cardinalis, & prudenter reſpondit, ſe nihil inſcijs ſocijs poſſe decernere, & tamen ſpem aliquam induciarum oſtendit; maximè quandò accepit, Venetos, monente Admete quendam Conſtantinopolim miſsiſſe, qui cum Baiaſete tractaret. Hyeme poſtmodum ſubeunte, iam in ſpem pacis venientes, Piſauro mandârunt, vt triremibus viginti apud ſe retentis, claſſem domum remitteret; atque ad Ladiſlaum Regem Vngariæ litteras dederunt, quibus, quid ab Admete habuiſſent certiorem illum fecerunt, velleque ſe ſuum legatum, Conſtantinopolim mittere ſignificarunt, atque ab ipſo petierunt, vt & ipſe quoque ſuum Oratorem, eodem mitteret, quo maiore cum dignitate pax æquioribusque conditionibus confici poſſet. Ladiſlaus re intellectâ Patrum conſilium probauit, facturumque, quod vellent, de Oratore ſe recepit; illi Zacharium Freſcum, Decem Virum Scribam, ire Cōſtantinopolim iuſſerunt. *Bembus hiſt. Venetæ lib. 6. Iacobus Boſſius hiſt. Rhodianæ lib. 16.*

II. *Quid in regno Neapolitan. poſt Friderici in Gallias diſceſſum actum ſit, refertur.*

Diſcordia Regum, Ludouici, & Ferdinandi, certiſsimam Alexandri Pontificis de Turcis euertendis, deq; Cōſtantinopolitano Imperio recuperādo, euertit fiduciā, fœdusq; ſanctum diſrupit, neutro portione Regni Neapolitani ſibi ex pactis aſsignata contento, ſed ad occupandum vniuerſum regnum intento. Non erit abs re, quid in eo regno poſt Friderici in Gallias diſceſſum actum ſit, narrare: vt omnes intelligant, qua via regnum Neapolitanum in manus Hiſpanorum deuenerit. Fredericus Rex, ex Aenaria Inſula, quam *Iſchiam* dicunt, in quam per conditiones traiecerat, Ferdinando Regi Catholico infenſus maximè, à quo ſe euerſum videbat, nullo propinquitatis reſpectu, in Galliam cum vxore, & liberis cōceſſerat, triginta annua Francorum millia ab eo Rege in alimenta pactus, vnde vitam calamitoſam toleraret in exilio. Beatrix ſoror, Vngariæ Regina reſtitit in ea inſula, vnde breui in Siciliam diſceſſit. Iſabella patruelis Ioannis Galeatij anteà coniunx, & ipſa Barim ſe contulit Apuliæ vrbem. Ferdinandus natu maior Friderici, Tarentum fuerat amandatus. Conſaluus cum copijs hunc obſidebat, in magna ſpe ad pacis conditiones perducendi. Itá quo die ad eam vrbem caſtra ſunt poſita, de fœdere continuò agi cœpit. Dum conueniunt de conditionibus, interprete Octauiano Sanctio, inducias duorum menſium ſanciri placuit, mouere intereà nihil, donec Fridericus Rex per legatos conſultus, quid ſuæ eſſet voluntatis ſignificaret. Ad deſignatum tempus, nullum à rege reſponſum venit. Rebus deſperatis, mens quoque & conſilium, miſeros deſtituit. Inducias tamen ijſdē conditionibus, ad finē ſuperioris anni ampliari datū eſt. Exiuit annus MDI. neque à Friderico certi quicquam in rem afferebatur. In duos deinde menſes induciæ ſunt prorogatæ, vrbe penes ſequeſtrum, Bindum Ptolemæum Regis Catholici ſubditum, multis in rebus ſpectatæ fidei virū, ea lege, vti eo decurſo tempore eam in poteſtatem Conſalui traderet. Duci tamen Calabriæ, diſcedendi quò vellet, libera eſſet, Regiæ cultum, & familiam ſecum efferendi poteſtas. Sic Tarenti res erant. Giracij arx duodecim à littore millibus deditionem Hiſ-





pano fecit. Simul Salernitanus ad Conſaluum venit, præcipua belli vniuerſi fax. Vt ſibi ex Biſiniano paterni principatus reſtituerentur, offenſas priores nouis officijs compenſaturus poſtulabat in timore largus promiſsis. Petebat præterea Lauriæ ditionem adijci, & quinque aureorum millia annua, quæ maioribus ſuis priores Reges honorarij nomine pendere conſueuerant; ingens, videlicet nouæ amicitiæ pretium, animi non ſatis pacati, domitique malis haud dubium argumentum. Itaque re infectâ diſceſsit. Meliori fide proceres plerique Fridericum Regem in Aenariam ſecuti, quaſi diminutione capitis Sacramenti religione ſecuti, ſeſe ad Conſaluum contulêre, grande momentum ad bellum ex ſententia conficiendum. Ille benignè acceptos, in pręcipuo etiam honore apud ſe habuit; eos maximè quos rebus gerendis, belloque defendendo idoneos arbitratus eſt: ac inprimis Columnios Proſperum, ac Fabricium omni comitate complexus eſt, nè ad Venetos ſe conferrent, à quibus magnis præmijs, annuoque ſtipendio inuitari habebat exploratum. Magnarum rerum fundamenta ponebantur. Nam Dieghus Mendoza, atque Enecus Aiala, Manfredoniam, ſeu Sipontum vrbem aſsidendo in poteſtatem redegerunt. Præfectus quoque arcis Friderici Regis nomine, ad deditionem perductus eſt; tametſi Alegrius Iuo cum copijs obſeſsis opitulatum occurrerat. Ad extremum vrbs Tarentum vti conſtituerant, dedita Conſaluo eſt, deditæ arces. Ferdinandus Dux Calabriæ conceſſa eundi, quò vellet, facultate, Barim vrbem migrauit in fide quidem paterna eatenùs perſtantem, haud firmam tamen, aut mœnibus, aut arce, neque diu, ſi vis admoueretur, ſuſtentaturam. In ea vrbe tamen ſera licèt mandata à patre expectare voluit, à cuius voluntate diſcedere atque priuatim paciſci cum Hiſpano nefas iudicabat. Conſaluus cupiebat apprimè facilè, & minimè malâ iuuenem indole cum Rege ſuo cōciliare, nè in Galliam, patris exemplo profecto, in poſterum aliquid turbarum exiſteret ea de cauſa, haud ignarus, ſæpè ex parua ſcintillâ, magnum excitari incendium, nihil in bello negligendum. Agebatur de fœdere triginta aureorum millia annua, quà regno Neapolitano, qua in Hiſpania ablatâ ſunt ditione data, vnde ea ſumma proueniret, eiecto haud contemnenda conditio. Neque illi diſplicebat, ſi modò patri probaret, & verbis reſponderent facta. Iſabella patruelis, nè cum amitâ, Vngariæ Reginâ, in Siciliam, quò inuitabatur, iret, in eam Apuliæ vrbem delata monēdo ſuaſit, vti litteras manu ſua conſcriptas, ad Cōſaluum daret; quibus rogabat, vt nullo libertatis pacta reſpectu, quando pater, quòd ipſi erat commodum, negligere, alioque tendere videretur, eum ad Regem Catholicum amādare nō dubitaret: hanc ſui animi deſtinatam ſententiam eſſe, patris quamuis reuerentia id nollet in vulgus prodire. Quæ ſi vera fama fuit, ſiue conficta, certè non videtur, diu in eo propoſito perſtitiſſe: ætatis inconſtantia, mentis imbecillitas, varia, & ſibi contraria ſubijciebant. Et quis eſt cuius animus in rebus aſperis non vacillet? Friderici patris voluntas, eum ad ſe euocantis retardabat, Conſaluum adeò conuitio monentis, vti memor fidei datæ, memor nobilitatis, eum liberum, vti erat pollicitus, dimitteret. Verùm is cuſtodijs circumdederat, nè iniuſſu quoquam diſcederet; ea diligentia, vt liber quamuis per Apuliæ oppida diſcurſus eſſet, vix ſine arbitris, daretur ad venationem egredi. Eum tamen promerendi cura, Regis Catholici nomine denuò cōiugium offerebatur, cum Ioanna Neapolitana, vidua ex Regis Catholici ſorore natâ, aut cum filiâ eius Catharinâ, Arthuri Waliæ principis item vidua. Extinctus is erat hoc tēpore in flore ætatis, vix delibatis primis coniugij recentis gaudijs. vxore virgine quamuis quinto antè menſe confectis nuptijs. Sic fama vulgauit, & idonei authores teſtantur, ob Principis ætatem probabilis, nati qua tuordecim tantùm annos, ea imbecillitate corporis, vt libidinis magis auidus eſſe videretur, quàm potens. Eius relictę matrimonium Ferdinando delatum, conditione honeſtiſsimum, voto, ſpeque maius erat; quandò rebus perditis dabatur, quòd integris vix ſperaret. An ludus erat, Iuuenem vanis promiſsis lactabant. Ioannes Gueuara, Potentiæ Comes pro ea gratia, & authoritate, qua valebat maximè, incauti Principis animum, in quam volebat partem, verſabat. Summa. Duci perſuaſum tandem, effectumque prorſùs, vti Tarentum rediret. Inde in Hiſpaniam mitti conſultum fore viſum eſt. Ad id delecta triremis; ac Ioannes Concilius, qui præeſſet miſſus cum mandatis, daret operam nè quâ arte is Princeps euaderet, quàm celerrimè nauigationem conficeret. Coram faciliùs de re tota, & conuentionis conditionibus conuenturos diſputabant: accommodatis blandimentis rati iuuenis animum victum, in fide, atque officio ergà Catholicos Reges propinquos, & neceſſarios fore conſtantem. Id velamen obtendebatur, ea ſpecies pollicitis haud ſatis ſyncera fide ſeruatis. In bello promiſſorum conſtantiam quis ſeruet? An in re militari tantùm, & non etiam inter principes in pace, præſertim, cùm de Imperio proferendo, aut conſeruando agitur quacumque ratione? quæ magna peruerſitas eſt. Sed tanti libido dominandi.

III. *Diſcordia Ludouici. & Ferdinandi Regum ſopiri nequit.*

Nondum de regno Neapolitano Galli, & Hiſpani inter ſe mouebant arma. Duces tantùm vtriuſque gentis, cum ſuis Regibus, de ratione componendi controuerſias conſultabant. Vtrique inter ſpem, & metum variabant. Fidentiores Galli læta bello gens. Sed eſt nemo tàm promptus ad arma, qui non quietem pari pretio amat. A Rege Gallo Corconius ea de re legatus, paulò antequàm Philippo Belgæ ſacramentum diceretur, Toletum appulit. Enimuerò hoc anno ad vndecimum Calend. Iunij, Philippus, & Ioanna vxor Reges Caſtellæ pronunciati, coràm Ferdinando, & Iſabella Regibus, fidelitatis iuramentum à Caſtellanis accepêre: præeuntibus Dieglio Mendozâ Cardinale, & Toletano Archiepiſcopo, Cardinalem ſequentibus multis Antiſtitibus, Bernardino Velaſco, Magiſtro Equitum, Abbuquerquio, Infantatus, Albæ, Begiariſque Ducibus, Villenæ Marchione, magnoque numero proceribus luxu, & familiæ ſplendore certantibus. Quò maior enim pompa, & lætitia eſſet, ſoluti erant cultus anteà præſcripti legibus prouinciales, vt bombycina veſte vterentur, ac verò verſicolore, ſunt vltrò nouo edicto inuitati. Veteris gentis modeſtiæ id argumentum eſto, & quantum ab antiquo mores in Hiſpania mutarint. Corconij, ſumma legationis erat, Prouincias Gallo, in Neapolitano regno attributas, annuis vectigalibus inferiores eſſe ijs, quas Hiſpanus occupauit. Prouentu, vti æquum erat, & initæ amicitiæ leges poſtulabant, exæquando Capitinata Gallis relinqueretur. Ad hæc Rex Catholicus; ſi factæ diuiſionis Gallum pœniteret, permutationem ſe prouinciarū minimè recuſare; copijs, quas prædicabat, maiores eſſe, ſe volente frueretur. Si ea conditio non placeret, certe diuiſis Principatu, & Lucania, æqua fieret compenſatio. Capitinatam Apuliæ opimum tractum intercipere, neq; ius, neque fas eſſe. Niſi hæc placerent, pacis ſtudio tamen controuerſiam omnem ſummi Pontificis, & Cardinalium arbitrio ſe libenter permiſſurum. Harum conditionum nulla placebat Gallo, multo minus prouinciarum commutationem fieri; ne vrbe Neapoli decederet, Regioque titulo eius vrbis, atque Hieroſolymę per conditiones fœderis dato, in quo dignitas erat, prouentu potior. Ventum ad minas, facturos Hiſpanos, vti, quod voluntate recuſarent. Itaque die quodam Hiſpanis legatis, coràm Gallo affirmantibus, à Rege ſuo nullam ſanciti fœderis conditionem violatam, integrà fide, minuta

quæque religioſè ſeruaſſe. Gallus reſpondit, tantundẽ ſe præſtitiſſe: ſi quis contrà affirmaret, non recuſare cum Rege Catholico ſingulari certamine, ac nè cum Rege quidem Romanorum tueri dignitatem. Ad hæc Gralla ſuum Regem iuſtiſsimum principem eſſe ait, vt ſi quis in orbe terrarum, ſi res exigeret, non recuſaturum, Martis arbitrio litem permittere, armiſq; tueri innocentiam à cuiuſcumq; calumniâ. Verùm, ſubdidit Gallus, Rex Hiſpanus, me maior eſſe non debet. Nè ipſe quidẽ meo Rege priores tibi arrogare, Gralla addidit. Neq; dubium erat Regis Catholici animum, ad pacem, quàm ad arma procliuem magis fuiſſe: Cõſaluum per literas monuiſſe, ac verò pro imperio mãdâſſe, vti in vnam curã pacis incumberet, neuè arma ſumeret, niſi neceſſariò gratius id fore, quam ſi bello vniuerſum regnum ſubditum daret. Belli prima fundamenta præter alia minora Alegrius poſuit, quo tẽpore Manfredoniam, ſeu Sipontum Hiſpanorum obſidione liberare aggreſſus eſt, vti eſt ſuperiùs indicatum. Et quò minor excuſatio eſſet, Conſaluo ad Tarenti mœnia aſsidente, diſtrictoq; eâ obſidione, Galli Troiam Capitinatæ vrbem, aliaq; circum oppida armis occupârunt. Miſsi, qui iure fœciali ablata repeterent, obteſtarenturq; nè importuno conatu pacta cõuenta diſturbarent, cuius è veſtigio pœniteret. Nihil tñ eâ diligentiâ eſt impetratum. tantùm nè vlteriùs armatis progredi eſſet neceſſe, duo duces, vti colloquerentur, eſt decretum. Sic Conſaluus rebus Tarenti conſtitutis Atellam venit; Amalfim Namurſius, Lucaniæ oppida. Medio interuallo S. Antonij nomine Sacellum eſt; quod colloquio idoneum vtriq; iudicarunt. In eo Sacello de cõtrouerſijs Legulei ab vtraq; parte delecti, multis verbis, ac clamore propè concionali diſceptârunt, non argumentis, & ratione, ſed conuitio, & linguæ petulantiâ, fructu præter à nullo. Cõquerebantur Galli, Hiſpanis attributas prouincias, ſeptuaginta millia aureos quotannis reddere, quã Gallicæ, cõpenſationem vectigalium fieri æquum videri. Reſtitêre Hiſpani, ac reſtitui Capitinatam, quâ erant iniuriâ pulſi inprimis poſtulare; id iure cõmuni ſanctũ eſſe, priuato haud aduerſum; vbi in eo ſatisfactũ eſſet, de exequatione vectigalium minimè recuſare. Re infectâ è colloquio diſceſſum. Duces tñ inter ſe honore verborum certârunt, quantò magis falſa erant, quæ fiebant, quæq; dicebantur, omnia diſsimulatione maiori, & accuratiore comitate. Deſperatâ ex eo concordiâ, ad arma vimq; ventũ eſt. Quo in ſtatu res eſſent, vtriq; ſuis Regibus ſignificârunt per literas. Neceſſariâ re ſumi arma. Si bellum ex ſententia confici vellẽ, milite, & pecunia iuuarent. Simul Conſaluus propter annonæ difficultatẽ ijs locis grauẽ, copiarum partẽ in Principatûs oppida dimiſit. Scalada dux cum cohorte peculiari, Atripaldam pulſis Gallis, qui in eo oppido erant in eo tractu occupauit, triginta millibus ab vrbe Neapoli. Tãtundem de alijs finitimis oppidis fecerũt alij Hiſpani cẽturiones. Ad hæc Galli fremere, Hiſpanorum væcordiã accuſare in circulis, & per literas ad Regẽ ſuum. Commotus ille à nuncio, quæcumq; Hiſpanorum in Gallia bona, & merces repentè fiſco addici mandauit. Erat iniquum, neq; denunciato voce præconis bello, neque præfinito, vt fit, ad diſceſſum ex prouincia die, raptim inuadere in hoſpites, rem familiarem detrahere. Sed tanti iracundia fuit, conſilio inimica, atque æquitati. Rex Catholicus contrà, monere ſuos, vt Gallos quacumque ratione placarent, relictis etiam oppidis, quæ in Capitinata ij ceperant, prouincię profectò maiorem partem. Pacis enimuerò ſtudio flagrabat, exhorrebat arma. Rurſus ergo duces ſi qua ſe via pacis daret, in S. Antonij Sacellũ conuenére. Deſignati ab vtraq; parte viri, diuiſione inſtauratâ prorſus ex Gallorum voluntate, & commodo, Lucanos, Principatum, & quod erat caput, Capitinatam ex æquo partiti ſunt, Gallos modò pacarent, & promererentur, nihil tunc nimium videbatur. Venẽ

*Ferdinãdus pacis amans, multum pro ea, ſed fruſtrà laborat.*

re inter eà ex Gallia mille Heluetij, ducenti grauis armaturæ equites, pecuniæ in ſtipendium affatim. Eò ſubſidio Galli confirmati, rupêre moras. Venuſium in Appulia occuparunt, vrbem dedente Petro Nauarro, militum, qui in præſidio erant, ſuaſu, & obteſtatione, quoniam ſuſtentare non poſſe ſperabant. Quadratam eodem impetu ceperunt, Camilli item Caratioli deditione. Vtrumque oppidum duodecim paſſuum millibus Barlettâ diſtat, vbi fortè Conſaluus, ſtatiua tunc habebat cum multò maximâ copiarum parte. Viſellis Altamuræ principatus nobile oppidũ, ad Gallos vltrò defecit: atq; Hiſpanarum triremium accurſu receptum breui, ſuperuenientes Galli pulſis Hiſpanis ſuæ ditionis rurſus fecerunt. Grauis ignominia viſa eſt, neque diſsimulanda contumelia. Aeſtus erat in præcipiti, Gallique, qui Quadratæ morabantur, aquæ penuriâ, annonæ difficultate laborabant; inſeſsis itineribus ab Hiſpano equitatu. Ergo relicto oppido, quà iuerant, regredi decreuerunt. Ad Aufidi ripam caſtra habentibus Gallis Auguſti fine, Conſaluus, Barlettâ egreſſus pugnæ copiam fecit. Detrectârunt illi certamen, inſtitutoque itinere Amalfini verſùs progreſsi ſunt. Hiſpani equites aliquanto numero abeuntes vrgere, ac poſtremò præſertim agmini moleſti, & graues cædere diſpalatos neq; ceſſare, niſi magnâ impedimentorum hoſtilium parte captâ. Namurſius etiam, atq; Obegninus præcipui copiarũ duces, priuatæ ſupellectilis haud exiguam partem in tumultu amiſerunt. Ottille alios Heluetios Neapolim iam appulſos, & quadringentos equites, qui Florẽtiam peruenerant, Galli propediem expectabant. Sine eo ſupplemento ſummam certaminis ſortem periclitari recuſabant. Conſaluus quoq; à ſuo Rege claſſem ſubmitti poſtulabat, atq; in ea in ſupplementum quadringentos leuis armaturæ equites, bis mille Callæcos, Aſtureſq; gentem locorum aſperitate, & tenui à primis annis propter locorum ſterilitatem victu duratam, ex eo idoneam bello. Ad Ioannem Emanuelem ſcripſit, vti duo millia Germanos ære conduceret, quos Hiſpanis miſceret, & in pugna Heluetijs opponeret. Ad eos excipiendos, & mari Supero tranſmittendos, Maluetium notæ induſtriæ virum, Anconam Piceni vrbem deſtinauit. Rex Catholicus quandò pacis conſila non proceſſerant, ad bellum conuerſo animo, triremiũ inſtructâ claſſe, cui Bernardum Villamarinũ præfecit, ducentes grauis, totidem leuis armaturæ equites, adiunctis peditibus, & pecuniâ in Italiam mittere ſtatuit. Simul Maximilianum Cæſarẽ monebat, vti pro Imperij iure, Italiæ finibus bellum inferret. Mediolani in poſſeſsionem mitteret, è duobus Ludouici Sfortiæ pulſi eo principatu filijs alterum; qui inopes, exules, ſine lare familiari in Germania viſebantur: ac quod mirum videri poſsit, Florentiam Hetruriæ caput, Valentino Borgiæ dari volebat, cum Regis titulo, & iure, ſed quaſi Imperij beneficiario. Pontificem alienâ munificentiâ promereri erat deſtinatum, quem in partes attrahere, fœduſque, niſi ſpe emolumenti maximi, & honoris ſpecie non ſperabat, bello Neapolitano ex ſententia conficiendo magnum momentum allaturum. Venetos prætereà in partes attrahere cupiebat, ad Hiſpanum fœdus, vt videbatur, propenſos. In eam rem miſſus denuò Venetias Laurentius Suarius Figueroa, vt pro ea gratiâ & authoritate, quã ſuperioris legationis tempore apud eos ciues nactus erat, rem conficeret; faceret quin etiam ſpem, vires cõmunicandi, operaq; ad Mediolanenſem principatum, aut Aprutios ad ditionem adiungendos, quibus prouincijs cupiditate imminebant. Claſsim inter hęc miſit, cui impoſiti ſeptingenti cataphracti, octingenti leuis armaturæ equites, tria millia, & trecenti equites. Et quidẽ Ludouicus Rex viſo tãto apparatu, ad concordiam propenſus eſſe videri volebat, arbitriumq; controuerſię, permittere ſimulabat Philippo Auſtriaco: ſiue id fieri deberet, Friderico conſenſu

in



in regnum paternum reſtituto, ſiue translato ab Hiſpano quidem in Carolum Auſtriacum nepotẽ, à Gallo autem in Claudiam filiam, pacti inter eos ex antè condicto coniugij, eo regno dotali, & Mediolanenſi principatu. Verùm hæ molitiones inanes viſæ ſunt, atque eò pertinere, vt Catholicus Rex, fæderis fiducia curam belli intermitteret, Hiſpaniq; adeò duces non ſatis à milite, & pecunia parati faciliùs opprimerentur. Intelligebantur artes: ſed pars prudentis erat tantiſper diſsimulare.

*Ludouicus Rex in Italiã properare cupit.*

Concordia fruſtrà tentatâ, Ludouicus Rex in Italiam maturare conſtituit, è propinquo in belli apparatum incumbere volens; ex remotis locis ſæpè remedia poſt morbũ venire non ignarus: in Inſubribus tamen ſubſtitit. Regi Catholico eadem traijciendi voluntas erat: eoq; conſilio Cæſarauguſtam aduenerat. Maiorum exempla, ad audendum incitabant; qui ſuâ præſentia in Sardinia, Sicilia, & ad Neapolim ea perfecerunt, quæ per alios ægrè, aut nullo modo potuiſſent. Maximi momenti res viſa eſt, digna conſultatione. Magnis viris adhibitis in conſilium, de ea profectione, Rege referente diſceptatũ. Variæ, vt fit ſententiæ fuerunt. Gutterrius Cardenas Caſtellę Promagiſter prouecta ætate vir, ex multo vſu rerum cautus in conuentu hac ſententia orationem habuit.

*Oratio Gutterrij Cardenas Caſtella Promagiſtri.*

*In re grauiſsima audire potius, quàm loqui eſſet ſatius, iuſſus tamen conſilium dabo, vtinam tam felix, quam fidele. Quicumque magnum facinus aggredi vult, inprimis prouentus ſpem cum periculo quod proponitur, debet comparare: vbi paria, ſunt periculum, & præmiũ, & proſperis rebus vberior eſt fructus, & aduerſis ſolatium maius. Obnoxij enim animi eſt rerum difficultate terreri; ſed non minoris temeritatis, exigui ſpe fructus in maiora incommoda: certamque perniciem incurrere. In præſenti deliberatione, ſi nominis exiſtimationi conſultum volumus, qua fere bellorũ euentus conſtant, (magna eſſe famæ momenta, quis neget in bello magis?) maiorem fore conſidero à ducibus victoria parta, victus minorem ignominiam, vtrumque è contrario Rege præſente. Ac illud conſiderandũ: antè noſtrum appulſum ſi bellũ confectum ſit, quod fieri poſſe, quis dubitet? redire inglorios neceſſe erit, labore fruſtrà ſuſcepto. Nam à noſtris victoria parta, confecti belli laus penes alios erit, noſtra in caſũ moleſtia cedet, ſi ab aduerſarijs ſteterit: ad bellum inſtaurandum nullæ vires ſatis erunt, ne totius quidẽ Hiſpaniæ in vnum collatæ. Italiæ Principes ſuſpenſi hactenus animis, belliq; ſpectatores tantum, ſi conceperint animis vires gentis noſtræ imbecilles eſſe, neque bello profligando idoneas, niſi Rex adſit, vt ſunt ingenio mobili, nouas fortaſſe ſpes captabunt. Non ea ſum mente, vt Reges velim in otio vitam conſumere, & quaſi in luſtris ignauia animalia ſolent conſeneſcere, ſeque iucunditatibus dare: ſed neq; eorum ſalutem in periculũ voco, niſi re neceſſaria. Quis in longinqua adeò nauigatione maris ſæuitiam, ventorum vices non metuat? Quis Genuenſium vires, & arrogantiam non conſiderat, præſertim ſi Gallicæ claſſes adiungantur, vt eſt veriſimile: ad noſtram claſſem, certè impugnandam? Quis vitam & ſalutem Regis prælio nauali committat, in quo ſors plerumq; dominatur, virtute potentior in mari? Documento ſit Alfonſus patruus à paucis Genuenſium nauibus victus, captuſq; vnà cum fratribus. De offenſione Procerum nihil dicã, facultateq; turbandi res, abſentia eius, cuius prudentia intra modeſtiæ fines continentur, quaſi aſperioribus frænis domita contumacia. Vt cætera abſint, qui poſsis Reginam relinquere valetudine ægra, grauiorem morte eam profectionem haud dubium habituram? Si qui Aragonij Reges mare tranſmiſerunt, temporum conditio, enataque occaſiones excuſarunt: nè maiores quidem ſemper, ſaniora conſilia ſectati ſunt. Arma, bellumq; depoſcere in caſtris à primis annis verſatum non miror, non vitupero; ſed ſi tanta cupiditas induendi arma ſollicitat, vt bello Galliæ fines è propinquo laceſſamus, ſtatuo: quo hoſtium viribus ad defenſionẽ patriæ ſoli conuerſis, Neapolitani conatus debilitentur, & de imperio Mediolanenſi porrò decedere contingat. Hæc mea ſententia eſt; ſi commoda, vtinam: ſi contrà, ſinceræ voluntati detur venia. Quod placebit Rex conſilium, id optimum iudicato. Si traijciendi in Italiam ſententia ſtat, hac quamuis ætate, comes eſſe non recuſabo. Primus, me itineri accingam certus, vitam, & fortunas periculo potius quamuis graui obijcere, quàm vt videar officio defuiſſe. Verum conſultatio libera voces eſſe debent, Principis ad audiendum patientes aures, libera diiudicatio.*

*V. Alia Epiſcopi cuiuſdam oratio.*

Magna aſſenſione aſtantium Gutterij oratio excepta eſt, valida argumenta viſa, dignãq; eâ prudentię opinione viro. Ea vulgata tamẽ, Epiſcopus quidã, cuius nomen nõ exprimitur, quãuis minimè rogatus codicillũ Regi in manus dedit, hac fermè ſentẽtia, verbiſq;.

*Quod nullo rogante conſilium iniuſſus do, hoc ſiue temeritas ſiue licentia veniam meretur. De re communi loquendi, nulli ſit ille quicumq; facultas meritò denegatur. Incommoda, & pericula ſi ſigillatim cuncta, vt Promagiſter fecit ſint examinanda, nemo rem arduam aggredietur. Neque agricola cultura, & ſationis labores arripiat, neq; nauclerus procelloſo mari nauim committat, ac ne miles quidem cum tanto ſalutis diſcrimine induat arma, procedat in aciẽ. Nullus deniq; erit, qui ſi in difficultates omnes reſpexerit, ſuo muneri ſatisfaciat. Hæc eſt humanæ imbecillitatis conditio, hac lege viuimus. Nihil magnũ Deus, aut natura mortalib. dat, ſine multo labore, & ſudore. Primam Regibus rei militaris curam eſſe nemini eſt dubium, militum delectus habere, exercitus regere, ſiue bellum defendendum ſit, ſiue hoſtis laceſſendus. Ecquid aliud gladius, quo es præcinctus, ſignificat, quam patriæ tutorem eſſe, quod ſine bello non contingit? Ac ne id quidem quæſtionis eſt, commodius bella à Regibus, quàm per duces, ſint illi quicumq; geri. Regem ad bellum euntem, proſequuntur ciues ſummi, medij, infimi. turpe ducunt domi reſiſtere, delicijs incubare, quorum Princeps in acie, & in puluere, atq; in periculo pro communi ſalute, pro imperij dignitate verſatur. Nemo quantauis dignitate tali ductore arma ſumere recuſat. Cũ plerique proceres æquali, aut fortaſsis minori obtemperare turpe ducant, atq; ad eius arbitrium verti. Documento ſit præſẽs tempus. Quis, n. è numero procerum, rogo, ad bellum Neapolitanum eſt profectus, excellenti quamuis eximijs dotibus duci data belli cura? Deinde pecuniam in ſtipendium. bellicos cõmeatus, ac cætera neceſſaria Rege præſente expedire promptum eſt. Enatis difficultatibus faciliùs prudentiuſq; occurritur: abſente conſilia poſt res afferuntur inepta ſæpe quoniam auribus fideliores ſunt oculi & in horas agendi occaſiones mutantur. Beneuolentia militum, qua nihil eſt in bello potentius, cognitione conciliatur, & vſu: quippe homines militares canibus ſimiles, vt Plato ait, domeſticis blandiuntur, externis allatrant. In oculis Principis, à quo præmia virtutis expectant, viri fortes leonibus pares euadunt, ignauos ad audendum pudor ſollicitat, metuſq; ignominiæ. Homerus quidem, Deos ipſos in pugnam inducit, inflammare pugnare iuuenũ animos, Agamemnonem fingit, etiã gregarios milites nomine compellantem. Alexander, credo, & Cæſar numquam iugum imperij impoſuiſſent orbi, ſi domi delicijs indulgentes res bellicas per Vicarios adminiſtraſſent. Quæ res imperium Romanũ è culmine ad terram afflixit? Sanè principes belli tẽpore domi deſides, ducũ virtute confiſi? Sed mittãtur vetera. Mauri haud dubiũ hodie in Hiſpania viuerent, niſi ipſe bello Granatenſi interfuiſſes copiarum ductor, ac totius expeditionis particeps. Carolus Galliæ Rex, quanta celeritate, ſuo in Italiam traductu Neapolitanos domuit? Eius diſceſſu, quæ fuerunt breui parta, ad veteres dominos redierunt. Regium corpus, vt labore frangatur, verendum non eſt. Si aſſueſcas, emollitur moleſtia. Aulæ præterea obſequia, & miniſteria, atq; aliæ vitæ principalis cõmoditates numquã deſunt. Plauſus, quin etiam cunctorum moleſtiam minuunt: armato, atq; inermi circumfuſa omni ex parte multitudo theatri inſtar eſt, omnium oculis in ipſum coniectis, laudibus celebrans, quæcumque facit. Multò minùs maris pericula moueant, quem enim Regem ſubmerſum vidimus? Quod ſi Alfonſus Rex, quo nos exemplo tantoperè terrent, naualem pugnã recuſare voluiſſet, nemo pugnandi neceſsitatem imponeret ſui fiducia, hoſtium contemptus, vtrumq; exitiale menũ in ea præcipitarũt, incõmoda: vnde tamẽ Regia maieſtas eũ in maiorẽ gloriã euexit, vireſq; cõtrà aduerſarios nouas adiunxit. Quòd ſi durum tamen videtur, Regem bello intereſſe, incer-*

*tæ præliorum ſorti caput, & ſalutem obijcere: quid prohibeat Siciliam finitimam adire, rebus eius inſulæ compoſitis, Regio aſpectu, ea gente recreata, in belli Neapolitani apparatum diligentius incumbere? Hæc noſtra ſententia eſt, verior fortaſſe quàm grata multorum auribus. Verùm ea remedia ſæpè ſalubria exiſtunt, quæ acerbiora ægrotorum palato, neque vtilia ſemper quæ dulcia.*

VI. *Iudicium ProMagiſtri præualet.*

Epiſcopi libertas pleriſque placebat, vera dicere videbatur. ij etiam, qui contra tendebant magis volebant, quam non probabant ſententiam. Vicit tamen ProMagiſter, quippè cunctorum auribus gratiora locutus, cautiorque. Acceſſere, Henricus Regis auunculus Aluarus Portugallenſis Regio ſenatui Præfectus, Garſias, Laſſus, Antonius Fonſeca, Ferdinandus Vegha, magna autoritate, magnaque prudentiæ opinione proceres idē cum ProMagiſtro iudicantes. Acceſſit per litteras Conſalui in eam ſententiam ſuffragium, victoriam haud dubiam, ſuo ductu de hoſtibus pollicentis, quæ aſſeueratio in magnis ducibus vituperatione carere non ſolet. belli ſucceſſu nihil incertius. Et quidem Rege, propter metus ex Gallia oſtentatos finitima, in Hiſpania ſubſiſtēte, res illius in Brutijs, & magna Græcia penè in præcipiti erant. Salernitanus, Biſinianus, & Roſanius, atque Meliti Comes, Gallicas palàm partes inueterato ſtudio ſectabantur. Matera, & Caſtellaneta victo, Mataræ comite & Mazaræ Epiſcopo inprimis occupata, terra noua capta, vaſtatus ager Tarētinus, Apulia ferro, igniq; fœdata. Fuſi, fugatiq; pluribus in locis Hiſpani. Conflictus peculiares varios, & multos recenſere longum eſſet. Prouincialium ingens damnum, quando à Gallis, & Hiſpanis certatim gentis miſeræ pecora diripiebantur. Rapiendi licentia, miſericordiam non recipit. Duces partium accendendo bello acres, frænandis iniurijs impares. Iſta hoc anno initia belli inter Gallos, & Hiſpanos de regni partitione, vel poſſeſſione certantes. *Mariana de rebus Hiſpaniæ l. 17. c. 11. 12. 13. 14. 15.*

*Pari vtrimque numero Hiſpani & Galli ſe adoriuntur.*

Memorandum iſtud, omnes ferè ſcriptores prædicant, quod cum Galli tot victorijs inſolentes Hiſpanis inſultarent, ſtrenuos quidem pedites Hiſpanos videri, equites vero ſecus; vtpote, qui eludendo & in gyrum flectendo equos, robuſtas Gallorum haſtas formidare, concurſioneſque vitare ignobili fuga conſueſſent; Hiſpani contumeliam verborum non ferentes, reſponderint: ſi pari numero, & paribus armis, quibus cataphracti vterentur, pro gloria decertare vellent, ſe patentem in campum prodituros, vt quinam maximè ſtrenui bellatores forent, Galli, an Hiſpani, nobili ſpectaculo edito, verum ex collata virtute ſpecimen præberetur. Non abnuere conditionem Galli, dieque conſtituta, Venetus Tranij præfectus, vti ex profeſſo nemini ſocius, & vtriſque pari ſtudio amicus, atque hoſpes, locum certamini, Veneto tutum præſidio, ad vrbis mœnia conceſſit. Vndecim ex condicto prodiere Galli, quibus totidem oppoſuit ex vrna ſorte ductos, quum ſuprà centum equites ambitioſo concurſu nomina dediſſent. Concurrere vtrimque tanta vi, vt nunquam ardentioribus animis, vehementioribuſque viribus certatum ſit. Plures haſtarum impetu deturbati, aut ſuffoſſis equis deſtituti in pedes, tantâ pertinacia decertarunt, vt cum ſex horis continuè depugnaſſent, omnes fere cum ſuo, tum alieno cruore fœdati, nec fatigati quidem ſub tanto armorum pondere in occaſum ſolis certamen extraxerint, certa iam ad Hiſpanos vergente victoria: niſi eam quatuor Galli memorabili caſu penitus eluſiſſent. Septi enim equorum cadaueribus, mira conſtantia, felicique virtute, tamquam ex caſtrenſi munitione repugnarunt, fruſtra Hiſpanis equos adigere conantibus, cum eorum equi, aſpectu, olfactuque ſtratorum equorum abſterriti, ſeſſores ipſos in diuerſum à limine victoriæ tranſportarent. Ex Gallis longè fortiſſimè dimicarunt, Torſeius Palicianæ alæ legatus; & Mondraco, qui demum Mediolanenſis arcis cuſtodię præpoſitus, prodigioſo ictu fulminis conflagrante turri, cum tota penè cohorte interijt. Ex Hiſpanis ſummam laudem tulere Didacus Garcias Paredius, qui perfracta lancea, excuſſoq; è manu fortè gladio lapidibus iactis, quibus pugnæ ſpatium continuata ſerie tamquam corona deſcriptum erat, pertinaciſſimè rem geſſit: Et Didacus Vera, aliquanto poſt ad Algerium in Africa, amiſſi exercitus infelicitate clarus. Spectatores, & iudices ex Tribunali incertam victoriam fuiſſe pronunciarunt, ea quidem teſtificatione, vt apud Hiſpanos expediti roboris nomen, apud Gallos autem inexpectatæ conſtantiæ laus manſiſſe cerneretur. *Iouius in Conſaluo lib. 2.*

VII. *Maximilianus Cæſar Oratores ad Alexandrum PP. mittit.*

Diximus ſuperius Ferdinandum Catholicum, ſolicitaſſe Maximilianum Cæſarem, vt bellum finibus Italiæ inferret. Non ſurdis auribus audiuit Maximilianus, quæ proponebantur. Ergo poſt Rotomagenſis Cardinalis Tridēto diſceſſum, poſtquam pacem cum Ludouico Rege Galliarum initam, noua conſilia ingreſſus, & Inſubriæ dominij diploma etiam in filias Regi concedere recuſans, Hermetem Sfortiam, à Galliæ Rege in Romanorum Reginæ ſororis ſuæ gratiam carcere liberatum, & Brixinæ Præpoſitum, Oratores in Italiam, vt cum Alexandro Pontifice & reliquis Principibus de ſuo ad imperij coronam accipiendam aduentu agerent, miſit. Conuenerat, vt Valentinus Borgia, Florentiæ, cum titulo Regio præficeretur; poſtquàm ea ciuitas, neque Mediceos reciperet, neque popularem ſtatum tolerare videretur, & diſcordia ciuium laborans, iniuriæ Gallicæ expoſita eſſet. Non ignorauit iſta Rex Ludouicus, Caroli Ambroſij Ciamontij domini, Rotomagenſis Cardinalis nepotis, ſui in Inſubria Vicarij litteris edoctus. Ergo inprimis, nè Florentini amicitia ſua excluſi, vel ad Pontificis, vel ad Maximiliani res animum cōuerterent veritus, immoderatis poſtularis omiſſis ad æquiores conditiones deuenit, quarum hæc fuerunt capita; Rex eos patrocinio complexos per tres proximos annos proprio ære à quouis, qui ſeu iure, ſeu iniuria eam, quam tunc poſſiderent ditionem infeſtaret, armis tueri teneretur: Florentini eo triennio 1200. auri libras Regi darent: ità vt ſingulis annis tertiam penderent partem: omnia reliqua fędera inter illos facta, & quę ex ijs pēderent obligationes ſublatæ, extinctæq; eſſent: Florentinis Piſanos, alioſque, qui ipſorum oppida oppugnarent, vel occuparent, armis perſequi liceret. Prouidebat, ſcilicet, nè Etruriæ aliquis motus fieret, vnde maiora forſan occulto aliorum conſilio ſequerentur. Inter hæc Medicei non indormiebant rebus ſuis, ſed & Pontificem, & Cæſarē, & Ludouicū præuenire volebant, in occupando vrbis dominio. Non obſcurū id erat Borgię Valentino, qui prudenti conſilio vſus Florentinis, Mediceos exules oſtentando tum illis minitari non obſcurè, tum iſtis ſpem reſtitutionis in patriā facere videbatur; ſcilicet, vt ciuitatem iā ſibi à Cæſare, & Ferdinando deſtinatā, ad eas, quas ipſe cōcupiſſet, conditiones, repræſentata veteri Mediceorū dominatione cōpelleret. Medicei iſtud non inani coniectura aſſecuti, nihil intermittebant, quod in negotio ſemel ſuſcepto opportunū foret. Erant inter Valentini duces, viri maximè ſtrenui Raphael Pactius, & Marcus Saluiatus Florentini, quib. popularis Reipubl. ſtatus erat inuiſus. Ii fidelem, fortemque operam Mediceis pollicebantur; neq; .n. ciuibus erāt ſuſpecti, quoniā vtrāq; familiæ nomine, propter veteris & funeſtæ cōiurationis memoriā, minime Mediceis opē allaturū apparebat. Per hos itaq; Florētiæ





res amicos ſolicitari, cohortari, docere, quo præſertim tempore, & quibus maximè artibus foret conandum, vt Curiâ occupatâ, populariſq; Reipub. ſtatu euerſo, ſua dignitas ordini patritio redderetur. Vrſini namque per ſe ſoli copias ſuas, vel ignaro Valentino, cui militabant, ad vrbis portas adducturi erant. Militabat etiam apud Borgiam Vitellocius Vitellius bellicâ laude inſignis. Is incredibili odio, Florentinos perſequebatur, quòd triennio ante, Paulum fratrem ipſorum Imperatorem, Caſſentinato, & Piſano bello de Repub. benemeritum, falſis inducti ſuſpicionibus, ſæuo, præcipitique iudicio necauiſſent. Ductabat Vitellocius alias, cohorteſque ſummæ virtutis. Nā primus omnium Italos pedites, in aciem contrà Germanos, ad Surianum felici virtute produxerat, trahebatque ſecum non contemnendam clientum multitudinem ex Tifernate agro, proximiſque Etruriæ oppidis. Paulus quoque Baleonus, Peruſiæ facilè princeps, quem ab inimicis domo pulſum paulò antè reduxerat, ſigna eiuſdem Borgiæ cum manu peditum, atque equitum ſequebatur. Cum hoc ergo duce, ac præſertim cum Vrſinis, & Vitellocijs varijs cognationibus aſtrictis,

*Medicei fratres coniurantes ſimul arma aduerſus Florentinos mouent.*

Medicei fratres percuſſo certo fœdere, ſeſe coniunxerunt: adiuuante, & pecuniam ſubminiſtrante Pandulfo Petrucio, Senenſium tyranno armis cōparatis, in Etruriā profecti, & Corroniā, Aretioq; recepti, Aretij oppugnabant arcem, per totamque Arni vallem oppidis frequentem metum protulerant. His de cauſis Florentini trepidare, vix opem in tumultuarijs conſilijs reperire, ſuſpectare intus inſidias, foris hoſtem timere, & antè omnia plurimùm vereri, nè Vitellocius iuſtiſsimo exacerbatus odio, & Medicei, quorum cognati, amiciq; fœdè eſſent interempti, in ipſos, qui tum maximè Rempub. tenuiſſent, crudeliter ſæuiret. Parum .n. ſubſidij in milite, quo tum apud Piſas bellum gerebatur, vti ſæpe fuſo, reiectoq;, reponebant. Nec deerant, qui ſuſpicarentur, & exiſtimarent, Vrſinos, & reliquos fœderatos nequaquam tantum bellum inuito Valentino ſuſcepiſſe; cum illis incredibile videretur, eos, qui ſub illo facerent ſtipendia, eodem inuito, aut ignaro tanti momēti rem aggreſſos fuiſſe. Ergo legatos ad Alexandrum Pontificem iniuriam deprecantes deſtinarunt.

*Pontifex Florentinos ſibi à Mediceis timentes à metu liberat.*

Hic litteris datis ciuitatem omni metu liberabat; hortabaturque Valentinum, vt amicitiam potentis populi, vel maximis exulum pollicitationibus pręferret, atque in deſertores, confœderatos illos feriò animaduerteret. Ad Ludouicum quoque Regem, qui iam Mediolanum, ſecū adducens Fridericum Aragonium regno Neapolitano exutum, aduenerat, Petrum Soderinum legatum miſerunt, qui demonſtraret, illi magnopere cauendū eſſe, ne euerſâ; aut commutatâ Florentiæ Republicâ, quæ antiquo, recentique ſocietatis iure, Gallico nomini eſſet fœderatâ, ipſe demum amittendi Neapolis, Ciſalpinæq; Galliæ periculum ſubiret. Metum à Pōtifice, & Valentino oſtentabat; illos armorum potentiâ, & exercitu, delectis ducibus ac militibus florere: iamque ad illorum cupiditatem explendam, nec Aemiliam, Flaminiamque, nec Hetruriam omnem ſatis eſſe, ſed vaſtos, immenſoſque fines ſibi propoſuiſſe. Ludouicus, vt erat ſuſpicaci, & ſuperbo ingenio, & iam alioqui Pontifici, & Valentino ſubiratus, Florentinorum rationibus commotior, fecialem ſuum celerrimè mutatis equis, qui litteras Alexandro perferret, atque hunc; & Vitellotium, Baleonem, Petrucium & Vrſinum, atque vnà Valentinum ducem, in Florentinorum iniurijs deſiſtere iuberet, miſit, & ipſemet cum Pontificio Oratore vehementer ea de re egit, Iulianoque Mediceo, Vitellocij, & Baleonis procuratoribus, qui in ipſius aula erant, admodum contumelioſis verbis minatus eſt. In animo iam habebat, Valentinum Flaminiâ, Aemiliâque, & alijs locis, quæ pro Romana Eccleſia recuperauerat, ſpoliare: hancque ob cauſam, ijs omnibus, qui vel eius potentiam metuebant, vel ab illo læſi fuerant accerſitis, ſe ad id bellum contendere aſſeuerabat, & palàm maximo ardore id bellum tàm pium, tamque ſanctum eſſe, vt nec magis pium, nec ſanctius aduerſus Turcas bellum eſſet futurum, aiebat. ſimulque Pandulfum Petrucium, quòd Ludouicum Sfortiam, quum Mediolanum redijt pecuniâ iuuiſſet, & poſteà ſemper Valentini partes eſſet profeſſus Senis pellere deſtinabat. Pontifex, & Valentinus, quum ſe falſis opinionibus oneratos, vel potius calumnijs penè oppreſſos, tam grauem, quæ à Ludouico immineret tempeſtatem ſuſtinere non poſſe cognoſcerent, Aretinum tumultum à Vitellotio ipſis inſcijs concitatum affirmarunt; nec ſe tanta poteſtate fuiſſe, vt vel illum remouere, vel nè Vrſini, aut Balleo quamuis ſuis ſtipendijs militarent priuatis de cauſis, aut ei, aut Mediceis auxilium darent, poſſent efficere. Quin etiam, quò Regis magis ſatisfacerent, Valentinus quidem Vitellotio miſit, qui niſi ſtatim Aretium, & reliqua Florentinorum oppida desereret, ſe exercitum ſuum aduerſus illum ducturum minaretur; Pontifex autem Vrſinis maiorem in modum iratus, iàm tum de caſtigandis illis cogitarit. Præceſſerant enim præter hanc aliæ cauſæ. Expugnatâ Fauentia, Valentinus, cùm Bononiam eſſet adortus, tunc illos frigidè ſe gerere: & conſilia cum Bentiuolio communicare, illos conſpexit. Iulius etiam Vrſinus, qui cæteros factionis duces autoritate anteibat, Valentini commilitium tunc temporis detrectauit; quod in Bentiuolos, quos ille bello petiturus fuit, recuſaſſet, arma induere, militareque aduerſus eos, quibus cum arctiſsima ſibi affinitas intercederet. Quo etiam tempore Guidoubaldum Ruuereum, Vrbini Ducem, propterea quòd tributa Romanæ Eccleſiæ non ſolueret, & occulta cum Iuliano Ruuereo, Sancti Petri Cardinale, Saonæ res Pontificias miſcente, conſilia haberet, in fugam vertit Valentinus, totumque illius dominium in poteſtatem redegit, Vrſini cum Petrucio, & Vitellotio, præter terrorem, dolorem quoque ingentem præ ſe tulerant, iam toruis oculis fortunam Pontificis aſpicientes; nec tantum ſibi alieno periculo metuentes, verùm etiam ad euertendum Alexandrum, & Valentinum reſpicientes. Nam & Ioannes Baptiſta Cardinalis Vrſinus, cum die XII. Iulij Pontificem de poteſtate, Mediolanum ad Ludouicum Regem diſcedendi interpellaſſet, is verò concedere denegaſſet; ipſe inuito Pontifice, nocte inſequente, Vrbe relicta, quo deſtinabat profectus eſt, vt ſuis Vrſinis, ac Vitellotio, de Aretinis rebus obiecta crimina dilueret, & Regem aduerſus Pontificem, ac Valentinum concitaret. Verùm quæ à multis optantur, rarò euenire, res ipſa veriſsimum eſſe docet. Nam cum humanarum actionum effectus plerumque ex paucorum pendeant voluntate, horumque mens; & fines ferè ſemper à multorum mentibus, atque finibus diuerſi ſint, vix res ſecus, quàm ex eorum mente, à quibus actiones gubernantur, geri poſſunt; vt in hoc negotio accidit, in quo multæ rationes, & fines Regem ad aliud, quàm propoſuerat initio; & ad quod Vrſinus impellebat, ſequendum traduxerunt. Conſtans enim quamuis tunc fama fuiſſet, Vrſinum Cardinalem occultè à Rege monitum, vt cauerent Vrſini ab Alexandri, & Valentini Ducis inſidijs, compertum ſibi eſſe decretum illis ſemel, quacumque arte ſi apertâ vi nequeant, Vrſinæ factionis opes euertere; quò Regis indicio per ſuum hominem ducibus delato, confeſtim ab eis ſeceſsio facta fuerit: tamen Pontifex, proprijs hominibus miſsis, vt ei integritatem ſuam probaret, numquam conari deſiſtens, à grauiorib. deſtinatis Regem retinuit: cui rei momentum, vel maximū attulit, Rotomagenſis Cardinalis, tunc vt ſemper fuerat, amicitiæ inter Pontificem, & Galliæ Regem, non modò propter Regiam, verū etiā propter ſuā

vtilitatem conſeruandæ cupidi conſilium. Nam & à Pontifice Gallica legatio, in 10. & 8. menſes, ei prorogata fuit: & quia ſibi ad Pontificatum fundamenta ſolicitè parabat, propinquos & cliẽtes ad purpurei Galeri dignitatem ab illo promoueri, impetrare volebat, ſibiq; Pontificii imperij amantis, & defenſoris famam ad idem profuturam cenſebat. Præſentium quoq; temporũ ſtatus, ad Regem in hanc ſententiam pertrahendum, accedebat: quia & de Maximiliano Cæſare, qui animo minimè pacato denuò multos equites, & certum peditũ numerum Tridentum miſerat, & multa Pontifici, vt ab illo ipſius in Italiã ad imperij coronam capiendã tranſitus iuuaretur promittebat, omnia aduerſa ſuſpicabatur, & eo maioris omnes Cæſaris motus faciendi erant, quod Rex Inſubriam, & Neapolitanum regnum in ſua poteſtate eſſe, Venetis moleſtum ſciret. Accedebat etiã cũ quatuor Heluetiorũ pagis diſſidiũ, qui Bellizone iura ſibi cedi, Tellinam Vallem, aliaque immoderata tradi poſtulabant: quod niſi faceret, cũ Maximiliano fœdus inire minabantur. Haſce difficultates augebat, quòd omni pacis cum Hiſpaniæ Rege ſpe excluſus erat. Nam & ſi Rex ille, Friderici in regnum reſtitutionem propoſuiſſet, ideoque ipſe illum ſecum in Italiam adduxiſſet, de inducijs quoque ad certum tempus ſingulis, quæ poſſiderẽt, retinentibus, faciendis agitatum eſſet; tamen vtrumque negotium tot habuit impedimenta, vt Galliæ Rex vehementer indignatus, Hiſpanos Oratores ab aula ſua dimiſerit. Quas ob cauſas, quum Pontifex nouiſſime per Troccëſium fidiſſimum cubicularium ſuum, ad illum miſſum, ſe, & Valentinum ipſi totis viribus in Neapolitano bello affuturos promiſiſſet, in Pontificis amicitia permanere ſtatuit. Idcirco quamprimum Troccëſius Romam redijt, Valentinus illius reſponſo fretus, clam permutatis equis, ad Regem III. die Auguſti Mediolanum venit: à quo contrà expectationem, grauiſſimoq; omnium mærore, humaniſſimè, ingentique honore acceptus fuit: & Aretinarum rerum excuſatione admiſſa, nõ modò in gratiam ſuam recepit, verùm etiam à Pontifice, & ipſo, auxilij, ſi opus foret, ad Neapolitanum bellum ferendi promiſſione, & fide accepta, viciſſim ei ad Bononiam Pontificio imperio recuperandam, & Ioannem Paulum Ballionem, ac Vitellotium opprimendos, trecentos cataphractos promiſit: ad Põtificis potentiam promouendam, vel quod illum tot beneficijs deuinctum ſibi ex animo amicum fore, eaque neceſſitudine ſtante, neminem in Italia res nouas in ſe moliri auſurum exiſtimaret; vel quod non tàm illius amicitiæ fideret, quàm inimicitiam metueret impulſus. Huc accedebat peculiare in Ioannem Paulum, Vitellotium, & Vrſinos, quod omnes ſua iuſſa, vt à Florentinis infeſtandis deſiſterent, odium: & præſertim Vitellotius, qui tormenta Aretij capta reſtituere recuſauerat; & ad Regem tuto veniendi fide petita, acceptaque poſtea contempſerat.

VIII. *Idem Rex Valentinum in Aſtam & Aemiliam ire permittit.*

Reuertens Ludouicus Rex in Gallias, quamuis antea ijs, qui Valentinum metuebant, ſe communis tranquillitatis gratiâ eum in Galliam ſecum ducturum ſpem feciſſet, Aſtæ, hominem in Aemiliam, Flaminiamque redire permiſit. Ea res, non modò illorum, qui primum illius, impetum expectabant, ſed multorum aliorum animos cõmouit: quia Pandulfus Petrucius, & Vrſini in eadem cum Vitellotio & Ballione cauſa coniuncti, in eodem metu erant: ac ſi iſti opprimerentur, ne ad ſe quoque vis aliqua pertingeret, verebantur. Nec aliquem horum, qui in metu erant, à Ludouico promiſſum patrocinium tutum reddebat. Erant enim recentia exempla, quòd Plumbini Regulum, quem defendendum ſuſcepiſſet, exui dominio paſſus erat: nec idem Vrbinatium Ducis, quem cum exercitum Neapolim mittebat, quia quinquaginta grauis armaturæ equites tradiderat, in clientelam acceperat, factum vlciſcebatur. Aderat quoque Ioannis Bentiuoli exemplum. Nam & ſi Rex proximis annis fœdus, quod cum Pontifice habebat, ad ea tantummodo iura, autoritatemque, quæ Pontificatus eo tempore quo fœdus ictum eſt, poſſidebat, extendi aſſerens, Valentino nè Bononiam infeſtaret mandauerat; tamen hoc tempore Bentiuolo (miſeratis Antoniũ Galeatium Protonotarium filium ad Regem hoc anno) contrà ea arma, quæ in ſe parabantur auxilium flagitante verborum interpretatione, pro ſuorum conſiliorum varietate mutata, & fœderis conditionibus iuriſconſultorum more expoſitis, patrociniũ quo eum defendendum ſuſceperat, Pontificis cauſam, niſi priuatim ipſe, eiuſque priuata bona in diſcrimen vocarentur, non impedire reſpondit: quoniã & ſi verba generatim, & vniuersè ſcripta ſint, adiecta tñ eſſet exceptio, id fœdus in Pontificij imperij fraudem non eſſe intelligendum, ad quod Bononiã pertinere nemo negaret. Illud etiam addebat, in fœdere, quod cum Pontifice omnibus Italiæ antiquius iciſſet, ſe quibuſcumque fœderibus icturus eſſet, illam exceptionem additurum promiſiſſe, ne quid iuri, & Imperio Pontificis derogaret. Itaque in ea ſententia adeò conſtanter permanſit, vt Rotamagenſi ſuadente, reliquis omnibus in Regio conſilio repugnantibus, Bononiam, certum hominem miſerit, qui denunciaret; cum ea ciuitas ad Pontificem pertineret, ſe, quin eius expeditionem promoueret, facere non poſſe: licere tamen Bentiuolis, Regis clientelæ nomine priuatim Bononiæ habitare, bonaque ſua poſſidere; dummodò Pontifici, qui illis Romæ, de iniurijs Romanæ Eccleſiæ, ac ciuibus illatis diem dixerat, & in contumaces, anathema ſtrinxerat, armaque expediuerat ſatisfeciſſent. Ea Regis obteſtatio Venetis, multa Romanæ Eccleſiæ occupantibus, ac omnibus Sedi Apoſtolicæ rebellibus receptum, & auxilia concedentibus, metum vehementiorem incuſſit; vnde auſi ſunt per Oratores ſuos, Regem ab amicitia Valentini præcipuè auellere, inter alia monentes cogitaret, quantæ ignominiæ eſſet, tantum fauoris Valentino præſtare, & quàm parum Francorum ſtirpis ſplendorem, Chriſtianiſſimique, Regis tam illuſtre cognomen, talem tyrannum prouinciarumque vaſtatorem, humanum ſanguinem immoderatè ſitientem, & vniuerſo orbi horrendæ immanitatis perfidiæque exemplum, à quo velut à publico latrone, tot nobiles, & principes viri contrà datam fidem interfecti fuiſſent, quique nec fratrum, nec conſanguineorum ſanguini parcens, nunc ferro, nunc veneno, in ætatem, vel Turcicæ immanitati miſerabilem fouere deceret. Hæ criminationes in Valentinum prolatæ, tantum abeſt, vt Regem ab Illius amicitia auerterint, quin etiam fide non inuenta, eundem magis in ſententia ſua confirmarint; cùm reſponderet, ſe, Pontificem de ijs vrbibus, & prouincijs, quæ ad Pontificium imperium ſpectarent, quicquid libitum eſſet faceret, impedire nec velle, nec debere.

*Vrſini & alij copias ſuas in tuta loca reducunt.*

Ergo cùm reliqui eius cauſa à Valentini armis impediendis abſtinerent, qui iam incendio proximi erant, ſibi ipſis conſulere ſtatuerunt. Quare Vrſini, Vitellotius, Ioannes Paulus Ballionus, & Oliuerotus Firmanus, quamuis tanquàm Valentini, qui ſe tantummodo Bononienſibus bellum inferre velle docebat, milites recenter ab illo pecunias accepiſſent, vt ad communem defenſionem, ſimul coniungerentur, ſuas ſinguli copias in tuta loca reduxerũt. quam rem, vt accelerarent, S. Lei arcis iactura impulit,





pulit, quæ cuiuſdam eiuſdem regionis incolæ, qui ad quandam muri partem cuſtodiendam poſitus fuerat, opera, in Guidobaldi Vrbini Ducis poteſtatem redijt, hoc ille initio, pene omnibus eius ducatus populis reuocantibus, Venetijs, quo confugerat, Senatus Veneti ſtipendijs adiutus, Mari Senogalliam profectus repentè Vrbinum, Forum Sempronij, & partem non paruam locorum recepit cæſis pleriſque in locis Pontificijs præſidijs. Et quidem Valentinus ad illos duces, qui copias ſuas ſubduxerãt, miſerat, qui eos ad officium reuocaret, promittens eis ab Alexandro, & à ſe maiora beneficia. Cæterum illi omnibus poſthabitis, iam ad apertam defectionem properarunt, Ioannes Baptiſta Cardinalis Vrſinus, qui poſt Regis diſceſſum Romam redire minimè auſus, ad Montem rotũdũ conſtiterat, Paulus Vrſinus Vitellotius. Ioannes Paulus Ballio, Oliuerottus Firmanus, pro Ioanne Bentiuolo Hermes filius, & Senenſium nomine Antonius Venafranus, Pandulfi Petrucij fidiſſimus miniſter, ad Manſionem in Peruſino agro ſitam conuenerunt, vbi apertiſſimis ſuis periculis ponderatis, & opportunitate ex Vrbinatis dominij defectione audita, oblataque, tum quia Valentino ab ipſis deſerto, pauciſſimi milites relinquebantur, fœdus ad communem Vrbinatis defenſionẽ aduerſus Valentinum percuſſerunt, ea conditione; vt omnes ſimul ſeptingentos grauis armaturæ equites, & nouem peditum millia conſcriberent: Bentiuolus, in Immolenſi agro bellum moueret; reliqui maiori conatu Ariminum, & Piſaurum verſus ducerent. Quo in fœdere, cum ne Galliæ Regis animum irritarent, maximam rationem haberent, eique forte Valentinum aliorum armis infeſtari minimè moleſtum fore ſperarent, ſe quotieſcumque Rex poſceret, exercitum in quemuis promptè ducturos expreſſerunt: eandemque ob cauſam Columnios quamuis tantos Pontificis hoſtes, atque ita ab illo vexatos, in hoc fœdus non admiſerunt. Præterea Venetorum ac Florentinorum fauorem poſtularunt; his Piſarum reſtitutionem, quam in Pandulfi Petrucij, propter illius apud Piſanos autoritatem poteſtate eſſe dicebant, deferentes. Sed Veneti Galliæ Regis propenſionem exprobantes dubij hæſerunt: Florentini vero cum eandem ob cauſam, tum quia vtramque partem ſibi aduerſam exiſtimarent, vtriuſque victoriam metuebant. Repentina iſta defectio, Valentinum non modo non obruit, verum etiam animum, & conſilium illi addidit, vt ſumma induſtria, atque prudentia incubuerit opportunis remedijs. Inprimis enim cum penè inermis eſſet, ſine vlla mora à Rege Galliæ auxilium implorauit: deinde nouis copijs comparandis, ipſe, & Alexander operam dedit: neque tamen vterque benigniora conſilia ad hoſtes emolliendos intermiſit. Pontifex namque, Cardinales Vrſini animum, per Iulium eius fratrem diligentiſſime placare nitebatur: & Valentinus varijs blanditijs, & promiſſis modo hunc modo illum mitigare, ſecurumque reddere conabatur; ſi quidem eos ad officium non poſſet reuocare, ſaltim vnum è duobus obtinere certus; aut illos in apparatibus negligentiores efficeret, aut quod hæc ſeparata conſilia inter ipſos ſuſpicionem, atque diſſidium generarent. Ipſe deinde, donec validum exercitum haberet, neque Vrbinates res auxilio iuuit, neque Immola diſcedere ſuſtinuit, ei ac reliquis Aemiliæ, Flaminiæque vrbibus cuſtodiendis. Inter hæc pacis tentamenta, cum Valentinus Vgonio Cardonio, ac Michaeli Valentino, qui in eius regionis finibus, cum centum grauis, ducentis leuis armaturæ equitibus, & quingentis peditibus erant, vt ſe Ariminum reciperent, imperaſſetatque illi Pergulæ, & Forilempronij ab arcium præfectis recipiendi, diripiendique occaſione oblata minimè vti voluiſſent, Calliumque verſus pacato agmine contenderent, Paulus, & Grauinæ Dux, ambo ex Vrſina familia cum ſexcentis Vitellotij peditibus, infeſtis ſignis in eos incurrentes, plurimos occiderunt, alios captiuos fecerunt, reliquos in fugam verterunt. Occubuit Bartolomæus Capranicus, Septuaginta grauis armaturæ equitum dux: captus Cardonius, Michaël Fanum confugit, vnde Valentini iuſſu, Fano tamquàm magis fideli ciuitate, quòd tantas vires non haberet, vt vtramque tueri poſſet, in populi poteſtate relicta, Piſaurum ſe recepit. Vrſinorum intereà copiæ Fanenſem agrum ingreſſæ, agreſtes, & locorum incolas hoſtiliter vexabant, nec à Piſaurienſium rebus abſtinebant. Iiſdem quoque diebus Bononienſium copiæ, quæ ad Caſtellum Sancti Petri caſtra habebant, ad Docciam locum Immolæ propinquum excurſionem fecerunt. & certè ſi fœderati maiori in Valentino, vel potiùs Alexandro perſequendo celeritate vſi fuiſſent, illorum res, in magnum diſcrimen adduxiſſent: ſed dum illi, ſiue ambitione inter ſe certarent: ſiue quòd copijs in ipſorum conuentu decretis, nondum eſſent inſtructi: ſiue fato gentis, cui humana conſilia incaſſum opponuntur, maximè vbi diuina nemeſis ſuam Sedem vindicare decreuit, obtorpefacti, ſe inuicem intuerentur, occaſio, quæ priùs propitiam ſe oſtenderat, elabi cæpit. quoniam Rex Galliæ Ciamontio, vti quadringentos cataphractos Valentino mitteret, omnique ratione, rebus Pontificijs autoritatem adiungere niteretur, imperauit. Quo audito fœderati, ſinguli de proprijs rebus ſoliciti eſſe cœperunt. Quarè Vrſinus Cardinalis, negotia cum Pontifice incæpta pertractabat; & Antonius Venafranus à Pandulfo Petrucio Immolam miſſus, cum Valentino de pace agebat: & Ioannes Bentiuolus eodem tempore, Carolo Ingratio Oratore ſuo ad Pontificem miſſo, de Bononienſibus, Doccianiſque rebus agebat. Paulus Vrſinus, Latini Cardinalis filius, in ea familia clarus, ac præterea Pontifici quadam affinitate Iuliam Farneſiam forte, coniunctus, ambitiosè nimis ſeſe pacis arbitrum obtulerat, magnis, vt vulgò dicebant, Pontificis pollicitationibus allectus. Erat in eadem familia inter principes, & duces factionis, Robertus Vrſinus, dux Aſculanus, iuuenis adhuc: ſed qui magnum in Pontificijs caſtris merebat ſtipendium: quique vnus Vrſinorum, qui aderant, ducum in illud contra Pontificem fœdus minimè conſenſerat. Iordanus quoque Vrſinus Virginij filius, quòd Gallorum partes ſequeretur, nihil per id tempus commune ſibi eſſe voluit, cum cæteris familiæ ducibus. Paulum antè alios, Valentinus, ad reliquos flectendos aptiorem cenſens, Immolam accerſiuit: ad cuius ſecuritatem Pontifex, Borgiam Cardinalem, ad Vrſinorum oppida, quaſi obſidem tranſmiſit. Vſus eſt Valentinus verbis ſuauiſſimus ad Paulum potiùs in ſe, quàm in hunc culpam omnium diſſenſionum tranſferens: ſperare autem ſe hanc contentionem, nonniſi ex vanis ſuſpicionibus ortam, pro inimicitia inter ſe, & Vrſinos perpetuam, & nunquàm diſſoluendam neceſſitudinem parituram. ipſos autem ſe, ad cuius potentiam tuendam Galliæ Rex ità paratus eſſet, opprimere minimè poſſe debere iam animaduertere: ſe quoque viciſſim huiuſce motus experientia edoctum, ex ipſorum conſilijs, armorumque robore felicitatem, exiſtimationemque ſuam proueniſſe ingenuè fateri: atque ideò priſtinæ in illos fidei redintegrandæ cupidiſſimum: quacumque ratione vellent, ipſos ſecuros reddere, illorumque arbitrio, modò cum aliqua ſua, & Pontificis dignitate, Bononienſem controuerſiam componere paratum eſſe. Huic orationi, quæ ad omnes pertinebat, ſummæ in Paulum fidei teſtificationem adiunxit, eumque peculiari ſpe, & promiſſis impleuit, vt fidem omnibus, quæ dicebantur, adhibere

*Ioannes Baptiſta Card. & alij fœdus aduerſus Valentinũ percutiunt.*

*Valentinus varijs modis aduerſus aduerſariorum molitiones vtitur.*

beret. Erat enim in verbis efficax, & natura ingenio promptus. Hæc dùm aguntur, Camerinates, Ioannem Mariam Varanum, ſuperioris principis filium, qui Aquilæ erat reuocarunt: Vitellotius Foriſempronij arcem cepit: Callium, Eugubium, & Fanum, Valentinus amiſit; vt nihil in Vrbinate dominio Pontifici Romano præter Sant-Agatam relictum fuerit. Iſta verò Pontificem, & Valentinum non potuerunt non vehementer irritare; & tamen Paulo in cæpto negotio perſeuerante, quum ſæpiùs, vt Bentiuolorum affinium ſuorum res componeret (eius enim filia Hermeti Ioannis filio nupta erat) Immola Bononiam vltrò, citròque commeaſſet, in hanc ſententiam, ea tamen lege, ſi Vrſino Cardinali, cuius autoritatem reliqui omnes ſequebantur, probaretur cum eo reconciliatio facta. Vt concepta odia, & præteritarum iniuriarum memoria delerentur: fæderatis priſtina ſtipendia confirmarentur: ipſi tanquàm Valentini milites, ad Vrbini dominium & reliqua, quæ rebellauerant, recuperanda proficiſci tenerentur: ſed illorum ſecuritatis gratia non ipſimet omnes vnà, ſed ſinguli ei militarent: neque Vrſinus Cardinalis in Romana aula manere cogeretur: Bononienſes res liberè Valentini Ducis, Cardinalis Vrſini, & Pandolfi Petrucij arbitrio committerentur. His tranſactis, cùm Paulus Vrſinus, indies de Valentini bono animo certior factus, & ad reliquos, vt ad pacem confirmandam illos flecteret profectus, Bentiuolus res ſuas aliorum, arbitrio committi, nec tutum, nec decens, nec æquum ratus, filio ſuo Protonotario, acceptis viciſſim à Valentino hominibus Immolam miſſo, pacem cum Pontifice fecit. Reliqui confœderati, arcanorum Regis Galliæ conſiliorum conſcij & ſuggeſtores, quòd illum animaduerterent, reiecta priore ſententia, non permiſſurum, Pontificios Bononia potiri, omniaque poſſe facillimè infici, at inuerti, vbi diu repugnaſſent, Pauli, & Petrucij ſuaſionibus, præeunte Cardinale Vrſino, facilè aſſenſi ſunt. Pacis hæ fuerunt leges: Inter Valentinum ab vna parte, & Bentiuolos cum Bononienſi populo perpetuum fædus eſt: Bononienſes Valentinum ſuis ſtipendijs cum centum grauis armaturæ equitibus in annos octo conducunto. duodecim aureorum numum millia quotannis ea de cauſa dantoij in annum vnum duntaxat proximum, ei centum cataphractos, & totidem hyppotoxotas commodanto: Galliæ Rex, & Florentini, pro vtraque parte de his omnibus fide iubento. ad maius pacis firmamentum, Conſtantia Lunenſis Epiſcopi Pontificis, nepotis ſoror, Annibalis Bentiuoli filio nubito. Nec tamen intereà Valentinus Gallicarum copiarum, & trium millium Heluetiorum ære ſuo conſcriptorum aduentum vrgere deſinebat, quibus ad Vrbini, & Tamerini dominia recuperanda vteretur. Vrbini Dux, quamuis à populo, qui pro ipſius ſalute vitam impendere ſe velle pollicebatur, vt non diſcederet, rogaretur, tamen magis militaria arma veritus, quàm popularibus verbis confiſus, omnibus eius dominij, munitionibus, præter Sanctilei, & Maioli arces, dirutis, Venetias reuerſus hoſtium furori ceſſit. Quarè Vrbinates, Antonio Sanſouino, qui poſteà fuit Cardinalis, Valentini iuſſu, cum veniæ eis concedendæ facultate eò profecto, ſub eius Imperium pacati redierunt. Idem & Camerinates, principe ſuo, quia Vitellotius, & reliqui copijs ex Fanenſi deductis, vt eò tamquam Valentini milites contenderent ſe comparabant territo, & in regnum Neapolitanum fuga profecto, fecerunt. Inter hæc Iulianus Ruuereus, S. Petri Cardinalis, Duci Vrbinati affinitate coniunctus, Saonæ vbi iratum Pontificem fugiens ſubſtiterat, Regem Galliarum, & fæderatos illos, varijs modis contrà Alexandrum, & Valentinum ſollicitabat, metumque omnibus incutiebat, vt nè pactis fiderent, ſed potiùs illos anteuerterent, priùs quàm ab eis opprimerentur. Ea res Pontificem, pro recuperatione patrimonij omnia conantem, & ex fide cum hoſtibus agentem, paciſcentemque valdè ſollicitum habuit: maximè quandò animaduertit, eos, quos in gratiam receperat, & quibus non tantùm veniam præteritorum verùm etiam ſtipendia noua dederat, quiddam coquere, ac proculdubio perniciem moliri. Ergo præteritarum iniuriarum memoria reuocata, & impendentium periculorum metu, Alibretum Cardinalem, & Troccesium Cubicularium, ſpecie ad Ludouicum Regem legationis quaſi in Galliam, reuera autem, vt triremibus Saonæ propinqui, Iulianum Cardinalem turbarum incentorem, aliqua ratione, vel arte excitum interciperent, ac Romam ducerent, deſtinauit. Non ſucceſſit, id quod decreuerat. Cautus Iulianus, cũ à quodam ſuaderetur, vt ſcapha conſcenſa, Alibretum in triremi conueniret, honoremque Cardinali deferret, expectanti, Saona excedere recuſauit: ſicque artem Alexandri eluſit, ab eo tentamento ferocior factus. Ad defectionis quoque auctores vlciſcendos, cum via aperta minimè poſſet, (nam Liamontius Regis Vicarius, ſuſpitio erat, illorum ſuaſu, vel Regis iuſſu, an verò odio Valentini, Gallos cataphractos, quos Rex auxilio Pontifici miſerat, ſtatim atque Valentinus Immola Cæſenam ad oppugnandam Senogalliam petijt, reuocauerat) conſilia occulta cum Valentino communicauit. Ad quæ exequenda, Valentinus Cæſenæ ſubſiſtens copijs ſuis, quarum numerus famam ſuperabat (etenim de induſtria, quò minùs formidabilis eſſet ijs, quos maximè ſecuros reddere cupiebat, paucas legiones, ſed multos equites nobileſque conſcripſerat, quotidièque conſcribebat) inſtruendis operam dabat. eodemque tempore Oliuerottus Firmanus, eius mandato caſtris Senogalliæ admotis, oppido, & arce potitus eſt, quo ex loco Ioanna Pheltria, Vrbini Ducis ſoror, & Ioannis Ruuerei præfecti vrbis vxor, virili habitu egreſſa aufugit: quamuis pupillus filius, in Galliæ Regis fide eſſet, ſed Rex ſe illi ideò opem non ferre excuſabat, quòd fæderi ad Manſionem facto adhæſiſſet. Senogallia capta, Valentinus Fanum petijt, vbi aliquot dies, vt omnes copias ſuas colligeret, moratus, Vitellotio, atque Vrſinis, ſe poſtero die Senogalliam ingredi velle indicauit: quocircà milites ſuos, qui in ciuitate caſtra habebant, educerent: quòd illi ſtatim peditibus in ſuburbijs, & equitibus per agrum diſtributis, fecerunt. Conſtituto die Valentinus, Senogalliam venit, cui Paulus Vrſinus, Franciſcus ex eadem gente, Grauinæ Dux, Vitellotius, & Oliuerottus Firmanus, obuiam, necquicquam Fabio Vrſino, Pauli filio reuocante, impenſiùſque precibus, nè ſe, & ſuos perditum irent, obſtante, obuiam progreſſi ſunt, ab eoque humaniſſimè accepti, ad portam vſque ciuitatis illum ſunt comitati, antequàm omnes Valentini copiæ inſtructa acie conſtiterant. quo in loco, cùm illi, quòd maiores eum, quàm opinati eſſent copias habere animaduerterent, iam ſuſpicari aliquid inciperent, atque ſe in caſtra ſua, quæ extra ciuitatem erant recipere vellent, vt ingrederentur, ſe enim, quòd cum ipſis loqueretur habere petijt: quod cùm denegare non poſſent, quamuis animo iam ferè futurum malum præſagiente, cum in eius hoſpitium ſunt ſecuti: cumque eo cubiculum ingreſſi, pòſt pauca verba, eo veſtium mutandarum prætextu, mox ab illis diſcedente, à certis hominibus idem cubiculum ingreſſis, omnes quatuor capti, eodemque tempore milites illorum caſtris exuti, prædæ Valentinianis fuerunt: dieque inſequenti, qui fuit vltimus Decembris huius anni 1502. cæteris in vinculis retentis, Vitello-

*Idem cum Pontifice & Valentino pactis conditionibus pacē ineūt.*





tellotium, & Oliuerottum in quodam cubiculo ſtrangulari iuſſit: quorum alter familiæ ſuæ fatum vitare non potuit, vt videlicet violenta morte periret, quemadmodum omnes reliqui eius fratres, quum in re militari iam magnum, & vſum, & nomen ſibi comparaſſent, alius poſt alium ætatis ordine, Ioannes tormenti globo in caſtris Innocentij Pontificis Oſimum miſſis; Camillus, dum Gallis militaret, lapide circà Circellas ictus, & Paulus Florentiæ ſecuri percuſſus, interierant. Sed Oliuerottum nemo ſuis ſceleribus dignum exitum inueniſſe negare potuit: cùm nihil iuſtius, quàm eum, qui paulò antè Firmi, vt in ea ciuitate potens eſſet, Ioannem Frangianum, patruum ſuum, cum multis alijs ſummis in ea Vrbe ciuibus, in domum ſuam per ſpeciem conuiuij perductos, crudeliſſimè trucidarat, Pontificique vrbem eadem fraude eripuerat, fraude quoque perire omnes iudicarent. Fabius Pauli filius, cum paucis equitibus per deuia, & compendia viarum ægrè manus Borgianorum euaſit. Eodem die, quo illa in Piceno geſta ſunt, Romæ ex compoſito plerique Vrſinæ factionis viri Illuſtres & in his Ioannes Baptiſta Cardinalis Vrſinus, Rinaldus Vrſinus Florentiæ Archiepiſcopus, Carolus Protonotarius Vrſinus, Abbas Aluianus Bartholomæi fratres, & Iacobus Sancta Crucius patricius Romanus, capti, & in Angelicam arcem perducti ſunt. Miſſi præterea, qui Iulium Vrſinum Baptiſtæ fratrem, qui tum fortè Palumbariam in Tyburti oppugnabat, ex improuiſo caperent. Dederat id oppidum Alexander Vrſinis habendum, non multò priùs Sabellis ademptum, vt eiuſmodi poſſeſſione factionis præponentis fauorem conciliaret. Mox Vrſinis iratus, quod ſeceſſionem in Flaminia feciſſent, autor fuit, Sabellis extorribus, vt multi perſuaſum habuerunt, locum inuadendi, de quo recipiendo acre tenebat certamen: quum Iulius præcipiti nuncio certior factus de ijs, quæ Romæ, foriſque facta eſſent, vbi in nulla re præterquàm in fuga ſpem ſalutis repoſitam vidit, Cære locum munitiſsimum occupauit. Vrſinorum ædes eodem die Pontificis iuſſu cum omni pecunia publicatæ ſunt. Baptiſtæ Cardinalis, & Iulij mater iam octogenaria domo eiecta, per vrbanas porticus, amenti ſimilis iacuit, attonita ad id ſpectaculum ciuitate, nemine hoſpitium exhibente Pontificis metu, inſigni documento, nihil eſſe in humanis, quod manſurum, & ſtabile ſibi polliceri homo poſſit. *Guicciardinus libro quinto, Sabellicus Enneadis XI. Libro primo, Iouius in Leone X. libro primo. Vizani libro octauo. Nicolaus Macchiauellus in Principe. Nardus hiſt. Florentinæ libro 4. Brucardus, & Sebaſtianus Branca in notis diarijs Romanis.*

IX. *Edictū Alexan. PP. in eos qui ad Romana ſubſellia prouocantes opprimunt.*

Inter hos rerum turbines, non defuerunt, qui ad Romana ſubſellia prouocantes impedirent, atque opprimerent. Contrà hos Alexander Pontifex, Zelo Apoſtolico armatus edictum, quod adſcribo ſtrinxit.

*Alexander Epiſcopus Seruus ſeruorum Dei. Ad futuram rei memoriam.*

*In eminenti Sedis Apoſtolicæ ſpecula, diuina diſponente clementia, licèt immeriti, conſtituti, inter multiplices ſollicitudinis noſtræ curas, quibus aſſiduè premimur, illã pro noſtro Paſtorali officio inprimis ſuſcipere debemus, per quam noſtræ prouiſionis opere, ad Romanam Curiam (ad quam veluti fidelium Matrem, & Magiſtram, ac iuſtitiæ fontem pro illa conſequẽda, cõtinuè de diuerſis mundi partibus confluit multitudo) pro eorum cauſis tractandis confugientes, illaſq; in eadem proſequentes, ſublatis quibuſuis impedimentis iura ſua proſequi, & in proſequẽdo, in eadem Curia liberè, tutè, & quietè valeant perſonaliter permanere, prout perſonarũ, & temporum conditione inſpecta, id in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.*

1. *Sane tam dilectorum filiorum cauſarum Palatij Apoſtolici Auditorum eorumque Locatenentium: & aliorum fide dignorum relatione, quam multorum cauſas ſuas in dicta Curia proſequentium, grauiſſimis quærelis, non ſine magna mentis noſtræ perturbatione, ſæpenumero accepimus, quod licet nos, felicis recordationis Innocentio Papa VIII. prædeceſſore noſtro, ſicut Domino placuit ſublato de medio, ad Summi Apoſtolatus apicem, diuina fauente clementia aſſumpti, tam eiuſdem Innocentij quàm aliorum Romanorum Pontificũ etiã prædeceſſorum noſtrorum veſtigijs inhærentes, ſingulis annis in die Cœnæ Domini per litteras noſtras, inter cætera, omnes illos qui per ſe, vel alium, ſeu alios quaſcunq; perſonas Eccleſiaſticas vel ſeculares, ad eandem Curiam, ſuper cauſis, & negotiis ſuis recurrentes, illaq; in eadem proſequentes, aut procurantes, negotiorum geſtores, Aduocatos, vel procuratores ipſorum, aut etiam Auditores, ſeu Iudices, ſuper dictis cauſis, ſeu negotiis deputatos, occaſione cauſarum, vel negotiorum huiuſmodi verberarent, mutilarent vel occiderent, aut bonis ſpoliarent: & qui per ſe, vel alium, ſeu alios, directè vel indirectè prædicta exequi, vel procurare, aut eiſdem conſilium vel fauorem præſtare non verebantur, cuiuſcumque præeminentiæ, dignitatis, Ordinis, conditionis, ac ſtatus forēt, etiamſi Pontificali, Regali, Reginali, vel quauis alia præfulgerent dignitate, publicè excommunicare, & anathematizare conſueuerimus, prout alij prædeceſſores præfati, etiam per eorum litteras ſingulis annis, dicta die facere conſueuerant: à quibus quidem ſententiis, nullus per alium, quàm Romanum Pontificem, niſi duntaxat in articulo mortis conſtitutus, nec etiã tũc, niſi ſub certis modo, & forma expreſſis abſolui poteſt.*

2. *Tamen dierum creſcente malitia, quamplures iniquitatis filij, perditionis alumni, excommunicationis, & anathematis huiuſmodi ſententias paruipendentes, horrenda inhumanitate, deteſtandaque ſæuitia mortem ſitientes aliorum: videntes forſan ſe in cauſis per eos, vel contra ipſos in dicta Curia pro tempore motis, iuſtitiam non fouere, ſuorum ſalutis ſtatus, & honoris immemores, humani generis hoſte procurante, Deique timore poſtpoſito eorum in dictis cauſis aduerſarios, aut illas pro eis in eadem Curia proſequentes, aut procurantes, Aduocatos, vel Procuratores eorum, teſteſque & cauſarum prædictarum Notarios multotiens diuerſis excogitatis minis afficere, inuadere, verberare, mutilare, occidere, ſeu per alios etiam aſſaſſinos talia procurare, & exequi (proh dolor) auſu temerario non erubeſcunt; adeò vt plerumq; ius ſuum in ipſa Curia proſequentes, metu & quadam deſperatione ducti, cauſas ſuas deſerere, aut non ſine magno ipſorum præiudicio, & detrimento, ad concordiam, ſeu alias tranſactiones inhoneſtas, pactioneſque illicitas, contra conſuetam dictæ Curiæ libertatem deuenire, & ab ipſa Curia diſcedere cogantur, in diuinæ maieſtatis offenſam, iuriſdictionis & autoritatis Apoſtolicæ læſionem, animarum periculum, pernicioſum quoque exemplum, & ſcandalum plurimorum.*

3. *Nos igitur, qui eandem Romanam Curiam, veluti ſupremum iuſtitiæ Tribunal, & ſaluberrimum oppreſſorum omnium refugium, liberam, immunem, & ſecuram omnibus conſeruare debemus, conſiderantes attentius, quod plures pœnarum grauitas, quàm Dei timor arcere ſolet à voluntate peccandi, & propterea tanto periculo volentes occurrere animarum, ac tam nefarios præſumptores, & facinoroſos homines Eccleſiaſticæ animaduerſionis mucrone ferire, vt metus pœnæ, meta huiuſmodi præſumptionis exiſtat, huius perpetuæ irrefragabilis Conſtitutionis edicto, de Venerabilium Fratrum noſtrorum, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, prædictas excommunicationis, & anathematis, omneſque & ſingulas alias ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, in talia præſumentes, per Canonicas ſanctiones, ac alias Apoſtolicas Conſtitutiones, quomodolibet latas, & promulgatas authoritate Apoſtolica approbantes, & innouantes, ad omnes, & ſingulos prædictos, qui forſan ſub illis comprehenſi non eſſent, extendentes, & ampliantes ſtatuimus, & ordinamus.*

4. *Quòd deinceps perpetuis futuris temporibus, omnes & ſingulæ Eccleſiaſticæ ſeculareſue perſonæ, cuiuſcumque qualitatis, dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, & præeminentiæ fuerint quæ earum in cauſis tam beneficialibus, quàm profanis, ac criminalibus ſiue mixtis, in dicta Curia nunc, & pro tẽpore pendentibus, (etiam ſuper his, quibus litteræ executoriales iam decretæ*

ſtum debitum conſecutæ non fuiſſent effectum) aduerſarios, vel illas pro eis proſequentes, & procurantes, ſiue Aduocatos, aut Procuratores ipſorum, aut Auditores, & alios iudices quoſcũq; teſtes, & Notarios præfatos, minis afficere, inuadere, verberare, mutilare, & occidere, ſeu per alios talia procurare, & exequi quomodolibet præſumpſerint, (quamquam mutilatio, vel mors ex hoc forſan non ſequatur) aut tales ſcienter receptauerint, defenderint, ſeu occultauerint, eiſq; conſilium, auxilium, vel fauorem publicè, vel occultè, directè, vel indirectè præſtiterint, ſiue qui præmiſſa etiam pro alijs quomodolibet commiſerint, vltra ſententias, cenſuras, & pœnas prædictas, (quas etiam ipſi pari modo incurriſſe noſcantur) ſi ex collitigantibus, cauſam ipſam, & omne ius, tàm in petitorio: quàm poſſeſſorio, ac in re, vel ad rem, cauſa, vel occaſione huiuſmodi, quomodolibet competens, eo ipſo perdant penitus, & amittant. Si vero alij fuerint, ab ipſa Curia, & omnibus eiuſdem Romanæ Eccleſiæ terris, perpetui exilij, omni ſpe reſtitutionis adempta; & ſi mutilatio membri, vel mors (quod Deus auertat) ſubſequatur, vltra cauſæ, & iuris amiſſionem, ac exilij pœnam huiuſmodi, tàm ipſi, quàm pro eis præmiſſa exequentes, & omnes alij ſupradicti, depoſitionis à dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio, ac læſæ Maieſtatis criminis ſententias incurrant ipſo facto, eorumq; officia, etiam eiuſdem Romanæ Curiæ, ac beneficia, quæcumq; ex tunc ipſo iure vacare decernimus: & quæ, vt præmittitur, vacatura, noſtræ, & Sedis prædictæ collationi, & diſpoſitioni, de ſimili Fratrum eorundem conſilio decernimus, liberè alijs per nos, & Sedem prædictam duntaxat conferenda. Inhibentes, nè quis præter Romanum Pontificem, quacumque ſit ſuper hoc autoritate munitus, de illis diſponere, vel circa illa per viam permutationis, vel alias innouare quoquo modo præſumat. Decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquã quauis autoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, Sintq; etiam in ſuis bonis omnibus à cunctis perpetuò diffidati nihilominus & banniti, ac infames, & inhabiles habeantur. Et poſtquam probabilibus conſtiterit argumentis, aliquem ſcelus tam execrabile cõmiſiſſe, nullatenus alia excommunicationis, & anathematis, amiſsionis, depoſitionis, ſeu diffidationis, & banni huiuſmodi aduerſus eum ſententia requiratur. Et vt ipſi nefarij præſumptores, ac facinoroſi homines, à tam execrabili ſcelere facilius, & ferventius reprimantur, omnibus, & ſingulis Eccleſiaſticis ſecularibuſq; perſonis, etiam cuiuſcumq; conditionis, ſtatus, gradus, Ordinis, & conditionis exiſtant, in virtute Sanctæ obedientiæ, & ſub ſimili excommunicationis, & anathematis latæ ſententiæ pœna, à qua non niſi, vt præfertur, abſolui poſsint, diſtrictius iniungimus, vt omnes, quos præmiſſa commiſiſſe, procuraſſe, aut mediatores fuiſſe ſciuerint, Romano Pontifici pro tempore exiſtenti, vel alteri, per quem ad eius notitiam facilè poſsit peruenire, per ſe, vel alios quãtocitius reuelare nõ omittãt: pro reuelatione huiuſmodi gratiã, & ſi complices fuerint, veniã cõſecuturi.

5. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ præfati prædeceſſores in ſuis, & nos in noſtris litteris prædictis, voluimus non obſtare, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

6. Vt autẽ præſentes ad communem omniũ notitiã deducantur volumus, & mandamus illas in Cancellaria Apoſtolica, & Audientia litterarum Contradictarũ (quas extunc quoſcumque ligare decernimus) & deinde ſingulis annis prima die, qua per præfatos Auditores, & Locatenentes Audientia tenetur, in loco dictæ Audientiæ publicari, & in dicta Cancellaria inter alias Extrauagantes, ac etiã inter dictorũ Auditorum Conſtitutiones deſcribi: vt hi, quos contigerit, quod ad ipſorum notitiam nõ peruenerint, aut illas ignorauerint, nullã poſsint excuſationẽ prætendere, vel ignorantiam allegare: cum non ſit veriſimile, apud ipſos remanere incognitum, quod tã patenter fuerit publicatum.

7. Nulli ergo, &c. noſtræ approbationis, innouationis, extenſionis, ampliationis, ſtatuti, ordinationis, conſtitutionis, reſeruationis, inhibitionis, iniunctionis, voluntatis, mandati, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1502. Idibus Aprilis, Pontificatus noſtri anno 10. ext. in Bullario.

X. Controuerſia inter Ordinem Prædicat. & Minorũ de Concept. B. V.

Hoc anno Oliuerius, & Georgius S.R.E. Cardinales, ille Prædicatorũ, iſte Minorũ Ordinis Protectores, Alexãdro Sũmo Pontifice iubẽte, prouiſionale, vt vocãt Oraculũ ediderũt, inter Fratres eorundẽ Ordinũ in Germania, de Cõceptione SS. Virginis differentes, vel potius diſſidentes. Occaſionẽ dederat ante 8. annos, Ioannes Trithemius Abbas, qui ſcripto libro de laudibus S. Annæ Matris Deiparæ, in ſeptimo capitulo aſſeuerabat, Beatam Virginem ab originali macula non ſanctificatam, ſed præſeruatam fuiſſe. Huic ſeſe oppoſuerat ex Dominicanis Vuigandus Cauponis, Concionator Francofordienſis. Orto inter eos litterario bello, cũ plures Trithemius in Wigandum, ad ſcribendum, & impugnandum exciuiſſet: quamquam operante Vdalrico Kreituuicio, Rectore Vniuerſitatis Colonienſis, & Thoma Scoto profeſſore in eadem Theologiæ pacem cum Wigãdo iniuiſſet, Dominicanos tamen plerique Carmelitæ, & Minoritæ diuexantes, occaſionem dederunt, vt illi ad Alexandrum Pontificem prouocarint. Interea triennio poſt, anno ſcilicet 1497. cum Ioannes Verius Gallus, Doctor Theologus, ex ijſdem Dominicanis, in oppido Deppe Rothomagenſis diœceſis, pro concione ad populum, plurima de Sanctificatione B.M.V. in feſto Conceptionis eiuſdem diſſeruiſſet, ad Vniuerſitatem Pariſienſem citatus, die 15. Septembris, non minùs quàm Wigandus Coloniæ palinodiam recantauit. Poſtridiè, hoc eſt 17. menſis Septembris, apud S. Maturinum in vrbe Pariſienſi, LXXXII. S. Theologiæ Profeſſores, omnes in eadem vniuerſitate viri doctiſſimi de rigore promoti in præſentia totius vniuerſitatis vno ore, vnaque ſententia ſtatuerunt, & determinarunt; Quod nemo deinceps præfatæ Vniuerſitati adſcribatur, niſi ſe huius determinationis, quod videlicet Beatiſſima Dei genitrix, & virgo Maria ſemper ab originali macula fuerit immunis, & præſeruata, aſſertorem, ſtrenuumque propugnatorem pro viribus futurũ confirmet iuramẽto. Anno poſt 1499. Facultas etiam Theologica vniuerſitatis Colonienſis, ſtatuit & decreuit conſtitutione firmiſſima tenẽdum, ſentiendum, credendum, docẽdum, prædicandum, & conſtantiſſimè defendendũ ab omnibus ſuppoſitis ſuis; Quod Beata Dei genitrix Virgo Maria, ab omni labe originalis peccati, ex ſingulari prærogatiua diuinæ potentiæ, ſemper fuerit præſeruata, exẽpta, & priuilegiata & qui cõtrariũ fecerit, ab ipſa Vniuerſitate reſecatus, honoribus, & emolumẽtis Theologicæ facultatis omnino, & omni tẽpore ſit priuatus; & quod nullus in ea facultate ꝓmoueatur, niſi iurauerit, ſe hoc ſtatutum ſemper obſeruaturum. Anno deinde ſuperiore 1501. facultas Theologica Vniuerſitatis Moguntinæ, exẽplo Pariſienſium, Colonienſiumq; prouocata, idẽ ſtatutum fecit 13. die menſis Octobris, determinans B.M.V. ab omni macula originali ſemper præſeruatã, exemptã, & immunẽ, contrariãq; aſſertionẽ impiã, erroneãq; iudicauit. & nihilominus decreuit, neminẽ in Theologia promouẽdũ deinceps, niſi iuret, quod nunquã velit fauere opinioni cõtrariæ in aliquo. Trithemius in Chron. Sponheimen. Eo vniuerſitatũ in hac materia conſenſu Minoritæ Dominicanos diuexabant: Dominicani viciſſim contra depugnabant. Ab hac concertatione ſcandala in populis orta; diſcordiæ verò non minores inter vtriuſque Ordinis Regulares. Controuerſia ad Romanum Pontificem delata, Cardinales quos nominauimus, hoc decretum ediderunt.

Oliuerius, Miſeratione diuina Epiſcopus Sabinẽſis, Neapolitanus vulgariter nũcupatus, Sacri Ordinis Prædicatorum Protector, & Georgius eadem miſeratione, Epiſcopus Albanenſis, vocatus Vlixbonenſis, Ordiniſque Minorum Vice protector, S.R.E. Cardinales, Commiſſarij ſpecialiter electi, & deputati ad infraſcripta, Oraculo viuæ vocis à Sanctiſſimo in Chriſto Patre, & Domino noſtro, D. Alexandro diuina prouidentia Papa Sexto Vniuerſis, & ſingulis Prioribus Prouincialibus, & Conuentualibus eiuſdem Prædicatorum Ordinis; Miniſtris Prouincialibus Cuſtodibus, Guardianis eiuſdem Ordinis Minorum, Vicarijs, quibuſcumque Præſidentibus, Magiſtris, Prædicatoribus, ac Fratribus eorundem Ordinum in partibus





Alemaniæ, Salutem in Domino ſempiternam, & noſtris huiuſmodi, imò verius Apoſtolicis firmiter obedire mandatis.

Pro humani redemptione generis, de ſummis cælorum ſedibus ad hunc mundum deſcendens Dei filius Ieſus Chriſtus, pacẽ Apoſtolis prædicauit, & illam populis prædicandam eiuſdẽ Apoſtolis delegauit, diſponens ſua miſeratione ſibi ſubditos fore pacificos, & modeſtos. Propter quod S.R.E. ſtatum, & regularem viuendi modum veſtrarum Religionum approbans, eas in adiutorium prædicationis huiuſmodi aſſumpſit. Verum quia inimicus homo ſuperſeminauit zizaniam, & in mordaces, & ſcandaloſas dicacitates, Euangelium pacis conuertiſtis, dum de intemerata, ſanctiſſimæque Dei Genitricis Conceptione ſermones habetis, nec prouiſio facta per fel. recordationis Sixtum Papã Quartum ſuper hoc multos veſtrum à malè captis ſermonibus retraxerit: Volentes præfati Sanctiſſimi Domini Noſtri Alexandri iuſſa complere, diſcordias ſedare, ſcandala tollere, prædicationiſq; officium ab iniurijs, contumelijs, detractionibus, & oblocutionibus liberum reddere, Authoritate Apoſtolica, Oraculo Viuæ vocis Conſiſtorialiter Nobis in hac parte ſpecialiter commiſſa, anno Domini 1502. die 16. Februarij, tenore præſentium, ſtatuimus, & mandamus, vt inhibitio facta à prædicto felicis recordationis Papa Sixto, videlicet, quod neutra pars damnetur, ſcilicet eorum, qui Beatam Virginem in peccato Originali conceptam aſſerunt, & eorum, qui à peccato Originali ex ſpeciali gratia præſeruatam affirmant; & quod nullus audeat aſſerere, reos eſſe hæreſis, aut mortalis criminis, qui alteram prædictarum opinionum ſecuti, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna integrè, & inuiolabiliter obſeruetur; Adijcientes, & præcipientes vobis omnibus & ſingulis, ſub eiuſdem cenſuris, & pœnis, & ſub interminatione damnationis æternæ, necnon ſub pœna priuationis officij prædicandi, quatenus de cætero nullus veſtrum, directè vel indirectè prædicet, aut prædicari faciat, vel quomodolibet aliter ſermonem ad populum habeat, de conceptione B. MARIAE Virginis; Volentes ſilentium totaliter coràm laicis de hac materia obſeruari, quòd vobis omnibus, & ſingulis præſentiũ tenore indicimus, & ſub eiſdem cenſuris indictum vobis, & denunciatum declaramus. Et quoniam Prælati veſtrarum Religionũ hactenus experientia teſte, negligentes fuerunt, in corrigendo exceſſus huiuſmodi, eadem Authoritate Apoſtolica committimus, & diſtrictè præcipiendo mandamus per præſentes Ordinarijs locorum, vt eos, qui contrà prædicta, vel prædictorum aliquid inobedientes his noſtris, imò verius Apoſtolicis mandatis fuerint, puniant, excõmunicatos declarent, & contrà eos procedant, tanquam contrà Apoſtatas ipſarum Religionum procedendũ eſſet. Nõ obſtantibus priuilegijs, & exemptionibus dictorũ Ordinum, quibus hac vice, in hoc caſu dũtaxat derogatũ eſſe denunciamus. In quorũ omniũ, & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum, præſentes litteras fieri fecimus, ſigillorum noſtrorũ appẽſione munitas. Datum Romæ in domibus reſidentiarũ noſtrarũ. Anno Incarnationis Dominicæ 1502. die vero vltima menſis Martij, Pontificatus præfati Sãctiſsimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri D. Alexandri, diuina prouidentia Papæ Sexti, anno X. Ioannes Baptiſta de mandato &c. Laurentius Bociatius de mandato, &c. extat autographum Romę apud Mineruam in archiuo Ord. Præd. ex quo apparet, quã verũ ſit, quod Trithemius ſcripſit, nihil ab Alexãdro Põtifice editum fuiſſe in controuerſia tam famoſa.

Raymund. Card. Moguntiæ Iubilæum publicat.

Veroſimile eſt, Alexandrum, de huiuſmodi ſcandaloſis concionibus certiorem factum, magis fuiſſe à Raymũdo Cardinale S. Mariæ Nouę, Apoſtolicę Sedis pro bello ſacro contrà Turcas per vniuersã Germaniam Legato. Venit hic Sabbato antè Palmarum huius anni 1502. Moguntiam, & gratiam iubilæi publicauit; ſed propter inopiam hominum, lentum, ac tardum habuit concurſum. Creuit tamen cum tempore deuotio, & magna pecuniarum ſumma in diuerſis locis ad ciſtulas iubilæi fuit oblata; quę quidem necdum in vſum promiſſum erat conuerſa, ſed in ſingulis locis à Principibus eorum clauſa ſeruata. Trithem. in Chron. Sponheimen.

XI. Luſitaniæ Rex in fide propagandæ Zeloſus.

Feruentius res fidei contrà infideles, in Indijs Orientalibus promouebat Emanuel Rex Luſitaniæ, quàm Germani contrà Turcos. Namq; Emanuelis animus erat acer, & maximarum rerum cupidus, &, quod caput eſt, ad ſpem, quã in diuino numine collocauerat, excitatus, nihil magis ad officium ſuum pertinere arbitrabatur, quàm vt regionem infideliũ armis expugnaret; & Oriẽtis ſolis plagas Chriſti nomine compleret. Ergo cognitis rebus in India geſtis, claſſem parauit nauium viginti, rebus omnibus inſtructiſſimam, quæ vel amicis præſidio, vel hoſtibus terrori eſſe poſſet. Ex his decẽ Vaſco Gammæ, quinque Vincentio Soderneo, reliquas Stephano Gammæ Vaſci patrueli attribuit, munere ſingulis aſſignato, vt mare Indicum tenerent, acerrimumque bellũ Saracenis, qui in Indiam nauigabant; inferrent. Soluit Olyſſipone Stephanus ipſis Calẽdis Aprilis. quẽ alij 4. Idus Februarij è portu Bethleemitico ſoluentes, præceſſerant. Vaſcus Gamma, cum ſummo totius Arabici, Perſici, & Indici maris imperio præfectus, cum maturè nauigaſſet, ex itinere Abrazemum Quiloæ tyrannum, tanto apparatu perterritum, Emanueli ſtipendiarium fecit, impoſito annuo tributo, quod duum millium miticalum, vt ipſi appellant, vel aureorum ſummam haud excederet. Inde cũ in Malabares traieciſſet, ingentem Saracenorum nauem, & militibus, & omni telorum genere paratiſſimam, Calecuto redeuntem expugnauit. In ea Mahometani permulti interempti, Mecam ad pſeudoProphetæ ſepulchrum ſuperſtitionis cauſa peregrinantes; at pueri ex eadem ſecta complures, Chriſtianis præceptis imbuti, baptizatique ſunt: quos Gamma poſteà Oliſſipone templi Bethleemitici miniſterio dedicauit. Ab ea victoria Cananorem adijt, Regique, & Oratorem ſuum, & ab Emanuele perampla dona cum litteris reddidit, ac renouato fœdere Cocinum contendit. Ibi dum ſui Regis negotia conficit, repentè Legati affuere à Chriſti cultoribus ijs, qui non lõge à Cocino, Cranganorem habitabant vrbem, è vetuſtiſſima illorũ ſtirpe, quos Beatus quõdam Apoſtolus Thomas ad ſanam fidem, ac religionem, à Brachmanarum fabulis, & impura ſuperſtitione, traduxit. Is Indiam prouinciam in orbis terrarum diſtributione ſortitus, Socororam inſulam Arabici maris fertur adijſſe primùm: dein multis ibi factis Chriſtianis traieciſſe Cranganorem. In ea ciuitate cũ multos item Chriſto filios peperiſſet, Colanum petijt: neque ibi fruſtrà diſſeminato Euangelio, trans iuga montium, ad oram Orientalem ingenti labore contendit: multiſq; in locis, ac præſertim in Coromandelis regno, Chriſtiana re benè geſta, perrexit in Sinas, quorũ ea tempeſtate celeberrimum erat nomen, ac diuini verbi ſementem in eo quoque nouali facere inſtituit: atque haud pœnitẽda collecta fruge, templiſque ad Chriſti cultum ædificatis in Coromandelem ad reuiſendos, & cõfirmandos in fide neophytos rediit. Coromãdelis caput, ac Regia tum erat vrbs Meliapor; quam vetuſtate, belliſque dirutã nuper Luſitani, deducta eo militum emeritorum colonia, frequentarunt, ac mutata appellatione, honoris Apoſtoli cauſa ab S. Thoma denominarunt. In ea vrbe Sacram ædẽ exſtruere aggreſſus Apoſtolus, cum à dæmonũ ſacrificulis, & à Sagamo Rege prohiberetur, res interim inſignis accidiſſe perhibetur ad Chriſti virtutẽ, & fidem Euangelij comprobandam. Inuſitatæ magnitudinis truncũ, vt fit, in litus eiecerat mare, qꝫ eo tempore leucas ferè decem ab vrbe diſtabat. Eã Rex materiã cũ in vſum ædificij cuiuſdam vehementer expeteret, robuſti primum homines in caſſum funibus ergatiſq; amouere conati, deinde adhibiti complures elephanti, cũ toto connixi impetu nihil omnino proficerent Apoſtolus Regi conditionem tuliſſe fertur, ſi truncum illum ſibi ad templum vero Deo ædificandum daret, nullis machinis, nullo mortaliũ adiutore, ſeſe protinus ad vrbem attracturũ. Cũ Rex, inſanire vi-

delicet hominem ratus per ludibrium annuiſſet: tum Diuus Thomas zona qua erat præcinctus, ad prominentem è caudice ramuſculum annexa, ſigno tantum facto Crucis, immanem ſtipitem facili ductu ſequentem, vniuerſa ad ſpectaculum effuſa ciuitate in ipſo pomærio ſtatuit, ibidemque defixa lapidea Cruce vaticinatus eſt, cũ ad eum lapidẽ pertingeret pelagus, tum diuino iuſſu è remotiſſimis terris candidos homines ad eadem, quæ ipſe intuliſſet, ſacra inſtauranda venturos. Neque fefellit prædictio. Siquidem ſub Luſitanorum appulſum, occultis tot annorum acceſſibus locus Oceano demum allui cæptus. Verum ab eo ſigno, cæteriſque virtutibus, cum Thomæ verbis maior indies accreſceret fides, Brachmanas autem, fuco, & fallacijs parta iam auctoritas, iam ſagina deficeret; accenſus rabie quidam ex eis, ferum, ac fædum facinus mali dæmonis inſtinctu conciuit. Filio admodum puero ipſemet necem intulit, vt haberet, vnde peregrino, & inuiſo capiti crimen exitiumque conflaret. Citatus ad Regem Thomas, cum accuſator ab eo per ſummam indignationem, & quærimoniam pænas extincti filijs repeteret; contra Thomæ diſcipuli affinem, aut omnino conſcium eius culpæ Magiſtrum negarent; nihil opus eſſe coniecturis, & certaminibus ait Apoſtolus; ab ipſomet, qui occiſus dicatur, omnium optime rem poſſe cognoſci. Petit, vt eius publicè interrogandi poteſtas fiat. nihil recuſatum ab aduerſario, & cunctis tam inauditæ rei expectatione ſuſpenſis, cadauer in medium affertur. Tum ad exanimem puerum Thomas placido, & ſereno vultu conuerſus: Agedum, *inquit*, per Chriſtum, quem ego Deum prædico, palam, & ſine ambagibus puer prome, quiſnam huiuſce tanti ſceleris author extiterit. Mirum dictu, ad Chriſti nomen, frigido, & exangui corpuſculo vitales confeſtim rediere ſpiritus; & clara voce, vt omnes exaudirent; Thomam, certum Summi Dei Legatum, & ipſius odio, ad ſtruendam illi calumniam, nefarias à patre ſibi manus allatas eſſe confirmat. Hac tam illuſtri, tamque admiranda teſtificatione fractus calumniator obmutuit. Sagamus propenſo iam ante ad credendum animo, Chriſtianam deinde fidem, ac religionem ſine vlla dubitatione complexus eſt. Regem ex amicis, & popularibus imitati complures. Brachmanis, quamquam detecta diuinitus fraude, & pulſo in exilium parricida, pertinax tamen, & cæca manſit improbitas. Cum lætos Chriſtianæ rei progreſſus, & neglecta Deorum ſimulachra ferre non poſſent; facta conſpiratione, præconem Euangelij è medio tollere omnino conſtituunt. Tumulus erat non procul ab vrbe, quo Thomas identidem, è Chriſti diſciplina, ſecedere, propitiandi æterni Regis, & ſui recolligendi gratia conſueuerat. In eum locum, tempore captato, Brachmanæ armati cum ſui ſimilibus impetum dant. Ibi dum Apoſtolus ad Crucem, alienato à ſenſibus animo, Deum pro ſalute hominum, & eius præſertim populi deprecatur, telis primum, ac lapidibus impetitus, deinde ab vno è Brachmanis lancea transfoſſus occubuit. Venerandum corpus inde ſublatum à diſcipulis, & in templo nuper ædificato conditum eſt. Acceſſit martyrij nomine, & memoriæ cauſa, fragmentum haſtæ, quæ inhæſerat coſtis; & baculus præferratus, quo ille ad peregrinationes vtebatur; & vrna fictilis ceſpite inferto, nempe qui manantem è ſacris vulneribus cruorem ebiberat exinde locus multis miraculis claruit ac magnus eodẽ ex omni parte cõcurſus, voti & regionis ergo fieri cæptus. Hæc fermè indiſciſcitantibus Luſitanis, nõ ex fama ſolum, ſed etiam ex veterum annalibus edidere; quin egregias Thomæ laudes, ac mortem pro Chriſti nomine fortiter obitam, pueris Malabatibus patrio carmine decãtare mos erat. Sunt qui cũ tribus Magis, qui ad Chriſti liberatoris incunabula cũ muneribus adoranda, Sybillæ Indicæ (vt ferunt) monitu, ſtella duce tetenderant (quo innumero Birimal Ceilani Rex ponitur) Thomam in Oriente congreſſum; deq; immani trunco miraculum non Meliapore, ſed Cranganore perpetraſſe dicant, ac poſtremò in Calamina vrbe mactatum Regis imperio (qui Sagamo defuncto ſucceſſerat,) ac ſacrum deinde corpus, Edeſſam Meſopotamiæ translatum fuiſſe contendant. Vtcumque res habeat (nam ego meam interponere ſententiam in tali re, tantoq; locorum & temporum interuallo non auſim) ſatis cõſtat, Thomam Apoſtolum in Coromandelio tractu, Gangetici ſinus, palmam tuliſſe Martyrij, nec dubium eſt, quia ex diuini viri præceptis, atq; inſtitutis, ingens hominũ multitudo varijs Indiæ diſperſa regionibus, in hæc vſque tempora Chriſti nomẽ, fidemq; tenuerit; quamquam ex Armenij Patriarchæ Neſtoriani placitis, à quo Epiſcopos paulò antè hanc memoriã accipere conſueuerant, multis vitijs, & erroribus inquinatam. Alioquin Apoſtolicas cærimonias magna ex parte obeunt, altaris myſteria religioſè venerãtur, eoque viatico decedentes è vita ſe muniunt. Aduentus Domini, & Quadraginta dierum ſolenne ieiuniũ diligenter obſeruant; quotidianæ pſalmodiæ, & ſacris inſiſtunt; & cum alia Chriſti Domini Sanctorumque feſta ritè concelebrant, tum verò præcipuè Paſchaliũ feriarum Octauam, quam Dominicam in albis vocamus, quod eo demũ die, incredulus anteà S. Thomas, indito Chriſti latus, ac vulnera digito, Dominum ſuum, ac Deum ſuum præclara teſtificatione confeſſus eſt. Alia præterea multa ex maiorum traditione diligenter obſeruant; eo maiore fidei, & conſtantiæ laude, quòd ob idipſum non modo à Mahometanis hominibus acerbe vexãtur, ſed etiã à Regulis Ethnicis in ſeruitutem redacti, cùm alias indignitates & contumelias perferunt, tum verò ſedem, ac domicilia iniquis penſionibus redimere ſubinde coguntur. Ijs aduentu Luſitanorum, noua diuinitatis lux affulſiſſe viſa eſt. Cõſilio inter ſe habito, qui Crãganoris incolunt fines ad Gammam in proximo verſantem, Legatos (vti orſus eram dicere) deſtinarunt, quorum ſumma orationis fuit: ſe, & vetuſtiſsimos Chriſti famulos eſſe, & hoc ipſo Luſitanici nominis cupidiſſimos: multa ſe à barbaris indigna quotidiè pati, petere, & orare, vt Emanuelis Regis nomine, ſe, ſuaque omnia in patrocinium recipiat. Sub hæc, deditionis inſigne ſceptrum argento decoratum, Gammæ ſupplices detulere. Hos ille benigno vultu, comiter, & amicè complexus, bono eſſe animo iuſsit: vel inprimis mandatum ſibi à Rege Luſitaniæ affirmans, vt Chriſti fideles, quotquot in ea regione ſuperſint; omni ope, atque auxilio ſubleuet: nondum id ſibi per Calecutanorum inſidias, & quotidiana vitæ diſcrimina licuiſſe; ac ne tum quidem ob anguſtias tẽporis, reditu iam, iamque imminente, poſſe illis quàm vel maximè cupiat operam, ſtudiumq; præſtare. Cæterùm, quæ prima occaſio ſe det, enixè curaturum, vt non ſine cauſa Chriſtiani omnes, in Regum Luſitaniæ pietate, opibuſque certiſſimum ſuæ ſaluti commodiſque præſidium eſſe conſtitutum intelligãt. Intereà, ſi qua neceſſitas, incidat grauior; ad Luſitanum confugerant præfectum, quem firmo cum præſidio eſſet in India relicturus. Is erat Vincentius Sodermus, cui Emmanuelis iuſſu, Gãma ſex ornatiſſimas naues ad maritimam oram tuendam reliquit, vt Saracenos, & Arabas ab Indici littoris acceſſu, & commercijs prohiberet. Ioãnes interim Nouius ſuperiori tempore ab Emanuele in Indiam miſſus, ac ſecundis ventis vſus, poſtquàm regionem æquinoctiali circulo ſubiectam tranſmiſit, in inſulã incognitam delatus, nomen Conceptionis ei indidit, aliam quoque, cui S. Helenæ titulum fecit, reperit; de Calecutienſibus victoriam inſignem reportauit, multiſque Regibus in





fide, & amicitia Emanuelis confirmatis, ac Euangelicæ prædicationi oſtio patefacto, felicitate nauigandi vſus, Olyſſiponem reuertit xi. die menſis Septembris hoc anno à Chriſto nato 1502. neque ſolùm Regi, ſed vniuerſæ ciuitati tàm felici reditu ſummam iucunditatẽ attulit, quo ipſo anno Emanuel Cõpoſtellã profectus eſt, vt ad D. Iacobi ſepulchrũ nũcupata vota pſoluere. Conimbricã, cũ pueniſſet, & ſepulchrũ

*Idem Compoſtellam proficiſcitur.*

Alfonſi Regis ſanctiſſimi, & inuictiſſimi, cuius virtute Mauri fuerant è Luſitaniæ finibus expulſi, parùm magnificè extructum cerneret, id demoliri, & aliud ſatis amplum, & magnificum ædificare iuſſit. Similiter in Portugallenſi ciuitate, ſepulchrum S. Pantaleonis martyris, viri ſumma ſanctitate prædici: magnis ſumptibus extrui imperauit, vt fuerat teſtamento Ioannis Regis inſtitutum. Porrò autem quacumque iter faciebat, pupillis, & viduis benignè conſulebat, templa donis, & muneribus cumulabat, ſcelera potentium hominum, quæ fuerunt ad illum diem impunita, acerrimo ſupplicia vindicabat. Compoſtellæ manſit triduò, ſepulchrũq; D. Iacobi ſignificatione ſingularis religionis inuiſit, tẽplũq; donis auxit, & lychnum argenteũ ſingulari opere perfectum, qui perpetuò in eo luceret, appendi præcepit. Hoſpites, apud quos diuertebat, multis muneribus affecit: ità denique iter illud habuit, vt vbicumque pedem poneret, & pietatis, & liberalitatis, & Regiæ munificentiæ veſtigia impreſſa relinqueret. *Oſorius lib. 2. Maphæus lib. 2.*

XII.

*Ximenius Card. res fidei in Hiſpanijs curat.*

Faciebat iſta, quæ memorauimus Emanuel, vel fidei Chriſtianæ, vel pietatis promouendæ. Alia quoque ex parte in Hiſpaniis, Ximenius Cardinalis Toletanus, res Orthodoxiæ curabat. Intelligebat vir prudens, Sacrorum voluminum lectionem, quæ Biblia Græco nomine paſſim appellantur, cunctis, qui ſacris initiati ſunt, ſed præſertim Theologis maximè eſſe neceſſariam, nullibique magis eoſdem illos rerum Theologicarum ſtudioſos dormitare, quàm in ea verſanda, tractandaque: idque potiſſimùm è trium linguarum ignoratione prouenire Hebraicæ, Græcè, & Latinæ, quibus non ſolùm quicquid ſcitu dignum eſt in omnibus diſciplinis profanis eſt proditum, ſed etiam ſacra omnia continentur, diuinabat vir prudentiſſimus in tanta inertia hominum, diuinas litteras negligentium, impios aliquos quamprimùm exorituros, qui earum lectione armati, & ad ſuos effectus detorquentes, Chriſti Eccleſiam auſu quidem nefario, & immani. à Catholicorũ tamẽ quorundam imperitia perfecto impugnare, & euertere tentarent. Quin antiquiſsima quæque Chriſtianæ religionis tempora ſecum reputans, diuinâ prouidentia ità factum eſſe videbat, vt quemadmodum à prudentibus Imperatoribus ex hoſtium, cum quibus dimicent, pugnandi vſus. ratio, & cõſilia ſumuntur: ità quoque aduerſùs dæmonum artes, qui ingenijs humanis percallidè abutuntur, remedia quoque ex eodem fonte petenda eſſe. Chriſtus enim, à quo omnis ſapientia emanat, Sanctos Eccleſiæ Chriſtianæ Patres, per quaſdam doctrinarum viciſſitudines, aduerſùs emergentes hoſtes conuenientibus armis prudentia ſua inſtruxit. Quarè Ximenius, qui ex publica morum corruptela, ipſorũq; adeò religionis principum immoderantia, vulpeculas aliquas in occulto nutriri coniectabat, quæ vineam Chriſti myſticam cum minùs expectaretur, demoliri tentarent, neque ad id aliundè comparatio præſidio, quàm ex ſacrorum voluminum perperàm intellectorum prõptuario non abs re timere cæpit, nè Orthodoxi imparati, & in vtriuſque teſtamenti libris peregrini, & hoſpites deprehenderentur. Magni ergo hac in parte Origenis diligentiam imitatus, qui Sexaplis illis decantatis, omnes Sacrorum voluminum, quæ tunc habebantur translationes in vnum coniunxerat, communicato cum Alexandro Pontifice Romano conſilio, editionẽ Bibliorum faciendam curauit. In ea veteris teſtamenti libri ternis columnis per ſingulas paginas ſunt diſtincti. Prima Hebraicam lectionem tenet, media vulgarem, quâ vtimur, tertia verſionem Græcam: LXX. interpretum translatione etiam Latina illuſtratam. In margine verò inferiori, nè quid deſideraretur, Chaldaica, quam vocant, paraphraſis ſubiecta eſt, Latina verſione è regione appoſita. At vetus teſtamentum Græcam lectionem, quàm emendatiſſimam, & vulgarem translationem habet. Additum eſt poſtremum volumem Hebraicarum dictionum eruditum, & copioſum Onomaſticon, ab eius linguæ peritis valdè laudatum. Id in aliquot bibliorum huiuſmodi libris quorundam incuria, qui eos ſeruandos ſuſceperant, non ſine graui iactura deſideratur. Res fuit cumprimis operoſa, & magnifica, & quæ non modò tàm eruditum principes, ſed etiam ingentis animi virum, ad difficultates omnes euincendas rem tàm arduam comitantes, requireret. Acceſſiuit continuo ad ſe homines vtriuſq; litteraturæ peritiſſimos, Demetrium Cretenſem, natione Græcum, Antonium Nebriſſenſem, Lapidem Aſtunigam, & Ferdinandum Pintianum, Græcarum litterarum, & Latinarum profeſſores, quorum ſcripta, & ſtudioſa monumenta paſſim nunc in manibus habentur: Alfonſum Medicum Complutenſem, Paulum Coronellum, & Alfonſum Zemoram Hebræarum rerum conſultiſſimos: qui cum olim inter ſuos, publicas ſcholas fuiſſent moderati, tunc Chriſtianæ fidei ſacris ex animo ſuſceptis, Eccleſiæ Orthodoxæ domeſtici, & alumni eiſſent, meritò ad tantum negotium à Ximenio ſunt vocati: quòd illorum virtuti, eruditioni & conſtantiæ, meritò eſt commiſſum. Cum his viris de ſuo conſilio ſermones contulit, liberaliſſimè impenſas promiſit, & ſingulos præmijs propoſitis priuatim inuitauit. Antè omnia verò feſtinandum admonuit, nè, vt ſunt res mortalium caducæ, & fluxæ, aut illi patrono ad eã rem prõptiſſimo, aut ipſe tàm accommodis adiutoribus priuaretur, quorum præſentiam, & operam pluris, quàm vllas pretioſas poſſeſſiones, aut diuitias æſtimaret. Accenſi cuncti verbis Ximenij ab eo die, donec vltima manus fuit impoſita, numquam ab opere ceſſarunt. Conquiſiti ſunt vndiq; vtriuſq; teſtamenti vetuſtiſſimi codices, ad quorum fidem caſtigatio excudendorum fieret, & vitioſa loca ſanarentur, & quæ dubia, & obſcura eſſent, illuſtrata collucerent. Sed potiſſimùm adiumento fuerunt Bibliothecæ Vaticanæ, venerandæ antiquitatis apographi, quorum copia poſteà per Leonem X. Pont. Max. benigniſſimè Ximenio facta eſt, cuius tum magnificentiam demiratus, cæpit in magno pretio habere, & eius conſilium, quamuis in vltimis terris poſiti, quotiès Reipub. Chriſtianæ negotia poſtulabant, in rebus arduis requirere, Septuaginta translationis explicatio partim ab aliquot Academiæ Complutenſis eruditis hominibus qui tũc ſub Demetrio, & Finciano præceptoribus in Græcis litteris non vulgariter profecerant, partim ab ipſis Demetrio, Pinciano, & Aſtuniga confecta fuit, adeo vt videbant feliciter, vt nihil à LXX. interpretibus iuxta Græcam eruditionem ſit dictum, qualia permulta apud eos habentur, quod ab illis in tanta breuitate fuerit prætermiſſum. Fuit inter hos ad hoc munus vocatus Ioannes Vergara, cui libri, quos vulgo Sapientiales vocant, explicandi ſunt commiſſi; in quibus permulta, quæ in vulgata tãslatione difficilia eſſe videbantur, in antiquã lectionẽ reſtituit; nihilq; magis ſenicũ otio fruebatur, ſibi dicebat in votis eſſe, quã librũ Eccleſiaſtici quẽ Panaretum vocãt, ſcholijs aliquot illuſtrare. Sed tardauit præclarum inſtitutum incommodiſſima valetudo. Durauit ab hoc anno, qui M.D.II. Chriſti nati fuit, annos continuos plus minus quindecim, de

*Nouam bibliorum editionem faciendam curat.*

Sacris Biblijs edendis cura; vt penè cum Ximenij vita, finem quoque editio ſuſceperit. Vbi ſi per partes narrandum eſſet, quantum laboris exhauſtum ſit, quantum tædij, & faſtidij deuoratum à viris illis, operi præfectis, in exemplaribus excutiendis: quamque multiplici, & ardua negotiorum mole Ximenius interim aliò euocaretur, nimium profectò in eis recenſendis immoraremur. At iſtud vnum, quod ad impenſas à Ximenio in ea re abſoluenda factas pertinet, reticendum nequaquam eſt. Septem Hebræa exemplaria, quæ nunc Compluti habentur, quattuor millibus aureorum, ex diuerſis regionibus ſibi comparaſſe, Alfonſus Zamora, Hebræarum literarum profeſſor ſæpenumero referebat, vt interim de Græcis, & Latinis taceam, quorum illa ab vrbe Roma, hæc tum ex peregrinis locis, tum ex varijs in Hiſpania Bibliothecis, ab octingentis fermè annis characteribus Gotthicis ſcripta, magnis ſumptibus Cõplutum ſunt delata. Iam vero Chalcographorum, & ſcribarum ſalaria, Doctorum hominum non vulgaria præmia, mercedes internuntijs propoſitas, quibus ad codices vetuſtos adipiſcendos vtebatur, aſſiduam denique ſubminiſtrantium cateruam, quam ad res, quæ inſperato emergebant, expediendas ſuſtentabat, & mille alia quæ longum eſſet referre, ſi benè quis ratione ſubducta numeraſſet, quinquaginta millium aureorum, & amplius Summam confeciſſet. Hac tandem diligentia, autoritate & liberalitate, opus illud abſolutiſſimum prodijt, Leoni X. Pont. Max. dicatum; cum in teſtimonium grati animi, tum quod vniuerſas quæ ad ſacrarum litterarum illuſtrationem pertinent, nemini magis, quàm Romano Pontifici, penes quem tota Eccleſiæ Chriſtianæ autoritas eſt, conſecrari, & offerri debeant. Opus me herculè miraculo par, & cuius tãta apud omnes, qui vbicumque terrarum in ſacris litteris verſabantur, veneratio fuit, vt ad Complutenſium Bibliorum exemplum, quicquid alibi excuderetur, certatim reuocaretur, & in ſapientiſſimorum virorum ſcriptis, quoties de lectione ſacra controuerteretur, teſtimonia ab eis petita proferrentur. *Gomecius de rebus geſtis Xymenij lib. 2.*

XIII. *Præclari aliquot in Anglia moriuntur.*

Hoc anno, cum Regem Angliæ Henricum VII. cura excepiſſet, nonnullos coniurationis in ſe factæ participes coercere; illi verò in diuerſa aſyla ſeſe recepiſſent, expectaturi, dum melior facultas daretur: venit ei in mentem, his quoque religioſis clauſtris ſeras ponere, quò nè aliqua inde mali labes fieret. Ergo per litteras, & Legatos cum Alexandro Romano Pontifice egit, vt ſua autoritate, omnes Anglos exules, religionis hoſtes decerneret, veluti populi turbatores, concitatoreſque ſeditionum; & aſyla non amplius eis receptacula forent, qui ex illis ſemel exijſſent. quod Alexander Pontifex conceſſit, & Henrico bono fuit, quia metu eius ignominiæ, bene multi facilius ad ſanitatem redierunt, & qui in tuto erant, minus auſi ſunt, ſe periculo obijcere. Iſta Regem curantem, duplex luctus excepit. Artutus enim princeps, poſt quintum menſem, quàm Catharinam, in vxorem duxerat, è vita exceſſit. Triſtem huiuſce connubij exitum, fertur Catharina puella iam inde ab initio pertimuiſſe, ex eo, quod vbi à parentum complexu diſceſſit, nauemque conſcendit, diu fluctibus huc, atque illuc agitata, iactataque per ſaluam tempeſtatem, ad vltimum, Angliam attigerit. Nec multo poſt Eliſabet Regina, enixa puellam, quę paucos dies vixit, mortua eſt. Secutus eſt Reginam in cælum redeuntem, Reginaldus Braius, vero pater patriæ, ac ita recti amator, vt ſi quid interdum peccatum eſſet, illud acriter in Henrico reprehenderet. *Polydorus lib. 26.*

XIV. *Duo portẽta Pontifici accidunt.*

Hoc anno, pro portento ab his, qui interfuerunt, & aſpexerunt, aceptum eſt, quod Alexandro Pontifici, die ipſo Paſchatis accidit. Eunte illo in Baſilicam Vaticanam, haſta Crucis antè eum prælatæ, per medium ità confracta eſt, vt nulla ratione aptari amplius potuerit. Sacram poſtea hoſtiam in Miſſarum ſolennijs, is ipſe cum fregiſſet, & vnam ex particulis in calicem conſecratum demiſiſſet, illa non amplius comparuit. *Brucardus in notis diarijs.*

XV. *Helena Polonia Regis vxor Cracouiam venit.*

Hoc anno, menſe Februario, Helena, Alexandri Regis Poloniæ vxor, Cracouiam venit, Regem ſecuta, ſperans ipſa quoque, more ſolenni, diadema accipere. Græcorum illa ſchiſmati dedita, ab inſtituto Eccleſiæ Catholicæ Romanæ abhorrebat. De eius itaque coronatione, cùm in ampliſſimo totius Regni Senatu deliberatum, neque quicquam variantibus ſententijs decretum fuiſſet, placuit, Alexandrũ ſummum Pontificẽ ea de re conſulere. Miſſus à Rege Orator ad Apoſtolicam Sedem, nihil obtinuit: Pontifice decernente, illam non poſſe, neque debere ritu Romanæ Eccleſiæ inaugurari, quamdiu extra gremium Catholicæ vnionis, ſchiſmate ſeiungeretur. *Cromerus lib. 30. Brucardus ſuprà.*

XVI. *Ioannes Baptiſta Card. moritur & deſcribitur.*

Hoc ipſo anno, die 20. Iulij in humanis eſſe deſijt, Ioannes Baptiſta Fererius, Cardinalis Mutinenſis, Alexandri Papæ Datarius: qui auaritia, rapacitate, immanitate, alijſque ſordibus, magnam conflauit Pontifici inuidiam. Nullum beneficium, nullum officium, nulla dignitas Eccleſiaſtica fuerat, quam homo ſacrilegus non venderet. Si quis pauperum ad eum veniſſet, omnes crudeli ſæuitia excipiebat, & ad domum Orci remittebat. Reliquit ex ſacrilegio, LX.M. aureorum nummum, X.M. Scutatorum. Vaſa aurea, & argentea. X. M. ducatorum aureorum. præter ſuppellectilem variam pretioſam. Plurimi Poëtæ in eum luſerunt.

I.

Ferrarij hic tumulus, quem ſic ſitis vſſit habendi,
Vt tumulus dici poſſit auaritiæ.
Tantaleam patitur pœnam, & quia parua fuiſſet
Impendent auidis aurea poma labris.

II.

Hic Baptiſta tegor, medici quem culpa peremit,
Naturam fuerat neſcius ille meam.
Herbarum mihi pro ſuccis dare debuit aurum,
Sola erat apta meis hæc meditina malis.

III.

Inijce, qui tranſis terram; rurſus inijce, nè quæ
Hic tegitur peſtis proferat atra caput.

IV.

Non iacet hic corpus, petijt nec Spiritus aſtra.
Rex ſuperum in ſtygios merſit vtrumque lacus.

V.

Ne dicas, ſit terra leuis, ne ſpargite flores
Nummos, ſi requiem mi dare vis, numera.

Alia plura *Brucardus* habet *in notis diarijs.* qui etiam recenſet fabulam, quandam, poſt funera Fererij à quodam recitatam. Fererium videlicet ad oſtium Cælorum acceſſiſſe, fores pulſaſſe, Petrum ab illo mille aureos primum, deinde quingentos, poſteà gradatim detrahendo, vnum nummum pro ingreſſu poſtulaſſe: & tandem illum paupertatem, ac inopiam excuſantem, aditu prohibuiſſe: illumque ipſum poſteà portas inferi pulſaſſe, Oſtiarium nummos quoque poſtulaſſe; nec habentem, quod numeraret, in profundum barathri demerſiſſe.





# ANNO CHRISTI. 1503.

## ALEXANDRI PAPÆ VI. Anno vltimo.

### MAXIMIMILIANI ROM. REGIS Anno 18.

I. *Inter Baiaſetem & Venetos pax, ſæpe fruſtrà tentata conficitur.*

Etiam in hunc annum Pontifex Max. Alexander, Venetos à Turcis metuentes, ſacra, quam ſuperiore anno miſerat claſſe iuuabat. Baiaſetes enim inducijs cum Sophi Armeniæ Rege per hoc tempus initis ad bellum Venetum ſolutior factus, animos, quos non ità pridem deiecerat, ſumere videbatur. Veneti longioris belli tædio, libentiùs iam ad pacem inclinabant: pacem maritimæ ciuitates multis cladibus affectę, necnon mediterranei populi, ad extremam rerum omnium inopiam, ob maris commercia diù intermiſſa redacti afflabant. Ergo ad eam conficiendam publicè miſſus Ludouicus Manetius à ſecretis, agitare negotium apud Baiaſetem cæpit: cæterùm ob iniquas conditiones, quæ ab hoſte proponebantur, infecta ea, Venetias reuerſus eſt. Obtinuit tamen homo ſolerti ingenio, vt ex Regia aula vnus aliquis ſecum mitteretur. Venetias, qui de legibus pacis, quas Baiazetes diceret, in Curia apud Principem, & Patres diſſereret, vt totus ordo de ſumma rei maturiùs cõſuleretur. Eſt Baiaſetis Orator in Senatu bis auditus; nec tamen ob ſuperiorem cauſam pax cõfici potuit. Miſſus eſt deinde Zacharius Phriſcus, ac vltimò Andreas Grittus, qui tandem cum Baiaſete his conditionibus ſanxit. Leucadium inſulam, cuius oppidum magna impenſa Peſareus longè firmius iam, communitiuſq; fecerat, Veneti Baiaſeti reſtituerent. Baiaſetes rés, Venetis negotiatoribus, ab initio belli ademptas reſtitueret. Pontica nauigatio Venetis, vt anteà pateret. Veneti nominis Magiſtratus, ſuis hominibus Conſtantinopoli ius dicturus, qui anteà fuit, eſſet. Res Venetæ ditionis certis finibus à Turcorum rebus diſcernerentur. Cephaleniam Veneti retinerent. Baiaſetes terra, marique arma à Venetis finibus amoueret. Conuenerat præter hæc, antequam tabulæ pacis conficerentur, vt Veneti Ladislaum Regem Vngariæ inducerent, vt is quoque Legatum Conſtantinopolim mitteret, quò cum maiore cum dignitate, æquioribuſq; conditionibus tranſigeretur; qui etiam Barnabã Belaium, virum induſtrium, & multarum linguarum peritum miſit: cumq; Baiaſete inducias octennales, non ſine difficultate compoſuit. *Bembus li. 6. Iuſtinianus lib 10. Sabellicus ennead. x. lib. 2. Iſtuanſius lib. 4.*

II. *Diſcordia de regno Neapolit. etiamnum viget.*

Facile fuiſſet Alexandro Pontifici, ac Ladiſlao Regi cum Venetis, Baiaſetem tota Europa eijcere: ſed conatibus illius impedimento fuere, diſcordiæ inter Ludouicum Galliarum, & Ferdinandum Hiſpaniarũ Reges, de Regno Neapolitano, in hunc etiam annum maiore, quàm anteà contentione protractæ. Conatus eſt Pontifex, eas diſſenſiones dirimere: cæterùm nihil efficere potuit, apud Ferdinandum, cui, quaſi partium Gallicarum eſſet, fuit ſuſpectus. Philippus quoq; Archidux, ex Hiſpania in Belgium diſcedere certus, enixè cupiebat, ex ſocero Rege cognoſcere, vellet nè per conditiones, arma ponere, cum Gallis inſtaurato fædere, ſibique poteſtatem eſſe paciſcendi, ſi fortè Rex Gallus, æqua videretur appetere. Recuſauit initio Rex Catholicus vtrumque, ſiue genero non ſatis fidens, multò minùs eius aulicis, quos ad Gallos eſſe propenſos, multa indicabant ſiue amicorum in Italia animos debilitare metuebat; ſi ſe conſcio, & volente, generum Principem per Galliam iter habere vulgaretur. Dedit tamen in eam rem anguſta certè mandata, quæ tranſilire nefas eſſet: ac eo profecto, Bernardum Buillium Abbatem ijſdem veſtigijs ſequi iuſſit, teſtatoque deſcriptam paciſcendi formulam ad eum perferre, qua ampla poteſtas continebatur finiendi pace facta controuerſias. cum hoc, nè delegatæ poteſtatis exemplum communicaret cuiquam, præter Principem ipſum iuratum arcani fidem ac nè Principi quidem ſchedam crederet; ſi præſcriptæ formulæ fines tranſgrederetur. Incredibile eſt, quanta magnificentia, & honore, Ludouici iuſſu per vniuerſum Galliæ regnum acceptus fuerit; non modò, vt eum ſibi in pacis negotio propitium redderet, ſed etiam, vt eius Principis, qui & iuuenis erat, & in ſummæ potentiæ expectatione (erat enim Romani Imperij ſucceſſioni proximus, & Hiſpaniæ Regnorum cum omnibus ad ea regna pertinentibus hæres) animum ſibi in perpetuum deuinciret. pari liberalitate qui plurimùm apud eum poterant accepti: multa ijs munera data: quibus rebus Regia animi magnitudine reſpõdit Philippus. Nam cùm Rex præter fidem publicam quâ per totum Galliç regnum iter faciens, tutus eſſet, nonnullos ex ſummis regni proceribus, tanquàm obſides in Flandriam tamdiù, donec ipſe iter confeciſſet manerent, miſiſſet, Philippus quã primùm Galliam attigit, vt ſe penitùs eius fidei committere oſtenderet, obſides liberari iuſſit. qua tẽpore Compluti, ex Ioanna principe eius vxore, ad ſextum Idus Martii natus eſt filius, cui fuit Ferdinandus nomen, imperium, & ampla regna annis accedentibus. Abluit infantem ſacro fonte, aquis ſalutaribus Ximenius Cardinalis Archiepiſcopus Toletanus, ſuſceptoribus Anagari Duce, atq; Villenio: Lugduni Rex Gallus, & Rhotomagenſis Cardinalis, Alexandri Pontificis in Gallia Legatus, aduentu Philippi Principis continuò, de fædere ſanciendo conſilia agitarunt. De cõditionibus diſceptatio erat. Datę poteſtatis fines, & paciſcendi formam ex Hiſpania miſſam negligi videbatur. Buillius Philippum Principem monebat, nè ſuo Rege inſcio, quidquam nouaret: caſſa fore cõtrà eius decretum inita pacta. Ea monita, voceſque contemnebantur: ac nè facta quidem poteſtas eſt, nunciandi Regi Catholico per litteras, mutatis ad celeritatem equis, quæ agebantur. Mirabilis confidentia. Coegerunt etiam minis, atque terroribus concreditæ poteſtatis exemplum vt publicaret. Principi ipſi iniecta neceſſitas eſt paciſcendi, quoniam in Galli poteſtate erat. Aulici quoque homines Belgæ fædus maturari cupiebant; moræ impatientia, Regis ineò Catholici voluntate neglecta. Pecunia Gallica coruptos, fama vulgauit, in deterius ſemper, prona hominum perſuaſione. Initi fæderis leges ſanxerunt. Vti Regnum Neapolitanum, prouincijs de quibus ad arma ventum erat, Philippo, depoſiti loco traditis, ex primæ diuiſionis cõſtituto poſſideretur: & nunc ſtatim Carolus Philippi filius, & Claudia Regis filia, inter quos Cõnubiũ ſuperiorib. tẽporib. inchoatum confirmabatur, Neapolitani Reges, Apuliæ, & Calabriæ Duces nuncuparentur, parti, quæ Hiſpaniæ Regis erat, Archidux inpoſterum præeſſet; ei verò, quæ ad Galliæ Regem ſpectabat, quemcunque Rex voluiſſet: ita tamen, vt vtraque duorum infantium nomine gubernaretur; quibus, quamprimùm matrimonij fructum delibaſſent, Rex in filiæ dotem partem ſuam traderet. Hæc pax in Bleſiaci auguſtiſſimo templo, ſolenni ritu promulgata, & Regis, ac Philippi tamquam Regum procuratoris Sacramento confirmata fuit. Quæ pax certè, ſi firma permanſiſſet, maximi extitiſſet momenti: quoniam non modò inter tam potentes Reges, arma quieuiſſent, ſed hanc inter Romanorum & Galliæ Reges pax quoque eſſet conſecuta, ex qua noua aduerſus Venetos conſilia orta eſſent. Sed quum Rex, & Philippus, ad pacem in regno Neapolitanò nunciandam, & ducibus, vt donec Hiſpaniæ

*Ferdinandus Philippi Archiducis filius naſcitur.*

Regum confirmatio afferretur, ea, quæ habebant, poſſidentes, ab iniurijs abſtinerēt, imperatū miſiſſēt. Gallus quidem præfectus ſe Regi ſuo pariturum dixit, ſed Hiſpanus, ſiue quòd magis de victoria ſperaret, ſiue quòd ſola Philippi autoritas, illi non eſſet ſatis, ſe donec idem à ſuis Regibus mandatum acciperet, bello abſtinere non poſſe reſpondit: ad quod magis accendebatur, quia Galliæ Rex, priùs pacis agitationibus, deinde ipſa pace perfecta fretus, idque, quòd adhæc incertum erat, certum eſſe ratus, non modò reliquos apparatus prætermiſerat, verùm etiam ter mille pedites, quos anteà Genuæ nauibus imponi iuſſerat, & trecentos cataphractos Perſiuo duce ad id bellum deſtinatos, remoratus erat: & contrà Barlettam bis mille Germanorum pedites peruenerant, qui Romanorum Regis conſenſu conſcripti, nauibus Tergeſti conſcenſis, Galliæ Rege grauiter expoſtulante, per ſinum Venetorum tutò nauigarant. Vgo quoq; Cardonius, Meſſana in Calabriam, cum octingentis Hiſpanis peditibus, quos Valentini ſtipendia anteà meritos, Româ accerſiuerat, & cum centum equitibus, & octingentis partim Siculis, partim Calabris traiecit, vireſque, & animos Conſaluo auxit, vt is bello decernere maluerit, maximè quando alia claſſe ex Hiſpania, primùm ducenti grauis armaturæ, totidem minoribus haſtis, quas *Giannetas* vocant, equites vtentes; & duo peditum millia, Manuello Benauida duce deinde totidem tàm equites, quàm pedites Porto Carrero præfecto, in ſubſidium aduenerunt. His fretus Conſaluus poſtquàm vario marte, primò certaſſet, victor ad vltimum euaſit, cæſis aliquot ducibus Gallis, alijs in fugam coniectis, exercitu hoſtili fuſo, prouincijs, & vrbibus, vel deditione, vel virtute receptis, Caieta circumſeſſa & tandem ad extremum Neapoli ipſa potitus. Proſper, & Fabricius Columnij, magnum virtutis ſpecimen in hoc bello pro Hiſpanis edidere. Aliqui etiam Vrſinorum, paulò pòſt à Gallis, ad Hiſpanos defecere. Pontifex, quanquàm à Conſaluo interpellatus, vt rei Hiſpanicæ patrocinium ſuſciperet, ad neutros inclinauit, memoria perſonæ, quam gerebat, & metu periculi ab vtroque imminentis; ne ſi alteri magis, quàm alteri patrocinari videretur, alterius exercitus Pontificiam ditionem inuaderet. & quidem Conſaluus, vt Pontificem alliceret, pollicebatur, ſi Caietam expugnaſſet, regni rebus in tuto collocatis, cum exercitu illum iuuare, ad Piſas occupandas, & Hetruriam inuadendam: cum etiam Ludouicus Rex auxilia promitteret ad Senas in poteſtatem redigendas, & Ioannis Iordani Vrſini ditionem obtinendam; ſi modò ipſe quoque ſuppetias ſubmitteret. Cæterum Pontifex, vt communis omnium pater maneret, neutri ſe parti fauturum recepit: ſed vtrique parti palam milites Romæ conſcribere permiſit, & Gallico exercitui per Pontificium imperium iter conceſſit, ac præterea bello Neapolitano vigente, nec Florentinis, nec Senenſibus, nec Bononienſibus ſe moleſtum futurum conduxit: habens interim quod ageret, in rebellibus coniuratis coercendis.

III. *Rebelles quoſdam Pontifex cuſtodiæ mancipat.*

Ex Vrſinis fœderatis, Cardinalem, Archiepiſcopum Florentinum, Protonotarium, Paulum, & Franciſcum comprehendi iuſſerat, & cuſtodiæ mandauerat, ex cauſis ſuperius memoratis. Cardinalis, poſtquam in caſtro S. Angeli circiter viginti dies fuiſſet, tandem ægritudine ex mærore animi contracta mortuus eſt in Vaticano. Maligni ſparſerant, veneno ſublatum fuiſſe, cui calumniæ diluendæ Pontifex, illum interdiu aperto feretro, & ſua, & omnium Cardinalium familijs comitantibus, ad Eccleſiam S. Celſi deferri, cadauerque omnium oculis expoſitum diutius, antequam tumulo inferretur, iacere voluit: vt omnibus palam facere, naturali illum morte obijſſe. Archiepiſcopus, Protonotarius, Abbas Aluianus, & Iacobus Sancta Crucius patricius Romanus non multo poſt iudicio ſe ſiſtendi vadibus datis liberati ſunt. Paulus & Franciſcus, quod contra datam fidem, non ſinguli, ſed coniuncti, & armati, necnon copijs validis muniti, quaſi ad vim inferendam, non verò ad ſupplicandum, ad Valentinum Borgiam veniſſent, & ab eodem Valentino ſtrangulati, pænas coniurationis dederunt. Vitellocio cęſo, Ciuitas Caſtelli à reliquis Vitellijs deſerta, in Pontificis redijt poteſtatem. Ioannes Paulus Ballio, Peruſia diffugiēs eandem vrbem Pontifici reliquit. Acceptis deinde Valentinus à Bentiuolio promiſſis auxilijs, ſequentibuſque eius exercitum aliquot Senenſibus exulibus, legatos Senas miſit, vti Pandulſum Petrucium, veluti hoſtem ſuum, & quietis in Hetruriam turbatorem, pelli poſtularent, ſeque illo pulſo, cum exercitu, finibus illorum inuiolatis, in Latium profecturum promitterent: ea, quæ popoſcerat obtinuit. Inde in Latium copias reduxit. Namque Iulius, & nonnulli præterea ex Vrſina gente, Pitilianum conuenerant, & Cereueteri erant Fabius, & Organtinus Vrſini, & Mutius Columna, ex regno Neapolitano profectus Palumbariam, vt Sabellis, qui denuo ſe Vrſinis, animis, affinitateq; coniunxerant, opem ferret, ingreſſus erat: iamque illi ipſi Vrſini cum Sabellis Lamentam pontem occuparant, & totam regionem agri Romani percurrebant. Hos Valentinus aduentu ſuo repreſſit: atque Ioannis Iordani Vrſini confœderationis ad Manſionem, factæ conſcij, ditionem inuaſit. quandoquidem in Cardinalis Vrſini ſcriptis, vacuum folium Iordani propria manu ſubſcriptum eſſet inuentum, quod argueret, illum in rebus ad Manſionem tractatis, eadem in Pontificem voluntate, eorundemque cum reliquis Vrſinis conſiliorum participem fuiſſe. Militabat id temporis Ludouico Regi in regno Neapolitano Ioannes Iordanus, Regiarum copiarum præfectus, Regis cliens, & à Rege, equeſtri Diui Michaelis Ordine donatus. Pro eo cum Rex ſatis immemor eorum, quæ prius ſpondebat apud Alexandrum expoſtulaſſet, Pontifex eam purgationem afferebat, non moueri videlicet ſe eius ditionis occupandæ cupiditate; ſed quum ſibi cum Vrſina gente, tot iniuriæ, & offenſiones intercederent, non poſſe illum tutò, tam propinquum pati: ideo velle ei pro ijs Scyllaceum principatum, & alia oppida, quæ horum pretium æquarent, tradere. His rationibus Rex non admiſſis, Valentino acerba oratione per nuncium, vt ab Ioannis Iordani, qui per ignota itinera nō ſine graui periculo, Bracianum peruenerat, ditione infeſtanda abſtineret, imperauit: ac præterea Florentinos, Senenſes, & Bononienſes, cōtrà Pontificem fœdere deuinxit, vt omnem Valentino in Hetruriam irrumpendi viam præcluderet: cum interea is cum copiarum ſuarum parte, Vicouarum, vbi erant ſexcenti, Ioannis Iordani pedites vi cepit: atque Cere, vbi cum Ioanne Vrſino eius loci domino erat Rentius eius filius, Iulius, & Franciotus ex eadem familia, exercitu ducto, tandem per deditionem eo oppido, nec non Palumbaria, & reliquis Sabellorum oppidis potitus eſt: ac eodem tempore Alexander Papa, in vniuerſam gentem, Ioanne Iordano, & Pitiliani Comite, quem Veneti tentari nolebant exceptis, forenſi diſceptatione ageret. Ioanni Iordano cum Rex nullam inferri moleſtiam vellet, Pontifex numquam Regi, aut vt armis omnem illius ditionem poſſe acceptare ſibi concederet, aut illum ad permutationem faciendam cogeret, inſtare definebat. Decretum à Rege, vt is intra duos menſes ſe in Galliam conferret, nec ante ſententiam à ſe ferendam, quicquam innouaretur. Quantumuis autem Pontifex in Ludouici gratiam, multa & toleraret, & faceret, non potuit tamen





apud ipſum ſuſpicione vacare, quaſi magis ad Hiſpanos inclinaret, occultèque cùm illis ſentiret. Truchesius eam criminationem in Pontificem confinxit: propter quam ſibi metuens, in Cyrnum inſulam aufugit, vt in Galliam primo quoque tempore tranſmitteret. Inde ex ea inſula retractus, Romamque deportatus, capitali ſupplicio propter calumniam affectus eſt. Iacobus quoque Santa Crucius Vrſinæ factionis amiciſſimus, ſecuri percuſſus eſt. Vnde ſibi Robertus Vrſinus, Aſculanorum Dux, quem quidem Pontifex incolumem præſtiterat, timens, occultè à Valentino defecit: occaſionem nonnullis Romanis, nobilitate generis, & opibus claris dedit, vt peregrinationis, alteriuſue negotij prætextu, ſolum ſua ſponte verterint: nè quemadmodum in vita coniuratorum ſocij fuerant in morte quoque vel calamitate eſſent. His, & alijs hoſtibus Pontificijs pronum fuit, & varias impoſturas in Pontificem, & Valentinum fingere, & copias, in eos conſcribere, & Principes ac Reges in eoſdem concitare: & ad extremum, cùm armis non potuiſſent, veneno eos petere: calumniamque inauditam in eoſdem regerere, quaſi illud venenum, quod incauti biberant, ipſi illi Adriano Cornetano Cardinali parauiſſent. Obijt ſanè Alexander veneno, vt fama vulgauit, epoto: ſed quod ille *pecunia corruptus pincerna* in menſa propinauit, *vt Petrus Iuſtinianus lib. 10. hiſt. Veneta affirmauit.* qui quidem miniſter veneni, haud multò pòſt, Iulio Pontifice Maximo re per indicium enunciata, in vincula coniectus, quæſtione habita ſui ſceleris pænas perſoluit, *vt Petrus Bembus l. 6. hiſt. Veneta aſſeuerat.* Falſum, nec verisimile eſt, quod Guiciardinus ſiue à Sanazario, ſiue à Iouiano Pontano ſiue à quouis alio maligno Satyrarum, & calumniarū Scriptore, hauſit, alijſq; nonnullis à ſtylo acerrimo inſtillauit, quaſi Valentinus, & Pontifex, S. Angeli, Capuanum, & Mutinenſem Cardinales ditiſſimos, amiciſſimos, atq; vtiliſſimos, vt eos facultatibus ſpoliarent, veneno extinxiſſent: atque extinguendo Cardinali Cornetano lagenas quaſdam vino plenas pharmaco venenato infeciſſent: ex quibus ipſi, miniſtrante pincerna, doli ignaro, incauti bibiſſent. De morte illorum trium Cardinalium, habeo teſtem Brucardum ideò omni exceptione maiorem, quia oculatum atque interdum Alexandri, & Valentini, in ſuis, quas viuentibus illis ſcripſit, notis Diarijs, ſuggillatorē qui illos tres morbis naturalibus, adeòque morte naturali extinctos, vſque ad minutias recenſet. De veneno ad tollendum Cardinalem Adrianum, ab illis ipſis non parato: deque alijs impoſturis in vtrumque ſparſis: habeo alium teſtem omni exceptione maiorem, *Stephanum Forcatulum Gallum. lib. 4. de Philoſophia, & Gallorum Imperio*: qui Vrſinos, & Sanazarium, omnium eorum, quæ de Alexandri veneno, deque immunitate ferebantur, autores, ſeu inuentores facit: dum ſcribit: *Addebant Vrſini*, ſuper alias calumnias videlicet, quas minimè opus eſt memorare, concinnatum conuiuis toxicum ab Alexandro, & Valentino: & Cornetanum quidem pocillatoris errore liberatum: ipſum verò Alexandrum, & Borgiam filium epotaſſe, nec alieno, ſed ſuo veneno periiſſe. Iſta Forcatulus addens, Sanazarium *lib. 1. epiſt. ad Petrum Rochefortem, Galliæ Cancellarium.* ea, quæ contrà Carolum VIII. Regem, & Florentinos, maligno calamo vomuerat, retractaſſe, recantaturum etiam illa, quæ in Borgias ſcripſerat, niſi mors mordacem rapuiſſet. Fuit Actius Syncerus Sanazarius *vt Mariana lib. 27. cap 2.* narrat, inſignis poeta, Friderici Regis Neapolitani à Commentarijs, & exilij indiuiduus comes: qui, & Iouianus Pontanus ſuperioribus Regibus Neapolitanis item à ſecretis, multa in Alexandrum Pontificem, fortaſſis ſuprà verum effudere, certè ſtomachi plena conuitia. Addit idem Mariana paulò antè. Multa de Alexandri vita, tum fama, quæ nulli parcat, tum de ſcripto prodita ſunt, vero, an ex inuidia, haud facilè dixerim. omnia conficta temerè fuiſſe non arbitror, Hæc Mariana. qui ſi Hubertum Velleium in appendice ad Guagninum, de Alexandro, quòd *Optimus fuerit Pontifex, ſola prole notandus*: ſi Platinam, de illius anteacta vita, & aſſumptione ad Pontificatum: ſi authores omni exceptione maiores, ex quibus acta illius in Pontificatu recenſuimus: ſi inimicitias Regum: ſi coniurationes principum: ſi tyrannidem, & rebelliones ſubditorum, ſi hoſtilem animum aduerſariorum: ſi Iuliani, Raphaelis Aſcanij, & Columnij Cardinalium odia, & molitiones contrà Pontificem: ſi huius iuſtas iras, & vindicias perduelles: ſi vindictæ & iuſtitiæ oſorum animos, linguas, & calamos, ſi denique ea, quæ nunc nunc de venenis retulimus legiſſet, expendiſſetque, certè illud *fortaſſis* & reliqua multùm præſumentis, ſeu præiudicantis ſtyli, non adſcripſiſſet, præſertim de veneno, Cardinali Cornetano parato. Quomodò enim veriſimile: ſi parauit? non pincernæ fraudem communicauit? pincerna, non lagenas ſignauit? non ipſi tantùm vni Cornetano, ſed & Alexandro, & Valentino ex ijſdem ſignatis propinauit? vel ſi non ſignarat, conſcius tamen doli, confuſas, ſi confuſæ fuerant, non effudit? vel ſi fraudis omninò ignarus adeòque mortis Pontificiæ omninò neſcius, cur poſteà Iulio Pontifice decernente, capitali ſupplicio addictus? Iam vero, quod iſta varietas ſcriptorum, ac rumorum, conſideratione digna? cùm alij in ſertis Vaticanis, alij in ædibus Cornetani, alij vnum Cornetanum, alii plures Cardinales locupletes ad cænam inuitatos, venenoque tentatos; alij à Cole Valentino, alii à Pontifice etiam paratum toxicum; alij ab ipſo Pontifice & Valentino, hauſtum alii à miniſtro propinatum alij ſub prandium alij ante, alij in ipſa cæna epotum ſcribunt? Iam etiam, de Pontificis morte, & Borgiæ filii morbo, cur id temporis non vna fuit fama; *quemadmodum Sabellicus Ennead. XI. lib. II. ſcripſit*, ſi vterque venenum, quod Vrſini addiderant, parauit? Quin, cur non certiora ſunt ea, quæ *Raphael Volaterranus*, qui id temporis Romæ ſcribebat, *libro 22. anthropologiæ* ad calcem recenſuit, dum hæc, quæ adſcribo affirmauit. Quumque animo Alexander Pontifex, adhuc maiora de filio conciperet, diuturnioremque vitam ſibi polliceretur, ſubitò in morbum incidit: ex quo paucis diebus abſumptus eſt, XV. Calend. Septembr. Anno Pontificatus XI. Salutis M. D. III. Cauſam in cænam venenatam incerto autore, vulgò conſtans opinio iactat; quum præſertim, & Cæſar ipſe, & Adrianus Cardinalis qui vnà accubuerant, eadem penè valetudine adficerentur, quam ætatis robore euaſiſſent. Iſta Volaterranus; quamquam non ità clara, vt illa, quæ Iuſtinianus vulgauit. Ex quibus, & aliis ſuperiùs memoratis, tàm falſa eſſe arbitror ea, quæ de veneno, quàm ea quæ de aliis flagitiis malignantes mentiti ſunt; 1. Lucretiā Alexandro fuiſſe filiā, ſponſam, nurum, vt *Pontanus*; 2. Alexandrum viciſſe Nerones, Caligulas, Halagabalos, & quòd nos cælū & numina vocamus, illum longo tempore apinas crediſſe, vt *Sanazarius*, 3. cum Satana pactum de Pontificatu feciſſe, nihilque inconſulto dæmone egiſſe, eundemque Petro Mendozio Cardinali, vt Marchione de Zanetha noto ſuo, ad libidinem abuteretur indulſiſſe, vt *Mornæus, ex quibuſdam maleuolis*: 4. nihil quàm impoſtorem mortalium egiſſe: nihil quàm ad omnem malitiam, & fraudem, quò hominum genus falleret, mentem ſuam exercuiſſe: neminemque vnquàm, aut ſpecioſius iuraſſe iuſiu-

*Alexander PP. Veneno epoto obit.*

randum, viciſſimque qui minùs præſtitiſſet, fuiſſe, vt *Machiauelus in Principe.* 5. virtutes, & animi dotes magnis vitijs, aut æquaſſe, aut obruiſſe, vt *Volaterranus.* 6. immoderata ambitione, peſtifera perfidia, omnibuſq; horrendæ crudelitatis, monſtruoſæ libidinis & inauditæ auaritiæ exemplis, ſacris, atque profanis rebus ſine diſcrimine venditis, vniuerſum orbem venenis infeciſſe: nobilitatem Romanam oppreſſiſſe, & infamiæ notas minimè curare conſueuiſſe vt *Franciſcus Guiciardinus.* Omnes hi, & nonnulli alij, ſtudio partium plùs nimio addicti, & in tranſuerſum ab odio acti, falſa commenti ſunt: quæ poſtmodum ſuccedanei ſcriptores, rerum, & cauſarum incurioſi, in ſuos Commentarios malè retulerunt: nihil penſi habentes, Machiauellum ipſum, & Volaterranum, plurima Alexandro laude digna tribuiſſe; ac Mancinello cuidam, qui Romæ ſemel, atque iterum contrà Alexandrum declamarat, manus primò truncatas, deinde linguam exectam, propter maledicta, & conuitia fuiſſe, nec vllum vmquàm, qui hominem miſeraretur, aut iniuſtè punitum exiſtimaret, extitiſſe. Machiauellus ſanè damnati nominis author, ſibi paulò poſt contradicit, dum iam non in faudes, & perfidiam, ſed in potentiam virium, & pecuniarum acta Alexandri reiicit: ambitioniſque crimen ab eo amouet, ſcribens[r]; Alexander VI. vnus omnium, qui fuerunt vnquàm Pontifices, oſtendit, quantum, & pecuniarum, & virium potentia Sacerdotum Reſpub. valeret: quamquàm illius conſilium non eò ſpectaret, quò Pontificiam iuriſdictionem proferret. *c.* XI. *de Principe.* Volaterranus, longè maiora in laudem Alexandri, quæ hic adſcribere viſum.

*Idem laudatur.* Quos vulgus Marranos vocat, diuerſis temporibus, anquiſiuit. Cardinales triginta ſex interpellatim creauit, in quibus fuere Hiſpani octodecim, quorum optimi, ac præſtantiſſimi, Bernardinus Caruaiala, præſul Carthaginenſis, Regis Hiſpaniæ Legatus, tituli Sanctæ Crucis, qui ad ſtemmata nobilis familiæ, magnum ipſe decus adiecit, vitæ modeſtia, Theologiæq; ſcientia prędıtus. Ioannes Salernitanus, & Franciſcus Borgia Conſentinus, præſules ambo, religionis, ac bonitatis fama conſpicui. Italicorum verò totidem, Ioannes Antonius Mediolanenſis, præſul Alexandrinus, è duodecim Iudicibus, iuris ſcientia nulli ſecundus. Franciſcus Soderinus, præſul Volaterranus ac Referendarius, in eadem, & ipſe ſcientia clarus: nec minùs rerum prudentia, animique ſolertia, quàm & à parentibus quaſi hæreditariam habuit, & ipſe multis pro patria, multis etiam in Romana Curia, exantlatis laboribus eſt adſequutus. Adrianus Cornetanus, præſul Batonienſis, eius Breuium Magiſter, potiùs verò rerum omnium Vicarius. Is enim diu Quæſtor in Britannia fuerat, vbi ex Regis amicitia magnas opes aſſecutus, deinde ab Alexandro accerſitus, vnus omnino fuit, qui ob ſingulare ingenium difficillima tempora non ſolùm incolumis euaſerit, ſed cũ laude ſuperauerit. Inerat Alexandro ingeniũ, ratio, cognitio, memoria, diligentia; eloquẽtia verò quædam naturalis, & ad perſuadendum apta, vt nemorem cautiùs proponeret, aut acriùs defenſitaret, ſeu quouis cuperet, impelleret, ſeſe vnum omnium animis, accommodando, cum iucundis, de remiſſione, cum ſeueris, de diſciplina, cum Patribus de Republica loquebatur. Suos aduerſarios placabilitate, ac patientia deuinciebat. Nam eorum, qui de numero Patrum exulabant, quoſue ſuſpectos habuerat, nihil de priſtina dignitate detraxit. Gallorum animos contumaciſſimos ità ſedauit, vt amiciſſimi diſcederent. In tanta procerum Romanorum vaſtatione quod ſanè incredibile, nullum in vrbe tumultum, nulla ſenſimus arma. Omnia ipſe obire, parùm in rebus arduis cuiquam fidere. Idem in otio ſolutiſſimus, in metu conſtantiſſimus. Numquam negotia ſeu legationes audiendas voluptate prętiertit. Res in multam noctem protrahebat, breuiſſimi ſomni, cibiq; Artes liberales, ſi non colebat, admirabatur, iuris præſertim ſcientiam, vbi eſſe cõtingeret. Salaria Doctoribus, ſtipendia militibus, mercedem operarijs, numquam eſt differre, nedum auferre viſus: cuius rei gratia exercitum, quem magnum ſæpe nutriebat, ductore filio, fideliſſimum habuit, breuiq; tempore ac negotio, totam ferè Aemiliam, Flaminiam, Vmbriam, Picenum, quæ tributa non exoluerant, ſubegit. In annonæ difficultate, quæ bis contigit, aduecta è Sicilia, magna vi frumenti ità diligenter vrbi prouiderat, vt plebes nullum ferè ſentirent incommodum. Adriani molem, opere, quo nunc cernitur, reſtituit, Angelumq; faſtigio impoſuit, ei ſimilem, qui paulò antè deiectus erat fulmine. Iſta *Volaterranus*, & pòſt eum *Panuinius*, & *Ciaconus*, de Alexandro: quem *Nauclerus Generatione* 50. *anno* 1492. virum magni animi, magnæque prudentiæ appellat, æmulatorem Calixti III. per omnia factum, qui nationem, patriam, familiam illuſtrarit: & de quo *Krantzius lib.* 12. *Metropol. c.* 1. memorat, quòd omnẽ Curiæ Romanæ ſtatũ procurſus, & totius Italiæ Principum, & Communitatum conſilia callens, magnas res geſſerit: potentes in vrbe familias domuerit; omnes penè potentatus Italiæ ex tyrannis conſtitutos, ſubuerterit. *Gonzales Illeſcas*, *Abbas S. Frontonis*, meliorem Pontificum, quos viderit, prædicat, doctrina, prudentia, iuſtitiæ ſeueritate, clementia, moderatione animi, zelo fidei, iudicio, & vſu rerum, aliiſque virtutibus inſignem. *lib.* 6 *hiſt. Pontificalis c.* 21. Antonius Caraciolus, Clericorum Theatinorum profeſſor, *in vita Pauli IIII.* ex relatione eiuſdem Pauli Pontificis, qui id Chriſtophero Iuſtiniano, is verò Caraciolo narrauit, tanta religione Alexandrum Papam, tantaque animi ad mortem præparatione, & erga Sacroſanctam Euchariſtiam veneratione, & deſiderio fuiſſe memorat, vt diuiniſſimum Sacramentum pallæ, ſeu globo aureo incluſum, perpetuò ad collum appenſo geſtarit, ſiue prouidens Dominum exemplo Dauidis coràm ſe ſemper, omnium actionum inſpectorem & iudicem; ſiue præſidium & amuletum ad omnia, quibus circumſidebatur, pericula; ſiue denique, quòd priſcis Chriſtianis in more, viaticum præſentaneum ad itinera æternitatis. Ea ipſa fatali hora, qua ad venenatam cænam, in hortos Vaticanos deſcendit, oblitus fuerat ſecum ferre pallam, quam diximus. Vix menſæ ferali accubuit, cùm in cubiculo eam, ſe reliquiſſe animaduertit; ac in momento Ioanni Petro Caraffæ (qui poſtea Paulus IIII.) Protonotario, quo propter integritatem morum, & puritatem animi, familiariter vtebatur, clauem cubiculi ſecretioris dedit, imperauitque, iret, & in menſa pallam relictam auream deferret. Iuit quidem ille; ſed mox reſerato cubiculo ſpectaculum immane aſpexit: ex palla radios fulgentiſſimos emicare: Pontificem verò, quem in horto reliquerat, in pauimento mortuum iacere: ac præterea omnes Cardinales circumſidentes, quaſi de ſucceſſoris electione deliberare. Ab hoc ſpectaculo perterritus, ſemimortuus in terram corruit, tam diuque fere exanimis iacuit, donec miniſtri Pontificem à venenato poculo animam ægrè trahentem ex hortis in cubiculum retuliſſent. Et hunc quidem ità; vt corruerat, iacentem repererunt; cæterùm nihil eorum, quæ is aſpexerat, viderunt: ſpectaculo, quod ille ipſe viſum narrabat, morte Pontificis ſuccedente *Caraciolus c.* 4.

Paulò antequàm Alexander moreretur, Iacobum ex Marchionibus Badenſibus, à Collegio Sacerdotum electum Treuirenſem Archiepiſcopum confirmauit. *Trithemius in Chron. Sponheimenſe.* Ordinem etiam B. Mariæ ſemper Virginis, qui vulgo *Geſta eiuſdem præclara vlterius recenſentur.*





Annunciatarum Virginum dicitur, à B. Ioanna, filia Ludouici XI. ſorore Caroli VIII. eademque coniuge Ludouici XIII. Regum Galliæ, inſtitutum, procurante Gilberto Nicolao, Ordinis Sancti Franciſci profeſſore comprobauit. *Myreus in Chron.* Academiam item Vuitebergenſem à Friderico III. Duce, & Electore Saxoniæ conditam, ampliſſimis priuilegijs, & immunitatibus exornauit. *Gordonius in Chronol.* In Luciam Ferrarienſem Dominicanam Tertiariam, virginem deuotiſſimam, & paſſionis Dominicæ meditatricem feruentiſſimam, ſtigmatibus crucifixi, quæ omni ſexta feria ſanguinem fluentem de ſe manifeſtè emittebant, inſignitam, poſtquàm ea ſtigmata multi viri docti, & clariſſimi viderunt, & palparunt, inquiſitionem fieri imperauit: & ab eorumdem relatione teſtimonium veritati perhibuit, procurante Hercule Duce Ferrarienſi vnà cum Beatrice coniuge. *Trithemius ſupra. Pius de viris Illuſtribus Ordinis Prædicatorum.* Vt mane, in meridie, & vt veſperi Chriſti fideles ad ſalutationem Angelicam, & orationem Dominicam terno ſonitu æris campani admonerentur, inſtituit. *Genebrard. in Chronol.* Ab eodem in Germaniam miſſus, pro bello in Turcas ciendo Legatus, Cardinalis Raymundus, hæc operabatur, quæ *Krantzius*, & *Trithemius* recenſent. Iſta Krantzius. ſed interim per hunc annum pòſt mille quingentos tertium, Legatus de Latere Cardinalis Dominus Raymundus, titulo S. Mariæ Nouæ presbyter Cardinalis, cùm ſuperioribus annis per Germaniam miſſis Commiſſarijs Iubilæum publicari mandaſſet, & pro defenſione fidei in Turcos collectam ingentem pecuniam per loca haberet, ipſe inuiſere dignatus inſigniora loca, præſentiæ ſuæ non parua dedit viſentibus donaria, pleniſſimam remiſſionem quotiès in Pontificalibus celebraret: potiſſimùm peragratus loca, in quibus bella vel tonare, vel conſurgere intelligeret. Opportunè Lubicam ad Paſchalia applicuit, vbi ſæuiſſimum bellum iam paratum inter Regem Daniæ, & eam vrbem extinxit, pacem reparauit, & feliciſſimis auſpicijs tranquilla nobis tempora reliquit. Priuſquam inchoaret tractatum, per omnia vicina loca ab Altiſſimo gratiam precibus iuſſit implorare, in eo loco ſolenni proceſſione per vrbem habita. Ipſe ſacra ad aram peregit in ſuggeſto, quod erectum habuit in cæmeterio maioris Eccleſiæ. Ibi indutus Pontificalibus, ipſe Sacerdos ad aram fuit: Diaconus, Comes de Kirberge, iamdiu presbyter: Subdiaconus miniſter erat, Chriſtoferus Dux Brunſuicenſis, coadiutor Bremenſis Eccleſiæ, & Adminiſtrator Verdenſis. Eadem diuinorum formula, & Brunſuici, & Lubecæ, & Hamburgi & Bremæ fuit, plaudentibus, & præ deuotione multis lachrymantibus, quòd pacem relinqueret, quòd indulgentias multiplicaret, impenſa benedictione. Hanc ſolennibus locis ſeruabat conſuetudinem, vt expleto ad aram diuino miniſterio, ipſe in ſuggeſto in ſede ſua collocatus, ſtatim in ambone antè conſpectum cum Comite memorato proferebat Latino ſermone tractatum, quem indè conuerſus ad populum Comes populo nunciabat: idque tertiò, ac quartò in eadem ſermone repetens, populo per benedictionem valedicebat. *Metropolis libro duodecimo cap.* 30. Ex Dania in Germaniam reuerſus, comitio Principum pro continuatione belli Turcici Francofordiæ indicto interfuit: quandò in menſe Octobri conuenerunt Electores, Berthholdus Archiepiſcopus Moguntinus, Hermanus Archiepiſcopus Colonienſis, Iacobus Archiepiſcopus Treuerenſis, Philippus Comes Palatinus Rheni, Ioachim Marchio Brandeburgenſis, nomine Friderici Ducis Saxoniæ Orator Henricus de Bunauu miles, Epiſcopus Gurcenſis vnà cum Oratoribus Maximiliani Regis Romanorum ſemper Auguſti. *Trithemius in Chron.*

Is ipſe Pontifex Alexander, orbem recèns à Caſtellanis, & Luſitanis Regibus inuentum, inter eos partitus, vtrique ſuam plagam donauit, non, vt Mornæus calumniatur, Sathanæ æmulatione, qui regna donabat: neque quaſi ſibi temporali Orbis dominium, vt polytici blatterant, vſurparet: ſed ſpeciali, & rationabili de cauſa: nempè vt in ijs regionib. religionis, & fidei Chriſtianæ negotium promoueretur: vtque populis recenter ad fidem conuerſis, Principes Chriſtiani præficerentur. Aequum etiam fuerat, vt, ſi ad prædicationem Euangelij in illis prouinciis primi fuerint Hiſpani, & Luſitani, illique commodiùs potuerint ac poſsint in eo propagando operam nouare, his ſolis committeret, & alijs interdiceret non ſolùm prædicationem, ſed etiam commercium; quandoquidem ſolius Romani Pontificis munus eſt, operarios ad meſſem mittere, atque omnia impedimenta propagandæ fidei amouere. Id verò expedire iudicabat. quia ſi promiſcuè, & ſine vllo diſcrimine ex aliis quoque Prouincijs Chriſtianorum concurrerent ad illas noui Orbis regiones, ſe inuicem facilè impedire, & excitare ſeditiones: vnde, & tranquillitas facilè impediretur, & turbaretur negotium fidei, & conuerſio barbarorum. Præterea cùm Reges Hiſpaniarum, & Luſitaniæ ſuis auſpiciis, ſuiſque ſumptibus primi omnium eam nauigationem ſuſcepiſſent, & tàm feliciter inueniſſent, iuſtum erat, vt ea peregrinatio alijs interdiceretur, & ipſi ſoli fruerentur inuentis. Sicut etiam pro pace conſeruanda inter principes Chriſtianos, & Religione amplificanda, potuit Summus Pontifex prouincias Saracenorum inter principes Chriſtianos ità diſtribuere, nè vnus in alterius partes tranſeat: non minùs, quàm poteſt, pro commodo religionis, Reges, ac Principes conſtituere, ſeu creare: maximè, vbi anteà nulli fuiſſent Reges, ac Principes Chriſtiani. Eodem diplomate Alexander declarauit, ſe nullò modo tollere ius quæſitum aliis Principibus Chriſtianis in illas Inſulas, & terras: quas de plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ, vti Vicarius illius, cuius eſt orbis terrarum, & plenitudo eius, pronunciauit fuiſſe iſtos dominos, etiamſi nulla authoritate Apoſtolicæ Sedis illarum dominium adepti fuiſſent. Ab eadem cauſa, Orientalis Indiæ, & oræ Aethiopiæ à Luſitanis quæſita poſſeſſio effecerat, vt Alexander, concordiæ cauſa, tanquam arbiter, noua linea deſcripta vtriuſque figeret limites. Hoc verò non eſt, Sathanæ exemplo dicere: *hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraueris me:* ſed promouere negotium Fidei, & ſalutem animarũ curare: vt per Reges, ac Principes Chriſtianos, nomẽ Chriſti longè, lateq; diffũdatur: & Chriſtus ab omnib. gentibus (quod Satan regnorũ oblatione impedire, & ad ſe adorationẽ Chriſto debitam auertere conabatur) adoretur, vt in eius nomine, *omne genu flectatur, cæleſtiũ terreſtriũ & infernorum.*

IV. *Idem deſcribitur.* Obijt Alexander Pontifex, decimo quinto Calendas Septembris nobilitate generis, animi magnitudine, prudentiæ, iuſtitiæ, conſtantiæ laude, necnon rerum geſtarum gloria inſignis: quem nec extremæ difficultates, in periculoſiſſimis Reipublicæ Chriſtianæ temporibus retardarunt vmquã; nec Baiaſites Othomanici imperij potẽtiſſim[us] imperator à tutela Chriſtianitatis deterruit: nec Reges aliqui, nec Purpurati cõplures nec Principes factioſi, nec Potentatus, aut Proceres coniurati conſilijs, fæderib. armis ſociatis frangere potuerũt, quominùs maieſtatẽ Põtificiã, dignitatem, & iura Apoſtolicæ Sedis, patrimoniumq; Chriſti tueretur, vindicaret, inſanamq; potentiam, an petulantiam ſubditorum coerceret, verè maximus, verè optimus eorum Pontificum, qui inuicta conſtantia, Eccleſiã non modò defenderunt, verùm etiam auxerunt, & ornarunt, fide Chriſtiana am-

pliſicata,erroribus eliminatis, tyrannis repreſſis, pace inter Reges conciliata,bello ſacro ſuſcepto , hoſtibus nominis Chriſtiani vel deuictis,vel pacem poſcere coactis; hoc vno felix,an infelix,quòd benè audiendo,& agendo , malè à malis audiret:hoc ſanè citrà controuerſiam omnem felix , quòd ab eius genere,viri magni prodierint, Martinus Minorida, & Alfonſus Eremita Auguſtinianus, in Indijs , doctrina, prædicatione,& miraculis illuſtriſſimi:Nicolaus item Minorida, vitæ ſanctitate præclariſſimus: Petrus Ludouicus,ſupremus Monteſiæ Magiſter , factis ad immortalitatem editis,æternitate dignus:Franciſcus ex Duce Gandiæ,Soc.Iesv profeſſor,& à S.Ignatio Conditore, tertius eiuſdem ſocietatis Præfectus,nuper ab Vrbano VIII.Pont. Max.Beatorum Catalago inſcriptus :tot deinde clariſſima Ducum , Marchionum, Principum,& inprimis S.R.E.Cardinalium nomina: ex quibus hoc noſtro tempore GaſparBorgia,inſignis (vt Paulus V.in litteris,dum Cardinalem crearet memorabat)Theologus, rerum vſu doctiſſimus,meritis in Rempub. Chriſtianam longè clariſſimis, & vitæ ſanctitate conſpicuus Cardinalis, Philippi III.Regis Catholici primùm Romæ Legatus , deindè Regno Neapolitano cum titulo Pro-Regis præfectus,& inter Præſides Regii Conſilii,magna cum auctione prouentuum adnumeratus;qui prudentia,dexteritate,ac benignitate,regnum fidei ſuæ commiſſum Regi ſuo feliciſſimè nuper tranquillauit, ſeu adeò reſtituit.

## PII III. PONTIF. ANNO I.

V. *Valentini intentum propter ſuā ægritudinē minus proſperè ſuccedit.*

ALexandro Sexto,in Vaticanā Baſilicā elato, Valētinus Borgia in palatio Vaticano grauiter decūbens , omnes copias ſuas circà ſe contraxit.Et cum anteà ſemper,partim armorum ſuorum terrore, partim Hiſpanorum Cardinalium, qui vndecim ſuperſtites erant,ſuffragiis Pontificem ex arbitrio ſuo eligere cogitaſſet , tunctemporis propter grauiſſimam ægritudinem,& hoc, & reliqua omnia longè difficiliora,quàm priùs ſperaſſet,inueniebat.Quamobrèm vehementer indignatus quærebatur,quòd cum aliàs ſæpiùs omnia , quæ in Alexandri morte accidere poſſent,expendiſſet, omnibuſq; remedia inueniſſet, ſibi , vt ipſe eodem tempore tàm periculoſo morbo detineretur, fieri poſſe, numquam in mentem veniſſet.Ideo cùm conſilia non ad ea, quæ ante cogitarat,ſed ad præſentem neceſsitatem accommodanda eſſent,ſe eodem tempore Columniorum, & Vrſinorum odium ſuſtinere non poſſe ratus, & nè in ſe conſpirarent veritus,iis potius quos in fortunis tantum, quàm iis,quos in fortunis,& ſanguine læſerat , fidere conſtituit.Quamobrèm Columniis,& Vallenſi familiæ,quæ eandem factionem ſequebatur, ſtatim reconciliatus,iis vt in proprias ditiones redirent, inuitatis,arces,quas magno ſumptu Alexāder munierat, auxeratq;,reſtituit.Sed hæc neq; ad eius ſecuritatem, neq; ad Romæ vrbis,vbi omnia timore, & tumultu plena erant,tranquillitatem ſatis habebant momenti quoniam Proſper Columna in vrbem venerat,& tota Columniorum factio,arma ceperat:& Fabius Vrſinus,ſuæ familiæ ædes,in Monte Iordano ingreſſus, cum magna Vrſinæ factionis turba,aliquot tabernas, & mercatorum, atque Hiſpanorum aulicorum domos incenderat ; in cuius gentis nomen, propter calamitates ſuorum concitatus , & Valentini ſanguinem ſitiens,multos peregrinos milites conſcribebat,& Bartolomæū Aluianū,qui tunc Venetus militabat,vt cum reliquis Vrſinis ſuis,ad iniurias vlciſcendas properaret, vrgebat.Suburbiū,& Quintiana prata,Valentini copijs erant referta. Ergo Cardinales ſe non tutò in Vaticanum conuenire poſſe rati , ad Mineruæ conueniebant : quo in loco præter antiquum morem , Alexandri exequias ſed ſeriùs conſueto celebrare incæperant.

*Card. Alexand. P. defuncti exequias celebrant.*

Conſalui Romam aduentus timebatur: præſertim quia Proſper Columna , certum Hiſpanorum militum numerum Marini reliquerat : & quia Valentini cum Columnijs reconciliatione, Hiſpanicam factionem ſe ſecuturum promiſiſſe credebatur. Sed multò magis Gallici exercitus aduentus formidabatur, qui ad eum vſque diem lentè proceſſerat. Sic enim Ludouicus Rex iuſſerat , & Gallicam claſſem quæ Caietæ erat Hoſtiam , vt Conſaluum, ſi fortè, quemadmodum ferebatur , exercitum Romam , quò Cardinales ad libitum ſuum Pontificem eligere cogeret , ducere voluiſſet, impediret, petere præceperat. Quo tempore non minores erant in Latio , & in alijs pleriſque Pontificiæ ditionis locis tumultus : quoniam Vrſini , & omnes Romani proceres , in ſuas quiſque fortunas redibant. Vitellij Ciuitatem Caſtellum rediderant : & Ioannes Paulus Ballio , coniuratione fretus , Peruſiam oppugnauerat : quamuis ab hoſtibus fugatus recedere coactus fuerit , tamen cum multis copijs , & publicis Florentinorum auxilijs reuerſus , denuò valida impreſſione facta, non ſine aliqua hoſtium, & ſuorum cæde ingreſſus eſt. Plumbinates quoque arma ceperant; & quamuis Senenſes id oppidum occupare conati ſint, tamen Florentinorum ope prior Dominus rediit. Idem in ſuis ditionibus Vrbinatium Dux , Piſauri, Camerini , & Senogalliæ proceres faciebant. Sola Aemilia , etſi Venetorum , qui Rauennæ magnas copias comparabant metu non careret , in Sedis Apoſtolicæ & Valentini fide pacata permanebat. quod reipſa quantò ei regioni tolerabilius fuiſſet , vni tantum Principi , eique potenti parere, quàm cum ſingulæ ciuitates proprium Principem habebant , qui nec propter imbecillitatem , eos tueri , nec propter inopiam beneficiis afficere poterat : quin potiùs cum ſe paruis vectigalibus, quæ haberet , alere non poſſet , illos etiam opprimere cogebatur : illud etiam homines in memoriam reuocabant , propter Valentini autoritatem, atque potentiam , & ſinceram iuris adminiſtrationem , eam regionem à factionum tumultibus, quibus anteà ſemper crebris hominum cædibus , vexari ſolebat , immunem fuiſſe : quibus rebus, & beneficijs quoque in multos illorum collatis, in militares homines ſtipendiis ; in togatos, ſui,& Pontificii Imperij magiſtratibus diſtribuendis , & Sacerdotibus apud Pontificem ad ſacra beneficia obtinenda commendandis , populorum animos ſibi deuinxerat. Quarè nec aliorum exempla, qui omnes rebellabant , nec veterum Principum memoria eos à Valentino alienabat:quem vel tot anguſtijs oppreſſum,tamen & Hiſpani,& Galli ampliſſimis promiſſis ſibi adiungere ſummoperè nitebantur. Nam præter ipſius copiarum vſum,Hiſpanorum Cardinalium ſuffragia , ad futuram Pontificis electionem adipiſci ſperabant. Ipſe verò, & ſi propter Columniorum reconciliationem , illum Hiſpanis adhæſiſſe opinio fuerit , nihilominus cùm vllâ alia re,quàm metu,nè Vrſinis coniungerentur, ad id eſſet impulſus :tunc verò , quemadmodum aiebat, ſe ad nullam rem in Galliæ Regem tentandam, teneri velle declaraſſet , quia & Romæ , vbi Gallitam propinquum exercitum habebant , & in aliis ſuis fortunis , magis ei & nocere,& prodeſſe poterant , quàm Hiſpani , Galliæ Regis partes ſequi conſtituit. Idcircò primo Septembris die,cum San-Seuerinati Cardinale, & Tranſiuo Regis Legato, pro Rege ſtipulantibus,conuenit ; copias ſuas ad Neapolitanum,& quoduis bellum in quēcumq; excepto Pontificis Imperio gereretur,promittens:& viciſſim Regij Procuratores,Regem ad eius cum omni





omni ditione quam poſſidebat, defenſionem , & ad auxilia , quibus ea, quæ amiſerat, recuperare poſſet, ſubminiſtranda obligarunt. Præterea Valentinus ſe plurimorū Hiſpanorū Cardinaliū ſuffragia pro Cardinale Rotomagenſe capturū ſpē faciebat:qui Pōtificatus ſui Regis autoritate,opibus,& armis adipiſcēdi ſpei plenus,ſtatim poſt Pontificis obitū, ex Gallia vt Romam contenderet,profectus erat , ſecumq; præter Aragonium Cardinalem , Aſcanium quoque adducebat: qui ante biennium è Bituricenſi turri liberatus,poſtea in aula,in honore habitus, & à Rotomagenſi valde humaniter acceptus fuerat , quod veterem eius autoritatem , qua in Romana Curia pollere ſolebat,& maximas amicitias,atq; clientelas, ſibi primo Pontificatus interregno profutura ſperaret. quæ fundamenta non admodum firma erant, quia nec Valentinus ſibi de Hiſpanis Cardinalibus, qui magis hominum more propriæ vtilitatis , quam gratię ob beneficia,tum ab Alexandro , tum ab ipſo accepta referendæ ſtudioſi erant,& quia plerique illorum Regum ſuorum animos offendere nolentes, numquam id commiſiſſent,vt Gallum Cardinalem, Pontificem crearent:nec Aſcanius ſi maximè potuiſſet,vt Rotomagenſi ad ſpes omnes,quæ ſibi,& familiæ ſuæ relinquebantur deprimendas, & extinguendas,ad Pontificatum aſcenderet, aſſenſus eſſet.

VI. *Noui Pontificis electio ob cauſas aliquot differtur.*

Noui Pontificis creatio , tum quia defuncti exequiæ ante quarum finem(ſunt autem nouemdiales) Cardinales ex veteri more locum ſuffragijs ferendis deſtinatum,quem Conclaue vocant non ingrediuntur tum quod ad ſeditionis,in tanta rerum perturbatione , & tam graui Principum diſſenſione occaſiones,& pericula vitanda:Cardinales , qui præſentes aderant,abſentibus Cardinalibus veniendi tempus concedi voluerant:qui cum veniſſent;Senatus, propter Valentini copias,& quia Gallicus exercitus tandem totus inter Nepet atq; Inſulam collectus,quiq; caſtra Romam vſque extendere cogitabat,ſiue quod ne aduerſa factio,collegiū ad libitum ſuū fecere cogeret, vererentur, ſiue quod Rotomagenſis ad maiorem ſui ſecuritatem , vtq; eis copijs ad Pontificatum conſequendum ſe vſurum ſperaret, Tiberim antequam nouus Pontifex creatus eſſet, tranſire recuſabat , electionem minimè liberam fore videbatur. quæ tandem poſt multas contentiones Collegio , ſe alioqui conclaue ingreſſurum negante, hac ratione ſunt compoſita, quod Rotomagenſis , Pontificum Collegio,Gallicum exercitum Nepetis , atque Inſulæ fines minimè exceſſurum,fidem ſuam obſtrinxit, & Valentinus Nepet profectus eſt. Eluſus eſt Rotomagenſis præcipue à Iuliano Cardinale. Is cum & Valentini opera,& Gallorum vel ſtudio vel metu videret aliquot voluntates in illum inclinare,vltro adijt hominem:Et Pontificatum quidem,ait , omnium ſuffragiis dari tibi fateor. Atque ego quidem haud diffiteor,vel pleraque me,tantam, vt tibi dignitatem pararem,& ſimulaſſe dolentem , & diſſimulaſſe volentem,tandem vt aliquando rem omnem ad effectum conſilij perducerem.Hactenus tacui,cum præmaturam denunciationem officii, ſtudiique intelligerem , etſi dolebam cum alios occupare poſſeſſionem Pontificatus videbam. Sed vſque mihi temperaui,dum perducerem eo rem,vt dignum aliquid,& dignitate tua,& Gallica expectatione efficerem. Id vero veremur amici tui , ne quod olim non ignoras accidiſſe,quiritentur exteri Purpurati, metu te Gallicorum armorum deſignatum : nouaque habeant poſtea comitia,de alio deſignando.Quin tu eos, cū videas parata omnium in te ſtudia,hoc metu liberas? Neque enim circumfuſis patribus , armis Gallicis, vane quis obiecturus, Spiritus Sacroſancti numine nos deſertos.Itaque cenſeo , emittas mox omnes Gallicos milites vrbe , Pontificatum minimè controuerſum,ſine dubio adepturus. Hæc ſuadeo , vt non imperitus harum rerum,ita de ſtudiis erga te Patrum non ignarus.Quæ erant neceſſaria in eo tibi parando honore,in eadē nec infidelē, nec ſegnem operam polliceor. Paruit Rotomagenſis, Iuliani conſiliis,& Collegium multis militibus ad vrbis præſidiū conſcriptis, & tribus Antiſtitibus Cōclauis cuſtodiæ præfectis,ſi quē tumultum perciperent,eis aperiendi autoritatem dedit, vt ſingulis Cardinalibus liberam quocumque vellent proficiſci facultatē habentibus, omnes eos cogendi ſpē amitterent.Decretum etiam à Patribus conſenſu ante electionem,vt quicumque confectis ſuffragijs Pontifex renunciaretur, intra biennium proximum , Epiſcopos in conuentum Generalem cogeret. quod repeteretur deinde inſtitutum ſingulis tribus annis,lege in omne tempus lata. Superioris temporis licentiam frænare,ſanare Reip vulnera erat Patribus propoſitum: orbi vniuerſo id expetenti ſatisfacere. Ad Pontificatum quatuor cōpetitores aſpirabant Rotomagenſis , vt dixi, armis Gallicis potens.Reſiſtebat Iulianus alioqui Gallico nomini ad inſaniam addictus. Sed in Pontificatus petitione neminem præferri ſibi patiens. Bernardinum profecto Caruaialium Magnus conſaluus ſubleuabat,parta de Gallis victoria,multiſque ex eo adiunctis amicis,validus in quamcumque partē ſe dediſſet,quo ſtudio , vt Ioannes Calūna Cardinalis ex Sicilia,vbi Alexandri Pontificis metu eatenus ſe tenuerat,ad comitia feſtinaret,gratia,autoritate,& ope effecit. Neapolitanus quoq; Cardinalis ſpe & ambitione tribus ſed ex interuallo proximus , conſcendere Apoſtolicum ſolium moliebatur. Triginta nouem numero Cardinales omnes Conclaue ingreſſi ſunt:vbi diſſidium , quod alijs tēporibus moram afferre ſolebat in cauſa fuit,vt intra paucos dies nouum Pontificem crearint. Nam propter illas ſingulorum competitorum cupiditates , & præcipuè propter contentionem,quæ Gallicæ factionis Cardinalibus cum Hiſpanis,vel Hiſpaniæ Regibus fauentibus erat,non de homine conueniētes,ſed proprio periculo,cum res Romana in tanto metu, atq; tumultu eſſet,& caſuum , qui tam difficilibus temporibus,interregno præſertim Pontificali , accidere poterant, cogitatione territi, Rotomagenſi quoq; Cardinale,in quo indies magis eius adipiſcendi ſpes minuebatur,conſentiente,Franciſcum Piccolhomineū,Senenſem Cardinalē, quem quia ſenex erat,& tunc temporis infirma valetudine, omnes breuiſſimo tempore ſupremum diem obiturum exiſtimabant:ad decimum Calend.Octob.Pontificem crearunt:virum inculpatis moribus,innocentia vitæ, integritate famæ, doctrina , & ſolertia,grauitate religione inter oēs eius Ordinis præſtantiſſimū, cui ob tā ſingulares virtutes,iamdiu cōmunis hominū opinio ſummū Eccleſiaſticæ dignitatis apicē augurabat.

*Cardinales conclaue ingreſſi Frāciſcum Piccolhomineū in Pontificem eligūt.*

VII. *Idem deſcribitur.*

Natus eſt is Nanno Tudeſchino opulentiſſimo patre,Ciue Senenſi,& Laodemi,Pii ſecundi ſorore,anno D.1449.Humanioribus litteris, & iuri præcipuè, auunculi ſui induſtria,à teneris annis diligenter vacauit.Pòſt Archiepiſcopus Senenſis à Pio 2.ac ſubinde abſens III. Nonas Maij , anno 1460. cum aliis quinque Diaconus Cardinalis S. Euſtachii creatus eſt, quum ſuæ ætatis 22.annum,quinque diebus minus expleuiſſet. Grauiſſimo Vrbis , & totius Italiæ tempore,quo Pius 2.Anconam fuerat profectus,Romanam Legationem,& Picenam adhuc iuuenis,eodem auunculo ſedente,ſumma laude adminiſtrauit. Nouiſſimo Pauli 2.anno in Germaniā ad Fridericum Imperatorem Legatus,egregiè id munus obiuit:& apud nobilem Germanorum vrbem Ratisbonam,maximum de rebus fidei conuentum Germanorum

Principum præſente Imperatore habuit. Illic dùm eſſet Pauli 2. obitum, & Sixti IV. creationem audiuit. à quo reuocatus, rectiſſimum ſuæ vitæ inſtitutum, & illæſam virtutis opinionem, apud omnes retinuit. Ad Vmbros etiam inter ſe diſſidentes, ab Innocentio Octauo miſſus, eorum diſſenſiones pace compoſuit. Carolo VIII. Galliarum Regi in Italiam contrà Aragonios irrumpenti, Legatus ab Alexandro VI. obuiam pro tractanda pace in Etruriam miſſus, nec auditus, nec in caſtra receptus eſt, quippè Regi, & Proceribus Gallis, ob recentem adhuc Pii 2. memoriam erat inuiſus: quoniàm ille Superiore Neapolitano bello aduersùs Andegauenſes, à Ferdinandi Regis, Aragonijſq; partibus ſtetiſſet. Ob hæc igitur meritorum ornamenta, magna de ipſo apud omnes ſpe excitata, ad ampliſſimū Sacerdotij culmen euectus, vt Pij 2. auunculi ſui memoriam renouaret Pius III. nuncupari voluit, & inſignia ſui Pontificatus ad Lateranum mirabili pompa & honore ductus, à Raphaele Card. VIII. Idus Octob. recepit. Cùm autē inter ſolennes ceremonias facem ſtupeam conflagrantem, more maiorum vidiſſet, audiuiſſetque vocem illam, *Sanctiſſime Pater, ſic tranſit gloria mundi*, fleuiſſe ſtatim, & humanam ſortem breui perituram ingemuiſſe dicitur. Antequam verò diadema ſuſciperet, in quodam Patrum conuentu palàm expoſuit, Epiſcopos ex toto orbe in Concilium, vt cogeret, nolle biennium expectare, ſed rumpere continuò moras fixum animo eſſe. Ardebat ſcilicet cupiditate Eccleſiæ mores aſtringendi acriori cenſura, ac præſertim Vrbis Romæ, & Curiæ totiùs tetrum odorem amouendi. Pij etiam auunculi exemplo, ſtatim cæpit in Gallos conſpirare, tædio habens Gallorum dominio Neapolim, & Italiæ non modicam partem ſubigi. ſperabat enim diem affuturum, quo Gallum damnis affligeret, & tandem confæderatorum ope Italia excluderet.

VIII. *Romæ in vrbe & ſuburbiis magna perturbatio*

Pontifice creato, Gallicus exercitus, ad bellum Neapolitanum diſceſſit: Romam autem Valentinus, fide à Pontifice accepta, cum ducentis, & quinquaginta grauis armaturæ, & totidem expeditis equitibus, & octingētis militibus venit, res ſe aliqua pactione cū Vrſinis ſedare meliùs poſſe non deſperans. Hi etiam copias adduxerant, & nouas perpetuò conſcribebant: cumq; intrà mænia eſſent, & à Pontifice, atq; Cardinalium Collegio ius ſibi citò adminiſtrari, de Valentino poſtulaſſent, præcipuum tamen vltionis fundamentum in armis ponebant: Hinc vrbs, & ſuburbium, in quo Valentinus, caſtra habebat, perpetuò ferè tumultuantes, populum Romanum, & Curiam perturbabat. Secuta inter hæc pax inter Vrſinos & Colūnios, à quorum cōiunctione territus Valentinus, quū Roma diſcedere ſtatuiſſet, & iam iam Braccianum, quia Ioannes Iordanus ſe illum inuiolatum, eò perducturum Rotomagenſi fidem dederat, iturus eſſet, Ioannes Paulus Ballio, & Vrſini, qui illum adoriri ſtatuerant, cum per Angelicæ arcis pōtem ſuburbium ingredi non potuiſſent, Roma egreſſi, & longo circuitu ad portam, quæ Turrionis dicitur, quæ tum clauſa erat, profecti, eam incederunt, ingreſſique cum nonnullis Valentini equitibus pugnam inierunt, & quamuis multi Galli milites, qui nondum Roma diſceſſerant ei auxilio venerint, tamen cum hoſtium vires maiores eſſent, & ingens impetus, milites autem ipſius, quorum numerus iam antea valde imminutus erat, fugæ ſignum darent, vna cum Scyllaceo Principe, & aliquot Hiſpanis purpuratis in Vaticanum confugere coactus eſt. vnde ſtatim in Angelicam arcem, Pontificis conſenſu, ab arcis præfecto, qui adhuc idem erat, qui Alexandri tempore fuerat, quandocumq; diffidere vellet, in ſua poteſtate fore fide accepta, ſe recepit: eius autem copiæ diſſipatæ ſunt. Offenſionum cauſa hoc facto remota, tumultus quoque pariter Romæ ſedatus fuit: ſed & Pius Pontifex ad 15. Calend. Nouemb. fatis conceſſit, ſæuo vlcere quod crus excedebat, conflictatus, licet ſuſpicio non abfuerit de illito Pandulfi Petrucii Senenſium tyranni opera vlceri veneno Numina orbis Chriſtiani ſceleribus irritata, talem, ac tantum Pontificem inuiderunt: ſæua, & importuna mors, præclaros eius conatus diſturbauit. Sexto & vigeſimo die, ex quo fuerat in ſede Petri collocatus. Epitaphium illi fuit inſculptum hoc tenore.

*Pius III. Pontifex Maximus à Pio II. auunculo duos & viginti annos natus, in Cardinalium Collegium accitus, Vrbis, ac Piceni legatione integerrime functus, à Paulo II. ad Fridericum 2. miſſus, vt Germanorum arma in Turcas concitaret. conuentum frequentiſſimum Pontificis morte diſſolutum, habuit, ſub Innocentio VIII. Vmbros diſsidentes pacauit. Carolo Gallorum Rege Italiam irrumpente, ab Alexandro VI. ſero admodum obuiam miſſus, eo mortuo, duo de quadraginta Patrum ſuffragijs Pontifex creatus, dum de reſtituenda in priſtinum Maieſtate Chriſtiana Republica in vrbe agit, 26. die in tanta expectatione rerum publicè omnium luctu deceſſit, eloquio, prudentia, religione, innocentia, & grauitate domi, foriſque inſignis, in dicendis in Senatu ſententiis liber, & grauiſsimus. Vixit annos ſexaginta quatuor, menſes quinque, dies decem. Obijt anno Salutis Chriſti M.D.III XV. Calend. Nouembris.*

*Iacobus, & Andreas fratri ſanctiſſimo poſuere.*

*Franciſcus Guicciardinus lib. 6. Mariana lib. 28. c. 3. Ferronius in Ludouico XII. Sabellius Ennead XI lib. 2. Ciaconius, Onuphrius, & Platina in Pio III. Lapis ſepulchralis in Baſilica doctiſsimorum, & religioſiſsimorum Patrum Theatinorum, S. Andreæ de la Valle, vbi Piorum 2. & 3. corpora magnificentiſſime elata & collocata.*

Laus Deo, Deiparæ, & Sanctis Tutelaribus, à quorum munere, ſi quid perfectum, profectum. Romæ apud S. Petrum, in meo Muſæo, Pauli V. Gregorij XV. & Vrbani VIII. Pontificum Maxxx. benignitate attributo.



# ΕΠΙΝΙΚΙΟΝ

## *PRINCIPI VLADISLAO.*

### ΜΕΛΟΣ I.

PRæcētor. *Iluſtris vrbis, Thracio*
*Parere ſceptro quæ ſubactos imperat*
*Eoos, Otomana*
*Stirpe ſatus, belloq; potens Oſmanus habenas*
*Frenabat, prima ſignans lanugine malas.*
*Vernantis æui lubrico*
*At gradu ſiſtens, agebatur procacibus Notis*
*Diſcordium cupidinum.*
*Sæpè etenim turpi mollis laſciuit amore,*
*Queq; impudico abdit Gynæcæū ſinu*
*Deſidioſa ſacra & virtuti ſemper iniqua*
*Gaudia carpit.*
*Sæpè etiam ſæuo ſub pectore concipit iras,*
*Et fera magnanimus meditatur bella, neceſque;*
*Quin etiam horribilis dilutus imagine formæ,*
*Dum placida recubat compoſtus membra quiete,*
*Nil niſi naufragia, & mortis ſimulacra tuetur.*
Succentor. *Regem miſellum, cuius in intimo*
*Sæuit corde voracium (ſuperbo*
*Inrequieta cohors curarum. Clara*
*Tangat ſydera vertice*
*Thracia tellus:*
*Eat, Sabæi diuitis*
*Tributa iactet, iactet & Byzantij*
*Vana triumphos:*
*Illum non acies ære micantium*
*Turcarum pharetratæ*
*Lethali eripient ſollicitudine*
*At quæ cupido regium tandē caput*
*Obtinuit: vtrā ingreſſus eſt idem viā*
*Odryſione exultat equo, Mauortia tractans*
*Arma? illum an dulci carcere frenat Amor?*
Præcentor. *Hæc ipſe ſciuit, arbitror.*
*Nam veluti nubes, agitant quam flabra frementis*
*Concita Cauri,*
*Actus perpetuis ſeditionibus*
*Rebellium libidinum,*
*Planè mentis inops erat.*
*Vt tamen ætatis ſuadebat purpureum ver,*
*Improbus indè ſibi petijt*
*Lauream, quo vina, menſas inter, & toros amor*
*Turpis vocabat, pectore effuſis malis*
*Sic illi florem dulcis æui*
*Ritu legebat barbaro.*
*Non ſemel vero tulit arguentes*
*Ferocium voces Ducum.*
*Illi etenim illuſtres atauum dum ex ordine pugnas*
*Concelebrant, fuſaſq; acies, partoſq; triumphos*
*Ore tonant tumido:*
*Luxuriem ſibi perſentit pudibundus exprobrari.*
Succentor. *Blandæ non penitus nequitiæ virum*
*Abſtulerant, namq; eximium decus*
*Maiorum, ventoſa ratus non ille trophæa,*
*Verum acre ad ſolidæ virtutis præmia calcar.*
Præcentor. *Mollibus illecebris Argiuæ fortè puellæ*
*Deuinctus, longumq; bibens maleſanus amorem:*
*Quin oculos cautus vitans procerumque ducumque,*
*Agmina ſemiuirum comitum*
*Veſtes expediant femineas, iubet.*
*Tum, vt illa pulchro gaudeat ſpectaculo,*
*His regium obnubit latus.*

*Lætum purpureis ſtolis*
*Phœbeæ rutilant Lampados æmuli*
*Intexti Lapides, baccaquè rupibus*
*Auulſa æquoreis Tethyos Indicæ.*
*Sudata aſſyrio cortice balſama,*
*Plexa & Lacteolis ſtemmata lilijs,*
*Pubentiquè roſa, & Corycio croco,*
*Stultum, dum ſequitur ludicra,*
*Principem*
*Ornabant. Varijs ille modum iocis*
*Imponens, placidū deniquè coniugis*
*Infuſus gremio ſomniculum petit.*
*At mens, dulci vincta ſopore,*
*Videt horrendo ſpeciem vultu,*
*Quæ Laſciuos abſtulit imo*
*Pectore ſenſus.*
Succentor. *Sæpè quos fruſtra ratio*
*coercet*
*Vana fugerunt ſimulachra ſomni.*
Præcentor. *Mahometem namquè*
*ſecundum*
*Videt enormis vaſta elephanti*
*Terga prementem.*
*Iacit indignans fulmina dextra:*
*Iaciunt triſtes lumina flammas.*
*Geminat trepidum fera terrorem,*
*Phaleris circumtecta cruentis,*
*Decorat collum longa catena*
*Qua ceruices enſe reſectæ*
*Turpi caſorum nece Regum,*
*Lemniſcorum veluti ſeries*
*Aurea, pendent.*
*Validum tergus pondere vaſto*
*Turris grauida milite multo*
*Docile vrgeri, plurima vertit*
*Picta auratis purpura lunis.*
*Ibi terrificum ſcuta tribunal,*
*Galeæ hirſuto crine comantes,*
*Thoraxq́; rigens erigit aere.*
*Tollitur ardens face fulminea,*
*Cæloque minans, inde trophæum,*
*Quod cum rutilos excipit ictus*
*Phœbi, tremulo fulgurat igni,*
*Totum vt diris aera flammis*
*Videas vri. Videas ibidem.*
*Cuſpide cētena clypei ſeptēplicis orbē*
*Transfixum, radijs medio velut æ-*
*quore punctum.*
*At funeſtæ pondera molis*
*Pendent trifido fulta metallo*
*Indica vinctum quod gerit armo*
*Bellua pando. Hac Mahometes*
*Sede ſuperba ferale furens*
*Tumidus rabidas aggerat ira.*
*Obit immitis crura Tyranni*
*Squamma auratis prolita guari.*
*Tegmine vaſto furiata chalybs*
*Pectora claudit.*
Succent. *Triſtis imago, nimiū viſu*
*Horrida, blando vel dicta ſono*
*Nimium trepidas heu ferit aures.*
*Nunc mihi ſæuo corda veneno*
*Sparguntur, gelidusquè coit formidi-*
*ne ſanguis.*
Præcēt. *At terribilis fremebūda viri*
*Spirant gelidos ora pauores.*
*Non ſic Erebi, noctisquè triplex*
*Soboles mœſtas territat vmbras*
*Triſtia propter ſtagna paludis.*
*Nulla genarum, mentisquè trucem*
*Tegit horrorem pluma: ſuperius*
*Tantum Hirſutis labium ſetis*
*Squallet. Ceu rigidis obſita ſentibus*
*Torua intercilia obſcena ſub fronte*
*minantur,*
*Igne micant oculi, ſiculi velut antra*
*camini,*
*Quibus ira, furorquè venenatas*
*Conflant ſtygio rore ſagittas.*
*Cingit nefandi Principis dirum ca-*
*put*
*Anguinea byſſus, cuius intortas*
*premit*
*Corona ſpiras, cæde crudeli madens.*
*Erepta ab hoſtis tela proſtrati ma-*
*nu*
*Niueoquè lino inſerta circum tem-*
*pora*
*Eunt, Bootis lucidi ſertum putes.*
*Nudos lacertos ora Gaetuli fera*
*Leonis, & quas poſuit exuuias Dra-*
*co,*

*Ornant*

*Ornant. ſiniſtra ſanguine infectum*
*capit*
*Arcum, coruſcat fulmen horrendum*
*altera.*
*Ita ille vultu, armiſque non diſpar*
*Ioui,*
*Sed fulminanti incedit. Hoc ergò fe-*
*rox*
*Terrore, Laruis ſomnium inuadit*
*ſuis*
*Laſſata ſomno membra deuinctum*
*graui*
*Oſmanon, & dulcis tepido amicæ ſi-*
*nu*
*Tuto cubantem, muliebri indutum*
*ſtola.*
*Prim[illegible]m pauentem terret obtutu fe-*
*ro,*
*Has d[illegible]indè voces pectore emittit mi-*
*n[illegible]x.*
Mah[illegible]etes. *Opima verò ſpolia &*
*ab[illegible]ndo*
*Ma[illegible]pudicæ ſeruulus libidi-*
*nis*
*Troph[illegible]atuis? tu inclytæ germen*
*dom[illegible]?*
*Tuere f[illegible]cta, ſi ferunt oculi, mea:*
*Age in[illegible]ere. Quid ſimile cernis*
*tui,*
*Degener, [illegible]oſque heroas indignis*
*modis*
*Mentite? I[illegible]m Turcico immunem*
*iugo*
*Aſpicio adhu[illegible]! Cruoris & cædis*
*ſiti*
*Anhelus ego, phalange fretus bar-*
*bara,*
*Tuos coegi Thracijs è ſedibus,*
*Conſtantine nepotes*
*Cedere abactos.*
*Idemquè miſcens omnia,*
*Victor ruinis, igni, ferro perculi*
*Cruentus Europen, & inſtar ful-*
*minis,*
*Pater quod alta iratus intorſit pla-*
*ga,*
*Bis ſena domui regna, biſcentum*
*erui*
*Violentus vrbes. Rebar, haud nego,*
*meros*
*Olim nepotes, quicquid Oceanus*
*vaga*
*Coercet vnda, prodigos animæ,*
*fore*
*Peſſumdaturos. Vngue enim dum*
*Lubricum*
*Iouis ſatelles dilaniat Hydrum te-*
*ner*
*Sæuire pullus diſcit & plaudit*
*ſibi:*
*Enarce nulla, mœnibus nullis, ta-*
*men*
*Hinc Sarmatarum diſsitus ſpatio*
*breui,*
*Rex tutus agit. O Thracij æternum*
*Imperi*
*Dedecus! itanè cærula perrumpant*
*vada*
*Ponti ſonantis liberis amnes a-*
*quis*
*Sarmatici! adhuc Mauortios ani-*
*mos gerens,*
*Odryſia Sigiſmundus illudat iu-*
*ga?*
*Tuquè, ac potenti ſi dominus orbem*
*manu*
*Iam temperares, nullus & reli-*
*quus foret*
*Domandus hoſtis: ocio torpes in-*
*ers.*
*Mollem feroci cordi deſidiam ex-*
*cute:*
*Aureſquè iuſſis grandibus faciles*
*dare*
*Tantiſper aude, digna dum moneo*
*meis,*
*Oſmane, factis: Turcicæ ſonitus*
*tubæ*
*Feracis Aſiæ Martiam pubem ad-*
*uocet,*



*Ciatque*

*Ciatquè ſerui feruidos Nili duces,*
*Danaumque populos fortium arma præbebit patens*
*Aegæon, aurumque. Interim ego ſcythicas tuo*
*Iungam cohortes militi: tantis erunt*
*Trophæa digna motibus, vinctus graui*
*Humeros catena, Sarmatæ natus Ducis.*
*Edico ſanguinis titulus eſto mei*
*Dei flagellum, horrorquè dirus Principum,*
*Deflenda quin regnorum & impia vaſtitas.*
Præcent. *Poſtquam terrifico monſtrum ferale boatu*
*Detonuit, iuueni diras in pectora flammas*
*Vibrat, & impuris miſcet ſe protinus auis.*
*Illum autem ſomno exemptum pudor, iraquè duris*
*Exercent ſtimulis. Lecto ſe proripit aureo*
*Obtutu defixus humi: mox vnguibus vncis*
*Femineas lacerat tunicas, atquè arma minaci*
*Inclamat voce, & longas quatit improbus haſtas.*
*Ipſa ſtupet ſubita in peſte, exhorretquè, tremitquè*
*Muta puella metu. At furiarum percitus œſtro*
*Extulit ille pedem tectis, proceresquè vocatos,*
*Quæ verſet, ſæuoq; coquat ſub pectore, cuncta*
*Edocet. Attonita tantum fera prælia mente,*
*Sarmatiamquè agitans, nec, cum nox incubat atra,*
*Aut Aurora diem reſerat, capit vla quietis*
*Munera, ſub ſignis donec pharetrata Scytharum,*
*Orbis & Eoi impatiens ſimul agmina cogat.*
*Quin prius Auguſtæ quam mœnia deſerat vrbis*
*Magnanimos aperit ſenſus, facileſquè maniplis*
*Oſtentat prædas, gremio quas diuite condit*
*Sarmatia. Infauſtam ſed poſtquam Aurora reduxit*
*Mœſta diem, ſortis dubiæ in diſcrimen euntes,*
*Olli hac periuræ plaudebant voce phalanges.*

## CHORVS TVRCARVM.

CHorus. *Eois age concine*
*Europa tubis: armipotentem*
*Dic Thraciam. Non gurgite*
*Regnat ſpumifero patris*
*Oceani, latæ ſpatium non obtinet vllus*
*Telluris dominus, tuo*
*Compararier auſit*
*Qui Regi: veteres licet*
*Imagines, & bellicum*
*Præſignet digito decus.*
*Rex ò Threicij ſoli,*
*Orbis domitor, vince rebelles.*
*Arma manus poſcunt, bellum vocat, arma ſequamur*
Vnus. *Quicquid Parrhaſio gelu*
*Propè tardigradi ſigna Bootis*
*Torretur. atquid? fallimur.*
*Quantum amplectitur ambitu*
*Orbis, & omnipotens quantum ſe tollit Olympus*
*Turcarum imperio ſubeſt.*
*Nubes ceu leuis, hora*
*Quam perdit breuis, illicò*
*Te robur antè concidet*



*Lapſo Sarmaticum genu*
Chorus. *Rex ò Threicij ſoli,*
*Orbis domitor, vince rebelles.*
*Arma manus poſcunt, bellum vocat, arma ſequamur.*
Duo. *Quam mox horribiles cruces*
*Affliget humi ferus, atque inſtans*
*Ferrum cruore Principum*
*Miles regius imbuet.*
*Neſcia ſeruitij centum conſtricta catenis,*
*Europæ ſubeat iugum.*
*Ipſa & pulchra fluenta*
*Iam nunc Italiæ, tuis*
*Regnata Regibus, maris*
*Irrumpant vada cærula.*
Chorus. *Rex ò Threicij ſoli,*
*Orbis domitor, vince rebelles.*
*Arma manus poſcunt, bellum vocat, arma ſequamur.*
Vnus. *Capt et carmina tinnulo*
*Deducta ſono Virgo tenella.*
*Arguta miles tympana*
*Ridens auribus hauriat,*
*Infelix gemitus cæſorum ſemper inerret*
*Me iuxtà. Quis item ſonus*
*Comparier auſit*
*Bombis gutturis aerei!*
*Seu caſtra cum frementia*
*Vaſto murmure concrepant!*
Chorus. *Rex ò Threicii ſoli,*
*Orbis domitor, vince rebelles.*
*Arma manus poſcunt, bellum vocat arma ſequamur.*
Duo. *Pubentes timidi roſas,*
*Vitaque pruina canentes,*
*Spectent procaci lumine.*
*Spectemus validi ſacra*
*Templa Deum latè flammis crepitantibus vri:*
*Infletiſque itidem viri*
*Campos oſsibus albos.*
*Virgo dilaniet comas,*
*Supplex & Iſter, ſanguine*
*Exundans, iteret preces*
Chorus. *Rex ò Threicij ſoli*
*Orbis domitor.*

## MEAOS II.

Præcent. *Cum caput inuiſum cælo nimboſus Orion*
*Exerit, & nautas caſside terret atrox,*
*Spumeus ex imo Nereus ciet æquora fundo,*
*Canaq; raucisono murmure ſtridet aqua.*
*Sic vbi Threicia belli ſignum extulit arce*
*Oſmanus, rigido cinxit & enſe Latus,*
*Omnis ſollicito quaſſatur concita motu*
*Europa, atque vna hæc reſpicit arma tremens.*
*Ipſa etiam vario curarum fluctuat æſtu,*
*Pondera quæ cæli Martia Roma gerit.*
*Nam Sigiſmundi quamuis aſſueta triumphis,*
*Anxia ſoletur pectora, dextra potens:*
*Fama tamen, pennata mali prænuncia, magno*
*Vel fortes animos concutit vna metu.*
*Quæ vero Imperij, & bellorum examinat aptè.*
*Pondera, purpureum turba verenda Patrum,*
*Tybris Romuleæ quà mœnia perluit vrbis,*
*Talia facundo pectore dicta dedit*
Succentor. *Quis Sarmaticis imminet agris*
*Turbo cruentus? quis Threicium*
*Vitet gladium fortis, & audax?*
*Proh quanta manus? tota Tyranno*
*Gelida Odryſio militat Arctos,*
*Totaque nimio torrida ſole*
*Plaga, quæ noſtris ſpolijs inhiat.*

Millia peditum centena quater
Equitumque acies inſtructa ſuas
Longo pandunt ordine, quorum
Dacia pedibus depreſſa latet,
Seu quà aerio colle tumeſcit,
Seu quà recubat valle reclinis.
At Sarmatiam, ſi bene noris,
Nulla tuentur caſtra, nec vlla
Arx, difficili prærupta ſitu.
Mœnia patriæ pectora gentis,
Quæ, ſi inuadat barbarus hoſtis,
Obex dubius, certa pericla.
Non terrigenum horrenda Gigan-
tum
Vis, Aemathium Pilion olim,
Superimpoſitis Oſſa & Olympo
Molita, potis claudere valle.
Quid? ſi tumidis fluctibus illam
Fortuna minax obruat [omen
Vertat in hoſtem numen ami-
cum]
An præcipitis naufraga freti
Aequora ſiſtant, aggere rupto,
Vt non Italos etiam pontus
Victor inundet? ſic Oceani
Vada cetiferi Batauos acres
Alta vorarent, nî congeſtis
Molibus, iras, littora fruſtrà
Ferientes, ſcite frenarent.
Quas interdum ſi vorticibus
Violentum diſiciat pelagus
Superincumbens æquore toto:
Virides late limoſa palus
Occupat agros.
Exempla Deus bonus auertat
Dentq́; triumphos numina claros
Placata piis: irata malos
Fulmine perdant.
Chorus. Exempla Deus bonus auer-
tat,
Dentq́;, triumphos numina claros
Placata piis: irata malos
Fulmine perdant.
Præcentor. Hæc vulgo terrorem au-
gent, at Sarmata pubes
Audax, & tanto nequicquam terri-
ta motu,
Ignauos procul ire metus, & ſtare la-
bantem
Rem iubet. Illa etenim armorũ ful-
gore coruſcans,
Indomita, horrentemquè potens ad
bella ciere
Gradiuum, campo latè ſe effundit a-
perto.
Ipſe etiam egregiis animis, & flore
iuuentæ,
Natus ad imperia, & titulos virtute
parandos,
Ociaquè indignans, ſitienſquè, aui-
duſquè pericli
Regia progenies, Vladislaus in armis
Emicat auratis, & prœlia voce la-
ceſsit.
Magnanimum Europes illum dic
eſſe Leonem,
Vnguibus horrendis cuius Byzan-
tia fato
Debentur ſpolia, & Turcarum è
cæde triumphi.
Nunc totam promptuſquè manu,
larguſquè cruoris,
Conſilioque potens, rapit in diſcri-
mina rerum
Arcton. At inſomnes actas quis di-
cere noctes,
Siuè breues ipſos, interruptoſquè ſo-
pores!
Sythonis glacies! ſubitos ex æthere
nimbos
Audeat? aut longi feruentia tela
diei?
Scilicet haud facili venit Victoria
nixu,
Et ſua regnanti ſtat gloria parta la-
bore.
Succentor. Sceptra autem Euxinæ
qui Taurica ſuſtinet oræ,
Ipſequè Turcarum Dominus, ſibi
ſomnia vana



Fingentes, Partho nullum dum cer-
tius arcu
Numen habent, animo ventoſa tro-
phæa tumenti
Concipiunt, ſtolidi & ſpe deluduntur
inani.
Hinc auro, & Tyrio fulgent tentoria
cocco,
Regaleſquè dapes, & multo ſplendi-
da luxu
Strata tegunt: hinc & laſciuo duce-
re motu
Viſuntur choreas primæuo flore puel-
læ,
Quas Aſia, Inachium & pulchras
ſubmiſerat Argos
Ficta ioco interdum miſceri prælia
cernas,
Ipſas & pictis hoſtilia Amazonas ar-
mis
Exercere odia, & falſo proſternier
ictu.
Mox cetris, gladijſquè, ſua quis im-
probus arte
Finxit Arabs, ſumptis, crotaliſquè
ſonantibus ambas
Implicitæ, euinctæquè manus, atquè
ilia, criſpant
Maſsylum de more latus, pedibuſq́;
citatis
Tellurem pulſant, & carmina læta
frequentant.
Sic ſatis Oſmanus tanti ad certami-
na belli
Vina putat, choreaſquè leues, thala-
moſquè pudendos.
Vſque adeo innumeris iuuit conſi-
dere turmis.
Præcentor. At non Sauromatis ful-
get lux candida nuptis.
Illæ etenim vt victor coniux ſua te-
cta reuiſat,
Supplicibus Diuos, fuſæ per templa,
per aras,
Expoſcunt pacem lacrymis, atque
æthera votis
Pallentes onerant, & numina cun-
cta fatigant.
Pars etiam, ferro vidit quæ pectora
claudi
Cara viri; teneris circumdat ſcortea
membris,
Scortea, quæ ſilices horrentibus aſ-
pera villis
Contexunt, grata ab miſeris induſia
nautis.
Quin etiam trepido ſtipatur regia
vulgo,
Comptus vbi, ſacris patrio de more
peractis,
Concipit antè aras ſolemnia vota
Sacerdos.
Marmorea aulæis velantur templa
ſuperbis,
Queis ipſum, Diuis hominiquè Ere-
boquè tremendum
Corpus Chriſte, tuum rutilanti ful-
get in auro
Hinc atq́; hinc ſanctam colluſtrant
lampades ædem
Luminibus tremulis, clari ceu ſidera
cæli:
Panchâeiuſq́; vapor glomerat dum
fumeus orbes.
Mille vagos circum, precioſas par-
turit vmbras.
Hinc crebri gemitus, valido contu-
ſa lacerto
Pectora, ſingultus, manans & pluri-
mus ore
Imber, ad æterni cæduntur numinis
aras
Victima, pacatum, quò tandem ful-
mina ponat
Atquè humiles placido reſpectet lu-
mine terras.
Verum poſtquam Vladislai ſigna ſe-
cutæ
Felices abiêre acies; pro milite Di-
uûm
Virgineus petit arma chorus modu-
lamine tali:

## CHORVS SARMATARVM VIRGINVM.

Flebilis alti
Pulſat olympi
Sidera gemitus,
Pietatemq;
Elicit aſtris,
Munita fidè
Pectora dubijs
Rebus, & inter
Flagra, cruceſque,
Martiaque inter
Bella tonanti
Stant nixa Deo.
Noſtræ ergo preces
Sidera adibunt.
Agite ò querula
Voce ſorores,
Dicite, Ieſu
O parce bonus,
Parce, precamur
Vna. Ego Threicijs
Aedibus, antè
Ignota focum
Barbara penſa
An illa traham.
Dominæque feram
Barbara iuſſa?
Ergo oneratos
Colla catenis
Heu ferre Duces
Ego ſeruitium
Videam noſtros?
Non: namq; preces
Sidera adibunt.
Agite ò querula
Voce ſorores
Dicite, Ieſu
Altera. Hauriat antè
Turcicus enſis
Tenere è nati
Corde cruorem.
Ipſa trementem
Lumine ſicco,
Sanguinis atri
Fœdumque notis
Intrepida prius
Videam. flauos
Quam tegat alba
Vitta apillos.
Chor. At clara preces
Sidera adibunt.
Agite ò querula
Voce ſorores,
Dicite, Ieſu, &c.
Tertia. Immenſa Syri
Membra gigantis
Puer hebræus
Verbere fundæ
Sarſuit, & enſis
Vulnere magno
Secuit vaſta
Denique colla,
Præbente Deo,
Cui pius vni
Nixus adhæſit
Robur, & animos.
Chor. Noſtræ ergo preces
Sidera adibunt.
Agite ò querula
Voce ſorores
Dicite Ieſu, &c.
Altera. Ipſa potentis
Robora dextræ
Ampla ſuperbi
Regna Canopi
Senſere nimis.
Iramque frementis
In vada Ponti
Equites Pharij.
Pedites, currus,
Ipſe Tyrannus
Ruit æquoreis
Piſcibus eſca.
Chorus. Noſtræ ergo preces
Sidera adibunt.
Agite ò querula
Voce ſorores,
Dicite, Ieſu, &c.
Tertia. Exempla vtinam
Redeant iterum,
Eadem redeant
Clara trophæa,
Noſtroſque leuent
Nimios luctus.
Pectora pugnis
Triſtia plangens,
Thracius hoſtis
Videat toruo
Lumine noſtras
Denique palmas.
Chor. Certè alta preces
Sidera adibunt.
Agite ò querula
Voce ſorores,
Dicite, Ieſu, &c.

## CHORVS PRÆTORIANORVM & puellarum.

Æterne rerum conditor,
Te inſignis manet auſpice fortes
Laurea Sauromatas.
Vtinam pereat
Thrax impotens, & impius
Inuaſor almæ pacis, ille gentium
Prædo cruentus.
Diſcat fulmineo Sauromatũ Ducis
Tandem à gladio,
Noſtra an cornua rauco
Clangore ſciant
Agere indomiti
Martis in arma
Viles columbas, an feroces alites.

### ΜΕΛΟΣ III.

Præcentor. Qua verticoſis Noſter vndis Daciæ
Pererrat arua, cãpus immensũ patet
Septus vetuſti nemoris vmbrifera coma.
Illic cohortes Turcicæ tentoria
Figunt, anhelæ ſanguinis ſemper ſiti.
Decreſcit æquor, ſpatia ſub pedibus latent.
Vix tot coegit, Perſico ſceptro tumẽs
Xerxes phalanges, aluei, ſiccis aquis
Poterant hiantes ſidere ſub ipſo canis
Arentis ora militis deludere.
Belli tuliſſent horridi quidem decus
Thraces ſuperbi, dum cruentus cominus
Mars arma miſcet, ſi repulſo robore
Humerus triumphet ter etenim plures Getæ,
Quam tota Sauromatum manus.
Succentor. Eſto flauentem numero Saburram,
Quam vomit raucum pelagus profundo,



Atque vernantis teneros agelli
Floſculos æquet ſuperis peroſum
Agmen: aut iras imitans Gygantum,
Montibus montes cumulet proteruum:
Protinus tactum cadet igne, cæli
Quem Pater alta iaculatur arce,
Pro ſuis quandò mouet arma Chriſtus.
Præcentor. Regnator ipſe frigidæ Scythiæ Camus
Haſtis minaces milites ducit ſuos,
Immane ſpirans. Maximus Byzantij
Rex Thracas arcu, ſpiculiſque Gnoſſijs
Humeros grauantes ſtimulat in bellum ferox.
At pulchra Regis Sarmatæ proles, manu
Aurata geſtans ſceptra, Martiobarbulos
Agit Coſaccas, hoſpitalis æquoris
Sæuas procellas. Claſsicum aera perſtrepunt,
Nutant, tremuntque montium tumuli, tremunt
Imæque valles, æreo dum gutture
Boant, pilaſque fulminis ritu vomunt
Tormenta. ſtrepitus tympanum, atque bellicus
Clangor tubarum, equorum & hinnitus fremens.
Pugnantium acres exacuit animos, pari
Haud tamen auſpicio. Zephyri vexilla procacis
Luſibus expoſita, haſtarum creberrimus ordo,
Præterea varijs volucrum fulgentibus alis
Implicitæ galeæ, & nitido thoracis aheni
Sole repercuſsi, medio in certamine Martis
Ipſis grata oculis, dulcique pericu[illegible] mentem
Pertentant motu. vſque adeo miratur, amatque
Barbaricum accinctum, mortem licet ille minetur.
Succentor. Igne ſic Phœbi icta nubes,
Siderum pulchros radios laceſſens,
Si tamen triſti ciat inſolentes
Axe Pangaeus Boreas ſuſurret,
Illicò in fulmen videas coruſcum,
Inque Spumantis pelagi procellas
Vertier atras.
Præcentor. Attamen, heu! faciem armorum furor impius illam
Haud ſupereſſe diu patitur. abrumpitur ordo.
Itur in aduerſos. ſtimulis Bellona cruentis
Vrget in arma viros, maculiſq; rubentibus herbam
Imbuit immitis, cumulatq; ferocior vſque
Funera funeribus. telo traiecta trabali
Pectora ſanguineo nant æquore ſordidus ora
Deturpat puluis. ſtygiis volat illita ſuccis
Fraxinus, atque animam pennata exhaurit arundo.
Hic demeſſa iacent atro ſqualentia tabo
Colla, illic tellus eliſo infecta cerebro.

*Sanguine tela madent, feriuntquè hinnitibus auras*
*Vulnere Cornipedes tardi. Quis dicere triſtes*
*Languentûm potis eſt gemitus, & dira minantûm*
*Stridorem? vſquè adeo ſæuit fera mortis imago.*
Succentor. *Induat ære*
*Pectora triplici*
*Quiſquis turbine belli*
*Rapitur: membra timore*
*Sentiat, opus eſt, labefacta quat.*
*Quoties etiam dolet incaſſum*
*Victor, palmas culpatquè ſuas:*
Præcentor. *Iamquè quaterdena luſtrarat lampade terras*
*Auricomus Titan, ſæuam nec feruidus iram*
*Preſſerat armipotens. Sed enim Victoria turmis*
*Sarmaticis tandem cedens, Mauortiæ gentis*
*Læta triumphali præcinxit tempora Lauru.*
*Quare animos ponens tumidos Byzantius heros*
*Pacem orat ſupplex. Vladislæ mucronem*
*Annè tuum Chalybes inuicto adamante retundant?*
*Tu tibi ſternis iter ferro, tu barbara calcas*
*Pectora, cornuti tu ſideris obteris ora,*
*Suſtollisque crucem. Libycis ſic Pœnus in aruis*
*Inuadens armenta leo furit ore cruento,*
*Sic veterem Syluam violentus corripit ignis*
*Increpitans, victorque ſuis vorat omnia flammis.*
*Ipſe licet refugo tundat caua littora fluctu*
*Oceanus, ſubigatquè potens in fœdera terras.*
*Ire ſua; oppoſito veniat modò Caurus ab axe*
*Imbribus accinctus madidis, & turbine ſæuo:*
*Continuò ſe in cæca ferat penetralia Nerei,*
*Æquora compeſcens, domitaſquè relinquet arenas.*
*Tu Leo tu flamma, & fauſto tu flamine perflans,*
*Eximis exitio, ſeruatumquè aſſeris orbem.*
Succentor. *Nobilis heros,*
*Cuius ope manent res Europæ,*
*Neſtron Threicio ſanguine turgidum*
*Videre quam gratum tibi!*
*Terge nuptarum lacrymas gementûm*
*Sarmatia, pacem Barbari*
*Supplices orant, trepidiquè raptis*
*Fugiunt ſignis.*
Præcentor. *Læto fruuntur Sarmatæ ſpectaculo,*
*Regem videntes barbarum,*
*Qui nuper arma negligens hoſtilia,*
*Orbiſquè ſceptra ſomnians,*
*Furebat armis Dacici ripas prope,*
*Greſſu citato Thracium*
*Regnum petentem, menſtrui inſtar ſideris*
*Curuare prorſus agmina.*
*Simulquè turpi ſe fatentes cedere*
*Pallore victos, hoſtium,*
*Ceruice flexa, & lanceris tentoria*
*Venerarier primos Ducum.*
*At caſtra tota duplici reſonant choro*
*Sarmatica: iactant Milites*
*Hinc glorioſi facta gentis gradiua,*
*Illic puellæ nubiles,*

*Nuptæ-*

*Nuptæque dulci barbito tollunt ſuum*
*Ad aſtra fortem Principem.*

CHORVS MILITVM SARMATARVM
Strophe I.

*Vos, ò voraces vultures,*
*Coruique roſtris turba rapacibus,*
*Huc, qua Threicium mole cadauerum*
*Daca tumeſcit*
*Tellus ingluuiem tabe expletura fluenti,*
*Pennas ferte volucres.*
*Linquite nota*
*Spelæa feræ,*
*Parat hoſtilis pabula vobis*
*Funeſta cruor.*
*Quæ nos iubebant Turcico*
*Parere ſceptro, regna funditus ruunt.*
*Plorant, fugiunt, pauidique tremunt*
*Occhialus, Baiazettus, ſæuusque Dragutus,*
*Seruili fœdata flagro, furaxque caterua.*

CHORVS PVELLARVM SARMAT.
Antiſtrophe I.

*Vos ò liquida voce potentes,*
*Maxima cura Deum,*
*Inclytum carmen Lyræ Cycni iugate candidi.*
*Thrace victo, pax triumphat, Virgines nec amplius*
*Noſtræ ſubibunt Turcici pondus iugi:*
*Lætas nec vrbes ciuibus*
*Exhauriet Myſus ferox.*
*Florentes ô virtute Duces*
*Saluete, veſtras vſque laudes concinent*
*Cymbala, citharæ, tympana rauca,*
*Europæ arces, fulmina belli.*

EPODOS I.

*Nulla non ætas hominum loquatur*
*Hæc arma, Freti cærula noſtris*
*Terraque plaudant læta triumphis.*
*Io triumphe, io triumphe, vicimus.*

Strophæ II.

*Vos ò Sabæi milites*
*Noſtris hiantes huc opibus, pedem*
*Iam nunc ferte citi, pandaque fortium*
*Terga Camelûm*
*Aggeſtis ſpolijs onerata, & diuite gaza.*
*Vires luget ademptas*
*Infirma ſuas*
*Sarmatia, ſuos*
*Lugetque Deos, ſectâque Comâ*
*Viduata iugum*
*Vltrò ſubibit indecens.*
*Turcas timor agit. Concidet gentis breui*
*Regnum, plorant, vlulant, ſtrident*
*Muſtaphuſque, Orcanuſque & pugnax Amurathes,*
*Seruili fœdata flagro, furaxque caterua.*

Antiſtrophe II.

*Agite ò crines cingite flauos*
*Belligerûm procerum*
*Aureo ſerto, tonantis Regis, atq; præpetis*
*Nuncij ploret phalanges Marte nuper horrido*
*Thracia peremptas, pectus & plangat manu*
*Incompta, Legem perfidi*
*Iubeat profanam lancinent.*
*Turpi ſpargant puluere crines,*
*Pacemque voce flebili duces petant.*
*Agmina ducant at noſtra choros*
*Europæ arces, fulmina belli.*

EPODOS II.

*Nulla non ætas hominum loquatur.*
Præcentor.
*At qui regna Otomanidum*
*Concuſſit validus manu,*
*Heros, poplite ſupplici*
*Sanctos cælitibus adſenis,*
*Quem Reges humiles tremunt,*
*Se aduoluit, venerans pedes.*
*Verum munere Principem*
*Donat præcipuo Pater.*
*Aris namq; reconditum*
*Depromens gladium ſacris,*
*Quo Rex omnipotens metit*
*Ceruices iubet impias;*
*Atque illuſtria Cæſarum*
*Priſcorum decora innouans,*
*Queis olim placuit pium*
*Ius defendere cælitum,*
*Spe plenus, lateri bona*
*Aptat alite Regio.*
*Ergo deſiliens locis*
*Huc nunc è ſuperis, Dei*
*Spes arcana aperit, tuæ*
*Prolis Sauromatum Ducis,*
*Magnæ præſcia laureat.*
*Quare ſtemmata dum tibi*
*Orbis iam parat aurea:*
*Carmen illius auribus*
*Intentis facilis bibe.*

SPES.

*Torrida cum Graijs liquiſſet Pergama flammis*
*Tros, atque Italiam, Lauinaq; littora tandem*
*Veniſſet profugus, manſura vt mœnia Romæ*
*Poneret, Aetnæi ingentem Cyclopes in antro*
*Sudarunt clypeum, contra quò ſtare Latinas*
*Ille acies poſſet. Sileant mendacia vatum,*
*Lemnadæ ſtrepitus fabri, ſiculique camini,*
*Arma tibi aligeri cæleſti incude miniſtri,*
*Sarmatiæ ſpes, informant, alacreſque laborant.*
*Tu patriam linquens aulam, & felicibus auſis*
*Agmen agens validum trans æquora, tranſq; ſonantem*
*Sangarion, ſtatues deuicto ex hoſte trophæa.*
*Quare Erebi vt furias proſternas victor, ab alto*
*Fulgentem cælo gladium pater obtulit vltro.*
*Illum cæleſti profuſum rore piauit*
*Omnipotens, iuſſit; ne ſtis in prælia ſtringi*
*Nutibus. Ipſa acies, aui præſaga futuri,*
*Europes miſeræ, tacite labentibus annis,*
*Vlturum te damna canit. Non, auſpice Magno*
*Vrbano, fruſtrà fuerit, quod pandimus omen.*

Chorus Romanorum.

*Noſtris ò faueat vocibus arbiter*
*Cæli, qui tonitru ſidera concutit.*
*Subdat colla rebellia.*
*Eous domitus tuis*
*Heres magne, catenis.*
*Cornua mœrens*
*Ictu Chriſticolæ manus*
*Auulſa ploret Hebrus, & ſacra via*
*Læta triumphatus referat ſpectacula Romæ.*
*Non hoc auſpice magno*
*Vrbano, fruſtrà fuerit quod pandimus omen.*

*Torque*

*Torque Lethiferam robore fraxinum*
*Principes Herculeo, prœliaque ardune*
*Armata qua ſe dextera.*
*Tandem viuificæ Crucis*
*Sacros mœſta triumphos*
*Thracia cernet.*

*Triſtes fata Otomanidum*
*Acerba diſcant Odryſae: poſthac manu*
*Sceptra feret magni pulcherrima Conſtantini.*
*Non hoc, auſpici magno*
*Vrbano, fruſtra fuerit, quod pandimus, omen.*

FINIS.



# INDEX

## RERVM MEMORABILIVM IN TOMVM XVIII. ANNALIVM ECCLESIASTICORVM, IN QVO PRIOR NVMERVS ANNUM Chriſti, poſterior paragraphum deſignat.

### A.


ABASSINI de obedientia Ro. Pontifici præſtanda à Luſitanis tentati. 1493.23.
Abuſus in electionibus monaſteriorum Scotiæ. 1473.18
Adoleſcens à ſuccubo dæmone infeſtatus liberatur. 1486.18
Adolphus Naſſouius Archiep. Moguntinus moritur. 1475.16
Adoratio S. Euchariſtiæ non eſt idololatrica. fo. 67. co. 1
Ædis Lauretanæ deſcriptio. 1489.16
Ægyptij victoriam de Turcis reportant. 1988.5
Africa luſtratur à Luſitanis & India 1487.11
Ager Romanus aquis Tyberis abſorbetur. 1476.16
B. Alanus Ord. Præd. roſarij fraternitatem reſtaurat, 1475.22. à diabolo variè vexatur, ibid.23 à deipara confortatur, ib. à falſis fratribus plurima patitur, ibi.24. Deipara ei apparet. ibid.25
Alexander VI. Hiſpanus fit Pontifex. 1492.45. à multis falsò traductus. ibid. an Pontificatum muneribus acquiſiuerit. ibid.47.
Chriſtianos principes à bello dehortatur. 1492.50. eos pacificare ſtudet. 1493.1. eius cum Ferdinando Neapolis rege diſcordia, eiuſque origo. ibid.9. cum Venetis & Mediolanenſibus fœdus init. ib.9. anceps hæret, vtrum fauere debeat Gallis an Arragonijs in cauſa regni Neapolitani. 1493.13. ad Arragonios tamen inclinat. ibid. reſpondet Caſtellæ regi pacem ſuadenti ibid.15. nouos Cardinales creat. ibi.16. fœdus cum Turcis inire recuſat, ibid.17. diploma Caſtellæ regi dat de nouo orbe. ibid.20
Gneſnenſi Eccleſiæ in Polonia Epiſcopum præficit. ibid.26
cum Alphonſo Neapolis rege fœdus init. 1494.3 eius conditiones ibi. Oſtiam recuperat. ibid.7
Galliæ Regem à bello Italico deterret. ibid. 13. ad bellum ſe præparat. 17 regem ſibi conciliare nititur. 1494.25 ipſum valde timet. ibid.27
Luſitaniæ Regis petita denegat, & Scotiæ regem conſolatur. ibid.40 monaſteria Minoritarum in Hiſpania Obſeruantibus adiudicat. ibid. 41. in periculis ad Deiparæ auxilium confugit. 1495.1. timet ne prodatur à Romanis. ibi.2. à Cardinalibus quibuſdam atrociter apud Regem Galliæ accuſatur. ibid.3. varijs mendacijs impetitur. ibid. eius de Gallis dicterium & diuinatio ibid. legatione Regis Caſtellæ ad Gallum fit animoſior. ibid.4. falſo à quibuſdam traducitur. ibid. 7.
Roma relicta Oruietam proficiſcitur, 1495. 12. eius literæ ad Venetos. ibid.14. ad ſedem Apoſtolicam defendendam Maximilianum I. inuitat. ibid. 16 multa mendacia in ipſum ſparſa. ibid. 17. Genuenſibus mandat ne Gallis ſubſidium mittant. 1496.1.
Virginio Vrſino infenſus & cur. 1496.3. à calumnia defenditur. ibid.2. nobiles quoſdam Hiſpanos à continentiæ voto liberat. ibid.14 indulgentias largitur baſilicæ S. Crucis. ibid. 21 ſimultas cum Ferdinando rege Hiſpaniæ & cur. 1497.2
Sauonarolam excommunicat. ibid. 11. eius contra illum bulla. ibid. 16. grauatur inuidia ob amicitiam Gallicam. 1497. 22. edit edictum contra non ſoluentes cenſum Cameræ Apoſtolicæ. ibid.32.
Ximenio Archiepiſcopo Toletano in cauſa Minoritarum literas ſcribit. 1497.25 contradicitur ipſi à Ferdinando Hiſpaniæ rege ob fructus Eccleſiaſticos. 149.81
Friderico regi Neapolitano infenſus, 1499. 2 multas vrbes Italiæ Pontificio iure ſibi aſſerit. 1499.4. veneno petitur. ibid. iubilæum indicit, eiuſque de ea re bulla. ibid.7. ceremoniæ in iubilæo ſeruatæ, ibid. eius circa iubileum promerendum edictum. 1500.1
Ludouico XII. Galliæ regi diuortij faciendi poteſtatem concedit, 1498.4. fo. 496. co.2. multi offenduntur ob nimiam eius diſpenſandi facilitatem. 1498.4
Hieronymo Sauonarolæ infenſus eum comburi facit, ibid.5
Annæ Duciſſæ Britaniæ minoris oratores audit, 1499. 16. oratores omnium regum & principum ad deliberationem pro bello Turcico conuocat. 1500. 6. clerum decimat. ibid. & Iudæos. ibid. Cardinales creat & quos, ibid. 8. nuncios mittit pro iubilæo vbique publicando. ibid.9
Valentinum Burgiam Vexilliferum & militiæ Ducem creat. 1501. 11. Regis Nauarræ oratores audit. ibid.12. matrimonium Vladislai Hungariæ Regis & Beatricis vxoris irritum & nullum pronuntiat. ibid. 13 eius cura pro Granatenſibus in fide inſtruendis. ibi.16. pecunijs contra Turcas colligendis intentus. 1501.1
Chriſtianos principes concordes facere ſtudet. ibid. 2 contentionem Hiſpaniæ & Galliæ regum de regno Neapolitano ſedare nititur. ibi. eius literæ ad Cardinalem Rheginum 1501.4. edictum contra ſuperſtitioſos & veneficos. ibid. 20. Ruthenos Græcorum more baptizatos non rebaptizandos declarat. ibid.21.
Florentinos ſibi à Medicei timentes metu liberat. 1502.7.
Edictum in eos qui ad Romana ſubſellia prouocantes impediunt atque opprimunt. 1502. 9. Duo portenta eidem accidunt. 1502.14
Rebelles quoſdam cuſtodiæ mancipat. 1503.3
Veneno epoto obit. 1503. ibid.
A calumnijs & impoſturis ſcriptorum & defenditur, ibid.
Laudatur & geſta eius præclara recenſentur. 1503. ibid.
Breuiter deſcribitur. 1503.4
Alfonſus Congi regis filius fidei Chriſtianæ acerrimus propugnator. 1491.5. hoſtes diuinitus ſuperat, ibid.
Alphonſus Carillus Epiſcop. Toletanus moritur, 1482.15
Alphonſus Luſitaniæ regis filius in ipſis nuptiarum ſolennijs moritur, 1490.26
Alphonſus Neapolis Rex cum Alexandro VI. fœdus init, 1494.3.
Ludouico Sfortiæ palam infenſus, ibid.6
cum Alexandro VI. loquitur, eiuſque oratio. ibid. 7. & 8. laudatur, eique auxilia contra Gallos promittuntur, ibid. 9. belli Italici initium à Genuenſibus orditur, ibi.11. oram Liguſticam infeſtat, ibid.
Ludouicum Sfortiam decipere tentat. ibid. 14. ei à Virginio Vrſino parũ fideliter ſeruitur. 1494.25. deſcribitur 1495.3. fugit Neapoli & breui poſt moritur, ibid. & 23
Alphonſus Luſitaniæ Rex Arzilam in Africa capit, 1471.12 ſubſidium à Rege Galliæ petit, 1476.8. fidem & imperium in India dilatat, 1481.13. moritur & deſcribitur, ibid.
Ambroſius Coriolanus Ord. Eremitarum incarceratur & cur, 1484.4
Amadeus Ord. Minorum quis & qualis, 1471.37 de ipſius Apocalypſi cenſura. ibid.39
B. Amedeus Sabaudiæ Dux III. moritur, 1472.39. eius vita, ib.

vxorem ducit.ibid. 40. charitas in inimicos, ibid. 41 Prudens factum, ibid. 42. miſericordia in pauperes, ibid. 44 magnificentia & pietas. ibid. 45. oratio, ieiunia, patientia. ibid. 46. obitum ſuum præſcit, ibid. 47. miraculis claret. ib.

Aluarus Capralis Braſiliam inuenit. 1005.18

Andegauenſes Comites vnde ius acceperint in Regnum Neapolitanum. 1493.9.

Andreas Piſcarieſis Dominicanus vir ſanct. moritur. 1480.48

B. Angeli Minoritæ vita & obitus. 1498.35

Angli ſchiſmatici & hæretici diuerſarum ſectarum. fo. 163. co. 2 eorum ſchiſma oſtenditur. fo. 174. col. 1. eorum mala conſequentia. f. 165. co. 1. de Ro. Eccleſia vana & calumnioſa querimonia. ibid. co. 2

Anglicanæ defectionis gradus. fo. 169 co. 1

Angli magnam dignitatis ſacerdotalis rationē habēt. 1499.18

S. Annæ caput Moguntia Marcoduram tranſlatum. 1500.22

Anna Britanniæ minoris princeps Maximiliano I. deſponſata Carolo VIII. Galliæ Regi nubit. 1493.1

Annæ Aquitanæ familia refertur, 1501.2

Annulus pronubalis B. V. repertus turbas dat inter Peruſinos & Senenſes. 1480.26. ex qua materia & figura ſculptus, ib. 27. miraculo cōprobatur, ib. 30 alia circa eū miracula, ib. 31 Cluſij ſeruatur, ib. 32. furto auſertur, & raptor teneris punitur, ibid. 32. & 33. Peruſini eum recipiunt, ibid. 34 Cluſini & Senenſes eum recuperare ſatagunt, ibid. 35. & ſeq. res à Sixto IV. componitur, ibid. 36. & ab Innocentio VIII. 1486.15. eius rei hiſtoria, ibid.

Annus 1494. Italiæ perperuò lugubris. 1494.1

B. Antonius Auguſtinianus moritur. 1482.8

B. Antonij Soderini oratio de Florentinorum reformatione, 1499.32

Antonij Veſpucii de eadem re oratio. ibid. 33

Antonij Fonſecæ ad regem Galliæ Carolum VIII. oratio, 1495.4 audax factum. ibid. 5

Antonius Filomarinus Neapolitanus res Arragoniorum promouet. 1496.4 à Caſtellæ regibus honoratur. ibid.

Aquila qualis vrbs, 1485.2. deficit à Rege Ferdinando & cur. ibid.

Ardicinus Porta Cardinalis fit monachus, 1492.14. eius ad Pontificem oratio, ibid.

Arragonii Neapolitanis exoſi, 1493.13

Aſcanius Sfortia Cardinalis capitur, 1500.11

Aſtrologus quidam quomodo à Ioanne Galeacio tractatus, 1494.29. eorum vanitas. ibid.

Aſylorum abuſus in Anglia. 1487.12

Auari cuiuſdam terribile exitium. 1497.32

B. Auguſtinus Minorita moritur. 1493.32

B.

Baiazetes & Zizimus Mahometis Turcarum Imp. filii diſcordes. 1482.2

Baiazetes Turcarum Imp. fœdus init cum Rhodiis, 1422.2 Legatum mittit in Galliam propter fratrem. ibid. 3. dexteram S. Ioannis Baptiſtæ donat equitibus Rhodianis, 1484. 12. bellum mouet Saladino Ægypti regi propter fratrem. 1487.1. territus Chriſtianorum principum tunc temporis concordia pacem petit. 1490.2 eius in Venetos apparatus, 1499.1. ingentem contra Venetos claſſem educit, 1500.10 pacem Venetis offert, & cur. 1502.1

Baptiſta Mantuanus ædem Lauretanam deſcribit. 1489.16

B. Bartholomæus Seruita moritur. 1489.20

Bartholomæus Floridus Epiſcopus Coſentinus falſarius litterarum Apoſtolicarum punitus. 1497.24

Beatrix Matthiæ Regis Hungariæ vidua matrimonium cum Ladislao Rege ambit, 1493.5. ſed fruſtrà. ibid. 6. Ladislai fidem poſtulat. ibid. 8

Bella Italica Gallis ſemper noxia. 1494 8

Bellum Granatenſe. 1483.14

Bellorum & aliorum malorum in Italia origo. 1494.1

Benedictio ſalis & aquæ non eſt idololatrica. fo. 167. co. 2

B. Benedictus Valentinus Minorita moritur. 1460.32

Benedict. Peſaur. Turcicas triremes intercipit & capit. 1501.6.

Beneficiorum pluralitas periculoſa 1471.31

Bernardinus Ferſinus Minorita floret. 1491.10

B. Bernardinus Feltrius moritur, eiuſq; ſanctitas. 1494.41

B. Bertramus Auguſtinianus moritur. 1490.30

Betholdus Hennbergius Archiepiſcopus Moguntinus cleri ſynodum celebrat. 1499.17

Beſſarion Cardinalis moritur, 1472.29. eius laus ibid. magni habitus ab Imp. Conſtantinopolitano & Trapezuntio. ib. eius opera Græci Latinis conſentiunt, ibid. 33. factiones componit. ib. 34. deſignatur Pontifex Ro. ib. 35. principes conciliare ſtudet. ib. 36. omnibus prodeſſe cupit. ib. 37. eius egregia opera. ibid. Cardinalatus officium diligentiſſimè exequitur. ib. 37. ædes ſacras reſtaurat. ibid. eius monodia latiùs reddita. 1472.55

Boabdiles Maurorum Dux Hiſpanis reſiſtit. 1400.3

Bohemi hæretici Epiſcopum ſuæ ſectæ petunt, 1495.22. certis conditionibus reditum ad Eccleſiam Ro. offerunt. ibid.

S. Bonauentura canonizatur, 1482.7

Bononienſes Pontifici & Regi Alphonſo adhærent. 1494.12

Braſilia à Luſitanis inuenta deſcribitur. 1500.18

Budenſis Metropolita in carcerem à Rege Hungariæ mittitur. 1472.3

C.

Cadauer puellæ gentilis integrum & incorruptum repertum. 1485.24

Cædes Ducis Gandiæ. 1497.22.

Cæſar Borgia Cardinalis abiecta purpura miles vxorem ducit. 1498.4. fit vexillifer Ro. Eccleſiæ 1500. 11. Fauentiam occupat. 1501.8. Bononiam tentat. ibid. 9 Florentinorum ditionem ingreditur. ibid. 10 Florentinum dominium appetit. 1502.7. eius varia geſta. ib. varijs modis contra aduerſariorum molitiones vtitur. 1503.8

Canibeus Saladini Ægypti Legatus apud Innocētiū. 1489.6

Canonizatio Sāctorū cur ad Romanū Pōtificē ſpectet. 1496.20

Capha à Turcis occupata, 1474.2. eius vrbis perditio vnde orta. ibi. 3.

Caput hominis inſtar dolii repertum. 1485.24

Caput S. Annæ Marcoduram tranſlatum. 1500.22

Cardinalium dignitas multitudine viteſcit. 1473.14

Cardinalis Papienſis Italiam deplorat & cur. 1474.4. iniuriā ſibi illatā moderatè fert. 1476. 14. Sixtū IV. admonet quid agere debeat, 1477.6. moritur, eiuſq; teſtamentū. 1479. 33

Cardinales defūcti Alexādri Papæ exequias celebrāt. 1503.5

Cardinales conclaue ingreſſi Franciſcum Picolhomineum in Pontificem eligunt. 1503.6

Carolus V. naſcitur, 1500.21. qua pompa baptizatus. ibid.

Carolus Aquitaniæ Dux veneno extinguitur. 1472.5

Carolus Burgundiæ Dux Noueſium obſidet 1475.6. ei Galliæ Rex inſidiatur. ibi. 7. cum eo reconciliatur ib. 8. occiditur. 1476.3 eius perſonam mendicus quidam ementitur. ib. deſcribitur. ib. 4. eius tragædia cum comite S. Pauli, ibid. 5.

Carolus Magnus laudatur. 1478.5

Carolus VIII. Galliæ rex coronatur. 1483.8 pater nos amicos reiicit. ib. Genuenſibus fauet contra Pontificem 1486.10 pacem facit cum Maximiliano. I. 1489.4. ei vxorem præripit, 1493.1. ad regnum Neapolitanum occupandum incitatur, 1493.9.10.11. Italiæ principes tentat: ib. 12.14. & Florentinos, 1494.3. Italiam ingreditur. 1494.16 deſcribitur. ibid. Ioannem Galeatium Mediolani Ducem ægrotantem accedit. ib. 17. in Galliam redire cogitat. ib. Florentiam proficiſcitur, ibid. 23. Petrum Mediceum reſtituere nititur ibid. Senas, inde Romam pergit, ib. 25. Romam occupat. ib. 27 eam ingreditur, 1495.2. eius poſtulata à Pontifice, ibid. 3 quamdiu Romæ hæſerit. ibid. Neapolim ingreditur. ibid. 5. odioſus omnibus cum ſuis Romam reuerti cogitat & cur ibid. 11. Neapoli inauguratus diſcedit ibid. 12. eius vota, ib. 13. inſolens ad Pontificem reſponſum, ibid. iter verſus Galliam, ibid. ad Venetos Legatum mittit & cur, ibid. eius filius moritur. 1495.19. in Galliam reditus parum decorus. 1496.1 in Italiam reuerti cupit ſed impeditur, 1446 6. item 1447.1. & 1498.1. moritur & deſcribitur 1498.3. eius funus & exequiæ. ibid. continentiæ ipſius exemplum ibid. epitaphium ibi. in diuinæ iuſtitiæ miniſtrum ad puniendam Italiam electus, fo. 449. co. 2

Caſſani Perſarum Regis legatio ad Sixtum IV. 1471 9

S. Caſimirus Poloniæ Rex moritur, eiuſque vita deſcribitur, 1484.27. miraculis claret, ibid. in numerum Sanctorum refertur. ibid.

Caſimirus Poloniæ Rex Walachos in tutelam ſuſcipit, 1485. 8 moritur. 1492 53

Caſpar Cortertegalis terras incognitas perquirit. 1500.19

S. Cathaldi quondam Epiſcopi Tarentini liber prophetiarum miraculosè repertus. 1492.51

Catherina Boſnæ regina moriens Eccleſiæ Ro. ſuum regnum legat. 1478 20

Catherinæ Riarij occiſi vxoris audax facinus. 1488.6

Catherina Sfortia Alexandrum VI. Pont. veneno petit. 1499.4

Cenſurarum Eccleſiæ contemptores quidam in Germania Pontifici de fide ſua ſcribunt. 1501.16

Ceremoniæ in traditione gladij & pilei. 1499.10.

B. Cherubinus Minorita moritur, 1448.28, eius in concionando efficacia. ibid.

Chriſtiernus Daniæ Rex Romæ honorifice excipitur, 1474.10 religioſus & modeſtus, ibi. 11. diſſidentes principes conciliare ſtudet ib. moritur, 148.16

Chriſtianorum contra Turcas expeditio, 1501. 6. ſed ſatis languida ob inteſtinas diſcordias. ibid. 7

Chriſtus poſt aſcenſionē in cælū pluribus apparuit, fo. 435. c. 2

Clemēs Caponius laicus Minorita vir ſāctus moritur, 1472.54

Clementis VIII. conſtitutio de ſtigmatibus S. Catherinæ Senenſis. 1483.20

Columbus noui orbis repertor deſcribitur. 1492.13

Columnenſes Pontifici Alexandro VI. & Alphonſo Neapolis regi metuendi 1494.10







Comes Armeniacus inceſtuoſus diuinitus punitur. 1471.17.

Comitiſſa quædam Hollandiæ multarum prolium mater, 1475.21.

Cometæ duo apparent. 1472.28

Concionator facundus decem annorum, 1499.16.

Concilij Hiſpanici decreta, 1473.5

Concilia ob quas cauſas celebrentur, 1478.5

Congi regimen aperitur & Chriſtianam religionem ſuſcipit, 1491. rex & multi proceres baptizantur, ibid.

Coniurati Mediceorum cæduntur, 1478.1. f. 140

Conſalui Fernandezij ad Alexandrum VI. libera verba, 1497. 1.2.

Calabriam occupat, 1501, 11

B. Conſtantius Fabrianenſis Dominicanus moritur, 1481.18.

Conſpiratio in regem Angliæ, 1483.11. alia in regem Luſitaniæ ib. 12. alia in Genuenſium ducem, ibid. 13.

Conſtitutio Sixti IV. de beneficiis & alijs in Gallia ſeruandis, 1472.13. Maximiliani I. Imp. contra blaſphemos & temerè iurantes, 1495.20.

Controuerſia de iuriſdictione inter Epiſcopum Cantuarienſem & Londinenſem, 1496.20.

Controuerſia inter Ordinem Prædicatorum & Minorum de Conceptione B. Mariæ Virginis, 1502.10.

Cruces in veſtibus hominum vbique apparent, 1501. 23

Crucigeri in Pruſſia Poloniæ regi rebelles, 1501.7

Crudele cuiuſdam Minoritæ inuentum ad Hieronymum Sauonarolam perdendum, 1498.13.

Cuſpis lanceæ Chriſti à Baiazethe donatur Innocentio VIII. 1492.5.

D.

Dæmonum incuborum & ſuccuborum exempla in Scotia, 1486,18.

Dæmoniaca in æde Lauretana liberata, 1489.17

Dæmones duo caſtrum quoddam in Morauia, expulſo domino, occupant, 1501.24.

Decreta de reformatione clericorum Ferdinandi Hiſpaniæ regis & Franciſci Ximenij Archiepiſc. Toletani, 1497.25.

Decretum Oliuerii Ordinis Prædicatorum & Georgij Ordinis Minorum Protectorum, S. R. E. Cardinalium ſuper Controuerſia de Conceptione B. M. Virginis, 1502.10.

Deuotio in B. Virginem miracula operatur, 1490.33

Diabolus in limbo veſtis muliebris reſidere viſus, 1492.42

Dietherus Hemburgius Archiepiſcopus Moguntinus moritur, 1482.6.

Dionyſius Carthuſianus moritur, eiuſque plurima ſcripta, 1471.22. proteſtatio de hac ſcriptorum ſuorum, ibid. fo. 15. reuelationes, ibi. 23. vexatur à diabolo, ibi. 28. ab eodem irridetur, ibid. Epiſcopum Leodienſem ad meliora inducere conatur, ſed fruſtra. ib. 30. ei renunciatur ſtatus M. Ioannis de Louanio, ib. 31. dæmones eum timent, ibid. 32. magnus ſui contemptor. ib. in Deum ſemper intentus, ibi. defenditur contra neotericum quendam, ib. 33. eius ſcripta edita à Carthuſianis Colonienſibus, ibid.

Diploma Sixti IV. de authoritate maioris pænitētiarij, 1484.7

Diploma Alexandri VI. Caſtellæ regi datum de nouo orbe, 1493.20.

Diſſenſiones ortæ in prouiſione Eccleſiæ Conſtantienſis, 1478.11. item inter alios prælatos & Ordines Mendicantes ibid. 12.

Diſcordia inter Lodouicum Galliarum & Ferdinandum Hiſpaniarum Reges etiamnum viget, 1503.2

Dominicus Catalanus Dominicanus floret, 1490.29.

B. Dominicus Leoneſſa Minorita moritur, 1497.27

E.

Eberardus Wirtembergenſis Comes viſitat limina Apoſtolorum, 1482.12

Eccleſia Romana ſola Catholica & vniuerſalis. fo. 161. co. 2.

Eccleſiæ ſtatum deplorat Cardinalis Papienſis, 1472.21.

Eclipſis inſignis, 1485.26

Eduardus IV. Angliæ rex fratrem ſuum occidit, 1480.51

Emanuel fit rex Luſitaniæ, 1495.24. fol. 426. co. 2. Legatum ad Pontificem mittit, 1496.13. eius variæ virtutes, ib. 14. humanitas & iudicium, ibi. 15. bellum in Mauros mouet, ibi. 17. naues in Indiam Orientalem mittit, 1497.27. enſe & pileo à Pontifice donatur, 1499. f. 516. co. 1. eius Legatus Indiam Orientalem & regnum Calecutanū perluſtrat, ibid. conuerſioni Indorum intentus eſt, ibid. fo. 557. co. 2. oſſa prædeceſſoris ſui transfert. ibid. in Indis Orientalibus ad Chriſtum perducendis ſtudium, 1500.18 In fide propaganda in Indijs Orientalibus eſt Zeloſus, 1502.11.

Compoſtellam proficiſcitur. ibidem

Epiſcopus Leodienſis Dionyſio Carthuſiano poſt mortem damnatus oſtenditur, 1471.30.

Epitaphium Paulæ Octauiæ, 1477.18

Euangeliſta Ballionis Minorita moritur, eiuſque ſanctitas, 1494.24

Euchariſtiæ cultus in periculis proficuus, 1495.18

B. Euſtochium Sicula moritur, eiuſque vita deſcribitur, 1485.25.

Excommunicationis effectus, 1481.19

Exemplum vindictæ diuinæ in S. Euchariſtiæ violatorem, 1496.10

F.

Factiones duæ Florentiæ alborum & griſeorum, 1497.9

Familia Comitum Tuſculanorum extinguitur. 1477 18

Ferdinandus Cortelius barbarorum deuictor naſcitur, 1483.25

Ferdinandus Arragoniæ & Siciliæ Rex claſſem inſtruit contra Turcas 1471.7 indultum ei à Sixto IV. conceſſum. ibid. 8 diſſidium cum Venetis propter Cyprum, 1473.10. iniqua poſtulata & machinæ, 1474.9. Venetos exagitat, 1477.6

Ferdinandi Neapolitani Regis crudelitas in Comitem Montorij, 1485.2 ab eo proceres regni deficiunt, ibid. 3 auxilium à Florentinis petit, ib. 4 pacem cum Innocentio VIII. facit, 1486.4. ſed non ſeruat pacta, ibid. 7. ingratus, 1488.6 eius varia facinora, 1489.5 regno priuatur, ibid. Innocentium Pontif. fruſtra apud Principes denigrare conatur, 1490.1 pacem facit cum Pontifice, 1492.9 eius cum Alexandro VI. diſcordia, 1493. 9 ſollicitudo & cura ob aduentum Gallorum, ibid. 13 moritur & deſcribitur, 1494.2. item 1495.3

Ferdinandus Caſtellæ Rex inducias cum alijs Regibus facit. 1477.10 & cum Rege Mauro Granatenſi. 1478.15 Granatenſes Mauros debellat, 1483.14 & 1485.10. 1489.11

Ferdinandus Hiſpaniæ Rex fidei tribunal erigit, 1481.10 aliquot inſulas conquirit & occupat, ibid. 15 eius zelus pro fide. 1483.16 erga Apoſtolicam Sedem deuotio, ibid. 17 virtus & honeſtas, ibid. 18 Regem Neapolitanum officij admonet, 1488.4 Granatenſes oppugnat, 1490. 3 inquiſitionis officium promouet, 1491.3 Mauros infeſtat & Granatā obſidet ib. 4. Granatā ingreditur. 1492.1. eius mores deſcribuntur, ibid. ad ſalutem Hiſpaniæ natus. ibid. de eo Carmelitæ cuiuſdam vaticinium, ibid. Catholici titulo donatus & cur, ibid. 2 præſens vitæ periculum euadit, 1492.54 propoſitum ſuum de nouo orbe aperit Alexandro VI. 1493. 18 Galliæ Regem ab attentatis in Pontificem dehortatur, 1495.4 cum alijs principibus contra Gallos fœdus init, eiuſque conditiones, ibid. 9

Florentinorum ſtatus, 1474.6 periculum, 1479. 1. ius in Regnum Neapolitanum prætendit, 1497.1 eius in corrigendis ſubditorum moribus ſtudium, ibid. 25 de Repub. Chriſtiana ſollicitudo, 1498, 33. ad Pontificem Oratorem mittit. 1499. 2 Gallo conditiones pacis nomine Friderici Regis Neapolitani proponit. ibid. 6 iratus Franciſco Ximenio & cur, 1500.17 Mauros Granatenſes comprimit, ibid. filiam Luſitaniæ Regi diſpondere intendit. ibid. 18 cum Gallo de Regni Neapolitani poſſeſſione non conuenit. 1502.3 de eius in Italiam profectione conſultatio & orationes. ibid. 4. Sixto IV. reconciliantur, 1480. 1 oratio & ad eam Sixti reſponſum ibid. 2.3. conditiones fœderis, ibid. 4 corrupti mores, 1492.19 adhærent Arragonijs. 1494.14 & Pontifici ibid. 12 cum Gallis fœdus ineunt, & quibus conditionibus, ibid. 23 de eorum reformatione conſultationes & orationes. ibid. 32 cur eorum reſpublica ſæpius turbata. ibid. eorum epiſtola ad Pontif. pro Sauonarola. 1497.14

Filomarina familia apud Neapolitanos nobilis. 1496.4

Fœdus Chriſtianorum principum contra Turcas, 1480.25

Fons in Belgio ægris ſalubris erumpit, 1458.37

Foſſariorum hæreſis in Bohemia vnde dicta. 1501.17 eorum obſtinatio, ibid.

Franciſcus Ximenius Franciſcanus fit Archiepiſcopus Toletanus. 1495.25. fo. 427. co. 1 eius ſanctitas & vitæ modus. ibi. ad infideles prædicandi gratia proficiſci deſiderat, fo. 428. co. 1. Ordinis ſui Monaſteria reformari curat, ibid. variæ eius actiones & virtutes ibid. & ſeq. miniſtrum Generalem ſui ordinis aduerſarium patitur. fo. 431. 1 habet fratrem ſibi diſſimilem. ibid. co. 2. Eccleſiaſticos reformat, 1496. 18 in locum Minoritarum Obſeruantes introducit, ibid. 19. & 1497.25. vide Ximenius.

Res fidei in Hiſpanijs curat, 1502.12

Nouam Bibliorum editionem faciendam curat. ibid.

Franciſcani aliquod ſanctitate inſignes 1480.47

Franciſci Ribere cenſura de ſcriptis Dionyſij Carthuſiani refutatur, 1471 33

B. Franciſcus Thomaſucus Minorita moritur. 147.53

Franciſcus à Paula eiuſque ſanctitas, 1483.7

B. Franciſchina moritur, 1485.23

B. Franciſcus Gallus Minorita moritur, 1488. 12

S. Franciſci de Paula prophetia de Hieronymo Sauonarola, 1492.28.

Franciſci Guicciardini teſtimonium de Hieronymo Sauonarola. 1495.13

Franciſcus Picolhomineus in Pontificem eligitur, 150, 6.

Pij III. nomen eligit. ibid.
S. Franciſca de Cumis Ord. Seruitarum moritur, 1497.31
Fridericus Imp. Maximilianum filium in Regem Ro. eligi ſatagit. 4176.4
Florētinos & alios principes cõciliare ſtudet. 1479.4. cum Rege Hũgariæ recõciliatur, 1480.24. nõagenarius venit in Italiã & cur. 1489.1. moritur, 1493.2. deſcribitur. ib. eius funeralia. ib.3
Fridericus Palatinus in habitu Minoritarum ſepelitur, 1477.16.
Fridericus Comes Palatinus Obſeruantib. monaſterium condit, 1480.46
Fridericus Ferdinandi Neapolitani Regis filius Romam venit, eiuſque propoſitio. 1492.49
Fridericus Neapolitanus Rex toti regno gratiſſimus. 1496.11. eius largitas. 1497.21. Põtifici in omnibus incõmodat, 1500.13
Fur quidam diuinitus punitus. 1493.28
Futuras Italiæ calamitates aſtra prænuntiant. 1494.15

G.

GAleazi⁹ Sfortia claſſem inſtruit contra Turcas. 1471.6. occiditur, quomodo & qua occaſione 1477.5. deſcribitur. ibid.
Galliæ regibus vade ius in regnum Neapolitanum. 1493.9
Galli regnũ Neapolit. occupãt. 1495.7. illecebræ eius regni eos perdũt. ib. alia eorũ ruina. ib.8. aliæ grauiores. ib.9 omniũ odia in ſe cõcitãt. ib.11. quib⁹ cõditionib⁹ Italiã reliquerint. 1496.1
Gandenſium violentia, 1482.5
Georgio Podiebracio Bohemiæ Rege mortuo quid in Bohemia acciderit. 1481.14
Georgij Cebalij Minoritæ vita & obitus. 1499.20
Genuæ tumultus. 1488.7
Gotius Battaglia Cardinalis laudatiſſimus. 1493.16
Granatenſe bellum. 1483.14. 1485.10. 1487.10
Granatenſis vrbis obſidio & deſcriptio. 1491.4. deditio, eiuſque conditiones. ib. & 1492. ob eam receptam magna lætitia. ibid.
Guilielmus Arenbergius Epiſcopum Leodienſem occidit. 1481.4. filium ſuum Canonicis obtrudit. ibid.

H.

HÆreticorum libri noxii & meritò prohibiti. fo.161. co.2. argumenta contra imaginum venerationem inefficacia. fo.167. c.1.
Helena Poloniæ Regis vxor Cracouiam venit. 1501.15
Henricus VII. Angliæ Rex in carcerem coniectus occiditur, 1472.48.
Henricus VII. Angliæ Rex quomodo cũ Aſtrologo egerit. 1492. 55. petit Hẽricum VI. prædeceſſorẽ ſuum canonizari. 1496.20
Henricus Caſtellæ Rex diſſidiis domeſticis agitatur, 1471.12. ei reconciliatur Rex Arragoniæ laborante Sixto IV. Pontifice. 1474.14. moritur. ib. ob eius mortem omnia nutant. ibid.
Henricus Loenius Carthuſianus vir pius moritur, 1481.27. eius vita, ibid.
Hermetis Bentiuolii immane facinus in familiam Mariſcottam. 1501.9
Hermolai Barbari eruditio & mors. 1491.8
etruria bello ardet. 1472.26
Hieronymus Riarius Pontificis neceſſarius occiditur. 1488.6
Hieronymus Sauonarola Dominican⁹ Prior S. Marci Florẽtiæ. 1492.20. eidẽ offẽſus Laurẽtius Medices. ib. eius vita & ſtudia prolixe recẽſentur. ib.21. canonis regularis & virginitatis diligẽtiſſimus cuſtos. ib.26. vitia hominũ intrepide arguit. ib.27. aliorũ de ipſo ꝓdictiones. ib.28. & 29. Apocalypſin ẽ ſuggeſtu explicat. ib.30. futura prædicit. ibi. multorũ ſubit inuidiã. ib.31. acta ipſius & viſio. ib.33. virtutes recẽſentur. ib.34. affabilitas & benignitas. ib.35. à principibus & diuitibus malè viuẽtibus abſtinendũ ſuadet. ib. obediẽs & humilis. ibid.36. in oratione aſſiduus & feruens. ib. rapitur in extaſim ſæpiſſimè. ibid. cordiũ arcana intuetur. ib.37. cum dæmones timent. ib.38. in aduerſis conſtãs. ib.39. & 40 duos Abbates leniter reprehẽdit. ib.41 vitæ periculũ diuina ope euadit. ib.42. æger diuinitus ſanatur. ib.43 diaboli præſtigias agnoſcit. ib.44. quæ ꝓ cõcione dixerit quãdo Rex Galliæ Italiã intrauit. 1494.19. eiuſdẽ ad Regẽ Galliæ pro Florentinis oratio. ib. admonitio Regi data. ib. futura prædicit ib.30. Florentinis impendẽtia mala auertit. ib. eius apud Florentinos magna authoritas. ib.34. prædictiones eius eueniunt. ib.37. de eo Philippi Cominæi teſtimonium. 1495.13. itẽ Guicciardini. ib. multa patitur. ib. fo.432. co.2. pro vate habetur. ib. concionãdi munus ei interdicitur. fo.433. co.1. Florentini ob id intercedunt. ib. co.2 eius ſermo. ib. prolixè narrat ipſemet res à ſe geſtas. fo.435. co.2. & ſeqq. maximã habet auditorum frequentiã. 1495.33. Maximiliani Cæſaris irritum in Italiã aduẽtum prædicit. 1496.9. ſupplicationẽ inſtituit. ib.10. itẽ alteram. ib. eius viſio. ib. prædictio de Petro Mediceo impleta. 1497.4. infirmos ſanet, dæmones terra & ſpiritu prophetico claret. ib.5 impetitur à Ludouico Sfortia & alijs Eccleſiaſticis. ib.6. Marſilium Ficinũ & alios doctos viros conuertit. ib.7. iuuentutem refrænat. ib.8. illi mors intentatur, ib.9. varijs calumniis apud Pontificem impetitur. ib.10. excommunicatur & cur. ib.11 eius variæ epiſtolæ ad Põtificem. ib.12. & ſeqq. concionari prohibetur à Pontifice. ib.17. eius ad Pontificem reſponſio. ib.18 varia ſcripta. ib.1. in carcerem coniicitur & comburitur, 1498 5. & ſeq. cauſæ ſupplicii. ib. prolixa de ipſo hiſtoria, & varia miracula recenſentur. ibi.9. & ſeqq. vſq; ad 30.
Hiſpani & Galli pari numero congreſſi fortiter pugnant, 1502.6
Homines Syluestres viſi. 1490.35
Homo incognitus Romæ concionatur cum ing⁹ati admiratione, 1490.37
Hugo Hetruriæ Marchio laudatur. 1480.28. eius vxor gemmarũ auida fortuitò annulum pronubalem B. Virg. nanciſcitur. ib.
Huſſitæ in Bohemia tumultuantur. 1483.19
Hydruntum à Turcis captum reſtituitur. 1481.4
Hyems rigidiſſima. 1490.35

I.

IAcobus Cypri tyrannus moritur. 1472.49
Iacobus Picens Minorita moritur, eiuſque vita recenſetur. 1476.19. varia patrat miracula. ibid.21.23. inquiſitoris munere fuugitur. ibi.22
Iacobus Vlfonis Epiſcopus Vpſalenſis vir prudens & moderatus, 1478.18
Iacobus Cardinalis Papienſis moritur, eiuſque teſtamentum. 1479.33. vide Cardinalis Papienſis.
Iacobus Scotiæ Rex regno pellitur. 1483.10. coniurationem patitur. 1488.8
B. Iacobus Philippus Seruita moritur. 1483.23. eius vita. ibid. miracula. 1488.11
B. Iacobus Papienſis Minorita moritur. 1488.12
B. Iacoba Monialis moritur. ibid.13
Iacobus Canus Luſitanus Congi Regnum in Africa aperit, & Euangelio viam ſternit. 1491.5
B. Iacobus Alemanus Dominican⁹ Vlmæ natus moritur. 1491.9 Romam proficiſcitur & fit miles. ibid. à militum vitijs abſtinet. ibid. militiam deſerit & Capitaneo cuidam ſeruit. ibid. ordinem Prædicatorum ingreditur. ibid. varijs excollit virtutibus, præſertim obedientiæ. ibid. miracula edit. ibid.
B. Iacobus Seſtius Minorita moritur. 1493.32
Iacobus Sera Cardinalis quis & qualis eius familia. 1500.23
Imago B. Virg. lachrymas fundere viſa. 1494.47
Indorum fides & mores, 1493.22
Innocentius VIII. fit Pontifex, 1484.14. eius ſtemma. ibid.15
ope B. Virg. à colicæ doloribus ſanatur. 1485.18
diploma edit contra veneficos, 1484.23
ad pacem colendam natus, pacem ſuadet. 1485.1
Venetos abſoluit, ibid.15. impeditur à bello Turcis inferendo, 1485.7. S. Leopoldum Auſtriæ Ducem Sanctorum Catalogo aſcribit. ibid.14. principes Chriſtianos conciliat, 1486.3. pacem cum Ferdinando Neapolis Rege facit. ibid.4 facinoroſos quoſdam interfici curat. ibid.8. à Genuenſibus offenſus Florentinis ſe iungit. ibid.9. Regnum Angliæ Henrico VII. confirmat. ibid.12. diſpenſat ſuper eius matrimonio. ibid. reſcriptum edit ad Brixienſes. ib.14. controuerſiam de annulo pronubo B. Virginis dirimit. ib.15. Venetos & Auſtriacos conciliat, 1487.5. aliqua officia venalia inſtituit. ibi.6. pacis fœdera non ſeruantem regem Ferdinandum monet. 1487.7. non obtemperantem excommunicat & regno priuat. ib.8. Reges Galliæ & Angliæ conciliare nititur. 1488.9 item Imperatorem Fridericum Matthiæ Hungariæ Regi. 1489.1 & Flandros cum Maximiliano. ibid.2
Ferdinandum Neapolis Regem regno priuat. 1489.5. nouos creat Cardinales. ibid. contra rebelles Anglos edictum promulgat. ibid.10. principes Chriſtianos in Turcas armare nititur, 1490.2. apoplexia tangitur, ibi.27. an cum Noruegijs diſpenſauerit vt ſine vino poſſent ſacrificare, 1490.39. pacem procurat inter Vladislaum Hungariæ Regem & alios principes. 1491.11. edictum promulgat contra eos qui impediunt confugientes ad ſedem Apoſtolicam. ibid.2. patitur aliquot refractarios. 1491.8. pacem facit cum Ferdinando Neapolis Rege. 1492.9. edictum edit contra non ſoluentes cenſum Sedis Apoſtolicæ. ibid.11. principes Chriſtianos contra Turcas ſollicitat. 1492.12. Daniæ reginam honorificè excipit. ibid.14
Alia quædam eius geſta. ibid. moritur. 1492.15. aliqua de eo narrantur. ibidem. eius elogium, ibid.16. epitaphium. ibid.17.
Inquiſitionis tribunal in Hiſpania cur inſtitutum, 1483.25. eius authoritas aucta, 1491.3
Interfector Epiſcopi Leodienſis punitur. 1485.16
Ioannes Albertus Poloniæ Rex ſubſidium contra Turcas non mittit & cur, 1501.7
Ioannes Cardinalis Mediceus exul & profugus Germaniam & Galliam peruagatur, 1499.3
Ioannes Baptiſta Cardinalis & alij fœdus aduerſus Valentinum percutiunt, 1502.8. moritur & deſcribitur. 1502.16
Ioannis Hiſpaniæ principis nuptiæ & mors, 1497.24
Ioannes Aldenardus Carthuſianus moritur, 1491.11
B. Ioannes Piſtorienſis Minorita moritur, 1493.32
Ioannes de Magdalena Auguſtinianus floret, 1490.31
Ioannes de Louanio poſt mortem igne torquetur, 1471.31
Ioannes Gruſcinius Archiepiſcopus Gneſnenſis moritur, eiuſque vitia, 1473.17
B. Ioannes Canthius Dominicanus moritur & miraculis claret, 1473.21
Ioannes Archiep. Magdeburgenſis vir ſanctus moritur, 1475.15
Ioannes Auguſtinus Ord. Prædic. vir ſanctus moritur, 1476.18.
Ioannis Alphonſi Luſitaniæ regis filij erga patrẽ pietas, 1477.11
Ioannes de Weſalia errores reuocare cogitur, 1479.8
Ioannes Atragoniæ rex decumbit & per litteras filium conſolatur, 1479.30. moritur, ibid.31. deſcribitur, ibid.32.
B. Ioannes à S. Facundo Auguſtinianus moritur. 1479.34
Ioannes Moſcouiæ Dux Liuoniam vaſtat. 1481.9
Ioannes Camerarius Epiſc. Wormatienſis eiuſque laus, 148..10
Ioannes II. fit Luſitaniæ rex, 1481.14. eius diſceptatio de nouo orbe cum Ferdinando Hiſpaniæ ſeu Caſtellæ rege, 1493.21. moritur, eiuſque virtutes latè deſcribuntur, 1495.24
Ioannes Trithemius floret, 1483.22
B. Ioannes Licus Dominicanus moritur, 1487.14
Ioannes Stubach Dominicanus floret, 1490.29
Ioannes Miluertonus in Epiſcopos procax carceri ĩmancipatur, 1486.13
Ioannes Varadienſis Epiſcopus fit Minorita, 1490.6
B. Ioanna Luſitaniæ regina Ord. Prædicatorũ moritur, 1490.7 ob eximiam pulchritudinem à multis principibus fruſtra expetitur, ibid. pauperum mulierum pedes lauat, ibid. in corpus ſuum ſæuit, ibid.8. eius lectus qualis ibid.9. gubernando regno adhuc iuuenis à patre admouetur, ibid.10. monaſterium ingreditur, ibid.11. communis luctus ob eius diſceſſum, ibid.12. factum ipſius cœlum comprobat, ibi.13. eius in religione exercitia, ibid.14. de religioſæ vitæ ſtatu deſerendo tentatur, ibid.15. grauibus vexatur morbis, ibid.16. occaſione peſtis diſcedit, ib.17. redit. ibid.18. eius cœnobium plures expetunt, ibid. eius obitum prodigia præcedunt, ibid.19. generaliter confitetur & ſacro viatico munitur. ibi.20. medicos recuſat. ibid.21. moritur, ibid.22. herbæ & arbores ea mortua areſcunt. ibid.23. miracula fiunt, ibid.24. carmina in eius laudem ibid.25.
Iſabella Ferdinandi Siciliæ Regis filia honorificentiſſimè Romæ excepta, 1473.11. eius pietas & clementia, 1477.12
Iouianus Pontanus ob ingratitudinem ſugillatur, 1495.12
Iſaias Boner Auguſtinianus moritur eiuſque vita, 1471.34
Iſraelitæ in adoratione vituli idololatræ fuerunt, fo.167. co.1
Italorum diſcordiæ earumque origo. 1478.1. & ſeq.
Italus quidam mirabilis in Gallia apparet, 1501.18. item alius ſed doctiſſimus, ibid.19
Iubilæus annus ab Alexandro VI. indictus in annum ſequentem prorogatur. 1500.3
Iudæi puerum Tridentinum crudeliter occidunt, 1475.13. puniuntur. ibid.14
Iudæorum multa milia à S. Vincentio Ferrerio cõuerſa. 1481.11
Iudæi V. Sacramentum impie tractantes exuſti, 1491.6.7. Hiſpania pelluntur. 1494.39. eorum dirum facinus in Polonia, & ſupplicium. ibid. Luſitania pelluntur, 1497.26
Iulianus Medices vulneratur. 1477.1. eius cæde Medicæorum familia ſtabilitur. 1478. ibid.
Iulianus Ruuereus Cardinalis Fridericum Neapolitani Regis filium hoſpitio excipit, eiuſq; cauſam agit. 1492.49. Roma iratus diſcedit, ibid. Regem Galliæ ad bellum Italicum concitat, 1494.3 eius conſilium Galliæ Regi datum, ibid.7
Italiæ calamitatum fatale inſtrumentum, ibid.15
Regi Galliæ Concilium indicendum inculcat, ibid.28.
præcipuus calumniator & author mali nominis quod hactenus Alexander VI. apud hiſtoricos habet, author, 1495.17
faber fortunæ ſuæ Piſas Florentinis reſtituendas vrget, 1499.3.
inſidias ab Alexandro VI. ſtructas eludit, 1503.8

L.

LAdiſlaus Hungariæ rex nuptias Beatricis Matthiæ regis viduæ reſpuit, 1493.6. victoriam de Turcis reportat, ibid.7
Ladiſlaus Sigiſmundi III. Poloniæ regis filius anno 1624. ab Vrbano VIII. ad iubileum inuitatur, 1499.9. Romæ magnificè excipitur. 10. gladio & pileo donatur, ibi. eius rei ceremoniæ, ibid. panegyricum ei oblatum, ibid.13. donis honoratur, ibid.
S. Lamberti Martyris loculus Leodij viſitatur, 1489.13
Lana pluit apud Tornacum in Belgio, 1497.29
Lancea Chriſti miraculosè reperta, 1462.6. eius cuſpis donata Innocentio VIII. ibi.5. eius veritas miraculo probata, ib.7. ad varia loca defertur, ibi.8.
Lapicida quidam Moguntia caput S. Annæ Marcoduram transfert, 1500.22.
Latinus Cardinalis Vrſinus moritur & deſcribitur, 1477.17
Laurentius Carthuſianus floret, 1477.15
Laurentius Medices Sixti IV. conatib. obſiſtit, 1477.5. eius pro rege Ferdinando oratio, 1485.5. illi Vrſinos conciliat, ib.6. moritur, eiuſque reuerentia erga ſacram Euchariſtiam narratur, 1492.18. eius facta recenſentur, ibid.19. Carolum VIII. Galliæ regem Florentiam vocat, 1494.18
Lauretanæ ædis deſcriptio, 1489.16. miracula, ibidem.
Laurentius vacca pſeudomonachus reformationi à Ximenio inſtitutæ reſiſtit, ſed fruſtra, f.418. co.2.
Leopoldus Auſtriæ Dux Sanctorum catalogo aſcribitur, 1485.14. multis claret miraculis, ibid.
Lesbos inſula à Chriſtianis recuperata, 1481.5
Liber propheticarum S. Cathaldi miraculosè repertus, 149..51.
Lis inter Canonicos regulares & Auguſtinianos propter habitum ſatis atrox, 1484.2.
B. Ludouicus Placentinus vir ſanctus moritur. 1480.47
Ludouicus Sabaudus Cypri rex obſidetur, 1471.11. regno cedit & monaſterium ingreditur, ibid.
Ludouicus XI. Galliæ rex concilium celebrat, 1477.8. res ſacras reſtitui iubet, ibid. feretrum D. Martini ornat, ibid. quid petierit à Sixto IV. Pontif. 1478.4. ferocior in ipſum, 1479.6. multis vexatur morbis, 1482.3. eius ſuſpicacitas, ibid. pacem facit cum Maximiliano, eiuſque leges, ibi.5. moritur, 1483.6 quales ipſius mores, ibid.
Ludouicus Borbonius Leodienſium Epiſcopus occiſus, 1482.4
Lodouicus Sfortia quale conſilium dederit de oratoribus ad Alexandrum VI. mittendis, 1492.48. adhæret eidem, 1493.9 incitat eum contra Ferdinandum Neapolis regem, ibidem. Carolum VIII. Galliæ regem in Italiam euocat, ibidem. oratio legati eius ad regem Galliæ, ibi.10. omnium Italiæ malorum author, 1493.13. & 1494.1 eius temeritas & aſtutia 1493.13. ambitio, 1494.1. aſtutia ſua Mediolani Dux creatur, ibid.17 Galliæ regi iratus, ibi.20 aſtrologum quendam magna impenſa ſtultè alit. 1493.29 regis Galliæ conatus retardat, 1495.11. cum Maximiliano tranſigit, 1496.7. Piſas appetit, ibid. Sauonarolam impetit, 1497.6. ei res minus proſperè ſuccedunt, 1499.2. Mediolanenſes fruſtra conciliare nititur, ibidem. omnibus relictis in Germaniam fugit, ibid. cum fratre Aſcanio à Gallis capitur, 1500.11. decem annis captiuus moritur, ibidem eius mores deſcribuntur, ibid.
Lubecæ Concilium Epiſcoporum, 1472.20
B. Luchinæ Ord. Prædicatorum vita & obitus, 1485.22
Lues atrox interuentu Virginis Lauretanæ ſedata, 1496.22.
Luſitani in India fidem & imperium dilatant, 1481.11. item in Africa & regno Congi, 1491.5. item alibi. 1493.23. Abaſſinos ad communionem cum Romana Eccleſia inuitant, ibid.

M.

MAhumetes Turcarum Imp. moritur, 1481.2. qualis fuerit ibi. eius epitaphium, ibid.3
Mala de proximis dicta difficulter, bona facili credenda, fo.417.2.
Maleficia quædam puerum è cunis furatur, 1484.24
Malefici cuiuſdam mira confeſſio, 1496.23
Marani fidem Chriſti abiectam reſumunt, 1498.32
Margaritæ Auſtricæ nuptiæ cum Hiſpano, eiuſque epitaphium, 1497.24
B. Marci Mutinenſis Dominicani vita & obitus, 1499.21
B. Maria Magdalena Copina moritur, 1472.52. eius vita, ibidem.
B. Maria Genuenſis Deiparæ deuotiſſima, 1485.21
Marianus de Genezano Auguſtinianus inſignis & popularis concionator Florentiæ, 1492.31. Hieronymo Sauonarolæ multas calamitates conflat, ibid. pellitur & deſeritur, ibid.
Marcus Aquilegienſis, Card. S. Marci res geſtas ſuas narrat 1474.1.
Marcus Antonius de Dominis Archiep. Spalatenſis errores ſuos reſorbet, 1479.10 inconſtans in priſtinos errores relabitur, ib.11. fuſior de eo narratio. ibid.12 quo anno defecerit, ibi.13. reſipiſcere ſe ſimulat ibi.14. ſuperbus & impudens, ib. fugam meditans capitur & incarceratur, ibid.15 moritur, ibid.22. cadauer eius cum imagine & ſcriptis comburitur, ibid.24
Martinus Lutherus hæreſiarcha naſcitur. 1485.25
Matthæus Poianus Eccleſiæ Ro. infeſtus. 1472.24
Marſilius Ficinus à Sauonarola conuertitur. 1497.7
Matthæus Carrarienſis Dominicanus moritur, eiuſque vita, 1471.35
Matthias Hungariæ Rex conſpirationibus agitatur, 1472.3
Metropolitam Budanum in carcerem conijcit. ibid. inquiet-

animi vir,1473.7 cum Turcis pacem facit indignante Pontifice,ib.8 fit Turcis infeſtior & cur,ib.10. eius victoriæ de Turcis.ibi.Chriſtianis principibus moleſtus,1475.5 auxilium contra Turcas petit,1477.2 dimiſſis Turcis Imp.Ro. oppugnat,ibid.3.cum Turcis pugnat & victoriam obtinet. 1480.24 Viennā capit.1485.4.electionem Maximiliani I. Impedire conatur, & multas vrbes capit.in Auſtria 1486.2. pacem facit cum Imperatore & cur,1489.7.& ſeq. moritur. 1490.4
Matthiæ Tiburtini Minoritæ hæreſis. 1498.31
Mauri Granatenſes inter ſe diſcordes ab Hiſpanis vincuntur, 1483.14
Maurus quidam Granatenſes ad ſeditionem incitare nititur, 1492.1
Mauri Luſitania pelluntur. 1497.26
Mauri Granatenſes quibus modis ad Chriſtianam religionem perducti.1500.16.eorum tumultus. ibi. 17
Maximilianus Burgundiæ Dux à pace non abhorret, 1478.7 eligitur in Regem Romanorum 1486.1.capitur à Brugenſibus & ſatis indignè tractatur, 1488.1 liberatur poſt tertium menſem,ibid.quibus conditionibus.ibid.2. pacem facit cum Flandris,1489.3 cum Carolo VIII. Galliæ Rege, ibi.4.fit Imperator,1493.24. miraculum quod illi contigit, ibid.25.conſtitutionem edit contra blaſphemos & temere iurantes 1495.20.Italiam petit & Piſas venit,1496.7.oratores ad Pontificem mittit. 1502.7
Medicei Florentinis quantopere exoſi, 1494.21
Mediolanum & aliæ vrbes Galliæ regi deduntur.1499.2. fo. 534.co.2
Meligalus Rhodi proditor diuinitus punitus. 1480.8
Melilla Africæ oppidum à Luſitanis occupatum. 1497.30
Michael quidam Indus gentilis fit Chriſtianus. 1500.18
Minoritæ in Hiſpania monaſterijs ſuis extruduntur,ſubſtitutis Obſeruantibus, 1496.19. idque cum magno tumultu, 1497.25.
Minoritæ cuiuſdam hæreſis. 1498.31
Minoritæ cuiuſdam crudele inuentum ad Hieronymum Sauonarolam perdendum. 1498.13
Miracula B.Virg.1487.13.1485.20. eius cultus augetur.ib.19.
Miracula Virg.Lauretanæ. 1489.17
Miraculum B.Virg.Hallenſis circa nobilem captiuum.1471. 18.1489.12.
Miracula circa imagnem B.Virg.Romæ. 1471.19.& 1478.22.
Miraculum circa Euchariſtiam,1472.27.à cultu B.Vir.1472.51
Miracula ab inuocatione S.Stephani Epiſcopi Diēſis.1475.19
Miracula quinq; martyrum Franciſcanorum. 1476.24
Miracula circa annulum pronubalem B.Virg.1480.30.& ſeq.
Miraculum circa imaginem B.Virg.apud Leonicum in Gallia. 1486,16.alia miracula iuxta Venetias. ibid.17
Miracula B. Iacobi Seruitæ. 1488.11.
Miracula à deuotione in B.Virginem. 1490.33.1499.19
Miraculum pro cultu B.Virg.apud Marradium. 1493.29
Miracula roſarij. 1494.43
Miracula Hieronymi Sauonarolæ. 1498.26.& ſeq.
Mons pietatis à quo inſtitutus. 1491.10
Monſtrum iuxta Heidelbergam. 1486.20
Monſtrum noui generis in Scotia. 1490.36
Morum corruptela in vrbe Roma. 1500.14
Mulier pactum habens cum diabolo precibus Dionyſij Carthuſiani reſipiſcit. 1471.28
Mulier in excommunicatione mortua integra poſt multos annos reperta.1481,19.item de alia quadā res horrēda. ib.20
Mulier quædam 17.proles vno partus enixa. 1485.25
Mulier cum incubo rem habens tempeſtatis cauſa. 1486.18

N.

Narratio de prælijs geſtis inter Polonum & Turcam annis 1620.& 16.21. 1472.10
Narratio de oppugnatione Rhodi à Turcis. 1480.5
Narratio de annulo pronubali B.Virg. 1480.26
Narratio de Inquiſitoribus quibuſdam in Hiſpania. 1485.13
Narratio de nobilibus quibuſdam Hiſpanis qui ſe pro Chriſtiano religionis defenſione pugnaturos deuouent,1496.14
Neapolitani Gallos admittunt. 1495.6
Neapolitanum regnum occupatur à Gallis.ib.7.quomodo ad Hiſpanos deuenerit. 1502.1
Nequitia peſſimorum quorundam in Germania. 1492.56
Nicolaus Tronus Venetorum Dux Turcas oppugnat. 1471.9
Nicolaus Epiſcopus Præmiſlienſis moritur. 1475.17
Nicolaus de Suitz vir ſanctus & propheta floret. 1477.14
Nicolaus Perottus Archiepiſcopus Sipontinus moritur.1480.50
B.Nicolai Hollandi Dominicani vita & obitus 1468.36
Nipho vir probus fit Patriarcha Conſtantinop.1489.14. cū Eccleſ.Ro.cōſentit.ib.15.eius epiſtola ad Epiſcopū Ruthenū.ib.
Noueſium à Carolo Burgundiæ Duce obſeſſum. 1475.6
Noruegijs an indultum vt ſine vino ſacrificent. 1490.39
Noui orbis repertio Pōtifici ſignificatur.1493.19.in eum religioſi varij ad prædicandam fidem mittuntur. ibid.22

O.

Obigninus multis ſuperatis oppidis in Capuam irruptionem parat. 1501.10
Obitus & vita Thomæ de Kempis. 1471.21
Obitus & vita Dionyſij Carthuſiani. 1471.22
Odio haberi ab hominibus prædeſtinationis ſignū.fo.439.c.2.
Oliuerius Card.poſt Turcarum cædem Rom.ouās ingreditur, 1473.1.

P.

Panegyricum Podlouij Poloni Ladislao Poloniæ regis filio Romæ oblatum. 1499.13
Panſus Aquitinus Congi regis filius obſtinatus Chriſtianæ religionis aduerſarius capitur & moritur, 1491.5
B.Paula Monialis moritur, 1488.13.
Pax inter Innocentium VIII. & Ferdinandum Neapolis regem,eiuſque conditiones, 1486.4. & ſeq.
Pax inter Maximilianum & Flandros eiuſque conditiones, 1489.3.inter Maximilianū & Carolum VIII. Galliæ Regem 1489.3.ſeq.& 1493.1,inter Imp.Fridericū & Matthiam Hūgariæ regem,1489.7. inter Vladislaum Hungariæ regem & alios principes, 1491.1.
Pax inter Baiaſetem & Venetos fruſtra ſæpe tentata conficitur, 1503.1
Perſarum Regis Legatus Romam venit eiuſque promiſſa & poſtulata, 1474.13
Petrus Caponus Florentinos à Gallorum importunis exactionibus liberat. 1494.23
Petri Arandæ Epiſcopi Calaguritani errores. 1500.15
B.Petrus Caralt Dominicanus moritur. 1472.50
Petrus Cardinalis Riarius moritur,eiuſque mores, 1474.16 de illo epiſtola Card.Papiēſis,ib.17.eius prodigalitas,ib.19
Petrus Vxamenſis ob erroneam doctrinam damnatur, 1479.9
Petrus Dambuſſius Gallus Rhodiorum equitum Magiſter Rhodium contra Turcas ſtrenuè propugnat,1480.6 & ſeq. deſcribitur.eius ad Chriſtianos principes literæ de victoria contra Turcas,ibid. 22. claſsis Chriſtianorum contra Turcas præfectus,1501.4.
Petrus Briettarius Franciſcanus vir Sanctus moritur.1480.47
Petrus Bagarolus I.C.moritur, 1482.11
Petrus Arbus Inquiſitor occiſus miraculis claret. 1485. 10 & ſeq.eius rei inſtrumentum publicum, ib.12. ſanguis eius exſiccatus in magna copia fluit.ibid.necis authores puniuntur, ibid.
B.Petrus Moglianus Minorita moritur, & qualis fuerit,1489.19
Petrus Valæus ſua temeritate res Luſitanorum in Africa in diſcrimen adducit. 1491.5
B.Petrus Minorita moritur, 1492.57 eius vita ibid.
Petrus Mendoza Card.& Archiepiſcopus Toletanus moritur, 1495.25.f.427.co.1.Franciſcum Ximeniū Regi cōmēdat,ib.
Petrus Medicæus Florentiæ Dux patri diſſimilis Ludouico Sfortię ſuſpectus,1492.48.Arragonijs adhæret.1494.4. Ludouicum Sfortiam decipere tentat, 1494.14. cū Galliæ regi prodit,ib.14.eius temeritas Florētinis diſplicet,ib.18.in periculo conſtitutus auxilium ab hoſtibus petit,ibi. à Florentinis apud Galliæ regem accuſatur,1494.18.fugit Florentia, ib.20.eius domus direpta,ib.21.Florentiam irrito conatu tentat, 1497.3
Philippus Cliuius Hallas tentans miraculo impeditur.1489.12
Philippi Cominæi de Hieronymo Sauanarola teſtimonium. 1495.13.
Picus Mirandula Ordinem Prædicatorum ingredi cupit, ſed morte præuentus in eius ordinis habitu ſepelitur, 1494.23
Piſani à Carolo VIII. Galliæ rege libertatem impetrant.1494. 22.ſunt in periculo.1496.7.à Sfortia appetuntur & à Venetis ib.eorum leuitas. ibid.
Pius III. fit Pontifex & breui poſt moritur, .1503.6.deſcribitur ibid.7.8.eius epitaphium. ibid.
Poëmata Vrbano VIII.portam ſanctam aperiente Ladislao Sigiſmundi III.Poloniæ Regis filio oblata. 1499.11
Pœnitentiarii Ordinarii Romæ extenſionem poteſtatis abſoluendi petunt ab Alexandro VI.eorumq; poſtulata. 1500.5
Pœnitentes quidam auſterè viuentes in Germania viſi.1501.22
Poloni cuiuſdā in comitiis Bohemicis pro Cazimiro oratio. 1471.14
Polonia vnde nomen traxerit,eiuſq; termini. 1472.fo.41
Regni prouinciæ & vires.ib.nobilium libertas. ibid.
Poloni victoriam à Turcis reportant. 1488.10
Presbyter quidam & Iudæi ob Euchariſtiam violatam comburuntur. 1491.7
Præclari aliquod in Anglia moriuntur. 1502.13
Prodigia in agro Neapolitano, 1485.5
Prodigia, 1487.15
Prodigia bellum Neapolitanum denuntiantia, 1494.15
Proditores quidam acerbiſſimi puniti, 1493.7
Prophetia eſt gratia gratis data non ſemper ſignum ſanctitatis, f.436,co.2.
Prophetæ non ſolent à ſe prædicta miraculis probare.f.437.2
Puella cū incubo rē habēs horrendū noſtrū enititur,1486.18
Pueri Florentini legationem obeunt ad magiſtratum,1497.9



INDEX.

Q.

Querela defunctorum de clericis non ſoluentibus debitas preces, 1471.30
Quæ quærationes cur Sanctorum canonizatio ad Ro. Pontificem ſpectet, 1496.20.
Quinque reges ſpatio triennij in regno Neapolitano regnant, 1496.1

R.

Raymūdus Cardinalis Mogūtiæ Iubilæū publicar,1502.10
Reformatio cuiuſdam monaſterij impedita populari tumultu, 1483.19
Reinardus de Sickingē Epiſc.Wormatiēſis moritur,1782.10
Religionis Chriſtianæ deſertores puniti, 1485.10
Reliquiæ Leodienſium oſtentantur, 1489.13
Renatus Lotharingiæ dux Neapolis & Siciliæ regna ſibi adiudicari poſtulat, 1492.10
Reuelationes Dionyſij Carthuſiani, 1471.23
Renatus Acremontius Galliæ regis orator in via ſpol.1500.2
Richardus Gloceſtriæ Dux, oppreſſis & occiſis filijs Eduardi regis,facit ſe regē Angliæ,1483.11.& ſeq.eius doli & fraudes,ibid. filium amittit & conſpirationem patitur, ibid.
Rhodus à Turcis oppugnata.1480.5.eius oppugnatio irrita ad longum refertur, ibid.& ſeqq.
Robertus Malateſta copijs Pōtificiis præficitur,1482.1.moritur & ſummis honoribus afficitur, ibid.
Rodericus Borgia Card.Legatus in Hiſpaniam mittitur, eiuſque Oratio pro concione.1472.6. Tarraconem petit,& reges ab excōmunicatione abſoluit,ib.7.Madriti ſplendidè excipitur,1473.2.eius infauſtus ex legatione reditus.ib.
Romana Eccleſia ſola Catholica & vniuerſalis,fo.161.co.1.& cur talis,162.co.1.illius primatus aſtruitur,ib.in illa ſola fides vera & ſcripturarum intelligentia, fo.163.co.1.
Romæ in vrbe & ſuburbio magna perturbatio, 1503. 8
Roborea gens eiuſque origo, 1471.3
Roſarij reſtauratio &c, 1473.22.quibuſdam ingrata,ibi.28.eius detractores diuinitus puniti,ibi,eius ſodalitas confirmatur,1476.17.per eius prędicationem multa bona fiunt, 1478.13.multi viri primarij ſe ei addicunt,ibi,eius ſodalitas approbata,1479.27.Varia eius miracula,1494.43.
Roſtochij magna ſeditio, 1491.6
Rupertus Bauarus Archiep.Colonienſis diſsidium habet cum ſuis Canonicis,& cur.1474.12.in carcere moritur,1480.49
Ruuereus Cardinalis Fridericum Neapolitani regis filium hoſpitio ſuſcipit eiuſque cauſam præfracti agit, 1492.49. Roma iratus diſcedit, ibid.

S.

Sacrilegus quidam variè punitus, 1493.27
Sanctorum cultus licitus & antiquus.fo.165.co.2 inuocatio & imagines licitæ, fo.166.co.1.& 2
Sarmatia Europæa eiuſque fines,1472.fo.40 à quibus populis olim habitata ibid.
Schiſma quam graue crimen,fo,170. co.1. ex eo hæreſes dimanant, ibid.
Scodra à Turcis validè oppugnata. 1477.1
Scotiæ Rex fratrem ſuum occidit,1480.52 paret Legato Pontificis, 1481,8
Scoti in ſuum Regem coniurant. 1488.8
Seditio magna Roſtochij propter nouum collegium. 1491.6
Seuerinenſes Ruſſi à Polonis ad Moſcouitas deficiunt & cur, 1490.38
Siculus quidam Turcicam claſſem incendere conatus capitur, 1472.9
Simon puer Tridentinus à Iudæis occiditur,eiuſque martyrium, 1475.13
B.Simon Lipuicius Minorita Polonus moritur, 1483.26
Sixtus IV.fit Pontifex, 1471.2. de eius natalibus & moribus diuerſæ authorum ſententiæ,ibid. eius ſtudia & progreſſus,ibid.3.Eccleſiæ conſulere ſatagit, ibid.4 Ferdinando Siciliæ Regi indultum concedit,ibid.8 cruciatam in Turcas molitur,ibid.10 tumultus Cyprios componere ſtudet, ibid.11.ſimultates Gallorum tollere ſtudet,ibid.13 pacificandæ Bohemiæ incumbit, ib. 14 imminentia Hungariæ regno pericula ſopire curat, ib. 15 Anglorum Scotorumq; diſſidijs medetur.ib.16 diſſidentes Principes conciliare & in Turcas incitare ſtudet, 1472.1 eius Legatus venit in Poloniam.ib.2 Beſſarionem Legatum in Galliam mittit, ib.4.claſſem in Turcas mittit, ib.8 Galliæ Regem contra Turcas excitat,ib.12 eius conſtitutio de beneficijs & alijs in Gallia ſeruandis,ib.13 varia eius geſta, ib.14 priuilegia monaſterij S.Saluatoris apud Meſſanam confirmat, ib.15 Archiepiſcopum & Canonicos Colonienſes conciliare ſtudet,ib.16 item Hildeſhemenſes.ib.17. Epiſcopum Nitrienſem protegit.ib.18 cognitionem cauſæ inter Varmienſem & Caminenſem Epiſcopos Legato Cardinali committit,ib.19.perſtringitur à Cardinali Papienſi,ibi.21. Gallum & Burgundum conciliare nititur,1473.2. eius literæ ad regem Hungariæ,1473.9. Iubileum indicit.1473. 12.Cardinales creat,ib.13.animaduertit in eos qui cū diabolo pactum habebant,ibi.20.iubilæum auſpicatur,1474 15.diſcordias Rhodienſium ſedat, ibid. ſubſidia in Turcas procurat,1476.1.petentibus nihil negat.ibid.15.Hetruſcos ſollicitat,1477.7.contra ipſum à Florentinis & Galliæ regi conciliabulum cogitur,1478.4. quid iniunxerit Legatis ſuis Coloniam ituris.ibid.9. excommunicat eos qui cooperati fuerant in capiendo Epiſcopo Colon.ibi.10.roſarij fraternitatem confirmat.ibi.13.Archiepiſcopum S.Andreæ in Scotia deponit, ibid. 17. facultatem abſoluendi temperat,ibid.19. Legatum mittit ad Imp. & quę ei ſe iniunxerit,1479.2.3.roſarii ſodalitatem approbat,1479.27. Eccleſiæ Rigenſi epiſcopum pręficit,ib.29.Florentinis reconciliatur,1480.1. controuerſiam de annulo pronubali B.Virg.componit,1480.26. Cardinalis creat, ibidem.44. Concilium indicit pro expeditione in Turcas.1480.1.indulgentias pro eadem cauſa largitur.ibidem.2.lætatur ob mortem Mahometis Turcarum Imp.ibi.4.quietis cupidus ad bellum laceſſitur,1482.1.Delinquentes caſtigat,1482.1 pacem procurat.& cur. ibid.2.
S.Bonauenturam in catalogum Sanctorum refert.1482.7.cū multis Principibus fœdus pungit inuitis Venetis, 1483.1. Venetos excommunicat,ibid.2.Carolum VIII.Galliæ regem officii admonet.ibi.9. Controuerſiam de ſtigmatib. S.Catharinæ Senenſis componere conatur,ibid. 20.item de Conceptione B.Virg.ibide.21. Item inter Canonicos regulares & Auguſtinianos propter habitum componere ſtudet,1484.2.variæ calamitates eius mortem accelerant ibid.1.in morbum incidit & moritur.ibid. varia eius opera compendio recenſentur,ibi,6.& ſeq.eius elogium, ibi. 9.Theodori Gazæ de eo iudicium,ibi.10.poſt Sixti mortem Romæ ſeditio, ibid. 12
Smyrna à Chriſtianis capta. 1472.9
Spectra viſa vbi aliquis ſuſpenſus fuerat, 1494.48
B.Stanislai Canonici regularis vita & obitus, 1489.18
Stanislaus Kolkokam Ord. Prædicatorum qualis & quantus fuerit, 1490.28
Stellæ in meridie viſæ, 1491.13
B.Steno Ord.Prædicat.moritur,1482. 9.eius miraculū ibid.
Stephanus Valachiæ Palatinus auxilia à Polonis contra Turcas petit & impetrat,1485.8.Regi Poloniæ ſe ſubijcit, ib.
Subſidiū contra Turcas à quibus principibus miſſum,1501.3
Sudor Anglicanus innoteſcit, 1486.19
Supplicationes Leodij pro pace impetranda. 1489.19 earum ordo & hiſtoria, ibid.

T.

Taxa redituum DD. Cardinalium pro ſubſidio contra Turcas. 1500,7
Tempeſtas ingens Conſtantinopoli, 1490 34
Tenariffa inſula Hiſpaniæ regno adiuncta. 1495.20
Teſtamentum Iacobi Cardinalis Papienſis. 1479.33
Theodori Gazæ de Sixto IV.iudicium, 1484.10
Thomas de Kempis moritur,eiuſque vita, 1471.21
Thomas de Turre cremata multa milia conuertit,1478.14
S.Thomæ Apoſtoli aliquot geſta referuntur. 1502.11
Titulus S.Crucis Romæ repertus.1492. 2.aliqua de eo referuntur.ib.3.quomodo Romam venerit, ibid. 4.
Tractatus Hieronymi Sauonarolæ de viſionibus ſuis & rebus à ſe geſtis, fol.433.co, 2.& ſeq.
Trecenti ex ordine Prædicatorum pro Sauonarola ignem ingredi ſpondent, 1498.14
Tubingenſis Vniuerſitas erigitur, 1477.13
Tumultus in Hiſpania contra oriundos ex Iudæis, 1473.6
Tumultus Genuæ.1488.7.in Scotia, 1489.9
Tumultus Maurorum Granatenſium, 1500.17
Turcarum ingens & duplex clades,1472. 9. vires profligari poſſe oſtenditur, 1472.10
Turcæ Romæ in triumphum ducti, 1473.1. claſſem in Chriſtianos inſtruunt, 1475.1. Capham & alia loca occupāt ibid.eorum ingens clades.1475.3. Ventis infeſti. ibid.4. prædas agunt, 1476.2
Turcarum Imperator Eccleſiarum prouiſionem ſibi aſſerit, 1475.8.
Turcæ Chriſtianorum inſulas vaſtant, 1477.4. Hidruntem capiunt & Apuliam infeſtant, 1480.23
Turcarum victoria in Liburnia,1493.3. metus ob aduentum Gallorum in Italiam, 1495.7
Turcæ in Polonia diuinitus cæſi,1498.32. eorum in Venetos apparatus, 1499.1

V.

Valentinus Borgia fit Vexillifex & militiæ Pontif. Romani Dux,1500.11.Fauentiam occupat.1501. 8. vide Cæſar Borgia.
Intentum ſuum propter ægritudinem ſuam minus proſperè ſuccedit, 1503.5
Veneti claſſem in Turcas educunt,1474.4 ſolliciti pro conſeruatione Cypri,1487.2 alios principes contra Turcas ſollicitant.1493.4 eorum conſuetudo in arduis conſilijs capiendis, 1495.13
Veronica Auguſtiniana floret. 1491.2
Vgo Volaterranus Epiſcopus vir ſanctus moritur. 1481.24

Vindictæ diuinæ exemplum in S. Euchariſtiæ violatorem. 1496.10.
Virginius Vrſinus illuſo Pontifice ad Gallos tranſit. 1496.3. in carcere moritur, ibid. Gallis admodum addictus, ibid. 5.
Viri aliquot illuſtres Ord. Minorum. 1471.36
Virginius Vrſinus Alphonſo Regi Neapolitano contra Gallos parum fidus. 1494.25
Vita & obitus Thomæ de Kempis, 1471.21
Vita & obitus Dionyſij Carthuſiani ibid.22
Vita & obitus Iſaiæ Boner Auguſtiniani, 1471.34 item Matthæi Carrarienſis Dominicani. ibi. 35.
Vita & obitus Beſſarionis Card. 1472.29 B. Amedei III. Sabaudiæ ducis, ibid.37
Vladislaus Poloniæ Regis filius Bohemiæ Rex declaratur, 1471.15. ei ſtruuntur inſidiæ, 1474.3. ſeditio contra ipſum. ibid. fit Rex Hungariæ 1490.4. coronatur. ibid. coronationis eius ritus deſcribitur. ibid. 5. fidem & religionem ſe promoturum iurat, ibid. Regijs induitur veſtibus, ibid. eius ad populum oratio ibid. legatos ad Papam & Ro. Regem mittit, ibid.
Vrbanus VIII. Ladislaum Poloniæ Regis filium ad iubilæum inuitat anno 1624. 1499.9.
Vrbini Dux nouus creatur, 1474.6. eius iniquis poſtulatis reſiſtitur, ibid.8
Vrſinæ familiæ encomium. 1477.17
Vſurarius quidam à diabolo raptus, 1493.30.
Wilhelmus Arembergius interfector Epiſcopi Leodienſis decollatur, 1485.16

X.

XImenius Archiepiſcopus Toletanus qua ratione Mauros Granatenſes ad Chriſtianam religionem perduxerit. 1500.16. eius in extirpandis Mauris diligentia ibid. 17. in grauiſſimo caſu animi conſtantia. ibid. vide Franciſcus Ximenius.

Z

ZAcynthus inſula vbi ſita. 1501.6.
Zegri quidam apud Mauros quales & qua ratione Chriſtiani facti. 1500.6
Zelotypia Italorum non neceſſaria. 1474.6.
Zenzæ Perſarum regis pugna cum Caſſano: 1471.9. legatio ad Sixtum IV. ibid. mors & cædes. ibid.
Zizimus Mahometis Turcarum Imp. filius à fratre pellitur. 1482.2 ad Rhodios profugit. ibid. eius literæ & verba ad Rhodios. ibid. in Galliam mittitur. ibid. repetitur à Baiazete, 1487.1 in conſpectum Innocentij VIII. adducitur. 1489. eius mores. ibid. veneno petitur. ibid

## *ERRATA MAIORIS MOMENTI.*

*Cætera Beneuolus Lector facilè emendabit.*

PAg. 606. col. 2. lin. vlt. lege omni ditione, quam poſsidebat, defenſionem, & ad auxilia, quibus ea, quæ amiſerat, recuperare poſſet, ſubminiſtranda obligarunt. Præterea Valentinus, ſe pluri-

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Imprimebat HENRICVS KRAFFT apud Teſſeræ portam.
ANNO M.DC. XXVII.